BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XX
G
5
NAPOLI

XX
G
5

Digitized by Google

N O V U S
THESAURUS
JURIS CIVILIS ET CANONICI,

C O N T I N E N S

VARIA ET RARISSIMA

OPTIMORUM INTERPRETUM,

I N P R I M I S

HISPANORUM ET GALLORUM,

O P E R A,

Tam Edita antehac, quam Inedita,

IN QUIBUS UTRUMQUE JUS EMENDATUR, EXPLICATUR, ATQUE EX HUMANIORIBUS LITERIS, ANTIQUITATIBUS, ET VETERIS ÆVI MONUMENTIS ILLUSTRATUR.

EX COLLECTIONE ET MUSEO

GERARDI MEERMAN,

JCTI., ET REIPUBLICÆ ROTERODAMENSIS SYNDICI.

TOMUS QUINTUS.



HAGÆ-COMITUM,

APUD PETRUM DE HONDT,

M D C C L I I.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

GERARDUS MEERMAN.

NON adeo multa ſunt, mi Lector, de quibus in limine hujuſce Tomi verba ad Te facere conſtitui. Neque enim e re Tua eſſe arbitror, ut, quæ vel de *Baſilicorum Libris quatuor*, vel de THALELÆI, aliorumque JCtorum Græcorum *Commentariis in Tit. Dig. & Cod. de Procuratoribus & Defenſoribus* (qui jam primum in dias luminis auras exeunt) dici poſſent, hic data opera congeram, quum otium ea ex parte mihi fecerint Clariſſimi Editores REITZIUS & RUHNKENIUS in elegantiſſimis ſuis *Præfationibus*, ad quas proinde Te ablegaſſe ſuffecerit.

Succedunt itaque FRANCISCI RAMOS DEL MANZANO *ad Leges Juliam & Papiam, & quæ ex Libris Juriſconſultorum Fragmenta ad illas inſcribuntur, Commentarii & Reliquationes*; ejuſdemque Diſſertationes duæ, *de uſufructu municipibus legato*, & *de protectoribus*, ad unicam eandemque rariſſimam editionem Matritenſem ex Typographia Imperiali apud JOSEPHUM FERNANDEZ DE BUENDIA MDCLXXVIII. *fol. 2 vol.* recuſa, quod præclarum opus ab eximia Auctoris eruditione, variaque doctrinæ copia quam maxime commendandum, pridemque deſideratum, dubitare non licet, quin Erudito orbi futurum ſit quam exoptatiſſimum. Non eſt vero hujus loci, in laudes & merita JCti bujus inter Hiſpanos facile principis exſpatiari, utpote quod omne ex profeſſo jam occupavit Vir Celeberrimus GREGORIUS MAJANSIUS in politiſſima *Diſſertatione*, quam meo rogatu *de vita & ſcriptis* FRANCISCI RAMOS DEL MANZANO conſcripſit, repetitæ huic Editioni præmiſſa, in qua etiam ſpeciatim *num.* 101. & *ſeqq.* de præſtantia *Commentariorum ad Leges Juliam & Papiam*, quantum ſatis eſt, egit, hoſque ab obtrectatorum cavillationibus vindicavit, inſtituta ſimul eorumdem cum JAC. GOTHOFREDI & JO. GOTL. HEINECCII ad dictas Leges lucubrationibus juſtiſſima comparatione, cui univerſa Juriſperitorum natio, ſepoſito, ut oportet, omni partium ſtudio, ſubſcribat neceſſe eſt. Adjectæ vero *Diſſertationes duæ* RAMI *extemporales*, etſi ab Auctore primo juventutis flore elaboratæ, atque intra paucorum dierum ſpatium abſolutæ, attamen quanta & quam præclara jam ea ætate polliceretur, manifeſtum faciunt. Confer. Cl. MAJANSIUS in *vita* RAMI, *num.* 8. & 14. Idemque judicium ſerre licet circa Auctoris *Schediaſma de Concubinis, earumque tum ſimilitudine, tum differentia a legitimis uxoribus*, quod proximum locum occupat. Hoc vero dudum forte interiiſſet, niſi priſtino RAMI collegæ FERDINANDO ARIÆ DE MESA placuiſſet, illud ſuo *variarum Juris Reſolutionum* operi inſerere; qui tamen graviter contra tertium juris præceptum deliquit, dum celato veri Auctoris nomine illud tanquam ſuum publico obtrudere haud erubuit, qua de re tum ipſius RAMI, tum RETESII juſtiſſimas querelas ipſorum verbis retulit MAJANSIUS *dict. Diſſ. num.* 12. Quæ porro JCti noſtri penes me latent Prælectiones ineditæ, quarum ſpem pridem Tibi, B. L. feci, quum locum in hoc Tomo invenire haud potuerint, haſce proxime Te exſpectare jubeo; eæque una cum RETESII ſcriptis, aliiſque nonnullis opuſculis rarioribus, maximam partem Aurelia ex Bibliotheca Pruſtelliana nuper ad me miſſis, vaſtæ huic Collectioni, quæ tum

præter exſpectationem, tum ob varia nova adminicula plus juſto excrevit, coronidem imponent.

Poſtremo hic recenſendus venit EMANUELIS SOAREZ A RIBEIRA *Obſervationum juris Liber primus* (plures vero nunquam prodiere) editus olim Lugduni apud CLAUDIUM SERVANIUM MDLXII. in 8. Fuit Auctor natione Luſitanus, nomenque *Soarezii* ex materna, cognomen vero *de Ribeira* ex paterna familia ſibi adſcivit, ipſo teſte *cap.* 30. In Academia vero Conimbricenſi Juriſprudentiæ ſtudio operam navavit, Præceptoreſque nactus eſt celebres id temporis Anteceſſores, EMANUELEM COSTAM, ARIAM PINELLUM, & HECTOREM RODERICUM. vid. *cap.* 3, 5, 13. *&c.* tantamque brevi famam adquiſivit, ut in eadem Univerſitate Juris Pontificii cathedram veſpertinam obtinuerit, quemadmodum tum ab ipſo Auctore diſcimus *cap.* 30. tum a NICOL. ANTONIO *Tom. I. Bibl. Hiſp. nov. Pag.* 273. *Profectus deinde, qua de cauſa ignotum* (verba ſunt ejuſdem ANTONII) *uſque ad Gallos Lugduni aliquamdiu ſubſtitit, hinc Venetiis, inde Patavium ſe contulit, paſſus, neſcio in quo loco, certe eo ubi verſabatur, annotationes cum ſcriberet ad* GOMEZII *cap.* 1. *Tomi III. de delictis, a certo quodam jurato ſibi hoſte, quem ſuum Ibim alibi appellat, quidquid timeri potuit ab homine, quomodo ipſe refert, omni vitiorum genere conſpurcatiſſimo, exlege, A. A. nomine, quem omnes alios precatur abominari, dirisque omnibus ac furiis devovere, execratione, ut æſtimo, parum Chriſtiana.* Quis vero ſub duabus hiſce notulis lateat, fruſtra perſcrutari ſtuduere tum JOS. FINESTRESIUS, tum GREG. MAJANSIUS *Lib. IV. Epiſt.* 10. *&* 11. Profecto, niſi integerrimi Viri mores incorrupti repugnarent, fere ſuſpicarer a RIBEIRA hic indigitari ANTONIUM AUGUSTINUM, quem in Italia per aliquot annos uſque ad MDLXIV. degiſſe conſtat. vid. MAYANS *en la vida de* ANT. AGUSTIN, *num.* 62. Verum quum ignorem, num id conveniat tempori, quo ibi morabatur SOAREZIUS, vel quo anno hic *Obſervationes* ſuas *in* GOMEZII *Reſolutiones* vel ſcripſerit vel ediderit, neque aliunde pateat, inter utrumque apertas ſimultates enatas fuiſſe, nihil certi hac in parte definire auſim. Notarum vero A. A. initium vetat, quominus hæc ad JAC. CUJACIUM adplicemus, cum quo noſter maximam, dum in Galliis eſſet, familiaritatem contraxerat (adeo ut & hoſpitio ab eo exceptus fuerit, ut colligi poteſt ex *cap.* 9. harum *Obſerv.*) ſed quæ non diu poſtea in odium Vatinianum, ſaltem a CUJACII parte, migravit. Ferre enim non potuit incomparabilis hic Juriſprudentiæ elegantioris reſtaurator, quod a SOAREZIO non modo ſæpius refutatus, ſed & aliquando aculeatis verbis ac facetiis inſectatus eſſet, uti hic fecit *cap* 21. *&* 31. (quamvis alibi debitam CUJACIO laudem tribuat, ut quum eum *cap.* 9. vocat *ſummo jure* DUARENI *loco ſuffectum diligentem atque eruditum hoſpitem ſuum*, & *cap.* 20. *virum de Juriſprudentia affatim meritum*) indeque CUJACIUS integrum caput, quod eſt *cap.* 17. *Lib. IX. Obſerv.* SOAREZIO reprehendendo impendit; quamvis ſtudioſe loca nonnulla, circa quæ jure notatus fuerat, prætermiſerit, ut inprimis videre eſt ex collatione *cap.* 31. *Obſerv.* SOAREZII, ubi de emendatione Cujaciana *leg. in illa ſtipulatione* 8. *Dig. de verb. oblig.* ſermo eſt. Modeſtiæ vero fines egreditur, quod CUJACIUS adverſarium ſuum, cujus nomen adponere operæ pretium vix putabat, tot convitiis ac maledictis proſciderit, ut plane eum *Judæum* adpellaverit, imo, quod pejus eſt, *ex Chriſtiano Judæum;* quamvis SOAREZIUM Judaicis ſacris addictum fuiſſe (uti præter alios Cl. HEINECCIUS in *Præfat. Obſerv.* CUJACII *Pag.* 25. arbitratus eſt) neque MAJANSIUS ſibi perſuadere potuit, neque ego facile crediderim, maxime quum is libellum *Obſervationum* inſcripſerit fratri ſuo

BARTHO-

Bartholomæo a Ribeira, Sereniſſ. Luſitaniæ Regis vectigalium Juliæ · paci judici, cum quo arctiſſimum amoris vinculum ſubſtituturum fuiſſe, poſtquam Chriſtianam religionem abdicaſſet, parum veroſimile eſt: adde, quod ex ipſa hac *Dedicatione* liqueat, Soarezium aliquem dignitatis vel honoris gradum, (forte Antecesſorium munus) in Gallia expectaſſe, quem certe Judæus fruſtra ambiret. Ut autem de eruditione Auctoris paucula addam, Virum fuiſſe liquet magni ingenii, inque libris Juris Conſultorum tum Romanorum tum Græcorum haud mediocriter verſatum; quorum tamen nimis rigidum ſe cenſorem oſtendit, dum *cap.* 14, 15, 16. plurimos errores Justiniani vel potius Triboniani, Theophili, & Harmenopuli enumerare voluit, utpote ex quo numero multa loca eximi potuiſſent & debuiſſent. Tot vero Typothetarum mendis priſtina hujus opuſculi editio inquinata fuit, ut Auctor in *monito*, ſyllogi erratorum præmiſſo, ſcripſerit, diu ſe incertum fuiſſe, num tam malarum operarum labores igni daret, donec tandem conſtituerit, libellum interea foras emittere, dum poſtea illum una cum *libro receptarum Sententiarum Juris Interpretum*, atque altero *Juris epiſtolarum* alii diligentiori impreſſori commiſſurus eſſet, quamvis hac in parte fidem datam non liberaverit. Alia tamen ſucceſſu temporis opera Auctor vulgavit, ſed ad praxin forenſem unice accommodata, nempe *Theſaurum receptarum ſententiarum utriuſque Juris.* Venet. MDLXIX. in 8°. *Adnotationes marginales ad* Ar. Pinelli *Commentarios in rubr. & leg.* 2. *Cod. de reſc. vend.* ibid. MDLXX in 8°. *Adnotationes ad* Ant. Gomezii *variarum Reſolutionum libros*, & forte plura, a Nic. Antonio *d. l.* memorata. Tu interim his fruere Lector, meiſque conatibus have & fave. Dab. Stadvici, prædio noſtro prope Leidam, ipſ. Kal. Auguſti MDCCLII.

INDEX
TRACTATUUM
TOMI V.

BASILICORUM *Libri quatuor, IL. L. LI. & LII. ex codice manu ſcripto Regiæ Bibliothecæ Pariſienſis, nunc primum integre editi. Latine vertit, variantes Lectiones collegit, Notaſque Criticas ac Juridicas, tam aliorum quam ſuas, addidit* GUL. OTTO REITZ, JCTUS. . . . . . Pag. 1

THALELÆI, THEODORI, STEPHANI, CYRILLI, *aliorumque JCtorum Græcorum Commentarii in Tit. D. & Cod.* de Procuratoribus & Defenſoribus, *Gr. & Lat. ex editione, & cum Notis David.* RUHNKENII. . . . 1

FRANCISCI RAMOS DEL MANZANO *ad Leges Juliam, & Papiam, & quæ ex Libris Juriſconſultorum Fragmenta ad illas inſcribuntur, Commentarii, & Reliquationes. Accedunt Diſſertationes duæ extemporales, prior ad Titum Gajum de uſufructu Municipibus legato,* in l. 8. Dig. de uſufr. leg. *altera de Domeſticis & Protectoribus,* ad l. 2. Cod. de excuſat. mun. *His omnibus præmiſſa eſt Auctoris vita, ſcriptore* GREGORIO MAJANSIO, *nunc primum edita.* . . . 1

———————— *Schediaſma de Concubinis, earumque tum ſimilitudine, tum differentia a legitimis uxoribus.* 551

EMANUELIS SOAREZ A RIBEIRA, *Obſervationum Juris Liber.* . 561

BIBLIOPEGÆ.

Præmiſſa Opuſcula, eo quo hic diſpoſita ſunt ordine, colligere atque compingere Bibliopegæ curæ erit.

AU RELIEUR.

Les Divers Traités, contenus dans ce Volume, doivent être reliés, ſelon l'ordre ci-deſſus marqué.

AAN DEN BINDER.

De Tractaten, in dit Deel vervat, moeten, volgens de bovenſtaande Order, worden ingebonden.

BASILICORUM

BASILICORUM
LIBRI QUATUOR,
IL: L: LI: ET LII.

EX CODICE MANU SCRIPTO

REGIÆ BIBLIOTHECÆ PARISIENSIS

Nunc primum integre editi.

Latine vertit, variantes Lectiones collegit, Notaſque Criticas ac Juridicas, tam aliorum quam ſuas, addidit

GUL. OTTO REITZ, JCtus.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

GUL. OTTO REITZ.

I. PRimo ego omnium Clariſſimo Viro JOANNI CAPPERONNERIO publicas ago gratias, quod meo Meermannique Ampliſſimi rogatu tam exactus, tamque nitidus ac perſpicuus Baſilicorum horum librorum deſcriptor eſſe voluerit, ut nuſquam circa veram MSpti Codicis lectionem dubius hæſerim; ſiquidem ipſos etiam πρωτοτύπου apices & ductus in locis paullo corruptioribus tam eleganter depictos expreſſit, ut nihil ſupra; id quod notulæ meæ ſatis declarabunt, in quibus typothetæ, quam proxime fieri potuit, eoſdem ductus imitati fuere. Quo quidem labore & me & illos levare potuiſſem, niſi eum e re ſtudioſorum Critices fore putaſſem, ſi quando ſimilia forte Manuſcripta verſaturi ſint.

II. Hinc tranſeo ad MSpti Codicis noſtri deſcriptionem, ex litteris a Cl. Capperonnerio ad Nobiliſſ. Meermannum menſe Januario hujus anni datis:

„ Codex manuſcriptus Græcus, continens ſeptem Libros Baſilicon a 46. ad 52.
„ hodie ſignatus Num. 1357. volumen in ſolio conficit 277. foliorum, valdeque per-
„ ſpicue exaratus eſt circa finem ſæculi quinti decimi. Antea fuerat Bibliothecæ Col-
„ bertinæ, ubi ſignatus erat Num. 2324. unde poſtea in Regiam tranſiit. Ultimi qua-
„ tuor libri, quos deſcripſi, comprehenduntur a fol. 192. uſque ad finem. Incertum
„ vero eſt, unde Dom. Colbert hunc Codicem nactus fuerit; ſiquidem curæ Rev.
„ Abbatis Sallierii relictum erat, notitiam tenere, quos poſſeſſores ſinguli Codices
„ ſucceſſu temporis habuiſſent, & ante illum eadem non adhibebatur opera. Notæ
„ P. FABRI admodum exiguo numero ſunt, [*ad Libr. LI. Tit.* 3. *ſeqq. eæque parvi*
„ *momenti* G. O. REITZ.] eaſque ad marginem apographi mei diſtinxi litteris *P. F.*
„ Reliquæ annotationes ſunt correctiones meæ ex ingenio natæ, quas diſtinxi per
„ particulas *an?* *utrum?* vel *F. forte.* Una præterea exſtat notula Dom. BOIVIN,
„ [*L. LI. T.* 4.] qui Bibliothecæ Regiæ Præfectus erat, uti ſuo loco expreſſum eſt. "

His addas, quæſo, L. B. quæ Meermannus ſub finem præfationis ante Tomum II. Theſauri ſui ſcripſit, ne repetere hic neceſſe ſit.

III. Quum vero Eruditorum aliquos, utrum bona fide an mala, haud ſcio, dubitare inaudiam, verine hi ſint Baſilicorum libri an ſuppoſititii, duobus ego argumentis hunc iis ſcrupulum eximam. Primum eſt, quod JOSEPHUS MARIA SUARESIUS in *Notitia Baſilicorum*, pag. (ſi in Fabrotiana edit. numeres) 8. hæc inter alia ſcribit: „ Broeus in Chronologia Juris famam eſſe ſcribit, libros Baſilici reliquos „ penes Cujacium fuiſſe, illoque demortuo perveniſſe ad PETRUM FABRUM „ Saniorianum Præſidem Toloſanum, cujus heredes Theſaurum illum cuſtodiunt, „ ut didici ex litteris Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Toloſani ". Atqui noſtros hoſce libros a P. FABRO tractatos fuiſſe, ex ſupra dictis didicimus. Mirari vero ſubit, Fabrotum adeo ſupinæ negligentiæ fuiſſe, ut, dum reliquias haſce penes heredes Fabri latere ex dicta Suareſii *Notitia Baſilicôn*, ſcripta A°. 1637. ipſique Operi Baſilicôn præmiſſa, diſcere potuerat, non ſolum nullam operam navaverit eas nanciſcendi, qua in parte Ill. Franciæ Cancellarii Petri Seguerii interceſſio multum ipſi pro-

fuiſſet, ſed etiam in Præfatione ad Lectorem A°. 1646. vel 1647. exarata ſcribere potuerit, quatuor hoſce libros (una cum reliquis, quos illic ſed minime juſto calculo enumerat) *periiſſe*, *niſi forte in forulis Bibliothecæ alicujus premantur*. Alterum porro argumentum hoc eſt, quod non ea tantum fragmenta, quæ Synopſis atque ex ea Fabrotus habent, ſed omnia etiam illa, quæ ego vel apud Michaëlem Attaliaten, vel apud Cujacium, ex integris Baſilicis deſumta, ſed a Fabroto per incuriam aut feſtinandi ſtudium neglecta, inveni, hic ad verbum fere exſtant. Exempla non adſero, quum in notis meis paſſim ſint obvia.

IV. At quoniam hi IV. libri in eum nunc eduntur finem, ut Opus Baſilicum, quantum pote eſt, ſuppleatur, eodem mihi conſilio hic liceat ex MICHAELIS ATTALIATÆ *Pragmatica ſeu Synopſeos Synopſi* (quam Tomus II. Juris Græco-Romani ab Jo. Leunclavio compilati exhibet) indicem eorum ſubtexere locorum, quæ ad idem Opus locupletandum etiam facere mihi videntur. Scias autem velim, L. B. haud parvo hanc operam mihi labore conſtitiſſe, de quo optime judicabunt, mihique, ſi quid humani ſim paſſus, tanto æquiores erunt, qui Attaliaten ipſum inſpicere dignabuntur. Deſunt ergo in Baſilicis Fabrotianis hæc loca:

BASILIC. EX JURE JUSTINIANEO APUD ATTAL.

LIB.	III. Tit.	1.	l. 33. §. 3. C. *de Epiſcop.*	TIT. III.	*Pag.* 7.
	V.	1.	l. 46. *eod.* mixta l. 1. & 15. *de S. S. Eccleſ.*	*ibid.*	
	XXXV.	1.	l. 4. / l. 11. / l. 21. §. 2. / l. 29. pr. } D. *Qui teſt. fac.*	XXXI. pag.	28.
	——	2.	l. 12. C. *de Teſtamentis.*	XXXII ——	28.
	——	5.	l. 1. D. *de Tabb. exhib.*	——	29. 30.
	——	8.	l. 2. D. *de Lib. & poſtumis.*	XXXIII.	30.
	——	21.	l. 6. D. *de Teſt. mil.* item l. 17. §. 2. *eod.*	XXXIV.	31.
	XXXVI.	1.	l. 1. D. *de Codicillis.*	XXXV.	31.
		——	l. 8. §. ult. C. *eod.*	——	32.
	XLIV.	1.	l. 2. & l. 117. *de Leg.* 1.	XXXIX.	34.
	——	2.	l. 1. pr. & l. 45. pr. *de Leg.* 2.	*ibid.*	
	——	18.	l. 22. & 23. D. *de Reb. dub.* / l. 17. & l. 60. *de Leg.* 2. / it. l. 38. §. 6. *de Leg.* 3.	*ibid.*	
	——	19.	l. 78. §. 1. *de Cond. & Demonſtr.*	*ibid.*	

Quæ ex noſtris libris Fragmenta habet Attaliates, ſuo quæque loco jam retulimus.

LIII. tribus prioribus titulis.		l. 9. D. *de L. Rhodia.*	XLVIII.	43.
		l. 13. §. 2. D. *Locati cond.* / l. 29. §. 3. D. *Ad L. Aquil.* (aliter ac Fabr.) / l. 1. §. 6. D. *de Exercit. act.*		*ibid.*
		l. 3. D. *de L. Rhodia.*	——	44.
LIV.	9.	l. ult. D. *de Legationibus.*	XLIX.	44.
——	14.	l. 1. §. 5. D. *de Extr. cognit.*	*ibid.*	
LVI.	1.	l. 1. §. 1. / l. 9. §. 1. 2. 3. / l. 8. pr. / l. 14. / l. 16. §. 13. } D. *de Publicanis.*	LI.	45.
——	2.	l. 22. §. 2. / l. 24. / l. 37. } D. *de Jure Fiſci.*	LII.	45.
——	6.	l. 2. C. *de Quadr. præſcr.* / l. 1. C. *de Petit. bon. ſubl.* / l. 12. C. *de Fund. patrim.*	——	46.
LVIII.	10.	l. 1. §. 10. *D. de Op. novi nunt.*	LIII.	46.
——	—	l. 1. C. *de Interdictis.*	*ibid.*	
LX.	12.	l. 4. §. 1. D. *ad L. Aquil.*	LXXVII.	68.
	50.	l. 1. §. 23. D. *de Quæſtionibus.*	*ibid.*	
		l. 2. & 4. C. *de Libertis*, aliter ac Fabr. Tom. VI. Baſil. p. 597.	LXXVIII.	69. 70.
		NOV. CXXXIV. cap. ult. in fin.	XCII.	75.

V. Hic

V. Hic te dimitterem, L. B. niſi data hac occaſione nova quædam argumenta tecum communicanda haberem, pro ea ſententia, quam de ætate plerorumque Commentatorum, qui in Scholiis Baſilicorum memorantur, in ultimo ad THEOPHILUM meum Excurſu, nec non breviter in præfat. pag. XXV. expoſui, &, ringente licet invidia atque ignorantia, Eruditioribus pleriſque probavi. Primum eſt, quod ἑρμηνευτὴς ille, qui inter Græcos Baſilicorum Commentatores ab Elegantiſſimo mihique Amiciſſimo Viro D. RUHNKENIO nuper admodum in Tomo III. Theſauri Meermanniani editos, legem 15. *Cod. Juſtin. de Advocatis diverſ. judic.* interpretatur, his ex verſione Ruhnkeniana pag. 31. verbis utatur: „ Hæc conſtitutio temporaria eſt, „ & magnam partem ſuperflua in hoc Codice legitur, propterea quod, quæ ea ſancita ſunt, jam dudum tranſiere. - - - - - Etſi Advocati LXIV. qui tum erant, „ poſt fiſci patronum, jam dudum in vivis eſſe deſierunt, Conſtitutione quippe ante plurimos annos (πρὸ πολλῶν ἐνιαυτῶν) promulgata, poteſt tamen, quod tum „ ſancitum eſt, ſæpe uſui eſſe liberis ſuperſtitibus, ſi actione de conditione curiali „ vel cohortali petantur, vel ſi res, quæ ad ipſos pertinent, adhuc curiales eſſe „ dicuntur. Nam ex hac Conſtitutione & filii & nepotes eorum, quibus de con„ditione curiali vel cohortali lis movetur, ſibi auxilium petere poſſunt". Etc. Hinc ſequi videtur, illorum Advocatorum non modo nepotes, ſed filios etiam hujus Commentatoris tempore in vivis adhuc fuiſſe: atqui Conſtitutio iſta lata fuit ab Leone Juniore A. Chr. 472. Quare fieri nequit, ut vel illi vel Commentator noſter poſt Juſtiniani mortem, id eſt, poſt A. Chr 568. vixerint. Sed vagum illud tempus ad certius, nec ab ullo ſani cerebri homine negandum, redigamus. Idem ἑρμηνευτὴς ſequentem legem 16. quam idem Leo cum patre Zenone A. Chr. 474. conſtituit, exponens, inter alia ſic loquitur pag. 31—2. „Sicut igitur ibi dixi, eos, „ in quorum gratiam illa ſanctio promulgata eſt, hodie non amplius ſupereſſe, ne„que adeo de iis perſonis tractari; contingere tamen, ut vel liberi eorum vel ne„potes propter conditionem actione petantur - - - - ita & hæc conſtitutio ſuper „ liberis & nepotibus, & negotiis eorum proferri poteſt: ſuper ipſis vero perſonis, „ quarum cauſa data eſt, tractari nequit, quippe dudum XV. togatis, qui tum pri„mum gradum obtinebant. ANNI ENIM PLUS QUINQUAGINTA ex eo tem„pore ſunt præterlapſi, [*quo conſtitutio data fuit:* ἀφ᾽ οὗ τὸ ἅπαξ ἐκ τῶν χρόνων τῆς δια„τάξεως ὑπὲρ τὰς πεντήκοντα καὶ πλείους ἐνιαυτούς.]" Jam vero ſi annis 474. addantur 55. (med. τῶν 50. & 60.) nonne clariſſime ſe prodit ævum Juſtinianeum?

VI. Quod autem pag. 1243—5. edit. Theoph. probare ſategi, DOMNINUM, *Heroaſque* EUDOXIUM & PATRICIUM, ante Juſtinianum ad Codicem Theodoſianum commentatos fuiſſe, novo itidem argumento firmabo ex eodem ἑρμηνευτῇ Ruhnkeniano, pag. 56. Tom. V. Theſ. Meerm. ubi ad l. 6. Cod. *de Procurat.* (cujus auctor fuit Alexander Imp. A. Chr. 224.) hæc commentatur: „ Hanc Conſtitutionem „ DOMNINUS, & *Demoſthenes*, & EUDOXIUS, Viri excellentiſſimi, de civili „ cauſa acceperunt, quia OLIM in hac conſtitutione legebatur: *Reum criminis con„ſtitutum neque honoribus fungi poſſe.* Sed HEROS PATRICIUS eam de quacun„que cauſa accepit, cujus etiam ſententiam ſequi maluerunt illuſtres Codicis ar„chitecti, qui ideo *honorum* mentionem ex hac conſtitutione ſuſtulerunt."

Vale, Erudite ac Benevole Lector, mecumque & humanitatem & æquitatem & veritatem ama ac tuere! Dabam Medioburgi in Selandis, 1752. VI. *Kal. Sept.*

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 6. not. 62. adde:] Cujac. XVII. *Obſ.* 13. hunc locum adverſario opponens ſimpliciter citat: Και τετο παραδεξ.

ib. vſ. 16. a fine:] Hanc periodum Cujac. d. l. liberius, quam alias ſolet, citat.

Pag. 10. not. 1. adde:] Lex 1. & 2. ſuppleri poteſt ex Synopſi Leuncl. pag. 315. ex paratitlis Libr. XXXI. Eadem ibidem l. 9. & l. 10. compendioſius exhibent. Fabrotum obſervavi in generali Titulorum Indice ſub tit: Dig. *De Obſequio par. & patr. praſt.* adſcripſiſſe: *Tom. VI. in fine & in Add.* ſed nihil horum in meo exemplari invenio: unde ſuſpicor, eum eadem illa fragmenta in animo habuiſſe.

Pag. 11. & 12. l. 2. & 4. aliter ap. Attaliaten pag. 69. & 70. leguntur.

Pag. 11. not. 15. potius nunc delenda, quoniam ſic de ingratis libertis loqui amant, ut inf. pag. 18. κεφ. ις.

Pag. 14. l. 23. pr. Male ergo textum Latinum invertit Cujac. XVII. 14.

Pag. 37. not. 59. ſupple:] Libro L. Tit. 3. κεφ. Δ. §. 19. & 20. pag. 51. not. 12.

Pag. 41. not. 4. Hoc tandem vocabuli ex variis conjecturis meis reponere ſuſtinui, poſtquam me dubium ac ſola Græca Gloſſaria conſulentem Cognatus Litteratiſſ. Arrerichius ad Latinum du Cangii Gloſſarium ablegavit, qui vocem *Staplus* ſic exponit: „ STAPLUS. Palatium, „ domus, ædes, ut quibusdam placet, ex Germanico *Stapel*, locus ſtabulandarum mercium: „ ſic autem propric vocabant ædificia tumultuario opere exſtructa, aliquot ſtipitibus innixa, „ quos Anglo-Saxones *Staple* dicunt ". Sed poſtremam ſignificationem nulla auctoritate firmat.

Pag. 51. not. 12.] Vide paullò ante ad pag. 37.

Pag. 71. not. ult. deleto, & in textu reponito conjunctim προσδιωρισμὸν, namque hoc compoſitum recurrit inf. pag. 75. poſt num. 12.

Pag. 89. Not. col. 1. vſ. 3.] Ut clarius intelligat Lector, quid per generalem ac ſpecialem denominationem ſignificem, conferat tantum notam meam 35. ad pag. 98. ubi ſimilis Græculorum eſt aberratio circa ſpec. & gener. denom. *actionum in factum.* Sic hoc loci *actio ſ. cautio de damno infecto* confunditur cum actione *ex qualibet ſtipulatione.*

TANTUM *inpræſentiarum.*

INDEX

INDEX TITULORUM

ex ordine Corporis Juſtinianei,

qui in hos IV. Baſilicorum libros relati fuerunt.

E DIGESTIS

LIBR.	TIT.		BAS. LIB.	TIT.	κεφ.	Pag.
XXXVII.	14.	*De Jure Patronatus.*	XLIX.	1.	α.	1
	15.	*De Obſequiis parent. & patronis præſtandis.*		2.	—	10
XXXVIII.	1.	*De Operis libertorum.*		3.	—	12
	2.	*De Bonis libertorum.*		4.	—	19
	3.	*De Libertis univerſitatium.*		4.	μη	28
	4.	*De Adſignandis libertis.*		5.	α	28
	5.	*Si quid in fraudem patroni factum ſit.*		6.	—	30
XLI.	1.	*De Adquirendo rerum dominio.*	L. TIT.	1.	—	34
	2.	*De Adquirenda vel omittenda poſſeſſione.*		2.	—	42
	3.	*De Uſurpationibus & Uſucapionibus.*		3.	—	50
	4.	*Pro Emtore.*		4.	—	58
	5.	*Pro herede vel pro poſſeſſore.*		5.	—	62
	6.	*Pro donato.*		6.	—	63
	7.	*Pro derelicto.*		7.	—	63
	9.	*Pro dote.*		8.	—	64
	10.	*Pro ſuo.*		9.	—	64
XLIII.	4.	*Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus erit.*	LI. TIT.	5.	—	93
XLIV.	1.	*De Exceptionibus, præſcriptionibus & præjudiciis.*		1.	—	79
	2.	*De Exceptione rei judicatæ.*		2.	—	81
	3.	*De Diverſis temporalibus præſcriptionibus &c.*		3.	—	85
	4.	*De Doli mali & metus exceptione.*		4.	—	87
	5.	*Quarum rerum actio non datur.*		6.	—	95
	7.	*De Obligationibus & Actionibus.*	LII. TIT.	1.	—	96

EX CODICE

LIB.	TIT.		BASILICORUM.	TIT.	κεφ.	pag.
VI.	3.	*De Operis libertorum.*	LIB. XLIX.	TIT. 3.	κεφ. ι'.	pag. 17
	4.	*Bonis libertorum, & jure Patronatus.*		1.	κά.	4
	5.	*Si in fraudem patroni a libertis alienatio facta ſit.*		6.	ιη.	33
	6.	*De Obſequiis patrono præſtandis.*		2.	ί.	11
	7.	*De Libertis & eorum liberis.*		2.	ιά.	11
VII.	26.	*De Uſucapione pro emtore vel tranſactione.*	LIB. L.	TIT. 4.	κεφ. ιη.	pag. 61
	27.	*De Uſucapione pro donato.*		6.	ζ'.	63
	28.	*De Uſucapione pro dote.*		8.	γ'.	64
	29.	*De Uſucapione pro herede.*		5.	έ.	62
	30.	Communia de Uſucapionibus.		10.	ά.	62
	30.	*l.* 3 eod.		5.	έ.	65
	31.	*De Uſucapione transformanda &c.*		10.	δ'.	65
	32.	*De Adquirenda & retinenda poſſeſſione.*		2.	ιβ'.	49

COD. LIB.	TIT.	BAS. LIB.	TIT.	κεφ.	Pag.
VII.	33. *De Præſcriptione longi temporis* x. *vel* xx. *annorum.*	L.	11.	α.	66
	34. *In quibus cauſis ceſſat. longi temporis præſcriptio.*		12.	α.	68
	35. *Quibus non objicitur longi temporis præſcriptio.*		12.	ϛ.	68
	36. *Si adverſus creditorem præſcriptio opponatur.*		14.	α.	72
	37. *De Quadriennii præſcriptione.*		13.	α.	69
	38. *Ne rei dominicæ vel templorum vindicatio temporis præſcriptione ſubmoveatur.*		13.	δ.	71
	39. *De Præſcriptione* xxx. *vel* xl. *annorum.*		14.	γ.	72
	40. *De Annali exceptione Italici contractus tollenda: & diverſis temporibus, & interruptionibus earum.*		15.	α.	77
	41. *De Alluvionibus & paludibus, & paſcuis ad alium ſtatum tranſlatis.*		16.	α.	78
VIII.	4. *Unde vi.*	L.	3.	μη.	57
	5. *Si per vim vel alio modo abſentis perturbata ſit poſſeſſio.*		3.	ξ.	58
	6. *Uti poſſidetis.*		3.	τελευτ.	58
	36. *De Exceptionibus ſeu præſcriptionibus.*	LI.	4.	ιη.	93

EX NOVELLIS

XVIII. CAP.	10. *De Improbis poſſeſſorum exceptionibus.*	L.	11.	ιγ.	67
CXIX. CAP.	7. & 8. *De Mala fide poſſeſſoris res alienantis.*	L.	14.	ια.	76
CXXXIV.	7. *Ne quis creditor filium debitoris pro debito retinere præſumat.*	LII.	1.	τελευτ.	104

THALELAEI, THEODORI, STEPHANI, CYRILLI,

aliorumque JCtorum Graecorum

COMMENTARII

in Tit. D. & Cod.

de Procuratoribus & Defenſoribus.

Ex Codice MS. Bibliothecae Lugduno-Batavae nunc primum edidit, Latine vertit, & caſtigavit

DAVID RUHNKENIUS.

TOM. V.

JURIS-

[ΤΩΝ [1] ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ]

ΒΙΒΛΙΟΝ ΜΘ.

[BASILICORUM]

LIBER XLIX.

Τίτλος α.

[2] Περὶ δικαίου πατρώνων.

[ΠΑΝΔ.] Β. λζ. Τιτ. ιδ.

Α. [3] ἘΑΝ μόνον ἀκαθήκοντες φανῶσιν οἱ ἀπελεύθεροι πρὸς τοὺς πάτρωνας ἢ παῖδας αὐτῶν, ὀφείλει μαστιγοῦν αὐτοὺς ὁ ἄρχων καὶ ἀπολύειν, [4] ἀπειλῶν σφοδροτέραν ἐπεξέλευσιν, ἐὰν πάλιν αἰτιαθῶσιν· εἰ δὲ ὑβρίσωσιν, ἐξορίζειν προσκαίρως· εἰ δὲ χεῖρας ἐπιβάλωσιν, μεταλλίζειν. Τὸ αὐτό ἐστι, κἂν συκοφαντίαν τινὰ κατασκευάσωσιν αὐτῷ, ἢ καταμήνυσιν, ἢ ἄλλως πράγμασιν αὐτὸν περιβαλεῖν ἐπιχειρήσωσιν.

Β. Θεμιτῆς ἐμπορίας οὐ δύνανται τοὺς ἀπελευθέρους ἀπαγορεύειν οἱ πάτρωνες.

Γ. Ἐάν τις δοθεὶς ἐπίτροπος τιμηθῇ ληγάτῳ δούλης ἐπὶ τῷ ἐλευθερῶσαι αὐτήν, καὶ λαβὼν ἐλευθερώσῃ αὐτήν, καὶ παραιτήσηται τὴν ἐπιτροπήν, ἔστι μὲν πάτρων, οὐδὲν δὲ χρήσιμον ἔχει πάτρωνος.

Δ. Οἱ παῖδες τοῦ ἐπὶ τυραννίδι κατακριθέντος, ἢ ἐξ ἄλλου ἐγκλήματος τιμωρηθέντος, ἔχουσι κατὰ τῶν ἀπελευθέρων αὐτοῦ τὸ πατρωνικὸν δίκαιον.

Ε. Ὁ ἀπελεύθερος ὑποβαλών τινα περὶ τύχης ἀναγαγεῖν τὸν πάτρωνα, ἀναδουλοῦται· καὶ ὁ πάτρων μὴ τρέφων πενόμενον τὸν ἀπελεύθερον, ἐκπίπτει πατρωνικῶν.

ϛ. Ὁ ὁρκῶν ἢ ἀνεχόμενος ὀμόσαι τὴν ἀπελευθέραν, ὡς οὐ γαμεῖ ἢ παιδοποιεῖ, ἐκπίπτει τῶν πατρωνικῶν· εἰ δὲ παρὰ γνώμην αὐτοῦ ὁ ὑπεξούσιος αὐτοῦ υἱὸς [6] ὁρκώσῃ, οὐ βλάπτεται· εἰ δὲ κατὰ κέλευσιν αὐτοῦ, βλάπτεται. Ἐὰν ἐπερωτήσῃ ὁ πάτρων ἑκατὸν ὑπηρεσίας, ἢ ἀνὰ ἑκάστης αὐτῶν πέντε νομίσματα, ἐξουσίαν ἔχει ὁ ἀπελεύθερος τὰς ὑπηρεσίας δοῦναι, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἔστι παράνομος ἡ ἐπερώτησις. Ὁ τὸν δυνάμενον παιδοποιῆσαι ὁρκῶν παρανομεῖ. εἰ γάρ τις τὸν εὐνοῦχον ὁρκώσῃ, οὐχ ὑποπίπτει τῷ νόμῳ. Ἐὰν ὁρκώσω τὴν ἀπελευθέραν μου ἐμοὶ γαμηθῆναι, εἰ μὲν ὡς βουλόμενος αὐτὴν ἀγαγέσθαι [7] ὥρκωσα, οὐ παρενόμησα.

Titulus I.

de Jure Patronorum.

[DIG.] Lib. XXXVII. Tit. 14.

I. [*l.* 1.] SI dumtaxat inofficioſi adpareant liberti adverſus patronos eorumve liberos, debet eos flagellare Præſes ac dimittere, graviorem minitatus caſtigationem, ſi rurſus accuſati fuerint: quod ſi injuriam fecerunt, in exilium temporale mittere; ſi vero manus intulerunt, in metallum dare. Idem eſt, & ſi calumniam aliquam ei ſtruxerunt vel delationem, aut aliter negotiis eum implicare tentaverunt.

II. [*l.* 2.] Licita negotiatione libertis interdicere patroni nequeunt.

III. [*l.* 3.] Si quia tutor datus legato ancillæ honoratus ſit, *hac lege* ut eam manumittat, acceptoque *legato* eam manumiſerit, ac tutelam deprecatus fuerit, patronus quidem eſt, ſed nullum patroni commodum habet.

IV. [*l.* 4.] Liberi ejus, qui perduellionis damnatus, vel ob aliud crimen punitus fuit, adverſus libertos ejuſdem jus patroni retinent.

V. [*l.* 5.] Libertus aliquem ſubornans, ~~qui patrono ſtatus quæſtionem~~ moveat, in ſervitutem revocatur: & patronus libertum egenum non alens, jure patroni excidit.

VI. [*l.* 6. *pr.*] Qui libertam jurejurando adigit vel jurare patitur, ne nubat aut liberos tollat, jure patroni excidit: quod ſi præter voluntatem ejus filiusfamilias ejuſdem adegerit, nihil hoc ei nocet; ſin autem juſſu illius, nocet.

[§. 1.] Si patronus centum operas ſtipulatus ſit, aut pro ſingulis earum quinque aureos, in poteſtate liberti eſt, dare operas: atque ideo ſtipulatio legibus non eſt contraria.

[§. 2.] Qui jurejurando eum adigit, qui liberos tollere poteſt, contra legem facit: nam ſi quis caſtratum adigat, in legem non incidit. [§. 3.] Si libertam meam adegero, ut mihi nubat, ſiquidem

[1] Sic ſupplendum ex Libris ſuperioribus: adduntque Synopſis ac Fabrotus. Cæterum Græca tranſcripſit è Codice Regio MS. 1357 Vit. Cl. 3. CAPPERONNERIUS, L. Gr. Profeſſor.

2. Singularem primi Tituli Rubricam iidem ignorant; ſed generalem toti libro 49. hanc præmittunt: Περὶ πατρώνων καὶ ἀπελευθέρων. Exhibent autem ex hoc tit. leges 1. 5. 10. & Leuncl. quoque partem Conſtitutionis Juſtinianeæ, Fabrotus autem integram, quæ hic eſt [XXVIII.]

3. Οὐλπιαν. addit Fabr. In Synopſi Leuncl. ad marginem utrumque legitur: ἀνάγνωθι περὶ ἀπελευθέρων νεαρὰν οη'. τί δὲ ἐστιν ἀπελεύθερος, ἐν τῷ περὶ ἀνθρώπων εἴρηται. *Lege de libertis etiam Novell. LXXVIII. quid autem libertus ſit, definitum eſt in titulo de hominibus.*

4. Sic correxerat CAPPERON. pro ſcripto ἀπειλῶν: jamque habent Syn. ac F.

5. Μαρκιανός· præfigit F.

6. ὀρκώσῃ MS.. Vide οι, υ & η confuſa in Gloſſario Theophilino.

7. ὤρκωσα & mox παρενόμησα habebat MS.

νόμησα· εἰ δὲ βουλόμενος αὐτὴν ἐμποδίσαι ἑτέρῳ γαμηθῆναι, ἔοικα τῷ ὁρκώσαντι μὴ γαμηθῆναι· καὶ τῷ ἀπελευθέρῳ καὶ τῇ ἀπελευθέρᾳ [8] ὀμνυούσῃ γαμεῖν συγχωρεῖται ὁ ὅρκος.

Ζ. Ἐὰν πωλήσω δούλην ἐπὶ ὅρῳ τοῦ μὴ προστῆναι· εἰ δὲ [9] προστῇ, ἐλευθέραν εἶναι, καὶ πωλήσῃ αὐτὴν ὁ ἀγοραστὴς χωρὶς τῆς συμφώνου, καὶ προστῇ, ἐλευθεροῦται, καὶ ἐμοῦ γίνεται ἀπελευθέρα. Καὶ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις οἱ ἄρχοντες τοὺς ἀπελευθέρους ἐπεξέρχονται πρὸς τὰ ἁμαρτήματα· καὶ ἔσθ' ὅτε μέρος τῆς οὐσίας τῶν ἀχαρίστων ἀφαιρούμενοι προσκυροῦσι τοῖς πάτρωσιν· ἔσθ' ὅτε ῥοπαλίζοντες ἀπολύουσιν.

Η. Ὁ ἐλευθερούμενος [10] ἀπὸ τῶν ὑπεξουσίων στρατιώτη, αὐτοῦ καὶ οὐ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ γίνεται ἀπελεύθερος. Ὁ πραθεὶς ἐπὶ ὅρῳ τοῦ ἔσω ῥητοῦ χρόνου ἐλευθερωθῆναι, παρερχομένου τοῦ χρόνου, ἐλευθεροῦται αὐτομάτως, καὶ τοῦ ἀγοραστοῦ γίνεται ἀπελεύθερος.

Θ. Καὶ οἱ ἀφιστάμενοι τῆς [11] πατρῴας κληρονομίας, οὐκ ἀπολλύουσι τὸ πατρωνικόν· τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ αὐτεξουσίου. Ὁ κεφαλικῶς καταδικασθεὶς καὶ μὴ ἀποκαταστάς, καὶ ὁ τισιν ἀτοπήμασιν [12] ὑποτυγῶν, οὐκ ἔχει τὸ πατρωνικόν, [13] ὥσπερ ὁ μείζων τῶν εἴκοσι πέντε ἐτῶν, κεφαλικῶς τοῦ πατρικοῦ κατηγορῶν ἀπελευθέρου.

[14] Ι. Ὁ πάτρων κεφαλικῶς τοῦ ἀπελευθέρου κατηγορῶν, ἐκπίπτει τῆς κατὰ τῆς αὐτοῦ διαθήκης ἐναντιώσεως. [15] Κεφαλικὴ δὲ κατηγορία ἐστὶν, ἧς ἡ καταδίκη θάνατον ἐπιφέρει, ἢ [16] περιορισμόν. Ὁ δὲ [17] ἐγγραφόμενος δοκεῖ κατηγορεῖν, ἐν ᾧ μὴ αἰτεῖ ἀπόλυσιν.

ΙΑ. Ὁ δὲ τοιοῦτος οὐδὲ ἐξ ἀδιαθέτου κληρονομεῖ τὸν ἀπελεύθερον.

ΙΒ. Ἐὰν γράψω τὸν ἀπελεύθερόν μου μετὰ τῶν τέκνων μου, [18] ὡσεὶ υἱὸν, μερικὸν κληρονόμον, οὐκ ἀπήλλακται τοῦ εἶναι ἀπελεύθερος.

ΙΓ. Ὁ ὑπεξούσιος πεκουλιάριον δοῦλον ἐλευθερῶσαι παρὰ κέλευσιν τοῦ πατρὸς οὐ δύναται, καὶ ὁ ἐλευθερούμενος τοῦ πατρὸς ἀπελεύθερος γίνεται, εἰ κατὰ γνώμην αὐτοῦ [19] ἐλευθερώθη.

ΙΔ. Ἐὰν [20] ὀμόσω τινὸς εἶναι πάτρων, ὅσον εἰς τὸ κληρονομῆσαι αὐτοῦ, οὐκ εἰμὶ πάτρων· ὅρκος γὰρ οὐ ποιεῖ πάτρωνα. Ἕτερόν ἐστιν, ἐὰν ψηφισθῇ, πάτρωνά με εἶναι· κρατεῖ γὰρ ἡ ψῆφος.

ΙΕ. Ὁ παρανόμως ὁρκῶν τὸν ἀπελεύθερον μὴ γαμεῖν, οὐδὲν ἔχει δίκαιον, οὔτε οἱ παῖδες αὐτοῦ.

Ις. Ἐὰν εἰς περιγραφὴν τοῦ νόμου ἐκποιήσῃ τινὰ ὁ ἀπελεύθερος ἐπὶ τὸ ποιῆσαι τὴν οὐσίαν αὐτοῦ ἥττονα τῶν ἑκατὸν νομισμάτων, τὸ ἐκποιηθὲν ἄκυρόν ἐστιν. Εἰ δὲ εἰς περιγραφὴν τοῦ πάτρωνος ἐξεποίησε, [21] μένῃ δὲ ἡ οὐσία καὶ μετὰ τὴν ἐκποίησιν ἑκατὸν νομισμάτων· ἔρρωται μὲν ἡ πρᾶσις, ἀνατρέπεται δὲ διὰ τῆς [22] Fabianῆς ἢ Calvisianῆς. Ἐὰν τις

quidem ut ducturus eam adegi, nihil contra legem feci; ſed ſi *ut* prohibiturus eam alii nubere, ſimilis ſum adigenti ne nubat. [§. 4.] Et liberto & libertæ juranti, ſe matrimonium [non] inituros, jusjurandum remittitur.

VII. [*l.* 7. *pr.*] Si ancillam vendidero ſub conditione, ne proſtituatur; ſi vero proſtituatur, ut libera ſit: eamque emtor ſine *illo* pacto vendiderit ac proſtituta fuerit, libera & mea liberta ſit. [§. 1.] Etiam in provinciis Præſides ſecundum delicta libertos puniunt: & nonnunquam partem bonorum ingratis ablatam adjudicant patronis; nonnunquam fuſtibus cæſos dimittunt.

VIII. [*l.* 8. *pr.*] Qui à filiofamilias milite manumittitur, ejus, non patris, ſit libertus. [§. 1.] Qui venditur ſub conditione, ut intra certum tempus manumittatur, elapſo tempore ultro manumittitur, atque emtoris ſit libertus.

IX. [*l.* 9. *pr.*] Etiam qui paterna hereditate abſtinent, non amittunt jus patronatus: idem & in emancipato. [§. 1.] Qui capitis damnatus neque reſtitutus eſt, & qui de flagitiis quibuſdam defert, jus patroni non habet: vel qui major viginti quinque annis paternum libertum accuſat.

X. [*l.* 10.] Patronus libertum capitaliter accuſans, excidit bonorum poſſeſſione contra tabulas illius. Capitalis autem eſt accuſatio, cujus condemnatio mortem infert aut exilium. Qui vero inſcripſit, accuſare videtur, ſi abolitionem non petit.

XI. [*l.* 11.] Is autem neque ab inteſtato ſuccedit liberto.

XII. [*l.* 12.] Si libertum meum cum liberis meis, quaſi filium, ex parte heredem ſcripſero, non deſinit eſſe libertus.

XIII. [*l.* 13.] Filiusfamilias ſervum peculiarem extra patris juſſum manumittere nequit; & manumiſſus patris ſit libertus, ſi ejus voluntate manumiſſus fuit.

XIV. [*l.* 14.] Si cujus patronum me eſſe juravero, quantum ad ejus ſucceſſionem, patronus non ſum: nam jusjurandum patronum non facit. Aliud eſt, ſi judicatum ſit, me patronum eſſe: rata enim eſt ſententia.

XV. [*l.* 15.] Qui libertum contra legem jurejurando adigit, ne ducat uxorem, nihil juris habet, neque ejus liberi.

XVI. [*l.* 16. *pr.*] Si libertus in fraudem legis aliqua alienaverit, ut bona ſua centum aureis minora faceret, alienatio nulla eſt: quod ſi in fraudem patroni alienarit, bona autem ejus etiam poſt alienationem centum aureorum maneant, valet quidem venditio, ſed per Fabianam & Calviſianam revocatur. [§. 1.] Si quis multas res ſimul alienans,

8. ὀμν. MS. ſæpe, non ſemper. Ceterum quin poſt hoc participium exciderit οὐ vel μὴ, nemo forte dubitabit.
9. αὐτὸς τῷ MS. quod bis correxit CANNEGIETER.
10. Rectius foret ὑπό. Vide Gloſſ. Theoph.
11. Πατρῴας hic & alibi (non ſemper) abſque ἰῶτα, & mox ἀπολλύουσι MS.
12. an ὑπουργῶν, adſcripſit CANNEGIETER. Ego ὑπάγων lego, ut proprie ſit *ſubjicere quem criminibus*. In Pandectis h. l. Corpus Gloſſ. & Charondas exhibent *judex cujus flagitiis*, ſed rectius Florentinus Codex *index* habet, id eſt, *delator*. Ipſæ autem Gloſſæ & *vindex* & *judex* ita conjunxerunt, ut locum non videantur intellexiſſe.
13. Non dubito, quin Græcus Interpres pro *vel* per compendium ſcripto legerit *ut*, a quo in MSS. Latinis nihil fere differt. Alioquin ἢ καὶ legam.
14. Τιτ. Κλεμ. addit ſolus F. Mox ἐκπίπτει τῆς διαθ. ἐναντιώσεως reddi poſſet, *Teſtamenti impugnatio*.
15. Pro ſeqq. habent Syn. ac F. οὐδὲ γὰρ ἐξ ἀδιαθέτου κληρονομεῖ.
16. παρὰ ὁρισμὸν MS.
17. ἐγγραφόμενος MS. pro quo conjiciebat γραφόμενος CANNEGIETER.

τις πολλὰ πράγματα ἐκποιήσας ἅμα ἥλωσε τ̃ ἑκατὸν νομισμάτων ποιήσῃ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, πάντα τῷ αὐτῷ δικαίῳ ἄκυρά ἐστιν· εἰ καὶ τὰ μάλιστα τὸ ἓν αὐτῶν ἢ τὰ μέρη πάντων ἀνατρεπόμενα, ἠδύνατο ποιεῖν τὴν οὐσίαν ἑκατὸν νομισμάτων.

Εἰ δὲ κατὰ διαφόρους ἐξεποίησε χρόνους, τὰ μὲν πρῶτα ἄκυρά [23] εἰσι· τὰ δὲ ὕστερα διὰ τῆς Fabianæs ἀνατρέπεται.

IZ. [24] Εἴτε ἐγὼ κατηγορήσω κεφαλικῶς τοῦ ἀπελευθέρου μου ἐν μείζονι ἡλικίᾳ, εἴτε ὁ υἱός μου· τῆς κατὰ τῆς αὐτοῦ διαθήκης ἐναντιώσεως ὁ ἔκγονος οὐκ ἐκπίπτει.

IH. Ὁ ἀπελεύθερος οὐ κωλύεται τὰ αὐτὰ τῷ πάτρωνι πραγματεύεσθαι ἐν τῇ αὐτῇ ἐνορίᾳ.

IΘ. Ἀχάριστός ἐστιν ὁ μὴ διδοὺς τὸ [25] ὀφίκιον τῷ πάτρωνι, ἢ τὰ πράγματα αὐτοῦ ἢ τὴν ἐπιτροπείαν τοῦ παιδὸς αὐτοῦ ὑπερτιθέμενος διοικῆσαι.

K. Εἴτε διατίθηται ὁ ἀπελεύθερος, εἴτε μή· ἐπιλογὴν ἔχει ὁ πάτρων, ἢ τὰ ἐπιτεθέντα διὰ τὴν ἐλευθερίαν εἰσπρᾶξαι, ἢ τὴν διακατοχὴν ἐπὶ τῷ μέρει τῆς αὐτοῦ περιουσίας αἰτῆσαι.

KA. Εἴτε ὁ πάτρων, εἴτε ὁ ἀπελεύθερος μεταλλευθῇ ἢ περιορισθῇ καὶ ἀνακληθῇ, ἀνακαινίζεται τὸ πατρωνικὸν καὶ τὸ δίκαιον τῆς κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντιώσεως. [26] Ἀποκλείεται ὁ πάτρων, εἰ καὶ εἰς μίαν οὐγκίαν γραφῇ κληρονόμος· τὸ δὲ λεῖπον δύναται διὰ δούλου ἰδίου κτήσασθαι χωρὶς αἱρέσεως ἢ ὑπερθέσεως κατὰ γνώμην τοῦ ἀπελευθέρου, διὰ κληρονομίας ἢ ληγάτου ἢ [27] fideicommiſſu. Δύο ὄντων τῶν πατρώνων, ἐὰν ὁ εἷς χωρὶς αἱρέσεως καὶ ὑπερθέσεως εἰς τὸ κεχρεωστημένον αὐτῷ γραφῇ, τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν αἰτεῖν οὐ δύναται· εἰ δὲ εἰς ἧττον γραφῇ καὶ αἰτήσῃ αὐτήν, καὶ τὸ ἄλλο μέρος δύναται αὐτῷ [28] προσαύξειν. Οἱ φυσικοὶ τοῦ ἀπελευθέρου παῖδες ἀποκληροι γινόμενοι, καὶ διὰ δούλων αὐτῶν κληρονομοῦντες τοῦ πατρὸς, ἀποκλείουσι τὸν πάτρωνα. Εἰ μέντοι γραφέντες αὐτοὶ [29] παραιτήσονται, οὐκ ἀποκλείουσι.

KB. Ὁ τῆς πατρωνίσσης υἱὸς, εἰ καὶ ἔστιν ὑπεξούσιος τῷ πατρὶ, κληρονομεῖ τοῦ ἀπελευθέρου αὐτῆς νομίμῳ δικαίῳ.

KΓ. Ὁ μὴ τὸν θάνατον ἐκδικῶν τοῦ ἰδίου πατρὸς, οὐκ ἔστι πάτρων τοῦ καταμηνύσαντος δούλου καὶ ἐλευθερωθέντος. Πλαστὰς κωδικίλλους ὁ κληρονόμος ἀληθεῖς εἶναι νομίσας, ἠλευθέρωσε δούλους, ὡς ἀπὸ [27] fideicommiſſu: μένουσι μὲν ἐλεύθεροι, παρέχουσι δὲ τὴν τιμὴν αὐτῶν τῷ κληρονόμῳ, καὶ εἰσὶν αὐτοῦ ἀπελεύθεροι.

KΔ. Ἐν τῷ [30] διαιροῦντι τῇ φαμιλίᾳ τὴν κληρονομίαν λόγῳ ἡ διαιροῦσα τοὺς ἀπελευθέρους ψῆφος μεταξὺ τῶν συγκληρονόμων, ἄκυρός ἐστιν· ἡ δὲ τὴν χορηγίαν τῶν [31] διατροφῶν διαιροῦσα ἔρρωται.

BIB. ϛ.

alienans, bona ſua centum aureis minora faciat, omnes eodem jure ſunt irritæ: etſi maxime una earum vel partes omnium revocatæ, bona ad centum aureos redigere poſſint.

[§. 2.] Si vero diverſis alienavit temporibus, priores quidem ſunt irritæ, ſed poſteriores per Fabianam revocantur.

XVII. [*l.* 17. *pr.* & §. 1.] Sive ego major annis libertum capitaliter accuſavero, ſive filius meus: bonorum poſſeſſionem contra tabulas illius nepos non amittit.

XVIII. [*l.* 18.] Libertus non prohibetur eadem quæ patronus in eodem territorio negotiari.

XIX. [*l.* 19.] Ingratus eſt, qui obſequium patrono non præſtat, vel bona ejus aut tutelam filii ejus adminiſtrare detrectat.

XX. [*l.* 20.] Sive libertus teſtatus fuerit ſive non, electionem patronus habet, vel impoſita propter libertatem exigendi, vel bonorum poſſeſſionem pro parte patrimonii ejus petendi.

XXI. [*l.* 21. *pr.*] Sive patronus, ſive libertus in metallum aut exilium datus & revocatus fuerit, jus patroni & bonorum poſſeſſionis contra tabulas renovatur. [§. 1.] Excluditur patronus, etiamſi in unam unciam heres ſit ſcriptus: quod autem deeſt, per proprium ſervum ſine conditione vel dilatione ſecundum liberti voluntatem acquirere poteſt, per hereditatem aut legatum aut fideicommiſſum. [§. 2.] Si duo ſint patroni, atque unus ſine conditione ac dilatione ex debita ei *parte* ſcriptus fuerit, bonorum poſſeſſionem contra tabulas petere nequit: ſed ſi ex minore ſcriptus ſit, illamque *bonorum poſſeſſionem* petierit, etiam reliqua pars ei adcreſcere poteſt. [§. 3.] Naturales liberti liberi, exheredes facti, & per ſervos ſuos patri ſuccedentes, patronum excludunt. [§. 4.] Si tamen inſtituti ipſi repudiaverint, non excludunt.

XXII. [*l.* 22.] Patronæ filius, etſi in poteſtate patris eſt, liberto ejus *patronæ* jure legitimo ſuccedit.

XXIII. [*l.* 23. *pr.*] Qui patris ſui necem non vindicat, non eſt patronus ſervi, qui indicavit ac manumiſſus fuit. [§. 1.] Falſos codicillos heres veros eſſe ratus, ſervos tamquam ex fideicommiſſo manumiſit: manent quidem liberi, ſed pretium ſui præſtant heredi, ſiuntque ejuſdem liberti.

XXIV. [*l.* 24.] In familiæ erciſcundæ judicio ſententia libertos inter coheredes dividens, nulla eſt: ſed alimentorum præſtationem dividens, rata eſt.

LIB. VI.

18. Sic pro ſcripto ὡς ὁ cum Gavellio noſtro repoſui.
19. Vel ἐλευθερωθῇ vel ἐλευθερωθεὶς ſcribend.
20. ὁμάτω MS.
21. An μόνον? CANNEGN. Poſſit & μόνη reſcribi, quæ modorum enallage neſcio quam ἐνέργειαν hic habet.
22. Fabianæs ὁ Calvinianos MS.
23. ἐστι legend. ob ſequent ἀνατρέπεται. Ceterum vel ex hac Baſilicorum verſione apparet, Heineccium *ad L. Jul. & Pap. pag.* 353. male hic invertere Latinam προτέρων lectionem.
24. Peſſime in MS. diſtinctum fuerat ἡλικίᾳ· ἐναντιώσεως. Intermediis cohærentibus. Vide mox 26.
25. An voxi latina *Officium*? CANNEGN. namque ψ dubie erat ſcriptum.
26. Et hic punctum interpoſui, ſicut alibi commata.
27. Fideicommiſſu MS. & deinceps ſere.
28. προσαύξειν MS.
29. Malim —— ανται.
30. Græcum proprie notat *in cauſa hereditatem dividente familiæ*. Occurrit quoque Baſilic. L. 42. T. 3. pe. niſi quod τῷ κλήρῳ ibi legatur.
31. διὰ τροφῶν MS.

BIB. ϛ. ΤΟΥ ΚΩΔ. ΤΙΤ. Δ.

ΚΕ. Πολλὴν ἔχει διαφορὰν, πότερον ὁ δοῦλος ἰδίοις ἀργυρίοις ἠγοράσθη παρά τινος, αὐτὸς τὸ ἴδιον τίμημα δεδωκὼς τῷ ἀγοραστῇ, καὶ παρ' αὐτοῦ ἠλευθερώθη· 32 ἢ μή τι τῷ δεσπότῃ παρέσχε τὸ ἴδιον τίμημα, καὶ ἠλευθερώθη ἐξ αὐτοῦ. Ὁ μὲν γὰρ ἐξωτικὸς ἀγοράσας ἰδίοις τοῦ δούλου ἀργυρίοις καὶ ἐλευθερώσας, οὐκ ἔχει τὴν κατὰ τῆς διαθήκης μέμψιν κατὰ τοῦ ἀγορασθέντος, ὡς μὴ δεδωκὼς ὑπὲρ αὐτοῦ τίμημα· ὁ δὲ δεσπότης ὡς ζημιούμενος τὸ τοῦ δούλου τίμημα, ἀπὸ γὰρ τοῦ πεκουλίου αὐτὸ λαμβάνει, ὅπερ καὶ πρότερον διέφερεν αὐτῷ, πάντα τὰ δίκαια τὰ πατρωνικὰ ἔχει. Ταῦτα εἰποῦσα γενικῶς ἡ διάταξις ἔρχεται καὶ εἰς φάκτον λέγουσα· ὅτι ἐάν τις Πέτρος παρὰ δούλου ἰδίου χρήματα λαβὼν ἠλευθέρωσεν αὐτὸν καὶ ἐτελεύτησεν ἐπὶ παιδὶ, καὶ ὁ παῖς οὗτος ἐδημεύθη, τὰ δίκαια τῶν ἀπελευθέρων, τὰ ἁρμόσαντα τῷ υἱῷ τοῦ πάτρωνος, εἰς τὸ δημόσιον ἀνήκουσιν.

Κϛ. Ἐὰν συγχωροῦντος τοῦ πάτρωνος ἀπελεύθερος συνοικήσῃ δούλαις ἢ 33 γεωργήσαις δεσποτικαῖς, ἐκπίπτει ὁ πάτρων αὐτοῦ τῶν πατρωνικῶν δικαίων.

ΚΖ. Εἴ τις ἢ ζῶν ἢ ἐν διαθήκῃ ἐλευθερῶν εἴπῃ ἀπηλλάχθαι τὸν ἐλευθερωθέντα τῶν πατρωνικῶν δικαίων, ἀπόλλυσιν αὐτὰ, καὶ οὐδὲ ἐξ ἀδιαθέτου κληρονομεῖ τὸν ἀπελεύθερον· ἀλλ' ὥσπερ εἰ τῇ γενεθλιακῇ τύχῃ 34 ἀποκατέστη παρὰ βασιλέως, οὕτως καὶ νῦν ἀπηλλάχθω τοῦ πάτρωνος. Εἰ δὲ καὶ ἐν ζωῇ ἐλευθερώσας, ἐν διαθήκῃ συνεχώρησεν αὐτῷ τὸ πατρωνικὸν 35 δίκαιον, τὸ αὐτὸ λέγομεν ἐκείνου κρατοῦντος, ἵνα ὁσάκις ἀποκατασταθῇ ἀπελεύθερος εἰς τὴν γενεθλιακὴν αὐτοῦ τύχην, εὐγενὴς γίνεται. Φυλάττει δὲ ὅμως τῷ πάτρωνι τὴν κεχρεωστημένην τιμὴν μετὰ τοῦ, κἂν ἀχάριστος φανῇ, ἀναδουλοῦσθαι αὐτὸν τοῦ αὐτοῦ κρατοῦντος, εἰ καὶ κατὰ ταύτην τὴν διάταξιν ὁ πάτρων συνεχώρησε τὸ πατρωνικὸν δίκαιον. ἐὰν δὲ ὡς ἐπὶ τιμωρίᾳ ἐκπίπτει τις τοῦ πατρωνικοῦ δικαίου, ἐκεῖνος μηδὲ τὴν τιμὴν 36 ἐχέτω τὴν πατρωνικὴν, μηδὲ ὡς ἀχάριστον ἀναδουλούτω τὸν ἀπελεύθερον.

[ΚΗ. 37 Μέλλουσα διδόναι τύπον καινὸν ἐπὶ τοῖς πατρωνικοῖς δικαίοις ἡ διάταξις διηγεῖται πρότερον τὰ ἀπὸ τοῦ δυοκαιδεκαδέλτου καὶ ἀπὸ τοῦ πραίτωρος καὶ ἀπὸ τοῦ παπίου νόμου 38 κρατοῦντα τὸ παλαιὸν πατρωνικὰ δίκαια, καὶ οὕτως ἄρχεται τῆς νομοθεσίας· καὶ πρῶτον μὲν ἐξαριθμεῖται τοὺς μὴ ὑποκειμένους πατρωνικοῖς δικαίοις· ὅπερ συμβαίνει, ἡνίκα ὁ ἐλευθερῶν ἐν ζωῇ ἢ ἐν τελευταίᾳ βουλήσει εἴπῃ συγχωρεῖν τῷ ἀπελευθέρῳ τὸ πατρωνικὸν δίκαιον· τότε γὰρ πρόδηλον, ὡς οὔτε αὐτῷ τῷ πάτρωνι οὔτε τοῖς ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ, πολλῷ δὲ μᾶλλον, οὐδὲ ἐξωτικοῖς αὐτοῦ κληρονόμοις ἁρμόζει κατ' αὐτοῦ πατρωνικὸν δίκαιον. Καὶ ὅτε δὲ 39 ὁ δεσπότης ὁρῶν τὸν οἰκέτην αὐτοῦ στρατευσάμενον, ἢ ἀξίας ἐπιτυγχάνοντα,

LIB. VI. COD. TIT. IV.

XXV. [*l.* 1.] Magnam habet differentiam, utrum ſervus ſuis nummis ab aliquo emtus ſit, ipſe pretium ſui emtori dans, atque ab eo manumittatur: an vero pretium ſui domino dederit, atque ab hoc manumittatur. Namque extraneus, qui propriis ſervi nummis emit ac manumiſit, querelam de teſtamento *ſervi* emti non habet, ut qui pretium pro eo non ſolvit: ſed dominus, utpote ſervi pretio fraudatus, (namque ex peculio illud accipit, quod & antea ad ipſum pertinebat) omnia patroni jura habet. Hæc ubi generatim dixit Conſtitutio, devenit etiam ad factum, dicens: Si quidam Petrus, accepta à ſervo ſuo pecunia, eum manumiſit, & relicto filio obiit, atque hic filius confiſcatus ſuit; jura libertorum, quæ filio patroni competebant, ad fiſcum perveniunt.

XXVI. [*l.* 2.] Si permittente patrono libertus cum ſervabus aut agricultricibus dominicis, *i. e. principalibus*, cohabitat; patronus ejus jure patronatus excidit.

XXVII. [*l.* 3.] Si quis vel vivus vel teſtamento manumittens dixerit, manumiſſum ab jure patronatus eſſe liberum, amittit illud, & neque ab inteſtato ſuccedit liberto: ſed perinde ac ſi natalitiæ conditioni a Principe reſtitutus ſit, ita & nunc à patrono liberetur. Sed etſi vivus manumiſerit, atque in teſtamento jus patronatus ei remiſerit, idem dicimus: illo obtinente, ut, quoties libertus natalitiæ ſuæ reſtituitur conditioni, ingenuus fiat. Reſervat tamen debitum patrono honorem, cum eo *jure* ut in ſervitutem retrahatur, ſi ingratus apparuerit: eodem obtinente, etſi ſecundum hanc Conſtitutionem patronus *ei* jus patronatus remiſit. Sed ſi quis in pœnam jure patroni excidit, ille nec honore patroni gaudeat, neque libertum, ut ingratum, revocet in ſervitutem.

[XXVIII. *l.* 4.] Conſtitutio novam formam datura circa patronatus jura, prius enarrat ea patronorum jura, quæ olim ex legibus XII. Tabularum & ex jure Prætorio & ex Lege Papia obtinebant, atque ita legiſlationem *ſuam* inchoat. Et primo quidem enumerat, qui juri patronatus ſubjecti non ſunt: quod contingit, quum manumiſſor *vel* vivus vel in ſuprema voluntate dixerit, ſe jus patronatus liberto concedere; tunc enim manifeſtum eſt, neque ipſi patrono, neque iis qui ex genere ejus ſunt, multo autem magis neque extraneis ejus heredibus jus patronatus adverſus eum competere. Sed & quum dominus videns ſervum ſuum militantem, aut

32. Verba ἢ μή τι —— καὶ ἠλευθερώθη cum mediis bis exhibet MS quam ταυτολογίαν CAPPERON. jam notaverat.
33. γεωργούσαις lego.
34. ἀποκατέστη MS.
35. Male diſtinguebatur, δίκαιον· τὸ αὐ. λ. ἐκ. κρατοῦντος.
36. ἐχέτω MS.
37. Nullus hic numerus in MS. adpoſitus. Synopſis, quæ partem hujus Conſtitutionis (vid. inf. not. 56. & 71.) in compendium redegit, numerat XXX. Fabrotus autem integram ex Libro *Obſervatt. Cujac.* XX. obſ. 34. exhibet, ſed cum Lat. Cod. (ut amat) IV. inſcripſit. Ego de novo plane verti.
38. κρατοῦντα apud Cujac. tam in editione Francof. 1623. *Operum, quæ ipſe edi voluit*, quam in Genev. 1609.
39. ὁ deeſt Cuj. & Fabr.
40. Sic omnes. Tamen Fabrotus videtur πάντως voluiſſe, nam vertit *omnimodo*.
41. [illegible] Cuj & Fabr. Ego olim correxeram [illegible], quod etiamnunc probo.
42. Sic omnes. Sed lego ἄνευ.
43. Et hic malim αὐτῷ.
44. ἀφ' ὃ ἀγρ. Cuj. & F.

τυγχάνοντα, μὴ ἀντιλέγῃ, οὐ μόνον ἐλεύθερος γίνεται διὰ τούτου ὁ οἰκέτης, ἀλλὰ καὶ ἀπήλλακται [40] παντὸς πατρωνικοῦ δικαίου. Εἰ δὲ καί τις τὴν ἑαυτοῦ θεράπαιναν [41] προστήσει ἐπὶ τὸ πορνεύεσθαι· πάλιν καὶ [42] αὕτη ἡ θεράπαινα ἐλευθεροῦται, καὶ ἀποστερεῖται παντὸς πατρωνικοῦ δικαίου ὁ δεσπότης· ὥσπερ ὁ νοσοῦντα τὸν οἰκέτην περιορῶν, καὶ μηδὲ αὐτὸς ἐπιμελόμενος αὐτοῦ, μηδὲ εἰς ξενῶνα πέμπων αὐτὸν, μηδὲ τὴν συνήθη χορηγῶν αὐτῷ σίτησιν, παντὸς ἀποστερεῖται δικαίου κατὰ τῆς τούτου περιουσίας. Εἰ δὲ καὶ προσπαθῶν τις θεραπαίνῃ [43] αὐτοῦ, καὶ μὴ ἔχων νόμιμον γαμετὴν, παλλακὴν αὐτὴν σχοίη, καὶ μείνῃ μέχρι τελευτῆς ἐπὶ τῆς αὐτῆς προαιρέσεως, μηδὲν εἰπὼν περὶ τῆς τύχης αὐτῆς· οὐ μόνον ἐλευθέρα γίνεται καὶ αὐτὴ καὶ οἱ παῖδες, οὓς ἔτεκεν ἐκ τοῦ δεσπότου, ἀλλὰ καὶ εἰς εὐγένειαν [44] ἀφαρπάζονται, κερδαίνοντες καὶ τὸ ἴδιον πεκούλιον· καὶ εἰκότως οὐδὲν πατρωνικὸν δίκαιον ἔχουσιν ἐπὶ [45] αὐτοῖς οἱ τοῦ δεσπότου κληρονόμοι, εἴτε παῖδές εἰσιν εἴτε ἐξωτικοί. Εἰ δὲ [46] καί τις ὑπέρ τινος τὴν περὶ ἐλευθερίας δίκην ἀγωνισάμενος ἡττηθῇ τῷ δεσπότῃ, καὶ τὸ τίμημα ὑπὲρ τῆς τοῦ δούλου διατιμήσεως καταβάλῃ, ἐλευθεροῦται μὲν ὁ οἰκέτης, ὑπὲρ οὗ τὸ τίμημα δέδοται τῷ δεσπότῃ, οὐκ ἔχει δὲ ἐπ' αὐτῷ πατρωνικὸν δίκαιον ὁ δεσπότης· ὥσπερ οὐδὲ ἐπὶ ἐκείνῳ τῷ κατὰ τοὺς παλαιοὺς νόμους ἰδίοις ἀργυρίοις ἀγορασθέντι· κατὰ τοῦτο γὰρ καὶ οἱ παλαιοὶ τὰ ἀπὸ τοῦ πραίτωρος πατρωνικὰ δίκαια [47] ἠρνοῦντο τῷ ἐλευθερώσαντι. Εἰ δὲ καὶ ἀργύρια ἀντὶ τῶν ὑπηρεσιῶν [48] ἐπερωτήσει ὁ πάτρων τὸν ἀπελεύθερον ἢ τὴν ἀπελευθέραν, ἢ [48] ὁρκώσει αὐτοὺς μὴ γῆμαι μηδὲ παιδοποιήσασθαι· καὶ οὕτως πάντων ἐκπίπτει τῶν πατρωνικῶν· ἐπειδὴ καὶ τὸ παλαιὸν, καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ δυοκαιδεκαδέλτου καὶ τῶν ἀπὸ [49] τοῦ πραίτωρος πατρωνικῶν δικαίων ἐξέπιπτεν. Εἰ δὲ καὶ ἀναφωνήσαντος ἀπελευθέρου πρὸς εὐγένειαν, συμπαιγνίᾳ χρησάμενος ὁ πάτρων [50] συγχωρήσῃ αὐτὸν εὐγενῆ ἀποφανθῆναι· ἐλεγχομένης τῆς πρὸς τὸν ἀπελεύθερον συμπαιγνίας, πάντων ἐκπίπτει τῶν πατρωνικῶν δικαίων καὶ οὗτος ὁ πάτρων. Εἰ δὲ καὶ ὁ τιμηθεὶς [51] fideicommiſſαρίᾳ ἐλευθερίᾳ [52] ἀγνωμόνως πειραθεὶς τοῦ ὀφείλοντος ἐπιθεῖναι αὐτῷ τὴν ἐλευθερίαν, προσελθὼν τῷ ἄρχοντι τὴν ἀπουσίαν αὐτοῦ ἢ τὸ λανθάνειν αὐτὸν [48] διελέγξῃ· καὶ ἁρπάζεται ἀπὸ δογμάτων συγκλήτου εἰς ἐλευθερίαν, καὶ οὐδενὶ πατρωνικῷ δικαίῳ ὑπόκειται. Εἰ δὲ καὶ υἱὸς πάτρωνος ἢ κεφαλικὴν [53] κατηγορίαν κατὰ τοῦ πατρῴου ἀπελευθέρου ἐνστήσηται, ἢ πρὸς δουλείαν [54] ἑλκῦσαι πειραθείη· ἀπαλλάττεται καὶ οὗτος [55] ὁ ἀπελεύθερος παντὸς πατρωνικοῦ δικαίου, ἐπειδὴ καὶ τὸ παλαιὸν τῶν ἐκ τοῦ πραίτωρος πατρωνικῶν δικαίων ἀπηλλάττετο. Τούτων τοίνυν ἁπάντων τοῦ πατρωνικοῦ δικαίου ἀτέλειαν ἐχόντων, νομοθετεῖ λοιπὸν μετὰ τὴν τούτων ὑπεξαίρεσιν, ποῖα βούλεται

aut dignitatem adeptum, non contradicit: ſervus per hoc non modo liber fit, ſed etiam omni patronatus jure exſolvitur. Sed & ſi quis ancillam ſuam ad quæſtum faciendum proſtituerit: rurſus & hæc ancilla fit libera, & dominus omni jure patronatus privatur: ſicuti, qui ægrotantem ſervum negligit, & neque ipſe ejus curam habet, neque in xenodochium eum mittit, neque conſuetum ei præbet alimonium, omni jure in illius bonis privatur. Sed & ſi quis addictus ancillæ ſuæ, nec legitimam uxorem habens, eam concubinam habeat, & ad mortem uſque in eadem maneat voluntate, nihil de ſtatu illius dicens: non modo libera fit ipſa & liberi, quos ex domino peperit, ſed etiam in ingenuitatem rapiuntur, lucrifacientes etiam ſuum peculium: & conſequenter nullum jus patronatus in iis habent heredes domini, ſive liberi ſint ſive extranei. Sed & ſi quis pro aliquo libertatis cauſam agens domino ſuccubuerit, & pretium pro ſervi æſtimatione ſolverit, liber quidem fit ſervus, pro quo pretium domino datum eſt, ſed dominus in illo jus patroni non habet: ſicuti nec in eo, qui ſecundum veteres leges ſuis nummis emtus eſt: nam veteres quoque adverſus hunc prætoria patronatus jura manumiſſori negabant. Sed & ſi pecuniam pro operis patronus a liberto vel liberta ſtipulatus fuerit, aut jurejurando eos adegerit, ne matrimonium ineant nec liberos tollant; & ſic omnibus patroni juribus excidit: quoniam & olim jura patronatus, tam ex Legibus XII. tabularum quam ex jure prætorio *debita*, amittebat. Sed & ſi liberto ad ingenuitatem proclamante, patronus colluſione uſus permiſerit eum declarari ingenuum: etiam hic patronus, detecta cum liberto colluſione, omnibus patroni juribus excidit. Sed & ſi quis fideicommiſſaria libertate honoratus, tergiverſantem eum expertus fuerit, qui ipſi libertatem debet imponere, præſidemque adierit & vel abſentiam ejus vel quod is lateat, probaverit: & *hic* ex Senatusconſultis in libertatem rapitur, & nulli patronatus juri ſubjectus eſt. Sed & ſi filius patroni vel capitalem adverſus libertum paternum accuſationem inſtituerit, vel in ſervitutem retrahere tentaverit: liberatur etiam hic libertus omni patronatus jure, ſiquidem & olim prætoriis patronorum juribus liberabatur. His igitur omnibus ab jure patronatus immunitatem habentibus, ſancit deinceps iis exceptis, qualia velit eſſe patronorum jura adverſus reliquos libertos. Et ſiquidem minorem centum

45. αὐτῷ iidem.
46. καί deeſt ap. Cuj.
47. ἠρνοῦντο Cuj. unde Fabrotus fecit ἠρνοῦντο *adimebant*. Nos ſequimur MS.
48. pro οι finali mallim ῃ.
49. τῶν ignorat Cuj.
50. συγχωρήσῃ habent Cuj. & F. οὐ συγχωρήσῃ· MS. Unde non dubitavi, deleto οὐ, orto ex ſequenti συ, veram reſtituere lectionem.
51. Fideicommiſſαρίᾳ MS. φιδεικομμισσαρίᾳ Cuj. ac F. & ſic deinceps.
52. Nec ipſe ſibi Fabrotus hic videtur ſatisfeciſſe, quum nuſquam tam libere quam hic verterit: *Item ſi fideicommiſſaria libertate honoratus, ceſſante vel latitante eo, qui libertatem ei debebat imponere, Prætorem adierit & abſentiam ejus probaverit, ac in libertatem ereptus ſit ex SCto, omnino jure patronatus liberatur.* Quis ἀγνώμων dicatur, cum aliis docuimus in Gloſſ. Theoph. quare non intelligo, quid ſit ἀγνωμόνως πειραθεὶς, niſi adverbium hoc notare poſſit *incaſſum*, *fruſtra*, *ſine fructu*, quod necdum credo. Et ſic tamen πειραθεὶς legendum putam. Verti, quaſi inveniſſem ἀγνώμονος πειραθεὶς τοῦ ὀφ. quod etiam probare Gavellium noſtrum gaudeo.
53. καθογ. MS.
54. ἑλκῦσαι cum Cuj. Fabr.
55. καί pro ὁ iidem.

βούλεται εἶναι πατρωνικὰ δίκαια κατὰ τῶν ἄλλων ἀπελευθέρων· [56] καὶ εἰ μὲν ἐλάττονα τῶν ἑκατὸν νν. σχοίη περιουσίαν ἀπελεύθερος ἢ ἀπελευθέρα, οὐ περιεργάζεται ταύτην τὴν ποσότητα ἡ διάταξις, ἀλλ' ἐπιτρέπει αὐτοῖς διατίθεσθαι, καθάπερ ἂν βουληθεῖεν. Ἀδιαθέτων δὲ καὶ ἀπαίδων τελευτώντων τῶν ἐχόντων τὴν ἐλάττονα τῶν ἑκατὸν νομισμάτων περιουσίαν, δίδωσι τοῖς πάτρωσι τὴν ἐξ ἀδιαθέτου διαδοχήν. Τῶν δὲ ὑπὲρ τοὺς ἑκατὸν χρυσίνους καταλιμπανόντων οὐσίαν, εἰ μὲν εἴησαν παῖδες ἢ ἔγγονοι ἢ προέγγονοι ἢ ἀπέγγονοι, ἄῤῥενες ἢ θήλειαι, δι' ἀῤῥένων ἢ διὰ [57] θηλειῶν προσώπων καλιόντες ὅσοι δήποτε, εἴτε προελευθερωθέντες τῶν γονέων, εἴτε συνελευθερωθέντες αὐτοῖς, εἴτε καὶ μετ' αὐτοὺς ἐλευθερωθέντες, ἢ καὶ μετὰ τὴν ἐλευθερίαν τεχθέντες, αὐτοὺς καλεῖ πρὸς τὴν τῶν ἀπελευθέρων διαδοχήν· ἐπειδὴ καὶ τῇ φύσει δίκαιόν ἐστι, τοὺς παῖδας τὰ τῶν γονέων διαδέχεσθαι· καὶ ὁ [58] δυωδεκαδέλτος γὰρ ὑπεξουσίους εὑρὼν τοὺς [59] ἀπελευθέρους παῖδας, οὐδὲν παρεῖχε τοῖς [60] πάτρωσιν· ὁ μέντοι πραίτωρ καὶ ὑπεξουσίων καὶ αὐτεξουσίων ὑπόντων τοῦ ἀπελευθέρου παίδων, οὐκ ἐκάλει τὸν πάτρωνα πρὸς τὴν ἐναντίωσιν τῆς διαθήκης. Τούτοις τοίνυν ἀκολουθήσασα καὶ ἡ προκειμένη διάταξις, ὅταν εὕρῃ παῖδας τοῦ ἀπελευθέρου ἢ τῆς ἀπελευθέρας, οὐδὲν δίκαιον τοῖς πάτρωσιν ἢ τοῖς παισὶν [61] αὐτῶν ἐκ τῶν ἐξ ἀδιαθέτου δικαίων χαρίζεται, ἀλλὰ καλεῖ τοὺς τῶν ἀπελευθέρων παῖδας εἰς τὴν αὐτῶν διαδοχήν, εἰ καὶ ἐν δουλείᾳ τεχθέντες συνηλευθερώθησαν. Καὶ τὸ μεῖζον, οὐ τότε μόνον αὐτοὺς καλεῖ, ὅτε μόνοι ὑπεισιν οἱ ἐν δουλείᾳ τεχθέντες, καὶ τῷ πατρὶ ἢ καὶ τῇ μητρὶ συνελευθερωθέντες· ἀλλ' εἰ καὶ ἑτέρους ἔχοι παῖδας ὁ ἀπελεύθερος ἢ ἡ ἀπελευθέρα μετὰ τὴν ἐλευθερίαν τεχθέντας, ἢ ἐκ τῶν αὐτῶν γάμων ἢ ἐξ ἑτέρων, κοινῶς ἅπαντας καλεῖ. Καὶ [62] τὸ ἐν τούτῳ παραδοξότερον, καὶ αὐτοὺς τοὺς παῖδας εἰς τὴν ἀλλήλων κληρονομίαν καλεῖσθαι βούλεται ἡ διάταξις· χαρίζεται δὲ καὶ τῷ ἀπελευθέρῳ καὶ τῇ ἀπελευθέρᾳ τὴν τῶν ἰδίων παίδων διαδοχήν, ὥσπερ ἐπὶ τῶν εὐγενῶν οἱ [63] πατέρες καὶ αἱ μητέρες καλοῦνται πρὸς τὴν τῶν παίδων κληρονομίαν· καὶ βούλεται ἐπὶ τούτων τῶν θεμάτων τὸ πατρωνικὸν δίκαιον ἀργεῖν, ὥστε καὶ ἀπελευθέρους καὶ ἀπελευθέρας ὑπὸ τῶν παίδων κληρονομεῖσθαι, καὶ αὐτοὺς τοὺς παῖδας ὑπ' ἀλλήλων καὶ ὑπὸ τῶν γονέων αὐτῶν, καὶ μηδαμοῦ χώραν εἶναι τῇ πατρωνικῇ διαδοχῇ, τῶν τοιούτων προσώπων ὑπόντων. Ταῦτα περὶ τῶν τελευτώντων ἐξ ἀδιαθέτου νομοθετήσασα, μεταβαίνει καὶ πρὸς τοὺς διατιθεμένους ἀπελευθέρους, καὶ παρακελεύεται, εἰ τοὺς ἰδίους παῖδας [64] γράψοιεν κληρονόμους οἱ ἀπελεύθεροι ἢ αἱ ἀπελεύθεραι, πάντως ἀργεῖν τὴν πατρωνικὴν κλῆσιν. Εἰ δὲ ἀποκληρονόμους [64] ποιήσοιεν τοὺς παῖδας· εἰ μὲν ἀδίκως, ὥστε καὶ ἀνατραπῆναι τὴν διαθήκην διὰ τῆς μέμψεως· (δίδωσι γὰρ καὶ ταύτην τοῖς οἱοισδήποτε τῶν ἀπελευθέρων παισὶν ἡ διάταξις·) πάλιν ἀργεῖν βούλεται τὴν πατρωνικὴν διαδοχήν, ὡς ἀδιαθέτου τελευτῶντος·

centum aureis ſubſtantiam habeat libertus vel liberta, non ſollicita eſt de hac quantitate conſtitutio, ſed permittit iis teſtari, quomodocumque voluerint. Sed ſi inteſtati ac ſine liberis moriantur, qui minorem centum aureis ſubſtantiam habent, dat patronis ſucceſſiunem ab inteſtato. Quod ſi autem majorem centum aureis ſubſtantiam relinquant, ſi quidem liberi exſtant vel nepotes vel pronepotes vel abnepotes, maſculi aut feminæ, per maſculas aut femininas perſonas deſcendentes, quotcumque *numero*, ſive manumiſſi ante parentes, ſive cum iiſdem manumiſſi, ſive etiam poſt eos manumiſſi, quin & poſt manumiſſionem nati, eos vocat ad libertorum ſucceſſionem: quoniam & natura æquum eſt, liberos in bona parentum ſuccedere; namque & ipſa Lex duodecim tabularum liberti liberos in *ejus* poteſtate conſtitutos inveniens, nihil patronis præſtabat: Prætor autem, ſive emancipati ſive in poteſtate liberti exſtarent liberi, patronum non vocabat ad impugnandum teſtamentum. Hos itaque præſens quoque conſtitutio ſecuta, ſi liberos inveniat liberti vel libertæ, nullum jus patronis aut liberis eorum ex juribus ab inteſtato *competentibus* largitur, ſed libertorum liberos ad ſucceſſionem eorum vocat, etiamſi in ſervitute nati ſimul ſint manumiſſi. Et quod plus eſt, non modo tunc eos vocat, quando ſoli exſtant, qui in ſervitute nati & cum patre ant etiam cum matre manumiſſi fuerunt; ſed etiam, ſi libertus vel liberta alios habeat liberos poſt libertatem natos, aut ex eodem matrimonio ant ex alio natos, omnes communiter vocat. Quodque mirabilius eſt, etiam ipſos liberos ad mutuam ſucceſſionem vocari vult hæc conſtitutio: ſed & liberorum ſuorum ſuceeſſionem liberto ac libertæ largitur, ſicuti inter ingenuos patres ac matres ad hereditatem liberorum vocantur: atque in his caſibus jus patronatus jubet ceſſare, ita ut libertorum ac libertarum beredes ſint liberi, & ipſi liberi inter ſe, nec non liberorum *beredes ſint* parentes, nec uſquam patronorum ſucceſſioni locus ſit, ubi hujuſmodi exſtant perſonæ. Poſtquam hæc de defunctis inteſtatis ſanxit, tranſit quoque ad libertos teſtatos, jubetque, ſi liberti vel libertæ liberos ſuos ſcripſerint heredes, patronorum ſucceſſionem omnino ceſſare. Quod ſi liberos exheredaverint, ſi quidem injuſte, ita ut per querelam *inofficioſi* teſtamentum ſubvertatur (namque & hanc qualibuſcumque libertorum liberis dat conſtitutio) rurſus ceſſare jubet patronorum ſucceſſionem, acſi inteſtatus obierit

56. Sequentia uſque ad locum notæ 71. Synopſis in breviorem contraxit epitomen pag. 425.
57. θηλειῶν Cuj. θηλειῶν F.
58. δυωδεκ hic iid.
59. ἀπελεύθερου lego: & ſic Fabrotum voluiſſe, verſio ejus indicat.
60. πάτρωσι MS.
61. αὐτῷ MS. quod jam correxit CAPPER. habentque Cuj. ac F.
62. τὸ ἐπὶ iid. Ex MS. lectione CAPPER. facit, τὸ ἐν. Si τὸ extra poëſin pro δ accipi poteſt, prima lectio proba erit, alioquin in δ mutandu; ut in ſimili loco monui ap. Theoph. in proœm. §. V. Duplicem præterea proponam conjecturam: vel, Καὶ τὸ ἐν τούτῳ παραδ. vel, Καὶ τὰ ἐν τ. π. Ceterum παραδοξότερον Cuj. & MS.
63. πατρὲς MS.
64. Pro γράψωσιν & ποιήσωσιν cum Gavellio præfero γράψοιεν & ποιήσοιεν: inprimis, quum poſterius habeant Cuj. & F. Mox parentheſeos notas ex utroque addidi.
65. Forte præſtaret γὰρ: namque has particulas confundi vel Gloſſar. Th. docebit.
66. διαδοχὴν verti, hoc enim hic rectius; & contra not. 95.

λευτῶντος τοῦ ἀπελευθέρου καὶ ὑπὸ τῶν παίδων ἐξ ἀδιαθέτου κληρονομουμένου. Εἰ δὲ εὐλόγως τοὺς παῖδας ἀποκλήρους ἐποίησαν τοὺς ἰδίους οἱ ἀπελεύθεροι, καλείσθωσαν οἱ πάτρωνες, ὡς αὐτῶν μὴ ἐσχηκότων παῖδας. ἐπειδὴ [65] γὰρ δοκοῦσι συγγενεῖς εἶναι τῶν ἐλευθερουμένων οἱ ἐλευθεροῦντες αὐτοὺς, διὰ τοῦτο καὶ καλοῦνται ἐκ τῆς νομίμου [66] διακατοχῆς· ὥσπερ ἐπὶ τῶν συγγενῶν οἱ κατὰ βαθμὸν ἐγγύτεροι καλοῦνται, οὕτως καὶ ἐπὶ τῶν ἀπελευθέρων, ὅθεν εἰ μὲν παῖδας ἔχουσιν οἱ ἀπελεύθεροι καὶ κληρονομοῦσιν αὐτοὺς, ἀποκλείουσι τὸν πάτρωνα· εἰ δὲ μὴ ὄντων παίδων ἢ ἀποκληρονόμων γενομένων οἱ πάτρωνες ἔλθωσι, κατὰ βαθμὸν καλείσθωσαν εἰς τὴν οὐσίαν τῶν ἀπελευθέρων, τῶν κεκτημένων οὐσίαν ὑπερβαίνουσαν τὴν ποσότητα τῶν ἑκατὸν νομισμάτων, ἵνα πρῶτοι αὐτοὶ οἱ πάτρωνες καὶ αἱ πατρώνισσαι [67] καλοῦνται· εἶτα μετ' αὐτοὺς οἱ παῖδες αὐτῶν, [68] [καὶ ἐὰν μὴ ὑπῶσι παῖδες αὐτῶν,] οἱ ἔγγονοι αὐτῶν οἱ κατιόντες ἐξ ἀρρένων ἢ ἀπὸ θηλειῶν. τοῦτο γὰρ εἴρηται καὶ ἐπὶ τῶν εὐγενῶν, ὥστε κατὰ βαθμὸν καλεῖσθαι πάντας τοὺς συγγενεῖς πρὸς τὴν κληρονομίαν, καὶ τῶν πρώτων ἀτονούντων, τότε τοὺς μετὰ ταῦτα ἔρχεσθαι καὶ κληρονομεῖν. Εἰ δὲ μηδένας ἔχει κατιόντας ὁ πάτρων ἤτοι ἡ πατρώνισσα, τότε καὶ τοὺς ἐκ πλαγίου αὐτῶν καλοῦμεν κατὰ βαθμὸν, ἵνα οἱ ἐγγύτεροι συγγενεῖς προτιμῶνται τῶν ὄντων ἐν μακροτέρῳ βαθμῷ· ἕως δὲ πέμπτου βαθμοῦ οἱ ἐκ πλαγίου συγγενεῖς τοῦ πάτρωνος καὶ οἱ κατιόντες αὐτοῦ κληρονομείτωσαν τὸν ἀπελεύθερον. Ταῦτα μὲν πάντα εἴρηται, ἐὰν οἱ ἀπελεύθεροι παῖδας ἔχωσιν· ἐὰν δὲ παντελῶς οὐκ ἔχωσι παῖδας, ἀλλὰ ποιήσωσι διαθήκην καὶ γράψωσιν ἐξωτικοὺς κληρονόμους· οὐδὲ κατὰ τὸν δυοκαιδεκάδελτον λέγομεν, ἐπειδὴ γέγονε διαθήκη, τοὺς πάτρωνας ἀποκλείεσθαι παντελῶς· οὐδὲ κατὰ τὸν Πάπιον δεχόμεθα αὐτοὺς, ἵνα καὶ ἑνὸς παιδὸς γραφέντος κληρονόμου, τὸ ἥμισυ λάβωσιν· ἢ δύο παίδων γραφέντων κληρονόμων τὸ τρίτον λάβωσιν· ἀλλὰ καλοῦμεν αὐτοὺς, ἵνα μόνον τὸ τρίτον τῆς τοῦ ἀπελευθέρου κληρονομίας δυνηθῶσι λαβεῖν, οὐ πάντες οἱ καλούμενοι πρὸς τὴν πατρωνικὴν κληρονομίαν, ἀλλὰ πάτρων καὶ πατρώνισσα καὶ παῖδες αὐτῶν, καὶ ἔγγονοι [69] καὶ ἀπέγγονοι, τουτέστιν οἱ ἕως πέμπτου βαθμοῦ κατιόντες τῶν πατρώνων [70] καὶ μόνοι. Οἱ οὖν περαιτέρω αὐτῶν κατιόντες ἢ ἐκ πλαγίου, οὐκ ἔχουσι τὴν ἐναντίωσιν τῆς διαθήκης, ἐξωτικῶν γραφομένων κληρονόμων, [71] ἐπὶ τὸ λαβεῖν τὸ τρίτον τῆς οὐσίας. Ὥσπερ γὰρ ἐπὶ τῶν εὐγενῶν [72] τριούγκιον ἐν τοῖς χρόνοις τούτου τοῦ κώδικος ὡρισμένον ἦν τοῖς δυναμένοις κινῆσαι τὴν κατὰ τῆς διαθήκης μέμψιν· οὕτως ἐὰν ἀπελεύθερος τελευτήσῃ, [72] τετραούγκιον καθαρὸν καὶ ἀπηλλαγμένον ληγάτων καὶ [73] fideicommiſſων τῷ πάτρωνι καταλείψας, [74] ἀποκλείει αὐτόν. κἂν γὰρ παισὶν ἰδίοις κατέλειψεν ὁ ἀπελεύθερος ἀπὸ τοῦ πάτρωνος λήγατον, οὐκ ἔχει καθαρὸν τὸ τρίτον· ὥσπερ γὰρ ἐπὶ τῆς μέμψεως

rit libertus, habeatque liberos ab inteſtato heredes. Sed ſi liberti liberos ſuos jure merito exheredaverint, patroni vocentur, acſi illi liberos non habuiſſent: quia enim manumiſſores cognati eſſe videntur manumiſſis, ideo etiam vocantur ex ſucceſſione legitima: ſicuti in ingenuis gradu proximiores vocantur, ita & in libertis; unde ſiquidem liberos habent liberti, & hi eorum heredes ſunt, excludunt patronum: ſi autem liberis non exſtantibus vel exheredibus factis patroni veniant, ſecundum gradum vocentur in bona libertorum, poſſidentium ſubſtantiam quantitate centum aureorum majorem, ut primi vocentur ipſi patroni ac patronæ; deinde poſt eos liberi eorum, [&, ſi non exſtent liberi eorum,] nepotes eorum ex maſculis aut feminis deſcendentes. Hoc enim & in ingenuis dictum eſt, ut omnes cognati ad hereditatem vocentur ſecundum gradum, & primis deficientibus, tunc reliqui veniant heredeſque ſint. Si vero nullos patronus vel patrona deſcendentes habet, tunc & collaterales eorum vocamus ſecundum gradum, ut propiores cognati præferantur iis qui in ulteriori ſunt gradu: ad quintum autem gradum uſque cognati collaterales patroni & deſcendentes ejus liberto ſuccedant. Hæc quidem omnia dicta ſint, ſi liberti habeant liberos: ſi autem liberos omnino non habeant, ſed teſtamentum faciant, atque extraneos heredes ſcribant; neque ſecundum *Legem* duodecim tabularum dicimus, quia factum eſt teſtamentum, patronos omnimodo excludi; neque ſecundum *legem* Papiam eos admittimus, ut etiam uno filio herede ſcripto, ſemiſſem capiant; aut duobus filiis heredibus ſcriptis, trientem accipiant: ſed vocamus eos, ut ſolum trientem libertinæ hereditatis capere poſſint, nec *tamen* omnes, qui ad hereditatem patroni vocantur, ſed patronus & patrona & liberi eorum, & nepotes & abnepotes, id eſt, qui ad quintum uſque gradum a patronis deſcendunt, & *hi* ſoli. Ulteriores igitur eorum deſcendentes vel collaterales teſtamentum impugnare nequeunt, extraneis heredibus ſcriptis, ut trientem bonorum capiant. Nam ſicuti in ingenuis quadrans temporibus hujus Codicis his decretus erat, qui querelam *inofficioſi* adverſus teſtamentum movere poterant; ita ſi libertus moriatur, & trientem purum ac liberum a legatis & fideicommiſſis patrono relinquat, excludit eum. Nam etiamſi liberis ſuis libertus legatum a patrono relinquat, tertiam non habet puram: ſicut

95. inf. Eadem mihi permutatio ſe obtulit in Theoph. III, 3 : 92.

67. καλοῦνται Cuj. & F.

68. Ambas hic lectiones, editam atque ineditam conjungendas cenſui. Noſtri ſcil. Codicis ſcriba per incuriam a verbis prioribus παῖδες αὐτῶν ad eadem poſteriora tranſſiluit, unde omiſſa inter uncos addidi. Fabrotus autem ſecundum Cujacium anteriora εἶτα μετ' αὐτοὺς οἱ παῖδες αὐτῶν ignorat. Leve eſt, quod Cuj. h. l. addiderit οἱ ἔκγονοι, F. ſine articulo ἔκγ.

69. καὶ ἀπέγγονοι inſeruit Fabr. Sed neque ſic quinque gradus habebimus, niſi dicas, vel patronum facere primum a liberto gradum, vel quintum excluſive eſſe ſumendum. Neutrum ſatis placet.

70. De vi phraſeos καὶ μόνος vide Gloſſ. Theoph. pag. 1275. a.

71. Malim ἐπὶ τῷ, licet Synopſis, quæ in hoc periodo deſinit, cum aliis concordet.

72. Per geminatum γ quinquies conſequenter ſcribit MS. ſed deinceps cum Cuj. ac F. per γκ.

73. Fideicommiſſων MS.

74. ἀποκλείει MS. quam calami aberrationem jam caſtigavit CAPPERON.

μέμψεως ζητοῦμεν, ἵνα καθαρὸν ἐστὶ πάντων τῶν ληγάτων τὸ [72] τριούγκιον· οὕτως καὶ ἐνταῦθα ἀπαιτοῦμεν, ἵνα καθαρὸν ἐστὶ πάντων τῶν ληγάτων τὸ πατρωνικὸν [72] τετραούγκιον. Ἐλευθερίαις δὲ ὑπόκειται καὶ τὸ [73] τετραούγκιον τοῦ πάτρωνος· τὸ γὰρ παλαιὸν παῖδες μὲν κινοῦντες τὴν κατὰ τῆς διαθήκης μέμψιν, ἐδίδουν τὰς ἐλευθερίας· πάτρωνες δὲ κινοῦντες εἰς ἥμισυ τὴν ἐναντίωσιν τῆς διαθήκης κατὰ τῆς τοῦ ἀπελευθέρου διαθήκης, οὐκ ἐπεγίνωσκον τὰς ἐλευθερίας. Πάντα δὲ τὰ λήγατα, ὧν ὁ πάτρων ἀπήλλακται, διδότωσαν οἱ κληρονόμοι τοῦ ἀπελευθέρου, δηλονότι πρότερον παρακατέχοντες ἑαυτοῖς ἐκ τῆς οὐσίας [75] τὸν φαλκίδιον τῶν περιλιμπανομένων αὐτοῖς ὀκταουγκίων, ἵνα μηκέτι τριούγκιον, ἀλλὰ μόνον [76] διούγκιον παρακατάσχωσιν. Εἴτε οὖν ὁ πάτρων παντελῶς μηδὲν ἔχει, λαμβάνει τὸ τετραούγκιον· εἴτε ἐγράφη κληρονόμος εἰς ἧττον τοῦ τετραουγκίου, ἀναπληροῦται καθαρὸν [77] τὸ τετραούγκιον, πάσης αἱρέσεως καὶ πάσης ὑπερθέσεως ἀπηλλαγμένον· τουτέστιν ἵνα κἂν γράψῃ αὐτὸν ὁ ἀπελεύθερος κληρονόμον ὑπὸ αἵρεσιν, [78] περιέλωμεν τὴν μνήμην τῆς αἱρέσεως· [79] εἰ δὲ καὶ ἡ αἵρεσις τῶν πάντως ἐξερχομένων ἐστὶν ὑπέρθεσιν δὲ ἔχει, τυχὸν ἐὰν φθάσῃ ὁ τῶν καλανδῶν καιρός· καὶ ταύτην τὴν αἵρεσιν περιαιροῦμεν, φυλάττοντες αὐτοῖς τὸ τετραούγκιον, εἴτε εἷς ἐστιν, εἴτε πλείονες. Εἰ δὲ γράφωσι κληρονόμοι ὑπὲρ τὸ τετραούγκιον καὶ βαρηθῶσι [80] ληγάτοις· ἐὰν αὐτοὶ μόνοι ὦσι κληρονόμοι, παρέχουσι τὰ ληγάτα καὶ τὰ fideicommiſſa, δηλονότι μὴ βλαπτομένου τοῦ τετραουγκίου αὐτῶν· ὁ γὰρ φαλκίδιος ἐπὶ [81] αὐτῶν τετραουγκίου ἐστίν. ἐὰν δὲ μὴ εἰς ὁλόκληρον, εἰς πλέον μέντοι τοῦ τετραουγκίου, τυχὸν εἰς ἓξ ἢ εἰς ὀκτὼ οὐγκίας ἐγράφησαν κληρονόμοι, καὶ ἐβαρήθησαν ληγάτοις, τότε τὸ περιττὸν ὑπὲρ τὸ τετραούγκιον [82] διδότωσαν τοῖς ληγαταρίοις καὶ fideicommiſſαρίοις· τὸ δὲ λοιπὸν παρεχέτωσαν οἱ κληρονόμοι, φυλάττοντες ἑαυτοῖς ἐκ τῆς ἰδίας ἐνστάσεως τὸν φαλκίδιον. Ὅσοι δὲ [83] ἐὰν εἴησαν πάτρωνες, κἂν ἐξ ἀνίσων μερῶν ἦσαν δεσπόται τοῦ οἰκέτου, [84] μεθ' ὃ γένωνται πάτρωνες, ἐξ ἴσου κληρονομοῦσιν. Ἐὰν δὲ τελευτήσωσιν οἱ πάτρωνες, καὶ ὁ μὲν ἔχει παῖδας, [85] ὁ δὲ ἐγγόνους οἱ ἐγγύτεροι περὶ τὸν βαθμόν, τουτέστιν οἱ παῖδες τοῦ ἑνὸς πάτρωνος ἀποκλείουσι τοὺς ἐγγόνους τοῦ ἄλλου πάτρωνος· καὶ γινέσθω ἡ κλῆσις, οὐχὶ κατὰ σειράν, ἀλλὰ προσωπικῶς· τουτέστιν ἵνα πρὸς τὸν ἀριθμὸν τῶν παίδων τοῦ πάτρωνος τὸ μέρος διαιρῆται· καὶ τυχὸν ἐὰν δύο πάτρωνες τελευτήσωσιν ἐπὶ παισίν, ὁ μὲν ἐπὶ δύο, ὁ δὲ ἐπὶ [86] τέτρασιν· εἰς ἓξ μέρη γίνεται ἡ κληρονομία, οὐκέτι εἰς δύο, ἐπειδὴ καὶ δύο πατρώνων παῖδές εἰσιν. Ἐὰν δὲ εἷς τῶν δύο πατρώνων τὸ μέρος τὸ ἴδιον παραιτήσηται· τότε τὸ μέρος αὐτοῦ οἱ λοιποὶ [*86] πάτρωνες λαμβανέτωσαν. Εἰ δὲ καὶ ὁ [87] προλαμβάνων βαθμὸς παραιτήσηται· τότε πάλιν ὁ μετὰ ταῦτα βαθμὸς καλείσθω· δεχόμεθα

ſicut enim in querela *inofficioſi* requirimus, ut ab omnibus legatis liber ſit quadrans; ſic etiam hic requirimus, ut ab omnibus legatis liber ſit patroni triens. Libertatibus tamen & patroni triens ſubjicitur: nam olim liberi quidem querelam inſtituentes adverſus teſtamentum, præſtabant libertates; patroni autem in ſemiſſem petentes bonorum poſſeſſionem contra tabulas liberti, libertates haud agnoſcebant. Omnia autem legata, quibus patronus exſolutus eſt, heredes liberti præſtent, prius ſcilicet ex bonis Falcidiam relicti ipſis beſſis ſibi retinentes, ut non amplius quadrantem, ſed ſolum ſextantem retineant. Sive igitur patronus nihil omnino habet, accipit trientem: ſive heres ſcriptus eſt in minus quam trientem, repletur *ei* purus triens, ab omni conditione atque omni dilatione liber; id eſt, ut, etiamſi libertus eum ſub conditione heredem ſcripſerit, mentionem conditionis detrahamus: ſed etſi conditio ex illis ſit quæ omnino eſt eventura, ſed dilationem habeat, veluti quum tempus Kalendarum venerit; & hanc detrahimus conditionem, ſervantes iis trientem, ſive unus ſit ſive plures. Quod ſi ultra trientem heredes ſint ſcripti & legatis onerati; ſi ipſi ſoli fuerint heredes, præſtent legata ac fideicommiſſa, ſcilicet illæſo eorum triente; namque Falcidia in ipſo conſiſtit triente. Si autem non in aſſem, attamen in plus quam trientem, forte in ſemiſſem aut in beſſem heredes fuerunt ſcripti legatiſque onerati, tunc quod trientem excedit, legatariis dent & fideicommiſſariis; reliquum autem præſtent heredes, ſervantes ſibi ex ſua inſtitutione Falcidiam. Quotcumque autem fuerint patroni, etſi ex inæqualibus partibus domini fuerunt ſervi, poſtquam facti ſunt patroni, ex æquo heredes ſunt. Quod ſi patroni obierint, & alius quidem liberos, alius autem nepotes habeat: gradu propiores, id eſt liberi, unius patroni excludent nepotes alterius patroni; & ſucceſſio fiat non in ſtirpes, ſed perſonaliter, id eſt ut pro numero liberorum patroni portio dividatur: & ſi forte duo patroni moriantur relictis liberis, alter quidem duobus, alter vero quatuor, in ſex partes hereditas diſpeſcitur, non in duas, quod duorum patronorum liberi ſunt. Si autem unus ex duobus patronis ſuam partem repudiaverit, tunc ejus partem reliqui patroni capiant. Sed et ſi præcedens gradus repudiaverit, tunc rurſus gradus ſequens vocetur: recipimus enim

75. τὸν φαλκίδιον MS.
76. διούγκ. Cuj. & F.
77. τὸ deeſt Iid.
78. περιέλωμεν MS.
79. Sequentem periodum uſque ad περιαιροῦμεν & Græce & Latine per incuriam omiſit Fabr.
80. ληγάτων Cuj. & F.
81. αὐτοῦ Cuj. & F. quos in verſione ſequor.
82. Aberravit hic vel mens vel manus Fabroti in vertendo, quando ſic dedit: *& legatis onerati ſint, tunc heredes id quod excedit trientem præſtent legatariis & fideicommiſſariis, ſervantes* &c.
83. ἂν reſcribendum, niſi quis alterum ἐὰν probare poſſit.
84. μεθοζεῦντες Cuj. quod Fabrotus, utpote corruptum, aſteriſco notavit, nec Latine expreſſit.
85. ὁ Cuj. & F.
86. τέτρασι MS.
*86. Num οἱ λοιποὶ πάτρωνες ſunt Patroni ejus, qui repudiavit, liberi vel deſcendentes? rogabat Gavellius. Ita videtur, ex coll. l. 10. D. *de Jure Patron.* cum l. 17. §. 6. eod. & ex l. 8. D. *de adſign. libertis.*
87. παρὰ. Cuj. quod tamen F. in margine correxit.
88. ὑπεραιτήσηται Iid.
89. τὸ add. Iid. Ceterum ad intelligendum h. l. ſufficit una Theophili paraphraſis L. III. T. 2. capp. 87. 9. Unde parum abeſt, quin paullo ante legam: καὶ τῶν ἀζημιῶν κρατεῖν. Sed quia Baſilei hoc tit. ac L. *de Libertinis* tantum

μετὰ γὰρ τὰς κατὰ συγγένειαν διαδοχὰς ἐπὶ τῶν ἀπελευθέρων τοῦτο, ἵνα τοῦ πρώτου παραιτουμένου ὁ μετὰ ταῦτα βαθμὸς [88] ὑπεισέρχηται· τοῦτο γὰρ χρὴ ἐπὶ τῶν εὐγενῶν κρατεῖν· ἐπειδὴ καὶ τὸ παλαιὸν, ὅτε ἐπὶ [89] κληρονομίας οὐκ ἦν ὑπεισέλευσις τῶν μετὰ ταῦτα, ἐπὶ τῆς ἐπιτροπῆς ἐφυλάττετο· καὶ τοῦ πρώτου τυχὸν καλουμένου [90] ἐξκουσατεύοντος ἑαυτὸν, ὁ μετὰ ταῦτα ἐκαλεῖτο. Καλείσθωσαν δὲ μὴ μόνον οἱ ἐν [91] φύσει κατιόντες τῶν πατρώνων, ἀλλὰ καὶ οἱ [92] κυοφορούμενοι αὐτῶν, καὶ οἱ εἰς θέσιν παρ' αὐτῶν διδόμενοι. Ἡ οὖν παλαιὰ ὑπόκρισις καὶ παρατήρησις, ὅτε ἐπλαττόμεθα τὴν θυγατέρα [93] τοῦ πάτρωνος υἱὸν πάτρωνος εἶναι, [94] ἀνῃρείσθω· σήμερον γὰρ καὶ αὐτὴ καλεῖται πρὸς τὴν κληρονομίαν· καὶ καλείσθωσαν μὴ μόνον [95] διαδοχὴν αἰτοῦντες, ἀλλὰ καὶ ὡς νόμιμοι κληρονομοῦντες· καὶ κληρονόμοι δὲ γραφόμενοι ὁμολογουμένως ἐχέτωσαν τὴν ἐκ τῆς διαθήκης βοήθειαν, αἱ δὲ λοιπαὶ πατρωνικαὶ διακατοχαὶ ἡσυχαζέτωσαν. Ἐὰν δὲ θετοὺς παῖδας ἔχωσιν οἱ ἐλευθερωθέντες ἢ οἱ πάτρωνες, τούτους εἰ καὶ ὑπεξουσίους ἔχωσιν, οὐ δεχόμεθα ἐν τάξει υἱῶν, ἀλλ' ἐν τάξει ἐξωτικῶν. Εἰ δὲ [96] καὶ τελευτήσωσιν οἱ πάτρωνες ἐπὶ ἐξωτικοῖς κληρονόμοις, οὐ καλοῦνται πρὸς τὴν τοῦ ἀπελευθέρου κληρονομίαν· συγγενικῷ γὰρ δικαίῳ κληρονομοῦνται οἱ ἀπελεύθεροι. Ἐπειδὴ δὲ ἡ παλαιὰ διακατοχὴ ἥρμοζε καὶ ὅτε ἐτελεύτησεν υἱὸς ἀπελευθέρου γεννηθεὶς μετὰ τὴν ἐλευθερίαν, διαθήκης καὶ συγγενείας χωρὶς, καὶ ἐκάλει τὸν ἐλευθερώσαντα τὸν πατέρα καὶ τοὺς ἐξ ἀρρενογονίας αὐτοῦ συγγενεῖς, εἴτε ἔμειναν [97] συγγενεῖς, εἴτε ἔπαθον καταστάσεως ἐναλλαγήν· ἐκέλευσε δὲ ἵνα, ἐὰν ὁ πάτρων τούτου τοῦ ἀπελευθέρου καὶ αὐτὸς ἀπελεύθερος ᾖ ἑτέρου τινὸς, καὶ ὁ τοῦ πάτρωνος πάτρων καὶ ἡ συγγένεια αὐτοῦ *[97] καλεῖται· κελεύει ἡ διάταξις, ἵνα ἐὰν μετὰ τὴν ἐλευθερίαν γεννηθέντες τοῦ ἀπελευθέρου παῖδες τελευτήσωσιν ἀδιάθετοι καὶ μηδένα παντελῶς ἔχοντες συγγενῆ, [98] καλοῦνται ὁ πάτρων καὶ ἡ πατρώνισσα μόνοι. Ἔστιν οὖν τοῦτο τὸ δίκαιον ἐπὶ μόνων υἱῶν τοῦ ἀπελευθέρου [99] ἢ θυγατέρων, πάτρωνος ἢ πατρωνίσσης περιόντων· ἵνα δόξωσι μηκέτι κληρονομεῖν ἀπελευθέρου· πῶς γάρ ἐστιν ἀπελεύθερος ὁ τεχθεὶς μετὰ τὴν ἐλευθερίαν; ἀλλ' ἔχει τὸ κέρδος ἀπὸ τούτου τοῦ νόμου. Εἰ δὲ ὁ πάτρων εὐλόγως [1] ἀποκλήρους ποιήσει τοὺς παῖδας τοὺς ἰδίους, μηδὲ κατὰ τῶν ἀπελευθέρων ἐχέτωσαν τὸ δίκαιον οἱ παῖδες [2] αὐτῶν, ἐὰν διαθέμενοι τελευτήσωσιν· εἰ δὲ ἀδιάθετοι, τότε κληρονομείτωσαν αὐτούς. Σωζέσθω δὲ τὸ πατρωνικὸν δίκαιον, καὶ [3] τῷ τὸν υἱὸν ἢ τὴν θυγατέρα ποιήσαντι αὐτεξουσίους· ὥστε καὶ κατὰ διαθήκης αὐτοῦ ἁρμόζειν τῷ πατρὶ τὸν λόγον τοῦ τριανγκίου. κἂν ἀδιάθετος τελευτήσῃ, καλεῖται ὁ πατὴρ, ὡς δοκούσης νῦν τῆς αὐτεξουσιότητος contracta fiducia γενέσθαι· τουτέστιν ὡς δόξαντος τοῦ πατρὸς κατὰ τοὺς παλαιοὺς νόμους συμφωνεῖν πρὸς τὸν δοκοῦντα ἀγοράζειν τὸν υἱὸν

enim in libertis ſucceſſiones ſecundum cognationem; id eſt, ut priore recuſante, ſequens gradus ſuccedat: namque hoc & in ingenuis obtinet: quoniam & antiquitus, quando in hereditate non ſuccedebant poſteriores, *idem* in tutela obſervabatur: & primo forte vocato *atque* ſe excuſante, ſequens vocabatur. Vocentur autem non ſolum patronorum deſcendentes, qui ſunt in *rerum* natura, ſed etiam poſtumi eorum, & in adoptionem ab iis dati. Antiqua igitur ſimulatio & obſervatio, qua filiam patroni fingebamus patroni eſſe filium, ſublata ſit: hodie enim & ipſa ad hereditatem vocatur: neque vocentur ſolum bonorum poſſeſſionem petentes, ſed etiam ut legitimi heredes: & heredes ſcripti habeant ſane bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas; ceteræ autem patronicæ bonorum poſſeſſiones quieſcant. Quod ſi adoptivos liberos habeant manumiſſi aut patroni, hos etiamſi in poteſtate habeant, non accipimus loco filiorum, ſed extraneorum. Sed & ſi patroni moriantur habentes extraneos heredes, *hi* ad liberti hereditatem non vocantur: namque cognationis jure ſucceditur libertis. Quoniam vero vetus bonorum poſſeſſio etiam competebat, quando liberti filius poſt manumiſſionem natus, ſine teſtamento & cognatione moriebatur, vocabatque patris manumiſſorem & cognatos ejus per virilem ſexum, ſive cognati manſiſſent, ſive ſtatus permutationem ſubiiſſent, atque volebat, ut ſi patronus hujus liberti & ipſe alterius cujuſquam libertus eſſet, patroni quoque patronus ejuſque cognatio vocaretur: ſancit *hæc* conſtitutio, ut ſi liberti liberi poſt manumiſſionem nati moriantur inteſtati nullumque omnino cognatum habentes, ſoli vocentur patronus ac patrona. Eſt igitur hoc jus in ſolis filiis liberti vel filiabus, patrono vel patrona ſuperſtite; ut non amplius videantur ſuccedere liberto: quomodo enim libertus eſt, poſt manumiſſionem natus? ſed habet lucrum ex hac lege. Si vero patronus ſuos liberos juſte exheredavit, neque adverſus libertos habeant jus liberi ejus, ſi teſtati deceſſerint: ſi autem inteſtati, tunc illis ſuccedunt. Servetur autem jus patroni etiam illi qui filium vel filiam emancipavit; ita ut adverſus teſtamentum ejus patri competat ratio trientis: & ſi inteſtatus obierit, pater vocatur, quandoquidem emancipatio nunc videtur facta eſſe contracta fiducia; id eſt, ut pater ſecundum veteres leges videatur cum eo, qui filium emere fingitur, pactus fuiſſe, ut eum pater ipſe

tum agunt, credi poſſint novam Juſtiniani *de Agnatis* ſanctionem, in hac eadem conſtitutione latam, conſulto omiſiſſe.

90. Sic & CAPPERON. emendavit pro ſcripto ἐξκουσατεύοντος. Sed cur omnes duplici σ exprimunt? an quia *excuſa* derivatur a *cauſſa*, an vero confuderunt Græculi cum *quaſſa*? In Gloſſario certe Nomico unico σ ſcribitur.

91 φύσει MS.

92 Mirum, Fabrotum alias tam libere παραφράζοντα hic ad verbum vertiſſe, *qui in utero ſunt*. Vid. Gloſſ. Th.

93 Sic optime MS. τοῦ υἱὸν Cuj. omiſſo πάτρωνος, unde F. fecit τὸν υἱόν.

94. Vel ἀνῃρήσθω vel ἀναιρείσθω legend. eſſe, monuit Gavell. Sequens γὰρ deeſt Cuj. & F.

95 διακατοχὴν lego, & ſic vertit Fabr. V. not. 66. ſup.

96. καὶ de: Cuj. & F.

97. ἰσογενεῖς MS. Mox ἐκέλευσε F. *97 καλεῖσθαι legend.

98. καλοῦνται F. recte.

99. Verteram cum F. qui nec ipſe intellexiſſe videtur, ad verbum: *vel filiabus patroni vel patronæ ſuperſtitibus*. Sed in viam reduxit Gavellius, qui poſito commate poſt θυγατέρων, ſenſum primus detexit. Namque diſcretivum ἢ ſæpiſſime adſciſcere pluralem, ipſe docueram in Gloſſ. Th. pag. 1272.

1. ἀποκλήρους MS. de qua confuſione dixi ibid. pag. 1283. *b.* Statim ποιήσῃ malim.

2. Verto αὐτοῦ niſi enallagen numeri ſtatuas, quam & Latine imitatur Fabr.

3. Correxit CAPPERON. pro ſcripto τό.

υἱὸν, ἵνα πάλιν ⁴ αὐτὸς ὁ πατὴρ αὖθις ἀγοράσῃ καὶ ἐλευθερώσῃ. Πᾶς δὲ μὴ ὑπάρχων μὲν τῇ ἀληθείᾳ πάτρων, δοκῶν δὲ κατὰ τοὺς παλαιοὺς νόμους πάτρων εἶναι· ὡς [5] ὀμόσας τυχὸν ὅτι πάτρων ἐστὶν, μὴ ὢν δὲ ταῖς ἀληθείαις· ἢ ὁ ἐλέγξας τὴν συμπαιγνίαν τοῦ πάτρωνος καὶ τοῦ ἀπελευθέρου· πολλάκις γὰρ ὁ πάτρων ἔδοξε κινεῖν κατὰ τοῦ ἀπελευθέρου περὶ εὐγενείας, καὶ συμπαίξας αὐτῷ [6] ἡττήθη, εὑρέθη δέ τις ὕστερον ὁ τὴν συμπαιγνίαν ταύτην ἐλέγχων· οὗτοι μόνον τιμὴν ἐχέτωσαν, μὴ μέντοι κερδαινέτωσαν ἐκ τῆς οὐσίας [7] τῶν δηλονότι ἀπελευθέρων. Ὅσα δὲ δίκαια ἔχουσιν οἱ τοῦ πάτρωνος παῖδες, ταῦτα παρέχομεν καὶ τοῖς παισὶ τῶν ἐν διαθήκαις οἰκέτας ἐλευθερωσάντων, κατὰ τῶν ἀπελευθέρων τῶν λεγομένων [8] ὀρκίνων· πάντες γὰρ οἱ ἐν διαθήκῃ ἐλευθερούμενοι, ὀρκῖνοι ἀπελεύθεροι καλοῦνται.

ipſe rurſus emat atque emancipet. Omnis autem, qui revera patronus non eſt, ſed ſecundum veteres leges patronus eſſe videtur: velut qui forte juravit ſe patronum eſſe, nec tamen re ipſa eſt; vel qui colluſionem patroni ac liberti detexit; ſæpe enim patronus adverſus libertum viſus eſt agere de ingenuitate, & cum eo colludens victus, ſed inventus eſt poſtea aliquis, qui hanc colluſionem detexit: hi honorem tantum habeant, lucrum autem non faciant ex bonis *horum* ſcilicet libertorum. Quæcumque autem jura liberi patroni habent, eadem præſtamus etiam liberis eorum, qui in teſtamentis ſervos manumiſerunt, adverſus libertos dictos Orcinos: omnes enim in teſtamento manumiſſi, liberti Orcini appellantur.

ΤΙΤΛΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ

περὶ τῆς ὀφειλομένης [1] τοῖς πάτρωσιν ὑπακοῆς.

[ΠΑΝΔ. Β. λζ Τιτ. ιε.]

Α. Ὁ ἐμὸς δοῦλος, εἰ μὲν ἐμοὶ *[1] δώσει χρήματα ἢ ἕτερος ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα αὐτὸν ἐλευθερώσω, ἐμοῦ γίνεται ἀπελεύθερος, καὶ ἐξ αἰτίας ἀχάριστος κρίνεται· εἰ δέ τινι ἑτέρῳ *[1] δώσει, ἵνα ἀγοράσῃ καὶ ἐλευθερώσῃ αὐτὸν, οὐ γίνεται αὐτοῦ ἀπελεύθερος.

Β. Καὶ διὰ πραγματευτῶν ὡς ἀχάριστοι κατηγοροῦνται οἱ ἀπελεύθεροι.

Γ. Οὔτε κατὰ πάτρωνος ἢ πατρωνίσσης ἢ ἀνιόντων ἢ κατιόντων αὐτῶν δίδοται ἡ περὶ συκοφαντίας ἀγωγή.

Δ. Οὔτε ἀτιμοποιὸς ἀγωγὴ ἢ δόλου ἢ ἀπάτης μνημονεύουσα, οὔτε ἡ περὶ [2] δούλου διαφθορᾶς, εἰ καὶ μὴ εἰσιν ἀτιμοποιοί.

Ε. Καὶ μέχρις εὐπορίας καταδικάζονται. Οὔτε παραγραφὴ αὐτοῖς δόλου ἢ φόβου ἢ βίας ἀντιτίθεται, οὔτε τῇ περὶ βίας ἢ φόβου ἀγωγῇ [3] ἐνάγονται· οὔτε ὅρκον ἐπάγοντες ὀμνύουσι τὸν τῆς συκοφαντίας· οὔτε [4] πατρώνισσαι κατηγοροῦνται, ὡς κατὰ συκοφαντίαν εἰς τὴν γαστρὸς ὀνόματι διακατοχὴν πεμφθεῖσαι. Αὕτη δὲ ἡ τιμὴ αὐτοῖς κεχρεώστηται, οὐ μὴν τοῖς ὑπὲρ αὐτῶν παρεμβάλλουσιν· αὐτοὶ δὲ ὑπὲρ ἄλλων παρεμβάλλοντες τιμῶνται.

ϛ. Ὁ ἐξωτικὸς κληρονόμος τοῦ ἀπελευθέρου πάντα τὰ δίκαια ἔχει κατὰ τοῦ πάτρωνος αὐτοῦ ἀκέραια.

Ζ. Καὶ ὁ πατὴρ τοῦ υἱοῦ, καὶ ὁ πάτρων τοῦ ἀπελευθέρου, τίμιος καὶ ἅγιος νομίζεται.

Η. Οὐδὲν ὁ πατὴρ ἐπιτίθεται τοῦ υἱοῦ ὑπὲρ τοῦ ποιῆσαι αὐτὸν αὐτεξούσιον δύναται· οὔτε [5] ὀμνὺς ὁ υἱὸς ἐνέχεται ὡς ὁ ἀπελεύθερος· μόνην γὰρ τιμὴν ὁ υἱὸς χρεωστεῖ τῷ πατρὶ, οὐ μὴν ἐργασίας.

Θ.

TITULUS SECUNDUS

De debito patronis obſequio.

[DIG. L. XXXVII. Tit. 15.]

I. [*l.* 3.] Servus meus, ſi quidem pecuniam mihi det vel alius pro eo, ut ipſum manumittam, meus ſit libertus, atque ex culpa ingratus judicatur: ſed ſi cui alii det, ut emat ac manumittat eum, non ſit ejus libertus.

II. [*l.* 4.] Et per procuratorem ut ingrati accuſantur liberti.

III. [*l.* 5. *pr.*] Neque adverſus patronum aut patronam aut adſcendentes aut deſcendentes eorum datur calumniæ actio.

IV. [*l.* 5. §. 1. *l.* 6. & 7. *pr.*] Neque actio famoſa, vel doli vel fraudis mentionem habens, neque de ſervo corrupto, etſi non ſunt famoſæ.

V. [*l.* 7 §. 1.] Et facultatum tenus condemnantur: [§. 2.] neque doli vel metus vel vis exceptio iis opponitur, neque actione de vi aut dolo conveniuntur: [§. 3.] neque jusjurandum deferentes de calumnia jurant: [§ 4.] neque patrona arguitur, ut in bonorum poſſeſſionem ventris nomine per calumniam miſſa. [§. 5.] Hic autem honos ipſis debetur, non iis qui pro illis interveniunt; ſed ipſi pro aliis intervenientes honorantur.

VI. [*l.* 8.] Extraneus liberti heres omnia jura adverſus patronum ejus ſalva habet.

VII. [*l.* 9.] Et pater filio, & patronus liberto, venerandus & ſanctus habetur.

VIII. [*l.* 10.] Neque pater *quid* imponere poteſt filio, propterea quod eum emancipat: neque obligatur filius juratus ſicut libertus: ſolum enim honorem filius patri debet, non operas.

IX.

4. αὐτὸς πατὴρ ἀγορ. Cujac. ſed ὁ inſeruit F. Neuter habet αὐθις.
5. ὀμ. MS. Rectius foret ὁ ὀμ. ut ſeq. ὁ ἐλ. OAVER.
6. ἐνίκηθῇ Cujac. Mox ὕστερ. MS.
7. τῷ MS quem errorem ſponte vidit CAPPERON.
8. Quum omnes hoc vocabuli bis efferant cum adſpiratione, emendare haud ſuſtinui.

TIT. II.

1. περὶ τῆς ἀπελευθέρων ad: cum F. Syn. quæ non ulla ex h. t. capita habet, quam x. xii. xix. & [xxi.] ſed ſub aliis numeris.

*1. Forte δώσῃ, quod inf. occurrit tit. 6. n. 23. &c.
2. δούλω MS. & contrario errore inf.
3. ἀνάγ. MS Mox ὀμν. MS.
4. πατρώνισσα —— πεμφθεῖσα reſcribend.
5. ὀμνὺς MS.
*5. αὐτῷ malit OAV.
6. Hoc primum in Syn. caput eſt, nam præmittitur ἀρχὴ ἐν τῷ α. κεφαλαίῳ φωνή.
7. ὃ vel ὅτι excidit, ſi Latino Codici fides.

Θ. Η ἀπελευθέρα παρὰ γνώμην τῆς πατρωνίσσης [8] αὐτῆς ἐργαζομένη τὰ τῆς οἰκείας τέχνης, οὐκ ἔστιν ἀχάριστος.

[ΚΩΔ. Β. ϛ. Τιτ. ϛ.]

Ι. [6] Ἀπελεύθερος κατὰ πάτρωνος ἀτιμωτικὴν ἀγωγὴν οὐ δύναται κινῆσαι.

ΙΑ. Ἐὰν ἀπελευθέρα κατὰ γνώμην τοῦ πάτρωνος τοῦ ἰδίου [7] νομίμως γαμηθῇ, οὐκέτι ἀναγκάζεται ὑπηρεσίαν αὐτῷ παρέχειν.

ΙΒ. [8] Εἰ καὶ παρέσχε χρήματα τῷ δεσπότῃ ὁ δοῦλος καὶ ἠλευθερώθη, ὅμως ὀφείλει τιμᾶν αὐτόν.

ΙΓ. Ἐὰν τῷ ἐλευθερωτῇ τῷ σῷ βίαν καὶ τόλμαν ἀντέθηκας ἐκείνῳ, ὅστις σε τῷ εὐεργετήματι τῷ ἰδίῳ ἐκ δουλείας ἐλευθερῶν, ἵνα ἀντίδικον σχοίη, πεποίηκεν· ὁ ἄρχων τῆς [9] ἐπαρχίας πῶς τιμωρήσασθαι τὴν τοιαύτην προπετῆ ἐξουσίαν, ὀφείλει δοκιμάσαι· καὶ γὰρ εἴτε σοι ἀργύριον ἐχρεώστειτο, εἴτε περὶ [10] χρημάτων κατὰ τοῦ πάτρωνος ἀμφισβήτησις ἦν, οὐκ εὐθὺς [11] τὸ δικάζεσθαι τρέχειν ὤφειλες. Εἰ καὶ τὰ μάλιστα δὲ τοῦτο ποιῆσαι βεβούλησαι, ἀλλ' οὖν πάσης δίχα τραχύτητος [12] τὴν τῶν ῥημάτων δικαιοσύνην τῆς ἀπαιτήσεως τῆς σῆς τῷ δικαστῇ προθεῖναι ἐδύνασο, πάσης τιμῆς τῆς τῷ πάτρωνι κεχρεωστημένης φυλαχθείσης.

ΙΔ. Εἰ καὶ ὁ πάτρων κατεδικάσθη· ἀλλ' οὖν τοῖς ἐκείνου παισὶν οἱ ἀπελεύθεροι ὀφείλουσι παρέχειν [13] τὴν κεχρεωστημένην θεραπείαν· εἰ δὲ μὴ τοῦτο ποιήσωσιν, αὐτοὶ καθ' ἑαυτῶν [14] τὴν τῶν νόμων αὐστηρίαν δοκοῦσι καλεῖν.

ΙΕ. Ὁ ἀπελεύθερος ὑπηρεσίαν χρεωστεῖ τῷ πάτρωνι, τὴν ἐπικειμένην ἐλευθέρῳ· δουλικὴν δὲ ὑπηρεσίαν αὐτῷ οὐ χρεωστεῖ, οὔτε δεσμοῖς ὑπόκειται.

ΙϚ. Εἰ καὶ τῆς μητρυιᾶς ἐστί τις ἀπελεύθερος, τοὺς προγόνους αὐτῆς ὑβρίζειν οὐκ ὀφείλει· ἀλλ' οὐδὲ οἱ πατρῷοι ἀπελεύθεροι ὀφείλουσι τοὺς τῶν πατρώνων παῖδας ὑβρίζειν. χρὴ οὖν τὸν ἄρχοντα τὴν περὶ τούτων ἐκδίκησιν ποιεῖσθαι.

ΙΖ. Οὔτε ταῖς τῆς πατρωνίσσης ὑπηρεσίαις ἐναντιοῦσθαι θεμιτόν ἐστιν.

[ΚΩΔ. Β. ϛ. Τιτ. ζ.]

ΙΗ. Ὁ ἀπὸ fideicommiſſυ χρεωστῶν οἰκέτῃ ἐλευθερίαν, καὶ ἐλευθερώσας αὐτὸν, οὐ δύναται ὡς ἀχάριστον τὸν ἀπελεύθερον [15] ἐξορίζειν· ἐκεῖνοι γὰρ δύνανται τοῦτο ποιεῖν, ὅσοι ἐκ προαιρέσεως ἐλευθερίαν προῖκα παρέχουσιν· οὐ μὴν ὅσοι χρεωστοῦσιν.

ΙΘ. Ἡ διάταξις [16] ἐκτίθεται τὰς κατὰ τῶν ἀπελευθέρων τῶν ἀχαρίστων τιμωρίας. λέγει γὰρ ὅτι ὁ ἀπελεύθερος, εἰ ἀχάριστος φανῇ περὶ τὸν πάτρωνα, καὶ [17] ἢ ὑβρίσῃ αὐτὸν, ἢ προπετὴς κατ' αὐτοῦ γένηται, ἢ ὅλως αἰτίαν ἀγανακτήσεως δικαίας παράσχῃ τῷ πάτρωνι· πάλιν [18] γίνεσθαι δοῦλος, καὶ οἱ παῖδες αὐτοῦ οἱ μετὰ ταῦτα τικτόμενοι ἔσονται δοῦλοι.

Κ. Οἱ ἀπελεύθεροι μὴ μόνον τοὺς πάτρωνας τιμῶσι,

IX. [*l.* 11.] Liberta præter patronæ ſuæ voluntatem propriam exercens artem, ingrata non eſt.

[*COD. L. VI. TIT. VI.*]

X. [*l.* 1.] Libertus adverſus patronum actionem famoſam inſtituere nequit.

XI. [*l.* 2.] Si liberta ſecundum patroni ſui voluntatem legitime nupſerit, operam ei haud amplius præſtare cogitur.

XII. [*l.* 3.] Etiamſi nummos domino dedit ſervus & manumiſſus eſt, tamen eum honorare debet.

XIII. [*l.* 4.] Si manumiſſori tuo vim & audaciam oppoſuiſti, ei qui te ſuo beneficio ex ſervitute liberans, ut adverſarium haberet, fecit; Præſes provinciæ, quomodo punire hujuſmodi temerariam licentiam debeat, æſtimabit. Etenim ſive pecunia tibi debebatur, ſive de rebus adverſus patronum controverſia erat, non ſtatim ad litigandum currere debebas: ſed & ſi hoc maxime facere auſus fuiſti, attamen ſine omni aſperitate verborum æquitatem petitionis tuæ judici proponere potueras, ſervato omni honore patrono debito.

XIV. [*l.* 5.] Et ſi patronus condemnatus fuit, attamen liberis ejus debitam reverentiam liberti præſtare debent: ſi autem hoc non fecerint, ipſi adverſus ſe legum auſteritatem provocare videntur.

XV. [*l.* 6.] Libertus miniſterium debet patrono, quam debet *homo* liber: ſervile autem miniſterium ei non debet, neque vinculis ſubjacet.

XVI. [*l.* 7.] Licet quis novercæ ſit libertus, privignos ejus injuria adficere non debet: ſed neque paterni liberti patronorum liberos injuria adficere debent. Præſidem igitur vindictam horum perſequi oportet.

XVII. [*l.* 8.] Neque patronæ miniſteriis adverſari licitum eſt.

[*COD. L. VI. TIT. VII.*]

XVIII. [*l.* 1.] Qui ex fideicommiſſo libertatem ſervo debet, eumque manumiſit, non poteſt libertum ut ingratum deportare: illi enim hoc facere poſſunt, qui voluntate *propria* libertatem gratis præſtant; non autem, qui *eam* debent.

XIX. [*l.* 2.] *Hac* conſtitutio exponit libertorum ingratorum pœnas. Ait enim: ſi libertus ingratus probetur adverſus patronum, & vel injuria eum adfecerit, vel contumax adverſus eum fuerit, vel omnino juſtæ indignationis cauſam patrono præbuerit: rurſum ſervus fiat, & filii ejus poſt illa nati, ſint ſervi.

XX. [*l.* 3.] Liberti non ſolum patronos honorent,

8. Hoc capitulum ſuperiori ita ſic cohæret in Synopſi: καὶ ὅτι, εἰ καὶ &c. Mox ἰδίου MS.
9. Diſtinguo ac reſcribo: ἐπαρχίας, πῶς —— ὀφείλει, δοκιμάσει.
10. πραγμάτων verti: quæ vocabula & alibi confuſa memini. Ex. gr. ap. Lucian. Tom I. pag. 719.
11. Vel ἐπὶ vel πρὸς addendum.
12. Ego verba Codicis ſic vertiſſem: παρὰ τῶν ῥημάτων τὴν δικ. quo ſic genitivus verborum ad aſperitatem, non ad æquitatem referatur.
13. Sic pro τοῖς κεχρεωστημένοις repoſui. Et mox etiam in ſeq. tit. n. 23 videbis ει ſcriptum pro ω.
14. τοῖς MS. Vid. not. præced.
15. An *exulare* (nam poſterioribus ſeculis active uſurpabatur pro *in exilium mittere*) pro *accuſare* legit Græculus?
16. Synopſis cum F. inchoat a verbis: Ὁ ἀπελ. ὁ ἀχάρ. numeratque hoc cap. 19. de Amal. v. Addend.
17. ὁ δὲ ε Syn.
18. γενέσθαι Syn.

μίσωσι, ϰ̀ μὴ κινήσωσι κατ᾽ αὐτῶν ἐλημοσιον ἀγωγὴν, ἀλλὰ ϰ̀ τοὺς κληρονόμους αὐτῶν.

[19 ΚΑ.] Ο ἀπελεύθερος ἢ ὁ τοῦ ἀπελευθέρου παῖς, ἐὰν στρατεύσωνται, ὡς ἐξ αὐτοῦ τούτου ἀχάριστοι γενόμενοι περὶ τὸν πάτρωνα, ἀναδουλοῦσθωσαν.

ΤΙΤΛΟΣ Γ.

περὶ [1] ἐργασίας ἀπελευθέρων.

[ΠΑΝΔ. Βιβλ. λη. Τιτ. α.]

Α. Εργασία ἐστὶν ἀπελευθέρου καθημερινὴ ὑπηρεσία.

Β. Αγωγὴ δίδοται κατὰ τῶν ἀπελευθέρων, ἐπὶ ταῖς ὑπηρεσίαις.

Γ. Ο ἐπερωτήσας [2] ἡμέρας, ὑπηρεσίας ἀπαιτεῖν αὐτὰς οὐ δύναται, ἕως οὗ παρέλθῃ ἡ ἡμέρα· οὐ γὰρ αἱ ὑπηρεσίαι μερικῶς καταβάλλονται· ὅθεν τὰς πρὸ μεσημβρίας ἓξ ὥρας ἐργαζόμενος ὁ ἀπελεύθερος οὐκ ἐλευθεροῦται τῶν ὑπηρεσιῶν ἐκείνης τῆς ἡμέρας.

Δ. Επερωτηθεὶς δυσὶ πάτρωσιν ὑπηρεσίας ὁ ἀπελεύθερος, τοῦ ἑνὸς ἐπὶ παιδὶ τελευτῶντος ϰ̀ τοῦ ἄλλου περιόντος, δίδωσι τὰς ὑπηρεσίας τῷ παιδὶ τοῦ τελευτήσαντος· εἰ ϰ̀ τὰ μάλιστα πρὸς τὴν αὐτοῦ κληρονομίαν ϰ̀ διακατοχὴν μόνος ὁ περιὼν πάτρων καλεῖται· αἱ γὰρ ὑπηρεσίαι ὡς δάνειον ἀπαιτοῦνται· καὶ ἐξωτικῷ γὰρ κληρονόμῳ ἡ ἀπαίτησις τῶν παρελθουσῶν ὑπηρεσιῶν δίδοται, ϰ̀ περιόντος τοῦ ἑτέρου πάτρωνος.

Ε. Εὰν ἐπερωτήσω ὑπηρεσίας ἐμαυτῷ ϰ̀ παισί μου, διαβαίνει εἰς κυοφορουμένους ἡ ἐπερώτησις.

[ς.] Αἱ ζωγραφικαὶ ὑπηρεσίαι, ϰ̀ αἱ λοιπαὶ αἵτινες ὡσανεὶ ἐν δόσει χρημάτων συνίστανται, διαβαίνουσιν εἰς κληρονόμους, οὐ μὴν αἱ [3] officialiai· Ωστε συστῆναι τὴν ἐπὶ ταῖς ὑπηρεσίαις ἐνοχὴν, δεῖ τὸν [4] ὀμνῦντα περὶ αὐτῶν, ἀπελεύθερον εἶναι ϰ̀ διὰ τὴν ἐλευθερίαν [4] ὀμνῦναι. Εἰ δὲ ϰ̀ πάτρων ληγατεύσῃ τῷ ἀπελευθέρῳ αὐτοῦ ὑπὸ αἵρεσιν τὴν ἐὰν δέκα ὑπηρεσίας παράσχῃ τῷ υἱῷ αὐτοῦ, ὀμνὺς ἐνέχεται· ἀδιάφορον γὰρ ποίῳ τρόπῳ περὶ ὑπηρεσιῶν ὄμνυσι. Μετὰ δὲ τὴν ἐλευθερίαν ὤφειλεν ὀμνύειν, ἢ παραχρῆμα ἢ μετὰ χρόνον. Ομνύει δὲ περὶ ὑπηρεσιῶν καὶ δωρεᾶς [5] μετὰ αἰτίας. Οἷαι δήποτε ὑπηρεσίαι ἐπερωτῶνται, εἰ σεμναί εἰσι ϰ̀ ἃς ἔξεστιν ἐπιφέρειν. Ο ἀπὸ [6] fideicommissu ἐλευθερῶν ἀχρήστως ὑπηρεσίας ἐπερωτᾷ. Α͗νηβος μετὰ τὴν ἥβην ἐνάγεται περὶ ὑπηρεσιῶν, ἔσθ᾽ ὅτε δὲ καὶ ἄνηβος ὤν· ἴσως γὰρ βιβλιογράφος ἐστὶν, ἢ [*6] καλλιγράφος, ἢ διαψηφιστὴς, ἢ ὀρχηστὴς, ἢ ἑτέραν τέχνην παιγνιακὴν ἐπίσταται. Οἱ παῖδες τοῦ πάτρωνος ἐξ ἴσου τὴν ἀπαίτησιν τῶν ὑπηρεσιῶν ἔχουσιν οὐ μὴν πρὸς τὰ μέρη, [7] καθὰ κληρονομοῦσιν. Αδιάφορον δὲ εἴτε ὑπεξούσιοί εἰσιν εἴτε αὐτεξούσιοι. Καὶ ὁ δοθεὶς εἰς θέσιν υἱὸς τοῦ πάτρωνος γραφόμενος παρὰ τοῦ πατρὸς κληρονόμος, κεχρεώστηται ὑπηρεσίας, ϰ̀ οἱ τῆς πατρωνίσσης παῖδες.

Z.

tent, neque adverſus eos famoſam actionem inſtituant, ſed etiam heredes eorum.

[XXI. *l.* 4] Libertus vel liberti filius, ſi militent, tamquam per hoc ipſum ingrati erga patronum, in ſervitutem revocentur.

TITULUS III.

De operis libertorum.

[DIG. L. XXXVIII. Tit. 1.]

I. [*l.* 1.] Opera eſt liberti quotidianum miniſterium.

II. [*l.* 2. §. 1.] Actio datur adverſus libertos de operis.

III. [*l.* 3. *pr.*] Diurnas operas ſtipulatus, nequit eas petere, donec dies præterierit: [§. 1.] nec enim operæ per partes ſolvuntur. Unde libertus ante meridiem ſex horis operatus non liberatur operis illius diei.

IV. [*l.* 4.] Libertus qui duobus patronis operas promiſit, altero mortuo ac filium relinquente, & altero ſuperſtite, operas præſtat filio defuncti: & ſi maxime ad ejus hereditatem bonorumque poſſeſſionem ſolus patronus ſuperſtes vocatur: operæ enim ut creditum petuntur: nam & heredi extraneo præteritarum operarum petitio datur, etiam ſuperſtite altero patrono.

V. [*l.* 5.] Si mihi ac liberis meis operas ſtipulatus fui, tranſit ſtipulatio ad poſthumos.

VI. [*l.* 6] Pictoriæ operæ, & reliquæ quæ quaſi in pecuniæ datione conſiſtunt, tranſeunt ad heredes, non autem officiales.

[*l.* 7. *sed.*] Ut operarum obligatio contrahatur, oportet jurantem de iis eſſe libertum, & libertatis cauſa jurare. [§. 1.] Sed & ſi patronus liberto ſuo legaverit ſub conditione, ſi decem operas filio ejus præſtiterit, juratus obligatur: indifferens enim *eſt*, quomodo de operis juret. [§. 2.] Poſt manumiſſionem autem debuit jurare, vel confeſtim vel poſt tempus. [§. 3.] Jurat autem de operis & dono cum cauſa. Qualeſcumque operæ per ſtipulationem rogantur, ſi honeſtæ ſunt & quas imponere licet. [§. 4.] Ex fideicommiſſo manumittens inutiliter operas ſtipulatur. [§. 5.] Impubes poſt pubertatem de operis convenitur; ſed interdum & quum impubes eſt: forte enim librarius eſt, aut miniculator, aut calculator, aut ſaltator, aut aliam artem ludicram ſcit. [§. 6.] Liberi patroni operarum petitionem ex æquo habent: non tamen pro partibus, ex quibus heredes ſunt: [§. 7.] nihil autem differt, utrum in poteſtate ſint an emancipati. [§. 8.] Et filio patroni in adoptionem dato, *atque* a patre heredi ſcripto, operæ debentur, [§ 9.] item liberis patronæ.

VII.

19. In MS. cohærebat hoc caput cum præced. In Syn. numerum xx. habet.

TIT. III.

1. Synopſis totum hunc titulum ſic abſolvit: Τιτλος γ. διαλαμβάνει περὶ ὑπηρεσίας ϰ̀ ἐργασίας τῶν ἀπελευθέρων τῶν ταύτας παρεχεῖν ἐπερωτηθέντων. [leg. παρέχειν ἐπερωτηθέντων cum Leuncl. & I.] ὁ δὲ τοιοῦτος ἐν τῷ ια. κεφαλαίῳ φησιν. Ου ἐὰν στα ὅλως ἀπορος ὁ πατρων, ἀναγκάζεται ὁ ἀπελευθερος τρε- φειν αυτον, Nec Fabrotus quidquam addidit amplius.

2. Delcto commate lego ἡμέρας.

3. ὀφφικιάζιαι MS. in quo Lambda ſæpius cum Zeta confuſum fuiſſe, etiam ſupra vidimus, & mox num. 6. & 9. & 10. oſtendent.

4. ὀμν. ſed deinde ſæpius ὀμν. MS. Mox ληγατεύσῃ malim.

5. Credat aliquis, ϰ̀ δωρεᾶς & hic & inf. num. 21. & ſæpius in ſeqq. tit. bis legendum, ut prius ſimpliciter poſitum denotet donum, poſterius cum adjectione μετ᾽ αἰτίας munus;

Ζ. Ἐὰν δυσὶ πάτρωσιν ὀμόσῃ παρέχειν ὑπηρεσίας ὁ ἀπελεύθερος κεχρεωστημένως αὐτοῖς ἁρμόζει ἡ ἀπαίτησις, ὥσπερ καὶ τῶν παρελθουσῶν, αἵτινες οὐκέτι δύνανται [8] παρέχεσθαι. καὶ ταῦτα εἴτε δι' ἑαυτῶν οἱ πάτρωνες ἐπερωτήσωσιν, ἢ διὰ κοινοῦ δούλου, ἢ εἷς πάτρων ἐπὶ πολλοῖς ἀποθάνῃ κληρονόμοις. Τὸν ἀπελεύθερον ὀμνῦντα περὶ ὑπηρεσιῶν, πᾶς τις ἐγγυᾶσθαι δύναται.

Η. Αἱ ὑπηρεσίαι οὐκ εἰσὶν ἐν φύσει καὶ αἱ μὲν [9] officialiai καὶ μέλλουσαι καὶ μόνῳ πάτρωνι κεχρεώστηνται· αἱ δὲ ζωγραφικαὶ καὶ αἱ ὅμοιαι, καλῶς παντὶ ἀνθρώπῳ καταβάλλονται, καὶ κελεύοντος τοῦ πάτρωνος, ἀπαιτεῖται καταβαλεῖν ἄλλῳ τὰς [10] fabrilίας.

Θ. Ὁ δοῦλός μου ἀχρήστως εἰς τὸ ἴδιον πρόσωπον, ἀλλ' εἰς τὸ ἐμὸν ὀφείλει τὸν ἀπελεύθερόν μου ἐπερωτᾷν ὑπηρεσίας. ἐὰν ὀμόσῃ μοι ὁ ἀπελεύθερός μου διδόναι μοι ὑπηρεσίας ἢ Πέτρῳ, οὐκ ἐλευθεροῦται [11] καταβάλλων αὐτὰς Πέτρῳ.

Ι. Καὶ ἀδιάφορον εἴτε ἐξωτικός ἐστι Πέτρος, ἢ υἱός μου· ἄλλαι γάρ εἰσιν αἱ τῷ Πέτρῳ καταβαλλόμεναι.

ΙΑ. Ἐὰν δὲ πενομένῳ τῷ πάτρωνι χρήματα ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας ὁμολογήσῃ δοῦναι ἢ Πέτρῳ, ἡ τοῦ Πέτρου προσθήκη ἔρρωται.

ΙΒ. Ὁ πραθεὶς ἐπὶ τῷ ἐλευθερωθῆναι καὶ ἁρπαγεὶς εἰς ἐλευθερίαν, ἀνωφελῶς ὑπηρεσίας ἐπερωτᾶται. Εἰ δὲ καί τινι προσκυρωθῇ ἡ τοῦ τελευτήσαντος οὐσία διὰ τὸ φυλαχθῆναι τὰς ἐλευθερίας, εἰ καὶ τὰ μάλιστα αὐτοῦ γίνονται ἀπελεύθεροι οἱ Fidicommissαρίᾳ τιμηθέντες ἐλευθερίᾳ, ὅμως οὐδεὶς τῶν ἐλευθερουμένων ὑπηρεσίας ἀπαιτεῖν δύναται. Ἡ τῶν ὑπηρεσιῶν ἀγωγὴ τότε ἁρμόζει, ὅτε καὶ ἐπιταχθῶσι καὶ παρέλθωσιν. Κἂν ἔχῃ γαμετὴν ὁ ἀπελεύθερος, ἀπαιτοῦνται τὰς ὑπηρεσίας. οὐ δοκεῖ τῷ γάμῳ τῆς ἀπελευθέρας ὁ ἄνηβος συναινεῖν, εἰ μὴ μετὰ γνώμης τοῦ ἐπιτρόπου.

ΙΓ. Ἀντίκειται τῷ πάτρωνι καὶ ἡ ἀποδοχὴ ἐν τοῖς γάμοις τῆς ἀπελευθέρας.

ΙΔ. Εἰ δὲ [12] χηρεύσει, δίδωσι τὰς ὑπηρεσίας. Ἐὰν δὲ μετὰ τὸ παραγγελθῆναι ἐπὶ ταῖς ὑπηρεσίαις, νοσήσας ὁ ἀπελεύθερος ἐμποδισθῇ, παρασχεῖν αὐτὰς οὐ κατέχεται. Ἡ ὑπηρεσία οὔτε ὁμολογεῖσθαι, οὔτε καταβάλλεσθαι, οὔτε χρεωστεῖσθαι, οὔτε ἀπαιτεῖσθαι ἐκ μέρους δύναται· ὅθεν ἐὰν ὦσι πολλαὶ ὑπηρεσίαι, καὶ ἀποθάνῃ ὁ πάτρων ἐπὶ πολλοῖς κληρονόμοις, ἢ κοινὸς ἀπελεύθερος ὀμόσῃ δυσὶ πάτρωσιν, ἢ κοινῷ αὐτῶν δούλῳ τελεῖν χιλίας ὑπηρεσίας· ἀνὰ πεντακοσίας ἑκάστῳ χρεωστεῖ, καὶ οὐχ ἑκάστης τὸ ἥμισυ.

ΙΕ. Ἐὰν μετὰ τὴν ἐλευθερίαν μάθῃ τέχνην ὁ ἀπελεύθερος, καὶ αὐτῆς ὑπηρεσίας δίδωσι τῷ πάτρωνι, ἐὰν σεμνῶς καὶ ἀκινδύνως αὐτὴν δύναται παρασχεῖν· εἰ δὲ μή ἐστι τοιαύτη, τὰς ὑπηρεσίας δίδωσιν, ἃς ἐν καιρῷ τῆς ἐλευθερίας ἐδίδου. Δεῖ δὲ πρὸς τὴν ἡλικίαν ἑκατέρου προσώπου, καὶ τὴν ὑγίειαν καὶ τὴν ἀξίαν, καὶ τὴν ἀνάγκην καὶ προαίρεσιν καὶ ἄλλα τοιουτότροπα τὰς ὑπηρεσίας δίδοσθαι.

ΙϚ.

VII. [*l.* 8. *pr.*] Si duobus patronis libertus juraverit operas ſe præſtaturum, ex debito iis petitio competit, uti & præteritarum, quæ præſtari amplius nequeunt. Atque hæc, ſive patroni per ſe ſtipulati fuerint, ſive per ſervum communem; ſive unus patronus obierit moltos habens heredes. [§. 1.] Pro liberto de operis jurante quilibet fidejubere poteſt.

VIII. [*l.* 9. *pr.*] Operæ non ſunt in *rerum* natura. [§. 1.] Et officiales quidem ac futuræ etiam ſoli patrono debentur: pictoriæ vero ac ſimiles recte cuique homini ſolvuntur: & jubente patrono fabriles alii ſolvere compellitur.

IX. [*l.* 10. *pr.*] Servus meus inutiliter in ſuam perſonam, ſed in meam debet a liberto meo operas ſtipulari. [§. 1.] Si libertus meus juraverit ſe mihi daturum operas aut Petro, non liberatur ſolvens eas Petro.

X. [*l.* 11.] Nec intereſt, utrum extraneus ſit Petrus an filius meus: [*l.* 12. *pr.*] aliæ enim ſunt quæ Petro ſolvuntur.

XI. [*l.* 12.] Sed ſi egenti patrono pecuniam pro libertate promiſerit dare aut Petro, adjectio Petri valet.

XII. [*l.* 13. *pr.*] Venumdatus ut manumittatur atque in libertatem raptus, operas inutiliter promittit. [§. 1.] Sed & ſi alicui bona defuncti addicta ſint libertatum conſervandarum gratia, licet vel maxime liberti ejus fiant, qui fideicommiſſaria libertate honorati ſunt, tamen a nemine illorum qui manumittuntur, operas exigere poteſt. [§. 2.] Actio de operis tunc competit, quum & injunctæ & præteritæ fuerint [§. 3.] Etiamſi conjugem habeat libertus, operas exigitur. [§. 4.] Impubes non videtur nuptiis libertæ conſentire, niſi cum auctoritate tutoris.

XIII. [§. 5.] Patrono etiam obſtat comprobatio in nuptiis libertæ.

XIV. [*l.* 14.] Sed ſi vidua facta erit, dat operas. [*l.* 15.] Quod ſi poſt denuntiatas operas libertus ægrotans impeditus fuerit, præſtare eas non cogitur. [§. 1.] Opera neque promitti, neque ſolvi, neque deberi, neque peti ex parte poteſt: unde ſi multæ fuerint operæ, & patronus obierit multos relinquens heredes, vel communis libertus duobus patronis aut communi eorum ſervo juraverit mille ſe operas ſoluturum: quingenas ſingulis debet, non ſingularum dimidium.

XV. [*l.* 16.] Si poſt manumiſſionem libertus artem didicerit, etiam illius operas patrono præſtat, ſi honeſte ac ſine periculo eam præſtare poteſt. Si autem talis non eſt, operas dat quas tempore manumiſſionis dabat. [§. 1.] Sed ſecundum utriuſque perſonæ ætatem & valetudinem & dignitatem & neceſſitatem & propoſitum & alia hujuſmodi operas dari oportet.

XVI.

munus: namque in l. 194. de V. S. *munus* definitur *donum cum cauſa*. Mox MS. habebat ἐπερωτῶντα.
6. Fidicommiſſy ἐξελευθερῶν ἀξιωτοῖς MS. & ſtatim οὐδεν.
*6. Florentiæ legitur *nomenculator*. Accurſius legit *mimiculator* i. e. geſticulator; al. *nummiculator*. Sed veram eſſe lectionem *miniculator* (pro quo in Gloſſis extat *miniator*) i. e. qui litteras minio pingit, Baſilica nunc docent: idque & Charondas in margine habet, & Ant. Nebriſſenſis in *Lexico Juris adv. Accurſii errores* ex vett. libb. protulit. *Miniculatrius* cod. ſenſu ex Cod. Theod. citant Lexicographi Stephanus, Calvinus, Faber, ſed perperam, quum verum ſit *Minuſcularius*, de quo vid. Jac. Gothofr.
7. Malo diviſim καθ' ἀ.
8. παρέχεσθαι MS.
9. ὀφφικιάλιαι MS.
10. Φαβρικίαι MS.
11. καταβαλλων lego.
12. χηρεύσῃ rectius.

ΙϚ. Οὔτε γὰρ ἀκούεται ὁ πάτρων ὑπηρεσίας ἀπαιτῶν, ἃς οὐ δύναται διὰ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ τελεῖν ὁ ἀπελεύθερος, ἢ διὰ τὴν ἀσθένειαν ἢ δι' ὧν ἡ ἔνστασις τῆς ζωῆς αὐτοῦ καὶ προαίρεσις ἐλαττοῦται.

ΙΖ. Οἰκείοις δαπανήμασι καὶ ἐσθήμασι χρώμενος ὁ ἀπελεύθερος, ὑπηρετεῖ τῷ πάτρωνι· πενόμενος δὲ τρέφεται ὑπὸ τοῦ πάτρωνος.

ΙΗ. ἢ τινας ὥρας τῆς ἡμέρας ἑαυτῷ πρὸς ἀποτροφὴν ἐργάζεται.

ΙΘ. Εἰ δὲ μηδὲν τούτων ποιεῖ ὁ πάτρων, ἀρνοῦνται αὐτῷ αἱ ὑπηρεσίαι· ἕκαστος γὰρ τὸ παρ' αὐτοῦ ὁμολογηθὲν, οἰκείοις δίδωσι δαπανήμασιν, ἕως ὅτε τὸ χρεωστούμενόν ἐστιν ἐν φύσει. Ὁ ἀπελεύθερος ἀναγκάζεται ἀπιέναι πρὸς τὸν πάτρωνα καὶ ἐργάζεσθαι, ἐὰν σεμνῶς καὶ ἐπιμελῶς ὁ πάτρων ἀποδημήσῃ· ἐπεὶ ἐὰν θελήσῃ κατὰ πάντα πλανᾶσθαι τόπον, οὐκ ἀναγκάζεται ὁ ἀπελεύθερος ἀκολουθεῖν αὐτῷ. Τὰς ὑπηρεσίας δὲ τῶν ἡμερῶν τῆς ὁδοῦ, ἐν αἷς πρὸς αὐτὸν ἀποδημεῖ, ζημιοῦται ὁ πάτρων.

Κ. Ὅπου γὰρ διάγει ὁ πάτρων, δίδονται αὐτῷ αἱ ὑπηρεσίαι δαπανήμασι καὶ κτηνομισθίοις αὐτοῦ τοῦ πάτρωνος.

ΚΑ. Τότε βεβαιοῦται ἡ περὶ τῶν ὑπηρεσιῶν ἐπερώτησις, ὅτε ὁ μὲν πάτρων βουληθῇ λαβεῖν αὐτὰς, ὁ δὲ ἀπελεύθερος ὑπερθῆται. Οἱ παῖδες τοῦ πάτρωνος, ὅτε μὴ γένηται αὐτῶν μνήμη ἐν τῇ ἐπερωτήσει τῶν ὑπηρεσιῶν, γραφόμενοι δὲ ἑαυτῶν καὶ οὐ δι' ἑτέρων κληρονόμοι, κεχρεωστήκασιν αὐτάς. Ἐὰν δὲ τὸν αὐτεξούσιόν μου υἱὸν ἀποκλήρον ποιήσω, καὶ τὸν δοῦλον αὐτοῦ γράψω κληρονόμον· ἀπωθεῖται ὁ υἱὸς τῆς ἀπαιτήσεως τῶν ὑπηρεσιῶν, ὥσπερ ὁ πάτρων μὴ ἐπιτεθεικὼς ὑπηρεσίας ἢ πωλήσας αὐτὰς ὕστερον.

ΚΒ. Ἐπὶ πάσης ὑπηρεσίας συγχωρεῖται χρόνος τῷ ἀπελευθέρῳ πρὸς ἐπιμέλειαν τοῦ ἰδίου σώματος. Αἱ ζωγραφικαὶ ὑπηρεσίαι τῶν ἄλλων διαφέρουσι· τὰς γὰρ ἐν τέχνῃ ἐπερωτώμενος ἀναγκάζεται διδόναι, ἐφ' ὅσον [13] τὴν τέχνην μετέρχεται· καὶ πάλιν τὰς ἐν τέχνῃ καλῶς ἐμαυτῷ ἢ Πέτρῳ ἐπερωτῶ, * καὶ καταβάλλων αὐτὰς ὁ ἀπελεύθερος Πέτρῳ, ἐλευθεροῦται. Ἐὰν πολλοὶ πάτρωνες ἐπιτηδὲς ἑαυτοὺς εἰς πολλὰ διέλωσι κλίματα, καὶ ἅμα παραγγείλωσι τῷ ἀπελευθέρῳ περὶ τῶν ὑπηρεσιῶν· ἡ μὲν ἡμέρα προχωρεῖ, οὐκ ἐνάγεται δὲ ὁ ἀπελεύθερος· ἐπειδὴ μὴ αὐτὸς ἐνεπόδισεν αὐτὰς δοθῆναι· ὥσπερ ὅτε νοσοῦντι αὐτῷ παραγγέλλεται. Εἰ δὲ διάφοροι εἰσὶν οἱ πάτρωνες πόλεων καὶ ἐν αὐταῖς διάγουσι, συναινεῖν ὀφείλουσιν ἐπὶ τῇ δόσει τῶν ὑπηρεσιῶν· οὔτε γὰρ, ἐὰν χρεωστῇ δέκα ὑπηρεσίας, ἀναγκάζεται δοῦναι τὰς πέντε, καὶ τῷ ἄλλῳ τὴν διατίμησιν τῶν πέντε.

ΚΓ. Ἐὰν εἶδος ὑπηρεσιῶν ἐπερωτήσω, οἷον τεκτονικὴν ἢ ζωγραφικὴν, οὐκ ἄλλως ἀπαιτοῦνται, εἰ μὴ [14] ἀμνημόνευτοι γένωνται· σιωπηρὰ γὰρ ἡμέρα ἔγκειται· ὥσπερ ὅτε ἐν Ἐφέσῳ δοθῆναί μοι ἐπερωτῶ· ὅθεν ἀνισχύρως ἐπερωτῶ δοθῆναί μοι σήμερον ἑκατὸν γραφικὰς ὑπηρεσίας. Ἄρχεται δὲ τρέχειν ὁ χρόνος ἀπὸ τοῦ καιροῦ τῆς ἐπερωτήσεως. Αἱ δὲ ὑπηρεσίαι, ἃς ὁ πάτρων ἐπερωτᾷ τὸν ἀπελεύθερον, οὐ παραχρῆμα, ἀλλὰ μετὰ παραγγελίας ἁρμόζουσι· πρὸς γὰρ τὸ συμφέρον τοῦ πάτρωνος χρεωστοῦ

XVI. [*l.* 17.] Neque enim auditur patronus, operas petens, quas libertus præſtare nequit per ætatem ſuam vel per infirmitatem, vel per quæ inſtitutum vitæ ejus & propoſitum minuitur.

XVII. [*l.* 18.] Propriis impenſis ac veſtimentis utitur libertus miniſtrans patrono: ſed egens a patrono alitur:

XVIII. [*l.* 19.] aut aliquas horas de die ſibi ipſe ad victum operatur.

XIX. [*l.* 20. *pr.*] Quod ſi nihil horum patronus facit, denegantur ei operæ: unus enim quisque quod promiſit, ſuis præſtat impenſis, donec quod debetur, in *rerum* natura eſt. [§. 1.] Libertus ad patronum proficiſci atque operari cogitur, ſi honeſte & induſtrie patronus peregrinatur: quoniam ſi per omnem locum errare voluerit, libertus eum ſequi non cogitur. Operas autem dierum itineris, quibus ad eum proficiſcitur, patronus perdit.

XX. [*l.* 21.] Ubi enim patronus degit, operæ ei dantur ſumtibus & vecturis ipſius patroni.

XXI. [*l.* 22. *pr.*] Tunc ſtipulatio de operis committitur, quum patronus quidem accipere eas voluerit, libertus autem in mora fuerit. [§. 1.] Liberis patroni, quando eorum mentio facta non fuit in ſtipulatione operarum, ſed per ſe, non per alios heredes ſcripti ſunt, eæ debentur. Si autem filium meum emancipatum exheredavero, & ſervum ejus heredem ſcripſero, repellitur filius ab operarum petitione, ſicuti *ipſe* patronus, qui operas non impoſuit aut eas deinde vendidit.

XXII. [§. 2.] In omni opera liberto ad curam ſui corporis tempus conceditur. [*l.* 23. *pr.*] Operæ pictoriæ ab aliis differunt: namque artificiales promittens, cogitur *eas* dare, quamdiu id artificium exercet. Et rurſus artificiales mihi aut Petro recte ſtipulor, eaſque libertus Petro ſolvens, liberatur. [§. 1.] Si multi patroni data opera ſe in multas regiones diviſerint, & ſimul liberto operas denuntiaverint, dies quidem procedit, ſed libertus non obligatur: quoniam ipſe eas dari non prohibuit; ſicuti quum illi ægrotanti denuntiatur. [§. 2.] Quod ſi diverſarum civitatium ſint patroni, & in iis degant, conſentire debent in præſtatione operarum: neque enim, ſi decem debeat operas, cogitur quinas præſtare, & alteri æſtimationem quinarum *perſolvere*.

XXIII. [*l.* 24.] Si ſpeciem operarum ſtipulatus fuero, velut fabrilem aut pictoriam, non aliter petuntur, niſi ſilentio præteritæ fuerint; nam tacitus ineſt dies: ſicuti quum Epheſi mihi dari ſtipuler: unde inutiliter ſtipulor dari mihi hodie centum operas pictorias. Tempus autem currere incipit ex tempore ſtipulationis. Operæ vero, quas patronus a liberto ſtipulatur, non e veſtigio, ſed poſt denuntiationem competunt: namque in patroni commodum operas dare debet,

13. τοῖς τέχναις MS. vid. num. 13. ſup. tit.
* V. Addenda.
14. Male intellexit Græculus, cum *præterita* ap. JCtum notet *operas, quarum tempus præteriit.*
*14. Apertius foret αὐτῶν, OAVRL.
15. μισθώσῃ reſcribendum.

τι διδόναι τὰς ὑπηρεσίας· ὅπερ ἐπὶ ζωγράφου ἢ τέκτονος οὐκ ἔχει χώραν.

ΚΔ. Ἐὰν ὁ πάτρων μέτριός ἐστι, καὶ ὁ ἀπελεύθερος ὀρχηστὴς ἢ μῖμος, μισθῶν τὰς ὑπηρεσίας αὐτοῦ, οὐ δοκεῖ μισθὸν ἐξ αὐτοῦ λαμβάνειν, ἀλλὰ τὰς ὑπηρεσίας. Καὶ οἱ ἰατροὶ ταῖς ὑπηρεσίαις τῶν ἀπελευθέρων [14] αὐτῶν, ἰατρῶν ὄντων, οὐκ ἄλλως κεχρῆσθαι δύνανται, εἰ μὴ διὰ τοῦ μισθοῦν αὐτάς· τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν λέγομεν. Ὁ δὲ δυνάμενος κεχρῆσθαι ταῖς ὑπηρεσίαις τοῦ ἀπελευθέρου, καὶ μισθῶν αὐτάς, μισθὸν ἐκ τῶν ὑπηρεσιῶν δοκεῖ λαμβάνειν· εἰ δὲ κατὰ παράκλησιν τοῦ ἀπελευθέρου [15] μισθώσει τὰς ὑπηρεσίας αὐτοῦ, οὐ μισθόν, ἀλλὰ τίμημα δοκεῖ λαμβάνειν τῶν ὑπηρεσιῶν.

ΚΕ. Ἰατρὸς ὢν ὁ πάτρων δύναται τοὺς ἀπελευθέρους αὐτοῦ ἰατροὺς ὄντας κωλύειν ἰατρεύειν, ἀλλὰ ἀκολουθεῖν αὐτῷ· ἵνα μέντοι συγχωρῇ αὐτοῖς τὰς μεσημβρινὰς ἡσυχάζειν ὥρας, καὶ φροντίζειν τῆς οἰκείας [16] ὑγίας τε καὶ ὑπολήψεως. Εἰ δὲ μὴ βούλονται δοῦναι αὐτῷ τὰς τοιαύτας ὑπηρεσίας, ὅσον ἐκ τῶν ὑπηρεσιῶν αὐτῶν ἠδύνατο κερδᾶναι ὁ πάτρων, τοσοῦτον αὐτοὺς ἀπαιτεῖ.

ΚϚ. Οἱ ἀπελεύθεροι ἰατροὶ καὶ μῖμοι οὐ μόνον τοὺς πάτρωνας, ἀλλὰ καὶ τοὺς φίλους αὐτῶν κατὰ κέλευσιν [17] αὐτῶν χρεωστοῦσι προῖκα τέρπειν καὶ ἰατρεύειν.

ΚΖ. Ἐὰν ἡ ἐπίκοινος ἀπελευθέρα γνώμῃ ἑνὸς τῶν πατρώνων γαμηθῇ, φυλάττεται τῷ ἄλλῳ τὸ δίκαιον τῶν ὑπηρεσιῶν.

ΚΗ. Ἐὰν προκατάρξωμαι κατὰ τοῦ ἀπελευθέρου μου περὶ τῶν ὑπηρεσιῶν καὶ ἀποθάνω· οὐ διαβαίνει ἡ ἀγωγὴ εἰς ἐξωτικὸν κληρονόμον· εἰς μέντοι υἱὸν καὶ προκατάρξεως μὴ γενομένης διαβαίνει, κἂν μὴ κληρονομῇ μου, μόνον εἰ μὴ γέγονεν ἀπόκληρος.

ΚΘ. Ἐὰν ἀπελεύθερος ὀμόσῃ δοῦναι ὑπηρεσίας, ὅσας ὁ πάτρων δοκιμάσει· οὐκ ἄλλως ἐνέχεται, εἰ μὴ τὸ δίκαιον σχοίη ἡ δοκιμασία· ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον γὰρ τοιαύτῃ διαθέσει τῇ ἑτέρου δοκιμασίᾳ ἐπιτρέπομεν, ὡς πιστεύοντες ὀρθῶς αὐτοὺς δοκιμάζειν. Ἡ κατὰ γνώμην τοῦ πάτρωνος γαμηθεῖσα περὶ τῶν πρὸ τοῦ γάμου ὑπηρεσιῶν ἐνάγεται.

Λ. Ὁ μὴ ἐπερωτηθεὶς ὑπηρεσίας, οὐκ ἀναγκάζεται παρασχεῖν αὐτάς, εἰ καὶ ἐπί τινα χρόνον [18] ἑκὼν παρέσχεν.

ΛΑ. Ὁ ἐπὶ τῷ βαρῆσαι τὴν ἰδίαν ἐλευθερίαν ἐπερωτώμενος τῷ πάτρωνι χρήματα, οὐ κατέχεται· εἰ δὲ ἀπαιτήσῃ αὐτὰ ὁ πάτρων, ἐκπίπτει τῆς κατὰ τῆς [19] αὐτοῦ διαθήκης ἐναντιώσεως.

ΛΒ. Οὐ δύναται ἐπιτίθεσθαι ὑπηρεσία τῷ ἀπελευθέρῳ, ἵνα αὐτὸς ἑαυτὸν τρέφῃ.

ΛΓ. Αἱ ὑπηρεσίαι καὶ αὔξησιν καὶ μείωσιν καὶ ἐναλλαγὴν ἐπιδέχονται· καὶ ὅτε γὰρ νοσήσει ὁ ἀπελεύθερος, αἱ προχωρήσασαι ὑπηρεσίαι ἀπόλλυνται. Καὶ ἡ ἀπελευθέρα ὁμολογήσασα ὑπηρεσίας, ἐὰν εἰς τοιαύτην ἀξίαν ἔλθῃ, ὡς ἀπρεπὲς εἶναι διδόναι αὐτάς, [20] ἰδίῳ δικαίῳ ἀπόλλυνται.
Καὶ ἡ μείζων τῶν πεντήκοντα ἐτῶν οὐ δίδωσιν ὑπηρεσίας.

ΛΔ. Οὐκ ἔρρωται κοινωνία ἐλευθερίας αἰτίᾳ γενομένη μεταξὺ πάτρωνος καὶ ἀπελευθέρου.

ΛΕ. Ὁ ἀπελεύθερος δύο παῖδας ὑπεξουσίους ἐσχηκώς, ἐλευθεροῦται τῶν ὑπηρεσιῶν καὶ [21] τῆς δωρεᾶς

bet, quod in pictore aut fabró locum non habet.

XXIV. [*l.* 25. *pr.* & §. 1.] Si patronus ſit mediocris, & libertus ſaltator vel hiſtrio, atque operas ejus locet, non videtur ex eo mercedem capere, ſed operas. [§. 2.] Et medici operis libertorum ſuorum, qui & *ipſi* medici ſunt, non aliter uti poſſunt, niſi eas locando. Idem & in aliis artibus dicimus. [§. 3.] Qui vero operis liberti uti poteſt eaſque locat, mercedem ex operis capere videtur: [§. 4.] ſed ſi rogatu liberti operas ejus locaverit, non mercedem, ſed pretium operarum accipere videtur.

XXV. [*l.* 26. *pr.*] Patronus medicus libertos ſuos medicos prohibere poteſt, ne medicinam faciant ſed ſequantur ſe: ut iis tamen permittat meridianis horis requieſcere & propriam valetudinem atque exiſtimationem curare. [§. 1.] Si vero has ei operas dare noluerint, tantum patronus eos poſcit, quantum ex operis eorum lucrari potuit.

XXVI. [*l.* 27.] Liberti medici ac mimi non modo patronos, ſed & amicos eorum juſſu ipſorum gratis debent delectare & curare.

XXVII. [*l.* 28.] Si liberta communis voluntate unius ex patronis nupſerit, alteri jus operarum ſervatur.

XXVIII. [*l.* 29.] Si litem conteſtatus fuero cum liberto meo de operis, & obiero; ad extraneum heredem actio non tranſit: in filium tamen tranſit etiam lite non conteſtata, licet mihi heres non ſit, dummodo non factus ſit exheredatus.

XXIX. [*l.* 30. *pr.*] Si libertus juraverit dare, quot operas patronus arbitratus ſit, non aliter obligatur, quam ſi æquitatem habeat arbitrium: ut plurimum enim ea mente alieno *quid* arbitrio permittimus, quod credimus eos recte arbitraturos. [§. 1.] Quæ ſecundum patroni voluntatem nupta eſt, de operis ante nuptias obligatur.

XXX. [*l.* 31.] Qui operas non promiſit, non cogitur eas præſtare, etſi aliquamdiu volens præſtitit.

XXXI. [*l.* 32.] Qui onerandæ libertatis ſuæ cauſa pecuniam patrono promittit, non tenetur: ſed ſi patronus eam exigit, excidit jure impugnandi teſtamentum illius.

XXXII. [*l.* 33.] Liberto opera imponi non poteſt, ut ipſe ſe alat.

XXXIII. [*l.* 34.] Operæ & augmentum & deminutionem & mutationem recipiunt: etenim quando libertus ægrotabit, operæ quæ *jam* proceſſerunt, pereunt: & liberta operas pollicita, ſi ad talem dignitatem venerit, ut indecorum *ei* ſit eas dare, ipſo jure pereunt: [*l.* 35.] & *liberta* major quinquaginta annis operas non præſtat.

XXXIV. [*l.* 36.] Non valet ſocietas libertatis cauſa facta patronum inter ac libertum.

XXXV. [*l.* 37. *pr.* §. 1. & 2.] Libertus qui duos liberos in poteſtate habuit, ab operis & dono cum

16. Habetne auctoritatem, ſicuti ὑγεία pro ὑγίεια?
17. Sic reſcribend. monuit quoque CAPPERON. MS. αὐτῷ.
18. ἑκὼν MS.
19 αὐτοῦ MS. Paullo ante ἐναντίωσις legendum.

20. Anacoluthi ſpecies, quam tranſponendo evitamus: ἰδίῳ δ' αὐτὰ, κ. τ. λ.
21. Vide quæ dixi num. 5. ſup. Paullo poſt ὑπηρεσιῶν legebatur.

δωρεᾶς τῆς μετὰ αἰτίας· καὶ εἴ τι προφάσει τῆς ἐλευθερίας ἐπηρωτήθη ἢ ὤμοσε παρασχεῖν, ὑπεξῃρημένου τοῦ παιγνιακὴν ἐπιδειξαμένου τέχνην, καὶ τοῦ μισθώσαντος ἑαυτὸν ἐπὶ τῇ πρὸς τὰ θηρία μάχῃ· εἰ καὶ μὴ ἐν τῷ αὐτῷ καιρῷ σχοίη τοὺς δύο ὑπεξουσίους. Εἰ δὲ καὶ ἕνα σχῇ πέντε ἐνιαυτῶν, ἐλευθεροῦται τῶν ὑπηρεσιῶν, καὶ οἱ τελευτήσαντες παῖδες συμβάλλονται αὐτῷ εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῶν μετὰ ταῦτα ἐπιτεθεισῶν ὑπηρεσιῶν· καὶ οἱ [22] ἐπιτεχθέντες συζεύγνυνται τοῖς προτελευτήσασιν εἰς τὸ ἐλευθερῶσαι τὸν πατέρα τῶν προεπιτεθεισῶν ὑπηρεσιῶν.
Καὶ ἀδιάφορον, εἴτε τῷ πάτρωνι ἐπηρωτήθη τὰς ὑπηρεσίας ἢ τοῖς ὑπεξουσίοις αὐτοῦ.
Εἰ δὲ προσκυρωθῇ τῷ δανειστῇ τοῦ πάτρωνος, εἰ μὲν ἤδη τῷ πάτρωνι γενόμενος ὑπόχρεος προσεκυρώθη, παιδοποιῶν ἐλευθεροῦται· εἰ δὲ ἐξ ἀρχῆς προσκυρωθεὶς τῷ δανειστῇ ἐπηρωτήθη, οὐκ ἐλευθεροῦται. Ὅτε δὲ ἐλευθεροῦται, οὐ μόνον τῶν μελλουσῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν παρελθουσῶν ἐλευθεροῦται, κἂν μετὰ τὴν προκατάρξιν ἐπαιδοποίησεν· εἰ δὲ καταδικασθῇ, οὐκ ἐλευθεροῦται, ὡς χρήματα λοιπὸν καὶ οὐχ ὑπηρεσίας χρεωστῶν. Μετὰ δὲ θάνατον αὐτοῦ τικτόμενος ὁ κυοφορούμενος οὐκ ἐλευθεροῖ τοὺς κληρονόμους αὐτοῦ· ζῶντος γὰρ αὐτοῦ ὀφείλει ἁρμόσαι ἡ ἐλευθερία· οἱ δὲ νόμιμοι παῖδες συμβάλλονται πρὸς ἐλευθερίαν. Καὶ ὁ ἐγγυησάμενος ἐπὶ ταῖς ὑπηρεσίαις τὸν ἀπελεύθερον, ἐλευθεροῦται, οὐ μὴν ὁ δοθεὶς παρ' αὐτοῦ [23] expromiſſor.

[Λϛ.] Ἐκεῖναι αἱ ὑπηρεσίαι δοκοῦσιν [24] ἐπιτίθεσθαι, ὡς χωρὶς κινδύνου καὶ αἰσχρότητος δυνατόν ἐστι δοῦναι· οὔτε γὰρ ὁ κυνηγὸς τὰς ἐκ τῆς πρὸς τὰ θηρία μάχης ὑπηρεσίας δίδωσιν, οὔτε ἡ πόρνη τὰς ἐκ τῆς πορνείας, εἰ καὶ μετὰ τὴν ἐλευθερίαν πόρον ἐκ τοῦ σώματος ποιεῖ. Ὁ δὲ τέχνην εἰδὼς, τὰς ἐξ αὐτῆς ὑπηρεσίας δίδωσιν, εἰ καὶ μετὰ τὴν ἐλευθερίαν αὐτὴν ἐδίδασκεν· εἰ δὲ ἀπέστη τῆς τέχνης, τὰς μὴ βλαπτούσας τὴν ἀξίαν αὐτοῦ δίδωσιν· οἷον τὸ συνάγειν τῷ πάτρωνι, τὸ συναποδημεῖν αὐτῷ, τὸ διοικεῖν τὰ πράγματα αὐτοῦ.

ΛΖ. Ἐὰν ἐπερωτήσω τὸν ἀπελεύθερόν μου· ὁμολογεῖς, ἐὰν μὴ δέκα ἡμερῶν ὑπηρεσίας παράσχῃς, εἴκοσι νομίσματα διδόναι μοι; [25] ἡ μὲν ἐπὶ τοῖς νομίσμασιν ἐπερώτησις ἄκυρός ἐστιν, ὡς ἐπὶ βάρει γενομένη τῆς ἐλευθερίας· αἱ δὲ ὑπηρεσίαι ἀπαιτοῦνται, καὶ οὐ δύναται ὁ ἀπελεύθερος αἰτεῖν, μὴ [26] καταδικασθεὶς εἰς πλέον τῶν εἴκοσι νομισμάτων, ὡς ἐμοῦ τοσούτου διατιμησαμένου αὐτάς· οὔτε γὰρ δύναται ἐν μέρει μὲν τὴν ἐπερώτησιν μέμφεσθαι, ἐν μέρει δὲ κυροῦν αὐτήν.

ΛΗ. Ὁ πάτρων πραθείσης τῆς οὐσίας αὐτοῦ, εἰ καὶ τρέφειν ἑαυτὸν δύναται, ἔχει ἀγωγὴν ἐπὶ ταῖς μετὰ διάπρασιν ὑπηρεσίαις, οὐ μὴν ἐπὶ ταῖς πρὸ τῆς διαπράσεως.

ΛΘ. Ἐλευθερούμενος τῶν ὑπηρεσιῶν ὁ ἀπελεύθερος, καὶ λαβὼν ἐλευθέραν τοῦ διατίθεσθαι ἐξουσίαν, χρεωστεῖ τιμὴν τῷ πάτρωνι, καὶ πενόμενον αὐτὸν [27] τρέφει.

Μ. Ἐὰν fideicommiſſαρίας ἐλευθερίας ἐάσω δούλῳ μου, ἐφ' ᾧ ἐπερωτηθῆναι τῷ κληρονόμῳ ὑπηρεσίας, οὐκ ἀναγκάζεται ἐπερωτᾶσθαι· εἰ δὲ καὶ ἐπερωτηθῇ, οὐκ ἐνέχεται.

ΜΑ.

cum cauſa liberatur: & ſi quid libertatis cauſa promiſit vel præſtare juravit, excepto eo qui ludicram artem exercet, quique ad pugnam cum beſtiis ſe locavit: etiamſi duos eodem tempore in poteſtate non habuerit. Sed & ſi unum habuerit quinquennem, liberatur ab operis; & defuncti liberi proſunt ei ad liberationem operarum poſtea impoſitarum: & qui adnaſcuntur, conjunguntur præmortuis ad patrem operis ante impoſitis liberandum. [§. 3.] Neque intereſt, utrum patrono per ſtipulationem operas promiſerit, an iis qui in ejus poteſtate ſunt. [§. 4.] Quod ſi creditori patroni delegatus fuerit, ſi quidem patrono jam obligatus, *poſtea* delegatus fuit, liberos procreans liberatur: ſed ſi ab initio delegatus creditori, *poſtea* promiſit, non liberatur. [§. 5. & 6.] Quando autem liberatur, non modo futuris ſed & præteritis *operis* liberatur, etſi poſt litem conteſtatam liberos ſuſtulerit: ſed ſi condemnatus fuerit, non liberatur, utpote pecuniam porro, non operas, debens. [§. 7.] Poſt obitum vero illius natus poſtumus non liberat heredes ejus: namque eo vivente liberatio competere debet: legitimi autem liberi ad liberationem proſunt. [§. 8.] Et qui pro liberto de operis fidejuſſit, liberatur, non vero datus ab eo expromiſſor.

[XXXVI. *l.* 38. *pr.*] Illæ operæ videntur imponi, quæ ſine periculo ac turpitudine dari poſſunt: neque enim beſtiarius operas pugnandi cum belluis dat, neque meretrix meretricias, etiamſi poſt manumiſſionem quæſtum corpore faciat. [§. 1.] Qui vero artem novit, operas ejus præſtat, licet eam poſt manumiſſionem didicerit: ſed ſi ab arte deſtiterit, *operas* honeſtatem ejus non lædentes præſtat; veluti commorari cum patrono, peregrinari cum eo, negotia ejus gerere.

XXXVII. [*l.* 39. *pr.* & §. 1.] Si a liberto meo ſtipulatus fuero: Promittiſne, ſi decem dierum operas non præſtiteris, viginti nummos mihi dare? de nummis quidem *facta* ſtipulatio inutilis eſt, ut in onus libertatis facta: ſed operæ *recte* petuntur, neque poteſt libertus poſtulare, ne condemnetur in plus quam viginti nummos, ac ſi ego eas tanti æſtimaſſem: neque enim ex parte incuſare poteſt ſtipulationem, & ex parte eam comprobare.

XXXVIII. [*l.* 40.] Patronus, venditis ejus bonis, etiamſi ſe alere poſſit, actionem habet operarum, *quæ* poſt venditionem, non autem earum *quæ* ante venditionem *præterierunt*.

XXXIX. [*l.* 41.] Libertus operis liberatus, & liberam teſtandi poteſtatem nactus, patrono honorem debet, eumque egentem alit.

XL. [*l.* 42.] Si libertatem fideicommiſſariam ſervo meo reliquero, *ea lege* ut heredi operas promittat, non cogitur promittere: ſed etſi promiſerit, non tenetur.

XLI.

22. Sic feci ex ſcripto ἐπιτεθέντες.
23. ἐκπρομίσσορ MS.
24. Forte ἐπιτίθεσθαι. Pro ὡς legebatur in MS. ἄν.
25. Sic reſtituo pro εἰ μὲν.
26. Lego καταδικασθῆναι.
27. τρέφειν MS.
28. Huc tranſpoſui comma, poſt πάτρωνος poſitum.
29. ποιοῦσι MS.
30. δωρεᾶς MS.
31. ἐπερωτᾶσθαι MS. unde & ἐπερωτηθῆναι corrigi poſſit.

ΜΑ. Ὁ χρεώστης ὑπηρεσίας [28], ἄνευ βλάβης τοῦ πάτρωνος οὐ στρατεύεται.

ΜΒ. Ἀπὸ τῆς ὑπερθέσεως τοῦ ἀπελευθέρου, ὁ ἐγγυητὴς αὐτοῦ κατέχεται· αὐτὸς μέντοι ὁ ἐγγυητὴς ἀπὸ τῆς οἰκείας ὑπερθέσεως οὐ βλάπτεται. Εἰ δέ τις ἐγγυήσηται δοῦναί μοι, ὃν κεχρεώστημαι δοῦλον, καὶ ὑπέρθεσιν [29] ποιήσῃ, κατέχεται.

ΜΓ. Εἰ μὴ βλάπτεται ὁ πάτρων, οὐ κωλύεται ὁ ἀπελεύθερος τὴν αὐτὴν αὐτῷ μετιέναι πραγματείαν ἐν τῇ αὐτῇ πόλει καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον.

ΜΔ. Ἡ ἀπελευθέρα παλλακευομένη ἢ νομίμως γαμουμένη τῷ πάτρωνι, τῶν ὑπηρεσιῶν ἀπαλλάττεται.

ΜΕ. Ὁ fideicommissάριος ἐλευθερούμενος οὐκ ἀναγκάζεται ὑπηρεσίας ἐπερωτηθῆναι, ἢ [30] δωρεὰς μετὰ αἰτίας. Εἰ δὲ τοῦτο εἰδὼς [31] ἐπερωτηθῇ, μεθοδεύεται· ἔδοξε γὰρ δωρεῖσθαι.

ΜϚ. Ὁ πάτρων καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ, καὶ ὁ ἔγγονος καὶ ὁ προέγγονος, συναινοῦντες τῷ γάμῳ τῆς ἀπελευθέρας, ἀπολλύουσι τὰς ὑπηρεσίας, εἰ μὴ ἄρα ὁ γάμος ἄκυρός ἐστιν. Ἡ μέντοι πατρώνισσα καὶ ἡ θυγάτηρ αὐτῆς καὶ ἡ ἐγγόνη [32] μένουσιν ἔχουσαι τὰς ὑπηρεσίας· σεμνῶς γὰρ καὶ παρὰ τῆς [33] γεγαμημένης ὑπηρετεῖσθαι δύνανται.

ΜΖ. Δύναται ὁ ἀπελεύθερος κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν διαφόρους ὑπηρεσίας δύο διδόναι πάτρωσι. [34] Τί γάρ, ὅτι ὁ μὲν τὴν φυλακὴν τῶν ἰδίων πραγμάτων ἐπέτρεψεν αὐτῷ, ὁ δὲ γράφειν βιβλιογράφῳ ὄντι.

ΜΗ. Ἁρμοδίως δεῖ τὰς ὑπηρεσίας δίδοσθαι πρὸς τὴν ὑπόληψιν καὶ ἀξίαν καὶ συνήθειαν καὶ ὑπόστασιν καὶ τέχνην τοῦ ἀπελευθέρου. Οὐ μόνος δὲ ὁ ἀπελεύθερος ἐργαζόμενος τῷ πάτρωνι τρέφεται παρ' αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ πᾶς ἄνθρωπος ἐργαζόμενος ἑτέρῳ· ἢ καιρὸν ἀρκοῦντα λαμβάνει πρὸς τὸ περιποιῆσαι τροφὴν ἑαυτῷ· καὶ παντὶ δὲ ἀνθρώπῳ ὑπηρεσίας παρέχοντι δεῖ χρόνον ἀρκοῦντα διδόναι πρὸς ἀναγκαίαν ἐπιμέλειαν τοῦ ἰδίου σώματος.

ΜΘ. Δύναταί τις καὶ χωρὶς τοῦ πατρωνικοῦ δικαίου ὑπηρεσίας ἔχειν· ὅπερ ἐπὶ ἀδελφοῖς συμβαίνει, ὧν τῷ ἑνὶ προσεκυρώθη ὁ ἀπελεύθερος· ἢ δύο πατρώνων ἀποθανόντων, τοῦ μὲν ἐπὶ υἱῷ, τοῦ δὲ ἐπὶ ἐγγόνῳ.

[ΚΩΔ. Β. ϛ. Τιτλ. γ.]

Ν. Δεῖ τὰς ὑπηρεσίας ἐν καιρῷ τῆς ἐλευθερίας [35] ἐπιτεθῆναι· εἴωθε δὲ μεταξὺ τῶν πατρώνων καὶ τῶν ἀπελευθέρων [36] συμφωνεῖσθαι, ἵνα δίδωταί τι ἀντὶ τῶν ὑπηρεσιῶν· οὐ λέγω τίμημα· εἰ γὰρ τίμημα ἦν, οὐκ ἠδύνατο ἀπαιτεῖσθαι· εἰ μὴ ἄρα πρὸς [37] ἀποτροφὴν ἰδίαν κατὰ τὸ ἀναγκαῖον δεῖται τοῦ τιμήματος τῶν ὑπηρεσιῶν ὁ πάτρων· [38] ὅτε γὰρ ὅλως ἄπορος εἴη, ἀναγκάζεται ὁ ἀπελεύθερος αὐτὸν ἀποτρέφειν.

ΝΑ. Ὁ λαβὼν δοῦλον ἐπὶ τῷ ἐλευθερῶσαι, οὐ δύναται οὐδὲ ὑπηρεσίας αὐτῷ ἐπιτιθέναι, οὔτε ἀχάριστον αὐτὸν φαινόμενον ἀναδουλῶσαι.

ΝΒ. Ὁ λαβὼν χρήματα παρά τινος ἐπὶ τῷ δοῦλον ἴδιον ἐλευθερῶσαι, ἐὰν ἀντὶ ὑπηρεσιῶν χρήματα ἔλαβεν παρὰ τούτου· εἴτε ἔτυχεν ὑπηρεσίας ἐπερω-

XLI. [*l.* 43.] Qui operas debet, ſine læſione patroni non militat.

XLII. [*l.* 44.] Ex mora liberti, fidejuſſor ejus tenetur: ipſi autem fidejuſſori ſua mora non nocet. Sed ſi quis fidejuſſerit, ſervum mihi dare, qui mihi debetur, & moram fecerit, tenetur.

XLIII. [*l.* 45.] Niſi patronus lædatur, libertus eamdem ac ille negotiationem in eadem urbe atque in eodem loco exercere haud prohibetur.

XLIV. [*l.* 46.] Liberta quæ *vel* concubina eſt patroni, vel legitime illi nupta, operis liberatur.

XLV. [*l.* 47.] Libertus fideicommiſſarius non cogitur operas promittere, aut dona cum cauſa. Sed ſi hoc ſciens promiſerit, convenitur: nam donaſſe videtur.

XLVI. [*l.* 48. *pr.* & §. 1.]. Patronus, & filius ejus & nepos & pronepos, nuptiis libertæ conſentientes, operas amittunt, niſi forte nuptiæ nullæ ſint. [§. 2.] Patrona tamen, & filia ejus & neptis [& *proneptis*,] operas retinent: honeſte enim etiam ab nupta miniſtrari his poteſt.

XLVII. [*l.* 49.] Poteſt libertus eodem tempore diverſas duobus patronis operas præſtare. Quid enim? ſi alter quidem rerum ſuarum cuſtodiam ei permiſit, alter vero ſcribere *juſſit*, quum librarius eſſet.

XLVIII. [*l.* 50. *pr.*] Operas dari oportet convenienter exiſtimationi & dignitati & conſuetudini & facultatibus & artificio liberti. [§. 1.] Non ſolus autem libertus patrono operas dans ab eo alitur, ſed omnis etiam homo alteri operans: aut tempus ſufficiens accipit ad alimentum ſibi quærendum. Et omni quoque homini operas præſtanti tempus ſufficiens dandum eſt, ad neceſſariam corporis ſui curam.

XLIX. [*l.* 51.] Poteſt quis etiam ſine jure patronatus habere operas: quod in fratribus evenit, quorum uni libertus fuit adſignatus; vel mortuis duobus patronis, altero filium, altero nepotem relinquentibus.

[COD. L. VI. Tit. 3.]

L. [*l.* 1.] Operas oportet manumiſſionis tempore imponi. Solet autem inter patronos ac libertos convenire, ut aliquid detur pro operis: non dico pretium; ſi enim pretium foret, peti non poſſet: niſi forte patronus ad ſuſtentationem ſui ex neceſſitate pretio operarum indigeat: quando enim prorſus inops fuerit, libertus eum alere cogitur.

LI. [*l.* 2.] Qui ſervum accipit ea lege ut manumittat, non poteſt neque operas ei imponere, neque eum viſum ingratum in ſervitutem revocare.

LII. [*l.* 3.] Qui pecuniam ab aliquo accepit, ut ſuum ſervum manumitteret, ſi pro operis pecuniam ab eo acceperit: ſive operas ſtipulatus ſit, ſive

32. καὶ προέγγονος hinc excidit.
33. γαμουμένης MS.
34. Τί γάρ, ὅτι rectius mihi videtur, & ſæpius in Theophilo ſic refinxi.
35. ἐπιτεθεῖναι MS.
36. συμφωνεῖσθαι MS.

37. Sic audacter reſcribo pro ſcripto ἀπογραφήν. Eamdem vocem habuimus ſupra κεφ. ϛ. Plura autem exempla exhibet *Gloſſarium Theophil.*
38. Unicum hunc verſiculum quomodo numeret & exhibeat Synopſis, diximus in princ. huj. tit.

ἐπερωτήσας, εἴτε καὶ μή· ὡς 39 χρεωστούμενον τὸ δοθὲν ἀναγκάζεται ἀναδοῦναι.

ΝΓ. Ἐὰν πάτρων ἐπερωτήσας ὑπηρεσίας 40 πέπρακε τὴν ἐνοχὴν τῶν ὑπηρεσιῶν τῷ ἀπελευθέρῳ, ἐπὶ τῷ ἐκεῖνον, ὡς βούλεται, διαθέσθαι· καλῶς ἀπαιτεῖ τὸ τίμημα· εἰ μὴ ἄρα ἐπὶ τῷ βαρῆσαι τὴν ἐλευθερίαν τὰς ὑπηρεσίας πέπρακε.

ΝΔ. Ὁ ἀπὸ fideicommiσσου ἐλευθερῶν ὑπηρεσίας ἐπερωτᾷν οὐ δύναται, εἰ μὴ ἄρα τοῦ καιροῦ ἐκείνου, οὗ ἐχαρίσατο. 41 Τί γὰρ ὅτι κελευσθεὶς ἐλευθερῶσαι μετὰ πέντε ἐνιαυτοὺς, ἠλευθέρωσεν αὐτὸν μετὰ ἐνιαυτόν; δύναται οὗτος τῶν τεσσάρων ἐνιαυτῶν τὰς ὑπηρεσίας ἀπαιτῆσαι. Πλὴν εἰ καὶ ὑπηρεσίας οὐκ ἀπαιτεῖ, ὅμως τὴν ἐποφειλομένην τῷ πάτρωνι τιμὴν ἔχει· καὶ ἐὰν ταύτην ὁ ἀπελεύθερος μὴ ἐπιγινώσκῃ, προσεισι τῷ ἄρχοντι, ὀφείλοντι ἁρμοδίως τὸν ἀπελεύθερον σωφρονίσαι.

ΝΕ. Οὐδὲ τοῖς ἐξωτικοῖς κληρονόμοις, οὐδὲ τοῖς ἀνδράσι τῶν πατρωνισσῶν ἀναγκάζονται οἱ ἀπελεύθεροι ὑπηρεσίας καταβαλεῖν.

ΝϚ. Ὁ ἰδίοις 42 νόμμοις ἀγορασθεὶς 43 οὐδὲ ὑπηρεσίας ἐπερωτᾶται, οὐδὲ ὡς ἀχάριστος ἐξορίζεται· πλὴν πάτρωνα ἔχει τὸν ἀγοράσαντα αὐτόν.

ΝΖ. Οὐδὲ τοῖς πάτρωσιν ἀντὶ τῶν ὑπηρεσιῶν μισθὸν λαμβάνειν ἔξεστι· κἂν τὰ μάλιστα αἱ 44 ἐπαγγελθεῖσαι ὑπηρεσίαι παρασχεθεῖσαι μὴ ὦσιν, 45 εἰς χρημάτων ἀπαίτησιν ἡ τῆς μὴ παρασχεθείσης ὑπηρεσίας διατίμησις τρέπεται.

ΝΗ. Ὅστις δὲ δύο παῖδας ὑπεξουσίους κἂν ἐν διαφόροις καιροῖς ἔσχεν, ἐκ τοῦ νόμου τῆς περὶ 46 γαμικῆς τάξεως τῆς ἐνοχῆς τῶν ὑπηρεσιῶν ἐλευθεροῦται.

ΝΘ. Ὁ πάτρων ὁ ἀγαγόμενος πρὸς γάμον τὴν ἀπελευθέραν, δουλείας ἐξ αὐτῆς οὐ δύναται λαβεῖν.

Ξ. Ἐὰν δοῦλος εἰωθὼς ἡμερήσιόν τι παρέχειν τῷ ἰδίῳ δεσπότῃ, λόγῳ τυχὸν τῆς καλουμένης 47 ἀναφορᾶς, ἐλευθερωθῇ παρ' αὐτοῦ οὕτως· ὁ δεῖνα ὁ ἐμὸς οἰκέτης ἔστω ἐλεύθερος μετὰ τρεῖς ἐνιαυτοὺς, ἐὰν παράσχῃ τοῖς ἐμοῖς κληρονόμοις, ἅπερ ζῶντος ἐμοῦ παρέχειν εἰώθει· μόνον ἕως τῆς ἡμέρας τῆς ἐλευθερίας ἀναγκάζεται παρέχειν, οὐ μὴν μετὰ τὴν ἐλευθερίαν.

ΞΑ. Ὁ μὲν ἀπὸ τῆς ἐλευθέρας 48 γενόμενος, εὐγενής ἐστιν· ὁ δὲ πάτρων συναινέσας ἀπελευθέρᾳ ἑτέρῳ γαμουμένῃ, ὑπηρεσίας μὲν οὐκέτι δύναται ἀπαιτεῖν· τὰ δὲ πατρωνικὰ δίκαια οὐκ ἀπόλλυσιν.

ΞΒ. Ὁ ἀπελεύθερος, ὅπου βούλεται, οἰκεῖ, καὶ οὐκ ἀναγκάζεται συνοικεῖν τοῖς τοῦ πάτρωνος παισίν· ὥσπερ οὐδὲ αὐτῷ τῷ πάτρωνι, εἰ μὴ ἄρα ἀχάριστος ὀφθεὶς κατεδουλώθη· τότε γὰρ λοιπὸν ὡς δοῦλος δεσπόταις ἀναγκάζεται συνδιάγειν.

ΞΓ. Ὁ τὸν ἀλλότριον ὑποδεξάμενος ἀπελεύθερον, ἐναγόμενος καὶ ἀποκαθιστῶν αὐτὸν, καὶ τὰς ὑπηρεσίας καταβαλλέτω.

* TIT.

sive non: ut *non* debitum, quod datum eſt, reddere cogitur.

LIII. [*l.* 4.] Si patronus operas ſtipulatus, operarum obligationem liberto vendidit, ut is quomodocumque velit, teſtari poſſit: pretium recte petit; niſi forte ad onerandam libertatem operas vendidit.

LIV. [*l.* 5.] Ex fideicommiſſo manumittens operas ſtipulari nequit, niſi ejus forte temporis, quod condonavit. Quid enim, ſi juſſus manumittere poſt quinque annos, eum manumiſit poſt annum? poteſt hic quatuor annorum operas petere. Ceterum etſi operas non petit, tamen debitum patrono honorem habet: &, ſi libertus hunc non præſtet, adit Præſidem, qui libertum convenienter admonere debet.

LV. [*l.* 10.] Neque extraneis heredibus, neque patronarum maritis liberti operas perſolvere coguntur.

LVI. [*l.* 7.] Suis nummis emtus neque operas promittit, neque ut ingratus deportatur. Sane patronum habet eum, qui ipſum emit.

LVII. [*l.* 6. *pr.*] Neque patronis pro operis mercedem accipere licet: quamvis maxime, *ſi* promiſſæ operæ præſtitæ non ſint, in pecuniæ petitionem æſtimatio operæ non præſtitæ vertatur.

LVIII. [*l.* 6. §. 1.] Qui vero duos liberos in poteſtate habuit, licet temporibus diverſis, ex lege de maritandis ordinibus operarum obligatione liberatur.

LIX. [*l.* 8.] Patronus qui libertam uxorem duxit, miniſteria ex ea capere non poteſt.

LX. [*l.* 9.] Si ſervus diurnum quid ſuo domino præſtare ſolitus, velut nomine ita dictæ penſionis, ab eo ſic manumiſſus ſit; Ille ſervus meus poſt tres annos liber eſto, ſi heredibus meis præſtiterit, quæ me vivo præſtare ſolebat: dumtaxat ad diem libertatis præſtare cogitur, non autem poſt libertatem.

LXI. [*l.* 11.] Ex libera quidem *muliere* natus, ingenuus eſt: patronus autem conſentiens libertæ alii *viro* nubenti, operas quidem haud amplius petere poteſt; ſed jura patronatus non amittit.

LXII. [*l.* 12.] Libertus, ubicumque vult, habitat, neque cogitur cum liberis patroni habitare: uti nec cum ipſo patrono, niſi forte ingratus viſus in ſervitutem redactus fuit: tunc enim deinceps ut ſervus cum dominis cogitur morari.

LXIII. [*l.* 13.] Qui alienum libertum receperit, ſi conveniatur eumque reſtituat, etiam operas perſolvat.

TITU-

39. Excidit οὐ vel μή.
40. Sic emendavit CAPPERON. pro πέπραχε.
41. Vide num. 34. h. t.
42. νόμμους MS.
43. οὐ διὰ MS.
44. Sic pro παραγγελθεῖσαι reſcripſit CAPPERON. Mox etiam ſcriptum fuerat παρασχεθεῖσαι.
45. Hic comma poſui, loco puncti poſt ὦσιν. Inſuper τρέφονται exſtabat in MS.
46. Proprie, *nuptiali ſ. matrimoniali ordine.*
47. Inter varias ἀναφορᾶς ſignificationes, quas Gloſſaria exhibent, hanc elegi, ut idem notet, quod Belgæ dicunt *opbrengen*. Conſului deinde per litteras Cognatum Erudiſſ. F. L. ABRESCHIUM, qui hæc reſpondit: „ De verſione vocis ἀναφορὰ tecum ſentio, nec rectius quam penſionis vocabulo reddi poſſe putem: niſi ob præcedens ἡμερήσιον addere velis *diurna*, aut etiam circumſcribendo vertere *penſionis præſtatio ſervi ſuo domino.* De voce ipſa nihil quod addam, habeo poſt accuratam Henr. Valeſii operam in Notis Mauſaci ad Harpocr. Lex. pag. 97. Herodoti locus, quem inter alia e Suida ibi citat, habetur L. II. c. 109. Platonis VII. Legg. p. 635. A. edit. Lugd. Idem nempe ἀναφορὰ, quod ap. Scriptores antiquiores ἀποφορά. Eranius Philo ἀναφορὰν exponit τὸ ὑποτεταγμένον ἄλλον τελούμενον τοῖς δεσπόταις; ut ἀποφορὰν Etymologicon MS. in Bibliotheca Trajectina. Ἀποφορὰ, ſcribit, μὲν γάρ ἐστι τὸ ὑποτεταγμένον τελούμενον τοῖς δεσπόταις. Utrumque emendatione indigere ſuſpicor, & utrobique legendum: Ἀπο-

[1] ΤΙΤΛΟΣ Δ.

περὶ [2] διακατοχῆς ἀπελευθέρων.

[ΠΑΝΔ. Βιβλ. ΛΗ. Τιτλ. β.]

Α. Οἱ πάτρωνες κατὰ τῶν ἀπελευθέρων τελευτώντων εἰς μέρος ἔχουσι [3] διακατοχήν.

Β. Ἐὰν ὁ πάτρων, πρὶν αἰτήσῃ κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν, ἀποθάνῃ ἢ παρέλθῃ ὁ χρόνος αὐτοῦ μὴ αἰτοῦντος· καλοῦνται οἱ παῖδες αὐτοῦ ἢ παῖδες ἑτέρου πάτρωνος ἐκ τοῦ νόμου. Εἰ δὲ καὶ γραφεὶς κληρονόμος ὁ πάτρων ἀποθάνῃ, ζῶντος τοῦ ἀπελευθέρου· ἔχουσιν οἱ παῖδες αὐτοῦ τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν· τὴν γὰρ τελευτὴν τοῦ ἀπελευθέρου παρατηροῦμεν· καὶ ἐὰν περίεστι τότε ὁ πάτρων, οὐ δύνανται οἱ [4] παῖδες αὐτοῦ ἐκ τοῦ μέρους τοῦ πρώτου αἰτεῖν διακατοχήν. Ὁ ἀγοράσας δοῦλον ἐπὶ τῷ ἐλευθερῶσαι αὐτὸν, ἔχει τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν· ὁ δὲ λαβὼν χρήματα καὶ ἐλευθερώσας, οὐκ ἔχει. Ἵνα ἁρμόσῃ ἡ κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσις, δεῖ τὴν κληρονομίαν ὑπεισελευθῆναι τοῦ ἀπελευθέρου, ἢ διακατοχὴν [5] αἰτηθῆναι κἂν ἐξ ἑνὸς κληρονόμου. Κατὰ τοῦ ἰδιοκτήτου πεκουλίου οὐ δίδοται τῷ πάτρωνι κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσις. Εἴτε ὁ πάτρων, εἴτε ὁ ἀπελεύθερος περιορισθῇ καὶ ἀποκαλεσθῇ, ἁρμόζει ἡ κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσις. Ὁ ὑπεξούσιος ἐλευθερῶν δοῦλον τοῦ ἰδιοκτήτου πεκουλίου, καὶ πάτρων ἐστὶ καὶ τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν ἔχει. Ἐὰν προσκυρωθῇ μοι ὁ ἀπελεύθερος, καὶ κεφαλικῶς αὐτοῦ κατηγορήσω· ἐγὼ μὲν ἐκπίπτω τῆς κατὰ τῆς διαθήκης αὐτοῦ ἐναντιώσεως, οἱ δὲ ἀδελφοί μου ἔχουσιν αὐτὴν, καὶ οἱ ἐξ ἄλλου ἀδελφοῦ παῖδες· οὐ γὰρ ἐπαύσατο εἶναι τῶν λοιπῶν ἀπελεύθερος [6] προσκυρωθείς μοι. Ὅθεν εἰ καὶ [7] παραιτήσωμαι τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν, αἰτῆσαι αὐτὴν ὁ ἀδελφός μου δύναται. Ὅτε μὴ γέγραπται κληρονόμος ὁ πάτρων εἰς τὸ κεχρεωστημένον μέρος, ἔχει τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν· εἰ δὲ ὑπὸ αἵρεσιν γραφῇ κληρονόμος, καὶ ἐξέλθῃ ζῶντος τοῦ διαθεμένου, ἢ μετὰ θάνατον αὐτοῦ πρὸ τῆς ὑπεισελεύσεως· οὐκ ἔχει τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν. Οὐ δοκεῖ δὲ αἵρεσις ἡ εἰς τὸν παρελθόντα χρόνον ἢ τὸν ἐνεστῶτα συγκειμένη· ἢ γὰρ γέγονε, καὶ οὐ δοκεῖ ὑπὸ αἵρεσιν γεγράφθαι· ἢ οὐ γέγονε, καὶ δοκεῖ μήτε [8] κληρονόμος γραφῆναι. Ἐὰν ὁ ἀπελεύθερος οὕτως διαθῆται· ἐὰν ὁ υἱός μου ζῶντός μου τελευτήσῃ, ὁ πάτρων ἔστω μου κληρονόμος· ἐξελθούσης τῆς αἱρέσεως ἐκ διαθήκης κληρονομεῖ, καὶ [9] οὐχ ὥρα τῇ κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντιώσει. Εἰ δὲ καὶ μὴ διὰ κληρονομίας, ἀλλὰ διὰ ληγάτου δοθῇ τὸ κεχρεωστημένον, ἀργεῖ ἡ κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσις. Καὶ ὅτε εἰς ἧττον μὲν γραφῇ κληρονόμος, ἀναπληρωθῇ δὲ διὰ ληγάτου ἢ fideicommiſſo, ἢ θανάτου [10] αἰτίᾳ δωρεᾶς· μιμεῖται

TITULUS IV.

De Succeſſione Libertorum.

[DIG. L. XXXVIII. Tit. 2.]

I. [*l.* 1.] PAtroni adverſus libertos defunctos ex parte bonorum poſſeſſionem habent.

II. [*l.* 2.] Si patronus, antequam bonorum poſſeſſionem contra tabulas petierit, mortuus ſit; aut tempus præteritum ſit, ipſo non petente: vocantur liberi ejus vel alterius patroni liberi ex lege. [§. 1.] Sed & ſi patronus heres ſcriptus obierit, vivente liberto, liberi ejus bonorum poſſeſſionem contra tabulas habent: namque mortem liberti ſpectamus: &, ſi patronus tunc ſupereſt, non poſſunt liberi ejus ex prima parte bonorum poſſeſſionem petere. [*l.* 3. §. 3. & 4.] Qui ſervum hac lege emit, ut eum manumittat, bonorum poſſeſſionem contra tabulas habet: ſed qui nummos accepit & manumiſit, non habet. [§. 5.] Ut bonorum poſſeſſio contra tabulas competat, liberti hereditatem oportet fuiſſe aditam, vel bonorum poſſeſſionem petitam, etiamſi ab uno heredum. [§. 6.] Adverſus caſtrenſe peculium patrono non datur bonorum poſſeſſio contra tabulas. [§. 7.] Sive patronus ſive libertus deportatus ſit ac reſtitutus, competit bonorum poſſeſſio contra tabulas. [§. 8.] Filiusfamilias ſervum ex peculio caſtrenſi manumittens, & patronus eſt, & bonorum poſſeſſionem contra tabulas habet. [§. 9.] Si mihi libertus adſignatus fuerit, eumque *ego* capitaliter accuſavero, ego quidem bonorum poſſeſſione contra tabulas excido, ſed fratres mei eam habent, & ex alio fratre liberi: nec enim deſiit aliorum eſſe libertus, qui mihi adſignatus fuerat. Unde etiamſi bonorum poſſeſſionem contra tabulas repudiavero, frater meus eam petere poteſt. [§. 10. 11. & 12.] Si patronus in debitam partem heres non eſt ſcriptus, bonorum poſſeſſionem contra tabulas habet: ſed ſi ſub conditione heres ſit ſcriptus, eaque evenerit vivo teſtatore, aut poſt mortem ejus ante aditionem: bonorum poſſeſſionem contra tabulas non habet. [§. 13.] Conditio autem non videtur, quæ in præteritum aut in præſens tempus confertur: aut enim evenit, & *ſic* neque ſub conditione videtur ſcriptus; aut non evenit, & *ſic* neque heres fuiſſe ſcriptus videtur. [§. 14.] Si libertus ita teſtetur: Si filius meus me vivo moriatur, patronus mihi heres eſto: exſiſtente conditione ex teſtamento ſit heres, nec locus eſt bonorum poſſeſſioni contra tabulas. [§. 15.] Sed & ſi non per hereditatem, ſed per legatum debita *pars* detur, ceſſat bonorum poſſeſſio contra tabulas. [§. 16. & 17.] Etiam, ſi in minorem *partem* heres ſit ſcriptus, ſed *ea* per legatum vel fideicommiſſum, vel mortis cauſa donatio-

„ Φορὰ (Ἀποφορὰ) (μὲν) γάρ ἐστι τὸ τεταγμένον ὑπὸ δούλου
„ τελῶμ. τ. δ.

48. γινώμ. MS.

TIT. IV.

1. Leuncl. ſic Rubricam edidit: Τιτλ. δ. διαλαμβάνει περὶ διακατοχῆς, ἣν ἔχουσιν οἱ πάτρωνες τῶν ἀπελευθέρων ἐπὶ τῇ ὑγείᾳ αὐτῶν, τὴν ἐναντίωσιν καλοῦντες κατὰ τῆς διαθήκης αὐτῶν ἐν τῷ γ. κεφαλαίῳ φησίν.

Adfert autem ex hoc tit. capitula ſex: γ. ε. ιγ. ιε. ιζ. & λα. quæ in noſtro mox invenies κεφ. γ. ε. ια. ιδ. [ιε.] & λγ. Fabrotus, qui plura non habet, numeros more ſuo ſic mutavit, ut cum Latino Juris Corpore concordarent; JCtorumque nomina præfixit.

2. Διαδοχῆς Leuncl. in margine reſcribit, quod in verſionem cum ipſo recepimus.

3. διὰ κατοχὴν. MS.

4. Correxit CARPZOV. pro ſcripto καί.

5. ἀιτηθῆναι καὶ MS.

6. ὁ addendum judico.

7. παραιτήσομαι MS.

8. κληρονόμους MS.

9. Defendant hanc lect. qui volent. Ego lego, οὐ χώρα, quod & infra num. 66. fecit CARPZOV.

10. ἀιτία hic & paullo poſt MS. pro quo αἰτίᾳ conjectabat CARPZOV.

μεῖται γὰρ τὰ ληγάτα. Εἰ δὲ καὶ μὴ ἐν θανάτου αἰτίᾳ δωρεά, τούτου δὲ σκοπῷ, ἐδόθη, ὡς ἀναπληρῶσαι τὸ λεῖπον ἀργεῖ ἡ κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσις. Τὰ δὲ διὰ πλήρωσιν αἱρέσεως [11] χάριν διδόμενα τῷ πάτρωνι, τότε λογίζεται αὐτῷ εἰς τὸ ἐποφειλόμενον, ὅτε τῆς οὐσίας εἰσὶ τοῦ ἀπελευθέρου. Τὸ ἐποφειλόμενον τῷ πάτρωνι μέρος πρὸς τὴν ἐν καιρῷ τελευτῆς οὐσίαν τοῦ ἀπελευθέρου σκοπεῖται· καὶ ἐάν τι κατὰ δόλον ἐξεποίησεν, οὕτως ἐστὶν ὡσανεὶ μὴ ἐξῆλθε τῆς οὐσίας αὐτοῦ.

Γ. Ο διὰ τὸ καταμηνῦσαι τὴν ἀναίρεσιν τοῦ ἰδίου δεσπότου [12] ἐλευθερούμενος, οὐδενός ἐστιν ἀπελεύθερος. Κατὰ τῆς διαθήκης τοῦ παρὰ τοῖς πολεμίοις ἀποθανόντος ἀπελευθέρου, δίδοται ἐναντίωσις· εἰ καὶ μὴ καλεῖται ἀπελεύθερος, ὡς ἐν δουλείᾳ τελευτήσας. Περιορισθεὶς πάτρων, ἐπειδὴ ἀντὶ ἀποθανόντος ἐστὶν, οὐκ ἀντίκειται τοῖς ἰδίοις τέκνοις εἰς τὸ αἰτῆσαι τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν· ὁ μέντοι παρὰ τοῖς πολεμίοις ὢν, διὰ τὴν ἐλπίδα τῆς ὑποστροφῆς, ἀντίκειται αὐτοῖς· Ἐὰν ἐξωτικὸν ἐνστήσηται ὁ ἀπελεύθερος, καὶ ἀξιώσῃ αὐτὸν ἀποκαταστῆσαι τὴν κληρονομίαν τῷ ἰδίῳ υἱῷ· ἀργεῖ ἡ κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσις· γίνεται γὰρ ὁ υἱὸς διὰ τοῦ νόμου κληρονόμος.

Δ. Ο ἀπελεύθερος γράφων τὸν πάτρωνα κληρονόμον εἰς τὸ νόμιμον, ὀφείλει τοὺς παῖδας αὐτοῦ τοῦ πάτρωνος ὑποκαθιστᾶν αὐτῷ· ἵνα, ἐὰν ἀποθάνῃ ἐν ζωῇ αὐτοῦ ὁ πάτρων, εὑρεθῇ τὸ ἱκανὸν ποιήσας αὐτοῖς. Ἐὰν ἐστὶν υἱὸς αὐτεξούσιος τοῦ πάτρωνος, καὶ ἔγγονος ἐξ αὐτοῦ μείνας ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τοῦ πάππου· μόνου τοῦ υἱοῦ προνοεῖν ὁ ἀπελεύθερος ὀφείλει. Ἐξ ὅσου δήποτε μέρους γράφων ὁ ἀπελεύθερος τὸν ἴδιον υἱὸν κληρονόμον, ἀποκλείει τὸν πάτρωνα τῆς κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντιώσεως. Ἐὰν ἀπελεύθερος γράψῃ τὴν θυγατέρα τοῦ πάτρωνος, καὶ ἡ διαθήκη ὡς πλαστὴ διαβληθῇ, καὶ [13] ἡττημένης τῆς ἐκκλήτου ἀποθάνῃ ἡ γραφεῖσα· τὰ αὐτὰ δίκαια ἔχουσιν οἱ κληρονόμοι αὐτῆς, ὅσα περιοῦσα αὐτὴ ἔμελλεν ἔχειν.

[E.] Ο υἱὸς τοῦ ἀπελευθέρου γραφόμενος παρ᾽ αὐτοῦ κληρονόμος καὶ ἀφιστάμενος, εἰ καὶ ἔχει τὸ ὄνομα τοῦ κληρονόμου, δίδωσι χώραν τῷ πάτρωνι κινῆσαι τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν. Τὸ αὐτό ἐστι, κἂν κληρονομήσας ἢ ἐμμίξας ἀποστῇ.

Ο πάτρων καὶ οἱ τοῦ πάτρωνος παῖδες ὑπεισελθόντες κατὰ γνώμην τοῦ ἀπελευθέρου τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ, ἢ ληγάτον ἢ Fideicommissον ἀπαιτήσαντες, ἐκπίπτουσι τῆς κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντιώσεως· ἄτοπον γάρ ἐστι, τὸν αὐτὸν ἐν μέρει μὲν ἀνατρέπειν τὴν γνώμην τοῦ τελευτήσαντος, ἐν μέρει δὲ κυροῦν· Εἰ δὲ μὴ ἔσχον ἀποτέλεσμα τὰ ληγάτα, οὐκ ἐμποδίζεται ἡ κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσις· οὔτε ὅτε ὁ πάτρων νομίσας εἰς τὸ κεχρεωστημένον γεγράφθαι [14] κληρονομήσῃ, καὶ εὑρεθῇ εἰς ἧττον γεγραμμένος· οὔτε εἰ ἐπὶ μαρτύρων μὲν ἠνώχλησε περὶ τοῦ ληγάτου, ὕστερον δὲ μεταμελήθη. Ἐὰν καταδέξηται τὸ ληγάτον ὁ πάτρων, καὶ ἢ ὅλον ἐκδικηθῇ ἢ μέρος αὐτοῦ, βοηθεῖται. Ἐὰν ἐπιγνῷ ὁ πάτρων τὸ καταλειφθὲν, τοῖς

nationem repleta fuerit: imitatur enim legata. [§. 18.] Sed etſi mortis cauſa donatio non fuit, ſed eo fine datum eſt, ut reliquum ſuppleat; ceſſat bonorum poſſeſſio contra tabulas. [§. 19.] Quæ autem ob conditionis impletionem patrono dantur, tunc in debitam ei partem imputantur, ſi ex patrimonio ſint liberti. [§. 20.] Pars patrono debita ad patrimonium liberti, quod mortis tempore fuit, refertur: & ſi quid per dolum alienavit, perinde eſt acſi ex patrimonio ejus non exierit.

III. [*l.* 4.] Qui propter detectam domini ſui necem manumittitur, nullius eſt libertus. [§. 1.] Adverſus teſtamentum liberti apud hoſtes defuncti, datur impugnatio, [*i. e. bonorum poſſeſſio*] etſi libertus non vocetur, quippe in ſervitute mortuus. [§. 2.] Patronus deportatus, quoniam pro mortuo eſt, non obeſt liberis ſuis ad petendam bonorum poſſeſſionem contra tabulas: verum qui apud hoſtes eſt, propter ſpem reditus, obſtat iis. [§. 3.] Si extraneum libertus inſtituerit, eumque rogaverit filio ſuo hereditatem reſtituere ceſſat teſtamenti impugnatio: nam filius per legem fit heres.

IV. [*l.* 5.] Libertus patronum pro legitima heredem ſcribens, ipſius patroni liberos ei ſubſtituere debet: ut, ſi ſe vivo patronus moriatur, illis ſatis feciſſe inveniatur. [§. 1.] Si filius exſtat patroni emancipatus, atque ex *eodem patrono* nepos, qui in avi poteſtate remanſit: ſoli filio proſpicere libertus debet. [*l.* 6.] Ex quantulacumque parte libertus ſuum filium ſcribat heredem, excludit patronum a bonorum poſſeſſione contra tabulas. [§. 1.] Si libertus patroni filiam inſtituerit, & teſtamentum ut fictum arguatur, at pendente adpellatione inſtituta deceſſerit: eadem jura heredes ejus habent, quæ ipſa ſuperſtes habitura erat.

[V. *l.* 5. §. 2.] Filius liberti heres ab eo ſcriptus & abſtinens, etſi nomen habet heredis, patrono locum dat petendi bonorum poſſeſſionem contra tabulas. [§. 3.] Idem eſt, etiamſi, poſtquam heres factus fuit aut *ſe* immiſcuit, abſtinuerit. [§. 4.] Patronus & patroni liberi ſecundum voluntatem liberti hereditatem ejus adeuntes, vel legatum aut fideicommiſſum petentes, excidunt bonorum poſſeſſione contra tabulas: [*l.* 7.] abſurdum enim eſt, eumdem ex parte quidem defuncti voluntatem ſubvertere, ex parte autem ratam habere: [*l.* 8.] ſi vero legata effectum non habuerint, non prohibetur teſtamenti impugnatio: neque, ſi patronus, putans ſe ex debita *parte* eſſe ſcriptum, adierit, & in minus fuiſſe ſcriptum, adparuerit: neque, ſi cum teſtibus *heredem* interpellavit de legato, ac poſtea pœnituit. [§. 1.] Si patronus legatum adgnoverit, & totum evictum ſit aut pars ejus, adjuvatur. [§. 2.] Si patronus adgno-

11. χάριν ſuperflue addidit interpres, non animadvertens, ſe Latinam voculam *cauſſa* jam reddidiſſe per διὰ.
12. ἐλευθερωθεὶς Leunel. ac F. qui præfixit Παυλ. Habent ſolum principium huj. legis.
13. ἡττ. MS.
14. κλ—σει MS.
15. ἀντία δωρεὰν MS.
16. Sic pro κοινῶς corr. CAPPER.
17. ἐπιπλ. conjunctim MS. Tum comma poſt αἱρέσ. poſitum alio tranſtuli.

τοὺς ὑπεξουσίους αὐτοῦ, ἐκπίπτει τῆς κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντιώσεως. Καὶ θανάτου [15] αἰτίᾳ δωρεὰν ἐὰν ἐπιγνῷ μετὰ θάνατον αὐτοῦ, οὐ μὴν εἰ ἔτι ζῶντος τοῦ ἀπελευθέρου· ἴσως γὰρ ἤλπισεν, ὅτι καὶ ἐν τῇ διαθήκῃ καταλιμπάνει αὐτῷ· [16] κινῶν δὲ τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν, ἄδειαν ἔχει ἢ τούτων ἀφίστασθαι, ἢ ὑπολογίσασθαι αὐτὰ εἰς τὸ νόμιμον. Ἐὰν δέ τι αὐτῷ δοθῇ [17] ἐπὶ πληρώσει αἱρέσεως μετὰ θάνατον τοῦ ἀπελευθέρου, ἀπωθεῖται. Ὁ πάτρων ἀφῆλιξ τὴν βούλησιν ἐπιγνοὺς τοῦ ἀπελευθέρου ἀποκαθίσταται, πρὸς τὸ δυνηθῆναι σχεῖν τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν.

Ϛ. Ὁ τὸν πατρῷον [18] ἀπελεύθερον δουλαγωγήσας, οὔτε ὀνόματι τῶν ἰδίων παίδων ἔχει τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν.

Ζ. Ἐὰν ἕνα τῶν πατρώνων εἰς ἧττον [19] τοῦ νομίμου γράψῃ ὁ ἀπελεύθερος, καὶ τὸν ἄλλον ὑπὲρ τὸ κεχρεωστημένον, γράψῃ δὲ καὶ ἐξωτικόν· ὁ τὸ ἧττον ἔχων [20] καὶ ἐκ τοῦ πλεονάζοντος τῷ ἄλλῳ καὶ ἐκ τοῦ ἐξωτικοῦ πληροῦται· τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ πολλῶν πατρώνων. Ἐὰν ὁ πάππος ἀπόκληρον ποιήσῃ τὸν ἔγγονον, κατὰ μὲν τῶν ἀπελευθέρων αὐτοῦ τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν οὐκ ἔχει, κατὰ δὲ τῶν [21] πατρῴων ἔχει. Εἰ δὲ ὁ πατὴρ αὐτὸν ἀπόκληρον ἐποίησε μόνος, οὔτε κατὰ τῶν παππῴων, οὔτε κατὰ τῶν πατρῴων ἔχει. Εἰ δὲ τὸν υἱὸν ὁ πάππος ἀπόκληρον ἐποίησεν, οὐ μὴν τὸν ἔγγονον, δύναται κατὰ τῶν παππῴων ἀπελευθέρων κινεῖν.
Εἰ δὲ ὁ πατήρ μου ἀπόκληρον [22] ποιήσῃ με, καὶ τὸν πατέρα μου ὁ πάππος, καὶ ἀποθάνῃ πρῶτος ὁ πάππος, πάντων [23] ἀπωθοῦμαι· εἰ δὲ ὁ πατήρ μου πρῶτος ἀποθάνῃ, τοὺς παππῴους διαδέχομαι.

Η. Ἐὰν δὲ ὁ πατήρ μου ἀπόκληρος γένηται παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ἐγὼ δὲ οὔτε παρ' αὐτοῦ, οὔτε παρὰ τοῦ πάππου μου· ἀποθνήσκοντος μὲν τοῦ πατρός μου ἔχω κατὰ τῶν ἀπελευθέρων ἑκατέρου τὴν κατὰ τῆς διαθήκης ἐναντίωσιν· περιόντος δὲ, εἰ μὲν ὑπεξούσιος αὐτοῦ εἰμι, κατὰ τῶν παππῴων οὐκ ἔχω· εἰ δὲ αὐτεξούσιος [24] γενόμην, ἔχω.

Θ. Εἰ καὶ ἀπόκληρος γένωμαι, ἔχω τὴν ἐναντίωσιν κατὰ τῆς διαθήκης τοῦ προσκυρωθέντος μοι. Ἐὰν μὴ κακῇ διαθέσει ἀπόκληρον ποιήσω τὸν υἱόν μου, οὐ βλάπτεται· τυχὸν γὰρ μεμηνὼς ἦν ἢ ἄνηβος, καὶ ἠξίωσα τὸν κληρονόμον ἀποκαταστῆσαι αὐτῷ. Ἐὰν ἀπόκληρος κατὰ περιπέτειαν τοῦ δικαστοῦ ἀποφανθῇ μὴ εἶναι ἀπόκληρος, οὐκ [23] ἀπωθεῖται· τῇ ψήφῳ γὰρ ἐμμένειν δεῖ. Βλάπτεται ὁ ἀπόκληρος υἱὸς, κἂν νικήσῃ τὸν ἕνα κληρονόμον διὰ τῆς ἐπὶ τῇ διαθήκῃ μέμψεως, ὑπὸ δὲ τοῦ ἄλλου ἡττηθῇ· ἔρρωται γὰρ ἡ διαθήκη.
Εἰ δὲ μήτε κληρονομηθῇ, μήτε διακατοχὴ αἰτηθῇ ἐκ τῆς διαθήκης, ἐν ᾗ ἀπόκληρος ἐγένετο ὁ υἱὸς, οὐ βλάπτεται· πρὸς πάντα γάρ ἐστιν ἀνυπόστατος. Ἐὰν ἐν τῷ πρώτῳ βαθμῷ γέγραπται κληρονόμος, καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ ἀπόκληρος· ἢ ἐν τῷ πρώτῳ ἀπόκληρος γένηται καὶ ὑποκαταστῇ τῷ κληρονόμῳ, οὐ βλάπτεται· καὶ καθόλου ἐν οἱῳδήποτε βαθμῷ γραφόμενος ὁ υἱὸς κληρονόμος, οὐ βλάπτεται, κἂν ἐν τῇ αὐτῇ διαθήκῃ ἀπόκληρος γένηται.

Καὶ

adgnoverit, quod iis relictum fuit, quos in poteſtate habet, excidit bonorum poſſeſſione contra tabulas. [§. 3.] Etiam mortis cauſa donationem ſi adgnoverit poſt mortem ejus, non ſi vivente adhuc liberto: forte enim ſperabat, fore ut & teſtamento ſibi relinqueret: ſed bonorum poſſeſſionem contra tabulas petens licentiam habet aut renuntiare iis, aut in legitimam ea computare. [§. 4.] Sed ſi quid ei datum fuerit ad implendam conditionem poſt mortem liberti, repellitur. [§. 5.] Patronus minor annis voluntatem liberti agnoſcens reſtituatur, ut poſſit contra tabulas bonorum poſſeſſionem habere.

VI. [*l.* 9.] Qui paternum libertum in ſervitutem petiit, neque liberorum ſuorum nomine contra tabulas bonorum poſſeſſionem habet.

VII. [*l.* 10.] Si unum ex patronis in minorem quam legitimam libertus ſcripſerit, & alterum ſupra debitam *partem*; itemque extraneum ſcripſerit: is qui minus habet, & ex eo quod alteri ſupereſt, & ab extraneo ſuppletur. Idem & in pluribus patronis. [§. 1.] Si avus nepotem exheredaverit, adverſus libertos quidem ejus bonorum poſſeſſionem contra tabulas non habet, ſed adverſus paternos *libertos* habet. Quod ſi ſolus eum pater exheredaverit, nec adverſus avitos nec adverſus paternos habet. Sed ſi avus filium exheredaverit, non vero nepotem, adverſus libertos avitos experiri poteſt. [§. 2.] Sin autem me pater meus exheredaverit, & patrem meum avus, priorque moriatur avus, ab omnibus repellor: ſed ſi pater meus prior moriatur, avitis *libertis* ſuccedo.

VIII. [*l.* 11.] Quod ſi pater meus exheredatus fuerit a patre ſuo, ego autem neque ab ipſo neque ab avo meo, moriente quidem patre meo adverſus libertos utriuſque bonorum poſſeſſionem contra tabulas habeo: eo autem ſuperſtite, ſi quidem in poteſtate ejus ſum, adverſus avitos non habeo; ſi vero emancipatus fui, habeo.

IX. [*l.* 12. §. 1.] Etiamſi exheredatus ſim, contra tabulas *liberti* mihi adſignati bonorum poſſeſſionem habeo. [§. 2.] Si filium meum non mala mente exheredavi, non læditur: forte enim furioſus erat aut impubes, & rogavi heredem ut ei reſtitueret. [§. 3.] Si exheredatus per judicis temeritatem pronuntietur exheredatus non eſſe, non repellitur: ſententia enim ſtandum eſt. [§. 4.] Obſtat filio exheredato, etſi unum heredem per querelam de teſtamento *inofficioſo* vicerit, ſed ab alio victus ſit: valet enim teſtamentum. [§. 5.] Si autem neque hereditas adeatur, neque bonorum poſſeſſio petatur ex eo teſtamento, in quo filius exheredatus ſit, non læditur: per omnia enim irritum eſt. [§. 6.] Si in primo gradu heres ſcriptus fuerit, & in ſecundo exheredatus; vel in primo exheredatus & heredi ſubſtitutus fuerit, non læditur: & in univerſum, in quotocumque gradu filius heres ſit ſcriptus, non læditur, etſi in eodem teſtamento exheres ſit factus.

[§. 7.]

18. ἀπελευθέρων MS. Idem huic cap. adponit F.
19. τοῦ μίμου MS.
20. Punctum minus hinc aliorſum tranſpoſui. Sed tam manifeſta diſtinctionum vitia tacite deinceps corrigam
21. πατρῴων & παππῴων ſine ιωτα MS. hic aliquoties: alibi tamen exprimit.
22. ποιῆσαι MS.
23. ἀπωθ. MS.
24. An γενόμην? CAPPERON. aut ἐγενόμην.

Καὶ ὁ ὑπεξούσιος καὶ ὁ αὐτεξούσιος δυνάμενοι κληρονομῆσαι τῷ πατρὸς καὶ μὴ θέλοντες, ἔχουσι κατὰ τῆς τοῦ ἀπελευθέρου διαθήκης τὴν ἐναντίωσιν.

I. Ἐὰν τὸν υἱόν μου ἀπόκληρον ποιήσω καὶ υἱὸν αὐτοῦ γράψω κληρονόμον· εἰ καὶ τὰ μάλιστα διὰ μέσου τοῦ ἐγγόνου γίνεταί μου ἀναγκαῖος κληρονόμος· ὅμως οὐκ ἔχει τὴν ἐναντίωσιν κατὰ τῆς διαθήκης τοῦ ἀπελευθέρου· εἰ γὰρ ὁ αὐτεξούσιός μου διὰ δούλου αὐτοῦ γένηταί μου κληρονόμος, οὐκ ἔχει τὴν ἐναντίωσιν κατὰ τῆς διαθήκης τοῦ ἀπελευθέρου μου.

IA. Ἐὰν ὁ πάτρων κεφαλικῶς κατηγορήσῃ τοῦ ἀπελευθέρου ἢ [25] δουλαγωγήσῃ αὐτόν· ἐκπίπτει τῆς κατὰ τῆς διαθήκης [26] ἐναντιώσεως. Ὁ δὲ ἀφῆλιξ κατηγορήσας ἢ δι' ἑαυτοῦ ἢ διὰ τοῦ ἐπιτρόπου ἢ τοῦ κουράτορος, συγγινώσκεται, [27] κἂν εἰ τέλειος γενόμενος κατεδικάσθη· οὔτε γὰρ ἠδύνατο τῆς κατηγορίας ἀποστῆναι, διὰ τὸ μὴ ἐμπεσεῖν εἰς τὸ κατὰ [28] συκοφαντῶν δόγμα· οὔτε ἄφεσις εὐχερῶς τοῖς βουλομένοις δίδοται· εἰ δὲ δημοσίας δοθείσης ἀφέσεως μείζων γενόμενος ἀνενεώσατο αὐτήν, [24] ἀπωθεῖται τῆς κατὰ τῆς διαθήκης [29] ἐναντιώσεως· ἠδύνατο γὰρ αὐτὴν ἀκινδύνως μὴ ἀνανεώσασθαι. Κεφαλικῶς [30] δὲ κατηγορεῖ ὁ κινῶν ἔγκλημα, ἐξ οὗ θάνατος ἢ πολιτείας ἔκπτωσις ἐπιφέρεται. Εἰ δὲ μὴ ἦν τοιοῦτο τὸ ἔγκλημα, ὁ δὲ δικαστὴς ὠμῶς ἢ ἀπείρως τὴν ποινὴν ηὔξησεν, οὐ βλάπτεται ὁ υἱὸς τοῦ πάτρωνος.
Εἰ δὲ καὶ μὴ κατηγόρησε μέν, ὑπέβαλλε δὲ τὸν κατήγορον, ἢ κατὰ τῆς κεφαλῆς ἐμαρτύρησε τοῦ ἀπελευθέρου, ἐκπίπτει. Ἐὰν ὁ υἱὸς τοῦ πάτρωνος, ὡς ἐπὶ τυραννίδι συκοφαντηθεὶς παρὰ τοῦ ἀπελευθέρου, αἰτήσῃ αὐτὸν τιμωρηθῆναι, ἢ [31] κατηγορουμένου ὑπ' αὐτοῦ τρέψει κατ' αὐτοῦ τὸ ἔγκλημα, συγγινώσκεται· ὥσπερ ὅτε τὴν ἀναίρεσιν τοῦ πατρὸς ἐκδικῶν κατηγορήσει, τυχὸν ἰατροῦ ὄντος ἢ κουβικουλαρίου, ἢ ἄλλως περὶ τὸν πατέρα ὄντος· ἀνάγκην γὰρ εἶχε διὰ τὸ μὴ ἐκπεσεῖν τοῦ κλήρου [32] συκοφαντητικῶς γοῦν κατηγορῆσαι.
Si tutor ſuſpectus poſtuletur, eumque abſentem quis defendere velit, & de rato cavet, & de judicato ſolvendo. Cautionem de rato dat, ne tutor reverſus ſuſpecti accuſationem retractare velit dicens, defenſorem illum non fuiſſe ſuum procuratorem. Cautionem de judicato ſolvendo itidem dat procurator, ne, forte, uti par eſt, probetur, tutorem ipſum pupillo debere. Sed non facile quis in perſona procuratoris ſuſpectus accuſabitur, quia famae cauſa agitur, id eſt, non cuivis licet ſuſpectum tutorem abſentem defendere, quia tutor famae diſcrimen ſubit, nec cuivis ejus defenſio permittitur, niſi ei ſoli, cui a tutore nominatim mandatum eſt, aut ſi, tutore abſente, quaſi non defenderetur, praetor cauſam erat cogniturus & ſententiam pronunciaturus.

DUBITATIO.

Sed forte dices, eum, qui defendere vult, infamiae quaeſtionem prorſus in ſe recipere, ne tutor infamia notetur: quoniam nemo, qui per procuratorem litigat, infamis fit; & defenſor inventus eſt ad declinandam infamiam, ut Ulpianus ait Tit. II. hujus Lib. Dig. 6. eum videlicet, qui totam cauſam per alium agit, non notari.

STEPHANI SOLUTIO.

Sed, quae dicta ſunt, tunc locum habent, ſi ſententia adverſus defenſores lata ſit, ut in furti, & ſimilibus actionibus. Nam in his neque procurator notatur non conventus ſuo nomine, neque principalis, quod condemnatio in eum non data eſt. Neque enim judex ex iis, quae a me agitata ſunt, pronuntiat, illum, id eſt, principalem aut furtum feciſſe, aut in depoſito dolo malo egiſſe: ſed potius id animadvertens definit, iſtum defenſorem adverſario tot aureos daturum. Hic vero non eſt actio mota, ſed extra ordinem agitatur ſuſpecti crimen, & condemnatio in principalem datur, & recte infamia notatur. Neque enim judex pronunciat, iſtum

[1] Ἐνταῦθα δὲ οὐκ &c.] Haec uſque ad ἀτιμοῦται ex ſchedis ſuis MStis laudat Ant. Quintanaduegna *de Jurisd. & Imper. pag.* 257. *Tom. II. Theſ. Jur. Civ. & Canon.* qui omnino ad hanc *Leg.* conferendus eſt.

[2] Οὔτε γὰρ ὁ δικαστὴς &c.] In margine MS. pro οὔτε legitur ὅτα. Sed plura hic mendis laborant; nec in promtu eſt medicina. Itaque dubito etiam, an Stephani mentem vertendo ſatis ſim aſſecutus.

σούσπεκτον, ἢ τῷ ἰδικὸν ἔχοντι περὶ τούτου μανδάτον, ἢ ὁπηνίκα μέλλει κατ' αὐτοῦ καὶ ἀπόντος ὁ ἄρχων, μὴ δεφενδεύεσθαι, ψηφίζεσθαι. Καὶ σημείωσαι, πότε τις διὰ προκουράτορος ἀγωνισάμενος ἀτιμοῦται.

iſtum tutorem ſuſpectum videri, niſi cum ſpeciale hac de re mandatum habet procurator, aut quando praetor de eo abſente, quaſi non defenderetur, eſt pronuntiaturus. Et obſerva, quando quis per procuratorem litigans infamia notetur.

ΤΟΥ ἘΝΑΝΤΙΟΥ.

Ὑπέξελε οὖν τὸ περὶ τοῦ σουσπέκτου εἰρημένον. Περὶ τῶν alieno nomine καταδικαζομένων ἀτιμοποιῷ ἀγωγῇ τιτλ. β'. τούτου τοῦ βιβλίου διγ. ϛ'. καὶ ἀνάγνωθι τὰ ἐν αὐτῷ παραγεγραμμένα.

ENANTIOPHANIS.

Excipe igitur, quod de ſuſpecto dictum eſt. De his, qui alieno nomine famoſa actione condemnantur, Tit. II. hujus Lib. Dig. 6. ibique lege Interpretationes.

Τὸ περὶ τῆς τῶν παίδων ἀγωγῆς δικαστήριον, οὐ κινεῖται διὰ ἐντολέως, εἰ μὴ ἔχει πρόσταγμα ἰδικὸν, καὶ ἢ ἄπεστιν ὁ πατὴρ, ἢ νοσεῖ, ἢ ἄλλως εὐλόγως ἐμποδίζεται.

Interdictum de liberis ducendis non movetur per procuratorem, niſi ſpeciale habeat mandatum, & vel pater abſit, vel valetudine, vel alia juſta cauſa impediatur. L. 42. pr.

ΣΧΟΛΙΟΝ.

Τὸ περὶ τῆς τῶν παίδων] Τὸ δὲ λίβερις ἐξιβένδις.

SCHOLIUM.

Interdictum de liberis ducendis] de liberis exhibendis.

ἙΡΜΗΝΕΙΑ.

Λέγει ὁ Πομπώνιος, μὴ δύνασθαί τινα πάσας διὰ προκουράτορος γυμνάζειν τὰς ἀγωγάς· ὥστε ἀμέλει τὸ de liberis exhibendis interdictum οὐ δύναται προκουράτωρ κινεῖν, ἵνα οἱ ὑπεξούσιοι παῖδες τοῦ ἀπεῖναι λεγομένου [1] ἐναχθεῖεν. Οὐ δύναται τοίνυν τὸ εἰρημένον ἰντέρδικτον προκουράτωρ κινεῖν, εἰ μὴ καῦσα κόγνιτα, καθά φησι ὁ Οὐλπιανὸς [2], τουτέστιν, εἰ μὴ ἰδικὸν ἔχει περὶ τούτου μανδάτον, καὶ ὁ πατὴρ ὁ ἐντειλάμενος αὐτῷ τὸ εἰρημένον interdictum αἰτῆσαι, ἢ ὑπὸ νόσου ἢ ὑπ' ἄλλης αἰτίας ἐμποδίζεται.

INTERPRETATIO.

Pomponius ait, non poſſe quem omnes actiones per procuratorem inſtituere. Sic procurator non poteſt deſiderare interdictum de liberis exhibendis, ut liberi, qui in abſentis poteſtate eſſe dicuntur, ducantur. Hoc igitur interdictum procurator deſiderare non poteſt, niſi cauſa cognita, ut ait Julianus, id eſt, niſi cum nominatim ei mandatum eſt, & pater, qui ipſi, ut hoc interdictum deſideraret, mandavit, vel valetudine, vel alia cauſa impeditur.

ΤΟΥ ἈΝΩΝΥΜΟΥ.

Περὶ τούτου διαλαμβάνει βιβλ. η'. τοῦ Κώδ. τίτλ. η'. καὶ βιβλ. μγ'. τίτλ. λ'.

ANONYMI.

De hoc interdicto tractat Lib. VIII. Cod. Tit. VIII. & Lib. XLIII. Tit. XXX.

Ἐὰν ἐπερωτᾷ διοικητὴς τὴν περὶ μελλούσης ἐν οἴκῳ ζημίας, ἢ τὴν περὶ λεγάτου ἀσφάλειαν, δίδωσι τὴν ἱκανοδοσίαν. Καὶ ὁ διεκδικῶν ἐπὶ τῇ ἐν αὐτῷ τῷ πράγματι ἀγωγῇ, δίδωσι τὴν ἐπὶ τῇ ἐκπληρώσει τῶν κριθησομένων ἀσφάλειαν, καὶ τὴν ἱκανοδοσίαν· εἰκὸς γὰρ ἡττωμένου τοῦ αὐτοῦ, καὶ διδόντος τὸ πρᾶγμα, τὸν διεκδικηθέντα ἐλθεῖν, καὶ δικάσασθαι περὶ αὐτοῦ τῷ νικήσαντι. Εἰ δὲ αὐτὸς ὁ ἀληθὴς ἐντολεὺς ἐδικάσατο, ἥρμοσε τῷ νικήσαντι κατὰ τοῦ κινοῦντος ἡ ἐκ τῆς ψήφου παραγραφή· ἅμα γὰρ κρίνεται τοῦ νενικηκότος εἶναι τὸ πρᾶγμα, κρίνεσθαι δοκεῖ μὴ εἶναι αὐτὸ τοῦ ἡττηθέντος.

Si ſtipuletur procurator damni infecti, vel legatorum, debet de rato cavere. L. 40. §. 1. 2. Is etiam, qui quaſi defenſor actione in rem convenitur, & de rato cavet, & de judicato ſolvendo. Forte enim victo eo, & rem cedente, is, cujus defenſor extitit, veniet adverſus victorem litigaturus. Si vero ipſe verus procurator cauſam ſuam egiſſet, competeret victori adverſus agentem rei judicatae exceptio. Nam cum judicatur rem victoris eſſe, ſimul judicatum videtur, rem ejus non eſſe, qui victus eſt.

ἙΡΜΗ- I N-

1 τοῦ ἀπεῖναι λεγομένου] Graeculus vertit, quaſi legiſſet in *L. 40. pr. Denique ut liberi, qui in poteſtate ejus ſunt, qui abſens dicitur, ducantur.*

2 Οὐλπιανὸς] Sic MS. obvio errore pro Ἰουλιανός.

ἙΡΜΗΝΕΙ´Α.

Ἐὰν ὁ προκουράτωρ ἐπερωτᾷ τὴν δάμνι ἰμφέκτι ἢ τὴν legatorum, ὀφείλει τὴν ratam rem ἱκανοδοσίαν διδόναι. Τάξιν γὰρ ἔχουσιν ἀγωγαὶ τοιαῦται ἐπερωτήσεις πραιτώριαι τυγχάνουσαι, καὶ ἐξ ἀνάγκης παρέχονται. Καὶ χρὴ τοῦ μανδάτου ἀμφιβαλλομένου, τὴν ratam rem ἱκανοδοσίαν παρέχεσθαι, ὡσαύτως καὶ ὁ τὴν in rem alieno nomine ὑποδεχόμενος, πρὸς τῇ συνηθισμένῃ τοῖς δεφενδεύουσιν ἰουδικάτουμ σόλβι, καὶ τὴν ratam rem παρέχειν ἱκανοδοσίαν ἀναγκάζεται, μάλιστα μὲν διὰ τὸν κανόνα τὸν λέγοντα, ὅτι ἐφ᾽ ᾧ θέματι ἐλπίζεται ὁ πρωτότυπος ἄκτωρ ἔσεσθαι, ἐπὶ τούτῳ καὶ ratam rem ἀπαιτεῖται ὁ προκουράτωρ, εἰ καὶ ὡς ῥέος ἀγωνίζεται. Τί γάρ, εἰ ἐν τούτῳ τῷ δικαστηρίῳ ἀποφάνθη ἐμὸν εἶναι τὸ πρᾶγμα· ἐπανελθὼν ἐκεῖνος, οὗτινος ἐγένετο δεφένσωρ, βούλεται τὸν ἀγρὸν ἐκδικῆσαι; Ἆρα οὐ δοκεῖ οὗτος μὴ κύριον ἡγεῖσθαι τὸ ἀποφανθέν; Μάλιστα μὲν οὖν, ὡς εἶπον, διὰ τὸν εἰρημένον κανόνα, τὴν συνηθισμένην ἰουδικάτουμ σόλβι διδοὺς ἱκανοδοσίαν ὁ ἀλιενόμινε τὴν in rem ὑποδεχόμενος. Ἔπειτα δὲ καὶ δι᾽ ἕτερον κανόνα τὸν λέγοντα, ὅτι ἐφ᾽ ᾧ θέματι ἐξεβάλλετο δι᾽ ἑαυτοῦ τὴν δίκην εἰπὼν καταδικασθεὶς, ἢ ὁ ἀληθὴς προκουράτωρ καταδικασθέντος, ἐπὶ τούτῳ ἀρνούμενος αὐτοῦ εἶναι προκουράτορα τὸν δεφενδεύσαντα αὐτόν, καὶ ἀληθῶς ἀρνούμενος, οὐκ ἐκβάλλεται παραγραφῇ. Καὶ εἰκότως ἐπὶ τοῦ παρόντος θέματος χρὴ καὶ τὴν ratam rem ἱκανοδοσίαν παρέχεσθαι, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν· ἔνθα ἐπανιὼν ὁ πρωτότυπος δύναται, ὡς ἄκτωρ, κινεῖν, εἴτε καὶ ἀγωνίζεσθαι, χρὴ τὸν δεφένσορα πρὸς τῇ ἰουδικάτουμ σόλβι καὶ τὴν ράτεμ ρὲμ ἱκανοδοσίαν διδόναι. Ταῦτα, ἐπειδὴ δίχα μανδάτου τὴν in rem ὑπεδέξατο. Εἰ γὰρ ἀληθὴς ἦν ὁ προκουράτωρ, ἢ καὶ αὐτὸς ὁ δεσπότης παρὼν ὑπεδέξατο τὴν in rem ἀναπαλαιῶν, ἢ αὐτὸς ὁ προκουράτωρ, ἢ ὁ πρωτότυπος, ἐκβάλλεται rei judicatae παραγραφῇ, καθά που φησὶ Ἰουλιανός. Καὶ οὐδὲν ποιεῖ, τὸν δικαστὴν οὕτως ἀποφαίνεσθαι· συνίστη δὲ τὸ πρᾶγμα μὴ εἶναι τοῦ ἐναχθέντος. Τοῦτο οὐδεμίαν οἶδεν εἰσάγειν διαφοράν. Ἐν γὰρ τῷ τὸν δικαστὴν ἀποφαίνεσθαι, δοκεῖ εἶναι τὸ πρᾶγμα τοῦ ἐναχθέντος, ὥστε καὶ ἐπὶ τοῦ praejudicio ὁ λέγων ἑαυτὸν δεφένσορα εἶναι τοῦ πρωτοτύπου, καλῶς ἀπαιτεῖται τὴν ratam rem. Ἐν τῷ δηλονότι μανδάτον οὐκ ἔχει, ἢ ἀμφιβαλλόμενον ἔχει μανδάτον, καὶ τὴν εἰς ἐλευθερίαν ἀναβοῶντα δοῦλον εἶναί φησιν. Εἰ γὰρ καὶ ῥέου τάξιν ἐπέχει κατὰ τὸν κανόνα τὸν λέγοντα, ὅτι ῥέος ἐστὶν ὁ τῇ παρούσῃ χαίρων καταστάσει, ἄκτωρ δὲ ὁ τὴν παροῦσαν κατάστασιν ἀνατρέψαι πειρώμενος, εἰκότως τὴν ράτεμ ρὲμ ἀπαιτεῖται. Δέος γάρ, μὴ ἐπανελθὼν ὁ πρωτότυπος, δουλαγωγήσῃ τοῦτον, πρὸς ὃν ὁ δεφένσωρ ἐδικάσατο, λέγων, ὅτι οὐκ ἦν μου προκουράτωρ. Τοῦτο δὲ αὐτὸ χώραν ἔχει ἐπὶ πάσης in rem ἀγωγῆς, καὶ ἐπὶ τῶν μιμουμένων τὴν in rem. Ἁπλῶς ἔνθα μὴ ἐλπίζεται ἰδικῶς ὁ πρωτότυπος περὶ αὐτοῦ τοῦ πράγματος, ἢ τοῦ δικαίου περιγένηται ζήτησις, κινεῖν ἐξ ὑπαρχῆς, καὶ ὡς ἄκτωρ ἀγωνίζεσθαι.

INTERPRETATIO.

Si procurator damni infecti, aut legatorum ſtipuletur, oportet eum de rato cavere. Nam hae actiones, cum ſtipulationes ſint praetoriae, ordinem habent, & ex neceſſitate dantur. Et ſi de mandato dubitatur, de rato cautio danda eſt, ſicut & is, qui actionem in rem alieno nomine ſuſcipit, praeter cautionem de judicato ſolvendo a defenſoribus praeſtari ſolitam, de rato etiam cavere cogitur, idque propter regulam, quae ait, quo caſu principalis ſe actorem futurum ſperat, in eo a procuratore etiam cautionem de rato exigi, licet tanquam reus litiget. Quid enim, ſi in hoc judicio rem meam eſſe pronuncietur; reverſus ille, cujus defenſor extiterat, fundum vindicare velit? Nonne videtur is non ratum habere, quod judicatum eſt? Potiſſimum igitur propter illam, quam dixi, regulam, is, qui actionem in rem alieno nomine ſuſcipit, praeter ſolitam *judicatum ſolvi*, etiam de rato cautionem praeſtat: Deinde etiam per aliam regulam, quae ſic ait, quo caſu repellitur, qui litem per ſe agens vel cujus verus procurator eſt condemnatus, in eodem caſu, ſi neget, illum, qui defendit, ſuum eſſe procuratorem, idque vere neget, non repellitur exceptione. Recte igitur hoc caſu de rato ſatisdari debet; & ſimpliciter dicendum eſt, quando reverſus principalis tanquam actor experiri vel litigare poteſt, defenſorem oportere praeter cautionem de judicato ſolvendo etiam de rato ſatisdare. Haec ita ſe habent, ſi absque mandato actionem in rem ſuſcepit. Nam ſi verus eſt procurator, vel ipſe etiam dominus praeſens ſuſcepit actionem in rem, litem redintegrans, ſive procurator hoc faciat, ſive principalis, rei judicatae exceptione ſummovetur, ſicut alicubi ait Julianus. Nec quicquam ad rem facit, judicem ita pronunciaſſe: *conſtat rem non eſſe rei conventi*. . . .

. . . .

. . . .

. . . . Si enim rei loco eſt ſecundum regulam dicentem, reum eſſe, qui praeſenti ſtatu gaudet, actorem vero, qui praeſentem ſtatum ſubvertere tentat, recte ratihabitionis cautio ab eo exigitur. Nam verendum eſt, ne principalis reverſus eum, contra quem defenſor litigavit, in ſervitutem abducat, dicens, eum non extitiſſe ſuum procuratorem. Hoc locum habet in quavis actione in rem, & aliis, quae hanc imitantur. Brevi, quando principalis non ſperat ſe de eadem re, ſi de jure quaeratur, ab initio experturum, aut tanquam actorem litigaturum.

ΤΟΥ͂ ἈΝΩΝΥ´ΜΟΥ.

Περὶ τοῦ δάμνι ἰμφέκτι κεῖται βιβλ. λθ΄. τίτλ. β΄.

ANONYMI.

De damni infecti cautione tractatur Lib. XXXIX.

1 τὴν συνηθισμένην ἰουδικάτου &c.] Interpres Graecus haud dubie ſcripſerat: πρὸς τῇ συνηθισμένῃ ἰουδικάτου σόλβι καὶ τὴν ratam rem διδόναι &c. quae Celeberrimi Scheltinga eſt conjectura.

β'. καὶ περὶ τοῦ λεγατόρουμ βιβλ. λϛ'. τίτλ. γ'. περὶ δὲ τοῦ ἰουδικάτον σόλουι καὶ τοῦ ράτουμ ρὲμ βιβλ. μϛ'. τίτλ. ζ'. καὶ η'.

τὴν ράταμ ρὲμ] Ἔνθα μὲν γὰρ καταβληθέντα ἐστὶ νομίσματα, περιττὸν τῷ νικήσαντι ἀπαιτεῖν τὴν ράταμ ρὲμ, αὐτοῦ ἀσφαλιζομένου ἐπὶ τῇ καταβολῇ. Οὐδὲ γὰρ δέος, μήπως ἐλθὼν ὁ πρωτότυπος ἀναπαλαίσῃ τὸ δικαστήριον, μή τινος πράγματος ὄντος σοι, οὗτινος δεσπότης ἦν αὐτὸς, φαινομένου. Ἔνθα δὲ πρᾶγμα ὑπεστιν, ἐπεὶ δέος, μή πως φαινομένου τοῦ πράγματος κινήσῃ τὴν in rem, καὶ ἀναπαλαίσῃ τὸ δικαστήριον, διὰ τοῦτο ἀπαιτεῖται ἡ ράταμ ρὲμ.

XXXIX. Tit. II. de legatorum cautione Lib. XXXVI. Tit. III. de cautione judicatum ſolvi, & rem ratam haberi Lib. XLVI. Tit. VII. & VIII.

ratam rem] Nam quando pecunia ſoluta eſt, ſuperfluum eſt, victorem exigere cautionem de rato, cum ſolutione ipſi ſit cautum. Neque enim verendum eſt, ne quando reverſus principalis judicium redintegret, cum nulla res apud te, cujus ille dominus eſt, appareat. Sed exiſtente re, (quod verendum eſt, ne quando ea apparente actionem in rem moveat, & judicium redintegret,) exigitur cautio de rato.

Μετὰ προκάταρξιν οὐκ ἀπαιτεῖται τὴν ἱκανοδοσίαν ὁ ἐντολεύς.

Poſt litem conteſtatam ſatisdatio a procuratore non exigitur. *L. 40. §. 3.*

ΣΧΟ'ΛΙΟΝ.

ἱκανοδοσίαν] τὴν ράταμ ρέμ. Ζήτει τὸ λέ. διγ. καὶ τίτλ. ε. διγ. ζ'.

SCHOLIUM.

Satisdationem] ratam rem haberi. Quaere Dig. 35. & Tit. V. Dig. 7.

ΤΟΥ͂ 'ΕΝΑΝΤΙ'ΟΥ.

Καὶ αὕτη γὰρ, καὶ ἡ ἰουδικάτον σόλουι, ἐν ἀρχῇ δίδονται, ὡς βιβλ. β'. τοῦ κώδ. τίτλ. νζ'. ἔστι δὲ ὅτε καὶ μετὰ προκάταρξιν δίδονται, ἐὰν ὁ περὶ τούτου δοθεὶς, εὑρεθῇ δοῦλος, ὡς βιβλ. β'. τίτλ. η'. διγ. η'.

ENANTIOPHANIS.

Et haec cautio, & illa de judicato ſolvendo in ipſo litis limine dantur, ut Lib. II. Cod. Tit. LVII. interdum etiam poſt litem conteſtatam, ſi is, qui fidejuſſit judicatum ſolvi, ſervus inveniatur, ut Lib. II. Tit. VIII. Dig. 8.

Οἱ ἄνευ ἐντολῆς κινοῦντες, προλήψει γνώμης τῶν κυρίων τῆς δίκης κινοῦσιν. Εἰ δὲ δειχθῇ μὴ θέλειν ἐκείνους κινεῖν αὐτοὺς, οὐ προσδέχονται, κἂν διδῶσι τὴν ἱκανοδοσίαν.

Hi, qui ſine mandato agunt, ex voluntate eorum, qui litis domini ſunt, agere praeſumuntur. Si vero probetur, eos contra voluntatem eorum experiri, non admittuntur, licet de rato ſatisdent. *L. 40. §. 4.*

'ΕΡΜΗΝΕΙ'Α.

Ἔγνως ἐν τῷ λέ. διγ. τὰ πρόσωπα τὰ δυνάμενα καὶ δίχα μανδάτου κινεῖν. Ἐπὶ τούτων οὖν τῶν προσώπων, ἐφ' ὧν οὐκ ἀπαιτοῦμεν μανδάτον, εἰ καὶ παρέχει τὴν ράταμ ρὲμ ἱκανοδοσίαν, φανερὸν δὲ εἴη καὶ ὡμολογημένον, αὐτοὺς παρὰ γνώμην τῶν πρωτοτύπων κινεῖν, προσήκειν εἰπεῖν, ἐκβάλλεσθαι αὐτοὺς τῆς τοιαύτης ἀγωγῆς. Διά τοι τοῦτο οὐκ ἀπαιτοῦμεν, ἵνα βούλησιν ἔχωσιν ἢ μανδάτον τῶν πρωτοτύπων, ἀλλ' ἵνα μὴ δειχθῶσι παρὰ γνώμην ἐκείνων κινοῦντες, εἰ καὶ προσφέρουσι τὴν ράταμ ρὲμ ἱκανοδοσίαν. Εἰ γὰρ δείκνυται τὸ ἐναντίον ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος ἐνάγεσθαι, ὅτι οὐ βούλεται ὁ πρωτότυπος τοῦτο κινῆσαι, οὐ δύνανται χρήσασθαι τῇ ἐναγωγῇ, μὴ βουλομένου δηλονότι τοῦ ρέου, κἂν τὰ μάλιστα τὴν ράταμ ρὲμ ἱκανοδοσίαν ἑτοίμως ἔχωσι προσκαταβαλεῖν. Σημείωσαι μεμνημένος τῶν ἀνωτέρω κατὰ τὸ παρὸν δίγεστον παραδεδομένων σοι· καὶ μὴ ἐναντιωθῇ σοι τὸ ζ'. διγ. τοῦ de negotiis geſtis, ἀλλὰ πρόσεχε τοῖς εἰρημένοις ἐν αὐτῷ τῷ διγέστῳ.

INTERPRETATIO.

Noſti ex Dig. 35. quae perſonae ſine mandato agere poſſint. In his autem, in quibus mandatum non exigimus, quamvis de rato ſatisdent, evidens autem ſit, eos contra principalium voluntatem experiri, dicendum eſt, debere eos ab agendo repelli. Ergo non exigimus, ut habeant voluntatem vel mandatum principalium, ſed ne contraria voluntas probetur, licet de rato offerant cautionem. Si enim de eo, qui experiri vult, contrarium probetur, eum invito domino agere, actione uti non poterit, renuente ſcilicet reo, quamvis vel maxime ratihabitionis ſatisdationem offerat. Nota haec, in memoriam revocans ea, quae ſupra ad hoc Dig. tradita ſunt: neque tibi obſtare credas Dig. 7. *de negotiis geſtis*, ſed potius attende ad ea, quae ibi dicta ſunt.

Αἱ θυγατέρες ὑπὲρ τῶν πατέρων κινοῦσιν, ὅτε διὰ νόσον ἢ γῆρας ἐμποδίζονται, καὶ οὐκ ἔχουσι τὸν ὑπὲρ αὐτῶν κινοῦντα.

Filiae pro parentibus agunt, ſi eos morbus aut aetas impediat, nec quemquam, qui pro iis agat, habeant. *L. 41.*

'ΕΡΜΗ- I N-

ἙΡΜΗΝΕΊΑ.

Τὰς γυναῖκας ἰσθ' ὅτι κινεῖν ὑπὲρ τῶν γονέων ἐπιτέτραπται, τουτέστιν, αἱ γυναῖκες τὴν τοῦ πατρὸς καὶ τὴν τῶν ἀνιόντων, οὐχ ὡς ἔτυχεν, ἀλλὰ καύσα γνωσθεῖσα δύνανται κινεῖν ἀγωγὴν, ὅταν τύχῃ ἢ νόσος ἢ γῆρας αὐτοῖς ἐμποδίζῃ, καὶ οὐκ ἔχωσί τινα, δι' οὗ δύνανται τὴν ἁρμόζουσαν αὐτοῖς κινεῖν ἀγωγήν.

INTERPRETATIO.

Feminas interdum pro parentibus agere permiſſum eſt, id eſt, feminae patris, & adſcendentium actionem, non temere, ſed cauſa cognita, movere poſſunt, ſi forte aut morbus aut aetas eos impediat, nec habeant, per quem actionem ſibi competentem inſtituere poſſint.

ΤΟΥ ἈΝΩΝΥΜΟΥ.

Καὶ ἄλλοις δύνανται διακατοχὴν αἰτεῖν, ὡς βιβλ. λζ'. τίτλ. ά. διγ. ζ'. καὶ ιέ. Ἔχεις δὲ καὶ ἄλλην ἐξαίρεσιν βιβλ. μ'. τίτλ. ιβ'. διγ. γ. Ἀνάγνωθι καὶ βιβλ. ις'. τίτλ. ά. διγ. β'. καὶ βιβλ. β'. τοῦ κώδ. τίτλ. ιγ'. διατ. ιή, ὅτι ἐν ἀπορίᾳ ἑτέρων, εἰς ἐλευθερίαν ἐκδικεῖ παῖδας καὶ γονεῖς καὶ ἀδελφοὺς, καὶ in rem ſuam ἀλλοτρίαν κινεῖ ἀγωγήν.

ANONYMI.

Femina quoque aliis bonorum poſſeſſionem petere poteſt, ut Lib. XXXVII. Tit. I. Dig. 7. & 15. Alia exceptio eſt Lib. XL. Tit. XII. Dig. 3. (Lege & Lib. XVI. Tit. I. Dig. 2. & Lib. II. Cod. Tit. XIII. Conſt. 18.) ſi, aliis deficientibus, in libertatem vindicet liberos, & parentes, & fratres, & in rem ſuam alienam moveat actionem.

ΤΟΥ ἘΝΑΝΤΙΟΥ.

Εἴρηται βιβλ. ις'. τίτλ. ά. διγ. β'. ὅτι οὐκ ἐπιτέτραπται, γυνὴν διφενδεύειν οὔτε τὸν ἴδιον ἄνδρα, οὔτε τὸν υἱὸν, οὔτε τὴν θυγατέρα, οὔτε τὸν πατέρα. Ἐν δὲ τῷ ά. διγ. τοῦ ί. τίτλ. τοῦ μθ'. βιβλ. φησιν, ὅτι καλῶς γυνὴ ὑπὲρ υἱοῦ ἐκκαλεῖται, καὶ ἐὰν θέλῃ, πρεπαρατεύει τὴν δίκην, καὶ οὐ δοκεῖ ἰντερκεδεύειν, εἰ καὶ τὰ μάλιστα τὴν ἀρχὴν διφενδεύειν οὐκ ἐδύνατο.

ὑπὲρ αὐτῶν κινοῦντα] Κατὰ γὰρ τὸν γενικὸν κανόνα γυνὴ οὐ προκουράτωρ ἔστιν, ὡς βιβλ. ν'. τίτλ. ιζ'. διγ. β'. εἰ μὴ in rem ſuam, ὡς βιβλ. β'. τοῦ κώδ. τίτλ. ιγ'. διατ. δ'.

ENANTIOPHANIS.

Dictum eſt Lib. XVI. Tit. I. Dig. 2. non permiſſum eſſe mulieri, defendere vel maritum, vel filium filiamve, vel parentem. Sed Dig. 1. Tit. V. Lib. XLIX. dicitur, recte mulierem pro filio provocare, &, ſi malit, litem praeparare, nec videri intercedere, licet ab initio defendere non potuerit.

qui pro iis agat,] Etenim ſecundum generalem regulam mulier procurator exiſtere non poteſt, ut Lib. L. Tit. XVII. Dig. 2. niſi in rem ſuam, ut Lib. II. Cod. Tit. XIII. Conſt. 4.

Ἐπὶ τῶν δημοσίων ἀγωγῶν οὐ δίδοται ἐντολεὺς, εἰ μὴ ἐπὶ τῆς τυμβωρυχίας, καὶ ὅτε τις κινεῖ τὸ περὶ βίας δημόσιον ζημιούμενος ἰδιωτικῶς.

In popularibus actionibus procurator non datur, praeterquam in actione ſepulchri violati, & quando quis de via populari actione experitur privato damno adſectus. L. 42.

SCHOLIUM.

δημόσιον] κεφ. μγ'. θέμ. γ'. ζήτει τοῦ μγ'. κεφ. τὸ β'. θέμ. καὶ βιβλ. θ'. τίτλ. ά. κεφ. μ'.

ζημιούμενος] ζήτει διγ. μέ.

SCHOLIUM.

populari actione] Cap. 43. them. 3. Quaere cap. 43. them. 2. & Lib. IX. Tit. I. cap. 40.

damno adſectus.] Quaere Dig. 45.

ἙΡΜΗΝΕΊΑ.

Ἐπὶ τῶν ποπυλαρίων ἀγωγῶν εἰ καὶ μὴ δύναται δίδοσθαι προκουράτωρ, ἐάν τις ὅμως δημόσιον ἐκαινοτόμησεν, ἀλλὰ καὶ ἐνεπόδισε τὸν γείτονα, φησὶ, ἢ καὶ ἄλλως αὐτὸν ἔβλαψε. Τί γὰρ, ὅτι ἔκτισέ τις ἐν δημοσίᾳ παρόδῳ, καὶ τὸ κτισθὲν κωλύει τοὺς παράγειν βουλομένους τὴν πάροδον, ἰδικώτερον δέ τις ἰδίῳ ἀγρὸν πλησιάζοντα; φησὶν, ὅτι ἐκ τῆς τοιαύτης κωλύσεως, τουτέστι, δι' ὧν κωλύεται διὰ τοῦ κτισθέντος χρήσασθαι τῇ δημοσίᾳ παρόδῳ, βλάπτεται περὶ τὸν οἰκεῖον ἀγρὸν, δύναται τὸ τηνικαῦτα ὁ τὴν πριβάτην ζημίαν ὑπομεμενηκὼς, ὡς ἰδικώτερον βλαβεὶς, διδόναι προκουράτωρα, τουτέστι, διὰ τὴν πιπυλαρίαν[1] ἀγωγὴν τότε δύναταί τις κινεῖν

INTERPRETATIO.

Quamvis in popularibus actionibus procurator dari non poſſit, admittitur tamen, ſi quis aliquid in publica via novet, & vicinum prohibeat, aut alio damno adficiat. Quid enim? ſi in publica via aedificavit, & quod aedificatum eſt, impedimento ſit hac via tranſire volentibus, aut ei, qui fundum vicinum poſſidet. Dicendum eſt, propter hanc prohibitiooem, ſive quod per id, quod aedrficatum eſt, publica via uti prohibetur, & damno adficitur circa proprium fundum, poſſe tunc eum, qui privarum damnum paſſus eſt, tanquam privatim laeſum, dare procura-

1 πιπυλαρίαν] Scribe, ποπυλαρίαν.

τῶν διὰ προκουράτωρος, ὅταν καὶ πριβάτη ὑπέστι ζημία, ὡς ἐπὶ τοῦ εἰρημένου θέματος. Πολλῷ δὲ πλέον καὶ τὴν ſepuleri violati, ἤγουν τὴν περὶ τυμβωρυχίας δύναται διὰ προκουράτωρος κινεῖν, ᾧ μάλιστα διαφέρει, τὸ μὴ ὑβρισθῆναι τὴν οὐσίαν τοῦ τελευτήσαντος.

curatorem, hoc eſt, popnlari actione tunc quis per procuratorem agere poteſt, quando privatum damnum ſubeſt, ut in dicto caſu. Multo magis ad ſepulehri violati actionem procuratorem is dare poteſt, cujus intereſt, defuncti rem non violari.

ΤΟΥ ἈΝΩΝΥΜΟΥ.

Περὶ τοῦ σεπούλκρι βιολάτι κεῖται βιβλ. μζ΄. τίτλ. ιβ΄. Ποῖαι δέ εἰσιν αἱ ποπουλαρίαι, μάνθανε τιτλ. ἔσχατον τοῦ μζ΄. βιβλ.

ANONYMI.

* De ſepulero violato tractatur Lib. XLVII. Tit. XII. Quae ſint populares actiones, diſcis Lib. XLVII. Tit. ult.

Καὶ ἡ ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ Κορνηλίου περὶ ὕβρεως ἀγωγὴ κινεῖται διὰ ἐντολέως· κἂν γὰρ διὰ τὴν κοινὴν χρησιμότητα εἰσήχθη ἡ τοιαύτη ἀπὸ τοῦ νόμου ἀγωγὴ, ὅμως· χρηματική ἐστιν.

Actio quoque injuriarum ex Lege Coroclia per procuratorem exerceri poteſt: Quamvis enim haec actio propter publicam utilitatem a lege introducta eſt, tamen privata eſt. L. 42. §. 1.

ἙΡΜΗΝΕΊΑ.

Ζήτει βιβλ. ξ΄. τίτλ. κα΄. κεφ. λζ΄. ἔνθα φησὶν, ὅτι καὶ ἀπὸ τοῦ Κορνηλίου νόμου περὶ ὕβρεως ἀγωγὴ χρηματικῶς κινεῖται, καὶ ἀποτιμᾶται δικαστικῶς τοῦ ἄρχοντος.

INTERPRETATIO.

Quaere Lib. LX. Tit. XXI. cap. 47. ubi dicitur, actionem injuriarum ex Lege Cornelia civiliter exerceri, coodemnatione aeſtimatione judicis facienda.

Ἀνάγνωθι ἰνστιτ. δ΄. τίτλ. δ΄. ἔνθα κεῖται ῥητῶς οὕτως· Οὐκ ἠμέλησεν [2] οὐδὲ ὁ Κορνήλιος νόμος περὶ ὕβρεως διαλεχθῆναι. Ἐπενόησε γὰρ καὶ αὐτὸς τὴν injuriarum, ἥτις ἁρμόζει, ὅταν ἐλεύθερος λέγῃ ἑαυτὸν αἰθηθῆναι, ἢ τυπτηθῆναι, ἢ ὅτι βίᾳ τις εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ.

Lege Inſt. Lib. IV. Tit. IV. ubi diſerte ſcriptum eſt: Neque Lex Cornelia de injuriis loqui neglexit. Nam & ipſa injuriarum actionem invenit; quae competit, ſi liber homo ſe pulſatum, verberatumve, vel domum ſuam vi introitam eſſe dieat.

ἌΛΛΗ ἙΡΜΗΝΕΊΑ.

Τὴν ἐκ τοῦ Κορνηλίου νόμου injuriarum δύναταί τις κινεῖν διὰ προκουράτωρος· εἰ καὶ τὰ μάλιστα ὑπὲρ τῆς κοινῆς αὐτὴν εἰσενήνοχε χρησιμότητος ὁ Κορνήλιος νόμος, ὅμως πριβάτη ἐστί. Τοῦτο δὲ [3] νόησον, ἔνθα χρηματικῶς ταύτην κινεῖ. Παραδίδοται γάρ σοι ἐν τῷ δ΄. τίτλ. τοῦ δ΄. τῶν ἰνστιτ. ὅτι τὴν injuriarum ἐγκληματικῶς μόνοις τοῖς ἰλλουστρίοις καὶ τοῖς ὑπὲρ αὐτοὺς ἐφεῖται καὶ διὰ προκουράτωρος κινεῖν καὶ ὑποδέχεσθαι. Ποία δέ ἐστιν ἐκ τοῦ Κορνηλίου νόμου iojuriarum, ἔγνως ἐν τῷ δ΄. βιβλ. τῶν ἰνστιτ. τίτλῳ τῷ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ.

ALIA INTERPRETATIO.

Actiooem injuriarum ex Lege Cornelia poteſt quis per procuratorem movere: quam etſi Lex Cornelia pro publica utilitate introduxit, tamen privata eſt. Hoc vero intellige, ſi civiliter eam exerceat. Nam Lib. IV. Inſt. Tit. IV. tibi traditum eſt, ſolis Illuſtribus, & qui his ſuperiores ſunt, permitti, actiooem injuriarum criminalem per procuratorem movere & ſuſcipere. Qualis vero ſit actio injuriarum ex Lege Cornelia, noſti ex Lib. IV. Inſt. Tit. IV.

ΚΥΡΙΛΛΟΥ.

Ἐπὶ τῆς injuriarum δίδοται προκουράτωρ· πριβάτη γάρ ἐστι.

CYRILLI.

Ad actionem injuriarum procurator datur: nam privata eſt.

ΤΟΥ ἈΝΩΝΥΜΟΥ.

Χρηματική ἐστι] Ὅτε χρηματικῶς ἰδιώτης αὐτὴν κινεῖ. Δύναται γὰρ καὶ ἡ ἀπὸ τοῦ Κορνηλίου κινεῖσθαι χρηματικῶς, ὡς βιβλ. μζ΄. τίτλ. ι΄. διγ. λζ΄. Μαρκιανοῦ. Καὶ εἰ ἀπὸ ἰλλουστρίων ἐστὶ καὶ ἄνω συγκλητικοὶ κινοῦσι διὰ προκουράτωρος ἐγκληματικῶς τὴν iojuriarum, ὡς ἰνστιτ. δ΄. τίτλ. δ΄. καὶ βιβλ. θ΄. τίτλ. λζ΄. διατ. ια΄.

ANONYMI.

privata eſt.] Si privatus ea civiliter experiator. Poteſt enim & actio injuriarum ex Lege Cornelia civiliter exerceri, ut Lib. XLVIII. Tit. X. Dig. 37. quod eſt Marciani. Qui ex Illuſtri & Senatorio ordine ſunt, actionem iojuriarum per procuratorem criminaliter movent, ut Inſt. Lib. IV. & Lib. IX. Tit. XXXVII. Conſt. 11.

Μετα-

Inter

1 χρηματική] Baſilica, ἰδιωτική.
2 Οὐκ ἠμέλησεν &c.] Haec Interpres ad verbum hauſit ex Theophili Paraphraſi.

3 Τοῦτο δὲ νόησον] Ex his paucula affert Ant. Quintaduegna *de Jurisd. & Imp. p. 257. Tom. II. Theſaur. Jur. Civ. & Canon.*

Μεταξὺ τῦ δεσπότυ καὶ τῦ ἐντολέως ἡ περὶ ἐντολῆς ἀγωγὴ τίκτεται, ἀλλ' ϰ πάντοτε· ὡς ἐπὶ τῦ δοθέντ☉ ἐν πράγμασι ἰδίῳ. Ἐὰν γὰρ πωλήσας κληρονομίαν, καὶ ἐκ προφάσεως [1] αὐτῆς ἐναχθεὶς, δώσω τὸν ἀγοραστὴν ἐντολέα, ὁμολογήσας ὑπὲρ αὐτῦ τὴν ἐπὶ τῇ ἐκπληρώσει τῶν κριθησομένων ἀσφάλειαν, καὶ παράσχω τὶ, ϰ κινῶ τὴν περὶ ἐντολῆς ἀγωγὴν, ἀλλὰ τὴν περὶ πράσεως.

ΣΧΟ'ΛΙΟΝ.

Αὕτη ἡ ἀγωγή κατὰ τ̃ ἀντιφωνέντων ἑαυτὺς κινεῖται.

ἀλλὰ τὴν περὶ πράσεως] Συνεφωνήθη γὰρ ἐν τῇ πράσει, πᾶσαν ἐπιγινώσκειν αὐτὸν ζημίαν ἀπὸ τ̃ κληρονομίας ἀναφυησομένην.

ἙΡΜΗΝΕΙ'Α.

Ἡ μεταξὺ τ̃ πρωτοτύπυ καὶ τ̃ προκυράτωρ☉ ἐνοχὴ τίκτειν τὴν μανδάτυ πέφυκεν ἀγωγὴν, ἐσθ' ὅτε δὲ ϰ τίκτεται μανδάτυ. Ἐὰν γὰρ in rem ſuam ποιήσας τινὰ προκυράτωρα, ὑπόσχη ὀνόματι αὐτῦ τὴν ἰυδικάτον σόλουι, εἰ καὶ καταβάλῃ τι ἐκ τ̃ τοιαύτης ἐπερωτήσεως, τὴν μὲν μανδάτυ κινεῖν ϰ δυνήσεται κατ' αὐτῦ, ἕξει δὲ τὴν ἀπὸ τ̃ συναλλάγματ☉ ἀγωγὴν, ὑπὲρ ὅτ☉ ἕνεκα συναλλάγματ☉ io rem ſuam ἐποίησεν αὐτὸν προκυράτωρα. Τί γὰρ, εἰ κληρονομίαν ἐκ τῷ πωλήσας, ἐξεχώρησεν αὐτῷ τὰς ἀγωγὰς, in rem ſuam ποιήσας αὐτὸν προκυράτωρα; Ἐνταῦθα γὰρ, ἐὰν κινήσαντές τινες περὶ πράγματ☉ hereditario, τὴν ἰυδικάτον σόλουι ὑπόσχῃ ὁ τὴν κληρονομίαν πωλήσας, καὶ καταβάλῃ τι προφάσει τ̃ ἐπερωτήσεως ταύτης, οὐκ ἔχει κατὰ τ̃ προκυράτωρ☉ τὴν μανδάτυ, ἀλλὰ τὴν ἀπὸ συναλλάγματ☉, τυτέστι, τὴν ἐξ βενδίτυ, δι' ἧς αὐτὸν ἀπαιτεῖ, ἅπερ ἐκ τ̃ ἰυδικάτυ σόλουι καταβαλεν. Ἐσθ' ὅτε δὲ καὶ ἐκ τ̃ παλαιᾶς αἰτίας, καὶ ἐκ τ̃ κατὰ δευτέραν τάξιν μανδάτυ, δυνάμεθα τὴν μανδάτυ κινεῖν. Τῦτο δὲ συμβαίνει, ἔνθα ὁ ἐγγυητὴς ἐναγόμεν☉ ὑπὲρ τ̃ πρωτοτύπυ, καὶ ἔχων κατ' αὐτῦ τὴν κοντραρίαν μανδάτυ, ἐντέλληται αὐτῷ διφενδεῦσαι ἐπὶ τῇ ἐκ τ̃ ἐγγύης ἐναγωγῇ, διδωκὼς ὑπὲρ αὐτῦ τὴν ἰυδικάτον σόλουι, καὶ καταδικασθέντ☉ τ̃ διφενδεύσαντ☉ αὐτὸν ῥέυ, ὑπόσχῃ τι ὁ ἐγγυητὴς, ὡς ἐπερωτηθεὶς ὑπὲρ αὐτῦ τὴν ἰυδικάτον σόλουι ἱκανοδοσίαν. Οὔτε γὰρ, ἐπειδὴ νῦν ἐνετείλατο αὐτῷ, διρέκταν μανδάτυ κινεῖ κατ' αὐτῦ, ἀλλ' ἐκ τ̃ προτέρας ἀγωγῆς κινεῖ τὴν κοντραρίαν μανδάτυ, τυτέστι, τὴν τεχθεῖσαν αὐτῷ, ὅτε τὴν ἀρχὴν ἐνετείλατο αὐτῷ ὁ πρωτότυπ☉ ἐγγυήσασθαι αὐτόν.

ΤΟΥ̃ ἘΝΑΝΤΙ'ΟΥ.

Ἀνάγνωθι βιβλ. κά. τίτλ. β'. δίγ. κά. καὶ ξϛ'. θέμ. γ'.

Ei

Ioter dominum & procuratorem mandati actio oaſcitur, ſed non ſemper: ut puta, ſi in rem ſuam procurator datus eſt. Si enim hereditatem vendiderim, & ejus occaſiooe conventus, emtorem dederim procuratorem, eo nomine judicatum ſolvi promittens, & ex ea promiſſione aliquid praeſtiterim, non mandati actione, ſed ex vendito ago. *L. 42. §. 2.*

SCHOLIUM.

Haec actio datur adverſus eos, qui ſe ipſos conſtituunt.

ſed ex veodito] Nam in venditione conſtitutum eſt, eum omne agniturum damnum, quod ex hereditate profecturum eſſet.

INTERPRETATIO.

Obligatio inter principalem & procuratorem mandati actionem parere ſolet: aliquando tamen non contrahitur obligatio mandati. Si enim in rem ſuam praeſtans procuratorem, eo nomine judicatum ſolvi promiſerit, licet aliquid ex ea promiſſione ſolverit, mandati actionem adverſus eum movere non poterit, ſed actionem ex contractu habebit, eujus cauſa eum in rem ſuam fecit procuratorem. Quid enim, ſi hereditatem vendens ei actiones ceſſerit, eumque in rem ſuam procuratorem fecerit? Tunc enim controverſia mota de re hereditaria, ſi hereditatis venditor de judicato ſolvendo caverit, & ex hac promiſſione aliquid ſolverit, contra procuratorem agit non actione mandati, ſed ex contractu, id eſt, ex vendito; qua actione repetit, quod ex ſtipulatione de judicato ſolvendo ſolvit. Interdum vero & ex priſtina cauſa, & ex ſecundo mandato actionem mandati inſtituere poſſumus. Hoc autem fit, ſi fidejuſſor pro principali conventus, & contra eum mandati contrariam habens, ipſi actionem ex fidejuſſiooe defendendam mandaverit, ſatisdans pro eo de judicato ſolvendo, & ſi condemnato reo, qui ipſum defendebat, aliquid praeſtiterit, tanquam ſtipulatus pro eo ſatisdationem de judicato ſolvendo. Neque enim, quod ei nunc mandavit, directa mandati adverſus eum experitur, ſed ex priſtina cauſa mandati contrariam inſtituit, hoc eſt, natam ipſi, eum ioitio principalis ei fidejuſſionem mandarit.

ENANTIOPHANIS.

Lege Lib. XXI. Tit. II. Dig. 21. & 66. them. 3.

Si

[1] ἐκ προφάσεως] In Baſilicis levi vitio ſcribitur, ἐκ προφήτευ. quod mirificam peperit Fabroti verſionem: *eum creditores hereditarii adverſus me agere occupaſſent.*

Εἰ δὲ ὁ ἐγγυητὴς παράσχῃ τὸν ἔνοχον ἤτοι τὸν ἐναγόμενον ἐντολέα, τὴν πρώτην ἀγωγὴν περὶ τῆς ἐντολῆς κινεῖ.

Si vero fidejoſſor reum dederit procuratorem, ex priſtioa cauſa maodati agit. L. 42. §. 2.

ΣΧΟ'ΛΙΟΝ.

Οὐδὲ γὰρ διότι ἐνετείλατο τῷ πρωτοτύπῳ ὁ ἐγγυητὴς, ἕξει κατ' αὐτοῦ ὡς ἐντολεὺς ὁ ἐγγυητὴς τὴν διρέκτον μανδάτου.

SCHOLIUM.

Neque enim, quod fidejuſſor principali mandavit, contra eum ut procurator directam mandati habebit.

Ὁ καθ' ὁμάδα ληγατάριος καλῶς δίδωσιν ἐντολέα τὸν ἀποκαταστήσαντα αὐτῷ τὸ λεγάτον· καὶ ὁ δανειστὴς τὸν δεδωκότα τὸ ἐνέχυρον.

Js, cui hereditas reſtituta eſt, recte dat procoratorem eum, qui ipſi hereditatem reſtituit; & creditor eum, qui ei rem pignori obligavit. L. 42. §. 3. 4.

'ΕΡΜΗΝΕΙ'Α.

Ὁ καθ' ὁμάδα φιδεικομμισσάριος καλῶς δίδωσι προκουράτορα τὸν ἀποκαταστήσαντα αὐτῷ τὴν κληρονομίαν· ὥσπερ ἂν καὶ ὁ δανειστὴς, ἑτέρου κατέχοντος τὸ ὑποτεθὲν αὐτῷ ἐνέχυρον, δύναται διὰ προκουράτορος τοῦ δανεισαμένου ἢ καὶ ὑποθεμένου αὐτῷ κινεῖν τὴν Σερβιανήν.

INTERPRETATIO.

Per univerſitatem fideicommiſſarius jure dat procuratorem eum, qui ipſi hereditatem reſtituit; ſicut etiam creditor, eum alius obligatum ei pignus poſſidet, agere poteſt Serviana per procuratorem debitorem, vel per eum, qui ipſi rem pignori obligavit.

Καὶ ὁ εἷς τῶν δύο ἐναγόντων καὶ ἐπερωτώντων ἀντιφωνηθεὶς, κινεῖ διὰ τοῦ ἑτέρου περὶ τοῦ δανείου· καὶ ὁ εἷς τῶν δύο ἐναγομένων ἐπερωτωμένων, δίδωσι τὸν ἄλλον διεκδικητήν.

Si uni ex duobus reis credendi cooſtitutum ſit, per alium in conſtitutam pecuniam agit: & unus ex duobus reis promittendi, alterum ad defeodeodum dat procuratorem. L. 42. §. 5.

ΣΧΟ'ΛΙΟΝ.

Ἐὰν ἑνὶ τῶν δύο στιπουλάνδι ἐναχθεὶς ὁ δεβίτωρ, μὴ τότε δύνασθαι καταβαλεῖν εἴπῃ, μετὰ δὲ τοῦτο ἑαυτὸν ἀντιφωνήσει ὁ δεβίτωρ, ἐπεὶ αὐτὸς οὐ δύναται κινεῖν, καθὸ ἔοικε τῷ λαβόντι, ὡς καὶ ὁ Ἀνώνυμος λέγει, προβάλλεται τὸν ἕτερον προκουράτορα, ὃς εἰ ἀπαιτήσει τὸ ὅλον ποσὸν, ἐνάγεται παρὰ τοῦ ἀντιφωνήσαντος.

SCHOLIUM.

Si uni ex duobus reis ſtipulandi debitor conventus dixerit, ſe tunc ſolvere non poſſe, & poſtea ſe ipſum conſtituerit, quoniam ipſe agere nequit, quod accipienti ſimilis eſt; (ſicut etiam Anonymus ait) alium dat procuratorem, qui ſi totam ſummam repetat, a conſtituente convenitur.

'ΕΡΜΗΝΕ'ΙΑ.

Ἐὰν ἑνὶ τῶν δύο ῥέων στιπουλάνδι ὁ κοινὸς δεβίτωρ ἀντιφωνήσῃ τὸ χρέος, δύναται ὁ ἀντιφωνηθεὶς τὸν ἕτερον ἐπὶ τῇ πεκουνίᾳ κωνστιτούτᾳ προβάλλεσθαι προκουράτορα· καὶ τὸ ἐναντίον, ὁ εἷς τῶν δύο ῥέων promittendi δύναται τὸν ἕτερον προκουράτορα πρὸς τὸ καὶ τὸ αὐτοῦ πρόσωπον διφενδεῦσαι.

INTERPRETATIO.

Si uni ex duobus reis ſtipulandi communis debitor conſtituerit debitum, is, cui conſtitutum eſt, alium in pecuniam conſtitutam procuratorem dare poteſt; & contra, ex duobus reis promittendi alter alterum poteſt ad defendendum procuratorem dare.

ΤΟΥ' 'ΑΝΩΝΥ'ΜΟΥ.

Ὁ γὰρ μὴ ἀντιφωνηθεὶς, ξένος λοιπὸν εἶναι δοκεῖ τοῦ πράγματος· ὁ γὰρ ἀντιφωνηθεὶς, ἔοικε τῷ λαβόντι. Καὶ ὁ δεβίτωρ διδοὺς τῷ μὴ ἀντιφωνηθέντι, ῥεπετίτ. Μένει γὰρ ἐνεχόμενος τῷ ἀντιφωνηθέντι, ὡς βιβλ. ιγ. τίτλ. ε. διγ. ι.

ANONYMI.

Cui non conſtitutum eſt, interim a negotio alienus videtur: nam cui conſtitutum eſt, is ſimilis eſt accipienti. Et debitor ſolvens ei, cui non conſtitutum eſt, repetit. Nam obligatus manet ei, cui conſtitutum eſt, ut Lib. XIII. Tit. V. Dig. 10.

Ἐὰν πολλοὶ [1] ἔχωσι τὴν περὶ διαιρέσεως κληρονομίας ἀγωγὴν, ἢ τὴν περὶ διαι-

Si plures heredes familiae herciſcundae, aut commoni dividuodo agant, plu- L. 42. §. 6.

[1] Ἐὰν πολλοὶ ἔχωσι &c.] Baſilica ita textum exhibent: Ἐὰν πολλοὶ ἔχωσι τὸ περὶ τοῦ διαιρέσεως τῆς φαμιλίας, ἢ τὸ περὶ τοῦ διαιρέσεως τῆς ἐπικοινωνίας, οὐ δύναν" &c.

διαιρέσεως τῶν ἐπικοίνων πραγμάτων, οὐ δύνανται οἱ πολλοὶ τὸν αὐτὸν διδόναι ἐντολέα διὰ τὰς προσκυρώσεις, καὶ καταδίκας. Εἰ δὲ ὁ εἷς τῶν κληρονόμων ἐπὶ πολλοῖς κληρονόμοις ἀποθάνῃ, δύναται παρασχεῖν ἕνα.

plures eundem procuratorem dare non poſſunt, cum propter adjudicationes, tum propter condemnationes. Si vero unus ex coheredibus deceſſerit, pluribus heredibus relictis, unum dare poſſunt.

ΣΧΟ'ΛΙΟΝ.

ζήτει βιβλ. θ'. τίτλ. ι'. κεφ. ε'. θέμα ἔσχατον.

προσκυρώσεις] ἀδιουδικατίονες.

εἰ δὲ ὁ εἷς τῶν κληρονόμων] Ἀνάγνωθι βιβλ. ι'. τίτλ. β'. διγ. μη'.

SCHOLIUM.

Quaere Lib. IX. Tit. X. cap. 5. them. ult.

ſi vero unus ex coheredibus] Lege Lib. X. Tit. II. Dig. 48.

ἙΡΜΗΝΕΙ'Α.

Ἐὰν πολλοὶ ὦσι κληρονόμοι, καὶ κινῆται μεταξὺ αὐτῶν τὸ φαμιλίας, καὶ τὸ κομμουνιδιβιδοῦνδο δικαστήριον, οὐ δυνατόν ἐστιν, ἵνα καὶ τὸν αὐτὸν ἐπὶ τῇ διαιρέσει τῶν κληρονομιαίων πραγμάτων δίδοσθαι παρὰ πάντων τῶν κληρονόμων προκουράτωρα, ἐπειδὴ μὴ δύναται διὰ τοῦ αὐτοῦ διαλυθῆναι τὸ πρᾶγμα, τουτέστι, γίνεσθαι τῶν πραγμάτων ἡ διαίρεσις. Πῶς γὰρ οἷόν τέ ἐστιν, ἵνα ἐκ τοῦ αὐτοῦ ὑποκειμένου προσώπου γίνεσθαι[1] καὶ ἀδιουδικατίονες; Ἕτερόν ἐστιν, εἰ τῶν κληρονόμων εἷς ἐτελεύτησε, πολλοὺς γράψας κληρονόμους. Δύνανται γὰρ οἱ παρὰ τοῦ ἑνὸς τῶν κληρονόμων γραφέντες κληρονόμοι, κἂν πολλοὶ ὦσιν, ἕνα διδόναι προκουράτωρα, τὸν ὀφείλοντα διελύσθαι μετὰ τῶν συγκληρονόμων τοῦ τελευτήσαντος τὰ πράγματα τῆς κληρονομίας τῆς ἐπὶ τοῦ τελευτήσαντος καὶ τοὺς κληρονόμους αὐτοῦ κατενεχθείσης, ἐπειδὴ ἐνταῦθα πάντες οἱ τοῦ τελευτήσαντος κληρονόμοι, ἑνὸς κληρονόμου τάξιν ἐπέχουσι, καὶ οὔτε δύνανται κατατέμνειν τὴν δίκην, καὶ προ ῥεδιταρία πάρτε κινεῖν ἐκ προσώπου τοῦ τελευτήσαντος, τὸ φαμίλιαι ἐρκισκοῦνδαι δικαστήριον πρὸς τοὺς συγκληρονόμους αὐτοῦ, ἀλλ' ἢ πάντες κοινῶς κινοῦσιν, ἢ ἕνα προβάλλονται προκουράτωρα, ὡς ὁ Παῦλος ἐν τῷ ς'. τῶν de judiciis βιβλ. τίτλ. β'. διγ. μη'. φησί.

INTERPRETATIO.

Si plures heredes ſiot, & familiae ereiſcundae aut communi dividundo judicium inter eos moveatur, non eſt permittendum, unum eundemque ad res hereditarias dividondas ab omnibus heredibus dari procuratorem, quia per eum res non poteſt expediri, id eſt, rerum diviſio fieri. Quomodo enim in una eademque perſona condemnationes & adjudicationes fieri poſſunt? Aliud eſt, ſi nnns ex coheredibus deceſſerit, ploribus heredibus relictis. Poſſunt enim heredes ab uno coheredum inſtitnti, licet plures ſint, unum dare procuratorem, qui cum defuncti eoheredibus dividat rea hereditatis defuncto ejusque heredibus delatae, quoniam hic omnes defuncti heredes unius heredis loeum obtinent, neque judieium ſcindere poſſunt, nec pro hereditaria parte ex defuncti perſona adverſus ejus coheredes agere judicio familiae ercifcundae, ſed vel omnes communiter agunt, aut unum dant procuratorem, ut Paulus ait Lib. VI. eorum, qui ſunt *de Judiciis*, Tit. II. Dig. 48.

ΤΟΥ ἘΝΑΝΤΙΟΥ.

Καί τοι εἷς ἐπίτροπος δύναται πολλοῖς ἀνήβοις συναινεῖν τὴν πατρῴαν κληρονομίαν διαιρουμένοις, ὡς βιβλ. κς'. τίτλ. η'. διγ. κ'.

ENANTIOPHANIS.

Atqui unus tutor pluribus impuberibus paternam hereditatem dividentibus auctor fieri poteſt, ut Lib. XXVI. Tit. VIII. Dig. 20.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

Εἴρηται βιβλ. κς'. τίτλ. η'. διγ. ιε'. ὅτι ἐὰν ὁ αὐτὸς ἐπίτροπος ᾖ τοῦ ἐνάγοντος καὶ τοῦ ἐναγομένου, μία συναίνεσις αὐτοῦ πρὸς ἑκάτερον ἀρκεῖ, εἰ τοιαύτῃ γνώμῃ συναίνεσε. Δύναται δὲ καὶ παρ' ἑαυτοῦ δανείζεσθαι ἐκ τῶν χρημάτων τοῦ πουπίλλου, καὶ γίνεται αὐτῷ τῷ δανεισμῷ ὑπεύθυνος, ὡς διγ. θ'. καὶ νγ'. τοῦ ζ'. τίτλ. τοῦ κς'. βιβλ. Περὶ δὲ τοῦ μὴ δύνασθαι τὸν αὐτὸν ὀφφίκια πολλὰ πληροῦν, εἴρηται βιβλ. λς'. τίτλ. α'. διγ. ιγ'. ὅτι ἐὰν πραίτωρ γραφῇ κληρονόμος, καὶ λέγει τὴν κληρονομίαν ὕποπτον, οὐ δύναται ἑαυτὸν ἀναγκάζειν ἀδιτεῦσαι. Οὔτε γὰρ ὀφφίκια τρία δύναται πληροῦν, καὶ λέγοντος ὕποπτον τὸν κλῆρον, καὶ ἀναγκάζειν, καὶ ἀναγκάζεσθαι. Εἴρηται καὶ βιβλ. α'. τίτλ. ι'. διγ. α'. ὅτι ὁ ὕπατος καὶ παρ' ἑαυτῷ δοῦλον ἴδιον ἐλευθεροῖ. Ὅμοιον βιβλ. μ'. τίτλ. β'.

EJUSDEM.

Dictum eſt Lib. XXVI. Tit. VIII. Dig. 15. ſi idem & actoris & rei tutor ſit, unam ejus auctoritatem ad utrumque ſufficere, ſi eo animo auctor factus eſt. Poteſt vero & apud ſe ipſum pecuniam pupillarem foeoori dare, & hoc nomine obligatur, ut Dig. 9. & 53. Tit. VII. Lib. XXVI. Eundem vero pluribus officiis fungi non poſſe, dictum eſt Lib. XXXVI. Tit. I. Dig. 13. veluti ſi praetor heres inſtitutus ſit, ſuſpectamque hereditatem dicat, non poteſt ſe ipſum cogere eam adire. Neque enim triplici officio fungi poteſt, & hereditatem ſuſpectam dieentis, & cogentis, & coacti. Dictum eſt quoque Lib. I. Tit. X. Dig. 1. Conſulem & apud ſe ſervum ſuum maoumittere. Similiter Lib. XL. Tit. II.

1 καὶ ἀδιουδικατίονες] Reſtitue, καταδίκας καὶ ἀδιουδικατίονες.

β΄. διγ. ιθ΄. ζήτει βιβλ. μβ΄. τίτλ. γ΄. κεφ. μή. ἔνθα κεῖται· Ἐὰν ἐν τῷ περὶ ὁροθεσίων ἢ τῷ διαιροῦντι τὸν κλῆρον, ἢ τῷ διαιροῦντι τὰ κοινὰ δικαστηρίῳ, ἀποθάνῃ εἷς τῶν δικαζομένων ἐπὶ πολλοῖς κληρονόμοις, οὐ διαιρεῖται τὸ δικαστήριον, ἀλλ' ἢ πάντες ὑποδέχονται τὴν δίκην, ἢ ἕνα διδόασιν ἐντολέα.

II. Dig. 19. Quaere Lib. XLII. Tit. III. cap. 48. ubi dicitur: Si vel finium regundorum vel familiae herciſcundae, vel communi dividundo actum ſit, & unus ex litigatoribus deceſſerit, pluribus heredibus relictis, judicium non ſcinditur, ſed vel omnes id accipiunt, vel unum dant procuratorem.

Τοῦ ἐναγομένου μετὰ προκάταρξιν λανθάνοντος, οἱ ἐγγυηταὶ δοκοῦσι διεκδικεῖν, εἴτε πάντες διεκδικοῦσιν, εἴτε εἷς εἰς ὁλόκληρον, εἴτε διδόασιν ἕτερον.

Reo poſt litem conteſtatam latitante, fidejuſſores ejus defendere videntur, ſi vel omnes defendant, vel unus, in ſolidum, vel alium dederint. L. 42. §. 7.

ΣΧΟΛΙΟΝ.

ζήτει βιβλ. ζ΄. τίτλ. δ΄. κεφ. δ. καὶ ε.

SCHOLIUM.

Quaere Lib. VII. Tit. IV. cap. 4. & 5.

ἙΡΜΗΝΕΙΑ.

Ἐὰν λανθάνῃ μετὰ προκάταρξιν ὁ ῥέος, διεξενεδίκη δὲ αὐτὸν εἰς ὁλόκληρον εἷς ἐκ τῶν ἐγγυητῶν, ἢ πάντες, ἢ ὅντινα ἐξ αὐτῶν προεβάλοντο, εἰς ὃν μεταφέρεται τὸ δικαστήριον, οὐ δοκεῖ ἀδεφένσατος, οὐδὲ ὡς κοντούμαξ καταδικάζεσθαι, εἰ καὶ μετὰ προκάταρξιν ἀπελείφθη.

INTERPRETATIO.

Si reus poſt litem conteſtatam latitet, eum vero pro ſolido defendat unus ex fidejuſſoribus, vel omnes, vel quemcunque ex eorum numero dederint, in quem judicium transfératur, non videtur indefenſus eſſe, neque ut contumax condemnatur, licet poſt litis conteſtationem abfuerit.

Ὁ κωφὸς καὶ ὁ ἄλαλος κατὰ τὸν ἐνδεχόμενον τρόπον διδόασι, καὶ αὐτοὶ δίδονται, οὐκ ἐπὶ δίκῃ, ἀλλ' ἐπὶ διοικήσει.

Surdus & mutus per receptum modum dant procuratorem; & ipſi dantur non ad agendum, ſed ad adminiſtrandum. L. 43. pr.

ΣΧΟΛΙΟΝ.

ὁ ἄλαλος] ὁ ἀπὸ πάθους λέγε. Ἐγγράφως τυχὸν ἐντελλόμενοι, ἢ διανεύοντες.

κατὰ τὸν δεχόμενον] οἱ εἰδότες γράμματα.

διδόασι] προκουράτορα.

SCHOLIUM.

mutus] qui vitio talis eſt. Per epiſtolam forte mandantes, aut nutu.

per receptum] ſi literarum ſint periti.

dant] procuratorem.

ἙΡΜΗΝΕΙΑ.

Κἂν τὰ μάλιστα γὰρ δίκην ἐμποδίζωνται λέγειν διὰ τὸ πάθος, ὅμως δύνανται πρᾶγμα διοικεῖν.

INTERPRETATIO.

Nam licet vel maxime propter vitium cauſam dicere prohibentur, tamen negotium adminiſtrare poſſunt.

Οὐ ζητοῦμεν, τίς δύναται ἐντολέα δοῦναι; Παντὶ γὰρ ἔξεστιν, εἰ μὴ κεκώλυται.

Non quaerimus, an quis procuratorem dare poſſit? Nam omnibus licet, niſi prohibeantur. L. 43. §. 1.

ΣΧΟΛΙΟΝ.

Ἀνάγνωθι τὴν κϛ΄. διάτ. τοῦ β΄. τίτλ. τοῦ κώδ. ζήτει κεφ. οδ΄.

SCHOLIUM.

Lege Conſt. 26. Tit. II. Cod. Quaere cap. 74.

ἙΡΜΗΝΕΙΑ.

Ὅτε ζητεῖται, εἰ ἔξεστί τινι προκουράτορα ἔχειν, ἐκεῖνο ζητεῖσθαι χρεὼν, εἰ ἄρα μὴ κεκώλυται διδόναι προκουράτορα; Τὸ γὰρ τῶν προκουρατώρων ἔδικτον, προhibιτόριόν ἐστι, τουτέστιν, ἀναγκάζεταί τις δεῖξαι, ὅτι δύναται διδόναι προκουράτορα. Ἀλλὰ τοῦτο λέγων ὅτι οὐ κεκώλυται διδόναι προκουράτορα, καὶ λοιπὸν ἀμφιβάλλων, ἀναγκάζεται ἐντεῦθεν ἀποδείξεις ὑπέχειν.

INTERPRETATIO.

Cum quaeritur, an alicui procuratorem habere liceat, inſpiciendum eſt, an non prohibeatur procuratorem dare. Nam hoc edictum eſt prohibitorium, id eſt, probare aliquis cogitur, ſe procuratorem dare poſſe. Sed ne dicat, ſibi licere procuratorem dare, & interim dubitetur, inde probare cogitur.

Ἐγ-

In

Ἔνθα τὶς κινεῖ δημοτικὴν ἀγωγὴν, ὡς εἷς ὢν τῶν τοῦ δήμου κινῶν, οὐ διεκδικεῖ ὡς ὁ ἐντολεύς.

In popularibus actionibus, ubi quis L. 43. §. 2.
quaſi unus ex populo agit, non praeſtat defenſionem, ut procurator.

ΣΧΟ´ΛΙΟΝ.

Περὶ τῶν ποπουλαρίων κεῖται βιβλ. μζ´. τίτλ. κγ´.

SCHOLIUM.

De popularibus actionibus tractatur Lib. XLVII. Tit. XXIII.

ἙΡΜΗΝΕΙ´Α.

Ὁ ποπουλαρίαν κινῶν ἀγωγὴν οὐκ ἀναγκάζεται διφενδεύειν τὸν δῆμον. Κἂν γὰρ ὀνόματι τοῦ δήμου κινῇ, ἀλλ' οὖν ὡς εἷς τῶν ἀπὸ τοῦ δήμου κινεῖ.

INTERPRETATIO.

Populari actione agens populum defendere non cogitur. Nam licet populi nomine agat, tamen quaſi unus ex populo agit.

Εἰ μὲν γὰρ παρόντι τὶς αἰτεῖ προκουράτωρα[1], δεῖται τῆς αὐτοῦ συναινέσεως· εἰ δὲ ἀπόντι, δίδωσι τὴν ἱκανοδοσίαν.

Si quidem praeſenti quis curatorem L. 43. §. 3.
petit, ejus conſenſu indiget; ſi abſenti, de rato ſatisdat.

ΣΧΟ´ΛΙΟΝ.

Ζήτει ἰνστ. ά. τίτλ. κγ´. καὶ βιβλ. κϛ´. τίτλ. ί. διγ. ιγ´.

SCHOLIUM.

Quaere Inſt. Lib. I. Tit. XXIII. & Lib. XXVI. Tit. V. Dig. 13.

ἙΡΜΗΝΕΙ´Α.

Εἰ μὲν πάρεστιν ὁ νέος, οὐ καλῶς δύναταί τις αὐτῷ κουράτωρα αἰτεῖν, μὴ πρότερον συναινοῦντος τοῦ νέου τῇ αἰτήσει τοῦ κουράτωρος· εἰ δὲ ἄπεστιν, ἀνάγκην ἔχει ὁ αἰτῶν τὸν κουράτωρα δοῦναι τὴν ῥάτομ ῥέμ, ὅτι ῥατιχαβιτεύσει ὁ νέος τὴν δόσιν τοῦ κουράτωρος.

INTERPRETATIO.

Si quidem praeſens ſit adultus, non recte quis ei curatorem petit, niſi prius adultus in curatoris petitionem conſentiat: Quodſi abſit, is, qui curatorem petit, neceſſe habet cavere, adultum curatoris dationem ratam habiturum.

Ὁ ἐντολεὺς μὴ διεκδικῶν ἐνάγειν οὐ δύναται.

Procurator non defendens, actionem L. 43. §. 4.
inſtituere nequit.

ΣΧΟ´ΛΙΟΝ.

Βιβλ. ί. τίτλ. λέ. Ζήτει διγ. οή. καὶ βιβλ. δ´. τίτλ. ϛ´. διγ. κβ´. Ἀνάγνωθι τὸ τέλος τοῦ λε. διγ.

SCHOLIUM.

Lib. X. Tit. XXXV. Quaere Dig. 78. & Lib. IV. Tit. VI. Dig. 22. Lege finem Dig. 35.

ἙΡΜΗΝΕΙ´Α.

Εἰρήκαμεν, ὅτι ἀλιενόμινε κινῶν ἀγωγὴν, ὀφείλει διφενδεύειν τὸν πρωτότυπον. Τίς δὲ ἡ ἐξ ἀπειθείας ποίνα, καιρός ἐστιν εἰπεῖν. Ἡ δὲ μὴ διφενδεύοντος ποίνα αὕτη ἐστὶν, ἵνα ἀρνηθῇ αὐτῷ ἀγωγὴ, τουτέστι, προκουράτωρ εἰ μὴ ἀνέχεται διφενδεῦσαι τὸν ἐντειλάμενον, ἤτοι τὰ τοῦ διφενσίονος ἱκανὰ παρασχεῖν, ἀρνεῖται αὐτῷ ἡ ἐναγωγὴ, καὶ οὐ δύναται κινεῖν ὀνόματι αὐτοῦ τὴν ἐντελθεῖσαν αὐτῷ ἀγωγήν. Σημείωσαι οὖν, ὅτι μετὰ προκατάρξιν οὐκ ἀναγκάζεται διφενδεύειν ὁ προκουράτωρ τὸν ἐντειλάμενον· ἐν γὰρ τῇ προκατάρξει δίδοται τὰ τοῦ διφενσίονος ἱκανά. Καὶ ἐν τούτῳ μόνῳ τιμωρεῖται ὁ διφενδεύων, ἐν ᾧ μηδὲ αὐτὸς δύναται κινεῖν τὴν ὑπὲρ τοῦ προβαλλομένου ἀγωγήν.

INTERPRETATIO.

Diximus, eum, qui alieno nomine actionem inſtituit, principalem defendere oportere. Tempus eſt, ut dicamus, quae contumaciae poena ſit. Poena non defendentis haec eſt, ut ei denegetur actio, hoc eſt, procuratori, ſi mandantem defendere recuſet, aut de defenſione ſatisdare nolit, actio denegatur, nec nomine ſuo mandatam ſibi actionem movet. Obſerva igitur, procuratorem poſt litem conteſtatam non cogi mandantem defendere: nam in litis conteſtatione de defenſione ſatisdatur. Et hoc tantum defenſor punitur, ne ipſe poſſit movere actionem pro principali.

Ἐὰν ὁ ἐντολεὺς τοῦ ἀπόντος ἐνάγῃ, καὶ πάρεστι δοῦλος τοῦ ἐντειλαμένου, αὐτὸς καὶ οὐχ ὁ ἐντολεὺς ὀφείλει λαβεῖν τὴν ἀσφάλειαν.

Si procurator abſentis agat, & praeſens L. 43. §. 5.
ſit mandantis ſervus, ipſe, non procurator, debet ſatis accipere.

ΣΧΟ-

SCHO-

[1] προκουράτωρα] Lege, κουράτωρα, ut in texta Latino, & Baſilicis.

ΣΧΟ'ΛΙΟΝ.

Ὅμοιον τίτλ. δ. διγ. ι.

πάρεστι δοῦλος] ζήτει τὸ τελευταῖον κεφ.

αὐτὸς καὶ οὐχ ὁ ἐντολεὺς] ζήτει τίτλ. δ΄. διγ. τελευταῖον.

οὐχ ὁ ἐντολεὺς] ζήτει τὸ κζ΄. κεφ.

τὴν ἀσφάλειαν] τὴν ἰουδικάτου σόλουι.

Εἴρηται ὄπισθεν, ὅτι τῷ δεσπότῃ ἁρμόζει ἡ ἁρμοσθεῖσα ἐπερώτησις ἡ ἀπὸ τοῦ ἰουδικάτου σόλουι. Ἐπεὶ οὖν καὶ ὁ δοῦλος τῷ δεσπότῃ δύναται ἐπερωτᾶν, καλῶς αὐτῷ δίδοται, καὶ οὗτος ὀφείλει ἐπερωτᾶν.

λαβεῖν] παρὰ τοῦ ὡς εἰκὸς τὸν ἀντίδικον διφενδεύοντος.

SCHOLIUM.

Similiter Tit. IV. Dig. 10.

praeſens ſit ſervus] Quaere cap. ult.

ipſe, non procurator] Quaere Tit. IV. Dig. ult.

non procurator] Quaere cap. 27.

cautionem] judicatum ſolvi.

Dicitur infra, conſtitutam ſtipulationem de judicato ſolvendo domino competere. Quoniam igitur & ſervus domino ſtipulari poteſt, recte ipſi datur, & ipſe debet ſtipulari.

accipere] a defenſore adverſarii.

Καὶ ὁ μὴ ἀναγκαζόμενος διεκδικῆσαι, ἐὰν ἐκ προαιρέσεως[1] παράσχῃ τὴν ἀσφάλειαν, ἀναγκάζεται λοιπὸν ὑποδέξασθαι τὴν δίκην, τοῦ ἐνάγοντος ἴσως ἐκ τῆς τοῦ χρόνου παρολκῆς βλαπτομένου. Εἰ δὲ ἡ ἀγχιστεία, ἣν εἶχε πρὸς τὸν ἀπόντα, διελύθη, ἢ ἐχθρὸς αὐτοῦ γέγονεν, ἢ τὰ πράγματα τοῦ ἀπόντος ἤρξατο νέμεσθαι·

Et qui non cogitur defendere, ſi L. 43. §. 6.
ſponte ſatisdedit, poſtea cogitur judicium accipere, actore forte propter temporis tractum laeſo. Quodſi affinitas, quae ei cum abſente fuit, dirempta ſit, aut inimicitiae interceſſerint, aut bona abſentis poſſideri coeperint:

ΣΧΟ'ΛΙΟΝ.

Ἀναγκάζεται λοιπὸν ὑποδέξασθαι] ζήτει τὸ λέ. καὶ τὸ οϛ΄. διγ. καὶ τὸ ιβ΄.

SCHOLIUM.

Cogitur poſtea accipere] Quaere Dig. 35. & 76. & 12.

ἙΡΜΗΝΕΙ'Α.

Ὁ ἐκ προαιρέσεως, καὶ μὴ ἐξ ἀνάγκης διφενδεύσας τὸν ἀπολιμπανόμενον, καὶ ἅπαξ δεδωκὼς τὴν ἰουδικάτου σόλουι, κἂν μὴ πρὸς ἀνάγκης εἶχεν αὐτὸν διφενδεύειν, πρὶν ἢ τὴν τοιαύτην ἱκανοδοσίαν παράσχῃ, ὅμως μετὰ τὸ παρασχεῖν ἀνάγκην ἔχει τὴν ἀγωγὴν ὑποδέχεσθαι, διὰ τὸ μὴ διαπαίζεσθαι, φησι, τὸν εἰληφότα τὴν ἰουδικάτου σόλουι. Ταῦτα μὲν οὖν ὁ Παῦλος. Ὁ δὲ Λαβεὼν, καύσα κογνιτά, φησι, τὴν ἀνάγκην αὐτῷ ἐπιφέρεσθαι, τουτέστι, τότε αὐτὸν ἀναγκάζεσθαί, φησιν, ὅτε βλάπτεται ὁ ἄκτωρ μὴ κινουμένης τῆς ἀγωγῆς, τεμπεραλίας τυχὸν αὐτῆς τυγχανούσης. Εἰ μέν τοι, φησιν ὁ Παῦλος, ἢ διελύθη τὰ τῆς ἀγχιστείας πρὸς τὸν πρωτότυπον, ὃν ὑπέσχετο διφενδεύειν, καὶ τὸν ὑποσχόμενον ὑπαστῆναι τὴν ὑπὲρ αὐτοῦ διφενσίονα, καὶ δεδωκότα τὴν ἰουδικάτου σόλουι, ἢ ἔχθραι τινὲς μετὰ ταῦτα ἐπεγένοντο, ἢ ἐπὶ νομὴν τῶν τοῦ ῥέου πραγμάτων ἐπεμφθησαν μετὰ ταῦτα τινὲς τῶν αὐτοῦ δανειστῶν, ἢ ἐὰν μέλλῃ μακρὰν ἐκδημεῖν ὁ τὴν ἰουδικάτου σόλουι δεδωκὼς ἱκανοδοσίαν, ἢ ἐὰν ἄλλη τις δικαία ὑπεισῆ αἰτία, οὐκ ἀναγκάζεται ὑπὸ τοῦ πρωτουργάτορος[2] τὴν δίκην ὑποδέξασθαι. Ταῦτα μὲν οὖν, ὡς εἶπον, ὁ Παῦλος, λέγων, τὸν ἅπαξ δεδωκότα τὴν ἰουδικάτου σόλουι, μηδέποτε ἀναγκάζεσθαι ὑπὲρ τοῦ ἀπολιμπανομένου τὴν ἀγωγὴν ὑποδέξασθαι, ὅταν αἰτίαν εὔλογον εἰς παραίτησιν ἔχει. Ὁ μέν τοι

INTERPRETATIO.

Qui ſponte, nec ex neceſſitate abſentem defendit, & ſemel de judicato ſolvendo ſatisdedit, licet haud neceſſe habuerit eum defendere, antequam ſatisdederit, tamen poſt ſatisdationem cogitur judicium accipere, ne eludatur is, qui ſatis accepit. Haec igitur Paullus. Sed Labeo eum, cauſa cognita compellendum ait, hoc eſt, tunc eum cogendum eſſe, ſi actor laedatur, actione non inſtituta, quae forte temporalis ſit. Quodſi vero, ait Paullus, aut dirempta ſit affinitas, quae ei intercedebat cum eo, quem defendere pollicitus erat, & cujus defendendi gratia judicatum ſolvi ſatisdederat, aut inimicitiae poſtea interceſſerint, aut creditores rei bona poſſidere coeperint, aut ſi longinquo ſit abfuturus, qui judicatum ſolvi ſatisdedit, vel ſi qua alia juſta cauſa intervenerit, non cogitur a Praetore judicium accipere. Haec igitur, ut dixi, Paullus, dicens, eum, qui ſemel de judicato ſolvendo ſatisdedit, non cogi abſentis judicium accipere, ſi id juſta ex cauſa deprecetur. Sabinus vero ait, eum, qui non ex neceſſitate, ſed ſponte judicatum ſolvi ſatisdedit, ad abſentem defendendum non compelli; ſed po-

1 ἐκ προαιρέσεως] Haec verba abſunt a Baſilicis.

2 πρωτουργάτορος] Lege, πραίτωρος.

τοι Σαβῖνος [1] φησὶ, τὸν μὴ ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ' ἐκ προαιρέσεως δηλωκότα τὴν ἰουδικάτου σόλουι, μηδέποτε ἀναγκάζεσθαι ὑπὲρ τοῦ ἀπολιμπανομένου· ἀλλὰ λοιπὸν, εἰ μὲν δίχα αἰτίας εὐλόγου δεφενδεύειν οὐκ ἀνέχεται, κομμιτεύεσθαι τὴν ἰουδικάτου σόλουι κατὰ τῶν ἐγγυησαμένων αὐτόν. Δέδωκε γὰρ αὐτοὺς εἰπὼν, ἀνδρὸς ἀγαθοῦ δοκιμασίᾳ δεφενδεύειν τὸν ἀπολιμπανόμενον. Ἀνὴρ δὲ ἀγαθὸς οὐκ ἂν δοκιμάσοι, ἵνα δικαίαν ἐκ παραιτήσεως ἔχων αἰτίαν, ἀναγκασθῇ δεφενδεῦσαι. Οὐ κομμιτεύεται τοίνυν ἡ ἰουδικάτου σόλουι κατὰ τῶν ἐγγυησαμένων αὐτόν. Εἰ δὲ καὶ μὴ δέδωκεν ἐγγυητὴς, ἀλλ' αὐτὸς ἐπηρωτήθη τὴν ἰουδικάτου σόλουι, καὶ οὕτως τὸ αὐτὸ πάλιν ἐρεῖσθαι χρὴ, τουτέστι, τῇ αὐτῇ κεχρήμεθα διαιρέσει.

poſtea, ſi abſque juſta cauſa defenſionem recuſet, ſtipulationem de judicato ſolvendo adverſus ejus fidejuſſores committi. Nam eos dedit, dicens, ſe abſentem boni viri arbitratu defenſurum. Bonus autem vir non arbitraturus fuerit, ut, qui juſtam excuſationem adferret, defendere cogeretur. Idcirco non committitur ſtipulatio judicatum ſolvi adverſus ejus fidejuſſores. Quodſi etiam non dedit fidejusſorem, ſed ipſe repromiſit judicatum ſolvi, vel ſic idem rurſus ſtatuendum eſt, hoc eſt, eadem utendum diſtinctione.

ΚΥΡΙΛΛΟΥ.

Ὁ ἑκουσίως δεφενδεύων τινὰ, ἐὰν δῷ τὴν ἰουδικάτου σόλουι, ἐὰν τῇ τοῦ χρόνου παραδρομῇ βλάπτηται ὁ ἄκτωρ, ἀναγκάζεται δεφενδεῦσαι. Εἰ μέντοι ἡ πρὸς τὸν πρωτότυπον ἀγχιστεία διελύθη, ἢ ἔχθρα παρενετέθη, ἢ εἰς νομὴν ἐπέμφθη τῶν πραγμάτων αὐτοῦ, ἢ ἀποδημία, ἢ ἄλλη αἰτία ἐμποδίζει, οὐκ ἀναγκάζεται, μᾶλλον δὲ οὐ δύναται ἀναγκάζεσθαι. Ἀλλ' εἰ μὲν ἀλόγως παραιτεῖται, κομμιτεύεται ἡ ἰουδικάτου σόλουι· εἰ δὲ εὐλόγως, οὐ κομμιτεύεται. Ταυτόν ἐστι, κἂν ἱκανὰ οὐκ ἔδωκεν, ἀλλ' ἐπηρωτήθη.

ἤρξατο νέμεσθαι] Δηλονότι τις τῶν αὐτοῦ δανειστῶν. Μὴ γὰρ πρὸς τὸν δεφένσορα λάβῃς τοῦτο. Τίς γὰρ τούτου εὔλογος αἰτία ἐστὶ, τὸν δεφένσορα μετὰ τὸ ἀσφαλίσασθαι πεμφθῆναι ἐπὶ νομὴν τῶν τοῦ δεφενδευομένου πραγμάτων; Πάντως αἱ εὔλογοι αἰτίαι ἀπροόπτως ὀφείλουσιν ἀνακύπτειν μετὰ τὴν ἀσφάλειαν, ἤτοι τὴν ἱκανοδοσίαν· καὶ πῶς δύναται ὁ δεφένσωρ λέγειν, ὅτι ἠγνόει κατὰ τοῦ πρωτοτύπου ἔχειν ἀγωγήν; Ἀλλὰ καὶ Στέφανος ἐν τῷ πλάτει οὕτως φησί· εὔλογος αἰτία ἐστὶ, καὶ ἐὰν εἰς νομὴν τῶν τοῦ ῥέου πραγμάτων ἐπέμφθησάν τινες τῶν δανειστῶν.

CYRILLI.

Qui ſponte aliquem defendit, poſt ſatisdationem, ſi actor temporis tractu laedatur, defendere cogitur. Quodſi affinitas, quae ei cum principali fuit, diſſoluta ſit, aut inimicitiae interceſſerint, aut bona ejus poſſideri coeperint, aut peregrinatio vel alia juſta cauſa impediat, non cogitur, vel potius cogi non poteſt. Sed ſi nullam idoneam cauſam afferat, committitur ſtipulatio de judicato ſolvendo: ſin jure ſe excuſet, non committitur. Idem ſtatuendum eſt, ſi ſatis non dedit, ſed repromiſit.

Actor univerſitatis, ſi agat, defendere etiam compellitur, non autem compellitur cavere de rato, niſi de decreto dubitetur. Imitatur enim procuratorem is, qui ab univerſitate actor conſtitutus eſt. Judicati actio ipſi non datur, niſi in rem ſuam ab univerſitate datus ſit. Recte vero & ei conſtituitur, quod univerſitati, a qua actor vel ſyndicus conſtitutus eſt, debetur. Ex iisdem caoſia cjus mutandi poteſtas eſt, ex quibus procuratorem mutare poſſumus.

ΤΟΥ͂ ἈΝΩΝΥ'ΜΟΥ.

ἀντιφωνεῖται] Ἔγνως γὰρ τίτλον γ'. διγ. λθ'. ὅτι καὶ ὁ προκουράτωρ ἀντιφωνεῖται, καὶ τὴν ἀγωγὴν τῆς ἀντιφωνήσεως αὐτὸς, καὶ οὐχ ὁ δεσπότης ἔχει.

ANONYMI.

conſtitoi] Noſti ex Tit. III. Dig. 39. procuratori etiam conſtitui, & ei, non domino, actionem conſtitutoriam competere.

Ἐξ ὧν αἰτιῶν ὑποκινεῖται ὁ συνήγορος, καὶ ὁ σύνδικος ἀποκινεῖται. Καὶ ὁ ὑπεξούσιος γίνεται σύνδικος.

Ex quibus cauſis removetur advo- L. 6. §. 3.
catus, ex iisdem etiam removetur actor. Filiusfamilias etiam actor datur.

ΣΧΟ'ΛΙΟΝ.

Ἀνάγνωθι τὸ ιζ'. κεφ.

ὁ συνήγορος] Ὁ προκουράτωρ.

ὁ σύνδικος] Ζήτει τὸ η'. κεφαλ. περὶ τὰ μέσα.

SCHOLIUM.

Lege cap. 17.

advocatus] Procurator.

ſyndicus] Quare cap. 8. circa medium.

ΤΟΥ͂ ἈΝΩΝΥ'ΜΟΥ.

Τὰς αἰτίας ἔγνως τίτλ. γ'. ἀπὸ ιγ'. διγ. καὶ ξδ'.

σύνδικος] Ἐπειδὴ καὶ προκουράτωρ γίνεται εἰς τὸ ἐναγαγεῖν καὶ τὸ ἐναχθῆναι, ὡς τίτλ. γ'. διγ. η'.

ANONYMI.

Cauſas noſti ex Tit. III. Dig. 13. & 64.

ſyndicus] Qooniam procurator fit & ad agendum & ad defendendum, ut Tit. III. Dig. 8.

Καὶ ἐνάγει ἡ πόλις, καὶ ἐνάγεται. Καὶ ὁ πρεσβευτὴς αὐτῆς περὶ ὧν ὑπὲρ αὐτῆς ἐδαπάνησεν, ἐνάγει.

Civitas & agit & convenitur. Sed L. 7. pr.
& legato de his, quae in negotium publicum impendit, actio datur.

ἙΡΜΗΝΕΙ'Α.

Ὥσπερ ὀνόματι τῶν πολιτῶν κατὰ τοῦ συνδίκου δίδωσιν ἀγωγὴν ὁ κυαίστωρ [1], οὕτω καὶ κατ' αὐτῶν δίκαιον ἡγήσατο προσαγορεύεσθαι, τουτέστι, δύνασθαι τὸν σύνδικον ἀγωγήν. Καὶ πόλις γὰρ κατὰ τοῦ προβληθέντος ὑπ' αὐτῆς ἄκταρος ἤτοι συνδίκου, καὶ ὁ προβληθεὶς ἔχει κατὰ τῆς πόλεως ἀγωγὴν, δαπανήματα περὶ τὸ δημόσιον ἔργον ἤτοι περὶ τὴν πολιτικὴν χρείαν πεποιηκώς.

INTERPRETATIO.

Sicut municipum nomine adverſus ſyndicum actionem dat Praetor, ita & adverſus eos juſtiſſime edicendum putavit, id eſt, dandam eſſe ſyndico actionem. Nam & municipium in actorem vel ſyndicum a ſe conſtitutum, & ſyndicus conſtitutus in municipium actionem habet, ſi in publicum negotium vel municipii utilitatem ſumtus fecerit.

ΚΥΡΙ'ΛΛΟΥ.

Ὥσπερ κινοῦσιν οἱ πολῖται, οὕτω καὶ ἐνάγονται. Τί γὰρ, ὅτι πρεσβευτὴς εἰς κοινὸν πρᾶγμα καὶ συμφέρον τῇ πόλει ἐδαπάνησεν;

CYRILLI.

Sicut municipes agunt, ita & conveniuntur. Quid enim? ſi legatus in commune negotium, & municipii utilitatem ſumtus fecerit?

ΤΟΥ̃ ἈΝΩΝΥ'ΜΟΥ.

Περὶ τῆς δαπάνης τοῦ πρεσβευτοῦ, ἀνάγνωθι βιβλ. η'. τίτλ. ζ'. διγ. β'. καὶ ϛ'. καὶ ι'. καὶ τίτλ. α'. διγ. λζ'. καὶ τίτλ. δ'. διγ. ιζ'.

ANONYMI.

De ſumtibus a legato factis, lege Lib. VIII. Tit. VII. Dig. 2. 6. & 10. & Tit. I. Dig. 37. & Tit. IV. Dig. 17.

Ὅπερ ἡ ὁμὰς χρεωστεῖ [2], οἱ καθ' ἕκαστον οὐ χρεωστοῦσι, οὔτε χρεωστοῦνται.

Si quid univerſitas debet, ſinguli non debent: nec quod debetur univerſitati, ſingulis debetur. L. 7. §. 1.

ἙΡΜΗΝΕ'ΙΑ.

Καὶ διὰ τοῦτο κινῶν ὁ τῆς ὁμάδος ἄκτωρ, μόνην τὴν ὁμάδα, καὶ οὐ τὸν καθ' ἕκαστον διφενδεύειν ἀναγκάζεται.

INTERPRETATIO.

Ideo actor univerſitatis agens, ſolam univerſitatem, non ſingulos defendere compellitur.

Ἀδιάφορόν ἐστιν, εἴτε πάντες τοῦ συστήματος μένουσι, ἢ μέρος, ἢ πάντες ἠλλάγησαν. Καὶ εἰς ἕνα δὲ εἰ περιστῇ ἐνάγει, καὶ ἐνάγεται. Δέξεται γὰρ ἐν αὐτῷ τὸ ὄνομα τῆς ὁμάδος.

In collegio nihil refert, utrum omnes iidem maneant, an pars, vel omnes immutati ſint. Et ſi ad unum redierit, convenit & convenitur. Recipiet enim in ſe nomen univerſitatis. L. 7. §. 2.

ἙΡΜΗΝΕΙ'Α.

Καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμάδων ἀδιάφορόν ἐστιν, εἴτε πάντες οἱ αὐτοὶ μεμενήκασιν ἐπὶ σχήματος, ἢ μέρος μένει τῶν κατ' ἀρχὰς πληρωσάντων τὸ βουλευτήριον, ἢ καὶ πάντες ἠμείφθησαν, καὶ εἰς τόπον αὐτῶν κατέστησαν ἕτεροι. Εἰ δὲ καὶ εἰς ἕνα περιέστη τὰ τῆς ὁμάδος, ἀρκεῖται, καὶ αὐτὸν μόνον δύνασθαι καὶ ἐνάγειν καὶ ἐνάγεσθαι. Τὸ γὰρ πάντων τῶν βουλευτῶν δίκαιον εἰς ἕνα μετέπεσε, καὶ ἐπ' αὐτῷ τὸ τῆς ὁμάδος συνέστηκεν ὄνομα.

συστήματος] Ἀνάγνωθι βιβλ. ε'. τίτλ. α'. διγ. οϛ'. καὶ βιβλ. κ'. τίτλ. α'. διγ. ιγ'.

INTERPRETATIO.

In aliis etiam univerſitatibus nihil refert, utrum omnes iidem manſerint, an pars maneat eorum, qui initio curiam conſtituerunt, vel omnes immutati ſint, & in eorum locum ſucceſſerint alii. Sed ſi univerſitas ad unum redeat, dictum eſt, & convenire eum ſolum poſſe, & conveniri. Nam omnium decurionum jus in unum recidit, & in eo ſtat nomen univerſitatis.

collegio] Lege Lib. V. Tit. I. Dig 76. & Lib. XX. Tit. I. Dig. 13.

Ἐὰν μὴ διεκδικῆται διὰ τῶν διοικούντων αὐτὴν ἡ πόλις, μήτε ἔχει σωματικὰ, ὧν εἰς νομὴν ὁ ἐνάγων πεμφθῆναι ὀφείλει, τὸ ἱκανὸν αὐτῷ ἀπὸ τῶν χρεωστούντων αὐτῇ γίνεται.

Civitas ſi per eos, qui res ejus adminiſtrant, non defendatur, nec res corporales habeat, in quarum poſſeſſionem actor mitti debeat, ex iis, quae civitati debentur, ei ſatisfit. L. 8.

ΤΟΥ̃ ἈΝΩΝΥ'ΜΟΥ.

Τὰ περὶ τούτου μανθάνεις γενικῶς βιβλ. κη'. τίτλ. ιε'.

ANONYMI.

Quae huc pertineant, diſcis generatim Lib. XXVIII. Tit. XV.

αὐτῇ

ſatis-

[1] κυαίστωρ] Imo, πραίτωρ.
[2] χρεωστεῖ] Baſil. addunt, ἢ κεχρέωστο, & mox pro χρεωστοῦν] exhibent κεχρεώστηται.

✠ 2

αὐτῇ γίνεται] Οἶδας μεμαθηκὼς περὶ τὰ τέλη τοῦ α΄. διγ. ὅτι καὶ πᾶς ἐξωτικὸς δύναται δεφενδεύειν ἐμπόδα.

ſatisfit] Noſti ex fine Dig. 1. quemlibet etiam extraneum univerſitatem defendere poſſe.

Ἁρμόζει κατὰ πόλεως καὶ ἡ περὶ διαιρέσεως φαμιλίας ἀγωγὴ, καὶ ἡ περὶ ὁροθεσίων, καὶ ἡ περὶ ὕδατος ὁλκῆς.

Adverſus civitatem judicium familiae hercifcundae competit, & finium regundorum, & aquae pluviae arcendae. L. 9.

ΣΧΟ'ΛΙΟΝ.

περὶ διαιρέσεως] Περὶ συγκληρονόμων.

ὁροθεσίων] Περὶ ἀγρογειτόνων.

SCHOLIUM.

familiae hercifcundae] de coheredibus.

finium regundorum] de iis, qui vicinum agrum poſſident.

'ΕΡΜΗΝΕΙ'Α.

Ἐάν σοι καὶ πόλει κληρονομία τις ᾖ κοινὴ, δίδεται μεταξύ σου καὶ τῆς πόλεως τὸ φαμιλίαι ἐρκισκοῦνδαι δικαστήριον. Τὸ αὐτό ἐστι καὶ τὸ τοῦ finium regundorum καὶ ἐπὶ τοῦ aquae pluviae arcendae δικαστήριον. Καὶ τοῦτο γὰρ συγκροτεῖται μεταξὺ πόλεως, καὶ ἑτέρου τινὸς, ἔνθα τυχὸν ἐν πολιτικῷ χωρίῳ καὶ ἰδιωτικῷ πλησιάζοντι φιλονεικία τις περὶ τῶν ὁροθεσίων ἐγήγερται, ἢ κατασκεύασμα γεγονὸς παραπέμπει τὸ ὄμβριον ὕδωρ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ γείτονος αὐτοῦ πολιτικοῦ χωρίου, καὶ βλάβην αὐτῷ περιποιεῖ.

INTERPRETATIO.

Si tibi cum municipio hereditas communis ſit, familiae hercifcundae judicium inter vos redditur. Idemque dicendum eſt in finium regundorum, & aquae pluviae arcendae judicio. Nam & hoc ventilatur inter municipium & alium quem, ſi forte in municipali agro & privato adjacente de finibus regundis controverſia orta ſit, aut ſi quid exſtructum ſit, quod aquam pluviam in agrum ejus, qui municipali adjacet, transmittat, eique damnum afferat.

ΤΟΥ̃ 'ΑΝΩΝΥ'ΜΟΥ.

Πῶς ἡ aqua pluvia κινεῖται, μανθάνεις βιβλ. λθ΄. τίτλ. γ΄.

ANONYMI.

Aquae pluviae arcendae judicium quomodo exerceatur, diſcis Lib. XXXIX. Tit. III.

Γίνεται σύνδικος καὶ διὰ καινοτομίαν. . . . .

Conſtituitur actor etiam ad novi operis nunciationem. . . . . L. 10.

'ΕΡΜΗΝΕΙ'Α.

Καὶ ἐπὶ τῷ παραγγεῖλαι τῷ καινοτομοῦντι, δύνανται ἄκτωρες προβάλλεσθαι, προσέτι δὲ καὶ ἐπὶ τῷ ἐπερωτῆσαι τὴν legatorum, ἤτοι τὴν damni infecti ἢ τὴν judicatum ſolvi: κἂν τὰ μάλιστα ὁ τῆς πόλεως οἰκέτης ἐπερωτᾶν μᾶλλον ὀφείλει τὰς τοιαύτας ἱκανωτήσεις, καὶ ἐξ εὐθείας προσπορίζειν τῇ πόλει. Πλὴν ἀλλ' εἰ καὶ τῷ ἄκτορι γένηται τοιαύτη καυτίων, ἤτοι ἐπερώτησις [1]. . . . .

INTERPRETATIO.

Actores etiam conſtitui poſſunt ad operis novi nunciationem, praeterea & ad ſtipulationes interponendas, veluti legatorum, aut damni infecti, aut judicatum ſolvi; quamvis ſervus potius civitatis ſtipulari debeat, & directe acquirere civitati. Sed & ſi actori cautum fuerit. . . . .

[1] ἐπερώτησις] Graecus librarius adſcripſerat: Ἐλλιπὲς ἐν τῷ τέλει ὑπὸ τοῦ ἀρχαιοτύπου.

E M E N D A N D A.

Tit. de Poſtul. p. 7. *lin.* 18. traditioni. l. ſententiae.

Ibid. p. 28. *lin.* 10. καὶ μεθόδῳ ταύτῃ ἀναγκάζεσθαι αὐτὸν ὥσπερ παραστάσιμον γενέσθαι. Forte vertendum eſt: *eumque hac ratione ad ſiſtendum & quaſi exhibendum ſe compellere.* Certe παρίστασθαι pro *exhibere* frequens eſt apud Graecos JCtos. De aliis verbi notionibus vide Spanhem. *in Julian. p.* 139.

Ibid. p. 36. *lin.* 25. εἴτε διάθεσιν γαμικὴν ἔσχε πρὸς τὴν γυναῖκα ᾗ συνεπλάκη, εἴτε καὶ μεταμέλον. Graecus Interpres, niſi fallimur, ſcripſit: —— εἴτε καὶ μεταμέλειαν. *utrum affectum nuptialem erga mulierem, cum qua conſuevit, habuerit, an ipſum quaeque hujus rei poenituerit.* vel, *an ipſe quoque animum mutarit.*

Tit. de Procurat. p. 42. *lin.* 22. Meminiſti. l. Memor ſis. & ſic etiam corrige *p.* 43.

Ib. p. 61. In nota ſubjecta male παρῶσιν excuſum eſt pro πάρεισιν, quod habent Scholia Baſilicor. ex quibus mox rectius legas, Ὅτι γὰρ αὐτὸν ὁ ἐπίτροπος, pro, Ὅτι γὰρ αὐτόν τε ὁ ἐπίτροπος.

Reſtant alia in *Tit. de Procurat.* in quibus interpretandis etſi mihi ipſe non prorſus ſatisfeci, nolim tamen in tanta corruptelarum multitudine ingenio indulgere, praeſertim cum unius Codicis fide nitendum ſit. Certiorem aliquando medicinam Manuſcripti integriores ſuppeditabunt.

F I N I S.

D. FRAN-

D. FRANCISCI
RAMOS DEL MANZANO,
JURISCONSULTI:

PRIMARII PRIDEM JURIS CIVILIS IN SALMANTICENSI
ACADEMIA ANTECESSORIS,

MEDIOLANENSIS EXTRAORDINARII,
ET SUPREMI INDIARUM CONSILII PRÆSIDIS,

IN S. CRUCIATÆ CONSILIO, ET IN SUMMO CASTELLANO
SENATU, CAMERÆ ET JUSTITIÆ CONSILIARII.

CAROLI SECUNDI,

CATHOLICI REGIS, AC DOMINI SUI,
A PRIMO ÆTATIS FLORE, DOCTRINÆ ET MORUM MAGISTRI,
ET REGIA EJUSDEM CAROLI MUNIFICENTIA,

FRANCORUM COMITIS:

AD LEGES

JULIAM, ET PAPIAM,

ET QUÆ EX LIBRIS JURISCONSULTORUM
FRAGMENTA AD ILLAS INSCRIBUNTUR,

COMMENTARII, ET RELIQUATIONES.

Queis, ultra Theorica ex Romano Jure, Nova, aut Paradoxa, acceſſere Electa non pauca, Sacra, Eccleſiaſtica, Theologica, Canonica, & pro Tribunalium uſu Forenſia, & Practica, ac demum Miſcellanea, Juſto-Politica, Hiſtorica, Philologica, quorum notam proxima Præfationi pagina exhibet. Acceſſere item Diſſertationes duæ extemporales,

DE USUFRUCTU MUNICIPIBUS LEGATO;

E T

DE PROTECTORIBUS.

EDITIO ALTERA,

Cui nunc primum acceſſit Auctoris vita, ſcriptore

GREGORIO MAJANSIO,
GENEROSO VALENTINO.

D. CAROLO II.
HISPANIARUM REGI,
NOVI ORBIS MONARCHÆ,

DUCENTE AD GENUA CAROLI,

SERENISSIMO PRINCIPE

D. JOANNE AUSTRIACO,

REGIS FILIO, REGIS FRATRE,

D. FRANCISCUS RAMOS DEL MANZANO,

DEVOTUS NOMINI, ET MAJESTATI CAROLI,

NATALITIA SUBJECTIONE, ET FIDE,

ADDICTUS CELSITUDINI JOANNIS

CLIENTELARI OBSEQUIO, ET CULTU,

MAJESTATI CAROLI
REGIS, AC DOMINI SUI,

EXTREMUM HUNC LITTERATI GENII SUI LABOREM,

AD LEGES JULIAM, ET PAPIAM,

COMMENTARIOS, AC RELIQUATIONES,

SOLENNI NUNCUPATIONE, ET VOTO,

D. D. C. Q.

AUCTOR PANEGYRICI AD MAXIMIANUM, ET CONSTANTINUM.

LEges hæ, quæ multa cælibes notavere, parentes præmiis honorarunt, vere dicuntur eſſe FUNDAMENTA REIPUBLICÆ, quia Seminarium juventutis, & quaſi fontem humani generis, Romanis Exercitibus miniſtrarunt.

SENECA, DE BREVITATE VITÆ, Cap ultim.

LEx à quinquageſimo anno militem non cogit. A SEXAGESIMO SENATOREM non citat. Difficilius homines à ſe otium impetrant, quam à lege.

DOM.



DOM. D. EMANUELIS
GONZALEZ TELLEZ,
PINCIANI NUPER PRÆSIDIS,
NUNC SUPREMI HISPANIARUM SENATUS CONSILIARII, ETC.

RELATIO AD SENATUM.

JUSSU veſtro, Amp. PP., ſedula cogitatione legi, relegi, & perluſtravi hæc Commentaria, ad leges Juliam, & Papiam, non cenſoria cura, nam Opus hoc *(cenſoriæ intentionis Epiſcynium diſpergit*, ut alias ajebat Tertullianus. Ecce nunc veſtris ſiſtitur aris Princeps Juriſprudentiæ Romano-Hiſpanæ, ac D. Franciscus Ramos del Manzano, in hoc noſtro Conſeſſu Senator Decanus, & extra illum pridem in Regio Mediolanenſi extraordinario, & poſtea in Supremo Indiarum Conſilio Illuſtriſſimus Præſes, cujus partes toto Orbi ſpectatiſſimas, mearum partium eſſe nunc voluiſtis, ut ad vos referam: *Non (a) electus unus, qui maximo ingenio*, ut in re iſta par erat, *ſed relictus ex omnibus, qui minimo periculo poſſem dicere, etenim quamvis* (*b*) in quolibet negotio *exiſtimare de Principibus nemini fas ſit. Nam & in veſtibulo ipſo inquirentem repellit objecta veneratio, & ſi qui propius adierunt, quod in oculis in ſolem ſe contendentibus evenit, perſtricta acie videndi facultate caruerunt: quocirca* (*c*) *nulla vox fortis, nulla oratio felix, nullum ingenium tam fœcundum unquam fuerit, quod poſſit, ab illuſtri Conſenatore noſtro res geſtas digne exprimere.* Attamen juſſis veſtris obtemperans accingar operi dicturus, *prope* (*d*) *plura quam potero, ſed pauca quam debeo. Nam & magnitudo ſtuporis locum multis plauſibus non relinquit.*

Natus, datuſque pridem in ornamentum celebri noſtro Salmantino Athenæo vix Auctor fuit, cum Profeſſor illuſtris aurea hæc Commentaria, quæ nunc tandem aſpicimus, incepit

(*a*) Cicero *in Orat. pro Sexto Roſcio.*
(*b*) Nazar. *Paneg. Conſtant.*
(*c*) Capitol. *in Max. & Balb. cap.* 17.
(*d*) Panegyr. *Mar. Aug. dict. Symmach.* 10. 22.

incepit meditari, eorumque ſpecimen è publico ſuggeſtu auditoribus Juris, ingenti plauſu, tradere deguſtandum, quibus quidem auſpiciis Primarius deinde Patrum Salmantinus Profeſſor renunciatus eo in officio.

Nil (e) tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,
Nec ſanctum magis, & mirum, rarumque

Academia viſa eſt. Nec multo poſt Mediolanenſis Curiæ ſpectatiſſimus Præſes effectus, quo etiam in munere talem ſe omnium voto geſſit (*f*) *qualem ante eum, qualem poſt eum vix unus, aut alter (non ſinit enim me verecundia ſua dicere, qualem nemo)* quod & in cauſa fuit, ut non longo etiam poſtliminio Regiam Curiam reverſus, in ampliſſimo Italicarum rerum adſeſſu, inter lectiſſimos illius Regentes cooptaretur, ubi (*g*) *& haud æque imparem omnium demeruit gratiam, variis actionibus æqualiter approbatus, & his (h) illi debite tot ampliſſimis laudibus initi to, apicem* tandem ipſum Regale Judicium, *juſta remuneratione, non differret*, id eſt, ampliſſimo huic tanto Senatui adnumerari; *juſte (i) etiam potentiora conſequitur, qui de commiſſa ſibi adminiſtrationis perfectione laudatur, & quanti ſumma adipiſcatur, judicetur tamen ab omnibus, plus mereri.* Ita enim certe evenit, cum non diutius multo poſt Auctor noſter, cui ob inſignium meritorum ſuorum, atque doctrinæ pompam & illud quoque convenire, videbatur,

Unus (k) Pellæo Juveni non ſufficit Orbis,

ex Ordine noſtro ampliſſimo ad Indiarum Senatus Præfecturam cum præeminentiis Præſidis proprietarii, non tam aſſumptus, quam ſelectus fuit: quantum ibi humanitatis præſtiterit, quantum auctoritatis, ſilere me, haud gravemini, Amp. PP. (*l*) *Longum eſt enim, de illius gloria ſufficienter loqui, quem ſingularem gentibus ſuum ſeculum genuit*; ſatis ſit, non omittere, illum etiam à Philippo Rege noſtro ad pacis, & matrimonii fœdera, cum Ludovico Galliæ Rege ſancienda, ad extrema Regni confinia Exlegatum ſelectum, utpote

Mores (m) vetereſque, novoſque tenentem,
Multarum veterum legum, Divumque, hominumque
Prudentem; qui dicta loquive, tacereve poſſet

Tandem ex eo munere ad Caroli II. & morum, & doctrinæ Magiſterium fuiſſe elatum; *& (n) non credo benignius, & publice utilius ingenium, non item modeſtius, & Principi aptius*, reperiri potuiſſe, & ſub idem tempus, etiam ad Cameræ interius Conſilium electum fuiſſe. *Sed cur ego diutius ſermonis pauper obgannio?* Maxime cum & in hoc etiam officio, me quoque jam anteiverit Præceptoris ſui ab affectu, ab amore, amantiſſimus Doctor meus, Don Joſephus Fernandez de Retes, noſter heu Conſenator laudatiſſimus, quem nuper ab amplexibus

——— (*o*) ——————— *Raptu*
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

Illum avidi lectores ut adeant, oro, præclaras Scriptoris noſtri dotes ex limatiſſimi judicii cenſura præcogniturі; ſed poſt illius vere immaturam mortem, ſunt & alia etiam, quæ ſuperius ab ipſo commemoratis cumulem; *Nonne (p) bis enim tot, tantiſque meritis honoratus, novos aliquos honores, novos* TITULOS *merebatur*? Merebatur plane, *perque omnia & decus, & nomen, &* TITULOS, *ibi fortuna ſua quærebatur*, quod de Pompeio ſuo Lucius Florus obſervavit, & Magiſtro ſuo Carolus noſter potentiſſimus retulit, ipſum ſplendidiſſima Comitis de Francos dignitate decorando, *Ut, (q) quod aliis eſt præmium, illi eſſet retributio meritorum*, poſſetque illud Claudiani, Regis ſui potentiſſimi Magistri, propius inſervire:

Jam (r) Dominas aures, jam Regia tecta meremur
Et Chelys Auguſto Judice noſtra ſonat.

Maxime cum jam tandem illum ipſum, non aliis certe, quam ſuis meritis per omnia ſuffragantibus, huic noſtro Senatui Præfectum noverimus, honeſtiſſimo Regio decreto, quo expreſſum, digniſſime ei commendari potuiſſe proprietatem Præſidentiæ Caſtellæ, niſi invaletudine ſua excuſaretur: *Macte (s) ſumme vir felicitate laudabili, qui ad hanc vocem*

(*e*) Claudian. *de Manlii Theodor. Conſul.*
(*f*) Plinius 4, 3.
(*g*) Caſſiodor. 3, 15.
(*h*) *Idem* 1, 3.
(*i*) *Idem* 11, 12.
(*k*) Juvenalis.
(*l*) Caſſiodorus 8, 9.
(*m*) Gellius *lib.* 12. *cap.* 4.
(*n*) Lipſius 3. *de magn. Rom. dial.* 11.
(*o*) Virgil.
(*p*) Plin. *in Paneg.*
(*q*) Caſſiod. 1, 3.
(*r*) Claudianus *in præfat.*
(*s*) *Caſſiod.* 1, 3.

vocem dominantis animum impulit, ut honorem ſuum potius eſſe fateatur, quod illi conceditur. Quod tamen abſque leviori certe partium ſuarum diſpendio conſtantiſſime renunciavit, mirantibus quotquot magnitudinem honoris recta lance penſabant, nullo quippe elatus favore in cothurnum ſe magnæ poteſtatis erexit, ſed æquitate cuncta moderatus, majora ſibi fecit optari, dum intra modeſtiæ terminos magna cohibuit. Hic enim eſt probatæ conſcientiæ gratiſſimus fructus, ut, quamvis ſumma aſſequatur, judicetur tamen ab omnibus, plus mereri; licet in laude tanti viri proclivior ſim, magnaque adſit ſeges. Quid enim illaudatum abeat in hoc præclaro Præceptore, in quo uno collectum efflorer, quidquid admirandum in Juris, & eruditionis arte imputare ſeculis Hiſpania potuit. Votum ſilentio conſigno Vive igitur feliciter, diuque bujus ævi, & futurorum gloria, & patriæ decus, ut à te omnes doceamur. Materies operis (ut de re dicere incipiam) adeo nova, ut nullus prior illuſtratione tentaſſet, ſed ipſe

Libera (t) per vacuum poſuit veſtigia Princeps,
Non aliena ſuo preſſit pede.

Ejus difficultatem melioris notæ Auctores agnoverunt, inter quos Deſiderius Eraldus non proletarius, ſed bonæ notæ Juriſconſultus *in notis ad Apolog. Tertulliani*, ad illa verba: *Nonne vaniſſimas Papias leges*, ſubjungit, *quod ait Tertullianus, Papia lege coactos ante ſuſcipere liberos, quam lege Julia cogerentur, vel etiam permitteretur uxorem ducere, id quomodo ſit accipiendum, fateor, me non ſatis intelligere. Nam quæ alii ſcripſerunt in hunc locum verba ſunt, & ſomnia mera; Nos conſultius exiſtimamus, ignorationem noſtram profiteri, quam hac de re quidquam temere pronunciare, quam dextere*, tamen verba illa quam docte, & exacte, exponat eximius Præceptor, videre eſt *lib.* 4. *Reliq.* 24. Obſtruſa hæc Juris portio, ſumma præcedente ſpeculatione, contemplatione, & lectionis aſſiduitate, à ſolertiſſimo Hiſpaniæ Præceptore luculenter tractatur, multa librorum paratura, ſed ſemper obſervatione, & captu magni ingenii, quo pollet, illuſtratur, non ductus extrinſecis, ut dicunt, fundamentis, ſed ex ipſis fontibus Juris, tam Orientalis, quam Latini Imperii, vel ex ipſa ratione, quam acriter propria penu depromit: familiaris myſteriorum Juriſprudentiæ veteris, ipſiuſque interioris artis tractatio Juſtitiæ Sacerdotem exprimunt melioris genii; nihil unquam temere, aut incognite effudit, nihil, quod non ad Juris, & aliorum Auctorum oracula examinatum, veritatis obſignatione muniatur. Methodus, & partitio operis apta eſt, conſtans principiis, concluſionibus, & illationibus, aliiſque partibus, quas recta analyſis poſtulat; phraſis etiam ab Schola, nec Grammatici, aut Ariſtarchi proprietatem in dictione deſiderabunt, conceptum exprimit appoſite, & breviter: venuſtiſſimam bonæ notæ Auctorum illuſtrationem quis non miretur? & in ea quid pluris faciendum, neſcio, ingenium, an eruditio? De Juris Sacri, Divinarumque Litterarum notitia, præjudicatam habet opinionem, à perdoctis ſyntagmatibus de Epiſcopatibus Regni Luſitaniæ, & de prætenſis Galliæ juribus ad Status Flandriæ, quibus elegantius, aut doctius nihil Europa legit. Scriptum hoc decus erit nationis, Athenarum noſtrarum æterna gloria, nam electa, & [illegible]cta eruditio ab operis veſtibulo agnoſcitur.

Eſt (u) aliquid, plenis pomaria carpere RAMIS,
Et tenui primam deligere ungue roſam.

Ingenii acumen, doctrinæ claritas, judicii rectitudo, quibus prolimirantibus eruit è ſitu, & tenebris Latii leges, omnes mirantur:

Nec (v) ſinit antiquo Romam ſqualleré veterno.

Mire ad rem Plinius (w) *Eſt opus pulchrum, validum, acre, ſublime, varium, elegans, purum, figuratum, materia clauſum, declamatione conſpicuum, propoſitione obſtructum, diſputatione reſeratum, vernantis eloquii flore munitum, ſpatioſum etiam, & cum magna Auctoris laude diffuſum.* Inveniunt hic lectores Conſultorum Reſponſa, Imperatorum Edicta, Sacræ paginæ auctoritates, Conciliorum Canones, Patrum ſententias, Juris patrii leges; vero, genuinoque ſenſu donatas: obſtruſiſſima principia, & quæ crux fuerant interpretibus, placide, & facile expoſita: exactiſſimam cum Auctoribus de veritate concertationem; probum, rectumque electionis judicium, quod homini tantæ auctoritatis mos, & fas ſolet eſſe; ea eſt ratio, quia ſedulitas omnia perquirendi, videndi, trutinandi, faciebat ipſum deſcendere à ſummo ad imum. Hæc inter nec ſilendum, in opere, præcipue Academico, tranſiiſſe auctorem, quoties ſe occaſio dedit, à Schola ad Forum non ſemel, & quidem dextro pede, & judicio, ut cernere eſt in ſyntagmate de fontibus Eccleſiaſticæ, & Politicæ auctoritatis, eique conſectaneis diſputationibus, *de recurſibus violentiæ, ex libr.* 3. *cap.* 41. *& ſequentibus*, uſque *ad libri finem*, in queis, & aliis perplura ſunt

(t) Horat. *lib.* 1. *epiſt.* 19.
(u) Ovidius *in Heroid. epiſt.* 4.
(v) Prudent. *lib. priori contra Symmach.*
(w) Plin. *lib.* 4. *epiſt.* 20.

ſunt Senatoriis ſubſelliis digniſſima, & eruditis Advocatis uſui futura ad fori paraturam. In hoc opere collecta inveniuntur quidquid in Poëtis lepidum, in Heroicis arduum, in Comicis authenticum, in Lyricis cantilenoſum, in Satyricis figuratum, apud Oratores grave, in Annalibus fidele, inter Grammaticos eruditum, in Philoſophis myſticum, in Panegyriſtis plauſibile, in Commentatoribus lucidum. Sed quotus ego, aut quantus, qui judicium de tanto ſcripto, & tam illuſtri Scriptore promere audeo? nihil frigidius, quàm lex cum prologo: adeat eruditus lector, & perlegat, leget gemmas, & uniones colliget; opto tamen, ut legenti in animo ſedeat, opus hoc percurrere, rimari, ut ſic fidelius hæreat memoriæ, qui eſt fructus ſedulæ, & curioſæ lectionis.

Supereſt, ut de procurata editione agamus. Dictabat publice Commentaria hæc Illuſtriſſimus vir Salmanticæ, quæ vel Civitas litterarum, vel domicilium, ſedeſque ſapientiæ eſt: inibi centum ad minus Profeſſores Juri dicendo operam collocantes vidi, quotidie novis opinamentis, obſervationibus, prælectionibus utrumque Jus, Sacrum & Politicum, illuſtrantes, locupletantes: ea omnia vel voce ſola, vel privatis præſtant chartaceis, quæ ut valde proficua ſunt illi Scholæ, & in ea ſeſe exercentibus, ita vix Tormim egrediuntur, niſi ſtudioſi ipſi Codices MSS. & hos mutilos, & ſine cura ſervatos alio evehant, vel aliarum Academiarum Profeſſores ad ſe traduci curent, ut ſectatoribus ſuis dictent honoris, & compendii gratia. Ego magna nomina Anteceſſorum à Præceptoribus meis audivi, quæ ægre, & vix hodie memoriæ retinentur, Alphonſum Guillen de la Carrera, heri, aut nudius tertius, Gabrielem Henriquez, ſupparem ſere, aut ſynchronum, Joannem Davalos, Emanuelem Alphonſum, Joannem Legionenſem, Rochum Bergenſem, Joannem de Pareja, D. Didacum del Corral, Sepulvedam, tres Chumazeros, D. Martinum à Bonilla, D. Martinum de Hontiberos, & aliam electiſſimam turbam, cujus generis alibi rara copia, illic electa frequentia eſt, quos omnes nuper oblivioni tradendos, vel jam traditos; doleat quiſquis litteras amat, quiſquis litteratos juſto amore proſequitur, & ſic perierunt tot ſchediaſmata, quibus utraque Juriſprudentia mire illuſtrari poterat: magnus noſter Præceptor ſemper in animo habuit, non ſolum ore è Cathedra auditoribus ſuis, verum etiam calamo pluribus, poſteriſque prodeſſe, etſi publicis, magniſque negotiis intentus, tamen ad limanda hæc Commentaria ſemper vacavit, ut de ſe aiebat Seneca: *Mentiuntur* (x) *qui ſibi obſtare ad ſtudia liberalia turbam negotiorum, videri volunt; ſimulant occupationes, & augent, & ipſi ſe occupant: vaco, mi Lucili, vaco, & ubicumque ſum, meus ſum.* Adhuc tamen editio remorabatur variis ex cauſis, jam tandem eam debemus ampliſſimis, ac litteratiſſimis Senatoribus, D. D. HIERONYMO RAMOS DEL MANZANO, ac D. D. ANTONIO RONQUILLO, Auctoris natis, in quibus omnium plauſu paternæ eruditionis ſpirat vultus, ùtpote qui editionem hanc conſiliis ſuis, ſuiſque ſuaſionibus maturaverint. Hæc ſunt, quæ ad vos referam, Amp. PP., de Auctore, atque Opere, quod veſtram gratiam, ut lucem videat, expectat.

Ore favete omnes, & cingite tempora RAMIS.

Claudo votum (Illuſtriſſime Domine): utinam eſſet facultatis meæ, laude[illegible]liquot tanti viri, veteremque meam erga te obſervantiam teſtari, ſed nec laudibus indiges, nec ſtridulæ voces noſtræ ſolatio tibi futuræ ſunt. Dabam Matriti Kalendis Junii anno reparationis noſtræ M. DC. LXXVIII.

(x) Senec. *epiſt.* 62.

DE

DE COMMENTARIIS
HIS AD LEGES
JULIAM, ET PAPIAM,
D. HIERONYMUS
RAMOS DEL MANZANO,

Jacobæi Ordinis Eques, & Columbarii Municipii Commendatarius, ac in Caſtellæ, ſimulque Equeſtrium Militarium Ordinum Senator, Auctoris nomine, Patris optimi, & indulgentiſſimi, & ex Auctoris mente præfatur.

QUod nunc in lucem prodit Opus, ſi ante annos aliquot, & proſperiore Auctoris valetudine, & rebus, editum foret (quod ei tunc per magnas, multaſque Regii miniſterii occupationes non licuit) prodiiſſet utique abſolutum limatiore cura, & cultu. At in præſens mutatis omnibus, & ætate, ac valetudine ad extremam lineam fere verſa, ac præcipiti, & quod non minus, auctori, bibliotheca ſua, & libris exulanti, quis credat, fuiſſe animum, voluntatemve, edendi, ac ne quidem ut edi permitteret, niſi id obnixæ preces noſtræ, & amantiſſimi fratris D. Antonii Ronquillo Brizenno, in Supremo rerum Indicarum Senatu Conſiliarii, atque amicorum gravium ſuaſiones perviciſſent. Sed pervicere, & ſane merito; viſum quippe, non tantum ex privata noſtra, ſed ex publica litterarum, & præcipue Juriſprudentiæ re fore, ne tot per annos elaborata, & quæ pridem inter eruditos, non levem ſui expectationem moverant, cum blattis, tineiſque perirent. Quadraginta ab hinc anni ſunt, & amplius, cum noſter Suarius Mendoza *libro ad legem Aquiliam* 1. *c.* 2. *ſect.* 5. *n.* 52. *Vota eſſe concepta pro hoc partu*, ſcribebat Salmanticæ, *ad annum milleſimum ſexconteſimum quadrageſimum*, & eiſdem fere annis, atque ex eadem Parentis diſciplina alii, quorum nomenclaturam ſequentes paginæ exhibebunt. Et vero ante eum annum, & ab illo 1632. quo idem Suarius Mendoza Academicum diarium Certamen, capita Juliæ, & Papiæ legum, & earum appendices complectens, atque his Commentariis adjuncta, Salmanticæ propugnavit, Parente noſtro è Cathedra præſide, inchoati, continuatique hi Commentarii, & perducti ad potiorem partem librorum, in quos nunc diviſi: & ſpes erat, non modo illos abſolvendi, ſed & pergendi ad illuſtranda hrevibus notatis, & ſcholiis reliqua legum capita, ſi diutius Salmanticæ manſiſſe permiſſum foret.

At non permiſſum: & evocavit ex Primaria Anteceſſura, & promovit optimum Parentem non candidatum, non prenſantem, non ambientem, ad munus Præſidis Mediolanenſium extraordinariorum rediruom, & Regii ibi Secretioris Conſilli dignitatem Optimus, Maximuſque Rex noſter Philippus, & brevi illinc ad Regentis Togam Supremi Italici Conſilii, & brevi etiam ad ſummas Senatorias inſulas ſummi Caſtellæ Senatus, quibus acceſſere Cruciatæ, Millionum, Competentiarum, & aliorum Conſeſſuum, & Aularum miniſteria, inter quæ & extra ordinem arcano Regio juſſu per primum illius adminiſtrum, Excellentiſſimum Ludovicum de Haro, commendata Parenti noſtro ſcriptio illius Eccleſiaſtico- & Politico-hiſtorici ſyntagmatis, *de Epiſcopatibus Portugalliæ*, quod Hiſpana lingua Matriti editum, & tranſlatum poſtea, accurante Excellentiſſimo Neapolitano Prorege, Pennarandæ Comite, in Italicum idioma, & præla, & tamen jam neutro idiomate, & prælis, dum inter eruditos quæritur, vix invenitur. Acceſſit & ſubinde eadem Regia dignatione, & juſſu, nominatio Exlegati Juriſconſulti pro pace inter Catholicam, & Chriſtianiſſimam Coronas, & connubialibus, quæ parabantur, pactis firmandis ad Pyrenæa juga, & congreſſum, cui Parens noſter adfuit, ſecunda nulli inter Hiſpaniæ, & Galliæ litteratos exiſtimatione. Jam porro & fere continenter poſt illum congreſſum, præcedentibua Conſilii Status conſultationibus, & honoratiſſimo Regio decreto injunctum Patri noſtro, impoſitumque vel recuſanti onus, an cura, ſcribendi, Latina, ac Hiſpana lingua, Hiſtoriam Philippi, ſimulque ut intra hiſtoriæ fines, propugnatoria tamen vi, reſponderet ſeditioſis libellis, impugnantibus Jura Regnorum, & ditionum, ex queis Monarchia Hiſpana conſtat, atque in id opus, ut patefierent ſcribenti quotquot in Archivis, & ſecretioribus ſcriniis Conſiliorum Status, ac Belli, atque aliorum Senatuum arcana monumenta extarent.

Tot inter, & tam varia Senatoriæ Juriſdicinæ, & hiſtoriæ, ac politicarum pro Regiis juribus diſceptationum molimina, dormiebat ſcilicet lex Julia, & Papia, ut de alia Julia Juvenalis, & commentationis ejuſce calamus, velut alter veteris Poëtæ Aiax, in ſpongiam incubuerat: ſed adjectum, quo altiorem ſomnum ſterteret, delatum inſperanti, ac ſine ulla aulica ſuffragatione (ſoloque Regio motu) nam *unus ei omnia Philippus*, ut de Gratiano ſuo olim Auſonius, munus, atque honor gubernandæ Præſidentiæ, cum proprietarii prærogativis, Supremi Indiarum Conſilii, totque in novo illo Orbe Juſtitiæ, Gratiæ, Belli, Politiæ, & Regii patrimonii, ac Indicæ navigationis, & Claſſium curas adminiſtrandi, queis per biennium inſtitit celebriore felicitate, & fama, quam & domeſticis elogiis egeat, donec regreſſo Hiſpaniam Neapolitano Prorege, Pennarandæ Comite, dimiſſis novi Orbis curis, licuit, priores ſuas Senatorias, ac Hiſtorico-politicas retractare, ac reviſere.

Licuit jam eo tempore, veteris curæ Commentariorum Juliæ, Papiæque legum meminiſſe, & illorum ſchedia repetere, ac ſucceſſivas aliquas horas ſeponere, quibus & abſolvendi inchoata, & multa ex Tribunalium, ac fori paratura ſuperaddendi (quæ

Salmantina theoria non daret) ac denique ad reliqua legum capita, progrediendi non deerat cum votis ſpes. Quamquam ne vel intra eos feriæ ſeneſcenti illi ſuppeterent, quæ nec puero quidem contigerant, ut de ſe quondam ille Romanus, deſignatus fuit, & promotus à Catholica noſtra, & Auguſta Mariana Regina, ad Magiſterii doctrinæ, & morum Auguſtiſſimi Caroli Secundi, quem honorem, niſi, qua debuit, ſui diffidentia recuſaſſet, & obediens (adeo non ambiens) humeros oneri non tam offerre, quam ſupponere, neceſſe ei fuiſſet, habuiſſet poſtea, quo magis pœniteret, multa in Aula, & Aulæ artibus expertus, gravia homini extra Aulam, & ſincerioribus artibus innutrito. At quando hæc non hujus loci, illud ſaltem fuerit, accepiſſe, ſub ipſis Magiſterii auſpiciis, è Regia manu ejuſdem Reginæ, Regia voce, & mox Regio ſcripto decreto, explicitam, libellum de Juribus Galliarum Reginæ ad Brabantiam, & alias Belgii ditiones, ſimulque juſſionem, tunc ut eidem quantocius reſponderet. Nec mora in obſequendo fuit: excuſo paucos intra menſes Matritenſibus typis, & Hiſpana lingua, juſto volumine, quo reſponſum libello Galliæ, & quod deinde, Hiſpana item lingua, in Belgio recuſum, & illic etiam ex Hiſpana in Gallicam linguam tranſlatum, & in Italicam Mediolanenſibus, ac demum anno 1674. Latina verſione donatum,*& evulgatum, proſtat tot linguis, typiſque, & teritur eruditorum manibus, eoque adeo victæ, ac convictæ Gallici libelli impoſturæ, ut vere Anonymus ſcripſerit, Francos Rami reſponſo non niſi triginta millium exercitum opponere potuiſſe. Nec tamen adhuc feriæ Parenti noſtro; nam cum id tempus uſque Regiminis tutorii ſtatum ſaltem tolerabilem agnoſceret, & laudando excitare, ſimulque inſtruere vellet, ne in deterius prolaberetur, ac viciſſim muneris ſui eſſe cenſeret, Regem ſuum, ac dominum, cujus educatio ei concredita, Magnorum Regum in minorenni ætate, exemplis inſtruere, & quæ imitanda, vel vitanda forent, legendo, ac relegendo, ut & fecit, addiſceret, ſcripſit eo argumento, titulo, ac fine fragmenta Hiſtorica, Hiſpano, neque novitiolo, idiomate, non tam Aulæ auribus, quam veritatis, & judicioſæ libertatis in Hiſtoria amantibus accommodate, nec ſine aliquo politicæ cenſuræ aſſenſu.

Præmonuiſſe hæc oportuit, ut & Auctori dilatæ tamdiu Juliæ, Papiæque legum Commentationis, & nobis properatæ nunc editionis ratio conſtaret. Quibus inſuper & pro noſtra editionis inſtantia, & erga optimum Parentem affectu, adjicimus, cum tot publice legerentur illius ſcripta juridica, politica, hiſtorica, qualia recenſuimus, viſum nobis, ex illius fama, & claritudine omnino eſſe, ne diutius deſideraretur primarium opus deſideratum, ex quo Salmantinam Scholam Primarius Anteceſſor fulſit, &, ut Satyricus cecinit, tamdiu multis *quæſitus Hylas*, & quod eſſet Juriſprudentiæ Civilis theoricæ, quam in Academia profeſſus, & ejuſdem practicæ pro Tribunalium uſu, queis poſtea aſſedit, præſeditque, nobile monumentum.

Jam ergo de eodem opere, & Commentariis pauca, & præcipua, & in primis fuiſſe eam partem Romani Juris, quæ ex Julia, & Papia legibus conſtat, vel inter veteres Juriſconſultos inſignem, ut apparet ex tot eorum libris, ad eas leges ſcriptis, & inſcriptis, fuiſſe & eaſdem leges præ aliis Romanis nobiles, & habitas pro fundamentis Reipublicæ, ut Panegyriſta ille ſcribebat, ac denique fuiſſe hactenus ætate noſtra, inter purioris, & antiquæ Juris ſcientiæ cultores, viſam illarum legum commentationem, dignam Magno Juriſconſulto, ut de Cujacio Lipſius profeſſus, & quod experti agnoſcent, ſane difficilem. Nam præterquam quod legum capita ex tot Romani Juris, & humanarum litterarum libris, velut fragmenta, aut tabulas è naufragio colligere, non fuit levis operæ (quod tamen jam Antonio Auguſtino, Lipſio, Torrentio, & noviſſime Gothofredo potiore ex parte factum) at qui in Pandectis extant, ad eas leges inſcripti, Juriſconſultorum loci (cum non pauci ſint, qui ab illorum tractatu alieni, ac fere fugitivi videantur) & qui alti ſine inſcriptione ad eaſdem pertinent, obſervare, explanare, & ad quod legum caput, ſeu partem referendi, ſtatuere, conjectationis eſt, & cenſuræ, non cuivis temere committendæ.

Hæc difficultas, & dignitas operis, nunc, ut de commentariis, agnoſcimus ingenue, ſi auctori noſtro infra ſuam Juliæ, Papiæque legum ſpartam manere placuiſſet, & neceſſaria explanatione ſine excurſibus contentum eſſe, nec tot adſcita magis, quam cohærentia*ex humanioribus litteris, & Eccleſiaſticis, Forenſibuſque analecta admiſcere, non modo potuiſſe in arctum cogi, qui tres libri eduntur, ſed & ad reliqua legum capita ſaltem illuſtranda, tempus non fuiſſe defuturum. At res, ut agnoſcimus, fuit, & Salmanticæ commentatione cœpta, mille ſcholæ, otii, & juventutis illiciis, & evagari in aliis diſciplinis vacabat, & abſolvendi tam vaſti operis ſpes ſuppetebant, exegit deinde ab auctore, ne inæquale quodammodo trium librorum ſubtegmen videretur, ſimilia analecta interſerere, & inter alia, accuratum illud ſyntagma, de Eccleſiaſticæ, ac Politicæ poteſtatis fontibus, & conſectaneis, quod rectæ, & eruditæ fori, & Tribunalium cenſuræ probatum iri, non deſperamus.

Tandem & ſubmonemus, regreſſo ad Lares, libroſque ſuos Parente noſtro, injunctum ei honeſtiſſimo Regio Decreto, temporarium (non enim perpetuum ſubiret) gubernandi Supremi Caſtellæ Conſilii munus, ac dein Regia munificentia (qualem exercere olim Reges noſtri erga ſuos Conſiliarios, ſoliti, ut *in l. 7.* ubi Gregorius *gloſſa 9. tit.* 20. *part.* 3.) acceſſiſſe Comitis Francorum titulum, decuſque, atque eis demum ſuperveniſſe invaletudinem auctoris, quæ illi, & prælis, jam ſudantibus pauſam fecit.

Nec plura nos de his commentariis, ſeponentes quæ de Reliquationibus præmitti poſſent, & reſervantes præfationi, quæ ſeorſim illas præcedet. Matriti Nonis Junii 1678.

PARERGA,

P A R E R G A,

ET EORUM NOTÆ

IN CLASSES REDACTÆ.

QUÆ VEL

SACRO-ECCLESIASTICA, THEOLOGICA, CANONICA;

VEL EX

JURE CIVILI THEORICA,

Nova, aut Paradoxa; vel ex Hodiernis Moribus, & Regiis Legibus, pro Tribunalium, & Advocatorum uſu, Forenſia, & Practica; vel tandem Miſcellanea, Politica, Hiſtorica, Philologica, his quatuor libris interſeruntur.

SACRO-ECCLESIASTICA, THEOLOGICA, CANONICA.

DE *hæreticis, nuptias damnantibus*, lib. 1. c. 4. n. 5. *De unctione funebri, ex Sacris Scriptoribus.* 1. c. 15 n. 5. &c. 4. n. 1. *Exactio pretii pro ſepulchro, improbata priſcis Canonibus; hodie recepta, & quo reſpectu, ſicut & ut laicus laico vendat ſepulturam, & an tunc gabella noſtra debeatur. Equeſtres militares habitus vendere, non licere. De hodierno monopolio lugubrium.* 1. c. 16. num. 2. 3. & 7. *De funebri indumento Martyrum, Dalmatico, & Colobio, & de palla Altaris, qua vetitum, mortuum obtegere, illuſtrati veteres Canones.* 1. c. 18. n. 6. & 7. & 19. n. 5 *Auctoritas politica in funebribus, quæ, & quouſque, & de articulo pacis Batavicæ pro Cippo, & epitaphio ſectariorum intra Hiſpaniam.* 1. c. 21. ex n. 1. & 4. *Prohibitio, & pœna Tridentina de clandeſtinis nuptiis, non pertinet ad ſponſalia de futuro, & expediret forſitan, certam aliquam formam, ſeu ſolennia ſponſalibus ab Eccleſia præſcribi* l. 2. c. 13. n. 11. *Ad cap. Etſi neceſſe* 5. *de donat inter. commentatio juſto hiſtorica.* 2. c. 20. ex n. 5 *De Clericis Conſiliariis Regum.* 2. c. 26. n. 14. *Stoica Paralogia de peccatis paribus, ſimulque Novatiani damnati.* 2. c. 34. n. 6. & c. 35. n. 14. *De ſcenicis, & meretricibus, quæ pœniterent, admiſſis priſcæ Eccleſiæ benignitate ad baptiſmum, & nuptias. Sacerdotia, & Templa Idolorum quamdiu, & quatenus ſteterint poſt Conſtantinum.* 2. c. 38. *Clementis I. Epiſtola de Flaminibus, aſſerta contra Novatores.* 2. c. 40. n. 4. & ſeqq. *De hodierna Hiſpana Comœdia, & an licita, aut tolerabilis; & tolerantia, aut prohibitio an ſit propria auctoritatis Politicæ, vel etiam Eccleſiaſticæ, & utraque contendente, cui potius ſtandum.* 2. c. 41. n. 4. *De connubio ingenuorum cum libertinis, ex priſcis canonibus, qui illuſtrantur.* 3. c. 3. *De eunuchis Trullanus Canon, & Sixti V. Motus proprius.* 3. c. 4. n. 9. & 10. *Locare domum ad uſum toleratum, utcumque inhoneſtum, an liceat, Theologice diſquiſitum.* 3. c. 13. ex n. 5. *Adulterium peræque turpe in viro, ac fœmina, ex Eccleſiæ cenſura, tametſi aliud Romanis legibus.* 3. c. 14. n. 6. & 7. *Diſſertatio Theologico-moralis, cur pro extrema neceſſitate vitanda, ſicut furtum excuſabile, non ſit itidem ſimplex turpitudo* 3. c. 20. & 21. *In quo de improbatione ſimplicis mœchiæ ex Divino Jure, & Naturali, atque hujus ratione.* & c. 22. num. 3. & ſeqq *Pro regula de eligendo inter duo mala minori, quomodo intelligenda Et ex ea* c. 23. & 24. *intellecti notabiles ſacræ paginæ loci, & de polygamia Patriarcharum* dict. cap. 23. ex num. 2. *De viduali ſtatu in vetere Eccleſia.* 3. cap. 28. num. 1. *Serici uſus in Clericis.* 3. cap. 29. num. 5. *De oma Clericali, ſive granis, ad Canonem Braccharenſem, & Toletanum.* 3. cap. 31. *Collatio cap.* 25. de ſentent. excommunic. cum. l. 15. §. 15. de injur. 3. *cap* 31. *De Comicis, & ſcenicis, ſive de comatis, & cinerariis, pro Can.* Illiberitano 67. & aliis. lib. 3. cap. 38 & 39. *ubi de Can.* 18. *Apoſt. & Neocæſarienſi, &* 40. *de cap. Inter* 20. *de ſponſ. Sequitur jam inde* a lib. 3. cap. 41. uſque ad 57. *Syntagma Juſto-Theologicum de Eccleſiaſticæ, & Politicæ poteſtatis fontibus, & utriuſque confiniis, & diſtinctione, de qua proprie, & elementaliter* dict. lib. 3. cap. 43. *Unde & ad matrimonia, & conſectanea pleraque, & de præcepto ad nuptias, ex legibus Julia, & Papia* (*de quo* & Reliquat. 24. lib. 4.) *Et ad conſectanea plura, & ad recurſus per viam violentiæ. Claſſis hujus propria diſquiſitio, an licuerit, vel nunc liceat Chriſtianis Principibus, de matrimoniis ſtatuere.* dict. cap. 41. num 6. & ſeqq. *De defectu poteſtatis politicæ, ex Jure Divino, quoad Sacra, & Clericos, non item ex Jure Divino, ſed ex poſitivo Eccleſiaſtico, cui acceſſit Principum conſenſus* 3. cap. 43. num. 3. *Proinde nec eſſe poteſtatis politicæ, conſe-*

re, aut præcipere de Sacris, aut cultu, imo nec licitum, uti ſupplicatione, aut Regio exequatur, in decretis definitoriis Apoſtolicis, de Religione, ſecus ſi non definitoria è Cathedra, ſed directoria, pro meliore aliqua diſciplina. Defenſus Juſtianus contra Marcam, in ritu reſponſionis populi poſt conſecrationem, AMEN. Defenſus etiam Carolus V in libello Interim. Hæc, & alia cap. 43. & 44 ubi & de auctoritate politica, auxiliatrice Sacrorum Canonum, & ex profeſſo de obſervantia Hiſpana, ne Monaſteria fundentur ſine Regia licentia. Eccleſiaſticos, tamquam ſubditos, obligari legibus Principum politicis, de re temporali, & publico bono latis. Et de Valentiniani 1. & 2. legibus, in Clericos hæredipetas; & Mauritii, de arcendis militibus à Monachatu; ac Franco-Gallicis, de non admittendis ad Monachatum, vel Clerum ſine Regis licentia. Similes quas vocant, amortizationis, ſive de non alienando in Eccleſiam, & quando, ac quatenus damnabiles. 3 cap. 45. Obſequium ab Eccleſiaſticis, tamquam ſubditis in temporalibus, debitum Regibus. 3. cap. 46. De auctoritate Regum ad arcendos è Regno Clericos turbatores, ex profeſſo. cap. 47. & cap. 48. An poſſint eis præcipere, ne è certa Regni Urbe excedant: de quo in utramque partem diſcuſſo non deciſum, ac potius peroratum, de attemperando uſu politicæ auctoritatis in Eccleſiaſticos. Quando, & quouſque obnoxia politico imperio libertas matrimoniorum, pro Can. Tridentini Seſſ. 22. cap. 9 diſtincte traditum 3. cap. 48. 49. & 50. ubi de libertate juſta, aut injuſta; de coactione reverentiali, aut præciſa; de impeditiva abuſuum in matrimonialibus, ſalva eorum ſubſtantia, de nuptiis filiorum familias, aut viduarum, intra annum luctus. Conſuetudine non induci impedimenta, dirimptoria matrimoniorum, niſi ea legitime præſcripta, & probata ab Eccleſia, ad cap. 1. de ſponſal. theologice, & canonice. 3. cap. 51. De recurſibus per viam violentiæ, & decretis laicorum. 3. cap. 52. Et cur in pari jure, ſe tuendi, inter Eccleſiaſticum, & Politicum Principatum prævaleat politicus, per decreta laicorum. 3. cap. 52. & de recurſibus à non deferendo appellationi, & decretis, quoad illos, ſubnixis jure defenſionis, debitæ ſubditis, etiam Clericis, tamquam membris politici corporis, neque à Chriſto Domino mutatæ, aut minutæ, imo propriæ, & primævæ Principatus politici, ex fine ſuo tuendæ publicæ rei, & quietis, ac proinde non æque propriæ Eccleſiaſtici Principatus, cujus altior, & alius finis. Ut 3. cap. 53. & de recurſibus in cauſis, de immunitate Templorum, in queis diſtinctæ theſes, & decreta, & ſtabilita aſſertio, ut ſi ei decreto locus in notorietate juris, excludentis ab immunitate. lib. 3. cap. 54. & de recurſibus in cauſis vectigalium, ſeu millionum. cap. 55. in quo reddita ratio, & juſta intelligentia illi decreto, vim fieri in cognoſcendo, & procedendo, quomodo cognoſcit, & procedit. Denique ubi recurſus eſt de Regio patronatu. cap. 56. & 57. ubi de intellectu c. Quanto de judic. & non pertinuiſſe eum textum, aut pertinere ad Regios patronatus.

THEORICA, NOVA, AUT PARADOXA.

LEges Julia, & Papia, favorabiles, quatenus nuptiis, & ſoboli ſtuduere; & odioſæ, quatenus ærario. lib. 1. cap. 6. n. 3. Nuptias Senatorias cum libertinis fuiſſe injuſtas, ex legibus Juliis, at non irritas, niſi ex Marci Oratione, lib. 2. cap. 8. & 9. De donationibus, legatis, inſtitutionibus, dotibus in illicitis nuptiis, obſervata multa. 2. cap. 14. uſque ad 20. Pro vulgato illo, de infirmandis, aut non, ex ſubſequuto caſu, his, quæ ab initio conſtiterunt, auctarium, & cenſura. 2. cap. 33. num. 9. Elanguiſſe poſt Conſtantinum, Juris Romani profeſſionem, & peritiam. 2. cap. 33 num. 10. Connubium fuiſſe ingenuo cum libertina, non autem ingenuæ cum libertino. Ignota hactenus differentia. 3. cap. 2. Permiſſum fuiſſe legibus Julia, & Papia, concubinatum cælibibus cum fœminis, quarum nuptiæ prohibitæ, & è contra improbatum. lib. 4. Relq. 2. Liberationem liberti propter liberos ab operis, pertinuiſſe tantum ad fabriles, & juramentum liberti de operis, fuiſſe inter verborum obligationes. 4. Reliquat. 9. Inter patronalem legitimam ex lege Papia, & eam, quæ ex Jure Prætorio, invulgatæ differentiæ. 4. Reliquat. 17. Jus accreſcendi ſtetiſſe etiam poſt legem Papiam. Reliquat. 18. ex num. 6. & quando, aut quatenus. Reliquat. 37. Cur lege Julia Miſcella permiſſæ viduis nuptiæ intra annum luctus, nec ſine juramento poſt illum, & cur favorabilior libertas, quam nuptiæ. Reliquat. 27. Quando, & quibus reſpectibus divortium libertæ à patrono, pro rato, aut pro irrito. Reliquat. 38. S. Conſulti de donationibus cauſa mortis, quoad cælibes, quæ neceſſitas, & qui ſenſus. Reliquat. 36. Ubi & de illo, quoad captatores, & illius occaſione. Cælibes non fuiſſe prohibitos, capere, niſi ex teſtamento extranei. Reliquat. 33. num. 17. Caducorum proprie non niſi quatuor ſpecies, & duæ quaſi caducorum, & exploſæ aliæ commentitiæ: atque hæreditates non fuiſſe conſtitutus in cauſa caduci. Reliquat. 35. Indignorum, ex Juris cenſura, & voluntate defuncti, diſcretio ab illis, qui indigni ſola Juris cenſura. Reliquat 39. His novis, aut paradoxis aſſertionibus non ſuperadduntur novæ interpretationes locorum Juris, ne nimium Summa hæc excreſcat, cum vix ſit caput, aut Reliquatio, in queis non aliquæ occurrant, ut legenti liquebit.

FORENSIA, AUT PRACTICA.

TRanſigere de bonis majoratus, vel Eccleſiæ, aut minorum, quando, & queis liceat, & an Regiis Quæſtoribus, de vectigalibus. 1. cap. 8. num. 1. & 6. In majoratibus Hiſpanis, etiam confiſcato poſſeſſore, non adjicitur uſusfructus Fiſco. Aliud in fideicommiſſis Italiæ, & quare. lib. 1. cap. 10. num. 2. & 3. ubi & non deberi gabellam venditionis, ſi ea nulla. Computatio l. 68. D. ad legem Falcid. non applicabilis fori uſui; neque æſtimationi annui reditus ad vitam; neque bonorum majoratus pro arrhis intra decimam; neque ſponſalitiis intra octavam; neque gabellæ ex venditione uſusfructus; denique nec Falcidiæ. lib. 1. cap. 11. num. 4. & ſeqq. Ex venditione hæreditatis debetur decima pretii, ſive, ut vocamus, Alcabala. 1. cap. 12. num. 6. De gabella noſtra, ex venditis pro anima, aut funere. 1. cap. 14. num. 5. De lugubrium impenſa, & quando ex quinto, aut tertio, & ante æs alienum deducenda, noſtris moribus, legibus, nova diſtinctio. lib. 1. cap. 20. ex num. 1. 2. & 3. Nobilitate privilegiaria an filius, ante privilegium ſuſceptus, fruatur, & an præferatur in ſucceſſione Regni natus ante Regnum; ſicut filius natus ante majoratum à patre quæſitum. lib. 2. cap. 4. Nobilitas quæſita à filio prodeſt patri. quoad pœnas. 2. cap. 6. n. 11. ad fin. Nobilitas privilegiaria, an per inuſum patris pereat filiis, ex profeſſo. 2. cap. 7. Ubi & obiter num. 12. de majoratibus Hiſpanis, & eorum perpetuitate, & vocatione propria in ſingulis ſucceſſoribus. In matrimonio putativo conjux innoxius fruatur lucris, etiam alterius noxii induſtria quæſitis, ſicut & retentione dotis ob adulterium. lib. 2. cap. 9. num. 8. Prohibitio abſoluta, & perpetua nuptiarum, complectitur & ſponſalia de futuro. lib. 2. cap. 12. num. 4. De dotibus, arrhis, ſponſalitiiſque annexis in matrimoniis illicitis, ex Hiſpanis legibus, moribus forenſia multa. lib. 2. cap. 20. Judicati de ſtatu auctoritas, & quando judicatum contra patrem, aut fratrem in nobilitate ſanguinis, aut privilegiaria noceat, proſitve filiis, aut fratribus. lib. 2. cap. 21. num. 5. & cap. 24. Judicia extraordinaria pro nobilitate, aut puritate ſanguinis, non facere judicatum, quoad majoratus, eam qualitatem requirentes. lib. 2. cap. 25. Ubi & de pragmatica pro tribus actibus poſitivis. Decreta reintegrationis, vel allectionis in Sedilibus Neapolitanis an faciant judicatum. 2. cap. 26. In quo & alia de his Sedilibus, & de lege, arcente ab eis Clericos, non lædi ea immunitatem: judicatum de alimentis non præjudicare juri filii, niſi præſumptive, & ſententiam ſummarii judicii non præjudicare in ordinario, etiamſi in illo plene cognitum, ex certiore opinione, quamvis non receptiore. 2. cap. 27. num. 2. & 9. Uſurpantium ſibi equeſtria inſignia, ſive habitus, quæ pœna, lib. 3. cap. 1. n. 14. Viſitatio Senatoria, Cenſuræ Romanæ comparabilis, comprehendi

prehendi

prebendi illa etiam Præſides. lib. 3. cap. 6. num. 10. & 11. *De pœnæ, ac mulctæ differentiis forenſia; & an eas eidem Judici moderari, & quibus mulctare permiſſum.* lib. 3. cap. 8. 9. 10. & 11. n 9. & 11. *Legalis præſumptio adulterii in eam, quæ adulterii cum ipſa damnato poſtea nubit.* lib. 3. cap. 15. num. 9. *Ad legem Tauri* 62. *de fæminis ob debita non incarcerandis, niſi manifeſte corpore turpes, quæ, & quales hæ intelligantur.* lib. 3. cap. 18. num. 10. *De viduarum pudicarum privilegiis, juxta Romanas, Regiaſque leges.* lib. 3. cap. 27. & 28. *Ad Regias leges, de diſcretione meretricum à matronis in cultu, & ornamentis.* lib. 3. cap. 29. & ſequentibus. *Vis, & captus erga meretricem, quæ pœna.* lib. 3. cap. 33. ex num. 10. *Deciſionem l. Inter* 20. *de ſponſal. quoad veniam pœnæ mortis, non recepit praxis.* lib. 3. cap. 40. num. 6. *Ex ſyntagmate, de fontibus Eccleſiaſticæ & Politicæ poteſtatis, pleraque, relata in claſſe, de Sacris; & Eccleſiaſticis. Atque hic, quæ fori magis, & praxis, qualo illud, Clericos in temporalibus non eſſe exemptos, niſi ex Jure Eccleſiaſtico poſitivo, & qui acceſſit, conſenſu Principum* lib 3. cap. 43 num. 3. *De Monaſteriis non fundandis ſine Regia licentia* lib. 3. cap 44. *Et de ſubjectione Clericorum legibus politicis, & quidem directive, & ad pœnas, quæ ſine Judicis facto incurruntur, veluti nullitatis, aut commiſſi: de Hiſpanis legibus, contra abuſus Quæſtorum in eleemoſynis, & Regularium in re teſtamentaria Item de lege amortizationis, quæ olim apud nos, & poſtea deſita.* lib. 3 cap. 45. *De Eccleſiaſtico, vocato à Pontifice, ſimulque à Rege. Epiſcopi in Hiſpania jurant fidelitatem Regibus, & pro cautione Regalium, & tamquam vaſſalli, pro temporalibus, quæ à Rege poſſident, faciunt oomagium fidelitatis, per oſculationem manus, ac de illis, tamquam feudis, ſtant Regio judicio, ac denique ad bellandum Reges olim ſequuti, unde origo militaris ſervitii* de Lanzas. lib. 3. cap. 46 *Licitum Regi œconomica, politica, & tuitiva auctoritate, arcere è Regno Eccleſiaſticos tumultuoſos.* lib. 3. cap. 47. *Et an eis præcipere, ne è certo loco Regni egrediantur.* lib. . cap. 8. *De auctoritate politica in matrimoniis, vel contra libertatem irrationabilem in eis ineundis, vel contra abuſus, diſcretos à ſubſtantia matrimonii; in quos quid. & quouſque Politico imperio permiſſum, plene* lib. 3. cap 48. 49. & 50. *ubi & de nuptiis intra annum luctus, & de mandatis Regii Senatus, ne, eo inconſulto, quædam matrimonia ineantur. De prohibitione unionis majoratuum ditiorum ex lege Regia.* lib. 3. cap. 51. *De recurſibus violentiæ, & decretis laicorum.* lib. 3. cap. 52. *Et de non deferendo appellationi.* lib. 3. cap. 53. *Et in cauſis de immunitate Templorum.* cap. 54. *Et in cauſis Millionum.* cap. 55. *Et quoad jus Regii patronatus.* cap. 56. *Ubi de origine, & progreſſu Regii Conſilii Cameræ.*

POLITICA.

DE *frequentia nuptiarum, & ſobolis, Reipublicæ neceſſaria.* lib. 1. cap. 4. & 5. *Viceſimæ hæreditatum vectigal, an hodie imitabile.* lib 1. cap. 3. num. 3. & cap. 26. num. 2. in fine. *Hiſpanæ hodiernæ Comœdiæ uſus, an politica cenſura probandus.* lib. 2. cap. 46. *De auctoritate politica in funebribus.* lib. 1 cap. 21. ex num. 1. *Lupanarium tolerantia, an politice expediens.* 3. cap. 35. & 36.

JUSTO-HISTORICA.

DE *matrimonio Alfonſi Legionenſis cum Berengaria ad cap.* 5. *de donat. inter.* lib. 2. cap. 20. ex num. 5. *In Procopii hiſtoriam arcanam, ſevera, at juſta cenſura* 2. cap. 35. num. 16. & 17.

De matrimonio Aurelianenſis Ducis cum Margarita Lotharingiæ Principe, copioſe. 3. cap. 51. *Ethnica ſuperſtitio, ubi, & quamdiu permanſerit poſt Conſtantinum M.* lib. 2. cap. 38.

PHILOLOGICA.

DE *ſexagenario anno curioſe.* lib. 1. cap. 10. num. 4. *De legato pro ſignis, ſeu ſimulachris Deorum collocandis.* 1. cap. 13. num. 1. *De unctione funebri duplici* 1. cap. 15. & 16. *De jure aureorum annulorum in fœminis.* l. 2. cap. 23. num. 5. & ſeqq. *De ignominia ſcenicorum, ex Romanis legibus* 2. ex num. 5. *ubi* & cap. 29. *plene de Thymelicis. De Perfectiſſimis, item Duumviris, ac de Sacerdotibus Gentilium multa* lib. 2. cap. 36. 37. & 38. *De Cenſura Romana, & illius notis, ac mulctis circa matrimonia.* lib. 3. cap. 5. num. 5. & ſeqq. & cap. 7. num. 8. *Lenæ mitratæ, & cur.* 3. cap. 13. num. 7. *Serici uſus Romæ probroſus viris, non fœminis.* 3. cap. 29. num. 4. & 6. *ubi & de Hiſpania: de comatis ornatricibus, & acu comatoria, & corona turrita matronali, pro ſacris, & Juris libris* lib. 3. cap. 30. *Carrucha dormitoria quæ* lib. 3. cap. 32. num. 7. *De vectigali ex meretricio, ſeu Chryſargyro.* lib. 3. cap. 37. num. 7.

D. FRANCISCI, FACIEM

QUI PRÆCESSIT, TYPUS; AT ANIMUM, ET FAMAM EXPRESSERE MELIORE PENICILLO

DECRETA REGIA,

& inſignia alia Elogia, & Cenſuræ, quæ Parentis optimi memoriæ fuit officii noſtri, reddidiſſe.

§. D. Balthaſaris Gilimonii Motæ, in Supremo Caſtellæ Senatu Conſiliarii, & in eodem Senatu Cathedris Salmantinis Præfecti, ex illius ordine conſcriptæ Epiſtolæ.

§. D. Enriquio Guzmano, Salmanticenſis Scholæ Rectori, ac deſignato Eminentiſſimo S. R. Eccleſiæ Cardinali.

Regii ſervitii eſt.

SALMANTICAM.

LA Cathedra de Inſtituta ſe proveyò en el Licenciado Don Pedro Arias Temprado, del Colegio de S. Bartolomè, como aviſa el Secretario Hernando Vallejo, y ha holgado el Conſejo entender, que entre los buenos ſugetos, que ay en eſſa Univerſidad, ſe vaya criando uno, de natural tan aventajado, y eſperanças, como ſe informa, es el Licenciado D. Franciſco Ramos: y porque reſpondan à eſto los favores, me ha ordenado, que demas de la carta particular, que le eſcrivo, diga à V. M. le embie a llamar, y le diga, que con particular cuydado de conſervar eſte credito, y afirmar la opinion, que ſe tiene dèl, en profeſſion, y virtud, continue en el exercicio de todo, que con el ſe tendrà extraordinario cuydado, para ſus acrecentamientos en eſſa Univerſidad, en que podràn fundarſe los mayores, que alcançarà. V. M. lo harà, y me aviſarà dello. Guarde Dios à V: M. como deſeo. Madrid 15. de Mayo 1624.

El Licenciado D. Balthaſar Gilimon de la Mota.

§. Ejuſdem D. Balthaſaris, cum eadem proſcriptione Regii ſervitii. Licentiato D. Franciſco Ramos del Manzano.

SALMANTICAM.

SEgun eſtà ſatisfecho el Conſejo, de lo que de las partes, y eſtudios de V. M. ſe hà informado, eſpera, que ſu perſona, y exercicios en eſta profeſſion, ha de ſer muy util al bien de eſſa Univerſidad. Deſea, que lo que las dotes naturales han annadido à los annos, lo confirme la perſeverancia: y me ha ordenado, eſcriva à V. M. continue en ellos, formando eſperanças, que deſte concepto han de ſalir ſus acrecentamientos, y que en las ocaſiones, que ſe fueren ofreciendo lo experimentarà: y yo he tenido à dicha, ſer el comiſſario deſte aviſo, y la ocaſion que me dà el ſerlo, de ofrecerme al ſervicio de V. M. y ſuplicarle, que eſte favor no levante el animo, mas que à la propria virtud, por quien ſe haze. Guarde Dios à V. M. como deſeo. Madrid 15. de Mayo 1624.

El Licenciado D. Balthaſar Gilimon de la Mota.

§. Catholici, & Magni Regis Philippi IV. Decretum, quo Regnationis ſuæ Hiſtoria, & Monarchiæ jura, perſcribenda, & propulſanda injunguntur D. Franciſco Ramos del Manzano.

AViendoſe reconocido de muchos annos à eſta parte, que por Eſcritores de Naciones eſtrannas, y mal afectas, ſe han publicado, y publican cada dia diferentes hiſtorias, y eſcritos, apartandoſe de la verdad, en la relacion de los ſuceſſos, y con impugnacion de los juſtos derechos, con que poſſèo, y me pertenecen los Reynos, Provincias, y Eſtados, de que ſe compone mi Monarquia; y ſiendo tan de mi Real obligacion, mantener la juſticia de eſtos derechos en el credito publico, que ſe les debe, y que la Hiſtoria de los varios ſuceſſos, con que Dios ha ſido ſervido de exercitar à eſtos Reynos en quarenta annos de mi Reynado; en una guerra de veinte y cinco annos continuos con las mayores Potencias de la Europa, por mar, y por tierra; y dentro de Eſpanna, con las ſolevaciones de Catalunna, y Portugal, haſta que Dios ha ſido ſervido, de que ſe aya podido llegar al deſeado fin de la paz, ſe eſcriva con ſinceridad de intencion, y verdad, que es lo que ſolo deſeo; ſin que eſta, y la reputacion de las Naciones, y Vaſſallos de mis Coronas, que con tanta fidelidad, y valor me han ſervido en eſtos accidentes, quede expueſta, y ſugeta à la impreſſion, que puede hazer en la creencia de los tiempos preſentes, y futuros, la malignidad de los Eſcritores apaſſionados, con la ocaſion que la Hiſtoria ofreciere, y ſin ſalir del eſtilo, y reglas della, ſe toque, y eſtablezca, con la atencion, y peſo que conviene, la juſticia de los titulos de mi Reyno, y dominios; me ha repreſentado diferentes vezes el Conſejo de Eſtado (como aora ultimamente tambien lo ha hecho) que ſeria muy conforme al ſervicio de Dios, y mio, y de la cauſa publica de mis Reynos, y muy conveniente para la noticia, y exemplo dentro, y fuera de ellos, encargar el empleo de eſcrivir la Hiſtoria de mi Reynado para los fines referidos, à algun Miniſtro, en quien demàs de la decencia del eſtilo, erudicion, y noticias proporcionadas à eſte empleo, ſe aſſegure la confiança. que es meneſter, para que ſe le puedan participar (como ſerà neceſſario ſe haga) los papeles, y aviſos mas reſervados de Eſtado, y Guerra, y los demàs que para el aſſumpto fueren meneſter, y en quien tambien concurra el credito comun de letras legales, de que neceſſita para diſcurrir, quando, y como convenga, con fundamento, y circunſpeccion, en la juſticia de las guerras, y derechos de los Reynos: y ultimamente, que la graduacion del Pueſto, que ocupare en mi ſervicio, y el credito de talento, entereza, y doctrina, dè mayor fee, y autoridad à la miſma obra. Y aviendome conformado con eſta propoſicion del Conſejo de Eſtado, y juzgando, que concurren todas las partes neceſſarias, para un empleo de tanta importancia, y confiança en la perſona de D. Franciſco Ramos del Manzano; os ordeno, que le llameis, y digais de mi parte, que por todas eſtas cauſas, me darè por muy ſervido, de que ſe encargue de tomar por ſu quenta eſte trabajo, y que le tendrè muy preſente para favorecerle, y honrarle en todas ocaſiones.

Y por quanto D. Franciſco Ramos del Manzano, obedeciendo lo que le ordenè por el Decreto referido, ha aceptado eſta ocupacion, y para cumplir con ella, neceſſita del tiempo, que ſe dexa conſiderar, he tenido por bien de darle licencia, para no aſſiſtir al Conſejo los dias, que le pareciere, ſin que ayà meneſter eſcuſarſe en la forma ordinaria; y aſſi lo tendreis entendido. Y porque tambien podria neceſſitar de algunos inſtrumentos, y papeles, que paran en los Archivos, Eſcrivanias de Camara, y

demàs

demàs Officios del Conſejo, dareis luego la orden general neceſſaria, para que de los dichos Archivos, Eſcrivanias, y Oficios, ſe le entreguen en la forma ordinaria los inſtrumentos, y papeles que pidiere, en orden à cumplir con el empleo, que le he encargado. En Buen-Retiro à 9. de Mayo de 1661. Al Preſidente del Conſejo.

§. Auguſtiſſimæ Reginæ Marianæ Auſtriacæ, Caroli Secundi matris, & cui illius tutela, & Imperii tuitio, ac gubernatio concredita, Decretum, quo ad Cameræ, ſive Gratiæ Senatum adſcitus D. Franciſcus Ramos del Manzano.

ATendiendo à los ſervicios, meritos, y grandes prendas del Licenciado Don Franciſco Ramos del Manzano, que le conſtituyen digno del mayor empleo de ſu profeſſion, particularmente aviendole encargado el Rey mi Sennor tan particulares negocios, y al preſente, el que ſe ſabe, de trabajo, y conſequencia con la Corona de Francia, deſpues de aver ſido Governador del Conſejo de Indias, con preeminencias de Preſidente; aviendo dado de todos ſus empleos muy cumplidà ſatisfacion. He tenido por bien de hazerle merced, de que entre à ſervir al Rey mi hijo en el Conſejo de la Camarà, como uno de los Conſejeros, que concurren en èl, fiando de ſu zelo, y atencion, le ha de ſervir en eſta ocupacion, como en la que le he conferido de ſu Maeſtro, para ſu enſennança, y direccion de las lettras, y virtud, tan neceſſaria en los Principes, y Reyes. Y aſſi ordeno, ſea admitido, y ſe le acuda con todo aquello, que le puede pertenecer por eſte grado, como à los demas Miniſtros del Conſejo de la Camara, que le tienen. Madrid 3. de Junio de 1667. Al Preſidente del Conſejo.

§. Caroli Secundi Regis Catholici, quem Deus ſoſpitet, Decretum, quo idem Franciſcus ad regimenta Præſidentiæ Supremi Caſtellæ Conſilii, evocatus.

AViendo yo reſuelto, el exonerar al Marques de Montealegre del pueſto de Preſidente del Conſejo (aunque reconozca, que en las eſtimables calidades que concurren en la perſona de Don Franciſco Ramos del Manzano, ſe empleàra dignamente, ſi ſus achaques no le impidieſſen acudir à las muchas, è importantes aplicaciones, à que obliga el grave peſo de continuo trabajo, con la puntualidad, con que deſeàra ſu zelo) quedo mirando por eſta conſideracion en elegir Preſidente: y en tanto, he tenido por bien, que D. Franciſcò govierne el Conſejo, como Miniſtro dèl, el mas antiguo; eſperando, que por lo que atiende à mi mayor ſervicio, aſſiſtirà todo lo que le permita el eſtado de ſu ſalud, como ſe lo encargo. Tendraſe entendido aſſi en el Conſejo. En Madrid à 22. de Julio de 1677.

§. Ejusdem D. Caroli Regis, in promovendo Fraociſco ad Dignitatem Comitis de Francos, ſacri affatus. Die 6. Novembris 1677.

EN memoria de lo que eſte dia, dos annos ha, mereciſtes, y padeciſtes por mi ſervicio, y en attencion à vueſtra calidad, y ſervicios, os he hecho merced del Titulo de Conde de Francos, para vos, y los ſuceſſores en vueſtra Caſa.

§. Ad eumdem Franciſcum Sereniſſimi Principis D. Joannis Auſtrii Epiſtola, Pontevedræ 16. Aprilis 1668. & cenſura de illius Reſponſo ad tractatum Franciæ.

HE viſto en la carta de V. S. el aprecio, que haze de mi parecer, ſobre ſu Reſpueſta al tratado, de los derechos ſupueſtos de Francia. Y ſiendo el, que ſin duda tienen, y tendràn todos los hombres de buen juizio, y razon, me hallo deudor à V. S de lo que me bculve, en trueco de lo que con toda juſticia procurè pagarle en mi antecedente, reconociendo meramente del exceſſo, y fineza de ſu afecto los terminos, con que ſe exprime. Y le puedo dezir, que yo deſeàra tener las prendas, y medios de los Emperadores, que cita, ſolo para premiar igualmente con las obras, y la voluntad el gran talento de V. S.

Los exemplares, que V. S. dize, eſtàn encaminados por medio de D. Pedro Fernandez del Campo, ſe repartiràn como mejor conviniere, mientras aya ocaſion de diſponer una nueva edicion en Flandes, ſiendo la luz de las impreſſiones mejores, bien devida à un trabajo, que con tanta, confunde la ceguedad de nueſtros enemigos. Dios guarde à V. S. muchos annos, como deſeo. Pontevedra, y Abril 16. de 1668.

§. Ejuſdem Sereniſſimi Principis Epiſtola alia, & cenſura ad eundem Franciſcum, Cæſarauguſtæ 25. Octobris 1672. de libello Regnationibus minoris ætatis, & Magnorum Regum.

REcibi el libro, que V. S. me remite; y leerè con mucho guſto, por ſer obrà ſuya, y por lo alto, y digno del aſſumpto, ſiendo de tanto interès comun para todos los Vaſſallos del Rey (Dios le guarde) y mio muy en particular, el que reſplandezcan en ſu perſona ſagrada las mas heroicas, y rectas calidades, à que no dudo le excitaràn los exemplares, que V. S. le pone delante de los ojos, y que eſtaràn llenos de prudente erudicion, y enſennança. Dios guarde à V. S. muchos annos. Zaragoza à 25. de Octobre de 1672.

ACcederet, ni brevitati conſuleretur, Cæſareum Diploma glorioſiſſimi D. Leopoldi Auſtriaci, Romano-Germanici Imperatoris, & benigniſſimum Epiſtolium Auguſtæ Imperatricis Margaritæ, queis eidem Franciſco pro Reſponſo ad tractatum Franciæ, gratitudinem ſuam teſtantor.

Jam ſi tot elogiorum majeſtati, & decoramentis ſubjungere, fas eſt, publica alia, & privata, ſit pro publicis, encomiaſtica Inſcriptio Provinciarum Belgii, editioni in codem Belgio Reſponſi ad tractatum Franciæ, ex Hiſpano ad Francicum idioma tranſlati, præfixa anno 1674.

ILLUSTRISSIMO VIRO
D. FRANCISCO
RAMOS DEL MANZANO,
CAROLI II.
HISPANIARUM, AC INDIARUM
MONARCHÆ,
DOCTRINÆ, AC MORUM MAGISTRO,
IN SUPREMO JUSTITIÆ, ET GRATIÆ SENATU CONSILIARIO,
VERO
SCIENTIARUM OMNIUM THESAURO:
EX SERENISSIMÆ REGINÆ CATHOLICÆ BASILICO DECRETO,
ET REGIS SUI,
IN MINIMA ETIAM ÆTATE MAXIMI,
AUSPICIIS, BENE OMINATIS, GALLIÆ TRACTATUI,
DE ASSERTIS REGINÆ CHRISTIANISSIMÆ,
IN VARIAS
DOMINATIONIS HISPANICÆ DYNASTIAS, JURIBUS,
TAM ERUDITE, ET NERVOSE, QUAM FELICITER, ET EFFICACITER
RESPONDENTI,
ET FRANCORUM TECHNAS, ARTES, ARGUTIAS, NE DICAM,
FRAUDES, FUCOS, FALLACIAS, INCONCUSSA REI VERITATE,
IPSA FACTI EVIDENTIA, DEXTERE PRORSUS RETEGENTI,
SOLIDISQUE RATIONIBUS CONVELLENTI,
AC
TOTAM SIC PERSONÆ GALLICÆ LARVAM DETRAHENTI,
BRABANTIA, LIMBURGUM,
GELDRIA, HANNONIA, NAMURCUM,
UNA
CUM LACERIS LUXEMBURGI,
ET ARTHESIÆ RELIQUIIS,
SACRI ROMANI IMPERII
MARCHIONATU,
IMPERIALI FLANDRIA, ET MECHLINA,
DUCATU CAMERACENSI,

AC

A C

CAMERACENSI COMITATU,

FIDELISSIMÆ REGI PROVINCIÆ.

VINDICI SUO,

NOBILI JUXTA AC FORTI,

CALAMUM TAMQUAM GLADIUM

STRINGENTI,

IN GRATITUDINIS SUÆ TESSERAM,

VOTA SUA EUCHARISTICA,

TANTO CULTU, QUANTO AFFECTU,

CERTATIM DEFERUNT.

D E

MYSTICO EJUSDEM NOMINE,

EMBLEMA.

POMUM AUREUM PENDENS E RAMO.

EPIGRAMMA.

HEſperidum felix (*a*) ARBOR ſpectaris in hortis
  Aurea, & ex auro nil niſi dona ferens.
Huic (*b*) RAMUS ſatis unus adeſt, hinc Aureus exit
  Fructus, quem ſucco compleat ille ſuo.
Pendet ab hoc Ramo (*c*) POMUM, quo penditur Orbis:
  Quo POMO poſthac Aureus Orbis erit.

(*a*) *Regina.* (*b*) *D. Franciſcus Ramos.* (*c*) *Carolus Rex.*

EPIGRAPHE CHRONOGRAPHICA.

qVantVs frVCtVs soLo penDet e raMo.

G. D. B. S. R.

INTER PRIVATA
ELOGIA,
ET CENSURAS, PRIMA PRODUCITUR,
QUIA ET FRANCISCUM TOTUM, ET ILLIUS SCRIPTA COMPLECTITUR,
D. NICOLAI ANTONII,
EX MILITARI DIVI JACOBI ORDINE EQVITIS,
ET
ROMÆ PRO CATHOLICO REGE,
HISPANÆ MONARCHIÆ
REBUS,
PROCURATORIS GENERALIS.

D. Franciscus Ramos del Manzano, domo ex Salmantica Urbe natus, educatus inter ſtudia Gymnaſii iſtius ampliſſimi, proſperrimiſque inſtructus à natura ipſa ſingularis ingenii, memoriæ præſentiſſimæ, ac defæcati judicii dotibus, exquiſitam ſtudiis, primum humanitatis, deinde Juriſprudentiæ induſtriam, ſub optimis præceptoribus mancipavit. Adoleſcens adhuc, in primis jam ipſe numerabatur, ex quibus Schola hæc optimum quemque ad docendi munus, non ſine prævia multiplicis experimenti probatione, admittere ſolet. Quare ad Album Juris Civilis Profeſſorum mature receptus, in omnibus Academicis docendi locis, & gradibus ſumma cum admiratione hominum, & plauſu emicuit, donec ad primæ horæ diei Cathedram, quæ honorificentiſſima eſt omnium aliarum, aſcenderet. Doctrinæ ibi tam legalis, quam variæ, tam ſacræ, quam profanæ, tam ſeveræ, quam amœnioris, & politioris locupletem geſtare animum, quotidianis experimentis fuit compertus: eaque vigere in prælectionibus publicis, & concertationibus Scholaſticis, ingenii alacritate, & ſubtilitate, memoriæ excellentia, dicendique majeſtate, ac decore, ut Collegarum, quos habuit, doctiſſimorum cenſione, vix alius tot propitiæ naturæ dotibus æqualem omnino induſtriam, laboremque induxiſſe, aut inducere potuiſſe videretur; principemque ſuæ artis locum libenter omnes ei concederent. Sed, ne hoc tanto præceptore Academia iſta diutius frueretur, Philippus Rex noſter IV. fecit, creans ipſum, inſtante Montis-regis Comite, qui rerum Italicarum Conſiliis præerat, Extraordinarii, ut vocant, Mediolanenſis Senatus Præſidem. Hinc adlectus inter Patres Supremi ejuſdem Italiæ Conſilii; non diu poſt ad Caſtellæ alterum, hoc eſt, ampliſſimum omnium Ordinem, qui apud nos publicam gerunt rem, transfertur. Homo tamen ad omnia egregia natus, & ipſe idoneus ante alios viſus fuit, cui dignitate ſpectabili, ſermonis tam Latini, quam vulgaris facundia ornato, judicii præſtantia, (quo ſumme eſt ad rem opus) atque omnigena eruditione prædito, ſcribendi, partes committerentur, res, ab eodem Rege noſtro geſtas pace, belloque, quas nemo hactenus pro dignitate tractavit. Parabat jam huic ponderi geſtientes humeros; nactus quippe liberalibus ſtudiis, quibus ſummopere delectatur, excolendis patentem campum: & ecce adminiſtrare, jubetur, vices abſentis tunc Concilii Indiarum Præſidis (erat is D. Gaſpar de Bracamonte, Pennarandæ Comes, qui Neapolitanum moderabatur Regnum) nempe Hiſtoricis lucubrationibus in aliud tempus ſepoſitis; quaſi carere ejus induſtria, publicæ nequirent rei momenta, curiaque, & forum domeſticis, ac privatis occupationibus hominem invidiſſent. Uſque dum, reverſo Bracamontio, iterum ſeceſſit ad munus ſuum gerendum; quod ita cum Senatoris vicibus compoſuerat Rex Maximus, ut liberum, & arbitrarium Ramo eſſet, Regio Hiſtorico, manere domi intentum operi, aut in Senatum venire. Nec adhuc tamen ei diu licuit, hac uti conditione; quippe qui ſuccedenti Carolo Regi noſtro in Philippi IV. Parentis magni locum, ea in ætate, quæ puerilibus rudimentis, tamque litterariæ, quam Chriſtianæ doctrinæ præceptis, imbuenda fuit, Magiſtri operas, ante biennium, huic deſtinatus muneri, nunc exhibet. Ramum Auctorem habet

El Memorial à nueſtro Santiſſimo Padre Alexandro VII. ſobre la proviſion de las Igleſias, que eſtàn vacantes en la Corona de Portugal. Matriti prius ſermone Hiſpano, circa annum 1659. deinde Neapoli Italico, apud Ægidium Longum 1661. *in folio.* Item ſuccedentibus in media pace tumultibus bellicis, aggredienteque Gallò Rege Provincias Belgicas (quo jure, notum ſatis eſt univerſæ Europæ) libello à Gallis, prætexendæ irruptioni phantaſtico juſtitiæ titulo in publicum emiſſo, oppoſuit

Reſpueſta de Eſpanna al Manifeſto de Francia. Matriti 1668. *in folio.* Cujus interpretationem Latinam

nam adornabat Joannes filius, Regius Senator, cum ad meliorem vitam ſuit vocatus. Dum Profeſſorem adhuc Salmanticæ ageret, typis commiſit

Diſſertationem extemporaneam ad Tit. Caium, de uſufructu municipibus legato. Salmanticæ 1623. in *Quarto.*

Diſſertationem aliam extemporaneam, de Domeſticis, & Protectoribus ad Leg. 11. C. de excuſationibus munerum lib. 10. ibidem 1629. in *Quarto.* Vulgarique lingua, ad inſtruendum Romæ D. Franciſci Menchaca, Salmanticenſis ex prima nobilitate civis, votum, Sedi Apoſtolicæ offerendum, uxorem ducendi in ſecundis nuptiis, conjugis præmortuæ ſororem.

Conſultacion, ſobre que es diſpenſable para el Matrimonio el impedimento del primer grado de afinidad en la linea obliqua. ibidem 1644. *in Folio.*

Premit alia non minus digna, quæ viritim terat communis uſus: ſed quorum nomine dolemus, maxime expectationi eruditorum hucuſque non ſatisfactum.

Commentarii ſunt, *ad leges Juliam, & Papiam:* cujus operis alterum volumen, jam à tempore Scholaſtici muneris perfectum, ſi per occupationes ei licuerit, quamprimum limæ ultimæ ſupponet, ut dignum Auctoris fama veniat in typorum lucem.

Alia, & breviora de Franciſco, nec tamen diſſimilia æſtimatione, & cenſura, idem D. Nicolaus Antonius, quibus diebus hæc prælo dantur, deſignatus in S. & Regio Cruciatæ Conſilio Regius Fiſci Advocatus, *in eadem Bibliotheca*, ubi de Joanne, Franciſci filio, & in præfatione operis *de exilio* ad lectorem, *& lib. 1. cap. 13. n. 18.* & alibi non ſemel.

§. Aſt ne de Italia abeamus, ſubſequatur Horatius Landus, Regius Mediolanenſis Hiſtoricus, *in conjurationis Padilianæ opuſculo, edito anno 1649.*

§. Et apud D. Retes *folio* 4.

Audierat Franciſcum Ramos, magni Emporii litterarum Salmantini miraculum, Juris peritiſſimum, virum omnium bonarum, & longe eruditiſſimum: quodque rara virtus eſt, tot dotes ingenii intra modeſtiam continentem.

§. Nicephorus Sebaſtus *in teſſera contiade, pag.* 7. ita:

D. Franciſcus Ramos Papinianus alter in Salmanticenſi Academia.

§.. At ne ex Italis plures, nominaſſe, ſat fuerit, *Rotam Romanam deciſ.* 247. *num.* 15. apud Ludic. Poſthium *in addit. ad tractat. de ſubhaſtatione, tom.* 2. & apud Mercurialem Merlinum Forolivienſem, Antoninum Dianam Siculum, Paulum Tarſiam Neapolitanum, Cæſarem Carenam Mediolanenſem, qui & operis *de legibus Julia, & Papia* meminit, *in præfatione variar. reſolut. ad D. Comeſtabilem, ad annum* 1647. quos, & alios prælaudavit D. D. Joſeph Retes *in Dedicatoria Comment. de interdict. & relegat.* ad eumdem Franciſcum.

§. Jam ex Hiſpania, quidni Primus, dignitate, & merito Primus, Excellentiſſimus D. D. Chriſtophorus Creſpi de Valdaura, Equeſtris Militiæ Monteſiæ Claviger, Aragoniæ Procancellarius, & Præſes, ſimulque ex Severali Conſeſſu pro Imperii Hiſpanici gubernatione, *in Epiſtola*, qua Obſervationes ſuas, ante editionem, Franciſco noſtro recenſendas mittit.

Judicium expecto majoris amici. Judicium expecto Magni Juriſconſulti, & hujus noſtræ ætatis Coryphæi. Celebrat ita Salmanticenſe Athenæum, Te Minervæ miraculum, in omni ſcientiarum genere eruditum, in ſuis Primariis Cathedris, & Lauris, agnoſcens. Celebrat Italia in Mediolanenſi Prætorio, Te Præſide admirata. Celebrat Hiſpania in Supremis Italiæ, Cruciatæ, & Caſtellæ Conſiliis, tua Senatoria Sapientia fruens. Approbat PHILIPPUS, Rex noſter, tibi maxima negotia credens, & Dignitates, licet tuo merito minores, cumulans.

§. D. Joannes Solorzano Pereira, Jacobæi Ordinis Eques, in Supremis Caſtellæ, & Indiarum Conſiliis Senator, & inter Seculi noſtri Juriſconſultos nulli ſecundus, *in Emblemat. Reg. Polit.* 83. *n.* 29.

Indeque Papiam, etiam Poppæam, & alias caducarias, tandem ſublatas, ut late Juſtinianus enarrat, & docte, terſoque admodum Commentario, quæ in lucem de eiſdem edere parat, proſequitur Dom. D. Franciſcus Ramos del Manzano, noſtri temporis J. C. veteribus non inferior, & poſt Primariam in Salmanticenſi Licæo Juris Civilis Anteceſſionem, & honorificas aliarum dignitatum infulas, nuper pro meritis, communi omnium plauſu, ad Supremum Caſtellæ Senatum evectus.

§. D. Laurentius Santos de S. Pedro, Regius poſt varia Togæ, & Anteceſſuræ, in Supremo Caſtellæ Conſiliarius, & ipſius Senatus magnum decus, cui nuper illum, & Muſis ſeverioribus ereptum doluimus, *ad librum* 10. *Epiſtolarum Symmachi*, & *in Ariſtonis, ac Licini Rufini Manuſcriptis*, quæ prælo dari, Muſæ ipſæ avent, & ambiunt.

§. D. Alphonſus de Olea, poſt Primaria Pincianæ Scholæ, & fori ſubſellia, digniſſimus in Supremo Caſtellæ Conſeſſu Senator, *in Tractatu de Ceſſione jurium, & actionum*, forenſi, & theorica Juris doctrina ornatiſſimo, *tit.* 4. *quæſt.* 6. *num.* 10. illic:

Hinc introſpicitur, quamvis ſubdubia luce, lux vera ad J. C. Terentium Clementem, in dict. l. Cum ab uno 53. quam prævidit primus, Primarius Juris Cæſarei Salmanticenſis Anteceſſor, poſt Mediolanenſis Senatus Præſes, deinde Regii Italici Conſilii Regens, & in Supremo Caſtellæ, & Cameræ Senatu Conſiliarius, Regii Indiarum Conſilii Præſes meritiſſimus, nunc vero Potentiſſimi Regis noſtri CAROLI Secundi Hiſpaniarum Monarchæ, quem ſaxit Deus, ut proſperet, digniſſimus Magiſter (cui mire convenit, quod, ſcripſiſſe Philippum, Macedonum Regem, refert Aul. Gellius lib. 9. cap. 3. non magis ſe lætari, quod Alexander filius natus eſſet, quam quod Ariſtotelem haberet, cui puerum tradere poſſet inſtruendum) Illuſtriſſ. D. D. Franciſcus Ramos del Manzano, excultiſſimæ eruditionis J. C. cujus optatiſſima opera de Jure Publico, ſumme laudat Arias de Meſa lib. 1. variar. cap. 34. num. 5. Hujus igitur Sapientiſſimi viri ſententia, in ſuis manuſcriptis prælectionibus ad l. 2. D. de verb. oblig. cap. 2. à num. 2. fuit, textum in dict. l. Cum ab uno, intelligendum eſſe de rei uxoriæ actione.

§ D. Joſephus Fernandius Retes, ex Franciſci noſtri Salmanticæ diſciplina Primus, deinde Primarius illic Anteceſſor, & communis Præceptor; tandem in Supremo Caſtellæ Senator, cum Regiæ rei, & litterariæ damno nuper denatus, Auctoris noſtri ex aſſe amicus, cujus & ſæpius memor *in opuſculis ſuis, & 1. tomo de donat. cap. 2. de donat. conſt. matrim. num.* 9. ubi ſchedia Franciſci, quæ alii ſibi adſcripſere, ingenue Auctori ſuo vindicat. Et ex profeſſo *epiſtola dedicatoria libri de interd. & releg.*

§. D. Petrus Gonſalius Salzedo, in eodem Regio, & Supremo Caſtellæ Conſiliarius, Juridicina, & ſcriptis percelebris, in examine veritatis contra Francogalliæ tractatum, ubi, utcumque non expreſſo Franciſci noſtri nomine, (quia neque id Franciſcus

ipſe expreſſerat) in defenſione Hiſpaniæ ad tractatum Franciæ, laudat tamen eam defenſionem 1. *parte* §. 7. *ad finem*, & 2. *part.* §. 2. *pag.* 275. & in Latina verſione *pag.* 329. *num.* 51. indigetat defenſionem Hiſpaniæ eo titulo: *Tropheo glorioſo de las letras, y Magiſterio Eſpannol.*

§. D. Emanuel Gonſalius Tellius, ex Franciſci itidem Salmanticæ diſciplina, ac poſt Togati illic, & Anteceſſoris magnum nomen, ad Inquiſitorias Supremi in cauſis fidei Senatus infulas, ac deinde ad Pincianæ Cancellariæ Præſidatum, promotus, nunc in Caſtellæ Regio Conſiliarius, cujus eruditioni, & libris Canonica Juriſprudentia æternum debebit; ita *in notis ad Concilium Illiberitanum lib.* 3. *cap.* 49. & ſæpius *in Commentariis ad Decretales.*

§. Ex Supremo Aragoniæ Senatu, Franciſci noſtri quondam Salmanticæ Auditor, D. Laurentius Matheus, & Sans, Monteſianæ Militiæ Eques, & *Reginimis Valentiæ* doctus concinnator; & D. Raphaël Viloſa, ex eodem Senatu, poſt Præfectorias dignitates Magni Mediolanenſis Cancellarii, & Regiæ Cameræ Summariæ Neapolitanæ Locumtenentis, *in erudito opere de fugitivis*, uterque prælaudatus noſtro Reteſio *in dedicat. libri de interd. & releg.* aſt non in ſecunda *de fugitivis* editione, *diſſert.* 3. *num.* 7.

§. Deinde ex Aragonia, & Italia ſimul D. Petrus Valero Diazius, pridem in Majore Ovetenſi Salmanticæ Collega, & diu Collateralis Magni Conſilii Neapoli Regens, lectiſſimæ cenſuræ, & eruditionis fama nobilis, *in epiſtola præfixa tomo* 2. *opuſc.* noſtri Reteſii, *eo ipſo anno Tyrocinia Juris Civilis Salmanticæ poſui, quo vir ſummus, inclytæque famæ* D. D. Franciſcus Ramos del Manzano, *Regii nunc Caſtellæ Conſilii Senator, ex Primario Anteceſſore, in Mediolanenſem Curiam adlectus, cœperat magnarum virtutum ergo, publicorum bonorum ſplendore decorari. Indoluerant litterarum alumni, totaque certatim Academia, altiſſimo deſiderio viri incomparabilis abſentiam: utpote in quo uno collectum, ut parce dixerim, efflorebat quidquid admirandum in Juris, & eruditionis arte imputare ſeculis Salmantica poteſt.*

§. D. Nicolaus Fernandius Caſtro, Jacobæi Ordinis Eques, Siciliæ Proregum Conſultor, & Mediolanenſis Extraordinarii Senatus Præſes, *in exercitat. Salmantic. ad princip. Inſtit. de emptione, & vendit. num.* 118. & *in Commentatione de Equitibus Joannitis.*

§. D. Didacus Bolerus Cajalius, in Regii Patrimonii Conſilio Senator, doctuſque concinnator *de debitore decocto tractat. titul.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 2.

§. D. Fernand. Arias de Meſa, Veſpertinus Canonici Juris Salmanticæ Anteceſſor, ac poſtea in Regio Capuanæ Senatu Neapoli Conſiliarius, *lib.* 2. *var. cap.* 34. *n.* 6. & 26.

§. D. Hieronymus Altamiranus, Regius in Pinciano Prætorio Auditor, *lib.* 3. *de filiis official. cap.* 7. *n.* 20.

§. D. Joannes Suarius Mendoza in Indici Commercii Hiſpalenſi Tribunali Regius Auditor, ſicut & fuit Parentis noſtri olim Salmanticæ, & Academici illic certaminis *de legibus Julia, & Papia* Propugnator, ſemperque ex aſſe amicus, *libr.* 1. *ad leg. Aquil. cap.* 2. *ſect.* 5. *num.* 53.

§. D. Franciſcus Minnanus, Regiæ Capellæ, & Aulæ Major Sacellanus, & Regii itidem Sacelli D. Iſidori Agricolæ, Archicapellanus, *in baſi Pontif. juriſd. tract.* 2. *quæſt.* 3. *num.* 100.

§. R. M. Joſephus Aguirre, Polygraphica eruditione, & Salmantina Theologica Anteceſſura ſpectabilis, *in introductione ad Philoſoph. Moralem,* 1. *tom. cap.* 1.

§. Noviores alios Scriptores non ciemus (qui aut ex Parentis noſtri dictatis, aut per eos, qui eidem in Academia ſucceſſores profecere) tametſi nomenclatura, & laude per ſe dignos. At, ut Senecam leviter mutemus, *Notores plures dare, ignoti eſſet.*

FRANCISCI

FRANCISCI
RAMOS DEL MANZANO,
JURISCONSULTI,
ET PRIMARII ANTECESSORIS SALMANTICENSIS, COMITIS DE FRANCOS, ET REGII CASTELLÆ SENATUS PRÆSIDIS,
VITA, SCRIPTA A
GREGORIO MAJANSIO,
GENEROSO VALENTINO.

SUMMARIA.

1. *Franciſci Ramos del Manzano Natales.*
2. ad 7. *Præceptores.*
8. *Primum ejus ingenii ſpecimen, & ad Salmanticenſem Juris Cathedram promotio.*
9. ad 16. *Scripta quædam juvenilia.*
17. ad 19. *Commentarii ad Leges Juliam & Papiam Auditoribus dictati.*
20. ad 32. *Prælectiones variæ, ordine chronologico recenſitæ.*
33. ad 47. *Alii Tractatus Academici Auctoris, incertæ ætatis.*
48. & 49. *Plagiarii nonnulli, qui Rami lucubrationes tanquam ſuas edidere, ſpeciatim Eman. Villaſuſo, & Ferd. Arias de Meſa.*
50. ad 64. *Varii diſcipuli Auctoris enumerati.*
65. ad 78. *De Jo. Luca Corteſio, Rami auditore, ſpeciatim actum, eique fuſe adſerta duo opera de Scriptoribus Hiſpanis, a Gerh. Erneſt. de Franckenau ſuo nomine edita.*
79. ad 81. *Reſiduum temporis ab Auctore Salmanticæ tranſacti, & Conſultatio ab eo edita de diſpenſatione matrimonii.*
82. ad 91. *Avocatio ab Academia Salmanticenſi, variique honores & munera in Ramum collata, aliaque Conſultatio ab eo ſcripta de Epiſcopatibus Portugalliæ.*
92. ad 99. *Inſtitutio Caroli II. Hiſpan. Regis, ſcriptaque ab Auctore interea edita, novique honores in eum congeſti.*
100. *Rami ſeceſſus ab aula, hujuſque exilii cauſa.*
101. & 102. *Commentarii ad Leges Juliam & Papiam ab Auctore editi, ejuſque operis præſtantia.*
103. & 104. *Judicium de Jac. Gothofredi & Jo. Gotl. Heineccii Lucubrationibus ad eaſdem Leges.*
105. *Cauſa eximiæ raritatis Commentariorum Auctoris, tempuſque probabile ejus obitus.*
106. *Uxor & liberi Auctoris.*
107. ad 111. *De Franciſco Antonio, & Joſepho, Auctoris filiis, & ſpeciatim de Joanne Franciſco, hujuſque ſcriptis.*
112. *De Hieronymo, quarto Auctoris filio.*
113. *De Anna, Auctoris filia, nupta Ant. Ronquillo. Varia porro JCti noſtri Elogia, totiuſque Diſſertationis Epilogus.*

1 SAlmanticæ urbi celebritatem maximam conciliarunt Academia olim frequentiſſima, & ab ea condita inter Hiſpanas Princeps, multa Collegia Regularium & Sæcularium, quæ Orbi Chriſtiano egregios viros dederunt, magni viri in ea urbe orti, ſago togaque inſignes. Inter hos palma debetur Franciſco Ramos del Manzano, patrium illud ſolum ſortito anno MDCV.

2 In Grammaticis inſtitutus dicitur ab optimis Præceptoribus, quod facile fuit in ea Urbe, ubi Franciſcus Sanctius Brocenſis optimam Latinæ Linguæ docendi methodum invenerat, & docuerat, quæ, ſi conſtanter in illa Academia perſeveraſſet, & à cæteris Hiſpanis inita, & retenta eſſet, omnium ſcientiarium ſtudia non elanguiſſent; ſed maxime vigerent.

3 Philoſophiæ quanto tempore vacaverit, memoriæ proditum non eſt. Solent in illa Academia qui Juriſprudentiæ operam navaturi ſunt, inſtitutiones aliquas Logicæ contentioſæ, omnino inutilis ad reliquas ſcientias, prægustare. Et tamen hujuſmodi ſtudia mirifice perplacent, quomodo præſtigiatorum acetabula, & calculi, in quibus fallacia ipſa delectat.

Quos habuerit Juriſprudentiæ Magiſtros, ipſe grato animo memoriæ tradidit. Nam in *Diſſertatiuncula extemporanea ad Titum Gajum de Uſufructu Municipibus legato*, *num.* 5. de Pichardo loquens, ſic ait: *Ductor, doctorque meus Antonius Pichardus.* Plenius autem *libro* 3. *ad Leges Juliam, & Papiam, cap.* 16. inquit: *Jungere te, & adire velim, Primarium Juris Civilis in Academia noſtra Anteceſſorem, mox Regium in Pintiano Juridico Conventu Senatorem, Don Antonium Pichardum Vinueſa, cui docenti debui jam olim affectum, humanitatemque ſingularem, qua non vulgari arte ſub ejus diſciplina proficientem vix duodecennem fecit ut pergerem: nec direxit ſolum, ſed animavit.* Ex quo laudandi genere diſcimus, Franciſcum Ramos del Manzano magni feciſſe Pichardi humanitatem, cupiditatemque docendi, egregias procul dubio ſui magiſtri dotes; nihil autem dixiſſe de illius doctrina, quæ tota fuit Bartolina, vulgaris, loquax, inepte acuta, nonnunquam puerilis, & perridicula, ac plane barbara: ideoque ejus *Epiſtolæ Dedicatoriæ* alterius manus videntur mihi. Notatu digna de Pichardo referunt Nicolaus Antonius *in Bibliotheca Hiſpana, Tom. I. Pag.* 120. & præcipue Hiſtoricus egregius, Didacus Colmenares in *Scriptoribus Segobienſibus*, ſcriptaque ejus varia enumerat quoque 4

Nob. Meerman in *Conſpectu novi Theſauri Juris Pag.* 57.

5 Longe aliter laudavit Ramos Præceptorem ſuum Cl. virum Alphonſum Guillen de la Carrera, *lib.* 1. *ad Leges Juliam, & Papiam, cap.* 24. *prope finem*, ubi ſic legitur: *Rectiſſime primus inter noſtrates docuit circa interpretationem l. ſi is qui ex bonis* 6. *de vulgari, D. D. Alphonſus Guillen de la Carrera, Clariſſimus Præceptor meus, imo Primarius non Academiæ, ſed Hiſpaniæ, quo illuſtriorem Anteceſſorem, graviorem Juriſconſultum, ſanctiorem Conſiliarium, ætas iſta non vidit, non videbit.* Superſunt etiamnum quædam Carreræ Prælectiones ineditæ in quaſdam *Legg. Dig. ad Leg. Falcid.* & in *l. filium Cod. famil. erciſc.* quæ manuſcriptæ adſervantur in Bibliotheca Meermaniana.

6 Habuit etiam Præceptorem Cl. virum Melchiorem de Valentia, de quo *lib.* 4. *ad Leges Juliam, & Papiam, Reliquatione* 36. *num.* 2. ſic ſcripſit: *Ex Salmanticenſibus, noſter ibi Præceptor, & poſtea in Caſtellæ Senatu Deceſſor, D. Valentia.* Sed multo largius laudavit eum *lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 3. ſic ſcribens: *Nemo autem, opinor, non vacabit, conſulendo hac de re D. Melchiori de Valentia* (excidit viro magno in alia intento ſtribiligo) *Primario quondam Anteceſſori, & Præceptori noſtro, poſt in ſupremo Caſtellæ Senatu Conſiliario, & Collegæ, & Clariſſimo ſemper Juſtitiæ, & Juris Myſtæ.* Sed, ſi verum amamus, Melchior de Valentia, Petri eruditiſſimi, & ſapientiſſimi viri filius, etſi Juriſprudentiæ aliquem ornatum adhibere ſtuduit, priſcum morem retinuit ludendi antinomiis, quæ tironibus, contradicendi laudem affectantibus, gratæ ſolent eſſe: verum indicia ſunt manifeſta inſcitiæ ſcribentis. Nam, ſi quis obſcura declarat, ambigua diſtinguit, regulisque ſuas exceptiones ſubjungit, raro invenietur quod opponi poſſit. Vid. porro de Valentiâ Nicol. Antonium in *Bibl. Hiſp. nov. Tom. II. Pag.* 101.

7 Denique Franciſcus Ramos del Manzano inter Præceptores ſuos etiam numeravit Cl. Johannem de Balboa Mogrovejo, quem *lib.* 3. *ad Leges Juliam, & Papiam, cap.* 8. *num.* 7. ſic egregie laudavit: *Noviſſime multa ex his quæ poſuimus, ad Forenſem uſum producens, docte, diſerteque, venerandus Præceptor noſter, Primarius olim Pontificii Juris in Academia noſtra Anteceſſor, Regiuſque nuper in ſupremo Patrimonii Senatu Fiſci Patronus, D. Johannes de Balboa Mogrovejo, doctrina, integritate, & utrinſque fama clariſſimus, cui, ut Horatius alibi:*

—— Juſtitiæ ſoror
Incorrupta Fides, audaque Veritas,
Quando ullum inveniet parem?

Quem natum bono publico, eique magis, quam ſibi creſcentem, vocavit ad meliora Deus, funeravit publico ſumptu optimum Conſiliarium optimus Princeps, magno, nec imitando facile, vix credo, poſteris exemplo, auditoris, Regium hunc Senatorem honoratiſſimis, uberrimiſque, dum vixit, ſtipendiis, donativiſque a Principe ſublevatum, vix, ac ne vix quidem habuiſſe morientem, unde funeraretur, cujus memoriæ qualecumque hoc gratitudinis noſtræ, & obſervantiæ mnemoſynon, ex animo, ac libentes bene merenti ponimus, ſacramuſque. De hoc vid. etiam Nicol. Anton. *Tom.* 1. *Bibl. Hiſp. Pag.* 487.

8 Sed, ut melius videatur præcox & maturum Franciſci Ramos ingenium, & minime vulgares in Juriſprudentia progreſſus; prodiit octodecennis candidatus in proſcenium, petendæ primariæ cathedræ, præter annarias leges, ut ipſemet refert initio *Diſſertatiunculæ extemporaneæ publice apud Salmanticenſes ex ſuggeſtu habitæ, auſpicali Profeſſionis die, anno Chriſtiano MDCXXIII. ad Titum Gajum de uſufructu Municipibus legata*, (in *leg.* 8. *Dig. de uſufr. leg.*) quæ Diſſertatiuncula edita fuit Salmanticæ eodem anno, charta quadruplicata (poſteaque recuſa ad calcem *Comm. ad Legg. Jul. & Pap.*). Sed videntur pauca exemplaria tum excuſa fuiſſe, cum Nicolaus Antonius, vir librorum appetentiſſimus, eam legere cupiens, facta videndi ſpe ab ipſo auctore, illam nondum legiſſe videatur anno MDCLII. ut obſervari poteſt *lib.* 1. *de Exilio, cap.* 13. *num.* 18. In illa autem Cathedræ petitione tantam doctrinæ copiam oſtendit Ramos, ut celeberrimus vir Balthaſar Gilimonius de la Mota, Eques Jacobæus, in ſupremo Caſtellæ Senatu Conſiliarius, Præpoſitus cognitioni meritorum petentium Cathedras, relationique eorum ad Conſilium Regium, ut dignioribus candidatis conferrentur, non ſolum Henrico Guzmano, Salmanticenſis Academiæ Rectori, ac deſignato Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, juſſu Regii Senatus literas dederit, ei mandans ut adoleſcenti candidato ob eximie navatam operam gratias ageret, eumque ad bonam ſpem erigeret; ſed ipſi etiam Ramos gratulatus fuerit literis plane honorificentiſſimis, quarum mentionem fecit Joſephus Reteſius in *Dedicatione Commentariorum de Interdictis, & Relegatis*, earumque exemplar eſt in *Præfationibus Legum Juliæ, & Papiæ.*

9 Anno MDCXXV. 8. Kalend. April. Juris Doctor jam renunciatus, Programmate Præceptoris ſui Ant. Pichardi librum adprobavit, qui eo anno prodiit ſub Tit. *Lectiones Salmanticenſes, ſive anniverſaria Relectio in rubricam, l.* 1. *l. cum filio* 11. *D. de Legatis* 1. *l. cum ita, §. in fideicommiſſo D. de leg.* 2. Salmanticæ excud. Didacus a Cuſſio MDCXXV. in 4.

10 Cum Codicis Cathedram obtinuiſſet, A. MDCXXVI. ſcripſit *Recitationem*, ſeu *feriatam Relectionem, ad legem unic. Cod. de rei uxor. act.* ut ipſemet refert *Libro* 11. *ad Leges Juliam, & Papiam, cap.* 20. *num.* 20. cujus verba valde notanda ſunt, eo quod indicium nobis faciunt plagii a Ferd. Ar. de Meſa commiſſi, utpote qui obſervationem inde petitam pro ſua venditaverat. Ita ergo loquitur: *Obſervavimus pridem* (inquit) *& primi forſitan, quadraginta circiter ante annos Salmanticæ, in ipſis Profeſſorii muneris tyrociniis, & commentariis ad l. unic. §. primum itaque, num.* 14. *Cod. de rei uxor. act. poſteaque recenſuimus in Academica Recitatione de individuis, ex qua noſtram in hac re notam, repertam forſitan in Adverſariis noſtris D. Guterrii Arguelli, Romanæ Rotæ Auditoris, & deſignati Granatenſis Præſulis, laudat integriore fide, quam ſenſu doctus Pragmaticus Mercurialis Merlinus poſt Tractatum de pignoribus, Decis. Rotæ* 127. *num.* 12. *integriore, inquam, fide, quam noſter olim in Academica Anteceſſura conſectaneus, ſibique commilitii quodam jure hæc, & alia ex ſcriptis noſtris adſcribens, Ferd. Ar. de Meſa libro* 2. *Var. cap.* 10. *num.* 15. Idem fere Ramos *Lib. II. cap.* 41. *num.* 12. his verbis refert: *Quod & eundem* (Meſam) *feciſſe Lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 15. *in animadverſione noſtra ad l. cum ab uno* 53. *D. de Legat.* 2. *deſumpta ex Manuſcriptis noſtris Salmanticæ recitatis ad l. unic. §. primum itaque, Cod. de rei uxor. act. ad annum* 1626. *& poſtea ad tit. de verb. oblig. ubi de individuis, oſtendet ſatis Mercurialis Merlinus, manuſcripta noſtra collaudans poſt tractatum de pignoribus, decis.* 127. *num.* 12. add. Joſ. Fern. de Retes in *Dedicat. Commentar. ad Tit. de interd. & relegat.* Meminit vero hujus Recitationis præter alios Petr. Ant. de Chavarri & Eguia in *Didaſcalia Juriſprudentiæ Part. II. cap.* 8. *num.* 1. & *Part. III. cap.* 2. *pag.* 686.

11 Anno MDCXXVII. dictavit Ramos *ad l.* 1. *§. ult. Pand. depoſiti Commentarium*, quem pariter in ſuum Reſolutionum Juris opus tranſtulit idem Ferd. Ar. de Meſa, ut ex Auctore noſtro diſcimus *dict. Lib. II. cap.* 41. *num.* 12. ubi ſic ſcribit: *Sane commendati nomen pro depoſito frequens eſſe apud veteres, ſimulque & ex coacta juris ratione pro voce, commodatæ rei, reponendum eſſe, commendatæ, in l.* 1. *§. ult. D. depoſiti, non infrequenti alibi errato, obſervavimus pridem ſelecta ad eum textum Academica commentatione, dictata Salmanticæ ad annum* 1627. *allatis ad rem locis aliis, & tentata ibidem illius §. expoſitione, ex quis tamen nihil adſcribimus, quia deſcriptam eam a commentatione integre, & ad verbum ex autographis dictatis noſtris legere volenti, licebit apud Ariam de Meſa Lib.* 2. *Var. cap.* 34. *&* 35. *& quidem ſibi aſſerta veluti commilitii Academici Jure, an & fide, quanquam non ſemel noſtri*

honorifice

honorifice meminerit. Citat quoque hanc *Commentationem* idem Chavarri *Part. I. Didaſcal. cap.* 10. *num.* 14.

12 Scripſit etiam juvenili ætate *Analectum de Concubinis*, ut conſtat ex *Lib. III. ad Leges Juliam & Papiam*, *cap.* 24. *n.* 2. quem Tractatum quoque ſuum facere voluit idem Arias de Meſa, docente ipſomet Auctore noſtro *dict. Lib. II. ad Leges Jul. & Pap. cap.* 41. *num.* 12. & diſtinctius ejus diſcipulo Joſepho Reteſio *Lib. ſingul. de donat. inter vir. & ux. cap.* 2. *num.* 9. ubi ita ſcripſit: *Quos & alios* (ſcriptores) *collegit pridem, & forſan in primo juventutis flore Illuſtriſſimus D. magnus Præceptor meus D. Ramos in ſchediaſmate de Concubinis, quod mihi autographum reliquit in Italiam proficiſcens: & poſtmodum digeſſit & publicavit, in triaque capita diviſit ſub Lib. III. ex cap.* 38. *nuper D. Ferdinandus Arias de Meſa, quod teſtor, quia utrumque ſcriptum contuli.* Conſonat Emmanuel Gonzalez Tellez *ad cap. ſi autem 6. de cohabit. Cleric. & mulier. num.* 5. ubi ſic ſcripſit: *Magnus Præceptor meus DD. Franc. Ramos, Juriſprudentiæ jubar & honos ſæculi, in ſchediaſmate de Concubinis, ex quo prodiiſſe penitus cap.* 39. *&* 41. *Lib. III. Var. Anteceſſoris noſtri D. Ferdinandi Arias de Meſa, notavit jam D. D. Joſeph de Retes*, ubi Gonzalez aut Typographus omiſit mediatum *numerum* 40. ut liquet ex Rami laudato loco. Quod vero ait *penitus*, ad doctrinam, non ad verba etiam referendum eſt. Agoſco enim aliqua Meſæ emblemata, ut cum Franciſcum Hotomanum ſæpe vocat *Antonium*, & alia hujuſmodi, ut omittam dicendi genus nonnihil immutatum.

13 *Libro IV. ad Leges Juliam & Papiam Reliquat.* 36. *num.* 2. *&* 3. meminit ipſe *Recitationis* ſuæ *ad L. non juſtam* 4. *Cod. ad SCtum Trebell.* ſcriptæ anno MDCXXIX.

14 XV. Kal. Junias ejuſdem anni MDCXXIX. cum peteret Cathedram trium poſteriorum Codicis librorum, quam *Voluminis* vocant, *extemporaneam commentationem* habuit *de domeſticis & protectoribus ad l.* 2. *Cod. de excuſat. muner. Lib. X.* eamque intra triduum typis datam, excudente Antonia Ramirez in 4. illuſtribus in ſuprema Caſtellæ Curia Senatoribus dedicavit, recuſam deinceps ad calcem *Commentar. ad Legg. Jul. & Pap.* Cumque Cathedram illam obtinuiſſet, eodem anno dictavit *ad Titulum Codicis de Apochis publicis, Lib. X. Commentationem methodicam*, itemque *ad Titulum Codicis de Naviculariis Lib. XI. breves & dilucidas enarrationes*, quarum meminit Jo. de Arechaga & Caſſas in *extempor. Comment. III. ad l.* 1 *C. de canon. frument. num.* 1. *&* 6.

15 Cum ad Cathedram Digeſti veteris aſcendiſſet, voluit auditores ſuos excipere anno MDCXXXI. *Tractatum de Servitutibus*, eumque finivit die 9. Aprilis ejuſdem anni, uti conſtat ex codice, manu avi mei Joannis Siſcar deſcripto.

16. Johannes Puga *Tract. Academ. XII. de die certo contractibus adjecto, cap.* 1. *num.* 30. laudavit *Recitationem de Rebus creditis:* & *Tract. Academ. XV. de eo quod certo loco, cap.* 3. *num.* 1. *& cap.* 4. *num.* 7. *&* 8. *&* 12. *citat Prælectionem ad l.* 8. *de eo quod certo loco.* Tempus, quo hæc dictavit, non expreſſit Puga.

17 Verum Franciſcus Ramos del Manzano in nullo argumento æque laboravit, ac in illuſtrandis Legibus Julia, & Papia, quas opere bipartito interpretatus eſt. Cl. & ingenioſiſſimus vir Johannes Suarez de Mendoza has leges defendit *diario literario certamine*, Præſide Franciſco Ramos del Manzano, Magiſtro ſuo, tum Digeſti veteris Cathedræ Anteceſſore, die 1. menſis Aprilis, anno Chriſtiano MDCXXXII. quarum publicarum Aſſertionum meminit ipſe Suarez de Mendoza in eximiis *Commentariis ad Legem Aquiliam, lib.* 1. *cap.* 4. *ſect.* 1. *n.* 18. eæque excuſæ fuere Salmanticenſibus typis Hiacinti Tabernier eodem anno, deincepſque recuſæ in limine *Commentariorum ad Leges Juliam & Papiam*, & præceſſerunt vicennium integrum editionem Jacobi Gothofredi *ad Fontes Legum*, ut ipſe Ramos admonuit, *lib. II. ad Leges Juliam & Papiam, cap.* 8. *num.* 3. Gothofredi vero libellum Ramos non vidit niſi tricennio poſt ſcripta ſua, ut ipſe memorat *lib. III. ad Leges Juliam & Papiam, cap.* 4. *num. ult.* Prima autem vice Ramos *Commentarios* ſuos partibus tribus dictare incepit, quum adhuc Codicis Anteceſſor eſſet, atque abſolvit Digeſti veteris Cathedræ Anteceſſor die 11. Julii MDCXXXII. ut conſtat ex ſubſcriptione duobus diverſis exemplaribus, quæ in Bibliotheca Meermanniana exſtant, adpoſita. Poſtea eos iterum Auditoribus ſuis dictavit anno MDCXXXV. uti patet ex edito Opere *ad Leges Jul. & Pap. Lib. III. cap.* 16. *num.* 2. & *Lib. IV. Reliquat.* 35. *n.* 19. ac deinceps quoque A. MDCXLIV. vel MDCXLV. circa idem ſcil. tempus, quo Philippus IV. Hiſpaniarum Rex eum ab Academia Salmanticenſi avocavit, teſte ejus filio Hieronymo in *Præfat. Comm. ad Legg. Jul. & Pap.* Imo totum opus Auctor per annos quadraginta auxit, & ornavit, ut apud ipſum ſcriptum legimus *Lib. IV. ad Leges Juliam, & Papiam, Reliquat.* 24. *num.* 2. ac repetitæ additionis exemplum exſtat *Lib. III. cap.* 11. *num.* 1. Et, ut ejus amorem erga veritatem agnoſcamus, retractationis etiam, *Lib. IV. Reliquat.* 33. *num.* 15. Quam methodum ſervaret, cum è cathedra docebat, ut ſuis diſcipulis utilior eſſet, ipſe docet, narrans ſe præmittere ſolere omnia neceſſaria, ut doctrina, qua de ageret, utilius intelligeretur. Cujus methodi luculentum exemplum videre eſt, *Lib. II. ad Leges Juliam, & Papiam, cap.* 40. *num.* 2. *& ſeqq.* Quanta vero facilitate ſcriberet in prædicto argumento tot tantiſque difficultatibus impedito, ipſe docuit in fine *Libri I.* per hæc verba: *Hæc habui quæ de origine, & cauſſis Juliæ, Papiæque legum, itemque ad legem Juliam de Viceſima hæreditatum, quadrimeſtribus circiter induciis, quarum nobis impendio conſtitit hæc Diſſertatio, poſſem conſcribere: longa quidem, ſi aut præfationis modum, aut noviorum, qui præiverunt veſtigia cogites: brevia tamen, opinor, ſi quam multa ex veteris Prudentiæ ruderibus, & parietinis eruta, non Romani duntaxat Juris Profeſſoribus grata, ſed etiam Pontificiis, Pragmaticiſque, & Eccleſiaſticæ, Civiliſque eruditionis cultoribus non injucunda. De queis tamen docti cenſento; alii probent, aut improbent.*

Κορινθίοις δ' οὐ μέμφεται τὸ Ἴλιον.

Huc uſque Ramos, qui facilitatem illam ſcribendi 18
cum ſumma, atque incredibili diligentia conjungebat, adeo ut nec animum ejus remitterent corporis infirmitates. Operæ pretium eſt legere *Præfatiunculam* præmiſſam *libro ſecundo* ſic ſe habentem: *Redimus ex diuturni morbi captivitate, veluti poſtliminio, ad litteraria hæc limina, & poſt annale fere, & trimeſtre ſcriptionis hujus interſtitium, quo commentariis his noſtrarum legum vacare non licuit, vacamus heu, & pergimus, etſi nondum quartana immunes, ac ne his quidem diebus, quibus illa caremur, recte ſani; vetere tamen jam, & amaria, quæque, ut ſperni non poſſit, nos tamen libris, litteriſque ſupereſſe jam patitur, ut loquuntur alibi noſtri Juriſprudentes.* Poſtea vero multis annis tranſactis, orationis filum ſic continuavit: *Hæc ita, & hujus libri reliqua ſcribebamus Salmanticæ ante annos circiter quadraginta, & ſub ipſum milleſimum ſexcenteſimum trigeſimum tertium, quæ poſtea extra Academiam ſuccedentibus, & indies creſcentibus Senatoriis, & Aulicis occupationibus, tam longo tempore intermiſſa, ut e ſchedis illis deſcribi paterer, amiciſſimorum perſuaſiones pervicere. Deſcribentur autem qualia in ſchedis reperta, paucis additis, quæ libri poſtea editi, aut viſi, aut poſteriores noſtræ curæ obtulere.*

Sed quoniam agimus de harum legum Commen- 19
tariis, admurmuratio quædam ſparſa olim, ſi forte aliquorum animis hæret adhuc, amovenda eſt. Scripſerat quondam ejus Præceptor Alphonſus Guillen de la Carrera *Commentarios ad L. unic. Cod. de cad. tollend.* quos Ramos *Lib. I. ad leges Juliam, & Papiam, cap.* 24. *num. ult. electiſſimos* vocavit; eoſque etiam laudavit *Lib. IV. Reliq.* 33. *num.* 16. Sed, ut pace Alphonſi Guillielmi magni viri dicam; quam diſpari modo ille ſcripſerit, modeſtiſſime indicavit ipſe Diſcipulus laudatis verbis *Libri I. cap.* 24. idem-

que Ramos *Lib. IV. Reliquat.* 17. *num.* 11. indicavit, ſe non legiſſe omnia Carreræ ſcripta. Quare, cum utriuſque ſcribendi ratio omnino diverſa fuerit; falſi omnino ſunt, qui Carreræ vindicare voluerunt bonam aliquam partem laboris Franciſci Ramos del Manzano: perinde quaſi quis in Jure poſſit aliquod argumentum ſuſcipere explicandum, de quo multi alii, vel obiter, vel dedita opera non ſcripſerint. Illud certiſſimum eſt, Johannem Baptiſtam Ferrerium Juriſconſultum Valentinum, poſtea Præpoſitum, ac denique Lucenſem Epiſcopum, XVI. Calendas Decembres anni MDCCXVIII. adoleſcentulo mihi dediſſe *Excurſum de caducis, ſive ad legem Juliam, & Papiam Poppæam de caducis, & quaſi caducis*, quem in mei gratiam ab ſe dicebat elaboratum, ut ego ejus Aſſertiones publice propugnarem, uti feci in Valentina Academia Nonis Februariis anni MDCCXIX. & poſtea, cum Salmanticæ de eo ſermonem haberem cum doctiſſimo viro Joſepho Borrullio, oſtendit mihi Carreræ *Commentarios*, unde Ferrerius exſcripſerat *Excurſum* illum: quod infrequens non eſt, cum Juris Profeſſores Hiſpani dictare ſoleant aliorum opera: quod ſemper ego deteſtatus ſui; ideoque in ſcriptis meis eum ſcribendi morem fere ſemper ſervavi, ut Juriſconſultorum teſtimonia colligerem, & ex eis unum conficerem contextum, non inſtar centonum, aliena ſolum adaptando; ſed alia ex aliis explicando, & interpretatiunculas breves intermiſcendo, ut hac ratione Juris reliquiæ melius cohæreant, & rectius intelligantur. Sed literaria curricula peragamus.

20 Anno MDCXXXV. ſcripſit Franciſcus Ramos del Manzano *de verborum obligationibus* Tractatibus tribus, primo nempe *ad rubr. & Pomponium in l. ſtipulationum* 5. *§. ſtipulatio dict. Tit.* ſecundo *ad l.* 1. *cum ſuis §§is. eod. tit. Paraphraſticas explicationes*, & tertio *ad l.* 2. 3. 4. 5. *§. ult. l.* 54. 72. 85. 139. *& alias dict. tit. de dividuis & individuis obligationibus*, quod argumentum Auctor poſtea (ſecundo Tractatu excepto) ad incudem revocavit.

21 Cum Veſpertinæ perpetuæ Juris Civilis Cathedræ eſſet Anteceſſor, ex delegatione Salmanticenſis Academiæ Cancellarii, pridie Idus Majas anni MDCXXXVI. approbavit ſtilo florido & amœno Cl. & eruditiſſimi viri Nic. Fernandez de Caſtro JCti Burgenſis *Exercitationes Salmanticenſes*, eodem anno editas.

22 Anno MDCXXXVIII. dictavit *de re judicata ſecundas curas*, prioribus Prælectionibus, quas ante quadriennium habuerat, pleniores; eæque duabus partibus conſtant, quarum una eſt *ad priorem partem rubricæ Dig. de re judic. & Modeſtinum l.* 1. *eod. tit.* altera duobus capitibus abſolvitur, priori ſcil. *ad l. poſt rem judicatam* 56. *eod. ſive ad ſecundam dict. Tit. partem de effectu ſententiarum, & judicati actione atque exceptione*, poſteriori *de executione rei judicatæ, ſive ad Ulpianum in l. a Divo Pio* 15. *Dig. de re judic.* Harumque Prælectionum meminit Johannes Puga *Tractatu Academico XVI. de pactis liberatoriis cap.* 2. *num.* 14. *& cap.* 3. *num.* 6.

23 Anno MDCXXXIX. recitavit *de Privilegio eorum, qui non damnantur ultra quam facere poſſunt, Commentationem ad l.* 10. *l.* 16. *& ſeqq. l.* 30. *l.* 41. *l.* 49. *& ſeqq. de re judic.* quæ adpendix eſt Partis ſecundæ *Prælectionum ad Tit. de re judic.* & erat hoc anno primariæ perpetuæ atque veſpertinæ Juris Civilis cathedræ Anteceſſor, ut videre eſt in *Cenſura*, quam prid. Nonas Januarii MDCXL. Ordinarii juſſu fecit *Commentarii* Cl. Viri Johannis Suarez de Mendoza *ad Legem Aquiliam.*

24 Eodem anno MDCXXXIX. & ſequenti, cum adhuc veſpertinus eſſet Anteceſſor, ſcripſit *curas ſecundas Recitationum Academicarum ad Tit. de verborum obligationibus* partibus duabus, quarum prima continet Tractatum *ad rubr. & Pompon. in l. ſtipulationum* 5. *§. ſtipulatio, dict. tit.* an. 1639. dictatum, itemque alterum *de dividuis & individuis obligationibus* ex profeſſo jam illuſtratum an. 1640. (nam *paraphraſticas explicationes ad l.* 1. *dict. tit.* quod ſciam non recoxit Ramus) Et hujus *Recitationis de individuis* ipſe Auctor meminit *Lib. II. ad Legg. Jul. & Pap. cap.* 20. *num.* 20. ejuſque diſcipulus Reteſius in doctiſſima *Allegatione pro Nic. Maria Phelipez de Guzman & Carrafa, Duce San Lucar Majoris fol.* 16. *&* 32. Pars altera nove tunc addita an. 1640. eſt ad *l. inter ſtipulantem* 83. *dict. tit. de verb. oblig.* cujus relectionis ipſe Auctor meminit *Lib. IV. ad Legg. Jul. & Pap. Reliq.* 18. *num.* 12. & *Reliquat.* 35. *num.* 8. eamque laudavit inter alios Cl. vir Juſephus ab Exea & Deſcartin in *Recitat. ad l. unic. C. de palat. & dom. domin. pag.* 408. *Tom. III. Theſ. Jur. Meerman.*

25 Brevi poſtea dictavit Ramus *de venditione liberi hominis, ad Paulum l.* 23. *D. de liberal. cauſa, ſelectam brevemque Commentationem*, quæ veluti adpendix eſt *cap.* 3. *Partis ſecundæ Recitationum ad Tit. de verbor. oblig.* in quo agebatur de exemptione liberi hominis a commercio, & venditione ejuſdem prohibita. Hujus meminit Jo. de Arechaga & Caſſas in *extempor. Comment.* 1. *ad §.* 6. *Inſt. de cap. minut. num.* 3.

26 Memorato anno MDCXL. Præceptori ſuo miſit, ejuſque examini ſubjecit Nicolaus Antonius primas curas Operis ſui *de Exilio* (quod tamen novendecim demum poſtea annis lucem adſpexit) ut ab ipſo in *Præfat.* & Reteſio in *Dedicat. Comm. ad Tit. de interd. & relegat.* diſcimus: quumque circa idem fere tempus laudatus Reteſius in eadem materia pertractanda occupatus eſſet, atque mox *Commentarios ſuos ad Tit. D. de interd. & relegat.* Pinciæ anno MDCXLII. prima vice evulgaret, hos etiam legit adprobavitque Ramos, uti tum ex *dict. Dedicat.* Reteſii, tum ex Rami *Cenſura*, *Epitaphiis* a diſcipulo ſuo *illuſtratis* præmiſſa, liquet.

27 Anno MDCXLI. *Prælectionem* habuit *ad leg.* 25. *D. de act. rer. amotar.* in primariæ Juris Cæſareæ cathedræ petitione, uti conſtat ex illius *Prælectionis* proœmio.

28 Eodem anno, quum ad primariam Digeſti Infortiati cathedram jam promotus eſſet, dictavit *Commentationem ad Scævolam in l. Gallus* 29. *D. de liberis & poſthumis*, partibus duabus, citatam a Mart. Saravia in *Diſput. publica ad l. vetus fuit quæſtio* 68. *Dig. de uſufr. num.* 6.

29 Anno, ut videtur, MDCXLII. dictavit *Commentarium ad Ulpianum in l. ſi totam* 83. *D. de adquir. vel omitt. hered.* eaque Prælectione initium fecit Recitationum in primaria Juris Cæſarei cathedra, ad quam iis diebus adſcenderat. Meminerunt ejus Reteſius in *Adverſar. ad Tit. de bonor. poſſ. contra. tab. cap.* 6. *num.* 8. & Chavarri *Part. II. Didaſcal. cap.* 17. *num.* 1.

30 Eodem Anno MDCXLII. & ſequenti dictavit *Prælectiones ad Titulos Digeſtor. de Legatis & Fideicommiſſis lib. primo, ſecundo, & tertio*, laudatas a Johanne Puga *Tractatu Academico XIX. de vulg. & pupill. ſubſt. cap.* 2. *num.* 14. *& cap.* 4. *num.* 36. & Petr. Ant. de Chavarri *Part. I. Didaſcal. cap.* 1. *num.* 5, 17. *& cap.* 4. *num.* 9 *& Part. II. cap.* 8. *num. ult.* Memoratæ Prælectiones duas habent partes, prior explicans *rubricam, l.* 1. *& l. legatum* 116. *D. de legat.* 1. *itemque l. legatum* 36. *D. de legat.* 2. continet *de legatorum & fideicommiſſorum origine, definitione, exæquatione, & differentia prima potioraque elementa*; poſterior, quæ quinque capitibus conſtat, eſt *ad nobiliſſimam leg. re conjuncti* 80. *D. de legat.* 3. ſive *de jure adcreſcendi in legatis & hereditatibus etiam Commentatio methodica*, ejuſque caput primum finitum fuit die XI. Febr. anno Dom. MDCXLIII. & ultimum in vigilia D. Petri ejuſdem anni, ut conſtat ex uno codice MS. Hujuſque Tractatus *de jure adcreſcendi* ipſe Auctor meminit *Lib. IV. ad Legg. Jul. & Pap. Reliq.* 18. *num.* 17. *& Reliquat.* 37. *num.* 6. item Jo. Puga *Tract. Acad. XX. de tranſmiſſ. heredit. cap.* 2. *num.* 32. & etiam Petr. Ant. de Chavarri *Part. III. Didaſc. cap.* 1. *pag.* 486. *&* 541. Reteſius in *Adverſar. ad Tit. de bonor. poſſ. contr. tab. cap.* 8. *num.* 3. *& cap.* 12. *num.* 7.

31 Anno MDCXLIII. die 6. Kal. Majas cenſorio calculo

calculo adprobavit Joſeph. a Santolaria *Juriſconſultorum ſelecti judicii librum primum*, proximo anno Oſcæ apud Joan. Franc. a Larumbe in 4. editum, & erat tunc Ramos primarius Juris Cæſarei Anteceſſor, & præterea Inquiſitionis ſenatus in Fidei cauſſis conſultor, ſive, ut vulgo dicitur, Sancti Officii Qualificator.

32 Anno MDCXLIV. dictavit *Prælectiones ad Titulum Digeſtor. de vulgari & pupill. ſubſtitutione*, capitibus quatuor, quas Reteſius in *commentariis ad Titulum de Interdictis, & Relegatis, & Deportatis, Excurſuum Analectorum Lib. III. Excurſu* 3. *num.* 33. celebravit, dicens: *Quæ manuſcripta fidenter laudo, quia ſcio frequenti ſtudioſorum, præceptorumque manu verſari.* Vide eundem *Excurſu* 5. *num.* 62. & *Excurſu* 6. *num.* 83. & *Lib. VI. Opuſc. cap.* 2. *num.* 3. & 19. *cap.* 5. *num.* 4. & 7. *cap.* 6. *num.* 9. *cap.* 9. *num.* 1. *cap.* 10. *num.* 6. & *cap.* 14. *num.* 2. Joannem de Arechaga & Caſſas in *extempor. Comment. III. ad l.* 1. *C. de can. frum. num.* 7. Petr. Ant. de Chavarri *Part. I. Didaſcal. cap.* 1. *num.* 25. *cap.* 2. *num.* 20. *cap.* 11. *num.* 5. & *Part. III. cap.* 1. *pag.* 533. *ſeqq.* & *cap.* 2. *pag.* 695. & Johannem Pugam *Tract. Academ. X. de modis inſtituendis, num. ult. Tract. Academ. XII. de die certo contractib. adjecto, cap.* 1. *num.* 15. *Tract. Academ. XIII. de collationibus, cap.* 2. *num.* 4. *Tract. Academ. XVIII. de ceſſ. legator. vel fideicommiſſ. cap.* 5. *num.* 9. *Tract. Academ. XIX. de vulg. & pupil. ſubſt. cap.* 2. *num.* 25. & *Tract. Academ. XX. de tranſmiſ. hered. cap.* 2. *num.* 30.

33 Elucubravit præterea plures alios Tractatus, quos ad certos annos referre non poſſum, quoniam, cum hæc ſcribo, occaſio mihi deeſt hujus magni viri manuſcripta cum debita cura examinandi. Itaque nulla certi temporis nota nonnullos referam.

34 Cum Cathedrarum candidatus eſſet, juvenili ut videtur ætate, dictavit *de privilegiis rei ruſticæ collectanea, ſive ad Pragmaticam Eboreaſem in favorem agricolarum emiſſam anno MDCXIX. Recitationes ſolennes*, citatas a Chavarro *Part. I. Didaſcal. cap.* 15. *num.* 4. & *Part. II. cap.* 12. *num.* 7. brevique poſtea *Tractatum de Senatuſconſultis & Conſtitutionibus circa moram in fideicommiſſaria libertate factis ad l.* 26. §. 7. *l.* 28. §. 4. *l.* 51. § 4. *l.* 52. *l.* 53. *D.* & *l.* 15. *C. de fideic. libert.* cujus ipſe Auctor meminit alicubi, ſed cum feſtinanter hæc ſcribam, immorari nequeo in loco inveniendo.

35 Cum Cathedræ Digeſti veteris eſſet Anteceſſor, ſcripſit *Ad nobiliſſimam legem frater a fratre* 38. *Dig. de conditione indebiti, breves & dilucidas Recitationes*, laudatas a Petr. Ant. de Chavarri *Part. III. Didaſc. cap.* 4. *num.* 1.

36 Elucubravit etiam *Relectiones ad l. Juris Gentium* 7. *Digeſt. de pactis*, quas laudavit Reteſius in *Commentariis ad Tit. de Interd. & Relegat. Excurſuum Analectorum Lib. III. Excurſu* 6. & in *Libro ſingul. de Donat. inter vir. & uxor. cap.* 5. *num.* 12. & Petr. Ant. de Chavarri *Part. III. Didaſcal. cap.* 2. *pag.* 661.

37 *Tractatum de Dotibus* idem Reteſius commemoravit in *Epiſtola Dedicatoria Commentariorum de Interdictis, & Relegatis, & Deportatis.*

38 Ipſe Ramos memorat *Academica Dictata ad l.* 1. & 2. *de adquir. vel omit. hered. in Lib. IV. ad Leges Juliam, & Papiam, Reliquat.* 37. *num.* 7.

39 Porro *Recitationem de libertorum jure*, in qua explicavit *l.* 1. *D. de bon. libert.* Vid. *proœm. Comm. ad l.* 25. *D. de act. rer. amot.*

40 Scripſit etiam *Tractatum de legato rei alienæ*, laudatum a Johanne Puga *Tract. Academ. III. de in diem addict. cap.* 3. *num.* 11.

41 Ad hæc, *Recitationes Nov-antiquas ad Tit. Dig. de adq. vel amit. poſſ. in duas Partes diviſas*, in quibus ea repetiit, quæ Auditoribus ſuis ante quadriennium prælegerat. His adjecta eſt adpendix *ad l. naturaliter* 12. §. 1. *dicti Tit. ſive de concurſu judicii petitorii, & poſſeſſorii, & de Interdictis, Remediiſque Poſſeſſoriis Methodica Tractatio*, quam laudavit Reteſius *Lib. I. Opuſc. cap.* 13. *num.* 7. ubi laudans maximum Præceptorem ſuum, eum vocavit *eruditione, & judicio nulli noſtratum ſecundum.* Adde eundem Reteſium, *Lib. VII. Opuſc. cap.* 2. *num.* 3. & 22. Raphaëlem de Viloſa in *Diſſert. de Fugitivis cap.* 9. *num.* 20. & Johannem Pugam, *Tract. Academ. XVII. de adquir. vel amit. poſſ. cap.* 5. *num.* 5. & 7. & 22.

Præterea Tractatum de Actionum concurſu, imitatus 42 Julium Paulum, qui *de concurrentibus Actionibus librum ſingularem* ſcripſit.

Adde *privatum ſchediaſma ad l. cum militi* 16. *Dig.* 43 *de compenſationibus*, laudatum a Johanne Puga *Tract. Academ. XII. de die certo contractibus adjecto cap.* 1. *num.* 9.

Præterea ſcripſit *ad Titulum de inſtitoria actione Com-* 44 *mentarium adverſarium*, primo juventutis flore elaboratum, ſed nondum digeſtum an. 1645. cum jam eſſet Auctor Præſes Mediolanenſis. Et hujus Lucubrationis meminit Jo. de Arechaga & Caſſas in *Extempor. Comment. III. ad l.* 1. *C. de canon. frum. num.* 6. item Petr. Ant. de Chavarri *Part. I. Didaſcal. cap.* 17. *num.* 6. & 12. & *Part. II. cap.* 14. *num.* 3. *ſeqq.* & *Part. III. cap.* 1. *pag.* 619.

Porro *Notas in Codicem Theodoſianum*, quas erudi- 45 tiſſimas vocat Nicolaus Fernandez de Caſtro in *Exercit. Salmant. in leg. unic. C. de capitat. civ. num.* 14.

Denique Cl. vir Petrus de Ulloa Golfin Portocar- 46 rero loquens de dignitate *Comitis Sacri Stabuli* in amœniſſimo libro, cui titulus eſt: *La ceremonia de alzar Pendones en Eſpagna por el nuevo Rei, pag.* 223. *num. marginali* 414. ſic ait. *Audivique, de hoc munere peculiarem Tractatum in adverſariis habere D. D. Franciſcum Ramos del Manzano ex primario Salmanticenſi Cameræ & Conſilii Regis meritiſſimum Senatorem, magiſterioque Regis noſtri pro virtutibus ſuis, omnigenaque eruditione & ſcientia condecoratum, qui ſi lucem aſpiciat, nihil amplius erit, quod circa illud deſiderare poſſimus: vere enim maturi & pleni ſunt fructus, qui ex ramis ejuſmodi decerpuntur.*

Plura proculdubio adderemus, ſi, cum olim era- 47 mus Salmanticæ, tantam hujus viri cognitionem, æſtimationemque habuiſſemus, quantam nunc. Sed illo tempore ſolum ibi celebrabantur *Johannis Pugæ Tractatus Academici*, quos exſcriptore conducto magnis ſumtibus, ſummaque diligentia collegi: ſicut & Johannis Altamirani *Commentarium ad Priores tredecim libros ex XX. Quæſtionum Q. Cervidii Scævolæ*: & Cl. viri Alvari Caſtellæ omnes *Tractatus Academicos*, quorum qui exemplar unum, aut alterum nanciſci poterat, ut feliciſſimus prædicabatur: adeo rari erant, ac inter manus tenaciſſimas: & maxime æſtimabantur, propterea quod hujus Caſtellæ recens erat memoria, & auctoritas vigens, cum adhuc viveret. Eum ego cognovi, cum eſſet Regi a Conſiliis in Senatu Caſtellæ, & in Regio cubiculo. Vir erat humaniſſimus, in eruditis libris parum verſatus; ſed acutus, & ſatis diligens antinomiarum collector, & conciliator: qui modus ſcribendi tironibus ingenii laudem affectantibus maxime gratus eſt; ſed eos facit contentioſos, & ſophiſtas.

In tanta Franciſci Ramos del Manzano ſcriptorum 48 copia mirandum non eſt, ſi nonnulli ex tam abundantibus fontibus hortulos ſuos irrigare voluerint. Sed illud permirum eſt, aliquos ejus ſcriptis tanquam ſuis uſos fuiſſe, inter quos numerandus Cl. vir Emmanuel Villaſuſo, & Perlines, in majori Archiepiſcopi Toletani (Alphonſi videlicet Fonſecæ & Acevedi) Collegio olim collega, qui cum Franciſci Ramos ſchedas aliquas nactus fuiſſet ab ejus filio Franciſco Antonio, tunc Academico Profeſſore, edidit *Syntagma ad caput etſi neceſſe* 5. *de donat. inter vir. & uxor.* quod Johanni Franciſco primogenito Franciſci Ramos del Manzano dedicavit, proculdubio ut paterna bona ei reſtitueret, & ad ſilentium filium patremque obſtringeret. Sed bonum factum, quod notitiam hanc debemus Scriptori noſtro *Lib. II. ad leges Juliam & Papiam, cap.* 19. *num. ult.*

Verecundiæ quoque fines egreditur, quod de Fer- 49 dinando Arias de Meſa Ramos narrat, *Lib. II. ad Legg. Jul. & Pap. cap.* 41. *n.* 12. qui integras Auctoris Prælectiones pro ſuis venditavit, inque ſuos

Variarum Reſolutionum libros Neapoli MDCXLIII. editos tranſtulit, ut Rami ipſius verbis retuli ſupra *Num.* 10. 11. & 12. Quibus add. eundem *Lib. II. ad Leges Juliam, & Papiam, cap.* 20. *num.* 20. & *lib. IV. Reliquat.* 2. *num. finali.* Joſephus Reteſius in *Epiſtol. Dedicat. Commentariorum de Interdictis, & Relegatis, & Deportatis*, memoratam audaciam ejuſdem Meſæ retulit his verbis. *Ita meliori fide JConſultus Foroliviensis*, (Mercurial. Merlinus) *quam ille Salmantinus ſynagomiſta tuus*, (Ferdin. Arias de Meſa) *qui lib. II. Var. cap.* 10. *num.* 11. *voluit suam obſervationem* (ad l. 53. de legat. 2.) *pridem in MS. de Dotibus ſcholæ traditam pro ſua nobis ſatis ſcientibus, auctoremque verum noſcentibus, venditare: quod ſæpiuſcule feciſſe, ſine felle, ſed in tempore admonebo.*

50 Huc uſque de Academicis ſcriptis, quorum doctrinam Franciſcus Ramos del Manzano egregie animavit, ornavitque. Fuit enim vir memoriæ præſentiſſimæ, quæ multum confert ad ſcientiæ famam adipiſcendam, ingenio promtus, eloquio facundos; & multiplici rerum doctrina, ac varietate omnes Anteceſſores, qui in illa Academia ante ſe, & poſt ſe ad hunc uſque diem fuerunt, longo intervallo ſuperavit. Ideoque nemo illo felicior fuit diſcipulorum non ſolum oumero, ſed celebritate etiam, quorum præcipuos hic nominabo.

51 Agmeo ducat Joſephus Fernandez de Retes, Juriſconſultus Hontiverienſis, Salmanticenſis Academiæ immortale ornamentum, vir ingenii peracuti, & peramœni, ſtili facilis, & perſpicui, multis ſcriptis clariſſimus, magiſtro ſuo percarus, ejus denique laudator egregius; ſed maxime laudatus etiam a Præceptore ſoo, qui in *Libello ſupplici ad Alexandrum VII. fol.* 25. *num.* 133. *in margine* ita ait. *Noviſſime ad rem multa, & ex multis noſter diſciplina & affectu D. Joſephus Fernandius Retes*, *cui in Academico Salmantino ſtadio Anteceſſuræ lampadem reliquiſſe jugiter gloriamur.*

52 Reteſium ſequuntur eximii viri, Johannes Suarez de Mendoza, & Nicolaus Antonius, quos eorum Præceptor vocavit *altellos ſuos, lib. III. ad leges Juliam, & Papiam, cap.* 48. *num.* 5. quorum ille ingenio fuit præſtantiſſimo, & eruditione exquiſita, quæ multo magis celebraretur, ſi ejus ſcripta a doctiſſimis viris maxime laudata luce publica fruerentur. Præceptoris ſui inter paucos fuit amicus; &, ut ille teſtatum reliquit, *ex aſſe*, ut videre eſt *Lib. III. ad Leges Juliam, & Papiam, cap.* 11. *num.* 1. & 7. vid. de eo Nic. Antonium in *Bibl. Hiſp. nov. Tom. I. Pag.* 601. & Nob. Meerman in *Præfat. Tom. II. Theſ. Jur. Civ. & Canon. Pag.* 1. *ſeqq.*

53 Alter vero, ſcilicet Nicolaus Antonius, præterquam quod eruditiſſimis *Libris de Exilio* immortalem ſibi in Juriſprudentia memoriam peperit, Hiſtoriæ Literariæ Hiſpanæ Princeps eſt, & Fabuloſarum Hiſtoriarum cenſor acerrimus, cujus vitam lingua noſtrate deſcripſi præmiſſam Operi poſthumo Auctoris videl. *Cenſura de Hiſtorias Fabuloſas*, excuſo Valentiæ apud Anton. Bordazar de Artazu MDCCXLII. in fol.

54 Inter diſcipulos porro Rami connumerandus venit Nicol. Fernandez de Caſtro, JCtus Burgenſis, Anteceſſor Salmanticenſis, poſteaque Conſiliarius Regius, inque ſupremis Mediolanenſium Tribunalibus Advocatus Fiſcalis, de quo conſuli poſſunt Nicol. Antonius in *Biblioth. Hiſp. Tom. II. Pag.* 121. & Nob. Meerman in *Præfat. Tom. II. novi Theſauri Juris Civilis & Canonici Pag.* 4. Summis vero elogiis Præceptorem ſuum eelebravit Caſtro in *Exercitat. Salmant. in leg. unic. Cod. de capitat. civ. num.* 14. & *ad princ. Inſt. de empt. vend. num.* 118.

55 Franciſci Ramos gloriatur etiam magiſterio cl. vir Hieronymus Altamiranus Madridienſis, ſcribens *ad Tit. Cod. de filiis Officialium lib. III. cap.* 7. *num.* 20. Juriſconſultus celebratus a Nicolao Antonio in *Bibl. Hiſp. Tom. I. Pag.* 434.

56 Ex ejuſdem diſciplina prodiit Johannes Franciſcus Otalora, laodatos a Præceptore ſuo in *ſupplici libello ad Alexandrum VII. num.* 149. *in margine*, & a Nicolao Antonio, qui eum, quem optime noſcebat, utpote Romæ tunc degentem, rectius appellavit Johannem Antonium, eumque celebravit, ut virum multa prudentia, integritate, doctrina, in *Bibl. Hiſp. nov. Tom. I. Pag.* 481.

Io eundem cenſum venit Cl. vir Martinus Saravia, 57 Aoteceſſor Pintianus, qui Franciſcum Ramos del Manzano etiam vocavit Præceptorem ſuum, & meritis ornavit laudibus in *Diſputatione pro dignitate humanæ Naturæ, & ſapientia Stoica.* Quam doctrinam, qooniam ejus incidit meotio, Franciſcus Ramos adamavit, ut colligitur ex *Libro III. ad Leges Juliam & Papiam, cap.* 29. *num.* 10. Quod eo tempore frequens erat in Hiſpania: idque puto dimanaſſe ex Juſti Lipſii lectione, & ſtudio ejuſdem ſectæ, quam impenſe laudarunt duo Salmanticenſes magiſtri celeberrimi, Franciſcus Sanctius Brocenſis, & Gundiſalvus Correas. Edidit præterea hic Auctor *Diſputationem ad textum ſingularem in leg. vetus fuit quæſtio* 68. *D. de uſuſr.* Valliſoleti ex officina Antonii a Rueda 1648. in 4. Nic. Antonio in *Bibl. Hiſp. Tom. II. Pag.* 90. ubi de Auctore noſtro agit, non memoratam.

Numerum etiam Diſcipulorum Franciſci Ramos 58 auget, & locupletat inſignis vir Emmanuel Gonzalius Tellius, Veſpertinus olim Juris Pontificii Anteceſſor, poſtea Supremi in cauſſis fidei Senatus Conſiliarius, ac tandem togæ conſors cum Præceptore ſuo in Regio Caſtellæ Senatu, cujus *Notas ad Concilium Ilıberritanum*, vocavit Ramos *eruditas, lib. III. ad Leges Juliam, & Papiam, cap.* 11. *num.* 1. ipſum autem auctorem, *ſemper ſuum, & apprime doctum, lib. IV. Reliquat.* 4. *num.* 2. Certe illius *Commentaria perpetua in Decretales Gregorii IX.* quinque voluminibus in fol. Lugduni an. 1693. & *ſeqq.* edita, utriuſque Juriſprudentiæ fodina eſt locupletiſſima, in qua, ſi aurum aliis metallis non æque pretioſis permixtum invenitur, tribuendum hoc varietati Scriptorum, quibus ipſe innutritus eſt, vir procul dubio ſtupendæ lectionis, & diligentiæ, utinam æqualis judicii, & electionis.

Joſephus etiam Saenz de Aguirre, Monachus Be- 59 nedictinus, in Academia Salmanticenſi Sacræ Theologiæ Profeſſor laoreatus, ac poſtea S. R. E. Cardinalis, cum adoleſcens operam Juriſprudentiæ navaret, celeberrimum illom magiſtrum etiam audiit, ut ipſe memorat in *Ludis Salmanticenſibus*, quorum *primum* dedicavit Franciſco Ramos del Manzano, anno 1667. Aguirrius primum addictus fuit opinionum probabilitati (non diſputo nunc, qoa ratione communiter intelligatur probabilitas, & quænam ita appellanda ſit) poſtea ætate, & doctrina provectior, aliter ſenſit: & quæ juvenis ſcripſerat, retractare in animo habuit. *Ludis illis Salmanticenſibus*, in quibus multos coætaneos laudavit, multorum ſibi conciliavit animos; Conciliorum Hiſpanorum editione magnam famam aſſecutus eſt; & majorem procul dubio nactus fuiſſet, ſi monumenta, quorum Notitiam dedit Salmanticæ anno 1686, eorum ſpem faciens, edidiſſet omnia. Hiſpani nominis amatores notare velim, quæ ibi deſiderantur.

Ut diſcipulum ſuum etiam agnovit Franciſcus Ra- 60 mos del Manzano Cl. virum Laurentium Santos de San Pedro, quem recens præreptum publicæ rei, & literariæ, doluit, & libenter memoravit *Lib. IV. ad Leges Juliam, & Papiam, Reliquat.* 28. *num.* 11. Fuit vero hic Santos in Academia Salmanticenſi Juris Anteceſſor, poſteaque in Regio Caſtellæ Conſilio Senator, ejuſque ſcripta a Viris doctis maxime ea ætate celebrabantur, quæ eo lubentius memorabo, quod nullam hujus JCti mentionem fecerit Nicol. Antonius. Exſtant itaque ejus *Commentarii MS. ad JCtum Ariſtonem*, memorati a Chavarro in *Didaſcalia Juriſprudentiæ Part. II. cap.* 1. *num.* 3. & 12. *Part. III. cap.* 1. *pag.* 486. item *Commentarii MS. ad Libros Regularum Licinii Rufini JC.* citati ab eodem *Part. II. cap.* 1. *digr.* 1. *num.* 41. *cap.* 2. *num.* 3. *Part. III. cap.* 1. *num.* 5. ad hæc *Prælectiones MS. ad Tit. D. de ſervitutibus* allegatæ ab eodem *Part. I. cap.* 15.

num.

Digitized by Google

num. 3. *& cap.* 16. *num.* 6. *Part. II. cap.* 7. *num.* 1. & *ad Tit. de jure codicillorum*, a Reteſio in *Deduct. pro Nic. Mar. Phil. de Guzman fol.* 32. item *ad l.* 17. *de condit. & demonſtr.* laudatæ a Chavarri *Part. II. cap.* 3. *num.* 1. porro *Notæ ad Tit. de ſepulchro violato*, ad quas provocat, easque pro parte impreſſas ait Jo. Ludov. Lopez in *Comm. ad l.* 12. *C. de relig. & ſumt. fun. cap.* 15. *pag.* 199. Item *Illuſtratio MS. ad Libros Epiſtolarum Symmachi*, cujus meminit Jo. de Arechaga & Caſſas in *extemporan. Commentat. ad textus forte oblatos*, ad § 6. *Inſt. de capit. dimin. num.* 2. & *ad l.* 2. *Cod. de ſilentiar. num.* 4. His tandem addo ejuſdem *Recitationes MSS. ad l.* 16. *D. de procurat. ad l.* 13. *de recept. arbitr. ad l.* 28. *famil. erciſc. ad l.* 27. *de condit. inſtitut. ad l.* 28. *de legat.* 1. *ad l.* 33. *de legat.* 3. & *ad l.* 4. *de ann. legat.* quæ exſtant in Bibliotheca Meermanniana. At quibus tamen omnibus ſine magno diſpendio carere poſſumus.

61 Auget etiam glorioſum diſcipulorum Rami numerum Cl. vir Laurentius Matheu & Sanz, Juris Valentini, & rei criminalis illuſtrator famigeratus, de quo vid. Nic. Anton. *Tom. II Bibl. Hiſp. pag.* 4.

62 Inter eoſdem diſcipulos inſignem locum ſibi vindicat Cl. vir probitate valde ſuſpiciendus, & propter doctrinæ ubertatem judiciumque maximi faciendus, Raphaël Viloſa, de quo Nicolaus Antonius in *Bibl. Hiſp. Tom. II pag.* 208. loquitur, & in *Epiſtola ad Joſephum Dormerium* data Madridii VI. Eidus Februarias, anno 1681. quam manu ſcriptam habeo, ſic ait: *Heri amiſimus Dominum Regentem* (Supremi ſcilicet Aragonum Conſilii) *nobilem Raphaëlem de Viloſa, gravem undequaque Magiſtratum. Et moritur, ut omnes homines boni, pauper.*

63 Illuſtrat hunc numerum meritis ſuis memorandus Cl. Petrus Valerus Diazius, vir eruditiſſimus; ſed eruditis ſolum notus, de quo in *vita Reteſii* quædam dixi.

64 Idem contigit Cl. Viro Petro de Ulloa Golfin Portocarrero, qui Nicolao Antonio Bibliothecam Hiſpanam edente, anno MDCLXXII. ſub prælo jamdiu habebat eruditiſſimum librum ſic inſcriptum: *La ceremonia de alzar Pendones en Eſpagna por el nuevo Rei:* hoc eſt, *Cærimonia tollendi ſigna in Hiſpania pro novo Rege*, qui liber exquiſitiſſimus plus reconditarum notitiarum in receſſu habet, quam hoc argumentum promittere videtur. Sed, quod dolendum eſt, cum typographicæ operæ perveniſſent ad *pag.* 314. *in folio*, per errorem numerationis 313. ibi ceſſarunt magno lectorum damno. Habeo tamen hunc pretioſiſſimum librum, frontiſpicio, & fine carentem, & plurimi eum facio. Laudatum video ab eruditiſſimo Joſepho Pellicerio in ſua *Bibliotheca, fol.* 146. 154. & 182. idemque in *Annalibus Hiſpaniæ pag.* 119. ipſum auctorem (nomen ejus tacens, quia illum impugnabat) celebravit, vocans eum *magnum virum, & maximorum ſui temporis.* Diſcrepant vero in hujus operis titulo Joſephus Pellicerius, & Nicolaus Antonius in *Bibliothecis* ſuis, laudatis locis. Scripſit præterea Ulloa, ut ipſe teſtatur in memorato opere, *pag.* 125. *De Jure Patronatus:* itemque *Informacion de Precedencias:* hoc eſt, *Commonitio de Præcedentiis*, ut idem memorat *pag.* 244. Auctor etiam fuit libri ſic inſcripti: *Memorial de la calidad, i ſervicios de la Caſa de Don Alvaro Franciſco de Ulloa Golfin i Chaves, i ſu hermano Don Pedro de Ulloa Golfin Portocarrero, eſcrito a la Reina Donna Mariana de Auſtria, madre del Rei Don Carlos II.* id eſt *Supplex libellus nobilitatis, & meritorum Domus Cl. Alvari Franciſci de Ulloa Golfin & Chaves, & ejus fratris Cl Petri de Ulloa Golfin Portocarrero, ſcriptus ad Regiam Dominam Marianam de Auſtria matrem Regis Domini Caroli II. Madridii, anno* 1675. *in folio.* Subſcripſit hunc ſupplicem libellum Joſephus Pellicerius IV. Eidus Januarias memorati anni, ut ipſe teſtatur in *Bibliotheca ſua, fol.* 185. In eo agitur de univerſa familia Ulloana latiſſime ſparſa per Extremaduram; & Ludovicus Salazar in *Hiſtoria Domus Laræ, lib. IV. cap.* 12. *num.* 15. ait ſcriptum a Cl. Petro de Ulloa veraciter, & judicioſe. Adde Franckenau in *Bibliotheca Hiſpanica Hiſtorico-Genealogico-Heraldica, num. DCLIX.* Ulloa ſodalis fuit Salmanticæ Collegii majoris Conchenſis, poſtea Judex in Regio Conventu Granatenſi, deinde Regius Fiſcalis in Ordinum Conſilio, & ipſe, Eques Alcantarenſis, ac tandem, Senator in Regio Caſtellæ Conſilio. Magiſtri vero ſui meminit ſumma cum laude *paginis* 87. 125. 163. 189. & 223.

Claudat agmen ſtupendæ eruditionis vir Johannes 65
Lucas Corteſius, natus Hiſpali VII. Eidus Novembreis anni MDCXXIV. parentes Belgas ſortitus, Johannem Lucam Corteſium, Judicem Officialem Regium Thalaſſicum, ac Mariam François; & Madridii denatus poſt multa munera integerrime obita, Regii Caſtellæ Senator, pridie Cal. Septembreis anni MDCCI. cujus cum laude meminit Nicol. Antonius in *Bibl. Hiſp. Tom. II. pag.* 676.

Sed, quoniam in tanti viri mentionem incidimus, 66
vindicabo ei duo egregia opera, ut ſuorum laborum gloria illi conſtet, ac firma ſit. Res autem ita ſe habet. Fridericus Adolphus Hanſen ab Ehrencron fuit Legatus Extraordinarius Friderici IV. Daniæ Regis ad Philippum V. Hiſpaniarum Regem, qui Carolo II. ſucceſſit anno 1700. Sequenti anno 1701. obiit Madridii (uti jam dictum eſt) Cl. vir Johannes Lucas Corteſius pridie Cal. Septembreis, *nihil* (ut ait Gerhardus Erneſtus de Franckenau, Eques Danicus in *Bibliotheca Hiſpanica Hiſtorico-Genealogico-Heraldica, num* 785.) *præter inſtructiſſimam, atque ac ſelectiſſimam Bibliothecam relinquens; ex qua, cum ſub haſta veniret anno* 1702, *illuſtris Ehrencronius, eoque proxeneta & nos, non paucos, eoſque rariores obtinuimus Hiſtoricos Genealogicoſque Codices.* Sæpe alias confeſſus eſt idem Franckenau, illuſtrem Hanſen ab Ehrencron emiſſe libros ex illa Bibliotheca, ut videre eſt *numeris* 27. 35. 51. 95. 159. 193. 446. 1135. Et manifeſtius hoc apparet ex ipſa Friderici Adolphi Hanſen Bibliotheca, quam Hagæ Comitum publice diſtraxit Abrah. de Hondt anno 1718. Cum igitur ex Bibliotheca Johannis Lucæ Corteſii libros emiſſet exquiſitiſſimos, non ſolum Fridericus Adolphus ab Ehrencron, ſed etiam ejus in legatione Aſſecla, ac Regis Daniæ & Norvegiæ Secretarius, Gerhardus Erneſtus de Franckenau; perfacile hic libris a ſe, & ab Ehrencronio emtis, uti potuit. Jam vero quis credat, adeo ſcientem fuiſſe Franckenau rerum Hiſpanicarum, ut de his in Dania aggrederetur ſcribere, cum Otto Sperlingius, utriuſque Juris Doctor, Conſiliarius Regius, & ejuſdem Franckenau amicus, ad ipſum ſcripſerit ita: *Rara avis ſunt Hiſpanica in noſtris tam longe diſſitis oris?* Quo pacto perbrevi temporis ſpatio perſcrutari potuit, ut ipſe ait Friderico IV. in ſuæ *Themidis Dedicatione*, ſacra Themidis Hiſpanæ arcana: & præterea obſervare, ſcribere, & Hafniam mittere a ſe elaborata, ubi lecta, & laudata ab Ottone Sperlingio ante diem 23. Januarii anni 1702. (hoc eſt, poſt tres menſes & viginti tres dies a morte Corteſii, cujus manuſcriptorum probabo fuiſſe illum plagiarium) ut conſtat ex memorati Sperlingii *Epiſtola* ad ipſum Franckenau; &, ut jam abſoluta, laudata fuerunt a Samuele Reyer, Juriſconſulto, Codicis, & Mathematum Profeſſore, Kiliæ Holſatorum pridie Idus Martias ejuſdem anni: & ſequenti commiſſa prælo Hannoveræ apud Nicolaum Foerſterum, cujus editione utor? *Credat Judæus Apella. Non ego.* Verus auctor hujus libri fuit Johannes Lucas Corteſius, qui ſcripſit opus ejuſdem argumenti teſte locupletiſſimo, ſummo ejus amico, & concive, Nicolao Antonio, qui *libro X. Bibliothecæ Veteris Hiſpanæ, cap.* 1. in fine ſic ait: *Cum de his commentaremur, nobis oſtenſum ab erudito viro D. Johanne Luca Corteſio, criminalium rerum in Curia, & Domo Regia tunc XIIviro, poſtea Indiarum Conſilii Regio Senatore, a quo exſpectamus de Originibus Hiſpani Juris libellum, huic operi adjungendum forte pro majori eorum quos frequenter laudamus, ejuſdem Hiſpani Juris, tot diverſis Compilationibus contenti, Gloſſatorum, ſive Interpretum cognitione.* Habemus hic ante omnia manifeſtum indicium temporis, quo Nicolaus Antonius hæc ſcribebat, poſtquam ſcilicet

Corteſius jam erat Regius Senator in Supremo Indiarum Conſilio, quod muous obtinuit ineunte aono 1683. ut ex ejuſdem Corteſii *Epiſtola* didici data ad Joſephum Dormerium ſibi gratulantem III. Nonas Aprileis prædicti anni. Corteſius vero Nicolao Antonio librum ſuum oſtendit, cum eſſet Duodecemvir in Curia, & Domo Regia, hoc eſt, *Alcalde de Caſa, i Corte*; ſive, quod idem eſt, ante annum 1683. Deinde in laudatis Nicolai Aotonii verbis habemus manifeſta plagii indicia, Corteſiaoum ſcilicet *libellum de Hiſpani Juris Originibus*, quem ſuum facere auſus Franckenau titulo ſolum immutato. Obſerva libellum exigoæ molis, prout etiam eſt editus ſub nomine Franckenau: libellum eruditiſſimum, utpote quem ſuæ Bibliothecæ adjuogere volebat ſapientiſſimus Nicolaus Antonius. Eum autem obtinere potuit Franckenau ſtatim a morte Corteſii. Nam, qui libros appetimus, non exſpectare ſolemus, ut ſub haſta vendantur; ſed quamprimum poſſumus, emimus: quod ſæpiſſime ego expertus ſum. Neqoe me movet, quod ait Franckenau in *Præfatione Themidis*, ſe ouncium Corteſiani obitus accepiſſe in Sicilia. Video enim, quam ſubdolam telam texuerit ut incautos lectores deciperet. Sed credamus Franckeoau emiſſe libros ſub haſta. Eo minus temporis habuit ad ſcribendum. At ego ei volo concedere vel decennium. Non potuit vel eo tempore tantam Hiſpani Juris cognitionem ex tam diverſis libris adquirere, quanta in hoc apparet libello. Licet enim io iis, quæ pertinent ad Regnum Valentiæ, ſicut etiam Aragonum, & Principatum Cataloniæ, nonnulla deſiderentur; in rebus tamen Caſtellani Juris, cujus cognitio propria erat Corteſii, mira eſt eruditio, eaque hominis diuturnæ, & exquiſitiſſimæ lectionis, atque judicii, &, ut uno verbo dicam, ejuſmodi, quæ in nullo alio ad hunc diem fuerit in Hiſpania præter unum Corteſium, qui librorum multitudine, raritate, & uſo, omnes Hiſpanos antecelluit. Ejus ſiquidem Bibliotheca (deductis omnibus impenſis) ſub haſta vendita fuit quadraginta mille ducatis, magna quidem pecuniæ ſumma, ſed pretio viliſſimo, ſi librorum copiam, & æſtimationem juſtam conſideres: nam maxima pars librorum eruditarum exoticarumque lioguarum, diſtracta fuit licitantibus propolis, aliiſque ſimilibus, ad cucullos faciendos. Cum igitur in hoc libello taota, & tam varia rerum cognitio appareat, quanta in eodem argumento in nullo alio Hiſpano fuit, neque ante Corteſium, neque poſt eum; & multo mious in quovis extero; neceſſe eſt ut conſideretur multorum annorum opus fuiſſe, & ab eo elaboratum, qui Scriptorum Hiſpanorum libros optimos, & rariſſimos, ooo ſolum noverit; verum etiam legerit, notaverit, excerpſerit: quod qua ratione cohærere poſſit cum eo quod ait Fraockenau, *Sect. VIII.* §. 12. exiguum librorum numerum ſibi eſſe ad manum; nullo modo poſſum intelligere: & multo minus, cum lego, quod ipſe ait in *Præfatione*, *Siciliæ* (*in Sicilia* debuit dicere homo, qui ſe tam egregie eruditum oſtentat) *ſe ſcribere*: ubi quam curta eſſet ſupellex Hiſpanorum librorum ad opus tam vaſtæ, & reconditæ eruditionis elucubrandum, quilibet poterit conſiderare. Illa vero ſollicitudo inquirendi librum Corteſii *De Originibus Hiſpani Juris*, ſimulata, & affectata eſt: ſicut & ſtudium hoc confirmandi auctoritate Ludovici Salazarii, tum in *Nota* quadam, quæ præcedit *Themidem Hiſpaniæ*, tum in *Bibliotheca Hiſpanica Genealogico-Heraldica*, *num.* 785. Hoc nihil aliud fuit, quam alterum, hircum mulgere; & alterum, cribrum ſupponere: maxime ſi animadvertas, Salazarium in *Epiſtola* ad Adolphum Hanſen ſcripſiſſe, *omnia Corteſii manuſcripta ſe recenſuiſſe, & nullam ſimilis argumenti inveniſſe; neque unquam perfeciſſe aliquod opus quod cœperit* (quod certe falſum eſt) ipſum autem Franckenau in memorata *Præfatione* aſſerere, Corteſium *non ſolum meditatum fuiſſe, ſed & ultima jam affectam manu dediſſe Hiſtoriam Juris Hiſpani.* Cum igitur hoc ſciret, cur ei locum non dedit in ſua *Themide?* Dederat profecto, cum in *Indice Auctorum, Rerum, & Verborum* ita legamus: *Joannes Lucas Cortes. v. Cortes.* Sed, ſi ad hoc nomen recurramus, nihil inveniemus. Suſpicor itaque, Franckenau mentionem feciſſe in Operis contextu, tum Johannis Lucæ Corteſii, tum ejus libelli *De Originibus Hiſpani Juris*; verum poſtea, cum plagii ſuſpicionem evitare vellet, delevit quæ in operis contextu de Corteſio ſcripſerat; delevit etiam *Corteſii* nomen in *Indice*, immemor harum rerum veſtigium ſupereſſe aliud in ipſo *Indice*, quem una cum opere Hanooveram miſit, ſe abſente, qui hanc incuriam aoimadvertere non poterat, excudendum; & ſimulavit ſe libellum Corteſianum inquirere, cum ipſa veritatis vis ei jam extorſiſſet hæc verba, quæ in ejus *Præfatione* leguotur: *Meditatus is* (Johannes Lucas Corteſius) *non ſolum erat, ſed & ultima jam affectam manu dederat Hiſtoriam Juris Hiſpani.* Si eam oon viderat, unde ſciebat, *ultima jam affectam manu?* nam hoc nemo alius præter eum ſcripſit; & nemo alius ei dixit; alioqui ejus teſtimonium allegaret, quemadmodum allegavit Salazarii, ut veriſimilius fingeret, ſe nunquam vidiſſe Corteſiaoum Opus. Hoc quibus verbis efformatum habuerit Titulum, colligere poſſumus ex Nicolai Antonii teſtimonio, quod, uti paullo ante meminimus, ſic ſe habebat: *A quo* (Johanne Luca Corteſio) *exſpectamus De Originibus Hiſpani Juris libellum, huic operi adjungendum forte pro majori eorum, quos frequenter laudamus ejuſdem Hiſpani Juris, tot diverſis Compilationibus contenti, Gloſſatorum, ſive Interpretum cognitione.* Quæ verba ſi attente conſideres, & effingere velis titulum huic deſcriptioni convenieotem, nullum aliun breviorem, & accomodatiorem invenies, quam huoc *De Originibus Hiſpani Juris, ſive de Legum Hiſpanarum Ortu, Progreſſibus, Varietatibus, & Compilationibus, cum præcipuis Gloſſarum, Commentariorumque, quibus illuſtrantur, auctoribus.* Vide nunc, & confer Franckenavii Titulum. *Sacra Themidis Hiſpanæ arcana.* Agnoſco hic Franckenavii ambitionem, faſtumque, animumque etiam ſuperſtitioſum, qui hæc arcana non ſolum ſacraverit Regi ſuo, ſed etiam Themidi Hiſpanæ. Verum in ſequentibus (ſi excipias titulum quarto caſu, & non primo expreſſum, quod inſolens eſt, & verbum illud, *Arcana*) obſerva Corteſianæ modeſtiæ veſtigia, & ipſiſſimum Corteſii Titulum ſecuodum indicia, quæ nobis dedit Nicolaus Antonius. *Arcana Jurium, Legumque Ortus, Progreſſus, varietates, & obſervantiam, cum præcipuis Gloſſarum, Commentariorumque, quibus illuſtrantur, Auctoribus, & Fori Hiſpani Praxi hodierna, publicæ luci exponit D Gerardus Erneſtus de Franckenau S. R. M. Daniæ & Norvegiæ Secretarius.*

Innumera hujuſmodi poſſem addere. Sed for- 67
tius pro viro ſapientiſſimo puguandum eſt; maxime cum non adeo cautus fuerit Franckenau, ut omoia plagii iodicia a ſe amoverit: nam *ſectione IX* §. 8. ita ſcripſit: *Bernardus Aſclot, ſeu de Sclot, auctor ſynchronos, & Hiſtoricus illorum temporum a Raphaele Cervera nuper in Caſtellanum ſermonem verſus.* Sciendum eſt, librum hunc editum fuiſſe Barcinone apud Sebaſtianum Cormellas, anno 1616. Quapropter *Nuper* illud aliquo modo convenit Johaoni Lucæ Corteſio, qui, (quum, uti diximus, natus fuerit Hiſpali VII. Eidus Novembreis anni MDCXXIV.) hæc ſcribere potuit poſt 25. aut 26. annos: non vero Franckenau ſcribenti anno 1702. ſive, quod idem eſt, poſt aonos 86.

Præterea *ſect. IV.* §. 4. allegans Covarruviam, 68
& Rudericum Suarez, ſeu Xuarez, vocat eos in contextu, *Pragmatices noſtros*, ut videatur loqui vir rebus forenſibus deditus, & Hiſpanus.

Ad hæc, *ſect. IX.* §. 48. veſtigium evidens 69
exſtat temporis, quo hujus libri verus auctor ſectionem illam ſcribebat: poſt annum ſcilibet 1670. circa quod tempus Cl. vir Raphaël Viloſa Mediolanum vocatus fuit ad gerendum Magni Cancellarii munus. Neque ulterius auctor progreditur, cum certum ſit, Viloſam poſtea in Hiſpaniam reverſum,

ſum, & in Urbe Regia magna munera geſſiſſe ad annum 1681. quo obiit Regens ſacri & ſupremi Conſilii Aragonum.

70 Sed quis dubitat quin hæc verba deſumta ex *ſect. II.* §. 6. non ſint Franckenau, ſed Corteſii? *Memini me* (inquit) *& in Bibliotheca Didaci de Arce & Reinoſo, Generalis per univerſam Hiſpaniam Hæreticæ pravitatis Inquiſitoris, & Conſiliarii Senatus Regii, quæ egregiis abundabat libris, cujusque Catalogum typis Matritenſibus apud Melchiorem Sanchez 1660. in fol. impreſſum ad manus habeo, Partitarum vidiſſe exemplar Valliſoleti una cum Lopezii ſcholiis 1587. fol. 3 voluminibus excuſum.* Auctor horum verborum tria refert: ſe vidiſſe illud Partitarum Alphonſinarum exemplar in Bibliotheca Didaci de Arce & Reinoſo: Bibliothecam illam abundaſſe egregiis libris: & ejus Catalogum impreſſum fuiſſe. Catalogum librorum Didaci de Arce & Reinoſo videre potuit impreſſum Franckenau, & ad manus habere: ex eo, vel ab amicis ſuis ſcire potuit, Bibliothecam illam egregiis libris abundaſſe: ipſam vero Bibliothecam nullo modo videre potuit. Deceſſit enim Didacus de Arce & Reinoſo XV. Cal. Auguſtas anni 1665. In eundem lapidem offendit Franckenau *ſect. X.* §. 9. cum exſcribens Corteſium, ait. *Exſtitit illud volumen* (Fororum ſcilicet Valentinorum) *quod vidimus in Bibliotheca Didaci de Arce, & Reinoſo, Generalis per Hiſpaniam Fidei Inquiſitoris:* & ibidem in eo fallitur, edidiſſe Petrum Hieronymum Tarazonam, utriuſque Juris Doctorem, *Regni Valentini Foros*, confundens hos cum *Inſtitutionibus Fororum, & Privilegiorum Regni Valentiæ*, quas laudatus Tarazona peritiſſime confecit. Paullo poſt meminit Franckenau ejuſdem Bibliothecæ.

71 Huc accedit, auctorem hujus libri videri fuiſſe amicum Nicolai Antonii, qualis certe fuit Corteſius, ut conſtat ex *Veteri Bibliotheca Hiſpana Scriptorum incerti temporis, pag.* 262. idque colligitur ex eo quod in *Themide* quater & quinquagies minimum vocatur, *noſter*, Nicolaus Antonius, quo benevolo nomine etiam inſigniuntur plurimi alii Corteſii amici, quos nullo modo cognovit Franckenau. Omitto eundem Nicolaum Antonium *ſect. II.* §. 1. appellari *Regiorum Romæ Negotiorum Geſtorem*, quod etiam convenit tempori, quo ſcribebat Corteſius; non vero Franckenau, qui, aut *Regium Conſiliarium* nominare debuit, ut vocatur in fronte *Bibliothecæ Veteris* poſterius editæ; aut Nicolai Antonii titulum iis verbis referre debuit, quæ legebantur in *Bibliotheca Nova* excuſa Romæ, cum illud munus gereret: quam Bibliothecam non viderat Corteſius, cum ſcribebat; ideoque exprimere non poterat ipſa Nicolai Antonii verba: viderat autem Franckenau, & ad manum habebat.

72 Cum Gerhardus Erneſtus Franckenau expertus fuiſſet, ſe minime deprehenſum in hoc plagio, par, imo majus facinus aggreſſus eſt, perpetravitque, cum anno MDCCXXIV. Lipſiæ ſuo nomine edidit *Bibliothecam Hiſpanicam Hiſtorica-Genealogica Heraldicam*, opportunam nactus occaſionem utendi ut ſuis, Corteſiania ſcriptis, quæ ſupplevit, complevitque additionibus Ludovici Salazarii, qui in hoc argumento multum eum adjuvare potuit: habuit enim Bibliothecam Genealogicis libris inſtructiſſimam, quorum, qui manu exarati, hodie conſervantur in Madridienſi Monaſterio Benedictinorum Monachorum Beatæ Mariæ Virginis Montis Serrati. Certe inter Hanſeniana manuſcripta in *folio. pag.* 498. *num.* 40. hæc leguntur *Bibliotheca Genealogica Eſpannola. Opus eſt Matriti anno demum MDCCII confectum, in quo recenſentur Scriptores potiſſimi gentis Hiſpanicæ Genealogici non tantum typis editi, ſed & in MSS. aſſervati, numero* 239. *cum indice Auctorum, & Familiarum.* Hic liber procul dubio eſt ille, quem Ludovicus Salazar & Caſtro miſit Ehrencronio, cujuſque meminit Franckenau *num.* 1071. his verbis. *Bibliothecam Genealogicam adjicimus, ſeu recenſum* 239. *Scriptorum, Genealogicas Hiſpanas res exponentium, quem noſtris per illuſtrem Ehrencronium iteratis precibus ſatisfacturus vir hicce humaniſſimus* (Ludovicus Salazar & Caſtro) *benevole nobiſcum communicavit, quove* (forte legendum, *quoque*) *nos ſtrenue in hocce opuſculo adjutos gratiſſime lubentiſſimeque agnoſcimus.* Bonum factum, quod Franckenau fateatur, ſe multum debuiſſe huic Salazarii viventis libro, cum non ita ſe geſſiſſet in Corteſii defuncti ſchedis. Sed facere non potuit, quin multa veſtigia veri auctoris permanerent, quod multis probationibus manifeſtum faciemus.

Num. 123. Nebriſſenſem vocat *noſtrum*, quem 73
non æque ac Corteſius, ut ſuum laudare poterat Franckenau, cum uterque eſſet Hiſpanus, & ejuſdem Provinciæ, & ipſe Nebriſſenſis, Hiſpanorum omnium literis vacantium communis magiſter.

Num. 287. poſt commemoratum Cl. viri Didaci 74
Ortiz de Zuñiga *Theatrum Genealogicum Nobilium Hiſpalenſium Familiarum*, addit: *Quod tamen, ut ad umbilicum perducatur, vix ipſe, ob argumenti amplitudinem, ſperare audet auctor:* quaſi, cum Bibliothecam ederet Franckenau anno MDCCXXIV, adhuc viveret Ortizius, qui, cum Nic. Antonius ſcribebat *caput* 16. *libri X. Bibliothecæ Veteris*, jam ad meliorem vitam tranſlatus fuerat; natus enim fuit XI. Cal. Febr. anni MDCXXXIII. ſepultus Hiſpali pridie Nonas Septembreis anni MDCLXXX. relictis multis ingenii ſui monumentis, quæ poſtea perierunt fortuito domus ſuæ incendio. Parentes habuit Cl. Virum Johannem de Zuñiga, & Eleonoram Ludovicam de Alcazar; uxorem Mariam Cavallero; filios Joannem Ortiz de Zuñiga, Eleonoram Ludovicam, Mariam Hieronymam, & Annam Joſepham, ut ipſe meminit in *Diſcurſu Genealogico Ortiziorum Hiſpalenſium.* Adde quæ idem ſcripſit in *Annalibus Eccleſiaſticis & Sæcularibus Civitatis Hiſpalenſis, ad annum MDCLXVII.* Et, quo magis mireris, ipſe Franckenau Corteſium deſcribens, inſcius comprobat hoc ipſum, *num.* 139. Scilicet Corteſius Adverſaria ſcribens, varie pro variis temporibus ſcribebat; & qui uno tempore vivebant, alio jam obierant: neque curabat, ſi quid aliter in Adverſariis ſuis ſcripſiſſet. Utrumque enim verum erat.

Sed quid conjecturis urgemus hominem aperte 75
convictum? *Num.* 581. cum meminiſſet duorum codicum manuſcriptorum operis inſcripti, *El Conde Lucanor* auctore Johanne Emmanuele Caſtellæ Infante, ita ſubdidit. *Poſſidet illud hodie* (loquitur de opere manuſcripto quod habuit Hieronymus Zurita) *eruditiſſimus*, ut ait, *Joannes Franciſcus Uſtarrozus.* At certum eſt, Uſtarrozium obiiſſe die 18. Auguſti MDCLIII. ut *num.* 764. ipſe Franckenau fatetur; vel, ut verius dicam, Corteſius, qui ubique prodit in hoc eruditiſſimo opere diligentiam ſuam procul dubio incomparabilem. Ideoque, etſi aliud argumentum non haberemus, ipſum opus probaret, ejus auctorem non potuiſſe eſſe virum exterum, recens advenam, paucis Hiſpanis notum; cum alia ex parte videamus eum ſibi arrogare, vidiſſe, exploraſſe, & excuſſiſſe præcipuas Hiſpaniæ Bibliothecas, non modo ſui temporis, ſed & præcedentis, hoc eſt, nuſquam exſtantes. Veluti *num.* 1334. Bibliothecam Comitis Ducis Olivares, Gaſparis de Guzman, qui deceſſit XI. Calendas Auguſtas anni MDCXLV. *Num.* 687. Bibliothecam Didaci de Arce Reinoſo, qui obiit XV. Calendas Auguſtas anni MDCLXV. *Num.* 194. Bibliothecam Comitis Moræ, Petri de Rojas, Madridii vita functi menſe Auguſto ejuſdem anni MDCLXV. *Numeris* 1277. & 1319. Bibliothecam Comitis Villæ Umbroſæ, Petri Nuñez de Guzman, qui deceſſit Madridii menſe Novembri anni MDCLXXVIII. *Numeris* 240 & 1350. Bibliothecam Hieronymi Maſcareñas, Segovienſis Præſulis, qui Segoviæ obiit circa annum MDCLXXX. Fateor eum videre potuiſſe Bibliothecam Ducis Ucedæ, cujus meminit *num.* 630. ſed præcedentia faciunt, ut ne hoc credam: uti nullo modo mihi ſuadere poſſum, vidiſſe illum *Numeris* 187. 755. 863. 1148. commemoratam Bibliothecam Marchionis Mondexarenſis, Gaſparis Ibañez de Segovia, quem agnoſcere potuit, quia deceſſit anno MDCCVIII. ſed parum, aut nihil cum eo

communicaſſe mihi videtur, cum de eo ſcribens anno MDCCXXIV. adhuc ejus mortem ignoraret, utpote *num.* 549. ait: *In vivis adhuc fuit anno MDCCIV.* Qui loquendi modus abnormis prodit etiam, quomodo ſcriberet Franckenau, cum Corteſium non. deſcribebat. Et, licet quis dicere poſſet, Franckenau videre potuiſſe catalogos memoratarum Bibliothecarum: tamen, ut taceam hoc non bene accommodari ejus loquutionibus; hoc etiam difficile apparebit conſideranti, luci publicæ, quod ſciam, non fuiſſe commiſſos præter illum Comitis Ducis de Olivares, & Didaci de Arce & Reinoſo, & Comitis Villæ Umbroſæ, omnes tres rariſſimos.

76 Ad hæc, *num.* 1411. ſic ait Franckenau. *Oropeſanus Comes, Caſtellæque Senatus Regii Præſes, Don Emmanuel Joachimus Alvarez de Toledo, qui hodienum eodem potitur.* Loquitur de Stephani Garibaii Theſauro Genealogico, ſic inſcripto. *De origine, & progreſſibus, & illuſtrationibus Dignitatum Secularium Hiſpaniæ*; & cum Franckenau Bibliothecam ederet anno MDCCXXIV. duo affirmavit: alterum, eo ipſo tempore eſſe Caſtellæ Senatus Regii Præſidem, Comitem Oropeſanum; cum tamen certum ſit, illum deſiiſſe eſſe Præſidem ante Caroli II. obitum, ut refert Cl. vir, Antonius Cajetanus de Souſa Clericus Regularis in *Hiſtoria Genealogica Domus Regiæ Portugalenſis, tomo IX. cap.* 4. cui adde ipſum Franckenau *num.* 145. Alterum quod affirmavit, eſt, prædictum Comitem poſſidere illud opus, quod verum eſt, ſi hoc referas ad tempus quo ſcribebat Corteſius; non vero Franckenau, cum Garibaii opus illud, quod habebat Comes Oropeſanus, ante multos annos diſtractum eſſet in varios dominos, uti narrat Lodovicus Salazar & Caſtro in *libello*, cui titulum fecit (agnoſce Scriptoris ingenium) *Satisfacion de ſeda a cargos de eſparto*, id eſt, *Spartearum rationum ſatisfactio bombycina*, *num.* 74.

77 Præterea nemo ignorat, multa Officiorum publicorum nomina difficulter ex vulgaribus linguis in Latinam converti, propterea quod pleraque ex iis mera imago ſunt præteritarum rerum; adeoque ſcire opus eſt Officiorum inſtitutionem, & finem. Aliquando vero nihil aliud neceſſe eſt, niſi vernaculam linguam intelligere modo quo vel pueri ſolent, ut nomen aliquod Latine exprimatur. Quis igitur mihi ſuadebit, Franckenau, hominem exterum, in quamplurimis Officiorum, Munerumve publicorum nominibus Latine exprimendis, id egregie præſtitiſſe, quod pauciſſimi Hiſpani, rerum ſuæ Nationis bene periti, difficillime aſſequi poſſent; & eundem *num.* 855. ignorantiam Hiſpanæ Linguæ ita prodere? *Eſpia Mayor de Caſtilla. Qui obſoletus hodie eſt honos, Latino ſermone exprimi a me neſcius.* Scilicet Salazarius, cui hanc debuit notitiam (vide *num.* 856.) Latine non extulerat hoc nomen, ut qui Latine ſcribere neſciebat, cum videamus eum in teſtimoniis ejus linguæ allegandis paſſim offendere, & notum omnibus ſit, a Johanne Ferreras eximiæ probitatis viro illi fuiſſe objectum, ad ea intelligenda, & allegenda ſolitum Salazarium uti quorundam Monachorum opera. Quid igitur in hoc caſu intereſt ſcire, ſitne in uſu nomen illud nec ne ad Latine illud reddendum? cum ſolum agatur de intelligendo nomine *Eſpia*, quod frequentiſſime occurrit in omnibus Hiſtoriis, utpote idem eſt, ac Latine, *Explorator*: ut ſolum neceſſe ſit verbum verbo reddere.

78 Sed me nihil æque movet ad hæc ſcripta vindicanda, & reſtituenda Johanni Lucæ Corteſio, quam horum librorum eruditio recondita, quæ manifeſte prodit, & plagiarium, & verum auctorem, *quocum*, (ut Salazarius confeſſus fuit in *Epiſtola* ad Ehrencronium) *certe ſepulta eſt omnis eruditio Hiſpana.* Quanquam excipere debuit Salazarius Marchionem Mondexarenſem ſibi inviſum, etſi in ſtudiis Genealogicis doctorem, ductoremque ſuum: qui vir maximus in *Epiſtola* ſcripta ad Johannem Lucam Corteſium, qua illi dicavit *Obſervationes* (quas habeo manuſcriptas) *ad antiquum Chronicon Alphonſi Regis cognomento Sapientis*, ſic ſincere, vere, & ex animo loquitur, *Hanc* (intelligit familiarem conſuetudinem) *tecum firmiter retinui fere per annos quadraginta cum magna mea utilitate, & fructu, quin neque antea, neque poſtea invenerim, qui poſſit, non modo Tecum certare; ſed nec æquare Te, nec in univerſalitate notitiarum, neque in regulari, & juſto judicio, quo diſtinguis certa a dubiis, veriſimilia aut probabilia, a ſuppoſititiis, & falſis.* Sciant igitur plagiarii, præſertim operum maximorum virorum, nihil ſe admiſſuros, quod aliquorum oculos effugiat. Noſque Cl. viri vigiliis vindicatis ad alia pergamus.

Huc uſque de diſcipulis Franciſci Ramos del Man- 79
zano. Erat adhuc ipſe Salmanticæ anno MDCXLIV. primarius Juris Cæſarum Anteceſſor, Sacrique in cauſis fidei Senatus Conſultor, quando ex juſſu Ordinarii 7. Id. Majas cenſorio calculo probavit diſcipuli ſui Joſ. Fern. Reteſii *Epitaphia illuſtrata*, hoc ipſo anno Salmanticenſibus typis deſcripta.

Eodem anno edidit Hiſpana Lingua opus inſcri- 80
ptum: *Conſultacion ſobre que es diſpenſable para el Matrimonio el impedimento del primer grado de afinidad en la linea obliqua, en Salamanca anno* 1644. *in folio*, id eſt, *Conſultatio de facultate diſpenſandi ad Matrimonium primum gradum affinitatis in linea obliqua.* Scripſit hanc Conſultationem, ut Romæ inſtrueret Franciſci Menchaca nobiliſſimi civis Salmanticenſis votum Sedi Apoſtolicæ offerendum, ducendi uxorem in ſecundis nuptiis, conjugis præmortuæ ſororem. Hanc ſententiam ſubſcripſerunt omnes Profeſſores Legum, & Canonum inclytæ Academiæ Salmanticenſis, ut narrat Antonius Diana, *Parte X. tract.* 15. *reſolut.* 15. ubi conſervantur aliqua fragmenta laudatæ *Conſultationis*, quam Joſephus Reteſius allegavit *lib. II. Opuſc. ſect.* 2. *cap.* 9. *num. ult.* & ſummis laudibus affecit *lib. VIII. Opuſc. cap.* 29. ubi ſuum Præceptorem vocavit, *Sæculi noſtri alterum Papinianum.*

Homo natus ad ſtudia literarum colenda, & ado- 81
leſcentes ſelectiſſima doctrina imbuendos, a docendi munere avelli non debuit; ſed honorariis, & honoribus ampliſſimis auctus, in eo debuit perſeverare, cum certiſſimum ſit, virum tot, tantarumque virtutum, plus prodeſſe in Cathedra, quam in ampliſſimo Magiſtratu. Nam unus magiſter mille poteſt creare magiſtros; eoſque ad omnes magiſtratus gerendos, aptiſſimos facere, ut cæteris jus reddant: magiſtratus vero magiſtros non facit, ſed poteſt eligere: electum autem, & experimentis comprobatum, conſervare debet; præſertim cum pauci magiſtri eminentis doctrinæ, ſinguli in unaquaque ſcientia in ſingulis Academiis docentes, ſufficere poſſint ad numeroſiſſimam Nationem omnibus bonis artibus, & ſcientiis imbuendam. Quam autem eſſet neceſſaria præſentia tanti, & tam gravis magiſtri in Schola Salmanticenſi, memoriæ prodidit Joſephus Fernandez de Retes in *Epiſtola Dedicatoria Commentariorum de Interdictis, & Relegatis, & Deportatis*, ubi cum ſuo Præceptore loquens, poſteaquam numerum laudatorum ejus cumulavit, ſic ait. *Qui præ cæteris in laudes tuas effunduntur; ut in quotidianis Relectionibus, extemporaneiſque, & Diſputationibus publicis noſtri hodierni Profeſſores, qui ex alio jecore non ſapiunt, neque ex alio corde, ſi cordate ſapere amant. Quid tamen mirum, cum Salmantica Tibi debeat, & ab illa tota hæc regio τὸ πλεῖον, quo Juriſprudentia exornatur. Hanc libertatem, aut, ſi mavis, liberalitatem, quæ ab ipſis Jureconſultorum fontibus hauritur, non vero ab Interpretum arbitrio, ut olim, inſtiterunt ante Te alii. & rectam interpretandi rationem viderunt: ſed, quod illi tentarunt, perfeciſti: imbuiſtique ſectatores tuos illis artibus, quibus vere, ſolide, decenter, ſtudium hoc aſſequi poſſent; non tantum exemplo, ſed & frequentibus monitis. De me Tibi ſatis conſcio fateri poſſum, debeoque, priſcam (ſi Deo placet) ſapientiæ normam ſectantem, & hanc avidiſſime, enixoque labore; a tortuoſa ſemita retraxiſſe, & in hanc Regiam rectamque duxiſſe viam. Pro quo beneficio quas grates referam, neſcio; niſi votivam tabellam,* Servatori, *& hanc qualis qualis cenſus literarii apud Te profeſſionem.*

Veruntamen, etſi utiliſſimus eſſet Ramos illi Aca- 82
demiæ;

demiæ; ad alia munera ampliſſima vocabant illum ejus merita: ideoque Philippus IV. Franciſcum Ramos del Manzano, non candidatum, non prenſantem, non ambientem, imo ne quidem tale cogitantem, ex Anteceſſore Primario dictante tunc *Commentarios ad Leges Juliam & Papiam*, ut Hieronymus ejus filius teſtatur, (anno, ut puto, 1645.) creavit Præſidem Mediolanenſium Extraordinariorum Rediuuum (Hiſpane, *Preſidente del Conſejo de Hacienda de Milan*) & ibidem Regium Secretioris Conſilii Conſiliarium, petente Montis Regis Comite, Emmanuele de Acevedo Zuñiga & Ulloa, qui rerum Italicarum Conſiliis præerat. Memorat ipſe Ramos *Lib. IV. ad Leges Juliam & Papiam*, *Reliquat.* 33. *num.* 16. ſe Præceptori ſuo cl. viro Alphonſo Guillenio Carreræ in Mediolanenſi extraordinario Præſidatu, & in Italici Senatus Regentia ſucceſſiſſe; quorum alterum munus Mediolani, alterum geſſit Madridii. In priore eum an. MDCXLVI. conſtitutum laudat Mercur. Merlinus in *Deciſione* 127. eo anno ſcripta, & poſt *Tractatum de Pignoribus & Hypothecis* excuſa: anno vero MDCXLVIII. jam erat in ſupremis Italiæ ſubſelliis Regens, ut colligitur ex Martini Saravitæ *Diſputatione ad leg.* 68. *Dig. de uſuf. num.* 6. quæ Diſputatio edita fuit Valliſoleti memorato anno.

83 Quid autem contigerit, ſtatim ac ille a Salmanticenſi Academia diſceſſerit, enarravit Petrus Valerus Diazius in *Anteloquio*, quod præmiſſum eſt Reteſii Opuſculis, cujus verba operæ pretium eſt huc transferre. *Cum alibi* (inquit) *ſatis magno ardore diſcendi ſtudia arripuiſſem, eo ipſo anno tyrocinia Juris Civilis Salmanticæ poſui, quo vir ſummus, inclytæque famæ Dominus D. Franciſcus Ramos del Manzano, Regii nunc* (anno MDCLVI.) *Caſtellæ Conſilii Senator, ex Primario Anteceſſore in Mediolanenſem Curiam adlectus, cœperat magnarum virtutum ergo publicorum bonorum ſplendore decorari. Indoluerant litterarum alumni, totaque certatim Academia, altiſſimo deſiderio, viri incomparabilis abſentiam: utpote in quo uno collectum, ut parce dixerim, efflorebat quidquid admirandum in Juris, & eruditionis arte imputare ſæculis Salmantica poteſt. Et vero triſtiſſima neſcio quæ ſiderum cœlique calamitas abreptum hinc Juris præſidium teſtata quoque eſt. Infandos enim Scholaſticorum tumultus, juſque datum ſceleri vidimus eo anno: ut plane caligare lux civilis ſocietatis, & regnare in ipſo Pacis templo injuria videretur, abſceſſu venerandi, & ſancti Antiſtitis: non ſecus quam cum olim Aſtræa mortalium mores pertæſa ad ſuperos evolavit.* Huc uſque eruditiſſimus Valerus, utinam pari modo eloquentiſſimus, ac non Apulejanus declamator.

84 Anno MDCLIV. vel initio ſequentis Joſephus ab Exea & Deſcartin Ramo legendam commiſit *Recitationem* ſuam *ſolemnem ad leg. unic. Cod. de palat. & dom. domin.* quumque Ramos epiſtola ad Auctorem ſcripta eam luce dignam teſtatus fuiſſet, prodiit illa Cæſar-Auguſtæ apud Didacum Dormer MDCLV. in 4. inſerta etiam nuperrime *Tomo tertio novi Theſauri Juris Civilis & Canonici*.

85 Brevi tempore Ramos ex Senatore Supremi Italiæ Conſilii, factus Conſiliarius Regii Caſtellæ Senatus, cujus eſt gerere publicas res, quanquam nimium occupatur in litibus judicandis. Præceptorem ſuum hoc munus obeuntem laudavit Petrus Valerus Diaz anno MDCLVI. *loco modo laudato*, item Joſ. Reteſius anno MDCLIX. *lib.* VI. *Opuſc. cap.* 2. *num.* 3. & *lib.* VII. *cap.* 2. *num.* 3. Nicol. Antonius in *Præfatione lib. de Exilio*. Præterea multa alia obivit munera in Regiis Conceſſibus, Cruciatæ, Millionum, Competentiarum; more frequentiſſimo, ut, quæ plures peragere debent, unus in ſe omnia ſuſcipiat, privato compendio, publico diſpendio.

86 Anno MDCLIX. elegit eum Philippus IV. Legatum Paci ſanciendæ firmandæque inter ſe & Chriſtianiſſimum Regem Ludovicum XIV. nuptiiſque inter eandem Regem, & Mariam Thereſiam Auſtriacam Hiſpaniæ Infantem (uti vocant) paciſcendis ſpondendiſque: & utrumque negotium expedivit peregitque in Congreſſu Cantabrico-Gallico, VII. Eidus Novembreis ejuſdem anni.

87 Ipſomet anno, arcano Philippi IV. juſſu per Primarium illius Adminiſtrum Ludovicum de Haro, injunctum ei munus ſcribendi *de Epiſcopatibus Portugalliæ*, quod opus eruditiſſimum Hiſpana Lingua Madridii editum fuit hoc titulo. *A nueſtro Santiſſimo Padre Alejandro VII. ſobre la Proviſſion de los Obiſpados vacantes en la Corona de Portugal, el Dotor D. Franciſco Ramos del Manzano, del Conſejo de ſu Mageſtad Catholica, i Cathedratico Primario de Juriſprudencia en la Univerſidad de Salamanca. En Madrid por Joſef Fernandez de Buendia, Anno de MDCLIX.* Id eſt, *Ad noſtrum ſanctiſſimum Patrem Alexandrum VII. de Proviſione Epiſcopatuum vacantium in Monarchia Portugalliæ, Doctor D. Franciſcus Ramos del Manzano, Majeſtatis Catholicæ Conſiliarius, & Anteceſſor Primarius Juriſprudentiæ in Academia Salmanticenſi. Madridii apud Joſephum Fernandez de Buendia, anno MDCLIX. in folio.* Joſephus Reteſius *lib. III. de Interdictis, & Relegatis, & Deportatis, in Additionibus ad l. cum qui* 3. *ejuſd. tit.* laudans hanc *Conſultationem*, vocavit eam *acclamatiſſimam*. Iterumque laudavit eam in *Additionibus ad l. relegatus* 19. *ejuſd tit.* atque *in fine Excurſuum Analectorum* mentionem faciens hujus *Supplicis libelli*, ſic eum celebravit. *Admonuit nuper magnus Præceptor meus D. Ramos in ſupplici ad ſanctiſſimam Sedem libro de Epiſcopatibus Luſitaniæ, publico Europæ plauſu, quo gaudet, digniſſimo ab ſpecioſa, & multijugi doctrina, imo encyclopædia.* Hic libellus tranſlatus in Linguam Italicam juſſu Pennarandæ Comitis, Gaſparis de Bracamonte, Proregis Neapolitani, in lucem publicam prodiit ex officina Ægidii Longi anno MDCLXI. *in folio.*

88 Anno MDCLX. Idibus Aprilis dedicavit ei Joſeph. Fernandez Reteſius *Commentaria* ſua *ad Tit. D. de interdictis & relegatis & deportatis* repetitæ prælectionis, eodem anno Lugdunenſibus typis deſcripta, eique Epiſtolæ Dedicatoriæ varia celeberrimorum Virorum encomia, quibus Ramum noſtrum ornaverant, inſeruit.

89 Anno MDCLXI. illuſtriſſimus vir, Chriſtophorus Creſpi de Valdaura, Equeſtris Monteſianæ Militiæ Aſſeſſor Generalis, & Claviger Magnus, Aragonii Imperii Regnorum Procancellarius, & ſupremi eorundem Senatus Præſes, conſuluit communem illum Hiſpaniæ Magiſtrum, num e Republica Literaria eſſet edere ſuas *Obſervationes illuſtratas Deciſionibus*; & Franciſcus Ramos del Manzano ei reſpondit, luce publica dignas eſſe. Utriuſque Epiſtola præmiſſa eſt laudatis *Obſervationibus*.

90 VII. Eidus Majas memorati anni MDCLXI. injunxit ei Philippus IV. munus ſcribendi res ſuas, & propulſandi ſimul ſuorum jurium impugnatores, quantum per Hiſtoriæ leges liceret: facultatemque ei conceſſit, ut, quo expeditius Hiſtoriam ſcriberet, quoties vellet, in Senatum non iret. Exſtat honorificentiſſimum diploma in *Præfationibus Legum Juliæ & Papiæ*, & apud doctiſſimum, diligentiſſimumque Joſephum Dormerium in *Progreſſibus Hiſtoriæ Regni Aragonum*, *pag.* 310. Cumque ſe huic muneri obeundo præpararet, adminiſtrare juſſus eſt vices abſentis tunc Indiarum Præſidis, cum prærogativis proprietarii (erat is nobiliſſimus vir Gaſpar de Bracamonte, Pennarandæ Comes, Neapolitani Regni Prorex) reverſoque in Hiſpaniam Præſide Bracamontio, iterum ſe dedidit muneri ſuo Hiſtorico.

91 Dum eſſet Gubernator Regii Conſilii Indiarum, multum laboravit ut colligerentur, & ordinarentur Leges ad Indias pertinentes: opus centum & quinquaginta annorum, ut videre eſt apud cl. virum Andream Gonzalezium Barciam, Regii Caſtellæ Conſilii Decanum, dum vivebat, meritiſſimum, & librorum helluonem avidiſſimum, in *Epitome Bibliothecæ Orientalis, & Occidentalis Antonii Leonis Pineli* ab ſe aucta, *volum. II. pag.* 826.

92 Providerat Philippus IV. ut, cum Carolus Princeps

ceps ad juſtam ætatem audiendi magiſtrum perveniſſet, dignum ſe Præceptorem haberet; elegitque Franciſcum Ramos del Manzano. Cum Rex igitur deceſſiſſet XV. Calendas Octobreis anni MDCLXV. juſſus eſt obire munus illud; quod tantum abſuit nt ambiret, ut potius recuſare conatus fuerit: fortaſſe quia prudentiſſimus vir ſe imparem conſiderabat ad congrediendum cum illiuſmodi Aulicis, qui, cum inſtructi eſſe ſoleant duplici animo, difficulter vincuntur a probis candidiſque viris. Atque utinam munus illud non ſuſcepiſſet: magis enim excoluiſſet literas, & multorum invidiæ expoſitus non fuiſſet homo ſcholaſticis pugnis, non aulicis aſſuetus.

93 In Regis pueri inſtitutione, quem Chriſtiana doctrina imbutum jam acceperat, hanc viam inivit. Docuit eum legere, & ſcribere; voluitque ut legeret Epitomas vitarum Regum Catholicorum, Ferdinandi, & Eliſabethæ, Caroli V. Philippi III. & IV. proponens ei laudanſque præcipuas illorum res geſtas: Regnorum ſuorum ideam repræſentavit: deſignavit ei exempla, & monita politica, quibus diſceret amorem erga cives, juſtitiæ zelum, nobilitatis æſtimationem, plebis defenſionem contra potentium impotentiam, neceſſitatem fovendarum alendarum artium propriarum pacis, & belli, verumque modum procurandi Regnorum ſuorum proſperitatem. Docuit etiam Regem Linguam Latinam, cujus rudimenta facile didicit ob memoriæ felicitatem. Præterea inſtituit eum in Geographia. Itaque Carolo II. injurioſi ſunt, qui eum ineptum credunt. Nam, neque illi defuit ingenium, neque judicium, neque optimi regiminis amor; ſed animi vigor, & conſtantia ad puniendos peſſimos Miniſtros, quos eo vivente aperte improbavit, notavitque Raphaël Viloſa, integerrimus, & doctiſſimus vir, *Diſſert. IV. De Jure adhæſionis*, *num.* 1. agens de Comitatu Ceritaniæ, quæ pertinuit ad Hiſpaniam per Tractatum Pacis Madridii conventæ anno MDCLVI. cujus Comitatus limites debuerunt conſiderari multo latiores. Mirabitur ſemper poſteritas cum tam probo, & ſui compote Rege actum fuiſſe, tanquam cum energumeno, ut cæteri Reges diſcant cujuſmodi eſſe ſoleant artes aulicæ. De quibus multa ad Franciſcum Ramos pertinentia procul dubio dici poſſent, ſi laudati Regis exſtaret aliqua Hiſtoria, cujus deſiderium facit ut illius temporis negligentia maxime notanda veniat. Sed nimirum, qui ſua ſciri nolunt, & perpetuo ſilentio premi cupiunt, ſemper Hiſtoricos oderunt; & hujuſmodi titulum honorificum infantibus, ant mutis hominibus conſerri curant: in quo Reges minime culpandi; ſed qui certa cognitione, & experimentis notiſſimis edocti, ineptos idoneis præponunt.

94 Annus volvebatur milleſimus ſexcenteſimus ſexageſimus ſextus, cum Franciſcus Ramos del Manzano ſexagenario major ſcripta ſua recenſebat; quod operæ pretium eſt ab ipſo audire. Sic autem ait *libro I. ad Leges Juliam & Papiam*, *cap.* 10: *in fine. Interim ſaltem hæc de ſexagenariis quoad Senatoria, & Militaria munia, prænotaſſe, cum tricennis nondum eſſem, eo magis placitum nunc, & volupe, quia Divino beneficio hæc recolo, recenſeoque, ſexagenario jam major, ſimulque Regio indulto vacans a judiciario in Senatu aſſeſſu, niſi ſi quando adeſſe velim; & permiſſum extrema hæc tempora mihi impertire. Atque utinam vacarem ſoli animo Chriſtiane ad extremam vitæ lineam apparando potius, quam literatis hiſce lineis.*

95 Anno proximo MDCLXVII. pridie Eidus Septembreis Joſephus Saënz de Aguirre, poſtea Cardinalis, dicavit ei *Ludum Primum Salmanticenſem*, & inter alios titulos eum vocavit *interioris cubiculi Conſiliarium*, hoc eſt, ut vulgo dicitur, *Regiæ Cameræ*, quem honorem acceperat eodem anno III. Nonas Junias a Regina Maria Anna Auſtriaca, Caroli II. matre, ejuſdem Regis tutrice, & Regni Gubernatrice, ut videre eſt in Regio Diplomate, quod extat in *Præfationibus Legum Juliæ & Papiæ*, ubi Ramos ſupponitur eo tempore laborare in rebus ad Galliam, & Hiſpaniam pertinentibus. Res autem ſic ſe b buit.

Succedentibus in media pace tumultibus bellicis, 96
& invadente Ludovico XIV. Provincias Belgicas, cum Galli prætexendæ irruptioni emiſiſſent *libellum de juribus Galliarum Reginæ ad Brabantiam, & alias Belgii ditiones*, voluit Hiſpaniarum Regina Maria Anna, ut Franciſcus Ramos del Manzano ab ipſa Regis pueri manu acciperet libellum illum; eodemque tempore ei juſſit Regina, ut illi libello, quanto citius poſſet, reſponderet. Nec mora fuit in obſequio; intra paucos enim menſes eruditiſſimum Reſponſum elucubravit Hiſpana lingua; edidítque ſub hoc titulo: *Reſpueſta de España al Tratado de Francia ſobre las Pretenſiones de la Reina Chriſtianiſſima*, *anno* MDCLXVII. id eſt: *Reſponſum Hiſpaniæ ad Tractatum Galliæ de Juribus Reginæ Chriſtianiſſimæ*, *anno* MDCLXVII. *in folio*. Hoc Reſponſum eadem lingua Hiſpana recuſum fuit in Belgio; & ex Hiſpana in Italicam, & etiam Gallicam linguam tranſlatum anno MDCLXXV. atque anno MDCLXXIV. Latinitate donatum: atque ita Ramos cornicum oculos confixit, ut vere Anonymus ſcripſerit, Gallos Rami Reſponſo nihil potuiſſe opponere niſi exercitum triginta mille hominum. Hoc ipſum opus etiam interpretabatur Latine ejus filius Johannes; ſed ad meliorem vitam vocatus, penſum abſolvere non potuit.

XI. Calendas Octobreis anni MDCLXXII. dedi- 97
cavit Hiſpaniarum Reginæ librum ſic inſcriptum. *Reinados de Menor edad, i de Grandes Reyes. Apuntamientes de Hiſtoria. Dedicanſe a la Reina nueſtra Señora por el Dotor D. Franciſco Ramos del Manzano del Conſejo, i Camara de ſu Mageſtad, i ſu Maeſtro. En Madrid por Franciſco Sanz, en la Imprenta del Reino, anno MDCLXXII.* id eſt: *Regimina minoris ætatis, & magnorum Regum. Adverſaria Hiſtorica: dedicantur Reginæ Dominæ noſtræ ad lectionem Regis Domini noſtri, a Doctore Don Franciſco Ramos del Manzano, Conſilii, & Cubiculi Regis, & ejus Magiſtro. Madridii apud Franciſcum Sanz in Typographia Regni, an. MDCLXXII. in* 4. Hic liber oſtendit cujuſmodi doctrinam inſtillaret gravis ille Magiſter Regi ſuo diſcipulo.

XI. Calendas Auguſtas anni MDCLXXVII. cum 98
eſſet Decanus Conſiliorum Regiorum, & Carolo II. placuiſſet a Conſilio amovere Marchionem de Montalegre, Petrum Nuñez de Guzman, Supremi Caſtellæ Senatus Præſidem, nominavit ad tempus Franciſcum Ramos del Manzano, donec alium eligeret. Exſtat Diploma Regium in *Præſationibus Legum Juliæ & Papiæ.*

VIII. Eidus Novembreis ejuſdem anni creatus fuit 99
Comes de Francos; voluitque Rex ut ejus ſucceſſores eodem titulo gauderent.

Interea Franciſcus Ramos del Manzano augebat, 100
exornabat, mandabatque typis *Commentarios ſuos ad Leges Juliam, & Papiam*, ſcribenſque *caput* 57. *lib. III.* ſolum vertere juſſus: ac propterea abrupit laborem ſuum. Hoc infortunium ei accidit, propterea quod Philippi IV. ſupremam voluntatem ſervandam eſſe cenſebat, ideoque Monarchiæ regimen adimi non poſſe Reginæ Matri, Mariæ Annæ Auſtriacæ, Hiſpaniarum Gubernatrici, etiamſi aliter ſentiret Johannes Auſtriacus, defuncti Regis illegitimus filius, qui Caroli II. fratris ſui impuberis animum ſibi devinxerat. Qua vero conſcientia ille perrexerit in exilium, & qua fiducia animi; optime ipſe declaravit his verbis, quæ leguntur in fine laudati capitis. *Nec tamen intra hos fines, quando eo uſque progreſſa, Diſſertatio noſtra maneret, aut ſiſteret: quin & ſubnecteremus electa aliqua de Protectione Regia in Hoſpitalibus, quæ ſub illa ſunt. pro canone* 8. *ſeſſ.* 22. *Tridentini; & electiora de Advocatiis illis Eccleſiarum, in Germania, & Gallia frequentibus, quibus ſimiles, quæ R giis noſtris legibus Commendæ dictæ, & Ante-Eccleſiæ illæ in Cantabria, & Montanis. At abrumpimus hæc, & deſinimus, juſſi inſperato, ex Aula cedere, & exulare, ob cauſſam, in qua nos Deo Regi, & Reipublicæ obſequium præbuiſſe, & pro*

munere

munere Regii Magiſtri, doctrinæ, & morum, quæ expediebat, ſuaſiſſe, arbitramur. Aſt aliud aulæ, & aliis, penes quos rerum ſumma, viſum, & placitum (id quod conſultius fuiſſe, facile auctoritati eorum qui conſuluere, conceſſerim; an felicius alii cenſebunt.) Nobis pro animi tranquillitate, & ſolatio ſat eſt, extra ullam conſcientiæ noxam cenſuiſſe, & conſuluiſſe, & cum Rutilio illo Romano, Juriſconſulto, Senatore, & exule, aut cum melioris fidei viro Boëtio Severino, itidem exule, qui, ut de ſe ipſo libro de conſolatione, tutior eſſe debuit, quia amore juſtitiæ, nihil apud aulicos, quo tutior eſſet, reſervaverat, in exilio placide vitam agere, & ſi Deus volet, finire, inter præſentium, & poſterorum de rebus noſtris judicia; & ut Paulus ſcribit II. ad Corinthios, cap. 6. Per infamiam, & bonam famam, ut ſeductores, & veraces, quaſi morientes, & ecce vivimus, ut caſtigati, & non mortificati, quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes. Suum cuique decus poſteritas rependet.

101 Exilium in cauſſa fuit, ut properans reſidua ſua colligeret, ut ipſe memorat *Lib. IV. ad Leges Juliam & Papiam. Reliquat.* 27. *num.* 1. & ut non ſcriberet tam plene, quam ipſe in votis habebat, ut diſcimus ex ejuſdem *libri Reliquatione* 99. *num.* 2. Sed tamen, utcumque poſſet, voluit operi magno adjungere *librum quartum Reliquationum*, plane eruditiſſimum, & utiliſſima doctrina referium, cui *Præfatiunculam* præmiſit ſub nomine generis ſui Cl. viri Antonii Ronquilli Brizenni in Majori Ovetenſi Collegio Salmanticæ collegæ, & Primarii Juris Civilis Anteceſſoris, eo tempore (anno videlicet MDCLXXVIII.) in Regio ſupremo Indiarum Senatu Conſiliarii: & ipſe auctor Carolo II. dedicavit *Commentarios ſuos & Reliquationes ad Leges Juliam & Papiam*, ducente ad genua Caroli Sereniſſimo Principe Johanne Auſtriaco Regis filio, & Regis fratre, cum fuiſſet operis Cenſor Cl. vir, Emmanuël Gonzalez Tellez, qui eum inter alias egregias laudes jure merito vocavit, *Principem Juriſprudentiæ Romano-Hiſpanæ*; nam quin Romanæ Principatus debeatur Antonio Auguſtino, mihi nullo modo dubium eſt. In lucem prodiit hoc opus *Madridii ex Typographia Imperiali apud Joſephum Fernandez de Buendia, Anno MDCLXXVIII. duobus voluminibus* in *folio*, ſequenti inſcriptione: D. FRANCISCI RAMOS DEL MANZANO, *JC. primarii pridem Juris Civilis* in *Salmanticenſi Academia Anteceſſoris, Mediolanenſis extraordinarii, & ſupremi Indiarum Conſilii Præſidis*, in *S. Cruciatæ Conſilie, & in ſummo Caſtellano Senatu Cameræ & Juſtitiæ Conſiliarii*, CAROLI SECUNDI *Catholici Regis ac Domini ſui a primo ætatis flore doctrinæ & morum magiſtri, & regia ejuſdem* CAROLI *munificentia Francorum Comitis, ad Leges Juliam & Papiam, & quæ ex libris Juriſconſultorum Fragmenta ad illas inſcribuntur, Commentarii, & Reliquationes. Queis, ultra Theorica ex Romano Jure, nova aut paradoxa, acceſſere electa non pauca, Sacra, Eccleſiaſtica, Theologica, Canonica, & pro Tribunalium uſu Forenſia, & Practica, ac demum Miſcellanea. Juſto-Politica, Hiſtorica, Philologica, quorum notam proxima Præfationi pagina exhibet. Acceſſere item Diſſertationes duæ extemporales, de Uſufructu municipibus legato, & de Protectoribus, ante annos circiter quinquaginta Salmanticenſibus typis excuſſæ.* Juriſprudentia Romana non habet opus præclarius, ſi duo excipias, Antonii videlicet Auguſtini *de Nominibus propriis τοῦ Πανδέκτου Florentini*, ob adjumenta quæ præſtat Juris interpretibus ſcribere volentibus (quæ quanta ſint, pauciſſimi ſciunt, & majora eſſent, ſi Auguſtini *Notæ* integre deſcriptis teſtimoniis, quæ ibi allegat, ſuis locis adjungerentur) & Jacobi Gothofredi *Codicis Theodoſiani Perpetuos Commentarios*, ob doctrinæ copiam, & ubertatem. Gothofredo tamen ſuperior fuit Ramos ingenio, eruditione, & amœnitate, in hoc argumento, quo de agimus, quod ante eum, & poſt eum illuſtravit, ut videre eſt *Libro II. ad Leges Juliam, & Papiam, cap.* 39 *num.* 11. *cap.* 40. *num.* 2. & *Lib. III. cap.* 11. *num.* 7.

102 Neſcio autem quomodo accidit, ut anno MDCCXXXVII. in Lipſienſi editione *Originum Juris Civilis* Jani Vincentii Gravinæ, quam luculentis Notis locupletavit Gotfridus Maſcovius, vir acutiſſimus, & diligentiſſimus, in *cap.* 41. *libri de Legibus, & Senatuſconſultis*, ubi in editione prima ibidem adornata *eruditus* appellatus eſt Franciſcus Ramos del Manzano, elogium hoc exciderit. Sed magis miror cur Gravina *immanes Commentarios* vocaverit eos, qui breviores fortaſſe ſunt, quam par eſt ſcribere de legibus, ſi excipias Duodecim Tabularum, omnium latiſſimis, & celeberrimis, quæque maximam eruditionem requirunt, ut pro dignitate illuſtrentur. Quod ſi Franciſcus Ramos del Manzano, argumento ipſo occaſionem dante, aliquas Diſputationes excitavit, & contexuit ad uſum Fori pertinentes; gratias illi agere debemus ob dexteritatem qua illas pertractavit.

Tres viri celeberrimi his legibus illuſtrandis incubuerunt, Franciſcus Ramos del Manzano, Jacobus Gothofredus, & Johannes Gotl. Heineccius. Primus omnium Franciſcus Ramos omnia Juriſconſultorum, Imperatorumque teſtimonia, & Senatuſconſulta ad Leges Juliam & Papiam pertinentia, ſummo ingenio interpretatus fuit, & copioſiſſime illuſtravit. Jacobus Gothofredus vicennio poſt, ſed illius Commentatiis nondum publici juris factis, primus omnium Legum Juliæ & Papiæ Fragmenta non ſolum colligere, ſed in priſtinum ordinem reſtituere tentavit, & brevibus, ſed eruditis Notis exornavit. De Jacobi Gothofredi induſtria in hac re operæ pretium eſt audire Heineccium ſic in *Præfatione Commentarii ſui ad Legem Juliam, & Papiam Poppæam* ſcribentem. *Noveram equidem, virum eximium, & hujus myſterii probe gnarum, Jac. Gothofredum, Legi noſtræ hanc operam navaſſe, ut ſingulos Juris textus ſuos quoſque capiti aptaret. Sed experiendo tamen deinde didiciſſe mihi videbar, eundem in multis haud leviter allucinatum.* Simile quid ſcripſit *lib. I. initio cap.* 5. ſed expreſſius *lib. I. cap.* 5. *num.* 3. *Hac quidem via* (inquit) *primus inceſſit vir eximius, Jacobus Gothofredus, ſed tum quidem adhuc juvenis. Quo factum etiam arbitror, ut ætatis æſtu abreptus, plus juſto indulſiſſe ingenio videatur &c:* ac paullo poſt. *Deinde idem vir eximius, dum omnia, quæ materiam ædificio ſuo præbitura videbantur, diligenter undique congerit, quædam etiam tigna aliena arripuiſſe, ac bona fide ſuis junxiſſe ædibus videtur.* Nec multo poſt. *Contra ea quædam, quæ ad legem hanc referunt veteres, prætermiſiſſe videtur vir doctiſſimus.* Similia addi poſſunt ex *lib. II. cap.* 17. Gothofredi tamen induſtriæ plurimum tribuit *lib. I. cap.* 1. *num.* 4. 103

Utroque multo ſelicior fuit idem Heineccius in agnoſcendis, & ordini ſuo reſtituendis harum legum Fragmentis, ut videre eſt *Lib. I. cap.* 5. & *Lib. III. cap.* 1. idemque Heineccius, licet eruditionis copia cedat Franciſco Ramos del Manzano, eâdem ſuperat Jacobum Gothofredum; & Franciſcum Ramos vincit etiam electione, methodo, & perſpicuitate; abſolutiſſimos procul dubio *Commentarios* daturus, ſi noſtri Scriptoris opus vidiſſet, quod ab Heineccio, omni adhibita induſtria, nuſquam potuit inveſtigari, ut ipſe teſtatur *Lib. I. cap.* 1. *num.* 4. Nec mirum, cum perpauca ſuperſint exemplaria ob cauſſam, quam nunc proferam. 104

In Hiſpanis ſolum æſtimari ſolent, vel ii Inſtitutionum Imperialium Interpretes, qui in Academiis regnant, qui pro diverſis temporibus diverſi eſſe ſolent; vel unus, aut alter recens Anteceſſor, cujus Tractatus Academici propugnentur in certaminibus literatiis; vel Pragmatici recentiores, qui ſingulas ſententias, opinioneſve, plurimis teſtimoniis confirment, ut, quicumque tot auctorum nomina deſcribat, homo multæ lectionis, & doctrinæ videatur; quo fit, ut alienas merces, ut ſuas, facile vendat. Reliqui Scriptores flocci habentur; quia neque ad ingenii oſtentationem in ſcholis; neque ad quæſtum in foro faciunt. Quapropter, etſi Franciſci Ramos del Manzano ad Leges *Juliam &* 105

Papiam Commentarii, & *Reliquationes*, opus ſint utiliſſimum Scholaſticis, & Profeſſoribus; tamen, cum lectores exigant attentos, & claſſicorum auctorum amatores, quos vix unus, aut alter ſalutare ſolet; peſſimum infortunium paſſi ſunt. Nam cum typis excuſi diſtrahi nequirent, & æſtimarentur ſolum a perpaucis ejus diſcipulis bene peritis; non alia via reperta fuit ad eos libros vendendos, quam illos tradere pyrobolariis: tuncque Petrus Caſtillus, Mercator librarius Madridienſis, centum emit exemplaria, & ab incendio ea liberavit. Atque hæc eſt cauſſa raritatis hujus præclariſſimi operis, quod his verbis finivit auctor. *Noſtrum eſt, exantlati laboris gratias agere Deo Optimo Maximo, & apprecari, ut, quando huc uſque literis, librisque viximus, dein quod reliquum vitæ dederit, illi ſoli vivamus.* Atque ita vixiſſe debemus credere virum optimum, ſapientiſſimumque ad extremum uſque halitum, quem (in Urbe Regia ut puto) emiſit anno MDCLXXXIII. Creatori ſuo animam reddens.

106 Salmanticæ uxorem duxerat lectiſſimam feminam Mariam del Manzano, ut ait Ludovicus Salazar & Caſtro in *Hiſtoria Domus Silvanæ lib. IV. cap.* 13. Ex ea ſuſcepit quinque liberos, videlicet, Johannem Franciſcum, Franciſcum Antonium, Joſephum, Hieronymum, & Annam.

107 Franciſci Antonii filii, Salmanticenſis Academici Profeſſoris, & in Majori Archiepiſcopi Toletani Collegio Collegæ meminit ipſe Ramos *Lib. II. ad Leges Juliam & Papiam, cap.* 19. *num.* 18. Ad hujus obitum, ſicut & Joſephi, alluſit Aguirrius in *Dedicatione Ludi Primi*, ſic cum patre loquens, Ennodiano ſtilo. *Primus omnium Ludus ſub umbra tui nominis prodit: quæ non opaca, non ſterilis, ſed lucida, ſed fœcunda eſt. Juxta Principem Poëtarum nocens & frugibus umbra. At proficuam ſpero, quam ſub* RAMIS *tuis excepto, a arbor ſalutaris, & florida; cuique*

primo avulſo non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.

Etenim e tot lectiſſimis, aureiſque filiorum RAMIS, *quos dediſti Salmantinæ Academiæ viridario, Collegiorum majorum plusquam Hyblæis Hortis, & Equeſtrium Ordinum Penſilibus polyantheis, licet unus alterve funere acerbo quaſi avulſus fuerit a ſtipite; alius, & alius non deficit.* Expreſſius tamen ipſe Pater, Franciſci Antonii, & Joſephi mortem deflet *lib. II. cap.* 30. *num.* 11. ubi etiam facit mentionem Johannis Franciſci paullo ante vita functi, his verbis: *Noviſſime erudito, & arguto criterio, & prout quæſtionis, & ætatis lubricum eſt, acri, & ardenti, cenſuerit, in ſuis de parricidii pœna in Tribonianum Analectis libro V. noſter Johannes Franciſcus Ramos, Jacobæi Ordinis Eques, & Regius in Patrimonii Regii Senatu Conſiliarius, in quo ſicut inclinatæ Domus recumbentem ſpem (poſt præreptos intra biennium, turbato ordine, & immatura heu morte, Franciſcum, Joſephumque filios) & eumdem qualiſcumque noſtri in Jurisprudentia nominis ſucceſſorem, votis ab non felicibus proſpiciebamus; ita ejuſdem in medio annorum, & honorum curſu propera morte interciſa ſpes patriæ, & patris, patrio affectu lugemus, niſi quod ſpes Chriſtiana ſolatur illius non tam mortui, quam ad meliorem vitam tranſlati, o utinam, qui potes, polleſque, Deus.* Johannes Franciſcus natus fuit Salmanticæ, teſte Nicolao Antonio in *Bibl. Hiſp. Tom. I. Pag.* 587. ibidemque Juris ſtudio operam incubuit, juvenili jam ætate optima quævis promittens. Sane Hieron. Altamiranus in *Commentario ad Tit. C. de fil. official. militar.* ſcripto anno MDCXLVII. & inſequenti in lucem emiſſo *Lib. III. cap.* 7. *num. ult.* his verbis eum celebravit. *Et ne Hiſpanum intra, & extra orbem pervagemur, Lyceum princeps Salmantica ſervat, ut ſolita donaria Patres Academici accepent quidem, ſed actu tum reſtituant, nuperque vidimus, cum ſupremo Athenæi gradu redimeretur D. Joſephus Ramos*, (ſcribere debuit *Johannes Franciſcus Ramos*, ut recte monuit Joſ. Reteſius in *Dedicat. Comm. ad Tit. de inoud. & relegat.*) *quem literarum ingenuæ ſplendori ejuſdem etiam Academiæ celeberrimus honos, Parnaſſi deliciæ, ubique quondam diſcipulo non tacenda gloria DD. Franciſcus Ramos del Manzano, e Paradiſiaca ſcientiæ arbore ramus orbi dono datus, Salmantino inſerendus viridario; ibi omniſcia literatura florens ad miraculum, dignas ſtirpis imagine germinavit ſpes. Meruit Inſubria Præſulatus traductum; ſed dulcioris glebæ dignum Italiæ invidit Hiſpanica, jam jam vernanti ſapientiæ honore potitura. Cedat Apollinea laurus; hoc frutice coronetur Tribunal; Juſtitia cum Muſis ſub ejus umbra requieſcant.* Poſtea vero Joannes Franciſcus Primarius fuit in Ticinenſi Gymnaſio Juris Interpres, & Advocatus Regius Fiſcalis Generalis in Mediolanenſi Dominio, ut teſtatur Viloſa *de fugitivis, cap.* 19. *num.* 7. Deinde Senator Mediolanenſis, ac poſtremo etiam in Regii Patrimonii Madridienſi Conſilio: &, dum hoc munere fungeretur, in ipſa Urbe Regia deceſſit anno MDCLXVIII. ut refert laudatus Nicolaus Antonius, ſpeciminibus relictis ingenii ſui, & amœniorum literarum amoris.

Edidit enim *Academica Analecta ad legem Ἀξιοῦντα*, 108
ſive Deprecatio 9. *D. de lege Rhodia de jactu, in* 4. De cujus legis explicatione, & ejus auctore, loquens Cl. vir Joſephus ab Exea & Deſcartin ad *L. unic. Cod. de Palatiis*, ait: *Quam juſte & ornatiſſimo Commentario illuſtravit V. C. D. D. Johannes Franciſcus Ramos del Manzana paternæ eruditionis imago ſpirans.*

Simul etiam edidit *Tribonianum, ſive errores Tri-* 109
boniani in pœna parricidii. Mediolani, anno MDCLIX. *in* 4. qui recuſus fuit *Lugduni Batavorum, anno* MDCCXXVIII.

Cum Regii Patrimonii Senator Madridii ageret, 110
inter Senatorii muneris curas, *Scholia ad ſynopſin Baſilicon, & Theodoſianum Codicem*, meditabatur, ut refert magnus ejus parens *lib. I. ad Leges Juliam & Papiam cap.* 21. *num.* 7.

Scripſit Tragicomœdiam ineditam, cui titulus *A-* 111
bides, o el Paſtor Regio, id eſt, *Habides, ſive Paſtor Regius*, latens ſub anagrammate imperfecto, & ad nomen ſuum alludente, cujuſmodi eſt hoc, *Romanus Sforzia Caſanus, Academicus affidatus Ticinenſis Gymnaſii.* Multi eam laudarent. Sed ante omnes Aguirrius in memorata *Dedicatione Primi Ludi*, ubi ſic ait. *Nec prætereundum, alterum e ſuperſtitibus natis eſſe perilluſtrem D. D. Johannem Ramos del Manzano, Jacobæum Equitem, ac Supremi Italiæ Conſiliarium: qui incomparabili eruditione, mira linguarum notitia, & ingenii florida amœnitate Ramum ſe oſtenderit ejuſdem arboris, & ſtipitem ſuum expreſſerit vividis lineamentis, ut propterea, niſi ſoſpes eſſes* (loquitur cum ejus patre) *jam Pythagorici ingeminaſſent illam ſuam μετεμψύχωσιν, quam hac ipſa Diſſertatione in examen voco, & operoſius proſcribo.*

Quartus filius fuit Hieronymus, Jacobææ Militiæ 112
Eques, & Columbarii Municipii Commendatarius, ac in Caſtellæ, ſimulque Equeſtrium Militarium Ordinum Senator, cui debemus *Præfationem Commentariorum ad Leges Juliam & Papiam.* Duxit uxorem nobilem Philippam Portocarrero, filiam Johannis Equitis Jacobæi, cujus meminit Ludovicus Salazar & Caſtro in *Hiſtoria Domus Silvanæ, lib. VII. cap.* 6. *num.* 18. Hic patri ſucceſſit, fuitque ſecundus Comes de Francos, & improlis deceſſit.

Denique Franciſcus Ramos del Manzano habuit 113
filiam Annam, tertiam Comitiſſam Francos, uxorem Cl. viri Petri de Silva & Ribera, magni Indiarum Cancellarii, cujus meminit Ludovicus Salazar & Caſtro in *Hiſtoria Domus Silvanæ, lib. IV. cap.* 13. *in fine*; & Petro marito defuncto, nupſit Cl. viro Antonio Ronquillo Brizenno, Commendatori Columbarum, & Lacus Rotæ Militiæ Jacobææ, olim Collegæ in majori Ovetenſi, & Primario Juris Civilis Anteceſſori, poſtea in Regio ſupremi Indiarum Senatu Conſiliario; ac denique Regii Conſilii, & Cubiculi, & Generalis Inquiſitionis, teſtantibus eodem Salazario in *Animadverſionibus Hiſtoricis in opera*

aliquorum

aliquorum Doctorum recentium, pag. 258. & ipſomet Antonio Ronquillo in *Præfatiuncula* præmiſſa *Lib. IV. Reliquationes* complectenti. Quæ Præfatiuncula, ſi ſcribendi character duriuſculus, & ipſa dictio notentur, ejuſdem Franciſci Ramos videtur: cujus viri facta laudeſque diligentius fortaſſe perſecutus fuiſſem, ſi ibi ſcriberem, ubi ab aliis poſſem res ejus diſcere. Sed paucorum dierum ſpatio nihil aliud potui facere, quam hæc colligere ex ipſius auctoris operibus, ac ejuſdem Diſcipulorum ſcriptis, quorum ſi laudes in eum collatas repetere vellem, juſtum volumen conficerem. Præcipue vero celebrarunt illum Joannes Suarez de Mendoza in *Commentario ad Legem Aquiliam Lib. I. Cap.* 2. *Sect.* 5. *num,* 32, Nicolaus Fernandez de Caſtro in *Exercitat. Salmant. I. in l. unic. C. de capit. civ. num.* 14. Joſephus Fernandez de Retes in *Epiſtola Dedicatoria Commentariorum de Interdictis, & Relegatis, & Deportatis:* Joſephus Saënz de Aguirre, Monachus Benedictinus, poſtea Cardinalis in *Apparatu Ludorum Salmanticenſium, pag. XXIX. & XXXIV.* & in Epiſtola præmiſſa *Ludo Primo:* Raphaël Viloſa *de Fugitivis, cap.* 9. *num.* 20. *& Diſſ. III. num.* 7. Petrus Antonius de Chavarri & Eguia in *Didaſcalia Juriſprudentiæ Part. II. Cap.* 1. *num.* 5. Nic. Antonius in *Biblioth. Hiſpan. Tom. I. Pag.* 355. Hieron. Borgias *Lib. XIX. Inveſtigat. Jur. Civil. adverſus Anton. Fabri Conjecturas cap.* 12. *num.* 4. Emmanuel Gonzalez Tellez in *Judicio Commentariorum ad Leges Juliam & Papiam*; & ipſius auctoris filius, Hieronymus in *Præfatione* eis præmiſſa. Et tamen propter paucitatem exemplarium *Commentariorum ad Leges Juliam & Papiam*, & raritatem reliquorum operum manuſcriptorum, ejus fama jam pene perierat, niſi ego illam verbis, ſcriptiſque meis propagaſſem. At nunc novam accipit vitam per Cl. Juriſconſultum, Gerardum Meermanum, virum natum ad promovendam Juriſprudentiam ſcriptis egregiis, tum ſuis, tum alienis, & præſertim Hiſpanorum, quorum gloria erit immortalis, & maxime Franciſci Ramos del Manzano, cujus ingenium fuit acutiſſimum; judicium præſtantiſſimum; literarum amor, prope incredibilis; librorum lectio, ſtupenda; ſtilus, non aureus ille quidem, neque argenteus, ſed vere ferreus; dictio, obſcura, tum ob perturbatam collocationem, tum ob parentheſium frequentiam, ac denique ob multa additamenta, quæ per longiſſimum tempus operi ſuo inſeruit, ex Adverſariis ſuis ea locupletans, quæ poſtea, ut ipſe refert *Lib. III. cap.* 37. *in fine,* aut lævæ manu, aut forte perierunt. Sed cum lectorem diutius morari nolim; paucis dicam, quæ ſentio. Homo vere Chriſtianus, & bono publico natus, in Prælectionibus publicis oſtendit amœnitatem doctrinæ; in certaminibus Scholaſticis, acumen, & vehementiam; in omnibus ſcriptis, ſummam diligentiam, eruditionem, gravitatem, & ſapientiam.

DIARIUM LITTERARIUM
CERTAMEN.

VIRO CLARISSIMO

D. D. JOANNI SOLORZANO
PEREIRÆ,

IN SUPREMO NOVI ORBIS SENATU,
CONSILIARIO REGIO.

D. JOANNES SUAREZ
DE MENDOZA,

L. M. D. D. C. Q.

JULIÆ, DE MARITANDIS ORDINIBUS,
PAPIÆQUE POPPÆÆ LEGUM;

Queis nullæ, inter Romanos, celebriores, intricatiores:

SUMMA SINGULA CAPITA:
Item noviores leges, Senatuſconſulta, Orationes, Edicta, Mandata,

Reſcripta Cæſarum, receptæ Interpretationes prudentum, ad eaſdem leges;

Quamdiu vixerunt, vigueruntque, ad Juſtinianum uſque ab Auguſto:

AD VETERIS POLITIÆ IMAGINEM EFFORMATA.

Politioris Juris Scientiæ cultoribus, pro aſſertionibus proponuntur.

IMP. C. CÆSAR. OCTAVIANUS. DIVI F. AUGUSTUS.
TRIBUN. POT. PP. CONSUL. VI.

Anno ab V. C. DCCXXV. poſt civilia bella, Pharſalicum, Mutinenſe, Philippenſe, Peruſinum, Siculum, & Actiacum,

POPULUM JURE ROGAVIT, POPULUSQUE JURE SCIVIT. (a)

De procreatione ſobolis, & augendo Ærario:

Eiſdem de cauſis, Auguſtus idem anno ab V. C. DCCXXVI plenius legem rogavit, quæ eſt

JULIA DE MARITANDIS ORDINIBUS.

Dein ſequuta eſt eodem fere fine, forma, auctore, lex

PAPIA POPPÆA, DE CADUCIS.

Quam tulerunt M. PAPIUS M. F. M. N. MUTILUS, &
Q. POPPÆUS

Q. F. Q. N. SECUNDUS. Conſules, ſuffecti ex Kal. Jul. anno ab V. C. DCCLXI.

(a) Videſis *lib.* 1. *c.* 1. 2. & 3. & *cap.* 7. & *ſeqq. de lege Julia de viceſima*, pro militari ærario lata.

DE

DE MARITANDIS ORDINIBUS.

CAP. I. Autographon, *ex lege Julia.*

Ex tit. D. de ritu nuptiarum.

QUi (*b*) SENATOR EST; QUIVE FILIUS; NEPOSVE EX FILIO; PRONEPOSVE EX FILIO NATO, CUJUS EORUM EST, ERIT: NE QUIS EORUM SPONSAM, UXOREMVE, SCIENS DOLO MALO HABETO, LIBERTINAM: AUT EAM, QUÆ IPSA, CUJUSVE PATER, MATERVE ARTEM LUDRICAM FACIT, FECERIT: NEVE SENATORIS FILIA, NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATO NATA, LIBERTINO, SIVE, QUI IPSE, CUJUSVE PATER, MATERVE ARTEM LUDICRAM FACIT, FECERIT, SPONSA, NUPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO; NEVE QUIS EORUM DOLO MALO SCIENS, SPONSAM UXOREM EAM HABETO. *L. Lege* 44. *Dig. de ritu nupt.* Dion. Caſſius *lib.* 54. & 56. Joann. Zonaràs 2. *Annal.*

CAP. II. *ex l. Julia & Papia.*

INgenuis (*c*) omnibus, præter Senatores, eorum liberos, libertinas uxores habere liceto: ex eoque matrimonio ſuſcepti liberi, juſti ſunto. *L. lege* 23. *D. de rit. nupt.* Dion *lib.* 51. & 56. Zonar. 2. *Annal. l. ſi quis libertam, C. de nupt.*

CAP. III. *ex l. Julia.*

EIs, (*d*) qui ita nuptias contraxeriot, nihil ob eam rem fraudi, ıgnominiæque eſto; modo ne quis eorum ſciens dolo malo, ſponſam, uxoremve habeat leoam, à lenone, lenave, manumiſſam, & io adulterio deprehenſam, & judicio publico damnatam, & quæ artem publicam, vel quæſtum corpore palam faciat, fecerit. Ulpian. *in fragm. regularum tit.* 13. § *ult.* & *tit.* 16. §. *Aliquando l. Palam* 43. *uſque ad fin. l. probrum* 41. *Dig. de ritu nupt. l. aliud* 41. *D. de V. S.*

CAP. IV. *ex l. Julia.*

SI (*e*) Senator, Senatoriſve filius, nepoſve ex filio, pronepoſve ex oepote, filio nato, natus, ſciens dolo malo, ſponſam, uxoremve habeat, quæ palam corpore quæſtum faciat, fecerit; ST REM PS. LEX EJUS, CAUSAQUE OMNIUM RERUM ESTO. Ulpianus *d. titul.* 13. *in principio.*

CAP. V. *ex l. Julia.*

SEnatoris (*f*) filiæ, quæ quæſtum corpore, vel artem ludicram fecerit, aut judicio publico damnatæ fuerit, libertioo oubere, liceto. *L. ſi Senatoris* 47. *D. de ritu nupt.*

EX ORATIONE DIVI MARCI.

QUOD IMP. M. AURELIUS ANTONINUS CÆS. AUG. VERBA FECIT, de nuptiis Senatorum, ex lege Julia, QUID FIERI PLACERET, DE EA RE SENATUI ITA CENSUIT.

Si Seoator (*g*), ejuſve filius, oepoſve ex filio, pronepoſve ex nepote, filio nato; item ſi filia Seoatoris, oeptiſve ex filio, proneptiſve ex nepote, filio oata, contra legem Juliam nuptias contraxerint, nuptias noo eſſe. *L. Oratione* 16. *D. de ritu nupt. l.* 3. §. 1. *D. de donat. inter. l. Oratio* 16. *D. de ſponſ.*

Item Senatus cenſuit (*h*), oon eſſe conveniens ulli Senatori, uxorem ducere, aot retioere damnatam publico judicio, quo judicio cuilibet ex populo experiri licet, oiſi ſi cui lege aliqua accuſandi publico judicio oon eſt poteſtas. *L. Palam* 43. §. *Senatus* 10. *D. de ritu nupt.*

EX CONSTITUTIONE CONSTANTINI.

SI Senator (*i*) contra legem Juliam, nuptias contraxerit, placet, maculam ſubire infamiæ, ſi filios pro legitimis habere velit, proprio judicio, aut Principis reſcripto: item donatum palam, vel tacite, talibus filiis, uxorive, reddi primum legitimis hæredibus; deinde his deficientibus, aut traoſactione excluſis, ſtatim, vel ſi diſſimulent poſt duos menſes, Fiſco deferri, ſub pœna quadrupli perquiſituro. *L.* 1. *C. de natural. liber. Novella* Juſtiniani 89. *c.* 15. & *Nov.* 117. *c.* 6.

EX NOVELLA MARTIANI.

De Matrimoniis Senatorum.

INgenuis (*k*) nata parentibus, tametſi pauper, humilis, vel abjecta perſona oon intelligitur, ejuſque ouptiæ, Cooſtantiniana lege, Senatoribus interdictæ non videntur. *L. Humilem* 7. *C. de inceſtis nupt. Nov.* Martiani *de matr. Senat. Novell.* Juſtiniani 117. *c.* 6.

CAP. VI. *ex poſteriore l. Julia.*

Eſt autem elegantis Epigrammatis ſententia, Eliæ Vineto illic in Notis, & poſt majorum gentium Criticos, ſupra pragmatici captum, Stephano Gratiano 1. *diſcept. forenſ. cap.* 186. *num.* 43. & Camillo Borello *de Magiſtr. edict.* 1. *cap.* 13. *num.* 46. elucidata ſcite: Juriſconſulto cuidam, qui uxoris adulterium diſſimulans, favere ei videbatur, Papiam legem, quæ contra cælibes, improleſque lata eſt, placuiſſe; Juliam autem de adulteriis diſplicuiſſe, qua lenocinia, atque adulteria puniuntur; quia uxore adultera retenta, liberiſque, vel ex adulterio ſublatis, mariti, patriſque nomen uſurpare, & ſatis legi Papiæ facere nitebatur, dum in Juliam de adulteriis peccabat: idque collatis aliis duarum legum nominibus lepidiſſime oſtendit; ait enim, diverſitatis hujus cauſam eſſe, quod Juriſconſultus ipſe, ſemivir, mollis, muliebriſque patientiæ ſcortum, ut Petronius alibi loquitur, metuebat legem Scantiniam, latam adverſus impudicos, de qua Cœlius apud Cicer. *lib.* 8. *epiſt.* 12. Sueton. *in Domitiano cap.* 8. Juvenal. *Satyr.* 2. Tertullian. *de Monogamia cap.* 12. Plutarchus *in Marcello*, Sextus Philoſoph. *lib.* 1. *Pyrrhon. hypotyp. cap.* 14. *modo* 10. *Epothef.* & *lib.* 3. *cap.* 24. Prudentius in *Periſtephano hymno* 14. *Romani Martyris*, ubi, Juvenalis illud ſubæmulans, *citari ante omnes debet Scantinia*, ita ſcribit:

Qui, ſi citetur legibus veſtris reus,
Laqueis minacis implicatus Juliæ,
Luat ſeveram victus & Scantiniam.

Ideoque, ut pæderaſtiæ vitium tegeret, uxorem adulteram retinebat maritus, metu Scantiniæ Papia utens, nec tamen timens Titiam legem, qua ſcilicet cavebatur, ne quis, ob cauſam orandam, donum, pecuniamve accipiat, ut in Tacito legimus 11. *Annal.* incaſſum reclamante Lipſio, & aliis; quia cum nemo ei donum, munuſve, ob cauſam orandam, offerret, & imperitus, ac clientelarum inops eſſet, non erat, cur metueret Titiam legem de muneribus, quæ ipſe ab adulteris uxoris ſuæ capiebat ex lenocinio ſuo, rem faciens contra legem Juliam.

Aliæ ſane ab hac, de qua ſermo, nec temere cum noſtra miſcendæ, miſceat licet Alex. Neadol. 5. *genial. cap.* 22. quia antiquiores omnino fuerunt, Papia lex de peregrinis, quæ ad exemplum Laconicæ ξενηλασίας, Civitatis uſu peregrinos, Romæ immorantes, prohibuit, exterminavitque, ut Cicero ſcribit *lib.* 3. *de officiis.* Lata vero à Caio Pappio Tribuno plebis, teſte Dione *libr.* 37. *Interim*, inquit, *omnes, qui Romæ commorabantur, peregrini, exceptis iis, qui eam, quæ nunc vocatur, Italia, incolunt, Civitate pulſi ſunt, lata ad hoc lege à Caio quodam Pappio Tribuno plebis, qui eos per Urbem vagari cernens, non idoneos eſſe, judicabat, qui cum Romanis habitarent.* Item Papia lex de ſociis, qua cautum, ut Latini ſocii in Civitates ſuas redigerentur, &, ut conſtitueretur judicium ſocus, ac Civitatibus exteris, repetendi ejus cauſa, qui in Romani cenſus tabulas irrepſiſſet. Cicero *in Oratione pro Cornelio Balbo: Judices, cum præ ſe ferrent, palamque loquerentur, quid eſſent lege Papia de Marco Craſſo, Mamertinis repetentibus, judicaturi.* Et in Oratione pro Archia: *Quid? Cum cæteri non modo poſt Civitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam, aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepſerunt: hic, qui nec utitur quidem illis, in quibus eſt ſcriptus, quod ſemper Heraclienſem ſe eſſe, voluit, rejicietur?* Et *lib.* 4. *ad Atticum epiſtol.* 15. Valer. Maxim. *lib.* 3. *cap.* 4. his verbis: *Non parvus Conſulatus rubor, M. Perpernæ, utpote qui Conſul, antequam Civis, cum interim, cujus vita triumphavit, mors Papia lege damnata eſt; namque patrem ejus, nihil ad ſe pertinentia Civis Romani jura complexum, Sabelli judicio petitum, redire in priſtinas ſedes coëgerunt.* Aliæ tamen, ut dixi, & alienæ prorſus à Papia noſtra, hæ de Jure peregrinorum, ſociorumque leges, ſicut & Mutiæ, aut Liciniæ illæ, apud Appianum 1. *Hiſtor.* Ciceronem 3. *de officiis*, & *in Bruto*, Aſconium Pædianum *in Cornelianam*; & enarrandæ plenius, ſi Deus volet, in Commentariis, quos paramus de Jure publico, Romano, & Regio. 5

CAPUT III.

Juliæ, Papiæque legum differentiæ, & conſonantiæ inſigniores; itemque legum, legiſve nomine, quando Julia, Papiaque noſtræ, aut illarum alterutra intelligendæ.

ARGUMENTUM.

Juliæ, Papiaque leges, non tantum tempore, & nominibus, ſed & capitibus quibuſdam diſtinctæ. Notatæ differentiæ tres nobiliores. Frequentior tamen conſonantia utriuſque legis capitum; quia pleraque ex Julia in Papiam tranſlata: inde legum nomen expoſitum de Julia, & Papia noſtris, apud Tacitum, Plinium, Quintilianum, Tertullianum, Ambroſium, Euſebium, Papinium, Apuleium, *& alios minoris cenſus: non item apud* Hieronymum, *cujus nobilis ſententia alio pertinet; tametſi alia, & ignotior Senecæ, apud eundem ad leges noſtras. Sed & in libris Juris expoſita legum appellatio de Julia, & Papia, & legis de utraque, aut alterutra, mille locis luſtratis, & illuſtratis obſervationis noſtræ, & aliorum. Denique ex conjunctione utriuſque legis factum, ut, quæ proprie unus cavit, tribuantur non ſemel alteri. Exemplum in* l. Lege 23. l. Lege 44. D. de ritu nupt. *alin, & alia alibi, quæ elucidantur.*

1 Ecciſta Juliæ legis de maritandis Ordinibus, item Papiæ Poppææ certa origo. Ex qua conſtabit jam, duas iſtas, & quidem diverſas, leges eſſe, non unam, eamdemque, ut ſciolis quibuſdam perſuaſum (imo ex eruditis, poſt Rhodig. Connan. Corraſ. Balduin. *de lege Papia* in princip. quos notat Joann.

Joann. Robert. 1. *animadv. cap.* 1. Donell. 8. *Comm. cap.* 13. *litt. l.*) nec tempore dumtaxat, & nominibus, ſed & capitibus interdum, aperte diſtantes, quorum diſcrimina potiora ſummatim, rei elucidandæ, hunc recenſebimus, ſuis ſingula locis uberius expoſituri.

2 In primis itaque lex Julia viginti quinque annorum ætatem matrimonio contrahendo præſcripſit, poſt quam, omnino contrahi juſſit, niſi quis pœnis cælibum teneri, & præmiis maritorum carere vellet, teſte Hermia Sozomen. *lib.* 1. *Eccleſiaſtic. Hiſtor. cap.* 9. Socrat. apud Caſſiodor. *lib.* 1. *Hiſtoriæ tripartitæ, cap.* 9. Lex autem Papia, liberis jure tollendis, ſuſcipiendis, viginti quinque annorum in maſculis, & viginti in fœminis juſtam ætatem eſſe, voluit; poſt quam omnino liberos exigit, ut Ulpianus loquitur *tit.* 16. Tertull. in *Apologet. cap.* 4. Deinde lex Julia, nuptiis contrahendis, primum triennii, mox biennii, poſt eam legem rogatam, vacationem indulſit. Sueton. *in Auguſto cap.* 34. & Auguſtus idem apud Dionem *lib.* 56. Lex autem Papia, annum, intra quem qui ei parere cœpiſſent, culpa vacarent, ut idem Dio notat *lib.* 56. Rurſus lex Julia, fœminis ad nuptias contrahendas, à morte viri, anni vacationem dedit, à divortio ſex menſium; lex autem Papia, a morte viri biennii, a repudio anni, & ſex menſium. Ulpianus *tit.* 14.

3 Sed, cum utriuſque legis ferendæ eadem cauſa, formaque fuerit, lataque Papia lex, ſanciendæ, atque firmandæ Juliæ de maritandis Ordinibus, quam Auguſtus, præ multitudine recuſantium, perferre non potuerat, confuſa etiam ſunt, & commixta utriuſque legis capita, & ex Julia, quæ prior fuit, pleraque in Papiam legem tranſlata, ſeu repetita, quæ, tamquam plenior, poſteriorque, & acerbior, rogationes Julias abſorbuit. Idcircoque & a noſtris, & ab externis Scriptoribus conjungi ſolent, & veteres Juriſprudentes ad utramque ſimul ſcripſerunt, quorum libri in Indice Pandectarum inſcribuntur, ad leges, ſcilicet, Juliam, & Papiam. Frequens enim eſt, nec unius, alteriuſve loci, legum appellatione, Juliam, & Papiam noſtris intelligi, per eminentiam ſcilicet, ſive αὐτονομαστῶς, quia nullæ his, inter Romanos, nobiliores. Tacit. *lib.* 15. *Annal. Satis pretii eſſe orbis, quod multa ſecuritate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta, & obvia haberent, ſibi promiſſa legum, diu expectata, in ludibrium verti, quando quis ſine ſollicitudine parens, ſine luctu orbus, longa patrum vota repente adæquaret.* Plinius in Panegyrico ad Trajanum: *Nullius ſtatus certus, non orbitas, non liberi proderant: auxerat hoc malum Principum avaritia. Advertiſti oculos, atque, ut antea caſtris, ita poſtea pacem foro reddidiſti: excidiſti inteſtinum malum, & provida ſeveritate caviſti, ne, fundata legibus Civitas, everſa legibus videretur.* M. Fabius *lib.* 9. *inſtitut. orator. cap.* 2. *Nam, quia per leges inſtitui uxor non poterat heres, id ſ erat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommiſſum pervenirent.* Valerius Tracchallus, vetus, & vocaliſſimus Orator, cujus meminit, poſt alios, idem Fab. *lib.* 8. *inſtitut. orator. cap.* 5. & *lib.* 10. *cap.* 1. ad finem, *Placentne leges*, inquit, *diligentiſſimæ pudoris cuſtodes, decimas uxoribus dari, quartas meretricibus?* Tertullianus *lib. de exhortatione caſtitatis, cap.* 12. *Sufficiat ad conſilium viduitatis vel iſta præcipua cauſa, importunitas liberorum, ad quos ſuſcipiendos, legibus compelluntur homines, quia ſapiens quiſque numquam libens filios deſideraſſet.* Idem *lib.* 1. *ad uxorem, cap.* 5. *Nimirum*, inquit, *neceſſaria ſoboles ſervo Dei, ſatis enim deſunt noſtra: ſecuri ſumus, ut liberis vacemus: quærenda nobis onera ſunt, quæ etiam à Gentilium profanis vitantur, quæ legibus locantur, quæ parricidiis expugnantur.* Ambroſius *in cap.* 3. *Divi Lucæ*, ubi de concubitu Thamar cum ſocero: *Erat deforme, liberos non habere, quod etiam legum civilium fuit auctoritate mulctatum.* Auctor Panegyrici, Maximiano, & Conſtantino dicti, his verbis: *Quare ſi leges hæ, quæ mulcta cælibes notavere, parentes præmiis honorarunt, vere dicuntur eſſe fundamenta Reipublicæ, quia ſeminarium juventutis, & quaſi fontem humani corporis, Romanis exercitibus miniſtrarunt, quod huic veſtro in Rempublicam merito poſſumus dignum nomen adſcribere?* Macrobius *lib.* 2. *Saturnalium, cap.* 4. *Mox idem ſubjecit; quod, ad contrahendum matrimonium, legibus non paruiſſet. Ille uxorem ſibi, & tres eſſe liberos dixit.* Euſebius *lib.* 4. *de vita Conſtantini, cap.* 26. *Quibus nulli eſſent liberi*, &, ut Græce extulit, τὰς ἀπαιδίας, *hos veteres leges facundorum, ſucceſſionis ademptione plectebant.* Nicephor. *lib.* 1. *Eccleſiaſtic. Hiſtor. cap.* 46. *Abſurdas etiam illas apud Romanos leges, ne cælibes in adeunda hæreditate conjugibus æquarentur, neve, præterquam genere propinqui, quicquam ex teſtamento lucrarentur; præterea ut, qui liberos non procreaſſent, dimidia bonorum parte mulctarentur, abrogavit.* Statius Papin. in *Epithalam. Stellæ, & Violantillæ lib.* 1. *Sylvar.*

Fama tace: ſubiit leges, & fræna momordit
Ille ſolutus amor.

Apuleius *Apolog.* 2. ad finem: *Uxorem ducis, leges jubent.* Quibus in locis, legum appellatione, Juliam, & Papiam ſignificari, quæ cælibum, orborumque pœnis, patrum, & maritorum præmiis ad nuptias, prolemque ducebant, dubitabit, ut opinor, nemo, niſi cui in mera luce meditullium eſt noctis.

E contrario nobilem ſententiam Hieronymi ad Oceanum in Epitaphio Fabiolæ, tametſi ad leges noſtras referat diligentiſſimus, poſt Lipſium, Taciti Scholiaſtes *Ludovic. Dorleanus ad Annal.* 3. *pag.* 366. pertinere tamen, potius crediderim, ad Juliam de adulteriis, quatenus adulterium in marito non æque, atque in uxore, puniebat, de quo nos infra *lib.* 3. *cap.* 10. Audi interim Hieronymum: *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti. Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur, &, ſolo ſtupro, atque adulterio condemnato, per lupanaria, & ancillulas libido permittitur, quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.* Proprius magis, & ignotior adhuc Hieronymi locus 1. *adverſ. Jovin. cap. ult.* apud quem *Seneca* (quem noſtrum vocat, fortaſſe ex opinione illa, qua credebatur Chriſtianus fuiſſe) *nam quid*, ait Seneca, *de viris pauperibus dicam, quorum in nomen mariti, ad eludendas leges, quæ contra cælibes latæ ſunt, pars magna conducitur?* 4

Nec perſpicua minus videntur aliis jam, vel ex litteratorum plebe, & ſupra illam Emundo Merillo, *lib.* 3. *Obſ. cap.* 16. & *lib.* 5. *cap.* 10. ac poſt variantes ex Cujacio lectiones, aliquotque, poſt hæc ſcripta, annis edito *lib.* 2. *Obſervat. noviſſimarum, cap.* 10. obſervata Juris auctorum teſtimonia in hac parte, qualia exſtant in principio *Inſtit. de nuptiis, qui ſecundum præcepta legum coëunt. l.* 3. *D. de concub.* Nam quia *concubinatus per leges nomen aſſumpſit, l. liberorum* 220. *D. de V. S.* ibi: *Toties enim leges neceſſarium ducunt, cognationum ſingularum nominibus uti.* Paulus *lib.* 3. *ſentent. tit.* 4. §. *Conditiones: Conditiones contra leges, & veluti ſi uxorem non duxeris, ſi filios non ſuſceperis. l. Nemo* 55. *D. de legatis* 1. *l. Atilicinus* 17. *D. de pact. dotal. l. un.* §. *Et cum triplici. C. de caducis tollend. l. ult. D. de regula Catoniana. l. Princeps* 31. *D. de legibus. l. nec filium* 12. *Cod. de nupt. l. unic. C. Theodoſ. ſi nuptiæ ex reſcripto pet. l. nulla* 6. *de Decurion. in eod. C.* cum aliis, in quibus indagandis ſæpe novitia conjectura fallit, aut fallitur, & nos ſuis locis commodius recenſebimus. Clariora ſane ſunt, & certiora quæ ſubjungimus, *ex lege obſervandum* 49. *D. de ritu nupt. Quas hi, qui amplioris dignitatis ſunt, ducere legibus propter dignitatem prohibentur. l.* 2. *D. de minoribus: Quod enim legibus cavetur, ut ſinguli anni per ſingulos liberos remittantur. l. in fraudem* 10. *cum lege ſeq D. de his qu. ut indign. l.* 1. *Cod. de infirmandis pœnis cælibatus. l. aſſiduis* 12. *verſic. Ad hæc, Cod. qui potiores. l. ſi quis ſub conditione* 7. *D. de conditionibus inſtit. l. qui non militabat* 78. §. *ult. D. de hæredib. inſtit. l. ſi vacantia* 5. *Cod. Theodoſ.* 5

 de

de bonis vacant. Ulpian. in *fragm. tit.* 16. *Qui intra ſexageſimum, vel quæ intra quinquageſimum annum neutri legi paruerit, licet ipſis legibus poſt hanc ætatem liberatus eſſet.* Sic & de Julia lege proprie exaudiendum legis nomen in *l. palam* 43. §. *Non ſolum. l. in eo* 45. § *Deinde. l. filio* 48. *D. de ritu nupt. l. ult. D. de divort. l. libertæ* 8. *Cod. de operis libert. l. hoc modo* 64. *l. mulieri* 74. *l. ſed ſi hoc* 62. §. *ult. l. cum tale* 72. §. *Si arbitrata. l. hæres* 79. §. *ult. D. de condit. & demonſtrat. l. ult. D. de ſtatu lib. l. ſi vero* 64. §. *Dabit cum ſeq. D. ſol. matrim. l. quæro* 60. *cum l. ſeq. D. de jure dotium.* De Papia vero lege accipiendum in *l. ſi libertus* 16. *D. de jure Patronatus. l.* 1. §. *Interdum D. ſi cui plus quam per leg. Falcid. l. qui teſtamentum* 27. *D. de probat. l. quod conditionis* 36. *D. de mortis cauſa donat. l. ſed ſi hoc* 62. §. 1. *D. de condit. & demonſtrat. l. quoties* 67. *D. ad leg. Falcid. l. ſi ita quis* 51. *D. de leg.* 2. *l.* 5. *D. de vulgari. l.* 3. *D. de jure Fiſci.* Denique ad utramque, ſcilicet Juliam, & Papiam, referenda videtur ſingularis appellatio legis in *l. Senatus* 35. *D. de mortis cauſa donat. l. ſi is qui duos* 28. *D. de liber. legata. l. Plautius* 43. *verſic. diverſum D. de condit. & demonſtr. l. ſi quis ſolidum* 72. *de hæred. inſtit. l. cum quis* 37. §. *Titia D. de legat.* 3. *l. in tacitis* 103. *D. de legat.* 1. *l. Si ſervus* 82. *D. de acquirend. hæredit. l. Si cui* 38. §. 1. *D. ex quibus cauſis majores. l. filii* 9. §. 1. *l. divi* 17. *D. de jure Patronatus*, cum aliis ſexcentis, quas cumulare nunc putidum pene eſſet. Accedat Paulus *lib.* 3. *ſentent. tit.* 5. § *omnibus.* Tacitus, *lib.* 2. *Annal. Contra plerique nitebantur, ut numerus liberorum in candidatis præpolleret, quod lex jubebat; lætabatur Tiberius, cum inter filios ejus, & leges Senatus diſceptaret, victa eſt ſine dubio lex, ſed neque ſtatim, & paucis ſuffragiis, quomodo etiam cum valerent, leges vincebantur.* Ovid. 2. *de arte amandi.*

Non legis juſſu lectum veniſtis in unum:
Fungitur in vobis munere legis amor.

Seneca *lib.* 3. *de benef. cap.* 34: *Licet tibi, in quantum velis, extendere beneficia filii, cum paternum munus & ſimplex ſit, & facile. Sed danti voluntarium. Quid neceſſe eſt? multis ille dederit, etiam quibus dediſſe ſe neſcit. In quo conſortem habet, in quo ſpectavit legem patriam, præmia patrum, domus ac familiæ perpetuitatem, omnia potius quam eum, cui dabat.* Argutæ vanitatis auctor, Artemidorus Daldianus *lib.* 1. *Oneirocriticon cap.* 26. ubi de ſomniante, ſe pubeſcere, aut pubens habitu incedere, ita ſcribit: *Et cælibi nuptias portendit; nam ex legis præſcripto chlamys circumdatur, ex lege etiam uxor ducitur.*

6 Facit hæc Juliæ legis, Papiæque conjunctio, ut quæ proprie una ex his cauta, & inducta, ea etiam alteri legi interdum adſcribantur, quoniam, ut diximus, pleraque utriuſque legis capita eadem, & confuſa omnino, ac permixta. Exempla rei exponendæ, & componendis locis, alioquin pugnantibus, hæc obſervavi. Primum illud, primariumque Juliæ legis de maritandis Ordinibus caput, de nuptiis inter Senatorias perſonas, & libertinas, quod ex ea proponitur in *l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* tribuitur Papiæ legi à Marcello in *l. Lege* 23. *D. de ritu nupt.* Nec expediunt rem Recentiores, & inter eos Robert. Aurelianenſis 1. *animad. cap.* 1. qui ſuſpicantur, Papia lege fuiſſe adjectum, ut ingenuis omnibus, præter Senatores, libertinas uxores habere, liceret. *d. l. Lege* 23. Julia vero prius, proprieque cautum, ne Senatores libertinas ducerent; nam & hoc ipſum Papiæ legi adſcribit Juſtinianus in *l. ſi quis libertam* 28. *Cod. de nuptiis. Quia lex Papia inter Senatores, & libertas ſtare connubia, non patitur.* Et prius illud de connubio ingenuorum cum libertinis, Julia etiam lege conſtitutum, probat Dio *lib.* 24. *Hiſtoriæ in actis anni ab U. C.* 736. quo lex Julia rogata. *Ac quoniam maſculi*, inquit, *ingenui (ſic enim vertimus) numerum ingenuarum fœminarum multo antecibant, liberum fecit, ut qui vellent* (modo Senatores ne eſſent) *libertinas etiam ducere poſſent.* Auguſtus apud eumdem Dionem *lib.* 56. *libertinarum quoque conjugia iis, qui Senatorii non eſſent, conceſſit.* Et utrumque hoc circa Senatores, & ingenuos ex Julia, & Papia lege deſcendere, probat Ulpianus *in fragmentis titul.* 16. § *Aliquando.* Fatendum itaque prorſus eſt, ut & Lipſius agnoſcit in *excurſu ad* 3. *Annal. Taciti*, utrumque prius lege Julia comprehenſum fuiſſe, & ab illa in Papiam tranſlatum, ac repetitum. *l. obſervandum* 49. *D. de ritu nupt.* cum aliis. Sic & delatio bonorum vacantium ad Fiſcum, vel ærarium, quæ Juliæ legi caducariæ plerumque accepto fertur. *l. quidam* 96. §. *Quoties D. de legatis* 1. Ulpianus *tit.* 28. §. *Si nemo:* Papiæ legi imputari videtur à Tacito, niſi alia ejus ſententia eſt, *lib.* 3. *Annal.* illic: *Et lege Papia Poppæa præmiis inducti, ut, ſi à privilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium, populus vacantia teneret. l. Si vacantia* 5. *Cod. Theodoſ. de bon. vacant.* Eadem forſitan ratione caput de nuptiis ſexagenarii, vel quinquagenariæ, Juliæ, Papiæve legi, quaſi ſubdubitans, adſcribit Juſtinianus *in l. Sancimus* 27. *C. de nuptiis*, cum tamen Papiæ legis proprium fuiſſe, ſignificent Ulpianus *d. tit.* 16. *verſ. Item ſi utrique.* Sueton. *in Claudio cap.* 23. Seneca *apud Lactantium, lib.* 1. *de falſa Religion. cap.* 16. Sed & enumeratio cognationum ſingularum, quibus lex Papia jus antiquum ſervavit. *l. unic.* §. *Et cum lex, Cod. de caduc. toll.* Ulpianus in *fragment. tit.* 18. Et agnoſcit Græcanicus interpres Thalelæus, Papio hoc caput adſcribens, *lib.* 45. *Baſilicon. tit.* 1. fieri legibus, dicitur in *l. liberorum* 220. *D. de V. S.* Et virilis portio, patrono, lege Papia, delata in bonis centenarii liberti, §. *Poſtea Inſtitut. de ſucceſſ. lib. l.* 1. §. *Interdum D. ſi cui plus quam per leg. Falcid.* Pars ex legibus debita verecundiæ patronali vocatur in *l. ſi patronus* 20. *D. de donat.* Denique pœnæ cælibum, & orborum, decimarumque inter conjuges ratio, & caduci, ereptitiique acquiſitio, quam ex lege Papia Poppæa deſcendere, ſcripſit Ulpianus *tit.* 19. §. *Lege, juncta l.* 2. *Cod. de infirmandis pœnis cælib.* tribuitur legibus Juliis à Tertulliano *de monogam. cap.* 16. & abſolute legibus in *l.* 1. *Cod. de infirm. pœn. cælib. l. unica*, §. *Quæ autem* 12. *Cod. de caduc. tollend. l. in fraudem* 10. *cum l. ſeq. D. de his quæ ut indignis*, ut Ambroſii, Euſebiique, ac Nicephori locos omittam, quos propoſui ſupra.

CAPUT IV.

De cauſis, ſive fine utriuſque legis, atque in primis priore, frequentiæ ſobolis, & nuptiarum, ex noſtris, exteriſque Scriptoribus.

ARGUMENTUM.

Juliæ, Papiæque legum primarii fines, ſobolis, & ærarii incrementum, quæ civilibus bellis exhauſta. De priore fine, ſeu cauſa primum, & ex profeſſo. Sobolis procreatio pertinet ad ſtatum Reipublicæ, cui æternitatem ſucceſſione introducit. Illuſtrati in ea re Auctores Juris, & alii, & de Eſſenis locus Solini. Ex eodem fine prolis, & immortalitatis per ſucceſſionem, commendatæ nuptiæ, & earum uſus neceſſitas. Emendatus Panegyriſtes. Hæretici, nuptiarum damnatores, damnati, quales Marcioniſtæ. inter alios. Pamelii [illegible] *perſtrictum. Conciliorum, Patrumque locis in ea re curſim prælata fax. Nuptiarum rurſus frequentiæ laudes ex libris Juris, & aliis, itemque ex bono multitudinis civium, quæ Imperii decus, & firmamentum.*

1. DE

1 DE origine, & nominibus legum noſtrarum, hæc ſemel cumulaſſe, ſatis, in commentationis lucem. Sequuntur earum cauſæ, in quibus illuſtrandis, liberius etiam nunc, & licentius pervagabimur; quia neceſſariæ in primis ſingulis legum partibus intelligendis, ſemelque hac opera defungi, pretium operæ erit. Fuit autem legis utriuſque ferendæ cauſa duplex, notata à Tacito 3. *Annal. incitandis cælibum pœnis, & augendo ærario.* Prior cauſa reſpexit pœnas cælibum, quas intendit, & auxit lex Papia, quo magis eos his excitaret ad nuptias contrahendas, & ſobolem procreandam, qui primarius noſtrarum legum finis. Secunda cauſa fuit, ærarii exhauſti repletio, ob quam inducta jura caducorum, ereptitiorumque, quibus locupletaſſe Fiſcum, & ærarium Julias leges, ſcripſit in *Panegyrico ad Trajanum* Plinius. Utraque vero cauſa, & nomen, ac materia caducorum *ex bellis orta eſt, & aucta civilibus, quæ in ſe Populus Romanus movebat*, ut Juſtinianus præfatur in *l. unic. Cod. de caducis tollend:* *ſive*, ut idem alibi ſcribit, *in rebus non proſpere geſtis, & triſtibus temporibus, Romanis increbuit calamitatibus luctuoſum monumentum, bello coaleſcens civili. l. 2. §. Quintus. l. 3. §. De teſtamentis 6. Cod. de veteri jure enucl.* Præceſſerant nimirum Juliam, Papiamque legem civilia bella Cæſaris cum Pompejo, & Auguſti cum Bruto, Sexto Pompejo, Lepido, & Antonio: & exhauſta Pharſalico, Mutinenſi, Philippenſi, Peruſino, Siculo, & Actiaco præliis Reſpublica, pecuniarum, & hominum pariter indigebat, *quo poſſet jactura reparari, quæ civilibus bellis contigerat; nam prope octoginta millia armatorum interierant.* Ut commemorat, has legum cauſas exprimens, antiquus Scholiaſtes Horatii in ſæculari cantu. Sozomen. *lib. 1. Eccleſiaſt. Hiſtor. cap. 9.* Ubi de lege Julia, Papiave ſic ſcribit, Joanne Chriſtophorſono interprete: *Hæc lex à veteribus Romanis ſancita fuit eo conſilio, ut non Urbem Romam ſolum, verum etiam cæteram ſuam ditionem hominum multitudine complerent; quandoquidem haud longo tempore ante legem latam quamplurimos bellis inteſtinis, ac civilibus amiſerant.* Nicephor. *lib. 7. Hiſtor. Eccleſ. cap. 46.* Ubi de eiſdem legibus ita: *Contra conſuetudinem, quæ olim apud Romanos obtinuerat, qui leges tales tulerant, ut Urbem ſeditionibus, belliſque civilibus ante ejuſmodi ſanctionem exhauſtam, civibuſque orbatam, matrimoniis, liberorumque procreatione frequentiorem redderent.*

2 Porro, ut utriuſque ſingillatim cauſæ, primæque in primis, vim illuſtremus, meminiſſe oportebit, ſobolis procreationem ad ſtatum Reipublicæ pertinere, utpote non modo utilem, ſed neceſſariam Reipublicæ tuendæ, augendæ, propagandæ; adeo ut qui liberos non producit, patriam pro ſua parte extinguere videatur, ut eleganter Varro *de lege Mænia*, cujus fragmentum apud Nonium in *eunuchare. Si qui*, inquit, *patriam, majorem parentem, extinguit, in eo eſt culpa; quod facit pro ſua parte is, qui ſe eunuchat, aut aliqua liberos non producit.* Et agnoſcunt Juris auctores in *l. hoc modo 64.* illic: *Legem enim utilem Reipublicæ, ſobolis ſcilicet procreandæ cauſa, latam, adjuvandam interpretatione. D. de condit. & demonſtrat. l. 1. Cum dotatas eſſe fœminas, ad ſobolem procreandam, replendamque liberis Civitatem, maxime ſit neceſſarium. D. ſoluto matrimonio, l. aſſiduis 12. verſ. Ad hæc, Cod. qui potiores. Maxime propter partus periculum, & ipſam liberorum procreationem, pro quibus multa noſtris legibus inventa ſunt privilegia.* Tertull. *de exhortat. caſtit. cap. 12. Forſan Reipublicæ proſpectu aguntur, ne civites deficiant, ſi ſoboles non habent, ne leges, ne jura, ne commercia delabantur; ne templa derelinquantur, ne modo non ſint, qui exclament, Chriſtiani ad beſtias.* Muſonius, vel ex A. Gellio notus Philoſophus, apud Stobæum *ſermon.* 73. Ubi ad rem noſtram de legumlatoribus, utiliſſimam Rebuſpublicis ſobolis frequentiam, cenſentibus: *Qui & eam ob cauſam utrique ſexui multitudinis liberorum præmia, & ſterilitatis pœnam ſtatuerunt.* Ideoque non tantum parentibus, verum etiam Reipublicæ naſci dicimur *l. 1. §. Et generaliter D. de ventr. in poſſeſ. mitt.* Idque ex veteribus illis Politicis eleganter, ut alios mittam; Plato expreſſit *dialogo 4. de legibus* in hanc fere ſententiam: *An non ſecundum naturam primum generationis in Civitate principium, ante omnia legibus exornabit?* Et paulo poſt: *Cogitans, quod natura quadam humanum genus quodammodo immortalitatem conſequitur: cujus rei quiſque natura ſummopere cupidus eſt; genus itaque hominum immortale hoc modo in ſempiternum durat, quod filiorum filios relinquendo, unum, & idem ſemper, per generationem immortalitatem adipiſcatur.* Idem *dialogo 6. de legibus.*

3 Illuſtrat eam Platonis ſententiam, de aſſerenda quodammodo immortalitate, per ſucceſſionem filiorum & viciſſim, inde illuſtrandus noſter Calliſtratus in *l. Liberorum 220. §. ult. D. de V. S.* illic: *Etenim idcirco filios, filiaſve concipimus, atque edimus, ut ex prole eorum, earumve, diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus.* Juſtinianus in *l. Lege 14. Cod. de legit. hæred.* ibi: *Cum natura utrumque corpus ediderit, ut maneat ſuis vicibus immortale.* Unde recte Triſmegiſtus in *Pimandro, cap. 2.* infortunio, aut inhumanitati tribuit, & quidem maximis, improlem aliquem vita defungi. Et obſervatum aliis jam, liberos *munimenta Imperii* vocari à Tacito *lib. 5. Hiſtor. & monumenta generis*, Plauto in *Milite: quaſi in diuturnitatis memoriam*, ut Calliſtratus loquitur, ſive, ut Juſtinianus *Novella 22.* ἀθανασίαν ἐπιτεχνητόν. Accedant ſuperioribus Senecæ, & Apuleji loci: Senecæ, inquam, in Hyppolito *actu 2.*

Providit ille Maximus mundi Parens,
Cum tam rapaces cerneret fati minas,
Ut damna ſemper ſobole repararet nova.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quæ ſupplet, ac reſtituit exhauſtum genus:
Orbis jacebit ſqualido turpis ſitu,
Vacuum ſine ullis claſſibus ſtabit mare,
Aleſque Cælo deerit, & ſylvis fera,
Solis & aër pervius ventis erit.
.... Cælibem vitam probet
Sterilis juventus; hoc erit, quicquid vides,
Unius ævi turba, & in ſemet ruet.
Proinde vitæ ſequere naturam ducem,
Urbem frequenta, civium cœtus cole.

Apuleji *de Deo Socratis*, ubi ſic de hominibus: *Singulatim mortales, cunctim tamen univerſo genere perpetui, viciſſim ſufficienda prole mutabiles.* Queis ſimilia Apulejus idem *lib. 11. Mileſiar.* Expreſſit tamen, aut certe imitatus, Ariſtotelis illud *de nuptiis lib. 1. œconom. cap. 3. Et ſimul natura per hunc circuitum adimplet ſempiternitatem, ex quo ſecundum numerum non poteſt, at ſecundum ſpeciem.* Lactant. *lib. 1. de falſa Relig. cap. 8. Nam profecto in hominibus, cæteriſque animantibus, diverſitas ſexus, & coitio, & generatio nullam habet aliam rationem, niſi ut omnia genera viventium, quando ſunt quotidie, conditione mortalitatis, obitura, mutua poſſint ſucceſſione ſervari.* Joannes Sariſber. in *Polycr. lib. 3. cap. 8. Omnibus quoque ſuccedent alii, & ſic tranſiens homo manet in ſpecie, quemadmodum, aqua prætereunte, notus amnis manet in flumine.* Egregie D. Thomas, aut quiſquis ille eſt Auctor libelli *de regim. Princ. 1. cap. ult.* Martianus *in Novella tit. 5. de foris*, illic: *Quæ ab homine caduca ſunt, fiunt ſubrogatione perpetua.* Adde, ſi vacat, alia ex his, quæ jam de matrimonii laudibus. Quamquam cui hæc non ſatis? Illud ſaltem, ut rarum, non ſubticendum, quod de Eſſenis, interiora Judææ ad Occidentem habitantibus, ex Plinio *lib. 5. Hiſt. nat. cap. 17.* ad verbum fere Solinus in *Polyhiſtore cap. 36. Receſſiſſe eos à more gentium univerſarum: nullæ ibi fœminæ: Venere ſe penitus abdicarunt. Nemo ibi naſcitur: nec tamen deficit hominum multitudo. Ita per immenſum ſpatium ſæculorum, incredibile dictu! æterna gens eſt, ceſſantibus puerperis.* Locum quiſquis miraris, legito.

4 Quin & ob eamdem prolis cauſam, quæ connubii prima cauſa dicitur, Tertull. *lib. 4. adverſus Marcionem, cap. 23.* Et ob quam potiſſimum, nempe in propagationem

propagationem generis humani, inſtitutum matrimonium à Deo *Geneſ. cap.* 2. & confirmatum *cap.* 8. & 9. qui proinde *Conjugium pro rei honeſtate benedixit, incrementum generis humani*, ut Tertullianus idem loquitur 1. *adverſus Marcionem, cap.* 29. Fuit matrimoniorum frequentiæ prima, magnaque cura omnibus legum, Civitatumque Conditoribus. Horatianum illud quis neſcit?

—— Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis;
Concubitu prohibere vago; dare jura maritis.

Neque immerito, nam, ut prudenter Plato *dialogo* 4. *de legibus: Principium generationis omnibus Civitatibus, nuptiarum conventus eſt, atque communio; quare ſi nuptiales primum leges ponuntur, bene, ad omnem Civitatem recte conſtituendam, poſitæ videbuntur.* Quintilianus *declamat.* 249. *Matrimoniis*, inquit, *etiamſi ego tacuerim, ſcitis, Civitatem contineri; his populos, his liberos, & ſucceſſionem patrimoniorum, & gradum hæreditatum, his ſecuritatem domeſticam. Quemodo enim?* Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *ſtromat. Si enim*, inquit, *ductis uxoribus, liberos non ſuſceperint, quod in iis quidem ſitum eſt, hominum raritatem invehent, & Civitates diſſolvent, &, qui ex eis conſtat, ornatum.* Ubi & pleraque in eamdem ſententiam. Ambroſius *lib.* 1. *de Virginibus. Nam quemadmodum duratura in ſæculum ætas ſuccedere poſſit ætati, niſi gratia nuptiarum procreandæ ſtudium ſobolis excitaret?* Vetus Panegyriſtes, *ad Maximianum, Conſtantinumque: Hæc eſt vera pietas, hæc voluptas ſervandi generis humani, exemplum dare gentibus ad matrimonia ſtudioſius expetenda, & liberos educandos, ut ſubſtituendis ſucceſſionibus ſingulorum, nihil obſit omnium poſteritate Reſpublicæ*; ubi libens emendo, quamdiu alii felicius: *nihil abſit omni in poſteritate Reipublicæ.*

5 Non defuerunt ſane vernantis Eccleſiæ temporibus hæretici, qui nuptias, & procreationem damnarent, & interdicerent, de queis in univerſum Tertull. in principio *libri de Monogamia; Hæretici*, inquit, *nuptias auferunt, Pſychici ingerunt.* Eos, divino Spiritu præmonente, damnavit Paulus 1. *ad Timoth. cap.* 4. ubi poſt Chryſoſtomum, & Ambroſium noviores. Tales autem, poſt Tatianum, Ebionem, Saturninum, & alios, Marcion, Apelleſque, & ejus ſectatores, de quibus Tertull. *lib.* 1. *ad uxor. cap.* 3. & *de præſcript. adv. hæreticos, cap.* 33. *Paulus*, inquit, *Timotheum inſtruens, nuptiarum quoque interdictores ſugillat, ita inſtituunt Marcion, & ſequutor ejus Apelles.* In eoſdem invehitur, *lib.* 4. *adverſ. Marcionem, cap.* 11. & 34. & *lib.* 5. *cap.* 15. & pleniſſime *lib* 1. *cap.* 29. ubi inter alia: *Jam vero*, ait, *ſementem generis humani compeſcere totam, neſcio, an hoc quoque Optimo Deo congruat.* Hieronym. 1. *adv. Jovin. cap.* 1. *Neque vero nos*, ait, *Marcionis, & Manichæi dogma ſectantes, nuptiis detrahimus.* De eiſdem ex D. Irenæo *lib.* 1. *contra hæreſes, cap.* 22. & 30. late Euſebius *lib.* 4. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 27. Nicephor. *lib.* 4. *ejuſdem Hiſtoriæ, cap.* 3. & 11. Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *ſtromateon* quem, non nominatim contra Marcionem ſcribere, inconſpecte negat, vir alias doctus, Pamelius. Clementis verba ſunt Latine reddita à Gentiano Herveto, & Heinſio: *Jam vero ſi & ipſe Plato, & Pithagorei, ſicut etiam poſtea Marcioniſtæ, malam, exiſtimarunt, eſſe generationem, longe abfuit, ut communes ipſe poneret uxores. Sed Marcioniſtæ quidem dicunt, malam eſſe naturam ex mala materia; & à juſto factam Opifice, ac Creatore. Qua quidem ratione nolentes implere mundum, qui factus eſt à Creatore, volunt abſtinere nuptiis.* D. Ambroſius *lib.* 1. *de Virginibus*, ibi: *Dicit aliquis, ergo diſſuades nuptias? Ego vero ſuadeo, & eos damno, qui diſſuadere conſueverunt.* Et paulo poſt: *Qui enim copulam damnat, damnat & filios, & ductam per ſucceſſionem ſeriem, generis ſocietatem damnat humani.* Atque inibi tandem: *Unum ſane licet ſacrilegi homines habent, quod in his etiam à ſapientiſſime probetur: qui conjugia damnando profitentur, ipſi non debuiſſent naſci.* Tales etiam Manichæus, & Priſcilianus, quorum error damnatur in Concilio Bracharenſi 1. *can.* 11. *ſi quis conjugia humana damnat, & procreationem naſcentium perhorreſcit, ſicut Manichæus, & Priſcilianus dixerunt, anathema ſit.* Damnantur etiam in univerſum in Concilio Gangrenſi *can.* 1. 9. & 10. quos Gratianus propoſuit in *cap. ſi quis* 4. *cum ſeq. cap. ſi quis nuptias* 12. *diſtinct.* 30. *cap. quicumque* 9. 31. *diſtinct.* Sed hæc aliis relinquamus, alias etiam hæreſes referentibus, & refellentibus. Videſis Photium in *Nomocanone tit.* 13. *cap.* 11. & ex novioribus Baronium 1. *tom. Annal. anno Chriſti* 57. *num.* 191. Bellarmin. *lib. unic. de matrim. cap* 1. Severinum Vinium *in notis ad can.* 50. *Apoſtol.* Creſpetium in *ſumma Eccleſiaſtica* verbo *nuptiæ licitæ.* Ant. Auguſt. in *Epitome Juris Pontif. lib.* 11. *tit.* 32. & *lib.* 28. *tit.* 1. Jodocum Cotium in *theſauro cathol. tom.* 2. *lib.* 9. *art.* 1. quorum ſcriniis non compilamus. Illud ſaltem hiſce, & aliis hæreticis libens ingeſſerim, quod in Epicurum, ejuſdem, inter Philoſophos, erroris auctorem, ajebat Epictetus apud Arrianum *lib* 1. *cap.* 23. in fine: *Si mater, paterque tuus divinaſſent, te hujuſmodi ſententiam dicturum* οὐκ ἄν σε ἐξέθεντο *nequaquam tui enutriendi ſatagerent.*

Nobis autem nunc potius, ut in propoſito pergamus, illud Tryphonini ſuccurrit, qui nuptiarum utilitatem, publicam eſſe, ſcribit in *l. in bello* 12. §. *Medic D. de Capt.* Quia ſolæ nuptiæ prolem legitimam Reipublicæ præſtant, & immortalitatem artificioſe introducunt, ut poſt Majorianum Cæſarem *Novella de ſanctimonialibus* in princip. graphice Juſtinianus extollit *Novella* 22. *de nuptiis. Si enim*, inquit, *matrimonium ſic eſt honeſtum, ut humano generi videatur immortalitatem artificioſe introducere, & ex filiorum procreatione renovata genera manent; jugiter Dei clementia, quantum eſt poſſibile, noſtræ immortalitatem donante naturæ, recte nobis ſtudium eſt de nuptiis. Alia namque omnia, quæ ſancita ſunt à nobis, non omnibus competunt nec hominibus, nec rebus, nec temporibus: Studium vero nuptiarum totius eſt, ut ita dicatur, humanæ ſobolis, ex quo etiam renovatur ſolo, & ampliori, quam alia ſollicitudine dignum eſt.* Idem *Novella* 39. *de reſtitut.* in fine præfationis. *Maxime in nuptiis, quibus nihil eſt hominibus utilius, tamquam ſolis facere homines valentibus.* Subæmulati ſunt has matrimonii laudes ſucceſſor Juſtiniani, nepoſque ex filia, Juſtinus II. cujus eſt *Novella*, quæ inſcribitur, *ut poſſit matrimonium ſolvi ex conſenſu*, & inter Juſtiniani refertur *Novella* 139. Ejus priora verba ita vertit Julianus Anteceſſor: *Nuptiis decentius nihil eſt hominibus, ex quibus filii, cæteraque nationum ſucceſſiones, fundorum quoque, & Civitatum habitacula, & Reipublicæ eximius ſtatus.* Nec inferior ſententiis, quamvis inferior ſæculo, Leo Philoſophus *Novell.* 26. *ut eunuchi adoptare poſſint. Magnum ſane, excellenſque donum, à Deo Creatore ad mortales promanavit, matrimonium. Non modo enim naturæ, mortis ingluviei obnoxiæ, opem fert, humanoque generi perpetuitatem elargitur, id, dum ab illa depaſcitur, non omnino deperire ſinens, verum etiam per liberorum procreationem permagna alioqui hominum vitæ præſtat. Nam quid ea, quæ ex liberis percipitur, voluptate, ad oblectandos hominum animos, ſuavius? Aut vero quid in humanæ vitæ negotiis, cum aliis, tum quæ in ſenectute nobis ſe efferunt, utilius?* Idem Leo *Novell.* 111. Ambroſ. in *cap. nuptiæ* 32. *quæſt.* 1. *Nuptiæ*, inquit, *terram replent, virginitas Paradiſum.* Hæc de nuptiarum laudibus, quatenus publice utiles, & neceſſariæ (nunc enim alia illarum bona non revelamus) ad ſobolem procreandam, & augendam Rempublicam, multiſque hominibus legitime progenitis frequentandam: ut ſcriptum eſt in *l.* 2. in fine, *Cod. de indicta viduitate*; ſive, ut Lucianus loquitur in *amoribus: ut alii aliis ſuccedentes, identidem in æternum vivamus*, ubi multa in hanc rem, & paulo poſt: *Nuptiæ quidem ad vitam hominum promovendam, res in primis utilis, & beata.* Plura in eamdem ſententiam, quæ ſuggerunt Ariſtoteles *lib.* 1. *œconomiæ.* Galen. 14. *de uſu part.* Columella 12. *de re ruſtica.* Auguſtinus *de bo-* 6

no

no conjugii. Late Clemens Alexand. *lib. 2. ſtromateon*, & alii, quæ nunc ſciens mitto, & ſepono.

7 Nec ſane mirum, procreationem ſobolis, & ob eam nuptias ad Reipublicæ ſtatum tantopere commendari, cum inſtrumenta ſint frequentiæ, & multitudinis civium, cui procurandæ in bene conſtitutis Civitatibus mille illicia reperta, qualia apud Romanos jus aſyli; leges natos omnes tollendi, utque educandi, niſi monſtroſi, aut debiles; præmia, privilegiaque civium, ſed præcipue ratio, peregrinos, ac ſocios in Urbem aſciſcendi, aut transferendi: adeo verum ſacrum illud oraculum Proverb. *cap.* 14. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.* D. Thom. *lib. 2. de regim. princip. cap. ult.* Queis convenienter Hadrianus Imperator reſcripſit, malle ſe Imperium ſuum hominum adjectione, quam pecuniarum copia augeri. *l. cum ratio 7. §. Si plures D. de bonis damnator.* Juſtinianus in *Novell.* 24. *cap.* 3. *de Prætore Piſidiæ.* Eſt enim multitodo, copiaque civium, vel præcipuum diuturnæ publicæ felicitatis, Imperiique magnitudinis firmamentum, utique ſi inſtituta bene ſit, ut agnoſcit Ariſtot. *lib. 7. Politic. cap.* 4. Auguſti apud Dionem verba, auro contra non cara, *lib.* 56. libens ſubjicio. *At vero*, inquit, *Reipublicæ, cujus cauſa etiam contra animi noſtri ſententiam, multa nobis ſunt facienda, qui non ſit & utile, & neceſſarium? ſiquidem urbes, & populi durabunt, ac vos aliis imperabitis, alii ſubditi vobis erunt, multitudinem eſſe hominum, quæ pacis tempore terram colat, quæ navigationes exerceat, quæ artes, & opera tractet, quæ in bello promptior, generis ſui cauſa, ſit ad res tuendas, & ex qua in amiſſorum locum alii poſſint ſubſtitui.* Ut proinde appareat, veriſſime olim Metellum Numidicum ſuaſiſſe, *ſalvam eſſe Civitatem, ſine matrimoniorum frequentatione, non poſſe*, ut A. Gell *ſcribit lib. 1. noct. Atticar. cap.* 6. Nec eleganter minus, utramque cauſam complexus, Optimus, Maximuſque Princeps Philippus noſter, *in Reformationis generalis Capitibus* num 19. ibi: *Item, porque en todo ſe ayude à la multiplicacion, como coſa tan importante, y à la felicidad, y frequencia del eſtado del matrimonio, por donde ſe conſigue.* Extat in *l.* 14. *tit. 1. lib. 5. compilationis.*

CAPUT V.

De eadem cura nuptiarum, & πολυπαιδίας ex Romanorum, & aliorum legibus ante Juliam, Papiamque noſtras.

ARGUMENTUM.

Nuptiæ olim in præcepto Divino, aut naturali. Earum, & ſobolis incitamenta apud Lacedæmonios ex Lycurgi legibus. Cretenſium in eadem re Inſtituta. Expoſitus ex his D. Paulus Epiſtola ad Titum cap. 1. *Ubi & pæderaſtiæ in Cretenſibus nefas notatum. Tentata conjectura ſimilis ad Paulum I. ad Timoth* cap. 3. *Platonis item nuptiales leges. Ad Romanos dein tranſitum, apud quos vetus lex obſervata de uxoribus ducendis. Cenſorum cura, & jusjurandum de uxoribus. Eorundem animadverſionis in cælibes, quos ærarios faciebant, forma, formulaque. Metellorum Macedonici, & Numidici in hoc cenſorio munere exempla. Signata hæc ſingula Auguſti orationibus ad maritos, cælibeſque apud Dionem.*

1 SED ut exemplis etiam, per quæ rei demonſtrandæ breve, & efficax iter eſt, priorem hanc legum noſtrarum cauſam confirmemus, quos in procreatione ſobolis, & matrimoniorum frequentia, referendæ iſtuc ſunt multæ veterum leges ad nuptias, prolemque præmiis, pœniſque excitantes; nec tamen omnium gentium omnes, ſed ex nobilioribus nobiliores. Extitit ſane matrimonii contrahendi præceptum, ſive Juris naturalis, ſive Divinum poſitivum, indicatum, ſeu comprehenſum his verbis: *Creſcite, & multiplicamini.* Geneſis *cap.* 2. Idque præceptum ne poſt Chriſtum quidem ceſſaſſe, quin potius illo omnes ad matrimonium contrahendum hodie obligari, veteres, & noviores Hæretici calumniantur, in quos merito invehuntur Catholici, nos ſuo loco plenius. Ergo ut ad Ethnicorum maritales leges pergamus, ſit, ut & certe fuit in hac ſobolis cura, primus apud Lacedæmonios Lycurgus, de quo præclare poſt Xenophontem in *libello de Republica Lacedæmon.* in princip. Ælianum *lib. 6 de varia Hiſtoria cap.* 5. Athenæum *lib. 13. dipnoſophiſt. cap.* 1. Ariſtot. *lib. 2. Politic. cap.* 7. Joachimo Perionio interprete: *Cum enim*, inquit, *cuperet is, qui leges Spartis dedit, quamplurimos Spartas eſſe cives, adhortatus eſt, ut quam maximum liberorum numerum procrearent. Eſt enim apud eos lex, eum, qui tres filios ſuſceperit, præſidii, & ſtationis, qui quatuor, omnium munerum vacationem habere.* Plutarchus in *Apophthegm. Laconic. in Lycurgo.* Et latius in ejuſdem vita in hunc ſenſum. *Et quamquam hi quoque ad nuptias erant ſtimuli, pompas dico Virginum, veſtium detractionem, certamina, quæ inſpectantibus adoleſcentibus peragebant, non geometricis, ſed amatoriis (ut ait Plato) coactibus, ſugillabant tamen aliqua etiam ex parte cælibes, qui nudarum certantium ſpectaculo arcebantur. Bruma etiam hi ex Magiſtratuum edicto, cogebantur forum veſtibus ſpoliati obire, circulantes autem cantilenam in ſe compoſitam concinebant, merito ita puniri ſe, quod non parerent legibus. Præterea honoris erant, & obſervantiæ, quam præſtabant ſenibus juvenes, expertes. Quare quod exprobratum Dercyllidæ fuit, quamtumvis inclyto Duci, nemo reprehendit, cui intervenienti non ceſſit adoleſcens ſubſellio, adjiciens: Neque enim tu mihi eum, qui ceſſurus ſit, ſubſtuliſti.* Idem Plutarchus in *Lyſandro*, Clemens Alexandrin. *lib. 2. ſtromateon*, interprete Gentiano Herveto: *Jam vero Laconum legiſlator, non ſolum pœnam impoſuit ei, qui uxorem non duxiſſet, ſed etiam ei, qui unam tantum, ut ei qui duxiſſet ſerius, & ei qui ſolus viveret.* A. Gellius *lib. 2. noct. Atticar. cap.* 15. *Eumque morem accepiſſe Romanos à Lacedæmoniis traditum eſt, apud quos Lycurgi legibus, major rerum omnium honos majori ætati habebatur. Sed poſtquam ſoboles Civitati neceſſaria viſa eſt, & ad prolem populi frequentandam præmiis, atque invitamentis uſus fuit; tum antelati quibuſdam in rebus qui uxorem, quique liberos haberent, ſenioribus, neque liberos, neque uxores habentibus.*

Sed & apud Cretenſes, è quorum Inſtitutis pleraque Laconica mutuatus Lycurgus, ſi Platoni credimus *dialog. 1. de legib.* Ariſtot. *lib. 2. Politic. cap.* 8. Plutarchu in *Lycurgo.* Juniores ad uxores ducendas legibus compellebantur, teſte Strabone *lib.* 10. Ubi dum multa inter Spartanos Cretica inſtituta commemorat, *Apud Cretenſes*, inquit, *ad ejuſdem ætatis uxores capiendas cunctos compellunt, quos è puerorum grege deligunt.* Indeque forſitan, ſi eruditioribus quibuſdam credimus (interque alios, poſt Baronium *ad annum Chriſti* 58. *num.* 14. noſtro Baſilio Pontio Legionenſi, illuſtri, heu nuper, Academiæ noſtræ ornamento, *lib. 7. de matrim. cap. 23. num.* 1.) D. Paulus *ad Titum*, Cretæ relictum, ſcribens *cap.* 1. admonenſque, quales eſſe debeant qui Presbyteri conſtituuntur, ſic ait: *Et conſtituas per Civitatem Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi, ſi quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ.* Supponit ſcilicet Paulus, potius, quam monet, non, niſi maritum, Epiſcopum eſſe debere, nempe ex Cretenſium, de quibus loquitur, Inſtitutis, quibus ad uxores ducendas juniores omnes adigebantur; ſicut eodem forte reſpectu idem Paulus I. *ad Timoth. cap. 3. verſu* 2. repetito monet, oportere Epiſcopum eſſe *unius uxoris virum.* Scribens nempe 2

ad Timotheum, coadjutorem illum, ſociumque ſuum, & laudatiſſimum Epheſiorum Epiſcopum, alludenſque ſimiliter, aut reſpiciens Epheſiorum mores, ſeu leges de uxuribus ducendis, derivatas, ſi conjectari licet, à Cretenſibus, quorum hæc, atque alia Inſtituta, imitati olim variarum gentium legumlatores, teſtibus Strabone *lib.* 6. & 10. Libanio *orat.* 19. ſive *Apologia pro ſaltatione*, & in Jonia fortaſſe Epheſii, ut ſubindicat fere Declamator Epheſius apud Achillem Statium *de amorib. Leucip. & Clitop. lib.* 8. ubi de Therſandro illo, qui, cum primum per ætatem licuit, uxorem κατὰ τοὺς νόμους, *ſecundum leges* duxit. At hæc ſuſpicionis dumtaxat ſint, ſive quia non facile apud Ethnicos adultum hominem, ſimulque cælibem reperire foret, quemadmodum ad Cretenſium etiam mores reſpiciens, quos poſtea ſcitiſſima Epimenidis parœmia ſugillat, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*; ut expendit Socrates *lib.* 1. *Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.* 14. Vult filios Ordinandi fideles eſſe, *non in accuſatione luxuriæ*, præcavens pæderaſtiæ, quæ apud eoſdem turpiter exercebatur, adeo ut nobiliores pueros amatum abducere, permiſſo publice raptu, & duobus menſibus detinere, mox donatos muneribus, appellatoſque κλεινοὺς (ſic enim amaſios vocant, ſicut amatorem φιλήτορας, id eſt ardentem) dimittere, inter conceſſa, ac veluti legitima patriæ ſcita haberetur, ut commemorat late idem Strabo *lib.* 10. Heraclides *de politiis in Cretenſibus.* Sextus Philoſoph. *lib.* 3. Pyrrhon. *hypotypoſ. cap.* 24. Et tamen, ut polygamos, bigamoſque ab ordinibus ſacris ſubmoveat, unius uxoris virum, ſive Μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, eſſe debere ſcribit *d. cap.* 1. *Epiſt. ad Titum, & Epiſt.* 1. *ad Timotheum cap.* 3. Alioquin cælibatus quin ſit commodior ad Sacerdotale munus, & contra implicatius conjugium, quoniam ut idem Paulus 1. *ad Corinth. cap.* 7. *Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ mundi ſunt, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*; nec dubitari poteſt, & veteres Eccleſiæ Patres ſatis exprimunt. Hieronymus *lib.* 1. *adverſus Jovinianum, & Epiſt.* 11. *ad Ageruch. de monogamia*, Ambroſius *de viduis.* Auguſtinus *de bono viduitatis cap.* 8. Syricius *Epiſt.* 4. *cap.* 9.

3 Deinde & ex Philoſophie (ut alia aliarum gentium ſcita taceam, quales ſunt Thebanorum leges à Philolao Corinthio ſcriptæ, quas illi θετικοὺς vocant, ſive de procreandis liberis, teſte Ariſtotele *lib.* 2. *Polit. cap.* 10. Epheſiorum item, quas reſpexit fortaſſe Achilles Tatius *de Clitophontis, & Leucippes amoribus lib.* 8. loco nuper laudato) præſtantiſſimus eorum Plato, dum leges ſuæ Reipublicæ ponit, ſic edicit *dialogo* 4. *de legibus*, Marſilio Ficino interprete: *Uxorem quiſque à trigeſimo anno uſque ad trigeſimum quintum ducat; ſin minus, pecunia mulctetur, atque dedecore, pecunia quidem tanta, dedecore autem tali, vel tali.* Et paulo poſt: *Quicumque legi huic obtemperaverit, indemnis eſto. Qui vero non paruerit, & quinque ac triginta annos natus, uxorem non duxerit, ne ſolitariam vitam lucro ſibi, & voluptati fore cenſeat, tanta in annos ſingulos mulctetur pecunia, neque eorum particeps honorum ſit, quos juniores quotidie in Civitate ſenioribus exhibent.* Perſequitur diſtinctius idem *dialog.* 6. *de legibus.* *Si quis autem*, inquit, *ſponte non pareat, & alienus ab hoc conſortio vivat in Civitate, & ſine connubio quinque & triginta egerit annos, ſingulis annis, ſi de maximo cenſu eſt, drachmis centum mulctetur; ſi de ſecundo, ſeptuaginta; ſi de tertio, ſexaginta; ſi de quarto, triginta. Quæ quidem pecunia Deæ Junoni conſecranda eſt. Si quis autem ſingulis annis non perſolverit, decuplum debeat. Cujus pecuniæ exactor ſit Deæ ipſius Quæſtor, ac niſi exegerit, ipſe debeat, atque hujus rationem referre quiſque debeat. Sed pecuniis quidem, qui nolit uxorem ducere, ſic mulctetur, honore autem ſic. Primum honores nullos à junioribus conſequatur, nec juvenum ullus aliqua in re ſponte ipſi obtemperet. Deinde, ſi aliquem cædere auſus fuerit, quilibet adverſus ipſum inſurgat, & ei auxilium ferat, qui accepit injuriam. Si quis autem præſens hoc non fecerit, timidus, maluſque civis à legibus habeatur.* Adi & Clementem Alexandrinum *lib.* 2. *ſtromat.*

Ad Romanos jam ſe vertat oratio, non dumtaxat legum noſtrsrum, ſed & melioris omnis politiæ Duces. Fuiſſe autem apud eos legem veterrimam, qua per ætatem omnes ducere uxores compellebantur, ſingularis Dionyſii locus probat *lib* 9. *Antiquit. Rom.* Ubi, dum vanum illum rumorem coarguit de trecentis ac ſex Fabiis ad Cremeram cæſis, unico puero ex tota gente relicto ſuperſtite, hoc ne fieri quidem potuiſſe docet: *Nec enim*, inquit, vertente Sigiſmundo Gelenio, *poterant omnes cælibes eſſe, ac ſine filiis; nam priſca lege cogebantur, uxores per ætatem ducere, educareque liberos, quam diligenter uſque ad ſuum ſæculum ſervatam, haudquaquam ſoli contempſiſſent Fabii.* Quibus reſpondent iſta Auguſti in *Oratione ad cælibes* apud Dionem *lib.* 56. *Et quidem*, inquit, *neque ante me cuiquam permiſſum erat, conjugium, ac ſobolem negligere, cum initio ſub primam Reipublicæ conſtitutionem de ea re diligenter legibus ſit cautum; multaque inde de eadem Senatus, populuſque ſtatuerit, quæ recenſere ſupervacaneum eſſet.* Obſervat, aliis, quamvis non itidem perſpicuis, Dionis verbis innixus, olim in Academia noſtra Anteceſſor, Regius nunc Conſiliarius, & gravioris, amœnioriſque doctrinæ in utraque Juriſprudentia, Scholaſtica & Forenſi, diligens concinnator, noſter D. Franciſcus de Amaya *lib.* 3. *Obſerv. cap.* 6. *num.* 26.

Fuit vero legis ejuſce ad effectum perducendæ, 5
& primaria conjugiorum, proliſque cura Cenſoribus, qui cum ævitates, pecunias, familias, ſoboleſque cenſerent, ſolemne etiam jusjurandum exigebant de uxoribus, ut ſcirent, quinam cælibes eſſent. Teſtes mihi, ut alios mittam, Sueton. in *Claudio cap.* 16. ubi de ejus cenſura ſic: *Plures notare conatus magna inquiſitorum negligentia, ſed ſuo majore dedecore innoxios fere reperit, quibuſdam cælibatus, aut orbitatem, aut egeſtatem objiceret, maritos patres opulentos, ſe probantibus.* Macrob. *lib.* 2. *Saturn. cap.* 4. *Mira etiam*, inquit, *Cenſoris Auguſti, & laudata patientia. Corripiebatur Eques Romanus à Principe, tamquam minuiſſet facultates ſuas: at ille, ſe multiplicaſſe, coram probavit. Mox idem ſubjecit, quod ad contrahendum matrimonium legibus non paruiſſet. Ille uxorem ſibi, & tres eſſe liberos dixit. Tunc adjecit: poſthac Cæſar, cum de honeſtis hominibus inquiris, honeſtis mandato.* A. Gell. *lib.* 4. *noct. Attic. cap.* 3. ibi: *Quod jurare à Cenſoribus coactus erat, uxorem ſe, liberorum quærendorum gratia, habiturum.* Itaque Ciceroni vel ex Romano more ficta lex illa *lib.* 3. *de legibus*: CENSORES EQUITUM, PEDITUMQUE PROLEM DESCRIBUNTO, CÆLIBES ESSE PROHIBENTO. Erat Cenſoriæ inquiſitionis, ſive jurisjurandi formula hæc: EX ANIMI TUI SENTENTIA TU UXOREM HABES? Notum ex joco Naſicæ, cujus Cicero meminit *lib.* 2. *de Oratore*: *Ridicule etiam illud L. Porcius Naſica Cenſori Catoni; cum ille, ex tui animi ſententia tu uxorem habes? Non hercule*, inquit, *ex animi tui ſententia.* A. Gell. *lib.* 4. *noct. Atticar. cap. ult.* *Cenſor agebat de uxoribus ſolemne jusjurandum, verba ita erant concepta; ut tu ex animi tui ſententia uxorem habes: qui jurabat; cavillator quidam, & canicula, & nimis ridicularis fuit. Is locum eſſe ſibi joci dicendi ratus, cum ita, uti mos erat, Cenſor dixiſſet: Tu ex animi tui ſententia uxorem habes? Habeo equidem, inquit, ſed non hercle ex animi tui ſententiq.* Sic enim legimus, nec facile receptam Ciceronis, & A. Gellii lectionem corrigimus, quamvis aliter Lipſio placitum, quem, ſi vacat, videſis *lib.* 1. *var. lect. cap.* 1.

Ejuſdem notæ ſunt quæ ſequuntur Cenſoriæ in 6
cælibes ſeveritatis. M. Furius Camillus, & M. Poſthumius Cenſores anno ab U. C. 350. ut ſcribit Florus in *Liviana Epitome lib.* 59. eos, qui uſque ad ſenectutem cælibes permanſerant, æra, pœnæ nomine, in ærarium deferre primi juſſerunt. Valer. *lib.* 2. *cap.* 9. Plutarchus *in Camillo* poſt principium: *Hujus*, inquit, *recenſetur unum in eo Magiſtratu eximium*

mium factum, quod cælibes partim blande appellando, partim denuncianda mulcta, viduis, quæ ob bella erant multæ, matrimonio copulaverit. Mulcta hæc, ſive æs, quod cælibes pendebant, uxorium vocatur, ut monet Feſtus in voce, *uxorium*, Athenienſibus ἀγαμίου δίκην, Lacedæmoniis vero ἀγαμίου ζημία, item ὀψιγαμίου καὶ κακογαμίου, ut Scaligero, & aliis notatum. Qui autem, notæ cauſa, à Cenſoribus æs grave pendere jubebantur, ærarii facti, nuncupatique fuere, ſi Pædiano Aſconio fides, *in Ciceronis divinationem*, quia ad hoc tantum in albo ſuæ Centuriæ, Tribuque manebant; ut æs pro capite, tributi nomine, conferrent, ſine urbani ſuffragii, aut militaris ſtipendii jure, ut & Dionyſ. Halicarnaſ. indicat *lib.* 6. ad finem: digladientur quamvis noviores, quos non moramur. Addimus tantum, ignotum in re hacce vulgo Varronis locum apud Nonium *in ærarium. Hoc eſt magnum Cenſorem eſſe, ac non ſtudere multos ærarios facere.* Cenſoriæ porro animadverſionis, ſive increpationis formula hæc, quam Valerius ſuggerit *d. cap.* 9. *Natura vobis quemadmodum naſcendi, ita gignendi legem præſcribit, parenteſque, vos alendo, nepotum nutriendorum debito (ſi quis eſt pudor) alligaverunt. Accedit his, quod etiam fortuna longam præſtandi hujuſce muneris advocationem eſtis aſſecuti, cum tamen interim conſumpti ſint anni veſtri, & mariti, & patris nomine vacui. Ite igitur, & nodoſam exſolvite ſtipem, utilem poſteritati numeroſæ.*

7 Caput autem, ut alia minutiora prætercam, inter hæc Cenſoriæ conjugiorum curæ documenta, extulerunt Orationes Metelli Macedonici, & Metelli Numidici. Cenſor ille fuit anno ab U. C. 623. cenſuitque, *ut omnes cogerentur, ducere uxores, liberorum procreandorum cauſa.* Ita ex veteribus libris legendum apud Florum in *Epitom. lib.* 56. Orationem ejus de prole augenda inſcriptam, Auguſtus Cæſar, cum de maritandis Ordinibus ageret, Senatui, & populo recitavit, quo magis perſuaderet, rem illam non à ſe primum animadverſam, ſed antiquis etiam curæ fuiſſe. Ita, præter Florum, Sueton. in *Auguſto cap.* 89. Poſtea ex eadem gente Metellus Numidicus, Cenſor etiam anno Urbis 651. Orationem in cenſura dixit ad populum de ducendis uxoribus, cum eum ad matrimonia capeſſenda hortaretur, cujus orationis elegans hoc fragmentum recitat A. Gell. *lib.* 1. *Noct. Att. cap.* 6. *Si ſine uxore, Quirites, poſſemus eſſe, omnes ea moleſtia careremus: ſed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis ſatis commode, nec ſine illis ullo modo vivi poſſit, ſaluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati conſulendum.*

8 Hæc, ante leges noſtras nuptiis, ſobolique curandæ, Romana ſcita, in quibus enarrandis non contemnendas veteris Juriſprudentiæ reliquias collegimus. Claudat excurſum hunc, præcipuamque hanc legum noſtrarum cauſam confirmet, Auguſti oratio ad maritos, & patres, itemque in cælibes, cujus verba ex Dione *lib.* 56. quamvis prolixiora, quia mirifice rationem hanc fulciunt, ſimulque totam fere noſtrarum legum ſententiam illuſtrant, non gravabor adſcribere, & quidem latina potius ex verſione Xylandri, quam græca, quo magis omnibus pervia ſint. Auguſtus igitur cum prius cælibes ſeorſum, ſeorſum maritos, aut patres in concionem vocaſſet, atque hos illis longe inferiores numero, animadverteret, ſic prius ad maritos, patreſque locutus fertur: *Etſi reſpectu tantæ hujus Urbis molis perpauci, longeque aliis, qui officium ſuum detrectant, pauciores eſtis; tamen propter hoc ipſum magis vos laudo, ac gratias majores habeo, quod & audientes dicto fuiſtis, & patriam civibus impletis. Qui enim veſtro more vivunt, multos poſteritati Romanos relinquent. Ita ab initio, cum Romanorum eſſet perquam exiguus numerus, nuptiis ſtudentes, liberoſque procreantes, non virtute modo, ſed etiam multitudine hominum omnes mortales ſuperavimus. Quorum memores nos, mortalitatem naturæ convenit perpetua ſtirpis ſucceſſione, quaſi facem aliis, ſubinde aliis porrigentibus, compenſare; ut qua ſola re à Divina felicitate abſumus, eam perennitatem mutuo nobis invicem tradamus. Quam potiſſimum ob cauſam primus iſte, ac maximus, qui nos condidit Deus, humanum genus in duas partes cum ſeviſſet, ac maſculam unam, alteram muliebrem feciſſet; amorem eis, ac neceſſitatem coitus inter ſe indidit, ac fœcundam eorum conſuetudinem eſſe, voluit: ut ex his, qui ex aliis, alii naſcerentur, humanum quoque aliquo modo ſempiternum exiſteret genus. Quin ipſorum quoque Deum viri quidam, aliæ mulieres eſſe, genuiſſeque alii alios, traduntur, adeo etiam his, nihil harum rerum indigis nuptiæ, & procreatio liberorum pulchra viſa ſunt. Proinde recte vos Deos imitati, ac parentum veſtrorum exempla ſecuti eſtis, ut quomodo vos ii progenerarunt, ita vos aliam ſobolem ſufficiatis: ut iſtos majores veſtros ducitis, ac vocatis, ita vobis idem alii nomen tribuant: ut quas res illi vobis cum gloria præclare tradiderunt, eas aliis vos tranſmittatis: quæ bona ii parta vobis reliquerunt, eadem vos aliis, ex vobis ortis, relinquatis; quid enim cauſa eſt, cur non optima res ſit, uxor pudica, cuſtos, adminiſtratrixque domus, liberorum nutrix: quæ & ſanum exhilarare, & ægrum curare, lætis utenti rebus ſocia eſſe, adverſas conſolari poſſit, juventutis nimiam animi naturam coërcere, effœtam ſenectæ auſteritatem temperare? Non ſit ſuave, ex utriſque natum infantem alere, ac educare, imaginem corporis, animique ſui, ut in eo adoleſcente alter tute naſcaris; non beatiſſimum, vita abeuntem, proprium, ac ex te ipſo editum relinquere, qui in facultates, ac ſtirpem tuam ſuccedat; ac naturæ humanæ ratione diſſolutum, ejus ſucceſſione vivere, neque quod in bello fit, inter alienos verſari, ac protinus ſemel perire. Hæc commoda privatim eos ſequuntur, qui nuptiis, & liberis ſtudent; at vero Reipublicæ, cujus cauſa, etiam contra animi noſtri ſententiam, multa nobis ſunt facienda, qui non ſit, & utile, & neceſſarium (ſiquidem Urbes, & populi durabunt, ac vos aliis imperabitis) multitudinem eſſe hominum, quæ pacis tempore terram colat, quæ navigationes exerceat, quæ artes, & opera tractet, quæ in bello promptior, generis ſui cauſa, ſit ad res tuendas, & ex qua in amiſſorum locum alii poſſint ſubſtitui. Vos itaque, ô viri (ſoli enim vos hoc nomen meremini) atque, ô patres (hæc enim vobis merito communis eſt mecum appellatio) hac de cauſa & amo, & laudo, præmiiſque, quæ conſtitui, vos orno, ac aliis præterea honoribus etiam, magiſtratibuſque decorabo: ut & vos magnos inde fructus percipiatis, & non minora veſtris liberis bona relinquatis. Nunc vero ad reliquos deſcendam, qui, ut omnia veſtris factis diſſimilia agere, ita diverſa quoque omnia habebunt; ut non verbis modo, ſed & re ipſa magis adhuc intelligatis, quanto iis vos præſtetis.*

Dein à patribus, maritiſque ad cælibes digreſſus Auguſtus, eos in hanc ſententiam compellaſſe fertur: *Miro modo veſtrum cauſa affectus ſum, ô vos, quos neſcio quo nomine compellem, virorumne? At virile nihil exhibetis: Civium? At quantum in vobis ejus ſitum eſt, Civitas perit: Romanorum? Atqui hoc nomen deſtruere intenditis. Quicumque vero tandem eſtis, aut quocumque nomine vos appellari avetis, inuſitata, inquam, res mihi accidit; ſolitus enim nihil non ſemper agere, quo magnam veſtrum efficerem multitudinem, nunc ad vos verba facturus, ægre fero, tantam eſſe veſtrum copiam, maluiſſemque, tot illi potius eſſent alii, quos prius ſum allocutus, vos autem aut cum iſtis fuiſſe, aut omnino mihi non viſos, qui nulla neque Deum providentiæ, nec majorum curæ veſtrorum habita ratione, omne veſtrum genus abolere, ac vere morti obnoxium efficere, omne nomen Romanum perdere, ac finem ei imponere in animos veſtros induxiſtis. Quod enim generis humani ſemen relinquetur, ſi factum veſtrum omnes alii populi imitentur? Cujus cum initium apud vos ſit, jure univerſalis interitus culpam ſubſtinebitis. Quod ſi nemo exemplum veſtrum ſequetur, optimo jure, hanc ipſam ob cauſam, odio omnibus eritis, cum ea negligatis, quæ nemo alius; & eas leges feratis, ea ſtudia introducatis, quæ ſi imitari velint univerſi, in perniciem incidant; ſin odio habeant, vos damnent. Neque enim quia non omnes homines latrocinia, aut ſacrilegia (aliave flagitia) perpetrant, ideo in his deprehenſis parcitur. Quin imo pœnam luere coguntur ob hoc ipſum, quod ſoli, aut cum paucis ea egerint, quæ nemo alius. Quam-* 9

quam ſi quis omnia maxima flagitia enumeret, nec ſingula quidem, ſed univerſa cum eo, quod nunc tractatis, componat; tamen ea omnia magnitudinem veſtri non adæquent. Nam & homicidium eſt, quod facitis, qui eos ne gignitis quidem, quos naſci ex vobis conveniebat: impietatis vos obligatis, qui nomina, ac honores majorum ceſſare cogitis: ſacrilegium committitis, qui genera veſtra à Diis immortalibus monſtrata aboletis: maximumque donariorum iis ſacrorum, humanam naturam peſſundatis, eoque templa eorum, araſque evertitis; quin etiam Civitatem diſſolvitis, legibus non obtemperantes: proditis patriam veſtram, ſterilem eam, atque infœcundam reddentes; imo vero funditus eam demolimini, dum habitatoribus eam orbatis, neque enim Civitas domibus, porticibus, aut foris, hominum Manibus, ſed viris conſtat. Conſiderate vero, an non ſummam iram jure Romulus Auctor noſter concepturus ſit, ſi ſuos natales cum veſtro inſtituto conferat, qui ne legitimis quidem nuptiis prolem generare vultis? Quid eos, qui cum eo fuerunt, Romanos? Si expendant, ſe alienas virgines rapuiſſe; vos ne veſtras quidem amare: ſe bello prolem quæſiſſe; vos neque ex civibus velle? Quid Curtium, qui mortem pertulit, ne nuptiis ſui ſpoliarentur? Quid Herſiliam, quæ filiam ſuam ſequuta, nuptiales vobis ritus oſtendit? Enim verò patres noſtri, & bellum contra Sabinos pro nuptiis geſſerunt & pacem compoſuerunt, ipſis eas mulieribus, ac natis in gratiam invicem reponentibus, jureque jurando, & fœderibus eas ſtabiliverunt; vos hæc omnia confunditis Quam ob rem? Ut ſcilicet cælibes ſitis, exemplo Veſtalium virginum; Ergo, ſi pudicitiam non ſervaveritis itidem ut illæ, ſupplicio afficiendi. Atqui ſatis compertum habeo, acerbum vobis meum, aſperumque ſermonem videri. ſed primum cogitandum vobis eſt, à medicis quoque permultos, quando aliter nequeant, urendo ſanari, deinde me non libenter hanc ad vos orationem habere, qui id ipſum quoque crimen vobis objiciam, quod in hæc verba me provexeritis. Quod ſi verba mea moleſta ſunt vobis, nolite ea agere, ob quæ neceſſario male ſit vobis audiendum. Si enim vos mea dicta mordent, quanto magis me & reliquos Romanos facta veſtra? Ergo ſi vere ea vos lædunt, pœnitentiam agite, ut laudandos vos, & gratias agendas habeam, quem natura, haud quaquam difficili, præditum, omnia, quæ bonum legumlatorem decebant, conſtituiſſe, ipſi quoque noſtis, & quidem nec, ante me, cuiquam permiſſum erat, conjugium, ac ſobolem negligere: cum initio ſub primam Reipublicæ conſtitutionem de ea re diligenter legibus ſit cautum, multaque inde de eadem Senatus, Populuſque ſtatuerit, quæ recenſere ſupervacaneum eſſet. Ego autem mulctam non obedientibus adauxi, ut ejus metu in officio continerentur; præmia autem obtemperantibus tot, ac tanta, quanta nulli virtuti præterea eſſent propoſita, conſtitui, ut ſi nihil aliud, ea ſaltem ad conjugia, & liberorum procreationem vos excitarent; vos autem neque præmia appetentes, nec pœnam timentes, omnibus his ſpretis, ac quaſi in nulla viventes Civitate, conculcatis: expeditam iſtam, ac liberam vitam extra matrimonium, & ſine ſobole, prætuliſſe vos dicitis, cum interim latronibus, ac immaniſſimis belluis nihilo præſtetis; neque enim adeo ſolitudo vos vivendi capit, ut abſque mulieribus degatis, ac non quilibet veſtrum menſæ, ac lecti ſociam habeat; ſed licentiam libidini, ac laſciviæ veſtræ exercendæ quæritis. At ergo teneras adhuc puellas, & viris immaturas, ut ambiretis, vobis permiſi, ut, cum ſponſorum propediem nuptias celebraturorum, nomen ferretis, eo magis rem familiarem curaretis: libertinarum quoque matrimonia iis, qui patritii non eſſent, conceſſi: ut ſi quem eo amor, aut conſuetudo impelleret, lege id facere poſſet, neque feſtinare vos quicquam coëgi, primum triennio, deinde biennio ad parandum rem dato atqui neque minando, neque hortando, neque differendo, neque orando quicquam profeci. Ipſi videtis, quam multo plures mariti vos ſitis; cum debueritis totidem, imo vero multiplices veſtrum jam liberos nobis dediſſe. Qua enim alia ratione genera conſtabunt? Qua Reſpublica conſervabitur, neque uxores ducentibus vobis, neque prolem creantibus: niſi forte expectatis dum, quod in fabulis fertur, ex terra aliqui exiſtant, qui res veſtras, publicamque excipiant. Nefas vero ſit, vos, noſtro genere, ac nomine Romano extincto, alienigenis hominibus, Græcis barbariſve Urbem tradere: an in hoc potiſſimum mancipia libertate donabimus, ut quamplurimi ex iis cives fiant: ſociis Civitatem communicabimus, ut ea frequentior ſit: vos autem ipſi, à prima origine Romani, Quintos, Valerios, Julios enumerantes, cum vobis ſimul & gentes, & nomina abolere in animo habetis? Verecundia profecto moveor, quod hæc mihi dicenda ſunt, quæ vos facitis. Ea propter inſaniæ modum ponite, ac jam nunc reputate demum, fieri nullo modo poſſe, ut, cum multi identidem morbis, ac bellis abſumantur, ſalva Urbs eſſe queat, niſi multitudo ejus ſubinde, aliis natis, expleatur, ac ne quis putet, ignorare me, eſſe quædam etiam in matrimonio, & liberorum procreatione, difficilia, ac moleſta: ſed hoc cogitate, cum nullum bonum habeamus, cui non aliquid acerbi admixtum ſit, tum plurimus, & optimis bonis adnata eſſe plurima etiam, ac maxime triſtia; quæ, ſi declinare velitis, ne bona quidem appetenda vobis erunt, quando ad virtutem, ac voluptatem nullam ſinceram perveniri poteſt, niſi in ea paranda, obtinenda, ac ſervanda labor impendatur. Quæ ſingula prolixe referre quorſum attinet? Quia ſi etiam in conjugio, & ſuſcipienda prole quædam ſunt moleſta, meliora cum iis conferte potius, eaque plura, & magis neceſſaria invenietis: quippe præter ea commoda, quæ res iſta, ſuapte natura, ſecum fert, ipſa etiam legibus propoſita præmia quorum vel exigua pars ad mortem ſubeundam aliquos pellicit, utique ad parendum mihi omnes adducere debent; turpe enim profecto ſit, eorum cauſa, propter quæ alii vitam ſuam concedunt vos nolle mulieres ducere, ac liberos alere. De his ego vobiſcum, ô cives (jam enim vos perſuaſos, velle civium nomen retinere, ac virorum, patrumque cognomen accipere, confido) ita expoſtulandum dixi; illibenter quidem, ſed neceſſario; nec ut inimicus, nec qui odio vos, ſed qui amore proſequerer, cuperemque veſtrum ſimiles multos acquirere: ut Penates legitimos habitantes, domoſque plenas progeniei habentes, cum conjugibus, liberiſque ad eos accedamus: æquatiſque inter nos iis, quæ in publicum conferunt, ac inde fructus percipiuntur, converſemur. Quomodo enim ego præeſſe vobis recte poſſim, ſi ſemper diminutionem de vobis aliquam fieri patiar? Quomodo pater amplius veſter jure dicar, ſi vos nullam prolem educetis? Quare ſi vere me diligitis, ac nomen mihi patris non adulationis, ſed honoris gratia dediſtis, date operam, ut mariti, patreſque fiatis, quo & ipſi participes ejus reddamini, & ego merito id geram.

CAPUT VI.

De ſupplendi ærarii cura, quæ cauſa altera noſtrarum legum; & earum odio, & favore.

ARGUMENTUM.

Poſterior cauſa legum noſtrarum, quæ fuit ærarii exhauſti repletio, commendata modice In pecunia robur patrimoniorum; in tributis nervi Reipublicæ Ulpianus, Conſtantinuſque *illuſtrati. Ex utriuſque noſtrarum legum cauſa veluti fonte favor, odiumque ipſarum legum quaſi deducta. Favor in primis præter vulgi mentem, ex priore fine frequentiæ ſobolis, & nuptiarum. Expenſa lex, hoc modo 62. D. de condit. & demonſtrat. Odium item ex poſteriori fine ærarii repletionis, cui adjunctæ delatorum calumniæ, civiumque querimoniæ, & invidia. Juſtiniani in ea re loci adornati.*

1 SEd de prima, ac primaria legum noſtrarum cauſa ſatis: jam vero quod ad alterum earum finem attinet, qui fuit ærarii exhauſti repletio, paucis præmoneo, publicarum opum, ſive ut apertius dicam, ærarii, Fiſcive intra modum, modiſque honeſtis quæſitam affluentiam, rem eſſe in primis utilem, neceſſariamque ſecuritati Imperii firmandæ: & quidem in pecunia robur omne patrimoniorum veteres

veteres poſuiſſe, Conſtantinus alibi ſcripſit *in l. quæ tuteres 22. in fine Cod. de adminiſtrat. tutor.* ſcite Demoſthenes *Olynth.* 2. *Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστὶ γενέσθαι τῶν δεόντων, opus ſunt opes, at ſine iis nihil fiet, quod opus.* Artemidor. *lib.* 1. *Oneirocrit. cap.* 18. Sed de illarum in privatis negotiis uſu nonquærimus; in Republica vero audiamus, quæſo, poſt Ariſtotel. *lib.* 1. *Politicor. cap.* 7. in fine, Byzantinum Principem, Leonem, cognomento Philoſophum *Novell.* 52. ut tam veterum Principum, quam recentiorum numiſmata. *Si pecuniarum*, inquit, *nervi, ſufficiens, & copioſa illarum materia eſt, remque publicam illarum vis ſtabilit, recte profecto veteres earum defectum, velut morbum, quem, ad tabem inde profugerunt, dum omne genus numiſmatis, etſi ad veteres, & priſcos Principes referretur, ſimiliter valere voluerunt.* Audiamus & Mutianum, callidum Veſpaſiani amicum, qui cum multa in ærarium ſæpe referret, & undequaque pecuniam colligeret, *νεῦρα τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματα ἀεί ποτε εἶναι ἔλεγε. Nervos Imperii pecuniam eſſe, ſemper dicebat*, ſive, ut Cicero pro lege Manilia, *ornamenta pacis, & ſubſidia belli.* Quam & ob cauſam in tributis nervos eſſe Reipublicæ, Ulpianus docuit *in l.* 1. *§. In cauſa D. de quæſtion.* juncta *lege* 2. *Cod. de exactor. tribut. lib.* 10. *l.* 1. *C. de condict. ex lege*, idque ex Demoſthene, Æſchine, Euſtachio, Laërtio, Plutarcho, Floro, & aliis, illuſtrat alibi magnus Cujacius.

2 Mihi Juſtini iſta ſufficiunt, *Novell.* 149. ut Dei amantiſſimi Epiſcopi *cap.* 2. *Impoſſibile enim eſt*, inquit, *ut ſacris tributis non illatis, aliqui Reſpublica conſervetur. Militares namque copiæ aſſignato ſibi ſalario inde percepto, hoſtibus reſiſtunt, & collatores à Barbarorum incurſionibus, & truculentia vindicant: denique agros, atque Civitates à latronum, alioque modo incompoſitam vitam ſectantium vi, & irruptionibus, agendis excubiis, defendunt: ex illis etiam reliquæ cohortes ea, quæ ipſis attributa ſunt, accipiunt: muri, atque Civitates indidem inſtaurantur: publicarum balnearum hinc calefactiones procedunt; poſtremo ſpectacula, aliaque omnia, quæ ad delectationem ſubditorum inventa ſunt, ex iiſdem curantur; ut quæ ab illis contribuuntur, partim in ipſos, partim propter ipſos inſumantur, & impendantur.* Expreſſit hæc eadem, ad verbum fere, Tiberius, Juſtini junioris Succeſſor, in *Novell.* 161. *de Provinciarum Præſidibus cap.* 2. & confirmat eleganter Tacitus 13. *Annal. Eodem anno*, inquit, *crebris populi flagitationibus, immodeſtiam publicanorum arguentis, dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum ejus, multum prius laudata magnanimitate; attinuere Senatores, diſſolutionem Imperii docendo, ſi fructus, quibus Reſpublica ſuſtineretur, diminuerentur.* Eadem mente apud eumdem *lib.* 4. *Hiſtor.* Petilius Cerialis in *Oratione* ad Treveros, & Lingonas: *Nos*, inquit, *quamquam toties laceſſiti, jure victoriæ id ſolum vobis addidimus, quo pacem tueremur; nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Plinius in Panegyrico ad Trajanum: *Oneræ Imperii pleraque vectigalia inſtitui, ut pro utilitate communi ita ſingulorum injuriis coegerunt.* Et, ut Prudentius in *Periſtephano Hymno* 3. *Laurentii Martyris.*

Hoc poſcit uſus publicus,
Hoc Fiſcus, hoc ærarium,
Ut dedita ſtipendiis
Ducem juvet pecunia.

Sed in his, aliiſque ejuſdem notæ teſtimoniis colligendis, quæ plura ſane, & pluribus occurrent, non immoror, ne vel in obvio, communique, ut dicitur, loco, Politicum potius, quam Juriſconſultum agere videar, aut aſſentandi vitio, cujus cauſas procul habeo, Fiſci locupletandi, & tributi indicendi, velut colores ſuppeditare Principibus, quibus, ut belle quondam Panegyriſtes: *Nunquam defuerunt qui fronte gravi, & triſti ſupercilio, utilitatibus Fiſci contumaciter adeſſent, & cum eſſent ipſi ſua ſponte avidi, & rapaces, & qui magiſtris non egerent, plura tamen ſemper à nobis, contra nos, didicerunt.*

Illud ad rem præſentem, & utriuſque legum noſtrarum cauſæ vim aperiendam animadvertimus, 3
adeo ex cauſarum varietate ipſarum etiam legum ſententiam, variis interpretationibus in contraria diſtractam, ut quemadmodum ob priorem illam, quæ matrimonium, & ſobolis frequentiam reſpexit, valde favorabiles fuerint, ita odioſæ non minus ob poſteriorem hanc, quæ pœnis cælibum, orborumque Fiſcum locupletabat. Scio, primum illud, quod poſui, præter vulgarium interpretum mentem eſſe, qui leges noſtras tanquam odioſas paſſim, atque indiſtincte coërcent, quales multi in Olani *Paralipomenis lib.* 3. *cap.* 3. *ex num.* 2. cum, è contra utiliſſimas Reipublicæ, ac perniciosiſſimo exemplo ſublatas à Chriſtianis Cæſaribus, cenſeat Politico, an Hæretico, contra Chriſtianum cælibatum ſpiritu, Joannes Bodinus *lib.* 6. *de Republica cap.* 2. reprehenſus à Dominico Arumæo *tom.* 1. *de jure publ. in diſcurſu Antibodiniano corollario* 8.

Sed tamen lucem noſtræ aſſertioni dat, & debet 4
Terentius Clemens *lib.* 5 *ad legem Juliam, & Papiam in l. hoc modo* 64. *D. de condit. & demonſt.* dum ad priorem legum noſtrarum cauſam alludit, ibi: *Legem enim utilem Reipublicæ, ſobolis ſcilicet procreandæ cauſa latam, adjuvandam interpretatione.* Et eadem omnino mente Anonymus Panegyrici Auctor Maximiano, & Conſtantino dicti, leges noſtras indigetat: *Fundamenta Reipublicæ, quia ſeminarium juventutis, & quaſi fontem humani corporis, Romanis exercitibus miniſtrarunt.* Junge apposita ad rem verba Hadriani *l. cum ratio* 7. *§. Si plures D. de bon. damnat. Favorabilem apud me cauſam liberorum Albini, filiorum numerus facit.* E contrario poſteriorem ob cauſam, publice odioſam fuiſſe noſtrarum legum obſervationem vulgo non ignoratur, utpote cum caducis, ereptitiiſque bonis Fiſco delatis, præmiiſque delatoribus propoſitis, & illum cum privatorum damno ditarent, iſtis viam ad graſſandum in aliorum fortunas velut ſternerent, *à queis omnes domus ſubvertebantur, creſcente in dies multitudine periclitantium, utque antehac flagitiis, ita nunc legibus laborabatur, cum altius etiam penetrarent, Urbemque, & Italiam, & quod uſquam civium corriperent, multorumque exciſi ſtatus, & terror omnibus intentabatur*, ut verbis utar Taciti 3. *Annal.* quibus non diſſimilia Plinius in *Panegyrica.*

Itaque evenit hic Romanis Principibus quod om- 5
nibus fere in hac re, ut legibus ad augendum ærarium latis, excirent civium gemitus, ploratus, monſtra quædam non hominis, ſed feræ, neſcio cujus, immanis, ut exclamat alibi Cicero 5. *ad Atticum Epiſt.* 16. ſive, ut apposite magis Tacitus 3. *Hiſtoriar. pecuniis acerbe conquirendis plus invidiæ ſibi, quam virium adderent.* Nec ſine cauſa Populus Romanus harum legum abrogationem ſæpe, ac pertinaciter poſtulavit, ut memorant Sueton. *in Auguſto cap.* 34. Dio *lib.* 56. in principio. Et varie à poſterioribus Cæſaribus carptas, correctaſque, earumque invidioſum vigorem quoad caducorum obſervationem, Juris, & æquitatis Conſultis diſplicuiſſe, & teſtamentorum conditoribus graviſſimum viſum fuiſſe, multas excogitantibus vias, per quas caduca non fierent, his fere verbis Juſtinianus teſtatur in principio *l. unicæ, Cod. de caducis toll.* Queis ſimilia fere idem in *l.* 2. *§. Quintus in fine, Cod. de veteri Jure enucl.* Nec diſſimilia ante eum Cæſares in *l.* 1. *Cod. de infir. pœn. cælib. l.* 2. *Cod. de jure liberor.* Et Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores, ſacro cælibatui, & virginitati faventes, eoque reſpectu vocantes Juliam, Papiamque legem *ἀνήμερον duram, crudelemve*, ut Euſebius 4. *de vita Conſtantini cap.* 26. & *ἄτοπον*, ſive abſurdam. Ut Nicephor. 7. *Eccleſiaſt. Hiſt. cap.* 46. & ante eos, *vaniſſimas Papias leges*, Tertullianus *in Apologetico cap.* 4. Nos iſta nunc legum noſtrarum clauſtra, reſeraſſe contenti, exemplis non firmamus, quæ de nuptiarum, proliſque favore, & caducorum odio crebra in legibus, libriſque noſtris, & ſuis ſingula locis tempeſtivius ſuggeremus.

A D
LEGEM JULIAM
DE
VICESIMA HÆREDITATUM.
LIBER EXCURSUS.

CAPUT VII.

De origine, & auctore Juliæ legis de viceſima, & primario ejus capite, aut cautione.

A R G U M E N T U M.

JUliæ legis ferendæ de viceſima hæreditatum occaſio ex anguſtiis militaris ærarii. Diſtinctio ejus, & in pluribus conſenſio cum Julia, Papiaque noſtris. Auctor viceſimariæ idem Auguſtus, quatuor circiter ante Papiam annis. Diverſa hæc hæreditatum ab aliis viceſimis: ejuſdemque, & aliarum in noſtris, aliiſque Scriptoribus mentio. Quænam viceſima manumiſſorum. Arriani lectio defenſa: & expoſitus Pomponius in l. 2. *§. Ab hoc* 44. D. de orig. Jur. Oſiliii J. C. ætas. *Primarium caput legis Juliæ propoſitum. An imitabile hodie id vectigal, diſquiſitum modice cum Politicis:* Æmilius Macer *Juriſconſultus, Juliæ viceſimæ illuſtrator, quo ævo floruerit.*

1 FUit vero, ut corollarii, neque inutili, ut ſpero, neque injucundo, Commentarii noſtri munus adornem, quo leges noſtræ latæ ſunt tempore, non minor ærarii ſupplendi, quam Civitatis neceſſitas: exhauſta nimis utraque bellis civilibus, & cum Auguſtus quicquid ubique militum eſſet, ad certam ſtipendiorum, præmiorumque formulam adſtrinxiſſet, definitis pro gradu cujuſque, & temporibus militiæ, & commodis miſſionum, neque perpetuo, ac ſine difficultate ſumptus ſuppeterent ad tuendas, ſeu proſequendas viginti quinque Legiones, quas ordinarias eo tempore fuiſſe, vel ex Tacito notum *lib.* 4. *Annal.* Dione *lib.* 55. militare ærarium cum vectigalibus novis inſtituit, teſte Suetonio in *Auguſto cap.* 49. Huic tuendo inter alia, cum de perpetuo quodam reditu conſtituendo ſæpius tractatum eſſet, tandem viceſima hæreditatum, ac legatorum ſtabilita, lata in eam rem ab Auguſto Julia lege de viceſima, quæ, quoniam Juliæ, Papiæque noſtris coæva, fine, argumentoque ſimillima, & in quibuſdam capitibus mire conſentiens (unde & illam cum Julia, Papiaque Zaſius, Goveanus, Godelevæus, Stephanus Forcatulus *dialog.* 22. Charondas, Forſterus, Corraſius, & cum his Pragmatici noſtrates, aliique confundunt) noſtram etiam ſuo veluti jure opellam deſiderat.

2 Lata Julia lex de viceſima ab Auguſto, quatuor circiter ante legem Papiam annis, M. Aemilio Lepido, & L. Arruntio Nepote Conſulibus, anno ab U. C. 757. Locuples rei teſtis Dio Caſſius *lib.* 55. in *actis ejuſce anni*, ubi poſt multa, quæ militari ærario ſupplendo, & viceſimæ ſuadendæ reperta memorat, *Inſtituit, ut vigeſima pars hæreditatum, ac legatorum, exceptis iis; quæ proxime genere junctis, ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, in ærarium militare inferrentur, quaſi ſcriptum in Cæſaris commentariis id penſionis genus repeririſſet.* Hæc viceſima hæreditatum, legatorumque, cujus diſerta mentio in *l. ult. C. de edicto Divi Hadriani tollendo*, & apud Plinium in Panegyrico ad Trajanum, & *lib.* 7. *Epiſt.* 14. *ad Corelliam*, Capitolinum in *M. Antonio*, Lampridium in *Heliogabalo*, atque in veteribus lapidibus, & inſcriptionibus quorundam capitum in Pandectis ex Æmilii Macri libris εἰκοστῶν, ſive ad legem viceſimam hæreditatum, de queis poſtea. Diverſa certe ab hac, nec temere cum illa miſcenda alia vectigalia, quibus nomen viceſimæ datum in legibus, libriſque priſcis. Talis viceſima proventuum, quam Piſiſtratus, ejuſque filii tyrannidem exercentes, ab Athenienſibus exigebant, teſte Thucydide *lib.* 6. *belli Peloponneſ.* & Athenienſes ipſi a maritimis populis ſubjectis, ut idem memorat *lib.* 7. de qua forſitan Ariſtophanes loquitur in ranis, Δωροδοκοῦσιν εἰκοστολόγος κακοδαίμων hoc eſt, ut Scholiaſtes ejuſdem explicat εἰκοστολόγος αὐτοῖς εἰκοστὰ ἐν τῇ κρίσει συνάγων, viceſimarius viceſimas in judicio colligens. Talis apud Romanos viceſima portorii, qualem Syracuſis ſolutam indicat Cicero *act.* 4. *in Verrem*, viceſima frumenti, quam Hiſpani noſtri Romanis vendere cogebantur, ſic tamen ne frumenti æſtimationem Magiſtratus Romanus haberet, neve quanti ipſe vellet; quod ſaluberrimo Senatuſconſulto cautum ſcribit Livius *lib.* 43. vini, & lardi viceſima, cujus meminit *l. modios* 9. *C. de ſuſcept. lib.* 11. Alia denique, ac celebrior viceſima depenſa à Dominis ex pretio eorum, quos manumitterent, & introducta primum à Cajo Manlio, lege in Caſtris ad Sutrium lata; *Quam Senatus probavit, quia non parvum ea lege vectigal inopi ærario addebatur*, verba hæc Livii *lib.* 7. Ab iſta viceſimarium aurum, quod in *ſanctiore ærario ſervatum* ait Livius *lib.* 27. eruditiores dictum volunt. De eadem Cicero *lib.* 2. *ad Atticum epiſt.* 31. *Eo magis quod portoriis Italiæ ſublatis, agro Campano diviſo, quod vectigal domeſticum ſupereſt præter viceſimam? Quæ mihi videtur una conciuncula, & clamore pediſſequorum noſtrorum, eſſe peritura.* Arrian. *lib.* 2. *diſſert.* Epicteti *cap.* 1. ubi in hanc ſententiam: *Quando quis ſervum ſuum apud Prætorem verterit, num iſta vertigine nihil effecit? Enimvero fecit aliquid. Quidnam? Nempe ſervum vertit apud Prætorem. Num quid aliud? Nihil aliud, ſed & viceſimam ſervi dependere neceſſe ei eſt.* εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει. Similia de ſervo manumitti cupiente, Arrianus idem *lib.* 3. *cap.* 26. in quo, pro εἰκοστωναῖς, reponit εἰκοστώναις magnus Lipſius, ex veteribus gloſſis, quibus εἰκοστώνης ὁ τὰς εἰκοστὰς ἀπαιτῶν *viceſimarius viceſimas exigens*, mihi εἰκοστωναῖς haud diſplicitum pro redemptoribus viceſimæ, quos proprie εἰκοστὰς ὠνησαμένους diceremus, ſicut δημοσιώνας, τελώνας ac ſimilia.

Illuſtrandus

Illuſtrandus ex his Pomponii locus in *l.* 2. §. *Ab hoc* 44. *D. de orig. Jur.* ubi quod proditum, Aulum Offilium de legibus viceſimæ primum conſcripſiſſe, referendum, me quoque judice, ad legem Manliam de viceſima manumiſſorum, & ſi quæ aliæ antiquiores, namque ut de lege viceſima hæreditatum Offilius ſcripſerit (quod diligenti alioquin Juriſconſultorum Chronologo Bertrando *de vitis Juriſconſultorum* in *Offilio*, & ante eum Gril. Fornerio ad *l. mille* 154. *D. de verbor. ſignific.* & aliis creditum) vix probabile, quam nec fortaſſe vidit Offilius, cum eſſet inter celebres Romæ Juriſconſultos, Servii Sulpicii coætaneus, bello Gallico Cæſaris incipiente, ut colligere eſt ex Cicerone *libro* 7. *familiarium epiſtolarum epiſt.* 22. atque ita, ut in animum inducimus, provectæ jam ætatis, ſexaginta circiter annis ante legem de viceſima hæreditatum, quæ lata, ut diximus, Auguſto jam ſeniore, ab U. C. 757. nec veriſimile, tam diu vixiſſe, præſertim cum ejus, inter longioris vitæ exempla, non meminerit Plinius *lib.* 7. *natur. hiſtor. cap.* 48. ubi Clodiam Offilii uxorem in ea re nominat.

3 Sed de origine viceſimæ legis hæreditatum hactenus; jam vero ejuſdem capita, & quæ, exponendis illis, veterum Juriſconſultorum teſtimonia occurrunt, perluſtremus, oportet. Inter quæ primum fuit, potiſſimumque illud, cujus ex Dione meminimus, ſcilicet, *ut quæ hæreditates, legatave, aut mortis cauſa donationes* (has enim, etiam vox τῶν δωρεῶν complectitur, quæ apud Dionem *dict. lib.* 55.) *extraneis, aut locupletibus obvenirent, earum pars viceſima militari ærario inferretur.* Vectigal certe non tantum neceſſarium, ut Paulus noſter vocat *lib.* 4. *ſentent. tit.* 6. §. *ult.* ſed etiam tolerabile hæredibus, ſaltem extraneis, ut cenſet Plinius *in Panegyrico*, atque imitabile noſtro etiam ſæculo, ut videtur novioribus Politicis Sturmio, Lipſio, Bodino, & aliis apud Beſoldum *tom.* 2. *Politic.* diſcurſu *de ærario cap.* 4. *ſect.* 14. *num.* 2. Gaſp. Klockium *de contributionib. cap.* 1. *num.* 123. Quis tam promptum, obviumque hoc, neque grave etiam pendentibus, cum lætitia inſperatæ obventionis leniat, minuatve ſenſum inferendi, neglectum uſque adhuc mirantur. Quin & hodie Venetiis vigere audivimus, & Peruſii, ubi ex legatis gabellam ſolvi, ad rationem ſex denariorum pro libra æſtimationis legati, ſcripſit Angelus Peruſinus in *l. omnium* 29. *de uſufruct.* & de Mantuano, Parmenſi, aliiſque Italiæ Urbium Statutis, quoad Gabellam hanc ex legatis, meminere Baldus, Caſtrenſis, Decius, & reliqui in *l. ult. Cod. de edicto D. Hadriani toll.* iidemque, & Angelus, Imola, Cumanus, Jaſo in *l. in ſuis* 11. *D. de lib. & poſth.* Caſtrenſis, Alexanderque in *l. hæreditatum* 68. *D. ad leg. Falc.* Et ex novioribus Cyriacus Niger *lib.* 1. *controv. cap.* 94. *&* 97. *ac ſeqq.* Argell. & alii Practici, quos nunc ſeponimus, & ſimile apud Turcas, qui decimam bonorum defuncti partem, ad exercituum alimenta, Imperatori ſuo ſolvunt, ut teſtatur Calchondilas *de rebus Turcicis lib.* 8. Sane cum tam multa alia tributa excogitentur, odioſa magis, fructuoſa minus, viceſimam hanc ſubſtitui è Republica videri poſſit, quamquam non ignoretur durum illud, & inhumanum habere, quod ad ejus deductionem, & æſtimationem hæreditatis, neceſſe ſit publicatione, ac pompa rerum familiarum, aut paupertatis detegi vilitatem, aut invidiæ exponere divitias, ut re ſimili Cæſares in *l.* 2. *Cod. quando, & quibus quarta pars debeatur lib.* 10. & injuſtius vectigalibus aliis viſum ſit Quintiliano *declam.* 341. *Quia & injuſtius*, inquit, *illud, quo partem hæreditatis ſibi vindicat?* Sed de his alii viderint; ac tu videſis noſtrum ſemper cultu, & affectu, & magni pro merito nominis, D. Joannem Solorzanum *Emblemate* 87. *ex num.* 22. *& ſeqq.* ubi, & acerbe vectigalium hoc genus damnat, & Noſtri in hiſce Commentariis amice meminit. Nos interim, quæ huc pertinent, veterum prudentum loca explicemus, atque in primis Æmilii Macri, quem, poſt Severum, Alexandri temporibus floruiſſe, diſcimus ex *l. ſi minor* 61. *D. de adquir. hæred. l. un. D. ſi pendente appell.* tametſi forſan Paulo, Ulpianoque annis inferiorem, quos laudat in *l. ſciendum* 15. §. 1. *D. qui ſatiſd. cog. l. hæreditatum* 68. *D. ad legem Falcid. l.* 1. *D. de veteranor. & militum ſucceſſ.* Denique & ſcripſiſſe εἰκοστῶν βιβλία δύο, ut inſcribuntur in Pandectarum Indice, ſive ad legem viceſimam hæreditatum libros duos, ut alibi in eiſdem legimus, & animadvertit jam pridem clarum illud Hiſpaniæ noſtræ decus, Antonius Auguſtinus.

CAPUT VIII.

Ad Æmilium Macrum in l. nulli 13. D. de tranſactionibus.

ARGUMENTUM.

Exponuntur deinceps loci, qui in Juſtinianeo Jure ad primum caput Juliæ de Viceſima pertinent. Ad leg. nulli 13. D. de tranſactionib. *Accurſianorum intellectus. Tranſactio in prædiis minorum, & Eccleſiarum, & in bonis majoratus Hiſpani; & ſimilibus, quando, & quatenus licita. Refutatus is intellectus ad d.* L. nulli 13. *eaque expoſita de viceſima, de qua Procuratori Cæſaris tranſigere non licet, inconſulto Principe. An & idem circa tranſactionem in Procuratoribus privatorum. Notata in ea re Fabri oſcitantia. Expoſitus Hermogenianus, & illuſtratus ex Baſilicis: Adminiſtratorum Univerſitatum, item Tutorum, Curatorumque plenius in tranſigendo jus, & quare. Expenſa, & explanata* Lex cum hi 8. §. Tranſactiones 18. D. de tranſactionib. *Nodus alter in d.* L. nulli 13. *quem Balduinus vix diſſolvit. Militaris ærarii cura Romæ primum apud Prætorios, ſeu Conſulares, deinde apud Præfectos: variatum item in cura ærarii Saturni. In Provinciis Viceſima interdum Publicanis locata; qui Promagiſtri XX. hæreditatum, ſæpe exacta à Procuratoribus hæreditatum. Quinam hi: & illuſtrata inſcriptio* L. 1. Cod. de uſuris rei judic. *Simulque libri, & lapides priſci; præter mentem Pancirolæ, & aliorum. Relata diſputatio ad forenſem uſum. Suſceptores Regiorum vectigalium, ſupremique eorumdem Curatores, an & quatenus poſſint tranſigere. Quando item Conductores, & alii; qui ſuo periculo exigunt. Expenſæ, & adornatæ Regiæ leges.*

1 Occurrit autem prima ex his libris in Juſtiniani Pandectis, *lex nulli* 13. *D. de tranſactionibus*, ubi ſic ſcriptum; *Nulli Procuratorum Principis, inconſulto Principe, tranſigere licet.* Hoc ita, poſt Accurſium, Bartholus, & antiquiores alii accipiunt, ut non liceat Procuratoribus Cæſaris, inconſulto Cæſare, tranſigere, ſi tranſigendo ejuſdem rem alienent, alioquin ea retenta, & pecunia viciſſim data, tranſactio rata erit, etiam ſine permiſſu Principis, in eamque rem Accurſius utitur minoris exemplo, cujus prædia, quamvis nec tranſactionis ratione diſtrahi ſine decreto poſſint, *l. non ſolum* 4. *Cod. de præd. & aliis reb. minorum. l. ſi pro fundo* 33. *C. de tranſact.* valebit tamen tranſactio, etiam ſine decreto, non tantum ſi de mobili re fiat à tutore, ac decidendi potius cauſa, quam diminuendi. *l. Lucius* 46. §. *ult. D. de adminiſtr. tutor. l. pactum* 22. *Cod. de pactis. l. ſi pignore* 54. §. *ult. l. interdum* 56. §. *Qui tutelam D. de furt.* ſed etiam ſi de prædio ruſtico, vel urbano, dum tamen id retineatur, quamvis viciſſim adverſario aliquid detur, ut argumento ex dicta *l. ſi pro fundo* 33. adnotarunt antiquiores ibi, & poſt Accurſium Bartholus in noſtra *l. nulli* 13. Gomeſius 2. *variar. cap.* 14. *num.* 15. Tiraquell. *de retractu lignag.* §. 1. *gloſ.* 14. *num.* 67. *& ſeqq.* Idemque in Prælatis circa Eccleſiarum bona immobilia, docent Pontificii Juris interpretes in *cap. cum tempore* 5. ubi & probatur de arbitris; *& in cap.*

contingit 3. *de tranſactionibus*. Panormitan. *conſil.* 57. & 63. *volum.* 1. Padilla *in l. præſes* 12. *num.* 21. *C. de tranſactionib.* Gratian. *diſcept. forenſ. lib.* 3. *cap.* 476. *num.* 16. & *ſeqq.* D. Valenç. *conſ.* 175. *num.* 15. Quin & in majoratibus Hiſpanis, quorum de bonis, citra Regiam facultatem, nec compromitti poſſe, nec tranſigi magis obtinuit, quia prohibitione alienationis tranſactio, & compromiſſum continetur. *d. l. non ſolum* 4. *Cod. de prædiis minor. cap. cum tempore* 5. *de arbitris*; placuit tamen noſtratibus, utrumque valere, ſi bonis majoratus, de quibus contenditur, retentis, aliud inſuper, litis finiendæ cauſa, adverſario tradatur. Ita ex ſententia Accurſii *in d. l. nulli* 13. *D. de tranſact.* ſtatuit Ludovicus Molina *lib.* 4. *de primog. cap.* 9. *num.* 22. ad quem in Additionibus plures. Gregorius Lopez in *l.* 10. *quæſt.* 45. *tit.* 26. *part.* 4. & ex novioribus, tricennio fere poſt hæc ſcripta viſus, accurate, ut ſolet, & docte D. Alf. Olea *de ceſſione tit.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 46. & *ſeqq.*

2 Sed quamvis traditiones iſtas & Judiciorum uſu invaluiſſe, & Juris noſtri regulis convenire ſciam, vereor tamen, ut Macro interpretando, qui generatim, & indiſtincte negat, licere Procuratoribus tranſigere, inconſulto Principe, & quidem in tributaria re, ſive in viceſima hæreditatum, ad quam inſcripta eſt dicta *l. nulli* 13. excerptaque, ut Epigraphe præ ſe fert, ex *lib.* 1. *Æmilii Macri ad l. viceſimam hæreditatum.* Porro in viceſimam, cum pecuniaria tota ſit, ejuſque major, minorve quantitas variet pro æſtimatione legati, hæreditatiſve huic vectigali obnoxia, cujus idcirco computatio fit. *l. hæreditatum* 68. alias *l. computationum D. ad leg. Falcid.* Non video, qui cadere poſſit diſtinctio illa, an ſcilicet pecunia data, fiſcalia bona, de queis tranſigitur, retineantur, an vero tranſigendo alienentur. Ecquis enim inficias ibit, ſi hæreditatis viceſima ſit quinquaginta, atque à Procuratore Cæſaris, tranſactionis nomine decem dentur, tantumdem ex viceſima minui, quæ jam neque integra viceſima dici poterit, atque hactenus fiſcales res non retineri, ſed alienari; quoniam in pecuniaria quantitate diminutionem ipſo jure fieri ratio admittit. *l. quod dicitur* 5. *D. de impenſis in res dotal. l. ſi is qui ſtichum* 56. §. *ult. D. de jure dot.* Itaque placet magis, Macri ſententiam eam eſſe, ut Cæſaris Procuratoribus, inconſulto Cæſare, non liceat, tranſigere de viceſima hæreditatis, legative, ſi forte controverſia ſit, an debeatur, vel quanta debeatur. Nec ſingulare jus, aut ratio quærenda, qua in hac parte Procuratores Cæſaris diſtinguantur ab aliis privatorum Procuratoribus, in quo Faber poſt Caſtrenſem laborat, ſed incaſſum; quia quemadmodum aliis Procuratoribus ſive ad lites dati ſint, ſive ad bona, tranſigere non licet. *l. ſed ſi tantum* 13. *D. de pactis, l. tranſactionis* 7. *Cod. de tranſact.* ne quidem ſi generale mandatum habeant, quo non continetur tranſactio, decidendi cauſa facta, ut legimus in *l. mandato* 60. *D. de Procuratoribus*; ſemper enim qui tranſigit, diminuit, cum tranſactio non aliter conſtet, niſi dato aliquo, retento, vel promiſſo, *l. tranſactio* 38. *Cod. de tranſact.* non poteſt autem diminuere Procurator, etiam generalis. *l. reſcriptum* 10. §. *ult. l. contra* 28. §. *ult. D. de pactis. l. creditor* 60. §. *Lucius D. mandati. l. Procurator* 63. *D. de Procurator.* ſicut neque tranſigere, ut dixi, niſi vel id ſpecialiter mandato permittatur. *l. nam & novere* 12. *D. de pactis. l. jusjurandum* 17. §. *ultim. D. de jurejur.* aut liberam bonorum acceperit adminiſtrationem. *l. Procurator.* 58. *D. de Procuratorib. l. qua ratione* 9. §. *Nihil D. de acquir. rer. dominio.* Ita ſimiliter Procurator Cæſaris, quamvis generalis ſit Procurator, tranſigere non poteſt, quoniam, ut diligenter gerat, committitur, non ut alienet. *l.* 1. §. 1. *D. de offic. Procurat. Cæſar.*; cujus immemorem Fabrum fuiſſe, non tam moleſte fero, quam miror, dum ſcribit ad *d. l. nulli* 13. non dubitare ſe, quin Procurator Cæſaris alienare poſſit. At de re, multis ex utraque paratura ſcholæ, & fori, poſt hæc ſcripta, Romanus Valeronius *de tranſactionib. tit.* 4. *quæſt.* 5. *ex num.* 59. & *ſeqq.* & eſt in idem ſpecialis *lex Vectigalia* 10. *de publican.* & *vectigal.* ſi Curatorem illic exaudias, de Procuratore Cæſaris, ut in *l. ult. Cod. de quadrien. præſcript.* & quo modo acceperunt Baſilica *lib.* 56. *tit.* 1. in queis pro nomine *Curatoris* legitur τῷ καθολικῷ ſive Fiſci Procuratori. Conducunt *l.* 4. *Cod. de annon. & trib. l.* 3. §. *Illud verſ. providentibus Cod. de Canon. largit. lib.* 10.

3 Nec ad rem magis pertinet exemplum Adminiſtratorum Civitatum, & Magiſtrorum Societatum, quibus tranſigere permittitur, dummodo nihil ambitioſe, ſive fraudulenter remittant. *l. Præſes* 12. *Cod. de tranſact. l. item Magiſtri* 17. *l. Imperatores* 37. *D. de pactis. l.* 4. *D. de decretis ab ordine fact.* ſicut & pupillorum tutoribus, adultorumve curatoribus. *l. Lucius* 46. §. *ult. D. de adminiſtr. tutor. l. pactum* 22. *Cod. de pactis. l. ſi pignore* 54. §. *ult. l. interdum* 56. §. *qui tutelam, D. de furtis*, niſi ruſtica, vel urbana prædia diſtrahant, tranſigendo. *l. non ſolum* 4. *Cod. de prædiis minor. l. ſi pro fundo* 33. *Cod. de tranſactionibus.* His enim, ac ſimilibus alienorum bonorum Adminiſtratoribus, ob imbecillitatem perſonarum, quarum negotia gerunt, quæ nec plerumque facile conſuli, nec ipſæ ſibi ſatis poſſunt conſulere, plenior, liberiorque adminiſtrandi facultas, lege tribuitur, adeo ut & dominorum vice habeantur, dum adminiſtrant. *l. qui fundum* 7. §. *Si tutor D. pro emptor. l. tutor.* 27. *D. de adminiſt. tutor. l. is qui in puteum* 11. §. *An ignoſcitur, D. quod vi, aut clam. l.* 2. *Cod. de quæſt.* quod in Procuratore Cæſaris dici non poteſt, argumento ex *l. quoties* 21. §. *Si tutor. D. de noxalibus*, juncta *l.* 1. *D. de offic. Procurator. Cæſar.* ubi aliter de hac re Accurſiani, & ex noſtratibus noviores ad *l. Præſes* 12. *Cod. de tranſact.* quos non moramur; nam & cenſemus interim de re, dumtaxat ex diſciplina Juris Romani, & ſepoſitis hodiernis moribus, ac legibus.

4 Urget ſane propius quod ſcriptum in *l. cum hi* 8. §. *Tranſactiones* 18. *D. de tranſact.* tranſigi de alimentis poſſe, apud Procuratorem Cæſaris, vel Præfectos ærarii, ſcilicet, ſi alimenta à Fiſco petantur, hoc eſt, ſi Fiſcus alimenta debeat, forte quia in bonis ei oneri obnoxiis ſucceſſit, quamvis alii aliter fingant, ſed id ſic accipiendum, ut tranſactio de alimentis, quæ ſine auctoritate Prætoris, aut Præſidis rata eſſe non ſolet *d. l. cum hi* 8. *in princip.* & §. *arbitratu cum ſeqq. l. de alimentis* 8. *C. de tranſact.* valeat tamen, ſi fiat apud Procuratorem Cæſaris, vel Præfectum ærarii, de alimentis à Fiſco debitis, quoniam inter privatos, & Fiſcum non Prætoris, Præſidiſve, ſed Romæ quidem Præfectorum ærarii juriſdictio eſt. *l. cum quidam* 12. *D. de his quæ ut indignis. l.* 2. §. *Hoc interdictum* 4. *D. ne quid in loco publico.* In Provinciis autem Procuratorum Cæſaris. *l. ne quicquam* 9. *D. de offic. Proconſul. l.* 1. 2. & 5. *Cod. ubi cauſæ Fiſcales. l.* 2. *Cod. ſi adverſus Fiſcum.* Non tamen id eo uſque producendum, ut & tranſigere, inconſulto Principe, poſſint de alimentis; aliud enim tamquam litigatorem tranſigere, aliud pro officio juriſdictionis, auctoritatem tranſigenti accommodare; & incivile, vel abſurdum eſſet, unum, eumdemque, litigatoris, ac judicis partibus defungi, atque in rem ſuam auctorari.

5 Illud in *d. l. nulli* 13. Balduinum, commentatione ad leges, & ad hanc de viceſima, non leviter pupugit, quod Æmilius ſubindicat, viceſimæ curandæ, quærendæ, colligendæ Procuratores præfuiſſe. Et tamen ex Dione ſcimus *lib.* 55. militaris ærarii, in quod viceſima referebatur, curam primum ab Auguſto tribus Prætoriis viris, forte in triennium delectis, mandatam, deinde ab his ad tres ex Conſularibus tranſmiſſam, nam quod Balduinus Prætorios iſtos, ſeu Conſulares, dici etiam potuiſſe Procuratores Cæſaris, ſcribit, in eo largiter ſane peccat. Quippe Procuratorum nomen, & munus, quod vel libertis, vel equitibus mandari ſolitum, & Dio memorat, *lib.* 53. Capitolinus in *Macrino*, Strabo *lib.* 3. & *ult. Geographiæ*, & ad ſummum, ut Tacitus in *Agricola* loquitur, *Equeſtris nobilitas eſt* multum

infra

inſra Prætoriam, aut Conſolarem curam; cenſebit-que ita, ſcio, quiſqois haud imperitus Romani moris, & Jnris. Ego nihil eſt, quod tam facile expedire poſſim, quia quemadmnndum ſub Auguſto, Provinciis, & earum adminiſtrationa, ac vectigalibus inter Senatum, Populumque, ac Cæſarem diviſis, cura publici ærarii Romæ à Quæſtoribua urbanis ad Ædiles primum, deinde ad Prætores, ſive Prætorios, denique ad Præfectos ærarii tranſlata eſt, apud quos tandem ſedit, reſedit uſque ad Conſtantini Magni memoriam: teſtes, ut alios taceam, Tacitus *lib.* 13. *Annal.* Sueton. in *Auguſto cap.* 36. & in *Claudio cap.* 24. A. Gell. *lib.* 13. *noct. Attic. cap.* 22. Dio *lib.* 53. in *Claudio*, Capitolinus in *M. Antonino*, Vopiſcus in *Aureliano*: ita ſimiliter in militari ærario variatum ſcio. Præfuere primum illi Prætorii, dein Conſulares, de queis Dio *d. lib.* 55. mox Præfecti ex Prætoriis lecti, ad quos forſitan referenda hæc de P. Vitellio, qui Prætura functus, teſte Suetonio in *Vitellio cap.* 2. verba Taciti *lib.* 5. *Annal. Illum Judices arguebant, clauſtra ærarii, cui præfectus erat, & militarem pecuniam rebus novis obtuliſſe.* Sub Trajano certe Plinius & ærarii Saturni Præfectus fuit, ut ipſe memorat in *Panegyrico*, & *lib.* 10. *Epiſt.* 20. & militaris etiam, iſta vetua inſcriptio apud Onuphrium in *faſtis ad annum* 853. C. PLINIDS. C. F. C. N. CÆCILIDS ZECUNDDS COS. Ac deinceps PRÆF. ÆRARI. SATDRNI. PRÆF. ÆRARI. MILITARIS. Sed & in Provinciis interdum viceſima exigenda Publicanis locabatur, qui Promagiſtri XX. hæred. in lapidibus priſcis dicuntur, & indicat Plinius *lib.* 7. *Epiſt.* 14. & in *Panegyr.* plerumque vero Procuratores Cæſaris viceſimam hæreditatum curabant. Lampridii in *Heliogabalo* verba huc trahenda. *Ad viceſimam hæreditatum, mulionem curare juſſit, juſſit & curſorem, juſſit & cocum, & clauſtrarium artificem.* Clarius id ex lapidibua priſcis, in qnibus non ſemel legimus PROC. XX. H. id eſt, *Procurator viceſimæ hæreditatum.* Et SUPPROC. XX. hoc eſt, *Supprocurator viceſimæ.* Talea, ut alios mittam laudatos aliis, Tarraconenſes duo, quos ſubjicio ex fide Ambroſii de Morales, cui vetus Hiſpaniarum Hiſtoria quantum debeat, agnoſcunt, ut opinor, boni omnes, docti omnes. Primus ex his lapidibus extat in Cathedrali Eccleſia Tarraconenſi, juxta Beatæ Barbaræ ſacellum, ubi hæc leguntur: XV. Z. F. LEG. AUGG. PR. PR. PROVIN. H. C. ET IN EA DUCI TERRÆ MARIQDE. ADVERSDS REBELLES. H. R. P. R. ITEM ASIÆ, ITEM NORICI, DDCI EXERCITDS ILLIRICI EXPEDITIONE ASIANA ITEM PARTHICA, ITEM GALLICA LOGISTÆ CIVIT. SPLENDIDISS. NICOMED. ITEM EPHESIOR. LEG. PR. PR. P. ASIÆ. CUR. CIVITATIS THEANENSIUM. ALLECTO INTER PRÆTORIOS ITEM TRIBDNICIOS PROC. XX. HÆRED. PER GALLIAS LDGDUNENSES, ET BELG. ET UTRANQDE GERM. PRÆF. COPIAR. EXPEDITIONE GERM. SECUND. TRIB. MIL. LEG. II. ADG. PRÆF. COH. SEC. CIVIUM ROMANOR. SILIDS HOSPES HASTATUS LEG. X. GEM. HASTATOEUM EJDS OPTIMO PRESIDI. Alter in Horto quodam Urbis ejnſdem. FELICI AUG. LIB. A COMMENT. XX. HÆR. H. C. HILARUS COLLIB. TABUL. XX. HÆR. PROV. LUSITANIÆ. Diverſi ſane ab iſtis Procuratorea hæreditatum, quorum mentio in veteribus monumentis, quale illud quod Anconæ, ſe legiſſe Smettius teſtatur. PETRONIÆ SABINÆ FILIÆ. L. PETRONI SABINI P. P. BIS PROCURATOR. ADGG. RATIONIS HÆREDITATIDM. ITEM PROVINCIÆ NARBONENSIS. Item illud apud Gruterum *pag.* 426. quo aperte Procuratores viceſimæ diſtinguntur à Procuratoribus hæreditatum. C. JDNIO C. F. QDIR. FLAVIANO. PROC. A. RATIONIBDS. PROC. PROVINCIARUM LUGDDNENSIS ET AQUITANICÆ. PROC. HEREDITAT. PROMAGISTRO XX. HÆREDJTATUM. Et apud Scribon. Largum in libello *de compoſitione medicamentorum*, & *in l.* 1. *Cod. de uſuris rei judicatæ*, quæ inſcripta in emendatioribus Codicibus ſic eſt: *Imp. Antoninus A. Procuratoribus hæreditatum Fiſci*, hoc eſt, Procuratoribus per Provincias diſpoſitis, ut caduca, vacantia, aut ereptitia bona, aut alio jure publicanda, in Fiſcum, ſive ærarium cogerent, ut indicatur non obſcure in *d. l.* 1. & in *l. ſed ſi accepto* 32. *D. de jure Fiſci*, in queis non de viceſima, ſed de univerſis bonis Fiſco vindicandis quæritur, inconſpecte in his diſtinguendis hallucinante Pancirola *ad notit. Imper. Orient. cap.* 73. & aliis. Cæterum, ut concludam quod attinet ad noſtram *l. nulli* 13. liquet jam ſatis ex propoſitis, Procuratores Cæſaris viceſimæ exigendæ præfuiſſe, ideoque recte de his quæſitum, an tranſigere poſſint.

6 Porro ex ſententia, atque interpretationa *d. l. nulli* 13. quam aperuimus, utiliter ad praxim, & nove forſitan colligi poteſt, exactores, & ſuſceptores Regiorum vectigalium, ſeu tributorum, quos vocamus *fieles, cogedores, receptores, y recaudadores de pechos, y drechòs reales*, ſi ea Regio nomine, ac periculo exigant, tranſigere non poſſe, inconſulto Principe, non ſolum ſi de immunitatis jure ſit controverſia, quæ citra generalis Procuratoris conſenſum fruſtra conventione deciditur, etiam ſi fiat inter Univerſitatem, & eum, qui ſe immunem eſſe contendit, ut in Sabaudiæ Senatu judicatum, teſtatur Faber *in ſuo Codice lib.* 2. *tit.* 4. *definit.* 11. & ex noſtratibus Otalora *de nobilit.* 2. *part.* 3. *princip. cap.* 9. *num.* 18. Sed & quod magis eſt, quamvis tranſactio ſit ſuper controverſia de reliquis tributorum, qualia ſcilicet, quantave debeantur, namque & hæc, ſine ſpeciali permiſſu Principis, remitti non poſſe, pactione, ut ajunt, ſeu tranſactione, atque amicabili compoſitione, & Juri Cæſareo, ac Pontificio congruit, *d. l. nulli* 13. *cap. cum tempore* 5. in fine *de arbitris*, & apud nos circa ſupremos publicæ, ſeu Fiſcalis pecuniæ Curatores, & Judices, *Contadores mayores, y del Conſejo de la Contaduria mayor de Hazienda*, item, *Contadores mayores de Quentas*, quos non male Quæſtoribus urbanis, Præfectis ærarii, & Comitibus ſacrarum largitionum, & rerum privatarum comparabimus. *l.* 10. *tit.* 18. *part.* 4. non obſcure expreſſum videtur in *l.* 1. *num.* 39. *tit.* 2. & in *l.* 11. & 20. *tit.* 5. *lib.* 9. *compilat.* quibus omnes tranſigendi, ſive, ut loquuntur, componendi, ac remittendi Fiſcalia debita, facultas, citra Regiam conſultationem, inhibetur, ſub pœna debiti cum duplo ſolvendi. Et reſtrictus hiſce legibus (quæ ſingulæ habent auctorem Philippum Secundum, & in illius cum Carolo, aut ſub ejus exceſſum regnandi primordiis editæ) Regiorum Quæſtorum, ſeu Regii patrimonii Curatorum exlex abuſus, qui pleraque eo tempore licenter de re Fiſcali ſtatuebant, facti ſuo Principi non tam Miniſtri, quam Coadjutores, & Monarchia fere in Rempublicam verſa, ut ſcripſit Ludovicus Cabrera in *Philippi II. Hiſtor. lib.* 1. *cap.* 8. Sed hæc vera, ut præmonui, in his, qui vectigalia Regio nomine, ac periculo exigunt. At in eorum Conductoribus, Redemptoribus, ſeu Publicanis, qui pro his Fiſco locanti penſionem certam inferunt, ſed & in Civitatibus ipſis, ſive Univerſitatibus, quæ vectigalia eadem, ſua cura, & periculo exigenda ſuſcipiunt, mercede pro his conventa, Fiſco ſolvenda, per incapitationem, ut ajunt, ſive *encabeçamiento*, diverſum omnino eſt; nec enim dubitandum, quin ſuper eorum controverſiis poſſint tranſigere, inconſulto Principe, quippe nec ejus res, cui ſemper quantitas promiſſa pendenda eſt, ſed privata ipſorum Conductorum, vel Univerſitatum agitur, quam tranſactione decidi poſſe, ſi nihil aliud impediat, ſatis conſtat: quin &, quod magis eſt, gratioſe remittere, ſicut & fieri ſolere à Publicania, ſcripſit jam olim Martianus in *l. ult.* §. *ſi quis profeſſus* 12. *D. de Publicanis.* Eoque jure utimur, dummodo remiſſio, tempus, finéve conductionis, ſive incapitationis non egrediatur.

CAPUT IX.

Ad leg. 2. Cod. de tranſactionibus. l. Filius Familias 114. §. Divi 14. D. de legatis 1. l. ſi mutus 7. D. qui teſtam. facere poſſint.

ARGUMENTUM.

L*Uſtrata tria Viceſimæ veſtigia. Primum apud* Antoninom *in* l. 2. Cod. de tranſact. *Breviter, & bifariam ea lex explicata. Secundum, & celebrius apud* Martianum *in* d. l. filius familias 114. §. Divi 14. verſic. Sed hæc. Accurſii, *& Practicorum ad eum locum notæ notatæ. Ob delictum inſtitutoris majoratus bona, etiam alienari probibita, in Fiſcum veniunt; ſicut & uſusfructus ob noxam hæredis probibiti. ſi ſola tacita probibitio fuerit. Aliud in hoc poſtremo, ſi expreſſa. Alia ad* Martianum *expoſitio de viceſima rerum venditarum.* Ræverdi *in ea relapſus, & illuſtratus* Plinius. *Obiter de πεντηκοστῇ, ſive quinquageſima, aut, ut alii volunt, quinta & viceſima venalium mancipiorum, itemque de centeſima, & octanario, ſeu venalitio. Prælata fax* Ulpiano *in* l. debet 27. D. de ædilit. edict. *Teſtamentaria expreſſa probibitio alienationis impedit tranſlationem dominii: ex venditione ipſo jure nulla, non debetur venalitium, neque moribus noſtris decima venditionis. Ad* Martianum *in* d. §. Divi, *noſtra olim cogitatio, cui nunc vix adlubeſcimus. Aſſentimur potius* Cujacio *referenti ad viceſimam. Tertia ejuſdem vola apud* Macrum *in* l. ſi mutus 7. qui teſtam. facere poſſ. *De teſtamento muti, & ſurdi quædam,* Macro *illuſtrando. Facultate Regia impetrata ad bona majoratus diſtrahenda, debetur decima venditionis.*

1 AD eumdem viceſimæ tractatum referri ſolet Antonini Conſtitutio in *l. 2. Cod. de tranſact.* in qua Luctatio cuidam reſcribit, qui cum ſorore ſua de hæreditate tranſegerat, eoque nomine certam pecuniam ei ſe debere caveret, cum tamen nulla fuiſſet controverſia hæreditatis. Quærebatur, an cautio de pecunia ob tranſactionem factam de hæreditate, de qua lis oulla erat, rata eſſet. Dubitandi ratio ex eo, quia tranſactio non niſi de re litigioſa fieri dicitur, *l. 1. D. de tranſact. l. in ſumma 65. §. 1. D. de condit. indebit.* Lite autem deficiente, ex cautiooe ſine cauſa interpoſita, petenti exceptio doli objicietur. *l. 2. §. Circa D. de doli except.* Reſpondet tamen Antoninus propter timorem litis, tranſactione interpoſita, pecuoiam recte cautam intelligi, quoniam ſcilicet ad tranſactionem, hoc ipſum quod à lite diſceditur, juſta cauſa eſt, licet res nulla media fuerit, ac oe lis quidem præſens, ſed futura. *d. l. in ſumma 65. §. 1.* ſequuntur mox hæc verba in *d. l. ex qua cauſa: ſi Fiſco ſolviſſes, repetere non poſſes.* In quibus, nova Fiſci mentione, atque aliena, ut videtur, ab hypotheſi, commotus Faber, *Fiſco*, ablegata, reponendum eſſe, *illico*, conjectatur; vellem tamen, emendaret cautius. Nam cum in Cæſarum Reſcriptis ad conſultationes accommodatis, quarum nullæ nobis reliquiæ, pleraque circa facti ſpeciem ſuppleri neceſſe interdum ſit, neque id novum, aut inſolens, majorum, ut ſic dicam, gentium interpretibus, poſſint illa verba referri ad viceſimam hæreditatis, de qua tranſactum; eam enim ſi Luctatius, idemque frater, qui hæreditatem retinuit, utpote jam illius indubitatus poſſeſſor, Fiſco ſolviſſet, repetere non poſſet, ut interpretatur Cujacius *lib. 9. obſerv. cap. 24.* eique ex Pragmaticis, pedarie ſubſcribens, Cæſar Argellus, utique ſi ponamus tranſactum inter fratrem, & ſororem fuiſſe de hæreditate extranei, non de paterna, ex qua Fiſco viceſima non deberetur, ut opportunius poſtea dicemus. Si quem tamen ab hac expoſitione avocabunt verba, *ex qua cauſa*, quibus ſignificatur non viceſimæ nomine, ſed ex ipſa tranſactionis cauſa, quæ præceſſerat, Fiſco ſolutum fuiſſe, licebit cum Accurſio ſupponere, cui præceptores noſtri, poſt veteres, & noviores interpretes, adlubeſcunt, quin & pridem Baſilica *lib. 11.* aptata ad eam legem 2. *hypotheſi*, ſucceſſiſſe Fiſcum ſorori, aut publicatione ob delictum, aliave ex cauſa, ejus ad Fiſcum bona veniſſe, ſicut in *l. Granius 71. D. de fidejuſſ. l. Statius 48. §. Cornelio, D. de jure Fiſci*, queis ſane caſibus ſi frater Fiſco pecuniam ex cautione ob tranſactionem ſorori debitam, ſolviſſet, repetere non poſſet, & à Fiſco, ſi nondum ſolviſſet, jure conveniretur ex cautione, ſive, quod idem eſt, ſtipulatione. *l. 3. Cod. de Verbor. ſignificat. l. lecta 40. D. de rebus cred.*

2 Deinde & hoc ex capite legis viceſimæ, explicandus & nobilis Martiani locus, multo, ut ajunt, & emendicato pulvere ab interpretibus aſperſus, in *l. filius familias 114. §. Divi 14. D. de legat. 1.* ubi cum proponatur, prohibitionem alienationis teſtamento, codicillisve factam oullius momenti eſſe, utpote nudum, ſimplexque præceptum, niſi perſona, cauſave exprimatur, cui conſultum teſtator voluit, puta liberis, libertis, aut aliis è familia; tunc eoim prohibitionem ſervandam, ſubjicitur confeſtim, *ſed hæc nec creditoribus, neque Fiſco fraudi eſſe.* Quæ verba poſt Accurſium, ſic Pragmatici noſtri acceperunt, ut prohibitio alienationis nec noceat creditoribus defuncti, ejuſdem debitoris, qui prohibuit, qui minus vel ex bonis alienari prohibitis, ſuum conſequi poſſint. *l. qui ſolidum 78. §. ult. D. de leg. 2. l. 1. Cod. debitor. vendit. pignor. imped. non poſſe. l. cum fidei 9. D. de fideicom. lib. l. pater 38. D. de leg. 3.* neque Fiſco, ſi quid ei teſtator debuerit, ut poſt alios exponuot Jaſo in *d. §. Divi lectura 2. num. 19.* Ferrettus *num. 99.* aut ſi ob delictum teſtatoris bona ejus publicentur, quo caſu cum & teſtamenti factionem amittat, irrita facta prohibitione, ac fideicommiſſo, ea etiam, quæ alienari prohibuit, in Fiſcum veoient. *l. ejus qui 8. §. ult. D. qui teſtam. fac. poſſ.* Cujus argumento in majoratibus, teſtamento, aut codicilis inſtitutis, ſi bona inſtitutoris ob delictum confiſcentur, id ipſum probant Molina *de primogen. lib. 4. cap. ult. num. 20.* Peralta in *l. 3. §. Qui fideicommiſſam num. 128. D. de hæred. inſtitut.* Simancas *de Catholicis inſtit. cap. 9. num. 226.* Tellus in *l. 17. Tauri num. 128.* aut denique ſi ex crimine ipſius probibiti, bona publico vindicentur, namque, & tunc vindicari publico poſſe, ſic ut eorum uſusfroctus, quamdiu delinquens vivit, ſit penes Fiſcum, probari vulgo ſolet ex *l. Statius 48. §. Cornelio D. de jure Fiſci. l. peto 69. §. Prædium. l. cum pater 77. §. Hæreditatem 4. D. de leg. 2. l. ex facto 17. §. Ex facto 5. D. ad S. C. Trebell.* Sunt tamen, quod ad Fiſcum attinet, ne moremur, hæc ſingula partim falſa, ad interpretationem dicti §. *Divi.* Nam priora illa duo de Fiſco creditore, vel cui bona ob delictum teſtantis vindicantur, aliena prorſus à verborum ſerie, *neque Creditoribus, neque Fiſco*, in queis parum concione Fiſcus à Creditoribus diſtingueretur, ſi & Fiſcus creditor eſſet, neque eleganter ſatis diſputaretur de parte teſtamenti, nempe prohibitione alienationis evacuanda, ſi conſtaret, ob delictom teſtantis bona publicari, in qua ſpecie totum teſtamentum irritum eſſe, plus quam manifeſtum eſt, *d. l. ejus 8. §. ult. D. qui teſtam. fac. poſſ.* Poſtremum vero illud, quod ſupponitur propter hæredis prohibiti crimen, bona fideicommiſſo ſubjecta confiſcari, vix à falſimoniæ culpa exſolverit ullum acumen; eſt enim receptum apud noſtros in fideicommiſſis familiæ relictis, ooſtriſque majoratibus, ſeu primogeniis, expreſſam prohibitionem alienationis, qualis proponitur in *d. §. Divi*, efficere, ut ne quidem ad vitam prohibiti, qui deliquit,

bonorum

Digitized by Google

bonorum uſusfructus adjici Fiſco poſſit. *l. Imperator* 12. *D. de fideicom. lib. l. jura* 4. *D. de jure Patron. l. eorum* 9. *D. ad leg. Jul. Majeſtat. l.* 3. *D. de interd. & releg. l. ſi in libertinum* 28. *D. de bon. lib. l. cum pater* 77. *§. libertis* 27. *D. de leg.* 2. (uſusfructus ſcilicet jus perſonale, non commoditas illa, ſive perceptio fructuum, quatenus ab uſufructu diſtinguitur. *l. ſi uſusfructus* 66. *D. de jure dot.* illam enim tranſire ad Fiſcum pro tempore vitæ delinquentis, nec prohibitione alienationis comprehendi, perinde inter eoſdem receptum eſt, argumento ex *l. Lucius* 88. alias *l. Codicillis* 91. *§. Inſtituto*, ubi Bartholus *D. de leg.* 3.) quamvis longe aliud ſit, ſi ſola tacita legis prohibitio obſtet alienationi, hæc enim non impediet, quin ob delictum, quamdiu ſuperſtes ſit delinquens, bona apud Fiſcum maneant, ut in ſpecie *d. leg. Statius* 48. *§. Cornelio*, juncta *authent. res quæ, Cod. commun. de legat.* docent ſic, & diſtinguunt poſt Bart. in *d. l. Imperator D. de fideicomm. lib. Alexand. conſ.* 23. *num.* 3. *cum ſeqq. lib.* 1. Tellus in *l.* 27. *Tauri num.* 19. Peregrin. *de fideicomm. art.* 40. *num.* 5. Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 9. *& lib.* 4. *cap. ult. num.* 11. Mieres *de majorat.* 4. *part. quæſt.* 23. Fachin. *lib.* 4. *controv. cap.* 50. & ex Salmanticenſibus noſtris, poſt alios D. Præſes Chumacero *ſelectar. dodec. cap.* 11. *num.* 6. Pichard. *ad l. Gallus §. Et quid ſi tantum num.* 72. *& ſeqq. D. de lib. & poſth.* Amaia *lib.* 1. *obſerv. cap.* 11. *num.* 24. *& ad l. un. Cod. pœnis Fiſcal. cred. præf. num.* 2. (utcumque ſibi adſcribens, aſſerenſque, non ſine animi offenſa, & querela, interpretationem illam *§. Cornelio felici*, quæ fuit ante eum Cujacii in *recitat.* ad eum locum ſub tit. *de jure Fiſci*) noſter item Valentia *lib.* 3. *illuſtr. tract.* 2, *ad tit. de legatis cap.* 3. *num.* 6. *&* 8. in fine, agnoſcens diſtinctionem receptam, ac in diſputando diſſentiens, & pro confiſcatione ad vitam delinquentis, ſtans indiſtincte ex ratione *l. peto* 69. *§. Prædium D. de leg.* 2. junctis *l. ex facto* 17. *§. ex facto* 5. *in fine D. ad S. C. Trebell. l. cum pater* 77. *§. Hæreditatem* 4. *D. de leg.* 2. & vice verſa, abſciſeque contra confiſcationem etiam commoditatis, Thomas Sanctius *ad præcepta decal. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 16.

3 Nec felicior in explicanda re, Rævardus *lib.* 3. *var. cap.* 16. cui videtur, accipi Martianum debere de viceſima rerum venditarum, ut proinde verborum, quæ propoſuimus, ſententia ſit, prohibitionem alienationis Fiſco fraudi non eſſe, quo minus illis venditis conſequatur viceſimam, quam ex pretio venditarum rerum Fiſco ſolutam fuiſſe, inſinuare Plinius videtur, *lib.* 7. *Epiſt.* 14. *ad Coreliam. Tu quidem*, inquit, *honeſtiſſime, quod tam impenſe rogas & exigis, ut accipi jubeam à te pretium agrorum, non ex ſeptingentis millibus, quanti illos à liberto meo, ſed ex nongentis, quanti à publicanis partem viceſimam emiſti.* Non felicior, inquam, Rævardus; nam Plinii locus, quem affert, referendus omnino ad viceſimam hæreditatis, quæ pro quincunce Plinio obvenerat, & cum ea, prædia, quæ Plinianus libertus ſeptingentis millibus Corelliæ addixerat, ut liquet ex ejuſdem *Epiſt.* 11. *ad Fabatum lib.* 7. cum tamen pars viceſima hæreditatis nongentis millibus redempta eſſet à publicanis, qui nonnumquam eam exigendam conducebant, ut ſignificat idem Plinius in *Panegyrica*, ibi: *Ratus improbe, & inſolenter, ac pene impie his nominibus inſeri publicanum, nec ſine piaculo quodam, ſanctiſſimas neceſſitudines, velut intercedente viceſima, ſcindi.* Quia & quod ſciam inauditum hactenus, viceſimam venalium rerum Fiſco dapendi, cum eſſet potius quinta, & viceſima venalium mancipiorum, ſi fides Tacito 13. *Annal.* ibi: *Vectigal quoque quintæ, & viceſimæ venalium mancipiorum remiſſum ſpecie magis, quam vi, quia cum venditor pendere juberetur, in partem pretii emptoribus accreſcebat.* Vel quinquageſima venalium mancipiorum, πεντηκοστὴ ut Dio loquitur, niſi mendoſus ejus locus eſt *lib.* 55. *in actis anni* 760. ab U. C. aliarum vero rerum venalium centeſima, quæ & auctionum dicitur, inſtituta primum ab Auguſto poſt bella civilia, in ſubſidium militaris ærarii, de qua videſis parum ſibi conſtantes, Tacit. *lib.* 1. *&* 2. *Annal.* Dionem *lib.* 58. in *Tiberio*, *& lib.* 59. in *Caligula*. Sueton. in *eodem. cap.* 16. Ad id autem vectigal refertur non male à noſtris Pragmaticis, & eos inter, Laſſarte *de decima vend. cap.* 15. *num.* 3. Ulpianus in *l. debet* 27. *D. de ædil. edicto*, ibi: *Quid ergo, ſi forte vectigalis nomine datum eſt, quod emptorem forte ſequeretur*, Quaſi ſcilicet Ulpianus inſinuet caſum, quo penſio hæc venalis mancipii, ſpeciali aliquo jure emptoris onus eſſet, contra quam fuit regulariter venditoris, poſt Neronem, ut ex Tacito oſtendimus, niſi, ſi quis mavelit, accipiendum eſſe Ulpianum in *d. l.* 27. de octavarii vectigali, hodie *almox arifazgo*, apud nos, quod ex rebus promercalibus ſolvebatur portorii nomine. *l. ex præſtatione* 7. *cum leg. ſeq. Cod. de vectigal. l.* 2. *Cod. de Eunuch. l. ſi cum Hermes* 7. *Cod. de locato.* Rurſus, utcumque, & quantumcumque fuerit id vectigal, *quod venalitium, ſive ob venditionem proponendam*, juris noſtri auctores appellare videntur. *l. inter* 17. *§.* 1. *de V. S. l.* 1. *Cod. de veteran. & l.* 4. *Cod. de proxim. ſacr. ſcrin. lib.* 12. illud certum, non poſſe ex eo, vel alio ſimili, explicari verba *d. §. Divi*, quia expreſſa alienationis prohibitio teſtamento, codicillisve adſcripta, dominii translationem impedit, facitque, ut bonorum prohibitione comprehenſorum venditio nullius momenti ſit, ut argumento ex *leg. peto* 69. *§. Fratre. l. cum pater* 77. *§. Libertis*, ubi Accurſius *ſcholio*, *ne id alienarent D. de legat.* 2. *l. pater* 38. *§. Fundum à filio D. de legat.* 3. voluit Bart. in *d. §. Divi num.* 14. Accurſiani congeneres ibidem, & in *l. ea lege Cod. de condict. ob cauſam dat.* Gomeſius in *l.* 40. *Tauri num.* 38. Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 12. *num.* 30. *& cap.* 16. *num.* 32. atque utrobique Addentes. Menchaca *de ſucceſſ. creat. lib.* 1. *§.* 10. *num.* 87. à quo immerito diſcedit Faber *de error. Pragmat.* 4. *part. dec.* 87. *error.* 10. cui facit ſatis, ſcienterque noſter Valentia 3. *illuſtr. ad tit. de legat. tract.* 2. *cap.* 2. *ex num.* 2. Ex venditione vero, quæ nullius momenti ſit, non deberi venalitium, ſimileve vectigal, proditum eſt in *l.* 2. *Cod. de Eunuchis*, idque in ſimilibus, ut loquuntur, Gabellis, docent Barthol. Caſtr. & Jaſo in *l. ult. §. Sin autem*, *& §. Sed quia noſtra Majeſtas, Cod. comm. de legat.* Baldus, & alii Claſſici in *l. non dubium* 5. *Cod. de legib.* Alexand. *conſ.* 104. *num.* 5. *lib.* 1. *& conſ.* 36. *num.* 6. *&* 9. *lib.* 4. Tiraquel. *de retractu lignag. §.* 1. *gloſſ.* 2. *num.* 7. Bertachin. *de Gabell.* 5. *part. princip. num.* 7. Rolandus à Valle *conſ.* 46. *num.* 39. *lib.* 1. & in venditionum decima, quæ noſtris moribus in locum viceſimæ quintæ mancipiorum venalium, & centeſimæ aliarum mercium ſucceſſit, Avendaño *de exequendis mandatis* 1. *part. cap.* 17. *num.* 10. *& reſponſo* 13. *num.* 3. Segura *in l.* 1. *§. Si vir, num.* 157. *de acquir. poſſeſſ.* Parlador. *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. *§.* 3. *num.* 36. Gironda *de Gabell.* 5. *part. num.* 25. *& ſeqq.* Laſſarte *de decima vendit. cap.* 14. *num.* 1. Gutierrez *lib.* 1. *pract. quæſt.* 129. *num.* 2. *& lib.* 7. qui *de Gabellis. quæſt.* 9. *&* 15. *num.* 5. alii apud Collectarium Barboſam *ad l.* 2. *Cod. de Eunuchis num. ult.*

Mihi vero aliquando placebat Severi, & Antoni- 4
ni Reſcriptum, ex quo ſuperior ſententia proponitur in *d. §. Divi*, partem, aut caput eſſe, ſive unum, idemque cum eo, quod eiſdem Cæſaribus Auctoribus, & ad eamdem rem pertinens, extat in *l.* 1. *C. debitorem vend. pign. imped. non poſſe.* Ubi proditum eſt, non poſſe debitorem creditoris ſui jus facere deterius, prohibita prædiorum alienatione; proinde neque impediri creditorem, quo minus prædia ſibi obligata diſtrahat, quamvis ſcriptura teſtamenti vetuerit debitor, prædia venundari, pœnamque addiderit, ut Fiſci fierent, ſi veniſſent; ſicut in *l. pater filium* 38. *§. Fundum à filio D. de legat.* 3. cui deciſioni non inconcinne aptatur in *d. §. Divi*, ſententia illa: *Sed hæc neque creditoribus, neque Fiſco fraudi eſſe.* Nec enim prohibitio alienationis ad ſuperiorem ſpeciem relata, fraudi eſt creditoribus, quibus, ea neglecta licet, prædia ſibi obligata vendere; ne-

que Fiſco, cui quemadmodum pœna tunc non committitur, quia nec injuria ei fit, ſi poſtponatur in pœnæ petitione creditoribus, ſuum perſequentibus, ac recuperantibus. *l. non poſſunt* 11. *l. in ſumma* 17. *l. quod placuit* 37. *l. Statius* 48. *§. ult. D. de Jure Fiſci. l. un. C. pœn. Fiſcal. cred. præferri.* Ita, ſi non à creditoribus, ſed ab hærede ex cauſa voluntaria prædia vendantur, poterit ea, jure pœnæ, perſequi. Queis convenienter in *d. §. Divi* ſubjungitur, quod *ſi hæredis, propter teſtatoris creditores, bona venierint* (ſic cum Thuſcis Pandectis legimus) *fortunam communem fideicommiſſarii quoque ſequentur.* Hoc eſt, non tantum Fiſcus damnum ſentiet, cui bonis à creditoribus diſtractis pœna non committitur, ſed etiam fideicummiſſarii, quibus alienationis prohibitione teſtator proſpexerat, namque & eis commune cum hæredibus damnum erit in bonis, quæ creditores, dum diſtrahunt, detrahunt fideicommiſſo. *l. qui ſolidum* 78. *§. ult. D. de leg.* 2. *l. pater* 38. *D. de leg.* 3. hodie vero, re penitius inſpecta, vereor, ut conjectatio hæc, quæ juveniliter quondam arriſit, parum congruat verbis, ac menti Ulpiani in *d. §. Divi.* Itaque placet magis quod à Cujacio Magno, Rævardum cenſorie increpante *lib. 9. obſervat. cap.* 24. *& lib. 5. cap.* 16. indicatum, probarunt ex noſtratibus noviores (& poſt hæc ſcripta, noſter Amaia pro prælatione militaris ſervitii, quod *Lanſas* dicimus, in bonis alienari prohibitis, exemplo illo viceſimæ, & verbis *d. §. Divi*, utens, *ad l. 3. num. 90. Cod. de annon. & tribut.*) ſic nempe Ulpianum accipit, ut affirmet, prohibitionem alienationis non eſſe fraudi, damnove Fiſco, quo minus ex hæreditate, legatove bonorum, prohibitione apprehenſorum, detrahat viceſimam, quam perinde ex legatis, atque ex hæreditate ſolet redigere per legem Juliam, ut ex Dione oſtendimus *lib.* 55. de quo & mox; & conſequenter plurimum Fiſci interſit, non omnino inhiberi alienationem, ne alioquin viceſimam amittat.

5 Pertinet præterea ad hunc ordinem, Æmilii Macri locus ex *lib. 1. ad legem viceſimam hæreditatum*: extat in *l. ſi mutus 7. D. qui teſtam. fac. poſſ.* Ubi ſcriptum eſt, valere teſtamentum ſurdi, aut muti, ſi à Principe hi impetraverint, ut ſibi teſtamentum facere liceret; nam quamvis mutus natura, & ſurdus, in quo ſcilicet utrumque vitium indiſcretum concurrit, teſtari non poſſit, ne quidem jure noviſſimo inſpecto. *l. diſcretis 10. Cod. qui teſtam. fac. poſſ. §. item ſurdus inſtit. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.* Harmenopulus *lib. 5. promptuarii tit. 1. §. 17. & 18. l. 13. tit. 1. part. 6.* Mutus vero, vel ſurdus ex accidenti, inteſtabilis etiam eſſet jure vetere, ante Juſtinianum ſcilicet, *l. qui in poteſtate 6. §. ult. l. filius familias 16. D. qui teſtam. fac. poſſ. l. ex facto 43. D. de vulgari. l. octavi 9. §. 1. D. unde cognati*, quia neque mutus verba nuncupationis loqui, aut accire, & rogare teſtes; neque ſurdus verba familiæ emptoris, aut teſtes, ſibi teſtimonium perhibentes, exaudire poteſt, ut ratiocinatur Ulpianus, ſic ſupplendus in *fragm. tit. 20. §. Mutus.* Licuit tamen & muto, & ſurdo non ita natis, ſed factis, teſtamentum facere, ſi nec ipſi omnino, intelligendi, & exprimendi animi ſui ſenſa incapaces, veluti ſi litterarum alias gnari, aut non inſimul utroque vitio laborabant, & inſuper teſtamenti factionem à Principe impetraſſent. Quis enim neget, poſſe Principem legibus ſolutum, teſtamenti factionem dare, non tantum ſurdo, & muto, ſed & aliis, quibus ſola Juris ſcrupuloſitas refragatur? *l. 1. l. 4. l. ſi de milite 29. §. ult. D. de teſtam. mil. l. ſi quando 35. Cod. de inoffic. teſtam.* In qua tamen largienda, eo indulgentiores Cæſares fuiſſe, non dubito, quod muto, ſurdove teſtantibus, viceſimæ detrahendæ ex hæreditatibus, aut legatis ab eiſdem relictis ratio ſubeſſet, quæ, inteſtatis illis morientibus, ceſſabat, quoniam ab inteſtato hæreditas ob conjunctionem ſanguinis, liberis, aut parentibus, item legitimis, aut cognatis deferri ſolet, qui plerumque à viceſimæ præſtatione immunes ſunt, ut inferius monebimus. Itaque hoc reſpectu ad legem viceſimam hæreditatum Macer ſcribens, adnotavit, ſurdi, & muti teſtamentum, Principe permittente, factum valere, nempe ut in eo relicta, liqueat, obnoxia eſſe viceſimæ; nec enim Princeps, data teſtamenti factione ſurdo, vel muto, viceſimæ immunitatem largiri creditur, ſed facultatem ſolam teſtandi, libello ſupplici petitam. Quemadmodum etſi liberam teſtamenti factionem libertino tribueret, videretur quidem ei remiſiſſe neceſſitatem portionis, debitæ patrono, relinquendæ, non tamen aliqua legitima teſtandi ſolemnia. *l. 3. D. de bonis lib. l. Eunuchis 5. Cod. qui teſtam. fac. poſſ. Neque enim credendum eſt, Romanum Principem, qui jura tuetur, hujuſmodi verbo, totam obſervationem teſtamentorum multis vigiliis excogitatam, atque inventam, velle everti.* Ut Juſtinianus graviter fatur in *l. ſi quando 35. Cod. de inoffic. teſtam.* Quo exemplo, ut hoc de viceſima conjectura foro, & arenæ practicæ ſerviat, facultate Regia impetrata, quales ſæpe moribus noſtris petuntur, ad diſtrahenda majoratus, vel primogenii bona, valere quidem alienationem, venditionis tamen decimam, quam *alcavalam* dicimus, deberi non dubito, quia nec remitti facultate Regia intelligitur, quæ alienationem ſolam permiſit, quamvis ſi abſque illa, bona eadem diſtraherentur, nec venditio conſiſteret, nec venalitium, aut Gabella deberetur, ut ex *l. 2. Cod. de Eunuchis*, probavimus ſupra; idque mihi, tametſi noſtris adhuc, quod ſciam, Pragmaticis haud notatum, viceſimæ exemplo, quibuſque ad illam Juris rationibus nuper ſum uſus, tam in comperto eſt, ut teſtibus non egeat; ſpero item aliis, qui paulo attentius rem ipſam perpenderint: confer tamen, ſi libet, Gutierrez *de Gabellis quæſt. 15. num. 5. & ſeqq.*

CAPUT X.

Ad leg. Computationi 68. alias l. Hæreditatum 68. D. ad legem Falcidiam.

ARGUMENTUM.

Æ*Milii Macri locus, qui in* d. l. Computationi 68. *relatus ad viceſimam, & illuſtratus ex profeſſo. Computatio legatorum neceſſaria ad viceſimam; non exacta ea ex tenui hæreditate. Servanda hodie ea computatio, ubi & vectigal ex legatis ſolvitur. Macri ſententiæ recitatio* [illegible]. *Computationis ejus ratio quadantenus expoſita. Petita ex electione medii inter extrema vitæ integræ, & abruptæ. Sexaginta numeri aptitudo, & concinnitas. Sexageſimus annus otii, & quietis. Poſt eum Senatoribus vacatio à Curia. Sexagenarii depontani cur dicti. Emendatus Macrobius leviter; elucidatus Prudentius, & alii. Majores annis quinquaginta quinque excuſantur à Decurionatu; majores ſeptuaginta à civilibus muneribus. Meta, etiam militiæ, ſexageſimus annus apud Hebræos, & Romanos, tametſi in eo olim, hodieque variatum.*

1 EJuſdem notæ, & numeri eſt vexata diu noſtris interpretibus, lex *computatationi* 68. *D. ad leg. Falcid.* cujus inſcriptionem, quæ in vulgatis codicibus Venuleium, in Haloandrinis Maximum, ad legem Falcidiam præſert Auctorem, incipitque *hæreditatum computationi*; & deinceps reſtituit ex Hetruſcis Pandectis Ant. Auguſtin. *lib. 1. emend. cap. 4.* itaque jam ſic habet: Æmilius Macer *libro ſecundo ad legem viceſimam hæreditatum.* Et mox: *Computationi in alimentis.* Rei vero intelligendæ præmonere paucis juvabit, neceſſariam omnino fuiſſe computationem hæreditatis, legatorumque, viceſimæ deducendæ:

cendæ: alioqui qui ſciri poſſet, quantum viceſimæ nomine Fiſco ſolvendum ex hæreditate, legatove, niſi utriuſque iniretur certa æſtimatio? Proinde vere, belleque Plinius, dum de viceſima, parentibus in hæreditate filiorum remiſſa, loquitur in *Panegyrico: Nemo recentem*, inquit, *& attonitam orbitatem ad computationem vocet, cogatque patrem, quid reliquerit filius, ſcire*: apertius idem *lib. 7. epiſt. 14. ad Corelliam.* Sed & neceſſaria hæreditatum computatio vel ideo, quia viceſima ex tenui, & exili hæreditate non ſolvebatur, hæreditatiſque in eam rem certus modus legibus definitus, quamvis qualis, quantuſque fuerit, nuſquam expreſſum. Auctor ejus Conſtituti Trajanus, de quo Plinius in *Panegyrico: Ac ne remotus quidem, jamque deficientis affinitatis gradus, à qualibet quantitate viceſimam inferre cogetur. Statuit enim communis omnium parens ſummam, quæ publicanum pati poſſit. Carebit onere viceſimæ parva, & exilis hæreditas.* Et paulo poſt. *Cuicumque modica pecunia* (ſic enim lego, non, ut vulgo vitioſe, *cujuſcumque modi ea pecunia*) *ex hæreditate alicujus obvenerit, ſecurus habeat, quietuſque poſſideat. Ea lex viceſimæ dicta eſt, ut ad periculum ejus perveniri, niſi opibus, non poſſit: converſa eſt iniquitas in gratulationem; injuria in votum; optat hæres, ut viceſimam debeat.* Hac itaque occaſione Macer *libro 2. ad legem viceſimam hæreditatum* de computatione legatorum tractavit in *d. l. Computationi* 68. ex qua jam illud recte colligitur in his locis, in quibus hodie viceſima, ſimileve vectigal ex legatis, & hæreditatibus ſolvitur, veluti Venetiis, Peruſio, ſi alimenta, vel uſusfructus alicui relicta proponantur, ineundam eſſe eorum æſtimationem, juxta normam dictæ *l. Computationi* 68. Idque, quod mirum, tametſi viceſimariæ legis, & eorum quæ animadvertimus, ſæculi injuria neſcii, divinarunt Caſtrenſis in *d. l. Computationi, ipſi, hæreditatum* 68. *in princip.* Alexand. *num.* 7. & Peruſinis ſuis adnotandum proponunt, Angelus in *l. omnium* 29. *D. de uſufr. & in l. cum hi* 8. *§. Modus D. de tranſact.* Baldus *ibidem, & in §. Nihil autem in fine, d. leg. cum hi* 8.

2 Verum quando incidimus in ſententiam *d. l. Computationi* 68. quæ toties interpretibus noſtris cerebrum excuſſit, brevi eam, & frugali, ut ſic dicam, enarratione aperiamus, oportet; in quo, ut graviter Tertullianus *de anima cap. ult. juſtæ dumtaxat, & neceſſariæ curioſitati ſatisfaciemus: enormi autem, & otioſæ tantum deerit diſcere, quantum libuerit inquirere.* Igitur ſi alimenta legata ſint, ſic fieri computationem ex Ulpiano, Macer ſcribit, ut à prima ætate uſque ad annum viceſimum, quantitas alimentorum triginta annorum computetur, ejuſque quantitatis Falcidia ſolvatur, hoc eſt, ut ſi inter legatarios, & hæredes controverſia ſit de æſtimatione legati alimentorum; ut ſciatur, an dodrantem excedat, & Falcidiæ locus ſit, cum id definiri certo non poſſit, quia incertum, quamdiu legatarius victurus, & alimenta percepturus, ea forma ſervetur, ut à prima ætata, ſive à primis annis legatarii uſque ad viceſimum, perinde quantitas legati æſtimetur, ac ſi triginta annorum alimenta legata eſſent. Proinde computatione facta ejus ſummæ, quam triginta annorum alimenta conficiunt, puta trecentorum, ſi dena ſingulis annis, alimentorum nomine, legata proponerentur, animadverti facile poterit, an tota ea quantitas egrediatur dodrantem, & Falcidiæ locum faciat, ac ſi fecerit, deductione quadrantis minuetur. Eadem ratione, & ſenſu Macer ſubjungit, ab annis viginti uſque ad annum viceſimum quintum, annorum viginti octo computationem fieri. Ab annis XXX. uſque ad XXXV. annorum XXII.; ab annis XXXV. uſque ad XL. annorum XX.; ab annis XL. uſque ad L. tot annorum, quot ætati legatarii deſunt; ad annum LX. remiſſo anno uno, hoc eſt, eo non computato, quem tunc legatarius agit. Ab anno vero L. uſque ad LV. annorum novem; ab annis LV. uſque ad annum LX. annorum ſeptem. Denique ab annis LX. cujuſcumque ætatis ſit legatarius, annorum quinque quantitas legati alimentorum computatur. Porro hanc computationem, & in uſusfructus legato ſervandam, eoque jure nos uti, Ulpianus ſcripſerat, cujus ſententiam Macer notat, uſu jam receptum affirmans, ut à primis quibuſque legatarii annis uſque ad trigeſimum, triginta annorum computatio fiat, à trigeſimo vero tot annorum, quot ad annum ſexageſimum legatario deſunt. Quæ, ſi cut non omnino expedita, facilior ſaltem eſt, & felicior, quam perplexa illa, & varia computatio, quam ex Ulpiano Macer deſcripſerat. Pertinet autem, quicquid Accurſius, & coævi interpretes argutentur, tam ad legatum uſusfructus, quam alimentorum, & in utroque ſupputationem hanc, tamquam ſimpliciorem, Macer amplectitur. Sed etſi Reipublicæ uſusfructus legetur, ſive ſimpliciter, ſive ad ludos, triginta annorum computationem iniri docemur, in *verſ. ſic denique d. l. Comput.* 68. ut perinde ſcilicet habeatur, ac ſi infanti legatus eſſet, in quo non aliter computatio fit, ut poſt Cujacium olim ſcripſimus in *Diſſertatiuncula extemporanea ad Titum Cajum de uſufructu municipibus legato, ad l. ſi uſusfructus* 8. *D. de uſufr. leg. ex num.* 9. & 14. conſer, ſodes, ſi vacat, & juvenili ſtylo, ac judicio in octodecimo anno, quem tunc agebam, calidius, quam par eſt, luxurianti clemens ignoſce.

Computationis hujus, quam perſpicua paraphraſi elucidare tentavimus, ſi quis rationem quærat, nullam profecto propriam, ac perpetuam inveniet. 3
Videntur tamen Juris Auctores, cum certa forma, normave circumſcribi non poſſet, quantum legatarius victurus, propter varios, lubricoſque humanæ vitæ fines, & exitus, mediocritatem quamdam conſentaneam his, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον, & ut plurimum accidunt, ſecuti *l. cum hi* 8. *§. Modus* 10. *D. de tranſact.* quomodo circa ſimilem computationem *Levitici cap.* 27. conſiderat Abulenſis ibi, *quæſt.* 25. id circo cum frequenter hominum vita ſexageſimum annum pertingat, nec tamen ea præſumptio accipi pro re certa poſſit, quia non raro ante annum ſexageſimum immatura morte vita præſcinditur, ita ratiocinati ſunt, ut compenſatione facta incertitudinis utriuſque integræ vitæ hominis, quanta veriſimiliter eſſe poteſt, & frequentius ſolet, & immaturæ mortis; quæ non minus frequenter ſupervenit, rem ad dimidium deducerent, & legatario infanti, quem ſexagenarium fore, ſperatur, triginta dumtaxat annos computarent: & ſic deinceps, quia nec aliter conſtitui poterat, nec probabilius, aut commodius incertum illum utriuſque extremi oppoſiti vitæ integræ, & abruptæ certa regula æſtimari, ſeu circumſcribi, quam ſi reduceretur ad medium totius incerti, quod & medium eſt inter majorem, minoremque inæqualitatem; ut conſiderat, ne quem debita lade fraudem, judicioſe, ac ſupra fori captum, Gaſpar Rodriguez *de annuis redit. lib. 1. quæſt. 5. num. 16. & ſeqq.* & præivit, diſtincte minus, D. Covarruv. 3. *var. cap. 9. num.* 8.

Plane dum ad rationem ſexageſimi anni, ſupputa- 4
tiones alias metiuntur Ulpianus, Macerque in *d. l. Computationi* 68. non tantum flexum illum ſenectutis defectæ, & ad metam majoris Climacterici appropinquantis, quem in ſexagenariis Hebræi agnoſcebant, ut ex aliis probat Lorinus in *Leviticum cap.* 27. *verſu* 3. & 7. in fine; ſed & aptitudinem numeri ſexaginta, eorum omnium, qui infra centum ſunt, ad minores alias ſupputationes, & ſectiones dirigendas, commodiſſimi (unde & priſcis Aſtronomis prima menſura dicitur, quia perfacile in tenuiſſimas quaſque partes, ſeu numeros diſtrahi poteſt) & quod præcipuum fuit, inſpexiſſe videntur Romanas leges, & mores, quibus *majores annis ſexaginta otio redduntur; nam & prima vitæ tempora & media patriæ, extrema nobis impertiri debemus*, ut eleganter Plinius Secundus *lib. 4. Epiſt. 23. ad Pomponium Baſſum.* Unde & hic annus hyperbolicos, pro longiſſimo, Juvenali uſurpatur *Satyra* 14.

Ut loupletem Aquilam tibi ſexageſimus annus
Afferat.

& quietis annus Senecæ patri dicitur, ſi viro docto credimus, ſic emendanti, in ejus *controverſ. alt. lib. 1. Senator poſt ſexageſimum, & quietis annum in Curiam venire non cogitur, nec vetatur.* Nam, quod vulgati libri præſerunt *ſexageſimum quintum*, non tantum Plinii loco repugnat, cujus meminimus, ſed & Senecæ filii verbis *de brevit. vitæ cap. ult. Lex*, inquit, *à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo Senatorem non citat: difficilius homines à ſe otium impetrant, quam à lege.* Et conſentiunt his veteres Scriptores, qui ſexagenarios, *depontanos* dictos, ſive, quod in parœmiam abiit, de ponte dejici oportere, atque oſca voce, *Caſnares*, memorant, quia cum in quintum illum ætatis gradum perveniſſent, tum denique ab omnibus publicis negotiis liberi, atque otioſi nullo munere fungerentur, nec in Comitiis ſuffragium ferrent, quorum ad ſepta per pontes ingreſſus, ut ex Varrone *lib. 2. de vita populi Romani*, refert Nonius Marcellus in voce *ſexagenarios*. Feſtus in *depontani*, & in *ſexagenarii*. Varro *lib. 6. de lingua Latina*, & in *ſexageſi*. Cicero in *Oratione pro Sexto Roſcio*. Ovid. *lib. 5. faſtor.* quos Beroaldus, aliique laudarunt. Sed illaudati forſitan in hac re, Dionyſ. *lib. 1. Antiquit. Roman.* Prudent. *lib. 2. contra Symmachum.*

Præcipitet Scythica juvenis pietate victum
Votivo de ponte patrem: ſic mos fuit olim.

Macrobius *lib. 1. Saturnal. cap. 5. Hiſne tam doctis viris, quorum M. Cicero, & Varro imitatores ſe gloriantur, adimere vis in verborum comitiis jus ſuffragandi; & tamquam ſexagenarios majores de ponte dejicies?* Ubi legerim, *ſexagenariis majores.* Porro in libris noſtris majores annis quinquaginta quinque, invitos Decuriones (qui minores Senatores dicuntur) creari non poſſe, legimus. *l. 2. §. ult. l. non tantum 11. D. de Decurion. l. à muneribus* 13. *Cod. eodem tit. l.* 3. quam ſic accipio, *Cod. qui ætate, vel profeſſ. lib.* 10. majores vero ſeptuaginta annis à cæteris civilibus muneribus vacant. *l. 3. §. Quamvis, & §. Cura D. de munerib. & hon. l. 1. §. ult. l. 2. §. 1. l. in honoribus 8. D. de vacat. muner. l. 3. D. de jure immun. l. ſi ultra 10. Cod. de Decurion. lib.* 10. *l. 1. Cod. qui numero tutelar. l. 35. tit. 16. part.* 3.

Quin & in militaribus ſtipendiis finem, ſeu me- 5
tam fuiſſe ſexageſimum annum, adſtruit vetus Scholiaſtes Juvenalis, qui ad ejuſdem illud *Satyra* 14. de Aquila poſt ſexageſimum annum ventura, cujus nuper meminimus, ita ſcribit: *Ut ſignifer ſit ſtipendiis emeritis* (ſic enim legimus) *anno ſexageſimo, quo militiam deponebant.* Cornel. Nepos, ſive quis alius Auctor eſt, in Pomponii Attici vita: *Incidit Cæſarianum civile bellum, cum haberet annos circiter ſexaginta: uſus eſt vacatione ætatis, neque ſe quoquam movit ex Urbe.* Et de Romanis ſimul, & Hebræis innuit D. Hieronymus in *quæſtion. Hebr. ad lib. 1. Paralipomen. A viginti annis*, inquit, *& ſupra, ad bellum deſcribebantur, uſque ad annum ſexageſimum. Ab anno ſexageſimo, & Levitæ miniſtrare, & milites pugnare deſinebant, unde & Romani eos emeritos vocant, qui jam militare deſierunt.* Nec ignoro, variatum ſæpe in hac re, & ex Servii Regis ſcito, quadrageſimum ſextum annum, dein vero quinquageſimum militiæ vacationem dediſſe. De quo videſis Lipſium, tametſi eorum, quæ pro ſexageſimo diximus, immemorem, *lib. 1. de milit. Rom. dialog.* 2. Valtrinum *lib. 2. de milit. Rom. cap.* 4. Hodie ſane, nonniſi poſt ſeptuageſimum annum, vacatio militiæ eſt, ex noſtrati Regia, *l.* 3. in fine *tit. 19. part.* 2. & poſt ſexageſimum in Equitibus armatis, de queis *l.* 1. in fine *tit. 1. lib. 6. compilat.* l. 4. *tit. 1. lib. 4. ordinam.* Denique & noſtris legibus, non tantum ſexagenariorum nuptiæ improbantur, ſed &, quod magis eſt, vacationem poſt eam ætatem habent, & liberantur pœnis cœlibum, orborumque, teſte Ulpiano *tit. 16. in princip. & §. qui intra*, de quo nos plenius ſuo loco. Interim ſaltem hæc de ſexagenariis, quoad Senatoria, & Militaria munia, prænotaſſe, cum tricennis nondum eſſem, eo magis placitum nunc, & volupe, quia divino beneficio, hæc ſæculo, receņſeoque, ſexagenario jam major, ſimulque Regio indulto vacans à judiciario in Senatu aſſeſſu, niſi ſi quando adeſſe velim; & permiſſum extrema hæc tempora mihi impertire; atque utinam vacarem ſoli animo chriſtiane ad extremam vitæ lineam apparando potius, quam litteratis hiſce lineis.

CAPUT XI.

Retracta, & Redacta ad numeros computatio Macri in d. l. 68. & an ea hodie ad praxim producenda.

ARGUMENTUM.

IN d. l. 68. *agnita* Triboniani *manus, qui computationem viceſimæ propriam applicuit Falcidiæ, in qua rationes calculandi expeditiores: vitia computationis* Macri *ad Falcidiam detortæ; in alimentis infanti legatis, iniqua ea computatio, & injuria heredibus, gratioſa legatario, incerta, & inæqualis plerumque: vitioſa etiam in uſufructu legato Reipublicæ; & quale ejus legati, atque anni Reipublicæ, alimentorum infantis diſcrimen in proportione computationis. Inæqualitas ejuſdem æſtimationis in legatario quinquaginta & novem annorum. Humana, & tolerabilis eadem in viceſima, quia in odium vectigalis, & Fiſci. A viceſima immunia ſunt alimenta legata pauperi, non item diviti. Computatione dictæ* l. 68 *utuntur in fere omnibus ſimilibus cauſis plerique ex Claſſicis, Practiciſque; ſed abutuntur. Exempla ex fori paratura. Æſtimatio annui reditus ad vitam, quænam hodie apud nos? Ejus norma, & ratio ineunda in æſtimatione redituum majoratus ad vitam poſſeſſoris, qui vel arrhas, vel ſponſalitiam largitatem promiſit, ut ſciatur, an ea ſint intra modum legibus Regiis præſcriptum. In vectigali, ſeu Gabella venditionis uſusfructus, cum ſit decima pretii, quo venditur, vitioſe, otioſeque induceretur computatio* d. l. 68. *in eoque* Bartholi, *& aliorum incogitantia revelata.*

1 HÆc, etſi pro firmanda Macri computatione in *d. l. Computationi* 68. advocari poſſe videantur, mihi tamen (dicam quod ſentio, nec veritati unquam ſciens prævaricabor) probatur magis nunc, quod jam pridem, poſt Cujacium, viri magni tentarunt, & inter noſtrates Primarius Salmanticæ, emeritis in Pontificio Jure ſtipendiis Anteceſſor, ac demum Regius in Suprema Caſtellæ Curia Senator, D. Joannes Parexa in *Otio quadrimeſtri 2. parte num.* 4. Fragmentum Macri, ad viceſimam pertinens, ad Falcidiam à Triboniano fuiſſe tranſlatum, ſive quis ejus manum agnoſcat, in principio *d. l. Computationi* 68. ubi Falcidiæ computatio applicatur, ſive dumtaxat in verſic. *Solitum*, quem Triboniano adſcripſit Faber *de error. Pragmat. dec. 10. errore 10. num.* 5. Ejus ſuſpicionis argumenta hæc, doctis cenſenda, & exponenda ſubjicio. Primum, quia quod ad poſitionem Falcidiæ legis attinet, in legatis alimentorum, atque uſusfructus, de quibus ex Ulpiano Macer in *d. l. Computationi* 68. expeditiores aliæ computandi rationes, in ſimilibus legatis proditæ occurrunt, & quidem ab Ulpiano, & aliis in *l. 1. §. Si in annos 16. l. 3. §. ult. l. lex Falcidia* 47. *l. cum Titio* 55. *D. ad leg. Falcid.* Nec fuit, cur vel Ulpianus ipſe, vel alii in exquirenda impeditiore illa, & ſcrupuloſa computatione ſudarent, aliis longe cer-

certioribus, & facilioribus ſuppetentibus. Secundum, quia quoad ipſam Falcidiam iniquior certe hæredibus, atque inæqualis computatio illa videtur, de qua in *d. l.* 68. Agnoſcunt enim Auctores noſtri, poſſe quem vivere centum annos. *l. an uſusfructus* 56. *D. de uſufr. l. ult. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l. ſi uſusfructus* 8. uti diximus in *diſſertatiuncula num.* 4. *& ſeqq. D. de uſufr. leg.* Atque, ut ſpatium vitæ hòc, tamquam longiſſimum, mittamus, conſtat ſaltem ſeptusgeſimum annum, aut ſupra, non raro homines attingere, ut vel divinus Vates cecinet Pſalm. 89. *Anni noſtri, ſicut aranea, meditabuntur, dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in potentatibus octoginta anni, & amplius, eorum labor, & dolor.* & concinunt Phyſici, Auctore Macrobio *lib.* 1. *ſomn. Scip. cap.* 6. Solon apud Laërtium *in ejus vita*, & ex ejus *Elegia*, Cenſorinus *de die natali cap.* 14. Philo *lib. de mundi opificio*, Clemens Alexandrinus 6. *ſtromat.* Ambroſius *enarratione altera in Geneſim ad Horontianum*, & jam olim Herodotus *lib.* 1. & vel Romanis ipſis Auctoribus, quorum instituta ſupra deſcripſimus, ſexageſimum. Atqui, ſi infanti uſusfructus, vel alimenta legata ſint, quem ſexagenarium futurum, ſperari poſſet, triginta dumtaxat annorum ad æſtimationem legati, & Falcidiæ deductionem computatio fit, quaſi non ultra legatarius victurus. Id autem, niſi poſtea illo tringinta annos egrediente, nova computatione emendatur, ut Accurſius, & veteres crediderunt in *d. l. Computationi* 68. repugnantibus, neque immerito, Covarruvia, Barboſa, & aliis, jam laudandis. Aperte legatario gratioſum eſt, & injurium hæredi, cui contra frequentiorem humanæ vitæ præſumptionem, Falcidiæ quantitas juſta detrahitur, ſi ſemel habita triginta annorum ratione, legatario jam eos egreſſo uſumfructum, aut alimenta præſtare cogitur. Sin vero tunc res emendanda, denuoque altera computatione, Falcidiæ ratio ponenda eſt, vitioſam, vel otioſam computationem primam eſſe fatendum, quæ nec communioribus humanæ vitæ terminis congruit, & rem adhuc in incerto relinquit. Nec objectioni facies ſatis, ſi dixeris, compenſatione facta incertitudinis vitæ longioris, & immaturæ, æſtimationem ad dimidium, tamquam inter extrema medium, deduci: ut ſupra expendebamus; id enim, ſi ita eſſet, utique in legato uſusfructus poſt trigeſimum annum legatarii, non fieret computatio triginta annorum, ſed dimidii illorum, hoc eſt quindecim; & tamen contra ſcriptum eſt in *d. l.* 68. *verſ. ſolitum.*

2 Tertium, ut Faber recte conſiderat, aperte iniquum eſt, in uſufructu Reipublicæ legato triginta dumtaxat annorum computationem fieri, ut in *d. l. Computationi* 68. *verſ. ſic denique*, cum certum ſit, niſi Reſpublica capite minuatur (quod & infrequens eſt, nec niſi inhumane ſperandum. *l. an uſusfructus* 56. *D. de uſufruct.* juncta *l. inter ſtipulantem* 83. §. *Sacrum verſic. ſed hæc D. de V. O.*) centum annis uſumfructum manſurum. *l. ſi uſusfructus* 8. *dicta l. an uſusfructus* 56. Solaque ratio incertitudinis vitæ in uſufructu homini legato, ſuperiorem computationem admitti, cogat, quia neſcitur quamdiu duraturus. Dices, favere potius computationem hanc hæredi, quam legatariis, quia in legatario infante æſtimantur alimenta, vel uſusfructus, ad rationem unius pro triginta, juxta *d. l.* 68. & tamen, ſi æſtimarentur juxta formam annui reditus ad vitam legatarii, non excederet rationem unius pro decem, aut paulo plus, ſicut noviſſime moribus, legibuſque noſtris, ad vitam reditus æſtimantur. *l.* 12. *tit.* 15. *lib.* 5. *compilation.* & conſequenter minor Falcidia apud hæredem remaneret, ſi detraheretur, ex legato decem, quam ſi detrahatur ex triginta, ut in *d. l.* 68. ſic etenim & legatum annuum Reipublicæ relictum, æſtimatur ad rationem trientis uſuræ, hoc eſt, unius pro viginti quinque. *l.* 3. §. *ultimo D. ad leg. Falcid.* & ſic quanti hodie plerumque perpetui reditus redimibiles æſtimantur; & tamen juxta formam *d. l.* 68. *verſic. ſic denique*, magis hæredi favetur, quia uſusfructus, Reipublicæ legatus, æſtimatur ad rationem unius pro triginta, ac proinde majorem ex eo Falcidiam detrahet, utpote ex legato triginta, quam ſi detraheret ex viginti quinque. Sed ut hoc tibi largiar, ſic quoque inæqualem videri computationem. *d. l.* 68. utpote cum tuo ſenſu, tanto magis hæredi ſine cauſa faveat, quam legatariis. Reſpondeo, diverſam eſſe cauſam reditus ad vitam, qui minoris æſtimatur, quia qui eum quotannis ſolvit, pretium ejus, ſeu ſortem ab eo, cui ſolvit, accipit, eamque, illo mortuo, lucratur: diverſam etiam in legato annuo perpetuo, quod, quoniam tempore non circumſcribitur, non poteſt aliter æſtimari niſi quanti plerumque perpetuus reditus redimibilis vendi ſolet, hoc eſt, ad rationem unius pro viginti quinque; at in legato alimentorum, quod, moriente legatario, finitur, debuit quarta longe pluris æſtimari, & legati computatio iniri, juxta frequentiorem humanæ vitæ præſumptionem, hoc eſt, ad rationem unius pro ſexaginta, ita ut illorum quarta penes hæredem maneret, non autem ad rationem unius pro triginta, ne alioquin, ſi diutius legatarius vivat, quod ſæpe eveniet, eique adhuc alimenta præſtanda ſint, non maneat integra quarta apud hæredem, quam immunem, atque indelibatam ei, lex Falcidia ſervari voluit.

Quartum, quia, ut vel vitium hoc tam ſcrupuloſæ, & anxiæ computationis, nunquamque exacte ad numeros, proportionemque reſpondentis, admota manu revelemus, ſcriptum eſt in *verſic. ſolitum*, à trigeſimo anno tot annorum computationem fieri, quot ad annum ſexageſimum legatario deſunt, nec unquam amplius, aliterve computandum. Proinde ſi novem & quinquaginta annorum ſit legatarius, unius dumtaxat anni, qui ad ſexageſimum deeſt, computatione facta, ejus ſolius Falcidia deducetur. Et tamen, ſi ſexagenarius eſſet, aut longe major ſexagenario, quinque ſaltem annorum, quaſi & eos victurus, ratio haberetur in computatione, ut proditum eſt in *d. l.* 68. *verſic. Ab annis ſexaginta.* Id vero abſurdum, & inconcinnum eſſe, quis non videat, cum ſic legatarii, nondum ſexagenarii, brevior futura vita præſumatur, quam ſexagenarii, vel ſeptuagenarii, aut longe ſenioris, cujus ætas quanto magis in flexu conſiſtens, tanto celerius præcipitare, & extremæ lineæ appropinquare ſolet? Hæc itaque ſuperioris computationis vitia ſunt, quibus, quemadmodum illam iniquam, inæqualemque eſſe, apparet, ſi Falcidiæ deducendæ applicetur, quia in pleriſque in fraudem Falcidiæ, legatariis aperte favet, & cum illis quodammodo in necem, damnumque hæredis conſpirat; ita ſi ad viceſimam hæreditatis, & legatorum referatur, de qua Macer tractabat, ut ex *Epigraphe* liquet in *d. l. Computationi* 68. humana, & favorabilis cenſenda eſt; favet enim legatariis in odium vectigalis, & Fiſci, habita ætatis eorum ratione, quanti minoris poteſt, quamvis plus eos victuros, ſit veriſimile, ſumpto tamen colore ex lubrico, atque incerto vitæ humanæ, ut ſic, pauciorum annorum computatione facta, in legato alimentorum, & uſusfructus, & conſequenter minoris æſtimato legato, minor etiam ex eo viceſima Fiſco pendatur. Solent enim veteres illi Juris, & æquitatis conſulti (contra quam hodie, moribus in deterius verſis, fit) in re præſertim dubia, privatorum, quam Fiſci cauſam, potiorem ducere, & contra Fiſcum facile reſpondere. *l. non dubito* 10. *D. de jure Fiſci. l. unic. in principio, & §. ult. Cod. de cod. toll. l.* 2. *de advocato Fiſci in Cod. Theodoſ.* & nos alibi commodius dicemus. Supponimus autem, dum de viceſima, ex legato alimentorum debita, loquimur, relicta fuiſſe alimenta diviti, quo caſu inter pia legata non recenſentur: ſed, ſi pauperibus relicta, proponerentur, immunia eſſent à viceſima dependenda, quia ex relictis, pietatis cauſa, non debetur, ut dicemus infra, qualia ſunt procul

dubio legata alimentorum, relicta pauperibus: *l. Mela* 14. §. 1. *D. de alim. vel cibar. leg. l. ſancimus* 21. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Novell.* 132. *de Eccleſiaſt. tit. cap.* 11. *&* 13. *verſ. in captivorum*; docet, ut alios mittam, in terminis Gabellæ ex legatis Baldus in *l. illud num.* 1. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* & in viceſima ipſa alimentorum diſerte Ann. Robertus 2. *rer. jud. cap.* 2. *in extremo.* Tandem, ne ſcrupuloſius in Macri computatione hæreas, licebit in commune, ut addas, proportiones computationum ejuſmodi in rebus moralibus, incertiſque, non exacte, & ad mathematicam amuſſim diſquiri poſſe, nec rationes earumdem reddi, quæ omnino concludant, & ſi gnent, quomodo in ſimili illa computatione ætatum pro ſiclis Sanctuarii ad *Levitici cap.* 27. obſervarunt, poſt Abulenſem inibi *quæſt.* 13. *& ſeqq.* Biblici Scholiaſtæ noviores.

4 Ex his, ut & Pragmaticis noſtris indulgeamus, liquebit, puto, ſatis, quid ſentiam de inveterata illa interpretum traditione, quæ docet, computationem, quæ proponitur in *d. l. Computationi* 68. non tantum in ratione Falcidiæ, ſed etiam in ſimilibus omnibus controverſiis de æſtimatione reditus ad vitam, & præſumptione humanæ vitæ, ſervandam eſſe. Ita, ſenſiſſe Accurſius, videtur, in *l. omnium* 29. *D. de uſufr. & in l. cum hi* 8. §. *Modus D. de tranſact.* & ſequuntur poſt Barthol. alioſque ex Claſſicis in *d. l. Computationi* 68. Speculator *tit. de injur.* §. *ult. num.* 6. Panormitanus in *cap.* 1. *& cap. olim de injur.* Rodericus Suarez in *l. quoniam in prioribus ampliat.* 3. *num.* 9. *& ſeqq. Cod. de inoffic. teſt.* D. Covarruv. 2. *var. cap.* 10. *num.* 7. & poſt Gomeſium, Pinellum, Padillam, Guterrium, Surdum, Farinacium, atque alios, Caſtillo *lib.* 4. *contr. cap.* 13. *num.* 15. Thom. Sanctius *conſil. mor. lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 2. & quoad alimenta, poſt Laram, D. Joannes de Larrea *deciſ. Granatenſ.* 66. *num.* 31. Mihi autem longe verius videtur, computationem, de qua Macer in *d. l.* 68. cum ad viceſimam proprie pertineat, nec in Falcidiæ quidem ratione recipi uſu, &, ut vulgo loquuntur, practicari oportere, in qua certiores, & faciliores aliæ computationes occurrunt. *d. lege lex Falcidia* 47. *l. cum Titio* 55. *D. ad leg. Falcid.* Multoque minus in aliis extra Falcidiam controverſiis, ad quas computationem illam præciſe, & ſtricte (ſive nonniſi prout vir bonus arbitrabitur) producendam non eſſe, meliores, nec pauciores interpretes cenſent. Alexander in *d. l. Computationi* 68. *num.* 9. poſt alios Jaſo in *l. eum qui ita* 56. §. *Qui ita* 1. *num.* 11. *D. de verb. oblig.* Duaren. in *paraphraſi ad tit. D. ad leg. Falcid. cap.* 8. *pag. mihi* 568. egregrie noſter Covarruv. *lib.* 3. *var. cap.* 9. *num.* 8. Molina de primog. *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 40. Barboſa in *l. maritum* 13. *num.* 12. *D. ſol. matrim.* Gaſpar Rodrig. *de ann. redit. lib.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 17. & poſt alios, Eſcobarius *comput.* 2. Cancerius 2. *part. variar. cap.* 17. *num.* 79 plures apud Cevallos *comm. quæſt.* 552. *&* 893. & cum Theologis Molina, Leſſio, Becano, & aliis, Diana 5. *part. tract.* 4. *reſol.* 53. Idque paucis exemplis, & quidem ex frequentioribus Judiciorum, apud nos, controverſiis, libens firmabo.

5 Primum ſit, in æſtimatione annui reditus ad vitam, quæ ſi fieret ad vitam infantis, juxta formam *d. l. Computationi* 68. ut voluiſſe videtur, poſt Baldum, & alios, Caſtr. *num.* 22. Jaſo *num.* 8. in *l. ſi pater puellæ Cod. de inoffic. teſtam.* eſſet ad rationem unius pro triginta, quanti hodie nemo, niſi omnino ſtultus, ſtupiduſque, reditum ad vitam emere vellet, cum poſſet non tantidem perpetuum reditum redimibilem comparare: itaque rectius moribus noſtris obtinuit, ut juſtum pretium annui reditus ad vitam ſit ad rationem unius pro ſeptem, ſicut, amputatis interpretum contentionibus, definitum apud nos fuit in *l.* 8. *tit.* 15. *lib.* 5. *compilat.* ſeu potius ad rationem unius pro decem, ut noviſſime placuit. *l.* 12. *tit.* 15. *lib.* 5. *compilat.* videndi, poſt Oldradum *concil.* 207. Covarruv. *lib.* 3. *variar. cap.* 9. *num.* 7. *&* 8. Felician. de Solis *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 21. Michaël Salon in *diſputat. de cenſib. art.* 5. *contr.* 2. Rodriguez de annuis redit. *d. l.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 10. Avendaño *de cenſibus cap.* 33. *num.* 3.

Secundum eſt, in æſtimatione redituum bonorum majoratus ad vitam poſſeſſoris, quam ſæpe certa regula definiri permultum intereſt, veluti ſi tractetur de promiſſione illarum, quas *arrhas* dicimus, quæque in Hiſpania ex erebriori noſtratium placito in locum donationis propter nuptias ſucceſſiſſe, creduntur. *l.* 1. *tit.* 11. *part.* 4. *l.* 87. *tit.* 18. *part.* 3. nec promitti uxori à marito utiliter poſſunt, ſi egrediantur decimam partem bonorum, quæ maritus habuit, cum promittebat, juxta *leg.* 1. *tit. de las arrhas lib.* 3. *fori*, quæ hodie exſtat in *l.* 50. *Tauri, & in l.* 2. *tit.* 2. *lib.* 5. *compilat.* In his itaque, ſi ponamus, majoratus poſſeſſorem arrhas promittere, quæraturque, an exceſſerint quantitatem decimæ partis bonorum, neceſſe eſt computatione inita majoratus reditus, ſive bona ad vitam poſſeſſoris (namque & hactenus illius ſunt) æſtimari, idque faciendum dinumeratione vitæ poſſeſſoris, inita juxta normam *d. l. Computationi* 68. cenſuit Palat. Rub. in *repetit. Rubr. de donat. int. vir. & uxor.* §. 25. Padilla *in authentic. res quæ num.* 30. *Cod. de legat.* Mieres *de majoratib.* 3. *parte, quæſt.* 9. *num.* 13. Gregor. Lopez in *l.* 4. *gloſſ.* 1. *verſic. ex prædictis etiam titul.* 15. *part.* 2. Gomes Arias in *l.* 48. *Tauri num.* 16. Valaſcus *tom.* 1. *conſult.* 16. *num.* 11. Cenſent tamen haud recte; eſt enim expeditior, uſuque jam receptior alia ratio, ſcilicet, ut majoratus reditus omnes, deductis impendiis, æſtimentur ad rationem unius pro ſeptem, ſive octo, quanti apud nos antiquiori lege Regia anniverſarii ad vitam reditus æſtimari ſolebant, ex *l.* 8. *titul.* 15. *libro* 5. *compilat.* ſeu potius ad rationes unius pro decem, quanti noviſſime æſtimantur. *l.* 12. *titul.* 15. *dict. libr.* 5. ſicque totius, ut ſic dicam, uſusfructus bonorum majoratus computatio ineatur, ut proinde majoratus poſſeſſor, cujus reditus anniverſarii bis mille aureorum ſunt, poſſit hodie integrum unius anni reditum, arrharum nomine, promittere, hoc eſt, aureorum duo millia, quæ ſunt decima pars æſtimationis univerſorum redituum, ad rationem unius pro decem. Ita primus, qui fere inter Pragmaticos noſtros primarius, Molina *de primogen. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 41. Gutierrez *libr.* 2. *practic. quæſt.* 17. *numer.* 8. Sanchez *de matrimonio libr.* 6. *diſputation.* 31. *num.* 3. Quo exemplo & circa ſponſalitiam largitatem, quam patrio idiomate *viſtas* vocamus, nec promitti uxori à marito poteſt, ultra octavam partem dotis acceptæ. *l.* 1. *titul.* 12. *libr.* 5. *compilation.* ſi, ad octavam partem taxandam, quæratur de æſtimatione dotis in perſona mulieris, quæ, cum majoratum poſſideret, ejuſdem reditus in dotem contulit, non dubitaverim affirmare, æſtimari dotis, ſeu majoratus reditus oportere, ad rationem unius pro decem, ſicut in arrhis dixi, non autem juxta formam *d. l. Computationi* 68. quamvis illa ad hanc ſpeciem abutantur Mieres *de majorat. d.* 3. *parte quæſt.* 9. *num.* 15. Valaſcus *conſult.* 16. *num.* 1.

Tertium exemplum ſit, in æſtimatione uſusfructus venditi, cujus ex pretio vectigal, ſeu Gabellam deberi, quæ ex venditionibus aliarum rerum ſolvi ſolet, neque dubitandum quidem eſt, utique ſi uſumfructum, ut poſuimus, venditum, non fructuum locationem factam conſtiterit, namque & viceſima ex legato uſusfructus pendebatur, *d. l. Computationi* 68. notant ad rem, poſt alios, Gironda *de Gabellis part.* 11. *num.* 30. Laſſarte *de decima vendit. cap.* 2. *num.* 50. *& ſeqq.* æſtimandum vero tunc uſumfructum juxta rationem *d. l. Computationi* 68. ut liqueat, quantum, Gabellæ nomine, ex venditione ejuſdem ſolvendum, ſcribit Bart. in *d. l.* 68. *in fine*, notabilem illam in hanc rem affirmans, &, poſt Caſtrenſem, Alexander *ibidem num.* 9. ſequuntur ex noſtratibus Palat. Rub. *in repet. Rubricæ de donat. inter* §. 25. *num.* 2. Suarez *in l. quoniam in prioribus ampliat.*

pliat. 3. *num.* 9. *Cod. de inoffic. teſt.* Gomez Arius *in l.* 48. *Tauri num.* 17. Mihi vero (deprecor læva Numina, quod fidenter hoc dicam) inepte, atque inconſpecte Bartholus, & congeneres loqui videntur; quorſum enim uſusfructus venditi æſtimatio ineunda, juxta *d. l.* 68. niſi ut ex ea Gabella ſolvatur, reſpondens quantitati æſtimationis? Quænam autem, obſecro, neceſſitas incertæ, atque impeditæ computationis, & æſtimationis faciendæ in venditione, ex qua ipſa certior, & expeditior æſtimatio conſtat? Pretium nempe, quo uſusfructus venditur, ſine quo, & quidem certo, conſiſtere venditio non poteſt. §. *Pretium autem Inſtit. de empt. & vendit. l. hæc venditio* 7. §. *ult. D. de contrab. empt. l. ult. Cod. eod. tit.* Apud nos certe frequens illud vectigal ex venditionibus, quod *Alcabalam* dicimus, eſt decima pars pretii, quo venditur. *l.* 1. *tit.* 17. *lib.* 9. *compilat.* Proinde, ſi uſusfructus venditus proponeretur, puta, mille, ſepoſita æſtimatione *d. l. Computationi* 68. ſolvenda eſſet, Gabellæ nomine, decima pars pretii, quo venditus uſusfructus, nempe ex mille centum, nec viceſimæ exemplum, quo ſæpius in Gabellis noſtris utimur, nos ab hac aſſertione movet, aut mutat. Quippe in viceſima, cum ſolvatur ex legato uſusfructus, cujus certa æſtimatio definita teſtamento non eſt, neceſſe omnino fuit retrocurrere ad computationem, quæ proponitur in *d. l.* 68. Illa vero in vectigali ex venditionibus vitioſe induceretur, cum poſſit, debeatque ex pretio convento, quo venditus uſusfructus eſt, vectigal ſolvi, taxarique.

CAPUT XII.

Ad Marcum in §. ult. dict. l. Computationi 68. *& Ulpianum in l.* 2. *§. Si quid* 16. *D. de hæredit. vel act. vendit.*

ARGUMENTUM.

Vulgata lectio, & expoſitio d. §. ult. *relata, & collata cum Baſilicis, & Synopſi, ex qua & Florentina firmatur. Propria ejus loci quæſtio ad viceſimam pertinens. Ad eamdem fortaſſe reſpicit* Papinianus *in* l. 5. §. Qui non habita D. de cenſibus. *Dubitandi ratio apud* Macrum, *ex comparatione Falcidiæ, qua indignus hæres, ſubtrahens rem hæreditariam. Notata occulta alluſio ad viceſimam in* d. §. ult. *decidendi ratio ex diſcrimine interverſionis, & inficiationis. Palam peccantibus, ut errantibus, plerumque ignoſcitur, aliter, atque clam delinquentibus, ut contumacibus. Nexus adhuc, ſolutuſque in* d. §. ult. *non levis nodus. Differentiæ legandi per damnationem, & vindicationem, perſtrictæ obiter, quoad res legatas, & earum fructus, ex queis, vel curſim, non vulgaris lux data* Ulpiano, Gordiano, *& aliis, pleniorque, & ex profeſſo,* Macro *in* d. §. ult. *Senatus Conſulti Neroniani quæ, & qualis cautio. Tranſitum ad* d. l. 2. § Si quid 16. *Vectigalia legatæ rei quando, & quatenus legatario ſint oneri, vel hæredi, quando item venditori, aut emptori. Petita inde explicatio* d. §. Si quid. 16. *& in eo viceſimæ veſtigium, conjectura audaciuſcula, perquiſitum. Ex venditione hæreditatis hodie decima, ſeu Gabella ſolvitur, eaque onus venditoris eſt, neque hæreditatis emptori imputandum.*

1 SUpereſt explicanda in *d. l. Computationi* 68. (in qua diutius, quam putavimus, morati ſumus, dum catena veluti ducimur cohærentium inter ſe rerum) quæſtio quæ ſequitur in §. *ult.* ejuſdem legis. Ubi ſi quis ex hæredibus rem propriam eſſe, contendat, & hæreditariam eſſe, convincatur, ſcriptum, ex quorumdam ſententia, eſt, ejus quoque Falcidiam non poſſe retineri, quia nihil intersit, ſubtraxerit, an hæreditariam eſſe negaverit, ſubjicit tamen poſtea Macer ſic: *Quod Ulpianus recte improbat.* Quæ verba cum in vulgatis ſic legerentur: *Quod Ulpianus recte probat*, quomodo, ſive eodem ſenſu lectionem, *Falcidiam non retinet*, in hærede negante, & convicto, rem hæreditariam eſſe, jam olim reperiſſe ſe in Baſilicorum quibuſdam Codicibus, adnotavit Græcanicus Scholiaſtes Cyrillus ad *lib.* 41. *tit.* 1. *in d. l.* 68. §. *ult.* Ita Macri ſententiam Bartholus, atque ejuſdem factionis Gloſſematarii, imo & noviores aliquot acceperunt, quaſi cum quibuſdam illis probaret, perinde inficiatione, ac ſubtractione rei hæreditariæ hæredem ejus Falcidiam non retinere, in pœnam ſcilicet mendacii, de cujus odio multa multis inferciunt, ad *d. l.* 68. §. *ult.* ſed id, quam falſum ſit, poſtrema ejuſdem verba demonſtrant, quæ in Florentinis Pandectis extant, & agnoſcunt Baſilica *lib.* 41. *Synopſis* à Leunclavio editæ *tit.* 1. *de Falcidia cap.* 57. ita: *Rerum ſubtractarum hæres non retinet Falcidiam; ſed ſi contendat, propriam eſſe rem, poſtea autem oſtendatur, eſſe hæreditariam, retinet Falcidiam.* Agnoſcunt & extra Synopſim Baſilica ipſa *lib.* 41. *tit.* 1. *in d. l.* 68. §. *ult.* ſuadet denique orationis ipſa junctura, quia poſt primam illam aſſertionem de hærede non retinente Falcidiam rei legatæ ab eo ſubtractæ, dum ſubjungitur per adverſativam: *εἰ δὲ φιλονεικεῖ ἰδίαν εἶναι τὸ πρᾶγμα*, id eſt: *Sed ſi contendat, rem propriam eſſe*; ſeries hæc Textus flagitat diverſam, aut adverſam priori aſſertionem, cujuſmodi eſt, Falcidiam retinet, ſeu [illegible]. Jam vero hoc ſuppoſito, ut paucis rem explicemus, hæc quæſtio ejus §. eſſe videtur; An unus ex hæredibus, qui rem legatam propriam eſſe reſpondit, ſi hæreditariam eſſe convincatur, non poſſit ex eadem deducere viceſimam Fiſco debitam, de qua potiſſimum Macer tractabat in *d. l. Computationi* 68. ut ex illius inſcriptione liquet; quamque ex legatis etiam hæredes ipſos Fiſco ſolviſſe, eamque legatariis legata petentibus reputaſſe, deductione viceſimæ ex ſingulis legatis facta, probant mihi veteres inſcriptiones aliquot, in quibus lego, cum ex legatis viceſima non ſolvitur, hæredes legata præſtare, *ſine ulla deductione XX.* quaſi ſcilicet alioquin ipſi, eam Fiſco ſolvendam ex legatis deducerent, ut Capite ſequenti exponam: eoque non immodice referri poteſt Papiniani locus in *l. cum poſſeſſor* 5. §. *Qui non habita D. de cenſibus*, ubi ſcribit, hæredibus, qui ex legati, aut fideicommiſſi cauſa prædia reſtituunt, non habita ratione tributorum, ut puta ſine deductione viceſimæ ex legato, aut fideicommiſſo Fiſco ſolvendæ, actionem competere ex Reſcripto Divi Pii, quaſi plus debito ſolverint, dum, quod deducere poterant, eoque nomine ſibi cavere, per errorem omittunt. *l.* 3. §. *Item* 5. & §. *ult. D. ſi cui plus quam per leg. Falcid. l. ſi quis cum* 39. *D. de condit. indebiti.*

Sed in quæſtione, quam propoſui, dubitandi rationem præbet Falcidia, quam hæres ex re, quam ipſe amovit, retinere non ſolet; quin potius quarta ejus rei, ei velut indigno erepta, Fiſco defertur. *l. reſcriptum* 6. *D. de his quæ ut indignis. l. Falcidiæ* 24. *D. ad leg. Falcid. Novell.* 1. *de hæred. & Falcid. cap.* 2. indignus enim eſt beneficio legis Falcidiæ, qui id egit, ut legata intercijderent. *l. beneficio* 59. *D. ad leg. Falcid.* ſicut & indignus legatarius legato, cui, cum certa hæreditatis portio relicta eſſet, res hæreditarias ſubtraxit, unde & ei earum rerum petitionem negari, reſponſum, & reſcriptum eſt. *l. Paulus* 48. *D. ad S. C. Trebell. l. non eſt dubium* 5. *Cod. de legat.* cur non igitur perinde puniatur hæres, qui rem hæreditariam ſuam eſſe affirmavit, cum hoc ipſo & ſibi afferat, & legatariis ſubtrahat, *nihilque interſit*, ut cum quibuſdam Macer ponit in *d.* §. *ult. ſubtraxerit, an hæreditariam eſſe negaverit?* Aut cur

non, ſi in Falcidia id admittitur, cujus deductio favorabilior longe eſt in perſona hæredis, in viceſima non admittatur? Quibus ſane rationibus moti, non defuerunt ex veteribus, qui exiſtimarent, ſi hæres rem hæreditariam propriam eſſe, contenderit & convincatur, *ejus quoque Falcidiam non poſſe retineri*; ut ſcriptum eſt in *d. §. ult.* hoc eſt, non tantum viceſima (in qua, ſi de Falcidia idem conſtaret, dubitari minus poterat) ſed etiam Falcidiam ab hærede retineri non poſſe, & nihilominus hæredem, habita etiam ejus rei ratione, quamvis legata ſit, viceſimam de ſuo, Fiſco præſtiturum, ſicut & Falcidia ejus rei, quam ſubtraxit, in Fiſcum cogitur, *d. l. reſcriptum 6. D. de his quæ ut indign.* Sed Ulpianum, Macrumque ipſum fortior ratio moviſſe videtur, ut ſententiam hanc improbarent, & quidem recte, ut tandem concluditur in extremo *d. §. ult.* namque, ut illud largiamur, à Falcidia ad viceſimam argumentum in hac parte valere, idque, quod in Falcidia quidam putabant, ſi in ea verum ſit, facilius in viceſima admittendum; affirmari tamen, niſi abſurde, non poteſt, nihil intereſſe, ſubtraxerit hæres, an hæreditariam rem eſſe, negaverit, & eamdem pœnam eſſe debere inficiationis, & furti. *Inficiando depoſitum*, ait Celſus, *nemo facit furtum, nec enim furtum eſt ipſa inficiatio, licet prope furtum eſt. l. inficiando 67. D. de furt.* in furto contrectatio, & ea quidem fraudulenta, cum clam, & obſcuro fit, intervenit. *l. 1. in princip. & §. 1. & ſeqq. l. vulgaris 21. §. Qui furti D. de furtis. l. ſæpe 53. §. ult. D. de verb. ſignif.* in inficiatione ſolus animus verbis expreſſus ſine contrectatione, & quanto magis palam aperte, tanto à furto, fraudeque alienior præſumitur. *l. 3. §. Si rem D. de acquir. poſſ. l. ſi quis uxori 52. §. neque 19. D. de furtis.* Obtinuit autem fere in pleriſque, ut palam delinquentes, tamquam errantes, majori pœna excuſentur; clam committentes, ut contumaces, gravius plectantur, ut eleganter Paulus in *l. ult. D. de ritu nupt.* juncta *l. ult. D. de effractorib.* ita, qui ex latere conſanguineam, quam vetatur, aut affinem, quam impeditur, uxorem duxerit, ſi palam fecerit, lenius, ſi clam commiſerit, gravius punitur *d. l. ult.* Ita tutor clam, & latenter, aut per perſonam interpoſitam, & à pupillo emere, & pecuniam ejus mutuam accipere prohibetur, palam, aperteque non utique. *l. non exiſtimo 54. D. de adminiſtr. tutor. l. pupillus 5. §. Item ipſe D. de author. tutor. l. 5. Cod. de contrab. empt.* Ita denique legatum, fideicommiſſumve, palam incapaci relictum, in Fiſcum non cogitur, cum in tacitis contra ſit. *l. 3. in princip. & §. 1. D. de jure Fiſci. l. in tacitis 103. l. Lucius 123. §. ult. D. de legat. 1.* & omnino, ut alibi Seneca *Epiſt. 95. Ex Senatus Conſultis, plebeiſque ſcitis ſæva exercentur, & publice jubentur, vetita privatim. Quæ clam commiſſa capite luerent, tamen quia palam fecere, laudamus,* niſi cui magis placeat, *tamen, quia paludati fecere*, quæ vulgata, & probiſſima lectio eſt. Divus Hieronymus in *Eſaiam cap. 12. In comparatione duorum malorum, levius eſt aperte peccare, quam ſanctitatem ſimulare*; recte itaque ex Ulpiano Macer affirmat, eum, qui rem hæreditariam eſſe palam negavit, quamvis hæreditariam eſſe convincatur, neque Falcidiæ, nec viceſimæ deductione cariturum, quibus, ſi ſubtraxiſſet, careret, cum pœnales cauſæ, & odioſæ contrahi potius debeant, quam ampliari; & interpretatione molliri, non aſperari. *l. cum quidam 19. D. de lib. & poſth. l. pen. D. de pœnis.*

3 Illud in *d. §. ult.* adnotatu digniſſimum videtur, cur ſcilicet, cujuſve emolumenti dulcedine pellectus hæres inficiari potuerit, hæreditariam eſſe rem legatam (de illa enim, non de hæreditaria ſimpliciter, quæſtionem proponi, indicat mentio Falcidiæ in *d. §. ult.* quæ ex legatis rebus detrahitur) & propriam eſſe affirmaverit, cum, etſi propria hæredis eſſet, conſtet, eam utiliter legatam eſſe, ſive teſtator ſcierit, ſive ignoraverit. *l. unum 67. §. Si rem D. de legat. 2. l. hæredum 25. Cod. de fideicommiſſ.* & quidem ita, ut valeat legatum, etiam ſi ratio Falcidiæ legis intervenit. *l. pater 14. §. Quod avus l. Falcidiæ 24. § ult D. ad leg. Falcid.* Mihi, ne in aliis recenſendis morer, quæ poſt Accurſium, Cumanum, & Albericum recentiores tentarunt, jam pridem placitum cum Cujacio, cum principalis quæſtio alio ſpectet, ſupponendum eſſe in *d. § ult.* teſtatorem nominatim res ſuas legaſſe, aut etiam ſimpliciter rem per vindicationem, quo genere legandi, non niſi propriæ teſtatoris res, teſtamento relinqui poterant jure antiquo, teſte Ulpiano in *fragm. tit. 24. de legat. §. Per vindicationem 7. & §. Per præceptionem 11.* Cajo *lib. 2. inſtit. tit. 5. §. 2. & 3.* Res autem aliena, aut hæredis, inutiliter per vindicationem legatur. *l. Stichus 30. D. de manum. teſt. l. tantum 88. D. de V. S.* per damnationem vero poteſt. *l. Pomponius 13. §. Sed & legatario in fine D. de acquir. poſſeſſ. l. Falcidiæ 24. §. ult. l. Alfenus 61. D. ad leg. Falcid.* eoque referendus, me pridem indice, ad legatum ſcilicet damnationis, Ulpiani locus, in quo Accurſius, & Albericus fluctuabant. *l. cum vero 26. § ult. in fine D. de fideicom. lib.* Non fuiſſe autem damnationis legatum in *d. §. ult.* vel ex eo liquet, quod ſic otioſa de Falcidia ipſius rei quæſtio, & deciſio eſſet, cum in legatis per damnationem inficiando lis creſceret, & duplum ab hærede præſtaretur. *§. Ex quibuſdam Inſtit. de oblig. quæ quaſi ex contr.* tum etiam quia in legato per damnationem inepta indignaque veteribus illis Juriſconſultis, quos Macer refert, eſſet comparatio illa ſubtractionis, & inficiationis in verſ. *Quia nihil*; per ſubtractionem enim, re legata non extante, legatum interciderct, idque quia egiſſe hæres videtur, punitur. Per inficiationem vero non intercideret, quin potius deberetur legatum per damnationem, quamvis rem legatam propriam hæredis eſſe conſtaret, ut ſupra diximus. Ergo ſi per vindicationem, ut ponimus, res hæreditaria legata ſit, eamque hæres, ut legatum evertat, ſuam eſſe contenderit, & convictus ſit, adhuc Falcidiam, & viceſimam retinebit, ex Ulpiani ſententia, quam Macer probat in *d. §. ult.* Hodie ſane ſeptempartito noſtro Jure, quod & vulgatam lectionem *d. §. ult.* & receptam veterum interpretationem ſequitur, contra ſtatuitur in *l. 6. tit. 11. part. 6.*

At reſtat adhuc, nec diſſimulandum, offendiculum, quippe quamvis verum, vetuſque ſit aſſertum illud jus de non legandis olim per vindicationem niſi rebus, quæ utroque tempore teſtandi, & mortis fuerint in dominio teſtantis, ex jure Quiritium, de quo ſupra, cautum fuit tamen poſtea, ut quicquid minus aptis, ſeu legitimis verbis legatum eſſet, perinde haberetur, ac ſi optimo jure legatum eſſet, unde & obtinuit, ut legata per vindicationem re, quæ non utroque tempore teſtamenti, & mortis fuit teſtatoris, legatum ſubſtineretur, idque ex Senatus Conſulto Neroniano, cujus, non recenſentibus Antonio Auguſtino, & aliis Romanæ Nomotheſiæ concinnatoribus, reſtata mentio apud Ulpianum *tit. 24. de legat. §. Per præceptionem 11. verſ. ſi ea rer.* Ex quo & Salmanticæ ante ſex luſtra, Academica Orcheſtra annuente, de Agatheæ ancillæ per vindicationem legato ſuſtinendo in ea, quæ teſtamenti tempore teſtatoris non fuit, exponebamus Paulum in *l. filiæ 28. §. 1. D. de condit. & demonſtrat.* Sed amovebimus, nec morabimur, obicem, ſi obſervetur, quantumcumque ſupponamus, legatum vindicationis, etiam ſi res non hæreditaria foret, conſtitutum, & ſuſtinendum ex Neroniano in *d. l. 68. §. ult.* interfuiſſe tamen multum hæredis, ſuſtineri tamquam legatum rei non hæreditariæ, & ex Neroniano, quia ſuſtineretur tamquam legatum, non vindicationis, quod Jure Civili non valeret, ſed damnationis, & rei alienæ, ut Ulpianus cenſet, aut ſentit. *d. tit. 24. § Per præceptionem 11.* legati autem per damnationem, ſit licet, habeaturque, eidem Ulpiano optimum jus, quia expeditius legato ſuſtinendo, *d. §. 11.* non 4

eſt

Digitized by Google

eſt tamen perinde plenum, atque utile legatario, ac vindicationis, imo utilius hæredi, vel in eo ſaltem quod in legatis damnationis, & fideicommiſſis, fructus, & emolumenta rei relictæ non pertinent ad legatarium, niſi poſt litem conteſtatam, vel, ſi ante eam mora facta ſit, ex die moræ, & ea non antecedente percepti, ſunt hæredis. *l.* 3. *l. equis* 8. *l. reſpondit* 14. *l. equis* 39. *l. Herennius* 42. *D. de uſuris. l. quæſitum* 91. §. *ult. D. de legat.* 1. *l. quod ſervus* 38. *l. ſi quis ſervo* 84. *l. Titia* 87. §. 1. *D. de legat.* 2. *l. Patronus* 35. *D. de legat.* 3. *l.* 1. & 2. *l. ult. Cod. de uſuris & fruct. legatorum*, in qua verba illa, *ſive in rem agatur*, referenda eſſe non ad vindicationem, ſed ad remedium miſſionis in rem, quod fuit proprium fideicommiſſorum, monui pridem ex Paulo *lib.* 4. *ſent. tit.* 1. §. *Rem*, & §. *pen.* & *ult. l.* 1. *Cod. commun. de legat.* E contra autem rei per vindicationem legatæ, fructus, emolumentaque pertinent ad legatarium, utpote dominum à tempore mortis, etiam ante moram hæredis. *l. ſi dominium* 47. *l. ſi is qui* 66. §. 1. *juncta l. à Titio* 64. *D. de furtis. l. huic ſcripturæ* 15. *D. ad leg. Aquil.* juncta *d. l. Herennius* 42. *D. de uſuris*, ſive quod idem eſt, ex die aditæ hæreditatis, cum retrotractione ad tempus mortis. *l. ſi tibi* 86. §. *Cum ſervus. l. nihil* 120. §. *ult. D. de legat.* 1. excepto ſcilicet caſu *l. quæſitum* 45. *D. de acquir. rer. domin. verſ. quia etſi*, ubi ad rem Cujacius, quamvis differentiam propoſitam ille idem alibi, & alii non ſatis extricent, de qua tamen, & aliis, in queis ſavorabilius, quam vindicationis, legatum damnationis hæredi, ideoque & illius intererat, ſuſtineri tamquam damnationis, & rei non hæreditariæ, in *dict.* §. *ultim.* Plura nunc nec licet, nec libet; ſed an ad Viceſimam colliment verba illa, *quod ad Falcidiam pertinet*, in *l. ſervi.* 43. *D. ad leg. Falcid.* deliberamus nunc, & dicemus fortaſſe *lib.* 4. *reliquatione* 17. in extremis.

5 Eſt & aliud, ignotum, puto, hactenus, Viceſimæ veſtigium apud Ulpianum, in *l.* 2. §. *Si quid* 16. *D. de hæred. vel act. vend. credimus, an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?* Somnium erit fortaſſe: ita tamen jam pridem in mentem venit, cum Ulpiani ſententiam expenderem attentius: quæſtio hæc eſt, an venditor hæreditatis, ſi quid, publici vectigalis nomine, præſtiterit, recuperare ab emptore poſſit; ambigendi ratio ex eo, quod placuit, hæredem rerum hæreditariarum vectigalia ſolvere cogi. *l. cum ſervis* 39. §. *hæres D. de legat.* 1. *l. commiſſa* 14. *D. de publicanis*, quamvis, ſi res legatæ ſint, legatarius quoque, utpote poſſeſſor, præteriti temporis tributum agnoſcere debeat *l. prædiis* 36. *D. de jure Fiſci. l.* 2. *Cod. de annon. & tribut. lib.* 10. *l.* 2. *Cod. de fundis rei privatæ. lib.* 11. eoque nomine conveniri à Fiſco poſſit *l. cum poſſeſſor* 5. §. *ult. D. de cenſibus.* Dum tamen ſi reliqua ſint præteriti temporis, quæ Fiſco legatarius ſolvit, indemnis ab hærede ſervetur, quemadmodum eodem exemplo emptori, ſi ignoravit ob vectigal præteriti temporis ſolutum, adverſus venditorem actio datur *d. l. cum poſſeſſor* §. *ult. l. Imperatores* 7. *D. de publicanis. l. in venditione* 41. *D. de action. empt.* juncta *l. ſi minor* 9. *Cod. eod. tit.* ſin autem ſint tributa ejus ipſius temporis, quo legatarius poſſidet, omnimodo ad ipſius onus pertinent, nec regreſſum adverſus hæredem habet. *l. uſusfruct.* 7. §. *Hactenus in fine. l. ſi pendentes* 27. §. *Si quid Cloacarii D. de uſufruct. l. quæro* 28. *D. de uſufruct. leg.* niſi ſcilicet ea quoque ab hærede dependi, teſtator juſſerit. *l. uſufructu* 52. *D. de uſufruct. l. inter* 42. *D. de pactis. l. qui quatuor* 30. §. *Qui hortos D. de legat.* 3. Ergo in quæſtione propoſita in *d. l.* 2. §. *Si quid*, cum vectigal illud publicum fuerit onus hæreditarium, ut Ulpianus fatetur, debuit omnino à venditore, eodemque hærede præſtari, nec, ſi præſtiterit, ulla ei, eo nomine, actio contra emptorem dari poteſt. Sed Ulpianus contra reſpondet, aitque, agnoſcere emptorem venditori, qui præſtitit, etiam hoc vectigal debere, *namque hæreditaria*, ut inquit, *onera hæc etiam ſunt*; hoc eſt, quia quamvis in ſpeciebus aliis, quarum meminimus, vectigalium onus hæredi, aut venditori injungatur, idcircoque in propoſito etiam venditor hæreditatis, utpote hæres conveniri, vectigalis nomine, à Fiſco potuerit, & præſtiterit, debet tamen ab hæreditatis emptore indemnis ſervari, eique emptor onus hoc agnoſcere, quoniam vendita hæreditate, & ſtipulationibus emptæ, & venditæ hæreditatis interpoſitis, illud agitur, ut quemadmodum ad emptorem hæreditatis omnia commoda transferuntur, ita viciſſim ipſe onera hæreditaria ſubſtineat. *l. in illa* 50. §. 1. *D. de verborum obligat. l. cum ſtipulamur* 97. *D. de verbor. ſignifi. l. liber* 20. §. 1. *D. de ſtipul. ſerv. l. quiſquis* 95. *D. de leg.* 3. *l. hæredem* 14. §. *ult. D. mandati. l. ſi creditor* 37. *D. de pecul. l.* 2. §. *Cum quis* 18. *D. de hæred. vel act. vend.* Eſt autem hoc vectigal onus hæreditarium, ut appoſite Ulpianus ratiocinatur in *dict. l.* 2. §. *Si quid* 16. illud interim ad rem notamus, mentionem vectigalis publici, & quæſtionem totam propoſitam in *dict.* §. *Si quid* 16. referri commodiſſime poſſe, & debere ad viceſimam hæreditatis, quam venditor, idemque hæres, Fiſco præſtiterit. Sunt certe & alia vectigalia publica, quæ, rerum hæreditariarum nomine, Fiſco præſtantur. Cui tamen proprie magis, quam viceſimæ noſtræ, publici vectigalis, propter hæreditatem debiti, generalis deſcriptio congruat, quodve potius vectigal, [illegible] onus hæreditatis dici poſſit, ego non video. Accedit quod in fine *dict.* §. *Si quid*, Ulpianus ſubjungit, idem eſſe dicendum, etſi forte tributorum nomine, quibus ſcilicet obnoxiæ res hæreditariæ eſſent, venditor hæreditatis quid dependerit. Proinde, ne otioſe eadem inculcaſſe Ulpianus videatur, intellexit procul dubio in principio, ſingulari vectigalis publici appellatione, vectigal aliquod, quod ipſius hæreditatis proprium onus eſſet. Quod autem tale potius, quam viceſimæ neceſſarium vectigal? Ut Paulus loquitur *lib.* 4. *ſentent. tit.* 6. §. *ult.*

Porro, ne quiſpiam ſententia, & interpretatione 6
noſtra *dict. l.* 2. §. *Si quid* 16. in praxi abutatur, adnotandum breviter eſt, hodie moribus noſtris ex venditione hæreditatis decimam pretii, quam Gabellam vocamus, Fiſco deberi, ut admonuerunt ex noſtratibus, Parlador. *lib.* 1. *rerum quotid. cap.* 3. §. 6. *num.* 43. Laſſarte *de decima vendit. cap.* 9. *num.* 38. Gironda *de Gabell.* 11. *part. numer.* 9. Gutierrez *eod. tract. lib.* 7. *pract. quæſt.* 61. *num.* 6. & quidem ſolvendam à venditore, ad cujus onus regolariter Gabella pertinet. *l.* 1. *tit.* 17. *lib.* 9. *compilat.* ſic tamen, ut pro immobilibus rebus hæreditariis in his locis, in quibus ſitæ ſunt, dependatur Gabella. *l.* 9. *tit.* 17. *lib.* 9. *compilat.* pro cæteris autem, juxta varietatem locorum, in quibus venditæ, aut traditæ, aut venditionis tempore conſtitutæ, juxta formam *l.* 5. *titul.* 17. *lib.* 9. *compilat.* notant Laſſarte *de decima vendit. cap.* 4. *num.* 39. Gutierrez *de Gabellis quæſt.* 112. *numer.* 11. Proinde quæri nove, & dubitari poteſt non inſubtiliter, an venditor hæreditatis, qui vectigal hoc pretii jam dependit, recuperare id ab emptore poſſit. Et ſane ſi ſtipulationes emptæ, & venditæ hæreditatis, ſi genus ipſum venditionis, ſi ſententiam Ulpiani in *dict. l.* 2. §. *Si quid* 16. dumtaxat intuemur, deciſa res videtur, & affirmandum, emptorem hoc etiam Gabellæ onus agnoſcere, & venditori ſarcire debere, ſicut & commoda hæreditatis percipit, idque non tantum exemplo aliorum tributorum, de quibus in *d.* §. *Si quid* 16. ſed etiam publici vectigalis viceſimæ, à qua toties in aliis quæſtionibus ad Gabellam noſtram utiliter argumenta collegimus, & colligemus. Mihi tamen (dicam quod ſentio) longe alia ſententia ſedit, nam cum Gabella noſtra ſit decima pars pretii venditionis, cui proprie hoc onus imponitur, *l.* 1. *tit.* 17. *lib.* 9. *compilat.* conſequens eſt, præſtari eam omnino debere à venditore hæreditatis, qui ejuſdem pretium percipit, atque ita quidem, ut ab emptore,

emptore, quod Gabellæ nomine ſolverit, non recuperet per actionem ex empto, aut ex ſtipulatu emptæ, & venditæ hæreditatis; quoniam, ut appoſite ad rem de quinta & viceſima venalium mancipiorum ſcribit Tacitus *lib.* 13. *Annal. Vi ipſa, dum venditor pendere jubetur, in partem pretii emptoribus accreſcit.* Nec movemur exemplo aliorum tributorum, aut viceſimæ, quæ in hac quæſtione à Gabella noſtra nimium quam diſcrepant; quippe tributa alia ſunt onera rerum hæreditariarum, aut certe hæreditaria, & ipſius hæreditatis onera, ſicut viceſima, de qua ita ſcriptum eſt in *d.* §. *Si quid* 16. proinde æquum eſt, emptorem hæreditatis hæreditaria hæc onera ſubire, & à venditore ſuſcepta ei ſarcire, cum ad emptorem cum hæreditate ipſa rerum hæreditariarum commoda transferantur. At Gabella venditæ hæreditatis non eſt onus hæreditatis ipſius, ſed pretii, nec à venditore exigitur, tamquam onus hæreditarium, ſive quia hæres eſt, ſed tamquam onus pretii, & quia vendidit.

CAPUT XIII.

Ad Leg. Decem. 6. D. de fideicommiſſariis libertatibus.

ARGUMENTUM.

De exceptionibus rerum, & perſonarum, quæ à viceſima immunes. Prima in relictis, pietatis intuitu. Talis olim præceptio ponendi ſigni Dei in l. Titia 38. §. ult. D. de auro, & arg. leg. *Non exaudienda ea de ſigno Crucis. Referenda potius ad ſigna, & ſimulacbra Deorum gentium. Legandi ea, & teſtamento poni jubendi, mos illuſtratus. Oblationes, & dona Dei quænam apud Conſultos. Ponebantur* ſine ulla deductione XX. *Elucidata ea formula ex* Seneca, *&* Marmoribus Aſtigitanis. *Occaſio inde commentationis ad* Paulum *in* d. l. Decem 6. *Prioris partis ſententiæ quorundam in* d. l. *obſervatus Auctor* Marcellus *in* l. io teſtatoris 34. D. ad l. Falcid. *Item in* l. plane 35. eodem tit. *Viceſimæ veſtigium, novaque nota in ſervo teſtatoris legato, ut manumittatur, ceſſat Falcidia, non autem in legatarii ſervo, aut alieno ex* Marcelli, *&* Mæciani *mente: & quare? Diſſenſio eorum à* Paulo *in* d. l. Decem 6. *& in* l. Sed ſi non 36. ad leg. Falcid. *Tentata conciliandi ratio, & rejecta. Ad poſteriorem partem ſententiæ quorundam in* d. l. Decem 6. *notatus Scholiaſtes Baſilicon. Fortaſſe an auctor hujus etiam ſententiæ* Marcellus? *Expenſa, & explanata* lex generaliter 24. §. Si quis alienum D. de fideicommiſſ. libertat. *Num & veſtigium ejus opinionis in* l. ſi libertus 41. D. de bonis libert. *Affirmatum, non eſſe, & expoſitus* Papinianus *in* d. l. 41.

1 SEd hem, pergamus jam, & exceptiones rerum, perſonarumque, quæ à viceſima immunes, ſaltuatim attingamus. Et ex his, quædam ipſius relicti genere, cauſæque favore nituntur, qualis illa tenuis hæreditatis, cujus meminimus ſupra *cap.* 10. quædam vero ob ſingularem perſonarum, quibus relictum eſt, prærogativam, viceſimæ non ſubjiciuntur. Inter priores primatum velut obtinet invulgata adhuc, ignotaque, vel melioris notæ Interpretibus obſervatio, qua ducente, didicimus ex legatis, fideicommiſſiſve, pietatis intuitu, ſive, ut vulgo loquuntur, *ad pias cauſas* relictis, viceſimam deduci non ſolere, puta ſi, ut alibi Scævola proponit, teſtatrix ſignum Dei ab hæredibus fieri, & in publico loco ſtatui, juſſerit. *l. Titia* 38. §. *ult. D. de auro, & argent. leg.* ubi quod *ſignum Dei* nominatur, *Crucem* exaudiunt, redduntque ex Latinis Hugo, vetus Gloſſographus apud Accurſium, & Græci omnes magno aſſenſu, ſi credimus Theodoro Balſam. in *Nomocanone Photii tit.* 12. *cap.* 1. ſic enim *Dei ſignum*, Crucis venerandum trophæum in Cæſarum Conſtitutionibus vocari ſolet. *l. ult.* §. *Sin autem* 2. *Cod. de jure deliber. l. Judæos* 11. *Cod. de Epiſcop. & Cleric. l. ult. de Pagan. Sacr. in Cod. Theodoſ. Novell.* 5. *de Monachis cap.* 1. & in *Rubrica Cod. Nemini licere ſignum Salvatoris Chriſti humi, vel in ſilice, vel marmore ſculpere, aut pingere*, quia tamquam Teſſera, Vexillumque Chriſti Induperatoris, ſeu potius, quia omnes Dei conſtitutiones, quantas accepimus, hoc veluti Regio ſigillo, annuloque ſignamus, ut eleganter apud Cujacium Chryſoſtomus; & illuſtrat ex aliis eximius noſtri ævi Juriſconſultus, multiſque nominibus noſter, D. Joannes à Solorçano Pereyra *lib.* 1. *de Indiar. jure cap.* 15. *num.* 45. Sed id, quod attinet ad *leg. Titia* 38. §. *ult.* alienum valde eſt à mente Scævolæ, moribuſque ejus ſæculi, quo, quis credat, niſi qui nondum ære lavatur, Idololatria paſſim vigente, ethnicisque Cæſaribus in Chriſtianos ſævientibus, teſtatricem fuiſſe, quæ juberet, Crucis ſignum publice in patria, Ædeque ſacra poni, & Scævolam reſpondiſſe, ponendum? Rectius itaque cum Accurſio Albericus, tametſi in aliis miſere cæcutientes, Dei ſignum accipiunt de imagine, puta Jovis, Herculis, aut alterius ex gentium Diis, quorum ſigna, ſimulachraque expreſſo argenti, vel auri pondere, publice collocari jubere, eoque nomine hæredes damnare, frequens fuit teſtatoribus Romanis. *l. Quintus* 7. *verſ. ad authoritatem D. de ann. leg. l. cum quidam* 17. §. *ult. D. de uſuris. l.* 5. *D. de operib. public. l. Seia* 6. §. *ult. D. de auro, & arg. leg. Statius Papin. lib.* 5. *Sylvar.* in *carmine*, cui titulus, *Abaſcantii in Priſcillam pietas*, ubi hanc, veluti teſtamenti Priſcillæ partem, inſerit, doctiſſimo Lipſio 1. *electorum cap.* 9. emendatam, quem illaudatum Bernartius exſcribit.

——— Tu, limine cæpto,
Tende libens, ſacrumque latus, Geniumque potentem
Irrequietus ama, & quod cupis ipſe juberi,
Da Capitolinis æternum ſedibus aurum,
Quo niteant ſacri centeno pondere vultus
Cæſaris, & propriæ ſignet cultricis amorem.

Clarius id ex Inſcriptionibus, monumentiſque priſcis, in quibus paſſim hæ juſſiones occurrunt, ad exemplum *d.* §. *ult.* & cum ſolemni nota illa, T. P. I. hoc eſt, *teſtamento poni juſſit*, quemadmodum & uxoribus mariti donare ſoliti ad oblationem Dei, ſive ut donum Deo darent, conſecrarent. *l. ſi ſponſus* 5. §. *Proinde etſi maritus D. de donat. inter.* quæ Dei dona dicuntur in *l.* 4. §. 1. *l. ſacrilegii* 6. *D. ad l. Jul. peculat.*

Ergo, ut jam à diverticulo in viam, ſi Dei ſignum, 2
ſimileve quid ab hærede publice collocari teſtator juſſerit, aut in aliud pietatis opus legaverit, hæres ex legato viceſimam non deducebat, quia nec ea tunc Fiſco debebatur, idcircoque ſine ulla deductione viceſimæ, & teſtatores poni jubere, & hæredes poſitum teſtari, in ſubſcriptione dedicationis moris fuit: utriuſque rei fidem mihi faciunt Hiſpanienſia marmora duo, qui Aſtigi hodie viſuntur in pariete majoris Delubri Divi Franciſci, è regione Aſtigitani fori. Primus ſic habet. CÆCILIA. TROPHIME. STATUAN. PIETATIS. TESTAMENTO. SUO. EX. ARG. P. C. SUO: ET CÆCILII. ETLONIS. MARITI. SUI. NOMINE. PONI. JUSSIT. D. CÆCILIUS HOSPITALIS. ET CÆCILIA D. P. MATERNA. ET CÆCILIA. PHILETE. HÆREDES. SINE. ULLA. DEDUCTIONE XX. POSUER. Alter, huic ſimilis, ſic. P. NUMERIUS. MARTIALIS. ASTIGITANUS. SEVIRALIS. SIGNUM PANTHEI. TESTAMENTO. FIERI. PONIQUE. EX ARGENTI. LIBRIS. C. SINE ULLA DEDUCTIONE JUSSIT. Videntur vero hæc verba, *ſine ulla deductione*, uſurpata in hac re, tamquam ſolemnia (tametſi prætermiſſa, quod miror, diligentiſſimo formularum

mularum concinnatori Briſſonio) ad quæ veluti alluſit Seneca noſter *lib. 2. de beneſic. cap. 4. Hæc itaque cura habebis, ſi grate æſtimari, quæ præſtabis, voles, ut beneficia tua illibata, ut integra ad eos, quibus promiſſa ſunt, perveniant, ſine ulla, quod aiunt, deductione.*

3 Nec, exceptione hac firmanda, domeſticia deficimur teſtimoniis Juris auctorum; hinc enim lucem accipit, ac viciſſim ei præbet Pauli locus, in *l. Decem 6. D. de fideicommiſſ. lib.* in quo illuſtrando, ſimulque implicatiſſima inter veteres quæſtione explicanda, ero fortaſſe longior, cum gratia tamen, ſcio, ſpero & cum fructu juventutis, cui conſultum it hæc ſcriptio. Species hæc eſt: decem Titio legata ſunt, rogatuſque ille, Stichum alienum ſervum emere, & manumittere, finge Falcidiæ legi in teſtamento ejus, qui decem legavit, locum eſſe, & tamen Stichi dominum minoris, quam decem, eum vendere nolle. Ambigua inter prudentes quæſtio fuit, in qua, quoſdam exiſtimaſſe, Paulus ait, legatum decem per Falcidiam diminui, ac dodrantem dumtaxat legatario ſolvendum eſſe, nec eum cogendum manumittere, quia non tantum acceperit, quanto redimere Stichum poſſit. Idemque eſſe affirmabant, ſi legatarius ſervum ſuum manumittere rogatus eſſet; namque & hoc caſu ſi ex decem legatis dodrantem tantum acceperit, non cogetur ſervum ſuum manumittere, qui ſit decem, vel longe pluris. Hujus vero ſententiæ, quam quibuſdam, ſuppreſſo illorum nomine, Paulus tribuit, quod ad priorem ejus partem attinet, de Falcidia ex legato decem deducenda, præcipuus auctor fuiſſe videtur Marcellus in his *Notis*, quas ad Julianum ſcripſit, *lib. 42. Digeſtorum*, in quo, cum Julianus non omnino diſſimilem ſpeciem tractaſſet, quæ proponitur in *l. ſi mihi Stichus 97. D. de leg. 2.* & ſubjunxiſſet, quod ex eodem forſitan Juliani libro Valens refert in *l. ſi minor 34. D. de minoribus*: his, aliiſque ſimilibus, quæ ad eamdem rem pertinentia *lib. 42. Digeſtorum* Julianus ſcripſerat, adjecit notam illam Marcellus, quæ extat in *l. in teſtatoris 34. in vulgatis. l. Julianus notat D. ad leg. Falcid. In teſtatoris*, inquit, *ſervo non erit Falcidiæ locus; ſi vero pecuniam, aliudve quid legaverit, fideique legatarii commiſerit, ut alienum ſervum, vel legatarii manumitteret, locus erit.* Extat & in *Synopſi Baſilicon lib. 41. tit. 1. cap. 32.* ſentit nempe Marcellus, quod dici ſolet, & Julianus forſitan indicaverat, ſervo legato, ut manumittatur, Falcidiam ceſſare, quod & Senatus cenſuit, teſte Paulo in *l. ſi ſervus 33. D. ad leg. Falcid.* (niſi ſcilicet, præter ſervum, aliud quid ipſi ſervo manumittendo, aut legatario, vel ejus ſervo legetur, quo caſu ex eo, quod præterea legatur, utriuſque legati quarta deducitur. *l. ſed duobus 5. §. 1. D. de leg. 2. l. ſed ſi non ſervus 36. §. Si ſolus. l. cum qua 56. § Stichum. D. ad leg. Falcid. l. ſi legatario 22. D. de fideicommiſſ. libert. Et in eo, quod præterea legatum eſt, Falcidia ita admittitur, ut inde & quod pro ſervo præſtandum eſt, ſumatur*, hoc eſt, ut deducatur etiam quod, viceſimæ nomine, pro ſervo Fiſco præſtandum eſſet, niſi manumittendus legaretur, quomodo proprie forſitan magis, quam vulgo ſolent, ſuperiora verba exaudienda in *l. plane 35. D. ad leg. Falcid.*) hoc, inquam, verum eſſe in ſervo teſtatoris legato, quia cum ante omnia pretia ſervorum manumiſſorum, æris alieni loco, ex bonis teſtatoris deducantur. *l. æris 39. l. in ratione 11. §. Si ſervus D. ad leg. Falcid §. Cum autem Inſtit. de lege Falc. l. 1. §. In quibuſdam D. ſi cui plus quam per leg. Falcid. l. ſi univerſæ 15. Cod. de legatis*, apparet utique legatum ſervi, ut manumittatur, ſi quidem teſtatoris ſervus fuit, cum ante omnia deducatur, Falcidiæ, cujus ratio poſtea ponitur, non ſubjici, & conſequenter libertatibus Falcidiam minui, ut proditum eſt in *l. ſed Papinianus 8. §. Quarta D. de inoffic. teſt. l. ſed ſi non ſervus 36. §. Si ſolus D. ad leg. Falcid.* ſive quoniam, quadrante ſervi ab hærede retento, & dodrante legatario dato, communis ſervus utriuſque fieret. *l. Plautius 49. D. ad leg. Falcid.* & conſequenter impediretur libertas, quæ communi ſervo dari non poterat ab uno ex dominis ante Juſtinianum, teſte Paulo *lib. 4. ſentent. tit. 12.* Ulpiano *tit. 1. §. communem*, juncto *§. ult. Inſtit. de donat.* quam rationem attigit forſan Paulus *lib. 3. fideicommiſſorum in d. l. ſi ſervus 33. l. ſed ſi non ſervus 36. D. ad leg. Falcid.* namque & eo libro de manumiſſione communis ſervi Paulus tractavit. *l. 1. Cod. de communi ſervo manum.* Cæterum, ſi non teſtatoris, ſed vel ſuum, vel alienum ſervum manumittere legatarius rogetur, eique in id pecuniam, vel quid aliud teſtator legaverit, Falcidiæ locum fore, Marcellus ait, in *d. l. in teſtatoris 34.* quia neque ulla æquitatis, juriſve ratio eſt, ob quam ex legato pecuniæ, vel alterius rei, quæ ſua natura eſt obnoxia deductioni Falcidiæ, ea non deducatur, neque ſervus legatarii, aut alterius, poteſt in quantitate bonorum teſtatoris exquirenda ex his bonis deduci, in quibus nunquam fuit: in quo quidem adlubeſcere indiſtincte Marcello, videtur Mæcianus in *l. pœnales 32. §. ult. D. ad leg. Falcid.*

Nec audiendi ſunt antiquiores, dum Marcellum in *d. l. in teſtatoris 34* ut cum Paulo concilient in *d. l. Decem 6. in fine D. de fideicommiſſ. libert.* accipiunt eo caſu, quo Falcidia deducta ex legato pecuniæ, vel rei alterius ad manumittendum ſervum legatarii, vel alienum, adhuc quod ex legato reſiduum legatario eſt, ſufficit ad pretium ſervi, quaſi tunc ſcilicet Falcidiæ locus ſit. *d. l. in teſtatoris 34. l. generaliter 24. §. Quod ſi legatum in fine D. de fideicommiſſ. libert.* non vero ſi, Falcidia deducta, ſervus comparari non poſſit. *d. l. Decem 6. in fine.* Hæc enim componendi ratio, præterquam quod Marcelli ſententiam generatim, indiſtincteque conceptam ad unam ſpeciem contrahit, indignam tanti Juriſconſulti ingenio notam relinquit, qui non niſi ridicule apud Julianum notaret, & quidem generaliter in legato decem relicto, ut legatarius ſervum ſuum, alienumve manumittat, Falcidiæ locum eſſe, ſi id dumtaxat verum eſſe, intelligeret, cum, deducta Falcidia, reſiduum ſufficit ad pretium ſervi, de qua ſpecie nemo unquam dubitaret ſanus, 4

Poſſet qui puteum, & rupem vitare cadentem.

ut omiſſam Marcelli ſententiam, etiamſi ad hanc ſpeciem cum elaſſicis reſtringatur, pugnaturam adhuc cum aliis veterum prudentum placitis, quia de ſervo quoque ipſius legatarii loquitur, in eoque ſic accepta probat, Falcidiam non deducendam ex legato decem, niſi reſiduum in eo ſit ad pretium ſervi manumittendi, quod falſum eſt, quippe ſi legatarius ſervum ſuum manumittere rogetur, eique decem legentur, ſemper in legato decem Falcidiam patitur, & nihilominus cogitur manumittere, quoniam, quamvis pluris ſit ſervus, quam ex legato capiat, tanti tamen videtur æſtimaſſe, ut aperte Paulus ſcribit in *d. l. ſed ſi non ſervus 36. D. ad leg. Falcidiam*, juncta *d. l. Decem 6. verſ. videamus. l. ſi legatario 22. l. ſi debitor 45. §. In fideicommiſſaria D. de fideicommiſſar. libert. l. ſi ea 13. Cod. ad leg. Falcid.* Proinde verius eſt, & Marcellum, ut diximus, ſenſiſſe in *d. l. in teſtatoris 34.* & ſententiam ejus, quoad alienum ſervum, temperari, ſive corrigi à Paulo in *d. l. ſed ſi non ſervus 36.* & in *d. l. Decem 6.* in fine, de quo poſtea.

Sed & quod ad ſecundam partem attinet ſententiæ quorumdam, relatæ à Paulo in *d. l. Decem 6.* notanda in primis eſt Græci Baſilicon Interpretis oſcitantia ad *libr. 48. titul. 4. in dict. l. 6.* ubi ſcribit, Paulum fuiſſe, qui diceret, eum, qui juſſus eſt manumittere, etiamſi ſuum, ſi dodrantem legati tantum acceperit, non cogi manumittere; inconſpecte ſane, cum eam ſententiam aliis ipſe Paulus adſcribat in *d. l. 6.* ibi: *Ibidem putant*, quam & ipſe in ſequentibus aperte repudiat, & in *d. l. ſed ſi non ſervus 36. D. ad leg. Falcid.* ergo ſi divinare liceat, ego potius tentari poſſe, puto (neſcio an audenter) ejus etiam Auctorem Marcellum fuiſſe, qui 5

in *d. l. in teſtatoris* 34. poſtquam priorem illam partem expreſſit de deductione Falcidiæ, adjecit etiam, ni fallimur, poſteriorem, nempe legatarium, qui dodrantem ſolum accepit, nec ſuum ſervum manumittere, nec alienum emere, ut manumitteret, cogi poſſe. Idque ita (quamvis à Triboniano prætermiſſum in *d. l. teſtatoris* 34. quo magis veterum diſſenſionis veſtigia confunderet) ſenſiſſe Marcellum mihi colligi poſſe, videtur, ex *l. generaliter* 24. §. *Si quis alienum* 12. *D. de fideicommiſſ. libert.* Ubi cum quis alienum, ſuumve ſervum manumittere rogatus eſſet, minuſque ſit in eo, quod judicio teſtatoris accepit, plus vero in pretio ſervi (finge legatum eſſe decem, ſervum vero duodecim, vel pluris) Marcellus ſcripſiſſe dicitur, etiamſi legatum agnoverit, non tamen aliter alienum ſervum manumittere cogi, quam ſi tanti poſſit redimere, quantum ex judicio teſtatoris conſecutus eſt. Et tamen eo caſu, dubitari magis poterat, an adhuc emere, & manumittere cogendus eſſet, quia qui judicio teſtatoris minus accepit, quam ad pretium ſervi ſufficeret, idque cum ſciret, agnovit, ipſe ſe oneri ſubjeciſſe videbatur, & tam aperte voluntatem probaſſe, id ipſum accipiendo quod relictum erat, ut eam poſtea improbare non poſſet. Ergo quo caſu minor dubitandi ratio eſt, veluti cum ponimus judicio teſtatoris tantum relictum, quantum pretio ſervi ſufficeret, ac poſt facto, inducta Falcidiæ ratione, imminutum legatum eſt, & dodrantem dumtaxat legatarius accepit; facilius utique Marcellus ſenſit, legatarium, qui judicium teſtatoris ſecutus, minus in legato per Falcidiam minuto accepit, quam ex judicio ſperavit, minuſque quam in pretio ſervi eſt, non cogendum eſſe manumittere. Argumento ex *dict. l. generaliter* 24. §. *Quod ſi legatum D. de fideicommiſſar. libertat. l. ſi vero* 8. *l. Paulus* 46. *D. de bonis libertor.* nec dumtaxat alienum ſervum, ſed nec ſuum, de quo etiam Marcellus ipſe loquitur in *dicta lege in teſtatoris* 34. ſicut & quidam illi apud Paulum, in *d. l. Decem* 6. Nec, quod ad proprium legatarii ſervum attinet, repugnat ſibi ipſi Marcellus, ſic acceptus apud Ulpianum, in *d. l. generaliter* 24. §. *Si quis alienum*, cujus haud ſatis integra ſumma extat in *Ecloga*, *ſeu Synopſi Baſilicon lib.* 48. *tit.* 1. *cap.* 25. Docet, alienum quidem ſervum non cogi legatarium emere, & manumittere, ſi judicio teſtatoris minus acceperit, quam redimendo ſervo ſufficeret, ſuum vero ſervum omnimodo manumittere cogi, cum legatum acceperit. Id enim meminiſſe oportebit, à Marcello proponi, cum ab initio minus relictum eſt judicio teſtantis, quam in pretio ſervi ſit, in qua ſpecie dubium non eſt, quin ſuum ſervum manumittere omnino debeat, qui ſemel judicium teſtatoris agnovit, & quantum ſperavit, totum non imminutum accepit, quia, & videtur accipiendo, tanti ſervum ſuum, quamvis pluris ſit, æſtimare. Quæ ratio ceſſat in alieno ſervo, quia non perinde illius, ac proprii, legatarius cenſetur arbiter, atque æſtimator. *l. in re mandata* 21. *Cod. mandati: l. ſed ſi non ſervus* 36. *D. ad leg. Falcid.* At cum legato per Falcidiam minuto dodrantem ejus legatarius accepit, ſeptem puta, & ſemiſſem, ex decem, quæ legata erant, aliud fuit Marcelli judicium, exiſtimavitque, nec ſuum, nec alienum ſervum manumittere legatarium cogendum, eo colore, quia, qui integrum id, quod judicio teſtantis relictum fuerat, ſe accepturum ſperavit, *alia contemplatione agnovit legatum, quod ex inopinato deminutum eſt.* Ut in re ſimili Ulpianus ſcribit in *d. l. generaliter* 24. §. *Quod ſi legatum* 16.

Aliud etiam extare, Cujacius autumat opinionis quorumdam veſtigium in *recitationibus ad Papinianum lib.* 12. *quæſtionum ad l. ſi libertus* 41. *D. de bonis libert.* in eo, quod Papinianus illic proponit, Patronum à liberto ex debita parte inſtitutum, & ei præterea decem legata, rogatumque manumittere ſervum proprium, qui ſit decem, vel minoris pretii, iniquumque eſſe ait, & legatum velle ſuſcipere, & libertatem ſervo non dare, quaſi ſcilicet à contrario ſenſu Papinianus ſignificet, ſi ſervus proprius pluris ſit, quam decem, quæ Patrono, ut manumitteret, legata ſunt, æquum non eſſe, cum cogi manumittere, quamvis legatum acceperit. Quod in Patrono quidem, de quo Papinianus in *d. l. ſi libertus* 41. recte colligitur, quia cum non poſſit portio verecundiæ Patronali debita relictis onerari, vel minui. *l. ſive* 21. §. 1. *& ſeqq. D. de jure Patron. l. cum Patronus* 28. *D. de legat.* 2. *l.* 1. §. *Interdum D. ſi cui plus, quam per leg. Falcid. l. Patronus* 60. *D. ad S. C. Trebell. l. ſi Patronus* 45. *D. de bonis liber. l. ſi Patronus* 20. *D. de donat. l. quia autem* 6. §. *Si Patronus D. ſi quis omiſſa cauſa teſtam.* iniquum eſſet cogi Patronum ex parte debita inſtitutum, cui decem legata ſunt, proprium ſervum manumittere, niſi ille decem ſit, vel minoris pretii, & quantitas emolumenti, quæ ad Patronum ex judicio liberti pervenit, reſpondeat pretio ſervi, quem rogatus eſt manumittere, ut in minore Ulpianus ſcripſit in *l. ſi rogatus* 20. *D. de manumiſ. vindicta.* juncta *leg. ſi minor* 33. *D. de minoribus. l. tutor* 26. *D. de liberat. leg.* In aliis vero legatariis præter Patronum, & quidem extra terminos diminutionis Falcidiæ, quos Papinianus non attingit in *d. l. ſi libertus* 41. nec Marcellus quidem dubitaret, cogendum eſſe legatarium ſemel legatum decem agnoſcentem, manumittere ſervum proprium, qui ſit pluris, quam decem, quæ ei relicta judicio teſtatoris ſunt. *d. l. generaliter* 24. §. *ſi quis alienum.* Et multo minus Papinianus, qui generaliter, conſtanterque auctor fuiſſe ejus ſententiæ, videtur, ut ſive judicio teſtantis, ſive propter Falcidiæ deminutionem, legatarius minus in legato accipiat, quam ſit in pretio proprii ſervi, quem manumittere, aut alterius rei propriæ, quam reſtituere rogatus eſt, cogatur nihilominus, ſi legatum agnovit, vel manumittere, vel reſtituere, quia quamvis pluris ſit, non pluris æſtimaſſe videtur. *l. Imperator.* 70. §. *ſi centum in fine D. de legat.* 2. *l. ſi legatario* 22. *D. de fideicomm. libert.*

CAPUT XIV.

Ad dict. leg. Decem 6. continuata explicatio Pauli.

ARGUMENTUM.

Pergimus à ſententia quorundam ad propriam Pauli. *Vox*, vivendum, *non dubitantis*, *ſed modeſte affirmantis eſt. Legatarius decem*, *ſi dodrantem accepit*, *cogitur ſervum proprium manumittere*, *quamvis pluris ſit. Ita etiam in alieno ſervo* Mæcianus *in* l. pœnales 32. §. ult. ad l. Falcid. *An audiendus legatarius*, *paratus dodrantem reddere? Affirmaſſe* Ulpianus *videtur in* l. generaliter 24. §. Quod ſi legatum de fideicommiſſ. libertat. *Negat*, *notatque tacite* Ulpianum, Paulus *in* d. l. Decem 6. *Compoſita ea*, *& expoſita cum ejuſdem* Pauli *nota ad* Mæcianum *in* d. l. Sed ſi non 36. §. 1. ad leg. Falcid. *Et univerſim redacta ad diſtinctionis calculos tota hæc quæſtio. Obſervata vola viceſimæ in* d. l. Decem 6. *Cur non exacta ea ex legato decem*, *ut manumittatur ſervus? Falcidiam prohibere*, *teſtatori non licuit antiquo Jure: licuit viceſimam: & cur tam varie? Legati pii à viceſima immunitas*, *firmata exemplo impenſæ funeris*, *& ſiliquatici. Promota eadem ad praxim Gabellæ venditionis. Hæc quatenus ex venditis pro expiatione animæ*, *aut ſumptu funeris debeatur*, *diſtincte traditum*, *breviterque.*

1 HÆc illuſtrandæ, & eruendæ, quatenus conjecturis licet, eorum ſententiæ, quæ proponitur in principio, *d. l. Decem* 6. ſubjungit deinde Paulus ibidem: *Videndum eſſe*, *ne utique aliud dicendum ſit in hac ſpecie*, in hac ſcilicet, quam ultimam poſuerat, quando quis ſervum proprium manumittere rogatus

gatus eſt, & dodrantem ex legato decem accepit. Porro hæc verba, *videndum neutique*, non dubitantis ſunt, ſed modeſte affirmantis, & decidentis, quibus ſæpe noſtri Auctores utuntur, ut Duareno, & aliis notatum. *l. videamus* 26. *D. de Ædil. edicto. l. ult. D. de eo, quod certo loco. l.* 4. *§. Cato D. de verbor. obligat. l. in perſonam* 30. *D. de pactis. l. habere* 57. *§.* 1. *D. de evict. l. poſtquam* 43. *D. de hæred. petit.* ſignificat itaque in hac poſtrema ſpecie, contra quorumdam ſententiam, cujus meminerat, omnimodo cogendum legatarium, manumittere proprium ſervum, quia, quamvis pluris ſit dodrante legati, quem accepit, non tamen pluris eum æſtimaſſe creditur, ut Paulus idem probat in *l. ſed ſi non ſervus* 36. *D. ad leg. Falcid.* juncta *l. Imperator* 70. *§. Si centum in fine D. de legat.* 2. *l. generaliter* 24. *§. Si quis alienum. l. ſi debitor* 45. *§. In fideicommiſſaria D. de fideicom. lib. Sed in ſuperiore*, hoc eſt etiam in ſuperiori ſpecie, cum quis ſcilicet alienum ſervum emere, & manumittere rogatus eſt, *ſunt qui putant*, ait Paulus, *cogendum legatarium redimere ſervum*, *& ſe oneri ſubjeciſſe*; *dum accipit vel dodrantem.* Ita certe putat Mæcianus, cujus perſpicua in hanc ſententiam verba extant in *l. pœnales* 32. *§. ult. D. ad leg. Falcid.* ubi moveri ſe, ſignificat, favore libertatis, quæ ſæpe benigniores alias ſententias extorſit, cum ſatis ſit, eum, qui agnovit legatum, onerari, dum ſervum, qui pluris eſt, emere, & manumittere cogitur, quam libertatem intercidere, ut ſcriptum eſt in *d. l. ſi debitor* 45. *§. In fideicommiſſaria. l. cum pater* 77. *§. Cum exiſtimaret D. de leg.* 2. juncta *l. judicatæ* 29. *D. de except. rei judic. l. qui gravi* 11. *D. de jure Codicill.* Improbat autem hanc Mæciani opinionem, poſt Marcellum, ac veluti ex eo, Ulpianus in *l. generaliter* 24. *§. Si quis alienum* 12. *D. de fideicommiſſ. libert.* & noſtræ *l. Decem* auctor Paulus in *d. l. ſed ſi non ſervus* 36. *§.* 1. dum aſſerit: *ſi alienus ſervus fuerit*, quem legatarius rogatus ſit emere, & manumittere, *in eo non plus*, *quam accepit ad redimendum*, *cogi impendere.* Qua aſſertione corrigi illam Mæciani, quæ extat in *d. l. pœnales* 32. *§. ult.* quoad alienum ſervum, ſubintellexiſſe videtur Græcus adnotator Cyrillus ad *lib.* 48. *Baſilicon tit.* 1. qui, omiſſo Mæciani Textu, ſic rem ad ſummam redigit: *Quamvis in legato nihil plus ſit*, *legatarius ſervum ſuum manumittere cogitur*; *alienum non item.*

2 Sed adhuc, ut cum Paulo progrediar, in *d. l. Decem* 6. videndum eſt, an paratus legatarius dodrantem, quem accepit, refundere, audiendus ſit, ne ſcilicet cogatur emere, aut manumittere. Et vero audiendum eſſe legatarium, exiſtimaſſe Ulpianus videtur in *l. generaliter* 24. *§. Quod ſi legatum:* idque in minori viginti quinque annis legatario circa ſervum proprium, admittunt Ulpianus, & Valens in *l. ſi minor* 33. *D. de minoribus. l. ſi rogatus* 20. *D. de manumiſſ. vind.* Ulpianum autem (niſi ſi eum, ut cum Paulo, & aliis componas, ad ſpecialem caſum coarctes, quo poſt legatum agnitum, cum à principio legi Falcidiæ locus futurus non crederetur, tamen poſtea *ex inopinato*, ut Ulpianus ait, ſive *remeſſe* [illegible], legatum deminutum ſit, inducta ad rem ratione, aut exemplis. *l. ſciendum* 6. *verſ. ſed hoc Inſtit. de hæred. qual. & differ. l. ſi vero* 8. *l. Paulus* 46. *de bonis libert.*) tacite, ut alias ſæpe Paulus notat in *d. l. Decem* 6. *in fine*, dum opinione illius quaſi propoſita, & cum aliis, quarum meminerat, omiſſa, tandem concludit, *cogendum eſſe hæredem tota decem præſtare*, *perinde atque ſi adjeciſſet teſtator*, *ut integra præſtentur.* Quibus verbis omnes, quotquot retulerat ſententias, improbans, aliam favorabiliorem libertati, nec legatario injuriam ſequitur, nimirum, ut, ceſſante Falcidiæ deductione, proclivior ſit ad agnitionem legati, eoque agnito cogatur redimere, & manumittere. Diverſum autem eſt, non contrarium, quod ex eodem Paulo *libr.* 3. *fideicommiſſorum* proponitur in *d. l. ſed ſi non ſervus* 36. *§.* 1. ibi enim, cum id forſitan ageret, ut notaret Mæciani ſententiam (de legatario omnimodo cogendo, ſuum vel alienum ſervum manumittere) ex eiſdem fideicommiſſorum libris relatam in *d. l. pœnales.* 32. *§. ult.* illud tantum expreſſit, cogi ſcilicet ſuum manumittere; *Quod ſi alienus ſervus fuerit*, *in eo non plus*, *quam accepit*, *ad redimendum cogi impendere.* Quod uti & verum eſt, ſufficitque notando Mæciano, qui affirmaverat, omnimodo legatarium libertatem præſtare debere, vel ſuo, vel alieno ſervo, ita non exprimit quantum accipere legatarius debeat, dodrantem ſcilicet, an integrum legatum. Atqui hoc de accipiendo integro legato ab hærede, eſt ex eodem Paulo ſupplendum, ac petendum, in *d. l. Decem* 6. *in fine*, *& ex l. ſi ea* 13. *in fine*, quam ſic exaudio, *Cod. ad leg. Falcidiam.*

Enim vero notata duobus hiſce capitibus, de re, 3
alioquin involuta, paucis complecti, ſic licebit: ſi teſtatoris ſervus legatus ſit, ut manumittatur, ceſſat in eo legato Falcidia. *l. in teſtatoris* 34. *l. ſed ſi non ſervus* 36. *§. Si ſolus D. ad leg. Falcid.* niſi, ſi præter ſervum manumittendum, aliud legatario, vel ejus ſervo legatum ſit, quo caſu ex eo legato, utriuſque legati Falcidia deducitur. *l. plane* 35. *l. ſed ſi non ſervus* 36. *§. Si ſolus. l. cum quo* 56. *§. Stichum D. ad leg. Falcid. l. ſi legatario* 22. *D. de fideicommiſſ. libert. l. ſed duobus* 5. *§.* 1. *D. de legat.* 2. Atque hæc in ſervo teſtatoris legato, ut manumittatur, quam ad theſin proprie non pertinet *lex Decem* 6. *D. de fideicommiſſar. libert.* Aſt, ſi ſervus ſit proprius legatarii, vel alienus, quem rogetur manumittere, atque in id decem ei legentur, omiſſis nunc Pauli, aut Marcelli, ad Julianum, Mæcianum, & Ulpianum notarum conjecturis, & rei ad ſummam redigendæ, & componendæ, diſtinguere ita oportebit, in ſervo proprio legatarii, ſi legatum ſemel, tametſi per Falcidiam deminutum, accepit, & pluris ſervus ſit, quam ex legato capiat legatarius, cogendum eum, ut manumittat, ex ratione, & ſententia *d. l. ſed ſi non ſervus* 36. *l. pœnales* 32. *§. ult. D. ad leg. Falcid. l. debitor* 43. *§. In fideicommiſſaria. l. ſi legataris* 22. *l. generaliter* 24. *§. Si quis alienum* 12. *l. Decem* 6. *verſ. videamus D. de fideicom. lib.* niſi ſi ex inopinato, aut repente Falcidiæ deductio emerſit, & velit aceptum legatum reddere, ad quem caſum, ſi reprehenſum nolis, referendus Ulpianus in *d. l. generaliter* 24. *§. Quod ſi legatum* 16. vel niſi minor legatarius ſit. *l. ſi minor* 33. *D. de minor. l. ſi quis rogatus* 20. *D. de manumiſſ. vind.* At in alieno ſervo, quem emere, & manumittere rogatus eſt legatarius decem, cum pluris ſervus ſit, non cogi eum impendere plus, quam accepit, ſtricta Juris ratio ſuaſit, quam reſpexit Paulus in noſtra *l. Decem* 6. *in princip. & in l. ſed ſi non ſervus* 36. *§.* 1. Ulpianus in *l. generaliter* 24. *§. Si quis alienum* 12. *verſic. quod ſi alienum.* Et tamen idem Paulus in fine ejuſdem *l. Decem.* 6. non contraria, ſed alia via, rem expedit, nempe, ut cogatur hæres integrum legatum decem, ſive ſine deductione, præſtare, quo facto & legatarius non impendet plus, quam ceperit, & dabitur ſervo libertas, cujus favor expreſſit benigniorem hanc ſententiam, ad quam & ad hunc Pauli ſenſum reducere licet Mæcianum, ſi incorrectum velis, in *dicta lege pœnales* 32. *§. ultim. D. ad leg. Falcid. l. ſi ea* 13. *Cod. eod. tit.* junctis in eumdem ſenſum, *l. cum pater* 77. *§. Cum exiſtimaret* 29. *l. cum filius* 76. *D. de legat.* 2. *l. duobus* 30. *verſ. commodius D. de liberal. cauſa. l. qui gravi* 11. *cum l. ſeq. D. de jure Codicill. l. judicatæ* 29. *D. de except. rei jud.*

Tandem, ne obliviſcamur viceſimæ, cujus oc- 4
caſione tot apud Paulum veterum tricas, conjectura, ni fallimur, haud fallaci, extricavimus, animadvertendum eſt, probari aperte poſtremis in verbis *d. l. Decem* 6. tota decem integra legatario præſtanda eſſe, & conſequenter ex his hæredem nec viceſimam deducturum, quia nec ea Fiſco debetur. Id vero in ea ſpecie reſpondetur libertatis favore, quæ forſan intercideret, repudiante legatario legatum, ſi id per viceſimam minuendum timeret, nec ſuffecturum pretio ſervi, quem redimere, & manumittere rogatus eſt; & præterea, quoniam vice-

ſima legatorum ex eo tantum debetur, quod legatario ſupereſt deducto onere, ut argumento ex *l. circa* 66. §. 1. *cum. l. ſeq. D. ad l. Falcid. l. ſed ſi hoc* 62. §. 1. ubi Angelus, Bartoluſque *D. de condit. & demonſtr. l. non amplius* 26. *D. de legat.* 1. docent in terminis Statuti Gabellæ, ex legatis ſolvendæ, Baldus in *d. l. non amplius* 26. ubi late poſt alios Jaſo *num.* 2. *& ſeqq.* ut omittam, ſuſtineri etiam proprie Paulum in *d. l.* 6. ſingulari illo jure, quo fieri diximus ſupra *cap.* 13. ut ex legatis, pietatis intuitu, viceſima non penderetur. Scitum enim, & decantatum, vel Pragmaticis noſtris, eſt, libertatis conſervandæ rationem inter alias pietatis non mediocriter eminere. *l. contra* 7. *Cod. de teſtam. manum. l. ancillam* 15. *Cod. de fideicommiſſ. lib. l.* 1. §. *penult. Cod. de communi ſerv. manum.* Adſtipulantur huic cogitationi ipſiſſima Pauli verba, quæ parum commode Falcidiæ applicantur (tametſi aliter Cujacius velit) & appoſitiſſima ſunt viceſimæ. Ait Paulus: *Perinde atque ſi adjeciſſet teſtator, ut integra præſtentur*; atqui quamvis teſtator adjeciſſet, ut hæres integra legata ſine deductione Falcidiæ, ſive ſine ulla præceptione præſtaret, poſſet ea retineri, quæ nec probiberi quidem à teſtatore potuit antiquo Jure. *l. Sejus* 27. *l. quod de bonis* 15. §. 1. *D. ad l. Falcid. l. nemo* 55. *D. de leg.* 1. nec libertatis quidem favore, alioquin neceſſarium non fuiſſet Senatuſconſultum, quo cautum, ceſſare Falcidiam ſervo teſtatoris legato, ut manumitteretur. *l. ſi ſervus* 33. *D. ad l. Falcid.* niſi vel prohibitioni teſtatoris Principis Reſcriptum accedat. *l. ſi legatus* 30. §. *ult. D. ad S. C. Trebell.* vel Falcidia in legato uno prohibita, ex aliis integra poſſit deduci. *l. ſi in teſtamento* 64. *l. qui quadringenta* 88. §. *Quare D. ad leg. Falcid.* vel denique, ſi prohibeatur legatario, aut fideicommiſſario. *l. pœnales* 32. §. *Si Titio D. ad leg. Falcid.* qui Falcidiam ex ſua perſona inducere non poſſunt. *l. lex Falcidia* 47. §. *ult. D. ad leg. Falcid.* Nihil autem ex his, niſi omnino divines, recte ſupponitur in *d. l. Decem,* 6. Ergo quamvis deciſio Pauli, de cogendo hærede integra decem præſtare, complectatur etiam Falcidiam, de qua initio locutus, tamen adjectio illa, *verſ. perinde*, applicatur proprie magis ad id, quod tacite Paulus ſignificaverat, dum ait, hæredem tota decem præſtaturum, nempe viceſimam ex his non deduci ab hærede, quoniam ſcilicet perinde habetur, ac ſi teſtator adjeciſſet, ut decem integra præſtarentur, hoc eſt, *ſine ulla deductione*, qua, veluti ſolemni formula, teſtatores hæredibus viceſimæ ex legatis deductionem adimere ſolebant, ut ex veteri Hiſpanienſi inſcriptione probavimus ſupra *cap.* 13. Seneca *lib.* 2. *de benefic. cap.* 4. & quidem poterant, etiamſi libertatis, aut ſimile pium legatum non eſſet, quia jubendo, ſine ulla deductione, legatum præſtari, non Fiſco, aut legibus derogabant, ſed viceſimæ ſolvendæ onus à legatariis in hæredes transferebant, quod non inhibitum. *l. uſufructu* 52. *D. de uſufruct. l. qui quatuor* 30. §. *Qui hortos D. de legat.* 3. juncta *l.* 1. §. *ult. D. de cenſib. l. uſufructu* 7. §. *Hactenus l. ſi pendentes* 27. §. *Si quid Cloacarii D. de uſufr. l. cum ſervus* 39. §. *Heres D. de legat.* 1. *l. quæro* 28. *D. de uſufr. legato.*

5 Liceret, ſi exſpatiari largius liberet, ſuperiorem exceptionem firmare, exemplo impenſæ funeris; quæ viceſimæ deductioni obnoxia non eſt, ut mox dicemus, vel ideo, quia præcipuum pietatis munus eſt funerare. *l. & ſi quis* 14. §. *Sed interdum* cum §. *ſeq. & §. Idem Labeo D. de Religioſ. l. cum quidam* 27. *D. de condit. inſtitut.* ſummaque ſemper ratio cenſetur, quæ pro Religione facit, eum & publice interſit, ne inſepulta jaceant cadavera. *l. ſunt perſonæ* 43. *D. de Religioſ.* Liceret & inducere ſiliquatici curialis exemplum, quod ex pietatis cauſa relictis non ſolvitur. *l. ſancimus* 22. *Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* de quo infra *hoc eodem libro.* Illud tamen potius ex ſuperioribus adnotandum Pragmaticis relinquimus, poſſe nempe ex vetere, & bene fundata Juriſprudentia defendi, quod moribus noſtris invaluit, ex venditione rerum, quas teſtatores pro expiatione animæ, vel in alios pietatis uſus diſtrahi, & erogari jubent, aut quæ pro funeris impenſa venduntur, decimam venditionis, quam *Alcabalam* dicimus, non deberi, ut poſt alios docent, ex noſtratibus Parlador. *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. §. 1. *num.* 18. Gironda *de Gabell.* 11. *parte num.* 4. Alvarado *de conjectur. mente def. lib.* 2. *cap.* 1. §. 2. *num.* 17. Laſſarte *de decima vendit. cap.* 20. *num.* 60. Gutierrez *de Gabell. cap.* 74. late Flores de Mena *lib.* 2. *var. quæſt.* 21. §. 4. *num.* 191. Idque certum eſt, & receptum, quotieſcumque res ita ad pius uſus venduntur, ut, ſi ex pretio vectigal ſolveretur, tantumdem pio legato decederet, ſeu tanto minus pia cauſa caperet, quantum pro Gabella ſolutum, veluti ſi teſtator fundum certum, aut etiam bona omnia, diſtrahi juſſerit, pretiumque, ex venditione redactum, in pium aliquem uſum erogari; cæteroquin ſi qui ducenta in bonis reliquit, quinquaginta in pias cauſas expendi præceperit, eoque nomine neceſſaria bona venundari, erit venditio obnoxia vectigali, quia quicquid ex titulo ſolvitur, non tam pietatis uſibus detrahitur, quam hæredis, qui ſemper quinquaginta, ſeu quantitatem aliam piis uſibus deſtinatam, eſt erogaturus; eſſetque, ſi contrarium ſtatueretur, non piæ cauſæ, cujus nihil tunc intereſt, ſed hæredi in necem Fiſci favere, ut recte Auctores, quorum nuper meminimus, arbitrantur. Sed, ut præmonui, prior illa pars aſſertionis de Gabella neutiquam debita ex venditione ad pios uſus, ſive funeris cauſa facta, ut congeſta à noſtratibus argumenta mittamus, defendi nove poteſt exemplo viceſimæ, quo jam ſæpe ad noſtras Gabellas, non inconcinne forſitan, uſi ſumus, cum placuerit ex legatis, pietatis intuitu relictis, viceſimam non ſolvi, *d. l. Decem* 6. *in fine D. de fideicommiſſ. liber.* ſicut neque ex impenſa funeris, *l. funeris* 37. *D. de Religioſis*, de qua ſtatim videbimus. Conducit & auctoritas antiquiorum Interpretum affirmantium, ex legatis pro animæ expiatione, vel ex alia pietatis cauſa relictis, non deberi Gabellam, quæ alioquin ex forma Statuti ex legatis cæteris deberetur. Ita Baldus in *l. illud num.* 1. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. & in l. ſi ſervo D. de hæred. inſtit.* Joann. de Anania *conſil.* 57. *in princ.* Gironda *de Gabell.* 11. *parte num.* 22. Alder. Maſcardus *de Statutis concluſ.* 1. *num.* 22. late Marta *de juriſdict.* 4. *part. cent.* 1. *caſu* 14.

CAPUT XV.

Ad Æmilium Macrum in l. Funeris 37. D. de Religioſis, Commentatio juſta.

ARGUMENTUM.

Exceptio altera rerum, quæ à viceſima immunes, eſt in impenſa funeris. Examinatus ea in re Plinii *locus. Illuſtrata Epigraphe* d. l. funeris 37. *Falcidia falx favorabilior, quam viceſima. Deinceps ad contextum* d. l. funeris 37. *ſingillatim, & ex profeſſo. Unguenta inter erogationes funeris, proprieque in uſu mortuorum, aut ſi vivorum, pituro, & caduco; idcirco qui ea emit,* in re mortua impendit. *Prælata lux* Ulpiano in l. quod autem 7. §. 1. D. de donationibus inter. *Unguentorum uſus an fuerit temporibus Iliacis, vel Roma naſcente?* Plinii *negantis impugnata aſſertio, cum pluribus; propugnata nove, & expoſita de exoticis unguentis. Funebris unctio facta odoribus, & aromatibus. Adornata* lex & ideo 7. § 1. D. de in rem verſo. *Prima unctionis feralis ſpecies, quæ cadaveris, & reliquiarum, firmata electis veterum locis. Recepta hæc funebris unctura Hebræis, & eorum, ſeu potius Chriſti exemplo Chriſtianis. Myrrhæ frequens uſus in funere, ejuſque, velut ſymbolum, inter munera Jeſu à Magis oblata. Elucidati Sacri Scriptores. De oleo ad extremum ſuperinfuſo cadaveri, & apud Alexandrinos oleo ſacro, ſeu chriſmate: &* Balſamonis *de eo abuſu cenſura.*

Succedat

1 SUccedat alia exceptio, cujus præcipuus conſignator Macer *lib.* 1. *ad legem viceſimam hæreditatum, in l. funeris* 37. *D. de Religioſis, & ſumptib. funer.* Ubi funeris ſumptus, quatenus accipiatur, quænamque eo nomine contineantur, ex profeſſo definit, eo, ut doctis perſuaſum, reſpectu, quia ante omnia ſepulchri, & funeris impenſam ex hæreditate deduci oportet; tum deinde viceſimæ rationem iniri, id à Trajano conſtitutum, qui pleraſque viceſimæ exceptiones induxit, Plinius ſignificat in *Panegyrico. Carebit*, inquit, *onere viceſimæ parva, & exilis hæreditas; & ſi ita gratus hæres volet, tota ſepulchro, tota funeri ſerviet; nemo obſervator, nemo caſtigator aſſiſtet.* Quamquam, ne quid diſſimulem, Plinii hæc verba alio trahi poſſe videntur, & ſane debent, nempe ad tenuem, exilemque hæreditatem, quam totam funeri, & ſepulchro erogari poſſe ait, quia tota eſt infra eam quantitatem, quæ viceſimam pati ſolet, ut monuimus ſupra *cap.* 10. alioquin ſi de opulenta, & locupleti hæreditate intelligantur, eamque totam funeri ſervire poſſe, ita ut viceſimam non ſentiat, exiſtimabimus non modo interpretando Macro in *d. l. funeris* 37. Plinius juvabit, ſed cum Macro potius pugnabit, qui modicos dumtaxat, neceſſarioſque ſumptus contra viceſimam admittit, non vero ampliores, ſupervacuoſque, ne dum, ut totam locupletem hæreditatem funus, & ſepulchrum exhauriat. *d. l. funeris* 37. *§. ult.* Itaque mihi quidem certior, idoneiorque exceptionis hujus probatio eſt, ea ipſa diſputatio Macri *de ſumptu funeris ad leg. viceſimam hæreditatum, in d. l. funeris* 37. quæ, haud dubie, eo pertinet, ut definiat, quænam ſit funeris impenſa, quam viceſimæ obnoxiam non eſſe, conſtabat. Accedit, rei firmandæ, exemplum legatorum, pietatis intuitu, relictorum, ex queis viceſimam non ſolvi, ſatis ſuperque oſtendimus, & cum funeris ſumptu contulimus ſupra *cap.* 14. Accedit & exemplum Falcidiæ, cujus deductio favorabilior longe eſt, quam viceſimæ, quippe Falcidia quadrantem apud hæredem reliquit, quamvis præter teſtantium voluntatem, quodammodo tamen ipſorum gratia, quorum intereſt, ne inteſtati moriantur, & conſequenter legata, aliaque teſtamento relicta, intercidant, recuſantibus ſcriptis hæredibus, pro nullo, aut minimo lucro, hæreditates adire, ut ſcriptum eſt *in princip. Inſtit. de lege Falcidia.* Unde & pater, aut filius teſtatoris, in legatis, quæ eiſdem relicta, extraneo hærede inſtituto, Falcidiam patiuntur. *l. pater* 28. *D. ad leg. Falcid.* Et perinde ex tenui, exilique hæreditate, atque ex locupleti, ſi modo utraque ultra dodrantem exhauſta, ſolvitur. At viceſima omnino contra voluntatem teſtantis, nulloque illius favore, hæreditates, & legata minuit, ſolius Fiſci compendio, ideoque nec filiis, parentibus hæredibus inſtitutis, aut legatariis, viceſimæ ſolvendæ onus injungitur, ut affatim poſtea dicemus, neque ea tenui hæreditate detrahitur. Et tamen, hæc ita cum ſint, exploratum etiam eſt, impenſam funeris, ante omnia, in ære alieno deduci, in ratione legis Falcidiæ ponenda, neque quadrantis deductioni obnoxiam eſſe. *l. Papinianus* 8. *§. Quarta D. de inoffic. teſtam. l. pen. D. de Religioſ. l.* 1. *§. ult. D. ad leg. Falcid. § Cum autem Inſtit. de lege Falcidia.* Ergo in viceſima, quæ non uſque adeo favorabilis eſt, facilius multo admittendum, eidem ſumptum funeris non ſubjacere, & ante omnia illum in ære alieno præcipi, quoniam & tanto minus ex hæreditate capitur, quanto in funus impenditur. Concors autem vel inter Accurſianos ſententia eſt, vectigal, ſeu gabellam ex hæreditate, vel legato ſolvendam, non deberi, niſi ex eo quod revera lucrum penes hæredem, vel legatarium manet, deducto onere, ſumptuque, ut præter laudatos ſupra *cap.* 14. docet Caſtrenſis in *l. ult. §. In computatione num.* 1. *Cod. de jure deliber.*

2 Hæc, explicandæ Macri diſputationi, obſervatio præluſerit. Ipſam jam illuſtremus, prælata paraphraſtica face: *Funeris ſumptus*, ait Macer, *accipitur, quicquid, corporis cauſa, erogatum eſt, veluti unguentorum*; & deinceps. Extat plenior alia ſumptuum funeris deſcriptio in *l. & ſi quis* 14. *§. Funeris* 3. *D. de Religioſ.* Nos nunc propoſitæ in *d. l. funeris* 37. quia ad viceſimam proprie pertinet, adhærebimus, & quæ ſingillatim complectitur, attingemus. Recenſentur vero inter alia, quæ corporis cauſa erogantur, unguenta, quæ uſque adeo propria funerum Romanis moribus habentur, ut ſi ſervus odores, & unguenta mercatus, in funus impenderit, quod ad Dominum pertinebat, in rem ejus verſum videri, ex Labeone Ulpianus ſcribat in *l. & ideo* 7. *§. Illud D. de in rem verſo.* Quamquam, ſi uxor pecuniam à marito in unguenta donatam, retinuerit, & de ſua pecunia tantidem unguenta emerit, locupletior ex donatione facta non creditur, quia *in re mortua impendit*; ut ſcriptum eſt in *l. quod autem* 7. *§.* 1. *D. de donat. inter vir. & uxor.* nempe ſi unguenta emit voluptatis, & luxuriæ cauſa, qualia ſunt ea, quibus inungi fœminas, quo mundiores, & elegantiores ſint, ait Pomponius in *l. argento* 21. *§.* 1. *in fine. l. argumenta* 25. *§. ult. D. de auro & argento legato*; tunc enim proprie, vereque, nec in rem ejus verſum, nec locupletior facta ex donatione mulier videbitur, quæ *in re mortua impendit*, hoc eſt, ut alibi Cujacius, *in rem caducam, manem, perituram.* Namque, ut graviter Plinius *lib.* 13. *Nat. Hiſt. cap.* 3. *Hæc eſt materia luxus è cunctis maxime ſupervacui; Margaritæ enim, Gemmæque ad hæredem tamen tranſeunt; veſtes prorogant tempus; unguenta illico expirant, ac ſuis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, ut, tranſeunte fœmina, odor invitet etiam aliud agentes; exceduntque quadragenos denarios libræ. Tanti emitur voluptas aliena. Etenim odorem qui gerit, ipſe non ſentit.* Niſi quis malit, ideo locupletiorem mulierem non videri, quæ in unguenta impendit, quia in rem impendit uti neceſſariam, ita & uſu perituram, conſumendamque, ſicut obſonia, cibariaque familiæ, quibus in hac re unguenta comparantur. *l. ſed ſi vir* 31. *§. penult. D. de donat. inter.* juncta *l. penult. D. de uſufr. ear. rer.* vel denique quia, cum, religionis ergo, ad funus, vel mortuum curandum donare conjugi liceat. *l. ſi ſponſus* 5. *§. Conceſſa, cum ſeq. D. de donat. inter.* non videtur locupletior facta *quæ in re mortua impendit*, hoc eſt in re mortui, vel ad mortuum pertinente. Græcanica loquendi forma, *ἐν τῷ πάγχυαλε εἶναι*, pro, *ἐν τοῖς εἶναι μυροῖς*; ſunt enim, & dicuntur unguenta res mortuorum. Martialis *lib.* 3. *epigram.* 12.

Qui non cænat, & ungitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur.

Clemens Alexandrin. *lib.* 2. *Pædagogi. cap.* 8. *Nimiæ enim* (inquit, vertente Gentiano Herveto) *unguentorum unctiones, juſtæ, quæ fiunt, mortuis potius, quam familiarem vitæ conſuetudinem redolent.* Firmicus *de profana Religione cap.* 13. *Unguentum hoc reſerva mortuis, reſerva morituris.*

Sed, quod ad funebrem, feralemque, ut ſic dicam, 3
uncturam attinet, ut de illius uſu apud varias gentes taceam, apud Romanos certe poſt Darium Regem ab Alexandro devictum, in cujus caſtris unguentorum ſcrinium cum reliquo apparatu captum fuit, voluptatem unguentorum inter laudatiſſima, atque etiam honeſtiſſima vitæ bona admiſſam fuiſſe, honoremque eum & ad mortuos pertinere cœpiſſe, Plinius ſcribit *lib.* 13. *Natural. Hiſt. cap.* 1. quem tamen in hac re, ſicut & in eo quod affirmat, unguenta Iliacis temporibus nondum cognita, ſubleſtæ fidei, aut ſaltem *ἀμαρτήματος μνημονικοῦ*, damnant noviores, cum vel ex lege decemvirali, ſervilem uncturam prohibente, de qua mox, liqueat, eam à Romanæ Urbis incunabulis receptam fuiſſe; & Athenæus *lib.* 15. *Dipnoſophiſtarum*, poſt Euſtathium, affirmet, unguenta Homerum noviſſe, oleique voce ſignificaſſe *ἔλαιον*, ut Iliados ψ. *ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ*, & agnoſcunt veteres Scriptores in rebus Iliacis,

Iliacis, Romaniſque incipientibus. Homerus *lib.* 18. *Iliados* in ſunere Patrocli: *& lib.* 24. *Odyſſ.* de Achillis corpore. Horatius de Hectore *Epodon ode* 17.

Unxere Matres Iliæ addictum feris,
Alitibus, atque canibus, homicidam Hectorem.

Virgil. de Miſeni funere *libr.* 6. *Æneidos.*

—— Et ahena undantia flammis
Expediunt, corpuſque lavant frigentis, & ungunt.

Ovidius de Remi nece, & funere, non κατὰ πρόληψιν ut Hieronym. Magius voluit *lib.* 3. *Miſcellan. cap.* 10. ſed ex recepto jam tunc more, *lib.* 4. *Faſtor.*

Arſuroſque artus unxit; fecere quod ille
Fauſtulus, & mæſtas Acca ſoluta comas.

Ennius de Tarquino:

Tarquini corpus bona fæmina lavit, & unxit.

Mihi tamen his, & ſi quæ alia ejuſdem generis argumenta exaggerant, poſt Mercurialem, Joann. Kirchman. *de funerib. cap.* 7. Marſil. Cagnatus *lib.* 2. *variar. cap.* 9. Cæſar Bulenger. *lib.* 3. *de conviviis cap.* 26. *&* 28. noviſſime, ex profeſſoque F. Fortunatus Scacchus, multa etiam contra Plinium ex ſacris libris argumenta conducens, eorum tamen, quæ expendimus, non ſatis memor, quem cum, poſt hæc ſcripta, videre contigit, ſcripſiſſe non pœnituit, *Sacror. Elæochriſm. mirothec.* 1. *cap.* 16. nondum eſt perſuaſum, nec erit facile, magnum illum, multiſciumque Scriptorem Plinium tam largiter peccaſſe, immemorem non ſolum legis Duodecim Tabularum, ſed etiam rei notiſſimæ, & tot vatibus paſſim teſtatæ. Erat alia, ut prænotavit Jacobus Gutherius *lib.* 1. *de jure manium cap.* 15. Plinii mens, qui non de ſimplicioribus, vilioribuſque unguentis loquitur, & ex oleo plurimum conſtantibus (unde ἔλαιον Homerus vocabat) qualia fere vetuſtiſſima fuiſſe, agnoſcit ipſe *d. lib.* 13. *cap.* 1. ſed de exoticis unguentis, ut & Plautus appellat in *Moſtellaria*, in quibus ſumma luxus auctoritas, cumuluſque ipſe deliciarum, quæque ſerius penetrarunt in Urbem, & introducta Romæ primum, atque interdicta, Antiocho Rege, Aſiaque devictis, anno Urbis 565. ut idem Plinius memorat *dict. libr.* 13. *cap.* 1.

4 Porro funebris, & feralis unctionis duæ potiſſimum differentiæ, quibus elucidandis, exorbitaſſe liceat, in Æmilii Macri gratiam. Alia enim cadaveris, ſeu reliquiarum ante exequias, & collocationem, alia poſterior tumuli, aut rogi. Utraque odoribus, & aromatibus, ut vel Ulpianus indicat, in *dict. lege & ideo* 7. §. 1. *D. de in rem verſo*, fieri ſolita; unde & illis, funebrium epitheton inditum. Martialis *lib.* 11. *epigr.* 55.

Unguenta, & caſias, & olentem funera myrrham.

Juvenalis *ſatyra* 4.

Et matutino ſudans Criſpinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera.

Apuleius *Apologia pro ſe ipſo* 1. *Etſi thus, & caſiam, & myrrham, cæteroſque id genus odores, funeri tantum emptos arbitreris, cum & medicamento parentur, & ſacrificio.* Ad priorem illam unctionem, qua mortuos ipſos delibutos diximus, &, ut Græci loquuntur, μυρίζειν, pertinent proprie, præter Ennii, Virgilii, Horatii, Ovidiique locos, quorum meminimus, hi præ cæteris conſpicui, electique, Perſius *Satyra* 3.

Hinc tuba, candelæ: tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſoque lutatus amomo.

Corrippus *lib.* 3. *de laudibus Juſtini minoris:*

Thura Sabæa, crepant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balſama ſucco:
Centum aliæ ſpecies, unguentaque mira feruntur,
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.
Supremum patri talem celebrabat honorem
Auguſto melior Juſtinus Cæſare Princeps.

Lucianus *libro de luctu: Poſt hæc autem eos lotos, & unguento optimo delibutos corpora* καὶ μύρῳ τῷ καλλίστῳ χρίσαντες τὸ σῶμα. Apuleius *lib.* 4. *floridor.* *Jam miſeri illius membra omnia aromatis perſperſa, jam os ipſius unguine odoro delibutum, jam eum pollinctum.*

Recepta etiam hæc odorum, & aromatum conditura, Chriſtianis moribus, Hebræorum exemplo, apud quos jam olim obtinuit, ut in Joſephi Patriarchæ funere, de quo *Geneſis cap. ult.* in fine, & in ſepulcro Salvatoris noſtri, Joann. *cap.* 19. quin & illud ipſius de unguento illo fragranti, ex ſpica nardi effuſo, Matthæi *cap.* 26. *Quod enim hæc unguentum hoc miſit ſuper corpus meum, ad ſepeliendum me fecit;* videſis & Marci *cap.* 14. Joann. *cap.* 12. ſed de Chriſtianis, qui, præeunte, & veluti approbante, Chriſto, *medicata corpora condimentis pigmentorum, Mauſoleis, & monumentis ſequeſtrare ſoliti, pluriſque, & carius Arabiæ merces ad ſolatia ſepulturæ profligare, quam idolis ſumigandis.* Ut Tertullianus loquitur *de Idololatr. cap.* 11. & in *Apologet. adv. gentes cap.* 42. Ubi multa Hiſpaniæ noſtræ Varro, P. Joannes Ludovicus Cerda. D. Hilarius *in Panegyr. S. Honorati: Prælata tunc ante feretrum ipſius aromata, & incenſum vidimus: ſed majora de veſtris mentibus Deus in tanto, erga tantum paſtorem, affectu veſtro, odoramenta ſuſcepit.* Eleganter Prudentius in *Cathemerino Hymno* 10. ubi funeris, ſepulchrorumque curam ex futura carnis reſurrectione commendat his verſibus. 5

Hinc maxima cura ſepulcbris
Impenditur; hinc reſolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſervat.

Ex quibus ita aliud agens, affectu, & ſtudiorum ſimilitudine in non ſimili argumento, noſter P. Paulus Sherlogus *Antiloquio* 11. ad finem; & ex Orientio, Hiſpano vate, & aliis, Henric. Spondanus in *Cœmeteriis Sacris libr.* 1. *part.* 3. *cap.* 3. *& parte* 2. *cap.* 2. Julius Laborius *var. elucubrat. titul.* 2. *capite* 1. *ex numer.* 49. *& ſequentib.* Baronius *ad Martyrolog. die* 4. *Auguſti.* Exacte Jacobus Gretſerus *libr.* 1. *de funere Chriſtiano cap.* 3. *&* 4. Et ſane myrrha, à qua Græci unguentum omne Μύρον vocant, ut Athenæus ſcribit *libr.* 15. frequenter adeo adhibita funeribus, ut eorum velut ſymbolum ſit, itaque *olentem funera*, ſcite Martialis indigetat *lib.* 11. *Epigram.* 55. & veteres Eccleſiæ Patres de myſticis illis muneribus auri, thuris, & myrrhæ, quæ Jeſus à Magis accepit, aurum tamquam Regi; thus Deo; myrrham homini, ad ſepulchrum oblata interpretantur. D. Baſilius in Pſalmo 44. *Erat itaque Myrrha* ὅτι ταφῆς ἐστὶ σύμβολον, *quod ſymbolum eſt ſepulturæ, ut & Evangeliſta Joannes nos docuit dicens, à Joſeph ab Arimathia ſepultum eſſe cum myrrha, & aloë.* Et paulo poſt, ἔχεις οὖν σμύρναν μὲν διὰ τὴν ταφήν. *Habes itaque myrrham, propter ſepulturam.* Prudentius *Hymno* 12. *de Epiphania*, quem Eccleſia inter *Hymnos* Officii poſuit:

Regem, Deumque annunciant
Theſaurus, & fragrans odor
Thuris Sabæi: ac myrrheus
Pulvis ſepulchrum prædocet.

Sedulius

Sedulius *lib.* 2.

—— Aurea naſcenti fuderunt munera Regi;
Thura dedere Deo; myrrham tribuere ſepulchro.

Juvencus Presbyter (quem Salmanticæ floruiſſe, & obüiſſe, aſſerta Flavio Dextro fragmenta enunciant, ad annum Chriſti 337. & 402. utinam eruditis perſuadeant) *lib.* 1. *Hiſtor. Evang.*

6 Illud, ut cum patre familias proferamus de theſauro noſtro nova, & vetera, pro Corollario funebris reſperſionis addideris, obtinuiſſe, jam inde à primo Eccleſiæ ſæculo, ut, mortuo catremum ſalutato, ante ſepulturam, oleum ſuperinfunderet Antiſtes, in memoriam unctionis illius, ante baptiſmum acceptæ, ſignumque athletæ Chriſtiani, jam certaminibus ſuis perfuncti, ut ſcripſit S. Dionyſius, *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap.* 7. Et ex eo Simeon Theſſalonicenſis, penes Jacobum Goarium in *notis Euchologii*, ſive *Ritualis Græcorum*, ad caput *de officio exequiarum pag.* 542. Ex quo uſu fluxit abuſus Alexandrinæ Eccleſiæ, ungendi, aut reſpergendi, non ſimplici oleo, ſed ſacro chriſmate Epiſcopos ſaltem, & Sacerdotes, ut liquet ex reſponſis Theodori Balſamonis, eum abuſum damnantis, ad interrogationem Macri Patriarchæ Alexandrini, *interrogat.* 22. Deſcripſit Joannes Leunclavius *in Jure Græco-Romano lib.* 5. Memorat Jacob. Gretſerus *libr.* 1. *de funere Chriſt. cap.* 3. in fine, Goarius in *Rituali* jam laudato, *ad officium funer. Sacerdot. pag.* 582. Junge Hugonem Menardum ad Sacramentar. S. Gregorii *pag. notarum* 265.

CAPUT XVI.

Ad d. l. funeris 37. de unctione, ſive reſperſione tumuli, aut rogi, itemque pollinctura.

ARGUMENTUM.

Poſterior unctio, ſeu reſperſio tumuli, aut rogi. Illum unguine oblinire; hunc aromatibus ſpargere, in more fuit. Multa in eam rem ex Poëtarum veterum meſſe Hieremiæ, & Paralipomenon locis lux. Expenſæ leges XII. Tabularum, *de ſervili unctura, & ſumptuoſa reſperſione. De pollincturæ uſu* παρέργως *illuſtrando* Ulpiano in l. 5. §. Idem ait D. de inſtitoria act. *Pollinctorum volumina. Aſſerta, & explicata* Arnobii *lectio.* Tertulliani *tenebricoſo loco fax accenſa, præter mentem Eruditorum. Servilis unctura in XII. Tabulis, ea eſt, qua, vel pollinctores ſervi ſe ipſos, vel ſervorum cadavera inungere, in uſu fuit. Vetitum id* Solonis *lege. Sumptuoſa reſperſio in eiſdem Tabulis, vel exaudienda eſt de irroratione coronarum funebrium, quæ in more poſita, indeque ſæpe apud Scriptores veteres in hac re, unguenta coronis junguntur; vel de pretioſa perfuſione aromatum, aut vini. Prævaluere tamen decemvirali, & poſthumiæ legibus mores, quibus recepta rogi reſperſio unguentis, & vino.*

1 NEc plura de priori unctione cadaveris, ſeu reliquiarum. Poſterior unctura ſequitur, ſive reſperſio potius, ut leges XII. Tabularum vocant. Fuit quidem moris, tumulum ipſum, titulumque ſepulchri, odoro, ut ita dicam, unguine oblinire, ut vel Anacreontis hæc indicat de ſe ipſo in *Odis*, Henrico Stephano vertente:

Tumulum, quid eſt, quod ungas?
Vel humo quod ebibenda
Peritura dona fundas?

Prudentius *in Cathemerino Hymno* 10. in fine.

Nos tecta fovebimus oſſa
Violis, & fronde frequenti:
Titulumque, & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

2 Præcipua tamen circa rogum unguentorum, aromatum, florumque ſparſio, cum, ut Plinius de Arabia ſcribit *libr.* 12. *Natur. Hiſtor. capit.* 18. *beatam illam fecit hominum, etiam in morte, luxuria, quæ Diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis.* Multa ad hunc ritum Joannes Kirchmannus *lib.* 3. *de funeribus cap.* 5. *& lib.* 4. *cap.* 3. Quibus, pro auctario, plura liceret, ſed adjeciſſe, ſatis ſit, Hieremiæ verba, hinc illuſtranda *cap.* 33. *Et ſecundum combuſtiones patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, ſic comburent te*, hoc eſt cum aromatibus, & unguentis, juxta Hebraïcum morem, de quo D. Hieronymus *in tradit. Hebr.* & illud Paralipom. 2. *cap.* 16. de funere Aſa Regis: *Et ſepelierunt in ſepulchro ſuo, quod foderat ſibi in Civitate David; poſueruntque eum ſuper lectum ſuum, plenum aromatibus, & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum, ambitione nimia.*

3 Sed, in adſtructis tot de funebri unguentorum uſu, elucidando Macro in *d. l. funeris* 37. peccare, & ille, & nos in Romanas leges videmur, antiquas illas dico, Duodecim Tabularum, quæ & *ſervilem uncturam* tollebant, & *ſumptuoſam reſperſionem* vetabant, Auctore Cicerone 2. *de legibus.* Nec Turnebum, aut alios audio, qui *ſervilem uncturam* interpretantur, pollincturam; & pollinctorum munus (qui libitinariorum adjuvæ, & adminiſtri, atque ex eorum plerumque familia cadavera lavabant, ungebant, curabant) lege XII. Tabularum vetari, affirmant, perquam improbabiliter certe. Quippe pollincturam nunquam ſublatam, perpetuoque in uſu manſiſſe, uſque ad noſtrorum Juriſconſultorum ætatem, vel ex Ulpiano diſcere potuiſſent *in leg. cuicumque* §. 5. *Idem ait D. de Inſtit. act. Si libitinarius*, inquit, (*quos Græce* νεκροθάπτας *vocant*) *ſervum pollinctorem habuerit, iſque mortuum ſpoliaverit*: cui præter Plautum *in Aſinaria, in Pœnulo, & in Sticho*, Fulgent. *de priſco ſermone* ad Chalcidium Grammaticum in *Pollinctores*, Nonium Marcellum in eadem voce, Firmicum *lib.* 2. *cap.* 5. *& libr.* 4. *capit.* 6. Servium *libr.* 9. *Æneidos*; do non vulgares adſtipulatores, Martialem *lib.* 10. *Epigram.* 97.

Jam ſcrobe, jam lecto, jam pollinctore parato,
Hæredem ſcripſit me Numa; convaluit.

Ammianum *lib.* 19. *Circaque eum lectuli decem ſternuntur, figmenta vehenter hominum mortuorum, ita accurate pollincta, ut & imagines eſſent corporibus ſimiles jam defunctis.* Sidon. Apollinar. *libr.* 3. *epiſt.* 13. *Enim vero illa ſordidior eſt, atque deformior cadavere regali, quod, facibus admotis, ſemicombuſtum, moxque fidente ſtrue torrium devolutum, reddere pyræ, jam faſtidioſus pollinctor exhorret.* Arnob. *lib.* 1. *adverſus gentes*, ubi ſic de Chriſto; *Unus fuit è nobis, qui redire in corpora jam dudum animas præcipiebat efflatas? Prodire ab aggeribus conditos? Et, poſt diem funeris tertium, pollinctorum voluminibus expediri?* Ita ex veteribus libris legendum, non, ut in vulgatis, *velaminibus.* Volumina pollinctorum vocant, ſepulchrales faſcias, involucraque, quæ Græci εἰλήματα, κειρίας, alludentes ad reſurrectionem Lazari, quem, quatriduum in monumenta habentem, dominus ſuſcitavit, prodiitque *ligatus manus, & pedes inſtitis, faciemque ſudario*, ut ſcriptum Joann. *cap.* 11. namque & pollinctores Hebræis in uſu, ut liquet ex Ezechiel. *cap.* 39. *Donec ſepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog.*

Nondum tamen abſtineo, quin adſcribam, peſſime vulgo acceptum Tertulliani, locum, *libro adverſus Gnoſticos cap.* 7. *Si noſter quoque Deus proprie, hoſtiæ nomine, martyria ſibi depoſtulaſſet, quis illi ex-* 4

probraſſet funeſtam Religionem, & lugubres ritus & aram, rogum, & pollinctorem, Sacerdotem, & non beatum amplius reputaſſet, quem Deus comediſſet? Hæc, quia non capiunt, corrigunt Novatores. Fridericus Lindenbrogius in *notis ad Catalecta Poëtarum veterum*, inverſa, ut putat, verba, ſic reſtituit: *Et aram Sacerdotis, & rogum pollinctoris.* Guthesius *de jure manium lib.* 1. *cap.* 15. Sacerdotium pollinctori tribui, ait, à Tertulliano, ut paganorum Sacerdotes derideat, qui tamquam pollinctores vere mortuos curabant, quos pro Diis colebant. Sed longe alia ibi mens Tertulliani, qui adverſus Gnoſticos, & alios martyriorum oſores ſcribens, cum admonuiſſet, Gentilium Deos, veluti Scytharum Dianam, & Afrorum Saturnum, hominum victima placari; nec eſſe tamen quemquam, ex Ethnicis, qui ſanguinaria Sacra reprehendat, & non rationem in his aliquam præſumat, eleganter ſubjecit: *Si Deus quoque martyrio, ut hoſtia gauderet* (id quod deinde probat *cap.* 8. *& ſeqq.*) *Quis illi exprobraſſet? Quaſi funeſta Religione gauderet, ut pro victima mortem, funuſque poſceret, ac lugubres ritus, atque aram, ubi hoſtia immolatur, in feralem rogum verteret, & Sacerdotem, qui ſacris præeſt, mutaret pollinctore, qui funeri?* Quaſi dicat, neminem utique hoc Chriſto exprobraturum, qui Dianæ, & Saturno non exprobrat; quin potius beatiſſimum eum reputaturos omnes, quem Deus, tamquam hoſtiam, comediſſet. Gemella verba ſunt, rei illuſtrandæ, alia ipſius Tertulliani in *Apologet. cap.* 13. ubi de Diis Gentilium ita: *Quid omnino ad honorandos eos facitis, quod non etiam mortuis veſtris conferatis? Ædes proinde, aras proinde: idem habitus, & inſignia in ſtatuis: ut ætas, ut ars, ut negotium mortui fuit, ita Deus eſt. Quo differt ab epulo Jovis ſilicernium? A ſympulo obba? Ab aruſpice pollinctor? Nam & aruſpex mortuis apparet*; & ſubæmulatus Lactant. *lib.* 2. *de orig. error. cap.* 4. *Pari enim ratione defunctorum corpora odoribus, ac pretioſis veſtibus illita, & convoluta, humi condunt, qua Deos honorant.*

5 Ergo, ut ad lineas, cum pollincturam ſuſtuliſſe Decemviros, dici non poſſit, aſſentior potius Kirchmanno *lib.* 1. *de funeribus cap.* 9. aliis conjectantibus, ſervilis uncturæ nomine, in XII. Tabularum lege, non vulgarem uncturam funebrem, de qua tam multa diximus, vetitam videri, ſed ne inungerentur ſervorum cadavera, in quorum funeribus ſuæ etiam, ſolitæque impenſæ fiebant. *l.* 2. *l. ſi filius familias* 31. §. 1. *D. de Religioſ. l. Julianus* 13. §. *Præterea* 22. *D. de action. empti.* ſive potius, ne ſervi ipſi, quales plerumque pollinctores fuerunt, funerariique, capita inungerent, quod ſæpe ab his, ſicut & circumpotare magno impendio fiebat, fœtori cadaveris obtundendo. Merito itaque inhibitum, ſumptumque hoc legis decemviralis caput ex Solone, qui, ut Plutarch. in *ejus vita*, *legem ſcripſit jubentem, ſervos non inungi*. Et generaliter Solonem, unguentariam exercere, civibus prohibuiſſe, prodiderunt, Athenæus *lib.* 13. *dipnoſophiſt.* Euſtathius *Iliad.* ξ. ſicut & de Lycurgo Athenæus idem *lib.* 4. Seneca *lib.* 4. *quæſt. natur. cap.* 13. Plutarchus in *Laconicis*, ex qua Solonia leges XII. Tabularum, magna ex parte, fluxere. §. *Et non ineleganter Inſtit. de Jure Natur. & Gent.*

Plane, quod ad alteram illam duodecim legem attinet, de ſumptuoſa reſperſione, cujus Cicero meminit, tentari poteſt, ſic Ciceronis verba 2. *de legib.* exaudienda, ut, uno velut ſpiritu, jungantur ſequentibus, in quibus longarum etiam coronarum mentio fit, ita ut utrumque ſimul inbibeatur, nempe ſumptuoſa reſperſio coronarum funebrium, quas unguentis irrorare, aut mergere moris fuit, ut indicant Plutarch. in *Artaxerxe*, & in *Sympoſiac. quæſt.* 7. Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *Pædagogi. cap.* 8. Athenæus *lib.* 15. unde & unguenta cum coronis, paſſim junguntur apud Veteres. Sidon. Apollin. *carm.* 3. 6

Et madeſcentes nardo capillos,
Circumfuſa roſis ſerta ſiccarent.

Seneca *lib.* 2. *de ira cap.* 33. *Ad cœnam invitavit eum eo die, unguentum, & coronas miſit.* Nec in conviviis tantum, & luxu, ſed in funere unguenta, coronis admixta. Propert. *lib.* 3. *eleg.* 16.

Afferet huc unguenta mihi, ſertiſque ſepulchrum
Ornabit cuſtos, ad mea buſta ſedens.

Adi, ſi plura cupis, Bulenger. *lib.* 3. *de conviviis cap.* 26. 27. & 28. Hæc niſi admittas, fatendum certe eſt, ea lege prohibuiſſe Decemviros, pretioſis quibuſque liquoribus, & aromatibus, rogum reſpergi, ſive perfundi, quemadmodum, eadem mente, Numæ Regis Poſthumia lex (quam convivialem fuiſſe voluit eruditiſſimus Lipſius alibi, Catullianum illud ſic explicans:

Ingere mi calices amariores,
Ut lex Poſthumiæ jubet Magiſtræ.)

ita concepta erat: *Vino rogum ne reſpergito*, propter inopiam, ſcilicet, vini, ut ait Plinius *lib.* 14. *Natur. Hiſtor. cap.* 12. Poſtea tamen utraque lex, malis, ut plerumque fit, moribus, eas in poteſtatem ſuam perducentibus, exoleviſſe videtur, receptumque, non tantum unguentis rogum, tumuloſque perfundere, ut ſupra oſtendimus, ſed etiam vino, eoque non dumtaxat in feriis, ac parentalibus, &, ut Feſtus ſcribit verbo *reſperſum*, in novemdiali Sacro, quod Kirchmanno, & aliis notatum; ſed etiam die ipſo funeris, & rogi, ut vel Virgil. exprimit 6. *Æneid.*

Poſtquam collapſi cineres, & flamma quievit,
Relliquias vino, & bibulam lavere favillam.

Papinian. 6. *Thebaïdos.* Auſonius in *Epitaph. carm.* 36. Vetus ſepulchralis inſcriptio:

Oſſibus infundam, quæ numquam vina bibiſti.

CAPUT XVII.

Ad d. leg. funeris 37. de pretio ſepulchri, & vectigali funebri.

ARGUMENTUM.

Pretium loci ſepulchri, inter legitima impendia funeris, nec obnoxium vicesimæ. Pecuniæ, pro ſepultura, exactio, improbata ſacris Canonibus. Similes Eccleſiaſticorum hodie exactiones, an illicitæ, aut ſimoniacæ? Affirmatum, non eſſe, & quo reſpectu. Laïcus laïco an poſſit vendere jus, veluti proprietatis, ſepulchri in Eccleſia? Venditionis ejuſce decima non debetur. Ea occaſione quæſitum, an Equeſtrium Militarium Ordinum inſignia vendere liceat? Aſſertum, non licere. Stabilita Florentina lectio apud Macrum, *quæ habet,* vectigalia. *Expoſita de his, quæ in itinere, aut pontibus, pro cadaveris tranſitu, penduntur. Illuſtrata* lex ult. Cod. de Religioſ. *& Inſcriptio Narbonenſis. Funere collativa* Menenii Agrippæ, *& aliorum. Collectæ Chriſtianorum pro funeribus. Vectigal* d. l. 37. *an ſit obolus, trienſve, quem Charonti, vecturæ nomine, porrigere mortuos debuiſſe, fama, & fabula Veterum fuit. Varia ejus rei, & ritus nomina, & alluſiones. Rejecta ea expoſitio ad* Macrum. *Tentata nova alia de vectigali Libitinæ, pro morientibus.* Suetonius, *aliique elucidati. De vectigali, ſeu monopolio lugubrium apud nos, & quatenus permiſſum, aut improbabile, cenſura.*

1 PRogrediamur cum Macro, qui in *dict. l. funeris* 37. recenſet etiam, inter funeris ſumptus, pretium loci, *in quo defunctus humatus eſt.* Quoniam, ut eleganter Ulpianus in *l. & ſi quis* 14. §. *Funeris* 3. *D. de Religioſ. Neceſſario locus paratur, in quo corpus conditur.* & quemadmodum, ſi proprius teſtatoris locus fuit, quamvis ab eo alii legatus, fit tamen religioſus, illatione ipſius teſtatoris defuncti, quia naturaliter ad mortuum pertinere videtur locus ſepulchri. *l.* 4. *D. de Religioſ. l. quid ergo* 53. §. *Sed ſi mortuum D. de leg.* 1. *l. Mævio* 65. §. *In fundo D. de leg.* 2. Ita, ſi defunctus monumentum, ſepulchrumve, aut proprium locum non habuit, ubi commode inferri poſſet, comparandum id eſt, pretiumque ejus, non modo viceſimam, de qua Macer in *d. l. funeris* 37. ſed etiam omne aliud creditum præcedit, ut expreſſit *Regia lex noſtra* 12. *tit.* 13. *part.* 1. ibi: *En comprar los monumentos.* Cum expediat, de ſuo potius defunctos, quam de alieno ſepeliri. *l. & ſi quis* 14. §. 1. *&* §. *Idem Labeo D. de Religioſ.* Sitque hæc impenſa in locum, quo defunctus humatur, & ſecundum memoriam humanæ conditionis, ut ſcriptum eſt in *l. quidam* 27. *D. de condit. inſtit.* & ex vetere, meliorique conſuetudine (ut in *Octavio* indigetat Minucius Felix) *qua corpus terræ & redditur, & ita locatum, ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur.* Uti graviter Cicero *lib.* 2. *de legibus.* De quo tamen, ſi vacat, adi, ad forenſem uſum, Tellium in *l.* 30. *Tauri num.* 5.

2 Illud his, quæ adnotavimus, ad uſum fori producendis, ſubjicio, ut quamvis ſacris noſtris Canonibus inhibita, & improbata ſit conſuetudo exigendi aliquid pro pretio ſepulturæ in Eccleſia, *capit. abolenda* 13. *de ſepultur. capit. quæſt.* 12. *cum tribus ſequentib.* 13. *quæſt.* 2. *cap. cum in Eccleſia* 9. *capit. audivimus* 41. *cum ſeq. de Simon. Concil. Meldenſe can.* 63. *&* 72. *in Concil. Claromont. Gen. capit.* 8. *& in Placentino can.* 14. *Innocent.* 2. *in Concil. Rom. cap.* 18. *Eugen.* 3. *in Concil. Rhemenſi capit.* 16. Quo & argumento hodie pactiones Clericorum, & Religioſorum cum laïcis, de pretio ſepulturæ in Eccleſia, eſſe illicitas, & Simoniacas, contendunt Greg. Lopez in *l.* 1. *gloſſ.* 3. *tit.* 13. *part* 1. Padilla in *l. ult. num.* 16. *Cod. de tranſact.* Molina *de primogen. lib.* 1. *capit.* 24. *ex num.* 38. Garcia *de expenſis capit.* 8. *num.* 52. Parlador. *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. *num.* 36. Certius eſt tamen, & receptius, pactiones iſtas, & venditiones juris certæ ſepulturæ in Eccleſia, ſi modo pretium non exigatur pro ſolo ſacro, omnino neceſſario ad ſepulturam, ſive, pro jure ſepulturæ Eccleſiaſticæ, quatenus ſpirituale eſt, & gratis debitum Chriſtianis omnibus, ideoque extra commercium, quo proprie reſpicit, & referenda eſt prohibitio *d. cap. abolendæ* 13. *de ſepultur.* cum adductis, poſt Angelicum Thomam, & Abulenſem, à Benedicto Pereyra, & aliis novioribus, *in Geneſim cap.* 23. *diſp.* 1. *num.* 13. *& ſeqq.* Et, poſt Hieronymum, & Ambroſium, ab Henrico Spondano *de Cœmet. Sacr. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. *& lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 9. *num.* 4. *&* 5. Joanne Hieronymo Sopranio *Commentario in Davidem digreſſ.* 2. *de funere Hebr. cap.* 5. Sed pretium ſit dignioris, & honoratioris loci ſepulturæ in Eccleſia, juriſque, veluti proprietatis, ad eum locum, quatenus temporale utrumque eſt, nequn gratis cuicumque laïco debitum, licitas eſſe, pretiumque accipi, & exigi poſſe, tamquam eleemoſynam, & ſubſidium Eccleſiæ, ad ſumptus fabricæ, & miniſtrorum, ut docent, poſt alios, Sotus *de Juſt. & Jure lib.* 9. *de Juſt. quæſt.* 7. *art.* 1. Palacios *de contract. lib.* 2. *cap.* 7. *pag. mihi* 126. Salazar *de uſu & conſuetud. cap.* 10. *num.* 24. Cabedo *de Patronat. Regiæ Coronæ cap.* 32. *num.* 2. Hugolinus *de cenſuris tabula* 1. *cap.* 44. §. 2. Suarez *de Religione tract.* 3. *de ſimon. lib.* 4. *cap.* 14. *ex numer.* 7. Garcia *de benef.* 5. *part. cap.* 9. *n.* 136. *& ſeqq.* Lara *de Anniverſ. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 17. Guttierrez *lib.* 2. *Canonic. quæſt.* 21. *num.* 148. Steph. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 110. *& cap.* 210. *& deciſ. Marchiæ* 26. Anton. Diana 2. *parte reſol. moral. tract.* 1. *miſcell. reſol.* 57. Aug. Barboſa *ad dict. cap. abolendæ* 13. *num.* 5. &, ſi alterius notæ Auctores deſideres, Chriſtophorus Beſoldus *in conſiderat. vitæ & mortis cap.* 2. *num.* 2. *tomo* 2. *Politicorum.* Qua etiam ratione, & reſpectu ſuſtineri poſſe venditiones juris, veluti proprietatis certæ ſepulturæ in Eccleſia, etiamſi laïcus, ſepulchri quaſi dominus, laïco vendat; & venditionis decimam deberi, docet Laſſarte *de decima vendit. cap.* 14. *num.* 5. Suarez *dict. cap.* 14. *num.* 18. Me tamen, quoad Gabellam venditionis, propendere in contrarium facit, ne ſcilicet ex venditione juris ſepulturæ, quoties ſeparatim, & per ſe venditur, debeatur, & fori uſus, & ratio exemplumque viceſimæ, cui obnoxium non eſſe pretium ſepulchri, cum Macro oſtendimus, in *dict. l. funeris* 37. & à qua toties ad vectigal venditionis argumentamur. Idque ipſum, aliis licet rationibus, tuentur Parladorius, qui ex facto ita reſpondit, *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. §. 1. *num.* 35. Guttierrez *de Gabellis, &* 7. *practic. cap.* 9. *num.* 26. &, palinodiam veluti recantans, Laſſerte *de decima vendit. in additionib. c. cap.* 14. *num.* 5.

Perſimili ratione, & exemplo ſuaſere, noſtra ætate, non pauci, imo & perſuaſere, poſſe Equeſtrium Militarium Ordinum inſignia, ſive, ut loquimur, *Habitus*, in emptionem venire, ſive, ut etiam loquuntur, in beneficium deduci, à Rege noſtro, perpetuo Militarium Ordinum Magiſtro, quia, utcumque Ordines ipſi, Equites, & Habitus ſint Religioſi, & ſaltem Eccleſiaſtici, aut Eccleſiaſticis annexi, non fit tamen venditio ejus, quod religioſum, ſive eccleſiaſticum eſt, ſed temporalis illius honoris, quem hæc nobilitatis inſignia præferunt, & qui principaliter Regio beneficio indulgetur: id, quod proinde, nec Simoniacum, nec illicitum eſſe, ſicut nec propriæ, & honoratioris in Eccleſia ſepulturæ emptionem, affirmat, poſt P. Villalobos in *Summa tom.* 2. *tract.* 37. *diff.* 14. *num.* 5. Diana 3. *part. tract.* 2. *reſol.* 64. *& part.* 10. *tract.* 9. *miſcell. reſol.* 35. P. Fagundez *de contract. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 9. Joſephus Januarius *var. reſol. part.* 1. *quæſt.* 6. At è contrario, non tantum ſeverior, ſed & verior ſententia eſt, quæ negat, poſſe eos Habitus in emptionem, ſive beneficium venire; ſive quia, non ſicut in ſepulturis, & patronatibus, potuit recens Eccleſiæ uſus, ac ſenſus, quod in illis eccleſiaſticum eſt, ſecernere à temporali, ut hoc ſaltem ematur, & vendatur; non itidem hoc ipſum poteſt temporalis, utcumque Regia auctoritas, quoad ſeparationem honorifici, & eccleſiaſtici, pro vendendis Ordinum Militarium inſignibus; argumento *ex cap. ſi quis objecerit* 8. *quæſt.* 3. ſive quia, & ſepoſita quæſtione illa, an hi Ordines, Equiteſque ſint Religioſi, (quæ ſane alia, & altior diſquiſitio eſt) non eſt Regiæ adminiſtratoriæ poteſtatis, inſignia hæc venalia efficere, contra Statuta, & Inſtituta eorumdem Ordinum, contra Juſtitiæ normam, in his præmiis diſtribuendis, & demum contra ipſarum Equeſtrium Militarium decus, vileſcentibus, ob eum abuſum, nobilitatis honoribus, qui dum fuerunt rari, & dignis impertiti, *fuerunt & glorioſi*, nunc autem *effuſi, & obſoleti*, ut, ad rem, pridem ſcripſit Æmilius Probus in *Miltiade*; ac de Equeſtri conchiliato torque apud Gallos, poſtquam indignis communicari cœpit, Præſes Thuanus *lib.* 23. *Hiſtor.* ex militari dicterio, eſſe illum *non jam fortium virorum inſigne, ſed beſtiarum collare.* Quibus affinia, alia habet Gabriel Bartholomæus *lib.* 2. *Hiſtor.* ubi de Equitibus Sancti Spiritus. Prudentius Sandovalius in *Carolo V. lib.* 2. §. 35. Plane ex his ſingulis, quæ expreſſimus, non licere Equeſtres hos Habitus vendere, eamque venditionem, quantumvis Simoniaca non ſit, eſſe tamen mortali peccato obnoxiam, ſcripſerunt, Azorius *lib.* 13. *inſtitut. moral. cap.* 6. *verſ. tertio quæritur.* Fulvius Conſtantius *ad l.* 1. *Cod. de filiis official. num.* 12. quibus acceſſere, reverenter nuncupanda, duo Dominicani Ordinis decora, Primarius Salmanticenſis, & Segobienſis Epiſcopus Araujo *tom.* 1. *Eccleſiaſt. diſput. tract.* 1. *quæſt.* 6. & obſervantia, affectuque, noſter, P. 3

Joannes Martinius, Regius Confeſſarius *diſcurſ. Eccl. & pol.* 10. §. 1. exacta uterque cura, & cenſura.

4 Legimus deinde, apud Macrum, *in dict. l. funeris, & ſi qua vectigalia ſunt,* ˚*vel ſarcophagi, & vectura.* Deſignantur, his verbis, ſumptus, proprie pertinentes ad funus hominis, peregre mortui, ut & ſignificant ſequentia illa: *Et quicquid, corporis cauſa, antequam ſepeliatur, conſumptum eſt.* In primis vero, *vectigalia*, quam vocem in *dict. l. funeris* 37. & Florentini Codices præferunt, & agnoſcunt Baſilica, ex quibus hæc ſuggerit Cujacius *lib. 5. obſerv. cap. ult. & lib. 11. cap. 21.* καὶ τὸ τέλος, καὶ ἡ σορὸς, καὶ ἡ στολὴ, hoc eſt, *& quod vectigal, urna, veſtiarium*, quamquam ea verba, atque imo integer textus *dict. l.* 37. deſideretur in Baſilicis, à Nicolao Fabroto nuper editis, erutiſque, ut ille profitetur, ex Bibliotheca Regia *lib. 59. tit.* 1. & pro vulgata lectione, de qua poſtea, obnixe, contra Baſilica, & Cujacium, ſtet Elbertus Leoninus, Lovanienſis Anteceſſor *lib. 3. emendat. cap.* 10. utcumque ſit, & ſuppoſita ex Baſilicis aſſerta lectione, vectigalia hic accipimus, quæ in itinere, aut pontibus, pro tranſitu præſtantur, dum ex loco in locum corpus peregre mortui perfertur, à quibus nec immunem fuiſſe ſarcophagum, argumentari veluti, licet, ex *l. ſi quis ſepulchrum* ra. *verſ. Præſes D. de Religioſ.* & liquet ex Græca Conſtitutione, quæ ex *lib. 59. Baſilicon. tit.* 1. ſupplenda eſt, ad *tit. Cod. de Religioſ.* & liquet ex Græca Conſtitutione, quæ ex *lib. 59. Baſilicon. tit.* 1. ſupplenda eſt, ad *tit. Cod. de Religioſ.* Ejus ſententia hæc. ἐν οὐδενὶ τόπῳ οὐδὲν τέλος, ἀλλ' οὐδένος ὑπὲρ τῶν διακομιζομένων σωμάτων παρέχεται. Hoc eſt, *in nullo loco vectigal ab aliqua perſona, pro transferendis cadaveribus,* ˚*exigatur.* Cujus Conſtitutionis inſcius noſter Perez de Lara *lib. 1. de Anniverſ. cap.* 25. illicite portorium exigi, pro tranſlatione cadaveris, longe, lateque diſputat. Ego potius, rei illuſtrandæ, ſupernumerariam adjungo (niſi tamen, quod vereor, aliorſum pertinet, nempe ad ſtipem, à civibus ad funus collatam, in funeribus publicis, ſeu collativis, qualia Agrippæ Menenii, Valerii Publicolæ, &-Scipionis Serapii, de queis Livius *lib.* 2. Valerius *lib. 4. cap.* 4. Dionyſ. Halicarn. *lib.* 8. Seneca *in conſolat. ad Helviam cap.* 12. Plinius *lib.* 21. *Natur. Hiſtor. cap. 3. & lib. 33. cap.* 10. Plutarch. in *Publicola.* Qualia etiam funera egenorum, inter Chriſtianos, quæ accurabant Eccleſiarum œconomi, earum ſumptu, ex Collectis, ſeu collationibus fidelium. *l. magna* 18. *Cod. de Sacroſ. Eccl. Novella de officinis* 43. *& Novella 59. de debita impen. in exequiis defunct.* Tertull. in *Apolog. cap.* 39. D. Cyprian. *epiſt.* 89. *ad Lucianum*) Narbonenſem hanc Inſcriptionem, quæ apud Gruterum *pag.* 430. LIGURIÆ. Q. FIL. FRONTINÆ. Q. HORTENSI. KATULLI. HUIC ORDO NARBONENSIS PUBLICA FUNUS, ET OMNES VECTIGALES DECREVIT. Propria magis eſt hujus loci, vetus illa parœmia, quam celebratam valde, teſtatur Ariſtoteles *lib. 2. Rhetoric. cap.* 6. καὶ ἀπὸ νεκροῦ φέρειν, *etiam à mortuo exigere tributum* (& ut D. Gregorius loquitur, *lib. 7. epiſt.* 56. *ad Januarium*, cujus pars extat in *cap. quæſtu* 22. 13. *quæſt.* 2. & ex eo Meldenſe Concilium *can.* 72. *Pretium de terra, conceſſa putredini, quærere, & de alieno velle facere luctu compendium*, quamquam & alio etiam referri poſſe, ſciam.

5 Sunt tamen ex noſtratibus, & inter eos, Primarius ille noſter otii quadrimeſtris editor, *part. 2. num.* 6. qui, vectigalis nomine, in *d. l. funeris* 37. intelligant portorium illud, ſive, ut Græci vocant, Πορθμεῖον quod, vecturæ nomine, Charonti porrigere, mortuos debuiſſe, pro tranſmiſſione ſtygiæ paludis, Veteres fabulantur, ut ex Ariſtophane in *Pſyches fabula*, Diodoro Siculo *lib. 2. rer. antiqu. cap.* 6. Apuleio *lib. 6. de aſino*, notatum Beroaldo, & aliis; quo alludens Albinovanus in *eleg. ad Liviam de morte Druſi*, avarum portitorem, Charontem indigetat, ſicut & avarum nautam, Apulejus. Solebatque, eo reſpectu, in os defuncti obolus imponi, ſive, ut Juvenalis luſit, *Satyra* 3. triens, quem ore Charonti porrigeret, ut ad ulteriorem ripam navicula deduceret commeantem, erraturum alioquin, & ſubmovendum tranſitu, ut infelix illa turba, quam, vel iſto reſpectu, inopem vocat Sibylla, apud Maronem, 6. *Æneid.* in quo ritu irridendo, multus eſt Lucianus in *Charontis & Menippi dialogo*, & in *Cratetis*, & *Diogenis*, & in *Cataplo*, ſive *Tyranno*, & *de luctu.* Naulum mihi, vocaſſe, Juvenalis, videtur *Satyra* 8. ibi:

Furor eſt, poſt omnia, perdere naulum.

quamvis, ea voce ſimplicius, pro cujuſvis navis vectura, Ulpianus utatur. *l. cum ſervus* 32. §. 1. *D. de legat.* 2. *l.* 6. §. 1. *D. qui potiores.* ναυλόδικα, vocat Suidas, & δανάκην Heſychius, Gutherio laudati; viaticum, Plautus in *Pænulo.*

——— Ipſe abiit
Ad Acherontem, ſine viatico.

Et ſimpliciter, æra, Propert. *lib. 4. eleg. ult.*

Vota movent Superos: ubi portitor æra recepit,
Obſerat umbroſos lurida porta rogos.

quibus adjicio illaudatum Strabonis locum *lib. 8. Geograph.* παρ' Ἑρμιονεῦσι δὲ τεθρύλληται τὴν εἰς ᾅδου κατάβασιν σύντομον εἶναι. διόπερ οὐκ ἐντιθέασιν ἐνταῦθα τοῖς νεκροῖς ναῦλον. Quæ ſic verto: *Apud Hermionenſes autem vulgatum fuit, in inferos deſcenſum compendioſum eſſe, quocirca non imponunt ibidem mortuis naulum.* Alluſit in *Truculento* Plautus, *actu 4. ſcena* 2.

Si volebas participari, auferres dimidium domum:
Nam itidem, ut Acherunti, hic ratio accepti ſcribitur;
Intro accipimus, quando acceptum eſt, non poteſt ferri foras.

Verum hæc, quod ad Macrum attinet, in *dict. l. funeris* 37. argute excogitantur, non vere. Quis enim credet, gravem, ſeriumque Juriſconſultum, inter legitimos funeris ſumptus computaſſe, & viceſimæ præferendam cenſuiſſe, minutam adeo, vanamque oboli impenſam, quæque nemini, paulo cordatiori, non fuit ludibrio, præſertim cum & lege Duodecim Tabularum, cujus Cicero meminit 2. *de legibus*, aurum mortuis addi, vetaretur, & Mandatis principalibus caveatur, ne ſepulchris inferatur pecunia. *l.* 4. §. *Non ſit* in fine *D. ad l. Juliam pecul.* Denique, ut ſcite Lucianus deridet, obolo in os defuncti impoſito, *non illud prius expenderetur, cujuſmodi numiſma legitimum ſit, ambuletque apud inferos, ſeu valeat Atticus, an Macedonicus, an Æginenſis, ac ne illud quidem cogitarent, multo ſatius eſſe non poſſe, naulum reddere, ſic enim fieret, ut non recipiente portitore, poſtliminio in vitam redirent*; quid quod, ut jam præmonui, tractat Macer in *d. l. funeris* 37. de impenſa peregre mortui? Ideoque, & ad portoria, quæ pro viarum, pontiumve tranſitu, ſolvebantur, commodius refertur vox, *vectigalia*, ſicut *ſarcophagus, vecturaque?* 6

Jam, quoad vectigalia, ſeu tributa, in re funebri, non diſſimulamus, quamvis dolenter memoremus, irrepſiſſe inter recentes, & ſequiores, exquirendæ pecuniæ, vias apud nos Matriti, Cordubæ, & fortaſſe aliis in Urbibus, monopolium lugubrium, ſive, ut loquimur, *eſtanco de lutos*, quod monopolium exerceetur in elocandis feretro, & operimentis illius, & parietum templi, quo funus ducitur, aliiſque id genus, funebri apparatui neceſſariis, quomodo Romæ elocabantur à libitinariis, ut colligere eſt ex Valerio Antiate, apud A. Gellium *lib. 7. noct. Attic. cap. 9. in fine*, Valerio Maximo *lib. 5. cap.* 2. Plauto in *aulularia, ſcena, nimium libenter.* Plinio *lib. 6. Natur. Hiſtor. cap.* 52. Seneca *de tranquillit. vitæ cap.* 11. *& lib. 6. de beneſic. cap.* 38. Suetonio in *Nerone cap.* 39. non tamen prohibita aliis, præter libitinarios, lugubrium, & funebrium veſtium locatione, 7

tione, ut addiſcere licet ex *l. ſed ſi quid* 15. §. *Proinde* 5. illic: *Locaturum, tam ſcenicam, quam funebrem veſtem D. de uſufruct.* At apud nos prohibita, & ad monopolium redacta, Regio beneficio: id, quod quamvis permiſſum ſupremo Principi, contra vetitum *l. unica Cod. de monop. l.* 12. 13. & 15. *tit.* 11. *lib.* 6. *comp.* juncto, ex *millionum*, ut dicimus, *conditionei*, *cap.* 89. *quinti generis*, ſcilicet, *pro ſublevando ærario*; nec improbabile Ariſtoteli *lib.* 1. *Politic.* 7. & tolerabile, monopolio inducto, in ſpeciebus luxui ſervientibus. *l. ult.* §. *Species*, illic: *fucus*, *D. de publican. & vectigal.* aut ſaltem in rebus, vitæ tuendæ, non abſciſſe neceſſariis, cujuſmodi monopolia illa, inducta à Philippo Secundo, de queis Lud. Cabrera in *illius Hiſtoria lib.* 12. *cap.* 26. &, poſt alios, cenſuit P. Molina *de Juſt. diſput.* 345. *num.* 3. & quamvis monopolio iſto lugubrium, neque offendi prohibitionem illam Canonicam, *cap. ult. de rebus Eccleſ.* neque præjudicari Eccleſiaſticæ libertati, dummodo, ſi quæ Eccleſiæ propria id genus lugubria habeant, non impediantur, intra earum ſepta, & funera, illis uti, diſputet dextre noſter Araujo *tom.* 2. *diſput.* 12. *diff.* 1. Negari tamen non poteſt, eſſe, monopolium lugubrium, rem, Chriſtianæ pietati, & moribus diſſentaneam, utpote per quam fiunt, veluti vectigales, lugentium lacrimæ, & *coguntur miſeri, inter acerba luctuum, plorare diſpendia facultatum, ut monopolis creſcat de humana morte compendium.* Sicut appoſite de venditoribus arcarum ad funera, legitur apud Caſſiodorum *lib.* 3. *var. formula* 19. adeo ut, quod eleganter in re ſimili, Ambroſius *lib. de Tobia cap.* 10. *nihil intersit inter funus, & fœnus, nihil inter mortem diſtet, & ſortem.* Junge D. Gregorii, & Concilii Nannetenſis locos, laudatos ſupra. Sane, meliore, & pientiore ſæculo, Conſtantinus Magnus, & ſecuti eum Cæſares, ut ſine defunctorum, & lugentium ſumptu funera fierent, deſignavere in Eccleſia Conſtantinopolitana numerum hominum, qui funera gratis curarent, quos, *decanos lecticarios*, & *copiatas*, vocabant (quin & *laboratores*, & *foſſarios*, *ſub Clericorum vocabulo*, *infauſtis defunctorum obſequiis occupatos*, ut ſcriptum eſt in *l. plerique* 12. *Cod. Theodoſ. de Veteranis*) & ſubſidia funerum, ſumptibus ex officinis, & fundis, in eam rem, itidem deſignatis, quibus & eo intuitu, immunitatem tributariam indulſere. Liquent hæc ex *Novella Juſtiniani* 43. & 59. & Leonis Philoſophi 12. *l.* 4. & 18 *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l.* 1. *de luſtrali collat.* cum *l. in Ariminenſi* 15. *de Epiſcop. & Cleric.* in *Codice Theodoſiano.* Quo exemplo, laudabiliter Romæ inſtitutum *Sodalitium*, ut vocant, *mortis* (cui ſimiles in aliis Urbibus, Confraternitates, quæ nuncupantur, *miſericordiæ*, *charitatis*; Matritenſi in Curia, *Refugii*) pauperibus ſaltem ſepeliendis, memorat Baronius 3. *tomo Annal. ad ann.* 336. *num.* 72. ubi & de *copiatis*, & ſimilibus. De eiſdem, poſt Cujacium ad *Novellam* 43. & 59. Heribertum Roſweidium *ad vitas Patrum* in *Onomaſtico* in voce, *tumulum*: exacte Jac. Gothofredus ad *l.* 1. *de luſtrali collat.* & 15. *de Epiſcop. in Cod. Theodoſ.* Spondanus, Gretſerus, Kirchmannus, & alii, funebrium Collectores.

CAPUT XVIII.

Ad lectionem, Veſtiaria, d. l. funeris 37. *Collectanea de Veſtiario funebri.*

ARGUMENTUM.

Expoſita vulgata lectio d. l. 37. *in qua*, *pro*, vectigabilus, *ſunt*, veſtuaria. *Earum duplex uſus in funere*, *& legitimus ſumptus. Collocatio veſtis in* l. & ſi quis 14. §. Impenſa 4. de Religioſ. *Legata veſte*, *in funus impenſa*, *an & quæ actio legatario in hæredem? Illuſtrata* lex veſtis 23. de auro & arg. leg. *Indumenta cadaverum ex* Virgilio, Sidonio, Corrippo. *Expoſita* lex 3. §. Adverſus D. de ſepulc. viol. *Pollinctores*, *& Veſpillones furtis infames. Pecuniæ*, *& ornamenta*, *impune ex monumentis eruta ab his*, *quibus jus eſt*, *& auctoritate publica. Nova inde lux*, *& pax* Ulpiano, *&* Martiano, *in* l. legi 1. *&* 4: ad l. Jul. peculat. *Veſtimentum cadaveris toga*, *aut pallium. Ad* l. filius fam. 19. de in rem verſo, *paraphraſis.* Neratii *inibi ſententia*, *propoſita*, *& ad eamdem* Pauli *nota. Explanatus* verſic. funus enim in d. *l.* 19. Enim, quoniam, *& ſimiles non ſemper pro cauſalibus*, *ſed interdum* quoniam *pro* quamvis in l. ſi hominem 19. de uſucap. & in princ. Inſtit. de ingenuis *& pro* poſtquam *apud* Terentium, Plautum, *& alios. Pater togam emptam à filio*, *in funus ejus erogans*, *quatenus de peculio obnoxius*, *vel de in rem verſo. Funerariæ actioni nullus in ea ſpecie locus*, *&* Gutheri *obtrudentis nota extruſa. De funebri indumento Martyrum*, Eutychiani *Papæ canon enarratus* Dalmatica *quod genus tunicæ? quando in Eccleſiam penetrarit*, *& à Diaconis Cardinalibus ad Diaconos alios*, *& Subdiaconos deſcenderit? Emendatus* Seneca, *illuſtrati Sacri Scriptores.* Colobium *itidem deſcriptum*, *&* l. 1. Cod. Theodoſ. de habitu, quo uti oportet intr. Urb. *lumen immiſſum. Idem quietum veſtimentum*, *& quare? Proprium Epiſcoporum ſub Pio I.* Dalmaticarum *uſus*, *inhibitus*, *vel in funere Pontificio. Explicatus*, *& emendatus* canon 4. Synodi 2. Romanæ, *ſub Gregorio I. Emaculatæ in ſimili mendo* lex 2. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l. nemo 14. Cod. de Religioſ.

1 SUbſiſtamus tamen parumper. Vox enim, *veſtiaria*, quam pro, *vectigalia*, retinent vulgati Codices in *dict. l. funeris* 37. & pro, *unctura*, Cujacius ex Baſilicis reponit, noſtram quoque opellam deſiderat. Scimus, & antiquioribus, & noſtris Interpretibus placuiſſe, *veſtiaria* vocari, veſtes illas, quibus, aut ſepelienda cadavera induuntur (*mortaja* idioma noſtrum nuncupat) quæve funebri lecto, ſarcophago, aut ſepulchro inſternuntur, vulgo, *paño de tumba*, dicimus, vel denique rogo injiciuntur. Utramque in rem, frequens apud Romanos veſtium uſus. Unde & Ulpianus in *l. & ſi quis* 14. §. *Impenſa* 4. *D. de Religioſ.* ubi & in §. *præcedenti*, pleraque circa impenſam funeris, noſtræ *l. funeris* 37. quaſi è regione reſpondentia, proponit, recenſet etiam impenſam *καὶ τὴν ἔνδυσιν*, ut exprimit Synopſis Baſilicon *lib.* 59. *tit.* 1. *cap.* 1. & Baſilica ipſa *lib.* 59. *tit.* 1. in *d. l.* 14. §. 4. ſive, quod idem eſt, *ad veſtem collocandam*, ſic enim proprie, & eleganter dicimus; quamvis, *elocandam*, malit Faber. Ovid. *lib.* 2. *Metamorph.*

> —— *Chlamydemque, ut pendeat, apte*
> *Collocat.*

Eadem mente Scævola, ſi hæres veſtimenta, alicui legata, erogarit in funus teſtatoris, utique ſi ignorans, & neceſſario fecerit, agnoſcit, nihil ei imputari poſſe, nec ex teſtamento teneri, cum neceſſario, utiliterque impenderit, neque ad exhibendum, quia neque veſtimenta poſſidet, nec dolo malo fecit, quo minus poſſideret, quamquam ſi hæreditas ſolvendo ſit, poſſitque legatarius indemnis ab hærede ſervari, utilem in factum ex teſtamento, actionem legatario in hæredem dari placuerit, cum privilegio funerario. *l. ult.* §. *ult. D. de Religioſ.* juncta *l. ſi hæres* 63. *l. Mævius* 66. §. *In fundo D. de legat.* 2. *l. quid ergo* 53. §. *Sed ſi mortuum D. de legat.* 1. *l. ſcriptus* 4. in fine. *l. & ſi quis* 14. §. *Sed & ſi res legatæ. l. ult.* in princ. *D. de Religioſ. l. ſi fundum* 105. *D. de condit. & demonſtr.*

2 Utrumque vero hunc veſtimentorum, in re funebri, uſum complexus Ulpianus, videtur, in *l. veſtis*

veſtis 23. *D. de auro & arg. leg.* dum veſtimentorum numero eſſe, ait, quæcumque induendi, præcingendi, amiciendi, inſternendi, injiciendi, incubandive cauſa, parata ſunt; namque & induuntur non tantum vivi, ſed etiam mortui, funerandi, & inſternuntur veſtes, atque injiciuntur, non tantum accubantibus, aut dormientibus, ſed etiam lecto funebri, ſarcophago, ſepulcro, rogo. Et primum quidem, illud, de cadaverum indumentis, tam in comperto eſt, ut teſtibus non egeat; tales ſunt Ennius, apud Macrob. *lib. 6. Saturnal. cap.* 2. Livius *libr.* 34. Apulei. *lib.* 10. *de aſino.* Lucianus *de luctu.* Hieronym. *lib. 2. epiſtol. in vita Paulæ.* Lactant. *lib.* 2. *cap.* 4. aliique plures, quos non tranſcribo, niſi ſi cui collibitum, Virgiliana hæc notatis adjicere, nondum vulgata, *lib.* 11. *Æneidos:*

Harum unam juveni, ſupremum mæſtus honorem
Induit, arſuraſque comas obnubit amictu.

Sidon. Apollin. *lib. 3. epiſt.* 3. *Quibus, nec elutis veſtimenta, nec veſtitis ſepulchra tribuebant, juſte ſic mortuis talia juſta ſolventes.* Corrippus *libro* 1.

Purpureaque in veſte jacens requieſcere ſomno.

3 Illuſtrandus hinc potius Ulpiani locus in *l.* 3. *§. Adverſus D. de ſepulchro violato*, ubi ſcribit, intervenire Præſides ſeverius debere adverſus eos, qui cadavera ſpoliant, nempe ut veſtes, quibus circumamicta ſepeliebantur, auferrent, quod furum huſtuariorum genus, τυμβωρύχους, Græci vocabant, Latini, *veſpillones*, id eſt, *cadaverum nudatores*, ut ex Antidamo Heracleopolite probat Fulgent. *de priſco ſermone*, in, *veſpillones*, quoniam vulgares hi, vileſque plebeiorum cadaverum elatores, exportatores (qui, *veſperones*, prius dicti, mox *veſpillones*, *viſpelliones*, *veſpertiliones*, & in Gloſſariis priſcis, *biſpelliones*, νεκροθάπται, νεκροφόροι) genus hominum fuit, furtis, rapiniſque veſtium ſilicernii, aliarumque funebrium rerum infame, ut in pollinctore, quem cum veſpillone confundit, Sidon. *lib. 3. epiſtol.* 13. proponit Ulpianus in *l. cuicumque* 5. *§. Idem ait* 8. *D. de inſtitor. act.* unde & frequens, ſolemniſque in venditionibus mancipiorum ſtipulatis illa, *furem non eſſe, viſpellionem non eſſe. l. ſi ita quis* 31. *D. de evictione.* juncta *l. ſed ſi ſciendum* 7. in fine *D. ad S. C. Trebellian. l. qui decem* 72. *§. Qui hominem D. de ſolution.* Idcirco vero, potius apud Ulpianum in *dict. l.* 3. *§. Adverſus*, ſpoliationem cadaverum refero ad veſtem, qua induta ſepeliuntur, potius quam ad pecuniam, aliave ornamenta, quæ ſimul cum corporibus condi ſolebant, quoniam hæc impune ex monumentis erui poſſunt; ſed hæc ita, ſi eruantur, citra cadaveris, cinerumve injuriam, cæteroquin nec Judæi cadaver extrahi, pecuniæ obtentu, poteſt. *cap. ſicut Judæi 9. D. de Judæis*; & extra normam illam, nuper appoſitam *d. l.* 4. *§. penult.* habiti pro ſepulchrorum violatoribus, & puniti ſepulchrorum, pro extrahendis pecuniis, effoſſores, ut ex Caſſiodoro *lib. 4. epiſt.* 18. Harmenopulo *in promptuaris lib. 6. tit.* 5. ad finem, & perpluribus aliis, probat pluribus Spondanus in *cæmeteriis lib. 1. part. 2. cap. 1. num.* 10. *& ſeqq. & part. 1. cap. 9. ex num.* 7. nam, etſi in monumento inveniantur pecuniæ, aut ornamenta, non, quaſi religioſa, tolluntur; *quod enim ſepelire quis probibetur, id religioſum facere non poteſt, at pecunia ſepeliri non poteſt:* ſicut nec ornamenta alia. *l. 4. §. pen. l. ſervo* 113. *§. ult. D. de leg.* 1. *l. & ſi quis* 14. *§. Non autem* 5. *D. de Religioſ. l. ult. §. ult. D. de auro & arg. leg.* juncta priſca illa *lege*, Duodecim Tabularum. *de auro mortuis non addendo*, de qua Cicero 2. *de legibus. l. 4. §. penult. D. ad leg. Jul. pecul.* ſcilicet ab his, quibus jus eſt, & auctoritate publica, ut in *Edicto* Theodorici, apud Caſſiodorum, *lib. 4. var. epiſt.* 34. eoque refero, & compono cum *d. l. 4. §. penult.* quod ſcriptum eſt in *l.* 1. *ejuſdem tit. Ne quis ex pecunia ſacra, religioſa, aut publica auferat*; &, ut poſt inde excipitur, *niſi cui utique lege licebit:* ſive, ut Baſilica exprimunt, oſcitante illic Græco Scholiaſte, *lib. 60. tit. 5. præter ea, quæ lege conceſſa ſunt.* Quamquam aliter Gutherius *lib. 2. de jure Man. cap.* 32. Joannes Kirchmannus *de funer. lib. 5. cap.* 14.

Fuit vero frequens, vulgareque Romanorum cadaverum indumentum, *Toga*, ſicut Græcorum, *Pallium*, ideoque illam voto, funerique parari, item pallio cadavera operiri, & Philoſophos amiciri, ſcripſit Apuleius in *Floridis lib* 1. Juvenalis illud cui non auditum, *Satyra* 3. ubi Scholiaſtes vetus? 4

Pars magna Italiæ eſt, ſi verum admittimus, in qua
Nemo togam ſumit, niſi mortuus.

Martialis *lib. 9. Epigr.* 58. Me tamen interim funebris Pauli toga magis ſollicitat, quam ſarturum ſe, & in rem ſtudioſorum verſurum, Gutherius pollicitus, 1. *de jure Man. cap.* 17. nimium quam laceram, & detritam reliquit. Proponit Paulus in *l. filius famil.* 19. *D. de in rem verſ.* filium familias, nummis vel peculiaribus, vel ab alio mutuis acceptis, togam emiſſe, quam pater, cum ignorans exiſtimaret ſuam eſſe, filio mortuo dedicavit in funus ejus, hoc eſt, in eo induendo impendit, ut ex ſolemni, ſtatoque more togatus humaretur, aut ureretur. Et Neratius quidem ajebat, *in rem patris verſum videri, ideoque*, patrem creditori filii, aut venditori togæ, ſi nondum ei pretium ex peculio ſolutum, de in rem verſo actione teneri; quoniam, ut Neratius idem oſtendit, negotium hoc (nempe ſepultura, funuſque ſibi) æs alienum patris eſt. *l. In patrem* 21. *D. de Religioſ.* Proinde, cum inter funeris legitimos ſumptus ſit veſtiarium, ut in noſtra *l. funeris* 37. non poteſt non videri in rem patris converſum togæ pretium, dedicatæ in funus, ad patrem pertinens. *l. & ideo* 7. *§. Illud D. de in rem verſo.* Actionem autem de peculio, negabat idem Neratius, in patrem competere, quia, cum toga, cum cadavere condita, vel exuſta, in rerum natura non ſit, non poteſt aliter inde peculio actione æſtimari, quam ſi dolo malo patris factum eſſe probetur, quo minus toga ſit in rerum natura. Habet enim de peculio actio, etiam poſt mortem ſervi, filii familiaſve, illam adjectionem, ſeu clauſulam, & ſi quid dolo malo ejus, cum quo de peculio agitur, factum ſit, quo minus in peculio eſſet. *l. ſed ſi damnum* 9. *§. Præterea l. ſumma* 21. *l. in bonæ fidei* 37. *D. de peculio. l. 1. D. quando de peculio actio. l. 1. §. Filium famil. D. depoſiti.* In propoſito vero, dolus patris argui non poteſt, qui ignorans, cum togam ſuam eſſe exiſtimaret, in funus dedicavit, conſumpſit.

Utrumque tamen Neratii reſponſum Paulus notat perplexe, ut ſolet, & obſcure, aſt ſatis, ut notare intelligatur, ex *verſic. atquin:* & primum quidem, quod ad actionem de in rem verſo, in patrem dandam, attinet, alia, & quidem propiori ratione firmat, quia ſi ponamus, patrem filio togam emere debuiſſe, non nunc, quo tempore funus ſit filio, ſive non, quia in funus dedicata eſt, in rem patris verſum videbitur; ſed ab initio, ex quo tempore filius emit, ut ea uteretur, quia empta eſt ad neceſſarios uſus, quos patris pietas non recuſaret. *l. 3. §. Proinde D. de in rem verſ. l. Macedoniani* 5. *Cod. ad S. C. Macedon. Funus enim filii, æs alienum patris eſt*, ait Paulus in *d. l. filius fam.* 19. quæ ſane verba, proxime præcedentibus juncta, ſi vox, *enim*, tamquam cauſalis accipiatur, juvabunt Neratii ſententiam, de actione de in rem verſo, in patrem danda, quia dedicata toga eſt in funus filii, potius quam Pauli notam, de eadem danda actione, quia pater filio togam emere debuit. Itaque magnus ille Cujacius 4. *quæſtionum Pauli ad l.* 19. pro verbis illis, *funus enim filii*, reponebat, *funus autem filii.* Tolerabilior ſane eſt Accurſii expoſitio, quam & Caſtrenſis ſequitur, in *d. l. filius fam.* 19. Mihi tamen non novum, 5

vum, vocem, *enim*, ſimileſque, pro cauſalibus non accipi, ſed vel abundare, & ornamento tantum ſervire, ut in τῷ Græcanico ſæpe contingit, vel vicem disjunctarum, & adverſativarum fungi. Ita, *quoniam*, pro, *poſtquam*, ſive, ut Albericus tentavit, pro, *quamvis*, obſervavi, forſitan primus, neceſſaria alioquin Cujacii emendatione rejecta, in *l. ſi hominem* 19. in fine *D. de uſurp. & uſucap.* ubi ſic obſcura illa exponenda clauſula: *Quoniam ea venditio proprie dici non poteſt.* Ita eſt, *quoniam*, pro, *quamvis*, explico, in *princip. Inſtitut. verſic. ſed & ſi quis de ingenuis*, correctione Hottomanni ibidem exploſa. Namque &, *quoniam*, *poſtquam*, reciproca fuiſſe, adnotavit Donatus ad illud *Terentiani prologi in Adelphis: Poſtquam Poëta ſenſit.* Et pro, *quamvis*, uſurpat, *quoniam*, Plautus in *Prologo Aulularia*, ubi id in, *quando*, muſtei correctores mutarunt:

Is quoniam moritur (ita avido ingenio fuit)
Nunquam indicare id filio voluit ſuo.

Varro, & Verrius Flaccus, apud *Servium* 11. *Æneidos.* *Si filius familias extra Urbem deceſſiſſet, libertos, amicoſque obviam proceſſiſſe, & ſub noctem corpus, in Urbem illatum, in Cereris facibus quoniam prælucentibus.* Id eſt, *facibus tamen prælucentibus.* Ergo, quod Paulus ait, *funus enim filii æs alienum patris eſt*, jungendum ſuperioribus non eſt, ſed particula, *enim*, pro adverſativa accepta, connectendum his, quæ ex eodem Neratio in Neratium Paulus petit, & promit, ut oſtendat, cum funus pater filio, vel ex Neratii ſententia facere debuerit, in idque togam à filio emptam inſumpſerit, fieri quoque filii debitorem de peculio, quamvis in eo non ſit toga, utpote jam conſumpta, quia debitum, nomenque patris eſt in peculio, ideoque & de peculio conveniri poteſt, intra annum ſcilicet à morte filii, *l. 1. D. quando de peculio actio ann. l. ei qui 7. cap. quod cum eo, l. Macedoniani 5. Cod. de S. C. Macedon.* venietque inde peculio actionem, & quod in rem patris verſum eſt; una enim, eademque actio eſt, cui duæ ineſſe ſolent adjectiones, de peculio, & de in rem verſo, *l. 2. §. apud Julianum 12. D. de hæred. vel act. vend. §. Præterea, verſic. licet Inſtitut. quod cum eo.* Neceſſaria autem erit, in propoſita ſpecie, adjectio de in rem verſo, ſi eò tempore agatur, quo jam, poſt mortem filii annus exceſſit; tunc enim, perempta de peculio actione, quæ annalis eſt, ſola ſupereſt de in rem verſo actio, quæ perpetua eſt, *l. 1. §. 1. D. de in rem verſo l. ei qui 7. Cod. quod cum eo.* Nec funerariæ actioni, contra patrem, ullus hic locus, ut pueriliter tentat Gutherius, cum quia funeraria extraordinaria, & ſubſidiaria eſt, nec datur, ubicumque alia actio competit. *l. ſi quis 14. §. Labeo 13. D. de Religioſis.* in propoſito vero agi de peculio poteſt, vel de in rem verſo. *d. l. filius famil.* 19. tum denique, quia is dumtaxat funeraria experitur, qui funeravit, ſive in funus impendit. *l. ſi quis ſepulchrum 12. §. Hoc edictum D. de Religioſis.* Is autem, qui, filio adhuc vivo, togam vendidit, aut eam emendam credidit, impendiſſe in funus filii, dici non poteſt.

6 Sed quando ita deſultoria hæc ſcriptio vagari amat, & inchoata ad Macrum de mortuorum indumentis commentatio, non averſatur, adjiciamus, in gratiam Pontificii Juris Interpretum, vetus Eutychiani Papæ Decretum, quod ei adſcribunt Damaſus in *Pontificali libro cap.* 28. & Anaſtaſius Bibliothecarius in *vitis Pontificum.* Nam cum Summus hic Pontifex, Aureliano imperante, 342. Martyres, ſuis manibus ſepeliſſet, conſtituit, *ut quicumque fidelium Martyrem ſepeliret, ſine Dalmatica, aut Colobio purpurato, nullatenus ſepeliret.* Fuit *Dalmatica*, genus tunicæ manicatæ, talaris albæ, auroque ſæpe, aut purpura intertexta, quam chiridatam Veteres vocant. Ea qui uterentur, quia, ad inſtar tunicæ fœmineæ, prolixa, & ad talos uſque demiſſa, manicis etiam brachia, uſque ad primores manuum digitos, amiciebat, molles, & evirati habebantur, de quo multis multa Dempſterus ad *Roſinum lib. 5. cap. 35. in Paralipomenis*, & ad illud *Virgilii*, notarunt plures 9. *Æneidos*:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Seneca *Epiſt.* 33. *Sed in illo magis annotantur, quia raræ interveniunt, quia inſperatæ, quia nimirum eſt aliquid fortiter dici ab homine mollitiem profeſſo. Ita enim plerique judicant; apud me vero Epicurus eſt & fortis, licet manuleatus ſit*, ubi libens emendo: *Apud me vir Epicurus eſt & fortis, licet manuleatus ſit.* Poſtea Dalmaticæ, cum Senatoriæ, & Regiæ veſtes eſſe cœpiſſent, uti digniores, auguſtioreſque, tranſlatæ ſunt ad ſacros Eccleſiaſticos uſus, & in *Colobiorum* locum ſubſtitutæ, efformatæ prius in modum Crucis, ut ſcribunt deſcribentes etiam illarum formam. *Gemma animæ cap.* 211. Alcuinus *de Divinis Offic. cap. quid ſignificent veſtimenta.* Rabanus Maurus *lib. 7. de Inſtitut. Clericor. cap.* 20. Ammalarius *de Eccleſiaſt. Offic. lib. 2. cap.* 21. D. Iſidorus *lib. 19. Orig. cap.* 22. & cum prius Dalmaticarum in Eccleſia uſus, vel Sacerdotalis dumtaxat, vel Epiſcopalis fuiſſet, conſtituit Sylveſter Primus, ut Diaconi Cardinales in Eccleſia Romana Dalmaticis uterentur, auctore Damaſo *in Pontificali libro*, Walfrido Strabone *de reb. Eccleſiaſt. cap.* 24. cautumque idem eſt *in Synodo 2. Romana cap.* 6. exteris autem Diaconis, non niſi ex Privilegio Romanæ Sedis, conceſſum, Dalmaticis uti, primis Eccleſiæ temporibus, ut teſtantur D. Gregorius *lib. 7. epiſt. 64. in diction.* 2. & *epiſt.* 113. quæ exſtat in *cap. communis* 10. 23. *diſtinct.* quamvis poſtea, ut & hodie, promiſcuus Dalmaticarum uſus Diaconis, & Subdiaconis eſſe cœperit, ſicut indicatur in *cap. de jejunio 76. diſtinct.* & noviores Pontificii Interpretes adnotarunt.

De *Colobio*, cujus itidem meminit Eutychiani Decretum, pleraque ſe neſcire, ſcientiſſimi alioquin viri, fatentur, Briſſonius *de verbor. ſignif.* in voce *Colobum*, Pithœus *lib. 1. adverſar. cap.* 16. ſed obſervarunt alii jam, interque alios, poſt Cujacium *lib. 12. obſervat. cap.* 39. Cæſar Bulengerus *lib. 1. de veſtib. Pontif. cap.* 22. Joſephus Vicecomes *de Miſſæ apparatu lib. 3. cap. 24. & ſeqq.* Stephanus Durantius *de ritibus Eccl. lib. 2. cap. 26. num.* 28. ex aliis, Cerda in *adverſ. ſacr. cap. 22. num.* 1. Kirchmannus *de funerib. lib. 1. cap.* 10. Joannes Meurſius in *Gloſſario Græco-Barbaro in voce* Κολόβιον. Talarem pectoralem tunicam fuiſſe ſine manicis, aurea plagula intertextam, ut monent, præter Alcuinum, & alios *de Divinis Officiis*, D. Iſidorus *lib. 19. Origin. cap.* 22. Caſſianus *de habitu Monachorum cap.* 5. Talem forſan intelligit Ammianus Marcell. *lib.* 1. *Miniſtris fucandæ purpuræ tortis, confeſſiſque, pectoralem tuniculam ſine manicis textam, Maras quidam, nomine, indutus eſt (ut appellant Chriſtiani) Diaconus.* Colobii mentio fit in *l. 1. de habitu, quo uti oportet intra Urbem* in *Cod. Theodoſian.* Ubi de Senatore ſic: *Sed Chlamydis terrore depoſito, quieta Colobiorum, ac pænularum induat veſtimenta.* Colobum, vocatur interior Senatoria veſtis, cui *latus clavus*, ſive, ut Dorotheus in doctrina deſcribit, ἐπίπαστον τὸ πορφύριον, plagula quædam purpurea ſuperinjecta, unde &, pro lato clavo, uſurpat Helenius Acron *ad Horatium lib. 1. Satyra* 5. & graphice à Petronio depingi, Cujacius noſter voluit, his verbis: *Expreſſit imprudentibus riſum; pallio enim coccino adraſum incluſerat caput, circaque oneratas veſte cervices, laticlaviam immiſerat mappam, fimbriis hinc, atque illinc pendentibus;* quietum vero veſtimentum vocatur in *d. l.* 1. eadem, qua Martialis notione, tunicatam quietem dixit (nam & Colobium tunica fuit) *lib. 10. epigr.* 51. 7

Quos, Fauſtine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
Abſtulit? ô ſoles, ô tunicata quies!

Sidon. *lib. 2. epiſtol. ult.* *Jani Numæ, quo ningidos menſes in otio fuliginoſe, ſeu tunicata quiete tranſmittere.*

re. Cæterum ſicut Dalmatica, quæ prius veſtis Senatoria fuit, teſte Diacono in *vita D. Gregorii*, ita & Colobium ſenſim ad Eccleſiaſticos tranſmigravit, ac præcipue ad Epiſcopos, quorum jam proprium indumentum fuiſſe videtur ſub Pio I. Extat ejus *epiſt*. 4. *ad Juſtum Viennenſem Epiſcopum*, in qua ſic legimus: *Tu vero apud Senatoriam Urbem Viennenſem ejus loco à fratribus conſtitutus, & Colobio Epiſcoporum veſtitus, vide, ut miniſterium, quod accepiſti, in Domino impleas*. Meminit & Colobii, Gratianus poſt *cap. perlatum* 8. 19. *quæſt*. 3.

Digne itaque, meritoque Eutychianus Pontifex, cum Epiſcopali Colobio, aut Dalmatica ſepeliri Martyres voluit, ut eos Crucis, Chriſtique, pro quo paſſi, inſignia mortuos decorarent. Sane cum increbuiſſet poſtea mos, obtegendi Dalmaticis corpora funeranda, non modo Romani Pontificis, ſed & aliorum ſacrorum miniſtrorum, feretroque ipſi aureum velamen obtendendi, probibitum diſtricte id ſub Gregor. I. ut ipſe memorat *lib*. 4. *Dial. cap*. 40. & *lib*. 4. *in Regis cap*. 48. extatque in eam ſententiam *can*. 4. Concilii Romani 2. ſub Gregor. I. cujus verba, quia & prohibitionis cauſam, valde illuſtrando Eutychiani Decreto, congruam exprimunt, volens adſcribam: *Sicut indignos nos pro Beati Petri Apoſtoli reverentia mens fidelium veneratur: ita noſtram infirmitatem decet, ſemetipſam ſemper agnoſcere, & impenſæ ſibi venerationis onera declinare. Ex amore quippe fidelium hujus ſedis rectoribus, mos ultra meritum crapit, ut cum eorum corpora humana deferuntur*. Ita hodie legitur apud Severinum Vinium; in aliis, *corpora deferuntur*. Ego non dubito, quin legendum, *corpora humanda deferuntur*. Vel, *corpora efferuntur*. Similis commutatio vocis ejuſdem, obſervata jam Doctis, in *l*. 2. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l. nemo* 14. *Cod. de Religioſ.* in queis pro verbo, *humanis*, & *humanum*, reponenda ſunt, *humandis*, & *humatum*; ut liquet ex *l. penult*. & *ult. Cod. Theodoſ. de ſepulchr. viol.* quamvis non neſciam, lectioni, quæ habet, *humanum corpus*, in *d. l. nemo* 14. conſpirare Græcanicam, Textus Baſilicon, ubi *σῶμα ἀνθρώπινον*, agnoſcit Scholiaſtes *ſynopſis lib*. 60. *tit*. 23. poſt *cap*. 3. *Hæc Dalmaticis contegant, eaſdem Dalmaticas, pro ſanctitatis reverentia, ſibimet partiendas, populus ſcindat: & cum adſint multa à ſacris corporibus Apoſtolorum, Martyrumque velamina, à peccatorum corpore ſumitur, quod pro magna reverentia ſervetur. De qua re, præſenti Decreto conſtituo; ut feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad ſepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur*. Adde, ſi plura cupis, de Colobio, & Dalmaticis, poſt hæc elaborata, editos, & viſos, Octavianum Ferrarium, Magno Baronio parum æquum, *de re veſtiaria lib*. 3. *cap*. 8. & *ſeqq*. Jacobum Gothofredum *ad l*. 1. *de habitu, quo uti oport. intr. Urbem*, in *Theodoſiano Codice*. Andream Sauſajum in *Panoplia Epiſcop. lib*. 6. *cap*. 2. & *ſeqq*. Spondanum *in cœmeteriis ſacr. lib*. 1. *parte* 3. *cap*. 4. *num*. 4.

CAPUT XIX.

De altero Veſtiarii funebris uſu, condendi, aut comburendi cum defuncto, ad leg. ſervo 113. §. ult. D. de legat. 1. *cum aliis*.

ARGUMENTUM.

PApiniani, & Martiani, *in* d. l. 113. §. ult. *cum* Macro. & *aliis, diſſidium. Compoſitum, diſtinctione duplicis uſus veſtium in funere. Earum pro cadaveris, & lecti funebris operimento, receptus ſumptus, legitimuſque; duntaxat intra modum probabilem, qui & qualis hodie? Pretioſarum veſtium inſumptio in funus, ſupervacua, improbataque. Defunctorum, qui inſumi eas volunt, ineptæ voluntates reprehenſæ. Ornamentorum eadem cenſura*, ex l. & ſi quis 14. §. non autem 5. de Religioſ. *Ad* leg. ult. D. de auro & arg. leg. *interpretatio noſtra. Alia item* Accurſii, Bartolique *in* l. 4. §. non fit *in fine. Ad* leg. Jul. pecul. *conjectura. Veſtium modus in funere ex lege Decemvirali. Elucidata, quæ de tribus riciniis; ſed & alia, quæ, mortuis aurum addi, vetabat. Probibitionis in univerſam cauſæ ex* Alphonſo Sapiente, & Theodorico. *Exceptio probibitionis ejuſdem in his, quibus defunctis dignitatis inſignia, & ornamenta adjiciuntur. Hujuſmodi Pallium Archiepiſcopi*, ex cap. 2. de auctorit. & uſu pallii. *Hujuſmodi etiam apud Romanos inſignia Magiſtratuum, Cenſorum, Triumphalium, Imperatorum; & hodie in Principibus, aut militaribus viris arma & pretioſi panni. An & ejuſmodi* palla *Altaris, ſeu corporale? Exponitur* cap. nemo 40. cap. conſulto 46. de conſecrat. diſtinct. 1. *Palla Altaris obtegere mortuum, non licet.* Arvernenſis Synodi, *ſub Vigilio*, canon. 3. *expoſitus, emendatuſque*, & *in* Gratiani Decreto cap. cum ſocietas 17. 27. quæſt. 2. *ſed & apud* Petronium, & Optatum Afrum, *correctiones novæ tentatæ*, miniſteria, & myſteria vocum, *frequens commutatio. Miniſteria ſacra, pro rebus miniſterio ſacro ſervientibus, ſæpe in Sacris Canonibus. Ita & in noſtris libris miniſteria, pro ſervis, & miniſtris.*

1 VErum abſtineo; ac potius, ut jam alterum illum veſtiarii funebris uſum, quem indicavi, ſuperiori capite in principio, cum ſcilicet rogo veſtes comburendæ injiciuntur, breviter attingam, expendiſſe, & expoſuiſſe, juvabit, Martiani locum, in *l. ſervo* 113. §. *ult. D. de legat*. 1. *Ineptas voluntates defunctorum*, ait Martianus, *circa ſepulturam, veluti veſtes, aut ſi qua alia ſupervacua, ut in funus impendantur, non valere, Papinianus libro tertio reſponſorum ſcribit*. Nihil ſane aperte magis contrarium his, quæ huc uſque poſuimus, ſcribi potuiſſe videtur. Nos enim veſtiarii ſumptum, inter receptos, juſtoſque funeris ſumptus, recenſuimus, *dict. l. funeris* 37. adeo ut impenſæ factæ, ad veſtem collocandam, tamquam probabilis, neceſſariæque funeri, ſit repetitio per actionem funerariam, vel de in rem verſo. *l. & ſi quis* 14. §. *Impenſa* 4. *l. ult*. §. *ult. D. de Religioſis. l. filius famil*. 19. *D. de in rem verſo*. At, ex Papiniano, Martianus veſtimentorum ad funus impenſam, ſupervacuam adeo, & improbabilem cenſet, ut nec à teſtatore utiliter præcipi poſſit, cum inepta ejus, circa ſepulturam, voluntas valere non ſoleat. Nec ſane alia, componendi diſſidii, ratio verior occurrit, quam ſi duplicem illum, quem inſinuavimus, veſtimentorum in re funebri uſum, opportune diſtinguamus. Quippe ſi quæratur de veſtibus illis, quibus involvi ſepelienda cadavera, & operiri, in memoriam veluti humanæ conditionis, obtinuit, dubitandum non eſt, quin ad eas comparandas, ſive collocandas, impenſa facta inter legitimos, ſolemneſque funeris ſumptus, merito habeatur. *dict. l. & ſi quis* 14. §. *Impenſa* 4. *d. l. funeris* 37. Dum tamen erogatio hæc intra probabilem modum conſiſtat, veluti ſi Romanis moribus, vulgaris toga emeretur. *dict. l. filius famil*. 19. noſtris vero moribus, linei panni, quibus involvi, & tegi cadavera ſolent, aut quibus operiri ſarcophagus, ſeu funebris lectus, *Mortaja* dicimus, & *paño de tumba. l*. 12. *tit*. 13. *part*. 1. *l*. 2. *verſic. Que por ninguna tit*. 5. *lib*. 5. *compil*. Vel etiam pœnitentiæ indumenta, aut ſacratæ alicujus, ex Regularibus, familiæ habitus, queis devotionis, & pietatis ergo, plerumque mortui amiciuntur, & quidem probabiliter, honeſteque, ut cenſuerunt Archidiaconus, Turrecremata, & alii in *cap. nemo de conſecrat. diſtinct*. 1. Cæterum ſi pretioſæ veſtes ſint, quales olim ſæpe funeribus inſumptæ purpureæ, & auro intertextæ, non probant earum in funus erogationem, noſtri Prudentes, ut mox ex Duodecim Tabulis dicemus; *cur enim*, ut D. Hieronymi verbis utar, *in vita Paulæ; mor-*

tuos

tuos auratis obvolvamus veſtibus? Cur ambitio inter lachrymas, luctuſque non ceſſat? An cadavera divitum, niſi in ſerico, putreſcere neſciunt? Adjungendus ignotior Ambroſii locus, *libro de Nabuth. cap.* 1. *Quis diſcernat*, ait, *ſpecies mortuorum? Redoperi terram, &, ſi potes, divitem deprebende. Eruderato tumulo, ſi cognoſcis egentem, argue: niſi forte hoc ſolum, quod cum divite plura pereunt: ſericæ veſtes, & auro intexta velamina, quibus divitis corpus ambitur, damna viventium, non ſubſidia mortuorum, ſunt.* Supervacua certe hæc impendia, ut & vocantur in *d. l. ſervo* 113. *§. ult.* & accedentia proxime ad alterum illum veſtimentorum uſum in re funebri, quo apud Ethnicos obtinuerat, pretioſas veſtes, nec tantum illam, qua cadaver ipſum opertum, aut in ſepulchro ſimul condi, aut in rogum cremandas injici, ut vel magnus Vates expreſſit, in Miſeni funere, *libro* 6. *Æneidos.*

> *Purpureaſque ſimul veſtes, velamina nota*
> *Injiciunt.*

Tacitus 3. *Annal. Pro opibus loci veſtem, odores, aliaque funerum ſolemnia cremabant*, de quo nunc ritu, ſi liberet, liceret pluribus. Sed id, nec otii, nec negotii noſtri eſt.

2 Itaque adnotamus dumtaxat, ad hanc veſtimentorum in funere impenſam, referendum eſſe, quod ſcriptum eſt in *dict. l. ſervo* 113. *§. ult.* ineptas defunctorum voluntates, circa ſepulturam, veluti veſtes, aut ſi qua alia ſupervacua, ut in funus impendantur, non valere. Ineptæ voluntates tales dicuntur, &, ut vocat *lex noſtra* 2. *tit.* 5. *libr.* 5. *compil. Vanas demoſtrationes, y apariencias.* Quoniam vulgaris hæc doloris, & luctus, velut teſtandi, conſuetudo, veſtibus, atque ornamentis cum mortuo conditis, aut combuſtis, aliena valde eſt à meliori, altiorique mente. Unde & in *Catone minore*, immodicum hunc funebrem ſumptum, tamquam ſimpliciorem, ἢ φιλοσοφώτερον ἐνδεῖν, ſuggillat Plutarchus in *ejus vita*, & in *Fundanio* notat Plinius, ſoloque pietatis prætextu, velut excuſat, *lib.* 5. *Epiſt.* 16. Eademque ratione, & ſenſu, non oportere cum corporibus condi ornamenta, vel quid aliud hujuſmodi (veluti aureum ſandalium, quod non crematum ſimul cum corpore, & muliebri mundo, conqueritur Demænete illa, ſeptima poſt mortem die reſurgens, apud Lucianum in *Philopſeude*) quod homines ſimpliciores faciunt, ſcribit Ulpianus in *l. & ſi quis* 14. *§. Non autem* 5. *D. de Religioſis.* Exemplum rei extat, hinc explicandum, apud Scævolam, in *l. ult. §. ult. D. de auro & arg. leg.* ubi cum mulier decedens ornamenta univerſa Seiæ legaſſet, & eodem teſtamento ita adjeciſſet: *Funerari me arbitrio viri mei, volo, & inferri mibi quæcumque, ſepulturæ meæ cauſa, feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, & viriolas ex ſmaragdis*; & neque hæredes, neque maritus, cum humi corpus darent, ea ornamenta adjeciſſent, quæ adjici teſtatrix juſſerat, Scævola conſultus reſpondit, non illata ornamenta ad legatariam, cui univerſa relicta ſunt, non autem ad hæredes pertinere: idcirco, ſcilicet, quoniam verbis illis, *funerari me arbitrio viri mei volo, & quæcumque, ſepulturæ meæ cauſa, feram*, in arbitrio mariti poſuiſſe teſtatrix videtur, quæ ornamenta, ſepulturæ cauſa, inferrentur, nec in aliis, aut aliter generale ornamentorum legatum minuit, Seiæve ademit, quam in his, quæ re ipſa corpori humando adjecta, ſimulque illata fuiſſe, conſtiterit. Argumento ex *l. Lucius* 88. *§.* 1. *D. de legat.* 2. cujus, & *d. l. ultim. §. ult.* ſententiam ad praxim expendunt Tellius in *l.* 30. *Tauri num.* 6. & noviſſime Præceptor noſter, & in veſpertina Academica Juris Civilis Cathedra Deceſſor, Regius nunc, in ſupremo Patrimonii Regii Senatu, Conſiliarius, D. Joannes Baptiſta Larrea *deciſ. Granat.* 40. *num.* 6. & 62. Proinde cum hæredes, maritusque non adjecerint, quia neque ineptam teſtatricis voluntatem, circa ſepulturam, exequi debuerunt, *dict. l. ſervo* 113. *§. ultim. l. quidam* 27. *D. de condit. inſtitut.* ad legatariam, cui ornamenta univerſa, niſi, ſi quæ inferrentur, legata ſunt potius, quam ad hæredes, ex voluntate defunctæ pertinent. Eaque ſingularis reſponſi Scævolæ ratio eſt, niſi quis aliam mali, quam Accurſio, Bartolo, & aliis placuiſſe ſcio, idcirco, nempe ad legatariam ornamenta, ſepulchro non illata, pertinere, quoniam uno, eodemque teſtamento non videtur generali legato detrahi, atque à recenti adhuc indicio, eodem fere momento, & contextu recedere voluiſſe, per ſpecialem diſpoſitionem, ſeu tranſlationem, niſi ea exitum habuerit. *l. cum ita* 9. *§. ult. verſ. puto D. de optione, vel elect. leg.* Quamvis ſi inter vivos ſpecialis diſpoſitio eſſet, ea tamen, etſi inutilis, generali legato derogaret. *l.* 3. *§. ult. D. de inſtructo & inſtrum. leg. l. cum dominus* 19. *§. ult. D. de pecul. legato. l. legatum* 24. *§. ult. D. de adimend. legat.*

Porro, quod in eamdem fere ſententiam ſcriptum lego, in *l.* 4. *§. Non ſit* in fine *D. ad leg. Jul. pecul.* ſepeliri pecuniam probiberi, ut & mandatis principalibus cavetur, mihi quidem ſubindicat, aliis etiam Juris conſtitutionibus prohibitionem hanc ſtabiliri. 3
Et ſane origo ejus fluxit ex legibus Duodecim Tabularum, inter quas, quod ad veſtium in funere impenſam attinet, una fuit, quæ tribus riciniis, & clavis purpureis ſumptum funeris extenuavit, teſte Cicerone *lib.* 2. *de legib.* Quippe ricinium ii, qui Duodecim Tabulas interpretati ſunt, veſtimentum omne quadratum eſſe dixerunt, ut ait Feſtus *de verbor. ſignificat.* in *Recinium*, ſive, ut aliis ex Veteribus placuit, palliolum quadratum, fimbriatum, purpureum, quo tamquam mitra, ſive operimento capitis, & Flaminicæ redimiri, & in luctu fœminæ amiciri ſolebant, ut colligere licet ex eodem Feſto in voce *Rica.* Nonio Marcello in *Ricinium.* Iſidoro *libro* 19. *orig. cap.* 25. Servio 1. *Æneidos.* Utrumcumque autem ſit, exploratum jam eſt apud Eruditiores, & inter eos Kirchmanno *de funer. lib.* 2. *cap.* 17. Samueli Petito ad leges Atticas, ſub *tit.* 8. *de ſepulchris* (nec Rævardum *ad leges Duodecim Tabul. cap.* 13. audio, aut Gutherium *lib.* 1. *de jure man. cap.* 17. incaſſum refragantes) eam fuiſſe mentem legis decemviralis, ut quoniam fœminæ mortuum, dum ſupra terram eſſet, riciniatæ lugere ſolitæ, ac poſtea, depoſitis riciniis, & in funere ipſo pullis pallis amictæ, ut Varro ſcribit *lib.* 3. *de vita Populi Romani*, ricinia in funus erogare, & cum cadavere cremare, aut condere conſueverant, probiberent deinceps, extenuando ſcilicet funeris ſumptui, plura tribus riciniis cum mortuo ſepeliri, aut comburi. Sic enim etiam in Solonis legibus, ex quibus caput hoc de tribus riciniis translatum, teſtatur Cicero *lib.* 2. *de legib.* cautum erat, ne plura tribus palliis in feralem lectulum conjicerentur, &, ut Plutarchus in *Solone* loquitur, τρία ἱμάτια, quibus in Duodecim Tabulis reſpondent, *tria ricinia.* Sed & quod ad pecuniam, & ornamenta cum mortuis ſepelienda, vel cremanda pertinet, orta etiam prohibitio, ex alia Duodecim Tabularum lege, quæ mortuis aurum addi vetabat: *neve aurum addito*, ait Cicero 2. *de legibus*, ubi exceptionem adjicit illius, cui auro dentes vincti eſſent, nobile ſatis Romanæ λεπτολογίας, in re funebri, documentum. Unde & conſuetudinem, annulos morientibus detrahendi, fluxiſſe, dici poteſt, de qua Plinius *lib.* 33. *Natur. Hiſt. cap.* 1. Sueton. in *Tiberio cap.* 37. juncta *l. cum pater* 77. *§. Pater pluribus* 21. *D. de legat.* 2. prohibitionis vero ratio, namque & eam origini adtexere juvabit, nullibi expreſſa melius eſt, quam apud Alphonſum noſtrum, cognomento Sapientem, in *l.* 13. *tit.* 13. *part.* 1. ubi tres hæ cauſæ adſcribuntur, quæ ſuadent, veſtes, ornamenta, & pecuniam, cum corporibus condi non debere: *La primera, porque no tiene pro à los muertos, en eſte mundo, ni en el otro. La ſegunda, porque tiene daño à los vivos, ca las pierden, metiendolas en logar, donde las no deven tomar. La tercera, porque los bomes malos, por cobdicia de tomar los ornamentos, que los meten, quebrantan los lucillos, è deſotierran los muertos.* Jungenda hæc Theodorici

dorici apud Caſſiodor. *lib.* 4. *variar. Epiſt.* 34. *Dudæ Sajoni. Prudentiæ mos eſt, in humanos uſus, terris abdita talenta revocare, commerciumque viventium non dicere mortuorum; quia & nobis infoſſa pereunt, & illis in nulla parte profutura linquuntur*, & paulo poſtea: *Talenta non teneant qui vivendi commercia reliquerunt; aurum enim ſepulchris juſte detrahitur, ubi dominus non habetur: imo culpæ genus eſt, inutiliter abditis relinquere mortuorum, unde ſe vita poteſt ſubſtentare viventium.*

4 Habet autem, habuitque ſemper hæc prohibitio exceptionem illam, niſi quibus aut dignitatis, aut ſingularis dignationis ergo, pretioſas veſtes, & ornamenta aurea, aut argentea, propriaque inſignia defunctis adjici moris eſt, veluti Regibus, & Regio ſanguine prognatis Proceribus, ut & Epiſcopis, Presbyteriſque, quos cum Epiſcopalibus, vel Sacerdotalibus indumentis ſepeliri, ſcimus, *d. l.* 13. *tit.* 13. *part.* 1. & Pragmatici noſtri adnotarunt. In quam ſententiam pallium illud ſuperhumerale, Archiepiſcoporum inſigne, debere cum Metropolitano, cui conceſſum eſt, ſepeliri, ſingulariter proditum, memini, in *cap.* 2. *de auctorit. & uſu pallii:* id quod in pallio S. Norberti Archiepiſcopi Magdeburgenſis, & Præmonſtratenſium Patriarchæ, reperto hiſce annis ſimul cum ſacro illius corpore, cum è tumulo Pragam, Bohemiæ Regiam Urbem, transferretur, commemorat Sauſaius in *Panoplia Epiſcopali lib.* 6. *cap.* 7. Quippe, ut Servius ad illud *Virgilii* 11. *Æneidos:*

Addit equos, & tela, quibus ſpoliaverat hoſtem.

In antiquis diſciplinis relatum eſt, quæ quiſque ornamenta conſecutus eſt, ut ea mortuum eum condecorarent. Ita apud Romanos efferri Magiſtratus in toga prætexta, Cenſores purpurea, Triumphales palmata ſolebant, auctoribus Polybio *lib.* 6. Livio *lib.* 34. & aliis. Ita & Cæſares cum diademate, & purpura, aliiſque Imperii, & triumphorum inſignibus, funerati, quæ inter alios deſcripſit, nemo melius Corippo, Africano Grammatico in *laudibus Juſtini minoris*, ubi de Juſtiniani funere *lib.* 1.

Sic ſuprema ſuæ ſervans inſignia vitæ
Juſtinianus erat, non mutans morte colorem.

Et paulo poſt:

——— *Diademate comptus,*
Purpureaque in veſte jacens.

Ac denique:

Hæc ideo fieri vivens ſapientia juſſit,
Ornatum ut propriis funus Regale triumphis
Auguſtum in tumulum fatalis duceret hora.

Tandem ita etiam noſtris, priſciſque moribus, militares viri cum armis, aliiſque ſtipendiorum decoramentis, plerumque funerantur. *cap.* in noſtra 10. *de ſepulturis*, nisi id expreſſum credidit Albericus, in *l. ſervo* 113. §. *ineptas D. de legat.* 1. Atque eo referenda *lex* noſtra 13. *tit.* 13. *part.* 1. Dum à regula non erogandi in funeribus pretioſa ornamenta, excipit Regia funera, & aliorum illuſtrium, ſive honoratorum, ut ait, *à quien ſoteraſſen ſegun la coſtumbre de la tierra.* Cujus conſuetudinis, ſimulque Regiæ pietatis documentum veluti eſt, quod proditur in Ferdinandi Quarti Caſtellæ Regis *Chronico cap.* 3. de Regia illa Heroina Maria, Ferdinandi matre, quæ, cum prope Valliſoletum efferrentur in Aragoniam Petri Infantis, & aliorum Aragoniæ Magnatum cadavera, contagio abſumpta, non modo innocuum tranſitum copiarum hoſtilium reliquiis præberi juſſit, ſed & tranſmiſit, Infantis & aliorum Nobilium feretris digne operiendis, pretioſos pannos, ut vocabant, *de tartari.*

5 Sed quod de pallio, cum Archiepiſcopis ſepeliendo, diximus, ut alio inſuper tot funebribus ornamentis addito, pergamus etiam, de Pontificii Juris cultoribus bene mereri; ſuo veluti jure poſtulat, ut adnotemus, non idem dici poſſe de palla Altaris, hoc eſt de ejuſdem ſacro operculo, aut Dominici corporis pallio, & indumento, quod communiori voce dicimus, *corporale*, quia imaginem, & quaſi munia ſubſtinet mundæ illius Syndonis, &, ut D. Joannes indigetat *Evang. cap.* 19. *ὀθονίοις*, quo Chriſti corpus ad ſepulturam involutum novimus: unde & ab Euſebio, & à Silveſtro I. in *Epilogo Romanæ Synodi* ſtatutum, ne Altaris, ſeu Dominici corporis conſecratio in panno ſerico, aut tincto fieret, ſed in palla linea, puraque, ad ſimilitudinem mundæ illius Syndonis, ſive lintei, ut in *Pontificali libro* Damaſus memorat; & proponitur in *cap. conſulto* 46. *de conſecrat. diſtinct.* 1. juncto *can.* 3. Concilii Rhemenſis. De quo ritu multa Durantus, & minores alii Ritualium Eccleſiæ Collectores. Hæc itaque palla, ut & vocatur in *cap. ſacratas* 25. 23. *diſtinct.* non proinde uti pallium, adhiberi ſepulchris poteſt. Quin potius de illa Clemens Romanus *Epiſt.* 2. *ad Jacobum fratrem Domini*, ita ſcribit: *Nemo per ignorantiam Clericus, palla mortuum credat obvolvendum.* Et deinceps, ſicut refertur in *cap. nemo* 40. *de conſecrat. diſtinct.* 1. Confirmatur autem hæc ſanctio, ut prænotatum Magno Magiſtro Franciſco Suario, & ex eo majoribus Gretſero *de funere Chriſtiano lib.* 1. *cap.* 11. Spondano in *cæmeter. lib* 1. *part.* 3 *cap.* 4. *num.* 4. &, ex Salmaticenſibus, noſtro Baſilio Legionenſi *var. diſput. part.* 1. *quæſt.* 2. *cap.* 24. in Concil. Antiſiodor. *can.* 12. Bituricenſi *can.* 13. apud Lemovicenſem Synodum *act* 2. proprieque in Conc. Arvernenſi 1. *can.* 3. *Obſervandum*, inquit, *ne palliis, vel miniſteriis Divinis defunctorum corpuſcula obvolvantur.* Ex prohibitionis ratio redditur *canone* 7. ejuſdem Synodi. *De opertoria Dominici corporis, ſeu palla Altaris, nunquam Sacerdotis corpus, dum ad tumulum evehitur, obtegatur, quia ſacro velamine uſibus ſuis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur.* Fuit vero (nec diſſimulo) cum in *can.* 3. pro verbis illis *miniſteriis Divinis*, reponendum putarem, *myſteriis Divinis.* Sic etenim pallas Clemens appellat *d. Epiſt.* 2. ibi: *Qui hoc fecerit, vel leviter, quaſi nihil, & negligenter habuerit Divina myſteria.* Frequenſque iſtarum vocum, *myſterii*, & *miniſterii*, etiam in aliis libris commutatio; ſic in *cap. cum ſocietas* 17. 27. *quæſt.* 2. pro verbis illis, quæ vulgata, apud Gratianum, lectio habet, & Gloſſæ exponunt: *Illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua non docetur nuptiale Miſſæ miniſterium*, reponenda vox *myſterium*, ex Archetypo Epiſtolarum Leonis I. *ad Ruſticum cap.* 4. *dict. cap. cum ſocietas* 17. & ex Ivonis Carnotenſis *Decreto parte* 8. *cap.* 74. Ita & apud Petronium *Satyrici cap.* 78. *myſteria* pro, *miniſteriis*, eleganter ſubſtitui, putarim, illo in loco, quem ſic huc uſque vel Eruditiores ediderunt. *Non enim*, inquit, *res geſtæ verſibus comprehendendæ ſunt, quod longe melius Hiſtorici faciunt, ſed per ambages, Deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum, præcipitandus eſt liber ſpiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religioſæ orationis ſub teſtibus fides.* Ita & apud Optatum Afrum *lib* 6. *adverſus Parmenianum*, ubi de Altaribus à Donatiſtis raſis, ſic inter alia: *Quid quod ſi ſic conjuraſtis, ut quæ à nobis in nomine Dei in ipſo miniſterio tacta ſunt* (lego, *myſterio*) *immunda viderentur; quis fidelium neſcit, in peragendis myſteriis ipſa ligna linteamine operiri. Inter ipſa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum;* atque ita pridem conjectabar, ante Optati editionem, Albaſpino curante, & corrigente, publicatam, in qua ſic legitur. Sed quod ad Arvernenſem canonem attinet, miniſteriorum vocem libens retineo, quæ & retinetur in eo canone à Jacobo Sirmondo, Conciliorum Galliæ editore, & in eodem Concilio poſtea uſurpatur pro rebus miniſterio ſacro ſervientibus, veluti palla, & ſimilibus, ut in *can.* 8. qui ſic habet. *Ne ad nuptiarum ornatum miniſteria Divina præſtentur, ne, dum improborum contactu, pompaque ſæcularis luxuriæ polluuntur,*

pollhuntur, ad Officium Sacri Myſterii videantur indigna. Extat apud Gratianum in *cap. ad nuptiarum* 42. *de conſecrat. diſtinct.* 1. quomodo & miniſteriorum appellatio exaudienda, de vaſis, pallis, ornamentiſque ſacris, in *cap. non licet* 32. *diſtinct.* 23. & in Concil. Bracharenſi 3. *can.* 2. Toletano. 17. *can.* 5. & in Pontificali Damaſi in *Sixte I.* & in *Urbano I.* eadem prorſus notione, apud noſtros, miniſteria pro ſervis, rebuſque, quæ in miniſterio habentur, *l. ſi ſervus* 27. §. *Si fornicarius D. ad l. Aquil. l. obligatione* 6. *D. de pignorib. l. quæſitum* 12. §. *Idem Celſus* 31. *D. de inſtructo & inſtrum. leg.* d. *cap. nemo* 40. *de conſecrat. diſtinct.* 1. ibi: *Subjecta ſibi non commonuerit miniſteria*, hoc eſt, *miniſtros.* Sextus Aurel. Victor in *epitome de vita & morib. Imper.* ubi de *Theodoſio: Prohibueritque lege, miniſteria laſciva, pſaltriaſque comeſſationibus adhiberi.*

CAPUT XX.

Collectanea de veſtiario funebri, Appendix. De lugubrium impenſa, practica diſputatio.

ARGUMENTUM.

Lugubrium hodie impenſa, an legitima, ut vel in ære alieno præcipi, vel ex bonorum quinto, aut tertio, noſtris moribus, deduci poſſit? Pragmaticorum ſententiæ propoſitæ. Earum confutatio, & cenſura. Romano Jure, ſumptus lugubrium inter ſolemnes funeris. Argumenta ejus rei ex propria penu. Expenduntur noſtra lex fun ris 37. l. ſi qui i 15. §. Proinde D. de uſufr. l. genero 8. D. de his qui not. infam. *Libitinarii locatores funebrium. Lugubrium forma, apud Romanos, deſcripta breviter. Eorundem de uſu, ex Regio Hiſpano Jure, nova noſtra diſtinctio. Lugubria proprie neceſſaria ad funus ducendum, juſtaque mortuo facienda, ſi intra probabilem modum ſint, neceſſarie erogantur; ideoque deducuntur ex quinto, aut tertio, liberis, aut parentibus ſuperſtitibus, & præcipiuntur ante alienum æs, ſi ſolvendo non ſit hæreditas. Lugubrium, queis, poſt funus, neceſſarii, & domeſtici luctum defuncto faciunt, non præfertur impenſa creditoribus; probabilis tamen eſt, neque illegitima, noſtris moribus. Eorum, ſi defunctus præberi juſſit, deductio ex quinto, vel tertio. Ceſſante autem ea juſſione, non item, & quare? Proprium, perſpicuumque diſtinctionis noſtræ argumentum ex* l. quid ergo 53. §. Sed ſi mortuum D. de legat. 1. *Defuncti famulis lugubria præbita detrahuntur ex quinto, aut tertio. Perpenduntur non ſemel, & exponuntur* Regiæ leges 7. tit. 1. ordinam. l. 2. tit. 5. lex 13. tit. 6. lib. 5. & l. 14. §. 21. tit. 12. lib. 7. compilat.

1 Illud denique, ne noſtra hæc, de funebri veſtiario, collectanea, deviare prorſus à Foro, & Pragmaticorum ſubſelliis videatur, breviter diſcutiendum ſupereſt, an ſcilicet, quæ de legitima, receptaque veſtium, in funere, impenſa diximus, pertineant etiam ad lugubria indumenta, quibus aſſumptis defunctorum liberi, parentes, uxores, hæredes, & alii ſanguine conjuncti, item eorum famuli, luctum, animique dolorem teſtari ſolent, unde & idioma patrium, *lutos*, vocat, ſicut Latinum, *lugubria*, & *mortualia*. Videndum ergo, an hæc uſque adeo inter ſolemnes funeris ſumptus computentur, ut ante omnia ex hæreditate deducantur, vel, noſtris moribus, ex quinta bonorum defuncti parte, in quam cætera funerum impendia imputari jubentur, Regia *l. ult. tit. 6. lib. 5. compilat.* ac de qua ſola patres liberis ſuperſtitibus, liberam teſtandi facultatem apud nos habent, ſicut filii ipſi de tertia ſola, ſi ſuperſtites parentes relinquant. *l. 1. tit. 8. lib. 5. compilat. l. 12. tit. 6. eod. lib.* In hac autem quæſtione, nondum, inter noſtrates, ſatis convenit, & ut vulgatum illud leviter immutem, *certant Pragmatici, & adhuc ſub Judice lis eſt.* Alii veſtes has lugubres, ſive uxori defuncti, ejuſque familiæ, ſive hæredibus, eorumque famulis præbeantur, ac ſive eas teſtator præberi juſſerit, ſive non juſſerit inter funeris probabiles ſumptus computari, ajunt, & ex quinto bonorum defuncti deduci, ſi is filios ſuperſtites reliquerit, ex tertio vero, ſi parentes. Ita Ciſuentes, & Gomez Arias in *l.* 30. *Tauri num.* 5. Caſtillo *ibid. num.* 11. Angulo *de meliorationibus in l.* 13. *gloſſ.* 1. *num.* 16. *tit.* 6. *lib.* 5. *compil.* Gamma *deciſ. Luſitan.* 309. *num.* 5. Velazquez de Avendaño in *d. l.* 30. *Tauri num.* 8. Alii ex adverſo contendunt, erogationem in lugubria, pro funeris impenſa, haberi non debere, nec deduci, aut ex bonorum defuncti acervo, aut ex quinta eorum, vel tertia parte; ejuſque ſententiæ, poſt Baldum, primus laudatur Auctor, Tellius Fern. in *d. l.* 30. *Tauri num.* 4. cui ſubſcribunt Matienço in *d. l.* 13. *gloſſ.* 1. *num.* 2. *tit.* 6. *lib.* 5. *compilat.* Joann. Garcia *de expenſis cap.* 8. *num.* 22. late Ayora *de partitionib.* 2. *part. quæſt.* 12. *num.* 24. Valaſcus *eod. tract. cap.* 19. *num.* 53. Alii denique erciſcundi diſtinguunt inter lugubres veſtes hæredum, & familiæ, & inter eas, quæ uxori, famuliſque defuncti ex conſuetudine præſtantur. Illas enim, ex univerſa hæreditate deduci, & hactenus funeris ſumptus eſſe, non ut ante æs alienum, præcipiantur, ſed ut hæredis onus ſint potius, quam legatarii tertii, vel quinti. Iſtas vero ex tertio, quintove bonorum erogari ſemper, volunt Gregor. Lopez in *l.* 12. *gloſſ.* 8. ad fin. *tit.* 13. *part.* 1. Azevedo in *l.* 13. *num.* 6. *tit.* 6. *lib.* 5. *compilat.*

2 Ego tamen, *qui nihil temere credo, niſi nihil temere credendum, temere porro credi, quodcumque ſine originis agnitione creditur*, ut Tertullianus alibi ſcribit *lib.* 5. *adverſus Marcionem cap.* 1. nihil in tot noſtratium opinionibus invenio, quod veram ſapiat Juris rationem. Idque illa breviter revelata, ne ſingula ſingillatim refellam, liquebit ſatis. In primis autem, Jure Romano, dubitare non poſſum, quin lugubrium veſtium impenſa, inter ſolemnes funeris eſſet, utique earum veſtium, quibus amicti defunctorum liberi, parentes, liberti, & hæredes, funus proſequebantur, præ cæteris ille, qui funus faciebat, cui ſoli licuiſſe, prætexta pulla uti, Feſtus teſtatur *lib.* 14. in voce *prætexta.* Hujus autem ſententiæ, quam præſenſerunt laudati à Surdo *deciſ.* 255. *num.* 28. & ante eos, Accurſius, Bartol. & alii Claſſici in *l. ſi ex re* 28. § *ult. D. de ſtipulat. ſerv.* (levi quamvis argumento ejus loci, de quo jam alio capite) hæc in libris veſtigia obſervavi. Primum in *l.* noſtra *funeris* 37. quæ inter alias funeris impenſas recenſet, *veſtiaria*, ſi modo vulgatam lectionem ſequamur. Quo ſane verbo, quamvis hûc uſque veſtes, quæ, vel cadaveri operiendo, vel ſepulchris, aut rogo injiciuntur, intellexerimus, proprie tamen etiam ſignificari lugubres veſtes, quibus defuncto exequias ire, funuſque facere familia ſolebat, negari non poteſt; inficietur licet Garcia *de expenſ. cap.* 8. *num.* 17. Valaſcus *de partition. cap.* 19. *num.* 54. Secundum eſt in *l. ſed ſi quid* 15. §. *Proinde D. de uſufr.* ubi, ſi veſtis Scenicæ, vel Aulæi, aut alterius apparatus, uſusfructus legatus ſit, ſcribit Ulpianus, poſſe fructuarium locare tam Scenicam, quam funebrem veſtem, tametſi qui legavit, commodare, non locare, ſolitus fuerit. Et tamen certum eſt, nec locationem, nec commodatum cadere potuiſſe in eam funebrem veſtem, quæ cum cadavere condenda, aut cremanda præberetur; quia ſic eam conſumit, & commodanti, vel locanti perire, neceſſe eſſet, quod commodati, aut locationis natura, in quibus uſu ad tempus conceſſo, eadem ſpecies reddenda eſt, non admittit. *l. 2. D. de rebus credit. l. rei commodatæ* 8. *D. de commodat. l. non ſolet* 39. *D. locati.* Quin neque fructuarius ſic veſte abuti poſſet, ut eam conſumendam locaret,

 maxime

maxime ubi veſtimentorum proprium uſumfructum, non ſicut quantitatis, legatum proponimus, ut in *dict. l. ſed ſi quid* 15. §. *Etſi veſtimentorum* 4. Neceſſe igitur eſt in *d.* §. *Proinde*, funebris veſtis appellatione, eam intelligi, quæ ſunus proſequentibus locari ſoleret, ita ut poſt exequias, aut luctum, eamdem redderent locatori. Tales libitinarii, qui vel funeri neceſſaria, veluti veſtes lugubres locabant, vel univerſum funeris apparatum, ſua impenſa, præſtabant, quod cum fieret, funus eis locari dicebatur. Ut ex Valerio Antiate, & aliis prænotavimus jam *cap.* 13. Agnoſcit ergo Ulpianus in *d.* §. *Proinde*, tamquam probabilem, receptamque lugubrium ad funus impenſam. Tertium eſt in *l. genero* 8. *D. de his qui notantur infamia.* Ubi de vidua, quæ poſt legitimum lugendi tempus mariti mortem cognovit, ex Labeone Ulpianus ſcribit, ipſa die ſumere eam lugubria, & deponere; ſolemnis adeo, ſtatuſque in funere lugubrium uſus, ut & tranſacto illius, & lugendi tempore, cum primum mortuum maritum ſciverit, lugubria viduam ſumere debere, Veteres putent; junge tamen *l. decreto* 15. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog.* & hæc quidem ex libris noſtris; ex peregrinis vero ſi quis plura de lugubrium in funeribus uſu, veſtiumque mutatione, quam, præeuntibus Ægyptiis, inter cæteras gentes Romani, in proximorum ſuorum interitu uſurparunt, teſte Servio *ad libr.* 11. *Æneidos*, ita quidem ut filii atrati, velatiſque capitibus, filiæ vero, fœminæque aliæ propinquæ domi riciniatæ, extra vero pullatæ, toga Anthracina indutæ, vel amiculo nigello, apertis capitibus, capillo demiſſo, ſeu paſſo, prolixo circum caput rejecto negligenter, ut Terentius loquitur in *Heautontim.* mediocriter veſtitæ veſte lugubri, & ſub Imperatoribus albatæ in funus prodirent, ut ſubindicant Varro, apud Nonium, in *Anthracinis*, & Plutarch. in *Roman. problem.* 14. adeat Kirchman. *de funerib. lib.* 2. *cap.* 17. Gretſerum *de funere Chriſt. lib.* 1. *cap.* 12. Gutherium *de jure man. lib.* 3. *cap.* 29. Sopranem in *Davidem digreſſ.* 3. *de luctu cap.* 4. & 7. Bulengerum *de Imperatore Rom. lib.* 3. *cap.* 9. pro more, ac modulo ſuo, plura aggerantem, Julium Laborium *var. elucubrat. tit.* 2. *de ritib. fun. cap.* 8. *num.* 138. & *ſeqq.* Ludovicum Dorleans in *Tacitum* 2. *Annal.* ubi de Germani luctu & funere.

3 Jure autem Regio noſtro, cujus, ut ita dicam, in terminis noſtrates, quorum ſupra meminimus, loquuntur, diſtinguendus eſt uſus lugubrium veſtium neceſſariarum ad funus ipſum ducendum, juſtaque mortuo facienda, ab aliis quibus poſt diem elationis, & exequiarum defunctorum proximi, vel hæredes uti, & teſtari luctum ſolent; nam, quod ad priora lugubria attinet, receptus adeo, frequenſque noſtris moribus eorum uſus eſt, quamvis pro dignitate, & facultatibus defuncti, locique conſuetudine modo amplior, modo minor, ut, ſine quadam veluti contumelia mortui, prætermitti non poſſit, ut Ulpianus alias ſcribit in *l.* & *ſi quis* 14. §. *Judicem D. de Religioſis*, nec Regiæ leges improbant, prohibentve, dum tamen intra formam eiſdem præſcriptam conſiſtat. *l.* 7. *tit.* 1. *lib.* 1. *ordinam. l.* 2. *tit.* 5. *lib.* 5. *compilat.* Proinde horum lugubrium ſumptus, apud nos, non modo utilis, probabiliſque, ſed etiam neceſſarius cenſendus eſt, utpote ſine quo, ſalva dignitate defuncti, funus duci non poteſt. *l.* & *ſi quis* 14. §. *funeris* 3. *D. de Religios.* Quibus conſequens eſt, ut non tantum ex quinta bonorum parte, quæ, deducto ære alieno, ſupereſt, extrahi debeat, ſi defunctus ſuperſtites liberos relinquat, aut ex tertia, ſi parentes, juxta *l.* 13. *tit.* 6. *lib.* 5. *compilat.* ſed & quod magis eſt, ſi ſolvendo non ſit hæreditas, aut ſi liberi, vel parentes defuncto non ſupervixerint, deducatur ex univerſa hæreditate, ante omne æs alienum. *l. impenſa* 45. *D. de Religios. l.* 2. *D. de privileg. credit.* alias *l. quæſitum* 17. *D. de reb. auctor. jud. poſſid.* nihil enim, duobus his caſibus, circa privilegium funerariæ innovatur, conſtitutione *d. l.* 13. ut agnoſcit D. Præſes Covarr. in *C. Raynaldus* §. 3. *num.* 2. *de teſtam.* poſt alios, clariſſimus præceptor meus, D. Antonius Pichardus in §. *cum autem num.* 10. *Inſtit. de lege Falcid.* Amator Rodrig. *de concurſ. credit.* 1. *parte art.* 3. *num.* 9. Azevedo in *d. l.* 13. *num.* 11. & 18. Gutiertez *lib.* 2. *practic. quæſt.* 72. dum tamen ſemper lugubrium ſumptus modicus ſit ex dignitate, & facultatibus defuncti, loco, tempore, & bona fide ſic coërcendus, ut quam minimum creditoribus noceatur. *l. ſi quis ſepulchrum* 12. §. *ſumptus. l.* & *ſi quis* 14. §. *hæc actio, verſic. æquum D. de Religios. l.* 1. §. *ult. D. ad leg. Falcid. l.* 12. *tit.* 13. *part.* 1.

4 Sed ſi de aliis lugubribus quæratur, quibus induti, poſt funus factum, neceſſarii, domeſticique, defunctorum memoria, luctum habere ſolent, longe alia eorum ratio eſt. Nec enim eorum impenſa neceſſaria dicetur, cum ſine illa funus duci poſſit: proinde nec præferenda creditoribus unquam, quibus dumtaxat neceſſarii ſumptus funeris anteponuntur: *d. l.* & *ſi quis* 14. §. *funeris* 3. Probabilem tamen, nec omnino illegitimam, vanamve etiam horum lugubrium impenſam eſſe, præſertim noſtris moribus attentis, negari non poteſt: idque mihi aperte ſubindicant in *l.* 7. *tit.* 1. *lib.* 1. *Ordinam.* verba hæc: *Pero que puedan veſtir por luto paño prieto; porque es mueſtra, y ſeñal de amorio, que havian con ſus parientes finados, y que lo traigan tres meſes.* & adſtipulatur *lex* 2. *tit.* 5. *lib.* 5. *compilat.* quæ fruſtra de perſonis, tempore, ac forma lugubrium, tam accurate ſanciret, niſi eorum uſum, impenſamque probaret, intra limites eadem lege præſcriptos, quæ & ſervari jubetur, in *l.* 14. §. 21. *tit.* 12. *lib.* 7. *compilat.* Proinde de his lugubribus ita cenſeo, ut ſi quidem defunctus, cui liberi, vel parentes ſuperſunt, ea præſtari juſſerit, tunc vel tamquam funeris ſumptus, quos defunctus funeri neceſſarios putavit, vel tamquam legata his perſonis, quibus præſtari juſſit, relicta, ex bonorum quinto, vel tertio deduci debeant, juxta *d. l.* 13. ſin autem nihil defunctus de lugubribus hiſce præceperit, nec de quinto quidem, aut tertio ea deduci debent, quia nec proprie funeris ſumptus ſunt, cum ſine his, ut dixi, funus duci poſſit, nec licere æquum eſt, hæredibus, aut teſtamentariis, qui plerumque ipſi ſunt defunctorum liberi, parentes, aut conſanguinei, quibus hæc lugubria præſtantur, de alieno erga ſe liberales eſſe, & erogatione non neceſſaria, tametſi probabili, quintum, tertiumve abſumere, & veluti colludere, ac conſpirare in necem animæ defuncti, cui plerumque quintum ſubſervit, aut alterius legatarii tertii, vel quinti; quod & alienum valde eſſet à ſententia *d. l.* 13. quæ idcirco ſumptus funeris ex quinto deduci voluit, ne, ſi ex bonorum cumulo extraherentur, legitimas filiorum portiones minuerent, non autem è contrario, ut abſumpto in lugubria quinto, cum diſpendio defuncti animæ, aut legatariorum, filii, vel alii, queis lugubria præſtantur, ditarentur. Expendi, in hanc ſententiam, proprie poſſunt Veterum loci, quibus docemur, ſi res legata in funus inſumatur, indemnem ab hærede legatarium ſervandum eſſe, niſi aliunde non eſſet, quo teſtator funeraretur, & omnino neceſſaria impenſa ſit. *l. ſcriptus* 4. *l.* & *ſi quis* 14. §. *ſed* & *ſi res legatæ. l. ult. in princ.* & §. *ult. D. de Religios. l. ſi hæres* 63. *l. Mævius* 66. § *in fundo D. de legat.* 2. *l. legatum* 3. *Cod. de Religioſis. l. quid ergo* 53. §. *ſed ſi mortuum D. de legat.* 1. ubi diſtinctio hæc noſtra velut exprimitur his verbis: & *ſi quidem ipſe pater familias illo inferri voluit, ex teſtamento non tenebitur: quid ſi hæres intulit ſuo arbitrio, debebit præſtare, ſi ſit in hæreditate, unde pretium præſtetur: teſtator enim, qui legavit, vel alio inferri voluit, vel pretium loci legatario offerri.* Plane ſi defuncti domeſticis, qui in ejuſdem familia, & miniſterio, mortis tempore, fuerunt, ac præ cæteris viduæ defuncti, de qua hoc ipſum recte Gregorius Lupus in *l.* 12. *tit.* 13. *part.* 1. *gloſſ.* 8. *in fine*, & poſt Baldum Laborius *elucubrat. de funerum ritibus tit.* 2. *cap.* 16. *num.* 5. utcumque diſputet, dubitetve Garſia *de expenſis cap.* 8. *ex num.* 29. & 36. arbitratu hæredum, aut teſtamentariorum,

tariorum, lugubria præbeantur, poſſe, & debere hæc eadem ex quinto, ant tertio deduci, recte colligitur ex *d. l. 2. verſic. y en quanto toca à los criados tit. 5. Compil.* Namque & illud quodammodo cedit in expiationem defuncti animæ, quam hæredum, vel teſtamentariorum arbitrio defunctus commiſit, quod bene meritis de eodem famulis, tamquam navatæ operæ præmium, & pietatis defuncti ſymbolum, indulgetur, argumento ex *l. unica §. ſed & qui domini Cod. de latin. libert. toll.* Dum tamen illud ſemper meminerimus, in quo Azevedius, aliique pueriliter peccant, hæredum, aut teſtamentariorum domeſticis lugubria hæc præberi non poſſe; *d. l. 2. verſ. y en quanto toca.*

CAPUT XXI.

De Auctoritate politica, ſive legum civilium in re funebri.

ARGUMENTUM.

Laicorum leges de modo, ac ſumptibus funerum irritas eſſe, pertendunt non pauci, ex cap. ult. de rebus Eccleſ. alien. *in contrarium alii ex* Novella Juſtiniani 59. *& Hiſpanis Regiis legibus. Sed certa, & recepta diſtinctio, inter relicta, aut debita Eccleſiæ à mortuis, quæ mortuaria dicta, nec ſubdita laicorum legibus,* ut in d. cap. ult. *& vanas alias funerum pompas, quæ politica auctoritate, & legibus licite, ac merito reciduntur, de queis noſtræ, & Romanæ leges. Translata hinc diſquiſitio ad* Batavicæ Pacis articulum 18. de aſſignatione loci honeſti in Hiſpania pro ſepulchris Batavorum, *ac de inſtantia eorum Legati pro Cippo, & Epitaphio Batavi hæretici. Expenſæ contra eam inſtantiam Eccleſiaſticæ, & Regiæ leges. Illuſtrata* Conſtantini lex 2. Cod. Theodoſ. de hæret. *Memorata alia, & ad incudem revocata, quæ ex Baſilicis Martiano Cæſari adſcribitur,* in l. 9. Cod. de hæretic. *Expoſitus, & emendatus Græcus textus in* ſcholio Balſamonis ad Photii Nomocanonem. *Ex diverſo pro inſtantia Batavica expenſum, eſſe jus ſepulturæ ex Jure gentium, & auctoritatis politicæ, ideoque nec negatam Ethnicis peregrinis apud Hebræos, in agro illo figuli, de quo* Matthæi cap. 27. *nec hæreticis non prædamnatis apud Catholicos, modo ſit ſola humana, & extra ſacra, & in Gallia, loco etiam publico, in id deſignato: hæc hinc, & illinc inter, ſubſiſtere in re viſum, ne loco pro ſepulchris ſemel ſignato, hæretici funerum ritus, maxime à Lutheranis attentarentur, & permiſſa, cum Cippo, inſcriptione, concederetur hæreticis quod eſt defunctorum memoriæ honoratiſſimum, & quod Deus avertat, ſequeretur fortaſſe teſtatio hæreſis defunctorum intra Hiſpaniam. Obſervata intra eam vetus teſtatio, & diſtinctio Catholicorum per* A. *&* A. *à ſepulchris Arrianorum: ſicut & Sancti illius Prophetæ in ſepulchrali titulo.* 4. Regum cap. 23.

1 PRoxima nuper traditis, nec prætereunda inſpectio eſt, de auctoritate legum civilium in re funebri, ſive an & quatenus funebris res, & ejus ſumptus politicis legibus regi, & ad normam redigi poſſint, aut debeant: cui inſpectioni expediendæ, ut breviores ſimus, ſatisfactum videtur, quod legimus in *cap. ultim. de rebus Eccleſ. alien.* Laicorum Conſtitutiones, tamquam illicite præſumptas, non tenere, ſi quæ fuerint, diſponantve de his, quæ ſpirituali juri annexa ſunt; cujuſmodi in eo Textu eſſe, cenſentur, quæ dicuntur *mortuaria*, uſitato, media ætate, vocabulo, quale apud nos, *el mortuario*, y *caſa mortuaria*: unde ex eo Textu & ratio in illius principio expreſſa, de defectu poteſtatis Laicæ, ad diſponendum de Eccleſiaſticis rebus, deduxere generaliter, & docuere, Romanus *ſingulari* 35. & poſt Felinum, Decius in *cap. Eccleſia Sanctæ* Mariæ *numer.* 196. *de conſtit.* ex novioribus Fragoſ. *de regim. Reipubl.* 3. *tom. lib.* 1. *diſp.* 3. *num.* 288. Gratianus *diſcept. for. cap.* 298. *num.* 7. Jul. Laborius *de funer. more tit.* 2. *cap.* 16. *num.* 23. non valere Statuta Laicorum, diſponentia de ſumptuariis, ſive de funerum modo, & ſumptu, utpote pertingentia rem ſpiritualibus annexam, & proinde contra juriſdictionem, & libertatem, ſive immunitatem Eccleſiæ.

2 E contrario, poſſe rei funebri, tamquam politicæ, modum lege politica ſtatui, ut ſileamus Solonis funebres leges, collectas à Samuele Petito, *commentar. ad leges Atticas lib. 6. tit.* 8. & ſimiles Romanas decemvirales de funeribus, accurate præ aliis, concinnatas à Dionyſio & Jacobo Gothofredis, ac demum Juriſconſultorum in libris noſtris fragmenta, de quibus poſtea, probant propiore exemplo, & argumento Chriſtianorum Principum leges ea de re latæ, & in primis Juſtiniani *Novella de debita impenſa in obſequiis defunctorum cap. 4. & ſeqq.* Quibus funerum ſumptus, & pro feretris, ſive lectis erogationes, quin & Decanorum, ſeu Copiatarum, aliorumque ejuſmodi Clericorum ſtipendia taxantur, & reciduntur. Probant item Catholicorum noſtrorum Regum *leges 7. tit. 1. lib. 1. ordinam. 13. tit. 13. part. 1.* & Philippi Secundi *illa*, quæ eſt 2. *tit. 5. lib. 5. compilat.*

3 Aſt, ne moremur, recepta, & recens diſtinctio eſt, inter relicta à mortuis Eccleſiæ, ubi funerandi, aut obventiones, ſive commoda ad Eccleſias, & Clericos, pro mortuorum funeribus delata, aut pertinentia, quæ proprie mortuaria vocantur in *d. cap. ult. de rebus Eccleſ. alien. cap. conquerente* 16. ubi *Gloſſa* verbo. *mortuaria, de Officio Judic Ordinarii cap. Officii* 14. *de teſtam.* qualis eſt quarta, ſive alioquin conſueta portio, dicta, Canonica, pro funere Eccleſiæ, aut Parochiæ delata, aut debita *cap. certificari* 9. *de ſepultur.* Tridentinum *Seſſ.* 25. *de Reformat. can.* 13. item Eleemoſynæ pro ſuffragiis animæ, & Eccleſiæ precibus, aut erga Eccleſiam, & Clericos, funeris & pietatis intuitu, impendendæ. Quæ ſingula, Chriſtianorum Principum legibus taxari, aut coarctari, alienum à pietate eorum eſſet, & contra rationem, & regulam *d. cap. ult. de rebus Eccleſ. alien.* Ex diverſo, ineptas, & inſanas pompas funerum, quas & Eccleſia improbat *cap. animæ* 13. *quæſt.* 2. qualia ſunt ambitioſa defuncto proximorum lugubria (quæ proprie *mortuaria* dicta Nævio Poëtæ) præficarum *conducti ejulatus*, ſive *excelſi ululatus*, ut vocantur, & improbantur in *capitularibus* Caroli, & Ludovici *lib.* 2. *cap.* 194. & altiores in Eccleſia tumuli, ac ſupra tumulos cerei majores, tandemque feretra, & cadavera (niſi quibus, & quatenus pro dignitate permiſſum) pretioſa ſtrata, & parietum nigra operimenta, Chriſtianis, & politicis legibus taxari, & coërceri, licuit ſemper, & expediens viſum, & exprimitur noſtrate *l. 2. tit. 5. lib. 5. compilat.* ubi & conjunctis §. *En quanto*, & §. *Que en quanto*, diſtinctio hæc ipſa, inter impenſas ſuqeris, pro anima, Eccleſiæ delatas, & reliquas pompæ ſoli ſervientes firmatur, & inter cereos Clericis, aut Eccleſiæ ceſſuros, & altiores illos pro tumulis, ultra duodecim, non permiſſos, de queis tamen diſceptant adhuc, & diſſentiunt non pauci, & inter alios Henricus Henriquius *de Pontificis Clave lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 6. *litt. B.* At diſtinctioni traditæ, cujus primarius Auctor Panormitanus in *dict. cap. ult. de reb. Eccleſ. alien. num.* 6. & *quæſt.* 3. *num.* 2. ſubſcribunt, poſt Felinum, Decium, alioſque Veteres ex Juriſperitis, Gregorius Lupus in *l.* 12. *tit.* 13. *part.* 1. Matienço in *dict. l.* 2. *gloſſ.* 10. ubi & Azevedo *tit.* 5. *lib.* 5. *compilat.* Molinus *de ritu nupt. lib.* 2. *differ.* 7. *num.* 72. Alderanus Maſcardus *de ſtatutis concl.* 1. *num.* 23. Marta *de juriſdict.* 4. *part. centur.* 1. *caſu* 54. *num.* 5. & *ſeqq.* Joſeph Graſſis *de effect. Cleric.* 2. *effect. ex num.* 468. Marius Cutelius *de immun. Eccleſ. lib.* 2. *quæſt.* 65. ex Theologis, poſt

Cajetanum in *Summa*, verbo *excommunicatio*, *caſu* 31. Jacobus de Graphiis *deciſ. conſc. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 135. & ex Souſa, Mario Alterio, Reginaldo, Filucio, Baldello, Laimano, Duardo, & aliis, Antoninus Diana *tom.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 63. noſter Araujo *tom.* 2. *var. diſput.* 12. *diff.* 1. *num.* 11. nec diſſentit Henricus Henriquius *lib.* 2. *de Pontif. Clave cap.* 7. *num.* 6. *litt. B.* Adjicimus ejuſdem diſtinctionis, & cenſuræ gemellum exemplum, ex Regia *l.* 12. *cum ſeqq. tit.* 1. *lib.* 5. *compilat.* quæ ſunt de muneribus, & donis mitti ſolitis conviviorum dominis, per eos ſæpe exigi ab invitatis ad convivia in nuptiis, & celebritate baptiſmatis, aut novæ Miſſæ in Gallæcia, & aliis ejuſdem moris Provinciis, quarum in ea re abuſus prohibentur, non tamen ea donaria, quæ novo Sacerdoti in Sacrificio, aut Eccleſiæ in baptiſmate offeruntur. Sane ſecundum hæc, & pro Regiarum legum obſervantia, ſi quando in Illuſtriorum Procerum exequiis, ac præſertim tumulo, & lugubribus à præſcripta norma exceditur, graves mulctæ extra ordinem indici, & exigi ſolent politica auctoritate.

4 Annexa eſt eidem inſpectioni de auctoritate politica in re funebri, diſquiſitio alia, quam noſtra ætate in examen veniſſe ſcimus, occaſione recentis pacis Hiſpano-Batavicæ, anno 1648. cujus *cap.* 18. prout Latine editum à Leone Aitzema in Hiſtoria pacis fœderati Belgii, ſic habet: *Summe dicta Majeſtas* (ſcilicet Hiſpanica) *ſua commoda, honeſtaque loca ſepulturæ eorum, qui à parte Præpotent. D. D. Ordinum Gener. in Regnis, atque Imperiis ſumme dicti Regis, vitam cum morte commutarunt, aſſignari, ac præparari quam primum curabit.* Reſpondet illis verbis, *commoda, honeſtaque loca*, in editione Hiſpanica ejuſdem pacis, *pueſtos decentes*, & in Gallica, *places honorables*, ſi credimus Caramuelo, qui & ex Latino textu profert, *ſepulchra honorifica*, in *Prodromo pacis Imperii*, *conſultatione* 15. Jam ergo ea occaſione, cum Jacobus quidam Batavus, & Calvinianus, Toleti mortuus, & in hortulo ſepultus fuiſſet, adiit Philippum Regem noſtrum Batavicus Legatus, Baro Redius, petiitque, ut ei, Jacobi illius ſepulchro Cippum cum Inſcriptione, quæ illius memoriam tueretur, ſtatui permitteret, ſimulque, ut, pro conventæ pacis executione, deſignaret decentia loca ſepeliendis Batavis, qui apud nos vita fungerentur.

5 Secundum hæc Regiis Decretis, deducta res in Conſultationes Status, & Supremorum Caſtellæ, & Sanctæ Inquiſitionis Senatuum, in primis contra inſtantiam Batavici Legati expenſum fuit, hæreticos, qualis Jacobus ille Calvinianus, & plerique ex Batavis, Catholica cenſura habentur inter alias, quibus obnoxii, pœnas, privari jure ſepulturæ, Eccleſiaſticis legibus, *cap.* 2. *de hæreticis in* 6. junctis *cap. ſacris* 12. *de ſepultur. cap. ſicut ait* 8. *de hæretic. cap. Eccleſiam* 26. *cum ſeqq. de conſecrat. diſt.* 1. *cap. ſane* 3. & 6. 24. *quæſt.* 1. & Regiis noſtris *l.* 8. *tit.* 13. *part.* 1. *l.* 2. *tit.* 26. *part.* 7. tamquam Majeſtatis Divinæ læſæ reos, ſeu perduelliones, juxta *l.* 1. *§. Interdum* 3. *D. de ſuis & legit. hæred. l. liberorum* 11. *§. Non ſolent* 3. *D. de his qui not. infam. l.* 1. *D. de cadaver. punit. l. minime* 35. *D. de Religioſ. & ſumptib. fun.* juncta *l. Manichæos* 4. *§. In mortem* 4. *Cod. de hæretic.* Ex queis, & aliis, in deteſtationem hæreſeos, cauſis, adducto etiam ſacræ paginæ Textu, ex *lib.* 4. *Regum cap.* 23. *verſ.* 13. & 16. contra inſtantiam Batavici Legati cenſuiſſe, & conſuluiſſe Supremum noſtrum in cauſis Fidei Senatum, commemorat copioſior verbis, non rebus, Epiſcopus, Hermoſinus *allegat. Fiſcal. part.* 2. *allegat.* 11.

6 Porro, in eumdem ſenſum, inter alia congeſta multis, & pro multis ab uno Henrico Spondano *de cœmeter. ſac. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 4. & 5. & *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 1. ac per totum illud laudatiſſimum opus, quod eſt de hæreticis arcendis à ſepulchris inter Catholicos in Gallia: de quo, ex Gallis, item Mornacius ad *l.* 6. & 8. *D. de Religioſ.* Florimundus Remundus *de orig. & progr. hæreſ. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 18. *num.* 8. Ex priſca Eccleſiæ diſciplina, & cum Cypriano, Baronius *ad annum Chriſt.* 258. *num.* 4. & in Martyrolog. *ad diem* 26. *Junii*, ubi de *S. Vigilio.* Joannes Fileſacus *de orig. paræc. cap.* 4. Antonius Boſſius in *Roma ſubterranea lib.* 4. *cap.* 1. & 2. negatum fuiſſe hæreticis jus ſepulchrorum, jam inde à Conſtantino Magno, cujus Conſtitutio, quæ extat in *l.* 2. *Cod. Theodoſ. de hæretic.* Novatianos hæreticos in ſepulchrorum poſſeſſione, tempore quæſita, aut empta tuetur; quoniam, ut illius legis initio exprimitur, *Novatianos nondum comperimus prædamnatos*, (ſcilicet tamquam hæreticos) idque ſive quia tunc Novatiani habiti magis pro Schiſmaticis, quam damnati, ut hæretici, quomodo rei explanandæ, tentat Baronius *tomo* 3. *Annal. ad ann.* 326. *numer.* 18. ſive quia nondum uſque adeo damnati, ut & propria loca, ſepulchris apta, eis neganda viderentur; ut Jacobo Gothofredo placitum, commentario ad eam legem; ſive & fortaſſe quia ita de nondum damnatis Novatianis perſuaſit Conſtantino, per impoſturam, Aceſius Novatianus Epiſcopus, integer alioqui morum, & ob id Conſtantino non ingratus, teſte Sozomeno *libro* 2. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 30. Sane id, utcumque ſit, ſupponit Conſtantinus, dum Novatianos excipit, alios omnes prædamnatos hæreticos excludendos ſepulchrorum jure, & honore.

Extat ſane, & immemoratam non pertranſimus, alia, Martiano Cæſari adſcripta, *Conſtitutio*, & Juſtinianeo Codici inſerta ab Antonio Contio, ſive Cujacio *lib.* 12. *obſerv. cap.* 30. in *l.* 9. *de hæreticis*: 7
cujus ſententia juxta Contii, ex Græco, verſionem eſt: *Humanum, & pium hoc arbitrati, hæreticos permittimus ſepeliri legitimis ſepulchris*, ſive *conſuetis ſepulturis*, ut vertit, exhibetque Fabrottus *lib.* 1. *Baſilic. tit.* 1. *cap.* 9. Quam tamen Conſtitutionem dubiæ, & ſuſpectæ fidei ſerio arguebat Joannes Franciſcus noſter, cum ante annos aliquot Regii Patrimonii Senatorem Matriti ageret, & inter Senatorii muneris curas, ſcholia ad *Synopſim Baſilicon*, & *Theodoſianum Codicem* meditaretur, utique & perfecturus, illum ni lugenda, heu, ſemper patri, & Muſis mors immatura abripuiſſet. Enim vero, quin ſit ea Conſtitutio indigna, quæ Juſtinianeo Codici obtruderetur, & multo indignior, quæ adſcribatur Martiano piiſſimo Imperatori, cui Sancta, & OEcumenica Synodus Chalcedonenſis repetitis actionibus, & acclamationibus, tamquam novo Conſtantino, & religioſiſſimo Cæſari, acclamavit, & qui ſeveris ſæpius legibus hæreticos exagitaverit. *l. quicumque* 8. *Cod de hæreticis. l. ultim. Cod. de Apoſtatis*, de quo & proinde ad annum 457. eum enim annum præfert ſubſcriptio *d. l.* 9. Conſtantino & Ruffo Conſulibus, primumque illius anni menſem, cujus die 26. Martianum, Marcellinus, Comes, Caſſiodorus, & aliorum Faſti enunciant, clauſiſſe cataſtrophem vitæ, abſona illa permiſſione legitimorum ſepulchrorum erga hæreticos, & humanum, piumque in impios ſeſe morientem exhibuiſſe, qui tunc ſeverior, & ita ſanctior eſſe debuit, haud facile crediderim. Hæc niſi ſi quis, juxta Fabrotti verſionem, quæ pro, *legitimis* ſepulturis, habet *conſuetas*, intelligat eas, quæ in uſu erant hæreticorum, ſcilicet extra ſacra cœmeteria, & diſcretas à Catholicorum ſepulturis, quales eo tempore hæreticis non negabantur, ut mox dicemus.

Sed, ut ne de illo plura, ſit ſatis interim, ut liqueat, Conſtitutionem, Martiano adſcriptam, non perviguiſſe, & pro negatione ſepulturæ legitimæ hæreticis, ex Cæſareis legibus, teſtimonium ex Nomocanone Photii, in quo ſub *titul.* 12. *cap.* 2. inter alia hæreticis prohibita, legitur: καὶ ὅτι οὐ θάπτονται νομίμως: *& quod non ſepeliuntur legitime*, in quem ſenſum appoſite Gentianus Hervetus in ſcholio Theodori Balſamonis ad eum Textum Nomocanonis, ſic ad rem vertit *cap.* 24. *Hæretici legitimis ne tradantur ſepulturis*: pro eo quod in Græco eſt: ταῖς νενομισμέναις αἱρετικοὶ παραδιδόσθωσαν ταφαῖς. Cui & reſpondet affirmativa verſio, ſcilicet, *legitimis hæretici tradantur ſepulturis*, quam ſecutus Contius in prætermiſſis, & ex eo editio Codicis Juſtinianei; 8

aſt

aſt quod primi forte monemus, ut & ratio, & Balſamonis Scholium Textui Photii ſui conſonet, corrigenda eſt Scholii lectio, & pro voce, νενομισμένοις, disjuncto τὸ νε, & repoſito, μὴ, legendum eſt, μὴ νομισμένοις, id eſt *ne legitimis tradantur ſepulturis.*

9 Jam, ut in viam, ex diverſo conſulebat Politicus Senatus, poſſe, & oportere, pro executione pacis conventæ, aſſignari Batavorum ſepulturæ locum, diſſitum à Curiæ ſeptis, pro qua ſententia expendi poterat, quantumcumque Eccleſiaſtica ſepultura hæreticis concedenda non ſit, ſepulturam tamen extra Eccleſias, & ſacra loca negari non debere, in memoriam humanæ conditionis, ut Modeſtinus alibi ſcripſit *l. quidam* 26. *D. de condit.* & ne ea negatin cedat quodammodo in humanæ naturæ dedecus, & opprobrium, ut eſt in *Novella* 53. Leonis Philoſophi: quo intuitu, ſepulturæ jus eſſe inter ea, quæ ſunt Juris Naturæ, ſive Gentium non ſcripti, probari ex libris noſtris poteſt. *l.* 2. *l. ſi filius familias* 31. §. 1. *D. de Religioſ. l. Julianus* 13. §. *Præterea* 22. *in fine D. de act. empti*, juncta *regula l. quod attinet* 32. *D. de reg. Jur.* Id quod ex Ariſtotele, Philone, Joſepho, & aliis Græcis, Latiniſque adſtruit operoſe Petrus Faber *lib.* 2. *semeſt. cap.* 1. *& lib.* 3. *cap.* 13. Dempſterus *ad Roſinum lib.* 5. *cap. ult.* Diſerte Hugo Grotius *lib.* 2. *de Jure bell. & pac. cap.* 19. & ante eum, Albericus Gentilis *de Jure belli lib.* 2. *cap.* 24. Waremundus Erembergius in meditamentis pro fœderibus *lib.* 2. *cap* 1. *num.* 90. *& ſeqq.* Joannes And. Quenſtedius *de ſepultura veterum cap.* 2. queis transſcribendis alii impleant paginas. Ex profeſſo Spondanus *in cœmet. ſacr. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. *& ſeqq.* nec paucis Joannes Fileſacus *lib.* 1. *ſelect. cap.* 16. Nos illud addimus, ſepulturæ Eccleſiaſticæ permiſſionem, etiam quoad Majeſtatis humanæ damnatos, eſſe politicæ permiſſionis. *l.* 1. 2. *&* 3. *D. de cadaver. punit. l. obnoxios* 11. *Cod. de Religioſ.* Gloſſa in *cap. quæſitum*, verbo *in patibulis* 13. *quæſt.* 2. Sylveſter in *Summa*, verbo, *ſepultura*, proinde & multo magis de ſepultura profana Batavis permittenda cadaveri in Conventis pacis potuiſſe, & eiſdem ſtari oportere.

10 Expendi itidem poteſt Hebræorum exemplum, apud quos, quamvis interdicta in ſacris communio cum Ethnicis, ſeu Gentilibus, non tamen negabatur eiſdem ſepultura, diſcreta ab Hebraicis cœmeteriis; atque imo pro Gentilium Hieroſolymis peregrinantium ſepulchretis, deſignatum fuiſſe agrum illum figuli, ex denariis, pro pretio Salvatoris noſtri, emptum, *Matthæi cap.* 27. *verſ.* 7. Peregrinos illic, pro Gentilibus, exponentes, cenſuerunt non pauci apud Maldonatum eo loci, Lorinum ad *Apoſtolorum Acta cap.* 1. *verſ.* 18. Spondanum *in cœmet. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 8. Sopranium *commentar. in David. digreſſione* 2. *cap.* 5. Accedit Sanctæ Eccleſiæ benigna cenſura, quæ quamquam à ſepultura Eccleſiaſtica in cœmeteriis, Catholico ritu benedictis, hæreticos ſemper arcuerit, non inhibuit tamen eiſdem, ſaltem non prædamnatis, ſeu toleratis, profanam, ſive humanam ſepulturam, extra cœmeteria ſacra, ut poſt Gloſſam Canonicam, Sylveſtrum, Cajetanum, & alios ſcribit Gregorius Sairus *in Theſ. conſc.* ſive de *cenſuris lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 11. Navarrus *lib.* 5. *conſ.* 4. *de hæretic.* & egregie *conſ.* 16. *num.* 7. ubi de Catholicis in Germania, & Gallia, ex urbanitate, comitantibus funera hæreticorum ad ſepulturam profanam. Jacob. Gretſerus *de funere Chriſtiano lib.* 2. *cap.* 4. & ex communi, ut ait Theologorum ſententia, Epiſcopus Spondan. *de cœmeter. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. Id quod in eis Provinciis, quibus hæreſis toleratur, deductum in obſervantiam eſt, aſſignato pro ſepeliendis, ut vocant, Novatoribus, & ab eis emendo agello, ſeu loco diſſito à cœmeteriis Orthodoxorum, ut de Gallia, ex illius Parlamentorum placitis, memorat Antonius Mornacius ad *leg. Oſſa* 8. *D. de Religioſ. & ſumpt. fun.* & ad *l. nemo* 14. *Cod. eod. tit.* Quo fortaſſis exemplo videbatur Politico Senatui, poſſe hoc ipſum induci apud nos, & obſervari cum Batavis, utcumque hæreticis, tamen nec denunciatis, pro excommunicatis, nec prædamnatis, ut de Novatianis habetur in *d. l.* 1. *Cod. Theodoſ. de hæretic.*

Hæc in utramque partem diſſerebantur, aut diſſeri potuere. At in Supremo Caſtellano Juſtitiæ, ut vocant, Senatu, ad quem, Regio Decreto, res delata (quomodo ad eum ardua alia, & magna negotia, circa legationes, & tractatus pacis, aut belli tranſmittuntur, ex Catholicorum Regum *lege* 8. *tit.* 4. *lib.* 2. *compilat.* ſcilicet, ut deliberent, conſulantque, & ampliſſimæ Curiæ illius Conſiliarii, *litteris & auctoritate præſtantes, qui majora ſubſellia tenent, Reipublicæ provideant*, ut de eiſdem ſcripſit Gometius Toletanus in *Hiſtor. Cardin. Ximenii lib.* 6.) cum diu, & mature deliberaretur, tandem eo res deducta (quod inter ancipitia negandi, aut concedendi perſæpe remedium eſt) ut indiſcuſſam, & dilatam certe, non aliquo Regio Decreto deciſam, quæſtionem ſciamus: & ſane quo magis, ut priſco Judiciorum verbo utar, de re ampliaretur, ſive quo minus Batavicæ inſtantiæ indulgeretur, propria nobis ob oculos jam tunc rationum momenta obverſabantur, quippe ejuſdem *Pacis Batavicæ articulo* 19. (cui immediate proximus *articulus* 18. *de ſepulturis*, de quo nunc) cavetur, ne Generalium Ordinum Bataviæ ſubditi, ſuæ, ut nominant, religionis reſpectu, aut prætextu in Catholici Regis Provinciis ſcandala ulla verbis, ſeu factis præbeant. Quod ipſum, & eodem ſenſu, exprimitur *capite* 19. *Pacis Hiſpano-Anglicæ anni* 1630. cautæ, & obſervari juſſæ, *paciferis Conventis anni* 1660. & 1667. & 1670. & ſignate magis idem in *Pace Hiſpano-Danica anni* 1640. *artic.* 4. 11

Jam eo ſuppoſito, duo, quæ executionem abſciſſam, ut expetebatur, articuli de ſepulturis, morarentur, occurrebant. Primum illud, ut quamvis nonniſi profani, & à ſacris diſcreti loci ſepulturis deſignatio petatur, verendum tamen fuiſſe, ne eo ſemel deſignato, in funere ducendo, & ſepultura Batavi alicujus hæretici, abutantur hæretici, præſertim ſi Lutherani ſint (quales multos in Batavia perſtare memorant *Relationes de illa, & finitimis Provinciis* Cardinalis Bentivollii) precibus, cæremoniis, cantilenis, aliiſque id genus ſuperſtitioſe interpolatis ritibus, quos Lutherana hæreſis retinet, exhibetque illius promptuarium exequiale, cujus Spondanus meminit *lib.* 1. *de cœmeter. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. *&* 6. & *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 3. *ex num.* 3. ſive *Agenda*, ut ab eiſdem vocatur, de quo & fuſe Gretſerus *lib.* 2. *de funer. cap.* 6. *&* 10. *ac* 11. & *lib.* 1. *de ſacris proceſſionibus cap.* 13. & ex Sectariis Andr. Queaſted. *de ſepultura cap.* 3. At vero hæc, vel ſi quæ ex eis leviſſima, Batavi Lutherani apud nos attentarent, inferrent (quod Deus avertat) pernicioſum, nec ferendum ſcandalum Hiſpanis Catholicis, contra ipſius *Pacis articulum* 19. eoſdemque in ſe, in rixas, & cædes inevitabiles commoverent: nec juvaret exemplum Galliæ, aut Germaniæ, in queis ſepulchrorum deſignatio, & funerum ritus in hæreticis tolerantur, cum hæreſis exercitio, cum è contra hæc eadem in Hiſpania nuſquam tolerata, nuſquam viſa, imo ſemper inviſa. 12

Aliud, ſive ſecundum, & verendum magis fuit, 13 quod Batavicus Legatus petebat, ut liceret ſepulturæ illius Batavi Calviniani, qui Toleti deceſſerat, lapidem ſuperimponere, ſeu Cippum cum inſcriptione, quæ memoriam, nomenque illius teſtaretur; quo ſcilicet ſemel permiſſo, illud ipſum quoad alios Batavos morituros, & ſepeliendos, in exemplum abiret. Sed verendum, ut diximus, vel magis hoc fuit, quia ſi deſignationi loci ad ſepulchra, & quidem, *commodi*, *& honeſti*, ut Latina Pacis editio habet; vel *honorable*, ut eſt in Gallica editione; vel denique, *decente*, ut in Hiſpanica, adjiciatur permiſſio erigendi Cippi, cum Inſcriptione nominis, & memoriæ Batavi hæretici, indultum erit in Hiſpania hæreticis, quod eſt defunctorum memoriæ honoratiſſimum, nempe ſepultura, non tantum humana, ſed honeſta, ſeu decens, cum ſepulchrali lapide, aut Cippo, & juxta Maronianum illud 10. *Æneidos*,

Quiſquis honos tumuli, quidquid ſolamen humandi eſt.

Ac præterea ſepulchralis inſcriptio, tituli, epitaphia, quæ defuncti hæretici nomen, memoriamque ſignent, atque ea veluti commendent, & ne de his poſteros moneant, inde enim ſepulchrali in re ortæ voces, *monumenta*, *memoriæ*, & ſimilia, de queis D. Auguſtinus *lib. de cura pro mortuis cap.* 4. D. Iſidorus *lib.* 15. *orig. cap.* 11. Atque hoc in Hiſpania erga hæreticos, quorum memoria, & nomen, Sanctæ Eccleſiæ cenſura, non tantum damnantur, ſed & delentur *in æternum*, & *in ſæculum ſæculi*, ſic exaudito illo, quod ſcriptum *Pſalm.* 9. *verſ.* 6.

14 Verendum denique & multo magis, ne permiſſa ſemel nationis, & nominis in Cippo inſcriptione, adderetur teſtatio aliqua ſectæ, ſive hæreſis, quam profeſſus, aut in qua mortuus Batavus, veluti fuiſſe illum è religione (ut Calviniani ſeſe impie indigetant) Evangelica, ſeu Reformata; aut fuiſſe ex Auguſtana Confeſſione, qui priſcis Lutheranis titulus: utracumque autem ex his teſtationibus, ſive inſcriptionibus ſepulchrali lapidi inciſa, ac proinde publica, & permanens, eſſet Catholicis graviſſimi ſcandali, & indigniſſima Rege, & Regnis, per excellentiam Catholicis. In queis ne veteris pro re obſervantiæ obliviſcamur, eo etiam tempore, quo Arriana cum Gothis hæreſis Hiſpaniam vexabat, fuit uſque adeo Hiſpanis Catholicis non ſolum cum hæreticis, ſaltem in ſacris, non convivendi, nec commoriendi, ut Tertullianus alibi loquitur *de Idololatria cap.* 14. ſed & ſe ab illis diſtinguendi cura, ut ſepulchralibus inſcriptionibus exprimerent, ſignarentque Chriſti nomen, ſicut Conſtantini Labaro ſignabatur, idque inter duas illas primam, poſtremamque Græci Alphabeti litteras Α. Ω. quibus tamquam ſignaculis, ſeu notis æqualitatis Chriſti Domini Filii cum Patre, juxta *Apocalypſis* illud *cap.* 1. *verſ.* 8. *ego ſum* α & ω *principium*, & *finis*: ſe ita crediidiſſe profitebantur, contra Arrianos, & ab eis vel in ſepulchris ſe diſcretos optabant. Nota obſervatio hæc in Hiſpaniæ Hiſtoria Eruditis, & poſt Marianam *de reb. Hiſpan. lib.* 5. *cap.* 4. ex Moralio, Padilia, & Matritenſi, apud Quintanam, Lapide illuſtrant noſtrates D. Laurentius Ramirez ad *Luitpeandum ad annum* 680. & epitaphium Gudilæ Archidiaconi; Didac. Saavedra in *Corona Gothica ſub Thuriſmundo.* Subdimus, nec diſſimile, exemplum ſepulchri illius reperti à Sancto Joſia Rege, prope fanum, ſive profanum Altare Bethel in monte, & cum titulo (qui fortaſſe Prophetam Sanctum eum fuiſſe, & hominem Dei, deſignabat) ut ab aliis Idololatriæ deditorum ſepulchris, in eodem monte extantibus dignoſceretur: quapropter & à Sancto Rege intactum, & immotum relictum, ſuccenſis, & in pulverem redactis aliis, cum ſepultorum oſſibus. Ut legimus in Sacro Textu *Regum lib.* 4. *cap.* 23. *verſ.* 16. 17. & 18. ubi alia Abulenſis *quæſt.* 24. &, poſt alios, Gaſpar Sanctius, juncto *lib.* 3. *Reg. cap* 13. *verſ.* 2. & 31. quocirca & cum eliminata Arrianorum hæreſi, ſimul cum eorum ſepulchralibus inſcriptionibus, funebris ea memoria exoleverit, ne ea rurſus, poſt tot ſæcula, in Hiſpania Batavicis epitaphiis induceretur, viſum merito fuit, Religionis, & Prudentiæ eſſe, ſalva pace, & inoffenſa, nec negata Batavis, quæ humana, & Juris Gentium eſt ſepultura, de reliquis eorum Legati poſtulatis, ampliare.

CAPUT XXII.

Ad d. l funeris 37. de Sarcophago, vectura, & munimento ſepulchri. Analectum ad l. ait Prætor 7. §. In cauſa 3. verſ. ergo D. de jure deliber.

ARGUMENTUM.

S*Arcophagi notatio, & deſcriptio ex* Plinio, & *Medicis. Plerumque pro ſepulchro, & apud* Macrum *eſt* ϑηκή, *ſive arca marmorea, lapidea, fictilis. Tranſlatio reliquiarum, aut cadaveris quando licita? Illius ſumptus, & vectura inter legitimos funebres. In* d. l. 37. §. 1. *excuſſa Florentina lectio, & Baſilicorum verſio, & exploſæ. Vulgata lectio aſſerta, & emendata.* Corpus poſitum, *ſolemnis formula in re ſepulchrali. Notata, in eam rem,* lex libertis 18. §. ult. D. de aliment. & cib. leg. Poſitus, *pro*, ſepulto, *apud Veteres paſſim. Munimentum ſepulchri* in d. §. 1. *Aggeres in* dict. leg. 5. Cod. de ſepulch. violat. *Reſcriptum Adriani* de munimento in dict. §. 1. *relatum ad viceſimam. Monumenti impenſa quænam legitima, & præferenda creditoribus, aut Falcidiæ? Emendatus Capitolinus in* M. Antonio. *Digreſſio ad* Ulpianum *in* l. 7. §. 3. verſ. ergo D. de jure delib. *Animadverſi ſimiles loci* Cincii, & Varronis: piaculi *vox, pro culpa expianda, & pro expiatione ipſa in libris Juris, & aliis. Romæ ſepulchrorum* religio, & *propria Pontificum Collegii, & Juris. Eo ex jure familia hæredis, funeſta habebatur à die mortis ejus, cui hæres. Ratio ejus juris, & effectus, & inter eos illi, ut Pontifex à funere, & hæres à ſacris arceretur, nec intra Urbem ſepelire liceret. Illuſtrata, præ aliis,* lex ſi ex re 28. §. ult. D. de ſtipul. ſerv. *Funeſta familia queis caſibus, diebus, ac ritu expiaretur. Exinde* Ulpiano *nova lux in* d. l. 7. §. 3. *verbis illis*: Item eorum, quæ ſine piaculo non poſſunt præteriri.

1 HÆc jam de funeris vectigalibus, ſeu veſtiariis ad Macrum, cui non ſatis? Sequuntur in eadem *l. funeris* 37. *Sarcophagi*, & *vectura*. Sarcophagum vocari, ἐκ τοῦ σαρκοφαγεῖν, ſive à carnibus exedendis, quod nec Accurſio, aut Alberico ignoratum, nempe lapidem ex Aſſo Troadis, quo mortuorum corpora condita, intra quadrageſimum diem, abſumuntur. Unde & σαρκοφαγία, ſeu κρεοφαγία carnium eſus, notarunt alii jam, ex Plinio *lib.* 2. *natur. Hiſt. cap.* 96. & *lib.* 36. *cap.* 17. Iſidor. *lib.* 16. *Orig.* in *cap.* 4. Dioſcoride *lib.* 5. *de medic. mater. cap.* 88. Galeno *lib.* 9. *de ſimplic. medicam. facultate.* Quibus adjicias, licet, Cornel. Celſ. *lib.* 4. *de re medica cap. penult.* ibi: *Lapis etiam, qui carnem edit, quem* σαρκοφάγον *Græci vocant, exciſus ſic, ut pedes capiat, demiſſos eos, cum dolent, retentoſque ibi levare conſuevit. Ex quo in Aſſo ſepulchra faciunt. Et lapidi Aſio gratia eſt ad juvandum.* Uſurpatur tamen frequenter pro ſepulchro, ut & Nonius Marcellus indicat in voce *capulum*, *l. libertis* 18. §. *ult. D. de aliment. vel cibar. leg.* & proprie magis pro arca, urnave fictili, vel marmorea, in qua cadavera ſupra terram detinentur, ut ſcriptum eſt in *l. omnia* 6. *Cod. Theodoſ. de ſepulchr. violat. Omnia, quæ ſupra terram urnis clauſa, vel Sarcophagis, corpora detinentur.* Et in veteri libello, oblato Septimio Severo in princ. *Cum ante hos dies conjugem, & filium amiſerim, & preſſus neceſſitate, corpora eorum fictili Sarcophago commendaverim, donicum is locus, quem emeram, ædificaretur.* Et in extremo ejuſdem libelli, in *marmoreo Sarcophago, quem mihi modo comparavi, ea corpora colligere.* Marmoream domum vocat Tibullus *lib.* 3. *eleg.* 2.

Atque in marmorea ponere ſicca domo.

Quo & reſpexit Papinius *lib.* 5. *Sylvar.* in pietate Abaſcantii, ubi ſic de Sarcophago, quo Priſcilla condita:

——— Nil longior ætas
Carpere, nil ævi poterunt vitiare labores
Siccatam membris. Tantas venerabile marmor
Sepit opes.

Ita & Sarcophagus accipitur in noſtra *lege* 37. vel pro fictili arca, vel pro marmorea, ſive, ut Cuja-

cius

ejus voluit 11. *obſerv. cap.* 21. lapidea; hæc enim ſingula complectitur Græcanicum σορὸς, quod Baſilica vertunt *lib.* 59. *tit.* 1. Unde & Σοροπηγὸς pro fabro ſandapilæ, arcæque plebeiæ, apud Pollucem *lib.* 10. *cap.* 31. Porro impenſæ Sarcophagi, de qua in *d. l.* 37. reſpondet impenſa ad marmor collocandum, apud Ulpianum in *l. & ſi quis* 14. §. *Impenſa* 4. *D. de Religioſ.* Ubi pro voce, *marmor*, reddunt σορὸν Concinnatores Synopſis *lib.* 59. *tit.* 1. *cap.* 10. Utrobique autem hæc impenſa, ſicut & vectigalium, vecturæque eſt corporis peregre mortui; id enim, ut vel ex libello Severi, quem propoſui, intelligere eſt, prius fictili Sarcophago, tamquam temporario ſepulchro commendari ſolitum, ut ab eo poſtea in marmoreum transferretur, & æternæ, ut noſtri loquuntur, daretur ſedi: quia nec aliter reliquiarum, aut corporis translatio licita, quam ſi id, temporis gratia, depoſitum, & ſupra terram urnis, vel Sarcophagis commendatum. *l.* 3. §. *Non perpetuæ D. de ſepulchro viol. l. ſi nec dum* 10. *Cod. de Religioſ.* juncta *d. l. omnia* 6. *Cod. Theodoſ. de ſepulchr. viol.* non ſi perpetuæ, & juſtæ ſepulturæ datum, niſi ex juſta, & neceſſaria cauſa, eorumque permiſſu, quibus jus eſt. *l. divi* 39. *cum l. ſeq. D. de Religioſ. l.* 1. *l. nemo* 14. *Cod. eodem.* juncta *l.* 2. *D. de cadav. punit.* Paulus *lib.* 1. *ſentent. tit.* 21. §. 1. & 4. Hujus porro translationis impenſa, facta in corpore perferendo, &, ut inquit Regia *lex* 12. *tit.* 13. *part.* 1. *E aun en fazerlos lleuarlos à ſoterrar, è mayormente quando mueren fuera de ſus logares, è los han de lleuar alla.* Et quidquid, eo nomine, vectoribus datur, quin funeris impenſa ſit, Ulpianus non ambigit in *d. l. & ſi quis* 14. §. *Impenſa* 4. *D. de Religioſ.* juncta *l. alumnæ* 30. §. *Ab hæredibus D. de adimend. leg.* eamque ipſam, vecturæ nomine, Macer intelligit in *d. l. funeris* 37.

2 Proponit tandem Macer in *d. l. funeris* 37. §. 1. Divum Adrianum reſcripſiſſe, *monumentum ſepulchri id eſſe, quod monumenti, id eſt, cauſa muniendi ejus loci, factum ſit.* Cui ſententiæ ſtatim velut objicitur quod aliis locis traditum legimus, monumentum ſcilicet eſſe rem, locumve, memoriæ cauſa, in poſterum proditum, ſive, ut exprimunt Baſilica, & ex eis Synopſis *lib.* 59. *tit.* 1. *cap.* 2. τὸ διὰ τὴν μνήμην φαινόμενον, *quod memoriæ cauſa, conſpicitur*, in quo ſi corpus, vel reliquiæ inferantur, ſepulchrum erit, ſin autem purum, vacuumque maneat, dicetur monumentum. *l.* 2. §. *monumentum. l. monumentum* 42. *D. de Religioſ.* Quibus adſtipulantur M. Varro *lib.* 5. *de lingua Lat.* Feſtus Pompejus, & Nonius Marcellus in *monimentum.* D. Iſidorus *lib.* 15. *origin. cap.* 11. D. Auguſtinus *de cura pro mortuis cap.* 4. Hæc quantum diſtent, ſive potius repugnent deſcriptioni, ac derivationi monumenti à munimento, quam ex Adriani Reſcripto Macer ſequitur, nemo non videt; ut omittam *monumentum ſepulchri eſſe*, parum concinne dici, quia ſi monumentum eſt purum, inaneque, ſepulchrum vocari non poteſt, ſi vero ſepulchrum eſſe jam cœpit, illatione corporis, aut reliquiarum, eo ipſo deſiit eſſe monumentum. *d. l.* 2. §. *Sepulchrum cum ſeq. l. monumentum* 42. *D. de Religioſ.* Itaque probo magis cum Gutherio *de jure man.* 2. *cap.* 30. & Elberto Leonino, in quem, poſt ſcripta hæc, incidi *lib.* 3. *emendat. cap.* 10. *num.* 3. vulgarium, veterumque Codicum lectionem, quæ in *d. l. funeris* 37. §. 1. ſic habet: *Munimentum autem ſepulchri id eſſe, Divus Adrianus reſcripſit, quod munimenti, id eſt, cauſa muniendi ejus loci, factum ſit, in quo corpus impoſitum ſit.* Ubi nec abſtineo, quin adnotem, pro verbis illis, *corpus impoſitum*, quæ raro, aut nuſquam in hac re uſurpantur, ſcite, noveque forſitan ſubſtitui, *corpus poſitum*, hæc enim frequens, ſolemniſque in re ſepulchrali formula. *l. libertis* 18. §. *ult. D. de aliment. vel cibar. leg.* ibi: *Quos libertos meos, ubi corpus meum poſitum fuerit, ibi eos morari jubeo, ut per abſentiam filiarum mearum ad Sarcophagum meum quotannis celebrent.* Virgil. 2. *Æneid.* (ad quem in Cerdæ notis alia non tranſcribenda.)

Sic, ô, ſic poſitum affati diſcedite corpus.

Et *lib.* 11. *Æneid.*

Corpus ubi exanimi poſitum Pallantis Acetes,
Servabat ſenior.

Petron. in *Satyr. Poſitumque in Hypogæo, Græco more, corpus cuſtodire, ac flere totis noctibus, diebuſque cœpit.* Ita & *poſitus*, pro *exanimato, ſepultoque*, ut ad illud Virgilii 4. *Æneid.*

Sic te ut poſita crudelis abeſſem.

Albinovan. in *Epiceden.*

Vix poſito Agrippa, tumuli bene janua clauſa eſt;
Perficit officium funeris ecce ſoror,

Tertullian. in *Geneſi* 1.

Hic poſitus cuſtos Adamus cum conjuge fida.

Et in veteri Inſcriptione ſepulchri Flaviæ, ibi: ET ARCAM, IN QUA POSITA EST FLAVIA SALUTARIS UXOR EJUS, ROSIS EXORNENT. Talia multa paſſim occurrent. Sed ad rem. Munimentum ſepulchri apud Macrum in *d.* §. 1. à monumento, vel ſepulchro ipſo multum diſtat, ut vel Albericus admonuit. Munimenti enim voce intelligimus parietes, quibus muniri, & circumvallari ſepulchra ſolebant. Munituram alibi dici, & Græce περιτειχισμάτων, κρηπίδων, notatum aliis. Illud nunc ego, aggeres vocari, in *l. pergit* 5. *Cod. de ſepulchro violato*, & fuiſſe plerumque illos ex puris cæmentis, ac ſine arenato congeſtis, quales olim parietes, dicti *maceriæ*, quibuſque villæ, fundi, ſepulchra, horti muniebantur, & apud Nonium in *maceria*, probat Siſenna, Siculus Flaccus de conditionibus agrorum, & ex aliis non ſemel docuit Briſſonius. Vide *l. æde* 73. §. 1. *de contr. empt. l. ſi precario* 17. *D. commun. præd.*

Plane, ne diutius viceſimæ velut obliti videamur, Adriani Reſcriptum, cujus mentio in *d. l. funeris* 37. §. 1. pertinuit procul dubio ad viceſimam (ut & inſcriptio legis ſuadet) cujus occaſione, nobile illud Edictum, Divi Adriani nuncupatum, Imperator idem propoſuit. *l. ult. Cod. de edicto Divi Adriani toll. l. ult. de appell. recip.* Nam cum dubitaretur, quando, quatenuſque impenſa munimenti ſepulchri, ante omnia, ex hæreditate præcipi, & viceſimæ præferri deberet, cui ſcilicet alios funeris ſumptus præferri conſtat, ut animadvertimus ſupra *cap.* 15. ne aut moderatæ, juſtæque munituræ ſepulcri, aut neceſſario vectigali præjudicaret, Adrianus reſcripſit, munimentum ſepulchri id eſſe, quod munimenti, hoc eſt, muniendi loci cauſa, factum eſt, in quo corpus poſitum eſt. Proinde ſi amplum quid ædificari, teſtator juſſerit, veluti in circumporticationes, eos ſumptus, funeris cauſa, non eſſe, & conſequenter nec viceſimæ præferendos; quia quamvis, privata pactione, circumſcribi non poſſit modus altitudinis, vel amplitudinis ſepulchrorum, ut vel colligitur ex *l.* 4. *D. commun. præd.* tamen nec voluntas teſtatoris circa funus ſequenda, ſi egrediatur juſtam ſumptuum rationem. *l. & ſi quis* 14. §. *Hæc actio verſ. quid ergo D. de Religioſ. l. ſervo* 113. §. *ult. D. de legat.* 1. nec monumenti impenſa inter cæteras funeris habetur, aut creditoribus, vel Falcidiæ præfertur, niſi quatenus ſufficit ad ſpeciem modicam, non, ſi modum probabilem id, quod teſtator juſſerit, excedat. *l. hæreditas* 50. §. *ult. D. de hæred. petit. l.* 1. §. *ult. cum l.* 2. *D. ad. l. Falcid. l. in teſtamento* 27. *D. de condit. & demonſtrat. l.* 12. *titul.* 13. *part.* 1. eoque referenda Antoninorum lex, quæ cavit, *ne uti quis vellet, fabricaret ſepulchrum*, ut Capitolinus in *Marco Antonio* ſcribit, cujus lectionem ſic explicandam, temere Novatores ſollicitant. At retinet, & operoſe tuetur; 3

tuetur, nobiſcum ſentiens, & triginta, & amplius annis, poſtquam hæc Salmanticæ commentabamur, commentarius Jacobi Gothofredi ad *l. omnia 6. de ſepulchr. viol. in Cod. Theodoſ.* Cæterum *porticationes* illæ, *in circum*, de quibus Macer, ſunt porticus ampliores, quas & in ſepulchris pleriſque fuiſſe, agnoſcit *lex pergit 5. Cod. de ſepulchro viol.* & quidem in circuitum, ut in vulgatis legitur, in *d. l.* 37. ſive *incircum*, geminatis præpoſitionibus, ſicut *inſuper*, *inante*, *impalam*, & alia, de queis Rævardus *lib. 3. var. cap. 3.* ita *incoram*, apud Apuleium 9. *de aſino aureo*; *inſiſteas, jubebat, incoram ſui plagas mihi quamplurimas irrogari.*

4 Sed ante funerum noviſſimum illud verbum, *ilicet*, ſignare, quæ ſingula ſcripſimus, libet, nondum fortaſſe in publicum ſcripta animadverſione, ad *l. ad Prætor 7. §. In cauſæ 3. verſ. ergo D. de jure delib.* Ubi Ulpianus, inter eas juſtas cauſas, ex quibus, deliberante pupillo hærede, & ante hæreditatem aditam deminui ex ea, ſive alienari Prætor permittit, recenſet inprimis funeris ſumptus, his verbis: *Ergo & funeris cauſa deminui permittet; item eorum, quæ ſine piaculo non poſſunt præteriri.* Eſt autem eo loci vulgata, & vetus lectio, *quæ ſine periculo non poſſunt præteriri.* At Florentina, quam & Haloander ſecutus, habet, *ſine piaculo*: nos obſervamus eamdem phraſim, ſeu formulam, in exceptionibus juriſjurandi, quo milites adigebantur, ſe die præfinita adfuturos, *niſi ſi funus familiare, feriæve denicales, quæ non ejus rei cauſa in eum diem collatæ ſint, quo is eo die minus ibi eſſet; morbus ſonticus, auſpiciumve, quod ſine piaculo præterire non liceat*: ut ex Cincio exſcribit A. Gellius 16. *noct. Atticar. cap.* 4. Jungendum, non abſimilis ſenſus, illud Varronis 5. *de lingua latin. Dies Faſti, per quos Prætoribus omnia verba ſine piaculo licet fari.* Et eodem libro poſt: *Hinc Faſti dies, quibus certa verba legitima Prætoribus licet fari ſine piaculo. Ab hoc nefaſti, quibus diebus ea fari jus non eſt, & ſi fati ſunt, piaculum faciunt.* Macrob. *libr. 1. ſaturn. cap. 16.* ubi ex eodem Varrone ſic: *Viros vocare feriis non oportet; ſi vocavit, piaculum eſto.* Notamus deinde; quod & ſcitum eſt, piaculum Latine dici, culpam, ſeu commiſſum, quod expiatione egeat, ſive pro quo expiatio debeatur, ſacrificii, vel ſupplicii, ut poſt Servium ad illud Virgilii 6. *Æneid.*

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Noſter Iſidorus *libr. 5. orig. cap. 26. in fine*, atque ita ex libris noſtris in *l. penultim. Cod. ad leg. Cornel. de ſicar. l. 1. eod. titul. in Cod. Theodoſ. l. nullus 12. de paganis. l. hi quibus 122. de Decurion. in eodem Cod. Novella Theodoſii 3. de Judæis.* Et in re ſepulchrali, apud Paulum *libr. 1. ſentent. titul. 23. §. Qui corpus, & §. Neque*: & in *l. 2. & 5. Cod. Theodoſ. de ſepulchr. violat.* quæ in *Juſtiniani Cod.* eſt *lex pergit 5. eod. tit.* Quin & piaculum vocatur ipſa expiatio, ſeu ſacrificium, quo culpæ, ſeu commiſſa expiantur, idque in re, itidem funebri, juxta illud 6. *Æneidos.*

——— *Ea prima piacula ſunto.*

Ubi & Servius: & ad Horatii illud,

Teque piacula nulla reſolvent.

lib. 1. ode 28. Helenius Acron.

5 Nunc, pro elucidando, ex antiqui Juris diſciplina, Ulpiani textu, præmittimus, pertinuiſſe à principio Romanæ Politiæ ad Collegium Pontificum Juris interpretandi ſcientiam, *l. 2. §. Deinde 6. verſ. omnium D. de orig. Juris*, & proprie principaliter in quæſtionibus de Religione, & rebus ſacris. *l. ſacra 9. §. 1. D. de diviſ. rer. l. 2. D. de in jus voc.* & de rebus ſignate religioſis, veluti ſepulchris, & funeribus. *l. hæreditas 50. §. ult. D. de hæred. pet. l. oſſa 8. D. de Religioſ. l. ult. §. 1. D. de mortuo infer.* Fuit autem, inter alias, illius Pontificii Juris veluti elementaris præceptio, aut traditio, fieri, ſive intelligi factam familiam hæredis funeſtam à die mortis ejus, cui hæres exiturus. Ut ſcripſit M. Varro, Pontifices id dicere, affirmans *lib. 4. de lingua Lat. §. Terra.* Cajus noſter in *l. ſi ex re 28. §. ult. D. de ſtipul.* ubi cum Scaligero Gothofredus. Cujus principii, ſeu præceptionis ratio ea reddi poteſt, quod, cum defuncti funeris procuratio, jure ipſo, & regulariter hæredi, etiam ante aditam hæreditatem, & ab ipſo tempore mortis, incumbat, *l. ſcriptus 4. l. ſi quis ſepulchrum 12. §. Funus 4. in fine. l. & ſi quis 14. §. Plerique 8. & §. Si quis dum 11. D. de Religioſ. l. qui erat 49. D. famil. erciſc. l. pro hærede 20. §. 1. D. de acquir. hæred. l. 1. §. Etſi 4. D. de injur.* conſequens viſum eſt, hæredem ipſum etiam ante aditionem, & à tempore mortis, ſaltem eo reſpectu, pro non extraneo haberi, & familiam ipſius pro funeſta. *dict. l. ſi ex re 28. §. ult.* juncta, & ex ejuſdem rationis filo nectenda, regula *l. omnia 193. D. de regul. Jur. l. hæres 54. D. de acquir. hæred.* Sed & fuerunt ejuſdem, ex Pontificio Jure, principii, duo primarii effectus: alter ad Pontifices proprie, & Religionem pertinens, nempe, ut, quoniam ſacrificia, ſeu rem, ut vocabant, divinam, nonniſi puris manibus, & veſte, neque funere, aut morte contaminatis tractare, fas cenſebatur, de quo in commune, & ad ſatietatem Briſſonius *lib. 1. de formulis*, & ad rem, nec in re, protritum illud Juliani in *l. pergit 5. Cod. Theodoſ. de ſepulchr. violat.* ubi de funere: *Qui enim dies eſt bene auſpicatus à funere? Aut quomodo ad Deos, & templa venietur?* Diſerte Servius ad Virgil. *Æneid. 11. verſu 2. Conſuetudo Romana fuit, ut polluti funere minime ſacrificarent.* Quam ob rem neque Pontifici Maximo, aut Diali Flamini fas erat, mortuum intueri, niſi interjecto velo, quod oculos à funere arceret, ut ex Seneca in *conſolat. ad Marciam cap. 15.* Tacito *lib. 1. Annal.* A. Gellio *lib. 10. noct. Atticar. cap. 15.* dubitante incaſſum Dione *lib. 56.* vel dupondii ſciunt, & quidem derivato, aut reperto utriuſque rei exemplo in Hebraicis legibus. Levitici *cap. 21. verſ. 1.* Numerorum *cap. 6. verſ. 9.* Ezechielis *cap. 44. verſ.* 25. Regum 4. *cap. 23. verſ. 16.* eoque alludente Hieronymo *epiſt. ad Fabiolam*: quocirca, & pro indicio funeſtæ domus, ac ne quis eam imprudens intrans attaminaretur, quoad ſacra, cingebatur funeſta domus Cupreſſo, aut Picea, ut, poſt Plinium *lib. 16. cap. 10. & 33.* Servius *ad 3. & 4. Æneidos.* Feſtus in voce, *cupreſſi*, ac prætcrea eodem reſpectu intra Urbem mortuos ſepelire, lege Duodecim Tabularum, prohiberetur, cujus meminit Cicero 2. *de legib.* ne ſcilicet *funeſtarentur ſacra Civitatis.* Ut ait Paulus *lib. 1. ſent. tit. 21. § Corpus*: junctis, in eumdem ſenſum, *l. mortuorum 12.* illic, *ne ſanctum Cod. de Religioſ. l. omnia 6.* illic: *relinquant incolarum domicilio ſanctitatem. Cod. Theodoſ. de ſepulchr. viol.* cum *l. 3. §. Divus 5. eod. tit.* conſequens eis ſingulis effectus fuit, hæredem, ejuſque familiam, utpote funeſtatam, ſeu pollutam funere, admitti non poſſe ad ſacrificia, donec expiaretur, ſeu purgaretur, ſtato ad rem ritu, de quo poſt. Alter effectus proprie juris privati, & in novum tranſacti, novioris eſt, hæredem vocari in jus non poſſe, neque moleſtari à creditoribus ſuis, vel defuncti, quamdiu funus ducit, juſtave mortuo facit. *l. 2. in fine D. de in jus voc.* & omnino intra novem dies à tempore mortis defuncti. *Novella 115. ut cum de appellat. cap. 5. §. Meminimus.* Authentica *ſed neque Cod. de ſepulchr. violat. lib. ult. titul. 13. part. 1. l. 13. titul. 9. part. 7.*

Ergo, ut propius ad rem, funeſtatæ familiæ hæredis, & domui defuncti, atque his, qui funere polluti, ut poſtea ſacrificiis intereſſe poſſent, ſolebat poſt exequias adhiberi *expiatio*, ſeu *purgatio* (in feriis, quas *denicales* vocabant, ſive *novemdiales*, quia poſt ſepultum octavo die defunctum, nono die habebantur) certo ritu per aquam, qua aſpergebantur, & ignem, quem pertranſibant; unde & ea purgatio dicta *ſuffitio*, & applicitis, ad verrendam domum, 6

mum, quibuſdam ſcopis, à queis deducta vox, *exverriæ*, & *everriatoris* nomen, quomodo hæc ſingula diſcet juventus, poſt Ciceronem 2. *de legibus*, ex locis Feſti in verbis, *aqua*, *denicales*, *everriator*, *piatrix*; Servii ad *Æneidos librum* 5. *verſ.* 56. Porphirii ad *Horatianum* illud, *novemdiales diſſipare pulveres. Epodon Od.* 17. Donati in *Terentii Phormionem*. Quin etiam, ut alias funebres expiationes adjungamus, quoties defuncto juſta rite facta non erant, aut in eis aliquatenus peccatum, & maxime ſi non integre humatus, gleba in os, aut ter pulvere cadaveri injectis manu plena, juxta Athenienſium legem, de qua Ælianus *lib.* 5. *var. Hiſt. cap.* 14. & Romana Pontificum ſcita, aliarumque Gentium, de queis *ad Maronianum verſum lib.* 6. *Aut tu mihi terram injice.* Ex Horatii *lib.* 1. *Ode* 28. *Licebit, injecta ter pulvere, curras.* Affatim Scholiaſtæ priſci, & noviores, cum crederetur, inſepultorum animas non ante quieſcere, quam ſi juſta percepiſſent, ut ex Homero, Tertullianus *lib. de anima cap.* 56. piaculum contrahi cenſebatur, & ſolebat, & debebat expiatio adhiberi, qua purgaretur, eaque ex Pontificio Jure, ſeu ritu fiebat, ſacrificio, quod vocabant, *Lare*, vervecibus; aut, ſi majus piaculum fuiſſet, mactata Cereri, & Telluri quotannis porca præcidanea, ſic dicta, quia ante novas fruges cædebatur; neque aliter hæredis familia pura erat, ut ex Varrone *lib.* 4. *de lingua*, & 3. *de vita Pop. Romani*, & Cicerone 2. *de legibus*, notat Feſtus in voce *præcidanea*, &, ex Victorino, antiquo Grammatico, Adr. Turnebus *lib.* 17. *Adverſ. cap.* 20. & A. Gellius *libr.* 4. *noct. Attic. cap.* 6. & ne Kirchmannum de *funere cap.* 1. & illius notæ alios moremur, ex Juriſperitis, Balduinus in *Juriſprudentia Mutiana pag.* 84. Rævardus ad *l. omnia* 134. *D. de regul. Jur.* Denique ſueta, ac debita expiatio, quando corpus perpetuæ ſepulturæ traditum, in aliam transferebatur ex juſta cauſa, & *ſolemnibus redditis Sacrificiis*, ut ſcripſit Paulus *lib.* 1. *ſentent. tit.* 21. *in princip.* l. 1. *Cod. de Religioſ.* id eſt, *piaculo facto*; ut Cujacius exponit *lib.* 21. *Obſerv. cap.* 13. ex vetere inſcriptione, cujus & meminit Joſephus Scaliger *lib.* 1. *Auſonianarum lect. cap.* 14.

7 Jam itaque ex tam longe petitis, quæ Salmanticæ vixdum ephebi, ac poſtea publicis dictatis, ad *Rubricam D. de acquirenda hæreditate*, præmonuimus, primi fortaſſe in alto Interpretum ſilentio, niſi ſi quis pro interpretamento habeat ſtricturam Merilii *lib.* 2. *Obſerv. cap.* 5. ad Ulpianum in *dict. l. ait Prætor* 7. §. 1. *verſ. ergo*, obſervamus, Ulpiani ſententiam eam fuiſſe, ut Prætor permittere deberet, bona hæreditaria, ante aditam hæreditatem, deminui, præter funeris cauſam, & ſumptus, etiam ad ſumptus in ſacrificiis, pro expiatione familiæ funeſtæ hæredis, quæ, poſt funus peractum, fiebant eo tempore, ritu, & caſibus, quos memoravimus, & quæ funus ſequuntur, & ab eo diſtinguuntur, ſicut funus, & juſta, apud eumdem Ulpianum in *l.* 2. *in fine D. de in jus voc.* Ubi ſcite Gothofredus *l. pro hærede* 20. §. 1. *D. de adquir. hæred.* Cujacius *lib.* 13. *Obſerv. cap.* 29. & ex eo, & aliis, Hilligerus *ad Donellum lib.* 23. *comm. cap.* 2. *litt. X.* ſic, & ſimili ſenſu in loco Cincii apud A. Gellium *lib.* 16. *cap.* 4. excuſationi ob funus comburitur, feriaſve denicalea, & quod ſequitur, *auſpiciumve*, *quod ſine piaculo præterire non liceat*, exponendum de auſpiciis, quæ expiatione egebant, quia ſacrificantibus triſtia portenderent; unde & piacularia auſpicia dicebantur, qualia deſcribit Feſtus in voce, *piacularia*, ſicut eidem Feſto *piaculares hoſtiæ*, & victimæ, & Sacra. Livius *lib.* 1. *cap.* 26. & *lib.* 29. *cap.* 19. Plautus in *Epidica actu* 1. *ſcena* 2. Varro *lib.* 5. *de Lingua Latin.* Tacitus *lib.* 1. *Annal.* A. Gellius *lib.* 4. *noct. Atticar. cap.* 6. Plinius *lib.* 3. *Epiſt.* 9. Arnobius 6. *adv. gentes:* nec piaculares hoſtias ſignis minacibus poſtulare.

CAPUT XXIII.

Immunes à Viceſima ſui hæredes; ad leg. in ſuis 11. *D. de lib. & poſthum. paraphraſtica recitatio.*

ARGUMENTUM.

AD exceptionem aliam tranſitum perſonarum, quæ à viceſima immunes, quales in primis pauperes. Immunes itidem ex ipſa Julia lege de viceſima *hæredes*, *legatariive*, *defuncto valde cognati. Enarratus* Plinius, & Dio. *Tales ſanguine, gentilitate, ſacris defuncta cum primis juncti, hoc eſt ſoli ſui hæredes. Hi proximi gentiles, & agnati, ſacrorumque familiæ ſucceſſores. Notata Celſi alluſia in* l. in fundo 38. de rei vindicat. *Deducta ex his interpretatio* Pauli *in* l. in ſuis 11. de liber. & poſthum. *Elucidata in primis* epigraphe *ejus loci. Enucleatus ſingillatim contextus* dict. l. 11. *relatuſque ad viceſimam. Otioſa fictio hæreditatis jacentis in ſuis hæredibus, propter continuationem dominii. Hi, vivo patre, domini, & quo reſpectu? Illuſtratus Lactantius. Vocantur ſui hæredes μελλητικῶς, ſive ἀναφορικῶς, in eoque Auctorum Juris ex Latio & Græcia phraſes indicatæ. Abſtinere, & filiæ loco eſſe, de uxore ſua hærede, per conventionem in manum, exaudimus. Ad* l. 14. l. Thais 40. § Stichus 14. D. de fideicom. libert. l. 1. verſ. aliis D. de act. rer. amotarum, *Conjectanea.* Pauli, Plinii *quæ ad viceſimam collimantia verba. Accurſianorum corollarium ex* d. l. 11. *laudatum. Gabellæ hæreditatum ſui hæredes non ſunt obnoxii. Veteres cives in hac re, qui cives ante nuptias, liberoſve ſuſceptos. Hi ſoli ſuos hæredes habuerunt; non item cives facti poſt nuptias, aut prolem, & quare. Enodatus non ſemel* Plinius in Panegyrico, & Epiſtolis.

1 SEd quamdiu per hanc funebrem lineam ſerram reciprocabimus? Ait ille. Revocat tertia nos, & quidem nobiliſſima quondam exceptio perſonarum, quibus immunitas viceſimæ tributa eſt. Inter eas primum occurrit jus pauperum hæredum, *ὁ καὶ πενήτων*, ait Dio *lib.* 55. quos oneri viceſimæ non fuiſſe obnoxios, ille ſubindicat, nec alia rei veſtigia in noſtris, aut externis libris extant, niſi quod ſimiliter de tenui, atque exili hæreditate conſtitutum, monuimus ſupra, *cap.* 10. Celebrius certe eſt, & explicatu dignius quod ibidem Dio teſtatur, excipi ſcilicet à viceſimæ præſtatione hæredes, legatarioſve, defuncto proxime genere junctos. Πλὴν τῶν *πάνυ συγγενῶν*, ait ille, & verbum verbo ut reddam, *valde cognati.* Idque eadem de viceſima lege Julia, cum primum ab Auguſto lata eſt, expreſſum fuiſſe, ſentire Dio videtur, nec diſſentit Plinius in *Panegyrico*, ubi exceptionem hanc Nerva, Trajanoque, qui primi, poſt Auguſtum, viceſimam reciderunt, antiquiorem eſſe ſignificat. *Viceſima*, inquit, *reperta eſt tributum tolerabile, & facile hæredibus dumtaxat extraneis, domeſticis grave. Itaque illis irrogatum eſt, his remiſſum.* Et paulo poſt: *Hæc manſuetudo legis veteribus civibus ſervabatur.* Sed, ut rem explicem, inter domeſticos, ac proxime genere junctos, eos ſolos lex excipiebat, qui ſanguine, gentilitate, ſacrorum denique ſocietate conjuncti eſſent. Quæ, ſimul collecta, ſolis ſuis hæredibus proprie conveniunt; namque & hi ſanguine, gentilitateque, præ cæteris, defuncto proximi. *l. filius* 12. *D. de ſuis, & legit. l. Juriſconſultus* 10. §. *Proximiores* 9. *D. de gradib. & affin. l. de bonis* 6. §. *Huic autem D.*

de Carbon. edicta. l. pronunciatio 195. §. *Familiæ* 2. *verſic. proprio jure D. de verbor. ſignific.* ſolique in patris ſacris, cujus in poteſtate manent, eſſe dicuntur. *l.* 3. *Cod. de ſuis & legit. hæred. l. filiæ* 12. *de collat. l. ult. Cod. de inoffic. teſtam.* quia & primi, propriique dicebantur privatorum familiæ ſacrorum, domeſtici hæredes, & paterni Penatium, ſeu Larium cultus ſucceſſores, ut ex Cicerone in *Oratione pro domo ſua &* 2. *de legibus.* Livio *lib.* 45. notatum vulgo, & reſpexit Celſus in *l. in fundo* 38. ibi: *Laribus, ſepulchriſque avitis carere debeat. D. de rei vindic.* Remiſſum itaque lege Julia viceſimæ onus ſolis ſuis hæredibus, quoniam, ut eleganter Plinius, *manifeſtum erat, quanto cum dolore laturi, ſeu potius non laturi homines eſſent, deſtringi aliquid, & abradi bonis, quæ ſanguine, gentilitate, ſacrorum denique ſocietate meruiſſent.*

2 Referri ad hanc viceſimæ exceptionem ſolet à noſtratibus, poſt Cujacium, nobilis diſputatio Pauli in *l. in ſuis* 11. *D. de liber. & poſthum.* Et quidem, ſi inſcriptionem dumtaxat ejus legis ſpectes, omnino improbabiliter; eſt enim ex 2. *libro* Pauli *ad Sabinum,* in quo non liquet, tractaſſe eum de viceſima, quin potius generaliter de ſuis hæredibus, ut ex eodem libro indicant Textus in *lege ſi quis nepotem* 10. *D. de adopt. l. penult. D. de liber. & poſth. l. ſi pater* 9. *D. de injuſto rupto. l.* 4. *D. ſi tabulæ teſt. nullæ extab. l. ſi me* 13. *D. de captiv. & poſtlim. rev. & de acquiſitione hæred. l.* 1. *l. pupillus* 9. *l. idem* 14. *l. is poteſt* 18. *l. ſi is ad quem* 22. *l. ſi ego* 26. *l. hæredi* 31. *l. & ſi ſubſtitutum* 65. *D. de acquir. hæred. l. in bonorum* 10. *D. de bonorum poſſeſ.* Ad alterutram autem partem ex his pertinere, videri poteſt, diſputatio *d. l. in ſuis* 11. quamquam ſi quis, ratione ex inſcriptionibus conjectandi neglecta, rem ipſam intueatur, perſuadebitur facile, referendam eam eſſe ad immunitatem viceſimæ in ſuis hæredibus. In his enim, ait Paulus in *d. l. in ſuis* 11. *evidentius apparet* (evidentius ſcilicet, quam in aliis liberis, non ſuis hæredibus, quibus perinde poſteriorum Principum Conſtitutionibus onus viceſimæ ex hæreditate paterna remiſſum eſt, de quo poſtea) *continuationem dominii eo rem perducere, ut nulla videatur hæreditas fuiſſe, quaſi olim hi domini eſſent, qui, vivo quoque patre, quodammodo domini exiſtimantur. Itaque poſt mortem patris non hæreditatem percipere videntur, ſed magis liberam bonorum adminiſtrationem conſequuntur.* Hæc autem ſingula proprie probant, merito ſuis hæredibus viceſimæ onus remitti, quoniam illa ſolvitur ex hæreditate; in ſuis autem hæredibus non eſt hæreditas, nempe non talis, quæ poſt mortem defuncti jaceat, ac medio tempore, donec adeatur, defuncti perſonam ſuſtineat. *l. ſi poſt mortem* 68. §. 1. *D. de leg.* 1. *l. Julianus* 86. *in fine D. de condit. & demonſtr. l. ſi optio* 13. *D. de optione, vel elect. leg.* quoniam hæreditatis ejuſce inducendæ, & Juris intellectu fingendæ ratio, ac neceſſitas ea fuit, ne medio tempore, ante quam hæres defuncto exiſtat, bona nullius ſint, ſed dominium eorum ob hæreditate retentum, deinde in hæredem transfuſum, & continuatum, nec interruptum videatur. *l.* 1. §. *Scævola D. ſi is, qui teſtam. lib. eſſe juſſ. fuer. l. denique* 13. §. *Quæſitum D. quod vi, aut clam.* In ſuis autem hæredibus neceſſaria hæc fictio non eſt, propter continuationem dominii, ut Paulus ait in *d. l.* 11. hoc eſt, quia ſtatim à parentis morte immediate continuatur in his dominium, ut Juſtinianus explicat in §. *Sui autem* 3. *Inſtitut. de hæred. quæ ab inteſt. deferuntur.*

3 Proficiſcitur vero continuatio hæc dominii in ſuis hæredibus ex eo quod, ut Paulus ſcribit, vivo quoque patre domini exiſtimantur, non quidem vere, proprieque, ſic enim duo in ſolidum ejuſdem rei domini eſſent, pater & filius, quod abſurdum. *l.* 3. §. *Ex contrario D. de acquir. poſſeſſ. l.* 5. §. *ult. D. commod.* Sed pater vere dominus, filius *quodammodo*, & Juris intellectu, vel dum unam, eamdemque perſonam patris, & filii eſſe comminiſcitur. *l. ult. Cod. de impub. l. ne cum filio familias* 16. *D. de furt. l. cum ſcimus* 22. *in fine Cod. de agricol. & cenſit. lib.* 11. Vel dum naturali ratione, parentumque voto, ad eorum ſucceſſionem, veluti debitam, ſeu potius propriam, filii vocantur. *l. cum ratio* 7. *D. de bonis damnat. l. ſcripto* 7. *D. ſi tab. teſtam. nul. extab. l.* 1. §. *Largius D. de ſucceſſ. edicto. l. ult.* §. 1. *Cod. de curator. furioſ. l. ult.* §. *Si quis vero Cod. de codicill. l. unic. Cod. de impon. lucrat. deſcript. lib.* 10. Unde κατὰ πρόληψιν, ſive, per *anticipationem*, domini, vivo patre, dicuntur, quia mortuo eo, omnimodo futuri ſunt, ut Albericus noſter notavit ex *l.* 1. §. *Domini* 7. *de Senatus C. Syllan.* Idque, collatis locis Plauti in *Aſinaria.* Terentii in *Heautontim.* Ciceron. 8. *in Verrem*, Senecæ *lib.* 2. *contr.* 9. D. Auguſtin. *lib.* 9. *confeſſ. cap.* 8. Jul. Polluc. *lib.* 3. *cap.* 8. Auſonii *eidyllio.* 3. Salviani in *Epiſt. ad Hypatium, & Quietam*, alii jam illuſtrarunt: quibus adjicio Lactant. *de vera ſapientia cap.* 29. *Cum quis*, inquit, *habet filium, quem unice diligit, qui tamen ſit in domo, & in manu patris, licet ei nomen domini, poteſtatemque concedat, Civili tamen Jure & domus una, & unus dominus nominatur.* Eademque ratione, & anticipatione ſui hæredes, quaſi proprii, domeſticique, vivi adhuc parentis hæredes appellantur, ut Juſtinianus ait, in §. *ſui autem inſtit. de hæred. qual. & differ.* Sive κατὰ ἀναφορὰν, per *relationem*, ſeu ipſius hæredes, quia ſibi ipſis ſuccedere, & dominium, quod, parentibus vivis, habuerant, continuare videntur. Unde & vocati Græcis αὐτοκληρονόμοι. Et apud noſtros Juris auctores ſtatim à parentis morte, ipſo tacitoque jure hæredes eſſe, exiſtere, deprehendi, apparere ἀναφαίνεσθαι, denique immiſcere ſe bonis, retinereque, aut abſtinere, non adire, aut repudiaſſe paſſim dicuntur. Quæ ſingula teſtimoniis firmare quid attinet? Videat cui vacat *l.* 1. §. *Qui ſunt in poteſtate D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſt. l. penult.* §. *penult. D. de bon. lib. l. in ſuis* 14. *D. de ſuis, & legit. hæred. l.* 3. §. *ult. D. de hæred. inſtit. l. ult.* §. 1. *Cod. de curatore fur. l. & ſi quis* 14. §. *Plerique D. de Religioſ. l. licet* 8. *Cod. de jure delib.* §. *extraneis Inſtitut. de hæred. qualitat. & differens.* Nemo autem, opinor, non vacabit, conſulendo, hac de re, D. Melchiori de Valentia, Primario quondam Antecceſſori, & Præceptori noſtro, poſt in Supremo Caſtellæ Senatu Conſiliario, & Collegæ, & clariſſimo ſemper Juſtitiæ, & Juris ſcientiæ Myſtæ, *lib.* 3. *Illuſtr. tract.* 3. *de jure ſuorum hæred. cap.* 2. *num.* 2. *& ſeqq.* Id unum, vel curſim, notamus, juxta paritas, propriaſque has Juris auctorum phraſes, in *l. Lucius* 14. *l. Thais* 41. §. *Stichus* 14. *D. de fideicommiſſ. lib.* abſtinendi verbum relatum ad uxorem, exaudiendum eſſe de ea, quæ per conventionem in manum mariti, ſua ei hæres, & filiæ loco erat, ut ex ſchedis noſtris, monuit noſter ſemper diſciplina, & affectu, Joannes Suarius Mendoza *lib.* 2. *cap.* 3. *ſect.* 3. *num.* 18. quomodo & Salmanticæ pridem in *extemporali recitatione ad l. rerum* 25. *D. de act. rer. amot.* de eadem uxore per conventionem, exaudivimus comparationem illam uxoris, quæ furti non teneatur, quamvis furtum faciat, ſicuti filia patri faciat, in *l.* 1. *verſ. aliis D. de act. rer. amot.* juncta *l. ſervi* 17. *D. de furtis.* Recte itaque Paulus concludit in *d. l. in ſuis* 11. ſuos hæredes, poſt mortem patris, non hæreditatem percipere, videri, ſed magis liberam bonorum, quorum ante domini, adminiſtrationem conſequi, ut proinde oſtendat, non eſſe, cur viceſimam debeant ex his bonis, *quæ nunquam ut aliena, & ſperanda, ſed ut ſua, ſemperque poſſeſſa, ac deinceps proximo cuique transmittenda, cepiſſent*; ut in eadem re Plinius ſcribit in *Panegyrico*, cujus verba Pauli ſententiæ libens adjunxi, ut appareat quam apte ſibi reſpondeant utraque, & ad eumdem veluti viceſimæ ſcopum collimant. Quapropter laudandi valde ſunt Angelus, Imola, Cumanus, & Jaſo *num.* 11. *in d. l. in ſuis* 11. Decius in *l. ult. num.* 11. *Cod. de edicto D. Adrian. toll.* Felinus in *cap.* 1. *num.* 2. *de magiſt.* Fulgoſius *conſ.* 108. *num.*

num. 3. *verſ. exempli loco*, & *conſil.* 152. Bartol. *conſil.* 229. *num.* 4. *lib.* 1. Gomez 1. *tom. var. cap.* 9. *num.* 18. Greg. Lopez in *l.* 21. *gloſ.* 4. *tit.* 3. *part.* 6. Firmian. *de Gabell.* 5. *part. num.* 15. poſt multos Tiraquell. in *l. ſi unquam in præfat. num.* 19. *Cod. de revocand. donat.* Gironda *de Gabellis* 7. *part.* §. 2. *num.* 3. qui omnes ex ſententia *dict. l. in ſuis.* 11. tametſi noſtræ viceſimæ immemores, recte intulerunt, non deberi, à filiis ſuis hæredibus ex hæreditate paterna Gabellam, quæ quibuſdam in locis, municipalibus Conſtitutionibus, ex hæreditatibus ſolvi ſolet, quamvis perperam renitatur Alexand. in *dict. l. in ſuis* 11. *num.* 5. Socio. *conſil.* 118. *lib.* 3. Hieronym. Sapia *num.* 3. & Zuchard. *num.* 35. & *ſeqq. in repetit. l. fin. Cod. de edicto Divi Adrian. toll.* Queis addeſis Mantuanum Statutum, quo immunes fiunt à Gabella, ſeu Datio, pro legatis, collaterales, defuncto juncti, intra quartum gradum, ut Cyriacus memorat *tom.* 1. *forenſ. controverſ.* 97.

4 Sed in viam, quia nec ulterius in vulgarem illam *ſuitatum*, ur loquuntur, materiam, exorbitare vacat, aut juvat. Progredior potius in enarranda exceptione perſonarum, quæ à viceſima immunes. Ergo cum, ot probavimus ſupra *hoc capite*, ſoli ſui, domeſticive hæredes à viceſimæ onere eximerentur, *lege Julia*, apparebat, quod & Plinius fatetur in *Panegyrico*, *manſuetudinem legis hanc veteribus civibus ſolis ſervari.* Jus enim ſui hæredis cum eorum dumtaxar ſit, qui in poteſtate morientis parentis primum gradum ſucceſſionis, cum ea defertur, occupant, §. *Sui autem Inſtit. de hæred. qualit.* §. *Sui autem* 2. *Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt. defer. l. lege Cornelia* 12. *D. qui teſtam. fac. poſſ.* & per poteſtatem ſacrorum, & familiæ ſocietate defuncto junguntur, ut jam monuimus, non poteſt reperiri, Jure Romano, niſi in Romanis civibus, quorum proprium eſt jus patriæ poteſtatis, familiæ, ſacrorumque. §. *jus autem Inſtit. de patr. poteſt. l.* 3. *l. patre* 8. *D. de his qui ſui, vel alieni jur. ſunt.* §. *Cum autem Inſtit. quib. mod. jus patr. poteſt. ſolv.* Et quidem veteribus, nr dixi, civibus, hoc eſt non qui tempore introductæ viceſimæ cives, ut inconſpecte Lipſius exponit, ſed omoibus, qui, antequam nuptias contraherent, liberoſve haberenr, cives Romani erant. Nam qui, contractis nuptiis, aut ſublatis jam liberis, Civitatem Romanam aſſecuti, niſi ſpecialiter juſtarum jus nuptiarum, ſive, quod idem eſt, jus connubii, quod civium Romanorum proprium, *princ. Inſtit. de nupt.* ant patriæ poteſtatis in liberos jus impetraſſent, eos, nec ſnos hæredes, nec in poteſtate habebant, ut ſignificat Plinius *lib.* 10. *epiſt.* 6. *ad Trajanum*, ibi: *Rogo ergo, ut propinquis ejus des Civitatem, Chryſippo Mithridatis, uxorique Chryſippi Stratonicæ Epigoni, item liberis ejuſdem Chryſippi, Epigono & Mithridati, ita ut ſint in patris poteſtate, utque iis in libertos ſervetur jus patronorum.* Igitur, ut ejuſdem elegantiſſimis verbis concludam, novi Romani cives, *ſive per Latium in Civitatem, ſeu beneficio Principis veniſſent, niſi ſimul* (hoc eſt uno, eodemque tempore, quo Civitatem, jura etiam poteſtatis, familiæque, & ſuorum hæredum, ſive, ut ille loquitur) *cognationis jura impetraſſent, alieniſſimi habebantur, quibus conjunctiſſimi fuerant.* Quoniam ſcilicet, mutatione Civitatis, capite mioui, & jura familiæ, ac ſuorum hæredum amittere dicebantur. §. *Cum autem Inſtit. quib. mod. jus patr. pot. ſol.* §. *ult. Inſtit. de legit. agnat. tutel. l. ult. D. de capite min.* juncto Feſto in voce *deminutus*; & conſequenter à filiis quoque ex hæreditate paterna ſolvebatur viceſima, quam utique non ſolverenr, ſi, cum Civitate, jura ſuorum hæredum impetraſſent. *Ita maximum beneficium vertebatur in graviſſimam injuriam, Civitaſque Romana inſtar erat odii, & diſcordiæ, & orbitatis, cum clariſſima pignora, ſalva ipſorum pietate, diſtraheret. Inveniebantur tamen quibus tantus amor nominis noſtri ineſſet, ut Romanam Civitatem non viceſimæ modo, verum etiam affinitatum damno bene compenſari putarent: ſed his maxime debebat gratuita contingere, à quibus tam magno æſtimabatur.*

C A P U T XXIV.

Conſtituta Nervæ, & Trajani, circa viceſimam. Ad leg. ult. D. de interrog. in jur. fact. l. unicam Cod. de impon. lucrat. deſcript. lib. 10.

A R G U M E N T U M.

PRoceſſum in eodem tractatu viceſimæ exceptionum. Prima, ex Nervæ ſanctione, inter matres, & filiot, tametſi cognationis jus, cum cives facti non impetraſſent. Quatenus hi ſub Nerva ſuccederent viciſſim. Exceptio altera in filio ex hæreditate paterna, quamvis novus is civis, modo in poteſtatem reductus. Adjectæ his à Trajano exceptiones in filiis, non ſuis hæredibus, & in patre hærede filiorum: itemque in Avio, & Avia, nepote, nepte, fratre, & ſorore invicem, etiam ſi facti hi cives ex Latinis. Panegyricus Plinii *luſtratus preſſim, & illuſtratus. An & aliæ exceptiones ab aliis Cæſaribus, incertum nobis.* Pythœi *ad* Ulpianum, *apud Ruffinum, in collatione legum Moſaïcarum emendatio rejecta, & aſſerta lectio decimæ pro viceſima, ex invulgato adhuc* Dionis Caſſii *loco. Lux illata ex propoſitis* Scævolæ in l. ult. de interrog. in Jur. *Percurſa ejuſdem legis quæſtio, relataque ad viceſimam ex conjectura. Hypotheſis noſtra cur à* Scævola *non diſcuſſa, aut deciſa, & quomodo decidenda Explanata expreſſa quæſtio apud* Scævolam, *an filius, qui ſe hæredem reſpondit, quaſi interrogatoria, creditoribus teneatur. Recepta interpretatio propoſita, ſed vix probata. Nova, noſtraque cogitatio ad* d. l. ult. & *obiter ſatisfactum Cyrillo Baſilico Scholiaſtæ. Ex confeſſione in Jure ad interrogationem unius creditoris, etiamſi Procurator Cæſaris interrogaverit, ei ſoli datur actio interrogatoria, non autem cæteris creditoribus. Comparatio viceſimæ, & ſiliquatici curialis. Quale id, & quænam lucrativa deſcriptio. Adornatur* lex unica C. de impon. lucrat. deſcript. *Relicta piæ cauſæ immunia à ſiliquatico. Juliæ viceſimariæ, & Juliæ noſtræ, Papiæque legum, συνῳδίαι, ſeu conſonantiæ celebriores. Papiæ jugum nedum libertis, & parentibus, ſed neque impoſitum ex tranſverſo proximis, intra tertium gradum.* D. Alfonſi Guillen de la Carrera *Elogium.*

1 HÆc veteris Juriſprudentiæ, circa perſonas, viceſimæ obnoxias, clauſtra, & repagula, quæ reſeraſſe nos oportuit, nt cætera commodius intelligantur. Perfregit autem primus Nerva Imperator, ſanxitque, *ut quod ex matrie ad liberos, ex liberorum bonis perveniſſet ad matrem, etiamſi cognationum jura non recepiſſent, eum Civitatem adipiſcerentur, ejus viceſimam ne darent.* Auctore in *Panegyrico* Plinio. Conſtabat ſane, filios matri ſuos hæredes non eſſe, §. *cæteri Inſtit. de hæred. qualit. l. illud* 4. §. *Ad teſtamenta D. de bonor. poſſeſſor. contr. tab. l. nulla* 13. *D. de ſuis & legit.* eoſdemque ad matris hæreditatem, aut matrem ad ipſorum bona, Nervæ temporibus, hoc eſt ante Orphitianum, & Tertyllianum S. C. non vocari, niſi per bonorum poſſeſſionem, *unde cognati*, jure proximitatis, ſeu cognationis, qua ſola inter ſe junguntur, *princ. Inſtit. de Senatus Conſulto Tertyll. l.* 1. §. *Si qua prægnans D. unde cognati.* Ulpian. in *fragm. tit.* 26. §. *penult.* & *ult.* Sed & hæc cognationis jura perire, conſtat, media capitis deminutione, qualis eſt Civitatis mutatio. §. *Quod autem Inſtit. de capit. deminut.* Duo itaque Conſtitutio Nervæ complectirur, veterique, de viceſima, legi derogans adjicir, & ut

inter matres, & liberos, quamvis jura ſuorum hæredum non ſint, viceſimæ exactio ceſſet, & ut ea ceſſet, quamvis non eodem tempore, quo Civitatem, cognationum jura impetraverint, ſi tamen ſcilicet ea poſtea conſecuti ſunt. Adjecit, tribuitque idem Cæſar eamdem immunitatem viceſimæ filio in hæreditate paterna, nempe quamvis alteruter ex his novus civis, ac non ſimul cum Civitate, jura familiæ, & poteſtatis impetraſſet, ſi modo poſtea *reductus eſſet*, ſive, ut Cujacio placitum 10. *obſerv. cap.* 23. *redactus in patris poteſtatem*, quam, mutatione Civitatis, amiſerat. Quo modo Plinii verba anarranda, quæ non ſatis ſe capere, Balduinus fatetur. Ratus eſt enim Nerva *improbe, & inſolenter, ac pene impie his nominibus*, patris, & filii, *inſeri publicanum, nec ſine piaculo quodam ſanctiſſimas neceſſitudines, veluti intercedente viceſima, ſcindi, nullum eſſe tanti vectigal, quod parentes, ac liberos faceret extraneos.*

2 Nec Nervæ Conſtituta, quæ Succeſſor ejus Trajanus mirum in modum auxit, promovitque. In primis enim voluit, nunquam ex hæreditate patris filios, tametſi emancipatos, aut alias non ſuos hæredes, viceſimam ſolvere, veteremque illam, quam & ſecutus Nerva fuerat, exceptionem, ſeu conditionem legis removit, *ſi modo filius in poteſtate patris fuiſſet, intuitus, opinor* (Pliniana verba ſunt) *vim, legemque Naturæ, quæ ſemper in ditione parentum liberos eſſe juſſit, nec uti inter pecudes, ſic inter homines, imperium valentioribus dedit.* Adſtruxit idem Trajanus, *ut quemadmodum in patris filius, ſic in hæreditate filii pater eſſet immunis, nec eodem momento, quo pater eſſe deſiiſſet, hoc quoque amitteret, quod fuiſſet*: ut præclare Plinius ſcribit, cujus verba quoniam ex *Panegyrico*, quicquid Sidonio volitum 8. *Epiſt.* 10. *incomparabili*; & quod præcipuum nobis nunc eſt, illuſtrandis his veteris Juriſprudentiæ reliquiis unica ſerviunt, volens ſubjungo: *Egregie*, inquit, *Cæſar, quod lachrymas parentum vectigales eſſe non pateris: bona filii pater ſine diminutione poſſideat, ne ſocium hæreditatis accipiat, qui non habet luctus: nemo recentem, & attonitam orbitatem ad computationem vocet, cogatque patrem, quid reliquerit filius, ſcire. Dignum ergo, Imperator, manſuetudine tua, minuere orbitatis injurias, nec pati, quemquam, filio amiſſo, inſuper affici alio dolore. Sic quoque abunde miſera res eſt, pater filio ſolus hæres; quid ſi cohæredem non à filio accipiat. Adde, quod cum Divus Nerva ſanxiſſet, ut in paternis bonis liberi neceſſitate viceſimæ ſolverentur, congruens erat, eamdem immunitatem parentes in liberorum bonis obtinere. Cur enim poſteris amplior honor, quam majoribus haberetur? Curve non retro quoque recurreret æquitas eadem?* Conſtituit denique Trajanus, ut in ſororis bonis frater, & contra in fratris ſoror, itemque avus, avia in nepotis, neptiſque bonis, & invicem illi, à viceſima dependenda immunes eſſent. Idemque juris omnibus his indulſit, *quibus per Latium Romana Civitas patuiſſet*, hoc eſt, qui ex Latinis Romani cives facti, modis illis, de queis Ulpianus in *fragm. tit.* 3. *Omnibuſque inter ſe cognationum jura commiſit.* Simul & pariter, ac more naturæ, ut quemadmodum ſi ea ſinguli impetraſſent, ſicut & impetrare à prioribus Principibus ſolebant, ita invicem ſine viceſimæ onere ſuccederent. Indignum enim, ait Plinius, Trajano viſum, *ab homine peti quod Dii dediſſent. Sorores eſtis, & frater; avus, & nepotes: quid eſt ergo cur rogetis, ut ſitis? Vobis eſtis. Læti ergo adite honores, capeſſite Civitatem: neminem hoc neceſſitudinis abruptum, velut truncum, amputatumque deſtituet: iiſdem omnes, quibus ante pignoribus, ſed honeſtiores perfruentur.* Atque hucuſque, quod ſciam, perſonarum à viceſima immunitas progreſſa, cui tamen valde adjectum, detractumque à poſterioribus Principibus, ſunt, qui divinent. Et Balduinus *libello ad leges*, & inter eas, *ad Juliam de viceſima*, hæreditatum omnium, quæ ab inteſtato obvenirent, non cepiſſe Fiſcum viceſimam, docet, cui quodammodo ſuffragatur *lex unica Cod. de imponenda lucrat. deſcript. lib.* 10. de qua poſtea. Pithæus vero *ad collationem legum Moſaïcarum tit.* 16. *§ ult. in fine*, ubi ex Ulpiano legimus: *Sed Imperator noſter in hæreditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur, eas ſolas perſonas voluit admitti, quibus decimæ immunitatem ipſe tribuit.* Pro *decimæ* voce reponit *viceſimam*, cui derogatum, ſive à qua immunes fuiſſe perſonas, expreſſas Imperatoris Conſtitutione, de qua illic, cenſet Pithæus. Nobis perincertum utrumque Salmanticæ videbatur, niſi ſi inductum forſan a M. Antonio, quem leges de viceſima hæreditatum addidiſſe, ſcribit in ejus vita Capitolinus; aſt, ut *dies diei indicat ſcientiam*, didicimus poſtea ex Dionis Caſſii excerptis, quæ *à libro* 77. *Hiſtoriæ* edidit Græce, & Latine, inter alia Conſtantini Porphyrogenetæ opera *de vitiis, & virtutibus*, ante paucos annos, Henricus Valeſius, Antoninum Caracallam vectigal decimæ, pro viceſima tam eorum, qui manumitterentur, quam legatorum, & hæreditatum induxiſſe. Id inventum, quamdiu ſubſtiterit, non diſputamus; ſatis interim ſit, juxta id, & ſuſtinendam lectionem illam, mentionemque decimæ, & intelligendam de Antonini Caracallæ Conſtitutione, qui ab Ulpiano *Imperator noſter* nuncupari ſolet, ut in *l.* 3. *l. cum hic ſtatus* 32. *D. de donat. inter.* & alibi ſæpe.

Peregi faſtidioſum nudæ pene in hac parte recitationis officium. Juvabit tamen, ſcio, vel illuſtrandæ novæ ad Scævolam notæ, *lib.* 4. *Digeſtorum in l. ult. D. de interrogat. in Jure fact.* Proponit ille ibi, *Procuratore Cæſaris, ob debitum Fiſcale interrogante unum ex filiis, qui nec bonorum poſſeſſionem acceperat, nec hæres erat, reſpondiſſe, ſe hæredem eſſe.* Quærit deinde, an quaſi interrogatoria filius, qui ſe hæredem reſpondit, creditoribus cæteris teneatur. Ego autem arbitror, ſpeciem, quæſtionemque hanc non poſſe proprie, aut eleganter magis explicari, quam ſi ponamus interrogationem illam, an hæres eſſet, factam ideo, ut liqueret, an ex hæreditate Fiſco deberetur viceſima, quod & ſingula, quæ contextus exprimit, valde ſuadent, namque & interrogavit Procurator Cæſaris, qui viceſimam hæreditatum curabat. *l. nulli* 13. *D. de tranſact.* diximus ſupra *cap.* 8. & ob Fiſcale debitum, quale fuiſſe viceſimam, ſatis liquet, inter alia vectigalia, de quibus etiam tractaſſe Scævolam, *lib.* 4. *Digeſtorum*, conjectari licet ex *l. fundus* 9. *D. de reſcind. vendit.* ac, quod præcipuum eſt, cum defuncto alii filii ſupervixiſſent, quos hæredes patri extitiſſe, Scævola, dum non negat, & ex his unum ſolum, neque bonorum poſſeſſorem fuiſſe, ait, quodammodo ſupponit, & à quibus ſingulis, tamquam hæredibus, ſi paternum Fiſcale debitum eſſet, exigi poſſet, & quidem in ſolidum jure hypothecæ tacitæ, quam in defuncti bonis Fiſcus habet. *l. aufertur* 46. *§. Fiſcus D. de jure Fiſci*, juncta *l.* 2. *Cod. ſi unus ex plurib. hæred. crediter.* unus tamen dumtaxat ex filiis, qui neque hæres, neque bonorum poſſeſſor erat, interrogatus à Procuratore Cæſaris proponitur, an hæres eſſet: quorſum quæſo? Niſi ut conſtaret, an viceſima, quam ab aliis filiis hæredibus non deberi, apparebat ex Nervæ, Trajanique Conſtitutis, deberetur ſaltem ex hæreditatis portione filii interrogati, nempe ſi eo hærede non exiſtente, ac reſpondente, ſe hæredem non eſſe, portio ejus, vel tota, vel pro parte, ad extraneum aliquem inſtitutum pertineret. Idcirco autem, ut ſuſpicor, quamvis proponat Scævola, filium reſpondiſſe, ſe hæredem eſſe, non tamen diſputat, deciditve, an interrogatoria Fiſco ipſi, ſive Procuratori Cæſaris teneatur, quia, juxta ſuperiorem hypotheſim, dubitare nemo ſanus poterat, non teneri, contra quam vulgo hactenus creditum eſt. Nam ſi, cum vere hæres, Jure Civili, eſſe poſſet, reſpondiſſet, ſe hæredem eſſe, eo ipſo pro hærede geſſiſſe, videretur. *l. ſi filius* 12. *D. de interrogat. in Jur. fact.* & conſequenter utpote filius, idemque hæres conveniri à Fiſco, ſive Procuratore Cæſaris, viceſimæ nomine, interrogatoria actione non poſſet. Si vero, cum nec hæres eſſet, nec eſſe

poſſet

poſſet Jure Civili, ut puta emancipatus filius, præteritus, aut exhæredatus, falſo reſponderit, ſe hæredem eſſe, nihilo magis ex reſponſione Fiſco tenebitur, quia interrogatoria actio eo dumtaxat caſu competit, quo, ſi verum reſponſum eſſet, directa actione, qui reſpondit, conveniri poſſet: ubi autem id, quod in confeſſionem venit, vel Jus, vel Natura non recipit, veluti ſi cum nemine, cujus nomine, de quo quis interrogatur, actio fit, aut cum eo, qui interrogatur, eſſe non poteſt, confeſſione falſa non obligatur. *l. confeſſionibus* 13. *in princip. & §. ult. l. ſi is cujus* 14. *in princ. & §. ult. D. de interrogat. in jur. fac. l. inde Neratius* 23. *§. ult. cum legib. ſeqq. D. ad l. Aquil. l.* 4. *& l. ult. D. de confeſſion.* Porro in propoſito, ſi vere filius reſpondiſſet, & hæres eſſet, viceſimæ nomine conveniri non poſſet; & omnino Jus non recipit, ut teneatur, ſive hæres ſit, quia filius etiam eſt, & conſequenter non obnoxius viceſimæ, ſive hæres non ſit, quia qui hæres non eſt, hæreditatis viceſimam debere non poteſt.

4 Hac itaque, utpote exploratiſſima, quæſtione neglecta, tractat dumtaxat Scævola, an filius, qui ſe hæredem reſpondit, quaſi interrogatoria creditoribus cæteris teneatur? In quo explicando tam veteres, quam noviores Interpretes, interque hos, tametſi acriter in Pragmaticos invectus, Faber, ſupponunt, filium hunc falſo, ſe hæredem eſſe, reſpondiſſe; quia neque hæres erat, neque eſſe poterat, utpote emancipatus, præteritus, aut exhæredatus. Ego non facile crediderim, dubitaſſe Scævolam, an qui cum hæres eſſe non poſſet, ſe hæredem reſpondiſſet, quaſi interrogatoria creditoribus cæteris teneretur ex confeſſione falſa, quam Jus non reciperet, nempe ut pro hærede haberetur qui eodem Jure hæres eſſe non poterat: argumento ex *dict. l. confeſſionibus* 13. *cum l. ſeq. l. ſi ſervus* 16. *§. ult. D. de interrogat. in Jur.* Accommodatius itaque Scævolæ verbis, qui veluti conſulto, dumtaxat exprimit, filium interrogatum, nec bonorum poſſeſſionem, facto ſcilicet, accepiſſe, neque hæredem eſſe, nempe etiam facto; arbitror, ſpeciem ponendam eſſe, in emancipato filio inſtituto, qui nec bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas petierat, neque hæres erat Jure Civili, quia nondum adierat, aut pro hærede geſſerat. Quo ſane poſito, elegans dubitandi ratio occurrit, cur filius videatur creditoribus cæteris teneri, nam cum hæredem ſe reſpondendo, pro hærede geſſiſſe, intelligatur, tenetur utique omnibus hæreditariis creditoribus, juxta *l. ſi filius* 12. *D. de interrogat.* non quidem propria, directaque interrogatoria, quæ ex confeſſione vera, vel falſa interrogati, ſoli ei datur, qui in Jure interrogavit. *l.* 4. *l. & quia* 6. *§. alt. l. ſi ſine* 9. *§.* 1. *de ætate* 11. *§. Qui interrogatus D. de interrogat. l. proinde* 25. *§. ultim. D. ad leg. Aquil.* Sed, ut Scævola ponit, *quaſi interrogatoria*, utili actione ad exemplum directæ accommodata ex perſona ejus, qui interrogavit, his, qui non interrogarunt, quorum permultum intereſt, confeſſoriam hanc eis indulgeri, ne vel cogantur probare, eum, cum quo experiuntur, hæredem eſſe, quod difficile plerumque eſt. *l.* 2. *&* 3. *D. de interrogat.* Præſertim cum Procuratore Cæſaris interrogante, quemadmodum ſi Prætor interrogaſſet, creditorum omnium nomine, interrogatio facta dici poſſit, ut omnibus proficiat. Argumento ex *dict. l. ſi ſine* 9. *§.* 1. *D. de interrogat. l. ſi curatoris* 9. *Cod. de jure deliber.* Verum alia Scævolæ ſententia, qui breviter, ut ſolet, propoſitæ quæſtioni reſpondet, filium ab his, qui in Jure non interrogaſſent, ex reſponſo ſuo conveniri non poſſe. Significat nimirum, poſſe filium, utpote eum, qui pro hærede geſſerit, à cæteris creditoribus, propriis hæreditariis actionibus conveniri (eoque uno ſuppoſito, quod Scævola pro explorato habuit, quamvis non expreſſit, fit ſatis dubitationi Cyrilli in ſcholiis *ad librum* 42. *Baſilic. tit.* 4. *in d. l. ult.* in qua, ut vel tranſiens notem, Procurator Cæſaris vocatur Catholicus, *καθολικός*, ut & paſſim in Baſilicis, unde & *Catholiciani in l. ſi quis* 9. *§. alt. Cod. de bonis proſcr.*) non poſſe tamen conveniri ex reſponſo, quoniam id ſoli Procuratori Cæſaris datum, qui, nec aliorum litigatorum nomine, tamquam Magiſtratus, aut Prætor, ſed privato reſpectu, utpote viceſimæ exactor, interrogavit, ei ſoli prodeſſe debuit, ut, ſi hæredem filium non eſſe conſtaret, alium ejuſdem partis hæreditatis ſucceſſorem, ſi viceſimæ obnoxius eſſet, conveniret. Ergo cum in perſona ipſius Procuratoris, qui interrogavit, omnino inutilis reſponſio fuerit, nec effectum ullum habuerit, aut obligationem pepererit, non poteſt filius, qui à Procuratore, qui interrogavit, conveniri ex reſponſo non poterat, ex perſona illius, ab his, qui non interrogarunt, conveniri. Eaque ſingularis, & nova reſponſi Scævolæ interpretatio eſt, quo perſæpe Practici noſtri abutuntur ad confeſſiones judiciales, quibuſcum nobis nunc conſerere manus, non vacat.

Serviant & dictis poſtremi tres Juſtinianei Co- 5
dicis libri, in quibus, vulgo in hanc rem ignota, Conſtitutio extat, ei tamen illuſtrandæ, & exceptioni huic viceſimæ, quam poſuimus, communiendæ perquam idonea. Ea eſt *lex unica Cod. de imponenda lucrativa deſcriptione lib.* 10. quæ tractat de curiali filiquatico, ſive, quod idem eſt, de vectigali quatuor ſiliquarum, quas quotannis inferre curiæ coguntur extranei, non curiales, quibus curialium bona ex lucrativa cauſa obvenerunt, & quidem olim pro ſingulis capitibus, jugiſque poſſeſſionum, quas conſecuti ſunt. *l. unica de imponenda lucrativa deſcript.* in *Cod. Theodos.* Hodie vero dumtaxat pro jugationibus lucrativis, ex *Novellis Theodoſii* 2. *tit. de his qui ſponte munus*, cujus pars extat in *d. l. unica*: eoque nomine, nempe, ut de filiquatici quantitate liqueat, Jugationum deſcriptio fit, quæ lucrativa dicitur in *d. l. unica*, cujuſque mentio in *l. ſancimus* 22. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l. nemo* 16. *Cod. Theodoſ. de agentib. in rebus. l.* 1. *verſ. quod & tunc Cod. de apoch. public. lib.* 10. quæ emendanda ex *l. ad inferiorum* 137. *Cod. Theod. de decurion.* Hæc itaque pendendi ſiliquatici ſarcina, quæ lucrativis hæreditatibus, legatis, fideicommiſſiſve, & mortis cauſa donationibus, ad viceſimæ inſtar imponitur, non irrogatur majoribus, aut poſteris, etiamſi curiales non ſint, ad quos ex aſcendentis, vel deſcendentis curialis bonis, ſimili hæreditatis, aut relicti titulo portiones pertinent, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato: ita à Theodoſio cautum in *d. l. unica.* Ratus eſt enim, ut olim Nerva, circa viceſimam, *improbe, & inſolenter, ac pene impie, parentum, & liberorum nominibus inſeri publicanum, nec ſine piaculo quodam ſanctiſſimas neceſſitudines, velut intercedente* ſiliquatico, *ſcindi, cum nullum eſſe debeat tanti vectigal, quod parentes, ac liberos faciat extraneos.* Ut eleganter in *Panegyrico* Plinius, ſive quia, ut appoſite Theodoſius in *dict. l. unica: in tam neceſſariis, conjunctiſque perſonis, ſub liberalitatis appellatione, debitum naturale perſolvitur*; etiam cum eis aliquid ſupremo judicio relinquitur. *l. nec adjecit* 9. *D. pro ſocio. l. ultim. §. penultim. Cod. de codicillis. l. ultim. §. ultim. Cod. Theodoſ. de teſtament.* & ſi ab inteſtato ſuccedunt, *maxime debiti potius ſolutio, quam muneris oblatio comprobatur, quia, non largientibus etiam dominis, ipſa propinquitatis ſerie defertur.* Juvat eamdem viceſimæ, & ſiliquatici exæquationem, quod indicavimus ſupra *cap.* 13. nimirum ex relictis, pietatis intuitu, viceſimam non detrahi. Eadem enim prorſus ratione, res ex curialium bonis, quæ vel Eccleſiis, vel aliis piis locis obvenerint, à deſcriptione, & ſiliquatico immunes ſunt. *l. ſancimus* 22. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Novella* 131. *de Eccleſiaſt. tit. cap.* 5. *§. Si quæ vero*, quæ apud Julianum Anteceſſorem, eſt *Conſtitutio* 119. *cap.* 510.

Illud, ut huic exceptioni, & primo huic capiti, 6
præcipuoque viceſimæ legis vale dicamus, breviter enarrandum ſupereſt, quibus maxime rebus, ac Conſtitutis lex iſta cum noſtris Julia, Papiaque conſentiat, quarum conjunctio, &, ut ita dicam, *συνάφεια*, ſive, *ἐναρμονία*, nos tamdiu de viceſima, commen-

rationis muneri explendo, loqui coëgit, & tranſverſum cum aliis, quorum meminimus ſupra *cap.* 7. egit Lævinum Torrentium in *commentario ad leges noſtras*, ubi legem hanc de viceſima cum Julia, Papiaque confundit, quaſi illarum caput, & partem, ſupino prorſus errore, quem in Pragmatico noſtrati Ignatio Laſſarte *de vendition. decimæ in præfat. num.* 11. & aliis ejus numeri, & notæ, moleſte minus fero. Conveniunt porro hæ leges, ac velut conſpirant non tantum tempore, & auctore, ſed etiam fine, argumentoque, materia, & exceptionibus. Nam quod ad tempus, & auctorem attinet, latæ omnes ab Auguſto, ſive ex illius ſententia, & quidem prior *Julia*, ſeu *Juliæ de maritandis Ordinibus* anno ab U. C. 725. & 736. deinde hæc *de viceſima* anno ab U. C. 757. tandemque, quatuor circiter poſt illam annis, *Papia Poppæa lex*, ut prænotavimus *cap.* 1. 2. & 7. ſed & quin finis, argumentumque omnium iſtarum legum idem fuerit, nempe ſupplendi ærarii publici, aut militaris, civilibus bellis exhauſti, nemo, opinor, ex his, quæ in ſingularum cauſis, & origine memoravimus, deinceps dubitabit. Jam & materia, modique, quibus ad eum finem utuntur, valde ſimiles, ac ſibi invicem reſpondentes. Quemadmodum enim *lex de viceſima*, materiam legatorum, ac hæreditatum in compendium Fiſci vertit, delata illi earum viceſima, ita & *Julia*, *Papiaque noſtræ*, in hæreditatibus, & legatis caducorum, & ereptitiorum obſervationem introduxerunt, quibus Fiſcum ditarent. Deinde ſicut viceſima à ſuis hæredibus, itemque liberis, & parentibus, fratribuſque & ſororibus invicem ſuccedentibus non ſolvitur, ſic & caduca liberis, aut parentibus, intra tertium gradum, hæredibus inſtitutis, legatove honoratis, omnino ceſſant, quoniam illis antiquum jus intactum conſervavit *lex Papia*, & jugum ſuum imponere erubuit. *l. unic.* §. 1. *Cod. de caduc. toll.* nec, ut refractariorum vulgus contendit, illis dumtaxat, ſed etiam aliis genere proximis intra tertium gradum, ut rectiſſime primus, inter noſtrates, docuit circa interpretationem *l. ſi is qui ex bonis 6. D. de vulgari*, D. D. Alphonſus Guillen de la Carrera, Clariſſimus Præceptor meus, imo Primarius non Academiæ, ſed Hiſpaniæ noſtræ, quo illuſtriorem Anteceſſorem, graviorem Juriſconſultum, ſanctiorem Conſiliarium ætas iſta non vidit, non videbit; ita, inquam, ille in *electiſſimis commentariis*, quos dictabat ad *legem unicam Cod. de caduc. tollend.* Denique quemadmodum lex de viceſima, ne mora eidem fieret, teſtamentum ſtatim aperiri voluit, auctore Paulo *lib.* 4. *ſentent. tit.* 6. §. *ult.* ita & ab apertura Tabularum, caducorum ſpecies ſumpta. *l. unic.* §. *Et cum lex Cod. de caduc. toll.* unde & de illa extant Juriſconſultorum fragmenta, inſcripta ad *leges noſtras in titulo D. quemadm. teſtam. aperiantur.*

CAPUT XXV.

Secundum Juliæ de viceſima caput, & auctarium Edicti Adriani. Ad Paulum libr. 4. ſent. tit. 6. §. ult. Macrum in l. mille 154. D. de verbor. ſignificat.

ARGUMENTUM.

Cautio altera legis viceſimariæ de apertura tabularum. Neceſſaria hæc, ne mora vectigali fiat. Expoſitus, emendatuſque Paulus d. tit. 6. §. ult. *ſubaudienda inibi ἐλλειπτικῶς* vox potius, *ſive* tam. *In poſtrema hac notatus* Helleniſmus *ex* l. ult. D. de condict. ſine cauſa; cum aliis. *Vindicata huic capiti ex* Macro lex mille 154. D. de V. S. *Abſenti ad aperiendas tabulas, poſt reditum, tres dies dati, aut quinque. Sed & dinumerata, ad redeundum, vicena millia paſſuum in dies ſingulos. Ea occaſio quæſtionis apud* Macrum. *Miliarium Romæ, qualis columna? Alia eidem fini, Conſtantinopoli, quæ milium dicitur,* in l. 12. §. 6. Cod. de ædific. priv. *Aliud item miliarium ſeptimum* Juſtiniani. *Aliud denique, & diverſi uſus miliarium, cujus mentio in* l. cum aurum 19. §. ſi cui eſcarium verſ. forte D. de auro & arg. leg. *Fuit hoc vas aquæ calidæ parandæ. Illuſtrata* lex cum de Lanionis 18. §. item cacabos D. de inſtructo, *ſimulque veteres alii Scriptores. Propoſita dubitandi ratio ad* d. l. mille 154. *ſuburbiorum Romæ procurſus.* Balduinus Macrum *corripit, corrigit* Gothofredus. *Uterque exſibilatus, &* Macer *defenſus. Ei, qui Roma abeſt, dinumerantur mille paſſus non à ſuburbiis, ſed à miliario, & quare?* Mantiſſa legis de viceſima *ex* Edicto Adriani. *Ejus Edicti cauſæ, capitaque. Primum de teſtamenti apertura intra tres dies, aut quinque. Exponitur* lex ult. Cod. de Edicto Divi Adr. l. ult. de appellat. recip. & aliæ. *Caput aliud* Edicti, *de mittendo ſtatim hærede in poſſeſſionem, nec recipienda appellatione in contrarium. Revelatus Tribonianiſmus in* l. quiſquis 6. Cod. quorum appellat. non recip. *& in* l. ult. Cod. de Codicill.

1 BReviores erimus in ſecundo enarrando viceſimæ legis capite; namque & rariora ejuſdem in libris noſtris extant veſtigia. Auctorem ejus, fundumque, ut Veteres ajebant, Paulum damus, qui *lib.* 4. *ſentent. tit.* 6. *de viceſima* §. *ult.* ita ſcribit: *Teſtamentum, lex, ſtatim poſt mortem teſtatoris aperiri voluit; & ideo quamvis ſit Reſcriptis variatum, tamen à præſentibus intra triduum, vel quinque dies aperiendæ ſunt tabulæ; ab abſentibus quoque intra eos dies, cum ſupervenerint.* Intelligit, ut recte Balduino, Cujacio, & aliis notatum, legis nomine, Paulus, legem viceſimam hæreditatum, ad quam 6. *ſententiarum*, inſcriptus titulus, quæque opportune cavit, teſtamenti tabulas ſtatim aperiri, ſcilicet, ut quamprimum liquere de viceſima poſſit, nempe an debeatur, & qualis quantaque, & à quibus exigenda, quæ ſingula ex genere hæredum, & legatorum, teſtamento nuncupatorum, ſunt æſtimanda, rurſuſque ut nec hæredibus ipſis aperturæ tabularum dilatio moram faciat, nec legatariis, aut manumiſſis eodem teſtamento, quos plerumque de jure relictorum incertos eſſe, clauſis adhuc teſtamenti tabulis, neceſſe eſt. Expreſſit hanc hujuſce capitis rationem Paulus *d.* §. *ultimo* ibi: *Neque enim oportet, teſtamentum hæredibus, aut legatariis, quam neceſſario vectigali moram fieri:* Ubi non invitus, orationi componendæ legerim, cum Cujacio, *teſtamento:* ut proinde ſententia ſit, idcirco ſtatim tabulas aperiri, quia non magis oporteat, ſive æquum ſit, teſtamento, ſcilicet clauſo, hæredibus, legatariis, aut libertatibus moram fieri, quam neceſſario vectigali (nempe viceſimæ, quam, communi utilitate cogente, inſtitutam fuiſſe Plinius ſcripſit in *Panegyrico*) ſive quis non oporteat per cauſam teſtamenti clauſi, tam hæredibus, legatariiſque, & libertatibus moram fieri, quam neceſſario viceſimæ vectigali. Subaudienda certe in Pauli contextu vox *potius*, ſive *magis*, ut Cojacius vult, aut, ſi quis ita malit, vox *tam*. Frequens enim eſt non auctoribus dumtaxat noſtris, ſed & exteris, Latinorumque optimis, Græcanicum, ſive Hebraicum dicendi genus, quo voces iſtæ ſubticentur, & ſupplendæ ſunt in his locutionibus, *illud, quam illud:* ac, ut de primis illis *potius*, *magis*que nunc ſileam, de quibus multa Ant. Auguſtin. *lib.* 4. *emendat. c.* 8. quibus plura ipſe addam, omiſſum illi Terentii Clementis teſtimonium exponens, *lib.* 2. *ad leg. Juliam, & Papiam*, in *l. iniquiſſimum* 5. *D. de juris, & fact. ignor.* Quod ad vocem, *tam*, attinet, præter Veterum locos, in hanc rem, aliis notatos, quales ſunt in

in *l. pro hærede* 20. *in princ. D. de acquir. hæred. l. his verbis* 102. *D. de legat.* 3. *l.* 3. *verſ. & ideo D. de aliment. & cib. legat.* ſubaudienda etiam eſt in *leg. ult. D. de condict. ſine cauſa*, ibi: *Non turpem cauſam in propoſito, quam nullam fuiſſe*, hoc eſt, *non tam turpem, quam nullam*, quemadmodum, hujus Helleniſmi immemor, Haloander edidit; ſic & apud Terentium in *Eunucho*:

Utinam invenire facile poſſit Phædra, quam hoc peribit.

Hoc eſt *tam facile, quam.*

2 Pertinet ad hoc caput Macri locus (tametſi cum ad uſum Byzantini fori parum conduceret, in Græcanici Juris Eclogis prætermiſſus) ex *lib.* 1. *ad legem viceſimam*, in *l. mille* 154. *D. de V. S.* Cujus quæſtio eſt de dinumeratione mille paſſuum, utrum à continentibus ædificiis, an aliunde ea incipere debeat, non alia, ut eruditioribus placuit, occaſione, niſi quia cum caput hoc legis viceſimæ, de teſtamenti tabulis ſtatim aperiendis, ita poſt multas varietates, Reſcripta Principum frequentius accepiſſent, ut aperiri tabulas oporteret, à præſentibus quidem intra tres dies, aut quinque; ab abſentibus vero intra eoſdem dies, poſtquam rediiſſent, ut ex Paulo didicimus *d. lib.* 4. *tit.* 6. §. *ult.* conſequens etiam erat, juxta receptam Regulam Juris, abſenti ad redeundum viginti millia paſſuum in dies ſingulos dinumerari, *l.* 3. *D. de V. S. l.* 1. *D. ſi quis caution. l.* 2. §. *ſi præſes D. quis ordo in poſſeſſ. ſerv. l.* 13. §. 1. *ad finem D. de excuſat. tut.* & ex *lib.* 6. Ulpiani *ad legem Juliam, & Papiam. l. ſi cui* 38. §. 1. *D. ex quib. cauſ. major.* Hos itaque mille paſſus, ſive milliaria ad redeundum, &, ut vulgo vocamus, *millas*, ei qui Romæ abfuerit, numerari vult Macer, *non à milliario Urbis, ſed à continentibus ædificiis*, quomodo Florentinæ Pandectæ præferunt in *d. l. mille* 154. quamvis in vulgatis legatur, *non à muro Urbis. Milliarium* fuit columna aurea, ab Auguſto ſtatuta in Romani fori capite, ſub ædem Saturni, juxta vicum Jugarium, in quam omnes Italiæ viæ terminabantur, & incipiebant, & à qua itinerum ſumebatur dimenſio, quæ eidem columellæ inciſa, ut ex Dione *lib.* 54. *Hiſtor.* Plutarcho in *Galba*, Plinio *lib.* 3. *natur. Hiſtor. c.* 5. Tacito *lib.* 1. *Hiſtoriæ*, Suetonio in *Othone*, *cap.* 6. Pub. Victore *de Regionibus urbis Romæ.* Scitum jam vulgo (ut præeunte Antonio Auguſtino 4. *emendat.* 67. notarunt noviores Cujacius, Fornerius, Albericus Gentilis, & ſi qui alii ad *d. l.* 154.) illud tam vulgatum fuiſſe Conſtantinopoli, ſeu novæ Romæ columnam ſimilem, quæ milium, ſeu miliarium vocatur, Conſtitutione Zenonis, quæ extat in *l.* 12. §. 6. *Cod. de ædific. privat.* Hujus in milii fornice columnas Conſtantini, & Helenæ, ſimulque crucem, & genium Urbis collocat Suidas in voce Μίλιον. Et ex eo, & aliis, Petr. Gyllius in *Topograph. Conſtantinop. lib.* 2. *cap.* 23. Fuiſſe item milliarium ſeptimum, cujus mentio in ſubſcriptione *l. ſancimus* 22. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* & in aliis Conſtitutionibus Juſtiniani, de quo, poſt Cujacium 20. *obſerv. cap.* 3. erudite Joſephus Exea noſter, paterno, & proprio affectu, & merito, & ſcientiſſimi parentis dignus filius in *Recitatione ad leg. unic. Cod. de Palatiis.* Diverſum ſane ab his milliarium argenteum, cujus mentio in *l. cum aurum* 19. §. *Si cui eſcarium verſic. certe. D. de auro, & arg. leg.* Eſt enim ibi miliarium vas altum, ſive longum, & anguſtum, ad aquæ calidæ paraturam idoneum, ut fere his ipſis verbis deſcribit Athenæus *lib.* 3. Julius Pollux *lib.* 3. *Onomaſtic.* & ex Catone *de re ruſtica cap.* 20. 22. & 135. & Palladio *lib.* 5. *tit.* 8. *de apibus*, expoſuit jam olim in *annotationibus ſuis* Beroaldus, cui Nebriſſenſis, & Accurſii errorem in hac re immerito Cujacius exprobrat *lib.* 2. *obſerv. cap.* 6. &, ante Cujacium, in Gallia Lazarus Bayſſius *libello de vaſculis ad tit. de auro, & arg. leg.* Miliarium hoc veteres Gloſſæ θερμαντήριον vocant, noſtri frequentius *aheman*, quod ſupra focum pendet, & in quo aqua ad potandum calefiebat. Ut ſcriptum eſt in *l. cum de lanionis* 18. §. *Item cacabos D. de inſtructo, & inſtrum. leg. l. ſed addes* 19. §. *Illud in fin. D. locati. l. ſi venditor.* 38. §. *ult. D. de action. empt.* & inſtrumento balneatorio, vel coquinatorio legato continetur. *d. l. cum aurum* 19. §. *Si cui eſcarium. l. quæſitum* 12. §. *Et molas* 10. *D. de inſtructo, & inſtrum. leg.* Paulus *lib.* 3. *ſentent. tit.* 6. §. *Inſtrumento balneatorio.* Meminerunt miliarii in hoc ſenſu, præter laudatos, Seneca *lib.* 3. *natur. quæſt. cap* 24. & *lib.* 4. *cap.* 9. Columella *lib.* 9. *cap.* 14. & *epigrammatii hujus* Auctor Nicarchus *lib.* 2. Ἀνθολογίας *cap.* 35. εἰς μιλιάριον.

Ἠγόρασας χαλκοῦν μιλιάριον Ἡλιόδωρε.

Quod ſic ad verbum fere vertebam.

Æreum aquæ calidæ vas, Heliodore, paraſti.

3 Sed, ut ad Macrum in *dict. l. mille* 154. regrediamur, dubitandi ratio ex propoſitis, non tantum quærendi, liquebit ſatis. Nam cum ad Miliarium Romanum itinerum, & milliariorum omnium menſura, ratioque dirigeretur, videbatur etiam, milliariorum ad reditum computatio inde iniri debere potius, quam à continentibus ædificiis, maxime cum Romana hæc ſuburbia, Oſtiam uſque, &, ut Ariſtides in laudibus Romæ ſcribit, *ad mare ipſum*, per quindecim circiter milliaria, porrecta, ſimulque ipſi Urbi adhærentia adeo, & connexa eſſent, ut cognoſci non poſſet, ubi Urbs deſineret, atque ubi inciperet, ut Dionyſius memorat *lib.* 4. *Antiquit. Et expatiantia tecta multas addere Urbes videntur.* Ut exaggerat Plinius *lib.* 3. *natur. Hiſtor. cap.* 5. Ut proinde ei, cui uſque ad prima Romæ continentia, dies ſinguli ad Vicena millia paſſuum dinumerati fuerant, ſupereſſe adhuc poſſent Vicena, plurave milliaria uſque ad Romanum Forum, vel locum alium, ubi aperiendæ tabulæ (de quo Paulus *lib.* 4. *ſentent. tit.* 6. §. 1.) iniquumque videatur, non ei ſpatio emetiendo idoneum tempus tribui. Qua conſideratione Balduinus, & cogitans Albericus Gentilis duram, ſtrictamque Macri interpretationem pene fatetur, & Fiſci potius cauſam agere, quam æquitatis. Nec lenior Gothofredus, qui eadem forſitan conjectatione, inverſum Textus ordinem eſſe putat, & ſic reponit: *Mille paſſus non à continentibus ædificiis, ſed à miliario Urbis numerandi ſunt.* Sed ſua, probaque receptæ Macri lectioni ratio conſtat; nam cum vulgo dicatur Romæ, aut alterius Urbis, adjecto proprio nomine, appellationem non niſi continentibus ædificiis finiri, *l.* 2. *in princ. l. ut Alfenus* 87. *D. de V. S. l.* 4. §. *Si ita D. de penu legata. l. uxorem* 41. §. *Legaverat. l. cui quæ Romæ* 84. *D. de legat.* 3. *cap. ſi civitas* 17. *de ſentent. excommunic. lib.* 6. conſequens etiam eſt ei, qui Roma abeſt, ut Romam redeat, Vicena in dies ſingulos milliaria, non à milliario Romæ, ſed à continentibus ædificiis numerari debere; præſertim cum ex quotidiana conſuetudine, quæ in his plurimum valet, ut in *dict. l. Alfenus* 87. enim de computatione milliariorum, quibus una Urbs ab alia diſtat, ſermo fit, propria earum nomina exprimamus: nec dicamus ab Urbe, ſed à Roma Capuam, & ſic ſimiliter, ut in *Itinerario Antonini.* Nec ad rem Balduini conſideratio pertinet, cum ei, qui continentia Romæ attigit, adhuc tres, quinqueve dies ad aperturam tabularum ſuperſint, quos abſenti, poſtquam ſupervenit, indulgeri placuit: teſte Paulo *dict. lib.* 4. *ſentent. tit.* 6. §. *ult.*

4 Porro hujus capitis nobile auctarium fuit famigeratum illud, ut vocant, Divi Adriani Edictum, quod ſub occaſione viceſimæ partis hæreditatum introductum, teſtatur Juſtinianus in *l. ult. Cod. de Edicto Divi Adr. toll.* cujuſque ambages multas, difficultates, & indiſcretas narrationes, ſimul his, quæ circa repletionem, vel interpretationem illius Edicti promulgata ſunt, antiquare, & quieſcere vult, inducto,

ducto, ſua Conſtitutione, novo remedio, quo ſcriptus hæres in poſſeſſionem hæreditatis mittatur, quodque apud nos ſubſequitur, paucis additis, *Soriana*, ut vocant, *lex 3. tit. 13. lib. 4. compilat.* Nos inſtituti memores, in veteris Juriſprudentiæ gratiam, quæ ſuperſunt Adriani Edicti veſtigia, paucis notabimus. Ergo Adrianus, cum poſt Trajanum, cui ſucceſſit, valde ab illo acciſam viceſimam tueri vellet, pleraque propoſito Edicto comprehendit, aperiendis teſtamenti tabulis, & miſſione hæredis in poſſeſſionem, quo ſcilicet ab eo Fiſcus citius viceſimam capere poſſet, non, ut pro ipſa miſſione viceſima ſolveretur, ut poſt Accurſium, verbis potius, quam re diſſentientes, hallucinantur Bartolus, Caſtrenſis, & alii in *d. l. ult.* Habuit tamen hac ipſa in re Adrianus rationem, & hæredis inſtituti, & favoris ultimarum voluntatum, quas exitum habere, publice expedit. *l. vel negare 6. D. quemadmod. teſtam. aperiant. l. 1. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Unde & quædam ex Edicto Adriani, quæ non tam metum viceſimæ jam abolitæ favorem, quam hæredis etiam, & teſtamenti cauſam reſpicerent, Juſtinianus eo ſublato retinuit, & in Conſtitutionem ſuam transfudit. In primis autem eo Edicto cautum, teſtamenti tabulas, poſt teſtatoris mortem, ſtatim aperiri, confirmata ſic, & expoſita viceſimæ legis ſanctione, ut intra tres, aut quinque dies poſt mortem teſtatoris, apertura ſequeretur, ut ait Paulus *d. lib. 4. ſent. tit. §. ult.* & ut à Magiſtratus Decreto de aperiendis tabulis, appellatio non recipiatur, quia nec dilationem res recipit, quod ab Adriano conſtitutum dicitur, à Triboniano ex Paulo proponitur in *l. ultim. D. de appellat. recip.* Concinunt *l. quiſquis 6. Cod. quorum appellat. non recip. l. quiſquis 26. Cod. Theodoſ. eod. tit.* cujus & Gratianus commeminit in extremo *cauſæ 2. quæſt. 6.* Sed & quod ad miſſionem in poſſeſſionem attinet, conſtituit Adrianus, hæredem petentem, ſtatim in poſſeſſionem mitti, ut in *Novella 1.* Valentiniani *de teſtament. l. filiam 56. D. ad Senatus Conſ. Trebell.* Neque provocationem recipi, ſi quis ideo appellaverit, ne ſcriptus hæres in poſſeſſionem inducatur. Idque etiam Adriani Conſtitutis adſcribendum eſt, apud Paulum in *dict. l. ult. D. de appel. recip.* & confirmatur in *d. l. quiſquis 6. Cod. quorum appellat. non recip.* ubi Tribonianus loco illorum verborum, *hæredes Edicti, per Divum Adrianum conditi, beneficium conſequantur*, quæ Theodoſianus Codex agnoſcit in *d. l. quiſquis 26. eodem tit.* hæc repoſuit, *hæredes in poſſeſſionem mittantur*, ut, ſententia Edicti retenta, memoriam ejus, utpote à Juſtiniano ſublati, diſſimularet. Quemadmodum, eodem quoque reſpectu, ut poſt Cujacium Giſſanius, & uterque Gothofredus, Dionyſius & Jacobus, prænotavere, mentio Edicti Divi Adriani, quæ extat in *l. ult. Cod. Theodoſ. de teſtam.* ibi: *Aut certe ex Edicto Divi Adriani ſe mitti ad poſſeſſionem ex more, petierit.* Suppreſſa, expunctaque eſt Juſtinianei Codicis concinnatoribus, in eadem conſtitotione, quam habemus *in l. ult. Cod. de Codicill.* hæc, præter Adriani Edicto comprehenſa, probabili conjectura creditur, quæcumque Paulus memorat, *lib. 3. ſent. tit. 5. §. Sive falſum, cum ſequentibus*, uſque ad tituli calcem. Ea nunc properantes nos non morantur, quia & alius, altioriſque inſpectionis, & à Cujacio exacte enodata in *Recitationibus ad titulum Cod. de Edicto Divi Adriani tollendo.*

CAPUT XXVI.

Viceſima quamdiu manſerit, quando deſierit. Ad leg. ult. in princip. Cod. de Edicto Divi Adriani.

ARGUMENTUM.

Diſſertationis noſtræ, & Viceſimæ finis. Num abolita ea à Gratiano? Examinata Alciati affirmatio, & exploſa. Auſonii elegans locus perpenſus, & expoſitus. Indulgentia reliquorum frequens Cæſaribus. Condonavit viceſimæ reſidua Trajanus. Perennavit ſaltem viceſima ſub Antoninis, etiam poſt Caracallam, & circiter ad Gratianum uſque. Obſervata in eam rem ignota eruditioribus Inſcriptio vetus. Exolevit viceſima ante Juſtinianum. Illam hodie non, niſi inique, poſſe reduci, contendunt claſſici. Sed immerito, ſi inducatur modo, & more legitimo. Libri, & commentationis concluſio.

1 PErducta jam, ut dicitur, ad umbilicum hæc de lege viceſima hæreditatum diſſertatio, ejuſque pars hæc poſtrema vides finem, metamque ſuam in ipſo vectigalis, de quo loquuti hactenus, fine. Ergo Julia lex de viceſima hæreditatum, cujus originem, progreſſumque, quatenus per antiqui Juris tenebras licuit, elucidavimus; quando deſierit, vel abrogata, vel abolita, non ſatis conſtat. Alciatus *lib. 3. diſpunct. cap. 6.* cujus auctoritas alios decepit, à Gratiano ſublatam fuiſſe, ſcripſit, idque Auſonium teſtari in *Gratiarum actione pro Conſulatu.* Sed Alciatum falſimoniæ Cujacius inſimulat, ad Paulum *4. ſentent. tit. 6.* adjicitque, ſolere eum auctorum teſtimoniis abuti, eorumque verba inique, illiberaliterque ad ſui animi ſententiam commutare. Auſonii elegantiſſimus locus, quem reſpexiſſe Alciatus, & Cujacius videntur, ſic habet: *Vel illud unum cujuſmodi eſt de condonatis reſiduis tributorum? Quod tu quam cumulata bonitate feciſti? Quis unquam Imperatorum hoc Provinciis ſuis, aut uberiore te indulgentia dedit, aut certiore ſecuritate proſpexit, aut prudentia conſultiore munivit? Fecerat & Trajanus olim, ſed partibus retentis: non habebat tantam oblectationem conceſſi debiti portio, quanta ſuberat amaritudo ſervati. Et Antoninus indulſerat, ſed Imperii, non beneficii Succeſſor invidit, qui ex documentis, tabuliſque populi condonata repetivit. Tu argumento omnia flagitandi, publicitus ardere juſſiſti. Videre in ſuis quaque foris omnes Civitates conflagrationem ſalubris incendii. Ardebant ſtirpes fraudum veterum, ardebant ſeminaria futurarum. Jam ſe cum pulvere favilla miſcuerat: jam nubibus fumus inoleverat; & adhuc obnoxii in paginis concrematis, ductus apicum, & ſeſtertiorum notas cum titubantia, & trepidatione cernebant.* Adſcripſi integrum locum, quoniam & digniſſimus, qui memoriæ Politicorum noſtratium hæreat, & ut ex eo liqueat, non de ulla abrogatione viceſimæ, aut alterius vectigalis Auſonium loqui, ſed de indulgentia reliquorum, quam plerumque, Provincialibus exhauſtis, elargiri Romani Cæſares ſoliti, ut in *titulo de indulgentiis debitorum in Cod. Theodoſ.* & in *Novellis* Valentiniani, itemque Majoriani *eodem titulo. Novella* Tiberii 163. inter Juſtinianeas *de relevatione tributorum cap. 2.* Nec de ſpeciali remiſſione reliquorum viceſimæ, ſed generaliter de condonatis reſiduis tributorum. Sane quod de Trajano Auſonius ſcribit, & errandi forſitan cauſam Alciato dedit, exponendum omnino eſt ex eo, quod de eodem Plinius memorat in *Panegyrico*, remiſiſſe illum, ſcilicet, reliqua viceſimæ debitæ ex his cauſis, in quibus ei derogaverat, non ex aliis, atque ita non omnino, ſed partibus retentis. *Additum eſt*, inquit, *ut qui ex ejuſmodi cauſis in diem Edicti viceſimam deberent, nondum tamen intuliſſent, non inferrent. At in præteritum ſubvenire ne Dii quidem poſſunt. Tu tamen ſubveniſti, caviſtique, ut deſineret quiſque debere quod non eſſet poſtea debiturus. Idem feciſti, ne malos Principes habuiſſemus, quo ingenio ſi natura pateretur, quam libenter tot ſpoliatis, tot trucidatis ſanguinem, & bona refudiſſes?*

refudiſſet? Vetuiſti, exigi quod deberi, non tuo ſæculo, cœperat. Alius, ut contumacibus iraſceretur, tarditatemque ſolvendi dupli, vel quadrupli irrogatione mulctaret: tu nihil referre iniquitatis exiſtimans, exigas quod deberi non oportuerit, an conſtituas, ut debeatur. Plura ad hunc locum Lipſius, quem non tranſcribo, contra Scaligerum *lib. 2. Auſonian. lect. cap.* 15. Cujacius *ad tit. Cod. de Edicto Divi Adriani tollendo ad finem.*

2 Plane utcumque non conſtet, viceſimam Gratianum ſubſtuliſſe, incertumque etiam ſit, quis eam ex poſterioribus Cæſaribus amputaverit (in quo tamen non deſunt, qui ex ſingulorum Principum moribus ingenioſe, ſi Diis placet, divinent) illud mihi ſat liquet, manſiſſe illam ſaltem uſque ad Gratiani circiter ævum, & quidem non ampliorem viceſima, ut Macri, Paulique *fragmenta*, & Lampridii in *Heliogabalo*, Capitolini in *M. Aurelio*, teſtimonia evincunt, & ad eorum ſæculum referenda marmora, quorum meminimus ſupra *cap.* 9. & 13. atque ita etiam ſub Antoninis, & incremento illo, ac mutatione viceſimæ in decimam, cujus auctor Antoninus Caracalla, & de quo ſupra ex Dione *cap.* 24. poſt inde à clementioribus Cæſaribus abrogato, & viceſima retenta. Certe adhuc ſub Valente, Gratiani patruo, in uſu fuiſſe viceſimam, & à Procuratoribus XX. ut ſcribebant, HÆR. exactam, didici ex *Inſcriptione veteri*, quam Alciato, Cujacio, Lipſio, & aliis non uſam, certe prætermiſſam in hac re, miror. Profert illam ex Onuphrio Panvinio Smetius 3. *ordine Inſcript. pag. mihi* 156. Gruterus *pag.* 286. D. N. VALENTI. MAXIM. PRINCIPI. SEMPER AUGUST. L. VOCONTIUS. VICASIUS. V. C. PRÆF. URBI. ITER. PRÆF. LEG. ULT. PRÆF. P. R. PROV. GAL. PROC. XX. HER. EJUSDEM. I. S. C. D. N. M. Q. E. D. D. Præterea & vel hoc nobis ſat eſt, quod Juſtinianus teſtatur, jam viceſimam hæreditatum ex Romana Republica receſſiſſe. *l. ult. Cod. de Edicto Divi Adr. toll.* ſive ſpeciali Cæſarum Conſtitutione, ſive illorum potius tacita indulgentia, quadamque deſuetudine odioſa hæc hæreditatum delibatio exoleverit. Illud ex verbis *d. l. ult.* Accurſiani Interpretes adnotant, Gabellam, ut loquuntur, ultimarum voluntatum, Jure Juſtinianeo non deberi, & municipalia Statuta, quæ ex hæreditatibus, legatiſve partem aliquam Fiſco inferri jubent, iniqua, & irrationabilia cenſenda eſſe. Ita Baldus *num.* 13. Caſtrenſ. 4. Salicet. 2. Jaſo 3. Decius 10. Sebaſtianus Sapia 2. Hubert. Zuchard. 30. *in d. l. ult.* Firmianus *de Gabellis* 5. *part. in part. in princ.* Ego non video, cur magis hoc vectigal, quamvis noviſſimo Romano Jure antiquatum, iniquum, & exorbitans cenſeri debeat; quin potius ſi obſervatis, quæ in tributaria re Jus exigit, imponatur, additiſque exceptionibus, quas expoſuimus, temperetur, tolerabilius aliis eſſe non dubito, ut & admonui ſupra *cap.* 7.

Hac habui quæ de origine, & cauſis Juliæ, Papiæque legum, itemque ad Legem Juliam de viceſima hæreditatum, quadrimeſtribus circiter induciis, quarum nobis impendio conſtitit hae diſſertatio, poſſem conſcribere: longa quidem, ſi aut præfationis modum, aut noviorum, qui præterunt, veſtigia cogites: brevia tamen, opinor, ſi quam multa ex veteris prudentiæ ruderibus, & parietinis eruta, non Romani dumtaxat Juris Profeſſoribus grata, ſed etiam Pontificiis, Pragmaticiſque, & Eccleſiaſticæ, civiliſque eruditionis cultoribus non injucunda. De queis tamen docti cenſento, alii probent, aut improbent. 3

Κορινθίοις δ' ὐ μέμφεται τὸ Ἴλιον.

Nos ad commentationem Juliæ, Papiæque legum jam accingamur.

FINIS LIBRI PRIMI.

AD
LEGEM JULIAM
ET
PAPIAM
COMMENTARIORUM
LIBER SECUNDUS.

Redimus ex diuturni morbi captivitate, veluti poſtliminio, ad litteraria hæc limina, & poſt annale fere, & trimeſtre ſcriptionis hujus interſtitium, quo Commentariis bis noſtrarum legum vacare non licuit; vacamus hem, & pergimus, etſi nondum quartana immunes, ac ne bis quidem diebus, quibus illa caremus, recte ſani; vetere tamen jam, & annaria, quæque ut ſperni non poſſit: nos tamen libris, litteriſque ſupereſſe, jam patitur, ut ut loquuntur alibi noſtri Juriſprudentes. Hæc ita, & hujus libri reliqua ſcribebamus Salmanticæ, ante annos circiter quadraginta, & ſub ipſum milleſimum ſexcenteſimum trigeſimum tertium, quæ poſtea extra Academiam ſuccedentibus, & in dies creſcentibus Senatoriis, & Aulicis occupationibus, tam longo tempore intermiſſa, ut è ſchedis illis deſcribi, paterer amiciſſimorum ſuaſiones pervincere. Deſcribentur autem qualia in ſchedis reperta, paucis additis, quæ libri poſtea editi, aut viſi, aut poſteriores noſtræ curæ obtulere.

CAPUT I.

Ad Caput Juliæ Legis de connubio Senatorio, quod extat in l. lege 43. de ritu nuptiarum.

ARGUMENTUM.

J*Uliæ legis* de maritandis Ordinibus *primum fortaſſe, & primarium certe caput*, de connubio Senatorio: *an potius illud* de nuptiis ingenuorum? *Utrumque repetitum in lege Papia.* Prohibitionis connubii Senatorii cum libertinis *ſententia, & ratio ex Romano Jure. Quarum nuptiæ ingenuis inhibitæ, multo magis Senatoriis. Eo referendæ* l. obſervandum 49. l. lege 44. ult. D. de ritu nupt. *& ex eis hæc* §. 1. ejuſdem l. 44. *ad verbum, QUI SENATOR, Juliæ legis. Definitio Senatorum, quæ in* l. ult. §. ult. D. de Senator. *examinata, veluti ad amuſſim Romani, Juriſconſultorum ævo, Senatus excuſſa, ac fere exploſa. Agnoſcitur cum Eruditis pro Triboniani emblemate ex* Novella 62. Juſtiniani. *Tentatur adhuc illius defenſio ex* Ulpiani *ſenſu, & ſæculo. Hæc inter, adſtruuntur non pauca de* Illuſtrium, Spectabilium, Clariſſimorum *titulis, & gradatione, inducta primum à Conſtantino, ante quem nulla inter eos gradatio, & diſtinctio. Photii in ea re, & Sariſberienſis errata animadverſa.* Senatores, Ulpiani *ævo, proprie* Clariſſimi. Patricii *quinam olim, & poſtea, & qui* pedarii *Senatores. In* Synopſi Baſilicorum d. §. ult. *ad* Leunclavium, *qui pro* Hippodromo, *vertit* Circenſia, *nota, & correctio.* Hippodromus, *locus Senatus Conſtantinopoli, non longe à Circo in eadem Urbe.*

1 FUit *Juliæ legis, de maritandis Ordinibus*, nobiliſſimum, ac veluti primarium caput id, quod proſcripſimus, *de connubio Senatoriorum cum libertinis, ludionibus, eorumque filiis*; quod & ipſum extat autographum apud Paulum *lib. 1. ad Leges Juliam, & Papiam* in *l. lege* 44. *D. de ritu nupt.* & fuiſſe ordine primum, inter alia Juliæ, Papiæque legum capita, conjectari licet, ex *dict. l.* 44. & Ulpiano *tit.* 13. & quia fuit de maritandis Ordinibus, Senatorio ſcilicet cum libertinis, quamquam iſto reſpectu probabilior conjectura ſit, quæ primum caput fuiſſe, credat, illud de connubio ingenuorum (inter quos Equites) cum libertinis, quia, eo proprie connubio permiſſo, maritantur hi Ordines; cum è contra ex capite hoc de Senatoriis inhibeantur hi à nuptiis cum libertinis, non maritentur, ſed id utcumque fuerit, ſunt hujus capitis duæ veluti præcipuæ cautiones. Prima, qua Senatoribus, eorumque liberis utriuſque ſexus uſque ad pronepotes interdicuntur nuptiæ cum libertinis; quod quidem ab Auguſto in ferenda Julia lege expreſſum, adjecta permiſſioni nuptiarum ingenuorum cum libertinis exceptione illa. Πλὴν τῶν βουλευόντων, id eſt, *præter Senatores*, poſtea autem ab eodem Auguſto exceptionem eamdem in Papia lege repetitam, quoad Senatorios, ſive βουλευτικοὺς (qua voce, utpote amplioris ſignificationis, quam ſimplici illa Senatorum, ſeu βουλευόντων, qua Zonaras in hac re utitur 2. *Annal.* non tantum Senatores, ſed & eorum liberi comprehenduntur) adſignificat Dio Caſſius *lib.* 54. & 56. unde & utrumque hoc caput tam de ingenuorum nuptiis, permiſſis cum libertinis, quam de Senatoriorum inhibitis cum eiſdem interdum legi Juliæ adſcribitur. *l. lege Julia* 44. *D. de ritu nupt.* interdum Papiæ *l. lege Papia* 23. *D. de ritu nupt. l. ſi quis libertum* 28. *Cod. de nupt.* interdum utique, ſive generaliter

generaliter legibus. Ulpianus in *fragm. tit.* 13. §. *Aliquando. l. obſervandum* 49. *D. de ritu nupt.* ut obſervavimus *lib.* 1. *cap.* 3. Secunda ejuſdem capitis cautio eſt, quæ Senatoribus, eorumque liberis, ſive Senatoris utriuſque ſexus uſque ad pronepotes, inhibet nuptias cum his, qui ipſi, quorumve pater, materve artem ludicram fecerint.

2 Porro, utriuſque cautionis, & capitis totius ſententia eſt: Senatoribus, eorumque filiis, nepotibusve, filio nato, item filiæ Senatoris, neptive ex filio, proneptive ex nepote, filio nato, non licere, ſponſalia, aut nuptias habere cum libertinis, aut cum his, qui, quæve, quorumve pater, materve artem ludicram facient, fecerint. Cui Conſtituto in primis univerſim, atque in commune elucidando, antequam ſingulatim legum verba expendamus, meminiſſe oportebit, jam olim moribus Romanis, cum connubii jus non tantum ex ætate, aut ſanguine, ſed etiam ex natione, ſtatu, & gente, ſeu dignitate æſtimaretur, habitam fuiſſe gentis, ſive dignitatis rationem in nuptiis Patritiorum, quibus iſto reſpectu connubium cum plebejis ademit lex, lata à Decemviris, relataque in poſtremas duas Tabulas, ſive eo conſilio, ut in perpetuum Patres à Plebe divellerentur, ne per mutua familiarum connubia, atque affinitates, coaleſceret inter Ordines concordia, atque hi reconciliati, communi ſtudio, Magiſtratui, quem Decemviri in tyrannidem verterant, obviam irent, ut Dionyſius exprimit *Antiquit. lib.* 10. in fine, ſive quoniam, ut ſpecioſe apud Livium *lib.* 4. connubio Plebis cum Patriciis, *contaminari ſanguinem ſuum Patres, confundique Jura Gentium, rebantur; colluvionem gentium, perturbationem auſpiciorum publicorum, privatorumque afferri; ne quid ſinceri, ne quid incontaminati ſit: at diſcrimine omni ſublato, nec ſe quiſquam, nec ſuos noverit. Quam enim aliam vim connubia promiſcua habere, niſi ut, ferarum prope ritu, vulgentur concubitus Plebis, Patrumque? ut, qui natus ſit, ignoret, cujus ſanguinis, quorum ſacrorum ſit; dimidius Patrum ſit, dimidius Plebis, ne ſecum quidem ipſe concors. Quod nemo plebejus auſpicia haberet, ideo Decemviros connubium diremiſſe, ne incerta prole auſpicia turbarentur.* Simile quid ex vetere Indorum Orientalium politia memorat Strabo *Geograph. lib.* 15. *de Regiis Senatoribus, ſive Synedriis*, quibus οὐκ ἔστι γαμεῖν ἐξ ἄλλου γένους, *non eſt connubium cum alterius generis fœminis.* Sane lex illa Decemviralis, quamvis, paucis poſt annis, repudiata, & reſciſſa, permiſſo Patrum, Plebiſque connubio, rogatione tribunitia *C. Canuleji*, Plebiſque ſcito eamdem ſubſequuto, de quo plene idem Livius *d. lib.* 4. L. Florus *lib.* 1. *c.* 25. manſit tamen in uſu ex vetere Jure, ſeu more, connubii ademptio ingenuorum cum libertinis (ut dicemus ad *caput* de permiſſione illius ex noſtris legibus) & conſequenter multo magis Senatorum, ſeu Patritiorum cum libertinis. Sed cum poſtea illo capite noſtrarum Juliæ, Papiæque legum antiqua prohibitione ſublata, permitteretur ingenuis omnibus, libertinas uxores habere, & ne remitti antiquum jus videretur, circa Patritios, repetitum, firmatumque eſt iſto capite, connubio Senatoriis adempto cum libertinis, ſcenicisque, ne commixtione, ac veluti contagio libertini, aut famoſi ſanguinis inquinaretur Patritius Ordo contra ſententiam *l.* 1. 8. *de colluſione deteg. l. ſuper* 9. *Cod. de quæſtion.* ſive ne Senatoriis libertinarum, ſcenicarumque *non tam connubia, quam vitia jungerentur, & notæ*, ut ſcriptum ad rem eſt, in *Novella* Martiani 4. *de matrim. Senator.* junctis, in eamdem ſententiam, *l.* 1. *Cod. de natural. lib. l.* 3. *tit.* 14. *part.* 4. Quibus addimus *legem ex* 12. *Tabulis*, fictam, aut ſumptam apud Ciceronem 3. *de legib. Senatorius Ordo, vitio vacato, cæteris ſpecimen eſto.* Itemque illam: *Cenſores probrum in Senatu ne relinquunto.* Sive denique, *ne inſignium familiarum clara nobilitas indigni conſortii fœditate vileſcat, & quod ſplendore forſitan Senatoriæ generoſitatis obtinuit, contractu viliſſimæ ſocietatis amittat*, ut de conjugio Senatoriæ patronæ cum liberto proditum legimus in *Novella* Anthemii *de mulierib. quæ ſe ſervis.*

Deinde & præmonendum, ſeu præmuniendum eſt, tametſi hoc capite legum noſtrarum, verbiſque ejus, quæ extant in *d. lege* 44. *D. de ritu nupt.* præter libertinas, ex numero probroſarum mulierum, recenſeantur dumtaxat ſcenicæ, ſive ludicræ arti deditæ, quas Senatoriis ducere non liceat; non licere tamen eiſdem, ſponſam, uxoremve habere lenam, & in adulterio deprehenſam, & publico Judicio damnatam, & quæ palam corpore quæſtum fecerit. Nam cum ingenuis omnibus, etiam non Senatoriis, non ſit cum his mulieribus connubium, ex ſecundo capite legum noſtrarum, apud Ulpianum *d. tit.* 13. §. *ult.* licere id multo minus debet Senatoriis, qui & ipſi ingenui omnes (nunquam enim antiquo, proboque more, & Jure Romano aditus in Senatum, ſive Curiam patuit libertis. *l.* 1. *D. de colluſione deteg.* juncta *l. ex libera* 6. *Cod. de ſuis & legitim. l. unic. Cod. ad legem Viſelliam. l.* 1. *Cod. ſi ſervus, aut libertus ad decurion. lib.* 10. imo nec libertorum filiis, ante *l. libertorum* 9. *Cod. de dignitat. lib.* 12. & ſi aliquando patuit, mali, & exoſi publice exempli fuit, ut ex Suetonio in *Claudio cap.* 24. & in *Nerone cap.* 15. Lampridio in *Commodo*, & in *Alexandro*, aliiſque, alibi dicemus) & altioris dignitatis, ſive gradus antecedentis cæteris ingenuis. Eoque pertinent Ulpiani, Paulique fragmenta, ex *libro ad Leges Juliam, & Papiam* in *d. l. lege* 44. §. *ult. l. obſervandum* 49. *D. de ritu nupt.* De queis & alia ad *caput de permiſſo connubio ingenuis cum libertinis lib.* 3. *cap.* 5. 3

Illud proprium mage hujus loci, cur ſcilicet ſpecialiter iſto capite nuptiæ cum ſcenicis, ſive artem ludicram facientibus, inhibeantur Senatoriis, cum generalis illa nuptiarum ingenuorum cum eiſdem ludicris artificibus prohibitio ſufficeret? Sed, ut ne expendam cauſam, fortaſſe ſeveriori, ſtrictiorique in Senatoriis, prohibitioni dediſſe eorumdem, poſt Julium Cæſarem, fœdum luxum, quo ut paſſim ſcena, ludo, arena polluebantur, incaſſum legibus, & Senatus Conſultis vetantibus, ut diſces ex Suetonio in *Julio cap.* 39. in *Auguſto cap.* 43. in *Tiberio cap.* 35. in *Nerone cap.* 12. Dione *lib.* 43. & 56. Tacito *lib.* 2. *Hiſtoriar.* Ita & verendum fuit, & vetandum, ne ludionum conſortio, ſeu connubio inquinarentur. Aio inſuper, non otioſam, ſuperfluamve, poſſe hanc prohibitionem videri, quia ingenuis dumtaxat ſcenicas ipſas, ſive quæ ipſæ ludicram artem fecerunt, ducere uxores vetitum; at Senatoriis etiam eorum, earumve nuptiæ interdictæ, qui ipſi ludicræ artis expertes, ſi tamen eorum pater, materve artificio ludicro dedit: idque quia proprie capiti illi de nuptiis ingenuorum noſtrum hoc adjicit, ideo ipſum Paulus attente, ſobrieque legenti ſignificat, dum *libro* 1. *ad Legem Juliam, & Papiam in d. l. lege* 44. §. 1. *D. de ritu nupt.* recitatis capitis verbis, ſubjungit, prohiberi hoc capite, Senatorem libertinam ducere, *eamve, cujus pater, materve artem ludicram fecerit*, non quidem, quaſi non multo magis prohibeatur, eam ducere, quæ ipſa ludicra artifex fuit; ſed quia hoc commune cum ingenuis, petendumque ex illo capite: illud autem de ea, cujus parentes ludii, proprie, primumque hoc capite cautum in Senatoriis. Alioquin defecta, & imperfecta ſententiæ ejuſdem veloti ſumma, quam aperte Paulus proponit in *dict.* §. 1. cum omittat mentionem ejus, *quæ ipſa, quive ipſe*, ut lex ait, artem ludicram fecit. 4

Sed jam ad verba legis Juliæ in hoc capite, quæ ſingillatim, ſerioque illuſtranda ex more quidem veterum Juriſconſultorum in Edictis, & legibus explanandis, pro modulo tamen doctrinæ, captuſque noſtri. Ait itaque in primis lex: *qui Senator eſt.* Nihil ad priora hæc ex veterum Prudentum libris ad Leges Juliam, & Papiam Tribonianus in Pandectis reliquit. Nec nobis nunc de Senatus Romani origine, dignatione, & officio, exorbitare pluribus, 5

vacat, aut juvat. Senatorum tamen deſcriptionem, ſeu finitionem ex libris noſtris hic neceſſariam, eamque ipſam interprete, ſive aſſertore potius, & vindice egentem non prætermittimus. Extat in *l. ult. §. alt. D. de Senatoribus*, his verbis: *Senatores autem, accipiendum eſt, eos, qui à Patritiis, & Conſulibus uſque ad omnes illuſtres viros deſcendunt, quia & hi ſoli in Senatu ſententiam dicere poſſunt.* Obſcurus certe locus, & deploratæ, aut deſperatæ interpretationis, ſi conferatur cum eo Senatorio jure, quod viguit Ulpiani, aſſerti ejuſdem loci Auctoris, vel anteriori paulo, ævo. Namque in primis in *d. l. ult. §. ult.* ſupponitur, Magiſtratus, & Illuſtres, veluti Conſules, quorum ibi mentio, & Præfectos Prætorio, & Urbi, alioſque, quos Illuſtribus notitia Imperii, & libri Juris accenſent, qui jure Dignitatis in Senatum veniunt, & ſententiam dicunt, proprie eo ipſo Senatores eſſe. Id autem alieniſſimum eſt à Romano Jure, & more, quo hi, qui honoribus perſuncti, in Senatum venire, & ſententiam dicere ſolent. *l. unica §. hodieque D. de offic. Quæſtoris*, non ſunt Senatores, niſi in Senatum cooptentur à Cenſoribus, aliiſve, queis legendi Senatus jus eſt, ideoque & tranſlatitio Edicto, quo Senatus in Curiam vocatur, diſtinguuntur à Senatoribus, illa formula: *Senatores, quibuſque in Senatu ſententiam dicere licet.* Livius *lib.* 33. & 36. Pompejus Feſtus in voce *Senatores*; & de ſuo, hoc eſt, Adriani, & Conſultorum fere ævn A. Gellius *lib.* 3 *noct. Atticar. c.* 18. Denique è contra, Senatorem quem eſſe poſſe, & tamen honores non petere, liquet ex *l. relatorum* 7. *§. item poteſt* 21. *D. de interd. & releg.* Deinde in *d. §. ult.* Patritii Senatoribus connumerantur, velut primario, proprioque jure. At quemadmodum non omnes Senatores fuerunt Patritii, ita nec Patritii omnes eo ipſo Senatores. Quia Patritii propria, & priſca notione, dicuntur filii Patrum, ſeu Senatorum in familias patritias majorum, vel minorum gentium origine, aut allectione, ut vel ex Livio notum, *lib.* 1. & 10. Tacito *lib.* 10. *Annal.* Suetonio in *Auguſto c.* 2. & in *Othone c.* 1. Vellejo Paterculo *lib.* 1. Capitolino in *M. Antonino*, & in *Macrino*, Dione *lib.* 52. in fine, ac ſicut Senatores fuere non pauci è plebe in Senatum lecti, & conſcripti, non item in Patritiorum numerum, ut ex Tacito liquet, *d. lib.* 11. cujus locum infra adſcribemus, ita è contrarin multi patritiæ antiquæ Senatoriæ ſtirpis, & tamen, vel defectu ætatis, aut cenſus, vel aliis de cauſis inter Senatores non lecti, aut adſcripti; qualis Tribunatus petitor Auguſtus proponitur apud Suetonium in *ejus vita c.* 10. *quamquam Patritius, nec dum Senator.* D. Iſidor. *lib.* 9. *orig. c.* 4. Quamvis autem Senatoria quiſque origine eſſet, uſque ad legitimos annos Eques Romanus erat, deinde accipiebat honorem Senatoriæ Dignitatis. Quod ſi, nova, & legitima uſurpatione, Patritios apud Ulpianum accipias, pro Illuſtribus, primariiſque Senatoribus, quos, privati conſilii gratia, Cæſar in primam Claſſem Comitum, ſive amicorum, & in Supremum Conſiſtorium ſelegit, qui & Patritii dicuntur, quaſi Patres Imperatoris, & Parentes Reipublicæ. *§. filius familias, Inſtit. quib. modis jus patr. poteſt. ſolv. l. ult. Cod. de Conſulib. lib.* 12. alienius multo id erit ab Ulpiani more, & mente, cum octoginta circiter, poſt eum, annis hæc Patritiatus notio, & dignitas innotuerit, nempe ſub Conſtantino, qui primus eam inſtituit, πρῶτον τούτων ἐπινοήσαντος τὴν τιμὴν, ut ſcribit Zoſimus, *lib.* 2.

6 Rurſus ſententia *d. §. alt.* definitionem Senatorum velnti contrahit, ad illuſtres viros, eoſque ſolos, qui in Senatu ſententiam dicunt. Utrumque autem parum rectum videtur. Primum enim, ſive, Illuſtrium nomine, intelligas Patritios, quatenus à plebejis diſtinguuntur. *§. Plebiſcitum. Inſtit. de jure natur.* docebit te ipſe Ulpianus, plebejos etiam Quæſtores factos, venire in Senatum ſolitos, & habuiſſe jus ſententiæ dicendæ. *l. unica §. Hodieque D. de officio Quæſtor.* cum tamen nec Illuſtres, nec Patritii fuerint; ſive appellationem Illuſtrium exaudias de primo eo, ſub poſterioribus Cæſaribus, amplitudinis gradu, ſeu titulo, quo illuſtres dignitates à ſpectabilibus, & clariſſimis diſtinguuntur, plus quam apertum eſt, inter Senatores cenſeri non tantum Illuſtres, ſed etiam inferiores his Ordines Spectabilium, & Clariſſimorum. Div. Iſidor. *lib.* 6. *origin. cap.* 4. *Primi Ordines Senatorum dicuntur Illuſtres, ſecundi Spectabiles, tertii Clariſſimi.* Ita &, ex Iſidoro, Diviſion. Thomas *lib.* 4. *de regim. Princ. cap.* 26. Quinimo paſſim Ulpiano, & aliis ævi ejuſdem Scriptoribus, Senatores proprio, & perpetuo quaſi epitheto, dicuntur Clariſſimi. *l. fœminæ* 8. *D. de Senatoribus. l. curator* 5. *D. de curatore furioſ. l. deferre* 18. *§.* 1. *D. de jure Fiſci. l. filii* 22. *§.* 1. *D. ad municip. l. cum te* 10. *Cod. de nuptiis.* Et Clariſſimatus, pro Dignitate Senatoria. *l. unica Cod. de equeſtri dignit. lib.* 12. *l.* 2. *Cod. de his, qui veniam ætatis impetr.* Lamprid. in *Alexandro*, & *Heliogab.* Vopiſcus in *Aureliano*, Tertullianus *ad Scapulam cap.* 4. Prudentius *lib. priore contra Symmach:*

Ipſe Senatorum meminit Clariſſimus Ordo.

In queis, & aliis, quibus parcimus, expolitæ Juris ſcientiæ elementis, ἄναλος ἀθεὸς eſt, qui ſcribit, non auditam fuiſſe, Ulpiani ævo, vocem *Clariſſimi*, pro titulo honoris Magiſtratuum.

7 Poſtremum vero de his ſolis Senatoribus, qui ſententiam dicere poſſunt, excludit, movetque Senatu, eos Senatores, qui plerumque non tam ſententiam dicere, quam in aliorum ſententiam pedibus ire, & in eam, qua ſentirent, partem, ſive ſubſellia diſcedere ſolebant, qui *Senatores pedarii* dicti; ſed Senatores, & *agipedes* Lucillio, apud Feſtum, in *pedarium*, *capita ſine lingua.* Laberio apud A. Gel. *d. lib.* 3. *c.* 18. videndus & Cicero *ad Atticum lib.* 1. *epiſt. penult.* Frequenſque is Senatorum, & cenſendi Ordo, vel poſt Ulpianum, ut indicant Vopiſcos in *Aureliano. Deinde*, inquit, *aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in ſententias euntibus, pleriſque verbo conſentientibus, conditum eſt Senatus Conſultum.* Prudentius *lib.* 1. *contra Symmach.*

Qua vocat, egregii ſententia Principis, illuc
Libera tum pedibus, tum corde frequentia tranſit.

Vocatque id cenſendi in Senatu genus, *ſilentium ſine conventu*, Juſtinianus *Novella* 62. *de Ordine Senatorum*, quæ apud Julianum anteceſſorem extat, *Conſtit.* 56. *num.* 199. graviterque apud Epictetum Arriani *lib.* 1. *cap.* 2. quidam, cum Senatu moveretur, haud ægre tulit, quod ſciret, *affuturum ſe in Curia tamquam teſtaceum vas*, κατίδυλος, ὡς κεράμιον.

Hæc quamvis nec diſtincte, neque omnia omnes argumenta contra Ulpianum expendant, eorum tamen potioribus cedere, & manus dare coguntur purgatioris judicii, & auris Interpretes, & vel Ulpianum ipſum inſcitiæ, ſive incogitantiæ damnare, uti fere damnat Petr. Gregor. *lib.* 47. *Syntag. cap.* 25. *num.* 4. vel ab Ulpiano in ſciolum aliquem loci illius in Pandectis, hoc eſt, panni in purpura futuram, culpamque derivare, quod Bulengero placitum magis *lib.* 3. *de Imperio Roman. cap.* 10. vel denique totum eum *§. ult.* & Senatorum deſcriptionem accepto ferre, non Ulpiano, cujus ſæculo, & Juriſprudentiæ non congruit, ſed Triboniano reſpicienti ad novum jus, ſeu morem, quo inſpecto, & ſublata vetere differentia Senatorum, & eorum, qui ſententiam dicunt, quin & interpolatis Patritiorum, Pedariorumque antiquis nominibus, Senatorius Ordo, & Conſeſſus, Conventuſque incipiebat à Patritiis, & Conſulibus, deſcendebatque ad cæteras illuſtres dignitates, quibus & jus ſententiæ in Senatu dicendæ erat, ut exprimitur in Juſtiniani *Novella* 62. *de Ordine Senator. cap.* 2. cujus veluti ſumma eſt, quæ extat in *d. l. ult. §. alt.* & apud Harmenopulum inter *leges varias ſub tit. de dignitatibus.* 8

bus. Hoc ipſum Triboniani emblema in §. *ult*. cum, poſt Haloandrum, Hottomanum, Baronem, Mornacium ad *d. l. ult*. agnoſcat Cujac. in *l.* 1. *Cod. de dignitat. lib.* 12: & ad Novellam *de Ordine Senator.* 62. Franciſcus Balduinus in *Juriſprud. Mutiana pag.* 98. in *Q. Mutio Scævola*, Pancirola ad *notit. utr. Imper. cap.* 2. Guther. *de offic. Domus Auguſt. lib.* 2. *cap.* 19. in fine, neque auſit, non agnoſcere poſt alios, Hilligerus *ad Donell. lib.* 24. *cap.* 22. *litt. R.* deprehenditur aperte magis ex eo, quia Illuſtrium gradus, ſive titulus, cujus ſignata adeo mentio, & ſolemnis in *d.* §. *ult*. vix eſt, ſi eruditioribus credimus, ut præceſſerit Conſtantini Magni memoriam, à quo ut pleraque alia in militari, & civili re Dignitatum nomina, & munia introducta, & mutata, motave fere omnis Politiæ antiquæ forma, auctore Zoſimo *lib.* 2. Euſebio *lib.* 4. *de vita Conſtantini cap.* 1. *in fine*, ibi: *Nam ut plurimos honoribus afficeret, diverſos Dignitatum gradus Imperator excogitaverat*. Ita & veriſimile eſt, inſtitutos ab eo, aut diſtinctos primarios tres dignationis ordines, ſive titulos, Illuſtrium, Spectabilium, & Clariſſimorum (ut Perfectiſſimos, Egregioſque nunc omittam) quos Imperii notitia, & Cæſarum noviorum Conſtitutiones crebro recenſent. Sane ante Conſtantinum, & Veterum Prudentum ætate, nulla ſtata, aut ſolemnis eorum titulorum diſtinctio occurrit. Senatores enim, qui *Illuſtres* in *d.* §. *ult*. & *Clariſſimi* plerumque appellantur, & *Specioſi*, ſive *Spectabiles*, *l. ſpecioſas* 100. *D. de verbor. ſignific.* Proconſules, quos Imperii notitia, & Cæſares, poſt Conſtantinum, ponunt inter Spectabiles, *l. unica Cod. ut omnes judices tam civil. l. præcipimus* 32. *Cod. de appellat. l. unica Cod. de ratiocin. oper. publ. l. unica Cod. de raptu virgin. l.* 3. *Cod. de Canon. largition. tit. lib.* 10. nominantur *Clariſſimi*, ante Conſtantinum à Severo, & Antonino in *l.* 3. & *l.* 5. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog. l.* 1. *Cod. ſi ex falſis inſtrum.* & Proconſul Africæ V. C. in *l. ex delictis defunctorum in Cod. Hermogeniano*, & Claudius Maximus, Africæ Proconſul, *vir clariſſimus*, apud Apulejum *apolog.* 1. & 2. idque quia in Proconſulares Provincias, poſt earum diviſionem ſub Auguſto, de qua Strabo *lib.* 17. *Geograph.* ex Senatorio Ordine mittebantur. Et ſub Conſtantino ipſo, Imperiique ejus primordiis ignotius illud Lactantii *lib.* 5. *cap.* 14. *in fine*. Licet Conſules, quos *Superilluſtres*, ſive *Illuſtrium* ὑπερενδοξοτάτας, Græci nuncupant ad *d. l. ult. D. de Senator.* & Præfecti Prætorio, atque Urbi, quos Illuſtres in primis notitia, ſeu breviarium Imperii, & novæ Conſtitutiones indigetant. *l. ult. Cod. ubi Senatores, vel clariſſ. l.* 1. & 2. *Cod. de præfect. prætor. & urbi lib.* 12. Clariſſimi vocantur Conſules quidem, apud Plinium, *lib.* 7. *epiſt. ult.* & juncta *l.* 1. *Cod. de dignit. lib.* 12. Præfecti autem Prætorio, in *l.* 1. *Cod. de ſentent. paſſis.* & apud Lampridium in *Alexandro*; Præfectus Urbi in *l.* 1. *ſi adverſus donat. ſponſ. fact.* in *Cod. Gregoriano*. Quæ omnia Conſtantino antiquiora teſtimonia ſunt, nec inferiora aliqua eſſe nego ejuſdem licentiæ, ſed rarioris; illa autem, aliaque ejuſdem ævi, faciunt omnino, ut cenſeam, accenſearque Eruditis affirmantibus, Illuſtriſſimatus, tamquam tertii à Patritiis Ordinis, mentionem in *Bibliotheca Diodori Siculi*, & poſtremis ex *lib.* ejuſdem 37. & *ſeq.* excerptis apud Photium in *Bibliotheca*, non eſſe proditam à Diodoro Siculo Auguſtæi ſeculi ſcriptore, ſed vel à Photio, dum exſcriberet, interpolatam, vel à ſciola aliqua, & ſequiori manu adſutam. Verba hæc ſunt: *Illuſtrium dignitatem tertium à Patritiis ordinem ſuſtinere, ait*. Simile in eadem re peccatum Joannis Sariſberienſis *lib.* 1. *Polycrat. cap.* 7. *in fine*; Ubi ſic de Nerone ampliſſimæ dignitatis titulis hiſtriones ornante: *alios Patritios, alios Senatores dicens, hos Illuſtrium, Spectabiliumve nominibus illuſtrabat*.

9 Ego, ſi diſſimulato interim, Tribonianiſmi nunquam agnoſcendi, inſtituto, cui veluti auctorati, & adacti, ſuperſtitioſo ineptæ ſectæ jure, aut injuria, noſtrates ſerviunt, contra Juſtiniani teſtationem in *l.* 1. §. *Sed & hoc* 7. *l.* 2. §. *Tanta* 10. *Cod. de veter. jur. enucl.* & fide bona cenſendum eſt, tot, tantiſque rationum, & auctoritatis momentis, Triboniani manum prodentibus, in *d. l. ult.* §. *ult.* §. *D. de Senator.* libens conceſſerim. Sed quia & nonnihil, inveteratæ conſuetudini exponendi potius, quam Triboniani, aut textus corrigendi, indulgere par eſt, ſuſpicabar jam pridem, Ulpiani, quæ extat in *d.* §. *ult.* deſcriptionem Senatorum eſſe potius, quam finitionem, eamque latius, & liberius conceptam Senatores accipere pro his, & quidem ſolis, quibus in Senatu ſententiæ dicendæ jus eſt, qui, veluti per excellentiam, Senatores primi, & præcipui, ſive primæ, aut ſecundæ ſententiæ, ut loquuntur *Hiſtoriæ Auguſtæ* Scriptores. Nec dum ea deſcriptione inter Senatores cenſentur, qui in Senatum nondum allecti, in eum tamen veniunt, & cenſent jure Magiſtratus, & excluduntur pedarii, qui ſententiam non dicunt, ſed pedibus ſequuntur, ſit omnino id ſine more, aut exemplo; quin imo utrumque ſat excuſabile, quia Ulpiani ætate, & ante, priſca illa, & ſcrupuloſa diſtinctio Senatorum conſcriptorum, & eorum, qui jure Magiſtratus ſententiam dicebant, retinebatur in tranſlatitio Edicto, non tam quod alicujus rei, vel uſus jam eſſet, quam *ſervandæ conſuetudinis cauſa*, ut A. Gellius ſcribit *d. lib.* 3. *cap.* 18. Pedarii autem Senatores, quamvis in Senatus Conſultis, per diſceſſionem, ſuum quodammodo Senatorium jus, deſcendendo, diſcedendoque in aliorum ſententiam retinerent, negligi tamen ab Ulpiano, ſine magna ulla noxa, potuerunt, eum eſſent Senatores, nomine potius, quam munere, quorumque, ut ex Laberio prænotavi,

Caput ſine lingua, pedaria ſententia eſt.

Sed & quod de mentione Patritiorum, contra Ulpianum, expendimus, ſuum utique explicatum habet, ſi Patritios accipias, ut Ulpianus ipſe accipit in *l. unica* §. *Hodieque D. de offic. Quæſtor.* juncto §. *Plebiſcitum Inſtit. de jure natur. l.* 2. §. *Servius* 43. *D. de origine Jur.* pro allectis in familias patritias, ut Senatorii ſeminis homines, ſicut Sidonius loquitur *lib.* 1. *epiſt.* 6. eſſent, & haberentur qui non male Senatoribus annumerantur, quia utcumque aliqui, ætatis, cenſuſve defectu, non ſint Senatores, ſermo tamen eſt de Patritiis, qui Senatores, quales Patritii fere omnes, & plerique primarii, & vetuſtiſſimi, Tacitus *lib.* 11. *iiſdem diebus in numerum Patritiorum adſcivit Cæſar vetuſtiſſimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant*. Denique Illuſtrium appellatio, quæ Senatoribus tribuitur in *d.* §. *ult.* neque plebejos Senatu movet, qui Magiſtratus jure in curiam venire, & cenſere poterant. *d. l. unica* §. *Hodieque D. de offic. Quæſtor.* fuerunt enim & plebejorum familiæ nobiles, illuſtreſque, quibus ſcilicet, poſt communicatos Patritiorum cum plebe honores, perinde jus imaginum, & majorum decora erant, ut notatum aliis ex Livio *lib.* 22. *Nam plebejos nobiles, iiſdem initiatos jam eſſe ſacris, & contemnere plebem, ex quo contemni deſierint à Patribus cœpiſſe*. Aſconio Pædiano in *orat. Ciceronis* in *Toga candida*, in argumento: *Quatuor plebejos, ex quibus duo nobiles*. Neque certum, propriumve titulum Dignitatis ſignat (ſicut neque *Spectabilis* mentio in *l.* 3. *D. de officis præfecti vigil.*) quo Illuſtres Spectabilibus, Clariſſimiſve præponantur. Damus enim, fatemurque, titulorum eorum diſcrimen, & gradationem ante Conſtantinum non fuiſſe, & Senatores, alioſque Magiſtratus, Ulpiani ævo, *Clariſſimos* plerumque appellatos, ut ſupra oſtendimus. Cæterum Senatores, *Illuſtres*, Ulpianus nominat eos, quibus jus fuit ſententiæ dicendæ, ut ab aliis nempe diſtinguat, qui *defixi, & attoniti mutam, ac ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem perpetiebantur*, ut Plinius loquitur in *Panegyrico*; cum è contra diſſerere nonniſi primariis liceret, & majori aliquo honore perfunctis, qui *Primores* dicuntur Tacito 4. *Annal.* ibi: *Apud Patres tractabantur, dabaturque Primoribus, diſſerere.*

rers. Primates Senecæ in *ludo de morte Claudii.* Et Senatores primæ, aut ſecundæ, ac deinceps ſententiæ, Spartiano in *Adriano*, Vopiſco in *Aureliano*, Lactantio *lib.* 1. *divinar. inſtit. cap.* 10. &, ut Ulpianus ipſe vocat, *Illuſtres* Spartiano in *Severo*, ubi de Senatoribus ab eo occiſis: horum igitur tantorum, ac tam illuſtrium virorum (nam multi in his Conſulares, multi Prætorii, omnes certe ſummi viri fuere) interfector ab Afris, ut Deus, habetur. Maneat itaque, poſſe quadantenus deſcriptionem Senatorum, apud Ulpianum, defendi, tametſi ea, ex mente auctoris, alio pertineat, ſcilicet ad tractatum *de cenſibus*, & morem Senatoris legendi ex cenſu, duplo majore, quam equeſtri, ut Cujacio viſum 24. *obſerv. cap.* 3. ut apparet ex *inſcriptione d. l. ult.* juncta *l.* 3. *D. de cenſibus.* Quod autem attinet ad leges noſtras, & earum hoc caput, quod exponimus, Senatorum appellationem plenius accipi debere crediderim, ut complectatur eos omnes, qui vel conſcripti Senatorum Albo, vel quo alio jure in Senatum venire poſſunt, etiamſi non ſint ex Illuſtribus, & primariis, argumento ex *l.* 5. *D. de Senatorib. l.* 1. *Cod. de natural. lib. Novella* Martiniani *de matrim. Senator.* juncto ſingulari, & alibi expendendo, *Textu* Modeſtini in *l.* 15. §. 2. & 3. *D. de excuſ. tutor.* atque ad eum Scholiaſte Cyrillo in *Baſilicis lib.* 38. *tit.* 1.

10 Illud in *d. l. ult.* indictum adhoc, nec prætereundum, ſectionem illam, tametſi in Baſilicis, huc uſque editis, deſideretur, extare tamen in eorum Eclogis, ſeu Synopſi *lib.* 6. *tit.* 1. *cap.* 11. ubi, poſt verba illa, *Quia & hi ſoli in Senatu ſententiam dicere poſſunt*, ſequitur, *& Circenſibus convocari debent*, juxta Joannis Leunclavii verſionem: aſt inepta omnino verſio, & expreſſio Circenſium pro eo, quod in Græco textu eſt, ἐν τῇ Ἱπποδρομίᾳ & exprimi Latine eodem verbo potuit, *in Hippodromo*, ut legitur in *Novella* 62. *de ordine Senator.* illic: *Agat autem Senatus conventus in Hippodromis.* Et vel edita ea Conſtitutio Latine, vel ſola ejus ſumma Latina, extat apud Julianum Anteceſſorem, & ex eo inter Novellas poſita, Ant. Auguſtino, Scinigero, Haloandro, Contio, & aliis. Fuit autem, inter alios habendi Senatus locos, Conſtantinopoli unus, in foro Auguſtæo, conſtructo à Conſtantino, cujus meminerunt Heſychius *libello de reb. patr. Conſtantinop.* Zonaras *tom.* 3. Procopius 1. *de ædific. Juſtiniani*, Codinus 1. *de offic. aulæ Conſtant. cap.* 17. Suidas in voce *Auguſtæum.* Michaël Ducas in *Hiſtor. Byzantina*, *cap.* 40. Fuitque Auguſtæum, & in eo Senatus, in Regione 4. Urbis, ſcilicet prope tertiam, in qua Hippodromus, ſeu Circus Maximus Conſtantinopolitanus, ut collocat *vetus deſcriptio* illius Urbis, & ex Zoſimo, & aliis docte ſimul, & incondite, ut ſolet, Bulengerus *libro de circo cap.* 1. in fine. Ex Procopio, & Julio Polluce ſcite, & ad rem, Petrus Gyllius in *Topographia lib.* 2. *cap.* 17. & 18. unde & fortaſſe *Hippodromi* nomen ad locum Senatus tranſlatum. Quamquam, ſi quis adhuc mentionem Circenſium, cum Leunclavio in Synopſi tueri, velit, licebit, eam referat ad Circum Conſtantinopolitanum, quem *Hippodromum* nuncupat Sanctus Chryſoſthomus, in *Oratione de Circo*, & *Hippodromiam* pro *Circenſibus* Theodorus Balſamon ad *Canonem* 24. *Synodi* 6. *in Trullo*, & ad *Can.* 64. *Carthaginienſem*; & alii Græci paſſim.

CAPUT II.

Ad verba Juliæ legis, Qui filius. l. Senator 5. l. Senatoris 6. D. de Senatoribus.

ARGUMENTUM.

F*ilius, quoad Caput hoc Juliæ legis, eſt etiam adoptivus, & quare?* In l. 5. verſ. Nec intereſt, *ſuſpecta Triboniani manus, aſt certior, quæ & illuſtratur, Gloſſæ, apud Accurſium, traditio. Pro* Paulo in l. Senatoris 6. *explicita Papiniani Regula, & ratio*, in l. in omni 13. D. de adopt. *Explicita etiam Proculi mens, & aſſerta, contra correctores, lectio, in* l. ſi iis qui 44. D. de adopt. *De Senatoris filio, dato in adoptionem plebejo, ad* d. l. 6. §. 1. *Diſcuſſum, & expoſitum* Pauli reſponſum, *in* l. per adoptionem 35. D. de adopt.

1 SEnatoribus, de quibus diximus, ſubjunguntur eorum filii, in Legis Juliæ verbis, ita: *Qui Senator eſt, QUIVE FILIUS.* Continent autem verba hæc inſpectionem cura, & commentatione Juriſprudentum veterum illuſtrem, de filiis Senatorum; ſive qui proprie tales cenſeantur, quoad effectum legum noſtrarum: ad quas, & hanc earum partem, pertinent Ulpiani, Paulique teſtimonia, ex prioribus libris ad Juliam, & Papiam, in *l.* 5. 6. & 7. *D. de Senatorib.* In primis vero Ulpianus, & Paulus in *dict. l.* 5. & 6. docent, Senatoris filium cenſeri, non tantum naturalem, ſed etiam adoptivum. Conſentiunt, quoad effectus Juris alios, *l. liberos* 10. *D. de Senatoribus. l.* 4. *Cod. de Decurionib. lib.* 10. *l.* 1. *D. de adoption.* Naturalis filius his locis, dum adoptivo opponitur, intelligitur haud dubie is, qui, non ſolo legis commento, ut adoptivus, ſed etiam veritate naturæ juſtus filius, ex juſtis nempe nuptiis, quæſitus. Ut in *l.* 5. *D. de his, qui ſui, vel alien. jur. l.* 2. §. *Liberi* 6. *D. ad S. C. Tertyll. l.* 1. §. *Suos*, & §. *ult. D. de ſuis & legit.* noſtra *l. lege* 44. §. *Non obeſt verſ. item D. de ritu nupt.* Adoptivos vero, cum dicimus, pro Senatorum filiis haberi, non obſcuram rationem Juris ſequimur, qua docente, tametſi adoptivus non natura, ſed jure filius ſit, ideoque, nec cenſeatur filius, ubicumque filiorum nomen, non ex imagine, aut umbra Juris, ſed ex veritate naturæ æſtimatur. *l. fideicommiſſum* 76. *D. de condit. & demonſtrat. l. filio* 23. *D. de liber. & poſthum.* Et quidem, etiam in noſtris legibus Julia, & Papia, & Senatus Conſulto Neroniano, ad eas facto, ne alioquin, adoptionis commento, fraus eis fieret, eluſo fine procreationis, quem privilegiis promotum ibant, de quo Tacitus *lib.* 15. *Annal. l. ſi ita quis* 51. §. 1. *D. de legat.* 2. *l.* 2. §. *Adoptivi D. de vacat. muner.* juncta *l. libertus* 17. §. *In adoptiva* 9. *ad municip. l. cum ratio* 7. §. *Ex bonis D. de bonis. damnat.* quoad effectus tamen civiles, veluti dignitatis, & connubii, ex legibus noſtris, Jus, quod Civile totum eſt, *princip. Inſtit. de nuptiis*, & in quo, hac legum parte, ſanciendo, non frequentiæ nuptiarum, aut ſobolis, quæ potius iſto capite coarctantur, ſed Senatorii Ordinis, proliſque digne, & decore maritandæ ratio habita fuiſſe videtur, adſcitos in filiorum nomen, & familiam Senatoris, civili adoptionis modo, pro filiis Senatorum accipi, civile eſt. *l.* 1. *l. per adoptionem* 35. *D. de adoption. l. ſi qua* 112. §. *ult. D. de ritu nupt. l. penult.* §. *Teſtamento D. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* juncta ad rem *l. lege* 44. §. *Item* 4. *D. de ritu nupt.* in quo alia, & ſingularis cauſa, & conditio eſt libertini adoptati ab ingenuo. *l. ſciendum* 32. *D. de ritu nupt. l. ult. D. de adopt.* De queis ex profeſſo infra.

Neque intererit, ait Ulpianus in *d. l.* 5. *à quo, vel* 2
qualiter adoptatus fuerit, hoc eſt an à Senatore, & Illuſtribus, & Primariis, an vero ab alio quovis conſcripto, & dumtaxat Clariſſimo, quomodo apud Accurſium fuit qui exaudiret, illo tamen parum probante, quia Illuſtres ſolos, aut Superilluſtres eſſe Senatores cenſuit, ex *d. l. ult.* §. *ult. D. de Senator.* nec feliciores alii, qui Ulpiani eam adjectionem in *d. l.* 5. ab eo adoptivis filiis Senatorum applicitam, contra mentem, verbaque ejuſdem transferunt, & detorquent ad naturales, ſimulque juſtos filios Senatorum, datos ab his in adoptionem plebejo civis. Mihi, ut alios omittam (niſi ſi ea verba, Triboniani

ni additamenta ſint, reſpicientis ad Juſtiniani Conſtitutiones, in *l. pen. & ult. Cod. de adopt.* & ſubnotantis, *nihil*, vel poſt eas, *intereſſe*, à quo Senatore quis adoptetur, extraneo ſcilicet, an avo, proavove materno, aut paterno, & *qualiter*, hoc eſt, an per Populum, *lege curiata*, juxta arrogationis veterem ritum, de quo A. Gellius *lib. 5. noct. Atticar. cap.* 19. Cicero in *Orat. pro domo ſua*, &, poſt alios, ex noſtris Ulpianus *tit.* 8. §. 1. Cajus *lib. 2. inſtit. tit.* 3. §. *ſi quis* 4. an Principis autoritate, ut idem Cajus docet, in *l. 2. D. de adopt.* junctis *l.* 2. in fine, *l. 6. & 8. Cod. eod. tit.* an denique adoptetur, cum ſolemnibus mancipationum, & manumiſſionum, ut olim, an, ut hodie, ſolo Magiſtratus imperio præſentia, & voluntate adoptantis, & adoptati, & teſtatione actorum, *d. l. ult. Cod. de adoption.* Quod conjecturæ genus ſortaſſe aliis talium notarum aucupatoribus non diſplicuerit, & juvari videbitur locutione illa, *neque intererit*, fortaſſis eo reſpectu in futurum concepta, & ad novum jus collimante, non in præſens, præteritumve, ut poſtea in eadem *l.* 5. Ulpianus loquitur, ibi: *Neque intereſt jam in dignitate*) arridet magis illa Gloſſographi, apud Accurſium, ſententia, ut Ulpiani mens ſit, non intereſſe, à quo adoptetur, an à Senatore ex Primariis, Illuſtribus, Patritiis, Conſularibus, an à conſcripto aliquo inferioris numeri, & notæ, dum tamen Senatore: neque intereſſe, qualiter, an ſcilicet adrogatione per populum, aut Principem, an adoptione per Magiſtratum. Utcumque enim, & à quocumque Senatore adoptatus, Senatoris filius eſt in noſtris legibus. Senatorum autem deſcriptio ad illuſtres Patritios, & Conſules coarctata in *d. l. ult. D. de Senatorib.* quæ ab hac expoſitione Accurſium abduxit, pertinet, ut in calce ſuperioris capitis monui, ad tractatum de cenſibus, *l. 3. D. de cenſibus.* Nec accommodabitur recte huic capiti legum noſtrarum, quod, cum conceptum ſit ſimpliciter de Senatoribus, procul dubio eos omnes complectitur, qui, Conſilii publici gratia, in Senatum lecti ſunt, & conſcripti, quamvis neque Patritii ſint, neque conſulatu, aliiſve honoribus perfuncti, quod nemo paulo humanior, aut memoria Senatorii Veteris Juris, vel leviter tinctus negabit. Argumentum rei eſt in Conſtantini, Martianique legibus, quæ Juliæ, Papiæque in hoc capite, veluti Appendices ſunt, nempe *lex 1. Cod. de naturalib. liber. Novella Martiani de matrimon. Senator.* & tamen nuptias cum libertis, & ſcenicis, aliiſque ejuſdem notæ, non tantum interdicunt Senatoribus abſolute, & ſimpliciter, ſed etiam Duumviris, & Phæniciarchis, Syriarchiſque, Provinciæ Sacerdotibus, & municipiorum Flaminibus, denique Perſectiſſimis, quos omnes &, ut de aliis nunc taceam, perfectiſſimos, Senatoribus quibuslibet, qui eo ipſo, quod Senatores, ſaltem Clariſſimi, *l. fœminæ 8. D. de Senatorib. l. cum te 10. Cod. de nupt.* inferiores eſſe gradu, & dignitate, colligere licet ex *l. 1. Cod. Theodoſ. de his, qui veniam ætatis impetr.* junctis *l. divo 11. Cod. de quæſtion. leg. un. Cod. de equeſtri dignit. & Cod. de perfectiſſim. dign. lib.* 12. Ammiano Marcell. *lib.* 21. ubi de Conſtantio, erga tribuendas celſiores dignitates parco, nunquamque, ut ille loquitur, *militaria cornua erigente. Nec ſub eo dux quiſquam*, inquit, *cum Clariſſimatu provectus eſt: erant enim, ut nos quoque meminimus, Perfectiſſimi.* Tametſi aliter, de Perfectiſſimatus & Clariſſimatus Ordine ſentire videtur Lactantius, nondum fortaſſe à Conſtantino, eorum titulorum gradatione diſtincta, *lib. 5. divinar. inſtit. cap. 15. ad finem.* Jungantur, quæ de Perſectiſſimis, nos inſra *ad l. 1. Cod. de natural. liber.* Plane eſſet abſurdum, Senatores, Senatorioſve non intelligi, quoad connubii jus, ex legibus noſtris, eos, qui etiamſi non ſint ex Illuſtribus, & Patritiis, ſunt tamen jure dignitatis, aut generis Clariſſimi. *d. l. cum te 10. Cod. de nuptiis. l. Senator 11. Cod. de dignitat. lib.* 12. & conſequenter, nuptias eiſdem cum libertinis, ſcenicisve, permitti, quæ inferioris gradus & notæ hominibus, veluti Perfectiſſimis, non permittuntur, contra quam definitum eſt in *d. l. lege 44. §. ult. l. obſervandum 49. D. de ritu nupt.* Addeſis indicatam jam ſupra Modeſtini, in re non diſſimili, notam in *l. ſpadonem 15. §. Scire 2. cum ſeq. D. de excuſ. tutor.*

3 Sed, quod ad adoptivos Senatorum filios attinet, monet deinde Paulus 1. *ad Legem Juliam, & Papiam* in *d. l. Senatoris 6. D. de Senator.* tamdiu adoptivos Senatorum filios cenſeri, quamdiu in familia patrum Senatorum, qui eos adoptarunt, permanent; quod & contingit, ſi emancipati necdum ſint, Senatore adoptivo patre moriente; quo tempore licet incipiant eſſe ſui juris, manent tamen in familia patris adoptivi præmortui. *l. utrum* 9. juncta *l. 3. §. Si pater*, hinc explicanda, *D. de bonor. poſſeſſ. contr. tab.* Cæterum adoptivus emancipatus à Senatore, *nomen filii, emancipatione, amittit*, ait Paulus in *dict. l.* 6. quia, quamvis minima capitis minutione, quæ, ſalva Civitate, contingit, veluti emancipatione, publica jura non intervertantur, nec Senator quis eſſe deſinat. *l. amiſſione 5. §. ult.* cum *l. ſeq. D. de capite min.* intervertuntur tamen jura familiæ, eiſdemque adjacentia ſui hæredis, & filii. Idcircoque adoptivus emancipatus deſinit eſſe filius Senatoris, & è converſo adoptatus à patre ſcenico, & emancipatus deſinet eſſe filius ſcenici, quoad connubium ex noſtris legibus, ex eodem ad eaſdem Paulo, in *l. lege 44. §. An & is 5. D. de ritu nupt.* Hoc amplius quod, ut Papinianus ſcribit, *in omni fere jure*, excepta ſcilicet ſpecie *textus*, *in l. adoptivus 14. l. quin etiam 55. D. de ritu nupt. finita patris adoptivi poteſtate*, per emancipationem, *nullum ex priſtino retinetur veſtigium. Denique & patria dignitas*, veluti Senatoria, ſeu Clariſſimatus, *quæſita per adoptionem, finita ea, deponitur. l. in omni 13. D. de adoption. l. ſi quis tutor 60. §. Quid ergo 6. D. de ritu nupt.* Unde & deponitur jus Civitatis adoptione quæſitum. *l. ſed ſi* 16. juncta *l.* 1. & *l. ordine 15. §. ult. D. ad municip. l. cives 7. Cod. de incolis, & ubi, lib.* 10. & jus familiæ, agnationis, & conſanguinitatis, ſpecies agnationis eſt, ſive fraternitatis inter eos, qui ex eodem patre nati. *l. per adoptionem 17. dict. l. quin etiam 55. §. 1. D. de ritu nupt.* junctis *l. 4. D. unde cognat.* Denique & filii jus, ſive ſui hæredis, ſucceſſioniſque, undecumque eo, vel agnationis nomine, per adoptionem obtinendæ. *l. 1. §. Liberos 6. l. liberi 4. D. ſi tabulæ teſtam. null. extab. & unde liberi. l. ſi quis filium 6. D. de conjug. cum emancip. lib. ejus. l. quidam 132. D. de verb. oblig. §. Adoptivi, Inſtitut. de exhæred. liber. §. At hi 10. cum §§. ſeqq. Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt.*

4 Sed hæc, ut poſui, Papiniano exponendo in *dict. l. in omni* 13. finita patris adoptivi poteſtate, eo ſcilicet vivente, quod per emancipationem contingit. Nam, ſi adoptio, patris adoptivi morte, finiatur, manent adhuc ejus volæ, & veſtigia, nempe jus filii, familiæ, agnationis, conſanguinitatis, ſucceſſioniſque inde ſperandæ. *dict. l. 3. §. Si pater. l. utrum 9. D. de bonor. poſſeſſ. contra tab. l. 1. §. ſuos*, & *§. Interdum, & §. ult. l. 2. §. Parvi D. de ſuis & legit. hæred. l. 2. §. Liberi 6. l. ſi quis inteſtatus 7. D. ad S. C. Tertyll. l. cum ratio 7. §. Ex bonis D. de bonis damnat. d. l. 1. §. Liberos 6.* & *l. 4. D. ſi tab. teſt. null. ext.* cum ſimilibus. Manebit itaque & patria dignitas quæſita per adoptionem, etiam ea per mortem adoptantis finita, & Senatoris filius, quoad leges noſtras, habebitur adoptivus, etiam mortuo patre adoptivo, quia in familia ejus manet, quod exigitur in *d. l. Senatoris* 6. Nimirum alia, & potentior eſt, in hac re, emancipationis ratio, quam mortis. Emancipatio cum Civilis Juris ſit, & deductione emancipandi in imaginariam ſervilem cauſam, ejuſdem caput civile, ſeu ſtatum minuat, & familiam mutet, ac perimat. *l. 1. l. 3. §. 1. l. ult. D. de capite minutis:* perimit utique & familiæ jura, eiſdemque adnexa filii, agnationis, conſanguinitatis, ſucceſſionis, dignitatis, & ſi quæ alia legitima, legitimo, ſive civili adoptionis jure quæſita, ut in *l. ſi qua 12. §. ult. D. de ritu nupt. l.*

qui in adoptionem 23. *D. de adoption. l.* 4. §. *Cognationis* 2. *D. de gradibus.* juncta regula *l. eas* 8. *D. de capite minut.* §. *ult. Inſtit. de legit. agnat. tut.* §. *Minus* 11. *Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt.* Mors autem adoptivi patris, cum adoptivum filium poteſtate liberet, ac ſui juris faciat, ſine capitis minutione, & conſequenter ſine commutatione ſtatus libertatis, civitatis, familiæ. *l.* 3. §. *ult. D. de Senatus Conſ. Maced.* juncta *l.* 1. *& ult. D. de capite minut.* relinquit eum, in vetere familia adoptiva, cujus communi corpore, ac veluti complexu, quicumque ſub unius patris familias poteſtate fuerunt, etiam, mortuo illo, comprehenduntur. *l. pronunciatio* 195. §. *communi D. de verbor. ſign. l. peto* 69. §. *ult. D. de legat.* 2. Ideoque & retinentur civilia jura familiæ, & adjacentium, tam circa ſucceſſionem, quam quoad dignitatem, & gradum filii Senatoris, in quo Accurſium peccantem notat merito Albericus in *dict. l. in omni* 13. *D. de adoptionibus.*

5 Nec, pro Accurſio in contrarium vocat Proculi locus in *l. ſi is, qui nepotem* 44. *D. de adoption.* ubi, ſi is, qui nepotem ex filio habet, in nepotis loco aliquem adoptavit, Proculus ſcribit, ſe non putare, *jura conſanguinitatis inter nepotes futura eſſe, mortuo avo.* Non quidem, quaſi vivo avo fuerint ea, quæ morte illius, adoptione finita, interciderint, quod Accurſio ita, & dextre parum acceptum, aut perceptum, impoſuit, ſed quia, ut jam olim obſervabam, de jure conſanguinitatis, ſive fraternitatis civilis inter nepotes, hoc eſt de effectu mutuæ, ac legitimæ ſucceſſionis, & tutelæ, eiſdem tamquam fratribus, conſanguineis, & agnatis, jure tributo, quod conſanguinitatis jus vocatur in *l.* 4. *D. unde cognati. l. ult. D. unde legitimi. l.* 1. §. *ult. D. de ſuis & legit.* cum aliis vix, niſi mortuo avo, tractari neceſſe eſt, quo tempore nepotes, patres familias facti, hæreditatum, tutelarumque compotes eſſe incipiunt, non ante. *l. muto* 6. §. *ult. D. de tutel. l. lex Cornelia* 28. §. *Sed ſi pater D. de vulgari.* Et ideo, mortuo avo, reſpondet Proculus in *d. l. ſi is, qui* 44. ſicut & in *l. ſi is, qui filium* 11. *D. de adoption.* affirmatque, eo tempore, non futura jura conſanguinitatis inter nepotes, quia adoptatus nepos proponitur, non quaſi ex eo filio natus, qui in poteſtate eſt, ſed ſimpliciter, quaſi ex quolibet, vel incerto filio, ut in *l. ſi pater familias* 15. §. 1. *l. adoptiones* 43. *D. de adoption.* Nec poteſt jus conſanguinitatis eſſe inter eos, qui conſanguinei fratres non ſunt, quia non ex eodem patre nati ſunt, aut finguntur. §. 1. *Inſtit. de legit. agnator. tutel.* Unde & diverſum eſt, ſi adoptetur ſic nepos, *ut etiam jure legis nepos ſuus ſit, quaſi ex Lucio filio ſuo* (ex quo & alius nepos in avi poteſtate eſt) *& ex matre familias ejus natus eſſet.* in *d. l. ſi is qui* 44. juncta *l. cum nepos* 6. *l. ſi quis nepos* 10. cum *l. ſeq. D. de adopt. l. Gallus* 29. §. *Ergo & ſi* 9. *D. de lib. & poſth. l. ſi quis filium* 6. *D. de conjung. cum emancip. lib. ejus.* Quo caſu erunt & jura conſanguinitatis inter nepotes, quia ex eodem patre Lucio nati finguntur, naturalis jure naturæ, & adoptivus *jure legis*, id eſt poteſtate adoptionis, & legitimo juris remedio. *l.* 1. §. *ult. D. de ſuis & legit. l. ſi quis inteſtatus* 7. *D. ad S.C. Tertyll. l. ſi qua* 12. §. *ult. D. de ritu nupt. l.* 4. §. *Cognationis* 2. *D. de gradibus*, quomodo verba illa, *jure legis*, explicanda, cum Claſſicis, apud Proculum, & illuſtranda ex ſimili phraſi apud Tryphoninum in *l. in bello* 12. §. *Manumittendo* 9. ibi: *Lege noſtra, quam conſtitutio fecit. D. de captiv. & poſtlim. l.* 1. *Cod. ne fidejuſſ. dot. dentur*, ibi: *Sive ex jure, ſive ex conſuetudine lex proficiſcatur.* Auſonio in *Monoſyllab. Eidyl.* 16.

Lex, naturali quam condidit imperio Jus.

Nec commutanda in *jure, legeque*, ex arrogationis formula, apud A. Gellium *lib.* 5. *noct. Attic. cap.* 19. ut, poſt Duarenum, Balduinus, Contius, Corraſius, aliique tentant, critico oeſtro perciti.

6 Diſtat multum porro in hac parte, ab adoptivo Senatoris filio, emancipato, naturalis filius ejuſdem emancipatus, aut in adoptionem datus plebejo. Namque, utroque caſu, naturalem Senatoris filium manere docent, ad leges noſtras, Ulpianus, & Paulus in *d. l. Senatoris* 6. §. 1. *l. emancipatum* 7. *D. de Senatoribus* (quarum veluti ſumma extat in *Baſilicis lib.* 6. *tit.* 1. *cap.* 5. junge *l. ſi quis tutor* 60. §. *Naturales. l. non eſt* 66. *D. de ritu nupt.*) quia quamvis minima capitis diminutio, quam emancipatione, aut in adoptionem datione, naturalis filius patitur, perinde, in naturali, ac in adoptivo jura familiæ, & adjacentia ſui hæredis, & filii, quod ad Jus Civile attinet, mutet, ac minuat. §. *Emancipatos cum ſeq. Inſtit. de exhæred. lib.* §. *Emancipati, cum* §. *ſeq. Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt. l.* 3. *&* 6. *D. de capite min. l. ult. Cod. de adoption.* & in tractatu legum noſtrarum, emancipatus filius non computetur inter liberos patris Conſulis, ut prior faſces ſumat, ex capite illo ſeptimo Juliæ legis, de quo A. Gell. *lib.* 2. *noct. Attic. cap.* 15. juncta *l. Proconſules* 14. *D. de offic. Proconſ. l. bello* 18. *D. de excuſat. tutor.* non tamen, & perinde, in utroque intervertit minima capitis minutio jus dignitatis patriæ Clariſſimatus, ſeu Senatoriæ eiſdem tamquam filiis quæſitæ. Quippe hæc in Senatore, & naturalibus ejuſdem filiis, pendens ex publico Civitatis jure, commune nihil habet, cum privato jure familiæ. *l. amiſſione* 5. §. *ult. cum l. ſeq. D. de capite minut.* ubi docte hæc diſtinguit Anonymus Scholiaſtes Baſilicon *lib.* 46. *titul.* 2. Sed communicatur eiſdem, ſive defertur tamquam filiis naturali jure ſanguinis, quod civili emancipationis ratione tolli non poteſt, *l. eas* 8. *D. de capite min. l. jura* 8. *D. de reg. jur. l. peto* 69. §. *ult. D. de legat.* 2. ſicut neque, dationis in adoptionem imagine, obumbrari, aut corrumpi. *l. filio* 23. *D. de liber. & poſth. l.* 4. §. 1. *ſi tabulæ teſt. null. ext. l.* 2. §. *Liberi* 6. *D. ad S. Conſ. Tertyll.* Eadem vero dignitas in adoptivis Senatorum filiis, ſicut per adoptionem quæritur, ita & nititur non naturali, ſed legitimo ejuſdem jure, acceditque filiorum, & familiæ civili nomini, quod adoptio tribuit, unde, iſta finita, ſimulque nomine familiæ, & filiorum, contrario emancipationis Civili Jure, dignitas etiam illis adnexa deponitur. *d. l. in omni* 13. *D. de adoption.* juncto §. *ult. Inſt. de legit. agnat. tut.* §. *Non minus* 12. *Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt.*

7 Huc autem proprie pertinet, atque hinc elucidandum, quod Paulus reſpondit, in *l. per adoptionem* 35. *D. de adoptionibus*, nempe per adoptionem dignitatem non minui, ſed augeri. Quod ſane pronunciatum, tametſi vulgo Interpretum indiſcuſſum, mihi ſerio, & ſimpliciter perpenſum, dato, ut ita loquar, æqualitate terminorum, ſuboſcurum quidem eſt. Cur enim adoptionis, quæ ſicut adoptatum novo filii, & familiæ ſtatu auget, ita priori capite minuit, non eadem & æqualis poteſtas ſit, in dignitate augenda, & minuenda? Aut, cur illam afferre poſſit, auferre non poſſit? Cum regulariter, par ratio ſit adquirendi, amittendique. *l. nihil* 35. *l. fere* 153. *D. de regul. jur. l. prout* 80. *D. de ſolution.* An non, ſicut adoptio dignitatem ejus, qui à Senatore adoptatur, auget, minuet etiam eamdem, ſi idem à Senatore poſtea in adoptionem plebejo detur. Ut in *l. adoptare* 37. §. 1. *D. de adoption.* Mihi certe hoc poſtremum veriſſimum videtur, ut, quemadmodum adoptione, per emancipationem, finita, ſimul, cum reliquo familiæ jure, & patria dignitas, quæſita per adoptionem, deponitur, *d. l. in omni* 13. *D. de adoption.* ita etiam deponatur, ſi adoptatus à Senatore detur rurſus in adoptionem plebejo, cum perinde hæc adoptio atque emancipatio ſit prioris ſtatus, per adoptionem quæſiti, commutatio, & capitis diminutio. *d. l.* 3. §. 1. *D. de capite min.* juncta *l. ult. Cod. de adoption.* Sed, quod ad Paulum attinet, in *d. l. adoptionem* 35. animadverto in primis, tractare eum de dignitate jure proprio, aut natalium, non per adoptionem quæſita, ut indicat illatio de Senatore, cui jure proprio & naturali filio Senatoris, cui jure ſanguinis, ſeu natalium dignitas filii Senatoris parta eſt. Eo autem caſu

Digitized by Google

caſu poſito, ſive in his, ut loquuntur, terminis, rectiſſime ait Paulus, per adoptionem, dignitatem augeri, non minui. Nam, ſi Equitis Romani filius à Senatore adoptetur, augebitur adoptati dignitas, & ex Equeſtri fiet Senatoria, ſive filii Senatoris, quia neque ita naturali juri ſanguinis per civile adoptionis detrahitur, ſed adjicitur, cum nomine filii Senatoris, amplior dignitas Senatoria; ſicut ſi Senatoris tantum Clariſſimi naturalis filius, à Conſulari aliquo, aut Illuſtri, adoptaretur, augeretur, per adoptionem, Clariſſimatus dignitas, eſſetque Conſularis, aut Illuſtris. At contra, naturali filio Senatoris, aut Equitis, adoptato à plebejo inferioris dignitatis, non minuitur, ſive amittitur per adoptionem prior dignitas; ei enim jure ſanguinis, & natalium ſubnixæ, detrahere civile jus adoptionis non poteſt, ut ſupra expoſuimus. Fuit autem alia, & peculiari ratione ſubnixum, Clodianæ adoptionis, de qua erudite noſter Suarius Mendoza *ad legem Aquil. in apparatu cap.* 1. *num.* 6. *&* 7. Proinde eſt in his terminis, ſicut diverſa ratio afferendi, & auferendi, ita & major poteſtas adoptionis in dignitate augenda, quam minuenda; conſentitque Pauli reſponſum, ſic explanatum, cum ratione Juris, quam aperuimus. Pertinetque ad eamdem ſententiam, & ex propoſitis facile illuſtrandus Papiniani locus in *l. ordine* 15. *§. ult. cum l. ſeq. l. libertus* 17. *§. In adoptiva D. ad municip. l. in adoptionem* 7. *Cod. de adoption.* De queis tamen, & aliis, ſimulque de quæſtione, ſuperioribus nexa, & per quam pleraque, ex jam traditis, produci ad uſum fori videntur, an ſcilicet, adoptivi Romano, aut Regio Jure, nobilitate patris adoptivi fruantur, dicemus opportunius ad Appendicem illam legum noſtrarum, ex Senatus Conſulto Neroniano, quo cautum, ne adoptio ad præmia patrum proficiat.

CAPUT III.

Ad leg. Senator 5. in fine. l. Emancipatum 7. in princip. & §. 1. D. de Senator.

ARGUMENTUM.

Filius ſuſceptus, ante quam pater Senator eſſet, habetur pro filio Senatoris, non item ſuſceptus, poſtquam pater Senator eſſe deſiit. Et qua utrumque Juris ratione? Objectioni ex l. 11. Cod. de dignitatibus, *fit ſatis, ex duobus loci illius interpretamentis, probato magis poſteriore, cum diſtinctione inter onera Senatoria, & honores. Objiciuntur aſſertioni Pauli, in* l. filii 22. §. Senatores 5. D. ad municipal. *De Senatoris filio, ante patris dignitatem ſuſcepto, eximendo, tamquam Senatorio, origine curiali. Contraria Cæſarum Conſtituta. Eis componendis obſervatur, diſcerni oportere, quæ ante Conſtantinum, & quæ poſtea obtinuere. Idque, tam in Senatoriis, quam in Illuſtribus, & Spectabilibus, ac Protectoribus. De Decuriarum, ac decurionum pro ſeculorum varietate, vario ſtatu. Non paucis inde locis in Theodoſii, & Juſtiniani Codice data pax. Data eadem, & prælata fax* l. 6. Cod. de ſuis & legitim. *cum* l. 9. §. Sed utrum 14. D. de pœnis. l. 2. §. In filiis 2. D. de Decurionibus.

1 SEd adoptivis, jam manu emiſſis, reſtat adhuc, in eiſdem illis capitis legis Juliæ verbis, *qui filius*, ad inchoatam de Senatorum filiis diſputationem pertinens, inſpectio de naturalibus, ſimulque juſtis filiis, qui, & quales, aut quatenus Senatorum filii intelligantur iſto capite legum noſtrarum. In quo illud primum Ulpianus docet *lib.* 1. *ad Legem Juliam, & Papiam* in *d. l. Senatoris* 5. in fine *D. de Senator.* non intereſſe, *jam in Senatoria dignitate conſtitutus* Senator, filium ſcilicet natura, & jure verum, *ſuſceperit, an ante dignitatem ſenatoriam.* Proinde ſentit Ulpianus, eum etiam, qui, priuſquam pater Senator eſſet, ſuſceptus eſt, Senatoris filium haberi debere, ne, juxta leges noſtras, libertinam, aut ludicra arte infamem, ducere poſſit. Et quidem merito, quippe quamvis conceptus, natuſque, poſt amiſſam dignitatem Senatoriam à patre, non ſit in noſtris legibus, quaſi Senatoris filius, ut Ulpianus idem notat in *d. l. emancipatum* 7. *§.* 1. *D. de Senatorib.* quia dignitas, ante conceptionem filiorum amiſſa, tranſmitti ad eos, qui nondum erant, cum amiſſa eſt, à patre non poteſt. *l.* 2. *§. Sed ſi pater D. de decurion. l. amoris* 9. *§. penult. D. de pœnis.* Eademque in contrarium ratione, nec communicari poſſe videtur dignitas filiis, quam, quo tempore filii eſſe incipiebant, adeptus nondum fuerat pater, argumento ex *l.* 1. *§. Si quis proximior D. unde cognati. l. Titius* 6. *cum duabus legib. ſeqq. D. de ſuis & legit. hæred.* In propoſito tamen, inter caſum amiſſæ dignitatis, nondumque adeptæ, non inelegans diſcriminis ratio eſt. Namque conceptus poſt amiſſam dignitatem patris, nullo unquam momento, ex quo conceptus eſt & filii numero eſſe cœpit, Senatorem patrem habuiſſe dici poteſt, ideoque nec haberi pro Senatoris filio. At eum, qui ſuſceptus ante dignitatem adeptam, quamvis cum primum naſcitur, aut concipitur, Senatorem patrem non habeat, poſtea tamen, patre dignitatem adepto, Senatorem patrem habere negari non poteſt; quod & ſufficit, ut Senatoris filius dicatur in noſtris legibus. Nec enim Juliæ legis verba, in *d. l. lege* 44. *D. de ritu nupt.* ſunt de conceptis, natiſve ex Senatore, qualia ſi eſſent, ſtricte, proprieque, ſoli ex patre tunc Senatore nati, aut concepti continerentur, ſed *ſimpliciter* de filiis Senatorum; quales intelliguntur, quibus conceptis, natiſve, aut quocumque tempore poſtea Senatorem patrem habere contigit; quomodo & alibi Marcellus diſtinguit inter teſtamentum militis, & factum à milite. *leg. Titius* 25. *D. de teſtament. milit.*

Conſentiunt ſane Ulpiano, in *d. l. Senatoris* 5. 2
quoad Senatorum filios, ut origini municipali eximantur, etiam ſuſcepti ante dignitatem patris Senatoriam, Paulus in *l. filii* 22. *§. Senatores*, ibi: *Quoque tempore nati D. ad municip.* (ſic enim Florentina lectio habet, quam & ſequitur ad rem, poſt alios, Cyriacus Niger *tom.* 3. *controverſ.* 450. *num.* 18.) quoad filios autem Decurionum (qui & minores Senatores dicuntur) ut vel ſuſcepti ante Decurionatum eximantur plebeiorum pœnis, dignitatis paternæ privilegio, Ulpianus in *l. moris* 9. *§. Sed utrum D. de pœnis. l.* 2. *§. In filiis D. de Decurion.* Denique in filiis Advocatorum Fiſci, quandocumque ſuſceptis, ut cohortalis conditionis vinculo liberentur. *l. cum advocatio* 8. *Cod. de advocat. div. judicior. l.* 2. *Cod. de advocat. div. judicum.*

Diſſentire autem prorſus videtur Valentis Con- 3
ſtitutio in *l. Senator.* 11. *Cod. de dignitat. lib.* 12. cujus argumento, cum Accurſio Bartolus ibi, Platea, & alii docent, non eſſe Senatoris filium, aut patriæ dignitatis participem eum, qui natus eſt, ante quam pater dignitatem Senatoriam ſuſciperet; idque ipſum ad forenſes quæſtiones, de quibus poſtea, varie producunt; & abrogari in *d. l. Senator* 11. Ulpiani ſententiam in *d. l. Senatoris* 5. contendit Hottomanus *illuſtr. quæſt.* 2. alii aliter, apud Hilligerum ad Donellum *lib.* 24. *cap.* 22. *litt. P.* Sed conciliatio eſt non in difficili, & quidem duplex. Prima expeditior, & Duareno 2. *diſputat. cap.* 29. Petro Gregorio *lib.* 7. *de Republic. cap.* 9. &, poſt alios, Aroiſeo *de Republ. lib.* 2. *cap.* 2. *ſect.* 11. *num.* 10. *&* 19. atque aliis recepta, ut retento vulgari initio, *ſi Senator*, in *d. l.* 11. ſic ejus loci lectio, & mens concipiatur: *Si Senator, vel alius Clariſſimus, privatos habeat filios, quippe editos*, ſive, nempe ſuſceptos, *antequam ſuſciperet dignitatem*; quamvis, nec ex Senatore ſuſcepti, nec Clariſſimi, ſtricta ratione, eſſe videantur, cum tamen *paternos honores invidere filiis*

non oporteat, benigniori interpretatione, *à Senatore, vel alio Clariſſimo ſuſceptum* (ſcilicet etiam ante dignitatem) *in Clariſſimatus, ſciendum eſt, dignitate manſurum.* Et conſequenter, quaſi Senatoris filium intelligi. Parentheſis autem illa, ſive hyperbaton, *quod non ſolum*, cujus interjectione contextus *d. l.* 11. rumpitur, & obſcurior redditur, oſtendit jus hoc de filiis ante dignitatem, non ſolum in filiis maſculis conſtitutum, ſed etiam, circa filias ſervandum eſſe.

4 Secunda, mihique probabilior conciliatio eſt, à Cujacio leviter inſinuata, ut, ſalva receptiſſimæ lectionis & ſenſus forma, ſeu facie in *d. l. Senator* 11. diſtinguantur onera Senatoria, & honores. Fuit autem inter onera Senatoria, & quidem gravia, Imperio declinante, functio glebalis, ſive canon, munus, oblatio, penſio, quam pro gleba, ſeu poſſeſſionibus, Senatores ſinguli in auro inſerre publico, cogebantur; ejus multa, & ſignata mentio in *Fragmentis tit.* 2. *lib.* 6. *Codicis Theodoſiani*, & apud Symmachum *lib.* 4. *Epiſt.* 62. Syneſium *Epiſt.* 38. Zoſimum *lib.* 2. donec ſublata eſt Conſtitutione Martiani, & Valentiniani Junioris. *l.* 2. *Cod. de Prætor. & honore præturæ, & collatione, & gleba, & folli, & ſeptem ſolidorum functione ſublata. lib.* 12. Ad hoc vero functionis Senatoriæ genus pertinere priorem partem *d. l. Senator* 11. oſtendit in Theodoſii Codice principium *tituli* 2. *lib.* 6. Cujacio viſum, nec laudatum, ubi cum ſubſcriptio illa, *Hierapoli Gratiano A. & Merobaude Coſſ.* eadem plane ſit cum ſubſcriptiono *dict. l.* 11. extat etiam (aliis ejuſdem legis periodis, vetuſtatis injuria, exeſis) parentheſis illa, *quod non ſolum*, ſic inſuper aucta, & concepta: *Cœleſti oraculo glebalis neceſſitas auferatur. Quod non ſolum circa viros dignoſcitur conſtitutum, verum etiam circa filias ſimili conditione ſervandum.* Unde & ſuademur facile, partem eſſe id principium, tametſi lacerum, truncumque *d. l. Senator* 11. & priorem loci hujus definitionem, ad onus Senatoriæ glebæ referri oportere; ut proinde & ſententia hæc ſit: *Senator, vel alius Clariſſimus, privatos habeat filios*, hoc eſt plebejos, neque obnoxios publicis Senatoriis functionibus, quibus patres non ſatisfecerant, nempe ſuſceptos ante dignitatem; à quibus, & idcirco *Cœleſti oraculo*, ſive hac Conſtitutione, *glebalis neceſſitas aufertur.* Idque, non ſolum circa filios maſculos, ante ſuſceptos, conſtitutum, ſed etiam circa fœminas ſimili conditione ſervandum; quomodo in eadem fere re, in oneribus Senatoris ſubeundis, poſt finitam patris dignitatem, fœminæ, ſive filiæ, filiis maſculis eaæquantur, Conſtitutione Valentis, in *l. divinum* 17. *Cod. Theod. de prætorib.* juncta *l. ult. titul.* 2. *lib.* 6. *ejuſdem Codicis.* Sed hæc, ut poſui, quoad Senatoriam glebæ functionem, cui coarctandæ, utpote odioſæ, & oneroſæ, *d. l.* 2. *Cod. de Prætorib. lib.* 12. Senatoris filiorum appellationem anguſtius circumſcribimus, nec tales, ut glebale onus agnoſcant, eſſe cenſemus ſuſceptos ante dignitatem, argumento ex *l.* 2. *Cod. de libertis, & eor. liber.* Sed quod ad Senatorios honores attinet, quales ſunt, ademptio connubii cum libertinis, ſceniciſque, *l. Senatores* 47. ibi: *Nec enim honos, D. de ritu nupt.* & exemptio ab origine, & pœnis plebejorum; cum, ut ſcriptum eſt in *d. l.* 11. *paternos honores invidere filiis non oporteat*, maneant, poſt patris mortem, Clariſſimi, etiam ante dignitatem ſuſcepti à Senatore, aut alio Clariſſimo. Eaque, niſi fallimur, germaniſſima *d. l.* 11. expoſitio eſt, præviſa illic Cujacio & perſpecta, poſt hæc ſcripta viſo, Jacobo Gothofredo, ad *leg.* 1. *C. Theodoſ. de Senatoribus*: quin &, poſt Cujacium, Bocero & aliis, apud Beſoldum *tom.* 1. *diſc. polit. diſſert.* 2. *de nobilitate cap.* 11. *num.* 37.

5 Sed &, quod ſupra diximus, Senatorum filios intelligi vel ante dignitatem ſuſceptos, ut & origini municipali eximantur. *d. l. filii* 22. §. *Senatores D. ad municip.* quamvis &, ut ibidem ſcriptum eſt, municipalem dignitatem retineant, & conſequenter Decurionatus honorem, ut vnœatur in *l.* 2. §. *ult. l. Spurii* 6. in *princip. & §. Qui judicii. l. penult.* §. 1. *& ſeqq. D. de Decurionib. l. à Decurionatu* 5. *D. de vacat. & excuſat. muner.* ideoque &, quantum ad honores, retineant jus originis, ſeu domicilii dignitatis, & quod eſt amplius, jus incolatus, ſi & in Provincia, ac municipio larem foveant *l. municeps* 23. *D. ad municip. l. penult. D. de Senatorib. l.* 2. *Cod. ubi Senatores, vel Clariſſimi. l. Senatores* 8. *Cod. de incolis. lib.* 10. Accuratiorem tamen explicatum deſiderat. Namque in primis, quod attinet ad quæſtionis noſtræ caput, filioſque Senatorum ante dignitatem ſuſceptos, non haberi eos pro filiis Senatorum, neque eximi paternæ origini municipali, ſed curialibus, aliiſque Patriæ provincialis oneribus obnoaios manere, proditum perſpicue eſt in *l. qui curiali* 58. *verſ. ſi permanſerit. l. univerſi* 69. in fine. *l. in his* 74. in *princip. l. quia* 155. *Cod. Theodoſ. de Decurionib.* Deinde & quoad filios, non quidem Senatorum, ſed aliorum tamen, Spectabili, aut Illuſtri, aliove quovis ſummæ dignitatis, & Clariſſimatu Senatorio majoris titulo præcellentium, veluti Patriciorum, Conſulum, Præfectorum, non cenſeri inter filios harum perſonarum, ſuſceptos ante dignitatem, ideoque nec origine curiali, nec muneribus patriæ eximi, privilegio dignitatis paternæ, poſt eorum nativitatem adeptæ, notat recte, inter Veteres, Albericus ex *l. doctitii* 63. in fine. *l. neminem* 64. *l. Divæ* 65. *l. ult. verſic. anterioribus cum ſeqq. Cod. de Decurionib. libr.* 10. juncta *l. quicumque* 7. *Cod. de principib. agent. in rebus lib.* 12.

Quare ut pugnantia hæc, quæ, velut clauſis ocu- 6
ſis, vulgares, eruditique Interpretes tranſmittunt, &, quod miramur, accuratus ille Codicis Theodoſiani commentariorum Scriptor, Gothofredus à qun in laudatis legibus *de Decurionibus*, & in *d. l.* 1. *de Senatoribus*, nihil eſt, quod ſuppetias requiras; ne poſthac juventuti tenebras offundant, quæ expendimus, præmonendum paucis eſt, quod & in aliis Juris quæſtionibus obſervaſſe juvabit, cum de exemptione quæritur ab origine municipali, & curiali, diſtinguendum eſſe Jus vetus, quod Conſultorum tempore ad Conſtantinum uſque viguit, ab eo, quod poſt Conſtantinum, ſub poſterioribus Cæſaribus, Imperio declinante, aut cadente, in uſu fuit. Namque ante Conſtantinum, & Romani Senatus ſanctior Majeſtas, & florentiora municipia, atque curiæ, & honores curialium nondum tot publicis oneribus obnoxii cum eſſent, ſat etiam cauſæ fuiſſe videtur, ut privilegio Senatoriæ dignitatis non modo Senatores ipſi, ſed etiam eorum filii, ante dignitatem ſuſcepti, origine municipali, & curiali liberarentur, cum verendum non foret, ne non eo minus Curiis, & municipiis, tunc florentiſſimia Decuriones multi ſuppeterent, atque hoc amplius jus eſſet, Decurioni jam Senatori, municipalis dignitas, & originis retinendæ, & honores, ſi vellet, in patria obeundi, quomodo Paulum, & Hermogenianum accipio, in *d. l. filii* 22. §. *Senatores* 5. *l. municeps* 23. *D. ad municip.* Erat enim tunc proprie, vereque Curia, Ordo civium in municipiis, & coloniis ſplendidiſſimus, ϗ τῆς βασιλευούσης πόλεως μίμημον, ſive ad inſtar Regiæ Urbis, & Romani Senatus inſtitutus, in quem conſilii publici gratia, &, ut ſummam Rempublicam regerent, nobiliores, honoratioreſque cives allegebantur. *l. pupillus* 239. §. *Decuriones D. de verbor. ſignif. l. municipes* 14. *D. ad municip.* Juſtinianus *Novella* 38. *de Decurion. in princip.* Unde & Curia ipſa minor Senatus, & Decuriones Curiæ ſuæ Senatores dicuntur. *l. omnes* 33. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *Novella Majoriani* 1. *de curialib.* ſive, ut indigetat Auſonius in *Moſella*

Summi municipum Proceres, propriuſque Senatus.

Et Decuriones ipſi, non tantum propriis titulis principalium, honoratorum, patrumque Civitatum, ſed etiam inſignibus conſpicui, quæ ornamenta, Decurionalia, in inſcriptionibus vocari ſcio, ad imaginem amplissimi Romani Senatus, in pœnis, privile-

vilegiiſque, cenſu, connubiis, & honoribus, à plebejis diſtinguebantur, ſimulque in obeundis primariis magiſtratibus municipiorum, & Sacerdotiis Provincialibus, & adminiſtranda ſuis ſuffragiis & Decretis cujuſque Civitatis publica re, cum quali quali Imperii, & Juriſdictionis uſu cæteris antiſtabant. Quæ ſingula teſtimoniis firmare, ex *Adverſariis* noſtris ad *titulos de Decurionibus*, non difficile eſſet. At ſatis ſint diſcentibus notata ad eos titulos à Gothofredo, & poſt alios noſtrate Amaya.

7 Sed liceat mihi, brevitatis ergo, in re perſpicua, eſſe negligentem. Atque interim ſplendori antiquo Curiarum, & municipalium honorum oſtendendo, vel illud ſatis, quod & Adrianus jam Imperator, pleroſque Decurionum in municipiis, & coloniis honores obiit, ſuitque in patria ſua Italica quinquennalis, & per Latina Oppida Dictator, Ædilis, Duumvir, alibique Demarchus, aut Archon, ut memorant Spartianus in *Adriano*, Trebell. Pollio in *Gallienis*, vetuſque *Inſcriptis* laudata Scaligero. Liberationem autem, ſeu vacationem ab origine, & muneribus curialibus facilius ante Conſtantinum indulgeri ſolitam, ob florentem adhuc ſtatum Curiarum, eſſe vel documento poteſt, quod eo tempore, quin & ſub Conſtantino, atque ejus filiis, & Valentiniano, & Gratiano, quamvis inhiberetur in poſterum Curialibus ad Senatum Romanum aditus, eis tamen, qui vel aliquot ante annis Senatum ingreſſi, vel altioris gradus, aut tituli fuerint Senatores, immunitas à Curiali origine non negatur; ut addiſcere licet ex *l. dubium* 14. *l. ad Senatum* 18. *l. Magiſtratus* 29. *l. ſi qui* 48. *l. non obſtat* 52. in fine, *l. nemo* 57. *l. omnes* 65. *l. qui nullo* 73. cum *l. ſeqq. per totam*, *l. univerſos* 90. *Cod. Theodoſ. de Decurionib.* Neque id novum, aut mirum; quippe eodem tempore, Conſtantiniano ſcilicet, aut anteriore, non modo Illuſtres omnes, Spectabiles, Clariſſimæque Dignitatis eximebant curiali origine, ſed etiam pleraque privilegia militiæ armatæ, aut palatinæ, veluti protectorum domeſticorum, aut veteranorum, *l. 2. Cod. de excuſation. muner. lib.* 10. *l. 1. Cod. de veteranis*, *lib.* 12. *l. eos qui* 5. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* Merito itaque, ex eadem ratione, & ante Conſtantinum, inter veteres Juriſconſultos obtinuit, Senatorum filios, etiam ſuſceptos ante Dignitatem Senatoriam, eximi origine municipali, & curiali, ſervato tamen eiſdem municipali dignitatis jure, ſi velint Decurionum honoribus in patria fungi. *d. l. filii* 22. *§. Senatores*, *D. ad municip.*

8 At poſt Conſtantinum, & ſub Cæſaribus illum in Imperio ſecutis, ſicut in univerſum res Romana retro fluere, & ſublapſa referri cœpit, ita & ruere in exitium, non dubium, municipia, atque Curiæ, ſic ut exinde Decurionum nomen, & munus ſpecie quidem, & vultu, honor, re autem ipſa onus graviſſimum, & intolerabile, ut memorat Leo Philoſophus *Novella* 46. & ſervitutis publicæ genus eſſet. Namque antiquis illis, receptiſque Decurionum functionibus, adminiſtrationis bonorum Civitatum, præbitionis annonæ, editionis ſpectaculorum, venditionis prædiorum ſuorum inhibitæ ſine Decreto, & bonorum quartæ ad Curiam pertinentis, eique relinquendæ, acceſſit, ſive accrevit enormiter, labante Imperio, atque undique Barbarorum incurſionibus fatigato, gravior cæteris ſarcina tributorum, quæ, utcumque rei Romanæ tuendæ, neceſſaria, ceſſere tamen in perniciem certam Curiarum, & Decurionum, à quibus omnes vectigalium, & diſtributionum formæ ſic adminiſtrabantur, ut & quantum deeſſet, de ſuo ſolverent, ut ſignificatur in *l. unica Cod. Theodoſ. de privileg. dom. Auguſtæ*, & in *Novella* Majoriani 1. *de Curialibus verſ. compulſor.* His, aliiſque de cauſis, cum Decurionum vitæ conditio infelix, & moleſta, publice, adeo eſſe cœpiſſet, ut nemo, niſi invitus ſe adſcribi pateretur Curiarum Albo, *improbiſque libris*, πονηροῖς βιβλίοις ut loquitur Syneſius *Epiſt.* 93. *ad Heſych.* Quin & originarii Curiales paſſim extorres, profugique ſolum verterent, ut quoquo modo Curias effugerent, ut Iuſtinianus omnium optime memorat in *Novella* 38. *de Decurion. in princ.* Majorianus *d. Novella* 1. *de Curialib.* juncta *l. quidam* 26. *l. quamvis* 51. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *l. unica Cod. ſi Curialis relicta Civit. d. lib.* 10. &, quod vel adhuc aperte magis miſerrimum Curialium ſtatum detegit, ſæpe, pœnæ nomine & loco, criminoſi Curiis deputarentur, legibus incaſſum vetantibus. *l. ne quis* 38. *Cod. de Decurionib. lib.* 10. Nicephor. *lib.* 10. *Hiſtor. Eccleſ. c.* 13. Neceſſe omnino fuit, exhauſtis Civitatum Ordinibus inſtaurandis, ne Curiæ ſimul viris & viribus deſtitutæ funditus interirent, pleraſque immunitates à Curiali origine, quas anteriores Cæſares florentiore Republica & ſæculo liberalius indulſerant, poſtea ſenſim recidere, aut abolere. Ergo in primis liberatio à Curia, ex cauſa militiæ, quam Protectoribus (qui, ex Prætorianis Cohortibus ſelecti, tuendo Imperatorio lateri in aula excubabant, honoratiore veteranis aliis gradu & prærogativa) indiſtincte ſub Conſtantino, & ante indultam fuiſſe, oſtendimus, reſtricta poſtea primum eſt à Conſtantio, in *l. quoniam* 38. juncta *l. Curiales* 88. *l. omnes* 100. *Cod. Theodoſ. de Decurionib.* & ſublata tandem apertius, in *l. neminem* 64. *cum l. ſeq. Cod. de Decurion. lib.* 10. junctis *l. nonnulli* 153. *eod. tit.* in *Cod. Theodoſ. l. 3. Cod. eodem de teſtimoniali ex Tribunis*, ut ex ſuperioris obſervationis filo deduximus jam olim, & ſcripſimus in extemporanea *Commentatione ad leg. 2. Cod. de excuſation. muner. lib.* 10. *typis data Salmanticæ anno* 1627.

Deinde & immunitas ob Senatoriam Dignitatem, 9
quam ante Conſtantinum, & deinceps ſub Cæſaribus ejus filiis, uſque ad Valentinianum, & Gratianum, profuiſſe Curialibus, qui inter Romanos Senatores eſſent, cum certa honoris, temporiſve prærogativa, apparet ex *l. ad Senatum* 18. *l. ſi qui* 48. *l. non obſtat* 52. *l. in his* 74. *l. univerſos* 90. *Cod. Theodoſ. de Decurionib.* ſub poſterioribus Cæſaribus ſublata uſque adeo eſt, ut non modo in futurum aditus Curialibus ad Senatum, & immunitas à Curiali origine negetur, ſed etiam in præteritum, Decurionibus, jam Senatum adeptis, neceſſitas agnoſcendæ Curialis originis, & munerum imponatur. *l. cuncti* 93. *l. univerſos* 110. cum *l. ſequent. leg. Decurio* 118. *l. hi quibus* 122. *l. quicumque* 129. cum *l. ſequent. l. quia* 155. *l. ſi quis ex Curia* 160. *l. nemo* 182. cum *l. ſeq. l. qui ante* 187. *Cod. Theodoſ. de Decurionibus. Novella Majoriani* 8. *ne Decurio ad Senator. dignitat.* Idque adhuc ſtricte magis, & indiſtincte oſtendunt noviſſimæ Conſtitutiones Codicis Juſtinianæi, quibus inſpectis, non modo Senatoria Dignitas, ſive Clariſſimatus, Curia non liberat, ſed nec celſiores illa tituli Spectabilium, & Illuſtrium, paucis exceptis, recenſitis à Zenone, & Juſtiniano in *l. neminem* 64. *l. ult. Cod. de Decurion. lib.* 10. *Novella* 70. & 81. *in princip.* Eadem itaque ratione, & reſpectu fulciendi, & ſublevandi profligatos Curiarum Ordines, filiis ſuſceptis ante Senatoriam parentum Dignitatem, quamvis cenſura Juris veteris, tamquam Senatorum filii ab origine municipali, & Curiali liberarentur, *d. l. filii* 22. *§. Senatores* cum *l. ſeq. D. ad municip.* eam tamen vacationem adimunt noviores Cæſares, poſt Conſtantinum, ut indicatur in *d. l. qui Curiali* 58. *verſic. ſi permanſerit. l. univerſi* 69. *in fine*, *l. in his* 74. *in princip. l. quia* 155. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* ſicut ex eadem cauſa, & exemplo, filios Illuſtrium, ante patrum Dignitatem progenitos, non eſſe immunes à Curiali origine, Jure noviſſimo liquet, ex *d. l. doctitii* 63. *l. neminem* 64. *l. Divæ* 65. *l. ult. verſ. anterioribus cum ſeqq. Cod. de Decurion. lib.* 10. Ubi & in poſterum abrogatur ſingulare jus Patronorum Fiſci, in Præfectura Prætoriana, & Urbicaria, quorum filii, etiam ante Advocationem Fiſcalem editi, Curia liberabantur, ante Juſtinianum, *l. cum advocatio* 8. *Cod. de Advocat. diverſ. judiciorum. l. 2. Cod. de Advocat. diverſ. Judicum.* Poſt Juſtinianum autem non liberantur, ſicut neque ante illum filii aliorum Illuſtrium, ſub Zenone, & Anaſtaſio, *d. l. neminem* 64. *cum l. ſeq.*

junčta & *l. quicumque 7. Cod. de principib. agent. in rebus, lib.* 12.

10 Plane, quod ante Conſtantinum, à Diocletiano, & Maximiano reſcriptum legimus, in *l. ex libera 6. Cod. de ſuis & legitim. hered.* nempe ſuſceptum ante Patris Decurionatum, non poſſe, ut Decurionis filium, defendi, quoad pœnas ſcilicet plebejorum, neque repugnat aſſertioni textus in dict. *l. moris 9. §. ſed utrum D. de pœnis. l. 2. §. in filiis D. de Decurion.* nec traditioni noſtræ de ſuſceptis ante Dignitatem Senatoriam, ſeu Curialem, inter Senatorum filios, ſeu Curialium habitis, ante Conſtantinum. Eſt enim Diocletiani Reſcriptum, de concepto ex libera, & ſervo, qui poſtea manumiſſus, & natalibus reſtitutus, ad Decurinnatum pervenit. Cum autem, inter liberam & ſervum nuptiæ eſſe non potuerint, *princip. Inſtit. de nupt.* idcircoque conceptus ex ea conjunctione ſit ſpurius, utpote ſine patre, quem nuptiæ demonſtrant, *l. quia 6. D. de in jus vocando, §. ſi adverſus, Inſtit. de nupt.* nec debeat patris, quem jure demonſtrare non poteſt, ſtatum, & originem, aut Dignitatem ſequi, ſed matris, quæ certa eſt, *l. cum legitimæ 19. l. lex naturæ 24. D. de ſtatu hom. l. 1. §. ult. D. ad municipalem*; conſequens eſt, non poſſe eum, ut filium Decurionis, defendi, ex perſona Patris, quem Jure certum non habet, quamvis, ſi ex juſtis nuptiis juſtum, certumque patrem ciere, & demonſtrare poſſet, etiamſi ante Decurionatum ejuſdem ſuſceptus eſſet, defenderetur ut Decurionis filius. *d. l. moris 9. §. ſed utrum. d. l. 2. §. in filiis.*

CAPUT IV.

Practico-politica diſquiſitio de Nobilitate, Privilegio quæſita à Patre, an ea filius, ante Privilegium ſuſceptus, fruatur; ſicut & an natus ante Regnum Patris, præferatur in ejus ſucceſſione nato poſt Regnum.

ARGUMENTUM.

I*N priore Diſquiſitionis parte, Bartoli negantis, & communior ſententia, potiſſimo argumento ex* l. Senator 11. Cod. de Dignit. *Expenduntur in idem alia, & præ cæteris comparatio pœnæ, aut notæ, non tranſeuntis ad filios natos ante delictum patrum, & proinde neque præmii, aut honoris. Expenduntur &* Regiæ leges 10. verſ. Otroſi tit. 11. lib. 2. & l. 1. tit. 1. lib. 6. Compil. *Itur in contrariam ſententiam, pro qua & expenditur, præter* l. Senatoris 5. D. de Senator. *Evidens ratio in Privilegio ſic conceſſo, ut ſit tranſmiſſibile. Reſpondetur in contrarium adductis, & inter alia comparationi ex* l. 2. Cod. de libertis, & eor. lib. *itemque* l. 1. tit. 1. lib. 6. Comp. *ad quam nota taquædam de* Equitibus armatis, Tardiſque, *ut vocamus, &* quantioſis. *De Nobilitate incidenter, quoad carceres, tormenta, & pœnas competentes ſunt inferiores Judices, & leviores probationes ſufficiunt. In ſecundo Quæſito de ſucceſſione filii ſuſcepti ante Regnum Patris, affirmatur, præferri eum filio poſt nato, in Regno, qualitercumque ſucceſſorio.*

1 EX ſuperioribus, ut iſtas Juriſprudentiæ veteris reliquias ad noſtræ, novæque forenſem uſum accommodemus, expediri poteſt dexteriùs, quam vulgo ſolet, elegans quæſtio, an ſcilicet filii ſuſcepti, antequam pater privilegio Principis, aut dignitatis adeptæ jure, nobilitatem ad filios tranſmiſſibilem tribuentibus nobilitaretur, fruantur ea nobilitate, & habeantur Nobiles, tamquam filii Nobilis. In qua quæſtione Bartolus, poſt Accurſium, in *l. 2. §. in filiis D. de Decurion.* cui ſubſcripſerunt Baldus in *l. Imperialis 23. §. His illud, ante finem Cod. de nuptiis*, Platea in *l. cum adoptivum 4. Cod. de Decurion. lib.* 10. Eguinar. Baro in *appendice Gallicani Juris ad tit. D. de Senatorib.* aliique apud Tiraquell. *de nobil. cap. 15. num. 9.* &, eorum laudato nemine, ex noſtris Otalora *de nobilitate 4. part. cap. 2. num. 1.* docte Covarruvias, ita in Regio Granatenſi Prætorio receptum uſu, affirmans, *lib. 2. variar. cap. 8. num. 5.* Mieres de *majoratib. 2. part. quæſt. 4. illat. 5. num. 2. & 3. part. in initio num. 7.* Zevallos *comm. contr. comm. quæſt. 653. num. 22.* Molina *de juſt. tom. 3. diſput. 658. num. 21. verſ. Tertio ex l. ſi Senator.* Azevedo in *l. 1. ex num. 82. tit. 1. lib. 6. compil.* Didac. Perez in *l. 4. & 5.* verbo, *no gozen, tit. 1. lib. 5. compilat.* Sanchez in *præcepta Decal. lib. 2. moral. cap. 27. num. 14. verſic. ultimo probatur.* Gutierrez, Barboſa, & ſi qui alii, apud Fariam, in *addition. ad Covarruv. 2. var. cap. 8. num. 74.* diſerte docet, filium plebeji, qui poſtea militans nobilitatus eſt, non eſſe Nobilem proprie, aut ſimpliciter; in eamque ſententiam, præter Conſtitutionem Valentis in *l. Senator* 11. juxta vulgarem intellectum, *Cod. de dignitatibus lib.* 12. expenditur non male Ulpiani contextus in d. *l. 2. §. In filiis*, ubi, dum de ſuſcepto ante Decurionatum patris ſic ſcriptum eſt; & quidem quantum pertinet, ne fuſtibus caſtigetur, & ne in metallum detur, non nocet, plebejo patre eſſe natum, ſi poſtea honor Decurionis patri eorum acceſſerit, ſignificatur non obſcure, quantum ad alia attinet immunitatis, aut honoris jura, non haberi pro filio Decurionis natum, antequam pater Decurio fieret.

2 Urget etiam non leviter præmii, pœnæque comparatio; nam cum receptum ſit, delicta parentum, notamque, aut pœnam ingratitudinis eorum non nocere filiis, quos ante delictum ortos eſſe conſtiterit: *l. 2. verſic. quoniam Cod. de libert. & eorum liber. l. filiam 9. l. emancipatum 7. §. 1. verſic. ſed eum in fine D. de Senator. l. generali 34. §. ult. D. de ritu nupt.* elegans *lex 6. tit. 27. part. 2. l. ult. tit. 31. part. 7. l. 3. tit. 8. lib. 8. compilat.* & ex Pontificio Jure, *cap. jam itaque 8. cap. non imputantur* 10. 1. *quæſt. 4. cap. 1. ſi habes 24. quæſt. 3. cap. quæris 129. de conſecrat. diſt.* 4. juncto *Canone* 1. Concilii Toletani 13. conſequens omnino videtur, neque parentum merita, & nobilitatem eo reſpectu quæſitam, aut conceſſam proficere filiis ſuſceptis ante conceſſionem: quemadmodum nec ſcenicæ matris filiæ, ſuſceptæ ante reſtitutionem famæ, & natalium, privilegio Principis matri indultum, non prodeſt ea reſtitutio, quo magis Senatorio viro contra leges noſtras nubere poſſit. *l. Imperialis 23. §. His illud 5. Cod. de nupt.*

Accedit proprie magis, quoad jus immunitatis ab 3 ordinariis plebejorum muneribus, & tributis (quam tamen hodie immunitatem moribus noſtris, vel præcipuum nobilitatis effectum eſſe ſcimus) exemplum Senatorum, aliorumque, quorum filios ſuſceptos ante Dignitatem, non eſſe immunes à curiali origine, & oneribus ei adjunctis, noviſſimo, quod & prævaluit, Romano Jure, conſtat ex *d. l. univerſi 69. in fine. l. in his 74. in princip. l. quia 155. Cod. Theodoſ. de Decurion. l. doctitii 63. l. neminem 64. l. Divæ 65. l. ult. verſ. anterioribus Cod. eod. tit. lib.* 10. juncta *l. quicumque 7. Cod. de princip. agent. in rebus lib.* 12. niſi ſcilicet ſpecialiter Nobilitatis privilegio patri conceſſo expreſſum ſit, ut & ad filios jam tunc natos pertineat, quale eſt privilegium, quod extat in *l. neque 61. Cod. de Decurion. lib.* 10. qualia item in Hiſpania noſtra ſunt privilegia Nobilitatis ab Henrico IV. Rege multis tributa, & poſtea à Ferdinando, & Eliſabeth Catholicis Regibus confirmata, quorum ea propria qualitas eſt, ut eis fruantur filii maſculi, aliique per virilem ſexum deſcendentes, etiam ante privilegiorum confirmationem à Catholicis Regibus impertitam ſuſcepti, dummodo ante

eam

eam confirmationem nuptias, aut ſponſalis non contraxiſſent; quo modo hoc jus exprimitur in *l.* 10. *verſic. Otro ſi que las perſonas tit.* 11. *lib.* 2. *compilat.* Unde argumento ſumpto ab ſpeciali, ſive à majori ad minus proprie colligi poſſe videtur, quod ſi privilegiorum Henricorum ſingulare jus eſt, ut vel filii ſuſcepti poſt impetrationem, tamen ante confirmationem non indiſtinctè illis potiantur, ſed ita, ſi uſque ad confirmationem cœlibes fuerint, multo minus in privilegiis aliis Nobilitatis comprehendi videbuntur filii nati, non modo ante confirmationem, ſed etiam ante impetrationem. Sicut enim oportuit meliorem, potioremque filiorum cauſam eſſe, qui nati poſt impetrationem privilegii, tametſi nondum confirmati, naſcebantur ex patre jam nobili, aut nobilitato; ita è contrario deteriorem, & infirmiorem eorum, qui ante impetrationem ſuſcepti, nullo, vel conceptionis, vel nativitatis, momento, parentem aliquo reſpectu nobilem habuerunt. Ac proinde dum illis ſpecialiter, neque indiſtinctè patriæ nobilitatis communicatio indulgetur, iſtis plerumque denegari intelligitur. Denique deciſa proprie quæſtio videtur in *l.* 4. *&* 5. *tit.* 1. *lib.* 4. *Ordinam. l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 6. *Compilat.* quibus expreſſum eſt privilegio Nobilitatis Equeſtris, ſeu Dignitatis, quam vocamus *de Cavalleros armados*, non potiri filios ſuſceptos ante impetrationem ejus privilegii.

4 Sed quamvis hæc non inſubtiliter expendi poſſint, pro ſententia Bartoli, me tamen Juris ratio inclinare in contrarium cogit, cujus & auctor eſt Guilielmus de Cunco in *d. l. Senatoris* 5. *D. de Senator.* Joannes Platea in *d. l.* 11. *Cod. de dignitatibus*, poſt alios Chriſtophor. Beſoldus *differt.* 2. *de nobilitate cap.* 11. *num.* 36. *tom.* 1. *diſc. pol. ſub tit. de jure & ord. Civ.* Alii apud Baptiſtam Thorum in *compend. deciſ. tom.* 2. *§. Filius natus ante.* Hilligerum *ad Donell.* 24. *cap.* 22. *litt. P.* Noſter Pontius Legionenſis in *quotlibetis diſp.* 4. *Scholaſtica cap.* 6. *§. In qua.* Anton. Diana *part.* 3. *tract.* 7. *reſol.* 39. eamque generali Gallorum conſuetudine obſervari teſtatur, alios laudans, Tiraquell. de *nobilit. cap.* 15. *num.* 7. *&* 8. Affirmo itaque, nobilitatem privilegii impetrati à Principe, aut Dignitatis Jure, ſic quæſitam, ut & ad filios impetrantis pertineat (id enim ante omnia ex privilegii verbis, ſeu forma, aut Dignitatis jure conſtare debet, ut ſit quæſtioni noſtræ locus; alioquin non eſſet, cur de nobilitate, communicanda filiis ante ſuſceptis, quæreretur, ſi ea perſonæ illius, qui impetravit, adeo ſtricte conceſſa proponeretur, ut nec ad poſtea natos pertineret) ad eos etiam filios produci, qui ante impetratum privilegium concepti, atque editi ſunt. Hujus porro aſſertionis primarium argumentum eſt in *d. l. Senatoris* 5. *in fine D. de Senatoribus*, qua in contrarium abutitur inconſpecte Otalora *d.* 4. *part. de nobilit. cap.* 2. *num.* 1. junge & *l. moris* 9. *§. Sed utrum D. de pœnis. l. filii* 22. *§ Senatores D. ad municipal.* Ex quibus jam docuimus, Senatorum filios eſſe, & intelligi, quoad participationem Dignitatis paternæ, ſive honorem Clariſſimatus, eos etiam, qui ſuſcepti ante ſunt, quam Senator eſſet. Ergo & ſimiliter filium Nobilis eſſe cenſebimus, quoad participationem paternæ nobilitatis, etiam ſuſceptum antequam pater nobilitaretur.

5 Nec movemur, ſi objicias id, in quo prora veluti & puppis hujus quæſtionis eſt, nempe Clariſſimatum Senatorium, quem communicatum filiis ante ſuſceptis volumus, pertinuiſſe potius, Romanis moribus, ad Dignitatis jus, ſive honoris, ſine cujuſquam publico, aut privato damno, quam ad immunitatis privilegium ab oneribus civilibus, ſeu tributis; idcircoque non recte comparari juri nobilitatis, qualem hodie ſic dicimus, cujus vel præcipuus effectus eſt immunitas à plebejorum muneribus & tributis, res ſuo genere ſtricta & odioſa, utpote cum Fiſcali, aut aliorum tributariorum detrimento conjuncta: quippe, ut ne interim reſpondeamus, etiam in cauſis ſtrictæ atque odioſæ interpretationis, cujuſmodi eſſe ademptionem connubii cum libertinis, aut probroſis fœminis, ex hiſce legum Juliæ, & Papiæ capitibus, argumento ex *l. palam* 43. *in princip. &* §. 1. *cum ſeqq.* §. *Octavenus* 3. §. *Si qua D. de ritu nupt.* haberi pro filiis Senatorum, editos ante Dignitatem. *d. l. Senatoris* 5. ſicut & in cauſa exemptionis ab origine, & muneribus corialibus. *d. l. filii* 22. *§. Senatores*, & ut taceamus etiam, Nobilitatis Senatoriæ jure contineri, ex Romanis legibus, immunitatem quoque à ſordidis plebejorum oneribus, & extraordinariis penſitationibus, *l.* 4. *&* 5. *quoniam* 7. *l. præcipimus* 14. *Cod. de Dignitatibus, lib.* 12. illud ſaltem veluti præcipuum dicimus, & expendimus, poſita ea Privilegii Nobilitatis forma, quæ impetrantem, & ejus filios, ſive poſteros complectatur, inſpiciendum dumtaxat eſſe, an Privilegii forma, ſeu verbis nobilitetur impetrans ſolum quoad honores Nobilium, an expreſſim, & quoad immunitatem à tributis illis, quæ noſtris moribus originarii Nobiles non ſolvunt? Nam ſi Privilegii tenore non niſi honores, aliis Nobilibus proprii, exprimantur, neque impetrans, neque ejus filii ante impetrationem, aut poſtea editi, erunt immunes à tributis plebejorum, quamvis hi omnes, quoad honores alios, nobilitati intelligantur, quia & in his proprie terminis ratio illa obtinet, quæ ſuadet, Privilegium Nobilitatis, quoad honores, produci non debere ad immunitatem tributorum, utpote rem odioſam, & coarctandam. Sed ſi Privilegii verbis expreſſim nobilitetur impetrans, & ejus filii, non tantum quoad honores, ſed etiam quoad immunitatem Nobilium, non eſt, cur diſputemus de odio immunitatis, aut coarctatione Privilegii, ne id complectatur, quod aperte complectitur. Itaque illud dumtaxat quærendum ſupereſt, an filii nati ante impetrationem fruantur nobilitate paterna, poſtea impetrata, quod perſpicue deciſum in *d. l. Senatoris* 5. *d. l. filii* 22. *§. Senatores D. ad municip.* quarum argumentum, ſi ad honores dumtaxat nobilitatis pertinere velimus, eoſque ſolos non immunitatem tribui filiis ante ſuſceptis, impugnabimus privilegii formam, quæ concepta ſimul de honoribus, & immunitate, in impetrante, & filiis, vel utrumque tribuit ante ſuſceptis, vel neutrum. Nec plura mihi, ſpero item Doctis, huic ſententiæ firmandæ, neceſſaria argumenta ſunt, cum hoc unum, ſerio perpenſum, rem conficere videatur; cui accedit favorabilis illa æquitatis ratio, *quod paternos honores invidere filiis non oporteat. d. l.* 11. *Cod. de dignitat.*

Addo tamen, ut vel in adverſarios retorqueam, 6
alterum ex *d. l.* 10. *verſic. Otro ſi que las perſonas tit.* 11. *lib.* 2. *Compilat.* ubi ſtatuitur, privilegia nobilitatis ab Henrico IV. Rege conceſſa, prodeſſe etiam filiis maſculis, ſuſceptis ante confirmationem eorumdem privilegiorum, à Catholicis Regibus impetratam, dummodo ante illam nuptias, vel ſponſalia non contraxerint. Et tamen ex eadem lege, & Hiſtoricis noſtris conſtat, ea privilegia, utpote extorta pleraque malis artibus, à Rege liberali magis, quam libero & ſuæ poteſtatis, præſertim difficillimo Reipublicæ tempore, quo ejuſdem ſalus, & auctoritas Regia internecinis motibus fluctuabat, fuiſſe poſtea ab eodem Henrico generaliter revocata, ſicut & à Catholicis Regibus, quamvis hi tandem quædam ex eiſdem privilegiis, nova accedente cauſa, confirmaverint. *l.* 9. *tit.* 2. *lib.* 4. *Ordinam.* Ergo ſi in privilegiis ſequioris nominis, & notæ, ideoque primum revocatis, qualia Henricia cenſentur, non excluduntur à nobilitate paterna filii, etiam ſuſcepti poſt revocationem, & ante novam confirmationem, ſi ad eam uſque cœlibes permanſerint, tribuendum amplius aliquid eſt filiis eiſdem in aliis privilegiis melioris nominis, & juris, nempe ut omnino non excludantur, aut fateri ſaltem oportet, ex ſingulari jure, quod tot propriis rationibus in Henriciis privilegiis ſubnixum eſt, nihil ad alia privilegia, non itidem odioſa, inferri poſſe: quo modo & argumento poſtremo, quod pro contraria ſententia ſupra expendimus, ſatisfit.

Nec ad rem magis pertinent alia ejuſdem ſenten- 7

tiæ, quippe omiſſa vulgari allegatione, *d. l. Senator* 11. *Cod. de dignitat. lib.* 12. cui ex veriori ejuſdem ſenſu, ſuperiori capite, ex propoſito facile reſpondetur; quod deinde attulimus ex *dict. l.* 2. §. *In filiis D. de Decurion.* non obſcurum intellectum habet, ſi obſervemus, non ideo limitata oratione Ulpianum ſcripſiſſe, quantum attinet, ne plebejorum pœnis ſubjiciatur, haberi pro Decurionis filio ſuſceptum ante Decurionatum, ut iodicaret, non prodeſſe ei filio privilegium paterni Decurionatus quoad honores alios, aut immunitatem, argumento, ducto à contrario ſenſu, quod in his terminis abſurdum eſſet, utpote contra mentem *d. l. Senatoris* 5. *d. l. filii* 22. §. *Senatores D. ad municip.* ſed ideo potius quæſtioni de liberatiooe à pœna coaptaſſe, & coarctaſſe reſponſum, quia in ea & minor eſt dubitandi ratio, & promptior, expeditiorque reſpondendi, haberi pro Decurionis filio etiam ante ſuſceptum, propter favorabilem, benignamque liberationis cauſam, qualem eam eſſe agnoſcit Ulpianus idem in *d. l.* 2. §. *Sed ſi pater*, & §. *Si ad tempus cum ſeqq.* juncta *l. penult. D. de pœnis.*

8 Sic etenim perſpicimus, uſu, & ratione Juris comparatum eſſe, ut, quoad prærogativas Nobilium, ne ſcilicet, ob civile debitum, in carcerem detrudantur, *l.* 79. *Tauri. l.* 4. & 5. *tit.* 2. *lib.* 2. *Compil.* neve plebejorum tormentis, aut pœnis ſubjiciantur, *l.* 3. §. 1. *D. de re milit. l. nullus* 5. *Cod. ad leg. Jul. Majeſt. l. milites* 8. *Cod. de quæſtion. l. ſeveram* 10. *Cod. de dignit. lib.* 12. *l.* 24. *tit.* 21. *part.* 2. *l.* 2. *tit.* 30. *part.* 7. *d. l.* 4. & 5. *tit.* 2. *lib.* 6. *Compil. l.* 13. *tit.* 7. *lib.* 2. *Compil.* quæ obſervari jubentur *noviſſima l.* 61. *tit.* 4. *lib.* 2. *Compil.* minor, ſeu levior nobilitatis probatio, tametſi in ſuo genere perfecta, ſufficiat, nec requiratur adeo exacta, & inconcuſſa, qualem deſiderari ſcimus, cum principaliter de proprietate, aut poſſeſſione quæritur Nobilitatis, apud ſopremos, Regioſque illius Jodices: & quod receptum itidem eſt, ut quoad ſummariam hanc, & incidentem de nobilitate quæſtionem, & cognitionem, competens Judex ſit ille ipſe, ad quem pertioet diſcuſſio priocipalis cauſæ civilis, criminaliſve, in quam articulus nobilitatis incurrit, quamvis alioquin Nobilitatis cauſæ, ut de his plene, & principaliter judicetur, non niſi à Regiis, ſupremiſque Nobilitatis Hiſpanæ Cenſoribus tractari & terminari poſſint. *l.* 9. & *toto tit.* 11. *lib.* 2. *Compil.* utrumque autem hoc, quoad liberationem à carcere, tormentis, pœniſque plebeiorum, levioremque, & ſummariam nobilitatis diſcuſſionem, inferioribus etiam judicibus permittendam, præter aliam, quod recte defenditur, argumento ex *d. l.* §. *in filiis*, juncto §. *ſed ſi pater*, & §. *ſed ſi ad tempus cum ſeq. D. de Decurion.* confirmari etiam ſolet ex *l.* 3. §. *cauſæ* 4. *D. de Carbon. edicto. l. quoties* 3. *Cod. de judic. l. ult. tit.* 19. *part.* 4. noviſſime autem, proprieque magis, in *l.* 33. §. 11. *tit.* 11. *lib.* 2. *Compil.* & in praxi receptum, docent, poſt Baldum in *l. non ignorat Cod. qui accuſ. non poſſ.* Otalora *de nobilit.* 2. *part.* 3. *partis princip.* 1. 10. *num.* 3. Padilla io *l. ſi ædibus*, *num.* 7. *Cod. de ſervitut.* & *aqua.* Gutierrez *de juram. confirmat.* 1. *part. c.* 16. *num.* 7. & *ſeqq.* Garcia *de nobilit. gloſſ.* 1. *num.* 33. & *ſeqq.* Acevedo in *l.* 19. *num.* 69. *tit.* 21. *lib.* 4. *Compil.* Bovadilla *lib.* 3. *polit. c.* 15. *num.* 20. Cum pluribus Narbona in *l.* 61. *gloſſ.* 1. *num.* 10. *tit.* 4. & in *l.* 33. *gloſſ.* 12. *tit.* 11. *lib.* 2. *Compilat.* Seſſe *deciſ. Aragon. part.* 1. *deciſ.* 13. *num.* 7. & *ſeqq.* Philippus Paſchal. *de viribus patr. poteſt.* 4. *part. cap.* 2. *num.* 62. Hector Capicius Latro *deciſ.* 183. *ex num.* 19. *lib.* 2. quamvis renitaotor Baeza *de inope debitore cap.* 16. *num.* 124. Didacus Perez in *l.* 6. *gloſſ. penult. tit.* 2. *lib.* 4. *Ordinam.*

9 Deinde nec urgemur, propellimurve in contrariam ſententiam, comparatione illa præmii, & pœnæ, qua pœna, ſcilicet ob delicta parentum, non teneri filios ante ſuſceptos, docuimus ex *d. l.* 2. *Cod. de libert.* & *eor. liber.* cum ſimilibus ſupra laudatis. Namque, ut hoc interim de filiis non plectendis nota, aut noxa parentum, poſt eorum nativitatem contracta, ſupponamus in commuoe (non enim de nota ex delictis Majeſtatis Divinæ, aut humanæ læſæ, diſſerimus nunc, aut decidimus) dicimus ioſuper, diſparem valde in hac, ut & in aliis partibus Juris, eſſe cauſam præmii, atque pœoæ, nec recte ab hac illud argumentum deduci, nempe ne filius propter patrem oobilitetur, quia nec ob ejus noxam punitur; cum è contrario recta collectio eſſet, oe ſcilicet filio noceret delictum patris, cujus merita eidem non proficerent. Eſt enim inter pœnam, & præmium, ſive inter notam, & honorem, elegans, nec obſcura differentiæ ratio, quæ ſuadet, illam, utpote odioſam, coarctari; hunc autem, utpote favorabilem, benignius ampliari, & produci. *L. cum quidam* 19. *D. de liber.* & *poſth. l. Arrianus* 42. *D. de obligat.* & *act.* & ut diſerte in ſimili quæſtione Auguſtinus, apud Gratianum in *cap. quæris* 129. *de conſecrat. diſtinct.* 4. dum diſputat, cur parvulis, jam baptizatis, non noceat parentum perfidia, quibus, dum baptizantur, proficit parentum fides? inter alia reſpondet, *quia non ſic communicatur culpa, per alterius voluntatem, quemadmodum communicatur gratia*; tametſi id non ignorem altiori, & myſtica ratione niti. Exemplum autem filiæ matris ſcenicæ, ex *d. l. Imperialis* 23. §. *His illud* 5. *C. de nupt.* cum ſingulare jus contineat, & præter veteris Juris tenorem, qualia ſunt beneficia Principum, non tam ex certis regulis, quam ex eorum arbitratu, & liberalitate pendentia, non eſt producendum, extra eum caſum, ad conſequentias. *l. quod vero* 14. *cum legib. ſeqq. D. de legib.* præſertim cum in privilegiis nobilitatis, ea coarctatio nullibi expreſſa ſit, quin potius aliud Juris ratio ſuadeat, & quod eſt amplius, incommodo illi filiæ natæ, ante reſtitutionem matris ſcenicæ, prompta occurrendi ratio ſit, remedio impetrationis reſtitutionis, quam eidem filiæ petenti pollicetur, ſine obſtaculo ullo, eadem *lex* 23. §. *His illud verſic. Sin vero.* De qua tamen Juſtiniani Conſtitutione, ex profeſſo nos infra *hoc libro.*

Rurſus nec obſtat Juſtinianeum Jus noviſſimum, 10 quo attento, Senatorum, aliorumque Spectabilium, & Illuſtrium filii, ante Dignitatem ſuſcepti, non ſuot immunes à curiali origine, & oneribus, eidem adjunctis. *dict. l. neminem* 64. *l. ult. verſic. ante*, *Cod. de Decurion. lib.* 10. cum ſupra laudatis. Id enim contra veteris Juris rationem, imminenti Curiarum ſimul, & Imperii ruinæ, tantiſper ſuſtinendæ, receptum fuiſſe à novioribus Cæſaribus, poſt Conſtantinum, ſatis, ſuperque expreſſimus *ſuperiori capite*; atque ita quidem ut non tantum filiis, ſuſceptis ante dignitatem, immunitas à Curia deoegetur, ſed etiam poſtea genitis à Senatore, vel Spectabili, aut etiam Illuſtri, paucis exceptis, qoorum mentio in *dict. l. neminem* 64. *l. ult. Cod. de Decurion. Novell.* 70. & 81. *in princip.* Inde vero parum commode infertur ad privilegia nobilitatis impetranti, & ejus filiis, ſeu poſteris data, quia neque in his ſtricta adeo, & ſingularis immunitatis denegandæ ratio occurrit, & incommodo tributariorum, ad quos ex revelatione eorum, qui nobilitantur, gravior tributi ſarcina ſolet recidere, conſulitur juxta formam *l.* 3. & 4. *tit.* 24. *lib.* 6. *Compilat. l.* 4. *tit.* 6. *libr.* 7. *Compilat.*

Denique nec turbamur peremptoria, ut videtur, 11 deciſione *dict. l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 6. *Compilat.* Namque, ut ne interim moroſius & ſcrupuloſius diſtinguamus multiplices privilegiariæ nobilitatis, ſive immunitatis formas, ſeu gradus, quales cernere licet, primo in Equitibus auratis, ſive deaurati calcaris, &, ut dicimus, *de eſpuela dorada.* Secundo, in Equitibus armatis, quos vocamus *Cavalleros armados*, *ò Cavalleros pardos.* Tertio, in Equitibus, ut ajunt, *de premia, alarde, guerra, ò quantioſos.* Quarto, in Nobilibus privilegiariis, qui ſcilicet ſioe titulo, ant inſignibus militæ equeſtris, à Rege nobilitantur, & dicuntur *Hidalgos de privilegio*, de quibus ſingulis multa noſtrates ad *l.* 2. & 3. 13. & 14. *tit.* 21. *partita* 2. *l.* 36. *tit.* 2. *part.* 3. & *ad l.* 1. *cum*

ſeqq.

Google

ſeqq. tit. 1. lib. 6. Compilat. Otalora de nobilit. 4. part. cap. 1. & ſeqq. Garcia eod. tract. gloſſ. 1. §. 1. maxime ex num. 51. Burgos de Paz conſil. 45. & 46. Gutierrez lib. 4. practic. cap. 1. & ſeqq. Azevedo in dict. l. 1. ex num. 5. tit. 1. lib. 6. Compilat. Bern. Moreno diſcurſo de la nobleza diſc. 8. Seſſe deciſ. Arag. 1. part. deciſ. 1. num. 18. & ſeqq. Obſervandum eſt, Equites armatos, de queis proprie concepta eſt dict. lex 1. tit. 1. lib. 6. Compil. ſicut dignioris, & altioris gradus ſunt, quam tertium illud genus equitum, quos vocamus, de alarde, ò quantiſoſos, ita inferioris prorſus, & deterioris, quam Nobiles originarii, quales & præſumuntur Equites aurati. dict. l. 2. 3. 13. & 14. tit. 21. part. 2. l. 5. tit. 1. lib. 6. Compilat. &, quod eſt amplius, ioferiores etiam Nobilibus privilegiariis; tum quia armati hi equites arma, & equum, militiæ idoneum, ſemper alere debent, dict. l. 1. 2. & 3. tit. 1. lib. 6. Compilat. aut ſaltem eum utroque promptos, paratoſque ſeſe exhibere bellico operi, cum vocabuntur, neceſſe eſt, ut prænotavit Garcia dict. gloſſ. 1. §. 1. num. 59. quoſum tamen neutrum requiritur à privilegiariis Nobilibus, niſi ſpecialiter privilegio exprimatur l. 7. quam ita accipio, tit. 2. lib. 6. Compilat. notat Gutierrez lib. 4. practic. quæſt. 20. num. 9. & 14. tom etiam quia privilegium equitum armatorum ad filios ſolos, non autem ad nepotes, ſive ulteriores deſcendentes pertinet. dict. l. 1. verſic. Y que los hijos, que han. Io privilegio autem nobilitatis coarctatio hæc ad filios, expreſſa legibus Regiis non eſt, nec proinde admittenda, niſi ex privilegii forma, ſeu verbis colligi poſſit, notat Burgos de Paz dict. conſ. 45. num. 24. Otalora de nobilit. 4. part. cap. 1. num. 8. & cap. 2. num. 3. & 6. Azevedo in d. l. 1. numer. 86. 87. & 88. Sanchez lib. 2. morol. cap. 29. n. 6. tum denique, quia in Nobilibus privilegiariis, prærogativam illam immunitatis, etiam eorum uxoribus viduis, quamdiu oon nubunt, & honeſte vivunt, communicari conſtat. l. 3. Cod. de privileg. Scholar. lib. 12. l. 18. tit. 14. lib. 6. Compilat. junctis traditis libro iſto inferius. Id autem in equitibus armatis non eſt uſque quaque receptum; negat enim Joannes à Montealegre in praxi civili lib. 1. cap. 5. num. 317. affirmat, poſt Otaloram, Mieres de majorat. 1. part. quæſt. 51. num. 34. Gutierrez lib. 4. practic. quæſt. 6. Quibus itidem conſequens eſt, ut, quamvis fateamur, ſicut & neceſſe eſt fateri, ex d. l. 1. tit. 1. lib. 6. Compilat. privilegio equeſtris militiæ armatæ non frui filios ante ſuſceptos, nihil tamen inde inferri poſſit ad quæſtionem noſtram, neque à ſingulari, & ſtricto illo jure equitum armatorum argumentari ad alios Nobiles privilegiarios, quorum in ſimilibus cauſis diverſa, digniorque eonditio, & uberior, pleniorque immunitas eſt. Atque ita quidem in diſputando cenſuerim, quin & in judicando, ſi judicandum potius ex ratione Juris, quam ex receptiore opinione, qualem, inter noſtrates, eontrariam eſſe, & rem non uſque quaque perſpicuam, non diffiteor.

12 Ex eiſdem etiam principiis attingenda breviter eſt diſputatio celebrioris oominis, quam difficultatis, aut uſus; an ſcilicet filius, ſuſceptus ante adeptum à patre Regnum, habeatur pro Regis filio, uſque adeo ut & in ſucceſſione Regni præferatur alteri filio, poſt adeptum à patre Regnum, edito? Movet diſputationem, promovetque, ut eam explicet ſententiam Ulpiani io dict. l. Senatoris 5. in fine D. de Senatorib. ex antiquiorib. Albericus ibi, & in l. moris 9. §. Parentes D. de pœnis, & in l. Imperialis 23. §. His illud Cod. de nupt. Nec tamen ibi, aut alibi, quod ſciam, amplius aliquid agit, qoam movere, & moliri, re non deciſa. Et ſane, ſi geſtarum rerum exempla ex hiſtoriis petas, comperies varie, & olim, & vicinioribus noſtro ſæculis judicatum, & obteotum fuiſſe, interdum pro nato ante Regnum; interdum pro poſtea nato. Ut vel oſtendunt, inter Veteres, Bartolos, Cynus, & Albericus in dict. l. Imperialis 23. §. His illud Cod. de nupt. Lucas de Penna in l. ſi Senator 11. Cod. de dignit. lib. 12. Rodericus Suarez in l. quoniam in prioribus in declarat. leg. Regni limitat. 11. num. 23. & ex eruditioribus Briſſon. de jure connubior. pag. 10. & lib. 1. de Regno Perſarum pag. 5. Hottomanus illuſtr. quæſt. 2. Tiraquell. de jure primogen. quæſt. 31. ex num. 9. & 20. Petrus Gregor. lib. 7. de Republ. cap. 9. Paulus Jovius io Hiſtoria Vicecomitum Mediolan. in Galeatis, & Ludovico. Franc. Guicciardious 1. Hiſt. Cæterum ſi ex ratione Juris, & inconcuſſis ejus priocipiis, rem metiaris, tametſi ex Accurſianis plerique, quorum meminit Tiraquell. dict. quæſt. 31. num. 2. & 8. D. Covarruv. lib. 2. variar. cap. 8. num. 5. verſic. tertio, ad quem alii in nuperis Additionibus, Franciſeus de Petris conſil. 15. ex num. 21. Ant. Mangilius de imputationibus quæſt. 89. affirment, natum ante Regnum non propsie dici Regis filium, eique præferendum natum ex patre jam Rege, abutanturque, io eam rem, argumentis privilegiorum immunitatis à Curia, Jure Juſtinianco noviſſimo, & liberationis à eohortali conditiune, pœna, & nota parentum, de quibus ſupra; mihi tamen è contra certum otrumque eſt, & natum ante Regnum à patre a[...]ptum, cenſeri Regis filium, d. l. Senatoris 5. in fine D. de Senatorib. l. moris 9. §. Sed utrum D. de pœnis. l. filii 22. §. Senatoris D. ad municip. cap. ad extirpandas 11. de filiis presbyter: & præferendum eſſe nato poſt Regnum in eo Regno, qood, ſucceſſionis jure, filio defertur: idque indiſtincte, ſive pater hæreditario, aut ſanguinis jure, in Regno ſucceſſerit, ſive id privatus ante, ſuffragiis, armiſve conquiſierit; ita ut deinceps ſucceſſionis jure deferatur, non electionis; quia, eo poſito, jus ſuccedendi, & qualitas proximitatis, ſeu prælationis inſpicienda eſt, eo tempore, quo ſucceſſio defertur, mortuo jam patre, & Rege. §. Proximus 6. Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ. l. 2. §. Proximum 6. D. de ſuis & legit. l. 1. §. Proximum 6. D. unde cognati. l. non oportet 52. D. de legat. 2. Quo ſane tempore de filio, ante nato, inficiari non poſſumus, eſſe eum filium ejus, qui Rex fuit, & quidem primogeoitum, ideoque præferendum. Firmant pluribus, poſt Salicetum in d. l. Imperialis 23. §. his illud Cod. de nupt. Guid. Suz. in d. l. Senatoris 5. Tiraquell. Petr. Gregor. Covarruv. ſupra laudati, Eguinar. Baro ad tit. D. de Senator. in Appendice de Jure Gallicano ad finem, ubi & Mornacius in notatis ad l. Senatoris 5. ubi Coraſius num. 7. Rebuffus num. 4. Pontius Legion. diſput. 4. Schol. quodlibet. c. 4. & 6. Plene, ut ſolet, Henning. Arniſæus lib. 2. de Repub. c. 2. ſect. 15. Qua itidem ratione, & exemplo receptiſſimum, & indubitatum jam eſt, filium ſuſceptum ante majoratum, à Patre adquiſitum, præferri, ut primogenitum, in ejus ſucceſſione, filio, poſt majoratum edito, ut, præter nuper recenſitos, docent D. Molina de primogen. lib. 3. c. 1. num. 3. Gomez 3. tom. var. cap. 2. num. 16. verſic. Quarto, & finaliter; & in d. l. 40. Tauri num. 67. Alter Molina de juſtitia diſput. 624. num. 1.

CAPUT V.

Ad l. Emancipatum 7. §. 1. & verſ. ſed eum D. de Senatoribus.

ARGUMENTUM.

Poſthumus an pro filio Senatoris? Fortaſſe dubitatum à Labeone, & Proculejanis, quia & ipſi fœtum, quamdiu in utero, non pro animali, aut homine, ſed pro parte viſcerum matris cenſebant. Vox, quaſi, *improprietatis nota* ſæpe, *non* ſemper. *Aſt vicit ſententia pro Poſthumo. In eo dubitandi, ac decidendi ratio ducta ex legibus Ju-*

lia, & Papiæ, & in eis, quoad præmia, aut pœnas parentum, diſcretum jus poſthumorum. De nato poſt patrem, Senatu motum, non habendo pro filio Senatoris ad verſ. ſed eum. *Aliud in concepto ante motionem patris. Id quod* magis, & pleriſque *placitum, non omnibus, &* benigne, *ſive* non infavorabiliter, *non ex ſtricto jure dubitationis, ac diſſenſionis, cauſa reperta in priſca Regula, de inſpiciendo Conceptionis tempore in filiis juſtis, & editionis in non juſtis. Illuſtrata ea Regula, & ex ea Paulus in* l. 11. D. de ſtatu hom. *Carranzæ ad* Paulum *expoſitio rejecta. Amajæ non recepta. Explanatus Paulus ex ea Regula, & ex* l. 65. §. 1. D. de ritu nupt. l. 6. Cod. de nupt. *Submotus obex* l. ult. Cod. de natural. lib. *Ducitur tandem ex ea Regula ſtricti juris ratio, contra natum poſt motionem Patris, & è contra pro eo benignitas favorabilis, quam* Ulpianus *ſequutus. Diſcretio inter honores Senatoris, & originem Curialem.*

1 DOcet deinde, ad eadem Juliæ legis verba, *qui filius*, Ulpianus noſter *libro 1. ad legem Juliam & Papiam, in d. l. emancipatum 7. §. 1. D. de Senatoribus*, eum etiam, qui poſt mortem Patris Senatoris natus ſit, quaſi Senatoris filium eſſe. Idque Ulpianus proponit ex Labeone coætaneo Auguſti, & noſtræ Juliæ, Papiæque legis, & Auctore Proculejanæ ſectæ, ſeu Pegaſianæ. *l. 2. §. poſt hunc 47. D. de orig. jur.* Idcircoque, fortaſſis ex ejuſdem Labeonis ſententia, natum poſt Patris mortem, quem poſthumum dicimus, *l. 3. §. 1. D. de injuſto rupto*, non proprie, ſeu ſimpliciter Senatoris filium eſſe, ait, ſed *quaſi* filium; quemadmodum ex eadem Labeonis ſchola Celſus d. *l. 2. §. ult. D. de orig. jur.* conceptum vivo Avo, & poſt mortem ejus natum, à conceptionis tempore, *quodammodo* in rerum natura eſſe, exiſtimari, ſcribit in *l. vel ſi vivo 7. D. de ſuis & legit.* adjectis ſcilicet notis illis improprietatis, & fictionis, *quaſi*, & *quodammodo. l. id tempus 14. D. de Uſucap.* Tertullian. *de velandis Virgin. c. 6.* ibi: *Deſponſata enim quodammodo nupta. Tamen inter quodammodo, & verum ſatis intereſt.* Quippe Labeo, & Proculejani, Stoicos in hac re ſecuti, fœtum, quamdiu in utero matris eſt, portionem viſcerum eſſe putarunt, & ſpem animantis, non animal, aut hominem, neque in rerum natura, aut rebus humanis. Ita Marcellus Proculejanus (ſic enim de Marcello ſentio, & aſſentior Merilior 1. *obſerv. c. 27.* & in *duobus ultimis obſervationum libris 1. c. 18.* potius, quam Bertrando, inter Caſſianos recenſente Marcellum in *illius vita*) *l. 2. D. de mortuo infer. l. ſi aliena 10. §. ult. D. de Uſucap.* juncta *l. 1. Cod. de communi ſervo man.* Quamquam id etiam aliis utriuſque ſcholæ auctoribus placuiſſe ſcio. *l. in Falcidia 9. in fine D. ad leg. Falcid. l. 1. §. ex hoc Reſcripto 1. D. de inſpic. ventre. l. nomen filiorum 164. D. de verb. ſignif.* ita & originem ejus, qui juſtum patrem non habet, à matre, eoque die, quo ex ea editus eſt, numerari, docet Neratius Proculejanus in *l. ejus 9. D. ad municip.* juncta *l. 2. §. ult. D. de orig. jur.* & ideo Veterum Fragmenta, quæ de his, qui in utero ſunt, habendis pro natis, in Pandectis occurrunt, pleraque ex Sabinianis, aut libris ad Sabinum ſunt. *l. Imperator 18. l. penult. D. de ſtatu hom. l. cum quidam 90. §. 1. verſic. & in eo, D. de acquir. hæred. l. ſi quis filiabus 6. D. de teſtam. tut. l. qui filiabus 17. D. de legat. 1. l. Si ſtatu libera 6. in princ. & §. 1. & 2. D. de ſtatu lib. l. 3. D. de pœnis. l. ſed etſi 20. D. ad S. C. Trebell. l. nomen 164. D. de verb. ſignif. l. 1. §. interdum 3. l. 2. §. ſed ſi in ſervitute, D. ad S. C. Tertyll.* Proinde, natus poſt mortem Patris Senatoris, non proprie Senatoris filius Labeoni, & Ulpiano dicitur, ſed *quaſi*, quia, neque cum naſcitur, habet Patrem Senatorem, utpote præmortuum, neque antequam naſcatur, recte filius dicetur, qui nondum homo eſt, aut animal; argumento ex *l. non eſt pupillus 162. D. de verb. ſignif. l. ult. D. de collat.* Neque ignoro, aut diffiteor, interdum vocem, *quaſi*, expreſſivam veritatis eſſe, & accipi pro, *tamquam*, vel, *utpote. l. ſi ante 6. D. ſolut. matrimon. l. 5. §. ſed ſi damnatus 3. D. de liberat. leg. cap. Parochianos 14. de decimis.* Quomodo & uſurpari ab Ulpiano, in d. *l. emancipatum 7. in princip.* adnotavit Alberic. & Fulgoſius ibi, ex *l. ſi inſtitorem 29. D. de rebus credit.* & ſane probabiliter, quia in eadem *l. 7. §. 1. verſ. ſed eum*, conceptum, natumque, poſt Patrem Senatu motum, ait Ulpianus, non eſſe, quaſi Senatoris filium, quod tamen poſtea, idem confirmans, affirmat, non proprie dici Senatoris filium; & conſequenter indicat, vocem *quaſi*, quam prius uſurpaverat, proprietatis expreſſivam fuiſſe, & veritatis.

2 Utcumque tamen ſit, eoque vel præmonito, adhuc Ulpiani hæc, & Labeonis ſententia, quæ docet, quoad effectum noſtrarum Juliæ, Papiæque legum, haberi pro filio Senatoris poſthumum, ſive natum poſt mortem patris, propriam & elegantem dubitandi rationem habet. Namque in tractatu Juliæ, Papiæque legum, & quoad ſimiles earum effectus, receptum eſt, non computari inter filios eum, qui in utero eſt, nec parenti proficere, ad præmia πολυπαιδίας, ſive prærogativas juris liberorum, veluti excuſationem tutelarum, & munerum, & hæreditatem, ex *Tertyll.* & liberationem ab operis *l. qui libertinus 37. §. poſthumus 7. D. de oper. libert. l. 2. §. qui autem 6. D. de excuſat. tutor. l. quod dicimus 231. D. de verb. ſignif.* Unde, neque inter filios Senatoris computandus videtur poſthumus, ut, ex præſcripto earumdem legum Juliæ, vel Papiæ, arceatur a connubio libertinæ, vel ſcenicæ. Gravior tamen, nec obſcura decidendi ratio eſt, quæ ſuaſit, haberi poſthumum, quoad hunc effectum, pro filio Senatoris, nempe, quia in eo quæritur de jure & commodo ipſius poſthumi, ſive filii, cujus ad dignitatem pertinet interdictio connubii cum libertinis, ſcenicisve. *l. 1. D. de colluſ. deteg.* Poſthumus autem, ſive qui in utero eſt, quod ad ipſius jura & commodum attinet, & in rebus humanis, ſive natura eſſe, & pro nato intelligitur. *l. qui in utero 7. l. penult. D. de ſtatu homin. l. ubicumque 7. l. ult. D. de ventre in poſſeſſ. mitt. l. cum quidam 30. §. 1. D. de adquir. hæred.* Unde & pro nato habetur, quoad ſtatum libertatis, ſive ingenuitatis. *l. & ſervorum 5. §. ingenui 2. cum ſeq. D. de ſtatu homin.* &, quoad prærogativas filii Decurionis, *l. 2. §. ſed ſi pater cum ſeqq. D. de Decurionib.* Quin & in noſtris legibus, mortis patris momento, intelligi, poſthumum in humanis rebus fuiſſe, & inter filios, ut parenti proficiat, ad effugiendas pœnas orbitatis, ſcripſit Terentius Clemens, tametſi & alio forſitan referendus, *lib. 11. ad legem Juliam, & Papiam*, in *l. intelligendus 153. D. de verbor. ſignif.* Ulpianus *lib. 8. ad eaſdem leges* in *l. ſi vir 61. cum l. ſeq. D. de condit. & demonſtrat.* juncta *l. ſed etſi 20. D. ad S. C. Trebell. l. is cui 18. D. quando dies legati ced. l. ſi quis 187. D. de regul. juris.* Alia autem, & diverſa ratio eſt poſthumorum, quoad privilegia legum noſtrarum, juri liberorum adnexa, veluti excuſationes tutelarum, & ſucceſſionem ex *Tertylliano*, & liberationem ab operis, ex *lege Julia.* Ea enim cum non ſint ipſius fœtus, ſive poſthumi commoda, ſed præmia parentum proletariorum, non habetur pro nato, aut filio poſthumus, ut aliis potius, quam ſibi proſit. *d. l. qui in utero 7. D. de ſtatu hom. l. 2. §. Qui autem 6. D. de excuſat. tutor. l. qui libertinus 37. §. poſthumus, D. de oper. libertor. l. quod dicimus 231. D. de verb. ſignif.* De queis tamen plenius dicemus, ubi de præmiis, pœniſque Juliæ, Papiæque legum.

3 Pergit Ulpianus jam dicto *lib. 1. ad Legem Juliam, & Papiam* in *d. l. emancipatum 7. §. 1. verſic. ſed eum*, & ex Proculo, & Pegaſo, qui priorem illam Labeonis, auctoris ſui, ſententiam, hac fortaſſis adjectione, illuſtrarunt, affirmat, eum, qui poſtquam pater ejus de Senatu motus eſt, concipitur, & naſcitur, non eſſe quaſi Senatoris filium, ſive non proprie dici filium Senatoris, ut idem poſtea exponens loquitur. Idque ipſum in concepto,

poſt

poſt patrem Decurionem, ordine motum, firmat Ulpianus idem in *l. moris* 9. §. *Plane* 15. *D. de pœnis. l.* 2. §. *Sed ſi pater D. de Decurionibus.* Nec morantur, moventve, ut contra ſentiat, Ulpianum, exempla filii nati ante patris Decurionatum, vel Senatoriam Dignitatem, aut nati poſt mortem patris, quamvis utrumque Senatoris filium intelligi, & participem Dignitatis paternæ, ante, aut poſt ejus nativitatem quæſitæ, certum jus ſit. *d. l. emancipatum* 7. *in princip. l. Senatoris* 5. *in fine D. de Senator. l.* 2. §. *In filiis D. de Decurion. l. moris* 9. §. *Sed utrum D. de pœnis. l. filii* 22. §. *Senatores D. ad municip.* Id enim ea ratione nititur, quia negari non poteſt, filium, cujus pater, eo jam nato, Senator, aut Decurio creatus eſt, quamvis cum primum natus, aut conceptus, patrem, vel Senatorem, vel Decurionem non habuerit, poſtea tamen talem patrem habere; quemadmodum & conſtat, natum poſt mortem patris, quamvis cum naſcitur, non habeat patrem Senatorem, utpote qui præmortuus, homo eſſe deſiit, habuiſſe tamen patrem Senatorem, quo tempore conceptus fuit, & à quo tempore pro nato habetur, & conſequenter utrumque Senatoris, ſeu Decurionis filium eſſe, aut intelligi. E contrario in concepto, natoque, poſtquam pater motione ab Ordine, aut Senatu, Decurio, vel Senator eſſe deſiit, non eſt aliquod tempus, cujus reſpectu eum vel Decurionis, vel Senatoris filium proprie dicamus; quoniam antequam natus homo eſſet, aut conceptus, pro nato, & homine haberetur, non niſi abſurde poſſumus jus, nomenque filii ei tribuere, qui nondum eſt, nec eſſe intelligitur, ſicut nec nomen ſui hæredis, cognative ei, qui conceptus, natuſque eſt poſt mortem avi, cujus de ſucceſſione quæritur. *l. Titius* 6. *l. item* 8. *l.* 1. §. *Sciendum* 8. *in fine D. de ſuis & legit. l.* 1. §. *Si quis proximior* 8. *D. unde cognati. l. ſi quis filio* 6. *D. de injuſto rupto.* §. *Et licet* 8. *Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt.* Poſtquam autem conceptus, natuſve in hominum, & filiorum numero eſſe cœpit, nullo momento Senatorem, vel Decurionem patrem habuit, qui jam talis eſſe deſierat. Proinde cum hæc filii, patriſque nomina relata ſint, & ſibi mutuo nexu reſpondentia, & in concepto poſt motionem patris à Senatu, vel Ordine, nullum tempus occurrat, quo inſimul concurrant, & in concepto nomen filii, & in patre jus Senatoris, ſeu Decurionis, neceſſe eſt fateri, non eſſe hunc proprie Senatoris filium, ſeu Decurionis, quia Dignitas, ante conceptionem ejus amiſſa, tranſmitti ad eum a patre non poteſt.

4 Inde vero, & rectiſſime Ulpianus ſubjungit in *d. l. emancipatum* 7. §. 1. *verſic. ſi quis conceptus*; eum, qui, antequam Pater Senatu moveretur, conceptus eſt, & poſt amiſſam Patris Dignitatem natus, magis eſſe, ut quaſi Senatoris filius intelligatur, quia, quamvis antequam naſcatur, neque animal, neque homo, neque in rerum natura, aut humanis rebus ſit, ex Proculejanorum, & aliorum ſententia, *d. l.* 2. *D. de mortuo infer. l. ejus* 5. *D. ad municip.* tamen quod ad ipſius attinet commodum, quale eſt Dignitas filii Senatoris, pro nato habetur, ex quo tempore conceptus eſt, quo & tempore Senator pater erat. *d. l. qui in utero* 7. *l. penult. D. de ſtatu hom.* Quæ & dubitandi, decidendique, ratio fuit in §. 1. *in princ. d. l. emancipatum* 7. quam expreſſimus plenius ſupra ad §. 7. Idque ipſum cauſæ exprimit in *d.* §. 1. *verſ. ſi quis conceptus*, ibi: *Tempus enim conceptionis ſpectandum plerique placuit.* Quibus verbis, *pleriſque placuit*, & antecedentibus illis *magis eſt*, ſatis ſignificatur, non eſſe quæſtionem indubiam, ſed inter veteres Juris Auctores controverſum, & in qua non defuerint, qui contra ſentirent, à pleriſque illis, quos Ulpianus ſequitur. Auget dubitationem, quod in quæſtionibus ſimilibus de filio Decurionis, concepto ante motionem patris ab Ordine, vel relegationem, & poſt eam edito; & in concepto, aut edito medio tempore inter motionem temporariam patris ab Ordine, & ad eum regreſſum; vel in eo, qui plebejo conceptus medio tempore inter Decurionatus adeptionem, & amiſſionem, Decurionem patrem habuit, noſter idem Ulpianus ſcribit, *benigne*, ſive non *infavorabiliter*, quaſi ſcilicet contra ſtrictam, receptamque Juris Regulam, habendum eſſe pro Decurionis filio. *l.* 2. § *ſed ſi pater* 3. *cum* §. 4. 5. & 6. *de Decurion.*

Nec ſane in promptu, vel parato mihi dubitandi, & diſſentiendi ratio, aut veſtigia; quia quamvis ſciam, illud, quod de Proculejanis monui, non habuiſſe eos pro animali, vel homine eum, qui in utero eſt, id tamen eum & alii, nulli potiſſimum ſectæ addicti, cenſuerint, *d. l. in Falcidia* 9. *in fine D. ad leg. Falcid. l. nomen* 164. *D. de verbor. ſignif.* & tamen inter omnes conſtiterit, haberi eum pro nato, quod ad ipſius commodum attinet, *d. l. qui in utero* 7. *l. penult. D. de ſtatu homin. l. ubicunque* 7. *l. ult. de ventre in poſſeſſ. mitt.* etiam Proculejanos inter Marcellum, & Celſum, *l. vel ſi vivo* 7. *de ſuis & legit. l.* 2. *D. de mortuo inferendo*; non ſat cauſæ fuiſſe videtur, cur dubitarent, an conceptus, patre Senatore, vel Decurione, qui poſtea, antequam iſte naſceretur, motus eſt Ordine, intelligendus eſſet filius Senatoris, aut Decurionis: certe cur diſſentirent, nihil cauſæ fuit, niſi aliunde eam ſagaci conjectura odoremur. Idque ut lucidius ſit, ſupponimus, quod ad ſtatum libertatis, ingenuitatis, & Civitatis Romanæ in filiis, fuiſſe Juris Civilis regulam, ut in natis ex juſto matrimonio, quos patrem ſequi certum eſt, *l. cum legitimæ* 19. *D. de ſtatu homin.* inſpiceretur conceptionis tempus, ex quo ſolo, proprieque patris in procreatione opera æſtimatur; & è contrario in vulgo, aut non legitime ſuſceptis, quos matris conditionem ſequi conſtat, *d. l. cum legitimæ* 19. *l. lex naturæ* 24. *D. de ſtatu homin. l. partum* 7. *Cod. de rei vindic. l. ult. Cod. de liber. cauſa. l.* 3. *Cod. ſoluto matrimon.* ſpectaretur tempus editionis, & partus, ex quo potius, quam conceptione mater cenſetur, *l. ejus* 9. *D. ad municip.* Regulæ Auctores, Ulpianus *tit.* 5. §. *ult.* Cajus *lib.* 1. *inſtit. tit.* 4. §. *ult.* eamque agnoſcere videntur, Neratius in *d. l. ejus* 9. *D. ad municip.* Ulpianus *in l. Imperator* 18. *verſic. ſed ſi ei D. de ſtatu homin.* 5

Fortaſſe & Paulus, ex ea regula, non vulgariter elucidandus *in l. Paulus* 11. *D. de ſtatu homin.* dum ſcribit, *eum, qui vivente patre, & ignorante de conjunctione filiæ*, quæ in illius ſcilicet poteſtate erat, *conceptus eſt, licet poſt mortem avi natus ſit, juſtum filium ei, ex quo conceptus eſt, eſſe non videri: Ei*, inquit, non filiæ, eidemque matri, ut exponit Auctor laudandæ in *Pragmatico* eruditionis, utinam temperantiæ, Alfonſus Carranza, *de vero humani partus naturalis & legitimi deſignatione cap.* 2. §. 4. *num.* 20. & quidem præeuntibus Anteceſſorum Academiæ noſtræ privatis ſcriptis, qualia ille, ſicubi carpendi occaſio eſt, diſſimulare non ſolet, cum tamen non ex alio jecore ſapiat, ſed præter mentem Rationalis Fabri, quo abutitur, &, quod eſt amplius, præter rationem Juris, qua attenta, diſputatio de juſtis filiis, cum tales proprie ſint ſuſcepti ex juſtis nuptiis, *princip. Inſtit. de patr. poteſt.* quos & ſequi patris ſtatum conſtat, *d. l. cum legitimæ* 19. *D. de ſtatu homin.* referri ſolet, debetque ad patrem, cujus reſpectu, &, ut in ejus poteſtate & familia ſint, juſti filii dicuntur, ut in *l. uxorem* 15. *Cod. de nupt. l.* 3. *Cod. ad leg. Jul. de adult. d. l. Imperator* 18. *D. de ſtatu homin. l.* 3. §. *ſi emancipatus*, *D. de bonor. poſſ. contr. tab. l.* 1. *D. de adſign. lib. l.* 1. §. 1. & 2. *D. de bon. damn. l. ejus* 9. *D. ad municip.* non ad matrem, cujus reſpectu, niſi ſi quando ejus, ſimulque patris juſti mentio fit, ut in *leg. Divi* 25. *de captivis*, juſtus filius ſis, parum intereſt, quia mater juſta, injuſtave ſemper certa eſt, *l. lege* 44. §. *non obeſt* 2. *D. de ritu nupt. l.* 4. §. *ultim. cum leg.* 5. & 6. *D. de in Jus voc.* filiique ſive juſti, ſive injuſti, & vulgo quæſiti, matri ſuccedunt, *l.* 1. §. *ſed & vulgo* 2. *l.* 2. §. 1. *D. ad S. C. Tertyll. l.* 50. *D. unde cognati.* Paulus *lib.* 4. *ſentent. tit.* 10. *in princip.* Ac proinde inepta, indignaque Paulo, quæſtio, quam ei adſtruit Carranza, an ſcilicet in *d. l. Paulus* 11. juſtus filius eſſet matri, 6

 ex

ex quo tempore conceptus eſt, ut ei matri legitimus hæres ſit, quia ſive juſtus, ſive injuſtus filius, perinde matri hæres legitimus futurus eſt; & an juſtus, à tempore conceptionis, ſit, vel non ſit, ad quæſtionem de ſucceſſione matris nihil refert, quia de hæreditate matris non, niſi mortua ea, tractari poteſt, & conſequenter partu jam edito (niſi exſectum utero matris mortuæ ponamus, quod à Pauli contextu perquam alienum) quo tempore eum, utpote filium jam, ſive juſtum, ſive injuſtum, & quamvis, ex quo tempore conceptus eſt, juſtus non fuerit, matri tamen ſucceſſurum, dubium non eſt. Peccat itidem in eo ille idem, & ex noſtratibus, poſt alios, laudandus mihi, vel cum diſſentio, D. Franciſcus de Amaya *lib.* 1. *obſerv. cap.* 4. *numer.* 12. Quod, quaſi ex Pauli mente, ſupponunt, filium illum, de quo in *d. leg. Paulus* 11. quamvis juſtus non ſit, ex quo tempore conceptus eſt, juſtum tamen inveniri, & intelligi, poſt mortem avi, tempore nativitatis; id porro, & a ratione Juris, de qua poſtea, & à ſententia Pauli deviat, cujus reſponſum in *d. l.* 11. ſicut ejuſdem illud omnino ſimile in *l. eos qui* 65. §. 1. *D. de ritu nupt.* Exaudiuntur ſic probabiliter, ut Gordianus exaudit, in *l. & ſi contra* 6. *C. de nupt.* Nempe, ut filii concepti, ſive ſuſcepti, natique poſtquam, ſublato impedimento, juſtæ nuptiæ eſſe cœperunt, juſti etiam, legitimique ſint: & è contra nati, quo tempore matrimonium juſtum non erat, aut ſaltem tunc concepti, quamvis poſtea naſcantur, nunquam juſti liberi ſint, ut rectiſſime ex verbis *d. l. & ſi contra* 6. colligit Thalelæus, Contio in *diſputationibus* jam expenſus, *l.* 67. nec ſatis perſpectus *lib.* 28. juxta Herveti editionem Baſilicon *tit.* 2 *in ſcholiis* τὸ κατὰ πόδας.

7 Ergo ut jam dicam, ſententia Pauli in *d. l.* 11. ea eſt, ut, poſt mortem avi, natus in illa ſpecie non ſit juſtus filius ei patri, ex quo, ſcilicet patre, conceptus eſt: non ſit, inquam, juſtus filius indefinite, & indiſtincte, hoc eſt, nec conceptionis, nec nativitatis tempore. Ratio autem ſententiæ hujus pendet ex ſuperiore Juris Regula, nempe quia, cum conceptus ſit, vivente avo, & ignorante de conjunctione filiæ, quæ in ejus poteſtate erat, ideoque eo tempore, quo & conjunctio illegitima, & nuptiæ non juſtæ fuerunt Jure Romano, utpote collocatæ à filia familias, ſine conſenſu expreſſo, vel tacito patris ignorantis, *princip. Inſtit. de nupt. l.* 2. *D. de ritu nupt.* junctis *l. in ſponſalibus* 7. §. 1. *D. de ſponſal. l. dotis* 68. *D. de jure dot.* & in filiis, ex juſto matrimonio ſuſceptis, ut tales patri ſint, & habeantur, inſpici debeat conceptionis tempus, ut ex Ulpiano, & Cajo docuimus, conſequens eſt, conceptum, ignorante avo, de conjunctione filiæ familias, non eſſe juſtum filium patri, ex quo conceptus eſt, quamvis poſt mortem avi naſcatur, quia & inſpecto tempore nativitatis, quamvis tunc avus ſciens jam, prudenſque nuptiis conſentiret, (quod impoſſibile eſt in *d. l.* 11. avo mortuo ante nativitatem nepotis) & quamvis, aut avum ipſum medio tempore, inter nativitatem, & conceptionem, aut ipſos conjuges, poſt mortem avi, novo conſenſu nuptias confirmaſſe ponamus, quorum neutrum exprimitur in *d. l.* 11. convaleſcerent quidem ita, ut exinde, à die accommodati conſenſus, nuptiæ in futurum juſtæ eſſe inciperent, & filii poſt conſenſum concepti, natique juſti ſint, *l. filius* 28. §. *ſi quis eo* 3. *D. de liber. & poſth. l. nuptiæ* 18. *l. ſi quis in Senatorio* 27. *D. de ritu nupt. l. ſi ut proponis* 5. *Cod. de nupt.* non tamen, ut vel retro, & in præteritum juſtæ habeantur, *l. dotis* 68. *D. de jure dot. l. ſi uxor* 13. §. *ſi quis uxorem* 6. *in fine D. ad leg. Jul. de adulter.* quoniam juſſus, conſenſuſve præcedere nuptias debet, *princip. Inſtitut. de nupt.* & ideo, ſi conjunctionem ſequatur, facit, ut exinde ſint nuptiæ, quas jam præcedit, non autem, ut ſint nuptiæ in præteritum, nec ratihabitio in nuptiis retrotractionis vim habet, ut docte ante alios, ex Latinis, notat Græcanicus Interpres Enantiophanes ad *d. l. dotis* 68. *lib.* 28. *tit.* 15. in editione Gentiani Herveti, & *lib.* 29. *tit.* 1. in Baſilicis editis à Fabrotto, ac demum in editis à Cujacio, & *lib.* 60. *tit.* 37. *ad d. l. ſi uxor* 13. §. *ſi quis uxorem*, atque eſt, in eam rem, proprium, apertumque Pauli reſponſum, in *l. eos qui* 65. §. 1. *D. de ritu nupt. l. etſi contra* 6. *Cod. de nupt.* cujus lectionem temere attentat Contius, & tuetur Cujacius, Gothofredo illic laudati, ex Synopſi Baſilic. 28. *tit.* 2. *cap.* 30. Proinde neque juſtus filius patri eſſe poteſt, ex eo conceptus ante quam nuptiæ juſtæ eſſent, quamvis, poſt eas jam juſtas, naſcatur, cum conceptionis tempus ſpectemus, non nativitatis, ex illa regula ambigui Juris.

8 Nec ad rem pertinet Juſtiniani Conſtitutio in *l. Nuper* 11. *Cod. de naturalib. lib.* dum generaliter definit, in his quæſtionibus de ſtatu liberorum, partus, ſive editionis tempus ſpectari, non conceptionis, niſi ſicubi id nato utilius eſt, ideoque etiam conceptos ante nuptias legitimas, poſtea nuptiis juſtis ſequutis, juſtos patri filios naſci. Eſt enim tota ea Conſtitutio de filiis naturalibus extra nuptias ſuſceptis ex concubina, cum qua nuptiæ eſſe poterant, eiſque poſtea ſecutis, etiamſi ante nati, & concepti, juſti efficiuntur, ex Conſtitutionibus; unde, ut Juſtinianus loquitur, *multo magis*, juſti erunt concepti ante nuptias, & poſt eas nati, inſpecto tempore nativitatis, non quidem, ut Cujacius voluit *Novella* 12. ex ſuperiori regula Juris antiqui de inſpiciendo tempore editionis, in non legitime conceptis (ea enim pars regulæ faceret potius, ut, tanquam non ex juſtis nuptiis ſuſceptis, matris ſtatum ſequerentur, nec patri juſti filii eſſent, *dict. l. Cum legitimæ* 19. *l. Lex naturæ* 24. *D. de ſtatu homin.* implicatque contradictionem cum illa regula, ut, ea attenta, tanquam in non legitime ſuſceptis, inſpiciatur tempus editionis, & rurſus, eo tempore inſpecto, ſint juſti filii, legitimique patri, ut Juſtinianus ſtatuit) ſed ideo *multo magis*, quia in natis poſt legitimas nuptias, etiamſi ante eas conceptis, fortior ratio eſt, habendi eos pro juſtis filiis, quam in conceptis, natiſque ante nuptias, inſpecto nempe in illis tempore editionis, quod, uti nato utilius, ſpectari placuerat jam olim. *l. & ſervorum* 5. *Ingenui* 2. *D. de ſtatu homin.* Unde & ex probabilibus rationibus hoc fieri dicitur à Juſtiniano in *Novella* 89. *quib. mod. natur. eff. cap.* 8. §. *ultim.* & in Baſilicis *lib.* 28. *tit.* 2. *ad finem.* Sed, ut dicere occœpi, ea Conſtitutio eſt de filiis conceptis ex concubina, non autem de conceptis ex injuſtis nuptiis, quos juſtos fieri, confirmatis ante nativitatem nuptiis, contra Paulum in *dict. l.* 11. & rationem, regulamque Juris, non facile admiſerim ſine Conſtitutione, in eoque aſſentior magis Alberico ſic diſtinguenti, in *dict. l. Paulus* 11. & poſt eum, Connano *lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 6. Baſilio Legionenſi *de matrim. lib.* 2. *cap.* 1. §. 2. *num.* 25. & ante eum Ferd. Mendozæ *de Concil. Illib. confirm. lib.* 2. *cap.* 34. Cujacio *lib.* 10. *quæſt. Papin. ad l. Dotis* 68. *D. de jure dot.* tametſi hodie aliter deciſum ſit, ex noſtrati Regia *l.* 11. *Tauri. l.* 9. *tit.* 8. *lib.* 5. *Compil.* & de utroque valde & valide certent, præter laudatos ab Amaya *dict. lib.* 2. *obſervat. cap.* 4. plures apud Garciam *de beneſic.* 7. *part. cap.* 2. *ex num.* 35. Baſil. Legion. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 3. noviſſime Don Joann. Bapt. Larr. *deciſ. Granat.* 8. *num.* 61. *& deciſ.* 43. *ex num.* 25.

9 Ergo, ut ex diverticulo jam in viam, quamvis à regula illa Juris Civilis, de ſpectando tempore conceptionis in juſtis filiis, & editionis in non legitime ſuſceptis, receſſum ſit, quoad ſtatum libertatis, & ingenuitatis ex Conſtitutionibus Principum, quibus promiſcue placuit, ſpectari, vel conceptionis, vel editionis, vel medium tempus, qualicumque ex his mater libera fuerit, ſive quod partui utilius ſit, ut ingenuus naſcatur, *l. Imperator* 18. *in princip. D. de ſtatu hom. l. ſi ante* 4. *Cod. de pœnis. l. Nuper* 11. *Cod. de natural. lib.* quod & frequentius, libertatis favore, ſequuntur Veteres Juriſprudentes. *l.* 5. §. *Ingenui* 2. *l. pen. D. de ſtatu homin. l.* 1. §. *Quæri* 1. *D. de ſuis & legit. l.* 1. §. *Interdum* 3. *l.* 2. §. *Sed ſi in ſervitute* 3. *D. ad S. C. Tertyll. l. Si ſtatu libera*

Digitized by Google

tera 6. in princip. & *§. 1.* & *2. D. de ſtatu liber. l. ult. D. de ſentent. paſſis.* Paulus *lib. 2. ſentent. tit.* 24. §. 1. 2. & 3. tamen quoad honores, originem, nobilitatem, familiam, & gentilitia ſacra, ſive nomen, & genus, *in quo monſtrando eſt princeps partis paternæ prærogativa*, ut Sidonius loquitur *lib. 4. epiſt.* 21. ſive in queis ſingulis filii juſti patrem ſequuntur. *l. cum legitimæ* 19. *D. de ſtatu homin. l. liberos* 10. §. 1. *D. de Senator. l. 1. §. 2. l. Aſſumptio 6. §. 1. D. ad municip. l. 1. §. ultim. D. de jure immunit. l. Familiæ* 196. §. 1. *D. de verb. ſign. l. 1. Cod. de poſtlim. reverſ. l. Eos* 22. *l. Exemplo* 36. *l. Nullus* 44. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *l. 3. Cod. de municip.* & *origin. eodem libro*, §. *Sunt autem* 1. *Inſtit. de legit. agnator. tut. cap. Ex literis* 2. *de converſione infidelium.* Dubitari non immerito potuit, an conceptionis tempus ſpectandum eſſet, vel editionis. Namque conceptionem ſpectari, ſuadebat Juris regula vetus, ratioque, id tempus ſpectans, ut patrem primum, præcipuumque generis auctorem, & ex conceptione, in qua prævalet, æſtimandum, ſequantur filii ex juſtis nuptiis concepti, quales eſſe ſupponimus, cum quærimus, an patris Dignitate, vel origine cenſeatur. *dict. l. in fine, D. ad municip.* E contrario autem inſpici in eadem re tempus editionis, pervinci videbatur exemplo originis, ſive Civitatis, patriæ, & municipatus, cujus reſpectu, & ut paterna origine filii cenſeantur, regulare quodammodo eſt, ut nativitas attendatur: & ideo eam facere municipem dicimus, *l. 1. in princip. D. ad municip.* & perſæpe, cum de aſſumptione originis filiorum à patre quæritur, referri oratio ſolet ad tempus naſcendi, ſive ad natos, non ad conceptos. *d. l. 1. §. qui ex duobus 2. l. Filii 22. § Senatores 5. D. ad municip. l. Moris 9. §. Plane, D. de pœnis. l. 2. Cod. de ordine judicior.*

10 In hoc itaque rationum Juris conflictu, eum non deeſſent forſitan, qui exiſtimarent, ſpectandum eſſe tempus editionis, quoad honorem filii Senatoris, & ideo nec habendum pro filio Senatoris eum, cujus pater, antequam iſte naſceretur, Senatu motus fuit, quamvis poſt conceptionem ipſius, tamen Ulpianus noſter in *dict. l. Emancipatum 7. §. 1. verſ. Si quis conceptus*, dubitandi, diſſentiendique rationem agnoſcens ſcripſit, *magis eſſe*, ut quaſi Senatoris filius intelligatur, quia conceptionis tempus ſpectandum, *plerifque placuit*, tum juxta regulam Juris antiqui in filiis juſtis, qualem hunc eſſe ſatis ſupponitur, dum quæritur, an patrem ſequatur. *dict. l. Cum legitime* 19. *D. de ſtatu homin.* Tum etiam, quia, cum de ejus Dignitate & commodo agatur, pro nato habendus eſt, ex quo tempore conceptus eſt. *dict. l. penult. D. de ſtatu homin.* Diverſum autem eſt in origine, ſive municipatu, quem plerumque nativitas tribuit, non conceptio, quia & plerumque non pertinet ad honorem, commodumve illius, qui naſcitur, ut hac potius origine & patria, quam illa, cenſeatur, quamvis interdum hæc illa utilior, vel honeſtior eſſe poſſit. Unde & jam intelligimus, cur Ulpianus in filio Decurionis, concepto ante motionem patris ab Ordine, & poſt eam nato, & ſimilibus quæſtionibus, quas tractat in *dict. l. 2. §. Sed ſi pater 3. cum §. 5.* & *6. D. de Decurionib.* ut tanquam Decurionis filium intueatur, non ut in filio Senatoris, ex ſententia magis recepta, ſive quia *pleriſque placuit*, ita concludat, ſed, ut loquitur, *benigne,* & *non infavorabiliter*, nempe quia, cum Decurionis nomen, munus, & filii Decurionis honor, non merus honor ſit, ſed honoris, oneriſque mixtura, ex origine pendens, quam nativitas tribuit, idcircoque & Decurio fortunam ſuam, naſcendo mereri dicatur, *l. Decurio* 41. *Cod. de Decurion. lib.* 10. poſtulabat regula, ratioque Juris, ut ſpectaretur nativitas, qua attenta, plebejus pater fuerat, in *dict. §. Sed ſi pater 3. cum 5.* & *6.* niſi, benignitatis intuitu, defenderetur, conceptionis, aut medium tempus ſpectari, ut, quaſi Decurionis filius, in honoribus eſſet. *dict. §. Sed ſi pater 3.*

C A P U T VI.

Ad verba Juliæ legis: Nepoſve ex filio. l. Emancipatum 7. §. ultim. D. de Senatorib. l. Divo 11. C. de Quæſtion. l. 2. §. In filiis, verſic. In avo, D. de Decurion.

A R G U M E N T U M.

Filiorum, & *liberorum nomen quos complectatur.* lex liberos 10. D. de Senator. *relata, juxta Epigraphen, ad tractatum ſe agnoſc. lib non ad Juliam noſtram. An nepos Senatoris, vel Decurionis, cujus pater, ante eum conceptum, Dignitatem amiſit, habendus ſaltem pro Senatoris nepote, diſſidium fere eſt inter Juris Auctores. Ei conciliando, teſtamenta Græcorum, Latinorumque Interpretum improbata. At probabilis diſtinctio, inter Juliam legem de connubio Senatorio,* & *privilegio Decurionum, quoad tormenta,* & *pœnas. Diſtinctionis ratio revelata,* & *petita ex differentia juris, ex perſona propria competentis, aut ex vi tranſmiſſionis. Exemplum in* l. ult. D. de Decurion. l. ult. D. de pœnis, *quæ* & *inde componuntur. Exemplum aliud in patronatu libertorum. Rejiciuntur rationes aliæ,* & *opinamenta noviorum. Et, vel ſuppoſita paritate juris, ex lege Julia,* & *privilegii Decurionum, expenditur, quoad primum, favor nepotis, utpote innocentis, ne ei patris nota obſit; non item quoad ſecundum, in quo ipſe nepos nocens, aut noxæ ſuſpectus. Jam ad Ulpianum in* l. 2. §. in filiis, verſic. In avo, D. de Decurion. *Thalelæi expoſitio, cui non ſubſcribitur. Obſervantur potius duo alii intellectus ad* d. verſ. In avo: & *obiter, an nobilitas, quæſita à filio, proſit patri, ſaltem quoad pœnas.*

1 Pergamus jam in legis Juliæ capite, in quo, poſt verba, *quive filius*, ſcriptum mox eſt, *nepoſve ex filio.* Et quidem neceſſario, meritoque; quia, tametſi interpretatione juſta, & civili, filiorum appellatio producatur plerumque ad nepotes, vel ex ſententia legum, vel ex præſumptione probabili voluntatis teſtantis, *l. Filii* 84. *l. juſta* 201. *l. Liberorum* 220. §. *Sed* & *Papirius, D. de verbor. ſign. l. Uxorem*, 41. § *Concubinæ, D. de legat. 3. l. Filium 14. D. de Senat. Conſult. Macedon. l. Si filius 6. Cod. eod. tit. l. Senatus Conſulto 59. D. de ritu nupt.* quoniam parentibus piis nepotes filiorum loco ſunt. *l. 1. de naturalib. filiis* in *Cod. Theodoſian. l. Si quis filium 34. Cod. de inoffic. teſtam. dict. l. Liberum 220. §. ultim. D. de verbor. ſign.* Sepoſita tamen voluntatis conjectura, & ex proprietate ſermonis, filiorum nomen ad nepotes non pertinet. *l. Quid ſi nepotes 6. D. de teſtam. tut. l. Sed* & *milites 8. D. de excuſat. tutor. §. ult. Inſtit. Qui teſtam. tutor. dari poſſ.* Unde & apud Dionem *lib. 54. Hiſtoriæ*, cum interdictum jam olim eſſet *Senatorum filiis*, Τοῖς παισὶ τῶν βουλευτῶν (non *liberis*, ut inconſpecte vertit vulgaris Interpres) ne in Orcheſtra ſaltarent, idque ipſum adhuc facerent Equites, fœminæque illuſtres, prohibuit amplius fieri Auguſtus, non modo filiis Senatorum, de quibus jam ante cautum erat, ſed etiam nepotibus, aliiſque Equeſtris Ordinis, quaſi ſcilicet nepotes priore interdictione filiorum non continerentur. Eadem itaque ratione & reſpectu, prohibitionem nuptiarum cum libertinis, ſceniciſque, quæ ſuopte genere ſtricta & odioſa, ut notavimus ſupra *cap. 4.* ex *l. Palam 43. §. 1. 2.* & *3.* & *§. Si qua 11. D. de ritu nupt.* ne, ſi de filiis Senatorum duntaxat conciperetur, nepotes non comprehenderet, produxit neceſſario eadem lex Julia ad nepotem ex filio, ut perinde à connubio libertinæ, ſcenicæve arceretur.

Inde vero intelligimus, quo pertineat, & quam certa, 2

certa, rectaque, ſit definitio Ulpiani ex *lib. ejuſdem* 34. *ad Edictum* in *l. liberos* 10. *D. de Senator.* nempe *liberos Senatorum accipi debere, non tantum Senatorum filios, verum omnes, qui geniti ex ipſis, exve liberis eorum, dicantur, ſive naturales, ſive adoptivi ſint, liberi Senatorum, ex quibus nati dicuntur.* Pertinet enim ea definitio ad tractatum de jure, & nomine filii Senatoris, quem Ulpianus *lib.* 34. *ad Edictum* attigit, fortaſſe occaſione Edicti Prætorii, & Senatus Conſultorum de agnoſcendis & alendis liberis, *l.* 1. & *l.* 3. §. *Quid ergo* 2. *D. de agnoſc. lib. l.* 1. *D. ſi ventris nomine mul. l. un. D. ſi mulier ventr. nom.* quæ ſunt ex *libro* 34. Ulpiani *ad Edictum*; & in *d. l.* 3. §. *Quid ergo* 2. quæritur, an nepos, poſt mortem patris natus, liberorum appellatione comprehendatur, ita ut cum avo agi poſſit, præjudicio de partu agnoſcendo, & affirmatur, poſſe, quia liberorum appellatio non tantum filios, ſed & nepotes complectitur, ut appoſite ad rem notatur in *dict. l. Liberos* 10. Nec ignoro, tractaſſe Ulpianum *eodem libro* 34. de dotibus, divortiis, & adjacentibus. *l. Si rem* 14. *l. Divus* 40. *D. de jure dot. l. Cum pater* 11. *D. de pactis dotal. l. Si non ſecundum* 34. *D. de donat. inter. l. Si filia* 5. *D. de divort. l. Nihil* 15. *l. Sed & ſi* 19. *D. de act. rerum amot.* Sed, ut propoſui, quæſtioni *dict. l.* 3. §. *Quid ergo*, *D. de agnoſc. liber.* rectiſſime conjungitur ſententia *d. l. Liberos* 10. quemadmodum & tractationi noſtræ de filiis Senatorum, quoad nuptias cum ſcenicis, libertiniſve, de qua Marcellus *lib.* 1. *ad legem Juliam, & Papiam*, in *l. Sciendum* 32. *l. Obſervandum* 49. *D. de ritu nupt.* Conjunxit ille idem Marcellus, *eodem libro*, quæſtionem de nepote ex filia Senatoris, quoad onus alendi, in *l. Non quemadmodum* 8. *D. de agnoſcend. liber.* quæ & quæſtio, quoad nomen filii Senatoris, deciditur in nepote ex filia, in *dict. l. Liberos* 10. *in fine.* Ergo cum conſtet jam, quo pertineat illius legis definitio, in quo tamen hallucinantur *Manualia* Baronis, intelligitur facile, cur Ulpianus, retenta appellatione liberorum, ex tractatu de liberis agnoſcendis, nec expenſa, imo velut neglecta, expreſſione nepotum, quæ in verbis Juliæ legis extabat, proponat, veluti pro regula, liberos Senatorum accipi, non tantum filios, verum omnes genitos ex ipſis, exve liberis eorum. Inconcinne ſane, aut inepte, ſi referas ad verba legis Juliæ; quæ non liberorum, ſed filii, nepotis, pronepotis, nec ultra meminit, ſed appoſite, & recte, ſi ex tractatu, de liberis agnoſcendis, liberorum appellationem ſumi, obſervemus, quoniam ea comprehenduntur nepotes, pronepoteſve, & cæteri deſcendentes. *l. Cognoſcere* 56. §. *Liberorum. l. Liberorum* 220. *D. de verbor. ſignif. l. Sed ſi hac* 10. §. *Liberos* 9. *D. de in jus voc. l. Si dotali* 48. *D. de ſolut. matrimon. l.* 2. §. 7. *D. de excuſat. tutor. l.* 1. §. 1. *D. de legat. præſtand. l. ult.* §. *Parentes* 7. *D. de gradibus. l.* 3. §. *Liberos* 6. *D. de aſſign. libert. l. Moris* 9. §. *Liberos* 13. *D. de pœnis.* Eoque referenda, & ſimiliter accipienda eſt, ſumma ejuſdem *legis Liberos* 10. in Synopſi Baſilic. *lib.* 6. *tit.* 1. *cap.* 8. quæ ſic habet: *Omnes à Senatore deſcendentes,* κυρίως, *Senatoris liberi dicuntur.* Nempe quoad alios effectus, quam legis Juliæ, quæ reſtricta ad pronepotes, ut dicemus infra.

3 Jam vero ad hæc Juliæ legis verba conjuncta, *quive filius, nepoſve ex filio*, referenda proprie eſt Ulpiani adnotatio *lib.* 1. *ad legem Juliam, & Papiam*, in *l. Emancipatum* 7. §. *Si quis & patrem*, *D. de Senator.* quæ docet: *Si quis & patrem, & avum habuerit Senatorem, & quaſi filium, & quaſi nepotem Senatoris intelligi.* Utrumque ſcilicet, proprio, optimoque jure, quoad effectum prohibitionis connubii ex lege Julia, cujus verbis, & tanquam filius, & tanquam nepos comprehenditur. *d. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* Hujus autem ſententiæ utilitas ut cernatur, ſubjungit Ulpianus in §. *ultim. dict. l. Emancipatum* 7. Si pater Dignitatem Senatoriam amiſerit, ante conceptionem hujus, ſcilicet, qui patrem, & avum Senatorem habuit, ut in §. *præcedenti*, quæri poſſe, an quamvis, quaſi Senatoris filius, non intelligatur, quaſi nepos tamen intelligi debeat? Et ſane, non eſſe quaſi Senatoris filium, recte ſupponitur, ex propoſitis in eadem *l.* 7. §. 1. *verſ. Sed eum*, de quo *capite ſuperiori.* Non eſſe autem intelligendum, quaſi nepotem avi Senatoris, pervinci videtur, tum ex ratione Juris, qua attenta, officium, juſque avi, circa nepotem, ex officio patris erga filium, pendet; quia per patrem nepos avo conjungitur, & avi jura aſſequitur. *l. Dotem* 6. *de collat. l. Si ex patronis* 11. §. *Julianus*, *D. de bonis libert.* Tum & exemplo privilegii, ne plebejorum pœnis, vel quæſtionibus ſubjiciantur Eminentiſſimorum, & Perfectiſſimorum, nec non & Decurionum, liberi, uſque ad pronepotes: quo privilegio ita demum nepotes fruituros, Divo (ut indigitabant) Marco, & Ulpiano placuit, *ſi prioris gradus liberos, per quos id privilegium ad ulteriorem gradum tranſgreditur, nulla violati pudoris macula adſpergit*; hoc eſt, ſi eorum pater, ante quam hi conciperentur, Ordine motus, ſive expunctus non eſt. *l. Divo* 11. *Cod. de quæſtion.* Et tamen contra Ulpianus noſter reſpondet, in *dict. l.* 7. §. *ultim.* magis eſſe, ut hic nepos, quaſi nepos Senatoris intelligi debeat, ut avi potius ei Dignitatis proſit, quam obſit caſus patris. Quin & in Decurionis nepote, Ulpianus idem in *Diſputationum libris*, quorum auctoritate nititur *dicta lex Divo* 11. longe aliter, quam ibi ſcriptum eſt, reſpondet, in *l.* 2. §. *In filiis*, *verſic. In avo*, *D. de Decurion. In avo quoque*, inquit, *Papinianus idem reſpondit, ne patris nota filius macularetur.* Quorum verborum quænam, quæſo, alia idonea ſententia, niſi, non maculari nepotem nota patris, nec arceri à prærogativa, ex perſona avi, in qua id ipſum Papinianus reſponderit?

Nec proponimus, probamuſve Accurſii, & apud eum aliorum *in d. l.* 7. §. *ult.* divinationes potius, quam diſtinctiones, inter motionem patris ab Ordine, propter invaletudinem, ut *in d.* §. *ult.* aut propter infamiam, ut in *d. l. Divo* 11. & inter nepotem in poteſtate avi, ut *in d.* §. *ultim.* aut extra poteſtatem, ut in *d. l. Divo* 11. vel denique inter nepotem, conceptum vivo avo, ut in *d.* §. *ult.* aut poſt mortem avi, ut in *d. l. Divo* 11. quomodo tandem, poſt Accurſium, docent, diſtinguntque Bartolus, Jacobus de Arenis, Albericus, Fulgoſius, & alii in *d. l.* 7. §. *ult.* Cynus, & reliqui in *d. l. Divo* 11. ſed nec probabiliora mihi ſunt commenta Thalelæi, & aliorum Interpretum Baſilicon *lib.* 60. *tit.* 51. *ad l. Crimen* 26. *D. de pœnis*, & *tit.* 50. *ad dict. l. Divo* 11. (ubi, inter alia, aberrant largiter, dum ſcribunt, infamem filium, vel nepotem, quamvis ex ſe genitis noceat, quoad honorem ex perſona avi, non tamen ſibi obeſſe, nec puniri ipſum, ſeu torqueri, ut plebejum, quia debetur ei honor parentum. Quod & abſurdum eſt, & refellitur in *l. ult.* §. 1. *D. de pœnis*) ſicut nec Fulgoſii aliud in *dict. l.* 7. §. *ult.* Fatemur potius, cauſatę Cujacium 20. *obſerv. cap.* 29. & *ad tit. Cod. de quæſtionib.* dum, conciliandi Ulpiano Ulpiani, in *dict. l.* 11. *dict. l.* 7. §. *ult. dict. l.* 2. §. *In filiis*, *verſic. In avo*, viam aliam non reperit, eam ſibi ferro aperire, & correctorio ſtylo, ut, negatione adjecta, in *dict. l.* 11. ſic legatur: *In Decurionibus autem, & eorum filiis hoc non obſervari*, & deinceps. Sed cauſatius multo Concinnatores librorum Juris Baſilicon, qui ut, Antinomiæ hujus conciliandæ, curam præciderent, pro legumlatrice poteſtate, qua erant, totum illum verſiculum extremum, in Decurionibus *dict. l.* 11. prætermiſerunt *libr.* 60. βασιλικῶν διατάξεων *titul.* 50. *in dict. l.* 11. Ubi & in Scholiis Thalelæus Ulpiani, de Decurionis filiis, ſententiam diſſimulat. Sed, cum vel adhuc diſſidii manifeſta veſtigia maneant, inter noſtram *l.* 7. §. *ultim.* & *dict. l.* 11. in principio, non eſt, cur vel Cujacii, vel Græcorum cauterio manus demus. Acceſſit propius rem, nec omnino tamen ad ipſam, vetus Gloſſographus, apud Accurſium, in *dict. l.* 7. §. *ult.* diſtinguens inter honores, de queis in *dict.* §. *ult.* & prærogativas liberationis à tormentis, & pœnis, de queis in *dict. l.* 11. nec diverſus 4

Faber

Faber in *Ration. dict. l.* 7. *§. ultim.* diſtinguens inter Dignitatem, tributam Jure communi, ut in *dict. §. ultim.* & eam, quæ habetur ex privilegio *dict. l.* 11. Neuter tamen exponit, aut expedit, cur potius honor ſit jus filii Senatoris, de quo in *dict. §. ult.* quam jus filii Eminentiſſimi, Perfectiſſimi, aut Decurionis, cui connexa prærogativa illa, quoad pœnas & tormenta, quæ & proinde honor dicitur. *l. ult. §.* 1. *D. de pœnis. l.* 3. *D. de veteran. l. Honor* 5. *C. de pœnis.* Sive cur potius honor filii Senatoris ſit ex communi Jure, quam honor filii Decurionis.

5 Ergo, ut rem explicem, adſentior potius Eguinario Baroni 1. *part. Manual. ad dict. l.* 7. *§. ult.* quem, illaudatum, in hac re ſequuntur Guil. Fornerius *lib.* 2. *ſelect. cap.* 20. Petr. Burgius *lib.* 1. *electorum cap. ult.* Julius Pacius *cent.* 1. *quæſt.* 40. affirmantes, ſeparandam eſſe cauſam Juliæ, Papiæque legum, de connubio Senatoriorum cum libertinis, ſcenicisve, ad quam *dict. l.* 7. *§. ult.* referenda eſt, utpote inſcripta *lib.* 1. Ulpiani ad legem Juliam, & Papiam, ut Epigraphe oſtendit, & ſæpicule jam monuimus; & privilegium illud, ne viri Eminentiſſimi, ac Perfectiſſimi, & Decuriones, eorumque liberi, uſque ad pronepotes, pœnis, tormentiſque plebejorum ſubdantur, de quo in *dict. l. Divo* 11. Differentiæ autem, inter utramque cauſam, ratio, tentata potius, quam expoſita Baroni, & aliis, in obſcuro non eſt. Quippe, quoad leges noſtras, nepoti nota patris non nocet, & pro nepote Senatoris habetur, ne libertinam, ſcenicamve ducat, quia nepos, non ex patris perſona, ſed ſuo, proprioque jure, comprehenditur verbis Juliæ legis, quæ, ut filii nominatim, ita & nepotis ex filio meminit. *d. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt. dict. l.* 7. *§. Si quis & patrem.* Nec dubitari poteſt, quin nepos ſit ex filio Senatoris, quamvis filius Senator eſſe deſierit. Et ideo magis eſt, ut, quamvis quaſi Senatoris filius non intelligatur, quaſi nepos tamen intelligi debeat. *dict. l.* 7. *§. ultim.* At privilegium illud, de quo in *dict. l. Divo* 11. non nepoti ſpecialiter, proprioque jure, ſed liberis ex perſona patris, uſque ad tertium gradum, tribuitur. *l. Mortis* 9. *§. Parentes* cum *§. ſeq. D. de pœnis. l.* 3. *D. de veteran. Et per priores gradus perſonas ad ulteriorem gradum tranſgreditur*, ut ſcriptum eſt ἐπεγγυητικῶς in *dict. l. Divo* 11. ſive *ad filios, atque nepotes, ipſo ordine ſanguinis, pervenit*, ut legimus in *l.* 1. *Cod. de privileg. eorum, qui in Sacr. Palat. milit. lib.* 12. idcireoque non fruitur privilegio, quaſi nepos, cujus pater notatus eſt, quia nec poteſt ad nepotem tranſmitti media, interjectaque patris perſona, qui ſua nota, infamiaque id amiſit. Valetque hic proprie, & obtingit ratio illa Juris, quæ oſtendit, nepotem avo, per patrem, jungi, & avi jura adſequi, ea ſcilicet, quæ per patrem, ut traducem, ad nepotem diffunduntur. *d. l. Dotem* 6. *D. de collat. l.* 3. *D. de interdict. & relegat. l. Si viva* 3. *C. de bonis mat.*

6 Nec ſine exemplo eſt, quod ponimus, proniorem, faciliuremque viam eſſe, amittendi privilegii, quod alieno, & derivato beneficio, quam quod proprio jure obtingit. Sic enim, ne cancellos privilegii Decurionum in pœnis, & tormentis, perrumpamus, Decurioni, quamvis damnato, & hoc amplius, quamvis ante damnationem Decurio eſſe deſierit, Ordine ſcilicet motus, eoque ipſo notatus, ſervatur privilegium id, in memoriam prioris Dignitatis, tanquam ei, qui fuit Decurio. *l. ult. D. de Decurion.* Et tamen Decurionis filius, qui & ipſe, cum Decurio eſſet, amiſit, ſuo admiſſo, honorem Decurionatus, non habet privilegii jus in pœnis evitandis, tanquam Decurionis filius, *l. ult. §. ult. D. de pœnis*, cur tam varie dixerit quiſpiam; niſi quia memoria Dignitatis, & privilegii, proprio jure quæſiti, qui Decurio fuit, hæret, duratque magis, nec tam facile amittitur, quam privilegium, adſcititio jure delatum ei, qui filius eſt Decurionis, quomodo conciliandis *d. l. ult. D. de Decurion.* cum *d. l. ult. §. ult. D. de pœnis*, notat rectiſſime Accurſianorum ſubtiliſſimus, Raphaël Fulgoſius, *ad d. l. Divo* 11. in fine, *C. de quæſtion.*

7 Quin & è contra, ut perſimili exemplo rem firmem, quicquid non à patre, aut per patrem hæreditario jure tranſmiſſum, ſed ſpeciali, proprioque jure ſanguinis, nepoti defertur, quale eſt jus patronatus in liberto avito, non aufertur nepoti, ex nota patris, vel exhæredati, vel alioquin excluſi, quia libertum capitis accuſavit, ſicut ad *leges noſtras Juliam, & Papiam* notatum ſcio in *l. Quæritur* 38. *D. de bonis libertor. l. Divi* 17. *D. de jure patron.* niſi quamdiu hic nepos in poteſtate patris eſt, ne pater, ſuo nomine, excluſus, per nepotem admittatur, *l. In ſervitutem* 16. *§. Si Patroni* 4. *dict. l. Quæritur* 38. *l. Quod ſi pater* 11. *& l. Filius* 13. *D. de bonis libertor.* juxta quas, & Juliani in eis ſententiam *libro* 26. Digeſtorum, exponendus eſt idem Julianus, in *d. l. Si ex patronis* 10. *§. Julianus, verſ. Quod ſi pater, D. de bonis libert.* ut exacte, & operoſe magis dicemus ad legum noſtrarum Capita de ſucceſſione libertorum.

8 Quod ſi, vel gratis, largiamur, etiam id privilegium, de quo in *dict. l. Divo* 11. non ſub communi liberorum nomine, ſed ſpeciali, proprioque jure, nepoti indulgeri, argumento ex *l. ſi quis filio* 6. *§. Ejus* 7. *verſ. ſed & ſi, D. de injuſto rupto*, & quod eſt amplius, urgeamus, dici proprie non poſſe, nepotem ex filio Senatoris, qualem Julia lex exigit, eum, cujus pater, cum Senator & ipſe eſſet, ſuo admiſſo Senatoriam Dignitatem amiſit, quia & eo ipſo amiſit Senatoris filii honorem, & nomen, *l. ultim. §. ultim. D. de pœnis*, proinde etiam curioſius quæratur, cur adhuc nepos, quoad leges noſtras, habeatur pro nepote ex filio Senatoris, non item quoad privilegium *dict. l. Divo* 11. ſubtilioris, nec facile extricandæ, diſquiſitionis eſt. An quod, ut, poſt Baronem, noviores ſcribunt, jus legis Juliæ, & Papiæ in hac re, ſine incommodo alieno procedit, pertinetque ad honorem, & Dignitatem, favorabilem non modo ipſius nepotis, ſed etiam avi Senatoris, cui dedecori eſſent impares nuptiæ, à nepote contractæ; privilegium autem, quoad pœnas, & tormenta, nocere publice poteſt, ſi ea, veluti hæreditariæ impunitatis illecebra, confidentius peccetur? An & ideo, ut Fornerius adjicit, quia odioſæ, inviſæque Juliæ, Papiæque leges, ditando ærario latæ, & Romanorum temporum, calamitatumque, teſtes? Aliena ſane hæc ſingula, ne gravius notem, & ſibilo excipienda, non plauſu; namque & jus Papiæ, Juliæque legis, in interdictione connubii cum libertinis, non eo uſque procedit, ſine alieno incommodo, ut non afficiat nota pergravi totam eam partem Civitatis, *quam, velut contaminatam, indignam habet connubio*; ut in re ſimili Cornelius loquitur, apud Livium *libro* 4. ideoque quamvis ad honorem Senatoriorum pertineat, fuit tamen ſtrictæ ſemper, non favorabilis interpretationis apud Conſultos ob coarctationem libertatis nuptiarum. *l. Palam* 43. *§.* 1. 2. *&* 3. & *§. ſi qua* 11. *D. de ritu nupt.* & è contrario privilegium, quoad pœnas, & quæſtiones, cum eas, interpretatione molliri, quam aſperari, æquius ſit, *l. penult. D. de pœnis. l. Cum quidam* 19. *D. de liber. & poſth.* maxime quoties ex paterno crimine, aut pœna, ſorti paternæ filium ſubjicimus, *l. crimen* 26. *D. de pœnis. l. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*, benigne ſemper accipi, & produci ſolet, ſive non infavorabiliter. *l.* 2. *§. In filiis, & §. Sed ſi pater* 3. cum *§.* 4. *&* 5. *D. de Decurion.* Et perinde privilegium hoc, ac jus illud Senatoriorum, computatur inter honores, *l. ultim. §.* 1. *D. de pœnis. l.* 3. *D. de veteran. l. Honor* 5. *C. de pœnis*, nec leviori dedecori eſt avo filius, pœnæ, aut quæſtioni plebejorum ſubjectus, quam matrimonio libertinæ conjunctus, argumento ex *l.* 2. *§. In filiis, verſ. In avo, D. de Decurion.* Denique ratio illa odii, & coanguſtationis Juliæ, Papiæque legum, nec generalis, & perpetua fuit in tractatu de ritu nuptiarum, ut inconſpecte Fornerius ponit, non certe in eo capite, de permiſſo connubio

nubio ingenuorum cum libertinis, quod favorabilem habuit interpretationem; quia frequentiæ nuptiarum & ſobolis ſtudebat. *l. hoc modo* 64. *D. de condit. & demonſtrat.* de quo ſuis locis tempeſtivius. Et quamvis ea ratio obtineat in iſto capite, de interdictione connubii Senatoriorum cum libertinis, quod, ut dixi, contrahi potius, quam extendi ſolet, efficeret tamen ea ratio, & evinceret, non pertinere hoc caput ad nepotem ex Senatoris filio, qui, ante conceptionem hujus, notatus eſt, ac proinde non haberet hic nepos jus filii Senatoris, quoad hanc partem legum noſtrarum, contra quam præpoſtere, & leve Fornerius colligit.

9 Quare, ut his, & ſi quæ alia ejuſdem notæ ſunt, omiſſis, ſuppoſita etiam, condonataque utriuſque juris exæquatione, de qua ſupra, tentari adhuc poſſet, diſtinctionis in hac re cauſam ex eo dependere, quia in argumento legum Juliæ, vel Papiæ, cum quærimus, an Senatoris nepoti noceat crimen, notave patris, quoad connubium cum libertina, quærimus de nepote, alioquin inſonte, & innocente, cui ſola patris macula objicitur, ne Senatoris nepos intelligatur. At in tractatu privilegii, de quo in *dict. l. Divo* 11. ſupponimus nepotem, aut aperte nocentem, aut graviter ſuſpectum delicti, quorum illud neceſſe eſt, ut puniri, hoc autem, ut quæſtioni ſubjici, poſſit. *l. Abſentem* 5. *D. de pœnis. l.* 1. *§.* 1. *l. Unius* 18. *§.* 1. *D. de quæſtionib. l. Milites* 8. *C. eod. tit.* Plane inter hæc non minimum intereſt; nam cum Juris, & æquitatis ratio ſuadeat, unumquemque, ex ſuo admiſſo, ſorti ſubjici, nec alieni criminis ſucceſſorem conſtitui, ideoque & crimen, pœnamve paternam filio maculam nullam infligere, *dict. l. Crimen* 26. *D. de pœnis. l. Sancimus* 22. *Cod. eod. titul.* conſequens omnino eſt, filium quidem, qui, ſuo admiſſo, Senatoria Dignitate cecidit, nec Senatoris quidem filii honorem ſibi vindicare, *d. l. ultim. §. ultim. D. de pœnis. l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt.* non tamen Senatoris filium eſſe deſinere, reſpectu nepotis innocentis, argumento ex *l. Adoptivum* 8. *§. ult. D. de in jus voc.* Et ideo huic, tanquam nato ex filio Senatoris, non tam obeſſe notam, noxamque patris, quam prodeſſe avi Dignitatem, ut Senatoris nepos intelligatur. Idque interpretationis genus in Jure, alioquin ſtricto, Juliæ, Papiæque legum in noſtro capite, ſuaſit illa ratio æquitatis benignæ, & favorabilis, de paterno crimine & pœna non producendis ad inſontem filium, vel avum. *dict. l.* 7. *§. ultim.* Sed hæc, ut ſcripſi, in nepote inſonte, cui nullum patris delictum pœnæ eſt, *innocenti*, inquam, *filio*, ut ad rem ſignanter ſcribitur in *l.* 2. *§. Nullum* 7. *D. de Decurion.* Cæterum filio, alioquin nocenti, nocet etiam macula, pœnaque patris quadantenus, nempe in his, quæ in eum, tanquam filium patris, tranſmitti oportuit. Namque in eo filio ceſſat favor ille, & benignitas, non producendæ notæ paternæ ad innocentem, quia & ipſe per ſe nocens, & notatus eſt. Et ut ſcriptum eſt in *l.* 1. *Cod. Ubi Senator. vel Clariſſ. Omnem hujuſmodi honorem reatus excludit. l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. Judices* 12. *l. Quoties* 17. *Cod. de dignit. lib.* 12. *cap.* 1. *de purgat. can. cap. Nobilis* 15. 2. *quæſt.* 5. Quapropter, cum & pater, ſuo admiſſo, non ſolum Dignitatem Senatoris, Decurioniſve, ſed etiam nomen & honorem filii Decurionis, ſeu Senatoris amiſerit, *dict. l. ultim. §. ult. D. de pœnis*; & in filio, nocente, non ſit benignitatis, aut favoris contemplatio juſta, ob quam, hujus reſpectu, intelligatur adhuc pater Senatoris, Decurioniſve filius, neceſſe prorſus eſt, non poſſe haberi hunc filium, tanquam nepotem avi Senatoris, ſeu Decurionis; quia nec ex filio Senatoris, vel Decurionis natus proprie dicetur. *dict. l. ultim. §. ultim.* Quocirca, cum tractatio privilegii liberationis à pœnis & tormentis plebejorum, ſupponat nepotem nocentem, aut noxiæ graviter ſuſpectum, quia nec ante, nec aliter, quæri poteſt, de puniendo eo, aut torquendo, tanquam plebejo, rectiſſime reſcriptum, & reſponſum eſt, nocere notam patris nepoti, ne tanquam nepos avi Eminentiſſimi, Perfectiſſimi, aut Decurionis, fruatur privilegio, quoad pœnas & tormenta plebejorum. *d. l. Divo* 11. *Cod. de quæſt.* Cujus, ſi expeditior hæc conciliatio cum *dict. l.* 7. *§. ultim.* cuiquam videbitur, non repugnamus; Quamquam nobis potior, firmiorque illa ſit diſtinctio juris ex perſona propria, aut ex tranſmiſſione, competentis, de qua ſupra.

10 Urget tamen acriter adhuc Ulpiani, ex libris Diſputationum, locus in *l.* 2. *§. in filiis, verſ. In avo, D. de Decur.* ubi contra quam, ex eiſdem ejuſdem libris refertur in *d. l. Divo* 11. affirmat, in avo Papinianum reſpondiſſe, *ne patris nota filius macularetur.* Quorum verborum ſenſum eum eſſe, nec alium poſſe, vult Cujacius, quam ut ſi avus, paterque ſint Decuriones, & pater Ordine moveatur, aut notetur, non maculetur nepos nota patris, nec ſubmoveatur à privilegio ex perſona avi, quin potius, tanquam nepos Decurionis, in tormentis & pœnis haberi debeat. Neque, in hac re explicanda, ſubſidii aliquid ſperes, aut reperias in Accurſio, Accurſianiſque, Bartolo, Baldo, Alberico, Fulgoſio, & aliis, ad *d. l. Divo* 11. juvat magis (ne interim Cujacii, & Petri Burgii emendationum meminerim) ex Byzantina Schola Thalelæus, qui in notis ad *dict. l.* 11. *lib.* 60. Baſilicon *tit.* 50. ſic exprimit poſtremam partem *dict. l.* 11. *Habent & filii Decurionum privilegium in quæſtionibus, ut Ulpianus ait.* Quo epitomandi genere, niſi, ut Ulpiani cum Ulpiano diſſidium diſſimularet, uſus eſt Thalelæus, docuit non obſcure, eo veluti nos manuducens, ſic accipi poſtremam partem *dict. l.* 11. poſſe, & debere, ut in Decurionibus, filiiſque eorum, ex Ulpiani ſententia in libris Diſputationum, obſervetur hoc idem privilegium liberationis à plebejorum pœnis & tormentis, quod Eminentiſſimorum, & Perfectiſſimorum liberis, uſque ad pronepotes, tributum eſſe, ſcriptum fuerat *in principio in dict. l.* 11. non tamen, ut neceſſe itidem ſit in filiis Decurionum, ut in liberis Eminentiſſimorum, ut prioris gradus parentes, per quos id privilegium ad ulteriorem gradum tranſgreditur, nulla violata pudoris macula, aſpergat. Proinde & verſiculus ille, *ſi tamen dict. l.* 11. interjecto commate, ſive nota parentheſis, referatur dumtaxat ad principium *dict. l.* 11. ſejungaturque ab extremo, quod extat in *verſic. In Decurionibus*; & poſtrema pars hæc conjungatur cum priore illa, non cum proximiore temperamento dicti *verſic. Si tamen.* Idque exponendi genus neque exemplis deficitur, quibus non ſemel poſteriores ſententiæ, non ad eas, quæ immediate præcedunt, ſed anteriores referuntur, ut in *l. Senator* 11. *Cod. de dignitat. lib.* 12. de qua *ſupra cap.* 3. & appoſite congruit adverſativæ voculæ, *autem*, quæ in *d. verſ. In Decurionibus*, oſtendit, ſententiam, ibi ſubjectam diſtingui à ſuperiore in temperamento illo *dict. verſ. Si tamen*, tametſi in obſervantia privilegii conveniat. Quin & favet huic conjecturæ diſcrimen illud appellationis filiorum, qua proprie non ſignificantur nepotes, *l. Quid ſi nepotes* 6. *D. de teſtam. tut. §. ult. Inſtit. qui teſtam. tutor.* & liberorum, quales proprie ſunt etiam nepotes, & pronepotes. *l. Liberorum* 220. *D. de verbor. ſignific. l.* 2. *§.* 7. *D. de excuſat. tutor.* Nominantur autem in *d. l. Divo* 11. Decurionum quidem filii ſoli; Eminentiſſimorum autem, & Perfectiſſimorum liberi, uſque ad pronepotes, nullo, aut inani prorſus diſtinctionis colore, cum etiam nepotibus, pronepotibus Decurionum privilegium competat, *l. Moris* 9. *§. Liberos, D. de pœnis. l. Si quis filio* 6. *§. Ejus, D. de injuſto rupto*, niſi ut judicaretur ſententiæ illius interjectæ in *dict. verſic. Si tamen*, effectum, de amittente nepote prærogativam ex perſona avi, ob notam patris, non pertinere ad nepotes Decurionum, de quorum filiis ſolis mentio ibi ideo fit. Nec defutura denique eſt differentiæ in hac parte ratio, inter liberos Decurionum, & Eminentiſſimorum; quippe in his eminentia ipſa nominis, & Dignitatis puriorem etiam, perpetuamque, neque interruptam generis

generis lucem deſiderat, quam in Decurionibus, utpote Ordinis inferioris, & notæ, facile obnubilari patimur. Sane ſi nihil aliud, præter conciliationem *dict. l.* 11. in fine, cum *dict. l.* 2. §. *In filiis*, *verſic. In avo*, quæratur, quod ad illius contextum attinet, non incommode ſic explicabitur. Sed in contrarium ſtat ratio Juris, qua præeunte, ſupra probavimus, Privilegium illud, etiam Decurionum nepotibus non proprio jure, ſed tanquam liberis ex perſona patris, ac per eam mediam, & interjectam, communicari, & nocenti nepoti Decurionis, qualem ſupponimus, vel ſuſpicamur, cum de puniendo eo, vel torquendo agitur, nocere notam patris, ne quaſi nepos Decurionis intelligatur: proinde & modum illum, ſive temperamentum *dict. l.* 11. *verſic. Si tamen*, pertineret æque ad liberos Decurionum, & Eminentiſſimorum, ne melioris conditionis ſint illi, quia humiliores, & deteriores; cum è contra benignius videatur, Eminentiſſimorum Nepotes, quamvis quanto ſplendidius avorum nomen, tanto indignior mediæ patris perſonæ nævus, & nota, frui tamen prærogativa, ex perſona avi, in pœnis & tormentis, darique hoc avorum memoriæ, ut qualeſcumque nepotes ſint, ſub umbra tamen ſuorum lateant, & majorum luce reſplendeant, ut loca ſordidæ repercuſſu Solis illuſtrantur, ut egregie alibi Seneca 4. *de benef. cap.* 30. Quid quod in *dict. l.* non ſolum de Eminentiſſimis, ſed id ipſum traditur de Perfectiſſimis, quorum ſere infima Dignitas, ac vix amplior, quam Decurionum, juxta notata infra *hoc libro*, præterquam quod ſub Marco, & Ulpiano, nondum diſtincti bi gradus, ſeu tituli, ut diximus ſupra *cap.* 1.

11 Propendemus itaque magis in eam ſententiam, ut Privilegium illud, de quo in *dict. l.* 11. obſervetur perinde in liberis, hoc eſt, filiis, nepotibus, pronepotibus Decurionum, ac in liberis Eminentiſſimorum, & Perfectiſſimorum, & cum eo in omnibus temperamento, ſi tamen propioris gradus liberos, per quos id privilegium ad ulteriorem gradum transgreditur, nulla violati pudoris macula aſpergit: quomodo & ſenſiſſe videtur alter Scholiaſtes ad *leg. Crimen* 26. *D. de pœnis*, *lib.* 60. Baſilicon *titul.* 51. Nec mutant, moventve in contrarium τὸ *autem*, quod non ſemper adverſative, aut diſcretive, ſed & non ſemel conjunctive, ac plerumque elegantiæ, ornatuſque ſola gratia, uſurpari ſcimus. *l. Legatis* 65. §. *Pecoribus*, *verſic. Et ſues autem*, *D. de legat.* 3. *l.* 5. §. *Tutelæ*, *verſic. Et hoc autem*, *D. de obligat. & act. l. Intra* 10. §. *ultim. verſic. Quatuor autem*, *D. de diverſ. & temp. præſcript.* ut vel Albericus in *Dictionario Juris* prænotavit, neque mentio filiorum Decurionum; eo enim nomine, quamvis non proprie, partiteque, ex juſta tamen interpretatione, nepotes etiam, pronepoteſque continentur. *l. Filii* 84. *l. Juſta* 201. *D. de verbor. ſign.* Quocirca ut & Ulpianum in *dict. l.* 2. §. *In filiis*, *verſ. In avo*, non tam contrarium ſibi ipſi, in quæſtione *dict. l.* 11. quam, in diverſa ſpecie, ſibi, & rationi Juris conſentientem, jam oſtendamus, obſervandum eſt, ſententiam *dict. verſ. In avo*, conjungendam, exponendamque eſſe cum §. *In filiis*, præcedenti, ut orationis, & contextus ſeries evincit; proinde & duplicem intellectum admittit, utrumque idoneum, diſſimilemque ab eo, quem Cujacius mordicus tenet. Primus eſt, ut quemadmodum in *d.* §. *in filiis*, natus patre plebejo, qui poſtea factus Decurio eſt, habetur pro filio Decurionis, ne tanquam plebejus puniatur, aut torqueatur, ita ſimiliter avus hujus nepotis, cujus pater, ex plebejo, Decurio creatus eſt, habeatur pro patre Decurionis, ex Papiniani reſponſu, quoad effectum ejuſdem Privilegii, quo parentes Decurionum fruuntur. *l. Moris* 9. §. *Parentes*, *D. de pœnis.* Id quod in avo Papinianus reſpondit, ea proprie ratione, reſpectuque, ne, ſi avus, ut plebejus, torqueatur, aut plectatur, patris ſui nota maculetur filius Decurio. *dict.* §. *In filiis*, *verſic. In avo.* In quem ſenſum accepto Ulpiani textu, induci proprio poterit pro opinione eorum, qui ſcribunt, nobilitatem filii proficere patri, ſaltem ne puniatur tanquam plebejus, ne ſcilicet patris nota filius maculetur, quamvis, quoad alia, non proficiat: argumento ex *l.* 1. *in fin. D. de Senator.* Videndus, poſt Gammam, Phœbum, & alios, Fontanella *deciſ.* 229. *ex n.* 13. Narbona *ad l.* 4. *tit.* 1. *Gloſſa* 1. *num.* 50. *libr.* 1. *Compilat.* Secundus, mihique probabilior, quia digniorem Papiniano ſententiam, & dubitabiliorem exprimit, intellectus eſt, ut quemadmodum filius eſt Decurionis, natus ante patris Decurionatum, *dict.* §. *In filiis*, ita etiam nepos Decurionis ſit, natus antequam fieret Decurio avus, in quo hoc idem Papinianus reſpondit, quoniam, ſi contra eſſet, notaretur quodammodo avus, ob cujus plebejum ſtatum, antequam Decurio fieret, nepos non intelligeretur nepos Decurionis, ac proinde etiam patris ſui, hoc eſt, avi ea nota filius, quamvis Decurio, velut macularetur.

C A P U T VII.

Ad verba Juliæ legis: Pronepoſve ex filio. Jungitur forenſis Quæſtio: Utrum privilegiaria Nobilitas, inuſu patris, pereat filiis.

A R G U M E N T U M.

Pronepos ex filio, quamvis per nepotem comprehenditur lege Julia, non itidem proneptis, niſi ſit ex nepote, filio nato: & cur? Numerantur lege Julia gradus uſque ad pronepotes, & ideo neque ultra porrigitur, ex Regulis l. 220. verſic. Toties, D. de verb. ſign. *quæ, & aliæ exornantur. In forenſi quæſito, an privilegiaria nobilitas pereat nepoti, ex inuſu patris per tricennium; ajentes, & negantes ſententiæ. Eis omiſſis, diſtinguitur in primis jus perſonariæ nobilitatis, quod per inuſum patris perit; & jus ex privilegio declaratorio nobilitatis ſanguinis, ſeu ſoli notorii, ſive denique rei judicatæ proprietatis, quæ non pereunt inuſu patrum, quoad petitorium judicium. Exponitur à Garcia, in contrarium expenſa,* lex 9. tit. 15. lib. 2. Comp. *Deinde & diſtinguuntur privilegia inductiva nobilitatis, cum expreſſione deſcendentium, vel ſine illa, de queis ſingulis Juris cenſura. Fit ſatis argumentis Garciæ, &, præ aliis, deducto ex* l 43. tit. 18. part. 3. *quæ, & ſimiler elucidantur. Verba*, Semper, & in perpetuum, *exaudienda juxta ſubjectam materiam. Quædam intermiſcentur de majoratuum Hiſpanorum nomine, & deducta ex eo perpetuitate, & vocatione, propria in ſingulis ſucceſſoribus. De voce*, Erit, in lege Julia, & Attinia.

1 Sequitur jam in Juliæ legis verbis: *Pronepoſve ex filio nato, cujus eorum eſt, erit.* Producitur, his verbis, interdictio nuptiarum Senatoriorum cum libertinis, ſcenicisve, ad pronepotes ex filio Senatoris. Hæret tamen in vocibus, *ex filio nato*, nævus, noduſve, non ſpernendus. Namque & inſolens, ineptave eſt appellationi filii adjectio, *nati*, quaſi ſcilicet ex filio non nato, poſſit pronepos Senatoris eſſe, & præter mentem, modumque legis Juliæ in cautione, quæ ſequitur, in eodem *capite* de pronepote ex nepote, filio nato, in *d. l. Lege* 44. *D. de ritu nup.* & ſignificat, pronepotem ex filio Senatoris, tametſi natus ſit ex nepte Senatoris, prohibitione legis Juliæ apprehendi. Tandemque, & veluti præter cenſuram illam veteris Juriſprudentiæ, quæ pronepotes, per neptes, habuit pro cognatis, non pro agnatis; ut ſingulari Inſtitutionum loco proditur, §. *Item vetuſtas*, illic: *Et pronepotes ex neptibus*, *cogna-*

cognatorum loco numerans, de hered. quæ ab inteſtat. & proinde non pro capacibus continuandæ familiæ maſculæ Senatoriæ.

2 Neque aſſentior hæc verba corrigentibus, ut legatur, *Pronepoſve ex nepote, ei filio nato*, congruantque eum ſequentibus, de pronepte Senatoris. Quin potius, quamdiu inveterata lectio, aut aliorum Codicum fide, aut idoneiore explanatione non illuſtratur, cenſuerim, leviori mutatione, legendum, *Pronepoſve ex filio natus*, ut adjiciatur pronepotis, & nepotis appellationi, qualitas natorum ex filio, ut in poſterioribus verbis ejuſdem capitis de nepte, & pronepte Senatoris, & in formula Galli, *l. Gallus* 29. *D. de lib. & poſthum.* Nec novum eſt, ut pronepos ex filio natus dicatur, cum & nomen filiorum, ex ſe natorum, ad nepotes pertineat. *l. Lucius* 85. *D. de hered. inſtit.* juncta *l.* 1. *Cod. de condition. inſertis. l.* 104. *D. de verbor. ſignif.* Proinde diſtinguuntur pronepotes, proneptesſque in hoc capite, & melioris illi ſunt conditionis; quippe pronepos, quamvis ex nepte natus, dummodo ea ſit ex filio Senatoris, dicitur natus ex filio, quod ſolum Julia lex exigit, nec libertinam, ſcenicamve ducat. At proneptis, ut comprehendatur legis interdictione, neceſſe eſt, ut ſit nata ex nepote filio nato. Nec differentiæ ratio in obſcuro, cum pronepos, quamvis ex nepte, jus, nomenque proavitæ Senatoriæ familiæ, quod in matre ceſſaverat, velut ſuſcitet; proneptis autem ex nepte, & filia, idem jus in matre, & avia interruptum, non perinde, ſeu non tam facile ſuſcitet, quia fœmina familiæ ſuæ & caput, & finis eſt. *l. Pronunciatio* 195. §. *ult.* cum *l. ſequ. D. de verbor. ſign.* At nec in his, utcumque argutis, quieſcimus, de pronepote ex nepte, ac per eam ex filio Senatoris, prohibitione legis Juliæ, apprehendendo, quibus & veluti repugnant *lex liberos* 10. in fine, *D. de Senator. l. Non quemadmodum* 8. *D. de agnoſc. lib.* ad quas, & extrema illa Juliæ verba de filia, nepte, pronepte Senatoris tempeſtivius, diſtinctiusſque infra. Interim malumus, in recepta lectione verba illa, *ex filio nato*, eſſe adjectionem, *nati*, perpetuum quaſi epithetoa filii; idque non ſine exemplo. Plane huc referri poſſet, argumento inſcriptionis ordiniſque librorum ad leges noſtras, ſententia Pauli, ad natorum appellationem pertinens, *lib.* 1. *ad legem Juliam, & Papiam* in *l. Qui mortui* 129. *D. de verbor. ſignif.* Sed appoſita magis eſt *capiti Juliæ legis*, de liberatione operarum, propter liberos, *l. Qui libertinus* 37. *D. de operis libertor.* ubi & dicemus, quamquam alin, nec male eum locum Cujacius illic referat.

3 Illud opportune, ad hæc verba, jam prænotabitur, mentionem filii, nepotis, pronepotis, quos ſingillatim lex Julia nominat, numeratque, idoneum argumentum eſſe, quo evincatur, prohibitionem nuptiarum, ex iſto capite, ultra pronepotes Senatorum non porrigi. *l. Filii* 22. §. *Senatores, D. ad municipal.* *Totiens enim*, ait Calliſtratus, *leges neceſſarium ducunt, cognationum ſingularum nominibus uti, veluti filii, nepotis, pronepotis, cæterorumve, qui ex his deſcendunt, quoties non omnibus, qui poſt eos ſunt, præſtitum voluerint, ſed ſolis his ſuccurrent, quos nominatim enumerant. l. Liberorum* 220. *D. de verbor. ſignif.* Quo loci, appellatio illa legum, referenda omnino eſt ad leges Juliam, & Papiam, ut monuimus ſupra *lib.* 1. *cap.* 4. præſertim vero ad hoc Juliæ legis caput, quod filii, nepotis, pronepotiſque meminit, itemque ad illud Papiæ legis caput, quod parentibus, liberiſque, uſque ad tertium gradum, enumeratis ſingularum cognationum nominibus, jus antiquum ſervavit. *l. unic. in princip. verſic. Et cum lex, Cod. de caduc. tollend.* Ulpianus *titul.* 18. ut vel Albericus agnovit, & ex eo alter Albericus Gentilis *lib.* 1. *de nuptiis, cap.* 11. Sunt & alia ejuſdem graduum enumerationis exempla, quamvis non tam ex legibus, quam ex Prætoris Edicto. §. *Sunt autem* 3. *verſ. Tertio decem, Inſtit. de bonor. poſſeſſ.* & ex Conſtitutionibus novis, *l. Divo* 11. *Cod. de quæſtionib. l. Si quis inceſti* 6. *Cod. de inceſt. nupt. l.* 4. *Cod. de ſecund. nupt. l.* [illegible] *privileg. eorum, qui in Sacr. Palat. mil. lib.* 12. Itaque liberorum appellatio, quæ, ex proprietate ſermonis, deſcendentes omnes in infinitum complecteretur, coangustatur enumeratione graduum ad eos, qui enumerantur *dict. l. Liberorum* 220. *l.* 1. §. 1. *D. de legat. præſtand.* Sic liberorum omnium mentio, quibus privilegium in pœnis tormentiſque tribuitur in *l. Moris* 9. §. *Liberos* 13. *D. de pœnis*, coarctanda eſt ad pronepotes ex *l. Divo* 11. *Cod. de quæſtionib.* ubi pueriliter, hac de re, certant, poſt Accurſium, Jacobus uterque de Arenis, & Ravenna, & cum his Albericus, Fulgoſius, & alii, immemores præceptionis Calliſtrati in *dict. l. Liberorum* 220. Ita ſimiliter generalis definitio illa, quæ pro Senatorum filiis accipit liberos omnes, & ex eis genitos, deſcendentesſque. *dict. l. Liberos* 10. *D. de Senator.* ſi de privilegio exemptionis ab origine municipali quæratur, contrahenda eſt ad pronepotes, *l. Filii* 22. §. *Senatores* 5. *D. ad municip.* in quo, poſt Bartolum, dum Romanam theoriam hodiernæ praxi miſcet, lævaque inductione contextus *l. ultim.* §. *ultim. D. de Senator.* de qua ſupra *cap.* 1. hallucinatur, doctus alioquin interpres, P. Barboſa in *l. Quia tale* 14. *numer.* 27. *& ſeqq. D. de ſoluto matrimon.*

Deinde nempe incommode nunc hiſce verbis, & 4
ſuperioribus illis, *nepoſve ex filio*, ſimulque traditis *præcedenti capite*, pro explicatione *l.* 7. §. *ultim. D. de Senator. l. Divo* 11. *Cod. de quæſt. l.* 2. §. *In filiis, verſ. in avo, D. de Decurion.* conjungetur nobilis, ad fori uſum, diſputatio, an ſcilicet Privilegiaria Nobilitas, ſive immunitas, & jus ex ea, ut loquuntur, cauſatum, ſeu completum, hoc eſt, perfecte jam quæſitum, atque ita ut ad poſteros, ſeu deſcendentes ejus, qui privilegium impetravit, pertineat, amittatur inuſu triginta annorum, quibus pater, aut avus, poſt privilegium, pro ignobili ſe geſſit, & plebejam capitationem, aliave plebejorum onera agnovit, & quidem amittatur, non tantum reſpectu ejus parentis, qui in plebejo ſtatu per tricennium fuit, ſed & pereat nepotibus, & ex eo deſcendentibus in perpetuum, quamvis primus privilegii impetrator, nempe proavus, privilegio legitime uſus, & pro Nobili ſemper egerit? Pro ſtatu autem, ſive conſtitutione cauſæ, & quæſtionis, memineris receptiſſimi in hoc tractatu placiti, quo obtinuit, privilegia negativa, ſive de non faciendo, quale eſt immunitatis privilegiariæ, ſive non contribuendi in capitationa plebeja, amitti contrario uſu triginta annorum, argumento ex *l. Sicut* 3. *l. Omnes* 4. *Cod. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor. cap. Si de terra* 6. *de privileg.* Cum è contrario affirmativa privilegia, ſive faciendi, pereant ſolo inuſu contrario decennii, inter præſentes, argumento ex *l. ult. & penult. Cod. de ſervit. & aqua.* Firmatur hæc diſtinctio ſeptempartito noſtro Jure in *l.* 42. *tit.* 18. *part.* 3. *l.* 3. in fine *tit.* 7. *part.* 5. Quo ſuppoſito, in propria, & principali quæſtione noſtra, contrario uſu patris, vel avi, & agnitione penſitationis plebejæ per triginta, vel amplius annos, perire quidem privilegiariam immunitatem ei, qui uſus non eſt, non tamen nepotibus, & poſteris, docent Tiraquell. *de nobilit. cap.* 35. *num.* 3. *&* 5. Otalora *de nobilit.* 3. *part. cap.* 6. *num.* 9. *verſic. Vel aliter, & ſecundo.* In contrariam autem ſententiam, poſt Aymonem Cravettam *conſil.* 165. *num.* 4. it, plenis velis, Joannes Garcia, operoſe, & copioſe diſputans *de nobilit. gloſſ.* 6. *ex num.* 38. ubi & ita ſe ex facto conſuluiſſe ſcribit. Subſcribit Joſephus Seſſe *deciſ. Regni Aragon. part.* 1. *deciſ.* 6. *numer.* 18.

Ego autem, ut & diſtincta magis, & dilucida 5
diſputatio ſit, animadverto, eſſe in primis, extra quæſtionis noſtræ ſtatum, & aleam, jus poſſeſſionis privilegiariæ nobilitatis, nempe ſi nepos, cujus pater triginta & amplius annis pro plebejo egit, velit tamen poſſeſſorio judicio ex perſona, & privilegio patris, & avi, aut proavi, ſe in quaſi poſſeſſione nobilitatis defendi, & protegi. Quoniam, quamvis oſtendat patris, avique, aut etiam proavi viginti annorum nobilitatis, quaſi poſſeſſionem, quadem

lem Regiæ leges deſiderant; ſi tamen poſtea pater, triginta annis, plebejorum ſtatum, & capitationem agnoverit, ſuccumbet poſſeſſorio judicio nobilitatis, ex præſcripto *legum noſtrarum*, juxta quas, ut obtinere poſſit, debet ex perſona patris, & avi vicennii poſſeſſionem nobilitatis probare, & producere. *l.* 7. *&* 8. *tit.* 11. *lib.* 2. *Compilat.* Porro jus, ea vicennii poſſeſſione partum, peremptum fuit iu patre, contraria, & poſteriori quaſi poſſeſſione ignobiliuaris per vicennium, & multo magis per tricennium, nt argumento ex *cap. Cum de beneficio* 5. *de præbend.* in 6. *cap. Cum Eccleſia Sutrina de cauſa poſſeſſ.* notat, in re ſimili, Panormitan. in *cap. Audiris*, *num.* to. *de præſcript.* Francus in *d. cap. Cum de beneficio* 5. *de præbend.* in 6. Garcia *de nobilit. gloſſ.* 6. *num* 55. *& ſeqq.* Gutierrez *lib.* 3. *practicar. quæſt.* 18. Seſſè *deciſ. Aragon.* 1. *p. deciſ.* 6. *num.* 16.

6 Deiude & obſervo, ſeparandum eſſe à quæſtionis noſtræ terminis, jus nobilitatis privilegiariæ, ex privilegio declaratorio, qnod nimirum ita Princeps indulſit, non ut ex ignobili Nobilem faciat, ſed ut nobilitatis jus, indiſcuſſum, nondumque auctoritate rei judicatæ communitum, & tamen aliis probationibus & adminiculis ſubnixum, firmet deinceps, declaretque, Nobilem eum fuiſſe, & habendum in poſterum, eui privilegium conceditur. Id enim privilegii geuus, cujuſmodi non pauca occurrunt, non dubitaverim, quin etiamſi impetrator, aut ejus filius, triginta, & amplius annis, poſt privilegium, pro plebejo ſe geſſerit, non pereat tamen nepoti, & poſteris, utique, ſi privilegii tenor, & forma non ad jus poſſeſſionis, ſed proprietatis, & nobilitatis ſanguinis referatur. Nec aſſertionis ratio in ambiguo; eſt namque exploratiſſimum, nobilitatem ſanguinis, ſolive, ut loquimur, notorii, ſive *de ſolar conocido*, & proprietatis jus, inde quæſitum, non perire nepoti, vel perimi, tricennali, aut etiam ampliori ſpatio plebeji cenſus, ſtatuſve, agniti à patre, quoniam id jus non pater nepoti, ſed genus, & majores dederunt, ideoque & ei incolume manere debet, *l.* 3. *D. de interd. & releg.* Garcia *de nobilit. dict. gloſſ.* 6. *num.* 43. Gutierrez *lib.* 3. *practicar. quæſt.* 14. *num.* 139. Seſſè *dict. deciſ.* 6. *num.* 32. & ad rem, ntens noſtris, de Senatoriis filiis, legibus, Anton. Faber in *Cod. Fabriano lib.* 9. *tit.* 29. *cap.* 14. *&* 25. Idemque eſt in nobilitate ſanguinis, & originis, & proprietate ejuſdem, petitorio judicio, & auctoritate rei judicatæ firmata, quia per ſententiam non nobilitas conſtituitur, ſed, quæ eſt, declaratur. *l. Sicut* 8. §. *Sed ſi quidem* 4. *D. ſi ſervit. vind.* notat ad rem Garſia *dict. gloſſ.* 6. *num.* 48. Seſſè *deciſ. Aragon. part.* 1. *deciſ.* 4. *num.* 14. Ergo & permanet, poſt ſcotentiam, eo jure, quo ante erat, ne ſcilicet periret poſteris inuſu patris, aut avi. Quapropter & ſimiliter nobilitatis originariæ proptietas, privilegio non tam inducta, quam declarata, & communicata, erit indelibata, ſalvaque poſteris, quamvis eorum pater, aut avus tricennali, aut longiore contrario uſu, poſt privilegium, in plebejo ſtatu fuerit.

7 Nec diſtinguimus inter ſententiam, privilegiumve declaratorium nobilitatis ſoli, ut ajunt, notorii, quoad jus proprietatis, & ſententiam, ſeu privilegium, itidem declaratorium uobilitatis ſanguinis, & proprietatis ejus ſimpliciter, ſine adjectione illa, domus originariæ, ſeu ſoli, notorie Nobilis, quomodo in re hac diſtinguit Garcia *de nobilitate dict. gloſſ.* 6. *numer.* 48. *&* 51. Gutierrez 3. *practic. quæſt.* 14. *num.* 142. Seſſè *dict. deciſ.* 6. *num.* 31. *& ſeqq.* docetque, prins illud jus proprietatis notorii ſoli, re judicata declaratum, non intercidere, qualicumque patris inuſu; poſterius autem perire, etiamſi proprietatis ſit, & petitorio judicio obtentum, argumento cx *l.* 9. *tit.* 11. *lib.* 2. *Compilat.* Non, inquam, ſic diſtinguimus, quia, quamvis fateatur, clariorem, honeſtioremque eſſe nobilitatem ſoli notorii, quam ſimplicem aliam, etiam proprietatis jure, & auctoritate rei judicatæ ſuffultam, tamen quod ad præſentem quæſtionem attinet, par utriuſque nobilitatis proprietariæ jus eſt, ſententia, aut privilegio declaratum, nec tricennali, aut diuturniore inuſu circumſcribendum; tum quia proprietariæ nobilitatis ſanguinis declaratio, juſtum, perfectumqum ejuſdem jus, & titulum ſupponit, & conſequenter ſolum, originemve notorie nobilem, quo potiſſimo titulo nobilitas ſanguinis, noſtris moribus, nititur, *l.* 9. *tit.* 11. *lib.* 2. *Compilat.* tum etiam quoad ſententiam nobilitatis proprietariæ ſanguinis; quouiam, nt ea petitorio judicio obtineatur, præter probationem poſſeſſionis vicennii patris, & avi, neceſſe eſt, probari, & præcedere immemorialem nobilitatis poſſeſſionem. *l.* 7. juncta *l.* 8. §. *Y por elle*, ibi: *Mandamos.* Immemorialis autem poſſeſſionis ea vis eſt, ut ſupponat, præſumatque, ſive præſumi faciat, potiorem, potentioremque juris titulum, qui excogitari poſſit in ea re, qua de agitur, ut ex *l.* 3. §. *Ductus*, *D. de aqua quotid. l.* 2. *l. ultim. D. de aqua, & aquæ pluv. cap. Super quibuſdam* 26. *verſic. Præterea*, *de verbor. ſignific.* notatum vulgo, & receptum. Proinde & præſumitur, ob immemorialem, titulus ſanguinis, ſolique notorii, quo nobilitas apud nos, velut præcipuo, conſiſtit, eoque nitens, plebejo ſtatu patris, vel avi non infirmatur.

Nec aſſertioni huic noſtræ obſtat *Henricia lex* 9. 8
tit. 11. *libr.* 2. *Compilat.* in qua inducenda, vereor, ne dormitaverit Garciæ acumen. *d. gloſſ.* 1. *num.* 50. *& ſeqq.* Non quod in ea lege diſtinguitur nobilitas ſoli notorii, in qua nulla immunitatis poſſeſſio requiritur, & nobilitas proprietaria rei judicatæ, ſive, nt loquimur, *de executoria*, poſtquam continuata nobilitatis, ſive immunitatis poſſeſſio deſideratur, non eo pertinet, ut hæc potius, quam illa nobilitatis proprietas, contraria poſſeſſione ignobilitatis, etiam tricennali, perimatur; quoniam utraque titulo ſanguinis, & ſoli nititur, illa probato, ex notorietate ſoli; hæc præſumpto, ex immemoriali: ſed referenda potius eſt ad cauſam poſſeſſionis nobilitatis, quæ, ut monuimus ſupra, perimitur poſteriore contraria poſſeſſione ignobilitatis, per vicennium, niſi ſit ſoli notorii, & quod proprie magis ad ſpeciem *dict. l.* 9. dicetur, referenda eſt ad cauſam poſſeſſionis nobilitatis, lite ſuper ea prndente, ut ex præfatione legis ejuſdem liquido conſtat. Namque quoad hunc effectum, nobilitas ſoli notorii proficit Nobili, ne vel interim, quamdiu lis pendet, plebejam capitationem ſubeat. Nobilitas autem proprietaria rei judicatæ, niſi ea declaratoris expreſſim fuerit nohilitatis ſoli notorii, uon aliter excuſat à contributione plebeja, lite pendente, quam ſi, poſt judicatam rem, poſſeſſio nobilitatis coutinuata ſit, & fuerit.

His ita poſitis, cauſa poſſeſſionis, in qua plebejus 9
ſtatus patris, poſt privilegium, nepoti nocet, & cauſa privilegii declaratorii nobilitatis proprietariæ, in qua, quoad proprietatis jus, non nocere, indubitatum mihi eſt: ſi jam de privilegio juris novi, nobilitatis inductivo, quærimus, quo ſcilicet ignobilis ante fit Nobilis, eique proprietariæ nobilitatis jus, & immunitas principali indulgentia conceditur, ut & fieri ſolet, & poteſt. *l.* 6. *tit.* 27. *p.* 2. quod ad quæſtionem noſtram attinet, arbitror diſtinguendum inter privilegium, quo nepotes, & poſteri, non tam jure proprio ex conceſſioue aperta Principis, ad eorum perſonas relata, quam jure, ut ita dicam, tranſmiſſo, & derivato ab avo per patrem nuntur, & privilegium, quod ſpeciali, proprioque jure, & verbis ad nepotes, poſteroſve relatis, eoſdem comprehendit. Prioris generis privilegium eſſe, cenſuerint, id, quo ſimpliciter, & indiſtincte quis Nobilis creatur, ita ut, non ſolum reſpectu immunitatis à contributione plebeja, ſed & aliarum prærogativarum, exæquetur Nobilibus originariis, ſive ſanguinis, juxta conſuetam illam, aut ſimilem privilegiorum clauſulam, (*que os ſean guardadas todas las honras, y franquezas, y libertades, y dignidades, que ſe ſuelen guardar, y guardan à los hijoſdalgo de ſangre*) quod privilegii genus, & nobilitatem, eo inductam, tranſmitti, & derivari ad

nepotes, ulterioreſque poſteros, mediis præcedentium perſonis, dubium non eſt, exemplo nobilitatis ſanguinis, *l. 10. verſic. Otro ſi, que las perſonas, tit. 1. lib. 2. Compilat.* quamvis alioquin ſi ſola immunitas alicui concederetur, ad ejus poſteros non pertineret. *l. 1. §. 1. l. Semper 5. §. Immunitati 4. D. de jure immunit. l. Sordidorum 13. Cod. de excuſat. mun. lib. 10.* Idemque juris eſt in ea privilegii forma, quæ, licet proprie immunitatem reſpiciat, eam tamen indulget, verbo, *In perpetuum*, ſive, ut loquimur, *para ſiempre*, aliave voce, & nota perpetuitatis, ut copioſe oſtendit Garcia *de nobilit. gloſſ. 1. §. 1. n. 24. & ſeqq.* Et ejuſdem fere ordinis eſt nobilitas privilegiaria, quæ Dignitatis jure adquiſitur, & ſimpliciter confertur, quam tamen non ad poſteros in infinitum, ſed uſque ad pronepotes produci, receptum eſt. *l. Filii 22. §. Senatores D. ad municip. l. Divo 11. Cod. de quæſtion. l. 1.* ubi Accurſius, *Cod. de dignitat. lib. 12.* Notat, poſt alios, P. Barboſa in *l. Quia tale 14. num 26. & 29. D. de ſoluto matrim.* Tiber. Decian. *reſponſo 66. num. 23. lib. 3.* Phil. Paſchal. *de virib. patr. poteſt. 4. part. cap. 2. num. 1.* Secundi autem generis ſunt privilegia, quorum tenore aperto, nobilitantur non ſolum impetrator, ſed etiam filii ejuſdem, & poſteri, expreſſa eorum mentione facta, ſive ſpeciali cujuſque gradus, ſive communi poſteritatis, & deſcendentium.

10 Ergo, ut ſententiam meam jam proferam, in privilegiis prioris generis non dubitaverim, quin tricennali quaſi poſſeſſione plebeji ſtatus in patre, pereat nepoti, & poſteris proprietaria etiam nobilitas avi, privilegio delata, in eoque, & intra hos terminos aſſentior Cravettæ *d. conſil. 165. num. 4.* Garciæ *dict. gloſſ. 6. ex num. 38.* Seſſe *d. deciſ. 6. Regni Aragon. num. 18. part. 1.* dummodo tamen nepos ſuſceptus ſit, poſt amiſſam à patre nobilitatem, atque ita eo tempore, quo per patrem, qui jam amiſerat, tranſmitti ad nepotem non potuit. Nam ſi ante omiſſionem conceptus, fruetur privilegio *l. 2. §. Sed ſi pater 3. cum §§. ſeqq. D. de Decur. l. Moris 9. §. plane 15. D. de pœnis. l. Emancipatum 7. §. Sed cum, D. de Senator.* juncta *l. ult. Cod. de liber. cauſa. l. 2. Cod. de libert. & eor. lib.* Hujus aſſertionis, ut pleraque leviora, & à Garcia congeſta potius, quam expenſa omittam, unum, mihique decretorium argumentum eſt, quod conſtat, privilegium non faciendi, quale eſt non contribuendi inter plebejos, amitti contrario uſu triginta annorum, & amitti in perpetuum, ſaltem in perſona ejus, qui, privilegio non utens, inter plebejos per tricennium contribuit, quod nunc dumtaxat ponimus, ſufficitque; & exprimitur in *l. 42. tit. 18. part. 3.* Quibus conſequens eſt, non poſſe nepotem, privilegii jure uti, neque ex perſona patris, in qua id peremptum fuit, neque ex perſona avi, quia per patrem nepos avo conjungitur, *l. Dotem 6. D. de collat.* non poteſt autem avi privilegium, per patrem, qui amiſit, ad nepotem tranſmitti, & tranſgredi: valetque hic, vigetque ratio illa Juris, quæ docet, vitiato medio, tranſitum ab extremo ad extremum impediri. *l. Si prius 17. §. Via publica, cum §§. ſeqq. D. de aqua, & aquæ pluv. l. Servitutes 14. §. Publico, cum. §. ſeqq. D. de ſervit. l. Si ex patronis 10. §. Julianus, verſ. Quod ſi à patre, D. de bonis libert.* Atqui ſumus in eo privilegii genere, quod nepoti, non ſuo, proprioque jure, ſed derivato, & tranſmiſſo ab avo, per patrem defertur, *ipſo ordine ſanguinis*, ut ait lex *1. Cod. de privileg. eorum, qui in Sacro Palat. milit. lib. 12.* & *per propioris gradus perſonas, ad ulteriorem gradum tranſgreditur*, ut ſcriptum eſt in *l. Divo 11. Cod. de quæſt.* Quncirca & propria eſt diſputationis noſtræ in his terminis deciſio, in *d. l. Divo 11.* quatenus probat, privilegium Eminentiſſimorum, & Perfectiſſimorum in pœnis, & tormentis, quod ad eorum etiam liberos, uſque ad tertium gradum, tranſmittitur, perire, & intercidere nepoti, cujus pater, ſua nota, & infamia, privilegium amiſit, nempe quia id ad nepotem non jure proprio pervenit, ſed tranſmiſſo, ut docuimus ſupra *cap. 6.*

Sed objicies forſaſſe, poſita ea Privilegii forma, 11
per quam nobilitetur quis generaliter, quoad omnes prærogativas nobilitatis ſanguinis, eique ipſi exæquetur, juxta vulgarem clauſulam illam, de qua ſupra, affirmandum videri, fruiturum nobilitate privilegiaria nepotem, etiamſi pater per tricennium pro plebejo egerit. Eſt enim una hæc originariæ nobilitatis, ſive ſanguinis prærogativa, ne unquam poſteris pereat, tricennali, aut longiore inuſu patris, vel avi. *l. 3. D. de interd. & releg.* Plane ita, ut poſſimus, nobilitatus æquatur originariis Nobilibus, quoad omnia etiam ſanguinis jura, *l. cum ex oratione 44.* ubi Baldus, *D. de excuſat. tutor. l. 3.* ubi Gregor. *gloſſ. 1. tit. 21. part. 2.* late, poſt alios, Garcia *d. gloſſ. 6. num. 38. verſ. Decimo tertio.* & *gloſſ. 1. §. 1. num. 43. & 50.* Azevedo *in rubr. num. 63. tit. 2. lib. 6. compilat.* Gutierr. *lib. 4. practicar. quæſt. 7.* Verum in facili reſponſio eſt, fieri quidem nobilitatum ſic à Principe, parem Nobilibus originariis, quoad omnes prærogativas ſanguinis, ei Jure Civili tributas, non tamen Principem facere, aut poſſe, quin hic nobilitatus ſit Nobilis Privilegiarius, non autem originarius, aut ſanguinis; quippe id jus ſanguinis natura datur, nec à Principe dari magis poteſt, quam adimi, *l. 3. D. de interd. & releg. l. Jura 8. D. de reg. jur. l. 2. D. de uſufr. earum rer. l. 12.* ibi: *El linage no ſe puede comprar. tit. 21. part. 2.* Proinde quamvis faciat Princeps, ut nobilitatus ſit, quaſi originarius Nobilis, quoad effectus omnes, poſitivo jure nobilitati ſanguinis delatos, non tamen, ut & talis ſit, quoad eos, qui non tam jure aliquo conſtituto, quam ex natura ipſa immutabili nobilitatis ſanguinis pendent. Eſt autem hujuſmodi prærogativa illa, & effectus non amittendæ originariæ nobilitatis, ex quantocunque patris inuſu; proficiſcitur enim omnino ex eo, quod naturale, & immutabile ſanguinis jus non poteſt civilis præſcriptionis ratione perimi. *d. l. 3. D. de interdict. & releg. l. Eas 8. D. de capite min.* Ergo quoad hanc prærogativam, quæ à Principe nec datur, nec adimitur, habendus potius eſt, ſicut & vere eſt is, de quo quærimus, pro Nobili Privilegiario, ut & ſic privilegium, tricennali deſidia patris, pereat nepotibus, ut in *d. l. 42. tit. 18. part. 3.*

Nec movemur magis, ſi contra urgeas exemplum 12
majoratus Hiſpani, ſimiliſve ſucceſſionis, quæ, quamvis ſua natura, ex ſimplici deſignatione majoratus, & multo magis adjecta clauſula perpetuitatis, complectatur poſteros omnes de familia inſtitutoris, & in primis illius, qui primus vocatus eſt, ad inſtar ſucceſſionis Regni, ut notatum paſſim noſtratibus, argumento ex *l. Omnia 32. §. ult. l. Peto 69. §. Fratre, D. de legat. 2. l. ult. C. de verbor. ſignif. l. 2. tit. 15. part. 2.* ſic tamen pertinet ad poſteros, ut nullo actu contrario, aut negligentia deceſſoris patris, aut avi, nec præſcriptione, etiam tricennali, aut ampliori (niſi immemorialis ſit) ſive qualitercumque, ut loquimur, caducato gradu, jus ſucceſſionis nepoti, aut lineæ deſcendentium intercidat, ut, poſt plures, laudatos à Garcia *d. gloſſ. 6. num. 38. verſ. Nono id magis*, probant innumeri, congeſti in *Additionibus noviſſimis* ad Molinam *lib. 1. de primog. cap. 1. num. 17.* & *cap. 3. num. 22. & lib. 4. cap. 10. num. 10.* quos non tranſcribo. Non, inquam, eo exemplo moveor, aut mutor; quia ſcio, diſparem valde eſſe cauſam ſucceſſionis majoratus, & privilegii primi hujus generis, de quo quæritur. In majoratu, natura illius, & nomen ſic Hiſpanis legibus, moribus acceptum, efformatumque, ita perpetuitatem inducit, & poſteros omnes primi vocati, ſive qui de familia inſtitutoris ſunt, complectitur, perinde ac ſi in perſonis ſingulis ſingulæ, & ſpeciales, apertæque vocationes eſſent, quarum jure proprio admittuntur, non tranſmiſſo ex perſona patris prædeceſſoris, ut, poſt Caſtrenſem, inſignito illo *de Hiſpanis majoratibus Conſilio 164. num. 5. & ſeqq. lib. 2.* pro explorato, ponunt Molina *lib. 1. de primogen. cap. 1. n. 17. & lib. 3. cap. 6.* & utrobique in Additionibus ibidem per plures. Poſt multos, & multis, noſter D. Joannes Larrea *deciſ. Granat. 35. num. 59.*

&

& ſeqq. At privilegiaria nobilitas, quibus caſibus pertinere eam ad poſteros non nominatos ejus, qui impetravit, ſupra poſuimus, defertur eis, non juse proprio, ſed tranſmiſſo, derivatoque per patrem, velut traducem, ad inſtar nobilitatis ſanguinis, *d. l. Divo* 11. *Cod. de quæſt.* in majoratibus non immediato poſſeſſori, ſed independenter ab iſto, & immediate primo inſtitutori ſucceditur, *l. Unum ex familia* 67. in princip. *&* §. 1. *l. Lucius* 88. §. *Damæ*, *D. de leg.* 2. *l.* 3. *D. de interd. & releg.* in privilegiaria nobilitate ſucceditur quidem primo impetratori privilegii, mediante tamen ſucceſſione proximioris paterni gradus, per quem id privilegium ad ulteriorem gradum tranſgreditur. *d. l. Divo* 11. Denique majoratus, ſicut, ſine ſpeciali titulo, non inducitur præſcriptione, niſi immemorialis ea ſit, *l.* 41. *Tauri l.* 1. *tit.* 7. *lib. Compilat.* ita neque perimitus, ut majoratus eſſe deſinat, aut ad aliam lineam transferatur, cum præjudicio lineæ vocatæ, niſi præſcriptione immemoriali, ut in confeſſo apud noſtrates eſt, ex traditis à Molina *d. l.* 1. *cap.* 3. *num.* 22. & *lib.* 4. *cap.* 10. *mon.* 10. è contrario autem immunitas privilegiaria, ſicut tricennali uſu adquiritur, juxta notata *in cap. Si de terra* 6. *cap. Accedentibus* 15. *de privileg.* ita & amittitur tricennali inuſu, *l.* 42. *tit.* 18. *partit.* 3. Nihil mirum itaque, ex jure ſucceſſionis majoratus, quod eouſque diſſimile eſt, non poſſe ad privilegia primi hujus generis commode inſerri.

13 Jam vero ut & ad aliam diſtinctionis noſtræ partem pergamus, in Privilegiis ſecundi generis, quæ nimirum jure proprio, & ſpeciali, verbiſque conceſſionis, aut nominatim ad gradus ſingulos deſcendentium, aut generaliter ad poſteros impetratoris relatis, eoſdem nobilitant, contra ſtatuimus, affirmamuſque, ea privilegia, tricennali etiam inuſu patris, aut avi, qui in plebejo ſtatu fuerunt, non perire nepotibus & poſteris, qui jure proprio ex privilegio, eiſdem ſpecialiter dato, nobilitatis privilegiariæ proprietatem ſibi aſſerunt, vindicantque. In quo ſi & ita ſentiunt, aſſenſum libens do Tiraquello *de nobilit. cap.* 35. *num.* 3. *&* 5. Otaloræ *eodem tractatu*, 3. *part. cap.* 6. *num.* 9. *verſ. Vel aliter & ſecundo*; at ſentit, & conſentit nobiſcum, ſere in tota hac quæſtione, Ant. Faber in ſuo *Cod. lib.* 9. *tit.* 29. *definit.* 14. *&* 25. Noviſſime, & aliquot luſtris, poſt ſcripta hæc, viſus Theodor. Hopping. *de jure inſign. cap.* 16. *ex n.* 101.

14 Argumentum rei ſit domeſticum, propriumque ex tractatu noſtro Juliæ, Papiæque legum, quæ quoniam iſto capite de connubio Senatoriorum cum ſcenicis, & libertinis, meminerunt ſpecialiter nepotis, pronepotiſque ex filio Senatoris, *l. Lege* 44. *D. de ritu nupt. l. Emancipatum* 7. *Si quis & patrem*, *D. de Senator.* placuit ſtatim Ulpiano, nepotem, cujus pater, ante ejus conceptionem, dignitate Senatoria cecidit, intelligi tamen debere nepotem avi Senatoris, ut ei potius ſuo, proprioque jure, avi Dignitas proſit, tanquam nepoti, Julia lege, comprehenſo, quam obſit caſus patris, *d. l. Emancipatum* 7. §. *ult.* cujus occaſione, & in hanc forenſis controverſiæ diſcuſſionem incidimus, & jam decidimus.

15 Accedit ratio Juſis, quæ docet, in Privilegiis hiſce ſecundi generis, totidem conceſſiones, & privilegia cenſeri, quot ſunt perſonæ, aut gradus nominati, quibus deferuntur, *l. Stipulatis* 38. §. *Sed ſi quis uti* 12. *D. de verbor. oblig.* ſicut in majoratu, feudo, emphyteuſi, & ſimilibus, totidem intelliguntur ſubſtitutiones, & vocationes, quot perſonæ vocatæ. *l. Cohæredi* 41. §. *cum filiæ*, *D. de vulgari. l. unum ex familia* 67. §. 1. *D. de legat.* 2. cum ſexcentis aliis. Unde & conſequens eſt, privilegia hæc nepotibus, non jure hæreditario, & tranſmiſſo, ſed proprio deferri, nec tam tranſire per parentes, quam per ſe ſibi adquiri, inter quæ multum refert, *l. ſi ſervus* 18. §. *Cum ſervus*, *verſic. Secundum quæ*, *D. de ſtipulat. ſerv.* juncta *l. ſed & ſi quid* 25. §. *ſi operas* 2. *D. de uſufr.* & quod itidem ſequitur, quoad privilegia hæc amittenda, tempus ſuum ſeparatim in ſingulis perſonis ſpectari debere. *l. Ex facto* 43. §. *Item*, *D. de vulgari*, *l.* 2. §. *Si primus*, *D. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* Coacta ergo Juris ratio evincit, non poſſe patrem, quamvis, quod ad ſe attinet, tricennali deſidia, qua pro plebejo egerit, privilegium amiſerit, adimere jus proprietariæ nobilitatis nepoti, quod in eo non tranſmiſſum à patre, ſed diverſum, propriumque eſt, incipitque, & adquiritur ex novo veluti, ſpecialique privilegio, ideoque nec perire poteſt, niſi ſuo rurſus tempore, & jure, ut dicimus in uſufructu repetito, *l.* 3. 4. *&* 5. *D. quibus mod. uſusfr. amitt. l.* 3. §. *ſi uſusfructus*, *D. uſusfr. quemadm. cau. l. Licet* 23. *D. de uſufr. leg.* Conducunt tradita in re ſimili à Caſtrenſi, poſt alios, in *l. Idem Julianus* 41. §. *ſi quis alicui*, *num.* 3. *& ſeqq. D. de legat.* 1. *& conſil.* 164. *num.* 4. 5. *&* 6. *lib.* 2. Decio *conſil.* 468. *num.* 28. Et ex noſtratibus, Larrea *deciſ. Granat.* 34. *num.* 59. Nec plura in re, mihi perſpicua, cumulo, qualia vel ex Garciæ congerie liceret. *d. gloſſ.* 6. *num.* 38. *In omni conflictu non tam valet multitudo, quam virtus*, ait ille. Ego & in hoc conflictu ſententiarum malim, ratione una propria, & maſcula niti, quam pluribus in ſpeciem, pompamque ſolam exaggeratis.

16 Sed age, diſpiciamus & breviter, qualia ſint argumenta Garciæ, quibus ille motus, affirmat indiſtincte, privilegium nobilitatis, tricennali inuſu patris perire poſteris. Et ſane ſunt ejuſmodi, ut cum tranſverſum agere non debuerint, niſi fortaſſe Fiſco, & foro ſuo addictum, & cauſæ ſervientem, in qua de facto ita ſe conſuluiſſe ſcribit. Idque us vel ſummatim oſtendam, ſecundum, tertium, quartumque argumentum, *ex cap. Si de terra* 6. *cap. Accedentibus* 15. *de privileg. cap. Cum acceſſiſſent* 8. *de conſtitut.* quibus probatur, privilegium Eccleſiæ Ordini ſpeciali Religioſorum indultum, contrario uſu tricennali perire perpetuo, nec ſolum illis, qui, ſuo inuſu, amiſſioni privilegii locum fecerunt, ſed ex omnibus, qui in eadem Eccleſia, aut Ordine in poſterum futusi ſunt. Id, inquam, argumentum alienum valde eſt à re noſtra. Quippe privilegium datum Univerſitati, veluti Ordini Religioſo, aus Eccleſiæ, unum, idemque ſemper eſt in his, qui tempore conceſſionis Privilegii, & qui poſtea in eodem Ordine, aut Eccleſia ſunt ſucceſſusi, quia datur Univerſitati, quæ & una, eademque ſemper eſt, tametſi commutatis ſingulorum perſonis, *l. Proponebatur* 76. *D. de judic. l. Sicut* 7. §. *ult. D. quod cujuſq. univerſ.* Nihil mirum itaque, inuſu tricennali præſentium perire Privilegium, etiam ſucceſſuris, cum perierit Univerſitati, quæ una, eademque eſt, nec in ſucceſſoribus reperire liceat novum, diverſumque Privilegium, aliter atque in poſteris nominatis Privilegio ejus, qui primus impetravit nobilitatem. Rurſus quintum, ſextumque argumentum Garciæ ex *l. Divo* 11. *Cod. de quæſtionib.* & ex impedimento tranſitus ab extremo ad extremum, vitiato medio, pertinet prorſus ad Privilegia primi generis, ut & monuimus jam ſupra.

17 Præterea ſeptimum, octavum, nonum, itemque primum argumentum, ex *l.* 43. *tit.* 18. *partis.* 3. (cui totum Mundum congrue reſpondere non poſſe, perſuadet ſibi ſuaviter Garcia) ſimulque ex *l.* 42. *d. tit.* 18. *part.* 3. *l.* 3. *tit.* 7. *part.* 5. & communi ſententia, quæ docet, privilegium non contribuendi, contrario uſu triginta annorum amitti, & quidem in perpetuum, ac deinceps, ſive, *por ſiempre, y dende en adelante*, ut ſcriptum eſt in *d. l.* 42. *&* 43. & in *d. l.* 3. mihi quidem ſpero, & aliis, qui in Mundo ſunt, facilem, neque incongruam reſponſionem habet. Namque verba, *in perpetuum*, & ſimilia, quamvis perpetuitatem deſignare ſoleant, reſpectu deſcendentium, *l. Sordidorum* 13. *Cod. de excuſat. muner. lib.* 10. *l.* 10. *tit.* 18. *part.* 3. Bartolus, poſt Accurſium, verbo *Semper*, in *l.* 1. *num.* 21. *D. de ſoluto matrim.* id tamen æſtimandum eſt, ſecundum ſubjectam materiam, ex traditione *Gloſſæ* receptæ in *cap. Ea enim* 2. *verbo Perpetua* 10. *quæſt.* 2. juncto *princip. Inſtitut. de perpet. & tempor. action.* Gratiano *diſcept. forenſ.* 1. *tomo*, *cap.* 2. *num.* 11. *& ſeqq.* quapropter &

non ſemel fieri, & in perpetuum manere, dicitur, quod ultra vitam certæ perſonæ non eſt manſurum. *l.* 1. *juncta l. Cum duobus* 52. §. *Idem* 9. *l. Nulla* 70. *D. pro ſocio. l. Cum hi* 8. §. *Sive igitur* 3. *D. de tranſact. l. Sancimus* 46. §. *Si vero* 9. *Cod. de Epiſcop. & Cler. l. Via, D. ad leg. Pompej. de parricid. l.* 13. *D. de S. C. Syllan.* Cujac. 4. *Obſervat. cap.* 14. Fulv. Conſtant. in *l.* 1. *Cod. de filiis official. num.* 89. At quamvis in privilegio immunitatis à capitatione plebeja, ſive mixto illo tributo capitis, & ſoli, quod *pecho* dicimus, conceſſio facta verbo, *In perpetuum*, complectatur poſteros omnes illius, cui conceditur, ut pleniſſime firmat Garcia *de nobilitat. gloſſ.* 1. §. 1. *num.* 24. *& ſeqq.* Lara *de Anniverſar. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 10. Quoad amiſſionem tamen Privilegii ejuſdem, non eamdem vim eſſe verborum, *In perpetuum*, & *deinceps*, & coanguſtari potius debere ad vitam ejus, qui, ſuo inuſu, Privilegium amiſit, pervincit, vel invitis nobis, contextus *dict. l.* 42. ibi: *Se pierden, ſi aquellos, que los touieren, non vſaren de ellos faſta treinta años:* Et paulo poſt: *Mas ſi foſta eſta tiempo non vſaren de ellos, dende adelante, pierdenſe.* Et ſignate in *dict. l.* 43. ibi: *Pierdeſe, è non debe valer dende adelante à aquellos, que lo quebrantaron.* Et in fine *dict. l.* 43. *Si alguno tobiere previlegio, è non ſo defendiere por el, pierdeſe el previllejo por ſiempre, quanto en aquello ſeñaladamento, ſobre que fue dado el juicio.* Ut & in *dict. l.* 3. *tit.* 7. *partit.* 5. ibi; *De alli adelante non le debe valer*, ſcilicet ei, qui uſus non eſt. Quibus legum noſtrarum verbis conjunctis, ut ex aliis alia explicentur, apparet, amiſſionem Privilegii, ex inuſu, coarctari omnino debere, & ad ſpeciem immunitatis, qua quis uſus non eſt, & ad perſonam, vitamque non utentis, ſive qui, non utendo, Privilegium fregit, neque verba, *In perpetuum*, aut *deinceps* produci poſſe ad poſteros, quia eos, ſuo inuſu, Privilegium fregiſſe, affirmare non poſſumus, quod tamen ſimul leges requirunt, ut Privilegia in perpetuum pereant. Quid quod in *dict. l.* 42. *&* 43. non de privilegiaria nobilitate, ad poſteros tranſmiſſibili, qualia ſunt Privilegia primi generis, de quibus ſupra, nec de Privilegiis ſecundi generis, quæ ſpeciali, proprioque jure poſteris, quorum mentio in eis ſit, deferuntur, ſed extra noſtræ quæſtionis terminos quæſtio eſt, de perſonali immunitate, quæ ad poſteros impetratoris pertinere non ſolet. *l.* 1. §. 1. *l. Semper* 5. §. *Immunitati* 4. *D. de jure immun. l. Sordidorum* 13. *C. de excuſat. mun. lib.* 10. Proinde otioſe, aut etiam vitioſe mentionem amiſſionis immunitatis in perpetuum, protrahemus ad poſteros, ad quos in ea ſpecie non pertinere conſtat. Quid denique, quod & ratio ipſa Juris in Privilegiis ſecundi generis non patitur, perire ea poſteris, inuſu patris, aut avi; quoniam, ut ſupra oſtendimus, poſteri privilegio nominati, habent id ſuu, proprioque jure, tanquam novum, ſpecialeque privilegium. Idcirco & in eorum perſona tricennali inuſu opus eſt, ut privilegium ipſi amittant, *d. l. Ex facto* 43. §. *Item* 1. *D. de vulgari. l.* 2. §. *Si primus, D. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* juxta formam illam *d. l.* 42. *&* 43. *Si aquellos, que los touieren non vſaren de ellos*; & *à aquellos, que los quebrantaron*, & inuſus patris nocebit privilegio ipſius, non diverſo, proprioque nepotis.

Denique decimum argumentum Garciæ ſuffultum 18
ſtricto, odioſoque jure privilegiorum immunitatis, quæ & idcirco facilius perire ſolent, ut notatur in *d. l. Ejus* 34. § 1. *D. de teſtam. milit.* quamvis in re ſubluſtris, & obſcura, contra privilegiariam immunitatem valere debeat, non tamen ubi aperta, certaque Juris ratio pro privilegio eſt, qualem in præſentiarum eſſe, neque omnino Practicis noſtris, quæ in hac re ſcripſimus, diſplicitura, non deſperamus, niſi fortaſſe, *pecorum ritu*, ſequi malunt *antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur.* ut eleganter Seneca *de vita beata cap.* 1. Junge tamen, qui plura mavis, quæ ſcribimus infra.

Tandem ut & ad verba illa: *Cujus eorum eſt, erit,* 19
quæ ſupra ex Julia lege proſcripſimus, promoveamus commentationem, dubitaretur olim non male, an his articulis, *eſt*, *erit*, præſens dumtaxat, futurumque tempus, filiique Senatorii, jam tunc, cum ferebatur lex, concepti, aut poſt concipiendi ſignificentur, an potius & ad tempus præteritum, filioſque, ante legem, ſuſceptos referenda ea oratio ſit; ſic enim & de verbis Atiniæ legis, *quod ſubreptum erit*, quæſiſſe, & dubitaſſe P. Mucium Scævolam, & Brutum, ac Manilium, an in poſt facta modo furta lex valeret, an & in ante facta, ait Q. Scævola P. F. apud A. Gellium, *lib.* 17. *noct. Atticar. cap.* 7. Et demonſtrari verbo, *Erit*, in lege Atinia, eoque & verbu, *Eſt*, in aliis etiam partibus Juris, utrumque tempus futurum, & præteritum, docuit Pomponius *lib.* 26. *ad Quintum Mucium*, & ad illam, de Atiniæ legis verbis, diſputationem Mucianam commodiſſime referendus, in *l. verbum* 123. *D. de verbor. ſignif.* Sed, utcumque id interdum accidat, præſertimque ubi τὸ *eſt*, *erit*, verbis præteriti temporis junguntur, ex præceptione Nigidiana, apud A. Gell. *d. lib.* 17. *cap.* 7. de quo & nos tempeſtivius dicemus, ad caducariam partem legum noſtrarum, ad *l. Si ita quis* 51. *D. de legat.* 2. In propoſito tamen non dubito, quin & ad filium, ante legem natum, prohibitio pertineat; eſt enim filius Senatoris, quod ex lege ſufficit, neque, ut ea comprehendatur, neceſſe eſt argutari, ex productione articuli, *Erit*, in præteritum.

C A P U T VIII.

Ad verba Juliæ legis: Ne quis eorum ſponſam, uxoremve habeto. De effectu probibitionis connubii ex lege Julia, & Oratione Marci, ac S. C.

A R G U M E N T U M.

P*Robibitionis ſupraſcriptæ veſtigia in Juris libris. Cur in* l. 16. de ſponſalibus, l. 16. de ritu nupt. l. 3. §. 1. D. de donationib. inter. *prohibitio tribuatur Orationi Marci, & S. C. cum ſit ex lege Julia. Cujacii inconſpectus lapſus. Noſtra, nodo ſolvendo, animadverſio, ex Academicis Salmantinis dictatis. Perfectarum, & imperfectarum legum vetus diſtinctio. Illuſtratur Ulpianus* tit. 1. *cum* l. 5. Cod. de legibus. Julia, Papiaque leges *in hoc capite imperfectæ, quia nuptias improbabant, non impediebant, aut puniebant. Proinde erant ex iis non juſtæ nuptiæ, non tamen irritæ ante Marcum, & S. C. quibus id proprie additum legi. Lux hinc illata,* l. Filio 48. §. 1. & l. Palam 43. §. Senatus. l. Lege 44. §. Si poſtea 6. D. de ritu nupt. *Jacob. Gothofredi ſtrictior cenſura non admiſſa. Merilii, & ex noſtris, Amayæ contra cenſentium argumenta ſubmota, interque alia, illud ex* l. Si quis libertam 28. Cod. de nupt. *Tribuuntur ſæpe legibus priſcis, quæ poſtea inducta Senatus Conſultis, ad leges factis. Exempla ejuſce rei non protrita, & ex his unum in* l. unica, §. ult. D. de offic. Conſulis (*Quamquam vel in tranſcurſu tentata illius loci emendatio, & veteribus notis, & formula*) *Exempla alia ex legibus noſtris. Pro argumento alio ſolvendo, notatæ differentiæ, inter* habere, & poſſidere, *apud Juriſconſultos. Et obiter Paradoxum noſtrum*, de ſervo proprie poſſidendi capace.

1 VErum diſputationem de filiis Senatorum, reſumendam poſt opportune, ad illa verba Juliæ legis, *neve Senatoris filia*, abrumpere nunc cogit contextus ejuſdem legis, capitiſque, in quo jam, quoad Senatores, Senatorumque filios, nepotes, pronepotes, ſequitur interdictio connubii cum libertinis, ſcenicisve, *ne quis eorum ſponſam, uxoremve, ſciens, dolo malo habeto. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.*

Extat

Extat prohibitionis hujuſce, de cujus cauſa, origineque, ſat multa ſcripſimus *ſupra cap.* 1. aperta ex legibus noſtris mentio, in *l. Lege* 23. *l. Obſervandum* 49 *D. de ritu nupt. l. Si quis libertam* 28. *Cod. de nuptiis*, & apud Ulpianum in *Fragm. tit.* 16. §. *Aliquando*, & ejuſdem veſtigia non obſcura, ignotave aliis, in *l. Uxorem* 15. *Cod. de nupt.* dum docet, uxorem libertam ſuam manumiſſori ducere, non eſſe interdictum, *ſi non ſit ex his perſonis, quæ ſpecialiter prohibentur*, hoc eſt, Senatoribus eorumque liberis, ut monuimus *cap.* 1. Itemque in *l. Si rogatus* 20. §. *Matrimonii*, *D. de manum. vind.* dum affirmat, concedendum eſſe manumittere, matrimonii cauſa, ſi quis velit, *& is ſit, qui non indigna hujuſmodi conditionis uxorem ſortiturus ſit*, hoc eſt, ſi non ſit Senatorius, cui indignæ, illicitæque ſunt nuptiæ cum liberta.

2 Sed hem, obſtat vel in hoc aditu, quo minus progrediamur, Cajus *libro* 1. *ad legem Juliam*, *& Papiam*, in *l. Oratio* 16. *D. de ſponſalib.* Ulpianus in *l.* 3. §. 1. *verſ. Ergo*, *D. de donat. inter.* Paulus in *l. Oratione* 16. *D. de ritu nupt.* quorum teſtimonio, ſi credimus, inhibitio hæc nuptiarum inter Senatorias perſonas, & libertinas, adſcribenda eſt, non legibus Juliæ, vel Papiæ, ſed Orationi Divi Marci, ſive Antonini, & Commodi Cæſarum, & Senatuſconſulto. Nec rem expedit magnus ille Cujacius *lib.* 4. *reſponſorum Papiniani in l. Filiam* 9. *D. de Senator.* ubi inconſiderate, quod aliis exprobrat, & in eo mirum, affirmat nuptias filiæ, neptiſve Senatoris cum libertino, improbari ſpecialiter, non lege Julia, ſed Senatuſconſulto, & Oratione Marci, *d. l. Oratione* 16. *D. de ritu nupt. l.* 3. §. 1. *verſ. Ergo*, *D. de donat. inter.* inconſiderate, ut jam dixi; namque & de filiæ Senatoris, neptis, proneptis, nuptiis cum libertino, ſunt legis Juliæ verba ſignata extra cavillum omnem in *d. l. Lege* 44. *juncto* §. 1. *ejuſdem l. D. de ritu nupt.* & Oratione Marci, inhibuiſſe generaliter nuptias Senatorum, non autem ſolius filiæ, aut neptis, liquet ex *dict. l. Oratio* 16. *D. de ſponſalibus.*

3 Quare obſervandum potius eſt (& obſervationibus pridem in *Academicis ad leges Juliam, & Papiam commentationibus*, dictatis Salmanticæ ad annum 1632. proinde & vicennio integro, ante editionem Gothofredi ad fontes legum, Genevæ ad annum 1653. quem nobiſcum ſentire, illic, in notis, video) Juliæ legis verbis, quæ adſcripſimus, nuptias Senatoriorum cum libertinis, ſcenicisve prohiberi, non abſcisse, abſoluteve, ſed ita, ne à ſciente habeantur dolo malo. *d. l. Lege* 44. ac ne perfecte quidem; quia nec ſemel contractas nuptias reſcindit, neque ſpecialem pœnam irrogat contrahenti, ut ex verbis itidem liquet in *d. l. Lege* 44. Quo præmonito adhibenda jam eſt Juris antiqui regula, à qua ſuas exorditur Ulpianus in *earum fragm. tit.* 1. quæque docet: *Imperfectam legem eſſe, veluti Cinciam, quæ ſupra certum modum donari prohibet, exceptis quibuſdam cognatis; & ſi plus donatum ſit, non reſcindit: & minus quam perfectam legem, quæ vetat aliquid fieri, & ſi factum ſit, non reſcindit: ſed pœnam injungit ei, qui contra legem fecit.* Adſtipulantur regulæ, & quaſi concinunt, Macrobius *lib.* 2. *in ſomnium Scip. cap.* 17. *Sed quia, inter leges, quoque illa imperfecta dicitur, in qua nulla deviantibus pœna ſancitur.* Ulpianus ipſe *tit.* 22. §. *ult.* dum imperfectam cretionem nuncupat eam, cujus formula, ita quis hæres inſtituitur, ut etiamſi non cernat, inſtitutio non reſcindatur, aperta exhæredatione, ſive, in qua verba illa non adjiciuntur, *ſi non creveris, exhæres eſto.* Reſpicit & fortaſſe Juſtinianus in *l.* 1. §. *Ne autem imperfecta ſanctio*, *Cod. de annali except.* Eſt itaque imperfecta, & minus perfecta, lex, quæ ſic prohibet, ut non reſcindat, puniatve contra factum, ſed fraudem, noxamque ſine pœna relinquit, *l. Aliud* 131. *D. de verbor. ſignif.* ad quam multa, huic rei idonea, ſcribemus *lib.* 3. Proinde & Jure illo, quod veterum Prudentum ævo receptum fuit, & ignoratum adhuc claſſicis, Practicisque noſtris, non ſatis fuit Legumlatoribus, aliquid prohibere, niſi & apertis verbis, contra prohibitionem, factum reſcinderent, & punirent, ut ſic perfectæ leges eſſent. Antiquavit id Jus antiquum Theodoſius, voluitque, legem omnem prohibentem cenſeri perfectam, & pro imperfecto, inutilique quicquid, lege prohibente, fit, licet Legiſlator fieri prohibuerit tantum, nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere, quod factum eſt. *Novella* Theodoſii 4. *ne Curialis præd. alter. conduc. l. Non dubium* 5. *Cod. de legib.* Agnuvit, ut alios ſileam, hujus etiam veteris Juris ſcientiæ bene ſciens, Hugo Grotius *lib.* 2. *de jure belli*, *cap.* 5. *num.* 16. ubi & in notis. Ergo ante Theodoſium, ut dixi, & ex regula antiqui Juris dubitari non potuit, imperfectam, ſive perfectam minus fuiſſe, in hac parte, legis Juliæ, & Papiæ ſanctionem, ſicut & in eo capite, cujus mentio in *l. ult. D. de divortiis. l. unica* §. 1. *D. unde vir & uxor*; tametſi in aliis earumdem capitibus perfectæ leges eſſent. *l. Si libertus* 16. *D. de jure patron. l. Sive generalis* 61. *D. de jure dot.* Imperfecta autem fuit, quia nuptias, Senatoriis inhibitas, ſi contra inhibitionem fiant, nec ſpecialiter reſcindit, nec punit; unde & conſequens fuit, nuptias Senatoriorum cum libertinis, ſcenicisve, inſpecta ſola Juliæ, Papiæque legis interdictione, quamvis juſtæ, & ex lege, dici non poſſent, *l. Si Senatori* 31. *D. de ritu nupt. l. un. D. unde vir & uxor.* juncto Ulpiano *tit.* 16. §. *aliquando*; fuiſſe tamen matrimonii jure, & vinculo nexas, utpote validas, tametſi injuſtas, ſive non ſolemnes, nec dirimi, aut diſſolvi ſolitas, de quo poſtea copioſius. Quocirca & neceſſariam jam fuiſſe, apparet, Orationem Imperatorum Marci Aurelii Antonini, & Commodi, in Senatu habitam, quam & Senatuſconſultum ſecutum eſt, non modo ut prohibitio Juliæ, Papiæque legum plenius confirmaretur, circa perſonas, quibus cum Senatoriis non eſt connubium, *l. Oratio* 16. *D de ſponſal. l. Palam* 43. §. *Senatus*, *D. de ritu nupt.* ſed vel maxime, ut ſpecialiter caveretur, nuptiis, à Senatoriis perſonis, contra legem Juliam, contractas, nullius eſſe momenti. Idque unum eſt, quod in hac re Orationi, & Senatuſconſulto tribuitur, ſignate adeo, & perſpicue, *d. l. Oratione* 16. *nec nuptiæ eſſent. d. l.* 3. §. 1. *verſ. Ego*; *quia nuptiæ non ſunt. d. l. Oratio* 16. *etiam ſponſalia, ipſo jure, nullius eſſe momenti, ut ſuppleatur quod Orationi deeſt. dict. l. Palam* 43. §. *Senatus. Uxorem ducere, aut retinere.* Queis ſane ex verbis liquido liquet, interdictionem Orationis, & Senatuſconſulti, pertinere non ſolum ad juſtum nuptiarum nomen, ſed etiam ad earum nodum, vinculumve, quia nec ducere uxorem dumtaxat, ſed etiam *retinere*, vetat, qua voce & ſeparatio, ſeu ſolutio matrimonii, ſemel initi, ſignificatur. *l. Miles* 11. §. *ultim. D. ad leg. Jul. de adulter. l. unic.* §. 1. *D. unde vir & uxor.* Ita ſimiliter eum & poſt Orationem, & Senatuſconſultum, perfecta minus prohibitio eſſet, quia, tametſi nuptias reſcinderet, nullam pœnam deviantibus ſanciebat, ſupplevit prohibitionem Conſtantinus, addita infamiæ pœna Senatoribus, qui, contra interdictionem, ſuſceptos filios, in numero legitimorum habere vellent, *l.* 1. *Cod. de naturnl. liber.* eamque ipſam Conſtitutionem firmavit, & expoſuit tandem Martinus, *Novella* 4. *de matrimon. Senator.* Cujus pars extat in *l. Humilem* 4. *Cod. de inceſt. nupt.*

Huic noſtræ obſervationi lucem aliquam dabunt, 4
& viciſſim ex ea accipient, breviter adnotanda, quæ ſequuntur. Primum eſt, diſtare multum, in hac parte, nuptias ingenui cum ignominioſa fœmina, & Senatorii cum muliere, ejuſdem notæ, aut libertinæ. Nam etſi, inſpecta Julia, Papiaque lege, proinde utrumque nuptiarum genus improbetur, ita ſcilicet, ut injuſtæ nuptiæ ſint, non ut invalidæ, aut irritæ, quoad matrimonii, & contrahentium vinculum; tamen, poſt Juliam, Papiamque legem in nuptiis Senatorii, illud amplius Oratio Marci, & Senatuſconſultum induxit, ut nec nuptiæ eſſent, quaſi à Senatorio contra leges initæ, hoc eſt, non modo injuſtæ, ſed etiam irritæ, & ſeparandæ, *d. l. O-*

ratio 16. *d. l. Oratione* 16. *d. l. Palam* 43. §. *Senatus. d. l.* 3. §. 1. *verſic. Ergo*; nuptiis autem ingenui cum ignominioſa, indelibatum jus Papiæ, Juliæque permanſit, ut eſſent quidem injuſtæ, non autem irritæ, & diſſolvendæ, niſi contraherentur cum damnata adulterii, ex *Julia lege de adulteriis. l. Miles* 11. §. *ult. D. ad leg. Jul. de adulter. l. Claudius* 13. *D. de his, quæ ut indign.* de queis *lib.* 3. Unde & Terentii locus *lib.* 8. *ad legem Juliam, & Papiam, in l. Filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt.* dum ſupponit, patronum maritum libertæ ignominioſæ, eſſe quidem maritum, tametſi contra legem, accipitur partite, & proprie magis de patrono ingenuo dumtaxat (qui & proinde proprie maritus, quamvis contra legem, & ideo non juſtus) non autem de patrono Senatoris, tametſi hæc non diſtinguant noviores, poſt Fabrum in *Juriſpr. tit.* 17. *princ.* 5. *illat.* 27. qui nec maritus dici poſſet, ſicut nec uxor ea, quæ, contra leges, ei nupſit, poſt Orationem, & Senatuſconſultum, *l. Si quis in Senatorio* 27. *l. Generali* 34. §. *ult. D. de ritu nupt.*

5 Secundum, & propoſitis conſequens, eſt, fuiſſe & in Senatoriis neceſſariam, utilemque cautionem Senatuſconſulti, quo eiſdem interdictæ nuptiæ cum damnata, judicio publico, *d. l. Palam* 43. §. *Senatus*, quamvis hæ ipſæ nuptiæ jam ante, Julia lege, ingenuis omnibus inbiberentur, teſte Ulpiano in *Fragm. tit.* 13. §. *ult.* ac proinde ſatis, eo ipſo, etiam Senatoriis, ex regula *l. Lege* 44. §. *ult. l. Obſervandum* 49. §. *ult. D. de ritu nupt.* nimirum, quoniam lege Julia nuptiæ iſtæ, utcumque injuſtæ, non diſſolvebantur. At Senatus, non ſolum duci uxorem damnatam publico judicio, ſed & retineri à Senatore, prohibuit, *d.* §. *Senatus*, atque ita nuptias tanquam irritas voluit diſſolvi, ad inſtar conſtituti juris in nuptiis cum libertina, aut ſcenica, eodem Senatuſconſulto, & Oratione Marci, cujus Senatuſconſulti pars fuit illa, quæ extat *d.* §. *Senatus*, ut obſervamus alibi. Sicut & in damnata adulterii, quamvis & cum ea, utpote publico judicio damnata, ingenuis ex lege Julia nuptiæ interdicerentur, *d. l. Palam* 43. §. *Senatus*, & §. *Quæ in adulterio, verſ. Quod ſi*; fuit utique neceſſaria interdictio nuptiarum, ex lege Julia de adulteriis. Vel idcirco, quia hæc, nuptias, quæ ex noſtris legibus injuſtæ tantum, nec irritæ forent, irritas etiam eſſe, conſtituit, ſic ut nec ſtarent, ſeu ſuſtinerentur, nec ducere dumtaxat, ſed & retinere, vetaret. *d. l. Miles* 11. §. *ult. D. ad leg. Jul. de adulter. l. Claudius* 13. *D. de his, quæ ut indignis.*

6 Tertium denique ſit, mentionem dimittendæ mulieris, quæ Senatorio, contra legem Juliam, conjuncta eſt, apud Paulum in *d. l. Lege* 44. §. *Si poſtea* 6. *cum* §. *ſeqq. D. de ritu nupt.* Et nuptiarum, quæ libertino, aut ſcenico cum filia Senatoris non ſunt, apud Modeſtinum in *l. Semper* 42. §. *D.* 1. *de ritu nupt.* & matrimonii, quod copulare Senator, prohibetur, cum libertina, apud Ulpianum in *l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ultim. D. de donat. inter.* Item & illam regulam, quæ apud Juſtinianum, in §. *Si adverſus* 12. *Inſtitut. de nupt.* definit, ſi coierint aliqui adverſus ea, quæ in præcedentibus ejus tituli locis ſcripta ſunt, aut in latioribus Digeſtorum libris, quos reſpexit, in ea re, idem Juſtinianus, in *præcedente* §. *Sunt & aliæ* 11. *Inſtit. de nupt.* nec virum, nec uxorem, nec matrimonium, nec nuptias, nec dotem intelligi, & conjunctionem eam diſſolvi; tandemque & ſi quæ aliæ ſimiles enunciationes in auctoribus Juris, Oratione Marci, & Senatuſconſulto novioribus, alicubi occurrunt, quæ diſſolutionem matrimonii Senatorii cum libertina, aut ſcenica innuant, indicentve, referendas omnino eſſe, non ad jus Juliæ, Papiæve legis, quo tales nuptiæ non reſcindebantur, ſed ad Senatuſconſultum, & Marci Orationem, quibus editis, in confeſſo eſſe cœpit, in conjunctione Senatorii, contra prohibitionem, nec nuptias, nec matrimonium eſſe, quin potius id diſſolvi, tanquam non copulatum, & mulierem dimitti, oportere.

7 Subſiſtamus tamen tantiſper, aut potius ne ſubſiſtamus, moremurve, utcumque Jac. Gothofredus in *notis ad leges noſtras pag.* 313. & *ſeqq.* Orationem Marci, & Senatuſconſulti ſtricte referat ad filiam Senatoris, nec ampliare videatur ad Senatorem, & filios Senatorios, quod expreſſum de filia, in *d. l. Oratione* 16. *l. Semper* 42. §. 1. *D. de ritu nupt. l.* 3. §. 1. *D. de donat. inter.* At immerito ſtrictus, quia generale hoc jus, & rationem illius fuiſſe, & pertinuiſſe ad Senatores ipſos, corumque liberos, vel ex verbis, vel ex ſententia S. C. evinci ex aliis locis poteſt. *l. Oratio* 16. *D. de ſponſal. l. Si quis libertam* 28. *Cod. de nupt. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ult. l.* 3. §. 1. *verſ. Divus, D. de donat. inter. l. Si quis* 27. *l. Si Senatori* 31. *l. Palam* 43. §. *Senatus* 10. illic: *Aut retinere. l. Lege* 44. §. *Si poſtea* 6. *D. de ritu nupt. l.* 1. *Cod. de natur. lib.* cum aliis, quæ ſigillatim expendere, in facili eſſet.

Sed ſunt adhuc, contra noſtram ſententiſm, ar- 8
gumenta, non levia, quibus coactus, ex novioribus, Emundus Merilius *lib.* 5. *obſerv. cap.* 11. &, ex noſtratibus, D. Franciſcus de Amaya *lib.* 2. *obſervat. cap.* 5. *num.* 40. & *ſeqq.* poſt mutata, motaque in præcedentibus multa, circa effectum prohibitionis nuptiarum, inter Senatorios, & libertas, ex lege Julia, in quæſtione, an injuſtæ tantum hæ nuptiæ, an vero & irritæ; affirmat tandem, irritas fuiſſe, & diſſolvi ſolitas, non modo quoad connubii nomen, ſed etiam jus, & vinculum matrimonii. Ejus affirmationis, ne alia, quibus jam obſervatio noſtra præluxit, nunc inculcemus, firmiora, ut creditur, argumenta duo ſunt. Primum, ex *l. ſi libertam* 28. *Cod. de nupt.* ubi Juſtinianus ſcribit, ſi libertam quis uxorem ſcripſerit, deinde Senator fiat, quæſitum fuiſſe, apud Ulpianum, an matrimonium ſolvatur, *quia lex Papia, inter Senatores, & libertas ſtare connubia, non patitur.* Juſtinianus autem ſtatuit, non ſolvi matrimonium, ſicut & ſi privati hominis filia liberto nupſerit, & poſtea pater mulieris fiat Senator, ut & hoc etiam caſu *taceat Papiæ legis crudeliſſima ſanctio, & neque per hunc modum diſſolvatur matrimonium*, ut ſcriptum eſt in *d. l. Si libertam* 28. Fuit ergo ipſiſſima Papia lex, quæ induxit, ne matrimonium inter Senatorios & libertas ſtaret, ſed diſſolveretur, & rueret. Secundum argumentum eſt, ex verbis Juliæ legis in noſtro capite, *ſponſam, uxoremve habeto. d. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* Nam cum *habendi* verbum tam juris, quam facti ſit, ideoque & detentionem naturalem qualemcumque reſpiciat, *l.* 1. §. *Quod autem* 33. *D. unde vi. l. Stipulatio* 38. §. *Habere* 9. *D. de verbor. oblig. l.* 2. §. *Habere, D. ne quid in loco publico*, quin imo facti magis, quam juris, ſi Cornelio Frontoni credimus, veteri Grammatico, in *libello de propriet. & different. Latini ſermonis: Habere poteſt*, inquit, *etiam fur, & nequam, poſſidere nemo, niſi qui rei, aut relictæ, aut donatæ, aut emptæ dominus eſt, ita in habente onus*, ſive, ut aliis placet, *uſus in poſſidente jus eſt.* Reſpicit utique, & in hac re vox, *habendi*, non ſolum nuptias juſtas, ſolemneſque, ſed etiam injuſtas, & illegitimas, & utrumque nuptiarum genus inhibet, ac proiode tam jus, quam vinculum earum diſſolvit. Punget acrius, meo judicio, hæc expenſio vocis, *habeto*, ſi obſerves, locutione, *uxorem habeto*, inſinuari perſeverantiam in matrimonio ſemel contracto, & præceptum uxoris, quam quis habet, non dimittendæ. Sic enim illa verba Apoſtoli 1. *ad Corinthios, cap.* 7. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hic conſentit, habitare cum illa, non dimittat virum.* Exaudiunt Hieronymus *lib.* 1. *adverſus Jovinianum.* Auguſtinus *lib.* 1. *de adulter. conjugat. ad Pollentium, cap.* 18. & *ſeqq.* apud Gratianum in *cap. ſic enim, verſic. Tu vero* 28. *quæſt.* 1. & ante alios Tertullian. *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 2. *Cæterum manifeſtum eſt, ſcripturam iſtam eos fideles deſignare, qui in matrimonio Gentili inventi à Dei gratia fuerunt, ſecundum verba ipſa: ſi quis fidelis uxorem habet Infidelem; non dicit uxorem ducit infidelem: oſtendit jam in matrimonio agentem mulieris infidelis, mox gratia Dei converſum, perſeverare cum uxore, debere.* Proinde quemadmodum, ſi lex Julia Senatoriis præciperet, liber-

libertinas, aut ſcenicas uxores habere, diceremus, ex Tertulliani interpretatione, non tantum duci, ſed & retineri in matrimonio, debere; ita è contrario, cum, eaſdem haberi, prohibet, fatendum eſt, non ſolum ductionem, ſed etiam retentionem earum, & perſeverantiam in ejuſmodi nuptiis, improbari.

9 Hiſce argumentis, qualiacumque ea ſint, cederem libens, niſi in contrarium traherent Juris & rationum momenta, quæ ſupra expendi. Porro, quod ad priorem objectionem attinet, ex *dict. l. Si libertam* 28. *Cod. de nupt.* res erit expeditu facilis, ſi meminerimus, novum non eſſe, ut quod Senatuſconſultis, aliiſve Juris conſtitutionibus, ad priores leges pertinentibus, & ad eas firmandas, vel exponendas, factis inductum eſt, adſcribatur legibus illis, quarum veluti partes, & appendices, Senatuſconſulta, & poſteriores Conſtitutiones ſunt. Notat, firmatque exemplis Cujacius *ad tit. Cod. de accuſat. & lib.* 15. *obſervat. cap.* 13. *& lib.* 1. *cap.* 18. Briſſonius 1. *antiquit. cap.* 16. Ita exercitio pœnæ legis Corneliæ de Sicariis in eos, qui hominem, libidinis, aut promercii cauſa, caſtraverint, ejuſque facinoris interdictio, cujus auctorem, Domitianum, laudant Scriptores exteri, Xiphilinus, & Sueton. in *Domitiano cap.* 7. Ammian. Marcell. *lib.* 18. & Martialis, aliique paſſim; Adriano autem tribuunt crebrius noſtrates. *l. Lege* 4. §. *Idem. l.* 5. *D. de lege Cornel. de Sicariis.* Accepto fertur Senatuſconſulto in *l.* 3. §. *Item. l. Is qui* 6. *D. de lege Cornel. de Sicar.* Ita & capitis pœnam, contra haruſpices, augures, hariolos, & qui artibus odioſis, ſeu magicis ſuſurris occidunt, Juſtinianus ex *l. Cornelia de Sicariis*, deſcendere, ſignificat in §. *Item lex Cornelia in fine*, *Inſtit. de public. jud.* Alii autem tribuunt Senatuſconſulto *ad Corneliam legem facto. l. Ex Senatuſconſulto* 13. *D. de lege Cornel. de Sic.* Ulp. *lib.* 7. *de offic. Proconſ.* apud Ruffinum in *collat. leg. Moſaic. tit.* 15. *de Mathemat.* Tacitus 2. *Annal.*

10 Ita denique, ut vel hoc uno, ex Cujacii exemplis, utar, cautio illa legis Æliæ Sentiæ, quæ minori viginti annis manumittere, permittit, non aliter quam vindicta, & apud Conſilium juſta cauſa manumiſſionis approbata, & conſtanter, cenſetur inter capita legis Æliæ Sentiæ, §. *Eadem lege*, *Inſtitut. quib. ex cauſ. manum.* Ulpianus in *fragmentis*, *tit.* 1. §. *Eadem lex* 13. junctis *l. Si minor* 66. *D. de verbor. obligat. l. Illud* 16. *D. de manum. vind. l.* 4. *D. de ſervis export.* adſcribitur Senatuſconſulto, in *l. un.* §. *ult. D. de offic. Conſul.* ſive quoniam, quod ante cautum lege Ælia Sentia, firmatum poſtea, & repetitum Senatuſconſulto, ad eamdem legem facto, cujus & in ſimilibus cauſis mentio extat in *l. ſi collactaneus* 13. *in fine*, *D. de manum. vindicta. l. Matrimonii* 21. *D. qui & à quibus. l.* 4. *Cod. qui manumitt. non poſſ.* ſive potius, quia, quamvis cautum lege Ælia Sentia, ne minor viginti annis manumittat, niſi cauſa apud Conſilium probata, non expreſſum fuit tamen, quis Magiſtratus conſilium præbiturus eſſet, & *cauſam Conſilii*, id eſt, negotium, ſive rem, ad Conſilium delatam, examinaturus, idque poſtea, ſpeciali Senatuſconſulto, conceſſum Conſulibus, certiſque aliis Magiſtratibus. *dict. l. unic.* §. 1. in *fine*, *D. de offic. Conſul.* juncta *l. ultim. Cod. de vindicta libertate. l.* 5. *l. Si rogatus* 20. §. *ultim. D. de manumiſſ. vindict.* ut proinde appareat, nec probam, nec probabilem eſſe argutiam Rævardi, qui *libro ſingulari pro Tribunalium*, *cap.* 13. in Senatuſconſulto, cujus meminimus, non agnnſcendn, pervicax, pro verbis illis *dict. l. unic.* §. *ultim. Cum ipſe ſit, qui ex Senataſconſulto, Conſilii cauſam examinat*, reponit perperam, *qui ex ſe cum Conſilio cauſam examinat*, ineleganti, ac vix latino loquendi genere; nec dexterius Hottoman. in *Epitomat. ad tit. D. de offic. Conſ. Cum ipſe ſit quin cum ſuo Conſilio.* Quamquam, ut vel obiter dicam, ſi correctionis is locus eget, conjectabar jam olim, quod & non nemini placuiſſe, & ex litterarum ductu, quem exprimit *manuſcriptus Codex*, Rævardo laudatus, firmari poſſe, ſcio, legendum eſſe in *dict.* §. *ult. ex ſententia Conſilii*, errore forſan ex verborum compendiis, & notis nato, & in libris noſtris creberrimo, ut vel in eiſdem vocibus ſententiæ, & Senatus animadvertemus, *infra lib.* 3. *ad l. Palam* 43. §. *Quæ in adulterio* 12. in *fine*, *D. de ritu nupt.* Nam cum eiſdem ſingularibus litteris S. & C. exprimi Notariis ſoleret, *Senatus Conſultum*; & *ſententia Conſilii*, ut liquet ex Valerii Probi, Magnonis, & Petri Diaconi *libris de notis*, fuit in facili, & obvia exſcriptori, minus perito, commutatio verborum, *Ex ſententia Conſilii*, in illa *Senatus Conſulto.* Addo nunc, rei illuſtrandæ, verba ea, *ex ſententia Conſilii*, eſſe propriam, ſolemnemque formulam in his, quæ à Magiſtratu, adhibitis in Conſilium delectis viris, & ex eorum ſententia fiunt. Teſtimonia ejus rei, quæ à Briſſonio *lib.* 5. *de formul. pag.* 513. fruſtra petas, hæc habeo. Livius *libr.* 45. *Quæ Senatui, quæ ſibi, ex Conſilii ſententia viſa eſſent, pronuntiavit.* Plinius *lib.* 5. *epiſtol.* 3. *Deinde quod de quibus dubitat, quaſi ex Conſilii ſententia ſtatuit.* Et *lib. eodem epiſt.* 1. *Deinde ſeceſſi, & ex Conſilii ſententia videtur, inquam, Curiane, mater tua juſtas habuiſſe cauſas, iraſcendi tibi.* Neque eſt, cur dici non poſſit, *ex ſententia Conſilii*, *examinare*, ſicut *pronuntiare*, *& ſtatuere*, cum utriuſque adhibito judicio fiat eorum, qui in Conſilio ſunt.

Sed, ut ad rem, ac ne interim exempla cumulem, 11
ſimilia ex noſtris legibus Julia, & Papia, quarum altera deſcribi ſolet, quod proprie, aut primum altera cautum, quoniam ſcilicet Papia poſterior ad Juliam pertinuit, & utriuſque capita confuſa, & commixta, ut monuimus ſupra *lib.* 1. *cap.* 3. Extat ejus, quod quærimus, domeſticum exemplum in eo, quod dicitur, Senatus Conſulta, circa legem Papiam facta, cenſuiſſe, ut legatorum dies, ab apertura tabularum cederet. *l. unic.* §. *Cum igitur*, *Cod. de caducis toll.* Id enim ipſum fieri per legem Papiam Poppæam, ſcribit Ulpianus in *fragment. tit.* 23. *de legatis* §. *Legatorum* 31. quia per Senatus Conſulta, veluti auctaria, & appendices Papiæ legis, &, ex ſententia ejuſdem, inductum fuit, ut plenius ſuo loco adnotavimus. Sic itaque & in *dict. l. Si libertam* 28. *Cod. de nupt.* diſſolutio, ſeu reſciſſio conjugii, inter Senatorios & libertinas, tribuitur quodammodo Papiæ legi; quia quamvis non ea ipſa perfecte id caverit, cautum tamen, ſuppletumque, quod Juliæ, & Papiæ deerat, Oratione Marci, & Senatuſconſulto, ut ratione Juris ſupra oſtendimus, & ex *d. l. Oratio* 16. *D. de ſponſal. d. l. Oratione* 16. *d. l. Palam* 43. §. *Senatus*, *D. de ritu nupt. d. l.* 3. §. 1. *verſ. Ergo*, *D. de donat. inter.*

Sed nec difficilioris explicatus eſt objectio altera 12
ex verbo, *Habere*, quo Julia lex utitur; namque id verbum ſi Juris potius, quam Grammaticæ Auctores, & Ulpianum, quam Cornelium Frontonem, audias, ut par eſt, in notione, & proprietate verborum Juris exquirenda, perraro ad merum factum, plerumque autem, proprieque ad id, quod juris eſt, ſeu jure habetur, referri ſolet, & diſtinguitur à poſſidere, quod eſt facti. *l. Stipulatio* 38. §. *His qui* 6. *D. de verbor. obligat.* Idcircoque in veteribus formulis Juris ſeparantur hæc paſſim, *habere*, *tenere*, *poſſidere.* §. *Eſto autem*, ubi Theophil. *Inſtitut. quib. mod. toll. oblig. l. Et uno* 18. §. 1. *D. de acceptilat. l. Pater* 38. §. *Quindecim*, *D. de legat.* 3. *l. Si in emptione* 34. §. *Omnium*, *D. de contrah. empt.* niſi ſicubi ex mente contrahentium confunduntur: ut in ſtipulatione illa, *habere*, *licere. d. l. Stipulatio* 38. § *His qui* 6. *verſ. Cum vero in fine*, *l. Ex empto* 11. §. *Idem Neratius* 8. *D. de action. empt.* Itaque fugitivum ſervum habere non licet. *l. Julianus* 13. §. 1. *D. de action. empt. l. Celſus* 5. §. *ultim. D. ad exhibend. l. Quoties* 21. §. *In poteſtate*, *D. de noxalib.* Et tamen poſſidemus. *l.* 1. § *per ſervum, qui in fuga. l. Pomponius* 13. *l. Rem, quæ* 15. *l. Si rem* 47. *D. de acquir. poſſeſſ. l. Servi* 17. §. *ult. D. de furtis.* Emptori, ſi rei emptæ jus aliquod auferatur, veluti uſusfructus, habere rem non licet. *d. l. Stipulatio* 38. §. *Si quis forte* 3. *D. de verbor. obligat.* poſſidere licet. *l. Permiſceri* 52. *D. de acquir. poſſeſſ. l. Celſus* 5. §. 1. *D. ad exhibend.*

Denique (ut vel in hoc tranſcurſu paradoxam ſen- 13
tentiam

tentiam meam, dicent alii *paralogam*, quam in *Recitationibus Academicis ad titulum D. de acquir. poſſeſſione*, ſubmotis, quæ in ſpeciem obſtabant, firmavi plenius, & poſtea publica diſputatione aſſerui, recitante ex noſtris ſchedis, & ſubſcribente, erudito, & heu nuper nobis erepto, Juriſconſulto, & Præſide Nicolao Fernandio Caſtro, in tractatu *pro cauſa Sfortiaca*, nunc cenſendam doctis, ſubjiciam) ſervus, utpote incapax eorum, quæ juris ſunt, etiam ſi affectu domini teneat, habere ſibi proprie non poteſt, poſſidere ſibi poteſt, capaxque eſt veræ, propriæque poſſeſſionis, ſibi acquirendæ, retinendæque, quando ſcilicet, & quamdiu, facto ipſo, tenet, cum affectione ſibi poſſidendi. *d. l. Stipulatio 38. §. Hi qui, & §. Hæc quoque. l. 4. §. De illo, D. de uſucap. l. Ait Prætor 23. §. 1. verſic. Nec cæptam, D. ex quib. cauſ. majores.* E contrario depoſitarius, commodatarius, fructuarius, conductor, nec proprie, nec ſibi poſſident. *l. 1. §. Per eum. l. 3. §. Illud, D. de acquir. poſſeſſ. d. l. Celſus 5. §. 1. D. ad exhibend. l. Non ſolum 33. §. Quod vulgo in fin. D. de uſucap.* & tamen, proprie habere dicuntur. *dict. l. Stipulatio 38. §. Habere 9. l. 1. §. Quod autem 33. D. de vi, & vi arm. l. 2. §. Habere, juncto §. Prætor ait, D. Ne quid in loco publ. l. Officium 9. D. de rei vindic. l. Acquiruntur 10. §. ult. D. de acquir. rer. domin.* Qui precario accepit uſum ſervitutis, aut rei corporalis, dicitur precario habere. *l. 2. in princ. & §. ult. cum l. ſeq. l. Et habet 15. §. Precario. l. ult. §. ult. D. de precario. l. Si precario 17. D. commun. præd.* & tamen non poſſidet, niſi precarium ſit ipſius poſſeſſionis rei corporalis. *l. Certe 6. §. Is qui. l. Et habet 15. §. Eum qui. l. Qui precario 17. l. ult. D. de precario, l. Quæcumque 13. §. 1. D. de Publicana. l. Si ſervus 22. §. 1. D. de noxalib. l. Communi 7 §. Inter prædones, D. communi dividundo. l. Pomponius 13. §. Si is qui precario, D. de adquir. poſſeſ.* Qui actionem habet ad rem petendam, ipſam rem habere videtur. *l. Is, qui 15. D. de regul. jur. l. Id apud ſe 143. D. de verbor. ſign.* etiam ſi perſonalis actio ſit. *l. Filii familias 34. § ult. cum l. ſeq. D. de hæred. petit.* & tamen neque poſſidet, neque poſſidere intelligitur, ſi perſonalis actio ſit. *l. Sciendum 15. §. Si fundus in dotem, in fine, D. qui ſatiſd. cog.* Denique hæreditas, nondum adita, & hæres, adita hæreditate, omnia jura defuncti habet. *l. hæreditas 62. D. de reg. jur. l. 1. §. Scævola, D. ſi is qui teſtam. lib.* & in legatis per vindicationem, quorum dominium legatario adquiritur, ipſo jure, teſte Cajo *lib. 2. Inſtit. tit. de legatis, §. Vindicationis, & §. Cæterum in fine*, juncta *l. Cum filius 76. §. Varis, D. de legat. 2.* legatarius, cui res legata eſt, per formulam, *ſibi habeto*, ut apud Ulpianum in *Fragm. tit. 23. de legatis, §. Per vindicationem. l. ult. D. de pecul. legato*, etiam ante rem traditam habere eam proprie dicetur. *l. Habere 188. D. de verbor. ſign.* Et tamen neque hæreditas poſſidet. *d. l. 1. §. Scævola.* neque hæres, aut legatarius, antequam poſſeſſionem corporaliter apprehendant. *l. Cum hæredes 23. D. de adquir. poſſeſſ. l. 1. in princip. & §. Qui vero, D. quod legator.*

Hæ, & ſi quæ aliæ ſunt, inter *habere*, & *poſſidere*, differentiæ, ignoratæ Cornelio Frontoni, utpote Grammaticæ magis, quam Juris perito, oſtendent jam facile cuivis, vocem, *habeto*, ut dixi, proprie, & plerumque juris eſſe, ideoque in capite Juliæ legis facere, ne jure liceat Senatoriis, libertinas uxores ducere, & ut injuſtæ, nec ſolemnes hæ nuptiæ ſint, non tamen ut & facto ipſo diſſolvatur ex lege Julia, ſemel contra eam, initum matrimonium. Quod ſi, & ut ſupra monui, contendes, ineſſe etiam verbo, *Habeto*, prohibitionem perſeverantiæ in matrimonio: reſpondebo, retenta relatione hujus verbi ad jus nuptiarum ſolemnium, ut jam propoſui, nihil amplius ex prohibitione hac perſeverantiæ elici poſſe, niſi eo uſque improbari lege Julia ejuſmodi nuptias, ut injuſtæ ab initio ſint, & injuſtæ perſeverent, quamdiu prohibitionis ratio durat, hoc eſt, quamdiu ille Senatorius, & illa libertina eſt. Non autem prohibitio hæc perſeverantiæ, deducta ex verbo, *Habeto*, producenda eſt, ut & innuat factum diſſolutionis matrimonii, cum habere non facti, ſed juris ſit. Neque præceptum, infidelis conjugis non dimittendi à fideli, (ceſſante ſcilicet periculo ſalutis æternæ) deducit Tertullianus *d. lib. 2. ad uxorem, cap. 2.* ex verbo, *Habet*, quo Apoſtolus uſus, ſed expendit id verbum, ut ex eo colligat, præceptionem Apoſtoli, & perſeverantiam in matrimonio cum infideli, injunctam verbo, *Non dimittat*, intelligendam eſſe de eo, qui cum fidelis eſſe incipit, habet jam conjugem infidelem, quam ſcilicet antè baptiſma duxerat, quæ & aliorum veterum Patrum Eccleſiæ ſententia eſt. 14

CAPUT IX.

Ad legem, A Divo 58. D. de ritu nupt.

ARGUMENTUM.

Contra legem Juliam, nuptiæ Senatoriæ ſunt injuſtæ nuptiæ, quamvis non irritæ, ſicut filiorum familias olim, ſine patrum conſenſu. Proinde nec proſunt, quoad jura, aut præmia nuptiarum. Explanatus Ulpianus tit. 16. §. Aliquando. *Paulus in* l. 37. §. 7. verſic. Ex lege, D. de oper. libert. *Excipitur ſpecies Martiani in* l. 58. D. de ritu nupt. *quæ & cum cura illuſtratur, adhibita dubitandi, ac decidendi ratione. Actio illic, Senatori conceſſa, an ſit de dolo, vel ad ejus exemplum, ut pluribus placitum? Nobis nunc magis eſſe utilem, ad exemplum actionis de dote. Producta illa deciſio ad fori uſum, & ex ea affirmatum, in matrimoniis, ut vocantur, putationis, conjugem innoxium, & multo magis deceptum, fruiturum conjugalibus lucris integro, etiam, alterius conjugis noxii induſtria, quæſitis; quamquam ſi uterque bonæ fidei eſſet, communia forent. Affirmatur ipſum, quoad retentionem dotis, ob adulterium quaſi uxoris in matrimonio putativo, ad quod maritus, inſcius impedimenti, pellectur.*

1 PErgamus in effectu prohibitionis, ex noſtris legibus, explanando. Ergo quamvis, ut *capite ſuperiore* oſtendimus, inter Senatorios, & libertinas matrimonium, ante Orationem Marci, & Senatuſconſultum, ſuo jure, & vinculo nexum, ſtaret, nec lege Julia, aut Papia reſcinderetur, adhuc tamen, contra eaſdem leges, id fuiſſe, neque legitimas, juſtaſve nuptias dici potuiſſe, dubium non eſt. *l. ſi Senatori 31. D. de ritu nupt.* Neque id novum, aut ſine exemplo; ſic enim, etiam Jure Romano, nuptiæ à filiis familias ſine patris, in cujus poteſtate ſunt, conſenſu initæ valent, nec diſſolvuntur, teſte Paulo *lib. 2. ſentent. tit. 19. verſic. Eorum*, juncta *l. 1. §. ultim. cum l. ſeq. D. de liber. exhib.* nec tamen, ut idem Paulus loquitur, jure contrahuntur, *Nam nec in terris filii*, ait Tertullianus *2. ad uxorem cap. 9. ſine conſenſu patrum, rite & jure nubent:* ideoque & nuptiæ juſtæ non ſunt, *princip. Inſtit. de nupt. l. Nuptiæ 18. D. de ritu nupt.* hoc eſt, non *legitimæ, & Juri Civili congruæ*, ut Apulejanus Jupiter loquitur *lib. 6. Miles.* & uxor, liberique, non juſti, *l. Paulus 11. D. de ſtatu hom. l. Si uxor 13. §. 1.* juncto *§. Si quis uxorem 6. D. ad leg. Jul. de adulter. l. 3. §. Si emancipatus 5. D. de bonor. poſſ. contr. tab.* Et dos in eiſdem nuptiis nulla, *l. Dotis 68. D. de jure dot.* Denique quamvis teneant contrahentes, matrimonii jure & jugo, non tamen proprie nuptiæ ſunt, ſive, ut nuptiæ, conſiſtunt. *§. Si adverſus, Inſtit. de nupt. l. 2. D. de ritu nupt.* & ut, ex Auguſtino, Gratianus in *cap. ultim. 28. quæſt. 2.* Conjugium eorum, qui ſolo affectu, neque à parentibus ſibi traditam conjugem copulant, *non legitimum, ſed ratum tantummodo eſt.*

Idque

Idque ipſum de plerîſque, id genus aliis Romano Jure nuptiis, prohibitis dici, & doceri poſſe, ſcin: ſit tamen ſatis interim exemplum propoſitum, de quo & fortaſſe plura alibi, & opportunius.

2 Conſentanea propoſitis, & inde paucis explicanda ſunt, quæ ſequuntur. Primum eſt, ut quamvis ex decimario capite Papiæ legis, conjuges, liberis carentes, decimam ſolam, matrimonii nomine, capere inter ſe poſſint, ex teſtamento, ſive ex eo, quod alter alteri, teſtamento, reliquit, Auctore Ulpiano in *fragmentis*, *tit.* 15. Tertull. *lib.* 1. *ad uxorem*, *cap.* 1. juncta *l.* 2. *cum rubrica*, *Cod. de infirm. pœnis cœlib. & de decimar. ſublat. l. Qui uxori* 18. *D. de auro*, *& arg. leg.* cum ſimilibus, ſuo loco exponendis; ſi tamen contra Juliam, Papiamque Poppæam, Senator libertinam, aut ingenuus famoſam, uxorem duxerint, nihil inter ſe capiunt, matrimonii nomine, tametſi, ut loquitur Ulpianus *tit.* 16. §. *Aliquando*, matrimonium contraxerint; quia id, utcumque ratum, validumque, eſt utique contra leges noſtras, ac proinde illegitimum, ſive non juſtum, & quod proficere non debeat, ad capacitatem Decimæ, ex eiſdem legibus, ut dicemus inferius *lib.* 3. *cap.* 1.

3 Secundum eſt, explicari hinc commode poſſe pericopen illam, apud Paulum in *l. Qui libertinus* 37. §. *Poſthumus*, *D. de oper. libert. Ex lege autem nati liberi proſunt.* Quæ definitio, quamvis conjuncta ſuperioribus, accipi aliter non male poſſit, ut & dicemus ad illud caput, ſi tamen, ut & ſtat, per ſe & abſciſſa, exaudienda eſt, propriam, diverſamque à prioribus, & poſterioribus ſententiam exprimit, nempe eos dumtaxat liberos prodeſſe libertino ad liberationem operarum, ex capite illo Juliæ legis, de de quo Paulus in *dict. l. Qui libertinus* 37. qui ex lege nati ſunt, hoc eſt, ex nuptiis, ſecundum legem Juliam, à libertino contractis, non cum Senatoria perſona; namque & utrumque hoc caput Juliæ legis de liberatione operum, & de connubio Senatoriorum cum libertinis, eodem illo *lib.* 2. *ad leges Juliam, & Papiam*, interpretatus eſt Paulus, ut liquet ex *d. l. Qui libertinus* 37. *d. l. Lege* 44. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. Senatoris* 6. *D. de Senator. l. Qui mortui* 129. *D. de verbor. ſignif.* Et natos, contra legem, ex injuſtis nuptiis, etiamſi alioquin validis, ad præmia ejuſdem legis proficere, indignum eſſet. *l. Filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt.* (de qua, & aliis commodius, *lib.* 3. *cap.* 1.) *l. unic.* §. 1. *D. unde vir, & uxor. l. ult. D. de ſtatu liber. l. Adigere* 6. §. *ultim. in fine*, *D. de jure patron.* Ulpianus *d. tit.* 16. §. *Aliquando*, & §. *Quod ſi major.*

4 Tertium, & quidem impenſiori opera, curaque dignum, eſt Martiani fragmentum, in *l. A Divo* 58. *D. de ritu nupt.* ubi proponitur: *Si libertina Senatorem deceperit, quaſi ingenua, & ei nupta eſt, ad exemplum Prætoris Edicti dandam in eam actionem, quia ex dote nullum lucrum habet, quæ nulla eſt*: idque *reſcriptum eſſe à Divo Pio*, hoc eſt ab Antonio Pio, qui Divum Marcum, ſive Marcum Aurelium Antoninum in Imperio præceſſit, ut vel diſcentes, & dupondii ſciunt, ac proinde ante Orationem, & Senatus Conſultum Marci, qun inductum diximus, ut Senatoriæ nuptiæ cum libertinis, non modo injuſtæ, ſed irritæ eſſent. *d. l. Oratione* 16. §. 1. *D. de ritu nupt.* cum ſimilib. Poſtulat autem propria *d. l. A Divo* 58. explicatio, duo in primis, ut præmittamus. Prius eſt, nuptiis illicitis, ſive contra leges contractis, dotem nullam eſſe, aut intelligi. §. *Si adverſus*, *Inſtit. de nupt. l.* 3. *D. de jure dot. l.* 4. *l. Si quis inceſti* 6. *Cod. de inceſt. nupt.* neque id ſolum, ubi illicitæ adeo nuptiæ, aut inceſtæ, ut nec, matrimonii vinculo, teneant, ſed etiam ubi injuſtæ dumtaxat, & alioquin validæ, ratæque, quales contractæ à filio familias, injuſſu patris. *d.* §. *Si adverſus*, *juncto princip. Inſtit. de nupt. l. Dotis* 68. quæ recte expenſa hoc exprimit. *D. de jure dot.* Poſterius præmittendum, eſt, quæſtionem *d. l. A Divo* 58. pertinere, & referri omnino oportere ad verba illa noſtri capitis Juliæ legis, *ſciens dolo malo*, quæ ſolemnia in plerîſque legibus, & edictis, bonæ fidei excuſandæ. *l.* 3. *l. Non ſtatim* 6. §. *ult. D. de lege Fabia de plagiar. l.* 3. in fine, *D. ad leg. Jul. Majeſt. l.* 1. §. 1. in fine, *D. de ædilit. ed.* Paulus *lib.* 5. *ſentent. tit.* 25. *l.* 3. §. *Quod ad cauſam* 18. *D. de S. C. Syllaniano. l. Lege* 9. §. *pen. D. de lege Corn. de falſ. l.* 1. *D. ad leg. Jul. peculat.* & in *fragmentis Mamiliæ veteris agrariæ legis*, apud Auctores *de limitibus agrorum*, *neve loco moveto ſciens dolo malo*, & poſtea: *quos ejecerit, locove moverit, ſciens dolo malo.* Eſt autem quæſtio in *d. l.* 58. de libertina, quæ ſciens dolo malo Senatori nupſit, & quaſi ingenua eum (ſcilicet ignorantem, exiſtimantemque, ſe ingenuam ducere) decepit, dote etiam data, dicta, aut promiſſa, tanquam in nuptiis juſtis. Queis ſuppoſitis, jam, ante Senatus Conſultum, & Marci Orationem, quæſitum eſt, an in ea ſpecie Senator poſſit, ex dote data, lucrum aliquod retinere, vel id ipſum, ex dote dicta, aut promiſſa, petere, & perſequi, actione inſtituta contra libertinam, à qua deceptus eſt. Quale ſcilicet lucrum, apud maritum Senatorem maneret, nuptiis juſtis contractis, vel ex pacto dotis, aut partis ejus in aliquo caſu lucrandæ, ut Accurſius, & Vivianus ponunt in *d. l. A Divo* 58. juxta terminos *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſam dator.* vel mortua in matrimonio muliere, ſi dos adventitia fuerit, quæ cedere eo caſu ſolet lucro mariti, ex Jure vetere, de quo etiam Ulpianus *tit.* 6. *de dotibus*, §. *Adventitia*, juncta *l. Si ab hoſtibus* 10. §. 1. *D. ſoluto matrim. l. Dotale* 15. *D. de fundo dotali. l. Celſus* 22. *D. de Religioſ.* cum aliis; vel denique, divortio facto, culpa mulieris, ubi propter graviores mores, maritus ſextam partem dotis lucrari ſolitus, octavam, propter leviores, ut Ulpianus idem ſcribit, *d. tit.* 6. §. *Morum*, juncta *l. Cum mulier* 47. *D. ſoluto matrim. l. Miles* 11. §. *Socer*, & §. *ult. D. ad legem Jul. de adult.* Utrocumque itaque, ex propoſitis, caſu, aut alio ſimili, quem ſupponas, licet, dubitatum merito eſt, an maritus Senator lucrum ex dote habeat, vel petat. Dubitandi autem ratio nata ex eo, quod, ut diximus, nuptiæ contractæ ſunt, dolo malo à libertina, ſciente, &, quaſi ingenua, decipiente Senatorem, ac proinde aperte contra legem Juliam, qua attenta, jam tunc ante Senatus Conſultum, & Orationem Marci, conſtabat, nuptias ejuſmodi, quamvis ſtarent, nec diſſolverentur, illegitimas eſſe, & injuſtas, cui & conſequens, nullam dotem eſſe, *d. l. dotis* 68. *D. de jure dot.* nec poſſe, lucrum Senatorem habere, ex dote, quæ nulla eſt. *d. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſam dat.* Dubitandi hanc rationem ſequi, & agnoſcere hactenus, vel in decidendo, videtur Antoninus Pius, cujus Reſcriptum extat in *d. l. à Divo* 58. ut fateatur, Senatorem, in propoſita ſpecie non poſſe jure ſtricto dotis, ſive actione propria de dote lucrum habere, aut perſequi ex dote, quæ nulla eſt. Sed è contrario, vel ex ea ipſa cauſa, reſcribit, dandam Senatori, contra libertinam, non actionem de dote, ſed aliam, ad exemplum Prætoris Edicti, ut lucrum, quod ex dote non habet, ſarciatur. Idque elegantem rationem habet; quia quamvis regulariter, nuptiis illicitis contractis, dos caduca fieri, Fiſcoque vindicari ſoleat, ſic, ut nec fructus dotis maritus retineat, *l. ſi quis officium* 38. §. 1. *l. Inceſtæ* 52. *l. dote* 61. *D. de ritu nupt. l. Qui contra* 4. *l. Si quis*, *Cod. de inceſt. nupt.* quod & expreſſum eſt in nuptiis, Papia lege prohibitis, apud Ulpianum *tit.* 16. in fine; tamen in propoſito nulla eſt ratio æquitatis, aut Juris, ob quam Senator, qui ſine dolo malo, & neſciens, à libertina, quaſi ingenua, deceptus, eam uxorem habuit, neque, quod ad ſe attinet, in legem Juliam commiſit, cadere lucro dotis debeat, ſive carere actione contra libertinam. Namque, ut vel maxime fateamur, nuptias injuſtas, dotemque nullam eſſe, pœna tamen ea eſt, reſpondens admiſſo libertinæ, quæ ſciens dolo malo nupſit, nec producenda ad Senatorem neſcientem, & innoxium. *d. l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* juncta *l. Sancimus* 22. *C. de pœnis.* Ut vel obiter hinc appareat, non proponi,

 ſupponive,

ſupponive, in *d. l.* 58. quin potius alieniſſimam eſſe ab eo contentu quæſtionem, de poteſtate renunciandi privilegio in Senatore, aut Nobili, quam tamen ibi obtrudere, ſive ad eam trahere ſententiam *d. l.* 58. inepte nititur Gutierrez *de juram. confirmat.* 1. *p. cap.* 16. *num.* 60.

5 Plane quod ſcriptum eſt in *d. l.* 58. Senatori decepto dandam actionem, *ad exemplum Prætoris Edicti*, exaudiunt, poſt Accurſium, Salicetus in *d. l. A Divo Pio.* Alexander in *l. Si cum dotem* 23. *§. ult. num.* 3. *verſic. Sed contrarium.* Ubi & Barboſa *num.* 12. *D. ſoluto matrim.* Suarez in *l.* 1. *tit. de las ganancias*, *num.* 6. in fine, *lib.* 3. *fori.* de actione de dolo, quæ Prætorio Edicto proponitur. *l.* 1. *D. de dolo.* Quod & ſuaderi creditur, ea eo, quia, quamvis de dolo actio, utpote famoſa, non ſoleat in uxorem marito competere, *l.* 2. *&* 3. *§.* 1. *&* 2. *D. de actione rer. amotar. l.* 2. *Cod. eodem tit. l. ult. §. ult. C. de furtis. l. Si quis uxori* 52. *D. eodem tit.* competit tamen, & dari ſolet, quoties ita nuptiæ jure impediuntur, ut nec uxor dici poſſit, quæ nupſit, nec maritus qui duxit: argumento ex *l. Si concubina* 17. *D. de action. rer. amotar. l. penult. §. ult. D. quod falſo tutore. l. Si uxor* 13. *§. Sed & ſi* 4. *& §. Si quis uxorem* 6. *D. ad leg. Jul. de adulter.* Nimirum Juris ratio, quæ obtinuit, famoſas, turpeſve actiones, & quæ doli, vel fraudis mentionem habet, inter conjuges denegari, in honorem, reverentiamque matrimonii, *d. l.* 2. *l.* 3. *§. Sed cum* 2. *§. de act. rer. amot.* ceſſat in matrimonio, legibus improbato, cujus velamentum proficere, ad vitandam famoſæ actionis notam, abſurdum eſſet. *l. Senatoris* 47. *l. Filio* 48. *§.* 1. *D. de ritu nupt. l. Auxilium* 37. in fine, *D. de minorib.* Tanto magis quod in propoſito, cum libertina, ſciens dolo malo, nupſerit ignoranti Senatori, & decepto, indignior, & iniquior contemplatio eſſet, quæ, prætextu matrimonii injuſti, in libertinam, tanquam nuptam, negaret Senatori actionem de dolo, quia faveret decipienti, & nocenti, contra deceptum, & innoxium.

6 Verum huic ſententiæ ne ſubſcribam, facit, quod verbis illis, *ad exemplum Prætoris Edicti*, demonſtratur, plerumque utiles, ſive in factum, actiones, comparatæ ad exemplum directarum, quæ Edicto, aut legibus proditæ ſunt. *l. Sed & ſi* 12. *l. bovet* 53. *D. ad leg. Aquil. l. Locum* 17. *§. ult. D. de uſufr.* juncta *l. Quia* 11. *D. de præſcrip. verb.* Unde & in *d. l.* 58. placuit aliis, & nobis olim, poſt Briſſonium, *de jure connubiorum pag.* 13. ſignificari, non actionem de dolo, ſed in factum, ad inſtar actionis de dolo, Prætorio Edicto propoſitæ, qualem ſcilicet in factum actionem detracta, aut temperata doli mentione exerceri inter eas perſonas, quibus reverentia debetur, ſcimus, ex *l. non debet* 11. *D. de dolo. l.* 4. *§. adverſus D. de doli except. l. Parens* 5. *cum l.* 6. *&* 7. *D. de obſeq. par. & patr.* Nunc autem, cum & huic expoſitioni obſtare animadvertam, rationem Juris ſupra propoſitam, quæ oſtendit, nihil cauſæ eſſe, cur in honorem matrimonii injuſti, & contra eam, quæ uxor non eſt, denegaretur ipſa directa, de dolo, actio, crediderim potius intelligendam eſſe *d. l.* 58. de actione utili, de dote dicta, aut promiſſa, quæ in ea ſpecie, quamvis ſummo, ſtrictoque jure, dos nulla fuerit, accommodatur tamen ex Reſcripto Pii, Senatori decepto, ad exemplum, ſive ſimilitudinem ſententiæ Edicti, de dolo; nempe ut dolus libertinæ coërceatur, & lucrum, eo interceptum, ex dote ſarciatur, ſervetur. *l. Si filia* 5. *D. de nuptiis.* Proinde non eſt illa actio utilis, ſive in factum, ſubſidiaria actionis de dolo; id enim fruſtra fieret, cum matrimonii honor non ſit, qui vetet, ipſam de dolo actionem directam dari; ſed eſt utilis ſubſidiaria actionis illius, qua, ſi dos, & nuptiæ juſtæ fuiſſent, lucrum ex dote peteretur. Dicitur autem ad exemplum Edicti Prætorii de dolo, quia ad illius ſimilitudinem coërcet dolum, quamvis diverſa actio ſit, quomodo verba, *ad exemplum*, uſurpantur in *l.* 2. *D. ſi ſervitus vindicet. l. In honorariis* 35. *verſic. Item, D. de obligat. & act. l. Sed & ſi* 7. *§.* 1. *D. de inſtitor. act.*

7 Sed premenda eſt, vel adhuc magis, ſententia *d. l. A Divo* 58. exprimet fortaſſe non nihil, ad forenſem uſum. Ergo in primis, ex ea ſententia, commode infertur, ut quamvis in matrimonio, ut loquimur, putativo, νομιζομένῳ, ſive δοκουμένῳ, quale ſcilicet nunc intelligo contractum bona fide utriuſque conjugis, vel Jure, ut valeat, non ſuffragante, ut in nuptiis ſervilibus, Jure Civili, *l.* 3. *Cod. de nupt.* vel refragante ad tempus, ut in, minore duodecim annis, uxore; vel denique refragante in perpetuum, & reſiſtente, ut inter Senatorem, & libertinam, & hodie inter conſanguineos, intra gradus prohibitos; quamvis, ut cœpi dicere, in id genus matrimoniis putativis, quæ contracta nimirum ſunt bona fide utriuſque conjugis, impedimentum ignorantis, lucra, conſtante matrimonii imagine, & aſpectu, quæſita, quæ moribus Hiſpaniæ, & legibus, communia eſſe inter conjuges ſolent, *l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 3. *fori legum. l.* 2. *cum ſeqq. tit.* 9. *lib.* 5. *Compilat.* communicentur etiam inter conjuges qui ſeſe tales eſſe bona fide putarunt, ut argumento *ex cap.* 2. *in fine de donat. inter.* docet Panormitan. *ibi num.* 3. poſt alios, Tiraquell. in *connubial. gloſſ.* 8. *num.* 270. docte Rod. Suarez in *l.* 1. *tit. de las ganancias*, *ex num.* 1. *lib.* 3. *fori.* D. Præſes Covarr. *de ſponſal.* 2. *part. cap.* 7. *§.* 1. *num.* 7. Didacus Perez in *l.* 4. *verſic. Dubitari*, *tit.* 4. *lib.* 5. *Compilat.* Matienço in *l.* 2. *gloſſ.* 1. *num.* 4. & Azevedo *ibidem num.* 5. *tit.* 9. *lib.* 5. *Compilat.* Ant. Gamma *deciſ. Portug.* 89. *num.* 1. *& deciſ.* 176. *num.* 1. *& deciſ.* 207. *num.* 10. *& deciſ.* 220. *num.* 2. Garcia *de conjug. ac quæſtu num.* 159. Barboſa in *l. ſi cum dotem* 23. *§. ultim. num.* 13. *&* 14. *D. ſol. matrim.* Marius Muta in *conſuetud. Senat. Panormit. cap.* 44. *num.* 59. Giurba *ad conſuet. Meſſan.* 1. *part. cap.* 1. *gloſſ.* 1. *num.* 27. *& cap.* 16. *gloſſ.* 2. *num.* 2. Noviſſime, poſt ſcripta hæc, viſus, & in uſum ſemper ſcribens, videnduſque D. Olea *tract. de ceſſ. jur. tit.* 4. *quæſt.* 8. *num.* 8. Arias de Meſa *lib.* 3. *var.* 22. *num.* 5. *&* 9. Plures in *addit. Menæ ad Gammam dict. deciſ.* 89. Valdeſii *ad Suarium in dict. l.* 1. *tit. de las ganancias*, *num.* 1. Barboſæ in *dict. cap.* 2. *num.* 9. *de donat. inter.* licet, eo ipſo caſu matrimonii putativi, diverſum ſit, in lucro dotis, quod, ex pacto, habiturus erat maritus, ſi matrimonium conſtaret, *l.* 1. quam ita cordatiores accipiunt, *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* junctis traditis à Rolando *de lucro dotis*, *quæſt.* 97. *num.* 6. Phanucio *eod. tract. gloſſ.* 3. num. 14. *&* 19. Baeza *de decima tutor. cap.* 12. *num.* 17. Giurba *ubi ſupra*, *gloſſ.* 9. *num.* 19. *& ſeqq.* ſi tamen bona fides ſolius mariti fuerit, mulierque, impedimenti conſcia, ei decepto nupſerit, & cohabitaverit, ceſſat, quod ad mulieris commodum attinet, communicatio conjugalis, ac quæſtus, non eo ſolo reſpectu, ne quid ipſa participet, ex lucris, viri induſtria quæſitis, quod indubium, quia ei ignoranti favemus, non decipienti, in matrimonio putativo, *l.* 4. *tit.* 6. *de las herencias*, *lib.* 3. *fori.* juncta *l. ſi cum dotem* 22. *§. ultim.* ibi: *Si mulier in conditione mariti erraverit, putaveritque, eſſe liberum, cum ſervus eſſet*, *D. ſolut. matrim. l.* 3. *Cod. eod. tit. l. Si concubina* 17. *D. de act. rer. amotar. l.* 50. *tit.* 14. *part.* 5. Quorum argumento, probat hoc ipſum Rod. Suarez in *dict. l.* 1. *tit. de las ganancias*, *num* 17. *& ſeqq.* Covarr. Matienço, & Phanucio, jam laudati, Eman. Coſta in *cap. Si pater*, 1. *part. verb. Uxorem*, *num.* 5. *&* 6. *de teſtam. lib.* 6. Noſter Solorçano 2. *tom. de Ind. Gubern. lib.* 2. 5. 21. *num.* 63. In quo labitur, & quidem inconſpecte, ſola unius conjugis bona fide contentus, in hac re; eſt, Giurba, *locis nuper laudatis*, *dict. gloſſ.* 1. *cap.* 1. *num.* 28. *&* 30. *& cap.* 16. *gloſſ.* 2. *num.* 2. Sed, quod eſt amplius, eo etiam reſpectu, ut maritus deceptus, quæ communi induſtria parta ſunt, habeat in ſolidum, & ex lucris, mulieris ſolius induſtria quæſitis, partem ſuam ferat, eamque vel retineat, vel repetat, per exceptionem, aut actionem doli. Id porro, & eleganter firmatur ex *d. l. A Divo* 58. *l. penult.*

l. penult. §. *ultim. D. quod falſo tutore*, juncta *l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt. l.* 50. *cum l. ſeq. tit.* 14. *part.* 5. ex quibus ita, in terminis illationis noſtræ, Barboſa in *l. ſi cum dotem* 23. §. *ult. num.* 12. & 18. *D. ſolut. matrim.* Conducit quod eſt traditum, earumdem legum argumento, ignorantem maritum, deceptumque à muliere, quæ, impedimenti conſcia, ei nupſit, poſſe actione de dolo, ſive, ut nos credimus, utili de dote, ad ſimilitudinem Edicti de dolo, ſervare, aut perſequi jure, & nomine ejus, quod intereſt, lucrum ex dote, quod ex pacto habiturus foret, directa actione, ſi nuptiæ conſtitiſſent, ceſſante, in hac ſpecie, conſtitutione, *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* quam ita coangustant, ex *d. l. A Divo* 58. *dict. l. penult.* §. *ultim. D. quod falſo tut.* Baldus, ſe à Bartolo didiciſſe, agnoſcens in *dict. l.* 1. &, poſt Romanum, Alexander in *dict. l. ſi cum dotem* 5. §. *ultim. num.* 3. nec diſſentiens effectu, Caſtrenſis *num.* 2. Phanucius *de lucro dotis*, *gloſſ.* 3. *num.* 22. Barboſa in *d. l. ſi cum dotem*, §. *ult. num.* 12. & 17.

8 Ex eadem ratione Juris, expreſſa in *dict. l. A Divo* 58. *dict. l. penult.* §. *ult. D. quod falſo tut.* primus forſitan in commune doceo, & deduco, ut quamvis dici ſoleat, privilegia matrimonii juſti, quæ dotis, aut ſaltem mulieris, favorem non reſpiciunt, ceſſare in matrimonio putativo, nec quaſi marito indulgeri; ut ex *l. ſi concubina* 17. ubi Bartolus *D. de act. rer. amotar. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* pro explorato ſupponunt, poſt Alexandrum in *dict. l. ſi cum dotem* 22. §. *ultim. num.* 3. & Accurſianos alios *inibi*, P. Barboſa *num.* 18. & 19. late Tiraquell. *poſt connub. gloſſ.* 8. *num.* 235. & *ſeqq.* Rod. Suarez *in dict. l.* 1. *de las ganancias ex num.* 9. & 16. & laudati à Valdeſio in *addit. Andr. Fachin. lib.* 10. *contr. cap.* 30. (qua tamen de aſſertione nunc non cenſeo, nec percenſeo privilegia, ſeu Jura, quæ ex ea aſſertione, putativo marito, & bonæ fidei, negare noſtri Practici ſolent, qualia & potiora diſcutiemus in *tractatu de donationibus*, *legatis*, *dotibus*, *inter injuſtos conjuges*, infra *hoc libro*) tamen, ea etiam traditione ſuppoſita, excipiendus omnino caſus ſit, quo mulier ſciens, prudenſque impedimenti, in matrimonium convenerit, & ignarum virum deceperit; quo poſito, nec dubitandum, indulgenda huic, decepto quaſi, marito ea ſingula jura, lucra, & privilegia, quæ marito juſto competerent, & conſervanda ei, per exceptionem doli, aut actionem, ex ſententia *d. l. A Divo* 58. *d. l. pen.* §. *ult. D. quod falſo tutore.*

Unde, ut hoc ſaltem exemplo interim rem firmemus, quamvis pluribus placeat, quaſi maritum etiam bonæ fidei, & illiciti conjugii inſcium, inſontemque, non tamen fruiturum lucro, ſeu jure retentionis dotis, propter adulterium quaſi uxoris, ut ex regula *dict. l. ſi concubina* 17. *dict. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* notarunt, poſt Accurſium, in *l. Conſenſu* 8. §. *Vir quoque*, *verbo*, *Sibi habere*, *Cod. de repud.* plures apud Tiraquell. *dict. gloſſ.* 8. *num.* 237. ſignanter Barboſa in *dict. l. ſi cum dotem* 22. §. *ultim. num.* 19. Giurba *ad conſuetud. Meſſ. dict. cap.* 16. *gloſſ.* 2. *num.* 18. Ar. de Meſa 3. *variar. cap.* 22. *num.* 14. Quibus favet proprie, & appoſite quod ſcriptum eſt in *l. ſi uxor* 13. §. *Sed etſi ea* 4. *D. ad leg. Jul. de adult.* accuſationem adulterii, jure mariti, non permitti etiam quaſi marito bonæ fidei (qualem in *dict.* §. *ſed etſi ea*, Gothofredus recte ſupponit) contra uxorem, cum qua inceſtum commiſſum, ſive quæ, contra leges, uxor eſt, quantumvis accuſari, jure extranei, poſſit. Conducit Macri ſimilis locus in *l. Marito* 24. §. *ultim. D. ad leg. Jul. de adult.* juncta *l. Filia* 48. §. 1. *D. de ritu nupt.* Papiniano, apud Auctorem *Collationis legum Moſaic. & Roman. tit.* 4. §. *Papinianus.* Tamen ſi non tantum innoxius conjugii illiciti, ſed in id etiam à muliere poſtea adultera, pellectus, & inductus ſit, non eſſe invidendum toties decepto jus, retentionis dotis ob adulterium. Congruit plane ſententiæ *dict. l. A Divo* 58. & firmari non male poteſt, ex *l. Qui pupillam* 7. illic: *Nec matrimonium eſt hoc, & poteſt adulterii accuſari. D. ad leg. Jul. de adulter.* Qua, in propoſito fere, utitur P. Barboſa in *l.* 2. *in princip. num.* 96. *D. ſolut. matrim.* Quamquam, ne plura jam, & ut Hiſpanum Jus Romano ſuccedat, eſt apud nos receptius, certiuſque omnino, etiam non decepto marito, ſed qui vel ſaltem inſcius, atque innocens illiciti conjugii fuerit, permittendam retentionem dotis, ob adulterium quaſi uxoris, quia noſtratium legum juſta ſeveritas, perinde animadverti in adulteram, in matrimonio putativo, voluit, ac ſi juſtum ratumque foret. Ut ex *l.* 81. *Tauri*, ubi Gomeſius *num.* 48. *l.* 4. *tit.* 20. *lib.* 8. *Compilat.* Gutierr. *lib.* 2. *Canonic. cap.* 12. *num.* 22. D. Præſes Covarr. *de ſponſal.* 2. *part. cap.* 7. §. 6. *in princip.* Barboſa in *dict. l.* 2. *num.* 94. & 95. Id quod etiam, communi Jure, verius cenſuere, poſt Gloſſam, in *cap. Plerumque*, *verbo non valebit*, *de donationib. inter*, alioſque, apud laudatos A. Barboſa in *dict. cap. Plerumque*, *num.* 6. Et Deciſum referens, Joannes Grivellus *deciſ. Dolana* 19. *num.* 6. 9

C A P U T X.

Ad Terentium Clementem libro 1. *ad legem Juliam, & Papiam. In l. Iniquiſſimum* 5. *D. de juris, & facti ignorantia.*

A R G U M E N T U M.

T*Erentii Clementis locus*, *applicitus* l. A. Divo 58. D. de ritu nupt. *in phraſi* illud, quam illud, *ſuppletur ſæpe magis*, *per Helleniſmum. Illuſtratur regula* l. Iniquiſſimum 5. *ratione*, & *exemplis*, *etiam ex Baſilicis. Inter quæ primum*, *ex* l. ult. D. de S. C. Syllan. *quæ & exponitur. Secundum*, *ex* l. 3. de tributor. act. *cum illius interpretamento. Tertium*, *ex* l. Si familia 5. D. ſi famil. furt. fec. dic. *cum aliis*, *pro queis dextræ*, & *diſtinctæ adnotationes. In* d. l. 5. *invulgatus obex detectus*, & *remotus. Familia interdum*, *de uno ſervo*, *aut duobus*, *tametſi per ſe*, & *proprie de pluribus. Quartum*, & *quia vulgare*, *levi manu*, *tactum*, *in* l. is qui 9. D. quæ in fraud. creditor.

1 EXtat in *l. Iniquiſſimum* 5. *D. de juris*, & *facti ignorantia*, inſignita juris regula, ex *lib.* 2. Terentii Clementis *ad legem Juliam*, & *Papiam*, quæ fugitiva ab hoc tractatu videri poſſit, niſi jungatur his, quæ nuper ſcripſimus. Conſtat autem, Terentium Clementem illo *lib.* 2. & 3. *ad leges noſtras*, interpretatum fuiſſe ea capita Juliæ, Papiæque legum, quæ ad matrimonia, & adjacentia pertinent, ut colligere eſt, ex inſcriptionibus *l. Non cogitur* 21. *D. de ritu nupt. l. Sive* 61. *D. de jure dot. l. So.eri* 146. *Digeſt. de verbor. ſignific.* quem & ordinem tenuiſſe veteres alios Juris Conſultos, in libris ad eaſdem leges, probavimus, perſpicue magis, ſupra in præfatione hujus libri; proinde, quantum arbitror, commodiſſime (Cujacio, & aliis ſilentibus) accommodanda verbis illis Juliæ legis, in noſtro capite, *ſciens dolo malo*, & jungenda præcedentibus eſt, ſententia *d. l. Iniquiſſimum* 5. ut ſit veluti ratio, generaliſque regula, deducta ex propoſitis, in *dict. l. A Divo* 58. Nam, cum ibi Senatori ignoſcatur, tribuaturque jus lucri dotis petendi, ob ignorantiam ejus, ſcientiamque libertinæ, quæ nocere iſti debet, ſicut & ignorantia ſua Senatori ſoli proficere, rectiſſime inde jam Terentius infert: *Iniquiſſimum videri cuiquam*, *ſcientiam alterius*, *quam ſuam*, *nocere*, *vel ignorantiam alterius*, *alii profuturam.*

ram. Quorum utrumque contra eſſet, ſi vel ignorantia Senatoris proficeret libertinæ, integram dotem recuperanti, vel ſcientia libertinæ noceret Senatori, ne lucrum habeat ex dote, ut in illicito matrimonio, bona fide utriuſque, contracto, juxta *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dator.*

2 Illud item levioris notæ, in gratiam tamen eorum, quos cupediæ iſtæ, & condimenta amœnioris doctrinæ capiunt, non prætermiſerim, extare, in verbis illis, *Scientiam alterius, quam ſuam*, exemplum, nondum vulgo notatum, Helleniſmi, ſive Hebraiſmi, Juris auctoribus uſitati, quo plerumque in his orationibus, *illud, quam illud*, ſubaudienda eſt vox *tam*, de quo nos ſupra *lib.* 1. interdum, & frequentius vox, *potius*, ſive *magis*, ut in præſenti, *ſcientiam alterius*, potius *quam ſuam*. Similia exempla plura ex noſtris; & profanis, ſacriſque libris, dabit Ant. Auguſtin. *lib.* 4. *emendat. cap.* 8. Juſtus Lipſ. *lib.* 5. *epiſtolic. quæſt. epiſt.* 23. *&* *lib.* 3. *hiſtor. Taciti anaot.* 12. Cujac. *ad Paul. lib.* 4. *ſentent. tit.* 6. *in fine.* Hillig. *ad Donell. lib.* 22. *cap.* 6. *litt. X.* Jacob. Guther. *lib.* 3. *de jure man. cap.* 25. Pamelius in *Tertullianum de velandis Virgin. cap.* 16. *num.* 130. Fr. Juretus in *Symmachum lib.* 1. *epiſt.* 89. P. Andr. Schottus *lib.* 5. *obſervat. human. cap.* 34. erudite ex noſtratibus, mihi publice, & privatim chariſſimus, D. Laurentius Ramirez de Prado, cui debebunt æternum Muſæ humaniores, deductæ ab eo ad Senatum, foliumque Togæ, in *Pentecontarcho cap.* 30. &, eis illaudatis, ut ſolent, novi exſcriptores *ſacrorum adverſariorum*, quæ docto P. Ludovico de la Cerda adſcribuntur, *cap.* 61. *num.* 12. *&* *cap.* 185. *num.* 2. Damus & nos, ejuſdem locutionis, & ſuppletionis verbi, *magis*, *aut potius*, ſicut apud Græcos Τὸ μᾶλλον, prætermiſſa illis exempla, & relicta nobis, velut ſpicas à tergo legendas, Ambroſium *lib.* 2. *de Virginib.* in initio: *Ne vel ſuſceptum deſeruiſſe munus, vel nobis arrogaſſe amplius videremur, exemplis, quam præceptis putavimus imbuendam.* Vegetium *lib.* 5. *de re milit. cap.* 11. *quatenus nos imperitiæ uſus inſtituit, quam altior doctrina firmavit.* Optatum Afr. *lib.* 3. *adverſus Parmenianum: Merito Paulus docet, orandum eſſe pro Regibus, & Poteſtatibus, etiam ſi talis eſſet Imperator, qui gentiliter viveret: quanto quod Chriſtianus; quanto quod Deum timens; quanto quod Religioſus; quanto quod miſericors?* Id eſt, *quanto magis.* Conſtantium Auguſtum, apud Ammianum Marcellinum, *libr.* 15. *Aucta gloria mea confiteor, qui juſtus in deferenda ſuperiori poteſtate, nobilitati mihi propinquæ, quam ipſa poteſtate, videor, eſſe ſublimis.* Et inferioris ævi ſcriptorem Joann. Sareſber. in *Polycrat. lib.* 2. *cap.* 27. *mendacii credendus erat, quam occultæ veritatis interpres.*

3 Sed de inſcriptione, & verbis ſatis: de re, & regula jam videamus, de qua etſi pluribus magnus Cujacius *ad tit. D. de juris, & facti ignorantia*, in *dict. l.* 5. nos tamen, non paucioribus, illuſtrabimus, & fortaſſe proprie, electeque magis. In primis autem ſciendum eſt, ſubnixam eſſe hanc regulam ratione illa naturalis æquitatis, quæ docet, ſui quemque facti, & doli pœnam ſubire, nec deberi alteri, per alterum, iniquam conditionem inferri. *l. Non debet* 74. *D. de reg. jur. l.* 1. *D. de alienat. judicii. l. Solvendo* 39. *D. de negot. geſt. l. In cauſa* 27. *D. de procurator. l. de pupillo* 5. §. *Si plurium* 5. *D. de oper. novi nunciat.* cum ſexcentis aliis. Redditur autem hæc eadem ratio, & conjungitur regula *l. Iniquiſſimum*, cum illa *l. Non debet* 74. *D. de regul. jur.* ab Anonymo Scholiaſte Baſilicon *lib.* 2. *tit.* 4. *ad dict. l.* 5. qui, ei explanandæ, utitur appoſito exemplo de duobus fratribus, quorum alter mortem fratris ſcivit, alter ignoravit, nempe ut ſcienti cedat tempus bonorum poſſeſſionis petendæ, & ignoranti non cedat, ac proinde neque ſcientia unius noceat alteri, neque ignorantia proſit, juxta terminos *l.* 1. *D. de juris, & facti ignorant.* juncta *l.* 3. *D. quis ordo in in bon. poſſ. ſerv.* cum *l. Servus* 7. §. *ult. D. de bonor. poſſeſſ.* de queis alii, & alibi.

4 Jam vero exempla conſentanea ei regulæ, nec vulgo adhuc, quod ſciam, nota, aut notata ſunt, quæ ſequuntur. Primum, neque à tractatu de ereptitiis noſtrarum Juliæ, Papiæque legum, prorſus alienum, ex *l. ultim. D. de S. C. Syllan.* ubi ſi, de pluribus hæredibus, quibuſdam invitis, aut ignorantibus, apertum ſit teſtamentum, ait Calliſtratus, non amittere portiones ſuas eos, qui culpa carent. Pertinet ea ſententia ad Edictum Prætorium, quo prohibetur, ne quis ſciens dolo malo, aperiendum, recitandum, deſcribendumve curet teſtamentum ejus, qui a familia occiſus dicitur, ante quæſtionem de familia habitam, & ſupplicium de noxiis ſumptum, *l.* 3. §. *Quod ad cauſam, cum* §§. *ſeqq. D. de S. C. Syllan.* & in eum, qui contra fecit, popularis actio eſt in centum aureos, ex eodem Edicto. *l. In cognitione* 13. *l. Lege* 25. §. *ultim. D. de S. C. Syllan.* Et hoc amplius, ſi aperturam adierit, eripitur ei hæreditas ex Senatus Conſulto, & Fiſco vindicatur. *l.* 3. §. *Non tantum. l. Neceſſarios* 5. §. *Non alias, D. de S. C. Syllan.* Apertura ſola ſine aditione coërcetur actione populari ex Edicto, non autem ereptione hæreditatis; quia nec eripi, ut indigno poteſt, quod non habet, quia nondum adiit. Ereptitii vel nomen ipſum, juſque, ſupponit præcedentem acquiſitionem relicti in eo, cui eripitur, ſive auferitur. Ergo ſi non modo ejus, qui a familia occiſus dicitur, teſtamentum apertum, ſed etiam hæreditas ex eo adita, ut Accurſius, claſſicique ſupponunt in *dict. l. ultim. D. de S. C. Syllan.* & in *l. Si ea* 3. *Cod. de his, quibus ut indignis.* & in *l. Marcellus* 3. §. *ultim.* Fulgoſius in hac re notat, ſi vocem, *vel*, accipias pro conjuncta, *D. ad S. C. Trebell.* & apertum teſtamentum ſit, quibuſdam ex hæredibus junctis, aut ignorantibus idcirco reſpondetur, non amittere portiones ſuas eos, qui culpa carent, quia pœna Edicti, eique conſequens pœna Senatus Conſulti, relata ad eum, qui ſciens dolo malo aperuit. *dict. l.* 3. §. *Quod ad cauſam*, prodocenda non eſt ad ignorantes, aut invitos, ne unius ſcientia noceat alteri, contra regulam noſtræ *l. Iniquiſſimum* 5. juncta *d. l. A Divo* 58. *cum l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.*

Secundum exemplum ſit ex *l. Sed ſi ſervus* 3. *D.* 5
de tributor. act. quo loci ſi alter ex duobus dominis communis ſervi, ſciat, eum in peculiari merce negotiari, alter ignoret, ſcriptum eſt, tributoriam actionem dandam in eum ſolum, qui ſcit. Itaque ſolus ſciens in tributum vocabitur, tanquam extraneus creditor, cum aliis creditoribus peculiaris mercis, nec utetur privilegio deductionis ejus, quod ipſi ſervus debet. *l.* 1. & paſſim, *D. de tributoria.* §. 1. §. *Licet* 20. *D. de exercitoria.* §. *Introduxit* 3. *&* §. *Cæterum* 5. *Inſtit. quod cum eo*; in ignorantem autem tributoria non dabitur, ſeu de peculio. *dict. l. Sed ſi ſervus* 3. quia iniquiſſimum eſſet, ſcientiam alterius domini nocere ignoranti, & auferre ei privilegium deductionis, quod tributoria conventus non haberet, & habet in de peculio. *l. Sed ſi damnum* 9. §. *Peculium* 2. *cum ſeqq. & toto tit. D. de pecul.* Porro quod traditur in *dict. l. Sed ſi* 3. ſcientem, conventum tributoria, deducere etiam in ſolidum quod alteri domino, qui ignoravit, debetur, & ſimiliter ignorantem in actione de peculio deducturum etiam in ſolidum, quod ſcienti debetur, non repugnat regulæ noſtræ, quaſi ſcilicet ignorantia unius proſit ſcienti ad deductionem; neque ex eo fit, ſed propria, & eleganti in ſingulis ratione, & quidem eo, qui ſciens fuit, convento tributoria, quia convenitur in ſolidum, nec pro ea parte ſola, quam ipſe in peculiari merce habet, ſed etiam pro ea, quæ ad dominum ignorantem pertinet, exemplo actionis de peculio, inſtitoriæ, exercitoriæ, & quod juſſu, *l. Et ancillarum* 27. §. *ult. D. de pecul. l. Habebat* 13. §. *ult. D. de inſtitor. l.* 1. §. *ult. cum l.* 2. *D. de exercit. l. ult.* §. *ult. D. quod juſſu.* quod peroptime in tributoria evinci, ex *d. l. Sed ſi* 3. admonuit ibi, contra Accurſium, Fulgoſius noſter, poſt Jacobum de Arenis. Unde & æquum viciſſim eſt, ut qua ratione convenitur ſciens ex perſona,

perſona, & pro parte ſocii ignorantis, pari ratione ex eadem perſona, & parte, poſſit deducere quod ignoranti ſocio debetur. *l. Si noxali* 11. §. *ult. D. de pecul.* in ignorante autem, convento actione de peculio, deductio ejus, quod ſcienti debetur, ſuſtinetur; tum ex illa æquitatis, & æqualitatis ratione, quia cum de peculio conveniatur in ſolidum, hoc eſt pro ea etiam peculii parte, quæ ad ſcientem pertinet, permittendum ei eſt, ut deducat, quod ſcienti debetur, ut ex Juliano *lib.* 12. *Digeſtorum*, proponitur in *d. l.* 3. *in fine*, & in *d. l. Si noxali* 11. §. *ult.* tum etiam, *quoniam*, ut ſcriptum eſt in *d. l.* 3. *de peculio convenitur*; jus autem ex natura actionis de peculio ea eſt, ut præceptio, ſeu deductio ſit ejus, quod debetur ei domino, qui convenitur, aut alteri, cujus ex perſona tenetur, & quidem ſine diſtinctione ſcientiæ, vel ignorantiæ, *d. l. Si noxali* 11. §. *ult. l. Sed ſi duobus* 15. *D. de pecul. l.* 1. *D. de tributor.* adeo ut vel ipſe ſciens, conventus actione de peculio, deducere poteſt ſolidum, quod ſibi debetur. *d. l.* 3. *in fine princ.* Sibi itaque, & expenſæ ratione æqualitatis, ſive naturæ actionis electæ, non autem ignorantiæ unius, quaſi alii proficiat, imputare debet creditor, ſi privilegium deductionis patiatur in ſpecie *dict. l.* 3. quia cum poſſet tributoria in ſcientem agere, pro ea parte peculiaris mercis, quæ ad eum ſolum pertinet, quo caſu deductionem non pateretur, maluit, vel tributoria in ſolidum contra ſcientem, vel de peculio contra ignorantem, aut ſcientem experiri. §. *Cæterum* 5. *Inſtit. quod cum eo. l. Quod in hærede* 9. §. *Eligere*, *D. de tribut.* Adjicimus, rei firmandæ, ſummam ejuſdem *l.* 3. *ex Baſilicis lib.* 18. *tit.* 2. *cap.* 3. cujus hic planior, quam in Latinis, contextus eſt: *Si vero qui contraxit, ignorantem convenerit, ſupra dicta actio, ſcilicet tributoria, locum non habet, ſed actio de peculio: & quod utrique debetur in ſolidum deducitur, nam idem quoque ſervatur, ſi is, qui ſcit, conveniatur actione de peculio.*

6 Tertium exemplum ſit, ex *l. Si plurium* 5. *l. Si communis* 9. *l. Si ex duobus* 17. *D. de noxalib. act. l. Familia* 5. *D. ſi famil. furt. feciſſe dicat.* quibus locis proditum eſt, ſi plurium dominorum ſervus, familiave communis deliquerit, uno ex dominis ſciente, & altero ignorante, in eum quidem, qui ſcit, dari actionem in ſolidum, detracta noxæ deditione; in ignorantem vero noxalem, vel ſi delictum furti ſit à familia facti, ſcientem quidem teneri omnium, & ſingulorum ſervorum nomine, tanquam ſi plura furta ſint, ignorantem vero dumtaxat, quaſi ex uno furto, omnium ſervorum nomine, ſive, quod idem eſt, tanquam ſi unus liber furtum feciſſet, ex beneficio Edicti Prætorii. *l.* 1. & *toto tit. D. ſi famil. furt. fec. dic.* Proinde nec ſcientia unius domini nocet ignoranti, ut vel teneatur ſine noxæ deditione, vel ſingulorum nomine, quaſi ex pluribus furtis, nec ignorantia alterius prodeſt ſcienti, ut fruatur facultate, dedendi noxæ, de qua in *l. Si in re* 19. *D. de noxalib. l. Supra* 11. §. *Officium*, *D. de aqua*, & *aquæ pluv.* facit, quin locus ſit regulæ noſtræ *l. Iniquiſſimum.* 5.

7 Sunt autem duo, vel properanter, & breviter adnotanda, expediendis, ne quem morentur, ſuperioribus Juris locis. Unum eſt, ignorantem, ſi conveniatur, vel ob noxam communis ſervi, *actione noxali*, vel ob furtum communis familiæ, ex Edicto, *ſi familia furtum feciſſe dicatur*: dimidium ejus, quod præſtiterit, poſſe a ſocio ſciente conſequi. *dict. l. Si communis* 9. *in fine. l. Si ex duobus* 17. *D. de noxalib. l. Familia* 5. *verſ. Et ſi ſervus*, *D. ſi famil. furt. feciſſ. dic.* Scientem autem, ſive ſervi, ſive familiæ communis nomine, conventus, præſtiterit, conſequi partem poſſe à ſocio ignorante; ſi tamen ipſe, ut ponimus, ſcivit, & prohibere etiam potuit, non tamen juſſit, *d. l. Si ex duobus* 17. *D. de noxalib. dict. l. Familia* 5. *verſic. Quod ille*, & *verſic. Sed non amplius*, alioquin ſi juſſit, nihil à ſocio repetit, quia ſui proprie facti pœnam ſuffert. *dict. l. Si ex duobus* 17. *verſic. Illud. dict. l. Si communis* 9. quam ita interpretandam de ſciente, ſimulque jubente: argumento ex *l. Sed & eo* 10. quæ ſtatim ſequitur, & conciliandam ea diſtinctione, cum *dict. l. Familia* 5. docent Scholiaſtæ Græcanici *lib.* 60. *Baſilicon tit.* 5. *in dict. l.* 9. & 17. &, poſt Accurſium, Latini omnes veteres, & noviores conſtanter, ſi Fulgoſium excipias, dubitantem, nec diſſentientem, ad *d. l. Si communis* 9. & *d. l. Si ex duobus* 17. *num.* 1. & 2.

Alterum, & Latinis ignotius, eſt, quod diximus, 8
poſſe ſcientem, qui non juſſit, partem conſequi à ſocio ignorante, intelligi varie oportere, pro varietate noxæ; qua de agitur; nam ſi ea fuerit ſervi unius communis, & conventus ſine noxæ deditione, qui ſcivit, litis æſtimationem præſtiterit, puta duplum ex furto ſervi, conſequetur ab ignorante ſocio non partem totius litis æſtimationis, ſed partem pretii ipſius ſervi, quem vel ipſe innocens, ignoranſque, in noxali judicio dedere cogeretur, niſi litis æſtimationem ſubire mallet. *dict. l. Si ex duobus* 17. *verſic. Ipſi tamen.* Sin autem furtum fuerit familiæ communis, & conventus, qui ſcivit, ſine beneficio Edicti, omnium ſervorum nomine, pro ſingulis duplum præſtiterit, conſequetur à ſocio ignorante, non partem pretii unius ſervi, ut in ſuperiori ſpecie, quia ex Edicto de furto, à familia facto, non liberaretur ignorans, deditione unius ſervi, ſed vel omnium, vel æſtimationis litis pro uno. *dict. l.* 1. *D. ſi famil. furt. fec. dic. l. Illud* 32. *D. ad leg. Aquil. l. Si familia* 9. *D. de juriſdict.* juncta *l. Quod ait* 31. *D. de noxalib. l.* 3 §. *ultim. D. de publicanis*; neque dimidium univerſæ litis æſtimationis, quam ſubiit, totius familiæ nomine; quia, ex beneficio Edicti, non tenetur ignorans, totius familiæ nomine, *dict. l. Familia* 5 *in princip. verſic. Quod ille*, quem ita Accurſio, & aliis, ſine cauſa nutantibus, referunt ad ſcientem *Baſilica lib.* 60. *tit.* 15. & ex eis, tametſi non laudatis, Cujacius *lib.* 6. *obſerv. cap.* 1. & *lib.* 22. & 39. *ad Edictum Pauli in l.* 9. & 17. *D. de noxalib.* Sed non amplius conſequetur ſciens ab ignorante, quam ſi, unius nomine, præſtitiſſet. *dict. l. Familia* 5. *verſic. Sed non amplius*; hoc eſt, conſequetur *partem*, ut *in principio ejuſdem legis* dicitur, æſtimationis litis, quam, unius ſervi nomine, tanquam pro furto, ab uno facto, præſtare ignorans cogeretur. Ea enim eſt in his ſpeciebus æquitas, & æqualitas repetitionis, ut quatenus ignorans, pro ſua parte, & perſona, & ſepoſita noxæ individuitate, teneretur, ex furto communis ſervi, aut familiæ; hactenus ſciens, qui ſolvit, ab ignorante repetat, vel partem pretii ſervi, in furto ſervi communis, vel partem litis æſtimationis, furti unius ſervi, in furto familiæ communis, notat Anonymus interpres *Baſilicon dict. lib.* 60. *tit.* 15. *in d. l.* 5.

Illud, indictum adhuc, & inauditum forſitan vul- 9
go, ideoque non prætereundum, eſt, quod in dicta *l. Familia* 5. *verſic. Si ergo:* quæſtio eſt de furto, facto à duobus dumtaxat ſervis communibus; & tamen ita verba ſunt, ut ſupponant, dominum ignorantem teneri dumtaxat, ut duplum præſtet, ac ſi unus liber furtum feciſſet. Id autem obſcurum eſt; quia conſtat, duos ſervos non facere familiam. *l. Deſtatio* 40. §. *ultim. D. de verbor. ſignific.* quin potius tres, ad minimum, ſervos conſtituere familiam, argumento ex *l.* 1. *D. de optione, vel elect. leg.* & ut plurimum quindecim, ex vulgari taxatione Apuleji *apolog.* 1. *pro ſe ipſo*; ergo, etiam extra cauſam furti, a familia facti, ignorans dominus duorum ſervorum communium, non tenetur, niſi unius nomine duplum præſtet: & ſuperior diſtinctio inter furtum ſervi communis, & furtum familiæ, quoad repetitionem ſcientis, quamvis recte applicetur principio *dict. l. Familia* 5. non tamen verſiculo, *Si ergo*, ejuſdem legis. Hæc ut intelligantur, monemus, prævunte Alberico, in *l.* 1. *D. ſi familia furt. fec. dic.* tametſi idem ſecus, & ſequius in *d. l. Familia* 5. appellationem familiæ in eo Edicto, duorum etiam ſervorum numero contentam eſſe, ut vel invito cuivis evincit Marcellus, in *dict. l.* 5. *verſic. Si ergo*, qui ſingularis eſt in hanc rem. Neque id ſine ratione,

ne, aut exemplo; quia quamvis nihil *facilius*, ut Cicero ſcribit in *Orat. pro Cæcinna*, *quam probari iis, qui latine ſciunt, in uno ſervulo familiæ nomen non valere, neque dubium eſt, quin ſi, ad rem judicandam, verbo ducimur, non re, familiam intelligamus, quæ conſtet ex ſervis pluribus, quin unus homo familia non ſit; verbum certe hoc non modo poſtulat, ſed etiam cogit*; interdum tamen *ratio Juris, & Prætorum voluntas, & hominum prudentum conſilium, & auctoritas*, contra ducunt, faciuntque, ut vel in uno ſervo, aut ſaltem duobus, teneat familiæ nomen, *non quod idem ſit ſervulus, quod familia, verum quia non quibus verbis, quidque dicatur, quæritur, ſed quæ res agatur*. Exemplum nobile in, *unde vi*, Interdicto, cujus in verbis illis, *aut familia tua dejecit*, cum quæreretur, quem ſervorum numerum familiæ appellatio contineret, utrum plurium, an vero & duum, vel trium: placuit jam olim, etiamſi unus ſervus vi dejecerit, familiam, videri, dejeciſſe. *leg.* 1. §. *Sed quæritur* 17. *D. de vi, & vi arm.* &, ut Cicero inibi loquitur, *tam reſtitues, ſi unus ſervulus, quam ſi familia dejecerit univerſa; non enim alia cauſa eſt æquitatis in uno ſervo, & in pluribus*. Itaque non immerito Paulus *lib.* 5. *ſentent. tit.* 6. *de interd.* §. *Non tantum* 3. pro indubitato, & recepto ponit, in, *unde vi*, Interdicto, etiam duos ſervos, familiæ nomine, contineri, cum & contineatur unus, Cicerone, & Ulpiano teſte; quin & Græcis Juriſperitis, *lib.* 60. *tit.* 17. *ad dict. l.* 1. §. 17. *D. de vi, & vi*: ergo & eadem ratione in Edicto, de quo nunc quærimus, *ſi familia furtum feciſſe dicatur*, pertinet appellatio familiæ, vel ad duos dumtaxat ſervos; quia non eſt minor æquitatis ratio, imo fortaſſe, inopiæ, aut frugalitatis intuitu, major in eo, qui non plures, quam duos ſervos habet, ne ob eorum furtum utrumque noxæ dedere, aut, pro ſingulis, litis æſtimationem ſufferre, cogatur, & tantillo patrimonio cadat, quam ſi plures ſervos haberet. Plane ubicumque hæc ratio æquitatis non eſt, & proprietatem verbi ſequimur, certa, & recepta definitio eſt, *dict. l. Deteſtatio* 40. §. *ultim.* quæ docet, unicum ſervum, familiæ appellatione, non contineri (niſi juxta luſum Phædri liberti *de Æſopo lib.* 3. *fabul. Æſopus domino cum eſſet ſolus familia*) nec duos quidem familiam facere, ut in Edicto *vi bonorum raptorum*, & *de incendio, ruina, naufragio*, ad quod referenda *dict. l. Deteſtatio* 40. utpote *ex lib.* 56. Ulpiani ad Edictum, ex quo & ſunt *l.* 2. & 4. *D. vi bonor. rapt. l.* 1. & 3. *D. de incend. ruin. naufrag.* Et in utroque Edicto ſervus à familia diſtinguitur *dict. l.* 2. §. *Vi bonorum* 19. *l.* 4. §. *penult. D. vi bonor. rapt. l.* 1. *D. de incend.* &, familiæ nomine, ſignificatur non unus, duove ſervi, ſed corpus quoddam, cœtuſque ſervorum. *l. Pronunciatio* 195. §. *Servitutum, D. de verbor. ſign.* Eſt itaque alia propria, & alia arbitraria uſurpatio verbi, *Familia*, variaque numeri ſervorum, qui familiam faciunt, taxatio pro re, & inſtituto. Sic & *turba*, Servio in *Virgil.* 10. *Æneid.* eſt *multitudo*, & Nonio Marcello in ea voce, *populi conventus*; & ut de *cœtu*, Seneca *lib.* 3. *contr.* 8. *non ſi una viciniæ coit, aut ſi tranſeuntium paucorum numerus affluxit, ſed ubi totus, aut ex magna parte populus, ſive multitudinis magnæ nomen eſt*. Sive denique, ut Ulpianus definit, in turba factum accipimus, non utique ſi duo fecerint, *quia duo, turba non proprie dicentur*; ſed ſi plures fuerunt, *decem, aut quindecim homines, turba dicetur. l.* 4. §. *Turbam* 3. *D. de vi bonor. raptor.* & tamen vel de tribus interdum *turba* dicitur, ut idem Servius notat ad illud 3. *Æneid.*

Turba ſonans prædam pedibus circumvolat uncis.

Vel de duobus ſolis, ut Deucalion, apud Ovidium 1. *Metamorphoſ.*

Terrarum, quaſcumque vident Occaſus, & Ortus
Non duo turba ſumus.

Quartum ejuſdem regulæ exemplum, ſuperiori- 10
buſque expeditius, licebit, colligas *ex l. Is qui* 9. *D. quæ in fraud. credit.* Ubi ſi is, qui à fundatore debitore, cujus bona ex Edicto poſſeſſa ſunt, ſciens rem emerit, & poſtea alii ignoranti, & bona fide ementi vendiderit, reſponſum eſt, ex Sabini ſententia, non teneri, ſecundum emptorem, actione Pauliana, quæ datur in emptorem ſcientem, fundationis participem, qualis fuit primus emptor, qui & Pauliana tenetur in ſolidum pretium rei, quod accepit. Enim vero hujus reſponſi ratio ea redditur, quia dolus ei dumtaxat nocere debet, qui eum admiſit. *l.* 4. §. *de auctoris* 27. & §. *Auctoris* 31. *D. de doli except. l. Sed & ſi* 7. §. *Prætor, D. de Publiciana.* Reddi & poteſt ex noſtra regula; quia iniquum eſſet, primi emptoris ſcientiam nocere ſecundo, ignoranti, vel hujus ignorantiam prodeſſe ſcienti. Similia exempla colliges ex *l. Eum qui* 18. *Cod. ad l. Jul. de adulter.*

C A P U T XI.

Ad leg. Iniquiſſimum 5. D. de juris, & facti ignorantia.

A R G U M E N T U M.

Conſentaneis, quæ diximus, ad regulam dict. l. 5. *adduntur diſſentanea. Primum*, ex l. Liberis 7. §. Si duo 3. D. de liber. cauſa. *Cui tamen, fere ex diametro, opponitur* lex ultim. D. quib. ad libert. proclam. non lic. *Rei explicandæ, & componendæ, præmiſſa aliqua; & refutata ex Baſilicis, Connani, aliorumque interpretatio. Subſcribitur potius Cujacio, poſt Irnerium, Martinumque. Non ſemel Juriſconſulti, dum velut dubitant, aut interrogant, affirmant. Objicitur rurſus, & exponitur* lex Non ſolus 22. §. Sed & ſi 2. D. de liber. cauſa. *Denique & replicatur* ex d. l. Liberis 7. §. Si quis 2. *cum pleriſque aliis, quibus in pari cauſa pro libertate deciditur. At reſpondetur, ſine agnitione Tribonianiſmi, aut antinomiæ ſubniti* §. ſi duo, *propria ratione, quæ & redditur. Secundum diſſentaneum eſt, ex* l. item 7. §. proinde 7. D. de S. C. Macedon. *Cujus in priore parte ſpecies, & intellectus planior. Non item in ſecunda; quamquam & ea proprie intelligitur ex ſeveriori Jure, atque ejus ratione. Omiſſa, aut intermiſſa alia, & in eis* lex Nec ſupina 6. D. de juris, & facti ignorantia.

1 Conſentiunt quæ expoſuimus, ac veluti conſciſcunt cum ratione Juris, & regula *dict. l. Iniquiſſimum* 5. Nunc jam, ut &, quæ diſcrepare ab ea videntur, explicemus, animadvertimus in primis, pertinere proprie ad hanc regulam, nobilem, inter veteres Juriſprudentes, diſputationem, de duobus emptoribus liberi hominis, ſe venire patientis, ad pretium participandum, quorum emptorum alter, liberum hominem ſcit, eſſe, qui venditur, alter ignorat. Præmonemus autem in emptore liberi hominis, ut emptio teneat, deſiderari Jure bonam fidem, hoc eſt, ut ignoret, liberum eſſe eum, qui venditur; quippe ſi ſciat, nulla emptio eſt, *l.* 4. 5. & 6. *l. ſi in emptione* 34. §. *Liberum. l. Liberi* 70. *D. de contrab. empt. l. Licinius* 4. *verſic. Reſpondit, D. quibus ad libert. proclam. l. Minor* 39. §. *Pater, D. de evict. l. ſi tibi* 25. *Cod. eodem tit.* & emptore ſciente, non fit ſervus, qui venditur, ſed liber manet. *l. Liberis* 7. §. *ſi quis ſciens* 2. *l. Imo* 16. §. *Tunc habet. l. Qui ſciens* 33. *D. de liberal. cauſa. l. Scientis* 6. *Cod. de ingen. manum. dict. l. Licinius* 4. *verſic. Reſpondit*; quia quamvis & eo caſu, quo emptor ſcit, indignus libertate ſit, qui libertatem pretio poſthabuit, & major viginti annis, ad pretium participandum, ſe venundari paſſus eſt, tamen & indignus emptor, cum ſervum habere, cujus libertatem ſciens opprimere voluit, impia,

& degeneri

& degeneri mercatione, quæſtuque deteſtabili, ut ſcriptum alibi eſt, in *l. unic. §. Similique, Cod. de latina libert. toll. l. Fœdiſſimam 7. Cod. de poſtlim. rev.* Unde & in pari cauſa indignitatis, ſeu turpitudinis, potior eſt poſterior, & conſequenter liber homo, qui in quaſi poſſeſſione ſuæ libertatis eſt, *l. 3. l. penult. D. de condict. ob turp. cauſ. l. ultim. D. de condict. ſine cauſa. l. Cum par 154. D. de reg. jur.* & favorabilior eonditio libertatis, & liberationis, quam ſervitutis, & pœnæ. *l. Arrianus 47. D. de obligat. & act. l. Inter 38. D. de re judic.*

2 Eo ſuppoſito, in propoſita ſpecie quæritur, an propter emptorem, qui liberum ſcit, venditio non teneat, nec denegetur libero homini ad libertatem proclamatio, an potius propter eum, qui ignorat, & venditioni, & ſervituti locus ſit, ſive quatenus in ea hypotheſi, ignorantia, ſcientiave unius emptoris alteri proſit, vel noceat? In qua quæſtione, Paulus in *l. ultim. D. quibus ad libertatem proclam.* conſequenter regulæ noſtræ affirmat, hominem venditum fieri ſervum, non tamen ejus, qui ſcit, ſed tantum alterius, ac proinde neque ſcientiam unius emptoris nocere ignoranti, neque ignorantiam alterius prodeſſe ſcienti. E contro autem Ulpianus in *l. Liberis 7. §. ſi duo 3. D. de liber. cauſa*, reſpondet in *verſic. Sed enim* in fine, evenire, *ut ei proſit qui comparavit ſciens, quod alius ignoravit*; ſentit itaque, ignorantiam unius prodeſſe alteri ſcienti, & utriuſque emptoris ſervum effici eum, qui venditur. Quod à Paulo, & à regula noſtræ *legis Iniquiſſimum 5.* diſcrepat toto cœlo; nec probari facile poteſt, probata interdum noſtris Academicis, conciliatio Connani, *lib. 2. comment. cap. 1. num. 6.* aliorumque, ſic Ulpiani extremum verſiculum in *dict. §. ſi duo*, exaudientium, ut ſenſus ſit, evenire, ut *ei*, ſcilicet ignoranti emptori, *proſit illo, qui comparavit ſciens, quod*, id eſt, quia alius ignoravit, ut proinde ſcientia alterius, non tam ex ſe proficiat alii ignoranti, quam ex eo quod alius ignoravit, & conſequenter dignus eſt, quia ignoravit, ut vel in ſolidum habeat ſervum eum, cujus pars ad ſcientem pertinere non poteſt. Non probanda, inquam, hæc expoſitio, quamvis ſecure admiſſa Hottomano ad *§. Servi 4. enunc. 3. Inſtit. de jure perſonarum.* Fabro in *Juriſprud. tit. 3. princip. 4. illat. 3.* & aliis; nam præterquam quod & durior eſt, quia juxta eam ſcribendum eſſet, in *dict. §. ſi duo, quod ipſe ignoravit*, non ut ſcriptum eſt, *quod alius ignoravit*; repudiatur aperte in libris Juris Baſilicon, ubi ſententia *dict. §. ſi duo*, ſic ſummatim exprimitur *lib. 48. tit. 8. ſi duo emerint, alter quidem ſciens, alter vero ignorans, ignorantia unius etiam ei, qui ſcit, prodeſt.* Et in eiſdem libris in tranſlatione ad verbum, quam vocant τὸ κατὰ πόδας, ſic ſcriptum eſt in fine *dict. §. ſi duo*, vertente Gentiano Hervetto: *eveniet ergo, ut unius ignorantia proſit ei, qui ſcit, & habeat dimidium ſervi.*

3 Hæret in re explicanda Fr. Balduinus, & diſſenſionem, inter Paulum & Ulpianum, fere agnoſcit in *Juriſprud. Mutiana pag. 225.* Ego autem in primia illud obſervo, quod nondum ſatis vulgo obſervatum, conſentire cum noſtra regula Ulpianum in *dict. §. ſi duo*, & Paulum in *dict. l. ultim.* in eo ſaltem, quod unius emptoris ſcicotia non noceat alteri ignoranti; id enim magis eſſe, affirmat Ulpianus, in *principio dict. §. ſi duo*, & conſequenter, ut propter emptorem, qui ignorat, venditio teneat, & venditus fiat ſervus, ut interrogative, & quaſi dubitans, Paulus ſcribit in *dict. l. ultim. verſic. Sed propter*, & ſapienter interrogando docens, ſuo, & Socratico, ſive Academico more, verecunde decidit illud ipſum affirmative, de quo interrogat, ut Papinianus alibi, ſive Ulpianus, in *l. Papinianus 43.* in fine, *D. ad S. C. Trebell. Interrogare ſapienter*, eſt docere: *Et ſi alter ſit, qui interrogat, alter qui docet, ex uno tamen ſapientiæ fonte utrinſque ſenſus procedit*, ait Carolus Rex, apud Alcuinum, ſive Albinum, in *Dialogo de Arte Rhetorica*; ſive, ut appoſite magis, Fabius Quintil. *libr. 9. Inſtitut. Orator. cap. 2. Interrogamus etiam*, interdum, *quod negari non poſſit.* Eo itaque, in quo Paulus & Ulpianus conſentiunt, ſuppoſito, nempe, ſcientiam unius non nocere ignoranti, proinde & venditionem tenere, & venditum fieri ſervum, ſequitur propria magis, & ambigua quæſtio, an ſcilicet ignorantia alterius proſit ſcienti; ſive, an eo uſque venditio teneat, & venditus efficiatur ſervus, ut fiat utriuſque emptoris pro parte, an vero ſolius ignorantis, & in ſolidum. Ulpianus vult, utriuſque fieri, & ignorantiam unius prodeſſe ei, qui ſciens comparavit, *dict. §. ſi duo* in fin. Paulus fieri quidem ſervum, ſed non etiam ejus, qui ſcit, ſed tantum alterius, *dict. l. ultim.* in fine. His conciliandis, idoneior nulla diſtinguendi ratio, quam quæ præmonſtrata ab Irnerio, Martinoque, apud Accurſium in *dict. §. ſi duo, verbo, Ignorans*, Alberico in *dict. l. ultim.* & ex eis certe, poſt eos, propoſita Cujacio ad noſtram *leg. Iniquiſſimum 5. ſub tit. de jur. & facti ignorantia*, & aliis novioribus, diſtinguendum eſſe, an emptor quiſque pro parte emerit, an in ſolidum, quomodo in non diſſimili ſpecie diſtinguitur, in *l. Cognitio 8. §. 1. D. de liberal. cauſa.* Namque ſi unuſquiſque emptor partem liberi hominis emerit, ſive, ut proponitur in *dict. §. ſi duo ſimul emerint partes*, non ſolum ſcientia unius non nocet ignoranti, ſed è contrario, quod plus eſt, ignorantia unius, ſive quod unus ignoravit, prodeſt ei, qui ſciens comparavit; id ex eo evenit, quia cum, pro conſtanti, ſuppoſitum ſit, venditionem valere, & venditum fieri ſervum debere, & tamen nec venditio, nec ſervitus pro parte poſſint induci, quoniam individua utriuſque natura eſt, *l. ſi pariter 9.* in fine, *D. de liberali cauſa, l. Cum ex cauſa 139. D. de verbor. oblig.* & rurſus qui ignoravit, partemque emit, non poſſit majorem partem dominii in ſervo habere, quam ipſe emit, conſequens eſt, ut venditio, ſervituſque in ſolidum conſiſtant, partem ſcienti adquiri. In eoque alia, & benignior ratio eſt ignorantiæ unius, quæ prodeſt ſcienti, quam ſcientiæ, quæ ignoranti non nocet; quoniam in hoc rationum Juris conflictu, cum neceſſe ſit, venditionem, & ſervitutem vel in ſolidum tenere, vel in ſolidum non tenere; & conſequenter vel ignorantiam unius prodeſſe ſcienti, vel ſcientiam obeſſe ignoranti, æquius, meliuſque viſum eſt, excuſari ſcientem, propter ignorantem, quam puniri ignorantem, propter ſcientem: argumento ex *l. Abſentem 5. D. de pœnis.* At ſi duo in ſolidum emerint, neque ignorantia unius excuſat ſcientem, neque ſcientia onerat ignorantem, juxta regulam noſtræ *legis Iniquiſſimum 5.* à qua in hac ſpecie, non eſt ratio individuitatis, quæ nos eogat, recedere; quia cum ignorans in ſolidum emerit, quamvis ſcientem, ſcientia ſua, excludat, poteſt fieri ſervus in ſolidum ejus, qui in ſolidum ignorans emit, ac proinde venditio, & ſervitus in ſolidum defendi, ut & proponitur in *d. l. ultim.* quam in hac ſpecie accipi Juris ratio ſuadet.

Nec traditioni huic adverſatur Ulpianus in *l. Non* 4
ſolus 22. §. ſed & ſi 2. D. de liber. cauſa ubi, diſtinctione propoſita, inter emptores liberi hominis pro parte, aut in ſolidum, generaliter ad utrumque caſum concludit ita: *Nec alterius ſcientia alteri nocebit, vel ignorantia proderit.* Quia reſpondendum eſt, ſermonem, ſententiamque *dict. §. ſed & ſi 2.* referri omnino oportere ad actionem in factum, quæ ignoranti emptori liberi hominis, promittitur Prætorio Edicto, in duplum ejus, quod propter emptionem dedit, vel obligatus eſt, contra ipſum liberum hominem, qui liberum ſe, ſciens, venundari pro ſervo paſſus eſt, dolo malo, ut emptorem deciperet, & tamen pretium non participavit; ideoque & proclamare ad libertatem poteſt, & conſequenter eo caſu, quo nec venditio, nec ſervitus effectum habet, *l. Rectiſſime 14. cum legib. ſeqq.* uſque ad *l. Non ſolus 22. D. de liber. cauſa. l. Quidam 10. §. ultim. D. de fideicom. libert.* quæ tamen actio denegatur ſcienti emptori, quia ipſe ſe decepit. *l. Imo 16. §. Tunc habet, D. de liber. cauſa.* Proinde ſi duo emerint, ſive pro parte, ſive in ſolidum, alter ſciens, alter ignorans, & quæratur, an illa actio danda ſit utrique,

vel neutri, cum ſupponamus, neque venditioni, neque ſervituti locum eſſe, ideoque & ceſſet ratio illa individuitatis emptionis, & ſervitutis, quæ in emptoribus per partes pervicit, ut ignorantia unius alii prodeſſet, ut ſic venditio, ſervituſque in ſolidum conſiſterent, *d. l. Liberis* 7. §. *ſi duo*, & è contrario hæc in factum actio, utpote propoſita in duplum pretii, ſive quantitatis, datæ ob emptionem, ſit dividua, *l.* 2. §. 1. *l. In executione* 85. §. *Prima ſpecies*, *D. de verbor. obligat.* non eſt, cur recedamus à regula *dict. l. Iniquiſſimum* 5. & ideo dicimus indiſtincte, quoad hanc actionem, nec alterius ſcientiam alteri nocituram, nec ignorantiam profuturam, ſed actionem ignoranti dandam pro parte, ſi partem; & in ſolidum, ſi ſolidum emerit, & denegandam ſemper ſcienti. *d. l. Non ſolus* 22. §. *ſed & ſi* 2.

5 Nondum tamen in vado res; urget enim acriter magis, contra interpretationem *dict.* §. *ſi duo*, Decumana Juris ratio, quæ ſuadet, in pari cauſa individuitatis, ob quam neceſſe eſt, ut vel in ſolidum quis liber ſit, vel in ſolidum ſervus, pronunciandum fuiſſe pro libertate, ut in ſolidum liber eſſet, qui vendebatur, ut contingit in pari cauſa indignitatis liberi hominis, ſe venire patientis, & emptoris ſcientis, *dict. l. Liberis* 7. §. *ſi quis ſciens* 2. cum laudatis ſupra; & in pari numero ſententiarum, aut teſtium pro libertate, & ſervitute, *l. Lege Junia* 24. *D. de manumiſſ. l. Inter pares* 38. *D. de re judic. l. Quoties* 20. *D. de reg. jur.* & in uno judicio contra libertatem, pro parte unius domini, & alio, pro libertate contra petitorem partis dominii. *l. Duobus* 30. *verſic. Commodius*, *D. de liber. cauſa.* Queis tamen objectionibus ut fiat ſatis, animadvertendum breviter eſt, eas procedere, vel ubi omnino par cauſa eſt indignitatis liberi hominis, & emptoris, ut in *dict. l. Liberis* 7. §. *ſi quis ſciens* 2. non autem in propoſito *dict.* §. *ſi duo*, ubi ignorans emptor indignus non eſt, quin imo dignus, ut propter ejus bonam fidem, venditioni, ſervitutique in ſolidum locus ſit; vel procedere, ubi nulla culpa ejus eſt, de cujus libertate quæritur; tunc enim favor libertatis obtinet, ut prævaleat ſententia, pro libertate, *dict. l. Lege Junia* 24. *D. de manumiſſ. dict. l. Inter pares* 38. *D. de re judic.* & ut quis potius ſit in ſolidum liber, quam in ſolidum ſervus. *l. Judicatæ* 29. *D. de except. rei judic. l. Alieno* 31. §. 1. *D. de fideicom. libert. l. Cum duobus* 13. *Cod. de inoffic. teſtam. l. Cum filius* 76. *l. Cum pater* 77. §. *Cum exiſtimares* 29. *D. de legat.* 2. *l. Qui gravi* 11. *D. de jure Codicill. l. Pater* 6. *D. de dotis collat. dict. l. Duobus* 30. *verſic. Commodius*, in quo occultam ad Julianum, & Sabinianos extare Marcelli notam, ſicut & in *l. Servus* 18. *verſic. Quod ſi neque*, *D. de vulgari*, ex ſententia ejuſdem Marcelli, in *l. Domino* 16. *D. de S. C. Syllan. l.* 1. in fine *principii*, *Cod. de communi ſervo manum.* probabiliter ſuſpicatur Cujacius 11. *reſponſ. Papiniani ad l. judicatæ* 29. *D. de except. rei judic.* & ad Julianum, ex Minicio in *dict. l. Duobus* 30. & 30. *Digeſtorum in dict. l. ſi ſervus* 18. *D. vulgari*; cui ſubſcripſit noſter, Salmanticæ, & in Supremo Regio Senatu affectione, & ſtudiis conſors, Don Petrus Velaſco in controverſiis Proculi, & Caſſii ad *dict. l. Duobus* 30. tametſi idem Cujacius *ad l.* 1. *Cod. de communi ſervo manum.* ubi & Merilius in 50. *deciſiones Juſtiniani.* Anton. Faber *lib.* 18. *conjectur. cap.* 10. & alii, eumdem verſiculum commodius imputent Triboniano. At in quæſtione noſtra, indignitas liberi hominis, qui pretium prætulit liberti, rei inæſtimabili, & ſine pretio pretioſæ, & ignorantia bonæ fidei emptoris, qui partem emit, facit, ut non ſit par cauſa, ſavorque liberi hominis, & emptoris ignorantis, quia ille indignus ſolida libertate, quam prodidit; iſte autem dignus parte hominis, quam emit, ideoque obruitur libertatis favor indignitate ſe vendentis, & prævalente ſervitutis cauſa; quia pro parte ſervus eſſe non poteſt, ſit in ſolidum ſervus, *d. l. ult. d. l. Liberis* 7. §. *ſi duo*; quo ſemel conſtituto, & admiſſo, prodeſt deinde ignorantia unius emptoris alii ſcienti, non ut, propter hunc, ſervus fiat, quia id contra libertatem non fiet, in pari indignitate liberi hominis, & emptoris ſcientis, *dict. l. Liberis* 7. §. *ſi quis ſciens*, ſed ut in eo homine, quem propter ignorantem emptorem, in certam, ſolidamque ſervitutem venire, conſtat, partem ſciens habeat, quam ignorans habere non poteſt, quia non emit, *dict. l. Liberis* 7. §. *ſi duo*, *verſic. Sed enim.*

Eſt & alterum ad eandem regulam *dict. l. Iniquiſſimum* 5. exemplum, pertinens, in *l. Item ſi* 7. §. *Proinde* 7. *D. de S. C. Macedon.* ubi ſi alter filio familias mutuam pecuniam, contra Macedonianum, dederit, alter eamdem ſtipulatus ſit, ſcriptum in primis eſt, exceptionem Macedoniani obſtaturam etiam ſtipulatori, licet ipſe mutuam non dederit. Sed & ſi alteruter eorum, nempe ſtipulator, aut numerator, ignoraverit, filium familias eſſe, ſive in patris poteſtate eum, cui credebatur, reſpondetur adbuc, exceptionem utrique nocituram, idemque fore in duobus reis ſtipulandi. Nocet itaque unius ſcientia alii ignoranti, contra regulam *dict. l. Iniquiſſimum* 5. ſane quod ad priorem partem *dict. l.* 7. §. *Proinde*, de uno numeratore, & alio ſtipulatore, expeditior res eſt, ſi vel cum Accurſianis, Saliceto, Caſtrenſi, & aliis, ponamus, fuiſſe ſtipulatorem procuratorem ejus, qui numeravit, cujus mandato, & nomine ſtipulatus eſt, unde & unius eorum ſcientia nocere alii potuit: argumento ex *l. Procuratoris* 5. *D. de tributor. act. l. ſed ſi ſervo* 13. *D. de contr. empt. l. Imo* 16. §. *Quare. l. In ſervo* 17. *l. Non ſolus* 22. §. *penult. D. de liber. cauſa. l.* 4. §. *Quæſitum* 18. *D. de doli except.* vel ſi ponamus, ſtipulatum fuiſſe, delegante numeratore ex cauſa lucrativa, quo & caſu, ex perſona, ſcientiaque delegantis, obſtat Macedoniani exceptio ei, cui filius familias delegatus eſt, *l. Julianus* 7. *D. de doli except. l.* 2. §. *Aliud* 3. *D. de donat. l. Neſſennius* 41. *D. de re judic.* quamvis diverſum ſit in delegatione, ex cauſa oneroſa. *l. Doli* 19. *l. ſi quis* 12. *D. de novat.* vel denique quod & ad caſum ſcientiæ alterutrius, & ad ſententiam, verbaque textus, accommodatius eſt, &, ante Noviores, vidit *Fulgoſius in d. l.* 7. §. *Mutui dationem num.* 2. ſi obſervemus, ſequutam fuiſſe, poſt numerationem, in continenti, ſtipulationem, cum id, ut adſolet, ageretur, ut quaſi unus contractus eſſet, re, & verbis permixtus, & implendæ ſtipulationi numeratio præcederet. *l. ſi ita* 6. §. *ultim. cum l. ſeq. D. de novat. l. Obligamur* 52. *in princip.* & §. *Re*, & *verbis*, *D. de oblig.* & *act. l.* 3. §. *ult. cum l. Contra* 6. *D. de S. C. Macedon. l. ſi ita* 126. §. *Chryſogonus*, *verſic. ſupereſt*, *D. de verb. oblig. l. Certi* 9. §. *Numeravi*, *D. de rebus cred.* ſic enim cum negotium omne, quod geritur, ſive contractus, conſtet duabus veluti partibus, perſoniſque numeratoris, & ſtipulatoris, conſequens etiam eſt, in utriuſque parte, & perſona requiri ignorantiam, ne Macedoniani exceptio obnitatur, vitiumque ſcientiæ unius nocere alteri, ob conjunctionem obligationis, quæ ex unius numeratione, & alterius ſtipulatione conficitur. 6

Hæc, inquam, qualiacumque expediendæ priori parti *dict.* §. *Proinde* 7. non inidonea; quæ quamvis poſteriori etiam aſſertioni, de duobus reis ſtipulandi, qui ſcilicet, aut eorum unus, mutuam pecuniam filio familias dederat, alter ſciens, alter ignorans, applicari poſſe, videantur, propter obligationis duorum reorum conjunctionem, quæ facit, ut liberatus ab uno reo credendi, liberetur ab utroque, ſive, ut utrique obſtet exceptio Macedoniani, ob ſcientiam unius, §. 1. *Inſtit. de duobus reis. l.* 2. & 3. §. 1. *D. eodem tit. l. ſi rem* 31. §. 1. *D. de novat.* quomodo inter alios Donellus 12. *comment. cap.* 27. & Anton. Faber in *rationali ad eum* §. 7. fere cenſent, mihi tamen non faciunt ſatis. Nec ſubſidii plus in Accurſio, qui durum, & iniquum pene eſſe, agnoſcens, quod ſcriptum eſt in *d.* §. *Proinde*, allatis multis locis contrariis, nihil fere reſpondet, niſi quod ſubindicat, intelligendum eſſe eum textum, de duobus reis ſociis, quod, ab Accurſio acceptum, firmare nititur Fulgoſius, potius, quam firmat. Itaque malim præmonere, poſt alios, in *d.* §. *Proinde*, ibi: *In patris eſſe poteſtate ſe*; verius 7

dicendum

Digitized by Google

dicendum eſt (quomodo in editione *Pandectarum Charondæ*, & in aliis legitur, ſejuncta, & quaſi avulſa, particula, *ſe*, à voce *verius*, quæ ſequitur) legendum potius eſſe, junctis, quæ male diſparantur, *ſeverius dicendum eſt*, ſicut in *l. Si teſtamento* 49. §. 1. in fine, *D. de fidejuſſor.* Florentiæ legitur, *ſeverior, & utilior eſt in utroque caſu illa ſententia*, pro eo, quod in vulgatis Haloandrinis, *ſed verior*. Inſinuatur autem, & commendatur, eo verbo, appoſitiſſime, ratio ſententiæ propoſitæ in *dict. §. Proinde 7.* ducta ex ſeveritate Senatus Conſulti Macedoniani, quæ & obtenditur in ſimili ſpecie, in *l. Sed ſi pater familias 9. D. de S. C. Macedon.* ſicut ſeveritas juris Juliæ, Papiæque legum in *l. ſi compenſandi 6. Cod. de hered. inſtit.* & ſeveritas ſeculi in *l. 3. §. ultim. D. de ſuppellectil. leg.* & alibi ſimilia, non ſemel. Enim vero Macedoniani ſeveritas juſta, & durities potiſſima in eo eſt, quod in odium, pœnamque fœneratorum, qui pecunia filiis familias credita, peſſimo, & pernicioſo parentibus exemplo; materiam peccandi malis moribus præſtant, actio, petitioque cum effectu, non datur creditori. *l. 1. l. ſed ſi pater 9. §. penult. D. de S. C. Macedon. l. Qui exceptionem 40. D. de condict. indeb.* nec ſolum denegatur creditori ſcienti, filium familias eſſe, cui credit, ſed etiam ignoranti, niſi omnino probabilem, juſtamque ignorantiæ cauſam habeat. *l. 1. & 3. D. de S. C. Macedon. l. 1. & 2. Cod. eod. tit.* Quocirca & generaliter Pomponius definit, obſtare Macedoniani exceptionem creditori, qui ſcivit, aut ſcire potuit, filium familias eſſe eum, cui credebat, *l. penult. D. de S. C. Macedon.* quippe nec ſatis eſt, filium familias ſe pro patre familias geſſiſſe, niſi & ei ſe merito credidiſſe, creditor probet, ſive quia palam, publiceque pro patre familias habitus; ſive quia ipſe creditor minor; ſive denique quia aliunde ſcire non potuit. *dict. l. 3. in princip. & §. 1. & ſeqq. l. penult. D. de S. C. Maced. dict. l. 1. & 2. Cod. eod. tit. l. Verum 11. §. ultim. de minor. l. Regula 9. D. de juris, & facti ignor.* Unde & facile apparet, cur in *dict. §. Proinde 7.* in ſtipulatore, & numeratore, & in duobus reis ſtipulandi pecuniæ creditæ, quorum alter filius familias ſcivit, alter ignoravit, ſeverius dicatur, exceptionem utrique nocere; nempe quia negari non poteſt, eum etiam, qui ignoravit, ſcire ex ſocio potuiſſe, filium familias eſſe eum, cui credebatur, proinde nec probabilem ejus ignorationem eſſe, qui cum alio ſciente contrahens, vel eſt, vel eſſe debuit, non ignarus conditionis filii familias: argumento ex *l. Qui cum alio 19. D. de reg. jur. l. 1. D. de exercit. act.* Nocet ei igitur, non ſcientia ſocii, contra regulam noſtræ *legis Iniquiſſimum 5.* ſed improbabilis propria ignorantia, ſive non tam quod alter ſcivit, quam quod ſcire ipſe potuit, *dict. l. penult. D. de S. C. Macedon.* ex qua ita, poſt Jacobum de Arenis, interpretatur docte Caſtrenſis in *l. Sed Julianus, §. Non ſolum, num. 2. D. eod. tit.* Hæc, & ſi quæ alia in libris noſtris ſunt de extraneis, quorum alter ſcit, & alter ignorat, propiora, & concinniora cenſuimus, illuſtrandis verbis Clementis, in *dict. l. Iniquiſſimum 5.* ideoque & ſepoſuimus conſulto, ut exponeremus. Porro quæ ad eum locum Cujacius cumulat, de ſcientia, & ignorantia filii ſervi, & procuratoris, quatenus patri, dominove noceat, aut proſit, altioris inſpectionis ſunt, & alienioris, niſi fallimur, à Clementis contextu, qui proprie magis de ſcientia, & ignorantia in extraneis, quam in patre, & filio, domino, & ſervo, ſeu procuratore, ubi perſonarum, ſeu mandati conjunctio facit, ut quaſi unius, ejuſdemque hominis ſcientia ſit, non alterius. Abſtinemus itaque nunc, fortaſſe alibi ea de re opportunius dicturi.

Tandem, quod continenter, & uno veluti con- 8
textu, poſt *dict. l. Iniquiſſimum 5.* ſequitur in *l. Nec ſupina 6. D. de juris, & facti ignor.* ex Ulpiano *lib. 18. ad leges Juliam, & Papiam*; quamvis noſtro etiam Capiti, ex verbis illis, *ſciens dolo malo*, non deſit, qui adaptare conetur, poſt Donellum *1. comm. cap. 18.* ſimilius tamen veri eſt, ex librorum ordine, & textus verbis, pertinere eum locum ad poſtrema Capita legum noſtrarum, *de pœnis cælibum, & orborum*, de quibus *lib. 18. ad leges noſtras*, Ulpianum diſſeruiſſe, conſtat ex *l. ſi totam 83. D. de adquir. hered. l. Ait 16. D. de jure Fiſci*, ubi & dicemus plenius, ſi Deus volet.

C A P U T XII.

Ad Ulpianum libro 3. ad legem Juliam, & Papiam, in l. Oratio 16. D. de ſponſalibus.

A R G U M E N T U M.

ORatio Marci de nuptiis Senatoriis ſupplenda, & producenda ad ſponſalia ex legibus noſtris. His, niſi expreſſa res, dubitabilis foret ratione Juris, & l. In eo 45. §. Hoc caput 2. D. de ritu nupt. *Prohibitione nuptiarum abſoluta, & perpetua pro regula eſt, ſponſalia comprehendi. Ratio, & exemplum regulæ,* in l. 60. §. Quamvis 5. D. de ritu nupt. *Aliud in* l. Quid ergo 13. §. Item ſi *& §.* Cum autem, D. de his qui not. infam. *quæ, & alia explanantur. Sed proprie, & plene magis, Paulus in* l. ſolet 10. §. 1. D. de his, qui notant. inf. *& vulgares ad eam traditiones. Ultra eas mota dubitatio ex ratione luctus viduarum, quæ, præter periculum turbationis ſanguinis, fuit etiam reverentia memoriæ defuncti mariti. Id adſtruitur ſolide, inter alia, ex* l. Denique 5. D. de ritu nupt. *Ad* l. Liberum 11. §. Pomponius, D. de his qui not. inf. *recta interpretatio. De ſponſalium lætitia, & pompa non pauca (ex queis & illuſtrantur Hieremiæ, & Apocalypſis loci) & quam aliena utraque à viduæ luctu, Ambroſio expendente. Concluditur tandem, reſpondeturque, ſponſalia eſſe inter cauſas receptas minuendi luctus, Pompejo Feſto Auctore; deinde & poſſe ea, à vidua iniri, ſalva luctus diſciplina.*

1 SUperſunt in eodem argumento, adſecto adhuc potius, quam abſoluto, de effectu prohibitionis nuptiarum ea noſtri Capite, corollaria non pauca, ſuo jam ordine admetienda. Primum, rametſi proprie magis ad Orationem Marci, & Senatus Conſultum, de quibus ſupra *cap. 7.* quam ad Juliæ verba pertinens, eſt: an poſt eam Orationem, prohibitione nuptiarum, inter Senatorios, & libertinas, ſcenicaſque, comprehendantur ſponſalia, ut loquimur de futuro, qualia ſie vulgo dicimus, futurarum nuptiarum repromiſſiones, an ſcilicet & iſthæc nullius momenti ſint, nec ſperatam pactam ſponſam habere Senatorio, liceat, libertinam, aut ſcenicam. Tractata hæc quæſtio eſt ab Ulpiano *lib. 3. ad leges Juliam, & Papiam, in l. Oratio 16. D. de ſponſalib.* ex quo itidem libro & referendæ ad *Caput* hoc ipſum de connubio Senatoriorum ſunt, *l. ſi quis Senatoris 27. D. de ritu nupt. l. Etiam 4. D. de jure aur. annul.* Ratio autem dubitandi, in ea quæſtione, eſt, quia Oratio Imperatorum Marci Aurelii Antonini, & Commodi ejus filii, *de ſponſalibus nihil loquuta eſt*, ut exprimitur in *d. l. Oratio* 16. Ergo nec porrigenda prohibitio eſt ad ſponſalia; eſt enim plus quam certum, ſponſalia, & nuptias differre toto genere, ſicut ſpem, & rem, *l. 1. l. ſi puellæ 6. D. de ſponſalib. l. ſi uxor 13. §. Divi, D. ad leg. Jul. de adult. l. 2. Cod. de repud.* & vel ex inſignitis, inter eas res, differentiis, liquet, quas perſecutus eſt Modeſtinus *lib. 4. differentiarum, in l. In ſponſalibus 14. D. de ſponſalib. l. Ea quæ 32. D. ad municip.* Accedit, quod & eſt receptiſſimum, nuptiarum appellatione, ſive mariti, uxoriſque nominibus, non contineri, quoties proprie, & partite loquimur, ſponſas, ſive ſponſalia de futuro, niſi in

materia aperte ſavorabili. *l. Non ſine* 5. *Cod. de bonis, quæ liber. l.* 4. *D. de fundo dot.* ſive quæ ſponſi, aut ſponſæ ſavorem reſpicit, ut in *l.* 1. *§. Et primum* 2. *D. pro dote. l. ſi uxor* 13. *§. Divi*, & *§. ſi minor* 8. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. Propter* 7. *Cod. eodem tit. l. Item* 15. *§. Sponſum* 24. *D. de injur. l.* 3. & 4. *D. ad leg. Pompej. de parricid. l. Labeo* 6. (quæ eſt Ulpiani *lib.* 5. eſt ad legem Juliam, & Papiam, & à nobis ſuo loco explicanda) *l. Servius* 8. *D. de gradib. & affinib. l. In legibus* 5. quæ ex Cajo itidem eſt, *lib.* 4. *ad leges noſtras, D. de teſtibus. l. Quæſitum* 17. *§. ult.* cum *l. ſeqq. D. de rebus auctor. jud. poſſid.* alias *l.* 2. *§. ult.* & *l.* 3. *D. de privileg. cred. l. ſi ſponſa* 74. *D. de jure dot.* non auten in materia indifferenti, & multo minus in odioſa, aut pœnali, ut deducunt, docentque vulgo, ex *l. Solet* 10. *§.* 1. *D. de his, qui not. infam. l. ſi quis officium* 38. *D. de ritu nupt. Sic* prohibitio hæc nuptiarum cum ignominioſis ſœminis, ex noſtris legibus, ita plerumque accepta eſt Ulpiano, & aliis Juris auctoribus, ut, quia matrimoniorum libertatem & frequentiam coarctat, odioſa cenſeatur, coanguſtetur interpretatione, non adjuvetur. Ut ex *l. Palam* 43. *§.* 1. & 2. & 3. & *§. ſi qua, D. de ritu nupt. l. Imperator.* 24. *D. de his, qui not. infam.* juncta *l. Hoc modo* 64. *D. de condit. & demonſtr.* de quo ſæpius ſupra, ac præſertim *lib.* 3. *cap.* 12. 13. 15. & 21. Non debuit itaque Oratio Marci, quæ de nuptiis Senatoriorum, non autem de ſponſalibus loquuta eſt, ad ſponſalia produci, ut ea proinde inhibeat, & reſcindat.

2 Argumentum rei, &, quod mirere, prætermiſſum hactenus, ex *l. In eo* 45. *§. Hoc caput, Digeſt. de ritu nupt.* ubi in eo capite noſtræ legis Juliæ, quod ait, invito patrono, libertam, quæ ei nupta eſt, alii nubere non poſſe, quamvis beneficium id ſit, patroni favore, & patronalis reverentiæ intuitu, comparatum, *d. l. In eo* 45. *§. ult. l. Filio* 48. *§. ult. D. de ritu nupt. l. Libertæ* 8. *Cod. de oper. lib.* placuit tamen, appellatione nuptæ, ſponſam non contineri, & ideo poſſe libertam, patrono deſponſatam, ſi ei nuntium repudii miſerit, invito eo, alii nubere; non alia prorſus ratione, niſi quia caput illud ſtrictæ, & odioſæ potius, quam favorabilis interpretationis eſt, quatenus libertæ adimit divertendi libertatem, quam impediri, aut coarctari, incivile Romani Juris auctoribus viſum eſt, *l.* 2. *Cod. de inutilib. ſtipul l. Neque* 14. *Cod. de nupt. l. ſi ſtipulatio* 19. *l. Titia* 134. *D. de verb. oblig.* (eo utique addito, legem Juliam in eo capite loquutam fuiſſe, ſignate de nupta, non de ſponſa. *l. ult. D. de divort. d. l. In eo* 45. *in princ.* & *§. Hoc caput.*) Pari itaque, aut potiori ratione, & exemplo nuptiarum appellatio in prohibitione, ex Oratione Marci, non complectetur ſponſalia, ne coarctetur libertas contrahendi, quam perinde, atque diſtrahendi, ſalvam ſemper eſſe debere, Juris ratio ſuadet. *d. l. Neque* 14. *Cod. de nupt. l. Titio* 71. *§.* 1. *l. Hæres* 79. *§. ult. D. de condit. & demonſtrat.*

3 Queis tamen dubitandi cauſis neglectis, Ulpianus noſter in *d. l. Oratio* 16. *D. de ſponſalib.* contra reſpondet, affirmatque, poſt Orationem Marci, quæ quaſdam nuptias in perſona Senatorum inhibuit, etiam ſponſalia, ipſo Jure, nullius eſſe momenti, in his caſibus, veluti ſi Senator libertinam deſponderit, ubi etiam ſponſalia improbanda, Ulpianus idem docet in *l. Cum hic ſtatus* 32. *§. ult. D. de donationib. inter.* Decidendi ratio ſubindicatur in extremo *dict. l. Oratio* 16. *Ut ſuppleatur quod Orationi deeſt.* Significatur, ſupplendam eſſe ſponſalium mentionem in Oratione, quæ de nuptiis ſolis locuta eſt: ſupplenda porro eſt, ex lege Julia, quæ utrorumque meminit in noſtro Capite: *Sponſam, uxoremve.* & poſtea, *ſponſa, nuptave. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* Id autem ſumma eum ratione, quia Oratio Marci, & Senatus Conſultum fuerunt, veluti appendices, & partes Juliæ legis, cujus prohibitioni imperſectæ, & ad nudum nuptiarum nomen reſtrictæ, adjecerunt reſciſſionem matrimonii, ut animadvertimus ſupra *cap.* 7. Conſtat vero, poſteriores leges, niſi aperte prioribus contrariæ ſint, quo caſu quæ poſterior tempore eſt, validior eſt ſanctione, ut ſcriptum eſt in *Novella* Marciani *de matrimon. Senat.* in fine. *l. ultim. D. de Conſtitut. Princip. l.* 1. *§. ſi ſervi* 19. *D. de quæſtion.* pertinere, & trahi ad priores, & ex eiſdem normam, formamque interpretationis accipere, ſive, ut Græci loquuntur, κασσίζεται, ut in tractatu Juliæ, Papiæque legum, ad alia earumdem capita, monet Paulus in *l. ſed & poſteriores* 28. *D. de legib.* Trahitur ergo poſterior Marci Oratio ad priorem legem Juliam, cui conſentiens potius eſt, quam contraria, indeque accipit, ut & ad ſponſalia pertineat. Eaque idonea, & propria objectionibus ſubmovendis, quas pro dubitandi ratione expendimus, cauſa eſt, ob quam hæc prohibitio, tametſi alioquin odioſa, & ſtricta, ideoque regulariter non producenda à nuptiis ad ſponſalia, ut in exemplis ſupra notatis, producatur tamen in ſpecie *d. l. Oratio* 16.

Plane, & extra eam ſpeciem, ne generalem *dict. l. Oratio* 16. ſententiam, veluti indotatam mittamus, ſi in commune magis quæſieris, an prohibitis nuptiis prohibita ſponſalia de futuro intelligantur, omiſſis quæ ea de re, forenſi paraturæ dabunt, poſt multos, Montealegre in *praxi lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 76. & 118. *cum ſeqq.* Riccius *collectan. deciſ.* 538. *part.* 3. Velaſcus *de privileg. pauper.* 2. *part. quæſt.* 56. *num.* 70. & *ſeqq.* diligenter noſter olim Præceptor, D. Joſephus Vela *diſſert. Hiſpal.* 7. *ex num.* 33. ſic per- 4
paucis habeto: ſi prohibitio matrimonii abſoluta, & perpetua eſt, nempe neque ad ætatem, tempuſve certum, neque aliquem contrahendi modum reſtricta, nec tam de pœna impoſita, contra prohibitionem coëuntibus, porrigenda ad ſponſalia, quam de jure, & effectu probibitionis quæramus, an ea ſcilicet pertineat ad ſponſalia: affirmandum generaliter eſt, pertinere, & cum qua nuptiæ contrahi non poſſunt, hanc ne deſponderi quidem poſſe, ut, pro regula veluti, proponitur *in l. ſi quis tutor* 60. *§. quamvis* 5. *D. de ritu nupt.* ubi & ejuſdem regulæ electa ratio redditur; *nam quæ duci poteſt, jure deſpondetur.* Innuitur nimirum, quod & res eſt, ſponſalia eſſe, ut Græci vocant, μνησίας, hoc eſt, præmunitionem, & quaſi proluſionem futurarum nuptiarum, ut, quæ nunc deſpondetur, poſtea ducatur. *l.* 1. & 2. *D. de ſponſalib.* Proinde & conſequens eſſe, jure eam deſponderi, quæ duci uxor poteſt, & è contrario illam, cum qua nuptiæ contrahi non poſſunt, nec poſſe quidem deſponderi. Quorſum enim præmunitio, & proluſio nuptiarum, quæ nec ſunt futuræ, nec poſſunt? Aut quænam niſi improba, & improbata ſpes rei, Jure prohibitæ, ideoque & impoſſibilis, nec ſperandæ? argumento ex *l. ſi in emptione* 34. *§. Liberum* 2. *D. de contrah. empt. l. Inter* 83. *§. Sacram. D. de verbor. oblig.* juncta *l. Filius* 15. *D. de conſtit. inſtitut.*

Exemplis ratio, & regula lucidior fiet; ac ne nunc 5
repetam vulgatum illud, ex *d. l. Oratio* 16. *D. de ſponſal.* quod propria, & peculiari ratione nititur, ut jam dixi. Primum eſt in *d. l. ſi quis tutor* 60. *§. Quamvis* 5. *D. de ritu nupt. l. Tutor* 15. *D. de ſponſalib.* quibus traditum eſt, Orationem Marci, & Senatus Conſultum, quæ matrimonium inter pupillam, & tutorem, filioſque ejus interdixerunt, ad ſponſalia etiam pertinere, nempe ut quamdiu, & quatenus nuptiæ inhibentur, ſponſalia quoque inhibita ſint, *l. Cum hic ſtatus* 32. *§. ult. D. de donat. inter.* quoniam æque in ſponſalibus urget ratio potentatus, & periculum impediendæ redditionis rationum tutelæ, quæ ſunt cauſæ prohibitionis nuptiarum. *l. Præfectus* 63. *l. Libertum* 64. *§.* 1. *l. Non ſolum* 67. *§. Sed videamus* in fine, *D. de ritu nupt. l. penult. Cod. de interd. matrim. inter tut.*

Secundum exemplum elicio ex *l. Quid ergo* 13. *§.* 6
Item ſi, & *§. Cum autem, D. de his, qui not. infam.* Verba utriuſque *§.* hæc ſunt: *Item ſi alteri ſponſa, alteri nupta ſit, ex ſententia Edicti punitur. Cum autem factum notetur, etiamſi cum ea quis nuptias, vel ſponſalia conſtituat, quam uxorem ducere, vel non poteſt, vel fas non eſt, erit notatus.* Priorem partem exprimit ita Harmenop. *lib.* 4. *Proxeiri. tit.* 1. Ἡ μνηστευομένη ἑτέρῳ

καὶ

καὶ ἑτέρῳ γαμηθεῖσα ἀτιμοῦται, deſponſa alteri, & alteri nupta punitur, tribuitque eam ſententiam veteri legi παλαιῷ Νόμῳ, reſpiciens ad *dict. l. Quid ergo* 13. §. *Item ſi*, Alexius Comnenus *Novella* 3. *de ſponſalib.* ad finem, apud Harmenopulum *dict. loco.* Photius in *Nomocan. tit.* 13. *cap.* 2. Pertinet hæc ſententia ad Prætorii Edicti eam partem, qua notatur, qui binas nuptias, binave ſponſalia eodem tempore conſtituta habet, *l.* 1. in fine, *D. de his, qui not. inf.* quo jure poſito, affirmatur, eam etiam, quæ uni nupta, & poſtea alteri deſponſa eſt, quamvis verbis Edicti non apprehendatur, quæ ſunt de binis ſponſalibus, aut binis nuptiis, non autem de nupta uni, & alteri ſponſa; notari tamen ex ſententia Edicti, quia perinde ut probroſæ, & improbatæ ſunt, in ea, quæ nupta eſt, & manet, aliæ nuptiæ, §. *Affinitatis 6. cum ſeq. Inſtit. de nupt.* ita & ſponſalia, quæ nuptiis præparant: argumento ex *l. etiam* 15. §. *ſi duo, D. de manum. vin.* juncto proprio, ad rem, *textu in cap. ultim. de eo, qui duxit in matrim. quam poll. per adult.* & prohibitio Polygamiæ, ſeu binarum nuptiarum, quæ Edicti notæ cauſam dedit, *l.* 2. *C. de inceſt. nupt. l. Nullus* 7. *C. de Judæis*, complectitur etiam ſponſalia. *l. Ea, quæ* 5. *C. de donat. ante nupt. l. Eum qui* 18. in fin. *C. ad leg. Jul. de adulter.* juncta *d. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ultim. D. de donat. int.*

7 Porro quod ſequitur in *d.* §. *cum autem*, & exponitur dextre, ex noſtra regula, & eam dextre expenſum confirmat, præter vulgi mentem; nam eum ſententia ſit, notari Edicto, &, contra prohibitionem Polygamiæ, facere eum, qui vel ſponſalia bina conſtituit, & alterutra eorum eum ea, cujus nuptias jus, aut fas vetat. Et notari ideo; quia Prætor, cum binorum ſponſalium, nuptiarumve meminit, non de juſtis ſponſalibus, aut nuptiis utriuſque, quales, primis manentibus, ſecundæ eſſe non poſſunt, ſed de contractis facto ipſo, tametſi jure invalidis, ſenſit, factumque ipſum notavit, ut proponitur in *princip. dict.* §. *Cum autem*; neceſſario ſupponitur, ſponſalia irrita cum ea, cujus nuptiæ prohibitæ ſunt, conſiſtere, & conſtitui potius de facto, ut loquimur, quam juris effectu, & conſequenter prohibitionem, quæ facit, ut uxorem aliquam ducere, jus, aut fas non ſit, operari etiam, ne deſponderi jure poſſit, ut & traditur in *dict. l. ſi quis tutor* 60. §. *Quamvis, D. de ritu nupt.* Dices fortaſſe, rationem hanc, deductam ex regula *d.* §. *Quamvis*, valere quidem poſſe, quoad effectum prohibitionis, porrigendæ à nuptiis ad ſponſalia, non autem ut infamiæ nota, ſeu pœna, binis nuptiis propoſita, producatur ad ſponſalia, quæ in pœnali materia, nuptiarum nomine, non apprehenduntur, ut & ſupra monuimus, & oſtendunt *lex Solet* 10. §. 1. *D. de his, qui not. inf. l. ſi quis officium* 38. §. 1. *D. de ritu nupt.* ſed quoad ſpeciem *dict. l. Quid ergo* 13. §. *Item ſi, cum* §. *ſeq.* reſponſio in promptu eſt, productionem pœnæ, & infamiæ non tam fieri à nuptiis ad ſponſalia, quam à ſponſalibus binis, quæ Edicti verbis prohibentur puniunturque. *dict. l.* 1. in fine, *D. de his, qui not.* ad ſponſalia cum nuptiis juncta, in quibus potior eſt prohibitionis, pœnæque ratio. Conducit, & in eumdem, eum *dict.* §. *Cum autem*, ſenſum collimat Innocentii Tertii locus, in *cap. Nuper* 4. *de bigamis non ordin.* & elucidat proprie ad Baſilica, ex quo antiquo, ut nominat, Scholiaſte, Anonymus *lib.* 21. *tit.* 2. *in dict. l.* 13. adducto, ad rem, Canone 98. *Synodi 6. in Trullo.*

8 Tertium exemplum ſit, ex *cap. unico de ſponſalib. lib. 6. cap. Ad audientiam*, cum ſimilibus *eodem tit.* in antiquis, *cap. Litteras* 4. *de deſponſat. impub.* quibus in commune docemur, prohibitionem nuptiarum cum conſanguinea, vel affini, ſterili, aut religioſa, aliave ſimili, quæ, Eccleſiaſtico Jure, duci uxor non poteſt, complecti etiam ſponſalia pura, abſolutaque, ut hæc perinde irrita, ac nullius momenti ſint. *l. ultim. D. de condict. ſine cauſa.* Cui fortaſſe ſimile & illud, quod cum noverca, ſocru, vel nuru, nuptiis prohibitis, intelliguntur etiam prohibitæ cum ea, quæ ſponſa tantum patris mei, vel filii, fuit, aut ſponſæ meæ mater, ut & hic prohibitio à nupta ad ſponſam trahatur: *l. ſi qua* 12. §. 1. & 2. *l. Adoptivus* 14. §. *ultim. in fine. D. de ritu nupt.* §. *ſi uxor* 9. *Inſtit. de nupt. d. cap. Ad audientiam* 4. *de ſponſalib.*

Sed obtinuit regula, ut dixi; quoties perpetua, & 9
abſoluta prohibitio eſt, nec tam de illius pœna, producenda ad ſponſalia; quam de vi, & jure prohibitionis in eiſdem tractatur. Unde nec in difficili eſt explicatio eorum exemplorum, quæ deviare à ſuperioribus, & exorbitare ab ea regula, & ratione Juris, videntur, & ſignificantur verbo, *Plerumque*, in *dict. l. ſi quis tutor.* 60. §. *Quamvis, D. de ritu nupt.* Tale in primis eſt illud, ut quamvis nuptiæ, inter impuberes, nullius momenti ſint, *princip. Inſtit. de nupt. l. penult.* §. *ultim. D. quod falſo tutore. l. Minorem* 4. *D. de ritu nupt. cap. Continebatur* 6. & *cap. Atteſtationes* 10. *cum ſeq. de deſponſat. impub.* ſponſalia tamen, inter eoſdem, valeant, ſi modo intelligant, quod agitur, id eſt, ſi non minor ſeptennio, ſed, ut Græci aiunt, ἑπταέτις, ſponſa ſit. *l. In ſponſalibus* 14. *D. de ſponſal. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *penult. D. de donat. l. ſi uxor* 13. §. *ſi minor* 8. *D. ad leg. Jul. de adult.* Paulus *lib.* 2. *ſentent. tit.* 19. Nimirum prohibitio hæc, ſive ætatis præfinitio, in nuptiis, non abſolute, & in perpetuum à nuptiis arcet, ſed quamdiu impuberes ſunt, qui contrahunt, & impares nuptiali jugo, & proli. *l. Hæc conditio* 10. *D. de condit. & demonſtr.* ſive quamdiu non pubes maſculus, & fœmina non viri potens; quia non poteſt videri nupta, quæ virum pati non poteſt *l. penult. D. quando dies legat. ced.* Proinde nec producenda eſt ad ſponſalia, in quibus diſpar ratio eſt, quia non tam jugo, & proli nunc ſubjiciunt, quam eiſdem præparant, deſtinantque; idcircoque nihil vetat, quo minus & quæ nondum nubilis eſt, nunc deſponderi poſſit, ut poſt legitimam ætatem ducatur.

Ejuſdem fere generis eſt, quod legimus in *l. So-* 10
let 10. §. 1. *D. his, qui not. inf. Quæ virum eluget, intra id tempus, ſponſam fuiſſe, non nocet.* Scitum eſt, eam, quæ nubit, intra id tempus, quo virum elugere moris eſt, ſive ante quam elugeat, notari infamia, ex Edicto Prætorio. *l.* 1. *l. Liberum* 11. §. 1. *D. de his, qui not. infam. l. Decreto* 15. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog. l.* 1. & 2. *Cod. de ſecund. nupt.* 4. *Cod. ad S. C. Tertyll.* Inde itaque quæſitum, an hæc nota, immaturis nuptiis inuſta, pertineat etiam ad ſponſalia, ut perinde notetur, quæ, intra tempus luctus legitimi, deſponſa tantum alteri fuit? Affirmat autem Paulus, non notari, ſive quia non perpetua, ſed temporalis improbatio hæc eſt, acerbarum nuptiarum, reſtricta ſcilicet ad ſpatium luctui præfinitum; & ideo nocere ei non debet, quod dum eluget, deſponſa ſit, ſi non, niſi poſtquam eluxit, nubat, quomodo apud Dionem *lib.* 48. *hiſtor.* comperio, Octaviam, Cæſaris Auguſti ſororem, marito ejus defuncto, & prægnantem adhuc, Antonio deſponſatam fuiſſe, προμνηστευσαμένην: ſive quia, quatenus pœnam, ignominiamque continet, & libertatem nuptiarum coarctat, ſtrictæ, & odioſæ interpretationis eſt hæc Juris cautio, nec porrigenda à nuptiis ad ſponſalia: argumento ex *l. In eo* 45. §. *Hoc caput, D de ritu nupt.* juncta *l. Cum quidam* 19. *D. de liber. & poſth. l. Hoc modo* 64. *D. de condit. & demonſtr.* ſive denique, quia in hacce re eſt omnino diverſa ratio nuptiarum, & ſponſalium; quippe periculum turbationis ſanguinis, ad quam Prætor in Edicto de infamibus ſe retulit, & propter quam maritus elugeri ſolet, *l. Liberorum* 11. §. 1. *D. de his, qui not. infam.* merito veremur in nuptiis, quas ſuo jure commixtio ſanguinis, corporumque ſubſequitur, non item in ſponſalibus, quæ commixtionem hanc præparant potius in futurum, quam præſtant. Queis conſiderationibus, in exemplo hoc elucidando, utuntur, inter veteres, Albericus, Caſtrenſis, & alii in *d. l. olet* 10. Fulgoſius *in d. l. Oratio* 16. *in fine.* Cynus, & reliqui in *l. un. Cod. ſi Rector Provinciæ*, & noviores, quos non moramur.

Illud nobis juſtiorem, fortaſſe & aliis, qui ex ratione 11

tione Juris potius, quam ex Commentario ſapiunt, moram nunc facit, quod turbatio illa ſanguinis, cujus meminimus, quantumvis vel præcipua, vel primaria cauſa ſit in Edicto Prætoris, indicendi fœminis luctus legitimi, non tamen ſola; adjungenda enim ei regulariter eſt alia ratio honeſtatis, ſive honoris, & reverentiæ, debitæ mariti memoriæ, quam etſi facile impugnari, ex *d. l. Liberorum* 11. §. *Pomponius* 2. *D. de his, qui not. inf.* cenſoria, ſine ſuffragio, auctoritate, qua ſolet, affirmet nuperus *diſputationis de partu* concinnator, Alf. Carrança *cap.* 13. *num.* 24. nobis tamen (vel interim ut pro interpretatione *d.* §. *Pomponius* 2. opportunius alio loco attingenda, obſervaſſe, ſufficiat, quod ex Pomponio illic proponitur, viduam, quæ peperit, ſtatim nubere poſſe, exaudiri oportere de vidua, cujus maritus lugeri non debuit, ut infamia, juxta hypotheſim præcedentem, & ſubſequentem, quomodo, ex Latinis, Joannes, apud Accurſium in *dict.* §. 2. ubi & Gothofredus, poſt Cujacium, *6. obſervat. cap.* 32. & ex Græcis, Harmenopulus in *promptuario lib.* 4. *tit.* 6. §. 60. & 61. conſpicue Nizæus *Baſilicorum* Scholiaſtes ad *lib.* 21. *tit.* 2. *in dict.* §. 2. & in eum ſenſum redigenda *Synopſis libr.* 21. *tit.* 2.) firmat ſatis hanc cauſam luctus legitimi, ex mariti reverentia petitam, Juſtinianus in *Novella* 22. *de nuptiis cap.* 40. dum ſcribit, mulierem, quæ immaturas nuptias, intra tempus ſcilicet luctus, init, *negligere mariti memoriam; & licet filios*, ex marito prædefuncto, *non habeat, propter ſolam honeſtatem* puniri. Accedunt & Cæſares, qui abſtinentiam nuptiarum nuncupant, *religionem luctus, præſtitam priori viro*, *l.* 1. *Cod. de ſecund. nupt. l. Si qua* 4. *Cod. ad S. C. Tertyll.* & quod eſt amplius, tempus duorum menſium, additum decimeſtri antiquo luctus anno, *exiguum* adhuc eſſe, & videri, docent in *l.* 2. *Cod. de ſecund. nupt. l.* 1. *C. Theodoſ. eod. titul.* Utrumque recte minus, ſi ad turbationem ſanguinis referas, propter quam abſtinentia à nuptiis, non tam priori viro præſtatur, quam publicæ diſciplinæ, & decori, etiamſi indignus luctu ſit prior vir, *dict. l. Liberorum* 11. §. 1. cujuſque turbationis periculo vitando, decem, & ut maxime undecim menſium ſpatium abſtinentiæ nuptiarum ſufficeret; rectiſſime autem, & honeſtiſſime, reſpectu reverentiæ mariti, cujus memoriæ nulla non debita, & præſtanda à matronali verecundia, religio luctus, nullumque ejus ſpatium viduæ, caſtæ, & pudicæ videri non exiguum, debet. Adſtipulatur in eadem re auctoritas primorum, è Græcia, Juris Interpretum, inter quos Scholiaſtes vetus *Synopſis Baſilicon lib.* 12. *Eclog. titul.* 2. *cap.* 5. ſic de cauſis legitimi fœminarum luctus ſcribit: Κατὰ γὰρ δύο τρόπους, ὁ πένθιμος καιρὸς ὥρισται τοσοῦτος, διὰ τὸ μὴ σύγχυσιν γίνεσθαι τῆς γονῆς, καὶ διὰ τὴν ὀφειλομένην τιμὴν τοῖς ἀνδράσιν, quæ ſic exprimas, licet: *Duabus enim de cauſis, luctus tempus conſuevit præfiniri; ne fiat turbatio ſanguinis; & propter reverentiam debitam maritis.* Concinit & eiſdem fere verbis, Scholiaſtes alter Harmenopuli *lib.* 4. *tit.* 6. §. *de adulterio.* Suffragantur etiam Hiſtorici, qui ſubindicant, in viduis non prægnantibus, & in quibus proinde ratio illa turbationis ſanguinis ceſſaret, neceſſe adhuc fuiſſe, luctum Senatus Conſulto, aut lege minui, ſive remitti, ut deponere lugubria poſſent, & nubere, γαμεῖσθαι ἄν γε μὴ ἐν γαστρὶ ἔχωσιν, hoc eſt, *nubere, ſi prægnantes non eſſent*, ut de Caligulæ Conſtituto memorat Dio Caſſius *lib.* 59. *hiſtor.* quod fruſtra omnino fieret, niſi & ſepoſita turbatione ſanguinis, ſupereſſet ratio illa reverentiæ mariti, luctui ſuſtinendo, donec tempore, aut lege minuatur.

12 Denique ne diutius moremur, pervincit & hoc ipſum proprie, & fortiter Ulpiani locus, in *l. Denique* 6. *D. de ritu nupt.* ubi ita ſcriptum eſt: *Denique Cinna ſcribit: Eum, qui abſentem* (ſive ut cauſate Cujacius corrigit, *eum, qui abſens*) *accepit uxorem, deinde rediens à cœna juxta Tiberim periſſet, ab uxore lugendum, reſponſum eſt.* Cui ſententiæ illatio hæc ſubjungitur, ex Paulo *in l.* 7. quæ ſequitur: *Ideoque poteſt fieri, ut in hoc caſu aliqua virgo, & dotem, & de dote habeat actionem.* Ergo & ceſſante prorſus periculo turbationis ſanguinis, utpote in ea, quæ abſens accepta uxor, vel deducta à marito abſente eſt, quæque, ut ſupponitur, virgo manſit, nuptiis, non concubitu, ſed conſenſu ſolo factis, ſive, ut Harmenopulus exprimit *libr.* 4. *tit.* 7. μὴ συναφθεῖσα ἀνδρί, ἀλλ᾽ ἔτι παρθένος οὖσα, hoc eſt, *nondum cognita à viro, ſed adhuc virgo exiſtens*, viget adhuc, obtinetque obſervantia, & neceſſitas luctus legitimi marito mortuo; & conſequenter vel ſola ratio memoriæ, & reverentiæ mariti, affert neceſſitatem lugendi, & quidem μέχρις ἐνιαυτοῦ, ſive *per annum*, ut monet auctor idem *dict. lib.* 4. *tit.* 4. *in princip.* Proinde, ut jam ad rem, cum conſtet, jus legitimi luctus in fœminis, non tantum cauſa turbationis ſanguinis, ſed etiam reverentiæ marito, qui elugetur, debitæ, niti; eaque ipſa poſterior cauſa, cum ſola ſupereſt, neceſſitatem elugendi, & abſtinendi à nuptiis inducat, ut ſingulariter evincit *dict. lex Denique* 6. *D. de ritu nupt.* conſentaneum eiſdem videtur, ut & abſtineat à ſponſalibus vidua, intra id tempus, quo virum eluget, & nocere ei, quoad pœnas immaturi conjugii, ſi contra fecerit, quia, utcumque turbationem ſanguinis in ſponſalibus ſolis non vereamur, inficiari tamen non poſſumus, lædi, & laceſſi veluti, memoriam, reverentiamque maritalem, præmatura deſtinatione nuptiarum, & feſtivitate ſponſalium.

Sane quidni lædatur honor mortui mariti, cum 13
& formam ipſam, diſciplinamque luctus dilui quodammodo, & diſſolvi, celebritate ſponſalium, liquido oſtendi poſſit. Quippe eſt ſcitiſſimum, lugentes, ſumpto triſtiori habitu, ſive lugubribus, abſtinere debere conviviis, ornamentis, & alba veſte, ut ait Paulus *lib.* 1. *ſentent. tit. ultim.* juncta *l. Decreto* 15. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irroget. l. Genero* 8. *D. de his, qui not. infam.* viduaſque verecundas, quæ ſerio, & ſancte defuncti conjugis memoriam colunt, non modo cœtibus, & conjugiis, ſed &, inter alia ornamenta, renuntiare ſolitas auro, & purpuræ, ἀποθέσθαι χρυσόν τε, καὶ πορφύραν, ut prænotatum aliis jam, ex Dionyſio Halicarn. *lib.* 8. Livio *lib.* 34. Terentio in *Heautontimorum.* ſignate Hieronymus *ad Principiam*, ubi de Marcella vidua: *Aurum, uſque ad annuli ſignaculum, repudiavit.* Idem *Epiſt.* 9. *ad Salvinam*, *Tu vero*, inquit, *quæ in tumulo mariti ſepeliſti omnes pariter voluptates; quæ lotam purpuriſſo, & ceruſſa faciem ſuper feretrum ejus, lachrymis diluiſti; quæ pullam tunicam, nigroſque calceos, candidæ veſtis, & aurati ſocci depoſitione, ſumpſiſti.* E contra vero in ſponſalibus, ne nunc de auſpicibus, ſive proxenetis, parariiſque, item de ſignatoribus, & teſtibus, tabulis, teſtationique ſponſalium adhibitis, plura dicam, quam *ſponſaliorum turbam* vocat Suetonius in *Auguſto cap.* 53. eaque, ſicut olim vexatum Auguſtum, ita vexari, & commiſceri viduam, lugentem, indecens eſt & alieniſſimum ab eo ſtatu, cujus propria eſt *ſolitudo ante oſtium, nihil ornati, nihil tumulti*, ut non extra rem Terentius in *Andria.* Sunt præterea in ſolemnibus, & celebritate ſponſalium pleraque, à ſtatu, & habitu lugentis aliena. In primis convivia, quæ & ſponſalia proprie dicuntur, ut diſtinguantur à repotiis, quæ nuptias ſequuntur. Cicero *ad Quintum fratrem Epiſt.* 8. *ſponſalia Craſſipedi præbui. Huic convivio puer optimus, Q. tuus, meuſque, quod perleviter commotus fuerat, defuit.* Deinde arrharum, munerumque ſponſalitiorum, de queis tam ſæpe *in libris noſtris* datio, & acceptio, præſertimque annuli pronubi, qui à ſponſo ſponſæ mittitur, *l. ſi donatæ* 36. §. *ult. D. de donat. inter. cap. Noſtrates* 3. 30. *quæſt.* 5. *cap. Illud* 11. *de præſumpt.* & plerumque fuit aureus, δακτύλιον ἐκ χρυσίου, ut ait Clemens Alexand. 3. *pædag. cap.* 11. eoque oppignorari à ſponſo digitum ſponſæ, ſcribit Tertull. *in Apolog. cap.* 6. Rurſus & albus color in veſtibus, à quo abſtinent lugentes, propriuſque eſt nuptiarum, ſponſalium, feſtorumque dierum. Horat. *lib.* 2. *Satyr.* 2.

Ille repotia, nataleis, alioſve dierum
Feſtos albatus celebret.

Sedon.

Sidon. *lib.* 5. *Epiſt.* 7. ubi de præpoſtera inconcinnitate quorumdam, ita: *Nam libenter incedunt armati ad epulas, albati ad exequias, pelliti ad Eccleſias, pullati ad nuptias, caſtorinati ad litanias.* Caſſiodorus *lib.* 4. *Epiſt.* 1. *Equos argenteo colore veſtitos, quales decuit eſſe nuptiales.* Illuſtrandus hinc ſacer *Textus* Joannis in *Apocalypſi cap.* 19. ubi de ſponſa ita: *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit ſe, & datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido.* Denique mutua fidei colligatio, per dexteram, & oſculum, cujus, inter ſolemnia ſponſalitia, mentio in *l. ſi à ſponſo* 16. *Cod. de donat. ante nupt.* ſive per *dexteræ collactationem, & oſculi congreſſionem*, quibus intervenientibus deſponſatæ, nec dum nuptæ, *corpore, & ſpiritu, maſculo mixtæ ſunt per oſculum, & dexteras, per quæ primum reſignarunt pudorem ſpiritus, per commune conſcientiæ pignus, quo totam condixerunt confuſionem;* ut Tertullianus graviter loquitur *libro de velandis virgin. cap.* 2. ad finem. Et de dextris, invicem nexis, inter ſponſos, eleganter Claudianus in *epithalamio Palladii, & Serenæ.* Sidonius in *epithalam. Polemii* ad finem *carm.* 15. & in *epithal. Ruricii carm.* 11. Trebellius Pollio in *Gallienis.* Auſonius *eidyllio* 13. *in centone nuptiali.* Adde inſuper, ſi placet, ad hæc, & alia, gaudii, & feſtivitatis inſignia, in ſponſalibus, alluſione propria nuncupari vocem, *ſponſi*, & *ſponſæ*, vocem *gaudii*, & *lætitiæ*. Hieremiæ *cap.* 16. *Ecce ego auferam de loco iſto in oculis veſtris, & in diebus veſtris vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ.* Et *cap.* 25. & 33. juncto Apocalypſis *cap.* 18. in fine, & *cap.* 9. Matthæi: *Numquid poſſunt filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus?*

14 Pugnant itaque, ut jam concludam, non modo cum honore mariti mortui, ſed & cum verecundia, & diſciplina viduæ lugentis, pompa, celebritaſque ſponſalium, cum & neceſſe ſit, atra lugubria, luctu non conſummato, alba veſte mutari; convivia, aurum, & ornamenta, à queis lugentes abſtinent, uſurpari ab eiſdem per ſponſalitias; epulas, munera, & annulos, tandemque, quod indignius, per dextram, & oſculum, fidei, & æterni amoris velut obſides, præmortuo conjugi oppignoratos, immatura reſignatione pudoris, & nexus, alii obligari, & licentia, lætitiaque ſponſalium acerbos adhuc mariti manes ſuſcitari, & laceſſi; dum, *pro Epitaphio, Epithalamium* mortuis redditur, ut in re ſimili ſcribebat Balſamon *ad Concil. Carthagin. can.* 106. Ut inclamari non immerito poſſit his viduis Naſonis illud 2. *Faſtorum, de abſtinentia à nuptiis in Februis.*

Dum tamen hæc fiunt, viduæ ceſſate puellæ:
Expectet puros pinea tæda dies.
Conde tuas, Hymenæe, faces, & ab ignibus atris
Aufer; habent alias mæſta ſepulcra faces.

Quamquam potiores ſunt, ut & graviores, Ambroſii ſententiæ, an Gemmæ, *libro de viduis*, ubi poſt alia de lugubri viduæ habitu, pompa funebri, & mæſtæ fronti impreſſa triſtitia: *ſuaſimus*, ait, *fateor, ut veſtem mutares, non ut flammeum ſumeres; ut à ſepulchro recederes, non ut thalamum præparares.* Addit, ad illius libri finem, de vidua nuptias repetente: *Nonne iterum paſſura quod repetit, & ad ipſos votorum tumulos, lamentorum ſtrepitus perhorreſcit? Vel cum accenſis funalibus nox ducitur, nonne pompæ funebris exequias magis putat, quam thalamum præparari?*

Hæc, quæ non tam in ſpeciem, quam in uſum 15 ſtudioſæ juventutis, de celebritate, & pompa ſponſalium, à viduarum luctu aliena, prænotavimus, eludi, aut declinari levi opera poſſunt, ſi obſervemus, inter alias privatas cauſas, minuendi luctus fœminarum, præter publicas ſcilicet, quibus intervenientibus, Senatus Conſulto luctus diminui, & triſtiores habitus, cæteraque id genus inſignia remitti fœminis ſolebant, *l. Decreto* 15. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog.* recenſeri à Pompejo Feſto *de verbor. ſignific.* verbo, *Minuitur*, illam, *cum deſponſa eſt*, ſive *cum puella deſponſaretur.* Quod utique ſi certum eſt, apparet, non obſtare lugubria, & luctum, quo minus ante tempus ejus expletum poſſit, quæ luget, deſponderi, quia eo ipſo luctus minuitur, & inſignia luctus deponere, jure licet. Id autem, quamvis pugnet quodammodo cum honore, & memoria mariti mortui, cujus vel ſolam cauſam ſufficere, indicendo legitimo fœminis luctui, ſupra affirmavimus; prævaluit tamen in hac re, publica nuptiarum utilitas, favorque, quarum non leviter frequentia impediretur, niſi liceat viduæ lugenti, ſponſalia ſaltem interim collocare, & conditionem nuptiarum quærere, poſt annum luctus, licite contrahendarum. Recte itaque docemur in *d. l. Solet* 10. §. 1. *Quæ virum eluget, intra id tempus ſponſam fuiſſe, non nocet.* Sive, ut ſcriptum eſt in *Synopſi lib.* 21. *tit.* 2. *cap.* 5. *μνη-ϛεῦσαι καλῶς μεμνηϛ*). Addimus in eamdem rem, moris præterea fuiſſe viduis pudicis, quas honeſta aliqua ratio adegit, de conditionibus nuptiarum, intra luctus tempus tractare, & ſponſalia jam tunc deligere, & expedire, ſic eorum ſolemnia, pompamque temperare, ut diſciplinam luctus non omnino laxarent, aut diluerent, ſed à conviviis, ornamentis, cæremoniiſque feſtivioribus interim abſtinerent. Exemplum habes in Hortenſii Martia, quæ poſt Hortenſii mortem, & in ipſo luctus primordio, Catoni renuptura (ſive ut aculeate Hieronym. *inter Hortenſium, Catonemque diſcurrens*, 1. ad Jovin. *cap.* 27.) *miſerando concita vultu, effuſas laniata comas, concuſſaque pectus vulneribus crebris, cinereſque ingeſta ſepulchri*, prioris fœdera conjugii repetit. Quo de Lucanum noſtrum audi *lib.* 2. ſevera illa nuptiarum ſymbola deſcribentem, qualiaque vel lugentem decerent:

Fœdera ſola tamen, vanaque carentia pompa
Jura placent, ſacriſque Deos admittere teſtes.
Feſta coronato non pendent limine ſerta;
Infulaque in geminos diſcurrit candida poſtes,
Legitimæque faces, gradibuſque acclivis eburnis
Stat torus, & picto veſtes diſcriminat auro:
Turritaque premens frontem matrona corona,
Tralata vetuit contingere limina planta.
Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus;
Balteus haud fluxos gemmis adſtrinxit amictus,
Colla monile decens; humeriſque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt anguſta lacertos.
Sic, ut erat, mœſti ſervans lugubria cultus,
Quoque modo natos, hoc eſt amplexa maritum.
Obſita funerea celatur purpura lana.
Non ſoliti luſere ſales, nec more Sabino
Excepit triſtis convicia feſta maritus.
Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui.
Junguntur taciti, contentique auſpice Bruto.

C A P U T XIII.

Ad leg. Si quis officium 38. *D. de ritu nupt. l. unic. Cod. Si Rector Provinciæ.*

A R G U M E N T U M.

P*Ræmiſſæ regulæ, de prohibitione nuptiarum, complectente ſponſalia, eſt alia exceptio in* l. 38. D. de ritu nupt. *Magiſtratus nuptiæ, cum Provinciali, interdictæ, non item ſponſalia, tametſi aliud in tutore, & pupilla: & quæ utriuſque ratio. Priore caſu an reddendæ arrhæ ſponſalitiæ? Affirmatur in* d. l. 38. *Negatur in* l. unic. Cod. ſi Rector Provinciæ. *Hac abrogari* l. 38. *creditum multis, contra quos expenduntur* Baſilica, *& Græci Scholiaſtæ. Rejecta itidem diſtinctio Cyrilli, inter Præſidem Provinciæ, & inferiores officiales. Rejecta & magis*

Hottomani opinio, de Triboniani manu in d. l. 38. *Sponſandi verbum, & Arrharum in ſponſalibus mentio, ante, & ſub Juriſconſultis. Tentata nova interpretatio, & diſtinctio, inter arrhas, & ſponſalitia munera. Propoſita etiam, nec tamen probata, conciliatio Briſſonii, & Academicorum, quibus tandem præfertur prima Accurſii, & Martini. Adnotatur, pro fori uſu, non extendi Decretum Tridentini, de forma matrimonii ad ſponſalia. Sed & ſubjungitur, pro Eccleſiæ uſu, expedire fortaſſe, certam aliquam formam ſponſalibus ab Eccleſia præſcribi. Sponſalium in Eccleſia vetere ſui etiam ritus, & teſtationes.*

1 SEd ut maneamus adhuc in ea regula, de prohibitione nuptiarum, pertinente ad ſponſalia, expendendum alterum eſt, ex ratione Juris, ſupra tradita, elucidandum exemplum, quod extat in *l. ſi quis officium* 38. *D. de ritu nupt.* ubi docemur, eum, qui officium in Provincia adminiſtrat, quamvis oriundam inde, aut domicilium ibi habentem, uxorem ducere non poſſit, tamen ſponſare eamdem, non prohiberi. Id porro, ut nunc generalem eam regulam, quæ proponitur in *d. l. ſi quis tutor* 60. *§. Quamvis* 5. *D. de ritu nupt. d. l. Cum hic ſtatus* 32. *§. ult. D. de donat. inter*, & exemplo huic opponitur, diſſimulemus; labefactatur tamen aperte, proprieque magis comparatione nuptiarum Rectoris Provinciæ cum Provinciali fœmina, & tutoris cum pupilla. Et ſane comparabiles ſpecies ſunt, cum utrumque nuptiarum genus eadem potentatus ratio prohibeat, ut Papinianus loquitur in *l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt.* juncta *l.* 2. *§.* 1. *D. de his, quæ ut indign.* Proinde & affirmandum videbatur, ſponſalia cum Provinciali fœmina collocare, Provinciæ Præſidi non magis licere, quam tutori cum pupilla. *dict. l. ſi quis tutor* 60. *§. Quamvis. l. Tutor* 15. *D. de ſponſalib.* Sed differentiæ, inter utrumque caſum, ratio, nondum notata vulgo, ea forſitan eſt. Quippe in tutore, quamvis & potentatus ratio matrimonii interdicto cauſam præbuerit, non ea tamen ſola, aut præcipua, ſed adjuncta eidem alia, & expreſſa forſitan Senatus-Conſulto, ne ſcilicet matrimonii obtendiculo, redditio rationum tutelæ inhibeatur, & fraudes, in adminiſtratione commiſſæ, diſſimulentur. *l. Libertum* 64. *§.* 1. *l. Non ſolum* 67. *§. Sed videamus* in fine, *D. de ritu nuptiar. l. penultim. Cod. de interd. matrimon.* Hæc autem ſecunda ratio perinde viget in ſponſalibus, à tutore cum pupilla contractis, quia perinde eorum prætextu, & reverentiæ, ac conjunctionis, inde natæ, vinculo, impediri facile poteſt exactio rationum tutelæ. At in Provinciæ Præſide, & ſimilibus, ſola potentatus ratio obſtat nuptiis, ne ſcilicet terrore poteſtatis, & impreſſione, extorqueatur matrimonium invitæ fœminæ. Quare cum tota interdictionis ratio libertatem matrimonii reſpiciat, eaque ipſa libertas maneat etiam, poſt contracta ſponſalia à Præſide cum Provinciali, quia eiſdem renunciare, & aliam conditionem nuptiarum quærere, liberum ſemper fœminæ Provinciali eſt, *dict. l. ſi quis officium* 38. *l. unic. Cod. ſi Rector Provinc. vel ad eum pertin. ſponſal.* non eſt cur jam miremur, ceſſante, libertatis matrimonii impediendæ, periculo, & ratione, qua prohibitio nititur, non produci eam à nuptiis ad ſponſalia, & licere Provinciæ adminiſtratori ſponſam eam habere, quam uxorem non poteſt. Accedit, quod &, ut Fulgoſius conſiderat in *dict. l. unic. Cod. ſi Rector Provinc.* ipſa hæc nuptiarum prohibitio temporaria eſt, non perpetua, & reſtricta ad id tempus, quo quis officium in Provincia adminiſtrat; idcirco nec obſtare debet ſponſalibus, quæ contracta ita ſunt, ut non, niſi poſt officium depoſitum, impleantur, ſeu perficiantur, matrimonii nomine, & jure. *d. l. ſi quis officium* 38. juncta traditis *Capite præcedenti*, pro explananda *l. Solet* 10. *§.* 1. *D. de his, qui not. infam.*

2 Subſiſtamus tamen parumper. Vellit enim aurem, & veluti anteſtatur inſignis nodus, quem ex ſententia *d. l. ſi quis officium* 38. juncta *l. unica, Cod. ſi Rector Provinc.* nectet facilius quivis, quam ſolvet; nam cum Paulus in *d. l.* 38. ſcribat, adminiſtrantem in Provincia poſſe, inde originem, aut domicilium habentem fœminam ſponſare: ita ſcilicet, ut poſt depoſitum officium liceat mulieri, renuntiate ſponſalibus, nuptiiſque, arrhis tantummodo redditis, quas acceperit; proditum è contrario eſt in *d. l. unica*, licere deſponſatæ fœminæ, & ejus parentibus, mutata voluntate, recedere à ſponſalibus, ita ut & ſponſalitias arrhas, ſeu pignora lucrativa habeant, ſi non putaverint, eſſe reddenda. Componendi tam aperti diſſidii ratio, non una tentata, Accurſio in *d. l. un.* verbo, *Pignora*, & in *d. l.* 38. verbo, *Arrhis* & exploſa novioribus. Nec feliciores iſti, &, inter eos, Cujacius *lib.* 4. *obſerv. cap.* 22. & in *recitat. ad eam l. unic.* Rævardus *lib.* 2. *var. cap. ult.* Faber in *Juriſpr. tit.* 9. *princ.* 1. *illat.* 12. queis noviſſime adlubeſcit Jacob. Gothofredus in *commentario ad leg. unic. ſi Provinciæ Rector in Cod. Theodoſiano*, &, ex noſtratibus Arias de Meſ. *lib.* 3. *var. cap.* 36. *num.* 23. dum, poſt Fulgoſium, in *d. l. unic.* & Baldum *inibi num.* 10. affirmat, aut abrogari in *d. l. un.* vetus jus *d. l.* 38. & remitti ſponſæ in ea ſpecie neceſſitatem arrharum reddendarum, aut ſententiam *d. l.* 38. ſic exaudiendam, ut provincialis mulier, ſponſalibus renuntians, non ſit obnoxia antiquæ pœnæ quadrupli, ſed impune renuntiet, *arrhis tantummodo redditis, quas acceperat*, nempe ſi velit reddere: quod & faciundum veluti ſupponitur, quia plerumque ita fit, & verecundiæ ſponſæ congruit, ut quæ repudiat ſponſum, nihil ex ejus bonis retinere velit, ut inſinuatur fere in *d. l. un.* ibi: *ſi ea non putaverint, eſſe reddenda*; & apud Anianum ad *l. un. Cod. Theodoſ. ſi Provinciæ Rector*. Non autem, quia ſi nolit reddere, cogatur; non enim cogitur, ut exprimitur in *dict. l. unic.* quomodo & exaudit, ſive exponit, Giffanius ad *l. penult. Cod. de ſponſal.*

Non feliciores, inquam, iſti; quippe non antiquari *dict. l. unic.* jus *dict. l.* 38. argumento, non levi, ſunt *Baſilica*, & eorum *Synopſis*, quibus in libris utrumque hoc caput, & *d. l.* 38. & *d. l. unic.* proponitur in eamdem ſententiam, quæ in Latinis hodie extat, ut videre eſt in *Baſilicis lib.* 28. *tit.* 1. *&* 2. & in *Synopſi lib.* 28. *tit.* 1. *cap.* 20. *& tit.* 5. *poſt caput* 40. quin & ſententiæ *dict. l.* 38. meminit Theodorus Balſamo *in Scholiis ad Photium in Nomocan. tit.* 13. *cap.* 2. ſententiæ autem *dict. l. unic.* Harmenop. in *promptuario lib.* 4. *tit.* 2. *§. de Præſidibus.* Simile autem vero non eſt, tam accurate Juris novi Græcanici Concinnatores, & Interpretes, utrumque illud Juris fragmentum in Rhapſodias ſuas contuliſſe, ſi repugnantia crederent, vel unum alteri derogare. Quid quod clauſula illa *dict. l.* 38. *arrhis tantummodo redditis*, neceſſitatem reddendarum arrharum innui, coarguit eadem clauſula, ad neceſſitatem itidem omnino referenda, in re ſimili, in *l. penultim. verſic. Sin vero, Cod. de ſponſalib.* & *Baſilica*, & Balſamo, apud quos clauſula illa *d. l.* 38. ſic abſciſſe, abſoluteque vertitur, *μόνας τὰς ἀῤῥαβῶνας ἀποδίδωσι, arrhas tantummodo reddit.* Porro ſicut vox illa, *tantummodo*, refertur eo, & pertinet, ne ultra ſimplum cogatur, arrhas reddere, ita & reliqua ejuſdem orationis evincunt, non modo liberum ei eſſe, ſi velit, ſed & cogi, reddere ſaltem in ſimplum. Quid denique, quod neque abrogari, *dict. l.* 38. & manere, Jure etiam noviori, poſt *dict. l. unic.* arrharum reddendarum neceſſitatem, extorquet vel invitis, *lex penultima, verſic. Quæ ita, Cod. de ſponſal.* Ubi Leo, & Anthemius Cæſares, aliquot poſt Gratianum, alioſque Auctores *dict. l. unic.* annis, præcipiunt, ſi poſt ſponſalia contracta, matrimonium conſiſtere jure non poſſit, propter perſonam, conditionem, aliamve cauſam ſimilem, quæ nuptias inhibet, debere ab eo, qui ſponſalibus renunciat, arrhas præſtitas tantummodo reddi, hoc eſt, ut Hermenopulus exprimit, *αὐτοὶ δὲ ἀῤῥαβῶνες ἀναδιδόσθωσαν ἁπλοῖ. Arrhæ quidem ipſæ reddantur, ſed ſimplæ.*

ſimplæ. Proinde ubi perſonæ conditio, qualis eſt Provincialis fœminæ, & Rectoris Provinciæ, nuptiis obſtat, conſequens eſt, reddi ſaltem ſimplarias arrhas debere.

4 Viam aliam, rei componendæ, ineunt Græci Scholiaſtæ, & inter eos primus, Cyrillus in *notis ad librum* 28. *Baſilicon tit.* 2. *de ritu nupt. ad dict. l.* 38. & conſentiens fere adnotator alter, apud Harmenop. *dict. lib.* 4. *tit.* 2. & ex Latinis, poſt Cujacium jam laudatum, noſter D. Nicolaus de Caſtro *exercit. Salmantic. prælect.* 3. *ad princip. Inſtitut. de empt. & vendit.* §. 24. *num.* 68. Diſtinguunt hi inter Præſidem, ejuſdemque liberos, propinquos, domeſticos, participes, ſive aſſeſſores, quibus Præſes ipſe in ſponſalibus collocandis operam dedit, ut proponitur in *dict. l. unica*, & inter adminiſtrantes in Provincia officium, de queis in *d. l.* 38. Præſidique ipſi ſubjectos, quales in officio, ſeu miniſterio publico Præſidis, & extra ejus tamen domum diverſantes, ideoque & a domeſticis, ſeu participibus diſtincti, & nuncupati Officiales, Cohortales, Apparitores fuerunt, Princeps, Cornicularius, Adjutor, Commentarienſis, Numerarii, Scriniarii, Exceptores, aliique ab actis, à libellis, & ab epiſtolis, quos Notitia Imperii recenſet. Diſcriminis, inter utrumque hominum genus, ratio ea redditur ab Anonymo Scholiaſte Synopſis, quem Carolus Labbæus exhibet *d. lib.* 28. nempe ὅτι χειρίζοντα τὰ ὀφφίκιον, μὴ πάνυ δυνάμενον ἐκφοβεῖν θεματίζει, τὸν δὲ ἄρχοντα, καθ᾽ ὑπερβολὴν εἶναι, φοβερὸν τίθεται, id eſt, *quia officium gerentem non eo uſque potentem eſſe, exterreado*, ſive, *non nimis eſſe poſſe terribilem, ſtatuit; Magiſtratum autem per excellentiam eſſe terribilem, proponit.* Sed & huic diſtinctioni quo minus acquieſcam, movet non leviter, quod non ſat cauſæ eſt, cur generalis illa mentio adminiſtrantis in Provincia officium, contrahi debeat ad inferiores, exterioresque Præſidum adminiſtros, cum perinde conveniat ipſis Præſidibus, Rectoribuſque Provinciarum, qui Provinciam adminiſtrare dicuntur, in *d. l.* 38. §. 1. & adminiſtrare in Provincia, *l. Aufertur* 46. §. *Quod à Præſide*, *D. de jure Fiſci*, cum ſimilibus, contra Cyrillum à Rævardo expenſis 7. *var. cap. ult.* Gothofredo ad *d. l. unic.* ut alia interim, alienaque ab Hottomano, huic diſtinctioni objecta, prætercam.

5 Plane quod ille ipſe Hottomanus 2. *amicabil. cap.* 11. ſive difficultate rei, ſive amicabilis in Cujacium aricationis ſtimulis præceps actus, contendit, Triboniano adſcribendum eſſe totum illum verſiculum, *Quamvis ſponſare*, uſque ad finem principii *d. l.* 38. vellem firmiori conjecturæ tibicine niteretur, quippe ne nunc meminerim ſententiæ *dict. l. penult. verſic. Quæ ita, Cod. de ſponſal.* de qua opportunius infra, quod ad reliqua Hottomani argumenta pertinet, non video in primis, cur Tribonianica vox habenda ſit, *ſponſare*, cum, *deſponſare*, verbum à ſimplici illo profluens, ſit noſtris, aliiſque Scriptoribus prioris, & purioris paulo latinitatis uſitatum, *l. Tutor* 36. *l. Non eſt* 66. *D. de ritu nupt.* Plautus in *milite glor. actu* 4. *ſcena* 2. Tertull. *de velandis virginib. cap.* 6. *Deſponſa enim quodammodo nupta.* & inibi ſæpe. Sueton. in *Julio cap.* 1. ac præterea affirmatur perquam audenter (ſubſcribat quamvis Hottomano Alb. Gentil. *lib.* 3. *de nupt. cap.* 16.) arrharum ſponſalitiarum nuſquam mentionem, apud Juriſconſultos, occurrere, earumque inſtitutum ad Cæſares, Juriſconſultis poſteriores, referri oportere, quaſi vero non idem Paulus in *l. ſi donatæ* 36. §. 1. *de donat. inter.* annuli, à ſponſo ſponſæ dati meminerit, eumque ipſum in emptionibus, arrhæ nomine, intervenire ſolitum conſtet, ex *l.* 5. §. *Item ſi inſtitor. D. de inſtitor. act. l. Ex empto* 11. §. *Is qui vina* 6. *D. de act. empti.* & in ſponſionibus, ex *l. ſi gratuitam* 17. §. *ultim. D. de præſcript. verb.* Denique & in ſponſalibus plerumque eorum contractorum argumentum, & ſymbolum, fideique datæ pignus & arrabonem annulum fuiſſe, nec modo apud Hebræos, de queis *Geneſis cap.* 38. ſed Juriſconſultorum ævo, & antiquiori, indicant non obſcure, Plautus in *milite glor. actu* 4. *ſcena* 1. Terentius in *Hecyra actu* 5. *ſcena* 3. Plinius *lib.* 33. *natur. hiſtor. cap.* 1. exerte Juvenalis in 6. *ad Poſthumum, ſponſalia parantem: & digito pignus fortaſſe dediſti.* Tertullianus in *Apologet. cap.* 6. *Aurum nulla norat, præter uno digito, quem ſponſus oppignerasſet pronubo annulo.* Idem *de Idolol. cap.* 16. *Neque annulus, aut conjunctio maritalis, de alicujus idoli honore deſcendit.* Et in commune de arrhis ſponſalitiis, ſeu ſubarrhatione, Julius Solinus, Paulo, & Juriſconſultis aliis ætate par, aut prior, in *Polyhiſtore cap.* 10. *Nuptura non parentum arbitrio tranſeunt ad maritos, ſed quæ, præ aliis, ſpecie valent, ſubarrhari volunt* (niſi tamen *ſubhaſtari*, legere mavis, ut Salmaſius, aliique cenſent, præeunte Pomponio Mela *lib.* 2. *cap.* 1. ubi de Getis) *& licentia taxationis admiſſa, non moribus nubunt, ſed præmiis.* Apulejus 5. *Aſin. aurei: Ego vero ſororem tuam jam mihi confeſtim arrha, atque his nuptiis conjugabo.* Capitolinus in *Maximino Juniore*, Paulo, & Ulpiano noſtris fere coævus, & de arrhis ab eodem Maximino datis, ſponſaliorum inſignibus: *Manſerunt autem apud eam arrha Regiæ, quæ tales fuerunt.*

Sane ſi Triboniani in hacce re peccatum aliquod 6
fuiſſe volumus, peccavit ille potius in verbis *dict. l. unicæ*, ex Theodoſiano Codice tranſcribendis, ubi illa eadem Conſtitutio extat in *l. unic. ſi Provinciæ Rector.* Cujus ſi ipſiſſimum contextum, qualem hodieque ibidem legimus, in Juſtiniani Codice repræſentaſſet, expeditior nobis jam eſſet, pugnæ hujus placandæ, ratio. Nunc autem, ſive Triboniani id incuria, ſive ſciola cura accideret, pro verbis illis, *ſponſalia dederit*, quæ in principio *d. l. un.* Theodoſianus Codex agnoſcit, ſcriptum in Juſtiniani Codice eſt, *arrhas ſponſalitias dederit.* Inter eas vero lectiones diſcrimen multum; nam ſponſalium, ſive ſponſalitiorum voce, quam ſolam Theodoſianus Codex præfert, præter repromiſſionem ipſam futurarum nuptiarum, ſignificari etiam, & comprehendi ſolent, tam arrhæ, & ſymbola fidei, inter ſponſos oppigneratæ, ut in *l. Patri* 6. *Cod. Theodoſ. de ſponſalib. l. unic. Cod. ſi nuptiæ ex reſcript. pet.* quam ſponſalitia munera, & largitates à ſponſo in ſponſam collatæ. *l.* 2. *Cod. de ſecund. nupt. l. Prædia* 8. *Cod. de prædiis minor. Novella* Valentiniani *de Epiſcopali judicio. l. ultim. Cod. de ingen. manum.* Jam vero & arrhæ ſponſalitiæ, quamvis ſint velut pignora, ut & vocantur in *dict. l. Patri* 6. *Cod. Theodoſ. de ſponſal.* juncto Petro Chryſologo *ſerm.* 5. quia his *humaniorum ſponſaliorum pignoribus ſubarrhantur* ſponſæ, ut Hieronymus loquitur *de laude Virginitat.* Cujacio laudatus; proprie tamen, partiteque diſtinguuntur à pignoribus, quippe hæc ſic dantur, ceduntque loco rei, pro qua obſtringuntur, ut ea præſtita reddatur pignus debitori. Ut in *l. Cuicumque* 5. §. *Item ſi inſtitor* 15. *D. de inſtitor. act.* Arrhæ autem ſunt veluti partes rei, quæ debetur, & ideo ſic traduntur, non ut reddantur, ſed ut complendæ ſint, præſtito reliquo, quod promiſſum, ut, poſt Varronem *lib.* 4. *de lingua Latina*, monet Iſidorus *lib.* 5. *Orig. cap.* 25. *& lib.* 9. *cap.* 8. Proinde & diſtinguendæ multo magis arrhæ, & *extrinſecus data pignora*, qualia nominantur in *dict. l. unic.* eaque circumlocutione ſignanter deſcribuntur ſponſalitia munera; quæ generali appellatione ſponſalium comprehenſa jam fuerant, initio ejuſdem Conſtitutionis, juxta lectionem Theodoſiani Codicis. Nam ut arrhæ, fidei nuptiarum obſtringendæ, inter ſponſos, ita & munera ſponſalitia, benevolentiæ, amorique, inter eoſdem teſtando, veluti oppignerantur, indeque pignora data extrinſecus, hoc eſt, præter ſponſalium fidem, & vinculum, dicuntur.

Ergo, lectione iſta Theodoſiana, ejuſque expla- 7
natione ſuppoſita, aut in *principio dict. l. unicæ* in Juſtiniani Codice, pro verbis illis, *Arrhas ſponſalitias*, legendum eſt, *arrhas, aut ſponſalitia*, quomodo Gothicus Theodoſiani Codicis Paraphraſtes, Anianus exprimit, in *dict. l. unica*, aut ſaltem juxta mentem, lectionemque Theodoſii Codicis, ſic res elucidanda, ut cum initio *dict. l. unic.* propoſita ſit

quæſtio, de Provinciæ Rectore, qui Provinciali fœminæ ſponſalia dederit, hoc eſt arrhas, & munera ſponſalitia, quorum utrumque ſponſalium vox complectitur, utrique etiam quæſtionis capiti reſpondeat deciſio ejuſdem *l. unic.* qua & duo caventur. Primum quidem de arrhis, in *verſic. Non modo*, ubi ſcribitur, fœminam ipſam, ejuſque parentes, Juris laqueis liberari, pœnæque ſtatutæ expertes eſſe, *quæ quadruplum ſtatuit*, ut legimus in Theodoſiano Codice, hoc eſt, quadrupli arrharum, quæ ante Conſtitutionem Leonis in *l. penult.* in fine, *Cod. de ſponſalib.* fuit legitima pœna, ſponſalibus renuntiantium. *l. Patri 6. C. Theodoſ. de ſponſal. l. unic. eodem Cod. ſi nuptiæ ex reſcript. pet.* Secundum vero, quod cavetur, eſt, de ſponſalitiis muneribus, ſive pignoribus, extrinſecus acceptis, in verſic. *Sed extrinſecus*, nempe ut ea lucrativa habeant, ſi non putent eſſe reddenda; quia quamvis reddi munera hæc ſoleant à ſponſo, aut ſponſa, cujus culpa matrimonium non ſequitur, *l. Cum veterum 15. Cod. de donation. ante nupt. l. 3. tit. 11. part. 4.* in propoſito tamen nulla culpa eſt fœminæ Provincialis, quæ nuptias recuſat. Igitur quod ad arrhas attinet, non negatur in *dict. l. unic.* reddi eas à ſponſa debere, juxta ſententiam *d. l. ſi quis officium 38. d. l. pen. verſic. Quæ ita* (nam & earum alia ratio eſt, quam munerum, cum illæ ſint intrinſeca, ut ſic dicam, pignora nuptiarum, quîs non ſequutis, reddi, æquum eſt; hæc autem, pignora data extrinſecus, hoc eſt, non tam nuptiarum, quam mutuæ dilectionis inter ſponſos) ſed eximitur dumtaxat ſponſa pœnæ quadrupli. Neque eſt, cur vel ex eo arguteris, eximi eam à redditione arrharum, cum eximatur quadruplo, in quo & arrharum quantitas continetur. *d. l. penult.* in fine. Id enim ut verum ſit, quoties quadrupli pœnæ locus erat, tamen ubi ei pœnæ ſponſa eximitur, non eſt itidem conſequens, ut & ſimplo earumdem arrharum eximatur, cum ejus reſtitutio non ſit pœna, quinimo diſtinguatur à pœna quadrupli, ut in *l. unica, Cod. Theodoſ. ſi nuptiæ ex reſcript. petantur.* Ejuſque rei exemplum appoſitiſſimum extat in *d. l. Patri 6. Cod. Theodoſ. de ſponſal.* ubi remiſſa pœna quadrupli, manet tamen obligatio, reddendi ſimpli arrharum.

8 Hæc noſtra de ſententia *d. l. unicæ*, & conciliatione cum Paulo in *d. l. 38.* non paucis abhinc annis cogitatio fuit; quæ ſi cui tamen, ut & eſt præter mentem ex Latio, & Græcia Interpretum, (quin & Baſilicorum, quorum in corpore, & *Synopſi* pars illa *dict. l. unicæ, ſed extrinſecus data pignora lucrativa habeant*, accipitur conſtanter de arrhis, & exprimitur ita, *κερδαίνειν τὰς ἀῤῥαβῶνας*) ſcrupuloſior, aut longiuſcule petitâ videbitur, ſequatur per me licet (me tamen nec ducente, nec ſequente) conciliationem aliam, quam, poſt Briſſonium *de jure connubiorum pag. 51.* Academicis Anteceſſoribus placere video, ſcilicet ut ſententia Pauli in *dict. l. 38.* obtineat, cum ſponſalia ſola ab adminiſtrante in Provincia, datis arrhis contracta ſunt, quo caſu cum nihil ille peccaverit in mandata Principum, quibus nuptiæ cum Provinciali, non autem ſponſalia inhibentur, *dict. l. 38.* nihil etiam cauſæ eſt, cur arrhis excidat, quin potius bono, & æquo congruit, ut ſicut liberum ſponſæ eſt, renuntiare ſponſalibus, finito officio, & nuptias recuſare, ita & arrhas in ſimplum ſaltem reſtituit. *d. l. 38. d. l. penul. verſic. Quæ ita.* Cæſarum autem Conſtitutio in *d. l. unica*, referenda eſt ad eum caſum, quo ſimul cum ſponſalibus, & arrhis datis, nuptiæ ab adminiſtrante Provinciam contractæ ſunt. In quo, ni Principum mandata offenderint, permittitur eo caſu fœminis, & earum parentibus, Rectoribuſque, à nuptiis reſilire, & arrhas lucrifacere. Cui diſtinctioni etſi non uſquequaque faveat contextus *d. l. unica*, tamen & adaptari facile poſſet, niſi & alia obſtarent, ex Juris ratione, expenſa acriter à Gothofredo *ad dict. l. unic. C. ſi Provinc. Rector.* qui & ad *l. 6. Cod. Theodoſ. de ſponſal.* conjectatur, pœnam quadrupli arrharum inductam fuiſſe, ex legibus Julia, & Papia. Aſt de eo nos opportunius ad *caput de ætate ſponſalium.*

Illud potius adjicimus, & firmiore aſſenſu firmamus, in *dict. l. 38.* mutatam voluntatem à ſponſa, 9
poſt depoſitum officium à Præfecto, at in *dict. l. unica*, officio adhuc durante, quæ fuit prima Accurſii, & apud eum Martini ſolutio in *gloſſis d. l. unicæ*, quam & placuiſſe video, aliquot, poſt hæc exarata, annis, ſcribenti & edenti, & diſtinguendi utriuſque caſus, luculentam, ut ſolet, rationem reddenti, noſtro quondam ex aſſe in Academicis ſucceſſori, nunc autem & primario, & communi Magiſtro Don Joſeph Reteſio *de donationib. tom. 2. cap. 22. num. 9.*

Sit jam, velut mantiſſa diſputationis noſtræ de ef- 10
fectu prohibitionis nuptiarum, producendo, aut non, ad ſponſalia, & diſtinctionis in hac re propoſitæ, *Capite ſuperiore*, illatio ad fori uſum, quæ ſequitur. Ergo cum, ut huc uſque tradidimus, prohibitio matrimonii ad ſponſalia pertineat, tunc cum illa abſoluta, & perpetua eſt, nec diſpar prohibitionis ratio in nuptiis, & ſponſalibus, nec tam de pœnæ, quam de prohibitionis jure quærimus, non autem ſi ad tempus, aut certum contrahendi modum reſtricta prohibitio ſit, & diverſa ſponſalium cauſa, & nuptiarum, iſtarumque pœnalis prohibitio; conſequens hodie eſt, prohibitionem Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi *Seſſione 24. de matrim. reformat. cap. 1.* cujus Decreto, matrimonium aliter, quam coram Parocho, aut de ejus, Ordinariive licentia, alio Sacerdote, & duobus, tribuſve teſtibus contrahi, prohibetur, & aliter contractum eſſe irritum, nulliuſque momenti, declaratur, non pertinere ad ſponſalia, ut vocamus, de futuro, ſive repromiſſionem futurarum nuptiarum. Primo, quia prohibitio hæc S. Concilii non eſt indefinita, & abſoluta, ſed reſtricta ad ſpeciem matrimonii clandeſtini, modumque ejuſdem contrahendi, ſine Parocho, & teſtibus; proinde & nihil vetat, quo minus ſponſalia ſine Parocho, & teſtibus contrahantur, ſi ſequantur deinde nuptiæ, inoffenſa forma Concilii. Secundo, quia Tridentini Decreti ratio, qua prohibitio matrimonii clandeſtini, novaque ejuſdem contrahendi forma ſubnititur, proſpexit gravibus peccatis vitandis, *quæ ex clandeſtinis conjugiis ortum habent, præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt; & cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo ab Eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poteſt, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur*, quomodo fere Synodus loquitur. Hæc autem ratio, & adulterii cum alia uxore, poſtea ducta, periculum, in ſponſalibus non æque viget, quia ſi, ſponſalibus clam, aut publice contractis neglectis, nuptiæ cum alia contrahantur, valent hæ ipſæ matrimonii vinculo, & Jure, & ſponſalia cum alia prius contracta ſolvuntur, & evaneſcunt. *cap. penult. de ſponſalib. cap. 1. de ſponſa duorum, cap. ultim. 27. quæſt. 2.* Ergo diverſa ratio cum ſit, non eſt, cur producatur interdictum matrimonii clandeſtini ad ſponſalia, argumento proprii ad rem *textus in dict. l. ſi quis officium 38. D. de ritu nupt.* Tertio denique, quia Concilii cautio in eo Canone, quatenus pœnam irriti injungit matrimonio clandeſtino, ſtrictæ, & pœnalis interpretationis eſt, & quatenus coarctat libertatem, aliter quam ex Synodi forma contrahendi, eſt correctoria veteris recepti Juris, & utroque reſpectu coanguſtandæ potius, quam producendæ ad conſequentias. Idcircoque nec pertinet ad ſponſalia, ut in re ſimili docuimus ſupra *cap. 11. ex l. ſolet 10. §. 1. D. de his, qui not. infam. l. In eo 45. §. hoc caput, D. de ritu nupt.* concinit receptiſſima traditio Gloſſæ in *Clementina 1.* verbo, *Contrahere, de conſanguinit.* Quibus argumentis, poſt Navarrum, alioſque, innumeros ſententiæ, & illationi noſtræ adlubeſcunt, *P.* Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 12.* Gutierr. *eodem tractat. cap. 4. & de juram. confirm. 1. part. cap. 51. ex num. 3.* Baſil. Legion. *de matrim. lib. 12. cap. 5. num. 6.* alii apud Zænodum in *practicis quæſt. 30. num. 22.* &, pluribus laudatis,

laudatis, Auguſt. Barboſa in *collectan. ad Concil. Tridentin. dict. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *num.* 146. ſæpiuſque ita Eminentiſſimos Romanæ Eccleſiæ Cardinales cenſuiſſe, oſtendit Farinac. 4. *part. declarat. Cardinal. in cap.* 1. *de matrim. ſeſſ.* 24. *Tridentinæ Synodi.*

11 Quin & libens adjicio, ſint licet ſponſalia ſine Parocho, & teſtibus, hodie contracta, immunia a prohibitione, & pœna Concilii, videri tamen gravibus, cordatiſque viris, & inter eos, Ferdinando Mendozæ *de Concilio Illiberitano confirm. lib.* 3: *cap.* 35. è Chriſtianæ Reipublicæ bono valde futurum, certam aliquam, ſolemnemque contrahendi formam, ſponſalibus ab Eccleſia præſcribi, aliterque contracta irrita deinceps decerni, exemplo Tridentini Canonis in matrimoniis clandeſtinis. Quippe quamvis ex occultis ſponſalibus non ſit illud periculum perpetui concubinatus, ſive adulterii, ex tranſitu ad nuptias cum alia, ut jam diximus; inficiari tamen non poſſumus, ſponſalibus non palam, & teſtato contractis, anſam quamdam, ac veluti illecebram pravis moribus dari, fidei ſponſalium impune rumpendæ, eluſis, ut perſæpe fit, mulierculis miſeris, quas ſponſalium nomen illexerat. Conſtat autem, inter noſtrates, gravis, & lethalis peccati reum eſſe, frangentem, ſine cauſa, ſponſalium fidem, ideoque & grave id crimen, & diris devovendum, ſive abſtentione communionis, dicitur in *cap. ſi qui* 31. *quæſt.* 3. conducunt *cap. Deſponſatas* 46. *cum ſeq. & cap. ult.* 27. *quæſt.* 2. *cap.* 1. *de ſponſa duorum.* D. Thom. in 4. *diſtinct.* 27. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 2. ſane, Jure Romano vetere, tametſi non omnino in ſponſalibus teſtatio, & ſcriptura exigeretur, *l.* 4. *l. In ſponſalibus* 7. *D. de ſponſalib.* fuiſſe tamen ſua etiam, ſcitaque ſolemnia ſponſalium, fidei teſtandæ, ac præter auſpices, proxenetaſque, & ſimiles, quos ſponſaliorum turbam vocat Sueton. in *Auguſto cap.* 53. Scripturam, ſive Tabulas ſponſalium, & repromiſſionis futurarum nuptiarum, ciſque tabellis ſignandis, teſtes adhibitos, oſtendunt, Tertull. *de velandis Virgin. cap.* 12. ibi: *Hæ ſunt tabellæ priores naturalium ſponſaliorum.* Servius in *Virg.* 10. *Æneidos:* meminitque ejus veteris Juris, & inſtrumentorum, in ſponſalibus, Alexius Comnenus *Novell.* 3. *de ſponſal.* ſed & Eccleſiaſtico antiquo Jure, peragi ſolita, ante Leonem Cæſarem, cognomento Philoſophum, etiam inter impuberes, & de futuro ſponſalia ſolemniter, benedictione Sacerdotis, ſacraque precatione adhibita, propria ſponſalium, & diverſa à nuptiali, docuit me Leo idem *Novella* 74. Alexius Comnenus *Novell.* 3. & 4. *de ſponſal.* earumque Conſtitutionum memores, Harmenop. in *promptuar. lib.* 4. *tit.* 1. Photius in *Nomocan. tit.* 13. *cap.* 8. ubi & Theodorus Balſamo in *Scholiis*, eoque forſitan reſpiciunt Troslejanum Concil. *cap.* 8. ante medium. Syricius *Epiſtol.* 1. *ad Himmerium cap.* 4. extat in *cap. de conjugali* 50. 27. *q.* 3. tametſi aliter ibi, poſt Gratianum, vulgo accipiatur. Quapropter neque inſolens, neque alienum ab Eccleſiæ, & civili uſu, videri poteſt, ſtatum aliquem, ſolemnemque teſtationis ritum in ſponſalibus definiri, quo prætermiſſo, ea nullius momenti ſint, totque clancularium ſponſionum fraudibus occurratur.

CAPUT XIV.

De Donationibus inter conjuges, contra legem Juliam. Ad leg. 3. §. 1. *l. Cum hic ſtatus* 32. *§. ultim. D. de donationib. inter.*

ARGUMENTUM.

IN quæſtione proſcripta non valere, ipſo jure, donationes, cenſuit Antonius Faber, imputans Triboniano contextum dict. l. 22. § ultim. *è contra Nos cum Latinis, & Græcis, valere ipſo jure: quod & firmamus varie, ac valide*, ex l. Si voluntate 7. Cod. de donat. inter, *ac demum ex ratione Juris. Exponitur in hunc ſenſum, quin & pro eo expenditur*, lex 3. §. 1. D. de donat. inter. *Cujus & ratio elucidatur. De objectione* ex l. Si concubina 17. D. rer. amotar *impeditior, & operoſior eſt ſolutio nodi*, in dict. l. 32 §. Si quis ſponſam, *cujus in theſi, obſervata veſtigia ſenſuum Juriſconſultorum. & ad rem noſtram conſequentia. Affirmatur, donationem in illa theſi, mero jure valere. Error qualitatis uxoriæ non facit ut donatio non teneat, ipſo jure, ſicut nec alius error cauſæ præteritæ donandi: idque adſtruitur ſolide, & plene ex diſciplina Juris, niſi conditionaliter cauſa exprimatur, aut vertatur in efficientem; quo tamen caſu, quod mero jure valuit, eliditur exceptione: inter cauſam præteritam, & conditionem, ſive impulſivam, & efficientem, ac finalem, diſcretio, ex Philoſophis, & Juriſconſultis. Jam pro* dict. §. Si quis ſponſam, *reſpondetur, cum Fulgoſio, verba* Nullam eſſe, *exaudienda, quoad effectum, quod & varie illuſtratur. Tandem ad* l. Si voluntate 7. *Interpretamentum.*

1 ACcedant, circa effectum prohibitionis nuptiarum inter Senatorios, & libertinas, de quo tam multa huc uſque ex *cap.* 7. *cum ſeqq.* quæſtiones aliæ ejuſdem argumenti; nempe de donationibus, legatis, dotibus inter conjuges, qui, contra Juliæ legis præſcriptum, nuptias inierunt, veluti Senator cum libertina, aut è contra. In primis autem, quoad donationes, tractata quæſtio eſt, in noſtra ſpecie, ab Ulpiano in *l.* 3. §. 1. *l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ultim. D. de donationib. inter.* Quibus locis, ſi Senatoris filia libertino, contra Senatus Conſultum, & Marci Orationem, quæ Juliam legem ſubſecuta eſt, nupſerit, aut Senator, contra inhibitionem ejuſdem Juris, libertam uxorem duxerit, alterque alteri, ea forma, & facie, veluti nuptiarum, manente, donaverit, quæſitum eſt, an valeat donatio. Dubitandi cauſa perelegans, quam & Ulpianus exprimit, in *d. l.* 3. §. 1. nimirum quia eo Jure poſito, quo donationes inter virum, & uxorem, ſive inter, matrimonio, nuptiiſve, junctos inhibentur, conſequens eſt, ubi viri, & uxoris, ſive nuptiarum, matrimoniique jus deficit, donationes valere, ceſſareque eo caſu prohibitionem Juris; ſicut & prohibitio furti actionis exercendæ inter conjuges, ceſſante matrimonio juſto. *l. ſi concubina* 17. *D. de actione rer. amotar.* Conſtat autem, non modo antiquo Jure Juliæ, Papiæque legis, ante Marci Orationem, & Senatus Conſultum, nuptiis, à Senatorio cum libertina initis, deficere jus, nomenque ſolemnium, ſeu juſtarum nuptiarum, *l. ſi Senatori* 31. *l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* ſed & poſt Orationem, & Senatus Conſultum adeo eas non tenere matrimonii vinculo, & jure, ut neque validæ nuptiæ ſint. *l. Oratio* 16. *D. de ſponſalib. l. Oratione* 16. *D. de ritu nupt. d. l.* 3. §. 1. *verſ. Ergo.*

Qua tamen dubitandi ratione neglecta, reſpondet 2
contra Ulpianus in *dict. l.* 3. § 1. *Fas non eſſe, eas donationes ratas eſſe, ne melior ſit conditio eorum, qui deliquerunt*, quorum verborum ſtructura, ſimulque Juris illa ratione, quæ in hac re redditur, in *dict. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *penult. D. de donat. inter.* ut evincatur, donationes has nullas eſſe, quia factæ, non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad uxorem, quæ uxor non erat, impediente Juris prohibitione, deceptus inter alios Antonius Faber *de error. dec.* 79. *err.* 4. contendit, donationes has, in prohibitis nuptiis factas, non magis valere, quam quæ inter juſtos conjuges fiunt, & conſequenter, ipſo Jure, nullius momenti eſſe; proinde nec defendi ex ratione Juris poſſe, & adſcribendum Triboniani imperitiæ, quod de eiſdem donationibus, quaſi mero Jure valerent,

rent,

rent, eripiendis donatario, tamquam indigno, & in Fiſcum cogendis, traditur in *d. l. cum hic ſtatus* 32. *§. ult.*

3 Ego autem in primis, quod attinet ad ſententiam *dict. l.* 3. *§.* 1. aſſentior potius Accurſio, Baldo, Saliceto, illic, & in *dict. l. Cum hic ſtatus* 32. *§. ultim.* Fulgoſ. in *l. Ea quæ* 5. *C. de donationib. ante nupt.* Gloſſæ in *cap. ultim.* verbo *Conſtante, de donat. inter.* affirmantibus, donationes tales inter conjuges, νομιζομένους, ſeu putativos, valere ſummo Jure, &, ut loquuntur, de Juris rigore (quamvis ex æquitate effectum non habeant, de quo poſtea) nec modo quoties bona fide utriuſque, ſive alterutrius impedimentum Juris ignorantis, ſed indiſtincte, etiamſi mala fide, & ſcientia utriuſque, nuptiæ, contra prohibitionem, ineantur. Idque primum mihi ſat exprimit Ulpianus ipſe, in *dict. l. §.* 1. dum docet, ſi aliquod impedimentum interveniat, ne ſit omnino matrimonium, donationem valere; indeque infert in *verſic. Ergo*, ſi Senatoris filia libertino, contra Senatus Conſultum, nupſerit, valituram donationem, quia nuptiæ non ſunt. Quod Enthymema, ſive ex primo enunciato conſecutio, cum legitima, & ſtricti Juris regulis conſentanea ſit, evincit etiam, attentis eiſdem regulis, donationes haſce valere. Firmatque id ipſum clarius latior contextus *ejuſdem §.* 1. *l.* 3. *lib.* 30. Baſilicon *tit.* 1. apud Scholiaſtem, verbis ſervientem, quem vocant τὸ πλάτος, ubi cum perinde enuntietur, & inferatur, valere, inter prohibitos conjuges, donationes, quia inter eos nuptiæ non ſunt; ſubjungitur, ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἡ ἀκρίβεια. *Cæterum hæc mero jure. Non eſt autem fas, eas donationes valere, ne delinquentes in nuptiis injuſtis, melioris conditionis ſint, quam qui eas ſecundum leges contrahunt.*

4 Deinde hoc idem fortiter probat Alexandri Reſcriptum, in *l. Si voluntate* 7. *Cod. de donation. inter*, ubi proditum eſt, donationem collatam à pupilla, quæ ex voluntate patris nupſit filio tutoris, eſſe ipſo jure irritam; è contra vero donationem, factam ab eadem pupilla, ipſo jure tenere, ubi matrimonium jure non valuit: veluti quoties, patre non deſtinante, aut deſpondente, nupſit, contra Senatus Conſultum, filio tutoris, non alia utique differentiæ, inter utrumque caſum, ratione, niſi quia priore caſu, cum matrimonium jure conſtiterit, ex voluntate patris deſtinantis, deſpondentiſve filiam filio tutoris. *l. Tutor* 36. *l. Non eſt* 66. *D. de ritu nupt. l. Qui pupillam* 7. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. Si Patris* 6. *Cod. de interd. matrim. inter pupill.* Eſt etiam locus prohibitioni donationum, inter juſtos conjuges, ideoque & illæ ipſo jure irritæ ſunt. *l.* 3. *§. Sciendum*, *D. de donationib. inter*. Secundo autem caſu, cum matrimonium jure non conſtiterit, refragante Senatus Conſulto, de quo in *dict. l.* 1. *cum ſeqq. Cod. de interd. matrim.* conſequens etiam eſt, ceſſare prohibitionem donationum, utpote inter non conjuges, ideoque eas ipſo jure tenuiſſe, affirmatur, in *dict. l. Si voluntate* 7. Accedit, rei ſubtilius firmandæ, quod & ſubſequitur in *d. l. Si voluntate* 7. tametſi indigna perſona ejus fuerit, qui nec maritus poteſt dici, nempe filii tutoris, qui, contra Senatus Conſultum, pupillam, non à patre deſtinatam, uxorem duxit; utiles tamen actiones ſuper revocandis his, quæ pupilla huic marito donavit, competere pupillæ. Porro ſi donatio ipſo jure non magis conſtitiſſet, quam quæ inter veros conjuges fit, nec dominium in donatarium transferretur, *d. l.* 3. *§. Sciendum*, juncta *l. Nunquam* 31. *D. de acquir. rer. dom.* & directa vindicatio rei donatæ extantis, aut directa condictio conſumptæ, donatori competeret. *l. Si ſponſus* 5. *§. ult.* alias *l.* 6. *cum ſeq. l. Si ſtipulata* 33. *§.* 1. *l. Si donatæ* 36. *D. de donat. inter.* Ergo quod utiles dumtaxat actiones, pro donatis revocandis, indulgentur pupillæ, in *d. l. Si voluntate* 7. manifeſto argumento eſt, tenuiſſe ipſo jure donationes, in prohibitis nuptiis factas, ad quas alioquin revocandas, fruſtra utiles actiones indulgerentur, ſi directæ ſuppeterent, *l.* 1. 2. & 3. *D. de præſcrip. verb.* quod poſtremum, extorquente ſententia *d. l. Si voluntate* 7. fateri tandem cogitur vel invitus, atque immemor eorum, quæ in principio aſſeruerat, Anton. Faber *d. error* 4. *in fine, & ſeq.* Nec diſſimilis, & non ſpernendæ forſitan notæ, eſt, quod reſcribitur in *l. Eum qui* 13. *in fine, Cod. ad leg. Jul. de adulter. l. Ea quæ* 5. *Cod. de donat. ante nupt.* mulierem, cui ut ſponſæ promiſſum eſt, ab eo, qui uxori alii alligatus, hanc, ficto cælibatu, & ſponſione, ſollicitabat ad nuptias, Jure omni illicitas, *non poſſe* promiſſa *petere cum effectu*; quo ipſo veluti inſinuatur, poſſe petere ipſo jure, utpote ex promiſſione mero jure valida, quamvis, quoad exactionis effectum, petitioni obſtitura exceptio ſit, quomodo verba hæc, cum effectu valere, petere, obligari, aut ipſo jure tantum, apud Juriſconſultos diſtingui ſolent. *l. Ex his omnibus* 54. *D. de cond. indeb. l. Quamvis* 8. *§. Si mulieri* 12. *D. ad S. C. Vellejan. l. In hoc* 14. *§. ult. D. communi divid.*

Sed & pro eadem parte expendi poteſt, quamvis in aliis cum propoſitis fere pugnans, quod ſcriptum eſt in *d. l. Cum hic ſtatus* 32. *§. ult.* ea, quæ donata ſunt in illicitis nuptiis, quaſi ab indignis ablata, Fiſco vindicari. Nam, cum quæ indignis auferuntur, ſint ejus conditionis, ut in perſona eorum, quibus data, aut relicta ſunt, ipſo jure conſtiterint, ſed poſtquam eis adquiſita ſunt, non permittetur, retinere, & auferantur, eripianturque, & Fiſco vindicentur, ut vel ereptitiorum nomen indicat, & notiſſima diſtinctio indignorum, & incapacium. *l.* 2. *D. de his, quæ ut indign. l. penult. D. de jure Fiſci. l. Si quis* 26. *D. de lege Cornel. de falſ. l. Cum hæreditas* 4. *l. Cum fratrem* 9. *Cod. de his, quibus ut indign.* Ulpianus *tit.* 19 *§. Lege* juncta *l.* 4. *D. ne quis eum, qui in jus vocab.* Ea ipſa ablatio donationum, tamquam ab indignis, & in Fiſcum delatio ſupponit, donationes ipſo jure conſtitiſſe, & adquiſitas fuiſſe donatariis, quibus utique non adquirerentur, neque conſiſterent, ſi prohibitione donationum, inter conjuges, apprehenderentur, *dict. l.* 3. *§. Sciendum*; ne interim expendam, tanquam remotius, exemplum legati, aut hæreditatis, relictæ in illicitis nuptiis, veluti à pupilla tutori, aut à provinciali fœmina Præfecto, cui, contra prohibitionem, nupſit, ubi tamquam indignis adquiſita eripi, & proinde adquiri, & valere, ſicut donationes mero jure, ſupponitur in *l.* 2. *§.* 1. juncta *l. Claudius* 13. *D. de his, quæ ut indign. l. ult. D. de legat.* 1. 5

Denique, apud me, rem in aperto fere relinquit, ratio ipſa Juris, qua attenta, non occurrit prohibitionis aliquod genus, quo donationes illæ irritæ, inaneſve fiant. Quippe nec prohibitio donationum, inter conjuges, proprie, & ſtricte non apprehendit eas, quæ fiunt inter non conjuges, neque ulla alia legum civilium prohibitio eſt, quibus donationes hæ labefactentur, ipſo jure. Nam quod proferri poteſt ex *l. Qui contra* 4. *l. Si quis* 6. *C. de inceſt. nupt.* quibus vetiti conjugii initores, quoquo modo inter ſe donata conſequi, prohibentur (ut omittam, novas eas ſanctiones, & Ulpiano adeo noviores, parum proprie ei, & aliis anterioris ſeculi, & Juris auctoribus explanandis, applicari) utcumque tamen ſit, non eo pertinet, ut donationes ipſo jure non teneant, nec earum jus, ſed effectum, eaſdem conſequendi, reſpicit, facitque, ut ſic donata, tamquam indignis, eripi, & vindicari Fiſco, debeant, ut exprimitur in *dict. l. Qui contra* 4. Proinde vel eo ipſo ſupponitur, donationes ipſo jure conſiſtere: & ſane, quid ni conſiſtant, quæ nullo jure ſtare prohibentur? 6

Noſtræ huic aſſertioni, quæ ſtatuit, valere, mero jure, donationes, in prohibitis nuptiis factas, favent potius, quam refragantur, Ulpiani verba in *dict. l.* 3. *§.* 1. ibi: *Sed fas non eſt, eas donationes ratas eſſe, ne melior ſit conditio eorum, qui deliquerunt.* Nimirum hiſce verbis non negatur, donationes ſummo, meroque jure valere, quod & Ulpiani ejuſdem collectio, & argumenta, ſupra perpenſa, ſatis oſtendunt, ſed honeſtatis, ſive æquitatis quadam ratione (quam, ut a jure certo diſtinguat, fas Ulpianus appellat) ſuaderi, 7

ſuaderi, ne donationes iſtæ ratæ eſſe debeant, hoc eſt, nec in futurum confirmari, neque ad effectum, exitumve perduci, quomodo, ea locutione, ratum eſſe, non ſemel Juris noſtri Auctores utuntur. *l. Donationes* 31. §. *ultim. D. de donat. l.* 4. §. 1. *D. pro ſuo*, juncto *tit. D. ratam rem hab.* cum aliis ſexcentis. Itaque lego magis, quam in hac re laudo, Harmenopulum *lib.* 4. *promptuarii tit.* 11. *in princ.* & Concinnatores *Eclogæ Juris Græcanici* Baſilicon *lib.* 30. *tit.* 1. *cap.* 2. dum, facta, brevitatis forſan ſtudio, exæquatione donatorum in legitimis nuptiis, & prohibitis ſcribunt de utriſque pariter, & eiſdem verbis ἀνίσχυροι εἰσὶ αἱ δωρεαὶ, id eſt: *Invalidæ ſunt donationes*; illæ enim, quæ inter juſtos conjuges, proprio, ſummoque jure invalidæ: At iſtæ è contra validæ mero jure, ſed ſine effectu; quia donata eripiuntur quaſi ab indignis, & Fiſco vindicantur, *dict. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ultim. D. de donat. inter*, ubi quod Ulpianus præmittit, *& putem etiam, ſponſalia improbanda*, reſpondet eo ipſo quæſtioni, quæ in eo erat, an ſaltem, quaſi in ſponſalibus, factæ donationes valerent, ut in priore parte præcedentis §. *ſi quis ſponſam*: nec ineptiæ Triboniani imputandum, quod ait, *putem*, quaſi non opinionis, ſed indubiæ aſſertionis res eſſet, quoniam, imo in Senatore, res non indubia Ulpiano, quia Oratio de ſponſalibus non locuta, & ſupplenda ex lege Julia fuit, *l. Oratio* 16. *D. de ſponſal.* & in tutore, non pro explorato habuit, ſed *intelligendum ita eſſe* Paulus ſcripſit, *l. ſi quis tutor* 60. §. *Quamvis. D. de ritu nupt.* & in aliis, *qui matrimonium copulare prohibentur* (ut ſcriptum eſt in *d. l.* 32. §. *ult.* phraſi non Tribonianica, ut Faber vult, ſed Ulpiano, aliiſque Juris auctoribus, non inſolenti, *d. l.* 32. §. *Oratio* 16. *l. ſi extraneus* 6. *D. de cond. cauſ. dat. l. Copulatdir* 8. *C. de nupt.*) dubitari juſtius potuit, argumento ex *l. ſi quis* 38. *l. in eo* 45. §. *hoc caput* 4. *D. de ritu nupt. l. Solet* 10 §. 1. *D. de his, qui not. inf.* quamvis plerumque exiſtimandum ſit, ut & Ulpianus putat, prohibitis abſolute, & perpetuo nuptiis, etiam ſponſalia improbanda, *d. l. ſi quis tutor* 60. §. *Quamvis*, diximus late ſupra *cap.* 11.

8 Jam vero cauſa illa honeſtatis, æquitatiſque, quam Ulpianus expendit, *ne melior ſit conditio eorum, qui deliquerunt*, apertiſſima eſt, & appoſitiſſima; nam cum certum ſit, delinquere eos, qui prohibitas nuptias contrahunt, *l. ultima D. de leg.* 1. conſequens etiam eſt, non debere eos ex ſuo delicto meliorem conditionem ſuam facere, quam ſi non deliquiſſent. *l. Non fraudantur* 134. §. 1. *D. de regul. jur. l. His ſolis* 7. *in fin. Cod. de revoc. donat.* Quod ſane accideret, ſi quæ donata juſtis conjugibus capere per leges non licet, hi, vel ideo quia injuſti, conjuges, capere, & retinere cum effectu poſſent. Accedit, quod &, ex eadem æquitatis ratione, prohibitio illa Papiæ legis, quæ juſtos conjuges, liberis carentes, inter ſe matrimonii nomine non ultra decimam capere ex teſtamento patitur, teſte Ulpiano *tit.* 15. juncta *l.* 2. *C. de infir. pœn. cælib.* quamvis ceſſare videatur in non juſtis conjugibus, quales ſunt Senatorii libertinæ, & ingenui famoſæ nuptiis conjuncti, tamen & ad eoſdem porrigitur, ut nihil inter ſe capiant, ut Ulpianus ait, *tit.* 16. §. *Aliquando*, hoc eſt neque ultra decimam, ne melior ſit eorum delinquentium conditio, neque decimam ipſam, quia injuſtas nuptias, ad præmia legibus tributa juſtis nuptiis, proficere indignum eſſet, *l. Filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt. l. unic.* §. 1. *D. unde vir, & uxor.* Similiter accuſatio, & pœna adulterii, quamvis in ea, quæ uxor legibus eſſe non poteſt, & contra earum prohibitionem ducta eſt, exerceri non poſſit, jure mariti, ne jus, & beneficium, juſto marito datum, ei indulgeamus, qui contra jus maritus eſt, *d. l. Filio* 48. §. 1. non omnino tamen ceſſat accuſatio, ſed exercetur extranei jure, ne ob id ipſum impune ſit adulterium uxori, quod contra leges uxor eſt, ſive ne, quia nubendo contra leges deliquit, melioris conditionis ſit, *l. Si uxor* 13. §. *ſed & ſi ea* 4. *D. ad leg. Jul. de adult.*

Nec contrarium, ſed, eadem ratione inverſa, diverſum eſt, quod, pro ratione dubitandi, attulimus ex *l. ſi concubina* 17. *D. de act. rer. amotar.* ubi prohibitio exercendi actionis furti, inter conjuges, contrahitur ad conjuges juſtos, ceſſatque inter eos, in quibus matrimonium non eſt, utpote contra leges contractum. Quippe obſervandum eſt, prohibitionem hanc reſpicere matrimonii honorem, & reverentiam perſonarum conjugum, inter quos turpes, aut famoſas actiones exerceri, fas non eſt, *l.* 1. *&* 2. *l.* 3. §. *Sed &* 2. *D. de act. rer. amot. l.* 2. *C. eod. tit.* quocirca & indignum viſum eſt, beneficium hoc, ſive jus legitimæ ſocietatis conjugum, & juſtarum nuptiarum, produci ad eos, qui, injuſtis nuptiis initis, in leges committunt *dict. l. ſi concubina* 17. juncta *dict. l. filio* 48. §. 1. *l. unic. D. unde vir, & uxor.* At è contrario donationum prohibitio, inter conjuges, quamvis & ipſorum favorem, præſertim donatorum, reſpicere quadantenus videatur, ex cauſis traditis in *l.* 1. 2. *&* 3. *l. ſed ſi vir* 31. §. *Quod legaturus* 7. *D. de donat. inter.* continet tamen proprie, quoad donatarios, ſeveritatem Juris, & aliquatenus in donatore, ob coarctationem libertatis donandi, *l. Illud* 5. §. 1. *D. de pactis dotal. l. Cum multæ* 20. §. *Simpliciter*, *Cod. de donat. ante nupt.* unde & odioſa, correctoria, exorbitans, prohibitio hæc à Pragmaticis noſtris vocari ſolet. Proinde quamvis inter injuſtos conjuges, ceſſante prohibitionis forma, & favore, donationes, ipſo jure, valeant, ut diximus; cum tamen grave exemplo ſit, clauſtra hæc, & repagula ſtricti, & ſeveri Juris, quæ conjugibus juſtis obſtant, relaxari non juſto conjugi, eidemque donatario indigno, ut vel ideo melioris conditionis ſit, quia deliquit, rectiſſime affirmatur in *dict. l.* 3. §. 1. donationes has, effectu, ratas eſſe non debere. Nam ſi & antiqui legumlatores, quod extraneis, ac ſæpe ignotis in donationibus, ſucceſſionibuſque tribuitur, nec conjugibus juſtis concedunt, *reprimendum inter hos potius, ut in loco ancipiti, quam incitandum fervorem mutuum, arbitrati*, ut eleganter ſcriptum eſt in *l. ultim. Cod. Theodoſ. de legitim. hæred.* quanto acrius reprimendus ille eſt, & coërcendus inter injuſtos conjuges, ne in illicitis nuptiis cauſam velut, titulumque liberalitatis, invicem exercendæ, & capiendi effectum nanciſci videantur. 9

Acrius ſane aſſertioni noſtræ adverſatur, & Fabro favet, tametſi ab eo ad rem non perpenſus, Ulpianus in *d. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ultim* juncto *præcedente* §. *ſi quis ſponſam*. Scriptum in eo eſt, ſi quis ſponſam habuerit, deinde eamdem uxorem duxerit, cum non liceret, eique mox donaverit, videndum eſſe, an donationes, quaſi in ſponſalibus factæ, valeant. Subjungitur autem, tractari hanc quæſtionem à Juliano, in perſona puellæ, minoris duodecim annis, & majoris ſeptenni, quæ in domum quaſi mariti, veluti uxor, non fiat interim matura, veluti uxor, non fiat interim matura, fortaſſis *libro* 21. *Digeſtorum*, in quo ſimilem quæſtionem tractavit, ut liquet ex *l. Falſus* 11. §. *Julianus*, *D. quod falſo tut.* Rei autem explicandæ, in primis Julianus ſupponit, fieri puellam, ea ipſa deductione, ſponſam, quamvis uxor non fiat interim, quia per ætatem non licet. In quo tamen Ulpianus in *dict.* §. *ſi quis ſponſam*, verius eſſe ait, quod & viſum Labeoni, fortaſſis *libro poſteriorum* 3. *in l. pen. ult. D. quando dies leg. ced.* aut *lib.* 6. *in l. Quod vir* 65. *D. de donat. inter*, & Papiniano *lib.* 10. *quæſtionum in l. Dotis* 68. *D. de jure dot.* denique ab Ulpiano ipſo ex Labeone, & Papiniano propoſitum in *l. Quæſitum* 9. *D. de ſponſalib.* juncta, & jungente obſervatore magno Cujacio 1. *cap.* 15. *l. Quæſitum* 17. §. *ultim. D. de rebus auctor. jud. poſſid.* alias *l.* 2. *in fine de privil. cred. l. ſi uxor* 13. §. *ſi minor* 8. *D. ad leg. Jul. de adult. l. Hæc conditio* 10. *D. de condit. & demonſtr.* nimirum diſtingui oportere, an deductionem immaturæ puellæ præceſſerint ſponſalia, parte interpoſita, quæ durant prorſus etiam, poſt deductionem ejus, tamquam uxoris; an vero non præceſſerint,

rint, quo caſu ſola ductio neque facit ſponſalia, quorum contrahendorum animus non fuit, neque nuptias, quæ contrahi per ætatem non potuerunt. Unde & ad quæſtionem propoſitam initio *d. §. ſi quis ſponſam*, Ulpianus infert, ſi ſponſalia præceſſerint, valere donationem, quaſi factam in ſponſalibus (ad quam utique diſtinctionis partem referenda eſt; laudatus Labeo in *l. quod vir* 65. *D. de donat. inter*) ſi vero non præceſſerint, *nulla* eſt, inquit, *quia non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad uxorem fecit, & ideo nec Oratia locum babebit.* Sentit itaque aperte Ulpianus, nullam eſſe ipſo jure, in ea ſpecie donationem, exprimitque id, tum verbis, quæ ſponſalibus præcedentibus valere, & illis non præcedentibus nullam eſſe, adeo ut nec Oratione firmetur, oppoſitis, veluti ex adverſo, ſpeciebus, affirmat; tum ratione Juris, qua utitur, quia non tamquam extraneæ, ſed quaſi uxori, quæ non eſt, fuit donatum. Cui ſententiæ, & rationi cum eodem fere contextu; & verborum tenore ſubjungat, in *d. §. alt. d. l.* 32. ſpeciem de Senatore, libertinam deſpondente, & donationibus factis, quaſi in ſponſalibus, & affirmat, etiam ſponſalia improbari, evincit eadem Juris ratio, & Ulpiani mens, etiam in hac ſpecie, donationes ipſo Jure eſſe nullius momenti, utpote non præcedentibus, quia non quaſi ad extraneam ſunt factæ, ſed quaſi ad ſponſam, quæ nec fuit, nec eſſe potuit; quomodo & comparantur in re, non diſſimili, hi caſus ſponſæ immaturæ, & contra leges ductæ, ab eodem Ulpiano in *l. Hæc conditia* 10. §. 1. *D. de condit. & demonſtr.*

11 Nihil, ut videtur, nobiſcum prima ſpecie pugnantius, hac Ulpiani ſententia in *dict. §. Si quis ſponſam cum §. ſeq.* Cui tamen, priuſquam reſpondeamus, eaque interim ſepoſita, diſpiciamus ex ratione Juris, an in quæſtione prima *dict. §. ſi quis ſponſam*, donatio, facta puellæ, ante duodecim annos, uxori ductæ, cum qua ſponſalia non præceſſerunt, cenſeri debeat nulla ipſo Jure; an potius ita nulla, ut effectu non teneat, tametſi mero Jure valeat. Ego autem, præeunte Raphaële Fulgoſio, *in dict. l. Ea quæ* 5. *num.* 2. *Cod. de donat. ant. nupt.* & apertius *in l. Eam quam* 14. *Cod. de fideicommiſſis*, *num.* 5. non dubito, quin poſtremum hoc certius ſit, idque Ulpiano ipſo auctore, qui, ut donationem nullam eſſe, non præcedentibus ſponſalibus, probet, ratione illa utitur, *quia non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad uxorem fecit.* Atqui hæc ratio æque evinceret in priori diſtinctionis parte, in qua ſponſalia præceſſerunt, donationem nullam eſſe, quia non donatum eſt quaſi ſponſæ, ſed quaſi uxori, quæ nec eſt, nec eſſe tunc poteſt. Et tamen ea ratio non obſtat, quo minus tunc omnino valeat donatio. Igitur nec obſtabit, quo minus in poſteriori ſpecie valeat ſaltem mero Jure.

12 Sed Ulpianum, ut dixi, ſepono, & hoc ipſum oſtendo generali ratione Juris; quippe aut donator ſciens, prudenſque, uxorem non eſſe, quam immaturam duxerat, ei tamquam uxori donavit, aut per errorem putans, uxorem eſſe, quæ non erat. Primo caſu extra omnem dubitationem eſt, valere donationem, nec modo ipſo Jure, ſed effectu quoque, quamvis ſponſalia non præceſſerint. Nihil enim hic vitii, quod donationi obſtare poſſit, præter falſam demonſtrationem, à ſciente donatore uſurpatam qualitatis perſonæ donatarii, de qua alioquin conſtat, vitiare donationem. §. *Huic proxima* 30. *cum §. ſeq. Inſtit. de legat. l. Demonſtratio* 17. §. 1. *l. Falſa* 33. *cum l. ſeq. D. de condit. & demonſtr.* At ſecundo caſu, ad quem proprie magis Ulpiani diſputatio refertur, in *d. §. Si quis ſponſam*, nempe cum per errorem exiſtimans, uxorem eſſe, quam ante annos nubiles duxerat, ei tamquam uxori donavit, non minus certum apud me eſt, donationem ipſo Jure valere, ſive non facere eum errorem, ut ſit nulla ipſo Jure. Conſtat etenim de perſona, cui donatum voluit donator, errorque vertitur dumtaxat in qualitate, ſcilicet uxoria, ejus perſonæ, quæ uxor non erat; cujuſmodi error nec conſenſum excludit, nec donationi obeſſe debet, ſicut neque inſtitutioni, aut legato *l. falſa* 33. *D. de condit. & demonſtrat. l. His verbis* 48. *§. ult. l. Nemo* 58. §. 1. *D. de hæred. inſtit. l. Non ideo* 5. *Cod. eod. tit.* juncto §. *Siquidem in nomine* 29. *Inſtit. de legat.*

Et ut dicas, errorem hunc qualitatis uxoriæ dif- 13
fundi veluti in errorem cauſæ donandi; fuit enim ea cauſa donandi, quia, per errorem, eam, cui donabat, uxorem eſſe, cum non eſſet, exiſtimabat, proinde nec donare aliter voluit, quam ſi uxor vere eſſet, ut Ulpianus ſentit, & nos fatemur; affirmamus tamen adhuc conſtanter, non fieri, hoc errore, donationem invalidam ipſo jure. Error enim cauſæ præteritæ voluntariæ donandi, aut contrahendi, (qualis hic eſt, quia uxorem fuiſſe credidit, quæ non fuit) etiam quo caſu ea falſa cauſa exprimitur, relatis in præteritum verbis (niſi conditionaliter, ſive conditionis forma, & tenore exprimatur, *d. l. demonſtratio* 17. §. *at ſi conditionaliter, D. de condit. & demonſtr. l.* 3. §. *ſi tamen* 13. *D. de bonis lib. l. cum ad præſens* 37. *D. de reb. cred. l. Conditio* 100. *l. ſi ita* 120. *D. de V. O. l. Cum in ſecundo* 16. *D. de injuſto rupto*) quantumvis falſam cauſam fuiſſe, conſtiterit, neque repetitionem donati tribuit, *l. Damus* 52. *l. in ſumma* 65. §. *Id quoque* 2. *D. de condit. indeb. l.* 2. §. *ult. l.* 3. *D. de donat.* neque impedimento eſt, quo minus ipſo jure valeat ob eam cauſam relictum, legatumve, cui nimirum ratio legandi non cohæret, ut Papinianus loquitur in *l. cum tale* 72. §. *falſam cauſam* 6. juncta *l. demonſtratio* 17. §. *quod autem* 2. *D. de cond. & dem.* §. *Longe magis* 31. *Inſtit. de legat. l. Generali* 32. §. *Duas* 6. *D. de uſufr. leg. l. Aurelius* 28. §. *ultim. D. de libert. leg. l. Qui uxori* 18. *D. de auro & arg. leg. l. Cum quidam* 21. *D. de legat.* 2. *l. ult. in fin. D. de hæred. inſtit.* Quin eo etiam caſu, quo appparet, non aliter donaturum quem fuiſſe, quam ſi vera cauſa, & qualitas eſſet, ob quam donabat, & præterita illa cauſa, ſive impulſiva, ὁρμητικὴ αἰτία, vertitur in efficientem, ſive ποιητικὴ, non tamen fit invalida ipſo jure, aut nulla donatio, ſed petenti donatario exceptio doli objicitur, utpote ei, qui occaſione Juris Civilis, quo attento donatio valuit, contra voluntatem donantis utatur, ac proinde dolo contra æquitatem, *dict. l. Cum tale* 72. §. *Falſam* 6. juncta *l.* 1. §. 1. *l.* 2 §. *Circa, D. de doli except. l. ſi quis cum alter* 36. *D. de verbor. oblig. l.* 1. *C. de falſa cauſa, adjecta leg.* aut ſi legatum, inſtitutio, donatio, traditione ad effectum perductæ ſint, repetitioni ob errorem, defectumque cauſæ, locus fit. *l.* 3. *l. ſi pater* 4. *l. Nec apud* 7. *Cod. de hæred. inſtit.* junctis *l.* 1. §. *ult. D. de Carboniano Edict. l. Auſertur* 46. *D. de jure Fiſci. l.* 2. §. *ult. cum l.* 3. *D. de donat. l. In ſumma* 65. §. *Sed agere* 3. *D. de condit. indebit.* juncta item *l.* 1. *D. de condict. ſine cauſa.* Quæ tamen ipſa doli exceptio, & repetitio, ſeu conditio, conſtitiſſe mero jure donationes, aut relicta, adeo ut earum actio, & adquiſitio eſſet, evincit (ut & optime evincitur ex *l. ult. in fine, D. de hæredib. inſtit.*) cum & exceptio actionem ſupponat, *l.* 2. *D. de except.* & condictio translationem dominii rei, quæ condicitur. *l. ult. in fine, D. uſufructuar. quem cau.* §. *Sic itaque diſcretis* 14. *Inſtit. de action.* Diverſum autem, propriumque jus exhæredationis, quæ per errorem facta filii, ſi filium fuiſſe probetur, nullius momenti fuiſſe, intelligitur, *l. Si poſthumus* 14. §. *ult. D. de liber. & poſth. l.* 1. §. *Idem ait, D. de Carbon. Edict.* vel exhæredationis odio, vel quia cum certo magis, & explorato judicio egeat filii exhæredatio, quam inſtitutio, *l. Sub conditione* 18. *D. de bonor. poſſ. contr. tabul.* non cenſetur rite illa facta, quæ per errorem facta eſt. *l. Non putavit* 8. §. *Non quævis. D. de bonor. poſſeſſ. contr. tabul. l. Si impubes* 7. §. *interdum, D. de Carbon. Edict.* ita fere, poſt Accurſium, Caſtrenſis in *l. Si pater n.* 3. *Cod. de hæred. inſtit.*

Poſtremo, ut ad rem propius, ſive ex re ipſa ar- 14
gumentemur, errorem qualitatis uxoriæ, ſive falſæ cauſæ nuptiarum, ob quam donatur, non efficere, quin donatio valeat ipſo jure: probat aperte, ex-

pen-

penſus ſupra, *textus in l. Si voluntate 7. C. de donat. inter.* in pupilla, tutoris filio contra jus nupta, eique tamquam marito excuſabili errore, cum talia non ſit, donante, & tamen affirmatur, donationem ipſo jure tenere, & pupillæ pro revocatione non directam, ſed utilem actionem competere. Conſpirat in eamdem ſententiam, quod de relictis à pupilla tutori, cui ignorans contra jus nupſit, ei tamquam indigno eripiendis, & conſequenter mero jure validis, proditum eſt in *l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ ut indign.* Conſpirat & quod ſupra, ex Ulpiano ipſo, expendimus in *d. §. Si quis ſponſam*, ubi ſponſalia præceſſerunt, valere ipſo jure, & effectu donationem, factam quaſi uxori ei, quæ neque uxor erat, neque eſſe poterat, quæ valitura tamen non erat, ſi qualitatia uxoriæ error, ipſo jure, nullam faceret. Nec diſſimilem expenſionem habet inſinuatio illa petendi, ſaltem ipſo jure, quamvis non cum effectu, promiſſa tamquam ſponſæ ei, quæ ſponſa eſſe non potuit, in *d. l. Ea quæ 5. Cod. de donat. ante nupt. l. Eum qui 18. in fin. C. ad leg. Jul. de adult.* de queis ſupra ſignantius aliqua. Denique & fere in ſpecie *textus* in *l. Si pater 4. Cod. de hæred. inſtit. l. Auſertur 46. D. de jure Fiſci*, juncta, & ad eum ſenſum redigenda, *l. Neque 5. C. de teſtam.*

15 Hæc de errore falſæ cauſæ præteritæ, validitatem actus ipſo jure non impediente, cum ex generali, & germana Juris ratione cenſeantur, cujus auctoritas apud artis magiſtros, interpretum adſtipulatione non eget (quamquam & ſi quis iſtam deſiderat, adeat, licet, poſt alios, Donell. *lib. 14. com. cap. 10.* Anton. Fabr. in *ration. ad l. Damus 52. D. de cond. indeb.* Dom. Larream *deciſ. Granat. 66. num. 6.*) ac præterea quoad ſpeciem, *dict. l. 32. §. Si quis ſponſam*, firmentur ſpecialibus locis, quorum meminimus, cogimur neceſſario, non aſſentiri Baldo, in *l. Eam quam 14. num. 22. Cod. de fideicom.* & poſt alios Eman. Coſtæ in *cap. Si pater 1. part.* verbo, *Uxorem, num. 16. de teſtam.* in 6. P. Barboſæ in *l. Si cum dotem 22. §. ultim. num. 20. & 27. D. ſolut. matrim.* P. Thomæ Sanctio *de matrim. lib. 6. diſput. 2. num. 7. & 9.* Scipion. Gentili *de donat. inter. lib. 4. cap. 2.* Arias de Meſa *lib. 3. var. cap. 22. n. 19.* Queis conſenſiſſe, nollem, noſtrum Reteſium *de donation. inter. cap. 2. num. 2. & 3.* affirmantibus, donationes tamquam uxori factas ei, quæ neque uxor eſſe poterat, nec ſponſa erat, eſſe nullius momenti ipſo jure, idque non ſolum in ſpecie *dict. §. Si quis ſponſam*, ſed etiam in §. *ſeq. de donatis inter conjuges illicitos*; quia error, & defectus, ut aiunt, finalis cauſæ donandi, nempe matrimonii, ſive qualitatis uxoriæ, facit, ut, ipſo jure, donatio, ex defectu voluntatis, nulla ſit. *dict. §. Si quis ſponſam.* Cujus contrarium tam ex Juris ratione, & regulis in commune, quam in ſpecie harum donationum, evicimus ex *d. l. Si voluntate 7. dict. l. Eum qui 18. dict. l. Ea quæ 5.* quas expendit, neque expedit, Jaſon *ubi nuper num. 16.*

16 Ac præterea, ut vel curſim illos, alioſque, ex foro, libelliones in acceptione finalis cauſæ, non ſemel ſibi imponentes, aliiſque, niſi caveant, impoſituros, moneamus, finalis cauſa non eſt in præſens, vel præteritum, ſed in futurum; illa ſcilicet, *propter quam quid fit*, ut ait Ariſtotel. *2. phyſic. cap. 3.* ſive ad quam conſequendam, tamquam finem, intenditur, & actus dirigitur, unde & illam vocat, *propoſitum faciendi operis*, Seneca *epiſt. 65.* & Angelicus Thomas *primam inter omnes cauſas. 1. 2. quæſt. 1. art. 2.* ſicut Ariſtoteles cauſam cauſarum, quia propter eam, & ut ea ſequatur, aliæ cauſæ operantur, & præcedunt. Quin & noſtri Juriſconſulti, quamquam, latiore cauſæ vocabulo, complectantur etiam cauſam futuram, ſive finalem, propter quam, ut ſequatur, datur, aut fit. Ut in titulis *D. & Cod. de condict. cauſa data, cauſa non ſequuta*; tamen cum partite, diſtincte, &, ut ſic dicam, *διαγνωστικῶς* ſeu doctrinaliter loquuntur, cauſam accipiunt in præteritum, vel præſens, & ſeparant à futura, aut finali, quam, non cauſam, vocant, ſed potius rem, ſeu conditionem. *l. Damus 52. l. In ſumma 65. in princip. & §. Id quoque cum ſeqq. D. de cond. indeb. l. 1. D. de condict. ob turp. cauſ. l. 8. §. ultim. cum l. 3. D. de donat. l. 3. l. Si repetendi 7. Cod. de cond. ob cauſ. dat. l. demonſtratio 17. §. Quod autem. l. ſi ita 12. D. de cond. & demonſtrat.* juncta *l. Qui pecuniam 30. de reb. cred.* de qua perite noſter, & ex bene fundata Juris peritia in Schola, & Foro Primarius, D. Joſephus Retes *tom. 2. opuſcul. lib. 8. cap. 16.* fortaſſe Stoica notione, & ſenſu, qui unicam efficientem cauſam agnoſcunt, ſive opificem, ut ait Seneca *d. epiſtol. 65.*

At, utcumque de cauſæ nomine ſit, illud ſaltem de re, & ad rem conſtare debet, præteritum, præſenſve matrimonium, & ex eo contractam jam, vel ſuppoſitam qualitatem uxoriam, non poſſe dici, aut eſſe cauſam finalem, in donante, tamquam ei, quæ uxor jam eſt, ſed impulſivam (& quoties aliter donaturus non eſſet, efficientem donationis, & ut talem ſufficientem, ut, quamvis ipſo jure donatio conſtiterit, repetatur tamen detecto errore, ſeu defectu cauſæ efficientis, ut ſupra expreſſimus) ut poſt Oldradum *conſil. 5.* notat in propoſito Monterius Cueva *deciſ. civili 10. num. 26.* cui junge in ſimili, ſi vacat, Fontanell. *de pact. nuptialib. clauſ. 4. gloſſ. 1. num. 14. & ſeqq.* Cutell. *de donat. 1. tomo tract. 1. diſc. 3. part. 6. ex num. 2.* Donat. Anton. Marin. *lib. 1. variar. cap. 87. num. 5. & cap. 85. ex num. 2.* D. Larrea *deciſ. 33. 2. 13. & 60.* nec fore extra cenſuram juſtam eos, qui cauſam etiam præteritam pro finali habent, expenduntque, ſi prœmialibus verbis exprimatur, abutentes phyſicis elementis, & brocardica allegatione, *l. ultim. D. de hæredib. inſtit.* quales, præter laudatos Coſtam, Barboſam, Sanctium, & alios, Tiraquellus in *tract. ceſſante cauſa, limitat. 1. num. 27. 31. & 64.* multis, & poſt multos, D. Valençuela *conſ. 119. ex num. 57. 66. & 80.* ac de finali, & impulſiva cauſa, in eumdem ſenſum plura, ex aliis, Caſtillo *lib. 5. controv. cap. 172.* D. Larrea *allegat. Fiſcal. 81.* Olea *de ceſſ. tit. 2. quæſt. 7. n. 2.* 17

Sane hiſce ſtabilitis, ut exertis in contrarium verbis *dict. §. ſi quis ſponſam*, quæ ſponſalibus præcedentibus, valere donationem, *ſi minus nullam eſſe*, exprimunt, *quia non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad uxorem* fecit, faciamus ſatis, Fabriana conjectura omiſſa, Tribonianum, ut ſolet, accuſante, *dict. dec. 79. err. 6.* reſpondemus potius interim, poſt Fulgoſium, in *d. l. Eam, quam 14. num. 5.* adverſativam illam aſſertionem *dict. §. ſi quis ſponſam, valere, & nullam eſſe*, referendam pariter eſſe, ad effectum ſcilicet, ut quemadmodum priore caſu, nempe ſponſalibus præcedentibus, donatio, quamvis tamquam uxori facta, valet, ſeu ſuſtinetur, quoad effectum, ſive rata futura eſt, ut eo reſpiciens loquitur Labeo, in *l. Quod vir 65. D. de donat. inter.* ita è contrario in poſteriori ſpecie, ubi ſponſalia non præceſſerunt, donatio, utcumque ipſo jure valida, tamen nulla ſit, quoad effectum, utpote cum neque cum effectu peti à donataria, *dict. l. Ea quæ 5. dict. l. Eum qui 18.* & à donante, ſi tradiderit, repeti, poſſit, *dict. l. ſi voluntate 7. Cod. de donat. inter.* quoniam non quaſi extraneæ, ſed quaſi uxori donavit, ſive ut Ulpianus, Græca phraſi, aliis etiam Juris auctoribus uſitata, nec Grammaticæ Fabri ferulæ obnoxia, exprimit, *non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad uxorem fecit.* Et ideo *nec Oratio locum habebit* in hac donatione, ſive non confirmabitur, præmortuo donatore, Oratione Severi, quæ ad ſolas donationes inter maritum, & uxorem factas, & propter matrimonium, ipſo jure, invalidas, pertinet. *l. Cum hic ſtatus 32. §. Oratio 16. & §. ſi ſponſus 22.* juncta *l. 3. Sciendum 10. D. de donationib. inter.* Proinde non ad factas quaſi uxori ei, quæ neque uxor erat, neque eſſe poterat, & invalidas, quoad effectum, non propter matrimonium, ſed ex defectu voluntatis. Plane quod nullam donationem, interpretamur de nullo effectu, tametſi mero Jure valida, nec præter morem, mentemque eſt Juris Auctorum. *l. Et eleganter 7. §. ſervus pactionis, D. de dolo l. ſi creditor 13.* 18

D. de liberat. leg. juncta *l. Marcellus* 66. *l. nihil* 112. *D. de regul. jur.* Imo nec ſine exemplo, apud Ulpianum ipſum, in *eadem l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ſi ambo*, *D. de donationib. inter.* ubi nullius momenti donationem eſſe, aut valere, dicitur, quoad effectum confirmationis, ſeu non repetendi, quomodo donationes inter injuſtos conjuges, valere ſcilicet mero jure, & ratas non eſſe, quoad effectum, explicuimus *ſupra*, Ulpiano explicando, in *l.* 3. §. 1. *D. de donationib. inter.* Sic & quod non deberi, dicitur ei, cui tamquam filio per errorem, cum non eſſet, relictum eſt, in *l. neque* 5. *Cod. de teſtament.* exaudiendum eſt, non deberi cum effectu, ita ut cum effectu peti, aut acceptum retineri, poſſit, ſicut non deberi legatum, ſcriptum in re ſimili eſt, in *l. penult.* §. *Seia*, *D. de adim. leg.* & non poſſe peti, in *l. ſi inimicitiæ* 9. *D. de his, quæ ut indign.* pro eo quod eſt, non deberi, aut peti poſſe cum effectu, quia petenti exceptio obſtat. *l.* 3. §. *ult. l. ſi ſervus* 15. *l. Ex parte* 22. *D. de adimend. legat.*

19 Sic denique explanari poteſt, quod Ulpianus ſcribit, in *l. unica*, *D. unde vir, & uxor*, de quo, capite ſequenti, opportunius. Firmavimus huc uſque non modo in ſpecie *d. l. cum hic ſtatus* 32. §. *ſi quis ſponſam*, ſed ex profeſſo in quæſtione §. *ult.* ejuſdem legis, donationes inter illicitos conjuges, veluti Senatorem & libertinam, vel tutorem, & pupillam, ipſo, meroque jure, valere; Adrianus & ſimul, expoſita dubitandi, & decidendi ratione, ratas non eſſe effectu, ſed auferri, quaſi ab indignis, & Fiſco vindicari, *dict. l.* 32. §. *ult. l.* 3. §. 1. *D. de donationib. inter.* Quæ cum ita ſint, obſcura valde eſt, & ex adverſo oppoſita huic ſecundæ parti aſſertionis, Conſtitutio Alexandri, in *l. ſi voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* dum docet, pupillæ, tutoris filio contra jus nuptæ, ſi eidem donaverit, quamvis donatio ipſo jure teneat, & indigna perſona donatarii ſit, qui nec maritus dici poteſt, quia matrimonium jure non valuit, utilem tamen actiooem, pro donatis revocandis, competere. Non vident, aut prætereunt conniventer hunc obicem, plerique ex jam laudatis, inter quos tamen, poſt Accurſium, Baldum, Albericum in *dict. l.* 32. §. *ultim.* notant, Accurſi ſenſum explanantes, & ſuſtinentes, Fulgoſius & Salicetus ibidem, & in *dict. l. ſi voluntate* 7. Cujac. *lib.* 1. *definit. Papin.* in *l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt.* Scipio Gentilis *lib.* 4. *de donat. inter*, *cap.* 3. (quos, & Fabrum *decad.* 79. *err.* 5. Accurſium ſequi, & ſuſtinere potius, quam inſectari, oportuiſſet) notant nempe, quamvis differentiæ ratione parum expoſita, in *d. l. ſi voluntate* 7. tractari de pupilla, tutoris filio nupta, & donante, eaque inſcia prohibitionis nuptiarum, vel decepta, aut coacta, quæ ſingula probabiliter ſupponuntur. Ut in *l. ultim. D. de leg.* 1. *l.* 2. §. *per contrarium*, *D. de his, quæ ut indign. l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt.* juncta *l. ult. D. de juris, & facti ignor.* ſed quod præcipuum eſt, de pupilla donatrice, quæque, ſi donatario, tamquam indigno, Fiſcus auferat, verſatur in diſpendio rei ſuæ, quam donavit, omittendæ, in quo genere damni nemini, nedum fœminæ, & pupillæ, nocere, Juris ignorantia ſolet. *l. Error* 8. *cum l. ſeq. D. de juris, & facti ignor. l. Quamvis* 11. *Cod. eodem tit. l. Interdum* 29. *D. de cond. indeb.* Idcircoque utiles actiones, directis, utpote ex donatione ipſo jure valida, dominio tranſlato, deficientibus, accommodantur pupillæ, pro donatis revocandis, ſic ut ipſa potius, quam Fiſcus auferat indigno marito, & in hoc ereptitio præferatur Fiſco, ut in ſimilibus cauſis fit. *l. ſi ab hoſtibus* 11. §. *ultim. D. ſolut. matrim. l.* 5. *amittere* 2. *D. de his, quæ ut indign. l. unic.* §. *Quæ autem* 12. *Cod. de caduc. toll.*

E contrario apud Ulpianum in *d. l.* 32. §. *ult.* quæ- 20
ſtio, & deciſio eſt, de Senatore, aut tutore, libertinam, aut pupillam ducente, eidemque donante, ut & ſeries Orationis ſuadet *præcedentis* §. *ſi quis ſponſam*, qui fuit itidem de eo, qui donavit quaſi uxori, non quaſi extraneæ, ac demum poſitio illa quæſtionis, an donatio valeat, quaſi facta in ſponſalibus, ac proinde de ſponſo donante, cum conſtet in ſponſalibus ſolemne fuiſſe, ſponſum ſponſæ donare, raro autem ſponſam ſponſo, *l. ſi à ſponſo* 16. *verſ. Quod ſi l. Cum multæ* 20. *Cod. de donat. ante nupt.* enim vero in Senatore, vel tutore donante ei, quam contra leges duxit, non præſumitur ignorantia, cui parci, ſed delictum prohibitarum nuptiarum, quod imputari ei debeat, *dict. l. ultim. D. de leg.* 1. *l.* 3. §. 1. *D. de donat. inter.* ne repetat, revocetve donatum, quod mero jure conſtitit, *l. ſi ab hoſtibus* 11. §. *ult. D. ſoluto matrim.* & in pupilla ipſa, cui donatum eſt, quamvis Civilis Juris ignorantia præſumi, & proficere ei, etiam in lucris, ſoleat, *l. Quamvis* 11. *Cod. de juris, & facti ign. l. Regula* 9. *l. ult. D. eodem tit.* non tamen proficit, ut quamvis ipſo jure adquiſitum retineat, contra Fiſci ereptionem, donatum tamquam uxori, quæ non niſi injuſta, & proinde indigna uxor eſt, cum è contrario ſi uxor juſta eſſet, non modo retinere, ſed neque adquirere donatum, poſſet, *l.* 3. §. *Sciendum*, *D. de donat. inter.* ne ſcilicet melior fiat pupillæ donatariæ conditio, quia maritus donans deliquit, argumento ex *d. l.* 3. §. 1. cum, etſi pupilla non deliquerit, non debeat tamen ex delicto tutoris, ejuſdemque veluti ſocii, & mariti, lucrum retentionis nanciſci. *l. Alterius* 49. *D. de regul. jur. l.* 4. §. *Illa etiam quæſtio* 23. *D. de doli except. l. ſi duo* 5. *D. ſi quis caution.*

CAPUT XV.

De relictis inter conjuges illicitos. Ad l 2. § Per contrarium 2. D. de his, quæ ut indign. l. ultim. D. de legat. 1. l. unica, D. unde vir, & uxor. l. Præfectus 63. D. de ritu nupt.

ARGUMENTUM.

EX *Ulpiani* fragmentis tit. 16. §. Aliquando, *ducta regula, & ex ea difficultas, ac fere diſſidium laudatarum in hac epigraphe legum, cum* l. 32. §. ult. D. de donat. inter. *Diſtinguitur, inter donationes, & relicta. Diſtinctionis ratio, caligantibus in ea, & de re aliis, petita, quoad pupillam, ex legibus noſtris, juxta quas fuit capax ſolidi. Petita etiam, quoad provincialem fœminam, ex noſtris legibus de abſente, Reipublicæ cauſa. Lux inde Papiniano in* l. 63. D. de ritu nupt. *tametſi nec Cujacii traditio improbetur. Ad* l. un. D. unde vir, & uxor. *refertur Cujacii, & Barboſæ acumen, & refellitur. Non potuit illic peti bonorum poſſeſſio, etiam ſine re, ipſo jure. Ex* l. Non eſt 12. §. ult. D. de bonor. poſſeſſ. *invulgata adhuc aſſertio de pœna capiendi inter ſe nihil in nuptiis injuſtis, propria earum, quæ injuſtæ ex legibus noſtris, non item in tutoris cum pupilla, aut Præfecti cum Provinciali, quas non modo injuſtas, ſed etiam irritas fuiſſe, ſupponitur. Ad* leg. Claudius 13. D. de his, quæ ut indignis, *illata explanatio.*

1 JAm vero, ut à tractatu donationum, inter juſtos conjuges, ad legata inter eoſdem, ſive relicta, tranſeamus, propria hujus loci eſt, & præmunienda, pro fundamento veluti dicendorum, Ulpiani regula ex earum *fragmentis tit.* 16. §. *Aliquando*, quæ ſic habet: *Aliquando nihil inter ſe capiunt, id eſt, ſi contra legem Juliam, Papiamque Poppæam contraxerint matrimonium, verbi gratia, ſi famoſam quis uxorem duxerit, aut libertinam Senator.* Eſt hæc regula exceptio amplioris regulæ, præmiſſæ ab eodem Ulpiano *tit.* 15. de capacitate ſaltem decimæ, matrimonii nomine, unius conjugis, ex teſtamento alterius. Quo jam reſpiciens monet *d. tit.* 16. aliquando conjuges nihil inter ſe capere, id eſt, ne decimam

quidem

quidem, nempe ſi contra leges noſtras Senator libertinam, aut ingenuus quivis ſamoſam uxorem duxerit, quoniam injuſtæ nuptiæ, nec melioris conditionis facere eos debent, ut, quaſi non conjuges, ultra decimam capiant, *dict. l.* 3. § 1. *verſic. ne melior, D. de donationib. inter.* imo nec proficere ad ipſius decimæ capacitatem, pro præmio veluti matrimonii, juſtis conjugibus indultam, noſtris legibus. *l. filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt. l. unic. D. unde vir, & uxor.*

2 Sed in primis, ſtabilitis nuper, pro explananda *dict. l.* 32. §. *ult.* omnino repugnat, quod ex Martiano traditur, *l. ultim. D. de leg.* 1. *dict. l.* 2. §. *per contrarium* 2. *D. his, quæ ut indign.* legatum, vel hæreditatem relictam à tutore pupillæ, quam contra S. C. duxerat, capere illam cum effectu, poſſe, neque auferri, tamquam indignæ; quia imputari pupillæ, a tutore deceptæ, delictum nuptiarum non poteſt. Et tamen ſi legatum donatio eſt, *l. Legatum* 36. *D. de legat.* 2. & hæreditas non inter liberos, parenteſque relicta, lucrativæ cauſæ accenſetur, *l. unic.* §. *Lucrativas, Cod. de imponenda lucrat. deſcript.* non videtur, ſeparanda legati, hæreditatiſve cauſa à donatione, de qua in *dict. l.* 32. §. *ultim.* maxime cum donatio inter conjuges ſupremæ voluntatis exitum habere ſoleat. *l. In donationibus* 12. *Cod. ad leg. Falcid. dict. l. Cum hic ſtatus* 32. §. 1. *D. de donat. inter.* Accedit, quod ſi uxor juſta eſſet, non poteſt tamen ex mariti teſtamento legatum, hæreditatemve, niſi matrimonii nomine, capere, & tunc non ultra decimam, ex legibus Julia & Papia, teſte Ulpiano in *fragm. tit.* 15. &, ſi injuſta uxor ſit, ne decimam quidem, ut Ulpianus idem ſcribit *tit.* 16. §. *Aliquando.* Proinde non, quia injuſta uxor eſt, pupilla, tametſi, non tam ſuo, quam mariti delicto, qui eamdem contra leges duxit, debet ex mariti delicto melioris conditionis fieri, & ſolidi legati, vel hæreditatis capacitatem conſequi, *dict. l.* 3. §. 1. *dict. l.* 32. §. *ultim. D. de donat. inter. l. Alterius* 49. *D. de reg. jur.* præſertim cum legatum, & hæreditas, perinde ac donatio, tamquam in uxorem conferri intelligatur. *l. unica D. unde vir, & uxor. l. ſi militi* 6. *l. ſi forte* 8. *l. Dotem* 16. *D. de caſtr. pecul.*

3 Poſtrema hæc cum ſuadeant, exæquari debere, relicta in teſtamento, donationibus in eo, ut perinde pupillæ auferantur, ſive cum effectu non capiant, ut in *dict. l.* 32. §. *ultim.* his tamen non perpenſis, & contraria aſſertione *dict. l. ultim. D. de legat.* 1. *dict. l.* 2. §. *Per contrarium* 2. *D. de his, quæ ut indign.* in contrarium acti plerique, poſt Accurſium, in *l. Qui contra* 4. verb. *Fiſco vindicari, in princip. Cod. de inceſt. nupt.* & poſt alios Eman. Coſta Barboſa, & Sanctius jam laudati, Molina de *Juſtit. diſput.* 220. Fontanella *de pactis nuptial. tom.* 1. *clauſula* 4. *gloſſ.* 1. *num.* 69. Matienço in *l.* 2. *gloſſ.* 1. *numer.* 5. *tit.* 9. *libr.* 5. *Compilat.* Bened. Pinel. 1. *ſelect. cap.* 6. *num.* 50. & 54. Epitomator Sanctii, Tancredus Siculus 6. *de matrim. diſp.* 2. nullaque idonea differentiæ ratione, inter legata & donationes reperta, docent exæquari è converſo, oportere, donationes legatis, & hæreditatibus, trahique ad jus, in his conſtitutum, ita ut donata pupillæ, aut alii conjugi, bonæ fidei, perinde à teſtamento relicta, apud eam maneant, neque auferantur, ſicut & Regio noſtrate Jure expreſſum, creditur, in *l.* 50. *tit.* 14. *part.* 5. juncta *l.* 4. *tit.* 6. *lib.* 3. *fori.* Et ut reſpondeant ex diametro oppoſitæ Ulpiani ſententiæ, in *dict. l.* 32. §. *ultim.* quæ de pupilla donataria eſt (nam ſi ea donaſſet, repeteret, *l. ſi voluntate* 7. *Cod. de donation. inter.* de qua ſupra) eique donatum, ut indignæ, auferri, aperte ſtatuit, aut difficultatem diſſimulant, tranſmittuntque indiſcuſſam, aut pleraque, vix digna referri, nedum refelli, commiſcuntur, quale Petri Barboſæ illud de pupilla, non allegante juris errorem, in *dict.* §. *ultim.* aliter atque in *dict. l. ultim. D. de legat.* 1. aut denique quod ſuffragio plus quam cenſorio Cujacius firmat, *ad l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ ut indign.* ut quamvis quæſtio in *dict. l.* 32. §. *ultim.* nominatim in libertina, aut pupilla, quibus donatum eſt, proponatur, deciſio tamen ereptionis, quaſi indignis, non ſit admittenda in pupilla, ſed referenda ad libertinam, & ſimiles.

4 Nobis autem, quibus Juris Auctorum Scripta interpretari, & ſubſequi, non taxare, aut torquere, placitum ſemper, placet & potius nunc, ſecunda alia, & conſtantior Accurſii traditio, in *dict. l. Qui contra* 4. verb. *Fiſco, & in l.* 2. §. 1. verb. *Auſertur, D. de his, quæ ut indign. & in l. Præfectus* 63. verb. *Conſequi, D. de ritu nupt.* quam & communem vocant, probantque, poſt Fulgoſ. Salicetum, & alios, Dom. Præſ. Covarruv. in 4. *de ſponſalib.* 2. *part. cap.* 7. §. 1. *num.* 8. Anton. Lanar. *conſ.* 86. Briſſonius *de jure connub. pag.* 47. Scip. Gentil. *de donat. inter lib.* 4. *cap.* 3. diſtinguentes inter donationes, de queis in *dict. l.* 32. §. *ultim.* illic: *Quaſi ab indignis ea, quæ donata ſunt,* & inter teſtamento relicta, legata, hæreditateſve, *dict. l. ultim. D. de legat.* 1. inibi: *Ex teſtamento ejus capere poteſt. dict. l.* 2. §. *Per contrarium: Magis eſt, ut dicatur, capere illam ex teſtamento. l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt.* illic: *Non ſit auferendum, quod teſtamento relictum eſt;* & poſtea: *Exemplo tamen pupillæ, nuptæ tutori, quod relictum eſt, poteſt mulier conſequi.* Quæ ſingulæ adeo perſpicuæ diſcriminis, inter donata, & relicta, notæ perſtrinxiſſent fortaſſe oculos contrariæ ſententiæ aſſertorum, (ſicut & perſtrinxere, & caligantem fere reliquere, & nutantem laudatum ſupra, neque unquam illaudandum, Coſtam *num.* 8.) niſi connivere, veluti facere, diſcriminis, ſeu differentiæ ratio, quæ difficilis viſa olim Fulgoſio in *dict. l. Qui contra numer.* 1. manet etiam hodie in obſcuro.

5 Nam quod Briſſonius affert, donationem fieri, tamquam uxori, *l. Res uxoris* 21. illic: *Quia pudicitiæ præmio ceſſit. Cod. de donationib. inter.* Legatum autem, & hæreditatem, ob meritum, extrinſecus obvenire, *l. Nec adjecit* 9. *D. pro ſocio*, vix eſt, ut ſubſiſtat, cum & legatum, ac hæreditas, uxori relicta, cenſeatur relinqui tamquam uxori, ſive ob meritum matrimonii. *l. un. Digeſt. unde vir, & uxor. l. uxori* 27. *D. de uſufruct. legat. l. ſi militi* 6. illic: *Quia uxor ei non propter militiam nota eſſet. l. ſi forte* 8. *l. Dotem* 16. *in princip. &* §. 1. *D. de caſtr. pecul.* Ulpianus *tit.* 15. illic: *Matrimonii nomine decimam capere poſſunt.*

6 Quod vero Gentilis, & Coſta in donatione, quia conſtante matrimonio fit, peccari in prohibitionem aliquam, & multo minus à donataria, cujus conjugium, quantumcumque illicitum, quo tempore accipit, diremptum eſt, *l. ſi eum* 9. §. *ultim. cum l. ſeq. D. de donat. inter.* non eſt ſatis, rei explicandæ: quippe & legati, hæreditatiſque inter conjuges, eo ipſo, poſt mortem, tempore, in quod excurrunt, capiendi prohibitio eſt, ex noſtris legibus, ſaltem ultra decimam matrimonii nomine, ut ex Ulpiano diximus *dict. tit.* 15. Imo & decimæ ipſius ex matrimonio injuſto, Ulpiano eodem auctore, *tit.* 16. §. *Aliquando*, & è contrario in donatione non facile imputandum pupillæ ignoranti, coactæ, aut deceptæ, quod pro conſervatione illiciti matrimonii acceperit, ex ratione *dict. l. ultim. D. de legat.* 1. *l. Qui contra verſic. Exceptis, Cod. de inceſt. nupt.*

7 Quocirca, ut differentiæ ratio inter teſtamento relicta, & donationes, quoad pupillam, in quam conferuntur, & de qua Ulpiani, & Martiani diſſidium eſt, explicetur, præmonendum eſt, donationem inter conjuges ſic prohiberi, ut etiamſi pupilla, jam nubilis, nec contra jus tutori nupta, juſta uxor eſſet, adhuc tamen donatio, in eam collata, ipſo jure irrita foret. *l. ſi voluntate* 7. *in princip. Cod. de donation. inter.* juncta regula *l. Non tantum* 20. in fine, *Digeſt. de re judic.* At legata, hæreditateſve, quamvis inter conjuges alios, non ultra decimam capiantur, matrimonii nomine, ex noſtris legibus; pupilla tamen, ſi uxor juſta eſſet, ut puta poſt duodecimum annum, & patre deſpondente, aut deſtinante, tutori ſuo nupta, *l. tutor* 36. *l. Non eſt* 66. *D. de ritu nupt. l. Qui pupillam* 7. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. ſi patris* 6. *Cod. de interd. matr. int. tut.* poſſet ex teſtamento mariti in ſolidum capere, uſque

ad annum viceſimum, ante quem fœmina a pœnis cælibatus, & orbitatis, immunis eſt, ex lege Papia, Ulpiano auctore, in *fragment. tit.* 16. *in princ.* Tertulliano in *Apologet. cap.* 4. & è contrario ſi injuſta uxor foret, ut puta ducta contra legem Juliam, & Papiam, nihil ex teſtamento mariti caperet, ut eſt apud Ulpianum *d. tit.* 16. §. *aliquando.*

8 Eoque forſan, ſive ad utrumque hoc conſtitutum legum noſtrarum, reſpicientes Martianus, & Papinianus in hac quæſtione, non de ſola retentione relicti non auferendi, tamquam indignæ, reſpondent, ſed ſupponunt in primis, ſtabiliuntque, quaſi neceſſario, & potiſſimum jus capiendi, ſeu conſequendi, ex teſtamento, veluti mariti, cui leges Julia, & Papia obſtare videbantur, niſi de pupilla decepta, & eiſdem legibus excepta, ſermo eſſet. *d. l. ult.* ibi: *Illa quidem* (ſcilicet pupilla) *ex teſtamento ejus capere poteſt. D. de legat.* 1. *d. l.* 2. §. *Per contrarium, magis eſt, ut dicatur capere, illam ex teſtamento, D. de his quæ ut indign. d. l. Præfectus* 63. §. 1. *exemplo tamen pupillæ, nuptæ tutori, quod relictum eſt, poteſt mulier conſequi.* Ulpianus, poſtea exponendus, in *l. un. D. unde vir, & uxor, nihil enim capi, propter injuſtum matrimonium.* Quo ſemel obſervato, apparet, non immerito à Fiſco auferri pupillæ donatum, quaſi indignæ, in *dict. l.* 32. §. *ult.* quia quamvis ipſa, proprio delicto, indigna non ſit, utpote ignorans, decepta, aut coacta in delicto nuptiarum, *dict. l. Qui contra* 4. *verſic. Exceptis*, junctis *l.* 5. §. *Ætati. l. Tutorem* 22. in fin. *D. de his, quæ ut indign. l. Minoribus* 6. *Cod. eod. titul. l.* 1. *Cod. in quib. cauſ. in integr. reſtit. neceſſ.* indigna tamen eſt retinendi donati, cum Juris cenſura, etiam ex alieno delicto, ut in *l.* 1. *Cod. ſi quis aliquem teſtari probib. l. Aufertur* 46. *D. de jure Fiſci. l. unic. D. quibus non competit bonor. poſſeſſ. l.* 1. §. 1. *D. ſi quis aliquem teſt.* quia non debet ex delicto tutoris, quo injuſta uxor facta eſt, melioris conditionis eſſe, quam ſi juſta uxor eſſet, contra rationem *l.* 3. §. 1. *verſic. Ne melior, D. de donat. inter. l. alterius* 49. *D. de regul. jur.* ſi autem juſta uxor eſſet, non adquireret donatum, nedum retineret, *dict. l.* 3. §. *Sciendum. dict. l. ſi voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* Eademque in contrarium ratione capit, & retinet pupilla relictum ſibi, teſtamento tutoris mariti, etiamſi eos interim non diſtinguamus à conjugibus illis injuſtis, ex lege Julia, & Papia, de queis Ulpianus *d. tit.* 16. §. *Aliquando*, & nos infra accuratius; ne, quia ignorans, decepta, aut coacta eſt, ac proinde imputari ei delictum injuſtarum nuptiarum non poteſt, ſit deterioris conditionis, quam ſi juſta uxor eſſet, quo eventu, ſcilicet tamquam pupilla, pœnis Juliæ, Papiæque legum exempta, ſolidum ex teſtamento mariti caperet. *d. l. ult. dict. l.* 2. §. *Per contrarium*, juncto Ulpiano *d. tit.* 16. *in princ.*

9 Ejuſdem fere obſervationis, & explicatus, eſt, quod proponitur in *d. l.* 2. §. *Per contrarium. d. l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt.* Provincialem fœminam à Præfecto, vel Tribuno Militari, vel ab alio civile officium in Provincia gerente, uxorem ductam contra mandata, poſſe, ejuſce mariti teſtamento relictum capere, aut conſequi, nec ei, tamquam indignæ, auferendum, cum tamen ſi uxor juſta eſſet, non ſolidi, neque ultra decimam capax futura videretur, imo nec ipſius decimæ, tamquam injuſta uxor, ex Ulpiano *dict. tit.* 15. & 16. §. *Aliquando*, ac præterea cum non de pupilla, ſed de provinciali muliere quæſtio ſit, non eſt ætatis excuſatio, quæ ei ſuffragetur, aut pupillæ deceptæ, in *dict. l. ult. D. de legat.* 1. quin potius eam delinquere, idcircoque ei donatum, quamvis, quia uxor non eſt, mero jure conſiſtat, non tamen ratum eſſe effectu, & auferri, veluti indignæ, & delinquenti, expreſſum fere eſt, in *dict. l.* 3. §. 1. *verſic. Ergo, D. de donat. inter.* Sane quod attinet ad *d. l. Præfectus* 63. §. 1. probabiliter Cujacius monet ibidem 1. *definit. Papin. & in d. l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ ut indign. &* 6. *Obſ. cap.* 16. ſubſcriptore Gentili 4. *de donat. inter cap.* 3. & Collega olim noſtro in Salmanticenſi Anteceſſura, Ario de Meſa 2. *var.* 40. *a.* 9. reſpondere Papinianum, ſub conditione veluti, & caſu, quo provincialis fœmina, *virgo nupſit*, id eſt, puellaris ætatis, teneræ, immaturæ, nubilis tamen, ut ex Nonio Marcello *cap.* 6. *de impropriis*, in voce, *Virginis*, nomen id eſſe ætatis, non integritatis ſolius, Cujacius colligit, quomodo & Servius ad *Virgilianum* illud *Ecloga* 6. *Ah virgo infelix.* & D. Iſidor. 11. *origin. c.* 2. & 12. *orig. c.* 1. *Virginem à virente*, ſeu *viridi ætate* dictam, ſcribunt, & Tertullianus noſter *de velandis virginib. cap.* 11. Virginem, poſt ætatem nubilem, eſſe, deſinere, tametſi adhuc integram contendens, ita: *Igitur ſi tamdiu virgo, quamdiu acerba eſt, deſinit virginem, cum matura cognoſcitur, & ut non virgo, jam legi applicatur, ſicut & nuptiis.* Ut proinde Papinianus ſentiat, provinciali fœminæ, quæ virginali ætate Præfecto nupſit, permittendam conſecutionem, & retentionem relicti, exemplo pupillæ, tutori nuptæ, eademque illa ætatis excuſatione, & ratione, de qua nos ſupra.

Probabiliter Cujacius, ut diximus, diſſentiat quamvis Anton. Faber in *Juriſprud. tit. princip.* 1. *illat* 12. cujus lancinationes, & ſtricturas, ſub Triboniani nomine in Papinianum piget, pudetque, recenſere. Eſt tamen, niſi fallimur, æque ſaltem probabile, præſignatumque Accurſio, & Saliceto in *d. l.* 63. Papinianum accipi poſſe, de provinciali fœmina, non modu virginalis, ſed etiam maturæ, ac firmatæ ætatis, idque non tantum quia in muliere reſpondet quæſtioni (quo unico argumento Faber nititur) quam religioſior ſtrictæ Juris rationis, in virgine deliberandam, propoſuerat, illic, *ſi virgo nupſit*; & poſtea, *poteſt mulier conſequi, & mulieris hæredi*, juncta *l. Alioquin* 11. §. 1. *D. de contr. empt. l. Exempto* 11. §. *Si quis virginem, D. de action. empti.* Nec etiam, quia ſi de pupillaris ætatis virgine deciſio eſſet, non quaſi exemplo, & comparatione pupillæ, tutori nuptæ ad mulierem, ſed tamquam proprio jure, quo res ipſa deciſa in pupillari virgine uteretur, ſed vel præcipue, quia in eadem re Martianus in *dict. l.* 2. §. *Per contrarium de his, quæ ut indign.* ſimpliciter, & indiſtincte de provinciali uxore, ducta contra mandata, ſive nulla virginalis ætatis circumſcriptione, docet, capere illam ex teſtamento, nec quaſi indignam repelli. 10

Quapropter ut & ſimplex, conſentienſque Martiani, & Papiniani explanatio ſit, dici poteſt, in provinciali fœmina, Præfecto provinciæ nubente, etiamſi ſupra ætatem pupillarem, imo vel ſupra adultam ſit, præſumi tamen jure, vim, metum, impreſſionem poteſtatis, &, ut Papinianus loquitur, in *dict. l.* 36. potentatus rationem, quæ facit, ut delictum illud injuſtarum nuptiarum, non magis quam pupillæ, à tutore coactæ, imputari ei, quæ coacta minis, fervore, & terrore poteſtatis potius, quam ultro, & libens nupſiſſe, creditur, idque ſive pupilla, ſive virgo, ſive vidua, & adulta ſit. *l. unica Cod. ſi quacumque prædit. poteſt. l. unic. C. ſi Rector Provinciæ.* Unde & quemadmodum in *principio dict. l.* 63. Papinianus comparat ſpeciem pupillæ tutori, & provincialis fœminæ, Præfecto ſuo nubentis, quoad effectum, cauſamque prohibitionis matrimonii, quæ in utraque, tametſi ætas diverſa ſit, eſt tamen una, eademque, nempe præſumptio coactionis, ſeu poteſtatus, ita & poſtea in §. 1. quoad retentionem teſtamento relicti, quamvis deliberando, & dubitanter ei ſoli, quæ virgo nupſit, id non eſſe auferendum, tentet, quaſi ſcilicet, in alia, quam virgine, ſeu virginali ætate, adeo nec probabilis, nec favorabilis coactionis excuſatio; ſubjungit tamen, & decidit, poſſe mulierem ſine circumſcriptione ætatis, conſequi cum effectu relictum, idque exemplo, & comparatione pupillæ, cujus nuptias cum eo, qui tutor, vel curator fuit, etiam poſt adultam ætatem, uſque ad annum viceſimum ſextum, Jus improbabat. *l. Filius* 28. §. *ſi quis eo, D. de liber. & poſth. l. Non eſt* 66. *D. de ritu nupt. l. Qui pupillam* 7. *D. ad leg. Jul. de adult. l. ſi patris* 6. *C. de interd. matrim. inter tutor.*

&

& tamen, illa potentatus excuſatione, capiebat mulier jam cum effectu relictum, *dict. l. ult. D. de leg.* 1. *dict. l.* 2. §. *Per contrarium:* cur non itidem provincialis fœmina, Præfecto Provinciæ ſubdita, in quam, utcumque mulier adulta ſit, ſine præfinitione ætatis, præſumptior certe, terribiliorque potentatus impreſſio, quam tutoris in pupillam. *dict. l. unic. Cod. ſi quacumque prædit. poteſt. dict. l. unic. C. ſi Rector Provinciæ.*

12 Porro quamvis quod attinet, ne Provincialis mulier, Præfecto nupta, arceatur à capiendo ex teſtamento injuſti mariti, tamquam injuſta uxor, ex Ulpiano *dict. tit.* 16. §. *Aliquando*, ſufficiat ratio expoſita potentatus, ſeu coactionis, ob quam ei nuptiæ injuſtæ non magis imputantur, quam pupillæ, *dict. l.* 63. §. 1. tamen quoad partem aliam objectionis ſupra perpenſæ, qua efficiebatur, non debere, hanc injuſtam uxorem, ſolidum capere, ne melioris conditionis ſit, quam juſta uxor, qualis ſi eſſet, non ultra decimam ex teſtamento conjugis caperet, ex Ulpiano *tit.* 15. juncta ratione *dict. l.* 3. §. 1. *verſ. Ne melior, D. de donationib. inter*, exquirenda alia via eſt, rei expediendæ, eaque nondum obſervata occurrit, quoniam ſcilicet, ſi provincialis mulier Præfecti juſta uxor eſſet, veluti ſi in Provincia ſua adminiſtranti, aut militanti, nupſiſſet, aut ante præfecturam ſponſa, poſtea uxor ducta, *l. ſi quis officium* 38. §. 1. *l. Eos qui* 65. *D. de ritu nupt.* capax ſolidi eſſet, ex teſtamento mariti, tamquam abſentis, Reipublicæ cauſa, teſte Ulpiano *dict. tit.* 16. *in princip.* illic: *Aut ſi vir abſit.* Dione Caſſio *lib.* 60. *hiſt.* junctis ex Pauli, Ulpianique *libris ad leges Juliam & Papiam, l. qui mittuntur* 33. *cum l.* 36. 37. & 38. *D. ex quib. cauſis maj.* & Ulpian. *dict. tit.* 16. ad quem Cujacius, verbo, *Abſit.* Idque etiamſi maritus in Provincia ſua adminiſtraret. *l. hi qui* 37. *cum l. ſeq. D. ex quib. cauſ. maj.* Proinde non eſt melioris conditionis capiendo ex teſtamento, quam ſi juſta uxor eſſet, ſed dumtaxat non deterioris; quia ſi juſta uxor eſſet, caperet, & ideo capit etiam injuſta, quia non poteſt id ei imputari magis, quam pupillæ. Diverſum licet ſit in donatis, quæ ſi juſta uxor eſſet, non caperet, & ideo neque injuſta retinet. *dict. l.* 3. §. 1. & §. *Sciendum.*

13 Nunc ut in illa Ulpiani regula *d. tit.* 16. §. *aliquando*, quæ appendix veluti eſt in hac parte Juliæ, Papiæque legum, illuſtranda, pergamus, exponitur ex illa appoſite Ulpianus idem in *l. unica D. unde vir & uxor*, dum ſcribit, bonorum poſſeſſionem inteſtati conjugis, peti non poſſe, ex illo Edicto, à conjuge ſuperſtite, ſi injuſtum fuerit matrimonium, *quemadmodum*, ſubjungit, *nec ex teſtamento adiri hæreditas, vel ſecundum peti bonorum poſſeſſio poteſt; nihil enim, capi propter injuſtum matrimonium, poteſt.* Quæ poſtrema aſſertio obſcura eſt, quia in matrimonio injoſto, ſi injuſtus, & indignus conjux inſtitutus ſit, non negatur, poſſe eum adire, adquirere, & capere, imo hoc ipſum exprimitur, & ei, quaſi indigno, auferri hæreditatem, dicitur *dict. l.* 2. §. 1. illic: *Quod ei ex teſtamenta uxoris adquiſitum eſt*, & poſtea, *retinere, eum non poſſe*, ac deinde, *ſi ex aſſe hæres inſtitutus adierit*, tandemque, *quaſi indigno ei aufertur hæreditas. l. Claudius* 13. in fine, *D. de his, quæ ut indign.* Idque ſive inſtituatur à conjuge, perinde indigno, & ſciente, ut in *dict. l. Claudius* 13. in fine, ſive ab ignorante, aut non indigno, ut in *d. l.* 2. §. 1. *in princip. & verſ. Tamquam:* quia ignorantia, vel error inſtituentis, tamquam conjugem, eum, qui non fuit, non efficit, nt inſtitutio ipſo jure non teneat, nt *ſuperiore capite* evicimus, ex *l. ſi pater* 4. *Cod. de hæredib. inſtit. l. Auferatur* 46. *D. de jure Fiſci. l. ſi voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* ſed ut, tamquam indigno, auferatur, *d. l. Aufertur* 46. eaque ipſa aufereodi locutione, in *d. l.* 2. §. 1. & in *d. l. Claudius* 13. in fine, ſupponitur, injuſtum conjugem jam cepiſſe ipſo jure, juxta vulgarem jam diſtinctionem caduci, & ereptitii, ſive indignorum, & incapacium, ex lege Papia, apud Ulpianum, *tit.* 19. §. *lege*, & *tit.* 17. juncta *l.* 4. *D. ne quis eum, qui in vocab. l. pen. verſ. Quadrans, D. de jure Fiſci.* Et conſequenter poſſe eum adire, & ſecuodum tabulas petere, & capere ob injuſtum matrimooium, contra quam ſcriptum eſt in *d. l. unica.*

Nec diſplicuit olim quod attinet ad *dict. l. unic.* 14
Cujacii ad eum titulum recitatio, quæ aſſertiooem illam, *non poſſe peti, ſecundum tabulas*, exaudit, *cum re*, & non poſſe ex *teſtamento adiri, vel capi*, ſcilicet *cum effectu*, ut in *l. ea, quæ* 5. *Cod. de donationib. inter. l. eum qui* 18. in fine, *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* quia poſtquam petiit, adiit, cepit, Fiſcus eripit quaſi indigno, quomodo & *non deberi*, in ſpecie ſimili, *l. Neque* 5. *Cod. de teſtament.* expoſuimus ſupra. Queis conſequeoter veluti, Petr. Barboſa ad *l. ſi cum dotem* 22. §. *ult. num.* 21. *D. ſol. matrimon.* nove, ut loquitur, notat, & perinde exaudiendum eſſe, quod deſcribitur in *d. l. un. in princip. de bonorum poſſeſſione ab inteſtata*, ex illo Edicto *unde vir & uxor*, non poſſe eam ex injuſto matrimonio peti, nempe ut non petatur cum re, ſive effectu, quia petitam, ipſoque jure quæſitam, Fiſcus auferet injuſto conjugi, quaſi indigno, ſicut ex teſtamento auferret, *d. l. un. verſic. Quemadmodum. d. l.* 2. §. 1. & *d. l. Claudius* 13. in fine.

Nobis autem in primis poſtremum, hoc de ad- 15
quirenda ex Edicto, & auferenda injuſto conjugi, ut indigno, bonorum poſſeſſione ab inteſtato, diſplicet ſane; tum quia nulla eſt ratio ob quam booorum poſſeſſio edictalis, quæ ex Edicto non, niſi juſto conjugi, defertur, peti, adquirique poſſit à conjuge injuſto, cui non defertur, ſive in quo certum eſt, locum non habere, ut ſignanter ſcriptum poſtea eſt in *dict. l. unic.* §. 1. (quippe quamvis ſi vel ex errore teſtantis, aliave ex cauſa incertum, dubiumve ſit, an delata, peti interim poſſit edictalis ſaltem ſine re, veluti à filio, qui ſubjectus dicitur. *l.* 1. §. *Pomponius* 8. *l.* 3. §. *ultim. cum l.* 4. *l. Scriptus* 12. *D. de Carbon. Ed. l. Filius* 41. §. *Cum filius* 2. *D. de bonis liber.* juncta *dict. l. Aufertur* 46. *D. de jure Fiſci*, vel ab alio ioſtituto ſub conditione. *l. ſi quis inſtituatur* 23. *D. de hæredib. inſtit. l.* 2. §. 1. *l. ſi ſub conditione* 5. *l. ſi ſervus* 10. *D. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tabul.* non tamen quoties conſtat, non eſſe inſtitutum. *l.* 1. §. *ſi linum* 10. *l.* 2. §. *ſi conſulto* 7. *l. ſi ita* 8. §. *Is autem* 3. *l. ult. D. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tabul. l. unic. D. ſi tabulæ teſtam. extab.* aut non eſſe ex juſtis liberis præteritis, quoad contra tabulas, aut alioquio non talem, cui ab inteſtato lex deſerat. *l.* 3. §. *ſi emancipatus* 5. *verſic. Non enim.* juncto §. *Sed ſi ſit* 2. & §. *Liberi* 10. *cum ſeqq. l.* 1. §. *Et ſui* 6. *l. Non putavit* 8. §. *In adoptionem, cum* §. *ſeq. D. de bonor. poſſeſſ. contr. tabul. l. unic.* §. *ult. D. ut ex legib. S. C. ve bonor. poſſeſſ. det.*) tum etiam, quia, ut Ulpianus idem *lib.* 48. *ad Edictum, in l. Non eſt* 12. §. *ult. D. de bonorum poſſeſſ.* in eodem tractatu bonorum poſſeſſionem ab inteſtato (ex quo & *libro* 47. Ulpiani ejuſdem excerpta eſt *dict. l. un. D. unde vir, & uxor*, ſicut ex *libro* 49. *dict. l. unic. D. ut ex legibus*) definit, *ubicumque lex, vel Senatus, vel Conſtitutio capere hæreditatem prohibet, bonorum poſſeſſio ceſſat.* Prohibeot autem leges Julia, & Papia, capere inter ſe injuſtos conjuges, veluti Senatorem, & libertinam; ingenuum, & famoſam. Prohibet etiam, ſive jubet Senatus Conſultum Calviſianum, ad eaſdem Juliam, Papiamque leges pertinens, non proficere impar matrimonium majoris quinquagenaria cum minore ſexagenario, ad capiendas hæreditates, vel legatas dotes, quomodo utrumque exprimitur apud Ulpianum *dict. tit.* 16. §. *Aliquando*, & §. *ult. in fine*, à quo petenda duo hæc exempla, aptiora, quam quod aptat Cujacius, de coojugibus non niſi decimæ capacibus, & appingenda Ulpiano eidem in *dict. l. Non eſt* 12. §. *ultim.* ex qua & ſic liquet, in conjuge injuſto, vel impare non competere ipſo jure, ſive ceſſare, aut locum habere bonorum poſſeſſionem, ut loquuntur. *dict. l. un. D. unde vir, & uxor, dict. l. un. in fine, D. ut ex legib. S. C. ve.* Tum denique, qoia in his, qui nihil capere poſſunt ex lege Julia, & Papia, quales eſſe injuſtos conjuges dicimus, *ex d.* §. *Aliquando*, præ-

ter Juris artem, & mentem ſupponitur, poſſe eos ipſo jure petere bonorum poſſeſſionem, vel adire, & adquirere hæreditatem, quæſitamque, ut indignis, eripi, cum potius certum ſit, ſi intra ſtatutum tempus legibus non paruerint, non capere eos relicta, ſed ab ipſis non adquiſita in Fiſcum cadere, antequam capiant, unde & caduca definiuntur, apud Ulpianum, *d. tit.* 17. juncto §. *ult. in fin. tit.* 16. & diſtinguuntur ab ereptitiis, quæ ipſo jure capacibus adquiſita, eripiuntur poſtea, ut indignis. Ut in *tit.* 19. §. *Lege*, ejuſdem Ulpiani.

16 Sed ex poſterioribus hiſce adnotatis, quamvis non diſplicuerit, ut diximus, quoad *leg. unic. verſic. Quemadmodum*, Cujacii expoſitio, placet tamen omnino magis, exponendam eſſe Ulpiani illic ſententiam, juxta ejuſdem regulam in *dict.* §. *Aliquando*, de injuſtis conjugibus, ex lege Julia, & Papia, veluti Senatore libertinæ, aut ingenuo famoſæ conjuncto, quem nequaquam poſſe ipſo jure petere bonorum poſſeſſionem ab inteſtato ex Edicto, *unde vir, & uxor*, ut & indicat illud ὅτι ἁρμόζει, ſive *non competit*, quod in enarratione *dict. l. unic.* extat in *Sypnoſi* Baſilicon *lib.* 45. *tit.* 5. & in ipſis Baſilicis *lib.* 45. *tit.* 5. ubi Scholiaſtes, quemadmodum neque ex teſtamento adire, aut ſecundum tabulas petere; quoniam nimirum capere eos, lex probibet Julia, & Papia, *d. l. Non eſt* 12. §. *ultim.* ſive quoniam contra eaſdem leges matrimonium contrahentes, nihil ex eiſdem legibus inter ſe capiunt. *dict.* §. *Aliquando*, cui reſpondent apprime, & inde illuſtranda, illa verba in *dict. l. unic. nihil enim capi, propter injuſtum matrimonium. Nihil*, hoc eſt, nec decimam, matrimonii nomine, ex ratione *l. Filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt.*

17 Nec contrarium jam eſt, quamvis non cuivis explicabile, quod expendimus, officialem Provinciæ, aut tutorem, eoſdemque injuſtos conjuges, poſſe ex teſtamento pupillæ, aut provincialis conjugis ipſo jure adire, & adquirere, & adquiſita auferri ut indignis, *dict. l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ ut indign.* Namque obſervandum eſt, quod obſervatum nondum hactenus in hunc locum rejecimus, pœnam illam capiendi inter ſe nihil, de qua Ulpianus *dict.* §. *Aliquando*, pertinuiſſe, non ad quoſcumque injuſtos conjuges, ſed ad eos proprie, & partite, qui contra leges Juliam, & Papiam matrimonium contraxiſſent, veluti Senator cum libertina, aut ingenuus cum famoſa, qui exprimuntur in *dict.* §. *Aliquando.* Quippe & in hiſce propria magis, ſeu major ratio, ne ſcilicet, ex eiſdem legibus, capiendæ decimæ beneficium haberent, matrimonii, quoad ipſas leges, validi, tametſi injuſti, prætextu, qui contra ipſas leges contraxiſſent, ut ratiocinatur ad eaſdem leges Terentius Clemens, in *dict. l. Filio* 48. §. 1. junctis *l. Qui libertinus* 37. §. *Poſthumus* 7. *verſic. Ex lege, D. de oper. lib. l. Adigere* 6. §. *ult. in fin. D. de jure patronat. l. Auxilium* 37. §. *ult. in fine, D. de minorib.* Ulpian. in *fragm. tit.* 25. *Si quis in fraudem.*

18 Cæterum extra conjuges memoratos in *dict.* §. *Aliquando*, expeditum non fuiſſe, an locus eſſet regulæ, & pœnæ, nihil inter ſe capiendi, argumentum rei ſit, quod vel in matrimonio majoris quinquagenaria, & minoris ſexagenario, quod impar, ſive injuſtum eſt, ex legibus noſtris, *l. Sancimus* 27. *Cod. de nupt. l. Si major* 12. *Cod. de legit. hæredib.* neceſſe tamen fuiſſe videtur, poſt leges noſtras caveri, & exprimi, Senatuſconſulto Calviſiano, ne id injuſtum matrimonium proficeret ad capiendas hæreditates, vel legatas dotes, ut apud Ulpianum *dict. tit.* 16. §. *ult. in fine.* quoniam ſcilicet pœna non capiendi, & caduci, ereptitiive in Fiſcum cogendi, odioſa, & invidioſa ſemper viſa, ut Juſtinianus loquitur in *l. unica Cod. de caduc. toll. & in l.* 2. §. *Quintus, in fine, Cod. de vet. Jure enucl.* ac præterea connubii inter perſonas, de queis in *d.* §. *Aliquando*, tamquam injuſti, nota nuptiarum libertati, & frequentiæ inimica, ideoque etiam non amplianda, ut in *l. Palam* 43. §. 1. 2. & 3. & §. *Si qua, D. de ritu nupt.* juncta *l. Hoc modo* 64. *D. de condit. & demonſtr. l. Cum quidam* 19. *D. de liber. & poſthum.* & tradendis infra, *lib.* 3. *cap.* 21. ampliari, ſeu produci, non poterant, ad alios conjuges injuſtos, etiam ex eiſdem legibus Julia, & Papia, niſi id ſpeciali jure fieret, ut S. C. de quo *d. tit.* 16. §. *ult.*

19 Quanto ergo minus dicetur, producendam pœnam illam, & notam, nihil capiendi, ad Præfectum, tutoremve, illicitos conjuges, utpote quorum nuptiæ non contra leges Juliam, & Papiam, ſed Præfecti quidem contra mandata Cæſarum ſunt; & tutoris contra Orationem Marci Antonini, & Senatus Conſultum, *l. Senatus Conſulto* 59. *cum l. ſeq. l. Eos, qui* 65. *l. Non ſolum* 67. §. *Sed videamus, D. de ritu nupt. l. Et ſi contra* 6. *Cod. de nupt. l.* 1. & 3. *Cod. de interd. matr.* & hoc amplius, quorum conjugia, non ut illa Senatoriis prohibita, injuſta quidem, ſed valida & legibus Julia, & Papia, *l. ſi Senatori* 31. *D. de ritu nupt. dict. l. unica, D. unde vir, & uxor*, quamvis poſtea ex Oratione, & S. C. irrita etiam, & invalida, *dict. l.* 3. §. 1. *verſic. Ergo. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ultim. D. de donationib. inter.* diximus ſupra *hoc libro*, & infra *lib.* 3. *cap.* 1. ſed injuſta ſimul, & irrita, nec matrimonii jure, aut vinculo nexa, cujuſmodi hæc fuiſſe, nemine adhuc docente, aut ducente, didici pridem primus, & docui, ex Ulpiano in *l. ſi concubina* 17. illic: *Ubicumque ceſſat matrimonium, utpote in ea, quæ tutori ſuo nupſit, vel contra mandata convenit, vel ſicubi alibi ceſſat matrimonium, ceſſare rerum amotarum actionem. D. de act. rer. amotar.* juncta, & collata Ulpiani ejuſdem nota, in *l. ultim.* §. *Illud, verſic. Proinde cum patronus, D. de divort.* juncto item Scholio Balſamonis *ad Can.* 27. *S. Baſilii.* Conducunt in eamdem rem textus, in *dict. l.* 3. §. 1. *verſic. Sed ſi aliquod, cum ſeq. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ultim. D. de donationib. inter. l. Si voluntate* 7. *Cod. eodem tit. l. Eos, qui* 65. §. 1. *D. de ritu nupt. l. Et ſi contra* 6. *Cod. de nupt. l. Qui pupillam* 7. *D. ad leg. Jul. de adult. l. Non eſt* 66. *l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt. l. Ampliſſimi* 4. *C. de excuſat. tutor.* de queis alibi tempeſtivius: ut proinde non tam comprehendi pœna, nihil capiendi, ut injuſti conjuges, quam extra illam eſſe, utpote omnino non conjuges, neque tam injuſti, quam nulli, ex argutia Papiniani in re ſimili, in *l. ultim. verſic. Sed recte, &* §. *ultim. D. de condict. ſine cauſa.* juncta *l.* 1. *Cod. de cond. ob cauſam dat. d. l.* 3. §. 1. *verſic. Ergo. d. l. ſi voluntate* 7.

20 Recte itaque Martianus, dextreque ſimul, diſerte expreſſa probibitione conjugii, non ex legibus Julia, & Papia, ſed ex mandatis, vel Senatus Conſulto in *dict. l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ ut indign.* ſupponit, adminiſtrantem in Provinciam, aut tutorem poſſe, adire, & adquirere mero jure, ex teſtamento provincialis fœminæ, aut pupillæ, & quidem ſolidum, vel tamquam adminiſtrantem, ideoque abſentem, Reipublicæ cauſa, vel tamquam conjugem pupillæ, legibus caducariis immunis, juxta adnotata ſupra, ex Ulpiano *dict. titul.* 16. *in princip. & verſic. Aut ſi vir abſit*: & tamen decidit, eos retinere adquiſitum non poſſe, idque non propter leges Juliam, & Papiam, ſed ex Reſcripto Severi, & Antonini, quorum multa in ſimilibus indignorum ſpeciebus Reſcripta. *l. Si pater* 4. *Cod. de hæred. inſtit. l. Etiam* 111. *D. de leg.* 1. *l.* 3. *D. de jure patron. l.* 1. *l.* 5. §. *ætati cum ſeq. l. Cum tabulis* 16. §. *Quoniam. l. Eum, qui* 18. *D. de his, quæ ut indign. l.* 1. & 2. *Cod. eodem tit. l. Si ſequens* 15. §. 1. *D. de S. C. Syllan. l. Cum mortem* 27. *l. Ejus* 29. §. *ult. l. Cum tacitum* 40. *D. de jure Fiſci. d. l.* 3. §. 1. *verſ. Divus, cum ſexcentis aliis.* Ergo utroque caſu, ait Martianus, etiamſi ex aſſe inſtitutus hæreditatem adierit (quod inſtituto ex aſſe licuit, etiam ante apertas tabulas. *l.* 3. *Cod. de jure deliber. l.* 1. §. *ult. D. de jur. & facti ignor.* & poſt apertas, ac multo minus poſt confirmatas eas, aditione, non fuit locus delationi hæreditatis caducæ in Fiſcum, ex legibus Julia, & Papia, ut ad eaſdem notant Juris Auctores, in *l.* 4. juncta *l.* 3. §. *ult. & l.* 5. *D. de bonor. poſſeſſ. l. Qui ex duabus* 53. *D. de adquir. hæred.* juncta *l. In teſtamenta*

menta

mento 31. *verſ. Sed & Pamphilam, D. de condit. & demonſtrat.*) Fiſco locum fieri, non tamquam in caduco, ex cauſis jam traditis, ſed ut in excipiendo, quippe ei, ut indigno, auferri hæreditatem; & ſane merito, quia quamvis mero jure adquiſierit, ceperit, utpote non comprehenſus pœnis, nihil, aut non ſolidum capiendi, ex legibus noſtris, indignus tamen eſt, qui retineat, cum deliquerit, prohibitas nuptias contrahendo, & merito puniendus ſit, ut Martianus idem ſcribit, in *l. ultim. D. de legat.* 1. apud quem verba illa de tutore, *Ipſe autem non poteſt*, capere, exponenda ſunt de capione, cum effectu retentionis, ex eodem Martiano in *dict. l.* 2. §. 1. *l. Aliud* 71. *D. de verb. ſignif.* ſive ut non capiat, ita ut non auferatur, quaſi ab indigno, de quo jure auferendi, ſeu non capiendi cum effectu, ex Reſcriptis Severi, & Antonini, tradidit & alia Martianus *lib.* 2. *inſtitutionum*, ex quo *dict. lex ult. in l. Etiam* 111. *D. de leg.* 1. *l.* 3. *D. de jure patron.*

21 Neque alterius fili eſt interpretatio Papiniani in *dict. l. Claudius* 13. *D. de his, quæ ut indign.* dum reſpondet, damnato Mevio in adulterio Semproniæ, eaque non damnata, poſtea uxore ducta, & hærede relicta, neque matrimonium ſtare, neque pertinere hæreditatis lucrum ad mulierem, ſed relictum ad Fiſcum pervenire: adjicitque ſimiliter, ſi ea mulier Sempronium hæredem inſtituerit, auferri ei indigno hæreditatem, ac proinde ſupponit, capere mero jure, & adquirere injuſtos hos conjuges inter ſe relicta, contra Ulpianum *dict. tit.* 16. §. *Aliquando.* Sed, ut diximus, nexum hoc, enodandumque eodem filo, quia præmiſſa interim, & admiſſa Juris præſumptione, quæ nuptiis initis inter damnatum adulterii, & mulierem, cujus in adulterio damnatus fuit, etiamſi ipſa nec deprehenſa, nec damnata ſit, habet hanc etiam pro adulterii convicta, confeſſa, & damnata. *l. Commiſſum* 27. *l. Si qui* 34. *Cod. ad leg. Jul. de adulter. Novell.* 134. *ut nulli judicum cap.* 12. §. *Si quis vero.* Certum tamen jus eſt, nuptias eum damnata adulterii, non prohiberi ſpecialiter legibus Julia, & Papia, quarum pœna illa fuit, *dict.* §. *Aliquando*; ſed generaliter tamquam damnatæ publico judicio, ex Ulpiano *tit.* 13. §. *ultim.* & ex *Senatus Conſulto*, de quo in *l. Palam* 43. §. *Senatus* 10. & §. *Quæ in adulterio, verſic. Quod ſi, D. de ritu nupt.* proprie autem, & ſpecialiter lege Julia de adulteriis, *l. Caſtitati* 9. *Cod. ad leg. Jul. de adulter. l. Mariti* 29. §. 1. *D. eodem tit. l. Auxilium* 37. *in fine, D. de minor.* ac præterea ſic prohiberi, non ut injuſtæ tantum ſint, ſed validæ, ſicut Senatorii cum libertina, aut ingenui cum famoſa, ne quis in *dict.* §. *Aliquando*, ſed utarritæ, inutiles, inanes non teneant matrimonii jure, & jugo. *dict. l. Palam* 43. §. *Senatus*, illic: *Uxorem ducere, aut retinere. l. Miles* 11. § *ult. D. ad leg. Jul. ad adulter. dict. l. Claudius* 13. *ibi*: *Neque tale matrimonium ſtare.* Docte ergo, ut ſolet, Papinianus, ceſſante injuſtorum conjugum, ex Julia, & Papia legibus, pœna, quæ ad ejuſmodi illicitos conjuges non pertinuit, ſupponit, poſſe eos capere inter ſe mero jure, ſi aliunde capaces ſint (ut puta liberorum jure à Principe impetrato, aut alia ex illis cauſis, quæ apud Ulpianum *tit.* 16.) ſed quaſi indignis Fiſcum auferre, ex ratione *l. ult. D. de leg.* 1. quanquam & aliæ ſuppetant in *d. l. Claudius* 13. queis, & ad eam plura Nos infra *lib.* 3. *cap.* 11. Referri & ad hanc partem, fortaſſe poſſet Papiniani ſententia nobilis in *l. cum tabulis* 16. §. *Quoniam, D. de his, quæ ut indign.* ſeponimus tamen conſulto, *Analectis legum noſtrarum de concubinis* adſcribendam.

CAPUT XVI.

Ad Scævolam in leg. Uxori 27. *D. de uſufructu legato.*

ARGUMENTUM.

Excitata in reſponſo Scævolæ dubia, & difficilia; queis expediendis, refutatæ Coſtæ, Chiffletii, & quæ præ aliis placuit, Cujacii conjecturæ, de uſufructu non confiſcando. Præmiſſa aliqua elucidandæ theſi dict. l. 27. *& ea inter Paradoxum de muliere in* d. l. 27. *perinde ac marito ignara illiciti matrimonii, & tamen obnoxia fructuum repetitioni. Tentatur rurſus emendatio* d. l. 27. *ut pro* biennio *legatur* vicennium: *jam & abſque correctoris ſcalpello, obſervatur, ignota adhuc, differentia, & differentiæ ratio inter hæreditatem, & alia relicta. Unde & compoſitæ* d. l. 27. cum l. 2. §. 2. D. de his, quæ ut indign. l. ult. D. de leg. 1. *Componuntur item* lex 4. cum l. 7. Cod. de hæred. inſtit. l. Neque 5. Cod. de teſtam. *Explanatur ſimilis differentia inter inſtitutiones, & legata, deleta à teſtatore, ex titulo* de his, quæ in teſtam. del. *Alia inter, in hæredem, & legatarium, noxios necis defuncti, juncto intellectu* l. 9. §. ult. D. de his, quæ ut indign. *Remotus tandem ſcrupulus, cur Scævola in* d. l. 27. *de dote, & uſufructu non reſpondeat.*

1 PErtinet poſtremo ad hanc ipſam de relictis inter injuſtos, ſive illicitos conjuges diſputationem, egetque proprii capitis commentatione, reſponſum Scævolæ in *l. uxori* 27. *D. de uſufruct. leg.* Ubi cum uxori maritus per fideicommiſſum, uſumfructum, & alia, & dotem prælegaſſet, hæredeſque ei uſumfructum conceſſiſſent, pronunciato poſt biennium illicito matrimonio, conſultus Scævula, an quod, præterito tempore, poſſedit, repeti poſſit; reſpondet: *Id, quod, fructus nomine, percepiſſet, repeti poſſe.* Quod perquam difficile eſt. Nam ſi, ut poſt Dynum Bartolus, Albericus, & communiter fere antiquiores, *repeti poſſe*, accipimus de Fiſco repetente, & auferente, quaſi ab indigna, id quod fructus nomine perceperat, remanet in obſcuro, cur non hoc idem reſpondeatur in dotis prælegato, & aliis relictis, juxta *dict. l. Claudius* 13. quod utique, dum Scævola in facto expreſſum poſtea omittit, & de uſufructu ſolo reſpondet, negare intelligitur. Si vero, ut, poſt Accurſium, rectius ſupponunt Cujacius 1. *reſponſ. Scævolæ*, & *ad tit. D. de uſufruct. legat.* in *dict. l. Uxori* 27. Eman. Coſta *in cap. Si Pater*, 1. *part.* verbo, *Uxorem*, *num.* 16. *de teſtament.* Briſſonius *de jure connub. pag.* 48. & alii; ac proinde non Fiſcum, qui cum nihil dederit, non tam repetere, quam auferre, & eripere, diceretur, *dict. l.* 2. §. 1. *d. l. Claudius* 13. & paſſim, *D. de his, quæ ut indignis auferuntur. D. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ult. D. de donat. inter.* Sed hæredes mariti eos eſſe, qui repetunt, intelligimus. Remanet eadem quærendi ratio, cur non idem ſit in aliis relictis, & hoc amplius, cur in ea ſpecie à muliere, quam illiciti matrimonii conſciam, & indignam fuiſſe, agnoſcunt, ideoque ab ea mariti ignorantis hæredes repetere, non auferat potius Fiſcus, ut ab indigna, ſicut auferret à tutore, aut in Provincia adminiſtrante, quod eidem coacta uxor, aut pupilla ignara, & decepta reliquit, nec hæredes earum repetunt. *d. l.* 2. §. 1. juncta *d. l. Claudius* 13. *d. l.* 32. §. *ult.*

Nec rem expedit acumen Coſtæ, & poſt eum, Barboſæ, Sanctii, aliorumque, apud Meſam *lib.* 1. *var. d. cap.* 22. *num.* 22. affirmantium, legatum in *d. l. uxori* 27. fuiſſe nullius momenti, ipſo jure, ob errorem mariti, ignorantis illicitum matrimonium, & relinquentis tamquam uxori ei, quæ non erat, idcircoque hæredes repetere; id enim ſi adeo gratis divinare, & ponere, licet, quidni, & certius ſupponatur in pupilla, Juris cenſura ſemper ignara, & decepta, *l. ult. D. de leg.* 1. *l. ult. D. de jur. & facti ignor. l.* 1. *in fine, Cod. de falſa moneta*, & relinquente tutori, illicito marito, à quo tamen non hæredes pupillæ repetunt, ſed Fiſcus aufert, *d. l.* 2. §. 1. ut 2

Digitized by Google

omittam nunc quod jam ſupra plenius firmavi, errorem in qualitate conjugis, ſeu filii non facere, ut relictum ipſo Jure non teneat, Fiſcoque potius locum aperire, ut eripiat, quaſi ab indigno, quam hæredi, ut repetat. *d. l. 2. §. 1. l. Auſertur 46. D. de jure Fiſci. l. ſi pater 4. Cod. de hæred. inſtit.* Quo & ipſo convincitur alia, & aliena magis Chiffletii Sequani cogitatio, *lib. 1. de jure fideicommiſſ. cap. 2.* fingens, repeti in *d. l.* 27. ut indebitum, fideicommiſſum, quia relictum tamquam uxori (& quidem Jure Gentium illicitæ uxori, in quo non male) nec naturaliter debitum fuerit, cum tamen, ut monuimus, verius ſit, valere, & debitum fuiſſe, ipſo Jure, & ut repeti poſſit, non tamen ut indebitum, ſed ut datum ſine cauſa, ſi conſtet, aliter relictu rum non fuiſſe. *l. Cum tale 72. §. Falſam 6. D. de condit. & demonſtr. l. Eleganter 23. in princip. & §. ſi quis. l. Damus 52. l. In ſumma 65. §. Id quoque 2. D. de condict. indeb. l. 2. §. ult. l. 3. de donat.* vel utili actione, ut in ſpecie *l. ſi voluntate 7. C. de donat. inter.*

3 Plauſibiliter magis Cujacius in *dict. l. uxori* 27. &, poſt eum, Scipio Gentilis *de donat. inter, lib. 4. cap.* 3. Bened. Pinell. *lib. 1. ſelectar. cap. 6. num.* 64. Ar. de Meſa *lib. 3. variar. cap. 22. num.* 20. & 21. aliique, uſumfructum hæredes repetere, nec Fiſcum auferre, quamvis dotem, & alia relicta eripiat, quia uſusfructus non confiſcatur, neque in Fiſcum cadit, *l. ſi ab eo 9. D. de uſufruct. l. ſi Titio 33. D. de uſufructu. l. Titio 96. D. de condit. & demonſtr.* ſive ne inutilis in perpetuum proprietas, uſufructu redacto in Fiſcum, qui nunquam moritur, *d. l. ſi ab eo* 9. juncta *l.* 8. quæ præcedit, *D. de uſufr. leg. l. ſi uſusfructus 21. D. quib. mod. uſusfr. amitt.* ſive quia uſusfructus, utpote perſonæ cohærens, nec ſine perſona conſiſtens, non tranſit, caditve in Fiſcum, qui perſonæ vice non fungitur. *l. Quoties 14. §. ult.* juncta *l. Novatio 24. D. de novationib. l. Mortuo* 22. juncta *l. Inter 51. §. ultim. D. de fidejuſſorib. & l. Cum ratio 7. §. ultim. D. de bon. damnator.* de quo tamen effato, & ejus rationibus plenius ſuo loco. Cæterum quod ad Scævolam attinet, ne vel in hoc tranſcurſu diſſimulemus, ſed pro aculeo ſaltem relinquamus, confiſcari, ſeu publicari uſumfructum, in *l. ſi poſtulaverit 17. §. Jubet 11. D. ad leg. Jul. de adulter.* non probamus Cujacii notam, quia Scævola non de uſusfructus jure repetendo, aut confiſcando, reſpondet, ſed de eo, *quod fructus nomine mulier percepiſſet, præterito tempore*, in tempus uſque matrimonii illiciti pronunciati, quos certe fructus ab indigna perceptos, in Fiſcum redigi, non ſupraſcriptæ Juris rationes vetabant, imo cogebant regulæ, *l. Hæredi 17. cum l. ſeq D. de his, quæ ut indign. l. 1. Cod. eod. tit.*

4 Lubrica adeo, & ſubluſtris cum ſit ſententia, interpretatioque *dict. l.* 27. ſuſpicionibus locum facit, quas & proferre non gravabimur, exercitationi diſcentium, an doctiorum movendæ, & promovendæ cenſuræ. In primis autem pauca præmunienda. Primum, in quo & omnes conveniunt, mulierem in *dict. l.* 27. conſciam, noxiamve fuiſſe impedimenti, & prohibitionis matrimonii, quod poſtea illicitum pronunciatum; nam ſi ignara, aut culpæ expers, non auferretur ab ea, ſive repeteretur quod perceperat. *dict. l. 2. §. Per contrarium, D. de his, quæ ut indig. l. ultim. D. de his, quæ ut indig. l. ultim. D. de legat.* 1. Et è converſo maritum fuiſſe innoxium, ignarumve impedimenti, alioquin neque ipſe, neque hæredes repeterent, *l. Cum hic ſtatus 32. §. ultim. D. de donat. inter. l. ſi ab hoſtibus 11. §. ult. D. ſolut. matrim.* Secundum, primo huic conſequens, eſt, matrimonium in *d. l.* 27. non fuiſſe cum pupilla, aut provinciali coacta, quamquam id illicitum vocari ſolet, *dict. l. 2. §. Per contrarium. l. Filius 28. §. ſi quis eo, D. de liber. & poſthum. l. Tutor 60. §. Quid ergo, cum l. ſeq. D de ritu nupt.* Id enim ſi eſſet in *dict. l.* 27. maritus noxius, & mulier innocens præſumeretur, *dict. l. ultim. D. de legat.* 1. ſed illicitum matrimonium in *dict. l.* 27. accipiendum de contracto cum cognata, aut affine, ab ignorante, eam talem eſſe, per errorem facti, cui pareitur, quomodo, & proprie matrimonium id illicitum, inceſtumque dicitur, in *l. ſi adulterium 38. §. 1. & §. Nonnumquam 3. cum ſeq. D. ad leg. Jul. de adulter.* & apud Cajum *lib. 1. Inſtit. tit. 4. §. Sed non 2. cum §. ſequ.* Auctorem *collat. leg. Moſaic. tit. 6. §. Exemplum.* Tertium eſt, quod & ſupra jam indicavimus, & de quo æque inter doctiores convenit, non eſſe Fiſcum eum, qui repetit percepta, fructus nomine, in *dict. l.* 27. ſed hæredes mariti, quos uſumfructum conceſſiſſe, Scævola ponit, & quibus *repetendi* verbum, & jus proprie congruit, *l. Partis 10. D. de præſcript. verb.*

Quartum eſt; uſumfructum, & alia relicta fuiſſe 5
per fideicommiſſum, & dotem prælegatam; & quidem à marito uxori, cui ſolemne veluti fuit, licitumque, ex legibus noſtris, relinquere uſumfructum tertiæ ſaltem partis bonorum, & alia uſque ad eorum decimam, matrimonii nomine, & inſuper dotem prælegare, teſte Ulpiano *tit.* 15. & ex eodem Scævola, *l. Lucius 78. §. Marius 14. D. ad S. C. Trebell. l. penult. D. de uſur.* ac præterea Scævolam in *dict. l.* 27. conſulto, neque ingratiis proponere, hæredes uſumfructum mulieri conceſſiſſe, hoc eſt, cedendo veluti tradidiſſe, & conſtituiſſe, *l. 2. §. 1. & ultim. l. Per quem 14. l. ſi mihi 20. cum l. ſeq. D. de ſervit. ruſtic. l. 3. §. penult. D. de legat. 3. l. ſi uſumfructum 33. D. de liber. cauſa.* Et de dote, aliiſque per fideicommiſſum relictis, an ſcilicet ea tradita, aut repetenda, nihil quæri, aut proponi.

Quintum, & quod non modo præter opinionem 6
communem primo præmiſſo ſtabilitam, ſed & præter rationem, cuiquam fortaſſe videatur, ſupponi poſſe in *dict. l.* 27. uxorem fuiſſe perinde ignaram, ac maritum impedimenti matrimonii, ex eoque tentari poſſe, quærendi, dubitandique de fructibus perceptis repetendis, eam rationem eſſe apud Scævolam, quia percepti fructus ab uxore, impedimenti, & prohibitionis matrimonii ignara, & bona fide, ac titulo fideicommiſſi, uſumfructum per quaſi traditionem, ceſſionemve poſſidente, adquiſiti ei, videntur ſtatim mero, plenoque jure, *l. Inſulam 42. §. Fructus, D. ſoluto matrimon.* juncta regula *l. Qui ſcit 25. §. 1. l. In pecudum 28. D. de uſur. l. Bonæ fidei 48. D. de acquir. rer. dom. §. ſi quis à non domino 36. Inſtit. de rerum diviſ.* Et utcumque ex fideicommiſſi cauſa non fiant res adquirentis, dominio Quiritario, & civili, ſed dumtaxat in bonis, jure veluti gentium, & poſſeſſionis, *l. 3. D. ſi uſufruct. pet.* junctis *l. Herennius 42. D. de uſur. l. ſi quis 29. D. de uſufruct. leg. l. facta 63. D. ad S. C. Trebell.* maxime ubi fideicommiſſum eſt, uſusfructus tamquam uxori ei, quæ uxor non eſt, & proinde impos, eo titulo adquirendi, ex Ulpiano *dict. tit. 15. & 16. in fine;* tamen adquiſiti fructus videntur, ſaltem uſucapione poſt annum perceptionis bona fide, & probabili præſumptione tituli etiam fideicommiſſi concurrente, *l. 2. in fine, D. pro ſuo. l. 4. §. Fructus 5. D. de uſucap. l. 4. & ultim. D. pro legato. l. Proculus 67. D. de jure dot.* juncta *l. Pomponius 13. §. Sed & legatario in fine, D. de adquir. poſſeſſ.* & multo magis *poſt biennium*, ut, ampliore temporis ſpatio expreſſo, Scævola ponit, ſicut idem in *l. ult.* illic: *Multis annis, D. pro dote.* juncta *l. 3. l. Reſcriptis 9. D. de diverſ. & temp. præſcr.*

Sed ex adverſo pro reſponſo Scævolæ de fructi- 7
bus repetendis, non leviores ſic decidendi, & reſpondendi cauſæ ſunt, ſive quia cum illicita uxor fuerit, & proinde non uxor, ſed incapax relicti uſusfructus ex teſtamento capiendi ex legibus noſtris, non potuit fructus capere, bonæ fidei ſuffragio, ex cauſa legibus improbata, *l. inceſtæ 52. D. de jure dot.* juncta *l. Quemadmodum 7. in fine, Cod. de agricol. & cenſit.* & ad rem traditis à P. Barboſa in *l. ſi ante 6. num. 25. D. ſolut. matrim.* vel ſaltem non potuit uſucapere ex fideicommiſſo ea, cum qua teſtamenti factio non erat legibus noſtris, ut ad eaſdem Juliam, Papiamque *lib.* 5. tradidit Paulus in *l. ultim.* *D.*

D. pro hærede. juncta *l.* 1. §. *penult.* & *ultim. D. pro dote. l. Nemo* 7. *D. pro legato. l. Ubi lex* 24. *de uſucapion.* ſive quæ decretoria ratio eſt, quia quamvis admittamus, eam cepiſſe, & uſucepiſſe, hæredibus tamen fructus repetentibus, condictione indebiti, aut ſine cauſa, quia per errorem, tamquam debitum uſumfructum conceſſerunt ex cauſa fideicommiſſi, quam poſtea, illicito matrimonio pronunciato, non ſubſtitiſſe apparet, non obſtat uſucapio, aut præſcriptio longi temporis, etiam quoad fructus, bona fide perceptos. *l. Indebiti* 15. *in princip.* & §. 1. juncta *l. Hæc condictio* 66. *D. de condict. indeb. l. Quod ſi in diem* 16 §. *ultim. D. de hæred. petit. l. ſi & me* 32. *D. de rebus creditis. l. rerum* 25. *D. de actione rer. amotar.* Nec rurſus in his fructibus jus Fiſcus habet, quia in relictis tamquam uxori à marito palam, & bona fide utriuſque, & utroque inſcio illiciti matrimonii, nec locus eſt delationi, tamquam caducorum in Fiſcum, neque ereptioni, tamquam ab indignis, argumento ex *l. In fraudem* 10. §. 1. *D. de his, quæ ut indign.* juncta *l.* 3. §. 1. *Digeſt. de jure Fiſci. l. ultim.* in fine, *D. de ritu nupt. l. Qui contra* 4. *verſ. Ex eptis, Cod. de inceſt. nupt.*

8 Porro hiſce poſitis, cum Scævola in facto exprimat, *poſt biennium*, fuiſſe illicitum matrimonium pronunciatum, nec ſine myſterio id exprimere videatur ſolertiſſimus Juris Auctor in explanandis factis, & propoſitionibus, de queis conſulitor, ut de jure aperto reſpondeat, *l. A teſtatore* 109. *D. de condit. & demonſtrat. l. Seia* 20. §. *ultim. D. de inſtructo, & inſtrum. leg.* & biennii circumſcriptio, aut præſcriptio, nullius in ea hypotheſi uſus videatur, non diſſimulo, fuiſſe aliquando, cum conjectarer, an non potius Scævola ſcripſerit, & legendum ſit, *poſt vicennium*, frequenti in numerorum notis, & in hac ipſa, *biennii* voce, non novo mendo (ſicut *tricennii* pro *triennii*, in *l. unic.* §. *ult.* ubi Cujac. *Cod. de uſucap. transform.*) quo ſublato in promptu ratio erit, ob quam de aperto jure ſupponitur, Fiſcum non auſerre percepta, fructus nomine, imo neque fructum ipſum, & prælegatum dotis, & alia, nimirum quia poſt vicennium matrimonio illicito pronunciato, cum ante id tempus Fiſco nunciatum non eſſet, præſcriptio vicennii obſtat, quæ non tantum in accuſationibus criminum fere omnium obſtat, etiam inceſti, *l. Querela* 12. *Cod. ad leg. Cornel. de falſis*, juncta *l. Vim paſſam* 39. §. *Præſcriptione* 5. *D. ad leg. Jul. de adulter.* ſed & in omnibus Fiſci quæſtionibus, ſive cauſis, ex quibus Fiſco nunciatur, excepta bonorum vacantium, & commiſſi, *l.* 1. *C. de quadrienn. præſcr. l.* 2. *Cod. de bon. vac.* Fiſcum excludit. *l. In omnibus* 13. *D. de diu. & tempor. præſcr. l.* 1. §. *Præſcriptio, cum ſeqq. D. de jure Fiſci. l.* 3. *D. de requir. vel abſent. damn.* Nec tamen ea obſtat hæredibus mariti ignorantis, quo minus repetant, quia eorum repetitio, utpote perſonalis civilis actio rei, ſive juris ſui perſecutoria, erat perpetua, Scævolæ, & Conſultorum ævo, *princip. Inſtit. de perpet. & temp. act.* nec peribat præſcriptione ordinaria longi temporis decennii, aut vicennii. *l. Indebiti* 15. §. 1. *D. de condict. indeb.* imo & jure noviori non niſi tricenaria. *l. ſicut* 3. *C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann. l.* 2. *C. de conſtituta pecunia.*

9 Stent tamen hæc, ut dixi, intra ſupicionem. Ad aliam tranſeo jam, quam pene in opinionem transferre auſim, ſit licet paradoxa, ſeu præter mentem omnium veterum, noviorumque Interpretum, & quæ nunc primum nobis in mentem venit. Ergo ſi nihil myſterii, mendive in voce, *poſt biennium*, malis agnoſcere, ſed eam veluti ex facto à conſulente expreſſam retineas, prætereaſque, obſervaſſe licebit, in relictis à pupilla tutori, aut provinciali muliere Præfecto, cui coacta nupſit, aut generaliter, à conjuge ignorante, & innoxio conjugi conſcio matrimonii illiciti, quæ fere ſpecies ſunt, *d. l.* 27. *d. l.* 2. §. 1. ſi quæratur, quando ea Fiſcus ei quaſi indigno eripiat, diſtinguendum eſſe genus relicti, an ſcilicet hæreditas fuerit, ejuſve pars, an potius legatum, ſeu fideicommiſſum. Quippe in hæreditate, & quidem adita ab hærede ex aſſe inſtituto, tutore ſcilicet à pupilla, aut Præfecto à muliere provinciali, obtinet, ſcriptumque illud eſt in *d. l.* 2. §. 1. *verſ. Utroque*, nempe utroque caſu tutoris, & Præfecti, ſupra expreſſo, fieri locum Fiſco, & quaſi indignu auſerri hæreditatem. Pertinere autem hanc aſſertionem de Fiſco auſerente, ad hæreditatem ex aſſe, non autem ad alia relicta, ſuadet ſatis ſeries, contextuſque ejus loci; namque in principio illic Martianus præmiſerat, auſerri hæreditatem ex aſſe, & ad Fiſcum pertinere, ſi emancipatus filius contra tabulas bonorum poſſeſſionem patris, ut præteritus petiiſſet, & ex ſubſtitutione impuberis adiiſſet hæreditatem. *l. Is qui* 22. *D. de vulgari. l. Filium* 5. §. *Non ſolum, D. de leg. præſt. l. Sed ſub conditione* 18. §. *D. de bonor. poſſeſſ. contr. tabul. l. In ſervitutem* 16. §. *ſi quis bonorum, D. de bon. libertor. l. Papinianus* 8. §. *Meminiſſe, D. de inoffic. teſtam.* Eoque poſito, Martianus, continuativa ſimilis ſententiæ particula utens, ſubjungit; *Item ſi quis contra mandata*, ſpeciem ſcilicet de uxore ducta in Provincia à Præfecto, in qua ſcribit, ex Reſcripto Severi, & Antonini, *quod ei ex teſtamento uxoris adquiſitum eſt, retinere eum non poſſe, tamquam ſi tutor pupillam, contra Decretum Ampliſſimi Ordinis, duxiſſet.* Quibus verbis nihil proprie, aperteve de hæreditate adquiſita, quin potius proprie magis ea verba referuntur ad ſingulare aliquod relictum, legatum, aut fideicommiſſum, ex teſtamento adquiſitum; ut in *l. Præfectus* 63. §. 1. illic: *Quod teſtamento relictum eſt*, & poſtea, *mulieris hæredi reſtitui. D. de jure dot.* & quod præcipuum eſt, ea verba non exprimunt, Fiſcum auſerre, ſed eos, quibus adquiſitum eſt, non poſſe retinere, inter quæ multum intereſt; ſæpe enim non retinetur, ſed auſertur eis, quibus datum eſt, & tamen Fiſcus non auſert, ut in ſpecie ab eodem Martiano in Inſtitutionibus tractata ex Reſcripto itidem Severi, & Antonini de tutore legatario à tutela ſe excuſante, & ideo legatum non retinente. *l. Etiam* 111. *D. de leg.* 1. *l.* 3. *D. de jure patron.* juncta *l. penult. Cod. de legat. l.* 5. §. *Amittere* in fine, *D. de his, quæ ut indign.* Concludit itaque Martianus in *verſic. Utroque*, ut ſententiam priori illi de hæreditate ex aſſe ſubſtituto filio, à Fiſco auſerenda, comparabilem forma, & effectu faciat, conjungatque, utroque caſu Præfecti ſcilicet, & tutoris, ſi ex aſſe inſtitutus adierit, fieri locum Fiſco, & quaſi indigno auferri hæreditatem. E contrario in ſingulari relicto, ſicut Martianus in *dict.* §. 1. *in princip.* dumtaxat ſupponit, adquiſitum id ex teſtamento pupillæ, aut provincialis uxoris, tutori, aut Præfecto, non poſſe eum retinere. Et ſimiliter in eadem tutoris ſpecie idem Martianus in *l. ultim. D. de leg.* 1. non affirmat, eripi ei à Fiſco, ſed indefinite, ac ſine diſtinctione hæreditatis, aut legati, ait, non poſſe eum capere ex teſtamento pupillæ, *Ipſe autem non poteſt*, ſcilicet cum effectu, *l. Aliud* 71. *D. de verb. ſign.* quia hæreditatem Fiſcus eripiet, legatum autem, vel fideicommiſſum repetent hæredes pupillæ; ita Scævola in *dict. l. Uxori* 27. in uſusfructus fideicommiſſu, relicto à conjuge innoxio, inſciove illiciti conjugii uxori illius complici, conſciæve, & conceſſo uxori ab hæredibus, reſpondet expreſſiore formula, poſſe, fructus nomine, perceptum repeti, & conſequenter non à Fiſco, ſed ab hæredibus, qui conceſſerunt, ut in *l. Partis* 10. *D. de præſcr. verb. l. Matrem* 80. *verſ. Claudius, D. ad S. C. Trebell.*

10 Differentiæ inter hæreditatem, & ſingularia relicta ratio, clariorem differentiam faciet, ſi obſervetur, petaturque ex eo, quia quamvis regulariter, ſine diſcrimine inter legata, aut hæreditates, quæ quaſi indignis auſeruntur, Fiſcus auſerat, *l. Papinianus* 8. §. *Meminiſſe* 14. *D. de inoffic. teſtam.* junctis *tit. D. & Cod. de his, quæ ut indign.* exceptio paucis caſibus, quibus non Fiſco, ſed hæredi, aut perſonæ certæ applicantur, *l. unic.* §. *Quæ autem* 12. *Cod. de caduc. toll. l.* 5. §. *Amittere*, in fine, *D. de his, quæ ut indign. l. penult. Cod. de leg. l. ſi patroni* 55. §. *Qui fideicommiſſum, verſ. Sed nec illud, D. ad S. C. Trebell.* Eſt

tamen, inter eos caſus unus, ignotús adhuc, eruenduſque ex *dict. l. 2. §. 1. & dict. l. 27.* in quo legatum, fideicommiſſumve, indigno ablatum, ad hæredes regreditur, hæreditas autem ad Fiſcum pertinet, nempe quoties à pupilla, aut provinciali fœmina, aut marito ignaro, & innoxio, relinquitur tutori, Præfecto, aut uxori nocenti, conſciæve illiciti matrimonii, idque electa illa, & eleganti diſcriminis cauſa, quia conjux innocens, ignoranſque, non præſumitur relicturus conjugi illicito, ſi eum illicitum eſſe ſciſſet, cui tamquam juſto, licitoque relinquebat, ſicut dicimus de relicto à patre pupilli, tutori ejuſdem futuro, tamquam tutori, remunerandæ fidei cauſa, ut Papinianus loquitur, ſive propter tutelam, neque alioquin relinquendo. *l. Tu•r 28. §. 1. l. Neſſennius 32. cum l. ſeq. Amiciſſimos 36. D. de excuſat. tut. l. penult. Cod. de legat.* Proinde quandocumque poſtea appareat, cui tamquam conjugi relictum fuit, non fuiſſe niſi conjugem illicitum, defeciſſe voluntas, relinquendi, intelligitur, quod & ſatis eſt, ut fideicommiſſum, quamvis mero jure valuerit, ſicut donatio à pupilla ignorante, in tutorem, cui contra jus nupſit, collata, *l. ſi voluntate 7. Cod. de donat. inter.* (in quo tamen quoad Scævolam in *dict. l. 27.* Coſta, & eum ſequuti, ſupra laudati, parum videre) tamen ex præſumpto voluntatis defectu infirmetur, & legatum ſimiliter, ſaltem per doli exceptionem, utpote quibus adimendis, vel nuda voluntas ſufficit, *l. 3. §. ultim. l. cum ſervus 15. D. de adim. leg. l. ſi ita 14. D. de legat. 1. l. ſi jure 18. D. de legat. 3. l. Fideicommiſſum 27. Cod. de fideicommiſſ.* & conſequenter ſi per errorem ab ignorante hærede ſoluta ſint, potius tamquam ſoluta, ſine cauſa, hæres repetit, quam quaſi quæſita Fiſcus auferr. *dict. l. Uxori 27.* juncta *l. Cum tale 72. §. Falſam cauſam 6. D. de condit. & demonſtr. l. 2. §. 1. cum l. ſeq. l. Qui exceptionem 40. l. Ex his 54. D. de condict. indeb. l. Qui ſe 7. verſ. Nerva, D. de condict. cauſa data. l. Neque 5. Cod. de teſtament.* Diverſum autem in hæreditate, relicta conjugi illicito ab inſcio, & innucente, in qua etiamſi eadem defectæ, errantiſque voluntatis ratio concurrat, non tamen ſufficit hæreditati adimendæ; quia hæreditas ſemel data, non facile adimitur, certe non nuda voluntate, *l. Hæreditas 4. Cod. de his, quæ ut indign. l. ſi certarum 17. §. ſi eodem, D. de teſtam. mil.* imo nec pro non data habetur, ſola defectæ voluntatis conjectura, *l. 1. §. & hæreditatis 4. D. de his, quæ in teſt. del. l. ſi ita ſcriptum 12. §. Regula, D. de liber. & poſth. l. Quidam 27. §. ult. D. de condit. inſtitution.* ideoque hæreditatem, utpote mero jure quæſitam, conjugi illicito, tamquam indigno, Fiſcus eripit. *dict. l. 2. §. 1. verſ. Utroque.* juncta *l. Aufertur 46. D. de jure Fiſci. l. ſi pater 4. Cod. de hæred. inſtit.*

11 Jam vero hanc differentiam, ſimulque differentiæ rationem, cujus fundus, auctorque veluti Papinianus in *l. ex parte 22. D. de adim. leg. l. Militis 36. §. Veteranus, D. de teſtam. milit.* firmant, fulciuntque, quoad hanc partem delationis hæreditatis in Fiſcum, non item legati, vel fideicommiſſi, ſimilia exempla, quæ ſequuntur.

12 Primum, & propoſito proximum, ejuſdemqne generis, rationiſque, eſt in inſtituto, tamquam filio, neque aliter inſtituendo, quem poſtea non eſſe filium, ſed ſubjectum, vel ſuppoſitum, conſtitit, à quo, ut indigno, hæreditatem Fiſcus aufert, *d. l. Aufertur 46. D. de jure Fiſci. l. ſi pater 4. Cod. de hæred. inſtit. l. 1. §. ult. D. de Carbon. Ed.* quamvis diverſum ſit in peregrino, in locum fratris adoptato, & tamquam fratre inſtituto à Cive Romano, in qua ſpecie (quamvis ſi frater eſſet, poſſet etiam peregrinus, ex teſtamento fratris Civis capere, ut ex Pllnio diſcere licet in *Panegyrico*, ubi de viceſima hæreditatis, inter fratrem Civem, & peregrinum, ſublata; juncto Ulpiano in *fragmentis tit. 20. §. Latinus 14.*) tamen cum peregrinus fuerit, neque apud peregrinos, adoptione, frater fieri potuerit; ideoque ejus inſtitutio, utpote peregrini, & non fratris, ex teſtamentn Civis pro non ſcripta ſit, *l. 1. Cod. de hæred. inſtit.* ſive quod eodem recidit, quod teſtator adoptando, & inſtituendo fieri voluit, irritum ſit, conſequens eſt, portionem hæreditatis, quam tamquam frater adoptatus, & inſtitutus tenet, non ut indigni voluntate defecti à Fiſco auferri, ſed ut peregrini incapacis, & pro non ſcripta reſtitui filio hæredi, debere, *l. Nec apud 7.* juncta *l. 2. Cod. de hæred.* quam ita præeuntibus Græcis Scholiis, *lib. 35. Baſilic. tit. 9. in extremo*, interpretamur, Latinis fere omnibus, ac vel Cujacio ipſo vacillantibus, & ex novioribus Benedicto Pinello *lib. 1. ſelectar. cap. 6. ex num. 41.* Plane diverſum in legato, aut fideicommiſſo, relicto tamquam filio ei, qui filius non eſt; id enim non à Fiſco auferri, ſed non deberi, ſcilicet cum effectu, quia petenti exceptio obſtat, & contra eum ſi ab inicio acceperit, repetitio eſt, reſcribitur in *l. Neque 5. Cod. de teſtam.* Ubi mentio eorum, quæ teſtamento relinquuntur, refertur proprie magis ad legata, vel fideicommiſſa, quæ relinquuntur ab hærede præſtanda, *princip. Inſtit. de legat.* quam ad hæreditatem, quæ à teſtatore ipſo datur, & hæres ab eo capit, & à ſemetipſo, non ab alio. *l. Hæres 54.* juncta *l. Ex parte 58. D. de acquir. hæred. l. 6. §. ult. D. de hæred. inſtit.*

Secundum eſt in hærede, cujus nomen, conſulto 13
à teſtatore poſt conſummationem teſtamenti deletum eſt; ei enim hæreditas, vel portio ejus relicta, quamvis adeundo adquiri poſſit, Civili Jure, non tamen Prætorio, nec cum effectu, *l. ult. D. de injuſto rupto. l. 2. D. de his, quæ in teſtament. del.* juncta *l. unic. D. ſi tabulæ teſtam. extab. l. 2. §. ſi conſulto 7. l. ſi ita 8. §. It autem, D. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* & quaſi indigno, & voluntate defecto, à Fiſco aufertur, *l. Cum tabulis 16. §. ultim. l. Cum quidam 12. D. de his, quæ ut indign. l. Hæreditas 4. Cod. eodem tit.* niſi ſi ab inteſtato hæredes probent, ideo inſtituti nomen deletum à teſtatore, quia inteſtatus maluit decedere, quo caſu ipſi avocabunt hæreditatem, juxta Pauli notam ad Papinianum in *l. ultim. D. de his, quæ in teſt. del.* & apud auctorem *collat. leg. Moſaic. & Rom. tit. 16. de legit. hæred. §. Paulus*, juncta *l. 1. §. penult. D. ſi tabulæ teſt. null. extab.* E contrario legata, conſulto à teſtatore, & peractn teſtamento deleta, quamvis ipſo jure debeantur, non tamen cum effectu, & petentes exceptione repelluntur, nec Fiſco locus ſit. *l. 1. §. ſed conſulto 3. D. de his, quæ in teſt. del.* juncta *l. ſi inimicitiæ 9. in princip. & §. ult. D. de his, quæ ut indign.*

Tertium eſt in hærede, qui ei, à quo inſtitutns, 14
necem intulerit, ant negligendo, necis cauſa fuerit; ab eo enim, ut indigno, hæreditatem Fiſcus eripit. *l. Cum ratio 7. §. Præterea, D. de bonis damnat. l. 3. D. de his, quæ ut indign. l. His conſequenter 18. §. 1. D. famil. herciſc.* & in *feudis lib. 2. tit. 24. quæ fuit prima cauſa beneſ. amitt. §. Item qui dominum.* Et tamen legatum, aut fideicommiſſum, eidem occiſori relictum, non Fiſcus auferret, ſed hæres retineret, ant per errorem ſolutum repeteret. Ut argumento ex *l. penult. §. Seia*, juncta *l. 3. §. ultim. D. de adim. leg. l. ſi inimicitiæ 9. in princip. & §. 1. D. de his, quæ ut indign.* notant ex Pragmaticis noſtris primarii, D. Molina *1. de primogen. cap. 9. num. 24. & 38. & ſeq.* Petr. Barboſa in *l. Ab hoſtibus 15. §. ult. num. 9. & 10. D. ſol matrim.* conducit lex ab hoſtibus 11. *§. ultim. D. ſolut. matrim.* Nec contrarius Ulpianus eſt in *d. l. Inimicitiæ, §. ult.* dum ſcribit, controverſia ſtatus mota teſtanti à legatario, & proinde impetitn ſolo civili capite teſtatoris, legatarium adeo indignum fieri, ut denegata ei, teſtamento relicti, perſecutione, id ſtatim Fiſco deferatur, quanto magis ſi naturale caput ipſum, non impetitum modo ſit, ſed peremptum. Quippe obſervare oportet, in *dict. § ultim.* non teſtatori vivo, ſed ejus jam defuncti controverſiam ſtatus, motam à legatario, ideoque Ulpianus non ſic loquitur, ut *ei*, ſcilicet teſtanti, ſed *ejus*, nempe defuncti motam ſtatus controverſiam proponat, eoque poſito apparet, non poſſe ex conjectura voluntatis, quæ in defuncto nulla eſt, & ex indignitate poſt mortem ejus ſecuta (non autem,

quæ

quæ eo vivo ſuberat, ut in *principio ejuſdem l. ſi inimicitiæ* 9. & in *d. l. Uxori* 27.) legatum pro adempto haberi, ut hæres vel retineat, vel repetat, ſed aut tamquam indigno, Juris cenſura, legatario auferendum à Fiſco, *l.* 1. ibi: *Poſt mortem ejus. l. Cum tabulis* 16. *D. de his, quæ ut indign.* aut quod Ulpiani textus, & inſcriptio, ex *lib.* 14. *ad leges Juliam, & Papiam*, magis ſuadent, deferendum ſtatim Fiſco, tamquam caducum, *dict. §. ultim.* illic: *Ex qua ſpecie ſtatim Fiſco deferetur*, ut exponemus plenius infra in *tractatu de caducis*, ubi & de opinione Cyrilli, & veteris Scholiaſtæ *lib.* 60. *Baſilic. tit.* 42. *in dict. l.* 9. cujus in ſingulis ſpeciebus confiſcationi locum eſſe voluerunt.

15 Illud utique, ne quem adhuc male habeat, explanandum apud Scævolam reſtat, ſive conjecturis illis prioribus ex biennii, aut vicennii tempore admiſſis, ſive diſtinctione hac, quam magis probamus, inter hæreditates, & alia relicta, cur ſcilicet de fructibus perceptis repetendis dumtaxat quæratur, reſpondeaturque, ac non itidem de uſufructu ipſo, & dote, atque aliis relictis. Sed quoad hæc poſteriora, ne interim ſpeciale quid de dote, & fructibus ex nomine perceptis in illicito, inceſtove matrimonio, quam ſane dotem, ſi probabili errore impedimenti, & prohibitionis inſciam uxorem fuiſſe, volumus, ut & poſnimus, non auferri ei, ut indignæ, nec Fiſco deferri, conſtat ex *l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* juncta *l. Eum qui* 18. *verſic. Cæterum, Cod. ad leg. Jul. de adult. l. ſi adulterium* 38. *§. Fratres, & §. Inceſtum* 7. *D. eodem tit.* quamvis ſi conſcia eſſet, auferretur. *l. ſi quis inceſti* 6. *Cod. de inceſtis nupt. l. Inceſtæ* 52. *l. dote* 61. *Digeſt. de jure dot.* de queis *capite ſequenti* ex profeſſo, fuerit ſatis nunc, rei expediendæ, Scævolam in facto enarrando, ſolum uſumfructum, uxori conceſſum exprimere, non dotem, aliave relicta, proinde ſecundum ea, quæ proponerentur, non fuit, cur quæreret, reſponderetve de illis repetendis, quæ tradita fuiſſe non ponebatur. Plane de repetendo uſufructu, quem conceſſum exprimit, ideo fortaſſe neque quæſitum, neque reſponſum, quia in eo indubitatum erat, non poſſe repeti condictione, ſed hæredes, proprietatis dominos, vindicare remdebere, *l. ult. D. uſufructuar. quem cau.* aut agere de uſufructu reſtituendo ex ſtipulatione fructuaria, ſi ea, ut ſolet, in fideicommiſſo uſusfructus ſit interpoſita, *l.* 1. *§. Illud* 2. *& 5. Habet* 6. *cum §. ſeq. l.* 3 *§.* 1. *D. uſufructuar. quem cau.* de quo tamen ut explorato, & quia non conſulebatur, nihil ſana, ſobriaque Juriſprudentia Scævolæ reſpondet, cujus eſt potius moris, & genii, principali quæſito abſoluto, ea, quæ illi adjacentia, aut conſequentia ſunt, ex eodem, aut aperto jure deducenda, & decidenda relinquere. *l. Titia* 59. *§.* 1. *verſ. Claudius, D. de manumiſſ. teſtam. l. Atteſtatore* 108. *D. de condit. & demonſtrat.*

CAPUT XVII.

De dotibus in matrimoniis illicitis. Ad leg. Dote 61. l. Inceſtæ 52. D. de ritu nupt. l. Si quis 6. Cod. de inceſt. nupt.

ARGUMENTUM.

DOs in nuptiis illicitis, veluti Senatoris cum libertina, ſemper nulla; ſed hoc amplius, & primitus, quod in inceſtis cadit in Fiſcum. d. l. ſi quis 6. *In qua obſervatur Tribonianiſmus, circa mentionem dictionis dotis; & præterea caducitatem dotis eſſe ex Jure antiquo. Expoſita cum Latinis, & Græcis* lex ultima D. de condict. ſine cauſa. *In matrimonio Præfecti cum provinciali fuit dos caduca, fortaſſe & in tutoris cum pupilla. Conjectatio ad* l. ultim. Cod. de interd. matrim. int. tut. *& de calumniæ vocis uſu, & ſenſu. Caducitatis propoſitæ effectus, & cur eidem non locus in donis ſponſalitiis? In matrimonio Senatoris cum libertina, non fuiſſe dotem caducam, tentatum Briſſonio, & Gentili. At cum Accurſio verius fuiſſe, & forſitan ex* legibus Julia, & Papia, *quod & varie ſuadetur, & præcipue ex* l. A Divo 58. D. de ritu nupt. l. Qui contra 4. Cod. de inceſt. nupt. *Ulpiano* tit. 16. §. ult. *Eo loci ad illa verba,* mortua muliere, *nova adnotatio. Caducam dotem non fuiſſe ablatam, quamdiu frons matrimonii ſtaret. Expenditur in eam rem Papinianus in* l. Dote 61. D. de ritu nupt. *qui & confertur cum Ciceronis* Topicis. *Expenditur idem in* l. Præfectus 63. D. de ritu nupt.

1 POſtrema eſt ex propoſitis ſupra, circa effectum prohibitionis nuptiarum inter Senatorios, & libertinas, & expeditis de donationibus, relictiſque inter eos conjuges, conſectanea quæſtio de dote, in eiſdem nuptiis data, dicta, promiſſa. De qua inprimis ſtatuimus, dotem in ejuſmodi nuptiis, contra legem Juliam contractis, nullam eſſe, & intelligi Juris cenſura, ut exprimitur Antonini Pii Reſcripto, utique ante Marci Orationem, & Senatus Conſultum edito, ac proinde eo tempore, quo tales nuptiæ, quamvis injuſtæ, & non legitimæ, erant tamen validæ, & ratæ. *l. A Divo* 58. *Digeſt. de ritu nupt.* de cujus principali ſententia fuſe ſupra.

2 Ejus autem, quam nunc firmamus, aſſertionis ratio in eo eſt, quoniam dos eſt acceſſio, appendixque matrimonii, & nuptiarum, ſine queis non conſiſtit, & propter quas conſtituitur. *l.* 3. *D. de jure dot. l. ultim. verſic. Sicut enim, Cod. de donat. ante nupt. cap. de prudentia* 3. *de donat. inter.* Unde & dos omnis, ſive ejus conſtitutio, tacitam conditionem habere dicitur, ſi nuptiæ ſequantur, *l. In rebus* 17. *l. Stipulationem* 21. *cum l. ſeq. l. Promittendo* 41. *§.* 1. *de jure dot. l.* 4. *§. Hujus, D. de pactis*, ideoque quando, & quamdiu nuptiæ non ſunt, nec dos eſt, *dict. l.* 3. *l.* 1. *§. penult. & ultim. D. pro dote. §. ſi adverſus* 12. *Inſtit. de nupt.* & quidem etiamſi nuptiæ teneant, matrimonii jure, & jugo, ſi tamen ſint injuſtæ nuptiæ, quales contractæ à filia familias, injuſſu patris, *l. dotis* 68. *in princip. D. de jure dot. l. ſi ut proponis* 7. *Cod. de nupt. dict. §. ſi adverſus* 12. juncto *princip. Inſtit. de nupt.* & Senatoris cum libertina, ante Marcum Aurelium, *dict. l. A Divo* 58. multoque magis, ubi non modo injuſtæ, ſed & invalidæ, atque irritæ nuptiæ, etiam quoad nodum, nexumve matrimonii. *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dator l.* 1. *§. penult. D. pro dote*, quales inceſtæ, ſive illicitæ. *l. Inceſtæ* 52. *l. Dote* 61. *D. de jure dot. l. ultim. in princip. & §. ultim. D. de condict. ſine cauſa*; & contractæ a Præfecto contra mandata, vel à tutore cum pupilla, *l. ſi quis* 38. *§.* 1. *D. de ritu nupt. l. penult. & ultim. Cod. de interd. matrim. inter tut.* juncta *l. ſi concubina* 17. *D. de act. rer. amotar.* vel à minore duodecim annis. *dict. l. dotis* 68. *l. ſi ſponſa* 74. *D. de jure dot. l. Nec ullam* 13. *§.* 1. *verſic. Item pro dote. D. de hæred. pe it. l. Quæſitum* 17. *§. ult. D. de rebus auctor. jud. poſſid. l. Falſus* 21. *§. ultim. D. quod falſo tutore*, vel ancilla, *l. ſi mulier* 59. *§. ultim. l. Proculus* 67. *D. de jure dot. l. ſi cum dotem* 22. *§. ultim. D. ſolut. matrim.* juncta *l. Lucius* 27. *D. depoſiti. l.* 3. *C. ſolut. matrim.* Vel denique cum caſtrato, ſeu omnino exciſo. *l. ſi ſerva* 39. *§. ultim. D. de jure dot.* juncta *l. Alumnos* 14. *§. ult. D. de manum. vind.*

Conſtat itaque, in nuptiis à Senatorio cum libertina, ſeu contra legem Juliam, contractis, dotem nullam eſſe. Sed an in eiſdem nuptiis, ea dos ad Fiſcum pertineat, vel ut erepta indignis, ſicut donatio, in *l. Cum hic ſtatus* 32. *§. ultim. D. de donat. inter.* vel tamquam caduca, ut in regula *l. dote* 61. *D. de jure dot.* eſt exaſciatæ nondum quæſtionis, nec tam proprie aſſertionis, quam conjecturæ. Sane in nuptiis 3

inceſtis, & illicitis dotem auferri, & cedere Fiſco, proditum eſt in *dict. l. Inceſtæ* 52. juncta *l. dote* 61. *D. de ritu nupt. l. ſi quis inceſti* 6. *Cod. de inceſt. nupt.* illis verbis: *Dos, ſi qua forte ſolemniter aut data, aut promiſſa fuerit, juxta Jus antiquum, Fiſci noſtri commodis cedat.* In queis dun curſim notanda. Primum, extare in eis Tribonianicæ curæ in ſupprimendis priſci Juris veſtigiis perſpicuam notam, quam primi fortaſſe, ante quadraginta, & amplius annos animadvertimus in *Academicis recitationibus ad leg. unic. Cod. de rei uxor. act.* neque à Jacobo Gothofredo notatum poſtea, ad eam *l.* 3. nam cum in ea conſtitutione, quæ eſt *lex* 3. *Cod. Theodoſ. de inceſt. nupt.* ſcriptum eſſet, *dos, ſi qua forte ſolemniter aut data, aut dicta, aut promiſſa*, omiſit Tribonianus verba, *aut dicta*, ſive mentionem, *dotis dictionis*, quoniam hæc, poſt *l. Ad exactionem* 6. *Cod. de dotis promiſſ.* in uſu eſſe deſierat; de quo tamen, & ſimilibus Tribonianiſmis plura nos ad *caput illud Juliæ legis de curatore doti dandæ, dicendæ, promittendæ.*

4 Secundum eſt, pœnam hanc dotis Fiſco cedentis, ſive caducæ in nuptiis inceſtis, eſſe ex antiquo Jure, cujus & notæ veluti ſunt in *dict. l. Inceſtæ* 52. *dict. l. Dote* 61. & (ut Cujacio, aliiſque placitum, quamvis nos aliter *capite præcedenti ad finem*) in *l. Uxori* 27. *D. de uſufruct. legat.* idque ab Arcadio, Honorioque in *dict. l.* 6. ſignanter exprimi illic; *Juxta Jus antiquum*, fortaſſis ideo, ne ipſi, ea Conſtitutione, qua morum correctionem inducebant, Fiſci viderentur habere rationem, ſive Fiſci favere compendio, quod à bonis Principibus longe abfuit ſemper, ut in re ſimili ſcripſere eorum parentes, Gratianus, Valentinianus, Theodoſius in *l.* 1. *Cod. de ſecund. nupt.* Cæterum ei pœnæ locum non eſſe, niſi nuptiis facto ipſo contractis, ſive attentatis, alioquin ſi attentatæ nuptiæ non ſint, pecunia in dotem data, ob nuptias futuras inceſtas, ſi ſequerentur, non tamen ſecutas, repetitur condictione ſine cauſa, tamquam dos potius nulla, quam caduca, magiſque ob nullam, quam ob turpem cauſam. *l. ultim. in princip. & §. ultim. D. de condict. ſine cauſa*, de qua ita poſt Placentinum, Bartol. Fulgoſ. Salicet. in *dict. l. ultim.* Innominatus, inter Græcos, Scholiaſtes *lib.* 28. *Baſilic. tit.* 4. *in dict. l. Inceſtæ* 52. Alciat. *in rubr. D. ſolut. matrim. num.* 21. Cujac. 11. *quæſt. Papin. &* Faber *in ration. dict. l. ultim.* &, poſt Briſſonium, Arias de Meſa 2. *var. cap.* 40. *num.* 7. Scipio Gentil. *de donat. inter. lib.* 4. *cap.* 3. *in princip.* Donell. in *l.* 1. *num.* 10. *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* P. Barboſa in *l. ſi ante, num.* 27. *D. ſolut. matrim.* & noſter Reteſius *lib.* 2. *opuſc. ſect.* 2. *cap.* 9. *num.* 9. & alii, quos non compilo; Fabri tamen oſcitantiam non fero, qui in ſuo, ut vocat, *Codice, lib.* 4. *tit.* 6. *defin.* 2. *nu.* 3. etiam ſecuto matrimonio illicito, & ſcienti mulieri repetitionem dotis largitur, quaſi dederit, non ob ſtuprum, ſed matrimonium ex Papiniani, ut putat, mente, in *dict. l. ultim.* vere tamen non tantum contra Papinianum, qui non ſemel, ſignanterque reſpondet ſub conditione illa, *neque nupſit. dict. l. ultim. in princip. & §.* 1. ſed & contra omnem honeſtatis, & Juris rationem.

5 Deinde & in matrimonio, contra mandata à Præfecto, ſive adminiſtrante cum provinciali fœmina, dotem fieri caducam, ſubindicatur in *l. ſi quis* 38. *§.* 1. *D. de ritu nupt.* & ex Gordiani ignota Conſtitutione, quæ Severi aliam memorat, adnotavit pridem Cujac. 1. *Obſerv. cap.* 11. idque ipſum in tutoris cum pupilla nuptiis, jus dotis fuiſſe, ſcilicet, ut caduca fieret, damnumque, & calumniam (quo nomine Fiſcalis delatio, & improba ſæpe petitio novioribus Cæſaribus ſignificabatur. *l.* 3. *Cod. de Advocat. Fiſci. l. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis. cum l. ultim. de indictionib. l.* 2. *de curator. Kalendar. l.* 29. *de petition. in Cod. Theodoſ.* Caſſiodoro *lib.* 4. *var. epiſt.* 32. Videſis ex Hiſpaniæ *l.* 1. *in fin. tit.* 10. *lib.* 5. *Compilat.* juncto, ex *legibus Longobardorum, lib.* 2. *tit.* 27. & de *Calumniæ* verbo, apud mediæ ætatis Scriptores, Franc. Juretum in *notis ad Ivonem Carnot. epiſt.* 17. Innoc. Cyronium in *paratitlis ad tit. de juram. calum.* Jacob. Gothofred. *ad l. Celebrandis, Cod. de nupt.*) ſeu læſionem ejus non capiendæ, aut lucrandæ maritus pateretur, conjiciebam fortaſſe primus, ex *l. ultim. Cod. de interd. matrim. inter tut.* argumento à contrario, & ſpeciali in illis verbis: *Tales nuptias ſtare, ne ex hujuſmodi ſubtili, vel maligno tractatu, matrimonia, ſeu proles, ex his progenita, vel dos ſuper his data, vel promiſſa, aliquam læſionem, vel calumniam patiantur.* Accedit prohibendarum ejuſmodi nuptiarum tutoris, & Præfecti par, eademque ratio potentatus, quæ comparabiles, imo pares, eaſdem in ſimilibus cauſis facere ſolet. *l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt. l.* 2. *§.* 1. *D. de his, quæ ut indign.* diſtinguant licet, me non ſubſcribente, Faber in *Juriſprud. titul.* 9. *princip.* 1. *illat.* 12. Scipio Gentilis *de donat.* 4. *cap.* 3.

Plane dum *caducæ* hæ dotes dicuntur, ſatis eo 6
ipſo *caduci* nomine ſignificatur, cadere eas in Fiſcum, & cadere, ſive excidere eis, illos, ad quos alioquin pertinerent, juxta deſcriptionem *caduci*, apud Ulpianum *tit.* 17. *in princip. & §.* 1. D. Iſidor. *lib.* 5. *Etymolog. cap.* 25. & quoad dotem in nuptiis inceſtis exprimitur in *dict. l. ſi quis inceſti* 6. Nec tamen ideo conjux culpæ expers, ſive ignarus, innoxiuſque illiciti matrimonii caret dote, illiuſve lucro, quo, ſi dos caduca non fieret, frueretur; quin potius, ſicut aliis in cauſis Fiſco, in caducis præferri ſolent liberi, & parentes, uſque ad tertium gradum, de queis Ulpianus *tit.* 17. *§. ultim. l. unic. in princip. verſic. Et cum lex, Cod. de caduc. tollend. l. Pater* 29. *§. ultim. D. de legat.* 2. aut hæredes, cohæredeſve habentes jus liberorum ex Ulpiano *tit.* 25. *§. ſi quis in fraudem. l. Plautius* 43. *§. Item ſcinditur, D. de condit. & demonſtrat. l. ſi in teſtamento* 5. *D. de vulgari*, aut denique in hoc ipſo argumento ereptitiorum inter conjuges, pupilla, aut provincialis virgo, *l. ultim. D. de legat.* 1. *l.* 2. *§. Per contrarium, D. de his, quæ ut indign. dict. l. Præfectus* 63. *§.* 1. *D. de ritu nupt. l. ſi voluntate* 7. *Cod. de donat. inter. l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* & ſolemne in legibus noſtris eſt, ſcientiam alterius alteri non nocere, ex regula Terentii 2. *ad leges Juliam, & Papiam*, in *l. Iniquiſſimum* 5. *Digeſt. de jur. & facti ignorant.* Cui appoſitum ex hoc tractatu exemplum, neque à librorum Clementis ordine diſſidens, adoptare facile licet, ut præmonuimus ſupra. Ita & in caduca dote uxor innocens, inſciaque Fiſco potior cenſetur, & dotem ſuam repetit condictione, ſicut pupilla in *l. ſi tutor* 7. *Cod. de interd. matrimon. inter tut.* & provincialis virgo, ſeu mulier, ejuſve hæredes in *dict. l. Præfectus* 63. *§.* 1. in fine, *D. de ritu nupt.* & decepta fœmina à viro alterius marito in *l. Eum qui* 18. *verſic. Cæterum, Cod. ad leg. Jul. de adult.* & eadem in contrarium ratione, maritus Senator deceptus à libertina dotem, ejuſve lucrum perſequitur utili actione, *dict. l. A Divo* 58. *D. de ritu nupt. l. ſi filia* 5. *D. de divort.*

In quo à dote diverſum, ne id prætereamus, pro- 7
priumque jus eſt ſponſalitiæ largitatis, ſeu doni, promiſſi tamquam ſponſæ ei, quæ ſponſa eſſe non poterat, quia quamvis id promiſſum teneat, petique mero jure poſſit, quoniam error, falſave demonſtratio qualitatis ſponſæ, non vitiat ipſo Jure promiſſionem, ut prænotavimus ſupra. Et ſponſalitia largitas non perinde ut dos à nuptiis pendet, utpote quæ ſine his, & ſolis ſponſalibus præcedentibus ſolet ſubſiſtere, *l. Cum hic ſtatus* 32. *§. ſi quis ſponſam* 27. *cum §. ſeq. D. de donat. inter.* junctis traditis ſupra; non tamen petitur cum effectu, etiamſi innoxia mulier, & decepta ſit. *l. Ea quæ* 5. *Cod. de donat. ante nupt. l. Eum qui* 18. in fine, *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* quia lucrum ſponſalitii doni non perinde ac dos, quæ mulieris patrimonium, & in marito oneribus matrimonii reſpondet, cenſeri poteſt, favorabile, argumento ex *l. ſi voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* juncta *dict. l.* 32. *§. ult. D. eodem. l. ult. §. penult. Cod. de codicill.*

Sed, ut diximus, hæc ita quamvis de dote cadu- 8
ca in inceſtis nuptiis, & Præfecti, tutoriſve, an

eadem

eadem tamen obtinuerint in dote matrimonii Senatorii cum libertina, ſuſpicari magis licet, quam ſcire. Et ut, non obtinuiſſe, ſuſpicemur, ut contra Accurſium Briſſonius cenſet *de jure connub. pag.* 13. Gentilis 4. *de donat. inter. cap.* 3. & fuerit fortaſſe argumentum ex eo, quod pœna hæc dotis caducæ, ſive amittendæ, nec generaliter pertinuit ad omnes nuptias non juſtas, ſive illegitimas, certe non ad eas, quæ quamvis non juſtæ, non validæ, ſunt tamen initæ ſine delicto, & turpitudine, in quibus dotis repetitioni, & interdum cum privilegio locus eſt, *l. ſi cum dotem* 22. *§. ultim. D. ſolut. matrim. l. ſi ſerva* 39. *l. Mulier* 59. *§. ultim. l. Proculus* 67. *l. ſi ſponſa* 74. *D. de jure dot. l. Quæſitum* 17. *§. ultim. D. de rebus auctoris jud. poſſid. l. quod Servius* 8. *D. de cond. cauſ. data l. ſi ut proponis* 7. *C. de jure dot. l.* 3. *Cod. ſolutæ matrim. l. Lucius* 27. *D. depoſit.* (juxta quas ſpecies explananda, ad eaſque referenda *lex* 1. *Cod. de condict. ob cauſam datorum*, illic: *Impediente quocumque modo Juris auctoritate, matrimonium conſtare*; ſive ut, poſt Accurſianos, Cujacio, Donello, aliiſque ibidem placet, juxta terminos nuptiarum, facto ipſo non ſecutarum, ut in *l. ultim. D. de cond. ſine cauſa*, de qua ſupra) neque ampliari debuit, utpote pœna caducaria, & odioſa, ad nuptias Senatoris cum libertina, quibus indictam fuiſſe, nuſquam exprimitur, *l. unic. Cod. de caduc. tollend. l.* 2. *§. Quintus* in fine, *Cod. de veter. jure enucl.* juncta regula *l. Cum quidam* 19. *D. de liber. & poſth.*

9 Ex adverſo tamen, ut agnoſcamus pœnam caducæ dotis ex Julia, & Papia legibus in nuptiis Senatoris cum libertina, firmiores conjecturæ ſunt, tum quia proprie legibus noſtris adſcribitur hæc ſpecies caduci, utpote quibus generaliter inductum nomen, exordium, & materia *caducorum*, indeque *caducariæ* leges dictæ, *l. unic. in princip. & §. Et cum igitur, Cod. de cad. tollend.* Ulpian. *tit.* 19. *§. Lege, & tit.* 28. *§. Inteſtati* 7. in fine; tum etiam, quia Senatoris cum libertina, aut adulterii damnata, nuptias, & tutoris cum pupilla, aut Præfecti cum provinciali exæquari, quoad pœnas ſimiles prohibitarum nuptiarum, conſtat ex *l.* 3. *§.* 1. *verſic. Ergo. l. Cum hic ſtatus* 32. *§. ultim. D. de donat. inter. l.* 2. *§.* 1. *l. Claudius* 13. *D. de his, quæ ut indign. l. ultim. D. de legat.* 1. juncta *l. unic. D. unde vir, & uxor.* & Ulpiano *tit.* 16. *§. Aliquando. l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* cujus in aditu, ac verbis illis, *qui contra legum præcepta, vel contra Mandata, Conſtitutioneſque Principum nuptias forte contraxerit*, deſignantur nuptiarum illicitarum primarii veluti ordines tres, vel contra legum Juliæ, & Papiæ præcepta, quales Senatoris cum libertina, aut famoſa, vel contra Mandata, ſicut Præfecti cum provinciali fœmina, *l. Et ſi contra* 6. *Cod. de nupt. l. ſi concubina* 17. *D. de act. rer. amot.* vel denique contra Conſtitutiones Cæſarum, cujuſmodi fuit Oratio Marci, cujuſmodi pleræque inceſtæ, enumeratæ in *l. Nemini* 17. *Cod. de nupt. l.* 1. *& ſeqq. Cod. Theodoſ. de inceſt. nupt.* & apud auctorem *collation. leg. Moſaic. tit.* 6. (non autem deſignantur ſaltem ex mente Cæſarum in *dict. l. Qui contra* 4. Eccleſiæ Romanæ Antiſtitam, anteriora licet, Conſtituta de inceſtis nuptiis, veluti Calixti, Fabiani, Julii, de queis in *cap. Conjunctiones* 2. *cum ſeq. cap. Nullum* 7. 35. *quæſt.* 2. ut nuperus collectaneorum Codicis concinnator Ang. Barboſa, canoniſtice magis, quam dextre, exponit in *dict. l.* 4. Quippe ea Decreta deſignari apud Cæſares, appellatione Conſtitutionum Principum, inauditum, ac inſolens eo ſeculo, & Jure) in quibus ſingulis, nempe inceſtis, & Præfecti, aut tutoris nuptiis dotem in Fiſcum cadere, jam expreſſimus; tum denique, quia Martianus ſcribit, ſi libertina quaſi ingenua, Senatorem deceperit, & ei nupſerit, dandam eſſe Senatori utilem actionem contra libertinam, ut conſequatur lucrum ex dote, quod non habet, quia dos nulla eſt. *l. A Divo* 58. *D. de ritu nupt.* Cum tamen, ſi non tantum de promiſſa dote, ſed etiam de data, ſive tradita accipiamus *d. l.* 58. (ſicut eum locum accipi, nec ad promiſſam dotem reſtringi, probabilius eſt) non egeret Senator, deceptus actione ad lucrum dotis, ſi caduca non eſſet, ſed vel retineret, vel mulieri reſtitueret, ut in *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dator.* Ideo autem non retinet, nec reſtituit mulieri, ſed contra illam agit, quia dotem, ſive datam, ſive promiſſam, ut caducam Fiſcus aufert. *dict. l. A Divo* 58. juncta *l. ſi quis inceſti* 6. *verſ. Dos ſi quæ, Cod. de inceſt. nuptiis.*

Poſtremum, & potiſſimum argumentum eſt, ex 10
Ulpiano *tit.* 16. *§. ultim.* ubi ſuppoſita prohibitione nuptiarum, ex noſtris Julia, & Papia legibus, inter quinquagenarias, & ſexagenarios, *l. Sancimus* 27. *Cod. de nupt. l. ſi major* 12. *Cod. de legit. hær.* affirmat, ſi major quinquagenaria, minori ſexagenario nupſerit, impar matrimonium appellari, & Senatus Conſulto Calviſiano juberi, non proficere ad capiendas hæreditates, vel legatas dotes, ac proinde productam eſſe eo S. C. ad has nuptias quinquagenariæ cum minore ſexagenario, regulam illam, nihil inter ſe capiendi, in nuptiis, contra leges noſtras, initis à Senatore cum libertina, aut ingenuo cum famoſa, de qua in *§. Aliquando ejuſdem tit.* 16. diximus *ſupra*; indeque veluti infert, ſubjungitque Ulpianus in *d. §. ult. Itaque mortua muliere dos caduca erit.* Quibus verbis ſupponit, & probat, pœnæ dotis caducæ in nuptiis, ob ætatem imparibus, ex lege Julia, & Papia locum eſſe. Unde itidem eſt, ut neque immerito, aut temere ſupponamus, & conjectemur, fuiſſe eidem pœnæ locum in nuptiis, ex eiſdem legibus ob ſtatum, dignitatemve imparibus, ut puta ingenui, aut Senatoris cum famoſa, aut libertina, inducentibus pœnam eiſdem legibus, aut producente ab hiſce ad illas impares nuptias, ſimili Juris conſtitutione, de qua non liquet.

Illud, ſepoſita interim ad locum, ſive caput de 11
nuptiis, ob ætatem imparibus, pleniore Ulpiani illuſtratione, dignum nunc explicatu, & expoſitum fortaſſe nondum eſt, cur Ulpianus ſcribat, dotem caducam fore, *mortua muliere*, quaſi ſcilicet non ſit caduca ante id tempus, vel mortuo marito, aut utroque ſuperſtite, ab initio, & facto ipſo prohibitarum nuptiarum, cum tamen conſtet, eo facto pœnam incurri, & committi, adeo ut quamvis poſtea, prohibitione ceſſante, & novo conſenſu nuptiæ eſſe incipiant, tamen in *præteritum commiſſo vitio* caducitatis, ut ſic loquar, *mederi non poſſint*, ut ſcriptum fere eſt in Conſtitutione Severi, apud Cujac. 1. *obſerv. cap.* 11. juncta *l. Eos qui* 65. *§.* 1. *D. de ritu nupt. l. Et ſi contra* 6. *Cod. de nupt. l. Paulus* 11. *D. de ſtatu hom. l. ſi uxor* 13. *§. ſi quis uxorum* 6. in fine, *& §. ſi uxor* 8. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. Dotis* 68. illic: *Tunc primum petetur. D. de jure dot.* ideoque & omne, fructuum nomine quaſi ex dote interim perceptum, auferatur. *l. Inceſtæ* 52. *D. de ritu nupt.* Sed obſervandum eſt, pœnam caducæ dotis, quamvis illicitis contractis nuptiis ex tunc jure ipſo committatur, non tamen cum effectu apparere, exerceri ve, conſtante adhuc injuſti quamvis matrimonii facie, ſeu fronte, ſive ut in ſpecie ſimili Neratius ſcribit, quamdiu in eodem habitu matrimonii permanent. *l. Quod ſervus* 8. *D. de condict. cauſa data.* Idque non modo in nuptiis, tantum injuſtis, & alioquin validis, nec diſſolvendis, quales fortaſſe fuerunt quinquagenariæ cum ſexagenario ex noſtris legibus, & Ulpiano *dict. tit.* 16. *§. ultim.* & Senatoris cum libertina, ante Orationem Marci Antonini, *l. Oratione* 16. juncta *l. A Divo* 58. *l. ſi quis* 27. *D. de ritu nupt.* diximus ſupra, ſed generaliter in quibuſcumque illicitis, ſive interdictis, quæ quoad effectum dotis interim ſuſtinendæ, nec repetendæ, aut auferendæ, comparantur nuptiis contractis cum puella nondum nubili, ut nec vulgariter diſcere licet ex *l. ſi ego* 9. *verſic. Quare.* juncta *l. Dotis* 7. *§. ultim.* in fine. *l. Dotis* 68. *verſic. Nam etſi. D. de jure dot. l. Hæc condit.* 10. *verſ. Sed enim, D. de condict. & demonſtr.*

Ejus rei electa illa, & elegans ratio eſt, quia cum 12
dos, ejuſque conſtitutio omnis, conditionem illam tacitam habeat, ſi nuptiæ ſequantur, *l. Stipulationem*

 20.

20. *l. Plerumque* 10. §. *ſi ante, cum* § *ſequ. D. de jure dot. l.* 4. §. *Hujus, D. de pact.* quoties facto ipſo ſecutæ ſunt nuptiæ, & earum habitus perſeverat, non diſſolutarum, nec tamen jure conſiſtunt, non tam defeciſſe conditio nuptiarum, quam pendere intelligitur, quoniam ſicut nuptiæ initæ cum puella, nondum nubili, fieri poſſunt nuptiæ, expleta poſtea nubili ætate, *l.* 4. *D. de ritu nupt. l. ſi uxor* 13. §. *ſi minor.* 8. *D. ad leg. Jul. de adulter.* ita & tutoris cum pupilla poſt viginti quinque hujus annos, annumque utilem olim, rationes redditas. *l. Filius* 28. §. *ſi quis eo tempore, D. de liber. & poſthum.* juncta *l. ſi patris* 6. *Cod. de interd. matrim.* & Præfecti cum provinciali fœmina, finito officio, & novo conſenſu. *l. Et ſi contra* 6. *Cod. de nupt. l. Eos qui* 65. §. 1. *D. de ritu nupt.* Denique & inceſtæ nuptiæ, ſi inceſtæ ſint, ſola Juris Civilis, ſeu Poſitivi, non Gentium, prohibitione, eaque relaxetur nuptiis confirmatis, juſta aliqua ex cauſa. *l. Qui in Provincia* 57. §. 1. *D. de ritu nupt.* juncta *Novell.* 139. *indulg. illicit. contra. nupt. cap.* 1. *& Novell.* 37. *Juſtini. &* 154. *de his, qui in Oſdroena. l. ſi adulterium* 38. §. *Iidem Pollioni, D. ad leg. Jul. de adulter.* Unde & quemadmodum dos data, pro puellæ nondum nubilis, aut ſponſæ nuptiis, non ſecutis, quamdiu tamen ſpes eſt, ſequi eas poſſe, neque repudii nuntius miſſus eſt, repeti non poteſt, ut ex Servii bene fundata Juris diſciplina, contra novatorem Labeonem, Javolenus, & Neratius docent, in *dict. l. Quod Servius* 8. *D. de condict. cauſa data. l. ſi debitor* 80. *l. Si debitor* 83. *D. de jure dot.* ex favorabili illa ratione, quia doti deſtinata, quamdiu pro dote fungi, ſperatur, auferri non debent, *l. Dotis* 7. §. *ult. in fin. D. de jure dot.* juncta regula, *l. Pecuniam* 36. *in fin. D. de reb. cred.* ita & in aliis nuptiis interdictis, ſive non juſtis, veluti filiæ familias, quamvis ſi ſemel diſſolutæ ſint, & poſtea, patre non conſentiente, redintegrentur, pater dotem prioribus nuptiis deſtinatam poſſit repetere, *l. ſi ut proponis* 7. *in fine*, cujus hæc propria ſpecies, & ſententia eſt, *Cod. de nupt.* juncta *l. Stipulatio* 63. *Digeſt. de jure dot. l. Cum maritus* 29. §. 1. *Digeſt. de pactis dot.* tamen quando, & quamdiu primæ illæ nuptiæ diſſolutæ non ſunt, etiamſi non juſtæ, ſive quamdiu eiſdem renuntiatum non eſt, non aufertur dos, ſeu repetitur, neque ab ipſa muliere, neque à parente, vel extraneo, qui dotem dedit, *l. In poteſtate* 10. *D. de ſponſal. l. ſi mulier* 59. §. *ultim. l. ſi ego* 9. *in princip. verſic. Quare, D. de jure dot.* ubi dum eo caſu, quo nuptiæ, propter interdictionem, ſequi non poſſunt, & res in dotem datæ fuerant, ita ut non ſtatim, ſed, ſecutis nuptiis, fierent accipientis, &, quod notandum, nuntius miſſus eſt, affirmatur, res dantis manere, & vindicari ab eo poſſe; ſupponitur è contrario, non poſſe etiam in nuptiis interdictis vindicari, quamdiu nuntius miſſus non eſt, juxta diſtinctionem, *l. Dotis* 7. §. *ultim. verſic. Sed ante. l. Stipulationem* 21. *cum l. ſeq. D. de jure dot. dict. l. Quod Servius* 8. *D. de cond. cauſa dat.* Proinde neque à Fiſco dos, propter interdictionem nuptiarum caduca, vindicatur interim, vel aufertur, quamdiu ſcilicet facies, ſeu factum nuptiarum manet, & ſpes eſt, firmari eas poſſe, ſive quia nec repeteret interim perſona ipſa, quæ dotem dedit, & Fiſcus in caducis ſuccedit, eo jure, conditione, & caſu, quo perſona, à qua cadit, caperet, *l. In facto* 60. §. *ultim. D. de condit & demonſtr.* ſive etiam quia cum caducum definiatur, quod cecidit ab aliquo, qui cum capere poſſet, non cepit, teſte Ulpiano *tit.* 17. non poteſt dici cecidiſſe, aut cum effectu caduca facta dos, quæ an capiatur, cadatve, pendet ex futuro eventu nuptiarum, confirmandarum, aut diſſolvendarum, *l. Hæc conditio* 10. *verſic. Sed enim*, de quo poſtea *D. de condit. & demonſtrat.* juncta *l. Dotis* 68. *dict. l. ſi debitor* 80. *&* 83. *D. de jure dot.* ſive denique, quia etiamſi pœnam caducæ dotis ſtatim committi, & incipientes poſtea, ſublato impedimento, & novo conſenſu, nuptias, commiſſo in præteritum vitio, mederi non poſſe, agnoſcamus, regulari, ſtrictoque jure Conſtitutionis Severi, cujus meminimus, junctis *l. Eos qui* 65. §. 1. *D. de ritu nupt. l. Etſi contra* 6. *Cod. de nupt l. ſi uxor* 13. §. *ſi quis uxorem* 6. *in fine, &* §. *ſi uxor* 8. *D. ad leg. Jul. de adult. l. Paulus* 11. *D. de ſtatu hom.* benigna tamen indulgentia Principis, ſolet pœna caducæ dotis, & ſimiles remitti pœnitenti, & abſtinenti à nuptiis inceſtis, *l. ſi adulterium* 38. §. *Iidem Pollioni* 6. *cum* §. *ſeq. D. ad leg. Jul. de adulter. l.* 4. *in fine, Cod. de inceſt. nupt. Novell.* Juſtiniani 12. *de inceſt. nupt. cap.* 3. *& Novell.* 139. *indulg. illicite contr. nupt. cap.* 1. *& Novell.* 154. *de his, qui in Oſdroena.* & *Novella* Juſtini 3. *eodem tit.* & hoc amplius, juſtaque ex cauſa confirmari nuptiæ poſſunt, etiam in præteritum, non tantum quoad ſtatum liberorum, ante confirmationem ſuſceptorum, ut in *d. l. Qui in provincia* 57. §. 1. *D. de ritu nupt.* ſed & multo magis quoad dotem, *Novella* 12. *de inceſt. nupt. cap.* 3. cujus ſcilicet dotis jus, non ſicut liberorum ſtatus à tempore conceptionis, vel editionis certus, juxta regulam, de qua Ulpianus *tit.* 5. §. *ult.* Cajus 1. *inſtit. tit.* 4. §. *ult.* ſed in pendenti fuit ſimul cum nuptiis, adeo ut quamdiu illæ non diremptæ confirmari, & convaleſcere, potuerunt, neque dos cecidiſſe, aut non valuiſſe dici, poſſit. *l. Dotis* 68. illic: *Non ideo minus valebit, quod, ignorante initio patre, nuptiæ non fuerint. D. de jure dot.* juncta *d. l. Paulus* 11. *D. de ſtatu hom. d. l. Hæc conditio* 10. *verſ. Sed & ſi ei, & in fine D. de condit. & demonſtrationib.*

Recte itaque, utracumque ex propoſitis Juris ra- 13
tione fiat, obſervamus, dicimuſque, pœnam caducæ dotis, quamvis ob illicitas nuptias committatur, non tamen cum effectu incipere, exercerive, quamdiu earum habitus manet, ſive non ante eas diſſolutas, quo tempore ſi juſtæ nuptiæ fuiſſent, à marito dos lucrifieri, aut uxori reſtitui, ſolet, ut apud Ulpianum *tit.* 6. §. *Mortua, cum* §§. *ſeqq. l. unic. Cod. ſi dos conſt. matrim.* Idque ipſum firmat, atque inde exponendum, quod ex Ulpiano expendimus, *d. tit.* 16. §. *ultim.* eum, ut caducam dotem ſupponat, exprimere caſum, & tempus diſſoluti conjugii, morte mulieris, illic: *Mortua muliere*, non quaſi mortuo marito dos caduca non ſit; jam enim immediate ſupra idem Ulpianus expreſſerat caſum dirempti conjugii, morte mariti, dotem legantis, & docuerat, mulierem non poſſe dotem capere, ſed utroque caſu reſpicit tempus diſſoluti conjugii, quia, eo utcumque conſtante, dos cum effectu caduca non fit. Nec diſſimile eſt, quod Papinianus, ut definiat, dote, propter illicitum matrimonium, caduca facta, quid maritus ſolvere debeat: reſpondet ſolvere maritum debere id, quod judicio de dote redditurus eſſet, quo judicio non, niſi diſſoluto matrimonio, agitur. *l. dote* 61. juncta *l. inceſtæ* 52. *D. de ritu nupt. l. ſi quis, Cod. de inceptis nuptiis.*

Sed, Papiniano in *dict. l. dote* 61. obiter, nec 14
vulgariter illuſtrando, adhibendus eſt Ciceronis in *Topicis* locus, exagitatus varie, quoad alia, poſt Boëtium, à Petro Vellejo in *notis*, Franciſco Hortomano *lib.* 1. *obſerv. cap.* 26. Rævardo *lib.* 4. *varior. cap.* 16. dum prope rem noſtram in argumento a conſequentibus ſcribit, *ſi mulier, cum fuiſſet nupta cum eo, quicum connubium non eſſet, nuntium remiſit, quoniam qui nati ſunt, patrem non ſequuntur, pro liberis manere, nihil oportet.* Quorum verborum ſenſus eſt, in matrimonio illicito, veluti Senatoriæ mulieris cum libertino, cum quo connubium, etiam ante leges noſtras, non erat, ut prænotavimus *capite* 1. *hujus libri*, & ei nuntium repudii miſerit, quoniam qui nati ex eo matrimonio ſunt, patrem non ſequuntur, juxta *l. Lex naturæ* 24. *D. de ſtatu hom.* nihil eſſe retenturum ex dote maritum pro liberis, hoc eſt, non ſextas ex dote pro ſingulis liberis, quales retinebantur in actione rei uxoriæ, divortio facto, culpa mulieris, teſte Ulpiano, *tit.* 6. *de dotibus*, §. *Propter* 10. & quidem ex antiquo Jure, cui retentio hæc tribuitur, in *l.* 2. *in fine, Cod. Theodoſ. de repud.* ubi ex Julio, Paulo, Anianus, & in *notis ad*

leg.

leg. 2. *Cod. Theodoſ. de dotib.* &, ex eodem Paulo, Buëtius *ad Ciceronis Topica*, ſublato tamen poſtea eo jure à Juſtiniano in *l. unic.* §. *Taceat* 5. *verſ. Sileat*, *Cod. de rei uxor. act.* (ſecundum quæ & obiter obſerves, licet, jam ante leges noſtras Juliam, & Papiam, quas fere ſemiſeculo Cicero præceſſit, jura retentionum ex dote, ſive re uxoria in uſu fuiſſe, & quod ſuſpicionis magis, quam aſſertionis ſit, non fuiſſe in uſu dotes caducas, ſed inductas fortaſſe inter alias caducorum cauſas, legibus noſtris caducariis, ut ſupra indicavimus) jam ergo & conſequenter Ciceronis ſenſui Papinianus in *d. l. Dote* 61. *D. de jure dot.* reſpondet, maritum ſolvere debere, ſcilicet Fiſco, cui caduca dos defertur, quod judicio de dote redditurus eſſet mulieri, exceptis ſolis impenſis neceſſariis, quæ dotem ipſo jure minuunt, *l. Dote* 5. *D. de dote præleg. l. ſi is qui* 57. §. *Quod dicitur*, *D. de jure dot.* ſed excluſis retentionibus aliis, ob impenſas utiles, & ob mores, & ob res donatas, vel amotas, ac tandem propter liberos, quibus in matrimonio illicito, in quo nec dos, nec liberi juſti ſunt, locus non fuit, ex Papiniani, & Ciceronis cenſura.

15 Sic deinde, ut in viam, Martianus in *dict. l. A Divo* 58. *D. de ritu nupt.* in actione danda Senatori decepto, contra libertinam, pro lucro dotis caducæ, reſpicit neceſſario diremptii conjugii tempus, quo dos, niſi caduca eſſet, mariti lucro cedere, & remanere apud eum, ſolet, ut apud Ulpianum *dict. tit.* 6. §. *Mortua*, *cum ſeq.* juncta *l. Celſus* 22. *D. de Religioſ. l. ſi ab hoſtibus* 11. §. *ultim. D. ſolut. matrim. l. Cum mortem* 27. *D. de jure Fiſci. l. dotale* 15. *D. de fundo dot.*

16 Sic deinde, & omnino Papinianus in *l. Præfectus* 63. §. 1. *in fin. D. de ritu nupt.* cujus occaſione quammultas in Papinianom ipſum, aut Tribonianum excitavit turbas, Faber in *Juriſprud. tit.* 9. *princip.* 1. *illat.* 12. ut oſtendat, in ea ſpecie matrimonii, contracti cum provinciali virgine à Præfecto, dotem caducam non fieri, refert ſe ad caſum matrimonii ſoluti, mortua muliere, ſcribitque, *pecuniam, in dotem datam, mulieris hæredi reſtitui, neceſſe eſſe*, non quaſi non ſit itidem reſtituenda mulieri ſuperſtiti, mortuo marito; id enim pro explorato Papinianus habet, cum in *dict.* §. 1. definierit jam, conſecuturam eamdem mulierem legatum, à marito relictum (& proinde multo magis dotem, cujus, utpote patrimonii mulieris, melior, favorabiliorque cauſa eſt, quam lucri legati, ut apparet ex collatione *l. ſi voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* cum *l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ultim. D. eod. tit.* juncta regula *l. ultim.* §. *pen. Cod. de codicill.*) Sed ut Ulpianus *dict. tit.* 16. §. *ult. in fine*, caſum mortuæ mulieris, in quo mariti lucro dos cedere, aut in Fiſcum cadere ſolet, tamquam digniorem exprimit, ſeu dubitabiliorem, & eodem, dubitationis augendæ, reſpectu, quam initio virginem nominaverat, poſtea mulierem, perſeverantia matrimonii, & ut Tertullianus alibi loquitur, mulieritatis profeſſione factam, & in matrimonio illicito mortuam, ſupponit, concluditque, etiam tunc dotem mulieris hæredi reſtituendam, quia nec Præfecti potentatu, in nuptiis abuſi, lucro cedere debuit, ex ratione *l. ultim. D. de leg.* 1. *l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ ut indig.* nec in Fiſcum cadere cum jactura virginis deceptæ, aut mulieris potentatu coactæ; argumenin ex *dicta leg. A Divo* 58. *l. ſi tutor* 7. *Cod. de interd. matrim. l. Eum qui* 18. *verſ. Cæterum*, *C. ad leg. Jul. de adulter.* junctis traditis ſupra, quamvis ſi è contrario à muliere ipſa Præfecto hæreditas relicta foret, ei tamquam indigno Fiſcus auferret, *d. l.* 2. §. 1. *verſic. Quare*; eamque differentiam inter dotem, quam Fiſcus marito, cum damno mulieris hæredis non aufert, & inter hæreditatem ab ea relictam, quam, ut indigno, eripit, inſinuaſſe Papinianum, ſubaudito hæreditatis caſu, eique reſpondente, adverſativa voce, *tamen*, in caſu dotis, illic, *pecuniam tamen in dotem*, probabiliter divinat Cujacius, poſtremum hoc obſervans, 1. *definit. Papin.* in *d. l.* 63.

CAPUT XVIII.

PARECBASIS

Ad leg. Hæc conditio 10. *verſ. Sed enim D. de condit. & demonſtrationib.*

ARGUMENTUM.

D*Iſquiritur in* d. l. 10. verſ. Sed enim, *cur conditio nuptiarum, vere defecta, habeatur pro nondum impleta: & ſignanter cur id fieri dicatur, benigne, cum videatur, eſſe ex ratione Juris. Bartoli, & ex eo Coſtæ, Barboſæ, & aliorum interpretatio, cui non ſubſcribitur. Ulpiani in* d. verſ. Sed enim *theſis, exaudienda de nuptiis, initis viva teſtatore. Pater in* dict. l. 10. *ſenſit de primo nuptiali jugo, quod non conſtituunt nuptiæ immaturæ, injuſtæve, nec ſi poſtea juſtæ fiant, aut aliæ ineantur, quia non erunt primæ. Diverſa ratio, & regula* l. Dotis 68. D. de jure dot. *Concluditur proprie, & ex ſtricto jure, conditionem defectam eſſe in* d. verſ. Sed enim, *& relictum, tamquam in caduci cauſa Fiſco deferri. Sed & concluditur, habendam non tam pro defecta, quam pro nondum impleta, idque benigne pro excluſione Fiſci, & caducorum. Signata res ſimili exemplo, & explanatione* l. Non eſt cogendus 53. in fine, D. ad S. C. Trebell.

1 DEnique vel in tranſcurſu ex traditione illa, de conditione nuptiarum, ob nuptias interdictas, contractas, non tam defecta, quam pendente, & ſimiliter in ſuſpenſo habita, pœna, & effectu dotis caducæ, ut traditionem ipſam magis firmemus, ſimulque reliquiarum veteris Juris ſcientiæ amatoribus non injucundum forſitan, corollarium hoc largiamur, illuſtrandus Ulpianus eſt in *d. l. Hæc conditio* 10. *verſ. Sed enim, D. de condit. & demonſtr.* ubi quod ſcribit, in relicto à patre filiæ ſub conditione, cum nupſerit, ſi ea nondum nubilis deducta ſit in domum mariti, aut conjuncta ei, cujus nuptiæ interdictæ erant, & dubitetur, an poſtea nubendo, ſcilicet juſte, parere conditioni poſſit; quamvis quo caſu pater de primo nuptiali jugo ſenſit, exiſtimari poſſit, defectam eſſe conditionem, tamen benigne dicendum eſſe, *nondum impletam conditionem defectam*, id eſt, habendam benigne, pro nondum impleta, conditionem, quæ vere, & ſtricte defecta eſt, ut poſt Hilligerum *ad Donell. lib.* 8. *cap.* 33. *litt. E.* D. Larrea *deciſ. Granat.* 33. *num.* 79. Arias de Meſa *lib.* 3. *variar. cap.* 40. *num.* 23. contra Cujacii, & Fabri ſtricturas, explicant notiores noſtrates, id inquam, quod Ulpianus ſcribit, conditionem haberi pro nondum impleta potius, quam pro defecta, nititur ratione jam tradita; quia cum conditio illa referatur ad nuptias, quæ, quamvis inutiliter ob annos, nondum nubiles, vel ob interdictionem Juris, attentatæ, poſſunt poſtea, ſublato ætatis, Juriſve impedimento, firmari, aut convaleſcere, *dict. l. Minorem* 4. *l. Eos qui* 65. §. 1. *D. de ritu nupt. l. Filius* 28. §. *ſi quis eo*, *D. de liber.* interim, ſive quamdiu nuptiarum habitus, & ſpes eſt, non tam defeciſſe conditio relicti, quam pendere, intelligitur, exemplo ejuſdem, *dict. l. ſi ego*, *verſic. Quare*, juncta *l. Dotis* 7. §. *ult. in fin. l. Dotis* 68. *l. ſi debitor* 80. & 83. *D. de jure dot. l. Quod Servius* 8 *D. de condict. cauſ. data.*

2 Plane hoc ſuppoſito, illud vel magis nunc indagandum, & indictum reſtat, cur ſcilicet quod dicitur in *dict. l.* 10. conditionem, pro non defecta, haberi, Ulpianus illic ſcribat, benigne dici, cum tamen Papinianus id ipſum ſupponat, tamquam ex certa, & recta Juris ratione, in *dict. l. Dotis* 68. juncta *dict. l. ſi debitor* 80. & 83. *dict. l. Quod Servius* 8. & in relicto, cum nupſerit, Labeo in *l. penult. D. quando dies legati ced.* juncta *l. Quod vir* 65. *D. de donationib. inter*, in qua fortaſſe idonea, rei explicandæ, videbitur communis Bartoli, aliorumque expoſitio ad *dict. l.* 10. *verſic. An tamen*, dum refert ſententiam illam ad caſum, quo poſt priores nuptias immaturas, ſive non juſtas, quæritur, an, alii viro poſtea juſte nubendo, conditioni pareatur: quo caſu quamvis conditio propter priores nuptias, mero jure, defecta ſit, ut in *dict. l. Dotis* 68. *verſic. Quod enim. l. ſi ſponſabus* 58. *D. de jur. dot.* benigne tamen habetur pro nondum impleta, & non defecta, ut impleri ſecundis nuptiis poſſit, *dict. l. Hæc conditio* 10. in fine, idque eo ad benignitatem colore, quia in *dict. l.* 10. conditio, cum nupſerit, adſcripta fuit ſine expreſſione perſonæ certæ, cui nuberet, aliter atque in *dict. l.* 68. *verſ. Quod enim*, ubi dos uni promiſſa fuit, & alii nupſit, quomodo ex *manuſcriptis commentariis* P. Barboſæ *ad dict. l.* 10. *num.* 4. & 6. Luſitanus alter diſtinguit Arias de Meſa *d. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 24. & 26. Nec improbanda hæc expoſitio, tamquam coarctans indeſinitam illam, *an tamen nubendo poſtea*, ad caſum quo alii nupſit, non autem eidem, cui primum immature, aut non juſte nupſerat, quoniam imo illi caſui ſoli, non iſti adjectio ea convenit; nam ſi de eidem nupta ſermo eſſet, non diceretur, poſtea nubere, ſed ex prioribus nuptiis, ſublato impedimento ætatis, aut prohibitionis, & perſeverantia voluntatis, juſta uxor fieri. *dict. l.* 4. *dict. l. Eos* 65. §. 1. *D. de ritu nupt. l. ſi uxor* 13. §. *ſi quis uxorem* 6. & §. *ſi minor* 8. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. & ſi contra* 6. *Cod. de nuptiis.*

3 Verum etſi appoſite congruat verbis *dict. l.* 10. ea expoſitio, quam &, poſt alios, retinet Emmanuel Coſta in *repetitione* §. *ſi arbitratu ampl. ult. num.* 24. tamen quoad ſtricti, & benigni juris diſtinctionem, & cauſam, in habenda pro non defecta conditione, quam quærimus, rem non expedit; tum quia etiamſi conditio nubendi à patre filiæ adſcriberetur, cum expreſſione perſonæ certæ, cui nuberet, referri tamen debuit ad primas nuptias juſtas, & per immaturas deficere, argumento ex *l. Pater* 101. *verſ. quare, D. de condit. & demonſtr.* juncta *l. ſi dies* 21. *D. quando dies legat. ced.* tum & fortius, quia hoc, quod eſt, conditionem per immaturas, aut injuſtas nuptias impleri, aut deficere, debet ex tunc, & eo præſenti actu æſtimari, nec pendere ex futuro eventu, alii poſtea, vel eidem nubendi, cum conditiones ſemel exiſtere, aut deficere, non reaſſumi, aut ſuſcitari, ſoleant. *l. Quidam* 10. *l. Rogo* 21. *D. de fideicom. libert.* juncto electo, ad rem, *textu in l. Inter* 26. §. *ultim.* in fine, *D. de pact. dot.* & Ulpianus in *dict. l. Hæc conditio* 10. quæſtionem injicit, de alii poſtea nubente, non ut exinde æſtimet, an per priores nuptias defecta conditio ſit, ſed ut quo caſu pro nondum impleta habeatur, poſſit impleri, poſtea nubendo.

4 Ergo ut paucorum rem paucis itidem expediamus, animadvertimus, Ulpianum in *dict. l.* 10. *in princip.* ſicut & in §. 1. ac deinceps, quærere, & reſpondere de conditione impleta, aut defecta, vivo teſtatore, atque ita à principio affirmare, conditionem filiæ adſcriptam, cum nupſerit, pro impleta habendam eſſe, ſi ea poſt teſtamentum factum vivo teſtatore nupſerit; quia teſtator impleri ſolum conditionem voluerit, nec ſatis egerit, quando *præſertim cum conditio hæc talis ſit, ut ſemel impleri debeat.* (in quo vix mihi tempero, quin rideam muſteam criticam Fabri in *Juriſprud. tit.* 9. *princip.* 5. *illat.* 21. qui dum in toto fere contextu *dict. l.* 10. inelegantiam Triboniani accuſat, ſic in *verſ. Præſertim*, concinne, & proprie ſcribendum fuiſſe, cenſet, præſertim cum conditio hæc talis ſit, *ut unico non reiterabili actu impleatur*, phraſi non modo ineleganti, ſed & vix Latina, certe Tribonianica potius, quam illa Ulpiani, & veterum Juriſprudentum, qui conditionem ſemel extitiſſe, aut implendam dicere, ſolent. *dict. l. Quidam* 10. *l. Rogo* 21. *D. de fideicomm. lib.*) Quibus in continenti, & continenter cum Ulpianus ſubjungat, in *dict. l.* 10. *verſ. ſed enim*, non omnibus conditionem impleri, ut puta immaturis, aut injuſtis, & ejuſmodi nuptiis filiam defici conditione mero jure, quamvis benigne habenda ſit pro nondum impleta, ut nubendo alii poſtea, impleri poſſit, ſupponitur, ut credimus perquam probabiliter, continuari ſententiam, ſeu quæſtionem hanc conditionis defectæ, aut nondum impletæ nuptiis injuſtis, ſive immaturis, intra eoſdem illos principalis, primariæque ſententiæ terminos nuptiarum initarum, vivo teſtatore.

Enim vero eo præmiſſo, propria, & inobſervata ſtricti, & benigni juris, quoad conditionis implementum diſtinguendi ratio eſt; quoniam teſtator de primo nuptiali jugo ſenſit, quod & regulare eſt. *l. Boves*, §. *Hoc ſermone*, *D. de verb. ſign. dict. l. dotis* 68. *verſ. Quod enim.* Et Ulpianus in *dict. l.* 10. conſulto exprimit, eaque veluti ſub conditione reſpondet; nuptiæ autem per ætatem impares, aut Jure interdicente, & impediente non copulatæ, non conſtituunt nuptiale jugum. *l. ſi concubina* 17. *D. de act. rer. amot. l. ſi uxor* 13. §. *ſi quis uxorem* 6. & §. *ſi minor* 8. *D. ad leg. Jul. de adulter.* ac proinde nec per eas conditio nubendi impletur. *dict. l. Pater* 101. *verſ. Quare, D. de condit. & demonſtr. l. ſi Ego* 9. *in princip. verſic. Quare, D. de jure dot.* niſi cum conſtat de voto, affectuque patris, ſatagentis, per filiæ qualeſcumque nuptias etiam immaturas, aut non juſtas ſatisfieri conditioni, ut in *l. Hæredibus* 77. §. *ult.* in fine, *D. ad S. C. Trebell.* juncta *l. penult.* §. *Julianus*, *D. quod falſo tutore. l. Qui filium* 4. *verſic. Pabes. D. ubi pupillus educari deb.* Sed nec poteſt poſt tales nuptias conditio impleri, alii poſtea nubendo, quoniam hæ poſteriores nuptiæ erunt non primæ, de quibus pater ſenſit, & quales ſemel, non iterum impleri, voluit, *dict. l.* 10. *dict. l.* 68. in fine, *l. Matrimonii* 21. in fine, *D. qui & à quibus*, neque impleri poſtea ex eiſdem cum eodem nuptiis, ſublato impedimento ætatis, aut prohibitionis juſtis redditis, quia præterquam quod in legatis, an conditio defecta, vel impleta ſit, non debet ex futuro eventu nuptiarum, cum eodem ſequutarum, pendere, *dict. l. Quidam* 10. *l. Rogo* 21. *D. de fideicomm. lib.* juncta regula *l. ultim.* in fine, *D. comm. præd. l. ſi tibi* 8. §. *unicus*, *D. de optione leg.* id eſſet, conditionem non impleri ſemel, ſed iterum contra *d. l.* 10. *dict. l. Quidam* 10. *dict. l. Rogo* 21. ſive non primo, & unico conſenſu nuptiarum, de quo teſtator ſenſit, *l. Cum fuerit* 13. *D. de condit. & demonſtr. l. Sancimus* 24. *Cod. de nupt.* ſed adjuncto poſteriore, ex tempore ſublati impedimenti, à quo & ex tunc, neque antea juſtæ eſſe incipiunt nuptiæ, quæ injuſtæ fuerant. *dict. l. Dotis* 68. illic: *Tunc primum petetur. dict. l. ſi uxor* 13. §. *ſi quis uxorem* 8. in fine, & §. *ſi minor* 8. *d. l. Eos qui* 65. §. 1. *verſ. Et ideo poſtea*, *D. de ritu nupt. l. Et ſi contra* 6. *Cod. de nupt. l. Paulus* 11. *D. de ſtatu hom.* 5

Relinquitur itaque, conditionem nubendi in *dict. l.* 10. cum neque prioribus nuptiis, utpote injuſtis, immaturiſve impleta ſit; neque per poſteriores validas cum alio, aut iteratas cum eodem impleri poſſit, utpote ſecundas, ſive non primas, de quibus ſolis teſtator ſenſit, neceſſario deficere, ſummo, ſtrictoque Jure, ſive ut Ulpianus loquitur in *dict. l.* 10. filiam *defectam conditione*; de quo poſtea. Jam vero in hoc diverſa omnino ſpecies, & ratio eſt, *dict. l.* 68. *in princip.* in qua neque expreſſa eſt conditio nubendi, nec ſignata voluntas, ſive ſenſus primi nuptialis jugi, & ideo quamvis dotis promiſſio in ſe tacitam conditionem habeat nuptiarum, *dict. l.* 68. *l. Stipulationem* 21. *l. Promittendo* 41. §. *Accepti. l. Li-* 6

cet

cet 43. *D. de jure dot.* juncta *l. Actus* 77. *D. de regul. jur.* & de primis nuptiis intelligatur, *dict. l.* 68. *verſ. Quod enim*, intelligitur de primis nuptiis validis, ſive quas aliæ validæ non præcedunt, idque ex natura dotis ipſius, quæ non niſi validis nuptiis deſtinatur, quibus ſolis ſervire, & fungi poteſt, *l. ſi ego* 9. *verſ. Quare*, juncta *l. Dotis* 7. §. *ult.* in fin. *D. de jure dot. l. Quod Servius* 8. *de cond. cauſa data*, & ideo per nuptias invalidas non tam deficere, quam pendere, quaſi nondum impleta conditio creditur, ut eiſdem cum eodem viro ex poſt facto firmatis, impleri intelligatur, *d. l. Quod Servius* 8. *dict. l.* 68. *l. ſi debitor* 80. & 83. *l. ſi mulier* 59. §. *ultim. D. de jure dot. l. In poteſtate* 10. *D. de ſponſal.* ſicut & cum legatum eſt pupillæ, *quandoque nupſerit*, eaque nondum viri potens nupſit, non tam deficit, quam pendet conditio, ut, ea poſtea juſta uxore facta, impleatur, & legatum debeatur, *l. penult. D. quando dies leg. ced.* junctis ex eodem Labeone *l. Quod vir* 65. *D. de donationib. inter. d. l. ſi debitor* 80. & 83. quia verbum, *Quandoque*, ſive quod idem eſt, *quandocumque*, *dict. l. ſi mulier* 59. §. *ultim. l. Conditionum* 91. in fine, juncta *l. Cum vir* 25. *Digeſt. de cond. & demonſtrat. l. Is cui* 18. *D. quando dies leg. ced.* tamquam συγκαλυπτικόν, ſive extenſivum, & tractum habens, non ad primas abſciſſe nuptias, ſive primum nuptiale jugum reſtringitur, ſed voluntate patrocinante producitur ad primas nuptias validas, argumento ex *l. In conditionibus* 19. *l. ſi ita* 68. *D. de condit. & demonſtr. l. ſi ita* 45. §. *ult. D. de legat.* 2.

7 Neque vero novum in Jure eſt, conditiones expreſſas à tacitis, ſive quæ inſunt, diſtingui, & ſcrupuloſius, ſtrictiuſque illas, quam haſce æſtimari, impleri, ac deficere, ut in exemplis, *l. Nonnunquam* 52. *l. ſi ita* 69. *D. de condit. & demonſtrat. l. ſi quis Sempronium* 68. *D. de hæred. inſtit. l. ſi ita* 65. §. 1. *D. de legat.* 1. & in ſimili quoad effectum ſemel, aut iterum operandi. *l. Eum qui certarum* 138. §. *ultim.* juncta *l. ſi quis ſtipulatus* 112. *D. de verbor. obligat. l. ſi ſterilis* 21. §. *ultim. D. de action. empti*, & eumdem actum, ſeu conditionem, eadem formula expreſſam facilius iterari, & ſuſpendi in contractibus, ſive inter vivos, quam in ultimis voluntatibus. *dict. l. ſi quis ſtipulatus* 112. illic: *Quem volam. l. Apud* 21. *D. de opt. leg. l. Hujuſmodi* 84. §. *Stichum* 9. *D. de leg.* 1. *l. Statu liberum* 11. §. 1. *D. de legat.* 1. juncta regula *dict. l. ultim.* in fine, *D. commun. præd.* niſi ubi tacita conditio fuit, & ea inutiliter cœpta impleri, etiam in legatis, ut in legato optionis. *l.* 2. §. *data*, *cum* §. *ſeq.* & *l.* 3. & 4. *l. Cum ita* 9. §. 1. *D. de opt. leg.* juncto §. *Optionis*, *Inſtit. de legat.* aut ubi conditionis formula ex voluntate teſtantis, tractum, & iterationem admittit, ut in *d. l. pen. D. quando dies legati cedat.*

8 Bene itaque, & ex bene fundatis, ſtrictiſque Juris regulis Ulpianus ſentit in *dict. l.* 10. *verſ. An tamen filia*, vivo teſtatore, ut initio poſuerat, & ſupponimus, nubente injuſte, aut immature, etiamſi poſtea juſte nubat, conditionem nubendi defeciſſe, ſive ut idem conſulto loquitur, *defectam conditione filiam fuiſſe*, eoque genere loquendi ſignificat, non caſu, factove alieno, ſed ipſius filiæ, perperam nubentis facto, defici eam conditione, quomodo idem, aliique Juris Auctores ea phraſi utuntur, in *l. Quæ ſub conditione* 8 illic: *Aut non facientes deficerentur conditione.* & §. *Mortuo* 7. *D. de cond. Inſtit. l. Fideicommiſſaria* 23. §. *ultim. D. de fideicomm. lib.* & huc amplius eis verbis ſignificatur, aut innuitur, conditione ita deficiente, ſcilicet facto filiæ, & vivo teſtatore, relictum fieri in cauſa caduci, ſicut in Fiſcum cadere debeat, ex regula *l. unicæ*, §. *Et cum triplici*, *verſ. Vel ipſum relictum*, & §. *Pro ſecundo*, *Cod. de caducis tollend.* quamvis ſi alioquin non facto filiæ, temere nubentis, ſed caſu, aut facto alieno, cum per filiam non ſtaret, & vivo teſtatore conditio defeciſſet, haberetur pro impleta, eaque admitteretur ad relictum, Fiſco excluſo. *l. Turpia* 54. §. 1. *cum* §. *ſeq. D. de legat.* 1. *l. Filiæ* 28. *D. de condit. & demonſtr. l. Quæ ſub conditione* 8. §. *Mortuo* 7. *l. Qui ex fratribus* 24. *D. de condit. Inſtit. l. Inde* 23. §. *Idem* 2. *D. ad leg. Aquil.* & prætcrea ſi, mortuo teſtatore, qualitercumque conditio defeciſſet, non caderet relictum in Fiſcum, quia defectus conditionis eo tempore non facit caducum, ut docuimus pridem contra Accurſium, Cujacium, Fornerium, Santolariſm, & alios, & ſuo loco plenius, ſi Deus volet, dicemus, ex *l. In teſtamento* 31. *in princip.* juncta *l. Titio* 71. §. *Titia genere*, *verſ. Ante nuptias*, *D. de condit. & demonſtrat.* Ac denique quamvis cæteroquin filia, ſi non ſuo facto, conditione defecta, caduco locum faceret, exempta, immuniſque eſſet caducorum jugo, tum in capiendo ſolido, ſibi relicto à patre, etiamſi ipſa cælebs, vel orba eſſet, quam, in retinendo deficiente ex aliorum perſona, juxta Jus antiquum. *d. l. unic. in princip. verſ. Et cum lex. Cod. de caduc. tollend.* juncto *Ulpiano tit.* 17. & 18. *tit.* 16. *verſ. Item ſi cognati. l. Pater* 29. *in princip. & §. ultim. D. de legat.* 2. *l. ſi in teſtamento* 5. *D. de vulgari. l. Dotem* 16. §. 1. *D. de caſtr. peculio.*

Porro, ut pergamus, hæc etiamſi ita obtineant, 9
ſtricto, ſummoque jure, concludit tamen Ulpianus in *dict. l. Hæc conditio* 10. benigne dicendum eſſe, nondum impletam conditionem defectam; ſive habendam benigne pro nondum impleta, quæ ſtricto jure defecta erat, ac proinde poſtea juſte nubendo impleri poſſe. Benignitatis autem ratio, & intuitus, non in ſola paterni, erga filiam, affectus præſumptione, & nuptiarum favore; hæc enim ſola, & ſingula, quamvis ubi non abſciſſe de primis nuptiis actum eſt, ſufficiant præſumptioni inducendæ, & producendæ diſpoſitioni, etiam ad poſteriores nuptias. *dict. l. In conditionibus* 19. *l. ſi ita* 68. *D. de condit. & demonſtr. l. ſi ita* 45. §. *ultim. D. de legat.* 2. *l. penult. D. quando dies leg. ced.* juncta *l. Cum pater* 77. §. *Pater certam* 9. *verſ. Quoniam*, *D. de legat.* 2. *l. ſi ſocius* 81. *verſic. Quod ſi ſalva*, *D. pro ſocio*; Non tamen ſufficiunt pro ducendo relicto, cum nupſerit, ubi, ut Ulpianus exprimit in *dict. l.* 10. pater de primo nuptiali jugo ſenſerat, præſertim quoad ſecundas nuptias, cum alio ineundas. *dict. l. Dotis* 68. in fine *l. ſi ſponſalibus*, *D. de jure dot. l. matrimonii* 21. *Digeſt. qui & à quibus*, multoque minus in præjudicium juris, interim alii quæſiti. *dict. l.* 58. & 68. *l. Stipulatio* 63. *cum l. ſeq. de jure dot. l. ſi ut proponis* 7. *Cod. de nuptiis.* junctis à contrario ſenſu *l. Cum maritus* 29. §. 1. *l. Inter* 26. §. *ultim.* in fine, *Digeſt. de pactis dot. l. penultim.* § *uxor* 5. *Digeſt. ſolut. matrimon.* ſed verſatur potiſſimum, ut ſuſpicamur, benignitatis reſpectus in excluſione caducorum, & Fiſci, in quem, ut præmonuimus, conditione habita pro defecta, relictum tamquam in cauſa caduci recidebat, ſtricto jure, idque ut excludatur, habetur pro nondum impleta, eo benignitatis fine, & prætextu, quo contra caducorum odium, invidiamque, Juriſconſulti noſtri uti ſolent, viaſque excogitare, per quas caduca non fiant, *dict. l. unica in princip. C. de caduc. tollend.*

Subnectimus perſimilis benignitatis in excluſione 10
caducorum exemplum, vulgo non obſervatum, in *l. Non eſt cogendus* 53. in fine, illic; *ſi autem vivo teſtatore legatarius deceſſerit*, *benigne reſpondetur. D. ad S. C. Trebell.* Ubi, cum ſervo fideicommiſſaria hæreditas ab hærede, & libertas à legatario relicta proponeretur, & legatarius vivo teſtatore deceſſiſſet, Papinianus docet, ſi hæres ſuſpectam hæreditatem dicat, cogendum eſſe, adire, & manumiſſo reſtituere; idque, ut reſpondet, *benigne*, nec tamen ſolo libertatis favore, quia libertatis ſolius favor non ſufficeret, cum hæreditas ab uno, & libertas ab alio relicta ſit, ut ex eodem Papiniano diſces, in *l. ſi res* 52. §. *ultim.* junctis *l. Apud* 11. §. *ult.* cum *l. ſeq l. ſi cui pure* 31. *in princ.* & §. 1. *D. ad S. C. Trebell.* ſed quod inobſervatum Cujacio, ad eos Papiniani locos, Donello *libr.* 7. *comm. cap.* 22. Fabro *libr.* 18. *conjectur. cap.* 7. quia, cum legatarius vivo teſtatore deceſſiſſet, legatum in caduci cauſa erat, ut vel Joannes Accurſianus præſentit in *dict. l.* 53. gloſſa *Vivo teſtatore*; juxta regulam *l. un.* §. *Et cum*

triplici, *verſic. Vel ipſum relictum*, & *§. Pro ſecundo*, *Cod. de caducis tollend.* & tamen penes hæredem erat manſurum, tamquam pro non ſcripto, cum onere libertatis præſtandæ. *l. Cum vero 26. § ſi pro non ſcripto 6. D. de fideicommiſſ.* cujus libertatis favor, ſimulque favorabilis excluſio caducorum, fuerunt benignitatis reſpectus, apud Papinianum, quibus motus reſpondeat, cogendum eſſe hæredem, adire, & reſtituere manumiſſo hæreditatem.

CAPUT XIX.

Præmiſſorum de donationibus, legatis, dotibus Summa. Ad cap. Etſi neceſſe 5. de donationibus inter, juſto-hiſtorica Commentatio.

ARGUMENTUM.

Donata inter illicitos conjuges confiſcantur, niſi ſi donator innoxius. Excipiuntur nova Conſtituta, l. 1. Cod. de naturalib. lib. l. 4. Cod. de inceſt. nupt. *Teſtamento relicta innoxio conjugi, utcumque illicito, non cedunt Fiſco; aliud ſi nocenti relicta ſint. Dos in nuptiis illicitis nulla, & in Fiſcum cadit (utique poſt illas diſſolutas) niſi ſi nuptiæ non attentatæ, aut conjux innoxius. Succedanea his deciſio* cap. 5. de donat. inter, *at non conſentanea, quia deviatur illic à regula de dote caduca: &* ratio; *quia in id utitur ex Papiniano Innocentius, non apta, aut recta ad illam theſin. Cujacii, & Alteſerræ ad eum textum hiſtorica enarratio relata, rejecta, & convicta. Propria ejus loci hypotheſis in nuptiis Alfonſi Regis Legionenſis, & Berengariæ Reginæ, de caſtris, in dotem datis à Legionenſi, vel Alfonſo Caſtellæ. Compoſiti, & expoſiti cum eo textu Lucas Tudenſis, & Rodericus Toletanus. Dos non ſemel pro data à marito, ſive dotalitio, ſeu donatione propter nuptias, & Hiſpanis arrhis. Cur caducitati non locus in* dict. cap. 5. 2. *Gloſſæ, & Barboſæ placito non acquieſcitur. Applicata Papiniani ratio apud Innocentium, & explicita novo ſenſu, & fortaſſe dextro.*

1 HIS, quæ de donationibus, legatis, dotibus, inter injuſtos conjuges, uberius ſcripſimus, ſerviente ſtylo, & ordine, interpretandis veteris Juriſconſultorum locis, & ſcholaſticæ diſputationi, cujus interdum nos calor longius evexit, brevem nunc veluti Synopſin, & Summam certi, & enucleati hucuſque Juris ſubjungere, ſimulque adjicere, ſi quid novioribus Conſtitutionibus immutatum, cenſemus, pretium operæ fore, quo de utroque dilucide, ac diſtincte liqueat, ad Tribunalium forique uſum. Ergo in primis quoad donationes, exploratum jus fuit, eas inter injuſtos qualeſcumque conjuges mero jure valere. *l. ſi voluntate 7. Cod. de donat. inter. l. 3. §. 1. verſic. Ergo. l. Cum hic ſtatus 32. §. ultim. D. eod. tit.* Cæterum donatariis auferri à Fiſco, ut indignis, idque indiſtincte, ſive donatarii ſcientes, ſive innoxii ſint, ut pupilla tutori nupta. *dict. l. 32. §. ultim.* niſi ſcilicet donator ipſe ignorans, & innocens, in qua ſpecie ipſe potius repetit, quam Fiſcus aufert. *d. l. Si voluntate 7.*

2 Quibus duo adtexenda ex novioribus Conſtitutis. Primum eſt, donata à Senatore, & ſimilibus, illis, quorum mentio in *l. 1. Cod. de natural. lib.* & de qua plene nos infra *hoc libro*, libertinæ, aut famoſæ fœminæ, tamquam uxori, retrahi in primis, vindicarique legitimis filiis, fratri, ſorori, aut parentibus donatoris; demumque, his deficientibus, Fiſco, ſub pœna quadrupli, ut exprimitur in *dict. l. 1.* junctis, in eamdemque fere ſententiam, *l. 1. verſic. Omnium*, *Cod. de ſec. nupt. l. Si quis inceſti 6. Cod. de inceſt. nupt.* quamquam ea quoque pœna, & ereptio, ſimul cum prohibitione ejuſmodi matrimonii, ſublata à Juſtiniano ſit, in *Novell. 89. quibus modis natural. cap. ultim. Authent. ſed novo jure, Cod. de natural. liber.* Secundum eſt, excipi, & excuſari à pœna ereptitiæ donationis, etiam donatarios, qui vel errore acerrimo, ſive acriſſimo, neque affectato, aut ætatis lubrico lapſu illicitis nuptiis conſenſerunt, ſi tamen poſt legitimos annos, aut errore comperto, ab ea conjunctione abſtinuerint. *l. ſi qui contra 4. Cod. de inceſt. nupt.* cujus hæc extra cavillum poſita, & aperta ſententia eſt; juncta *l. Si adulterium 38. §. Iidem Pollioni 6. cum §. ſeq. D. ad leg. Jul. de adulter. l. ultim. D. de ritu nupt.* proinde pupillæ, abſtinenti à conjugio tutoris, non fuiſſe auferendum donatum, atque hactenus temperari ex *dict. l. 4.* ſeu corrigi, *dict. l. Cum hic 32. §. ultim.* in quæ ſingula mirum quam peccat Siculus Giurba, donationes inter ejuſmodi conjuges, quamvis mero jure non conſiſtant, valere tamen, ut loquitur, de æquitate, indiſtincte, & inconſpecte, affirmans, *ad conſuetud. Meſſan. parte 1. cap. 16. gloſſ. 2. num. 20.* peccat itidem, tametſi excuſatius, poſt Baldum, alioſque in *dict. l. Qui contra 4.* nullibi expreſſum dicens, pupillam donatariam, ob ignorantiam lucrari donatum, ſed duntaxat Fiſcum ei non eripere, donatorem autem poſſe repetere, contendens, Bart. Chaſſanæus *conſul. 49. num. 8. & 12.* notatus merito à P. Barboſa in *l. ſi cum dotem 22. §. ultim. num. 23. D. ſoluto matrimonio.*

Deinde in teſtamento relictis inter injuſtos conjuges ex Julia, & Papia legibus veluti Senatorem, & libertinam; vel ingenuum, & famoſam; vel ſexagenarium, aut quinquagenariam, jus certum fuit, nihil poſſe eos inter ſe capere ipſo jure, neque legatum, hæreditatemve, teſtamento inter eos relictam, peti, aut adiri, neque ab inteſtato bonorum poſſeſſionem ex Edicto, *unde vir, & uxor*; inter alios autem illicitos, aut inceſtos conjuges, extra leges Juliam, & Papiam, certum itidem fuit, & eſt, legatum, hæreditatemve relictam conjugi, ignoranti, & innoxio, veluti à tutore pupillæ, aut à Præfecto provinciali puellæ, mulierive coactæ, capi ab eis poſſe ipſo jure, neque auferri tamquam indignis. *l. ultim. D. de legat. 1. l. 2. §. Per contrarium, D. de his, quæ ut indign. l. Præfectus 63. verſic. Sed an, D. de ritu nupt.* è contrario autem hæreditatem relictam conjugi ſcienti illiciti conjugii, veluti Præfecto, tutori, aut damnatæ adulterii, illiuſve marito, quamvis ipſo jure capiatur, eripi tamen eis, ut indignis, & in Fiſcum redigi. *d. l. 2. §. 1. verſic. Utroque. l. Claudius 13. D. de his, quæ ut indign.* juncta *dict. l. ultim. D. de legat. 1.* in relictis vero ſingularibus, nempe legatis, fideicommiſſiſque relictis conjugi noxio, conſtitit ſemper, eum, quamvis mero jure capiat, retinere non poſſe, utpote indignum. *dict. l. ult. dict. l. 2. §. 1. in princip.* & probabile, tametſi paradoxum eſt, repetituros ab eo indigno hæredes innoxii conjugis, relinquentis potius, quam Fiſcum erepturum. *l. Uxori 27. D. de uſufruct. legat.* Neque in hoc genere teſtamento relictorum, quidquam eſt ſpecialiter, aperteve novis conſtitutionibus immutatum, niſi, quod magis eſt, ex earum mente, & indulgentia noviorum Cæſarum, Fiſco in caducis, & ereptitiis parum faventium, illicitum, noxiumque conjugem haberi non tam pro indigno, quam pro experte, ſive impote capiendi, ideoque ei relicta, quo caſu ex Jure antiquo futura Fiſci erant, retineri hodie, aut retrahi à legitimis filiis innoxiis, aut genere proximis, potius, quam à Fiſco eripi. *dict. l.* [illegible] *quis 6. verſ. Nihil*, juncta *Authent. ſeq. Cod. de incept. nupt. l. 1. verſ. Omnium*, *Cod. de ſecund. nupt.* quarum immemor, reſpondit pro Fiſco, non ſatis recte in re, Valaſcus *conſultat. 15.* 3

Poſtremo in dote, ut finiamus, duplex ex diſciplina priſci Juris regula eſt. Prima, & generalior, dotem in illicitis, injuſtiſve nuptiis, nullam eſſe. *§. Si adverſus 12. Inſtit. de nupt. l. Inceſtæ 52. l. A Di-* 4

na

to 58. *D. de ritu nupt. l.* 3. *l. Si Serva* 39. *§. ult. l. dotis* 68. *D. de jure dot. l.* 1. *§. penult. D. pro dote. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat.* Secunda, eam ipſam dotem caducam fieri, & in Fiſcum cadere, in nuptiis inceſtis. *dict. l. Inceſtæ* 52. *l. dote* 61. *D. de ritu nupt. l. Si quis* 6. *verſ. Dos, Cod. de inceſt. nupt.* & in Præfecti cum provinciali fœmina. *l. ſi quis officium* 38. *§.* 1. *D. de ritu nupt.* juncta Gordiani Conſtitutione apud Cujacium fortaſſe, & in tutoris cum pupilla. *l. ultim. Cod. de interd. matrim.* Denique in nuptiis contra leges Juliam, & Papiam, ex Ulpiano *tit.* 16. *§. ultim. in fine.* juncta *dict. l. A Divo* 58. *D. de ritu nupt.* niſi ſcilicet ante attentatas illicitas nuptias dos data, & illæ poſtea non attentatæ, non ſecutæ, *l. ult. in princ. & §. ultim. D. de condict. ſine cauſa*; vel niſi eripienda dos ſit conjugi ignaro, innoxioque illiciti matrimonii, cui non eripitur. *dict. l. A Divo* 58. *l. Præfectus* 63. *§. in fine. D. de ritu nupt. l. Si tutor* 7. *Cod. de interd. matrim. l. Eum, qui* 18. *verſic. Cæterum, Cod. ad leg. Jul. de adulter.* Ac præterea non committitur caducæ dotis pœna cum effectu, ante illicitas nuptias diſſolutas, imo pendet pendente habitu, & ſpe earum confirmandarum. Ulpianus *dict. tit.* 16. *§. ultim. in fine. l. Præfectus* 63. *in fine, D. de ritu nupt.* juncta *l. Hæc conditio* 10. *verſic. Sed enim, D. de condit. & demonſtr. l. Si ego* 9. *verſ. Quare. l. Si debitor* 80. *&* 83. *D. de jure dot. l. Quod Servius* 8. *D. de condict. cauſa data.* Denique neque quoad hanc partem diſcrepat Jus novum à vetere, niſi in eo, quod in nuptiis inceſtis dos, & alia bona confiſcanda deferuntur in primis liberis legitimis, eiſque non extantibus, Fiſco, ex *Novella* 12. *de inceſtis nupt. cap.* 1. *&* 2. *Authent. inceſtas, C. de inceſt. nuptiis.*

5 His jam novæ Civilis Juriſprudentiæ Analectis adjicimus lubenter, ex Canonico ſacro receſſu, *Decretalem* Innocentii Tertii *epiſtolam*, cura, & illuſtratione aliqua non vulgari egentem, in *cap. Etſi neceſſe* 5. *de donat. inter.* Ubi proponitur, Regem Legionis, filiæ Regis Caſtellæ in dotem Caſtra aliqua dediſſe, eo pacto, ut, ſi eam, ſcilicet quam uxorem tunc ducebat, poſtea aliqua occaſione dimitteret, Caſtra in jus memoratæ uxoris cederent; quocirca cum deinde ob impedimentum, quod illicitam inter eos copulam, conjugiumque reddebat, ad illius diſſolutionem urgerentur, eique moram facerent data Caſtra illa, quibus relicta uxore, ſe ex pacto cariturum, ſive ea ſibi non reſtituenda, Legionenſis Rex verebatur, reſcribit Innocentius Pontifex, Caſtra non tam ob turpem, quam ob nullam cauſam data, cenſenda eſſe, utpote cum matrimonium non ſubſiſteret, & proinde nec dos, nec donatio propter nuptias; idcircoque ne cedant commodo ejuſce uxoris, quæ ob illicitum matrimonium pœnam potius pati debuerat, jubet reſtitui Caſtra Regi Legionenſi, &, ad ea reſtituenda, puellam Caſtellæ Regis filiam, prævia excommunicatione, coarctari.

6 Hæc ſententia Innocentii: in qua, ut leviora taceam, illud plane difficile, quod cum Caſtra in dotem data proponantur, & matrimonium tamquam illicitum ſeparetur, & pro explorato ſit, utrumque conjugem conſcium, noxiumque fuiſſe illiciti conjugii, intra ſecundum conſanguinitatis gradum contracti (ut, poſt gloſſam illic, verbo, *Reſtitui*, juncto *cap. Porro* 3. *in fine de divort.* & poſt Panormitanum, Aucharranum, Butrium, & alios, obſervat ex antiqua ejuſdem Decretalis collectione, Hoſtienſis inibi) videbantur dotalia hæc Caſtra Fiſco, tamquam caduca, addicenda, aut ſaltem retinenda potius a puella, quæ accepit tamquam dotem, propriumque patrimonium; dignior que quæ retineat, in pari ſcientia, & turpitudinis cauſa, quam ut reſtituat marito, qui turpiter dedit: argumento ex *cap.* 1. *cap. de prudentia* 3. *de donat. inter. cap.* 2. *de conjugio ſervor.* juncta regula *l. ultim. verſ. Dixi. D. de cond. ſine cauſa. l.* 3. *l. penult. D. de cond. ob turp. cauſ. l.* 2. *Cod. eod. tit. l. Si Procurator* 9. *D. de doli exceptione*; multoque magis ſi eam puellam, juſta puellaris ætatis præſumptione innoxiam ſupponamus, ut in *l. Præfectus* 63. *in fine. D. de jure dot. l. Si tutor* 7. *Cod. de interd. matrim. l. Eum, qui* 18. *verſic. Cæterum, Cod. ad leg. Jul. de adulter. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat. l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* Conducit difficilis alioquin *epiſtola* Papæ Deus dedit *ad Gordianum Epiſcopum Hiſpalenſem, tom.* 2. *Concilior. part.* 2. cujus extrema illa ſectio de muliere ſeparata, poſt annum nuptura, & dote ei reſtituenda, fortaſſe tamquam regulis, & rationi incongruens, omiſſa à Gratiano in *cap. Pervenit* 30. *quæſt.* 1. De quo alii, queis otii magis, cenſento.

7 Nec ſuffragatur, ſufficitve rei explicandæ, ratio illa Innocentii, ex Papiniano veluti ſumpta, in *dict. l. ultim. D. de condict. ſine cauſa*, nempe quod, cum matrimonium non conſiſtat, Caſtra non tam ob turpem, quam ob nullam cauſam data cenſenda ſint; quippe ea ratio recta, aptave apud Papinianum, qui repetitionem largitur pecuniæ in dotem datæ ante nuptias inceſtas, quæ neque ſecutæ, neque facto ipſo attentatæ, atque ita, non tam ob turpem cauſam, quam ob nullam, *d. l. ultim. in princip. & §. ult.* non item apud Innocentium, qui reſcribit, de reſtituendo dato ob nuptias, non modo attentatas, ſed conſummatas, ut in antiquo, & integro contextu eſt, *d. cap. Etſi neceſſe.* & conſequenter non ob nullam, ſed ob turpem cauſam, re ipſa ſecuta. Ut proinde neque immerito, aut ſaltem non omnino temere, poſt Azonem, & alios, Joannes Andreas, & Hoſtienſis indidem, conſcii non dextre aptatæ Papiniani rationis, & deciſionis vix ratione ſubnixæ, uſurpent decantatum illud: *Sit pro ratione voluntas.*

8 Deſiderat Innocentii interpretatio, facti hiſtorici, cui *Decretalis ea epiſtola* reſpondet, propriam, germanamque enarrationem, in qua magnus ille, etiam in Pontificio Jure, Cujacius, & poſt eum Ant. Dadinus Abeſerra *ad Decretales Innocentii III. in dict. cap. Etſi neceſſe*, uterque Hiſpanicæ hiſtoriæ, ut alienæ, minus peritus, ſimulque male creduli Hiſpano Hiſtorico Roderico Sanctio de Arevalo Epiſcopo Palentino 3. *part. cap.* 38. largiter cum eo labuntur, dum, ut ille loquitur, famoſam eam Decretalem emanaſſe cenſet, dirimendis inceſtis nuptiis, initis inter Henricum I. Caſtellæ Regem, & Maſaldam filiam Sanctii I. Portugalliæ, parario, & adſtipulatore Comite Alvaro, tunc ob pueritiam Regis omnium potito, & dominante, adeo impotenter, ut vix urgente auctoritate Innocentii III. Pontificis, ſeparatum conjugium fuerit, ut memorant Hiſpani Scriptores, Rodericus Archiepiſcopus *lib.* 9. *cap.* 2. Alfonſus Cartagena in *Anacephal. c.* 82. Auctor *Chronici Generalis Hiſpaniæ*, Alfonſi Sapientis juſſu compoſiti, 4. *part. cap.* 10. & ex novioribus Mariana *lib.* 12. *cap.* 5. Garibajus *lib.* 12. *cap.* 40. Alfonſus Sanctius in *Hiſtor. Hiſp. ad annum* 1216. Noſter Manriquius in *Annal. Ciſtercienſibus ann.* 1211. Et Maſaldæ ſeparatæ memoriam, ſanctitate, & miraculis etiam nunc illuſtrem, teſtantes Luſitani Vaſconcelos, Faria, & alii in *Sanctio I.* Franc. Anton. de Yepes in *hiſtoria Benedictini Ordinis centur.* 1. *anno* 67. Sane huic rei geſtæ ut aptet Cujacius contextum *dict. cap. Etſi neceſſe* 5. (qui eſt de Rege Legionis, non Caſtellæ, & de filia Regis Caſtellæ non Portugalliæ) ſupponit, fuiſſe Henricum Legionis, & Caſtellæ Regem, unito jam utroque Regno, & pro verbis, filia Regis *Caſtellæ*, reponit *Portugalliæ.*

9 In quibus ſingulis mirum quam peccat. Namque Legionis, & Caſtellæ Regna ſub Henrico I. non fuiſſe unita, imo diviſa, Caſtellæ Henrico, & Legioni Alfonſo Nono imperante; ac demum, & perpetuo unita, poſt Henrici, & Alfonſi interitum, in Ferdinando Sancto ex Berengaria, primogenita Alfonſi, ut numeramus, Octavi Caſtellæ Regis, & Alfonſi Noni Legionenſis ex eadem Berengaria filio, res eſt adeo teſtata, ut neque extra Hiſpaniam teſtibus egeat. Henricus Spondanus in *Annalibus poſt Baronium anno* 1230. *num.* 5. Jacobus Gordonius in *Chronologia eodem anno.* Paulus Bombinus in *Breviario rerum Hiſpanicarum Enneade* 1. *lib.* 6. *ad finem.* & Chronologi alii, atque Hiſtorici. Sed & nihil pertinere ad hypotheſin *d. cap. Etſi neceſſe*, Maſaldam Portugalliæ Regis filiam, perperamque illam, & Henricum Ca-

ſtellæ in hanc ſcenam induci, argumenta evidentia ſunt, tum quod nulla de Caſtris Mafaldæ in dotem datis, & impedimentum divortio facientibus, ut proponitur in *dict. cap.* 5. in Annalibus noſtris mentio: tum etiam, quia ſi Mafaldæ ab Henrico data, eaque reſtituere, cogenda eſſet, injungeretur id ab Innocentio Epiſcopis Caſtellæ, aut Portugalliæ, non autem Archiepiſcopo Compoſtellano, & aliis Legionenſibus, ad quos directa *Decretalis Epiſtola dict. cap.* 5. tum denique quia, ut, quod res eſt, dicamus, conſtat, curam ſeparationis inter Henricum, & Mafaldam injunxiſſe Innocentium (quamquam de eo dubitet Franc. Boſquettus in *notis ad Innocentii Res geſtas lib.* 1. *Epiſt.* 74.) non Compoſtellano, aut Legionenſibus, ſed Tellio Palentino, & Mauritio Burgenſi, Caſtellani Regni Epiſcopis, ut ex *Generali Chronico Alſonſi dict. cap.* 10. & Roderico Toletano *lib.* 9. *cap.* 2. memorant Mariana, & Garibajus, jam laudati. Adjicimus rei lucidæ lucem, obſervantes, Innocentium de eo conjugio reſcribere, in quo & conſummata copula, & ex ea fortaſſe *proles ſuſcepta eſt*, ut liquet ex integriore contextu ejus *Decretalis*, *in antiqua collectione* 3. *lib.* 4. *tit.* 15. *cap.* 1. Hæc autem ſuppoſitio, ſive aſſumptio aliena à contubernio Henrici, & Mafaldæ, quod quamvis fere conſummatum, & mulierem factam Mafaldam, creditum fuiſſe, ſcribat in Latina Hiſtoria, Mariana *dict. lib.* 12. *cap.* 3. & Garibajus, ex *Generali Chronico*, *d. cap.* 10. vix tamen id credibile, virginemque illam, Portugalliæ redditam, idem ille Mariana in patrii idiomatis hiſtoria, & Luſitani Hiſtorici affirmant, falſtemque nullam inde prolem ſuſceptam, aut ſperatam, & pueritia Regis poſt divortium, nec dum puberis, mortui, & properatæ intra annum nuptiæ, & divortium ſatis ſuadent.

10 Neque plura in Cujacium jam. Pergimus potius, monemuſque, pertinere Innocentii *Decretalem* ad conjugium inter Alfonſum, ut vocant, Fernandium IX. Legionis, & Berengariam primogenitam filiam Alfonſi VIII. Nobilis, ſive Boni, Caſtellæ Regis (& quidem bona fide, ſaltem ex parte Berengariæ, ut poſtea dicemus) quod inter eos initum anno circiter 1291. & poſt diuturnam cohabitationem, binamque ſobolem utriuſque ſexus ſuſceptam, tamen quia Berengaria, neptis mariti Alfonſi, ex ejuſdem conſobrino Alfonſo erat, adigente Innocentio III. Pontifice, diſſolutum fuit, ut liquet ex *Compilatione Anonymi geſtorum Innocentii III.* edita à Boſquetto *tom.* 2. *ad Innoc. III. pag.* 36. *& ſeq.* & teſtantur Rodericus Archiepiſcopus *l.* 7. *cap.* 24. *&* 31. *Chronicon Generale* 4. *part. cap.* 9. Mariana *lib.* 11. *cap.* 21. *&* 23. Garibaj. *lib.* 12. *cap.* 31. *&* 37. Paul. Bombin. in *Breviar. rer. Hiſpanar. lib.* 6. *p.* 117. Henr. Spondan. 1. *tom. Annal. poſt Baron.* tametſi in temporum ratione, fortaſſe *Data epiſtolarum Innocentii*, quæ extant, deceptus, eſt à noſtratibus diſcrepans, an aberrans, referenſque hæc ad annum Pontificatus Innocentii primum, & Chriſti 1198. *num.* 10. & exactiore Chronologiæ ratione Odoricus Rainaldus, poſt Baronium *tom.* 13. *ad annum* 1198. *num.* 33. *& ſeqq. & ad ann.* 1204. *num.* 70. & ſignanter hanc hiſtoricam facem Innocentio in *dict. cap. Etſi neceſſe* 5. præferentes Rades de Andrade in *Chronica Militar. Ord. D. Jacobi cap.* 12. *part.* 21. Valdeſius *in addit. ad Rod. Suar. ad l.* 1. *tit. de arrbis*, §. *Nota primo*, *num.* 4. Auguſt. Barboſ. *in collect. ad cap.* 5. *num.* 2. Didacus Colmenarius *hiſt. Segov. cap.* 19. §. 3. Noſter Manrique *tom.* 4. *Annal. Ciſterc. ad annum* 1216. *cap.* 2. *num.* 2. Ac ne in re indubia agamus conjecturis, extat ea ipſa Decretalis eodem illo initio, *Etſi neceſſe*, ſententia, & verbis, tametſi prolixiore contextu, memoratam facti ſeriem complectens, inter *Innocentii III. epiſtolas* editionis Colonienſis *anni* 1575. *lib.* 2. *epiſt.* 71. *ad Fratrem Rainerium.* Et in alia *ad Archiepiſcopum Compoſtellanum* editionis Rom. 1543.

11 Illud applicationem Innocentii textus huic rei geſtæ firmat omnino, illuſtratque ſimul, quod quæ Caſtra Legionis Regem filiæ Regis Caſtellæ, in dotem tradidiſſe, & pacto, ut, ſi illam relinqueret, in jus ejus cederent, eaque Caſtra, ſive eorum retinendorum cauſam impedimentum præſtare diſſolvendo conjugio, proponitur in *dict. cap.* 5. conſtat ex hiſtorica ſerie ejus ævi, tradidiſſe Alfonſum IX. Legionis, uxori Berengariæ, Caſtellæ Regis filiæ, idque cæteris luculentius, & ad Innocentii textum appoſite, prodidit illius ſeculi Hiſtoricus, Lucas Tudenſis in *mundi Chronico ad Aeram* 1226. his verbis: *Cum venirent ad pacem, dedit Adefonſus Rex Legionenſis uxori ſuæ Reginæ, Dominæ Berengariæ, quæ tunc degebat cum patre ſuo in Caſtella, Villarpandum, Ardon, Rodam, Arbolium, Gordonem, & Lunam.* Et inferius: *Duxit Berengariam, prudentiſſimam filiam Adefonſi Regis Caſtellæ, uxorem, & tam nobiliter eam deſponſavit ſibi, quod dedit ei pro dote Turres Legionis, Aſtoricam, Valentiam, & alia triginta Caſtella; poſuit etiam in fidelitate, alia decem Caſtella in manu Baronum Regis Caſtellæ, ne recederet à pactione.* Ac demum contentionem de his Caſtris reddendis Regi Legionis, quædamque ab eo inter moras ſacri Tololani prælii recepta, alia ſponte à Victore Alfonſo reſtituta, idem deinceps Scriptor teſtatur, atque, eum ſequutus, Garibajus *lib.* 12. *cap.* 13. Neque abludit Roderici Archiepiſcopi teſtimonium *lib.* 7. *cap* 31. dum quæ Lucas, dediſſe Alfonſum Legionenſem in dotem Berengariæ, memorat, Rodericus é contra ſcribit, *Nobilem Adelſonſum Caſtellæ, omnia quæ abſtulit, nunc genero, olim hoſti*, ſcilicet Alfonſo Legionenſi, *dediſſe filiæ ſuæ nuptæ Berengariæ.* Nam ut de eiſdem Caſtris Legionenſis Regni, Alfonſo illius Regi ab Alfonſo Caſtellæ bello primum ablatis, & conjugii pacti cum Berengaria contemplatione redditis, Rodericum, & Lucam loqui, agnoſcamus, nihil inconvenit, Alfonſum Caſtellæ, eo intuitu reſtituentem, ut filiæ in dotem cedant, filiæ ſuæ dare, dici; ut Rodericus, & ex eo Mariana, Garibajus, Rades ſupra laudati, & é contrario Legionenſem Alfonſum eadem Caſtra, utpote ad Regnum ſuum pertinentia, & tunc reddita, pro dote Berengariæ, ſive filiæ Regis Caſtellæ, in dotem tradidiſſe proponi, ut apud Lucam, & Innocentium eſt in *d. cap.* 5.

Quocirca, & ex his jam exponendum eſt id, in 12
quo Claſſici, ut vocant, Canoniſtæ laborant, cur ſcilicet Rex Legionis maritus dicatur, dare in dotem uxori filiæ Regis Caſtellæ, contra Juris, & proprietatis loquendi normam, ſecundum quam uxoris potius eſt, dotem dare, & mariti accipere. *l.* 1. *& paſſim*, *D. de jure dot.* Ulpianus *tit.* 6. *de dotibus*, *cap. Nuper* 6. *in fine*, *de donat. inter.* notant quidem, Innocentio explicando, Vincentius, Joann. Andr. & Panormitan. illic, loqui eum, juxta conſuetudinem Hiſpanorum, uxores dotantium, idque inde aſſumptum transferunt Noſtrates ad arrhas, quas in Hiſpania ad inſtar donationum propter nuptias mariti uxoribus largiri ſolent. *l.* 1. ubi Gregorius Lupus, *gloſſa en España*, *tit.* 11. *part.* 4. *l.* 87. *tit.* 18. *part.* 3. *l.* 50. *Tauri*, *cum ſeqq. l.* 1. *tit.* 2. *de las arras*, *lib.* 3. *fori*, ubi Roder. Suar. *num.* 4. D. Præſ. Covarruv. in 4. *part.* 2. *cap.* 3. §. 7. *num.* 11. egregie Valaſc. *conſult.* 2. *ex num.* 3.

Nec diſſimiliter nimis *gloſſa*, verbo, *In dotem.* 13
Hoſtienſ. Ancharran. Butr. *in dict. cap.* 5. exaudientes dotem apud Innocentium, id eſt, donationem propter nuptias. Nam cum, ut memoravimus, ea Caſtra Alfonſus Caſtellæ reſtituerit, ut filiæ in dotem cederent, & Alfonſus Legionenſis eadem Berengariæ, tanquam uxori, & matrimonii contemplatione tradiderit, non immerito diverſis reſpectibus cenſentur jure, & nomine dotis, & donationis propter nuptias, ſive arrharum Hiſpanicarum; ſive, ut eſt apud Innocentium in pleniore contextu *ejuſdem Decretalis dict. epiſtol.* 71. & in antiqua collectione 3. *lib.* 4. *tit.* 15. donatio propter dotem.

Nec ſine exemplo vel extra Hiſpaniam, imo ab 14
antiquo ævo eſt, dotem vocari dona, ſeu munera, quæ pro dote maritus confert uxori, ſive maritum ipſum dare dotem uxori. *Geneſis cap.* 34. *Augete dotem*,

tem, & munera poſtulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc uxorem. Ubi Abulenſis *q.* 1. Bened. Pererius *ad cap.* 29. *Geneſ. diſp.* 2. Alia, ex aliis electa, Hieronymus Bignonius *ad Marculf. formulas pag.* 561. Lindembrug. *ad Cod. leg. Antiq. pag.* 1391. *in Gloſſario*, verbo, *Dos*; & de Francorum more, & Gothorum, uxores dotantium, Hadrianus Valeſius *lib.* 11. *rerum Francicar.* Sed frequentior omnino ea uſurpatio dotalis nominis, aut tituli ſequiore lingua, & ſeculo, pro donatione propter nuptias, à viro in uxorem collata, dotemque æquante, penſante, aut augente, unde & ἀντίφερνα, ſeu *dos contraria*, & *dotarium*, ſeu *dotalitium* dicitur, *cap. ſi autem* 10. 36. *q.* 2. *cap. Ex parte* 15. *de foro compet. cap. Plerumque* 4. *de donat. inter.* Græcis novioribus *Hypoboium*, de quo Theodor. Balſamon *ad Photii nomocanonem, tit.* 13. Harmenop. in *promptuario lib.* 4. *tit.* 10. *Novella* Leonis 20. & 22. Germanis *Morganatica*, ſeu *Morganbeba*, ut in legibus Alemannicis, & Longobardicis, & in Feudis *lib.* 2. *tit.* 29. *de filiis natis ex matrim. ad Morganaticam.* Gregor. Turonenſ. *libr.* 9. *cap.* 20. Denique & abſolute, ac ſimpliciter, *dos. dict. cap. Etſi neceſſe* 5. *cap. Nuper* 6. *de donat. inter. cap.* 1. *de ſponſalib.* & in Viſigothorum legibus *lib.* 3. *tit.* 1. *leg.* 5. & *lib.* 4. *tit.* 5. *leg.* 2. & Hiſpana lingua, & moribus *arrhæ. d. l.* 1. *tit.* 11. *part.* 4. *l.* 50. & 51. *Tauri. l.* 2. *cum ſeqq. tit.* 2. *lib.* 5. *Compilat.* quas nempe arrhas, ſucceſſive in locum donationis propter nuptias, & idem fere eſſe, ac dotem, à marito uxori collatam, argumento eſt, quod quæ taxatio ex legibus noſtris viget, ne ſcilicet arrharum quantitas excedat partem decimam bonorum mariti, *d. l.* 50. & 51. *Tauri. l.* 1. & 2. *tit.* 2. *lib.* 3. *forileg.* & *l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 4. *fori jud.* eadem taxatio jam olim exprimitur ſub nomine *dotis*, quam maritus uxori confert, in Codice legum Viſigothorum *lib.* 3. *tit.* 1. *leg.* 5. ex qua fluxiſſe decimæ in arrhis circumſcriptionem, nondum Pragmatici noſtri obſervarunt: at prænotavit, poſt ſcripta hæc viſus, noſter Reteſius *de donationib. cap.* 22. *n.* 11.

15 Viam hæc quadantenus faciunt, nondum tamen aditum, reſerando præcipuo illi, & difficili apud Innocentium quæſito, cur ſcilicet in nuptiis aperte illicitis dos, ſeu donatio propter nuptias, à marito data (multoque minus arrhæ Hiſpanicæ, quæ uxoris, & ejuſdem hæredum lucro noſtris moribus cedunt, ut in *l.* 51. *Tauri. l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 3. *fori.*) non ſolum caduca non fiat, ſed reſtituatur marito, idque aliena illa, nec ſatis apte coagmentata ratione, quia data non ob turpem cauſam, ſed nullam, matrimonii, quod tamen facto ipſo, & inceſtæ copulæ diuturnitate attentatum, conſummatumve, in *dict. cap. Etſi neceſſe* 5. non autem concupitum dumtaxat, ſi liceret, ut in *dict. l. ultim. D. de condict. ſine cauſa.* Nec repugnamus, quamvis non acquieſcimus gloſſæ notato in *dict. cap.* 5. verb. *Reſtitui*, cui, poſt Hoſtienſem, alioſque inibi ſubſcribit Barboſa, in *l. Si ante* 6. *num.* 28. *D. ſolut. matrim.* dum monet, idcirco illic dotem, ſeu donationem caducam non fieri, quia Legionenſis Rex, tamquam ſupremus Princeps, alii non ſubditus, legibuſque caducariis ſolutus, non eſt obnoxius caducitatis pœnæ, aut confiſcationi, argumento ex *l. Princeps* 31. *D. de legib.* quin potius ipſe, veluti Fiſci ſui jure, repetit, occupatque. *l. Quod Principi* 56. *D. de legat.* 2. Non, ut diximus, acquieſcimus, quia tametſi illud primum de Principe, non obnoxio caducitati, aut confiſcationi agnoſcamus, ſecundum tamen de repetente ex jure ſui Fiſci, & cum priore parum convenit, & diſconvenit æqualitati Principis, & Auguſtæ, quoad immunitatem à pœnis orbitatis, *dict. l. Princeps* 31. *D. de legib. l. Fiſcus* 6. §. *ultim. D. de jure Fiſci*, de queis tamen ſuo loco ex profeſſo; & alienum à contextu, & mente Innocentii, qui ſine ullo pœnæ, & caducitatis reſpectu, reſtitui Regi Legionenſi Caſtra, vult, alia, & propria illa ratione, quia data non ob turpem cauſam, ſed nullam. Ac denique non ſufficit rei expediendæ, quia utcumque ſupremitas Regia ſatis eſſet Legionenſi eximendo à confiſcatione, non tamen ne Regina, ſuprema itidem, non potior ſit, in pari turpitudinis cauſa, ut retineat potius, quam reſtituat marito, qui turpiter dedit.

Profecto nec meliura, nec quæ aſſenſum magis 16 mereantur, decem circiter alia Canoniſtarum laborantium effugia, *ad dict. cap.* 5. quorum meminit Jaſon *in l. ultim. D. de condict. ſine cauſa.* ex queis tamen aut verius, aut veroſimile magis illud videtur, in quo cum Tancredo, apud gloſſam in *dict. cap.* 5. verbo, *Reſtitui*, reſidet ibi Panormitan. *num.* 7. & 9. nempe bono pacis, inter Caſtellæ, & Legionis Reges ſanciendæ, ſimulque & præcipue pro ſpirituali bono ſeparationis illiciti conjugii, cum utrique iſti bono moram facerent, ſive, ut Pontifex loquitur, impedimentum præſtarent Caſtra in dotem data, aut donata (quia ne illis caderet Legionenſis, utpote Regni ſui partibus, aut à conjugio non diſceſſurus, aut diſſoluta copula, bellum pro illis recuperandis moturus, credebatur, & è contra Caſtellæ Rex promptum ſe, & obſequentem Pontificiis juſſis ſpondebat, ut ille idem ſcribit *dict. lib.* 2. *epiſt.* 72.) Innocentium ex paſtorali officio altioribus his finibus intentum, Caſtra Legionenſi reſtitui, decreviſſe; cedente ſtricti juris ratione, ſummæ illi rationi, quæ pro religione, & pro pace; argumento ex *l. Sunt perſonæ* 43. *D. de Religioſ. l. Conventionum* 5. *D. de pactis.* Plane ut hæc ipſa reſtitutio, inoffenſis Juris regulis, præcipi videretur, utitur Innocentius colorata illa ratione, & prætextu, quod Caſtra, data non tam ob turpem cauſam, quam nullam, quæ ratio, tametſi ex Papiniano ſumpta, in *dict. l. ultim. D. de condict. ſine cauſa*, accepta tamen aliter ab Innocentio, & accipienda ex ejus mente, quippe apud Papinianum, dicitur datum non tam ob turpem cauſam, quam nullam, quia datum propter nuptias; turpes quidem, ſed non ſequutas, & proinde nullas. At apud Innocentium, quamvis datum ob nuptias, re ipſa turpes, & ſequutas, conſummataſque, dicitur tamen, datum non tam ob turpem, quam ob nullam cauſam, attento affectu conjugum, qui conjugium illicitum inierunt, & maxime Berengaria, quæ, patribus ſuis ſpondentibus, & ſuffragantibus Toletano, Burgenſi, Palentino, & Zamorenſi Epiſcopis, cenſeri debet, bona fide conjugium iniiſſe, & crediſſe, ei ineundo ſufficere ſpem, ut ſuadebatur, probabilem, diſpenſationis Pontificis, quam tametſi ex poſt facto, & incaſſum, procurarunt tamen Toletanus, Palentinus, & Zamorenſis Præſules, Romam pro utroque Rege Legati, ut Innocentius idem, damnata licet Legationis cauſa, commemorat *dict. lib.* 2. *epiſt.* 71. & ex libro *Geſtorum Innocentii*, & aliis Spondanus, & Rainaldus, jam laudati. Noviſſime P. Caſtejonius in *hiſtor. Tolet. Prim.* 3. *part. cap.* 5. quem, & alios laudavimus, properata quamvis nomenclatura, & editione, in Reſponſo noſtro *pro Hiſpania ad tractatum Galliæ de juribus Reginæ Chriſtianiſſimæ* §. 13. & *ſeqq.* Fuerunt itaque Caſtra data non tam turpiter, quam temere, ob improbabilem ſpem diſpenſandi conjugii, quæ tamen ſpes, ut diximus, poſt negatam diſpenſationem nulla, & inanis jam, ſatis fuit Innocentio, ut diceret, cauſam dandi fuiſſe potius nullam, quam turpem, & proinde non obſtare, quo minus Caſtra data reſtituerentur, adumbrato honeſto hoc colore, pro bono pacis, & ſeparationis, quam Caſtra non reſtituta morabantur.

Acceſſit indulgendæ facilius veniæ amiſſionis Ca- 17 ſtrorum, frequens eo ſeculo, & ævo, antea jam inde à Roberto, & Philippis Francorum Regibus, inter eos, alioſque Principes, illicitorum conjugiorum uſurpatio, & abuſus, Pontificibus fruſtra laborantibus, pro cohibendis nuptiis intra nexum, graduſque ab Eccleſia præſcriptos, cæterum fruſtra, adeo, & incaſſum, ut idem Innocentius III. neceſſe habuerit, prohibitionem conjugalis copulæ, quæ, in id tempus, ſeptimum uſque conſanguinita-

tis gradum pertingbeat, ad quartum coarctare, *quoniam in ulterioribus gradibus jam non poterat, abſque gravi diſpendio, hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari.* Ut ex *Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. Can.* 50. ſcriptum eſt, in *cap. Non debet* 8. *de conſanguinitat. & affin.* Neque novum, inobſervatumve eſt, quædam, alioquin juſta, aut publice utilia, quibus tamen artis ſubtilitas obſtare videbatur, quæſito, ut apud Rhetores, legitimo colore defendi. Exempla in querela inofficioſi, *l.* 2. *&* 5. *D. de inoffic. teſt.* & in Publiciana, & Commento Corneliæ legis, de captivis, & id genus aliis.

18 Præterea & quod nondum Hiſtoricis Hiſpanis notatum, Innocentius ſub idem tempus, pro pacis bono, & attenta bona fide Berengariæ Reginæ in conjugio cum Alfonſo, auctor fuit eidem Alfonſo, ut Fernandum, poſtea Sanctum nominatum, ex eo conjugio ſuſceptum, pro filio legitimo, & Regni ſucceſſore ſolemniter reciperet, contra quam ante comminatus fuerat, in integro contextu *dict. cap. Etſi neceſſe* 5. apud Anton. Auguſtinum in 3. *collectione Decretal. lib.* 4. *tit.* 15. Id quod ipſum, ſucceſſionis caſu exiſtente, memoravit, firmavitque Honorius Tertius Pontifex, cujus Reſcriptum ea de, ad verbum exhibet Odoricus Rainaldus *tom.* 13. *poſt Baronium ad annum* 1218. *num.* 66. & 67. &, poſt Bzovium, agnovit Spondanus *tom.* 1. *poſt Baron. ad annum* 1217. *num.* 14. Hæc ante aliquot loſtra, cum inter Schedas noſtras laterent, deſcripta ex eis, & perlata Salmanticam à Franciſco Antonio filio, tunc Academico Profeſſore, & in majori Archiepiſcopi Toletani Collegio Collega, anſam, an cauſam præbuere, edito poſt inde *Syntagmati ad dict. cap. Etſi neceſſe* 5. quod & Joanni Franciſco primogenito noſtro dicavit D. Emanuel Villaſuſo, ejuſdem Collegii Collega, & magnæ ſpei Candidatus.

CAPUT XX.

De dotibus, arrbis, & ſponſalitiis, aliiſque annexis juxta Hiſpanas leges, & mores, notata practica, theoricis obſervationibus reſperſa.

ARGUMENTUM.

De dote in illicitis nuptiis non confiſcanda, ſed à marito retinenda, in ſpecie l. 50. tit. 14. part. 5. *ſingulare jus; & quam diſcrepans à ratione, & regulis Romani Juris? Suis tamen ſtans rationibus. De arrbis Hiſpanicis, & antefato, ac dotario Siculis: item de arrbis, fidei inter ſponſos pignoribus, ac de ſponſalitiis muneribus par cenſura. Exorbitans ab ea Valeriani* lex 18. Cod. ad leg. Jul. de adulter. & 5. Cod. de donationib. ante nupt. *quæ &, ut exorbitantes interpolatæ in* Baſilicis. *Diſtinguitur inter ſponſalitia data, aut tantum promiſſa. De privilegio, ne damnetur in ſolidum pro dote, in marito illicito, & innoxio. Expenduntur* l. 23. D. ſolut. matrim. l. 18. D. de reb. auct. jud. l. 17. D. de act. rer. amot. *quæ & exponuntur. De impenſis utilibus in dote caduca, ad Papinianum in* l. 61. D. de jure dot. *Actio de dote apud Conſultos, plerumque pro actione rei uxoriæ; Id quod varie illuſtratum, & aſſertum. Interdum & pro actione* ex ſtipulatu *pro dote. Compoſitum diſſidium inter* l. 41. §. A me, D. de leg. 2. & l. 5. de dote præleg. *Tandem de fructibus quaſi dotis marito bonæ fidei, ad* l. 42. §. 1. D. ſolut. matrim.

1 NEc dum manum de tabula, donationum, relictorum teſtamento, & dotium inter injuſtos conjuges; quin potius cum in ſingulis ejuſce diſputationis partibus pleraque expoſuerimus, indicta hactenus, ad quæ, & ad rectam ſimul Juris rationem redigere, & cenſere, liceat, multa in hac eadem re, à multis neque explicite, neque apte ſcripta, mittimus, ne moremur lectorem, examinandi, & recenſendi avidum, ad ſcrinia Bartoli, aliorumque in *l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* & in *l. ultim. D. de cond. cauſ. data.* Queis reſpondent gloſſæ, & Pontificii *ad tit. de donat. inter.* D. Præſ. Covarr. *de ſponſal.* 2. *part. cap.* 6. §. 8. *ex num.* 21. *& cap.* 7. §. 1. *num.* 7. *&* 8. Roder. Suar. *ad l.* 1. *tit. de conjugalibus lucris lib.* 3. *fori, ex num.* 1. Coſta *in cap. ſi pater*, verbo, *Uxorem, ex num.* 5. *de teſtam. in* 6. P. Barboſa *in l. ſi cum dotem* 22. §. *ultim. num.* 19. *& ſeqq. D. ſolut. matrim.* P. Sanchez *de matrim. lib.* 6. *diſp.* 2. *&* 20. Fontanell. *de pact. nupt. clauſ.* 4. *gloſſ.* 1. *ex num.* 65. Ar. de Meſa 2. *var. cap.* 40. *ex num.* 6. *& lib.* 3. *cap.* 22. P. Molin. *de juſt. tractat.* 2. *diſp.* 200. Marta *ad rubric. ſol. matr. quæſt.* 14. *n.* 3. *& ſeqq.* Thom. Anell. Salernit. *deciſ.* 2. atque illic Thoro *in addit.* Tancred. Siculus 6. *de matr. diſp.* 2. *&* 20. Aug. Barboſ. *in collect. ad dict. l. Qui contra, ex num.* 3. Cujac. *in recitat. ad l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ ut indign. & ad Papin.* 1. *definit. in l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt.* atque alibi ſæpe. Briſſon. *de jure connubior. p.* 48. Scip. Gentil. *de donat. inter. lib.* 4. *cap.* 2. *& ſeqq.* Alberic. Gentil. *de nupt. lib.* 2. *cap.* 25. *& lib.* 3. *cap.* 12. Hottoman. *conſil.* 80. *num.* 3. *& conſ.* 116. *num.* 7. Bened. Pinell. *lib.* 1. *ſelect. cap.* 6. *num.* 1. *&* 53. *cum ſeqq.* Ant. Fab. *de error. deciſ.* 79. *err.* 4. & obiter minus ex profeſſo alii non pauci, ac præ aliis diſcrete, ſuo more, & conſpicue D. Joſephus Fern. Retes *de donat. inter. cap.* 2. *n.* 2. *& ſeqq.* cum quo tamen æternum noſtro, ut non in omnibus, in hac re idem ſentio, ita eum ſibi res ſuas habere, bona, ut dicitur, gratia, jubeo.

2 Excerpimus porro inter alia ad uſum noſtri Juris, & fori, illud in primis non ſubticendum, quod proditum eſt in *l.* 50. *tit.* 14. *p.* 5. mulierem conſciam impedimenti conſanguinitatis cum Titio, eique ignoranti nubentem, & dotem dantem, non poſſe eam repetere, nec maritum bonæ fidei reddere cogi, quinimo retinere, & lucrari, Fiſco excluſo, quamvis ſi uterque conſcius impedimenti fuiſſet, dos Fiſco cedere, ut ex collatione *d. l.* 50. *&* 51. quæ ſequitur, docent, deducuntque apud nos, approbatam Regiis his legibus Azonis traditionem, in *rubric. Cod. de condict. ob. cauſ. dat. n.* 5. & Accurſii *in d. l. Qui contra*, verbo, *Fiſco, in princip. Cod. de inceſt. nupt.* affirmantes. Gregor. Lupus *in dict. l.* 50. *gloſſ.* 2. Suarez *in dict. l.* 1. *de conjug. lucr. num.* 30. Coſta *in dict. cap. ſi pater, verb. Uxorem, num.* 5. P. Barboſa *in dict. l. ſi cum dotem* 22. §. *ult. num.* 30. Sanctius *d. lib.* 6. *diſp.* 2. *num.* 5. Matienço *in l.* 2. *gloſſ.* 1. *num.* 5. *tit.* 9. *lib.* 5. *Compil.* Molina *d. diſp.* 200. *verſ. Utrum autem*, & diſcrepare inde jus ſeptempartitum à Cæſareo in hac re, agnoſcens D. Præſes Covarr. *de ſponſal.* 2. *p. cap.* 7. §. 1. *num.* 8.

Ego autem diſcrepantiam hanc Regiæ legis à 3
Romano Cæſareo Jure, ejuſdemque ratione, & regulis diffiteri non poſſum, non modo ob generales deciſiones, dotem in illicitis nuptiis indiſtincte Fiſco addicentes, *l. Inceſtæ* 52. *l. Dote* 61. *D. de ritu nupt. l. Qui contra* 4. *l. ſi quis inceſti* 6. *verſ. Dos. Cod. de inceſt. nupt.* nec retinendæ dotis jus, ubi nuptiæ non fuerunt, marito etiam ignoranti, & decepto indulgentes, niſi pro ſuo uſucepit, ut in ſpecie Proculi non indigna, quæ ad rem expendatur, *l. Proculus* 67. *D. de jure dot.* ad quam multa Cyrillus, & alii Græci *lib.* 28. *Baſilic. tit.* 15. nec minus exerto ad rem *textu in Novell.* 22. *de nupt. cap.* 10. *Si vero ab initio. verſ. Inde neque lucrum:* ſed vel præcipue ex Juris ratione, qua attenta dos in nuptiis ſive juſtis, ſive injuſtis, non datur, ut, eis diſſolutis, mariti lucro cedat, ſed ut reſtituatur, *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dator. l.* 1. *&* 2. *D. ſolut. matr.* idcircoque quamvis mulieri ignaræ, innoxiæve illiciti conjugii, non eripi, ut indignæ, dotem, ſed tamquam proprium patrimonium ſalvum ſtare, aut reſtitui

merito

merito obtinuerit, *l. Præfectus* 63. §. 1. in fine, *D. de ritu nupt. l. Si tutor* 7. *Cod. de interd. matrim. l. Eum, qui* 18. *verſic. Cæterum, Cod. ad leg. Jul. de adulter. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dator.* tamen in viro abſurdum videtur, eum, utcumque inſcium, innoxiumque retinere, & lucrifacere dotem ex delicto, doloque uxoris, quæ impedimenti conſcia nupſit, contra regulam *l. Alterius* 49. *D. de regul. jur.* juncta *l. ſi filia* 5. *D. de divortiis. l.* 4. §. *Illa* 23. *D. de doli except.* & melioris conditionis eſſe quoad dotem in nuptiis injuſtis, quam foret, ſi juſtæ fuiſſent, contra rationem *l.* 3. §. 1. *verſic. Ne melior, D. de donat. inter*, quemadmodum eadem abſurdi ratione pupillæ, quæ tutori contra jus nupſit, quantumvis innoxiæ & deceptæ, non licet retinere donatum, ne melioris conditionis ſit, quam ſi juſte nupſiſſet, ſed quaſi indignæ Fiſcus eripit, *l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ultim. D. de donat. inter*, junctis ad eam traditis ſupra, in quo tametſi aliud placuerit novo Jure, quo indulgetur donati retentio pupillæ, poſt legitimos annos illicitis nuptiis abſtinenti. *dict. l. Qui contra* 4: *verſ. Exceptis, Cod. de inceſt. nupt.* Id tamen novum, correctoriumque jus ſtatutum in donatis, collatiſque eo animo, ut apud donatarium conjugem maneant, non eſt facile, aut temere producendum ad dotem, cujus præter naturam, atque intentionem dantis eſt, ſic conferri, ut maritus non reddat, ſed retineat. *l.* 1. *D. de donat. l.* 1. & 2. *D. ſolut. matrim. l. Cum quærebatur* 240. *D. de verbor. ſignif.*

4 Argumenta rei ſunt, idque ipſum, quod pertendimus de marito, utcumque innoxio, dotem ex artis regulis non lucrante, ſeu retenturo, proprie firmantia. Primum: quod hæc retentio, aut dotis lucri perſecutio tribuitur dumtaxat marito decepto contra mulierem decipientem, quoties, ſi nuptiæ conſtitiſſent, lucraturus ille dotem fuerat, vel ex pacto, aut ſtatuto dotis, aut partis ejus lucrandæ, vel ex antiquo Jure, quia dos adventitia erat. *l. A Divo Pio* 58. *D. de ritu nupt.* de qua ex profeſſo ſupra, idque extra ordinem, dataque utili actione, æquitatis intuitu, aut retentione *in caſibus, in quibus dotem vel in totum, vel in partem, ſi conſtabat matrimonium, fuerat lucraturus.* Ut, taxative veluti, ſcriptum eſt in *l. penult.* §. *ult. D. quod falſo tutore* (cujus mirabilem ſpeciem, [illegible], vocat innominatus Scholiaſtes in *Baſilicis lib.* 28. *tit.* 4. *ad l. Inceſtæ* 52. *D. de ritu nupt.* & exponit proprie Cyrillus *ad lib.* 38. *tit.* 6. *in dict. l. penult.* §. *ultim.*) & proinde non extra eos caſus, ſive non ubi nulla pacti, aut ſtatuti dotis lucrandæ ratio, neque alia, præter ignorantiam mariti. Secundum, quod de fructibus dotis, quos in quocumque matrimonio juſto mariti lucro cedere conſtat, *l. Dotis* 7. *D. de jure dot. l. Pro oneribus* 20. *Cod. eod. tit.* in matrimonio tamen non juſto, virum, utcumque innoxium, & bonæ fidei, non adquirere eos pleno jure mariti, ſed minore, & ad inſtar, modumque bonæ fidei poſſeſſoris, reſpondit Papinianus in *l. In Inſulam* 42. §. *Fructus, D. ſolut. matrim.* non valde aliter reſponſurus (niſi ſiniſtre omnino ratiocinamur) quoad dotem ipſam, quæ mariti lucrum eſſe non ſolet, multoque minus daturus ei, qui maritus non eſt, quantumcumque innoxius ſit, non modo plenius jus, quam bonæ fidei poſſeſſoris, ſed & quam, ſi maritus juſtus eſſet.

5 Hæc cum ita ex cenſura Juriſprudentiæ Romanæ fuerint, agnoſcimus tamen Septempartiti Regii Juris concinnatores, ſive accepta latius ſententia *dict. l. A Divo* 58. *dict. l. Qui contra* 4. *verſ. Exceptis*, ſive exemplo patriarum fori *legum* 4. *tit.* 6. *lib.* 3. & *l.* 1. *tit.* 8. *lib.* 4. *fori*, ſive denique benigne in dote mulieri noxiæ non reſtituenda, & marito pro oneribus matrimonii data, ideoque quoad maritum, etiam quando ea lucratur, non lucrativa, argumento ex *l.* 1. §. *ſi vero, Cod. de impon. lucr. deſcript.* juncta *l. Ex promiſſione* 19. *D. de obligat. & act.* ei innoxio potius, quam Fiſco faventes, ſupra ſcriptum jus induxiſſe, cui & ſtandum apud nos eſt, quamvis utpote abnorme, & correctorium priſci moris, & juris, non porrigendum temere ad conſequentias. *l. Quod vero* 14. *D. de legib. l. Præcipimus* 32. in fine, *Cod. de appellat.* niſi forcaſſe ad ſpeciem, quam ſubjungimus, per comprehenſionem magis, quam extenſionem.

6 Plane ex propoſitis commodiſſima tranſitio, ut Cicero loquitur, & illatio eſt ad *arrhas Hiſpanicas*, quæ, ut ſuperiori capite expreſſimus, in locum donationum propter nuptias noſtris moribus ſucceſſerunt, itemque ad *antefata Neapolitana*, ſeu *dotaria Sicula*, ſuccedanea ſimiliter priſcis donationibus propter nuptias; & *antephata* fortaſſe dicta, levi vocis depravatione, quaſi *antipherna*, ſeu *contradotes*, quo nomine donationes propter nuptias vocantur, in *l. ultim. verſ. Quare, Cod. de donat. ante nupt.* junctis ad rem de utroque traditis, poſt innumeros, laborioſe à Cutellio *de donat.* 1. *tom. tract.* 1. *diſc.* 1. *ex num.* 7. & *diſc.* 3. *part.* 3. *ex num.* 5. & 22. Jo. Domin. Taſſon. in *Pragmat. de anteſ. verſ.* 4. *obſerv.* 4. *ex num.* 3. Fr. Maria Prato 2. *tom. diſcept. for. cap.* 36. *num.* 3. & 9. In hiſce itaque Arrhis, Antefatis, Dotariis, & ſimilibus varie, pro aliarum Gentium moribus, nuncupatis, receptiſque, & à maritis in uxores matrimonii contemplatione collatis, indubitati juris eſt, eas inter illicitos conjuges, ſcientes, prudenteſque contra nuptiarum prohibitionem peccantes, cadere in Fiſcum, ſeu confiſcari ad inſtar dotium caducarum, & donationum propter nuptias, ex *dict. l. Qui contra* 4. *l. Si quis inceſti* 6. *Cod. de inceſt. nupt. l. Inceſtæ* 52. *l. Dote* 61. *D. de ritu nupt.* Idque apud nos in arrhis expreſſum eſt, in *l.* 51. *tit.* 14. *part.* 5. & è contrario ſi ignorantes, innoxiique fuerint impedimenti inter eos nuptiarum, immunes eſſe à pœna confiſcationis, *dict. l. Qui contra* 4. *verſ. Exceptis.* Cæterum arrhas, antefata, dotaria, quia ſine matrimonio non conſiſtunt, virum, qui donavit, condicere, ſicut eodem caſu mulier dotem repetit, ex ſententia *l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dator. Novell.* 22. *de nuptiis. cap.* 10. *Si vero ab initio, verſ. Unde neque lucrum. l. Si voluntate* 7. *Cod. de donat. inter.* junctis *l. Si cum dotem* 22. §. *ultim. D. ſolut. matrim. l.* 3. *Cod. eodem tit. l. Lucius* 27. *D. depoſiti, cap.* 2. *de conjugio ſerv.* utrumque ita, poſt *gloſſam* de donatione propter nuptias, in *cap. Et ſi neceſſe* 5. verbo, *Reſtitui, de donat. inter*; quoad arrhas Petr. Barboſ. in *l.* 2. *in princip. part.* 1. *num.* 158. *D. ſolut. matrim.* P. Sanctius *de matrim. lib.* 6. *diſp.* 20. *num.* 3. *verſ. Arrhas*, & quoad antefatum Andr. Molfeſ. *ad conſuet. Neap.* 1. *tom. part.* 7. *quæſt.* 7. *num.* 16. Taſſon. *de anteſ. verſ.* 4. *obſervat.* 4. *num.* 67. & in eadem facti ſpecie deciſum referentes, Thom. Anell. *deciſ.* 2. *num.* 3. 14. & 25. Vincent. de Franchis *deciſ.* 52. *num.* 9. & 10. Joann. Ant. Lanar. *conſ.* 86. *num.* 3. Denique in Siculo dotario, Giorba *ab conſuet. Meſſan. cap.* 16. *gloſſ.* 2. *num.* 14. Secundum quæ jam, etſi vir ſolus impedimenti nuptiarum ſciens, nocenſque mulieri ignaræ, & innoxiæ arrhas, ſive antefata contulerit, cedere eas mulieris lucro, neque à Fiſco eripiendas, neque reſtituendas viro, recte apud nos defenditur, & quidem argumento à majore ad minus, nempe à dote, quæ, quamvis ſui natura non datur, ut maritus eam lucretur, relinquitur tamen ei decepto, & innoxio, in *dict. l.* 50. *tit.* 14. *part.* 5. & proinde multo magis arrhæ mulieri, quarum datio eo jure fit, ut uxor, ejuſque hæredes lucrifaciant, *l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 3. *fori. l.* 51. *Tauri*, ac præterea arrhæ ita ad inſtar veteris donationis propter nuptias, doti reſpondent, *l.* 1. *tit.* 11. *part.* 4. *l.* 51. *tit.* 14. *p.* 5. ut ſtatutum, quamvis enorme in dote, *dict. l.* 50. non tam extendi ad arrhas, quam eaſdem complecti, intelligatur. Sane in ſpecie ita docet, quamvis arrhas cum ſponſalitia largitate miſcens, & perplexe, ut ſolet, Barboſa in *dict. l. Si cum dotem* 22. §. *ult. num.* 16. neque explicite magis, Ar. de Meſa *lib.* 3. *var. cap.* 2a. *num.* 10. & in antefato diſtinctius Thom. Anell. *d. deciſ.* 2. *num.* 11. expenſis recte ad rem, *l. A Divo* 58. *D. de ritu nupt. l. penult.* §. *ult. D. quod falſo tutor.*

7 Jam & ut ab Hiſpanicis arrhis ad ſponſalitias ar-

rbas Romani Juris tranſeamus, quas dari, & eſſe fidei, inter ſponſus oppignoratæ, veluti ſymbola, & argumenta, *l. unic. Cod. ſi nuptiæ ex reſcr. pet. l. Patri 6. Cod. Theodoſ. de ſponſal.* & à noſtratibus arrhis differre, liquet vel ex *dict. l. 1. tit. 11. part. 4. l. 84. verſic. E porque, tit. 18. part. 3.* ſi inter ſponſos, quorum non modo nuptiæ, ſed etiam ſponſalia prohibita, juxta *l. ſi quis tutor* 60. *§. Quamvis, D. de ritu nupt.* arrhæ interceſſerint, & quidem à ſciente prohibitionem ſcienti datæ, ac deinde nuptiæ illicitæ ſecutæ ſint, non dubitaverim, confiſcari eas debere, ex generali regula *l. Qui contra* 4. illic: *Sive ante nuptias donatum, ſive deinceps quoquo modo, l. ſi quis 6. Cod. de inceſt. nupt. l. Cum hic ſtatus* 32. *§. ultim. D. de donat. l.* 51. *tit.* 14. *part.* 5. Dignuſque in eo cenſoria nota, poſt Panormitanum, Antonius de Butrio in *cap. Etſi neceſſe* 5. *num.* 10. *&* 11. *de donat. inter*, ſentiens, ſponſalitias arrhas in illicitis nuptiis repetere poſſe eum, qui dedit, etiamſi uterque conjux conſcius illiciti conjugii fuerit, quales in eo textu fuiſſe, idem Butrius agnoſcit, & oſtendimus ſupra; è contrario, ſi ignari, innoxiique prohibitionis nuptiarum ſponſi fuerint, aut ſi nuptiæ dumtaxat, & ad tempus, non etiam ſponſalia prohibita, ut in *l. ſi quis officium* 38. *D. de ritu nupt. l. Solet* 10. *§.* 1. *D. de his, qui not. infam.* arrhæ non confiſcantur, *dict. l. Qui contra* 4. *verſ. Exceptis.* ſed redduntur ei, qui dedit, tamquam ſine cauſa datæ, ſive quia cauſa, ob quam datæ ſunt, non ſecuta, *dict. Si quis officium* 38. *in fine principii.* juncta regula *l. 1. Cod. de condict. ob cauſ. dat. l. ſi voluntate 7. Cod. de donat. inter.* Idemque eſt, etſi perpetua tam nuptiarum, quam ſponſalium prohibitio fuerit, & arrhæ etiam à prohibitionis conſciis datæ ſint; namque & tunc redduntur, non confiſcantur, ſi modo prohibitæ nuptiæ facto ipſo non attentatæ, non ſequutæ; eaque ſententia eſt *l. Mulier 5. verſ. Quæ ita*, ubi Albericus, aliique contra Accurſium, *Cod. de ſponſalib.* exponenda, illuſtrandaque ex Papiniano in *l. ultim. in princip. & §. 1. D. de condict. ſine cauſa*; ſed etſi poſt ſponſalitia licita, illicitæ nuptiæ ſecutæ, ſciente dante, & ignara tamen, aut innoxia ſponſa, quæ arrhas accepit, licere ei renuntiare ſponſalibus, & retinere arrharum pignora lucrativa, expreſſum creditur in *l. unic. verſic. Sed extrinſecus, Cod. ſi Rector. Prov.* juxta ejus interpretationem, cujus meminimus ſupra. Ex ſuffragantur tradita nuper de anteſato, ex *l. A Divo* 58. *D. de ritu nupt. l. pen. §. ult. D. quod falſo tut. d. l. Qui contra* 4. *verſ. Exceptis.*

8 Proximæ arrhis cum ſint ſponſalitiæ largitates, ſeu dona, quæ inter ſponſos, mutuæ benevolentiæ, & affectus teſtationes veluti, & pignora ſunt, & Romanis, noſtriſque legibus lucrifieri pro dimidia à ſponſa, *oſculo interveniente, & in ſolidum*, poſt conjugalem copulam ſolent. *l. ſi à ſponſo* 16. *Cod. de donat. ante nupt. l.* 3. *tit.* 11. *part.* 4. *l.* 5. *tit.* 2. *lib.* 3. *fori. l.* 52. *Tauri*, hodie *l.* 4. *tit.* 2. *lib.* 5. *Compil.* proximum etiam eſt, ſponſalitia ea munera, inter ſponſos, illiciti conjugii ſcientes, nocenteſque, Fiſco vindicanda, & è converſo inter ignorantes, vel ſi ſponſa, quæ accepit, conſcia illiciti conjugii ſit, repeti ab eo, qui dedit, poſſe, niſi tamen ſponſa acceperit ignara, innoxiave prohibitionis conjugii, ejuſque pudicitia oſculo delibata, ſeu reſignatus pudor ſpiritu, ut Tertullianus alibi loquitur *de veland. virgin.* multoque magis, ſi non oſculo tantum, ſed etiam conjugali concubitu uxor fuerit; his enim caſibus humanum eſſe, lucrari eam pro dimidia, aut in ſolidum lucrari ſponſalitia dona, quaſi quæ pudicitiæ præmio ceſſerint; argumento ex *l. Res uxoris* 24. *Cod. de donat. inter.* docet, poſt Joannem Lupum, Barboſa in *dict. l. ſi cum dotem* 22. *§. ultim. num.* 16. *&* 17. *ſolut. matrim.* &, poſt noſtrates alios diſtincte ſingula, quæ expreſſimus firmans, P. Sanctius *de matrim. lib. 6. diſputat.* 20. videndus eſt Borgninus Cavalcan. *deciſ.* 18. *a.* 10. *&* 23. *p.* 2.

9 Subſiſtendum tamen parumper; obſtat enim, ad hanc ſpeciem proprie pertinens, Valeriani, & Gallieni Cæſarum Conſtitutis in *l. Eum, qui duas* 18. in fine, *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* cujus pars eſt, *l. Ea, quæ* 5. *Cod. de donat. ante nupt.* quas illaudatas, an & inviſas, permitti Barboſæ, Sanctio, & aliis, ſane quam mirum; & queis expreſſum eſt, mulierem non modo ignaram, innoxiamque, ſed etiam deceptam ficto cælibatu ab eo, qui aliam uxorem domi reliquerat, & nuptiarum prætextu ſtuprum paſſam; non poſſe cum effectu petere ſponſalitia munera, promiſſa eidem à deceptore ſponſo, tamquam ſponſæ, & proinde non cedere ejus lucro, utcumque innocens, & decepta fuerit, & quamvis pudicitiæ diſpendio ceſſerint. Quod ſane, ut, quod res eſt, fateamur, non dumtaxat obſcurum, ſed & ſubdurum, aut abſurdum eſt, diſplicuitque adeo Græcanici novioris Juris concinnatoribus, ut in *Baſilicis lib. 28. tit.* 3. & apertius in *Synopſi*, ſive *Ecloga lib. 28. tit.* 4. quoad ſententiam *d. l. Ea, quæ* 5. ſic eam interpolent, & exprimant, uti in ſpecie, & verbis, *ea quæ tibi ut ſponſæ daturum ſe promittit*, adjiciant, ſuppleantque, *& dederit*, καὶ δῶσι, & in ſententia, ſeu deciſione, invertatur ea omnino, mutetur que relata ad eum, qui tamquam ſponſus, & deceptor dedit, & reſpondeatur, eum repetere non poſſe, οὐ δύναται ταῦτα ἐπαναλαβεῖν, verba Baſilici contextus ſunt: *Si quis uxorem habens, aliam ſollicitaverit ad nuptias, quaſi ſcilicet uxorem non haberet, eamque ſibi deſponderit, & quædam ſponſalitiorum nomine daturum promiſerit, & dederit, ſi nuptiæ ſequutæ non ſint, ea repetere non poteſt.* Agnoſcit autem Latini è Juſtinianeo Codice textus interpolationem hanc Græcus Scholiaſtes, *dict. lib.* 28. *Baſilic. tit.* 3. *in dict. l.* 5. dum ſcribit, antiquum textum aliter habuiſſe, quo dicebatur, *mulierem, quæ tamquam à ſponſo ſtipulata fuerat, non potuiſſe petere, ſive exigere*, ἀπαιτεῖν, *quod ſponſalia non conſtitiſſent.* Agnoſcunt & Baſilica ipſa, quæ *lib. 60. tit.* 37. dum integram ſententiam *d. l. Eum, qui duas* 18. *Cod. ad leg. Jul. de adult.* ſummatim exhibent, affirmant, deceptorem ſponſum redditurum quidquid à ſponſa innoxia, quaſi maritus acceperit, non tamen ea, quæ illi ipſe tamquam ſponſus promiſit; atque ita de promiſſis dumtaxat eſt, & ea ſponſam petere cum effectu non poſſe, ſtatuunt appoſite ad Latinum textum, *dict. l. Eum, qui duas* 18. in fine, *dict. l. Ea, quæ* 5. nec, ut opinor, harum commutationum, & diſcrepantiæ inter Baſilica ipſa, & Juſtiniani auctographos textus, alia cauſa, aut occaſio, niſi, ut jam inſinuavi, durities illa, primo adſpectu non levis, quam continet excluſio mulieris innoxiæ deceptæ, & ſtuprum paſſæ, à lucro ſponſalitii muneris, quod tam pretioſo pudicitiæ, & ſanguinis damno ei ſtetit, & apud deceptorem, tamquam doli præmium relinquitur, ex *dict. l.* 5. *& dict. l.* 18.

At, ut memoratarum *legum* 5. *&* 18. potius pro captu interpretes, quam cenſores ſimus, apparet, junctis jam, & collatis Juſtiniani, & Baſilicorum Archetypis, cum quæritur de lucro ſponſalitiorum munerum inter ſponſos illicitos, ſed quoad ſponſam ignaram, innoxiamque, diſtingui, oportere; quippe ſi munera non tantum promiſſa, ſed etiam data ſint, lucratur ea ſponſa, dum retinet, nec dumtaxat pro dimidia poſt oſculum, aut in ſolidum poſt concubitum, ſed etiam ſine his, & in ſolidum, ſi modo ſponſus ſciens illiciti conjugii dederit, quia iſte repetere non poteſt; idque eleganti illa ratione, quam Synopſis exprimit, *quoniam ſi ſponſalia conſtitiſſent* (inconſpecte Latinus Interpres *d. lib.* 28. *Baſil. tit.* 3. pro illis verbis: εἰ μὴ γὰρ ὑμέναιος συστῇ, vertit, *nam ſi nuptiæ conſtitiſſent*) *& nuptiæ ſecutæ non fuiſſent, repetitio locum haberet. Nunc autem rei turpitudo, & ſponſalia conſtare, non patitur, & turpem facit cauſam ejus, qui dedit; nam dedit ob illicitas nuptias, in illicitis autem nuptiis repetitio locum non habet.* Junge *l. ultim. in princip. & §. ultim. D. de condict. ſine cauſ.* Sin autem ſola promiſſio munerum ſponſalitiorum, non datio interceſſerit, ſponſam, utcumque innoxiam deceptam, & ſtupro læſam lucrari ea munera, & petere cum effectu, Juris ratio non patitur, & quidem recta, tametſi ſtricta, ſummaque,

maque, ſive quia eum promiſſa ſint, tamquam ſponſæ ei, quæ ſponſa eſſe non potuit, ſive ſponſalium nomine, quæ illicita, & turpia fuerunt, petenti actione ex ſtipulatu ex ea promiſſione, obſtabit exceptio doli, ſive in factum, quoniam ob turpem cauſam promiſſum petitur, ut in *l. penult. in princip. D. de condict. ob turp. cauſ. l. Mercalem* 5. *Cod. eodem tit.* ſive potius quia promiſſa, tamquam ſponſalitia, & quaſi ſponſæ, habent tacitam veluti conditionem ſponſalium, *l.* 1. §. *ultim. D. de donat. l. ſi filiæ* 10. *l. Cum veterum* 15. *Cod. de donat. ante nupt.* ſicut dos nuptiarum, *l. Plerumque* 10. §. *ſi ante. l. Stipulationem* 21. *D. de jure dot.* ideoque eis non ſecutis male petuntur ab ea, quæ ſponſa non fuit; ſeu cum effectu non petuntur, *dict. l. Ea quæ* 5. *dict. l. Eum qui* 18. in fine, juncta *l.* 4. §. *Hujus, D. de pact. l. Promittendo* 41. §. 1. *D. de jur. dot. l.* 1. *Cod. de condict. ob cauſ. dat. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ſi quis ſponſam, D. de donat. inter.* neque ei etiam deceptæ ſuccurritur, ut ſponſalitia hæc lucra exigat, quamvis viro decepto ſubveniatur, quoad lucrum dotis, *l. A Divo Pio* 58. *D. de ritu nupt. l. penult.* §. *ultim. D. quod falſo tut.* quia id lucrum in marito, etiam non juſto, & tamen innoxio, oneroſam cauſam habet: *l. unic.* §. *ſi vero, Cod. de impon. lucr. deſcript.* juncta *l. Proculus* 67. ubi *gloſſ. ult. D. de jure dot.* quæ utique ratio non viget in ſponſalitia promiſſione; jungenda his tradita ſupra. Plane juxta hanc diſtinctionem accipienda, & taxanda ſunt, quæ de lucrandis ſponſalitiis in matrimonio illicito, à ſponſa inſcia, & decepta tradidere indiſtincte Barboſa, Sanctius, & ſi qui alii jam laudati, nempe ut lucretur data, & retineat, non item ut dumtaxat promiſſa petere poſſit: cenſuitque recte ita Accurſius noſter in *dict. l. Ea, quæ* 5. verbo, *Non potes, & in dict. l. Eum, qui* 18. verbo, *Sponſa.*

11 Sed & ut à prælodiis hiſce nuptiarum, arrhis, & ſponſalitiis, ad dotes, eiſque adjacentia, aut conſectanea tranſeamus, occurrit primum in hoc genere quod traditum eſt in illicito conjugio, quaſi maritum nec fruiturum privilegio, ne judicio de dote condemnetur, ultra quam facere poteſt, *cap.* 1. illic, *totam dotem*; ubi poſt Panormitan. & alios, Henricus Caniſius *num.* 2. & *cap.* 3. *de donat. inter.* juncto electo, & fortaſſe proprio ad rem textu *ind. l. Eum, qui* 18. ibi: *Reſtitui tibi omni exactionis inſtantia, Cod. ad leg. Jul. de adult.* imo nec diſſimiliter expendenda *l. Intereſt* 18. illic: *Solidum conſequi.* juncta *l. præcedente* 17. §. *ultim. D. de reb. auctor. Jud. poſſid.* nec retentione quaſi dotis ob impenſas utiles, *l. Dote* 61. *D. de ritu nupt.* docent, hæc, & ſimilia pleraque plenius firmantes, Tiraquell. poſt *leg. Connub. gloſſa* 8. *num.* 237. & *ſeq.* Roder. Suar. *ad l.* 1. *tit. de conjugal. lucr. num.* 9. & *ſeqq.* & laudati à Valdeſio illic, in *additionibus.* D. Præſ. Covarruv. 2. *part. de ſponſalib. cap.* 6. §. 8. *num.* 24. & *ſeqq.* Barboſa in *l. Maritum* 13. *num.* 43. & in *dict. l. ſi cum dotem* 22. §. *ultim. num.* 18. & 19. *D. ſolut. matr.* Giurba *ad conſuetud. Meſſan.* 1. *p. cap.* 16. *gloſſ.* 2. *num.* 10. 18. & 22. *cum ſeq.* Ar. de Meſa 3. *var. cap.* 22. *num.* 13. & *ſeq.* Fachin. *lib.* 10. *controv. cap.* 30.

12 Verum quoad duo hæc ſaltem, quæ expreſſimus, & expediendis, componendiſque in contrarium nitentibus apud Tiraquellum, & alios non paucis, obſervandum eſt, obtinere ea, quæ diximus in marito, illiciti conjugii conſcio, & nocente; hic enim proprie indignus privilegio; non exſolvendi ſolidi. *dict. l. Eum, qui* 18. Optimus in propoſito *textus in l. ſi rerum* 52. *D. de re judic. l. ſi mulier* 21. §. *ultim. D. rer. amotar.* quia reverentiæ maritalis ratio, qua privilegium nititur, *l. Alia* 14. §. 1. *D. ſolut. matrim.* ceſſat in marito noxio, & contra jus marito. *l. ſi uxor* 13. §. *Sed etſi ea, &* §. *ſi quis* 6. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. ſi concubina* 17. juncta *l.* 2. *D. rer. amotar. l. Senatoris* 47. *cum l. ſeq.* §. 1. *D. de ritu nupt. l. unic. D. unde vir, & uxor.* Idque ipſum eſt in retentione, ob impenſas utiles. *dict. l. Dote* 61. de qua poſtea. Cæterum ſi maritus inſcius, inſonſque ſit illiciti utcumque conjugii, poſſe eum uti retentione quaſi dotis ob impenſas utiles, atque ita eas ſibi per exceptionem doli ſervare, expreſſum eſt in *l. Etſi quid* 23. (ubi agnoſcunt Accurſius, Bartolus, Cujacius, & alii, refragante incaſſum Barboſa, & ad neceſſarias expenſas coanguſtante illic *num.* 10.) & expreſſum magis Barboſæ refellendo in *l. In Inſulam* 42. §. 1. *verſ. Sumptus*, verb. *Neceſſarios, & utiles, D. ſolut. matrimonio.* Et ſimiliter ſi maritus, connubii illiciti innocens, ad reddendam quaſi dotem Fiſco, aut uxori, etiam perinde ignaræ, & innoxiæ urgeatur, benignius, veriuſque cenſuerim, non negandum marito beneficium, ne condemnetur ultra quam facere poſſit, tum exemplo lucri dotis in marito decepto, *dict. l. A Divo* 58. *D. de ritu nupt. l. penult.* §. *ultim. D. quod falſo tutor.* tum quia etiam in non decepto, ſed tantum innoxio, & ignaro privilegium ſolidi non extorquendi, habet reſpectum quemdam æquitatis, æqualitatiſque inter conjuges, *l. Non tantum* 20. *D. de re judic. l. Ex diverſo* 17. §. 1. *D. ſolut. matrim.* Ut proinde quemadmodum innoxiæ, quaſi uxori, privilegia exactionis in dote, etiamſi neque dos proprie ſit, nec de dote actione petatur, indulgentur, *l. ſi cum dotem* 22. §. *ultim. D. ſolut. matr. l. ſi ſponſa* 74. *D. de jure dot. dict. l. Quæſitum* 17. §. *ultim. D. de reb. auct. Judic. poſſid.* ita & indulgendum innoxio quaſi marito ſit privilegium, ne condemnetur ultra quam poſſit facere, ex ratione *dict. l. Non tantum* 20. in fine, etiamſi alia, quam dotis actione dos petatur. *l. ſic pro rata* 27. §. *ultim. D. de Religioſ. & ſumpt. fun. l. Eum, qui* 30. §. *ſi mulier, D. de jure jur.* juncta *l. ſi filio* 53. *D. ſolut. matrim. l. Qui id, quod* 33. *D. de donat.* atque etiamſi à Fiſco. *l. ſi maritus* 36. *D. ſolut. matrim.* quibus in terminis, ſcilicet de mariti innoxii privilegio, ſentiunt non male, atque ita exaudiendi, id ei tribuentes, gloſſa, & Præpoſitus in *dict. cap.* 1. *de donationib. inter*, & laudati à Tiraquello, & Suario ſupra.

13 Nec movemur expenſis in contrarium nuper verbis, *ſolidum conſequi, dict. l. Intereſt* 18. *D. de reb. auctor. jud.* quibus innuitur, ſponſam, etiam nondum uxorem, adeo privilegiariam eſſe in dote, contra quaſi maritum, ſive ſponſum non illiciti matrimonii reum, ut debeat ſolidum conſequi, & conſequenter integram dotem ſine metu exceptionis ſolidi, à marito non extorquendi: quippe quamvis Cujacius apud Gothofredum in *dict. l.* 18. inopinata, & extra rem, ut videtur, ſolidi mentione perculſus, legat, reponatque, *ſuam dotem*, nato, ut putat, ex notis, ſive ſiglis S. D. M. errore, certius tamen omnino eſt, retenta recepta lectione, quam contra Cujacium firmant *Baſilica lib.* 9. *tit.* 7. *in d. l.* 18. inibi: ὁλόκληρον ἀπαιτεῖν, mentionem conſequendi ſolidi, non eo referendam eſſe, aut reſpicere, ut à marito ſolidum, ſive ultra, quam facere poſſit, exigatur, ſed eo potius, ut reſpectu aliorum creditorum quaſi mariti, qui ſolvendo non eſt, ſponſa ſolidum conſequatur, dum eis privilegio dotis præfertur, quibus ſi non præferretur tamquam privilegiaria, non ſolidum conſequeretur, ſed pro rata, ſive in tributum cum illis tamquam chirographaria veniret. *l. Pro debito* 6. *Cod. de bonis auctor. jud. poſſid. l. ſi hominem* 7. §. *ult. D. depoſiti.*

14 Quin nec magis movemur, aut turbamur, argumento ex *l. ſi concubina* 17. *D. de act. rer. amot.* dum docetur inde, aut deducitur, rerum amotarum actionem, quæ in locum furti actionis ceſſantis, ob honorem matrimonii inter conjuges inſtituta eſt, *l.* 1. & 2. *D. & l.* 2. *Cod. rer. amotar. l. ultim.* §. *ultim. Cod. de furt.* ceſſare, ubicumque matrimonium ceſſat, ſive illicitum eſt, veluti cum pupilla tutori ſuo nupſit, *quia competit furti* (ſic enim illic corrigit ex ingenio, Faber *de error. deciſ.* 79. *err.* 3. ſuppleta voce, *furti*, in fine principii *dict. l. ſi concubina* 17. & translatis verbis, *Divortii cauſa*, ad initium §. 1. qui ſequitur; & ſane dextro Apolline, ſuffragantibus, quæ non vidit, *Baſilicis*, in quibus *libr.* 28. *tit.* 11. in textu, & apud Scholiaſtem perinde legitur, ἐπειδὴ φοῦρτι ἁρμόζει, *quia furti competit*, & plera-

que verba, *Divortii cauſa ad* §. 1. transferuntur) & conſequenter etiam pupillæ illiciti conjugii innoxiæ, *l. Qui contra* 4. *verſ. Exceptis*, *Cod. de inceſt. nupt.* conjugalis reverentiæ prærogativa, quæ rerum amotarum actionem inducit, & furti denegat, non indulgetur, ac proinde nec marito privilegium ſolidi non exſolvendi. Non inquam turbamur; diſpar enim utriuſque privilegii ratio eſt, quoniam in illo, ſolidi non exſolvendi, cum ſermo ſit de quaſi marito, qui neque in illicito conjugio, neque in eo, quod ſolvendo non eſt, deliquit, *l. Etiam* 18. §. 1. *D. ſolut. matrim.* æqualitatis inter conjuges, & miſerationis ratio, ſavorabilem privilegii extenſionem facit ad qualemcumque inſontem conjugem. *d. l. Non tantum* 10. *D. de re judic.* E contrario prærogativa non exercendæ actionis furti inter conjuges, cum ſolo matrimonii honore nitatur, qui in ea ceſſat, quæ uxor non eſt, & quamvis fuerit innocens illiciti conjugii, tamen amovendo deliquerit, & furtum fecerit, non eſt perinde ſavorabilis, aut amplianda ad hanc non conjugem, quoniam, ut alibi Tryphoninus, ex malo contractu, & delicto agitur. *l. Si rerum* 52. *D. de re judic.*

15 Enim vero quod ſupra expreſſimus, forenſem illam aſſertionem negatæ retentionis ob impenſas utiles quaſi marito, obtinere in marito, illiciti conjugii conſcio, & firmari in *l. Dote* 61. *D. de ritu nupt.* poſtulat ejus loci, perplexi alioquin, & ſubluſtris, non vulgarem illuſtrationem. Cui præmuniendæ animadverto, non eſſe in expedito, an in ea ſpecie, maritus ex caduca dote retinere ſibi impenſas utiles poſſit; quia quamvis Papinianus, dum neceſſarias impenſas ſolas excipit, exprimitque, quia dotem ipſo jure minuunt, excludere ſatis videatur, retentionem, deductionemve utilium, & firmare in his regulam in contrarium, argumento ex *l. Ex eo* 18. *D. de teſtib. l. Qui teſtamento* 20. §. *Mulier* 6. *D. qui teſt. fac. poſſ.* tamen ut Papinianus ſenſerit, utiles etiam deducendas, ſuadent verba illa deciſionis, *quod judicio de dote redditurus eſſet maritus, ſolvere debet.* Quippe obſervandum eſt apud Papinianum, & alios Juriſconſultos ante Juſtinianum, quamvis duæ potiſſimæ, & inſignibus inter ſe differentiis diſtantes, pro dote, ſoluto matrimonio repetenda, actiones eſſent rei uxoriæ, & ex ſtipulatu pro dote, *l. unic. Cod. de rei uxor. act.* §. *Fuerat* 29. *Inſtit. de act.* tamen ſimplici, & abſoluta judicii, ſive actionis de dote appellatione, deſignari, & intelligi ex mente veterum Juriſconſultorum, actionem rei uxoriæ, ſive quoniam ea proprie, & per excellentiam de dote actio erat, utpote quæ ipſo jure, ſine ſtipulatione, aut pacto pro re uxoria, ſeu dote competeret, & inducta fuit, teſte Boëtio in *Ciceronis Topica.* A. Gellio *lib.* 4. *noct. Atticar. cap.* 3. *l. Si divortio* 21. *D. de verbor. obligat. l. Avia* 6. *Cod. de jure dot.* ſive quia ſublata, & transfuſa in actionem ex ſtipulatu à Juſtiniano, actione rei uxoriæ in *dict. l. unic.* ſublata quoque eſt, aut omiſſa ejuſdem mentio, ubi apud Conſultos extabat, & ſubrogata communis nota actionis de dote à Triboniano, & adjuvis, ex præſcripto *l.* 1. §. *Sed & hoc. l.* 2. §. *Tanta* 10. *Cod. de veter. jur. enucl.*

16 Exempla, & documenta ejuſce obſervationis ſint; primum ex *l. Eas* 8. *D. de capite minut.* juncta *l. Sed etſi* 21. *in fine*, *D. ſolut. matrim. l. In bonæ fidei* 36. *D. de pecul.* ubi de dote actio, quæ inter conceptas in bonum, & æquum recenſetur, & bonæ fidei judicium dicitur, eſt actio rei uxoriæ, quæ non modo fuit bonæ fidei, ſicut ex ſtipulatu actio ſtricti juris, *d. l. unic.* §. *Sed etſi non ignoramus*, *Cod. de rei uxor. act. dict.* §. *Fuerat* 29. *Inſtit. de act.* ſed & concepta in id, *quod æquius melius*, ex priſca illius formula. *l. Si cum Cornelius* 82. *in fine*, *D. de ſolut. l. pen.* §. *ult. D. ſol. matr.* Cicero 3. *officior.*

17 Secundum, ex *l.* 2. §. 1. *D. ſolut. matr. l. Titia* 34. §. *Qui invita*, *D. de legat.* 2. in queis qualitas illa, quæ de dote actioni tribuitur, ſcilicet, ut communis ſit patris, & filiæ, pertinet ad actionem rei uxoriæ, cujus proprium hoc jus fuit diverſum ab actione ex ſtipulatu. *dict. l. unic.* §. *Et hoc* 14. Ulpianus *tit.* 6. *de dotibus*, §. *Divortio* 8. juncta Cujacii illic correctione.

18 Tertium, ex *dict. l. Titia* 34. §. *Qui invita. l. In Inſulam* 42. *l. Si ſocer* 44. §. *ultim. D. ſolut. matrim.* juncta *l. Pater* 14. *D. ad leg. Falcid. l. Si pater* 4. *D. de collat. dot. l. Filiusfam.* 8. *verſ. Sed & filiafam. D. de procur.* in queis quod ſupponitur, patre mortuo, vel deportato, actionem dotis ad filiam, etiam exhæredatam, jure proprio, aut præcipuo pertinere, obtinuit, referendumque eſt ad actionem rei uxoriæ, non autem ex ſtipulatu pro dote. *dict. l. unic.* §. *Videamus* 10. & §. *Et hoc* 14.

19 Quartum, ex *l. Ex diverſo* 17. §. *ultim. l. Etiam* 18. § 1. *D. ſolut. matrim. l. Divortio* 35. *verſ. Sed & poſtea*, *D. de negot. geſt. l. uxor* 55. *verſ. Et erit deterior*, ſi Cujacium illic ſequare 6. *quæſtionum Pauli*, *D. de donat. inter.* in quibus deſignatio judicii, ſive actionis de dote, in quæſtione de privilegio mariti, ne damnetur ultra quam facere poteſt. Et præterea mentio dotis reſtituendæ annua die in actione de dote, & prælegati dotis eam ipſam actionem cum repræſentationis commodo continentis, in *l.* 1. *in principio*, & §. *Et verum* 2. & §. *Adeo* 5. *D. de dote præleg. l. Si unus* 27. §. *Pactus*, *verſ. Quod & in ſpecie*, *D. de pact.* ſunt ex veterum Prudentum ſenſu exponenda de judicio, ſive actione rei uxoriæ, in qua utrumque id jus viguit, ſolidi a marito non exigendi, neque extorquendi illico, ſed annua, bima, trima die, ſi dos, pondere, numero, menſura contineretur (eique dilationi commodum repræſentationis in prælegata dote occurrebat) non autem in actione ex ſtipulatu. *d. l. unic.* §. *Cum autem* 7.

20 Quintum ex *l. Cum ab uno* 52. *D. de leg.* 2. in qua actionem de dote eſſe actionem rei uxoriæ, conſtat inter eruditiores, Cujac. *illic*, Fabrum *lib.* 1. *conject. cap.* 3. Schifordeg. *lib.* 2. *tract.* 13. *quæſt.* 4. & verba illa *pro dote compenſandi animo*, quæ quoniam rei uxoriæ actioni non congruebant, Triboniano Faber tribuit, exprimi, & reſpexiſſe effectum petendæ ab uno hærede dotis, & jam ultra portionem hæreditariam, obſervavimus pridem, & primi forſitan, quadraginta circiter ante annos Salmanticæ, in ipſis Profeſſorii muneris tyrociniis, & *Commentariis ad l. unic.* §. *Primum itaque*, *num.* 14. *Cod. de rei uxor. act.* poſteaque recenſuimus in *Academica recitatione de individuis*, ex qua noſtram in hac re notam, repertam forſitan in *adverſariis noſtris D. Guterrii Arguelli*, Romanæ Rotæ Auditoris, & deſignati Granatenſis Præſidis, laudat integriore fide, quam ſenſu doctus Pragmaticus Mercurialis Merlinus, poſt *tractatum de pignoribus*, *deciſ. Rotæ* 127. *num.* 12. integriore, inquam, fide, quam noſter olim in Academica Anteceſſura conſecraneus, ſibique commilitii quodam jure, hæc & alia ex ſcriptis noſtris adſcribens Ferd. Ar. de Meſa *lib.* 2. *var. cap.* 10. *num.* 15.

21 Sextum denique; & ad deductionem ex dote, ſeu retentionem ob impenſas utiles in actione de dote proprie pertinens eſt, ex *l. Omnino* 12. *D. de impenſ. in res dot. l. Sed etſi* 21. *D. ſolut. matrim.* Sicut ad retentionem ob mores pertinet quod extat, in *l. Lucius* 38. juncta *l. Cum mulier* 47. *D. ſolut. matrim.* & ad retentionem ob res donatas, quod traditur in *l. Si cum mulier* 50. *D. de donat. inter. l. Sin autem* 27. §. *ultim. verſ. Quod & in area*, *D. de rei vindic.* quibus tamen ſingulis locis intelligendam eſſe actionem rei uxoriæ, vel ex eo liquet, quia in ea dumtaxat locus erat retentionibus memoratis, non in actione ex ſtipulatu pro dote, *d. l. un.* §. *Taceat.*

22 Ergo ut & rem, & ratiocinationem ſupra cœptam pertexamus, cum in quæſtione de caduca dote reddenda Papinianus judicii de dote meminit, in *dict. l. Dote* 61. intellexit omnino actionem rei uxoriæ, & proinde, dum ſcripſit, maritum ſolvere debere quod judicio de dote redditurus eſſet, ſenſit, non ſoluturum Fiſco dotem integram, ſed deductis ultra neceſſarias impenſas, etiam utilibus, quoniam & iſtas deduceret in judicio rei uxoriæ, & propter eas dotem retineret, ſive non redderet, *dict. l. unic.* §. *Taceat.*

Taceat. dict. l. Omnino 12. *D. de impenſ. in res dot.* Sic enim & dum Paulus ſcripſit, mulieri juranti, decem dotis ſibi deberi, totam eam ſummam præſtandum eſſe; at ſi juraverit, decem dotis ſe dediſſe, tunc datione ſola ſuppoſita, præſtandum ei eſſe, *quod ex eo reddi oportet. l. Eum, qui* 30. §. *ſi mulier, D. de jurejur.* ex verbis illis, *quod ex eo reddi oportet*, collegit recte Accurſius & intuli Pauli in ſecunda parte eam ſenteotiam eſſe, ut non reddatur integra dos, ſed quatenus oportet reddi in judicio de dote, ſeu rei uxoriæ, habita ratione privilegii mariti, ne egeat, imo & admiſſa retentione, ſeu deductione ob impenſas utiles, ut præ cæteris, & ante Cujacium, Fabrumque in *dict. l. Eum, qui* 30. §. *ſi mulier*, adnotavit *illic* Fulgoſius.

23 Eſt tamen, ne jam ultra exſpatiemur, verius omnino, magiſque ex Papiniani mente in *dict. l. Dote* 61. marito in ea ſpecie, non permitti retentionem, deductionemve impenſarum utilium, idque evincit aperte tum exceptio illa impenſarum neceſſariarum, inibi, *exceptis impenſis neceſſariis, quæ dotem ipſo jure minuere ſolent*, firmans regulam in contrarium quoad utiles, ut ſupra inſinuavimus; tum quod ſermooem eſſe de marito conſcio, noxioque illiciti matrimonii, coarguit ſatis quod ſupponitur, dotem ſic fieri caducam, ut à marito reddenda ſit, quæ utique non ei eriperetur, ſi deceptus, & inſons fuiſſet, *l. à Divo Pio* 58. *D. de ritu nupt.* Plane marito conſcio, noxioque abſurde tribueretur in *d. l.* 61. deductio impenſarum utilium, quas ubi dos, & nuptiæ non fuerunt, ſolus conjux innoxius deducit, ſeu ſervat, jure, & ſuffragio veluti bonæ fidei, *l. In Inſulam* 42. §. *fructus*, ibi, *bona fide*, & *ſumptus* illic, & *utiles in prædia, quæ dotalia videbantur. D. ſol. matr.* quamquam oeceſſarias deducat etiam, ſi malæ fidei ſit, *d. l.* 61. juncta regula *l. dotium* 5. *Cod. de rei vind. l. Plane* 38. *D. de hæred. pet.* Nec in contrarium cogit, aut, urget mentio illa judicii de dote, & dotis eo judicio reddendæ, quam reſpicere actiooem rei uxoriæ, & retentionem ob impenſas utiles, illius actionis propriam, nuper expendimus; quippe utcumque ea explanatio ſæpe, & fere regulariter, apud Juriſconſultos noſtros certa ſit, non eſt tamen vel apud illos, ſine exemplo, aut ratione per actionem, ſeu judicium de dote, intelligi ex ſubjecta materia actionem ex ſtipulatu pro dote, ut expreſſum eſt in *l. Qui dotem* 46. *D. ſolut. matrimonio.*

24 Idque, ut exemplo unico, ſed appoſitiſſimo ad rem utamur, cernere, & obſervare licet in obſcuro alioquin Javoleni loco in *l. Mevis* 41. §. *A me hærede. D. de legat.* 2. dum diſtinguit ioter extraneum legantem dotem uxori hæredis ſui, ſive quod ad eumdem hæredem dotis nomine pervenerit, & inter virum relegantem uxori ſuæ dotem; namque extraneo legante, non dubitat, quin hæredis uxoris dos integra ex legato debeatur, ſine deductione impenſarum, etiam neceſſariarum, quaſi quoad extraneum legantem habeantur, taxationis vice, ea verba, *Quicquid ad te pervenit dotis nomine*, cum verum ſit, integram dotem ab ioitio ad hæredem perveniſſe: at in marito, uxori ſuæ legante non idem jus ſervatur; illic enim ait Javolenus, *ubi vir uxori relegat, id videtur legare quod judicio dotis mulier conſecutura fuerit.* Quibus verbis omnino ſeotit, deducendas neceſſarias impeoſas, aliter atque in priore ſpecie, & è contrario utiles non retioendas, quomodo utrumque in dote relegata à marito uxori traditum eſt in *l. Dote* 5. juncta *l.* 1. §. *Impenſæ* 4. *l.* 2. *verſic. Quod ſi neceſſariæ, D. de dote præleg.* & agnoſcunt, Javoleoo explicando, poſt Cumanum, Cujacius Goveanum acriter pungens, in *recitationibus poſthumis ad tit. D. de legat.* 2. *in dict. l.* 41. §. *ultim.* & ex noſtratibus Peralta, & Sarmiento illic, & apud Barboſam in *rubric.* 3. *part. num.* 30. *D. ſolut. matrimon.* fluctuet quamvis, varietque, pene indigne idem Cujac. in *dict. l. Dote* 5. *D. de dote præleg.* & *lib.* 23. *obſervat. cap.* 13. Govean. 1. *variar. cap.* 13. Faber 1. *conject. cap.* 3. & ſi qui alii nuper. Ergo ut ſtringamus, quemadmodum bis verbis, *id videtur, legare quod in judicio dotis mulier conſecutura fuerit*, ſignificatur apud Javolenum, deducendas ex legata dote impenſas neceſſarias, non autem utiles; ac proinde relatio illa ad judicium dotis, explananda non de actione rei uxoriæ, ſed ex ſtipulatu pro dote, in qua mulier dotem conſequeretur, minutam neceſſariis impenſis, non autem utilibus. *dict. l. unic.* §. *Taceat, Cod. de rei uxor. act.* Sic ſimiliter apud Papiouanum in *dict. l. Dote* 61. mentio judicii dotis, referenda ad ex ſtipulatu pro dote, & accepta ita adjectio illa, *quod judicio de dote redditurus eſſet maritus*, non probat in marito noxio deductionem impenſarum utilium, quam, dum neceſſarias ſolas excipit, Papinianus ſatis excluſerat, & actionem ex ſtipulatu pro dote non admittit.

Poſtremum eſt, ſupra traditis proximum, paucis 25 que adnotandum magis, ne de eo deinceps dubiterur, quam quia dubitationis juſtæ ſit, in illicitis, inceſtiſve nuptiis, quaſi maritum non lucriſacere fructus dotis, quin potius, ſicut dos in illis non eſt, & caduca ſit, ita fructuum ex dote oomioe, percepta auferenda, ita Paulus io *l. Inceſtæ* 52. *D. de ritu nupt.* conducit Scævolæ ſententia, de qua jam multa *ſupra in l. uxori* 27. *D. de uſufruct. legat.* Sed hæc ita, ſi ſciens maritus inceſti, ſive illiciti conjugii fuerit, ut recte in *dict. l. Inceſtæ* 52. poſt alios ſupplet, ſuppoſitve noſter Merlinus, noſter inquam in Supremo Italiæ Senatu pridem Collega, *libr.* 2. *controverſ. cap.* 94. *num.* 29. ſed ſi ignorans, innocenſque, acerrimo, neque affectato errore, ut ſcriptum eſt in *l. Qui contra* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* non eripiontur ei fructus percepti, imo eos adquirit oon quidem jure mariti, qualis ſi eſſet, integros lucraretur, nec compenſaret cum impenſis utilibus, aut neceſſariis. *l. Fructus* 7. §. *Impendi in fine. Digeſt. ſolut. matrimon. l. Pro oneribus* 20. *Cod. de jure dot. dict. l. Vir.* §. *Taceat, Cod. de rei uxor. act* Sed jure bonæ fidei poſſeſſionis, ſic nt eos compenſet cum ſumptibus utilibus, oeceſſariiſve factis in prædia, quaſi dotalia, nec reſtituat conſumptos in onera quaſi matrimonii, at ſuperfluos, extanteſve reddat, ſicut quilibet bonæ fidei poſſeſſor, ex Papiniani reſponſo nobili in *l. In Inſulam* 42. §. *Fructus, Digeſt. ſolut. matrimon.* juncta *l. Certum* 22. *Cod. de rei vindic. l. Sumptus* 48. *l. Emptor* 65. *D eſt. eodem titul.* doceotque ita, & diſtinguunt ex Papiniani ſenſu, poſt Accurſium, in *dict.* §. *Fructus*, verbo, *Compenſatis*, & *Baſilicorum* Scholiaſtes *lib.* 28. *tit.* 4. idem ex Latinis, claſſiciſque, apud Tiraquell. poſt *leg. connub. gloſſ.* 8. *n.* 235. Dom. Præſes Covarruv. 2. *part. de ſponſalibus, cap.* 6. §. 8. *num.* 25. Roder. Suarez *ad l.* 1. *titul. de la ganancias, num.* 14. Borguin. Cavalcan. *deciſ.* 18. *num.* 25. *part.* 2. Petr. Barboſa in *l. Si ante, num.* 25. & 35. & in *l. Si cum dotem* 22. §. *ultim. Digeſt. ſolut. matrimon:* Horat. Barbato *de diviſ. fruct.* 2. *part. cap.* 3. *numer.* 118. Giurba *ad conſuetud. Meſſan.* 1. *part. gloſſ.* 2. *cap.* 16. *num.* 13. & 16. Arias de Meſa 3. *variar. cap.* 22. *num.* 12. qoibus abſtinerem laudandis, Papiniano auctore contentus, niſi in re aperta ambigere, aut aberrare, & marito, ut loquuntur, putativo, ſeu bonæ fidei, idem jus ac juſto marito in fructibus indiſtincte largiri, cernerem, cenſoria nota dignos noo paucos, apud Tiraquellum *dict. gloſſ.* 8. *num.* 261. Guterrium *de tutelis* 3. *part. cap.* 8. *num.* 20. & *ſeq.* & laborioſe lapſum Cyriacum 1. *tom. controverſ.* 32. *ex n.* 7. & 13.

Nec plura jam ex fori paratura, in hoc tractatu 26 illicitorum conjugum ſuperiora excerpſiſſe, pretium operæ rati, quia in ſingulis, aut ſupra, aot præter vulgi practici captum, aſſerta veritas, & ſimilia, quæ adtexi poſſent, de conjugali quæſtu inter non juſtos conjuges, aliaque notæ ejuſdem, alibì, neque intempeſtive tetigiſſe, memores *hoc eodem libro in Appendice ad l. A Divo* 58. *D. de ritu nupt.*

CAPUT XXI.

De libertinarum nuptiis cum ſenatoriis. Ad Ulpianum lib. 1. ad Juliam, & Papiam in l. Ingenuum 25. D. de ſtatu hom. Commentarius. Ad l. 14. D. de jure Patronat. l. 60. D. de condit. indebit. Parerga.

ARGUMENTUM.

A*D verba Juliæ legis*, Libertinam. *Propria rei teſtimonia juris, & præ aliis*, l. 20. §. Matrimonii, D. de manum. vind. Libertini, *qui dicti, ante leges Julias, & in eiſdem. Lux Modeſtino* in l. 1. §. 4. D. de excuſ. tutor. *Jam ex profeſſo ad* leg. 25. D. de ſtatu hom. *Decidendi quæ in ea ratio, deducta à Baldo ex qualitate cauſæ ſtatus. Sed præfertur probata Bartolo, petitaque ex qualitate cauſæ, actæ cum juſto, & principali contradictore. De regula* l. 207. D. de reg. jur. Verum, *pro*, juſto, *ſæpe apud auctores Juris, & alios. Rei judicatæ cauſa, & auctoritas; præponderat, ut publica, privato juri, nec revidenda, niſi perraro ex Supremæ Regaliæ jure. Expenditur contra eam regulam exemplum jurisjurandi, ex* l. 14. D. de jure Patron. l. in eo 45. §. 1. D. de ritu nupt. *Quibus & contra ſtant alii Juris loci. Eis componendis, Bartolo, & aliis valere juſſis, agnita differentia inter* judicatum, & jusjurandum. *Differentiæ ratio ignota vulgo, & inventa. Juramenti delatio eſt voluntatis; judicati cauſa neceſſaria, & publica. Ex eiſdem elementis, tametſi aliter applicitis, ducta explanatio alterius differentiæ inter judicatum, & juramentum, elicitæ ex* l. 60. D. de condit. indeb. *cum* l. ult. & aliis, D. de jurejur. *Debitor judicato abſolutus adhuc natura debitor manet: non item ſi juraverit, ſe non debere, & quæ utriuſque aſſertionis ratio. Intellectus* l. Si deferente 13. D. quib. mod. pign. *Duo tandem perquiſita: cur contra judicati auctoritatem, debitori abſoluto, tamquam indebitum, quod ſolvit, repetenti, liceat uti exceptione naturalis debiti? Et cur exceptio rei judicatæ, tamquam perpetua, & favorabilis, non ei proficiat ad repetitionem, ſicut exceptio Vellejani? Satisfit utrique quæſito, juxta artis delicias, ſive rationem. Vellejani exceptio nititur naturali æquitate, quæ quamvis non diſſolvat, laxat vinculum æquitatis, naturalis debiti.*

1 SUccedunt verbis illis capitis Juliæ legis, *ſponſam, uxoremve ſciens dolo malo habeto* (ad quæ hucuſque plane adeo, an & prolixe, de effectu ejuſce prohibitionis nuptiarum diſſeruimus) hæc continentce, *libertinam, aut eam, quæ ipſa, cujuſve pater, materve artem ludicram fecerit.* Deſignantur his verbis fœminæ, quarum nuptiæ Senatori, ejuſve filio, nepoti, pronepoti lege Julia, Papiaque inhibitæ, nempe libertinæ, & ſcenicæ. *l. Lege* 44. *l. Lege* 23. *D. de ritu nupt. l. Si quis libertam* 28. *Cod. de nupt.* Ulpianus *tit.* 16. §. *Aliquando.* Dio Caſſius *lib.* 54. & 55. Zonaras 2. *Annal.* Prohibitionis originem, rationemque, præſertim quoad libertinas, illuſtravimus affatim ſupra *hoc libro cap.* 1. *& lib.* 3. *cap.* 1. *& ſeqq.* eſt autem prohibitionis ſignata mentio in *l. Si quis* 27. *l. Si Senatori* 31. *l. Sciendum* 32. *l. A Divo* 58. *D. de ritu nupt. l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ultim. D. de donat. inter. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt. l.* 1. *Cod. de natur. lib. Novella* Marciani 4. *de matrimon. Senat.* Referenda ad hanc partem, prænotata alibi, & aliis jam ſententia, *l. Uxorem* 15. *Cod. de nupt.* illic: *Uxorem libertam ſuam manumiſſori, ſi non ſit ex his perſonis, quæ ſpecialiter prohibentur* (ſcilicet Senatoris) *ducere, non eſt interdictum.*

2 Referenda & *lex ſi rogatus* 20. §. *Matrimonii*, *D. de manumiſſ. vind.* ubi quod ſcriptum eſt, concedi matrimonii cauſa manumittere, ſi quis velit, & is ſit, *qui non hujuſmodi conditionis uxorem ducturus ſit*, referendum eſt non ad ignominioſam fœminam, ut ibi Albericus, ſed ad libertinam, ſeu libertam, utpote ex ſervitute matrimonii cauſa manumiſſam, quam propter conditionem, ſive ſtatum libertinitatis, non niſi indigne uxorem duceret vir Senatorius, ideoque ei non concedendum, matrimonii cauſa manumittere: idque ſat exprimunt *Baſilica*, & Scholiaſtæ *lib.* 48. *tit.* 2. *in d. l.* 20. §. 1. niſi quod pro verbis illis, ὁ μὴ ὑβριζόμενος ἔσοιτο, parum apte, aut aperte vertit Latinus Interpres: *ſi non ad exiſtimationem ejus hoc pertineat*; cum germana verſio ſit, *niſi probroſum ei futurum ſit*, ſcilicet matrimonium cum liberta, ut habet Scholiaſtes inibi.

3 Sed age: libertinæ appellatio, aut libertini in hoc capite Juliæ legis, an accipienda priſco illo ſenſu, & uſu, ab Appii cæci ævo, quo libertini vocabantur libertorum filii, qui novi, & noſtri Juris cenſura ingenui, Suetonio auctore in *Claudio cap.* 24. M. Varrone *lib.* 7. *de Lingua Latina* in fine (quo reſpicere viſum Hottomann *ad tit. Inſtitut. de libertinis*, & aliis, diſtinctionem illam inter ἀπελευθερικοὺς, ſeu *libertinos*, & ἀπελευθέρους ſeu *libertos*, apud Modeſtinum in *l.* 1. §. 4. *D. de excuſ. tutor.* ſed inſcite, cum exaudienda potius ſit de libertis ſine patrono, qui, relata appellatione ad ſtatum, libertini dicuntur, & quibus, quia patronus legitimus tutor deeſt, dandus eſt à Præſidibus, unde & diſtinguuntur à libertis, patronos tutores habituris, ut in perſimili *l. Pupillo* 27. §. 1. *D. de tutor. dat. ab his l.* 3. *Cod. de excuſat. tut.* Pithœus *ad collat. leg. Moſaic. tit.* 16.) ſicut eodem ævo ingenui dicti qui avum, patremque ingenuum haberent, ut in *Oratione Canulei* apud Livium *lib.* 10. an potius nova, & nota Juriſconſultis noſtris acceptione pro his, qui ex ſervitute juſta manumiſſi ſunt, *princip. Inſtit. de libertin. l.* 7. *D. de ſtatu hom. l.* 4. *D. de juſt. & jure*, hoc eſt, nihil amplius quam libertis, *l.* 2. *D. de operis libert.* quamquam liberti nomen proprie, & potius reſpectum patroni, & è contrario libertini appellatio relationem habeat ſtatus ingenuitati oppoſiti, *l. ultim. D. ſi ingenuus eſſe dicetur*, *l. Cum hi* 8. §. *Nihil autem* 7. *D. de tranſact. l. Non diſtinguemus* 32. §. *de liberali* 7. *D. de recept. & qui arbitr.* de quibus ſingulis plura ad crepundia Inſtitutionum, & titulum de libertinis poſt Theophilum, ac noviores, olimque Ulpianum apud Athenæum *lib.* 2. *deipnoſophiſt. cap.* 13. reſpondiſſe quæſito, ſuffecerit in hoc tractatu, & capite legum noſtrarum libertinos intelligi, non priſca illa notione, ſed civili, & recepta jam ab Auguſti ævo, eos, qui ex ſervitute in libertatem venerunt, neque ingenui nati ſunt, ut ex Marcello, Ulpiano, Pauloque ad leges Juliam, & Papiam, & earum hoc ipſum caput, licet colligere, *l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt. l. ultim. D. de adopt. l.* 4. 5. *&* 6. *D. de jure aur. annul. l.* 4. *D. de colluſ. deteg.* junctis ex Papiniano *l. Filiam* 9. *de Senator.* in qua, qui *libertus*, Papiniano, eidem eſt *libertinus*. *l. Generali* 34. §. *ultim. D. de ritu nupt.* ſicut in eiſdem legibus ingenuus dicitur, qui natus, aut alioquin jure habitus pro ingenuo, etiamſi ex ſervitute manumiſſus, nec requiritur, ut avum, patremve ingenuum habuerit, *l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom. dict. l.* 5. *&* 6. *D. de jure aur. annul.* de quibus poſtea. Illud jam nunc, receptam eſſe eamdem uſurpationem libertini pro liberto, ex ſervitute manumiſſo, in alio capite Juliæ legis, quod extat in *l. Qui libertinus* 37. *D. de oper. lib. l. Nec patronis* 6. *Cod. eod. tit.* ſicut in Julia de adulteriis, *l. Marito* 24. *l. ſi is, qui* 42. *D. ad leg. Jul. de adult.* Paulus apud Licin. Ruffin. in *collat. leg. titul.* 4. §. 2.

De re potius videamus, in qua quod attinet ad connubium Senatorium cum libertinis, tam ad hæc verba capitis Juliæ legis, quæ ſunt de libertinæ nuptiis cum Senatorio, quam ad poſteriora alia, quæ ſunt de libertino, ducente filiam, neptem, proneptemve 4

ve Senatoris, tres præcipuæ quæſtiones, à Juriſconſultis ad utramque hanc partem tractatæ, ideoque una opera explanandæ occurrunt. Prima eſt, an libertinus, cum patrono de ingenuitate litigans, de quo ſententia lata eſt, ingenuum eſſe, quamvis revera libertinus fuerit, debeat tamen accipi, ſive haberi pro ingenuo, ut citra prohibitionem Juliæ legis, filiam Senatoris ducere uxorem poſſit. Pertinet huc omnino Ulpiani locus in *l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom. ex lib.* 1. *ad leges noſtras*, in quo, & *ſecundo, tertioque* libris expoſuiſſe eum hanc partem legum, *& capita de maritandis Ordinibus*, liquet ex *l.* 5. *&* 7. *D. de Senator. l. Oratio* 16. *D. de ſponſalib. l. ſi quis* 27. *l. Quod & Attejus* 29. *l. Palam* 43. *D. de ritu rupt. l.* 4. *& ult. D. de jure aur. annul. l.* 4. *D. de colluſ. deteg.* Dubitandi in quæſtione ratio ex vulgari regula, quæ docet, res inter alios actas, vel judicatas, aliis neque nocere, neque prodeſſe, ut in *rubrica Cod. inter alios acta. l.* 2. *& paſſim. Cod. quibus res judic. non noc. l. Claudius* 16. *in fine, D. qui potior. l. Sæpe* 63. *D. de re judic.* Proinde neque proderit libertino, quod adverſus patronum ingenuus pronunciatus ſit, ut habeatur pro ingenuo quoad nuptias filiæ Senatoris, contra quem non eſt pronunciatus ingenuus, quemadmodum, ut non alieno exemplo utamur, libertino, quod ab ingenuo adrogatus ſit, & in adrogatoris familia, ingenui jura conſecutus (quamvis adrogatio liberti, non niſi cognita, & Principis auctoritate, majore utique, quam magiſtratus pronunciantis, fiat. *l.* 3. *Cod. de adopt. l. ſi pater familias* 15. *in fine*, juncta *l.* 2. *de adopt.*) non prodeſt, ne arceatur à nuptiis Senatoriis, ut *libro* 1. *ad leges noſtras* Marcellus ſcribit, in *l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* Decidit tamen in contrarium, docetque Ulpianus in *dict. l. Ingenuum* 25. libertinum, de quo in cauſa ingenuitatis cum patrono, ingenuum eſſe, pronunciatum eſt, habendum pro ingenuo, ſcilicet, quoad effectum nuptiarum ex noſtris legibus, & quidem ea ratione expreſſa, *quia rei judicata pro veritate accipitur.*

5 Quæ ratio, aſſertioque, quamvis aperta ſatis ſit, & oſtendat, rem judicatam pro ingenuitate, etiamſi per errorem, aut injuriam, haberi pro veritate inter patronum, & libertum, inter quos judicata eſt, tamen ut probet, porrigi etiam ad eum, qui non litigavit, nempe Senatoriam perſonam, cujus nuptias libertus, tamquam jam ingenuus, permiſſas ſibi contendit, eget alia ratione, & explanatione, quæ oſtendat, cur hæc ſpecies rei judicatæ eximatur a regula, de qua in dubitando ſupra, res inter alios judicatas aliis non nocere. Sane Baldus in *dict. l. Ingenuum num.* 1. *&* 2. *&* 17. & poſt eum Faber *lib.* 19. *conject. cap.* 4. & in Juriſprud. *tit.* 4. *princ.* 2. *ill.* 1. D. Valent. *illuſtr. lib.* 2. *tractat.* 2. *cap.* 10. *num.* 15. *&* 16. Joſ. Seſſe *deciſ. Arag.* 10. *num.* 1. *part.* 1. aliique rationem petunt ex individuitate materiæ, de qua ſententia fertur, ſcilicet ſtatus ingenuitatis, libertatiſve, cui repugnat, ut quoad aliquem, ac veluti pro parte quis liber, aut ingenuus ſit, non autem quoad alios, imo cujus natura flagitat, ut ſtata, & invariabilis quoad omnes ſit, ſemel per ſententiam declarata, perſonæ conditio, ſeu ſtatus, argumento ex *l. Ex ea* 9. *Digeſt. de poſtul. l. ſi pariter* 9. *in fine, l. Duobus* 30. *Digeſt. de liber. cauſa; l. ſi dolo* 24. *D. de dolo.* juncta, & trahenda huc forſitan phraſi illa *l. Sive* 3. *Digeſt. de agnoſc. lib. ejus rei judicem jus facere*, quaſi rei, ſeu materiæ ratio faciat, ut ſententia jus fundet, quoad omnes. Unde & hanc *ſententiam fundamenti* Baldus vocat. Cæterum propria magis, potiorque ratio eſt, ſignata poſt Bartolum in *dict. l. Ingenuum* 25. Panormit. *in cap. penult. num.* 19. *de ſentent. & re jud.* D. Covarruv. *in practicis cap.* 13. *num.* 5. Donell. *in Præjudiciales, Inſtit. de act. num.* 6. *& ſeq. & lib.* 27. *com. in l. Sæpe, D. de re jud.* D. Larreatigui *lib.* 6. *ſelect. cap.* 2. *num.* 6. nimirum rem judicatam pro ingenuitate, haberi pro veritate quoad omnes, quia judicatam ponimus cum patrono libertini, aut domino ſervi, qui ingenuus judicatus eſt, & proinde cum contradictore non tantum juſto, ſed & principali, cujus ex jure circa ſervitutem, aut libertinitatem, reliqua circa illam aliorum jura, aut tamquam conſequentia pendent, aut tamquam inferiora, & acceſſoria cenſenda ſunt; quod cum contingit, etiam extra cauſam ſtatus, res inter alios judicata præjudicat. *l.* 3. *verſ. At quin, D. de pignorib. l. Papinianus* 8. *§. penult. l. Qui repudiantes* 17. *§. ultim. l. Cum mater* 28. *cum l. ſeq. D. de inoffic. teſtam. l. ſi ſervus* 50. *§.* 1. *D. de leg.* 1. *l.* 5. *§.* 1. *l. ſi perluſorie* 14. *D. de appellat. l. ſi patronus* 12. *§. ſi filius* 4. *cum §. præcedenti, D. de bonis libert.* Quo & ipſo ſubmovemus, ſeparamuſque exemplum, ſupra pro argumento allatum, libertini ab ingenuo adrogati, qui quoad nuptias Senatorias pro ingenuo non eſt, neque immerito, utpote cum arrogatio ſine ullo contradicto judicio, aut contradictore, expediatur beneficio Principis, *d. l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* de qua poſtea.

Extat porro illa ratio, regulaque, *res judicata pro veritate accipitur*, repetita ex eodem ad leges noſtras Ulpiani *libro* 1. *in l. Res judicata* 207. *D. de reg. jur.* ubi tamquam generalis, nec reſtricta ad ſententiam de ſtatu, ſive ingenuitate, regula proponatur, quamvis juxta inſcriptionem jungenda, aptandaque *dict. l. Ingenuum* 25. tamen & generaliter, ſive in commune illuſtranda eſt; ergo cum dicimus, rem judicatam pro veritate haberi, illud ſignificamus, ut etiam contra veritatem juris, aut facti judicatum; cum ſemel tranſiit in judicati auctoritatem, habendum ſit pro *vero*, ſive *juſto*, quomodo his vocibus utuntur non ſemel Juris auctores, & *verum* uſurpant pro *juſto*. *l.* 3. *D. de in integr. reſt. l. Sed ſi vir* 31. *§. ſi vir uxori* 4. *Digeſt. de donat. inter. l. ſi cui* 49. *§. Meminiſſe* 8. *D de legat.* 1. *l. ult. D. de jure deliber.* & ex non noſtris magnus Poëta 12. *Æneid.* illic: *Me verius unum pro vobis fœdus luere*; ubi, poſt Servium, novi Scholiaſtæ, & poſt Budæum in *annot. prior. ad l.* 3. *D. pro ſocio.* ad rem Jac. Guther. *de jure manium lib.* 3. *cap.* 27. Deſider. Herald. *rer. judicat. lib.* 1. *cap.* 1. Rad. Forner. *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. Sicut è contrario injuſtum, falſumque pro eodem, ἄδικον, καὶ ψεῦδος, apud Ariſtotel. 3. *Politic. cap.* 1. Et in Heſychii *gloſſis* ἀλήθεια, δίκαια, ſive *veritas* pro *juſtitia*. Et in ſacris libris non ſemel, ut Proverb. *cap.* 20. *Miſericordia, & veritas*, ἐλεημοσύνη καὶ ἀλήθεια *cuſtodiunt Regem*, junctis notatis à Daniele Heinſio in *exercit. ad Nov. Teſtam. lib.* 3. *cap.* 14. *& lib.* 4. *cap.* 2. *&* 3. Denique apud Ulpianum electo loco, *l. Pomponius* 13. *§. Sed & legatario in fine, D. de adquir. poſſeſſ. Legatum vere* dicitur, id eſt valide, juſteque, nempe per damnationem, ut exponit Cujac. 25. *obſerv. cap.* 33. *Et vero voluntates* teſtantium, pro validis, & juſtis in *Novella* Martiani *de Teſtamentis Clericor.*

Plane regulæ ratio ea eſt, quia quamvis contra judicatum ſtet rei, ſive juris veritas, tamen haberi judicatum pro vero, & juſto, intereſt publice. *l. Servo* 65. *§. Cum Prætor, D. ad S. C. Trebell.* ſive, ut Ariſtoteles loquitur, receptum eſt civiliter, ſeu propter utilitatem communem, πρὸς τὸ χρῆσιν, καὶ πολιτικῶς, tum ut ſua judiciis, judicatis, & judicibus conſtet auctoritas, quæ publici juris eſt, *l.* 2. *§. Poſt originem* 13. *D. de orig. jur. l. ſi Prætor* 75. *D. de Judic. l. ultim. D. ne quid in loco pub. l. Nullus* 14. *Cod. de Judæis*, juncta *l.* 1. *§. Hujus ſtudii, D. de juſt. & jur.* tum ut lites finiantur, quæ probabilis, & publica etiam ratio eſt. *l. Singulis* 6. *D. de except. rei judic. l. Terminato* 3. *Cod. de fructib. & lit. expenſ.* juncto D. Gregor. *lib.* 9. *Regiſt. epiſtol.* 46. *ad Donum Epiſcopum Meſſanenſem*; & e converſo reſciſſio rerum judicatarum argumentum eſt *ruentis Reipublicæ*, ſive *extremi exitii exitus*; ut Cicero expendit *Verrina* 7. & in *Agraria contra Rullum.* Queis conſequenter cum utilitas publica anteponenda privatæ ſit. *l.* 2. *Cod. de primipilo, lib.* 12. quamvis inique, & cum injuria unius ex litigatoribus ſit judicatum, prævalet tamen judicati auctoritas publica, cui ſtandum eſt. *dict. l. Servo* 65. *§. Cum Prætor. l. ſi fidejuſſor* 29. *§. In omnibus D. mandati. l. ſi Patronus* 12. *§. ſi quis cum eſſet* 3.

D. de bonis lib. l. 3. *§. Idemque* 3. *D. de rebus eorum. l. Cum prolatis* 32. *l. Poſt rem* 56. *D. de re judic.* Prævaletque adeo, & pro vero eſt, ut tranſactio facta poſt rem indubitate judicatam, nulla ſit. *l. Eleganter* 23. *§. ſi poſt rem, D. de cond. indeb. l. ſi cauſa* 32. *Cod. de tranſact. l. Et poſt rem* 7. *&* 11. *D. eodem tit. l.* 4. *Cod. Gregoriano de pactis*, ſicut & ſententia contra rem judicatam lata. *l.* 1. *Cod. ſentent. reſcindi non poſſe. l. Poſt ſententiam* 9. *Cod. de ſentent. & interl. l.* 1. *Cod. quando provoc. non eſt neceſſ.* Denique ut nec Reſcripto Principis ſuſcitari lis, ſemel judicato finita, debeat. *l. ultim, Cod. ſentent. reſc. non poſſ. l.* 3. *Cod. de errore advoc. l. ultim. Cod. Quomodo, & quando jud. l.* 1. 2. *&* 3. *Cod. Ut lite pendente.* Atque hoc poſtremum ex vi, & jure ordinariæ, & legitimæ in Principe poteſtatis.

8 Cæteroquin poſtremum ex Supremi Imperii prærogativa, magnaque ex cauſa jua, faſque eſt Principi, ſuſcitare finitam judicato litem, ejuſque concedere remiſſionem, quam, *gratiæ*, nuncupant Pragmatici, utentes in eam rem *textu in l. Divi* 17. *in fin. princ. D. de pœnis. cap. Tum ex litteris* 4. *verſic. Et ſecundum jura civilia, de in integr. reſtit.* juncto tranſcripto fere illic, &, vulgari nondum, loco Ulpiani in *l. Minor* 18. *§. ſed & Percennio* 2. *D. de minor.* Et apud nos expreſſum magis *Regia l.* 4. *tit.* 24. *part.* 3. illic: *Fueras ende ſi el Rey le quiſieſſe facer merced, como Señor.* De quo tamen, & exercenda non niſi perraro, & parciſſime, ut in *dict. l. Minor* 18. *§.* 1. contra res judicatas hac Summi Imperii prærogativa, maxime poſt noviores Regiaa Conſtitutiones, quibua reviſio hæc, quæ *gratiæ* exteris eſt, facta veluti eſt *juſtitiæ* apud Nos, certiſque conditionibua conceſſa, & redacta ad formam ordinarii moris, & juris ſub nomine *ſecundæ ſupplicationis. l.* 1. *&* 7. *& paſſim tit.* 20. *& l.* 4. *&* 11. *titul.* 17. *lib.* 4. *Compil.* fuſè poſt Menochium, Valaſcum, Cavalcan. Maſtrill. & alios Caſtillo *lib.* 7. *controv. cap.* 41. *ex num.* 126. *& ſeqq.* cui addendi Avendanius *de ſecunda ſupplicatione num.* 3. Baptiſta Coſta *de remed. ſubſid. remed.* 23. Vincent. Carroc. *de remed. contr. præjudic. except.* 107. *ex num.* 11. Antonin. Amato *lib.* 1. *reſol.* 6. *ex num.* 5. Gutierr. 3. *practic. quæſt.* 38. *num.* 25. Fr. Carraſco *tract.* 1. *de caſibus Curiæ num.* 187. Fontanella *deciſ.* 286. *& num.* 10. & ex Politicis Chriſtoph. Beſold. 1. *tom. politic. diſſert. de jurib. Majeſt. cap.* 4. *num.* 8.

9 Sed redimus ad judicatum de ingenuitate, neque in commune plura nunc de auctoritate, effectuve rei judicatæ, qualia non pauca *noſtræ Academicæ ad eum tractatum recitationes* ſuggerebant. Illud certe hujus loci, & legum noſtrarum, quod cum conſequenter jam traditis in *dict. l. Ingenuum* 25. & generali Juris regulæ, quæ jurijurando litia deciſorio parem, majoremve auctoritatem tribuit, quam rei judicatæ. *l.* 1. *&* 2. *D. de Jurejurand. l. Poſt rem* 56. *D. de re judic. l.* 1. *D. Quarum rerum actio non detur*, & jusjurandum inter patronum, & libertum de ingenuitate, vel libertinitate delatum, exæquetur rei judicatæ, ita ut ei ſtandum ſit, ſive ille ſe patronum, ſive iſte ſe ingenuum, aut non libertum, juraverit, nt Ulpianus idem ſcribit in *l. Adoptionum* 8. *§. Patronum* 1. *D. de in jus vocando. l.* 3. *§. Sed etſi de condit.* 2. *D. de jurejurand.* Et quidem eo uſque ut liberto jurante, ſe libertum non eſſe, non ſit poſtea patrono operarum petitio, aut contra tabulas bonorum poſſeſſio. *l. Eum, qui* 30. *§. ſi libertus.* juncta *l. ſi duo* 13. *D. de jurejurand.* tamen in contrarium ad leges noſtras Juliam, & Papiam, Ulpianus *lib.* 5. definit, non eſſe habendum pro patrono, quoad ſucceſſionem liberti, patronum, jurantem ſe patronum, quia jusjurandum patronum non facit; aliter atque ſi patronum eſſe, judicatum ſit, quia tunc ſententiæ ſtandum eſſe, affirmat in *l. juravero* 14. *D. de jure patron.* Nec diſſimiliter Ulpianus idem non babet pro patrono patronum jurantem; quoad caput illud Juliæ legis: ne liberta patrono nupta, invito eo, alii nubat. *lib.* 3. *ad leges noſtras in l. In eo* 45. *§.* 1. *D. de ritu nupt.* Quæ poſtrema non modo pugnant eum exæquatione judicati, & jurisjurandi etiam quoad patronatum, ſive ingenuitatem. *d. l. Adoptivum* 8. *§.* 1. ſed & magis ſpecialiter cum regula, & ratione correlatorum; nam cum libertus jurans, ſe libertum non eſſe, ſic pro ingenuo habeatur, ut excludatur patronus ab operis, & ſucceſſione. *dict. l. Eum, qui* 30. *§. ſi libertus*, relationis ratio exigebat, ut & patronus jurans, ſe patronum, eſſet pro patrono, etiam quoad ſucceſſionem liberti, & retentionem libertæ in connubio, contra *dict. l. ſi juravero* 14. *dict. l. In eo* 45. *§.* 1.

10 Sed omiſſa ſententia Bartoli, Fulgoſiique, & ex noſtratibus Gregorii Lupi *ad l.* 15. *gloſſ.* 7. *tit.* 11. *part.* 3. affirmantis, jurantem non haberi pro patrono, quoad ſucceſſionem, ne libertus juramenti delatione, ſibi teſtamenti factionem abſtuliſſe, videretur, quod tamen recte Jaſon refellit in *dict. l.* 30. *§. ſi libertus, ex l.* 3. *§. ſed etſi de conditione, D. de jurejurand.* Omiſſa, & alia ejuſdem Jaſonis, & non diſſimilis argutiæ Fabri, ratiocinantium inter jurandi formulam, ſe libertum non eſſe quæ, ſive, quia negativa, ſive quia facti, omnia jura patronatus excludat, & illam, ſe patronum eſſe, quæ tamquam juris, & affirmativa non infert neceſſario, habendum in omnibus pro patrono, & proinde non quoad ſucceſſionem, quaa tamen diſtinctiones acuminatas magis, quam certas convincit ſatis eadem *lex ſi juravero* 14. quæ in illa ipſa formula, patronum eſſe, ſi talem eſſe judicatum ſit, oſtendit, pro patrono habendum, etiam quoad ſucceſſionem, aliter atque ſi juratum eſſet, cum tamen judicatum non magis, quam juramentum operetur, niſi in his, quæ neceſſario ex judicato inferuntur. *l. ſi inter* 15. *D. de except. rei judic. l. Divi* 27. *§.* 1. *verſic. Recte, D. de liber. cauſa.*

11 Diſtinguimus potius, & agnoſcimus differentiam, ut Albericus in *dict. l. ſi juravero* 15. vocat notabilem in hac re, inter judicatum, & jusjurandum, pro patronatu contra ingenuitatem. Quippe quamvis ſi, patrono litigante, aut jusjurandum deferente, judicetur, aut juretur pro ingenuitate, nempe ingenuum eſſe, ſive abſolute quod idem eſt, libertum non eſſe, par ſit auctoritas judicati, & juramenti, pro ingenuo habeatur, excluſo in omnibus patrono, etiam quoad operas, & ſucceſſionem. *dict. l. Ingenuum* 25. *dict. l. Eum, qui* 30. *§. ſi libertus*, juncta electa conſtitutione *l. Cum proponas* 6. *Cod. de rebus cred.* Cujus ſpeciem, alioquin obſcuram, exhibent clariorem Baſilica *lib.* 22. *tit.* 5. tamen ſi contra ingenuitatem judicetur, jureturve, nempe patronum eſſe, major eſt judicati auctoritas, quam juramenti, quia judicatum omnimodo patronum facit, etiam quoad ſucceſſionem, & reliqua patronatus juri annexa. *dict. l. ſi juravero* 14. *l. Sæpe* 63. *verſ. Nam etſi libertus, D. de re judic.* Juramentum autem non facit, ut pro patrono habeatur, niſi quoad perſonam, & rem, de qua cum controverſia eſſet, juratum eſt, ut puta quoad libertum ipſum de operis, vel de obſequio. *l. Jusjurandum* 34. *verſ. Etiam, D. de jurejurand. dict. l. Adoptivum* 8. *§.* 1. non autem quoad ſucceſſionem liberti; de qua vivo liberto nec controverti, nec jurari potuit, multoque minus quoad liberti ſucceſſionem ex lege Papia cum liberti filiis. *§. Poſtea vero Inſtit. de ſucceſſ. lib.* (ad quam ſucceſſionis ſpeciem, Ulpianum referri, ſuadet inſcriptio *dict. l. ſi juravero* 14.) ſicut nec quoad ademptionem connubii libertæ ex lege Julia. *dict. l. In eo* 45. *§.* 1. Concinit Juſtinianica de jure patronatus Conſtitutio, quæ jurantem patronum, non niſi quoad obſequium liberti pro patrono habet, in *l.* 4. *Cod. de bonis lib.* reſtituta ex Baſilicis *lib.* 49. *tit.* 1. à Cujac. 20. *obſerv. cap.* 34. concinit & inſignis lex noſtra, differentiam hanc inter judicatum, aut juratum, eſſe libertum, proprie ſtabiliens. *l.* 15. *verſ. E aun dezimos, tit.* 11. *part.* 3.

12 Differentiæ ratio nondum fortaſſe ſatis explicita, petenda non tam ex ingenuitatis favore, certa non eſt ex eo ſolo, quod Cujacii ſuffugium fuit, in *dict.*

l. 14.

l. 14. *& lib.* 18. Pauli *ad edictum in dict. l. Eum, qui* 30. *§. penult.* ſed ex reali, ut ſic loquamur, diſcrimine inter judicatum, & jusjurandum. Quippe in iſto ſive libertus jusjurandum patrono ſponte detulit, ſive ab eodem ſibi delatum, referre eidem, maluit, voluntaria liberti delatio, ſeu relatio fuit, qui potuit, vel patrono non deferre, vel ipſe jurare potius, quam referre, nec adverſarium ſui ſtatus, & cauſæ judicem facere, ſua veluti, & voluntaria conventione, quæ delationi jurisjurandi ineſt. *l. 1. D. quarum rerum actio non detur. l. 2. l. Qui juraſſe 26. §. ultim. D. de jurejur. l. 5. §. ult.* juncta *l. 6. §. 1. D. quib. mod. pign. ſolv.* Quocirca cum libertos, ingenuoſve, ſtatui ſuo præjudicare, proprio pacto, confeſſione, aut profeſſione, jus non patiatur. *l. Conventio 37. D. de liber. cauſa. l. Tranſactione 26.* juncta *l. ultim. Cod. de tranſact. l. Nec ſi volens 6. l. Liberos 10. l. Nec omiſſa 15. l. Parentes 22. l. Nec interrogatam 24. l. Liberos 39. Cod. eodem tit.* quamvis ab ea jure, & regula recedatur, patrono ex delatione liberti jurante ſe patronum, vel illum libertum ſuum eſſe (inter quæ non diſtinguo) quia ea delatione, & juramento præjudicatur ſaltem liberto, & cauſæ, de qua juratum eſt, prævalente hactenus jurisjurandi, religionis auctoritate ingenuitatis favore. *dict. l. Adoptivum 8. §. 1.* illic: *Patroni hic accipiendi ſunt.* Et poſtea, *aut ſi juravi, eum libertum meum eſſe. dict. l. Jusjurandum 34. verſic. Etiam.* Tamen extra eam cauſam, & quoad alios, nec juramentum patrono prodeſt, neque his præjudicat, ideoque nec filio liberti, ut cum eo, tamquam filio liberti centenarii, & quaſi patronus, qui juravit, concurrat in ſucceſſione ex lege Papia, *dict. l. Si juravero 14.* neque extraneo obſtat, quo minus libertam, contra quam patronus juravit, ducat uxorem, tamquam non libertam, ſive impedimento prohibitionis patroni, ex lege Julia, *dict. l. In eo 45. §. 1.* nimirum, quoniam, ut ſcriptum eſt in *dict. l. 14. Jusjurandum patronum non facit*, ſaltem abſolute, & quoad alios, utpote pendens ex voluntaria delatione liberti, adverſarium ſui ſtatus judicem facientis, quod non magis nocere aliis debet, quam ſi ingenuus colludens, ſe libertum pronunciari, pateretur, argumento ex *l. ſi libertinus 4. D. de colluſ. deteg.* juncta *l. Eum, qui 30. §. In popularibus, D. de jurejur.* vel ſi juſtus alioquin, & principalis contradictor luſorie, aut parum recte defendens vincatur, ei enim victoria nocet, non aliis, *l. Divi 27. §. 1. in princip. & verſic. Recte, D. de liber. cauſa. l. Qui repudiantis 17. §. ultim. l. ſi ſuſpecta 29. D. de inoffic. l. 5. §. 1. & ſeqq. l. ſi perluſorio 14. D. de appellat. l. ſi ſervus 50. §. 1. & 2. Digeſt. de legatis 1.* ſive non magis denique, quam ſi compromiſiſſet, aut tranſegiſſet, ut in eleganti ad rem textu in *l. ſi dictum 56. §. 1. D. de evict. l. 5. §. Sed etſi in fraudem, D. de appellat.* præſertim cum ſucceſſio patroni, & concurſus cum filio liberti ex lege Papia, ſit fere odioſa, & correctoria antiqui juris Prætorii, & Duodecim Tabularum, quo attento filius liberti excludebat patronum, *princip. Inſtit. & §. 1. de ſucceſſ. lib.* ſicut & odioſa cenſenda coarctatio connubii libertæ invito patrono, argumento ex *l. Hoc modo 64. D. de condit. & demonſtr.*

13 Diverſum porro eſt in judicato, ſcilicet, ſi patronum eſſe, judicatum ſit, quod nullam voluntariam cauſam habet, quin potius neceſſariam judicii accepti, ſeu conteſtati, quod ex neceſſitate etiam ab auctore liberto ſuſcipitur. *l. ultim. D. de ſeparat. l. Defenſor. 22. D. de tutelæ, & ration. diſtrah.* & in invitum redditur. *l. Inter 83. §. 1. D. de verb. oblig.* unde & conventio, ſeu contractus judicii accepti, & novatio, inde judicato perfecta, tamquam neceſſaria à voluntaria diſtinguitur. *l. Aliam 29. D. de novat.* juncta *l. 3. §. Idem ſcribit, D. de peculio. l. Poſt mortem 5. D. quando ex facto tutor.* nec libertus de ſtatu litigans judicem ſponte fecit eum, qui pro patrono pronunciavit, imo nec potuit, ſed neceſſaria, & publica judicantis, & judicati auctoritas fuit. *l. Non diſtinguemus 32. §. de liberali, D. de recept. & qui arbitr. l. ultim. Cod. ubi cauſa ſtatus.* juncta *l. 3. Cod. de juriſdict. omn. Jud.* Proinde nec mirum, ut judicato, ſive ſententiæ pro patrono contra libertum, juſtum, & principalem contradictorem, nec voluntarie litigantem, nec colludentem, ſtetur etiam quoad ſucceſſionem, & reliqua, ex patronatu pendentia. *dict. l. ſi juravero 14. in fine.*

Subnectimus nobilem aliam jurisjurandi, & judicati differentiam, & quidem primo aſpectu remo- 14
tiorem, & oppoſitam, ſed effectu ejuſdem cum propoſita rationis, & fili, ideoque ei firmandæ appoſitiſſimam, ex *tractatu de conditione indebiti.* Quippe in eo tractatu jus certum, & apertum eſt, verum debitorem, judicato abſolutum, ſi poſtea ſolvat, repetere non poſſe. *l. Julianus 60. l. Judex 28. D. de condict. indeb. l. ſi Procurator 8. §. 1.* in fine *D. ratum rem hab.* Et è contrario perinde certum, tametſi ignotius eſt, verum debitorem, deferente adverſario, jurantem, ſe dare non oportere, ſi deinde id ipſum ſolvat, repetere poſſe, ut indebitum. *l. ſi quis juraſſet 43. D. de condict. indeb. l. ſi quis cum debitore 39.* cum *l. ſeq. l. ultim. D. de jurejur.* ac proinde quoad effectum repetitionis indebiti, majorem eſſe auctoritatem jurisjurandi, quam judicati, contra quam in *dict. l. ſi juravero 14. D. de jure patron.* Differentiæ ratio immediata, ut ita loquamur, & proxima, exprimitur eiſdem locis, nempe quia verus debitor abſolutus, adhuc natura debitor permanet, quoniam ſententia, ſeu res judicata, qua abſolvitur, non tollit naturale debitum, quod & ſatis eſt, ne repetat tamquam indebitum. *dict. l. Julianus 60. verſ. Licet.* juncta *l. Naturaliter 13. l. ſi pœna 19. l. ſi quod dominus 64. D. de condict. indeb.* Vero autem debitore jurante, ſe non debere, etiam naturalis obligatio tollitur. *dict. l. ultim. D. de jurejurand.* illic: *Naturalis obligatio hac pactione tolletur. l. Stichum 95. §. Naturalis 4. D. de ſolut.*

At ruſus ſi quæſieris, cur non perinde poſt jusju- 15
randum, ac poſt abſolutionem veri debitoris, naturale debitum maneat, vel extinguatur, rationis ratio hæc ſubeſt, expreſſa itidem Juriſconſultis, & ſupra ſtabilita, quia jurisjurandi delatio, aut relatio, voluntaria omnino, & libera, per quam quis adverſarium, cui jusjurandum defert, aut refert, judicem cauſæ ſponte facit. *l. 1. D. quar. rer. act. non detur*; operatur, ut creditor, jusjurandum debitori deferens, cenſeatur convenire, ut diſcedatur ab omni controverſia, ſi juratum ſit, & proinde etiam à naturali obligatione, ideoque & ea ipſo jure perimitur, vi conventionis juſtæ, quæ ineſt jurijurando. *dict. l. ſi quis cum 39.* cum *l. ſeq. dict. l. ultim.* illic: *Id actum inter eos, ut ſi juraſſet, ſe dare non oportere, ab omni conditione diſcederetur. D. de jurejurand.* ſive, *ab omni contentione diſcederetur*, ut tametſi ringentes corrigunt, recte Hottoman. *lib. 4. obſerv. cap. 15.* P. Faber 2. *ſemeſtr. 6. & lib. 3. cap.* 24. Hillig. *ad Donell. lib. 24. cap. 15. litt. C.* ſuffragantibus *Baſilicis lib. 22. tit. 5. in d. l. ultim. dict. l. ſi quis juraſſet 43. D. de cond. indeb. dict. l. Stichum 95. §. Naturalis 4.* vel vi, & jure ſatisfactionis, pro qua jusjurandum cedit, & quæ utcomque, & qualiſcumque, ſit, imputet ſibi creditor, qui jusjurandum ultro deferens, talem admiſit. *l. 5. §. ult.* juncta *l. 6. §. 1. D. quib. mod. pign. ſolv. l. ſi rem 9. §. Omnis, D. de pignor. act.*

E converſo, in debitore per ſententiam, ſeu rem 16
judicatam abſoluto, nulla voluntaria conventio, aut ultronea remiſſio obligationis naturalis eſt, quæ creditori imputari poſſit, quia conventio illa tacita judicii accepti, ſeu conteſtati, quamvis ſit ſtandi judicato, & diſcedendi à controverſia, *l. 3. §. Idem ſcribit, D. de pecul.* juncta *l. Stipulatio 21. §. 1. D. de oper. nov. nunciat.* eſt tamen involuntaria, & neceſſaria, etiam ex parte actoris, non ſponte, ſed ex neceſſitate judicium dictantis. *l. ultim. D. de ſeparat. l. defenſor 22. D. de tutelæ, & ration. diſtrah.* nec pro ſatisfactione etiam pro creditore judicatum cedit. *l. Grege 13. §. Etiam* in fine *D. de pignorib.* Ideoque

que

que ſicut creditor non cenſetur jura, acceſſioneſque actionis in judicium deductæ remittera, & in caſum, ſive aleam judicati transferre, ſed potius retinere, quatenus judicii accepti neceſſitas patitur. dict. l. ultim. & dict. l. Defenſor 22. dict. l. Grege 13. §. Etiam. l. Aliam 29. D. de novat. l. Non ſolet 86. cum l. ſeq. D. de reg. jur. l. unic. Cod. etiam ob Chirographar. pecun. ita & multo minus remittere naturalem obligationem, quæ, utpote non neceſſaria, imo neque utilis judicio dictando, quia actionem non parit, l. Naturales 10. D. de obligat. & act. l. Fidejuſſor 16. §. Naturales 4. D. de fidejuſſ. in litem, ſeu judicium, & judicati caſum tranſlata, non creditur. Ut eleganter in re ſimili Papinianus. l. Eo tempore 50. §. Etiam, illic: Quia naturalis obligatio, quam etiam ſervus ſuſcipere videtur, in litem tranſlata non eſt, D. de peculio. junctis l. Cum quis 38. §. de peculio. l. Egiſti 84. D. de ſolutionib. l. Græce 8. §. Et poſt litem, D. de fidejuſſor. l. ſi cum argumentum 21. §. ult. D. de except. rei judic.

17 Conſtat itaque, potiorem eſſe, quoad effectum naturalis obligationis, & repetitionis, auctoritatem jurisjurandi, quam judicati; & è contrario majorem hujus, quam illius, quoad jura ingenuitatis, & patronatus, de queis in dict. l. ſi juravero 14. ſed utrumque eadem in contrarium ratione, ut Papinianus alibi loquitur, in l. Mortis 53. verſic. Divortii, D. de donat. inter; nimirum quia in diſſolvenda naturali obligatione, quæ conſenſus, & æquitatis vinculum eſt, plus merito operatur voluntaria jusjurandum deferentis conventio, quam civilis, & neceſſaria judicii, & judicati, argumento ex dict. l. Stichum 95. §. Naturalis 4. l. Eas 8. D. de capite minut. At in juribus patronatus, & libertinitatis, quæ ex conſenſu, diſſenſuve liberti non pendent, præſertimque quoad alios, quibus præjudicare ille non poteſt, plus merito tribuitur civili, & publicæ auctoritati judicati, quam privatæ, & voluntariæ delationi jurisjurandi. l. Non diſtinguemus 32. §. De liberali 7. D. de receptis, & qui arbitr. l. Conventio 37. D. de liber. cauſa.

18 Conſtat itidem ex propoſitis, abnormem eſſe, nec vel in hoc tranſcurſu diſſimulandam, exæquationem illam debitoris jurantis, & abſoluti, & rationem decidendi, ſeu confirmationem petitam à judicato ad jusjurandum, apud Triphoninum, in l. Si deferente 13. D. quib. mod. pignus ſolv. niſi ſane, & ſobrie explicetur, referaturque ad effectum liberationis pignoris, per exceptionem jurisjurandi, aut judicati, ita ut Deciſio ſit; Debitore jurante, ſe non debere, quamvis adhuc civiliter ipſo jure obligatus maneat, §. Æque 4. Inſtit. de except. & naturalis ſola tollatur. dict. l. ultim. D. de jurejur dict. l. Stichum 95. §. Naturalis 4. tamen ſicut civilis obligatio in perſona ipſius per exceptionem, ita & pignus per eamdem tollitur, ſeu liberatur. dict. l. Æque 4. dict. l. ſi deferente 13. l. Jusjurandum 40. D. de jurejur. Confirmatio autem eſt à fortiore, & difficiliore, ſive à majore ad minus, quia vero debitore abſoluto, quamvis non tantum civilis, ſed etiam naturalis obligatio permaneat, dict. l. Julianus 60. §. Item ſi in judicio 5. Inſtit. de except. tamen ſicut civilis, ita & pignoris obligatio eliditur per exceptionem judicati, dict. l. Si deferente 13. quod certe difficilius, & ſingulare fuit; quoniam, manente naturali obligatione, etiam poſt ſublatam civilem, ſuſtineri pignus ſolet. l. Debitor 59. D. ad S. C. Trebell. l. 2. Cod. de luitione pignor. l. Quæſitum 14. §. 1. D. de pignorib.

19 Sed & omiſſa non diſſimili differentia inter jusjurandum, & judicatum, quæ elicitur ex l. Si ſervus 20. §. ultim. cum l. ſeq. D. de dolo, duo ſaltem Parerga, ſuperioribus proxima, nec omittenda ſine noxa, adjungimus; primum, cur, cum res judicata, ut ad leges noſtras Ulpianus definit, habeatur pro veritate, contra quam nec quæſtioni, nec replicationi locus ſit, l. Servo 65. §. Cum Prætor, D. ad S. C. Trebell. l. Poſt rem 56. D. de re judic. adeo ut etſi injuſte judicatus, & condemnatus ſit, qui non debebat, non poſſit ſolutum repetere, quaſi indebitum. l. ſi fidejuſſor 29. §. In omnibus, D. mandati. l. 1. Cod. de condict. indeb. l. 2. Cod. de compenſat. l. Cum putarem 36. D. famil. erciſc. l. de qua re 74. §. ultim. D. de judic. Liceat tamen contra verum debitorem, per rem judicatam abſolutum, & tamquam indebitum, quod ſolvit, repetentem, refricare, & objicere exceptionem naturalis debiti, ſive doli, ut in l. ſi Procurator 8. §. 1. in fine, D. ratam rem hab. atque ita impugnare, & infringere vim, veritatem, auctoritatemque judicati, contra d. l. Servo 65. §. Cum Prætor. Secundum eſt, cur exceptio rei judicatæ cum & perpetua ſit, &, renitantur licet Accurſiani, etiam favorabilis, §. Item ſi in judicio 5. Inſtit. de except. juncto dict. §. Cum Prætor, l. Singulis 6. D. de except. rei judic. non proficiat debitori abſoluto ad repetitionem, tamquam indebiti, ex regula l. ſi non ſortem 26. §. Indebitum. l. Qui exceptionem 40. D. de cond. indebi & quidem etiamſi naturaliter debitor permanſerit, ſicut proficit Vellejani exceptio mulieri ad repetitionem dict. l. Qui exceptionem 40. l. Quamvis 8. §. Interdum. l. Paulus 31. D. ad S. C. Vellejan. l. Quamvis 10. Cod. eodem. l. Stichum, §. Aditio in fine. D. de ſolut. quantumvis naturaliter obligata ſit, & maneat, ut recte, ſuccenſente utcumque Cujacio lib. 30. Pauli ad Edictum in l. 7. D. de S. C. Maced. docuit Accurſius in l. Quia 10. D. de S. C. Macedon. & poſt Accurſium, Anton. Hering. de fidejuſſor. cap. 7. num. 526. Anton. Faber in ration. dict. l. Quia 10. & dict. l. Qui exceptionem 40. Hillig. ad Donell. lib. 22. cap. 2. litter. P.

Cæterum priori quæſito ſit ſatis, reſpondeturque, 20
nove forſitan, ex nuper traditis, nempe quod cum naturalis obligatio, tamquam inefficax actioni, & judicio dictando, non cenſeatur deducta in litem, ſeu judicatum, dict. l. Eo tempore 50. §. Etiam, D. de pecul. neque cenſetur judicatum de naturali debito, ſeu non deberi naturaliter, quoties debitor abſolutus eſt, utpote cum ex eo debito, etiamſi deberi conſtet, nec conveniri, nec damnari judicio poſſet. l. Naturales 10. D. de obligat. & act. juncta l. ſi pupilli 6. §. ultim. verſic. Certe, D. de negot. geſtis; quocirca neque impugnat judicatum, qui debitori abſoluto, tamquam indebitum repetenti, objicit exceptionem naturalis debiti, de qua judicatum non fuit; quomodo fere ſcripſit, aut ſenſit, Jacobus Butrigarius, & ex eo Bartolus ejus auditor in dict. l. Julianus. 60. num. 5. Angelus in l. Si Judex 11. in princip. Digeſt. de his, qui ſui, vel al. jur. Ad rem, nec tamen ſupra fori captum, ad altiorem Juris rationem ſe attollens, D. Salgado in labyrintho 3. part. cap. 1. ex num. 127. & 143. & ſeqq. quin potius ſalva, & ſuppoſita veritate, & auctoritate judicati, jus ſuum alia, & diverſa, non contraria via, tuetur contra dolum veri debitoris, ſicut è converſo non debitor, injuſte damnatus, quamvis tamquam indebitum non repetat, poteſt tamen aliis actionibus, aut replicationibus, ſententiæ iniquitatem non impugnantibus, uti, contra adverſarii dolum. dict. l. Si fidejuſſor 29. §. In omnibus. l. 2. D. de condict. ſine cauſa. l. Rem 21. D. commod. l. Si ſponſus 5. §. Si uxor 7. D. de donat. inter. l. Lucius 46. §. Tutelæ 5. D. de admin. tutor. l. Servus 20. §. ultim. l. Cum à te 25. l. Et eleganter 7. §. Si dolo 9. l. Quid enim 14. D. de dolo. l. Si fine 22. §. Quod ſi Procurator per Judicem 2. Digeſt. ratam rem hab. l. Si fundus 16. §. Si pluris, D. de pignoribus.

Secundo autem quæſito reſpondet proprie Faber 21
in ration. l. Si Judex 28. & dict. l. Qui exceptionem 40. D. de condict. indebit. exceptionem, auctoritatemque judicati, quamvis perpetua ſit, & in favorem abſoluti debitoris, non ſubniti naturali æquitate aliqua, quæ præponderet æquitati naturalis debiti permanentis, ſed dumtaxat civili publicæ utilitatis ratione. dict. l. Servo 65. §. Cum Prætor; & ideo non ſufficere ad repetitionem, contra naturale debitum. dict. l. Julianus 60. juncta l. Eas 8. D. de capite min. l. 3. §. ultim. D. quod quiſque juris. Diverſum in Vellejani exceptione, quæ, tametſi non perimat natu-

ralem

R

ralem obligationem, nititur tamen naturali æquitate; fœminis ob imbecillitatem judicii, & ſexus ſubvenienre, eaque naturalis debiti vinculo oppoſita; quæcumque illud non ſolvat, aut ſcindat, remittit ſaltem & laxat, contraria veluti æquitate, & locum facit repetitioni, argumento ex *dict. l. Stichum* 95. §. *Naturalis* 4. & firmare non diſſimili exemplo licet, ex *l. Interdum* 29. *Digeſt. de condiction. indebit.* juncta *l. Cum illud* 25. §. *Heres*, *D. quando dies leg. ced. l. ultim. D. de manum. vind.* Sed abſtinemus, ſatiſque fuerit, expoſuiſſe vel obiter in *tractatu dict. l. Julianus* 60. & quidem, niſi fallimur, ex artis principiis non pauca, de quibus aliter Veteres, & Noſtrates noviores; Claſſici in *dict. l. Julianus* 60. & *in l.* 1. ubi Bart. *num.* 17. Alexand. 9. & 10. Jaſon 21. *D. de condict. indebit.* idem Jaſon *num.* 15. Fulgoſ. 13. Bald. 12. & 27. *in l. Cum quis* 10. *Cod. de jur. & facti ignor.* Duaren. *ad tit. de condict. indeb. cap.* 5. & 6. Hottoman. *in epitom. ibidem n.* 6. Cujac. 3. *quæſt. Pauli in dict. l. Julianus* 66. & 8. *quæſt. Papin. in l. Hæc condictio* 66. *D. de condict. indebit.* Hillig. poſt alios *ad Donell. lib.* 14. *cap.* 12. Garcia *de nobilit. gloſſ.* 8. §. 2. *num.* 7. Petr. Barboſ. in *l. Divortio* 8. §. *ultim. part.* 2. *num.* 60. *D. ſolut. matrim.* Pichard. in *princip. Inſtit. num.* 51. *de obligationib.* D. Gregorius Lop. Madera *animadverſ. cap.* 14. D. Valentia *illuſtr. lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 8. *n.* 19. & *ſeqq.* Noviſſime, &, vel cum diſſentimus, noſter, ex animo, Don Joſephus Retes in *opuſculis lib.* 8. *cap.* 28.

CAPUT XXII.

De Judicato in cauſa ſtatus per colluſionem. Ad Ulpianum 1. *ad Juliam, & Papiam. in l.* 4. *D. de colluſ. deteg.*

ARGUMENTUM.

Judicato pro ingenuitate ſtandum, ſi judicatum ſit cum contradictore, & contradictione juſta. Interpretatio l. Si ſervus 42. D. de liber. cauſ. *Item* l. Sæpe 63. verſ. Nam etſi libertus, D. de re judic. *Judicatum de ſtatu matris, quatenus noceat, proſitve filiis. De contradictore abſente, ad* l. Divi 27. §. 1. D. de liber. cauſ. *expoſitus electus locus in* l. Si dolo 24. D. de dolo. *Fit ex his gradus ad* l. 4. D. de colluſ. detegend. *Cujus ratio illuſtrata in commune, & ſpeciale jus judicati perluſorii de ſtatu. De obſcura illa aſſertione*, eſſe quaſi libertinum in quibuſdam cauſis, *ſingulares cogitationes.*

1 ENimvero definitio illa, ſeu regula de re judicata, de ſtatu habenda, etiam quoad alios pro veritate, ex dicta *l. Ingenuum* 25. *de ſtatu homin.* eget uno, perpetuoque temperamento, ex ratione regulæ ejuſdem deducto, & a quo & alia profluunt; nempe ſi judicata ſit contradicto judicio cum legitimo, ſive juſto contradictore, cujus ex jure tamquam principali, aliorum circa ſtatum jura veluti conſequentia, aut acceſſoria pendent, ut diximus *ſuperiore Capite.* Ergo & hinc in primis deducitur, judicatum pro ingenuitate cum alio, quam vero patrono, contradictore, inefficax eſſe quoad alios, perinde ac ſi judicatum non eſſet. *l.* 3. *D. de colluſ. detegen. l.* 1. *C. de ingen. manum.* juncta *l. Duobus* 30. *D. de liber. cauſa. l.* 1. §. *denunciari* 14. *D. de inſpic. ventre. l. Si ſui* 7. §. *Iiſdem*, *D. de accuſat.* nec obſtare patrono vero, quo minus ſine præſcriptione quinquennii, quæ judicatum pro ingenuitate retractantibus opponi ſolet, *l.* 2. *D. de colluſ. deteg. l.* 2. *D. de jure aur. annul. l. Qui de libertate* 29. §. *ultim. D. de liber. cauſa*, retractare ſententiam poſſit. *l.* 1. *l. Patronum* 5. *D. ſi ingenuus eſſe dicatur.*

2 Unde enucleanda eſt, obſcura alioquin, quæſtio, & ſententia Labeonis, & Javoleni in *l. Si ſervus* 42. *D. de liberali cauſa.* Ubi proponitur: ſi ſervus emptus, contradicente emptore, liber judicatus ſit, & poſtea ejuſdem ſervi dominus emptorem hæredem reliquerit, poſſe eum ab emptore denuo peti, ſeu revocari in ſervitutem, nec obſtituram rei pro libertate judicatæ exceptionem. Ratio autem ſubobſcuræ aſſertionis non ea eſt, quam Accurſius illic obtrudit, & eum ſecutus Baldus *num.* 8. *in dict. l. Ingenuum* 25. ſcilicet, quod in *dict. l. Si ſervus* 42. non judicatum, ſeu pronunciatum ſit, liberum eſſe, ſed ſervum illius, qui emerat, non videri, juxta terminos *l. Divi* 27. §. 1. *verſ. Recte*, *D. de liber. cauſa* (id enim ſi ita eſſet, non diceretur perperam judicatum pro ſervo, ut ſcriptum eſt in *dict. l.* 42. quin potius recte judicatum, quia vere emptoris ſervus non erat; ac præterea cum judicium fuerit proclamationis in libertatem, & emptor, qui pro domino tunc erat, non proponatur, defuiſſe cognitioni, in *dict. l.* 42. ſuadet Juris ratio, pronunciatum fuiſſe, liberum eſſe, & exprimunt aperte *Baſilica in Scholiis κατὰ πόδας, lib.* 48. *tit.* 8. *in dict. l.* 42. ita: *Et Judex perperam pronunciavit, liberum eſſe*) ſed ea potius ratio eſt, Alberico non ignorata, in *l.* 1. *D. ſi ingenuus eſſe dic*; quia emptor, contra quem pro ſervo judicatum eſt, liberum eſſe, non fuit juſtus contradictor, utpote qui à non domino emerat, ut & *Baſilica* exprimunt: & ideo ſicut ea res judicata vero domino non obeſſet, *dict. l.* 1. & *l.* 5. *D. ſi ingen. l.* 3. *D. de colluſ. deteg.* ita neque ipſi emptori ex novo hæreditario jure, aut alio ſimili, rem retractanti: argumento ex *l. Si mater* 11. §. *Eamdem* 4. *l. Si is, qui* 25. *D. de except. rei judic.*

Proxima, & conſentanea propoſitis, magis, quam contraria eſt deciſio illa Pauli in *l. Sæpe* 63. *verſ. Nam etſi libertus*, *D. de re judic.* quæ docet, præjudicare mihi patrono rem judicatam, *ſi libertus meus, me interveniente, ſervus, vel libertus alterius judicetur.* Et quidem interveniente, non modo defendendo, ſed etiam dumtaxat ſciente, & patiente, ut priora exempla *dict. l. Sæpe* 63. ſuadent, & in eadem quæſtione optimus *textus in l.* 4. §. *Idque*, *verſ. Quæ conſtitutio*, *D. de appellat.* & confirmant *Baſilica*, quæ quamvis ex Latino textu *dict. verſ. Nam etſi libertus*, alioquin nonnihil diſcrepantia, tamen pro verbis illis, *me interveniente*, in *dict. l.* 63. *lib.* 9. *tit.* 3. reddunt, *me ſciente.* Denique & *Regia noſtra lex* 20. illic: *E lo ſupieſſe*, *tit.* 22. *part.* 3. quo ſuppoſito apparet, ideo ſcienti patrono præjudicare ſententiam de ſtatu contra illius libertum, quia quamvis patronatus juris defenſio principaliter patrono incumbat, in quo ille primus, juſtuſque contradictor eſt, *l.* 1. *Cod. de ingen. manum. l.* 1. *D. ſi ingen. eſſe dic.* cum tamen id jus pendeat ex perſona, & ſtatu liberti, quem de ſtatu cum alio litigare, patronus ſcit, & patitur, nec aſſiſtit liti ſaltem, ut poſſet, *l. Principaliter* 19. *Cod. de liber. cauſa. l.* 3. §. *ultim. cum l. ſeq. D. eodem tit. cap. cum ſuper* 17. *de ſent. & re judic.* cenſentur ſuum jus remittere; aut ſubmittere judicato contra libertum, *d. l. Sæpe* 63. *verſ. Cur autem*, *cap. penult. de ſentent. & re judic.* Plane à contrario ſenſu ſignificatur in *dict. l.* 63. *verſic. Nam etſi libertus*, non præjudicaturam patrono ignoranti ſententiam de ſtatu liberti, id, quod conſequens eſt ſuperioribus, utpote cum lata ſit ſine juſto contradictore. *l. Patronum* 5. illic: *Quo ignorante res judicata eſt. D. ſi ingen. eſſe dic. l.* 4. *D. de liber. cauſa dict. cap. Cum ſuper* 17. *de ſent. & re judic.* Atque hæc vera, & ſincera explanatio eſt, communiori Doctorum ſenſui, & Regio Juri Septempartito congruens, *d. verſ. Nam etſi libertus*, tametſi de eo aliter, operoſeque

roſeque poſt alios, & præcipue Alexandrum, in *d. l. Sæpe* 63. *num.* 100. & Pontificios in *d. cap. Cum ſuper* 17. noſter Præſes Covarruvias in *practicis cap.* 13. *num.* 9.

4 Deinde & illud traditis apprime convenit, judicatum de ſtatu matris, & contra illius libertatem, nocere filiis poſt litem, ſive in lite natis, quorum fortuna, & ſtatus à matre, tamquam principali, pendet, non autem natis ante litem, quoniam hi de ſuo ſtatu principales contradictores ſunt, & ſuo nomine in litem vocandi, *l. ultim. cum l. Principaliter* 19. *Cod. de liber. cauſa. l. ſi uſumfructum* 23. *§. ultim. D. eod. titul. l.* 2. *Cod. de libertis, & eor. liber.* juncta in ſimili *l. ſi quis cum totum* 7. *§. ſi ancillam & §. de fructibus* 3. *D. de except. rei judic.* ad quas alia noviores: & tamen è contrario judicatum pro ingenuitate matris, proficit etiam liberis, ante litem de ſtatu editis, *l. ſi aviam* 3. *Cod. de ingen. manum.* nimirum quoniam ſavorabilius, & proinde facilius eſt, ut ex alieno fato, vel facto melior conditio noſtra fiat, quam ut deterior, ex ratione *l. Solvendo* 39. *in fine, D. de negot. geſtis*, juncto ad rem proprio exemplo *l. Denunciaſſe* 17. *§. ultim. verſ. Expectabit, D. ad leg. Jul. de adulter.*

5 Altera ejuſdem temperamenti velutio acceſſio eſt, ſi judicatum de ſtatu ſit non modo cum contradictore, ſed etiam cum contradictione juſta. Cæteroquin ſi, quamvis contradictor juſtus fuerit, contradictionem tamen juſtam non ſecerit, ſive quia deſuit cognitioni, & controverſiæ de ſtatu, ſive quia quamvis præſens colluſit, aut luſorie cauſam egit, non facit jus, quoad alios, res ſic judicata, *l. ſi te* 7. *Cod. de ingen. manum. l. Arrianus* 27. *C. de liber. cauſa.* juncta in ſimilibus ſpeciebus regula *l. Qui repudiantis* 17. *§. ult.* cum *l. ſeq. D. de inoffic. l. ſi ſervus* 50. *§.* 1. *&* 2. *D. de legat.* 1. *l.* 5. *§.* 1. *& l. ſi perluſorio* 14. *in princip. & §.* 1. *D. de appellat. l. ſi ideo* 55. *D. de evict. l. Præſes* 5. *Cod. de pignorib. l. Eum, qui* 30. *§. In popularibus, D. de jurejurand.* Pertinet ad priorem partem contradictoris abſentis notus locus Ulpiani *in l. Divi* 27. *§.* 1. *D. de liber. cauſa*, de qua multa accurate, poſt magnum Præſidem, ex eodem Collegio, & Senatu, noſterque olim Salmanticæ, virtutis ergo, & ſine affectus, & æſtimationis damno, agoniſta, D. Martinus Larriategui *lib.* 6. *ſelectar. cap.* 2. *ex num.* 7. Illud indictum adhuc addimus, nempe exceptionem illam propoſitam in *d. l. Divi* 27. *§.* 1. *verſ. Quod ſi ex ſervitute*, ut etiam abſente contradictore aſſerentis ſe ex ſervitute in ingenuitatem, poſſit ex magna cauſa, & evidentibus probationibus cognoſci, & pronunciari ingenuum, videri, pertinere etiam ad caſum, quo quis ex libertate in ſervitutem petitur, *l.* 4. *Cod. de liber. cauſa.* juncta in ſimili ſpecie, & ex *eodem libro* Ulpiani *ſecundo de officio Conſulis*, ex quo *dict. l.* 27. *Circa* 14. *in fine, D. de probation.* ac præterea rem ita, abſente juſto contradictore, judicatam pro ingenuitate, jus ſic omnino ſacere, ut neque ab ipſo, neque ab alio retractari poſſit, Covarruviæ noſtro adnotatum in *pract. cap.* 13. *n.* 5. *verſ. Quartò*, ex ſententia *d. l.* 27. *§.* 1. firmamus nos electo, & invulgato ad rem teſtimonio ejuſdem Ulpiani in *l. ſi dolo* 24. *D. de dolo*; ubi *ſi dolo ejus, qui verba faciebat pro eo, qui de libertate contendebat* (hoc eſt, ut recte Faber in *rationali* poſt Cujacium illic, ſecundum vetus Jus exaudivit, dolo aſſertoris, qui litiganti de libertate aderat, aſſerens eum, & deſendens, litemque agens ſuo periculo, *l.* 1. *&* 2. 4. *&* 5. *C. Theodoſ. de liber. cauſ.* Paulus *lib.* 5. *ſentent. tit.* 1. *§. ult. l.* 1. *&* 2. *C. de aſſert. tol.* poſt quas omiſſa à Triboniano mentio aſſertoris, ſicubi in priſcis legibus extabat. Ut in *l.* 1. *Cod. de offic. Prætor.* juncta *l. Prætori* 16. *Cod. Theodoſ. de Prætoribus*) ſi dolo, inquam, aſſertoris acciderit, *quo minus præſente adverſario ſecundum libertatem pronuncietur*, id eſt, ut eo non præſente, ſed utcumque evocato, & abſente, pronunciatum ſit pro libertate, tenetur ipſe aſſertor, ſive aſſerti defenſor de dolo actione ei, quo per illius dolum abſente pronunciatum eſt pro libertate, ut exprimunt clarius *Baſilica lib.* 10. *tit.* 3. *in dict. l. ſi dolo* 24. & quidem *ſtatim, quia ſemel pro libertate dictam ſententiam retractari non oportet*, ſive quia quamvis ſi in lite de alia re dolus ſimilis interceſſiſſet, potius lis reſtituenda in adverſarium, quam de dolo actio danda foret, *l.* 3. *§.* 1. *D. de eo, per quem factum erit*; tamen lis judicata pro libertate nec reſtituitur, nec retractatur, *l. ultim. Cod. ſi adverſ. libert. l. Illud* 9. *D. de appellat.* & ideo ſtatim, ſive protinus, non expectata litis reſtitutione, quæ impoſſibilis eſt, tenetur aſſertor de dolo in id, quod intereſt. Ut in *l. Arbitrio* 18. *§.* 1. *D. de dolo.* Conſtat itaque etiam abſente juſto contradictore, ſi tamen illi initio adfuit, & contradixit, & poſtea defuit evocatus cognitioni, poſſe pro libertate pronunciari, & rem ſemel ſic judicatam nec retractari ab eo, neque ab alio, *dict. l. Divi* 27. *§.* 1. *dict. l. ſi dolo* 24. *dict. l.* 4. *l. Juſta* 40. *Cod. de liber. cauſ.* ceſſatque hoc ſaltem caſu regula *l. Qui non repudiantis* 17. *§. ultim. & l. ſeq. D. de inoffic. l. ſi perluſorio* 14. *§.* 1. *D. de appellat.* cum ſimilibus ſupra laudatis.

Sed & poſterior pars aſſertionis nuper expreſſæ, de contradictore præſente, & colludente, aſſertorem habet Ulpianum *lib.* 1. *ad legem Juliam, & Papiam in l. ſi libertinus* 4. *D. de colluſ. deteg.* quo loci hanc valuti exceptionem adjecit regulæ, *eodem lib.* 1. *ad leges noſtras* traditæ in *dict. l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom. l. Res judicata* 207. *D. de regul. jur.* ſcilicet, ut res judicata de ſtatu pro veritate habeatur, niſi colluſum ſit. Concinunt pro hac exceptione Juris auctores in *l.* 1. & integris titulis *D. & Cod. de colluſ. deteg. l. ſi te* 7. *Cod. de ingen. manum. l. Patronum* 8. *§.* 1. *D. de in jus voc. l.* 1. *&* 2. *D. de jure aur. annul. l. Qui de libertate* 29. *§. ultim. D. de liber. cauſ.* junctis *l.* 3. *§. Plane* 10. *D. de hom. lib. exhib. l. ſi hæredes* 12. *Cod. de teſtam. manum. l. Arrianus* 27. *Cod. de liber. cauſa.* Conducit & generalis ratio Juris, & regula, quæ perluſoriis judiciis, ſeu colludentibus litigatoribus judicata non habet pro judicatis, etiam extra cauſas ſtatus. *l.* 5. *§.* 1. *l. ſi perluſorio* 14. *D. de appel. l. ſi ſervus* 50. *§.* 1. *&* 2. *D. de legat.* 1. *l. ſi ſuſpecta* 29. *D. de inoffic. l. Præſes* 5. *Cod. de pignor. l. Eum, qui* 30. *§. In popularibus, D. de jurejur. cap. Audivimus* 3. cum *ſeq. de colluſ. deteg.* & quidem merito, quia colluſio excludit juſtam contradictionem, & cognitionem, magnumque illum conflictum, quo judicati auctoritas nititur, *l.* 1. *§. Prævaricatorem* 6. *D. ad S. C. Turpil.* juncta *l. ult. C. comminationes, vel epiſt.* 6

Illud proprium judicati per colluſionem pro libertate, aut ingenuitate, ut quamvis in aliis cauſis judicata per colluſionem retractentur, jure ordinario, reſtituta lite, per actionem de dolo, aut exceptionem, *l. Et eleganter* 7. *§. ſi dolo* 9. *l. quid enim* 14. *D. de dolo, l. ſi de communi* 19. *D. ſi ſerv. vind. l. ſi Procurator* 8. *§.* 1. *D. mandati. l. Ita demum* 31. *D. de recept. & qui arbitr. l. ſi Procurator* 9. *D. de doli except.* & extra ordinem, ac criminaliter, accuſatione ſtellionatus, *l.* 3. *§.* 1. *in princip. & verſ. Item ſi quis, D. de ſtellion.* juncta *l. ſi fidejuſſor* 29. *§. In omnibus, D. mandati*, aut prævaricationis, *l.* 1. *Cod. de advocat. diverſ. judic. l.* 3. *§.* 1. *de prævaricat. l. ſi quis homicidiis* 11. *Cod. de accuſat. l. Ejus* 29. *verſ. Plane, D. de jure Fiſci. l. Intra* 10. *D. de diverſ. & temp. præſcript. l.* 1. *Cod. de ſentent. adverſ. Fiſcum lib.* 10. juncta *l.* 1. *§. Prævaricatorem* 6. *D. ad S. C. Turpil.* & jure Attico, actione, ſive *δίκη κακοτεχνιῶν*, de qua tam acriter digladiantur noviores Juris Attici enarratores, Samuel Petitus *ad leges Atticas tit.* 7. *de teſtib. pag.* 358. Deſider. Herald. *lib.* 1. *de auctor. rer. jud. cap.* 3. *&* 9. Claud. Salmaſ. in *obſervat. ad Jus Attic. cap.* 10. *&* 30. tamen lis judicata etiam per colluſionem, aut dolum pro ingenuitate, aut libertate, non retractatur, aut reſcinditur actione de dolo, aut judicio alio reſtitutorio. *dict. l. ſi dolo* 24. *l. Et eleganter* 7. *D. de dolo, l. ultim. Cod. ſi adverſ.* 7

verſ. lib. l. Illud 9. *D. de appellat. l. ſi ex cauſa* 9. *§. ultim. D. de minor.* ſed extra ordinem, proprio, & ſpeciali jure ex Senatuſconſultis, & Conſtitutionibus, quibus retractare ſententiam de ingenuitate ex cauſa colluſionis permittitur intra quinquennium ſemel, etiam extraneis, vivo eo, qui ingenuus pronunciatus eſt, eaque ſingula propria hujus juris, nec aliis colluſionum retractationibus communia exprimuntur in *l.* 1. 2. *& ult. D. de colluſ. deteg. l.* 1. *&* 2. *C. eod. tit. l.* 1. *§. Sed interdum, D. ne de ſtatu defunct.*

8 Jam vero hiſce ſuppoſitis, Ulpiani *lib.* 1. *ad leges noſtras in d. l. ſi libertinus* 4. *D. de colluſ. deteg.* duæ ſunt poſitiones. Prima; libertinum per colluſionem pronunciatum ingenuum, poſtea colluſione detecta, *incipere, eſſe quaſi libertinum in quibuſdam cauſis.* Et ſane, ut, colluſione detecta, ſit libertinus, non autem ſervus, nihil moror, aut miror, quia quamvis ſi ex ſervitute ingenuus per colluſionem pronunciatus fuiſſet, fieret, colluſione detecta, ſervus detegentis, *l.* 1. *in fine D. de colluſ. deteg. l. Qui de libertate* 29. *§. ult. D. de liberali cauſa.* Si tamen libertinus cum eſſet, ut Ulpianus expreſſit in *d. l.* 4. fuit per colluſionem judicatus ingenuus, non fit, colluſione detecta, ſervus, ſed libertus illius, qui detexit, *l. Patronum* 8. *§.* 1. *D. de in jus voc. l.* 1. *&* 2. *D. de jure aur. annul. l.* 2. *C. de colluſ. deteg.* cujus Latina illa periphraſis, *contra colluſionem pœna ſtatuta, præmioque detegenti promiſſo*, explanatur in Baſilico textu, his verbis *lib.* 48. *tit.* 23. *Eum autem, qui hoc fecerit, mulctari jure patronatus, & ejus, qui detexerit, pro præmio libertum effici.*

9 At quod ſimul exprimitur in *d. l.* 4. colluſione detecta, incipere, eſſe libertinum, *in quibuſdam cauſis*, quem non morabitur? Cur enim non in omnibus ſit libertinus, colluſione detecta? Aut cur, aut quo colore, maneat in aliis cauſis, etiam detecta colluſione, ingenuus, & colluſionis præmium veluti ferat, retineatque, contra *l. ſi ſervus* 50. *§. ſi quis ante* in fine, *D. de legat.* 1. *l. Qui autem* 6. *§. ſi patronus* 8. *D. ſi quis omiſſa cauſa teſt.* Pupugit certe merito adjectio illa, *in quibuſdam cauſis*, poſt Accurſium, Fabrum, Sanjorianum *ad l. Res judicata* 207. *D. de regul. jur.* qui tamen vix diſcuſſo, aut excuſſo aculeo pertranſit. Pupugit & fortaſſe concinnatores Baſilicorum, quorum tam textus, quam Scholia τῷ πόδας, verbum verbo reddentia, ſilent, omittuntque verba illa, in *quibuſdam cauſis*, *lib.* 48. *titul.* 12. in *d. l.* 4. Nobis non diſpliceret, ſi exponi, ut libertinus colluſione detecta, cenſeatur quaſi libertinus in quibuſdam cauſis, quoniam in aliis quibuſdam non habetur pro libertino, veluti, ne retineat jus aureorum annulorum, quod quaſi libertinus impetraverat, aut alimenta, ſibi inter cæteros libertos relicta, *l.* 1. *&* 2. *D. de jure aur. annul.* imo pro quaſi ingenuo eſt, reſpectu patroni, qui colluſit, & patronatus jure mulctatur, *l.* 2. *Cod. de colluſ. deteg.* juncta *l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt. l. ult. D. de adopt.* & è contrario non eſt pro libertino in omnibus, etiam reſpectu colluſionem detegentis, cujus quamquam libertus fiat, quoad obſequium, non tamen quoad operas, & ſucceſſionem, ut obſervat Innominatus, quem vocat, Scholiaſtes *Baſilicon lib.* 28. *tit.* 4. *ad l. In eo* 45. *§.* 1. *D. de ritu nupt.* & expreſſum eſt nobili de patronatus jure Conſtitutione Juſtiniani, quam Latinam, & ex Baſilicis dedit Cujac. 20. *Obſerv. cap.* 34. extatque in *l.* 4. *C. de bonis lib. & Baſilic. lib.* 49. *tit.* 1. Denique & quod fortaſſe proprie magis Ulpiano aptaverim, ſi libertinus iſte, pronunciatus ingenuus, ante detectam colluſionem duxerit Senatoriam uxorem, erit etiam, colluſione detecta, non quaſi libertinus, ſed quaſi ingenuus, ne nuptiæ bene concordantes, & honeſte primum contractæ, ex poſt ſubſecuto turbentur, & diſſolvantur, argumento belliſſimi ad rem textus, *& in colluſionum tractatu* paradoxi, in *l. Adulter* 19. *§. ult. verſ. Proinde.* juncta *l. Miles* 11. *§. licet* 11. *l. Conſtante* 26. *D. ad leg. Jul. de adult. l. Lege* 44. *§. ſi poſtea, cum §. ſeq. D. de ritu nupt. l. ſi libertam* 28. *C. de nupt.* de queis ſuo loco plenius, à queis diverſæ magis ſunt, quam diſſonæ theſes, & ratio, *l. A Divo* 58. *D. de ritu nupt. cap.* 2. *&* 4. *de conjug. ſerv. cap. ſi quis ingenuus* 29. *q.* 2.

Secunda Ulpiani in *d. l.* 4. propoſitio eſt: medio 10
tempore, ante colluſionem detectam, & poſt ſententiam de ingenuitate, libertinum habendum eſſe pro ingenuo, ſcilicet, tam quoad nuptias cum Senatoriis, *cap. Cujus* 6. 29. *quæſt.* 2. quam quoad reliqua ingenui jura; idque expeditiſſimum eſt, quoniam res judicata pro veritate habetur interim, eaque ut reſcindatur, præcedere debet judicium declaratorium colluſionis. *l. Et eleganter* 7. *§. ſi dolo. D. de dolo. l.* 3. *ſi tamen* 13. *D. de homin. liber. exhib. l. Intra* 10. *D. de diverſ. & temp. præſcript. l.* 3. *§.* 1. *Digeſt. de prævaricat. l.* 1. *Cod. de Advoc. div. judicior. l. ſi quis homicidii* 11. *Cod. de accuſat. cap.* 3. *&* 4. *de colluſ. deteg.* Exemplum rei in nobili illo mimo, & liberto Paride, qui ingenuus pronunciatus per colluſionem, & ereptus Domitiæ patronæ, *quaſi Jure Civili non ſine infamia Principis, cujus juſſu perpetratum ingenuitatis judicium erat*, ut Tacitus ſcribit 13. *Annal.* quoniam tamen pro ingenuo interim, repetit per Judicem ſtatim decem, quæ pro manumiſſione dederat, *l.* 3. *§. ſi liber* 5. *verſic. Neratius, D. de cond. cauſ. data*, in qua Ulpiani memoriæ labem, ſive μνημονικὸν ἁμάρτημα; nuncupantis Domitiam, Neronis filiam, quæ amita fuit, agnoſcit Cujac. 18. *Obſervat. cap.* 23. *& ad titulum Cod. de liberali cauſa.* & excuſat quadamtenus Lud. Dorleanus *ad Tacitum laudato loco.*

CAPUT . XXIII.

De Liberto cum jure aureorum annulorum, aut adrogato à Patrono, quoad connubium Senatorium. Ad leg. 4. & ult. D. de jure aur. annul. l. Sciendum 32 D. de ritu nupt. l. ultim. D. de adoptionibus. Quæ ſunt ex libris Juriſconſultorum ad leges Juliam & Papiam.

ARGUMENTUM.

D*E priſco jure aureorum annulorum, Collectanea. Ejus effectus fuit, ut libertus eſſet pro ingenuo, præterquam quoad patronum. Subodoratum gloſſema in* l. Falſa 33. §. Sed ſi cui, D. de condit. & demonſtr. *Dubitandi, & decidendi ratio in* l. ultim. D. de jure aur. annul. *& diſcriminatio ejus, &* l. 32. D. de ritu nupt. *De fœmina impetrante jus aureorum annulorum ſingularis nota, in* l. 4. D. de jure aur. ann. *Plurium annulorum abuſus, luxuſque in fœminis. Et de aureorum in eiſdem uſu; diſtinctæ matronæ, & ingenuæ à libertinis. Obſervati, & expenſi Juſtiniani, & aliorum loci, & præ aliis Hieronymi* epiſt. ad Oceanum. *Reſtitutionis natalium plenius jus, quam annulorum. De liberto adrogato ab ingenuo, & cur non ſit pro ingenuo, quoad connubium Senatorium. Enodata, & cum aliis collata* l. 32. D. de ritu nupt. *de filio libertino, adrogato à patre, qui pro ingenuo in familia adrogatoris, non extra eam. Ad* l. ultim. D. de adopt. *Non idem eſt in eo, quem patronus teſtamento filium nominavit. Explanata* l. Cajus 12. D. de jure patronatus.

1 PErtinent ad eamdem fere cauſam, rationemque temperamenti propoſiti de ingenuitate, adepta ſine contradicto judicio, vel contradictione juſta, nobiles duæ inſpectiones, primæque illi de ingenuo judicato jam ſuccedentes, nempe de libertino, impetrante jus aureorum annulorum, aut adrogato ab ingenuo. De priore Ulpianus noſter *lib. 2. & 3. ad leges Juliam, & Papiam in l. 4. & ultim. D. de jure aureor. annul.* ad quas liceret multa de aureorum annulorum jure, & uſu ex vetere memoria repetere, qualia potiora, ſatiſque ſi his jungatur, futura ſubnotavimus *lib. 3. cap.* 1. haurietque ex aliis plura cui vacat. Videſis, præter Cujacium, Briſſonium, Pet. & Anton. Fabrum, alioſque apud Hilliger. *ad Donell.* 2. *cap.* 10. *lit. I.* Alex. ab Alex. *lib.* 1. *dier. gen. cap.* 20. & 29. Cœlium Rhodigin. *lect. antiqu. cap.* 11. & 12. Wolfgang. Lazium *lib.* 9. *com. Reip. Roman. cap.* 10. Fr. Connan. 2. *comment. cap.* 12. Jacob. Menoch. *de arbitr. caſu* 402. Ludov. Vives, & Leon. Coquæum in *D. Auguſt. de Civitat. Dei, lib.* 3. *cap.* 19. Carol. Sigon. *de ant. jure civil. lib.* 2. *cap.* 3. Juſt. Lipſ. 2. *elector. cap.* 8. Jan. Bernart. *ad lib.* 3. *ſylv. Statii in lachrymis Hetruſci pag. com.* 103. Cæſar. Bulenger. 7. *de Imper. Roman. cap.* 14. Henr. Salmuth. in *notis ad memorabilia Pancirollæ,* 1. *part. tit.* 58. Læl. Viſciola *lib.* 19. *horar. ſubſic. cap.* 22. Pancirol. *lib.* 1. *Theſaur. var. lect. cap.* 14. Laurent. Pignor. *lib.* 1. *ſymbolic. epiſt.* 1. Georg. Longum *de annul. ſignatorio, cap.* 5. & poſt Abrah. Gorlæum in *Dactyliotheca*, pluribus Theodor. Hopping. *de jure inſign. cap.* 2. *num.* 485. & *cap.* 22. *num.* 265. & *ſeqq.* & *de jure ſigillor. cap.* 2. *num.* 146. Amaja *ad l.* 1. *num.* 46. & *ſeqq. Cod. ſi ſervus, aut libert. ad Decur. lib.* 10. Eliam Schedium *de Diis Germanis, ſyntagm.* 2. *cap.* 7. pleniſſime, ut ſolet, Lorinum *ad caput* 2. *epiſt. D. Jacobi, verſu* 2.

2 Nunc pro re, duo dumtaxat præmittimus. Primum ſit, libertinum, impetrato aureorum annulorum jure, conſequi, quoad vivit, & quoad alios quam patronum, honores, jura, & munia ingenuitatis, cujus nota, & inſigne fuit aureus annulus. *l. penult. & ultim. D. de jure aur. annul. l. 2. Cod. eodem tit. l. unic. Cod. ad leg. Viſſel. Novella* Juſtiniani 74. *Quibus modis natur. effic. legit. cap.* 1. Idcircoque ad honores ingenuorum, dignitateſque veluti Curiæ, & Decurionatus, admittitur, quibus alioquin arcetur, *dict. l. unic. l. 1. Cod. ſi ſervus, aut libert. ad Decurion. lib. 10. l. unic. Cod. quando civilis act. crim. præjud.* & tamquam ingenuus excuſatur à tutela pupilli libertini, ex oratione Marci, & Senatuſconſulti, niſi & ipſe pupillus jus aureorum annulorum impetraverit. *l. Cum ex oratione* 44. *in princip.* & §. 1. & 2. juncta *l.* 1. §. 4. *D. de excuſat. tutor.* & è contrario, quamvis patroni Senatoris negotia gerat, non eſt immunis à tutelis, tamquam qui in ordinem ingenuorum tranſiit. *d. l. Cum ex oratione* 44. §. *ult.* juncta *l. Libertus* 17. §. 1. *D. ad municip.*

3 Secundum eſt, reſpectu patroni libertinum impetrantem jus aureorum annulorum haberi adhuc pro liberto *d. l. penult. & ult. D. de jure aur. ann. l. 2. C. eod. tit. l. Sed ſi hac* 10. §. *Sed ſi jus* 3. *D. de in jus voc. Novella* 78. *ut liberti de cætero aureo non indigeant annulo, cap.* 1. & 2. Quocirca nec recipitur excuſatio ejus à tutela, & cura liberorum patroni, utpote quoad patronum adhuc liberti, ſive qui *adhuc cuſtodit libertorum ordinem*, ἐν τούτῳ, ſive *in hac re*, ut Græcus Modeſtini textus habet in *l.* 14. §. 2. *Digeſt. de excuſat. tutor.* (ſcilicet quoad patronum, nam quoad alios tranſit in ordinem ingenuorum, *d. l. Cum ex oratione* 44. §. *ultim.*) & tamquam libertus patroni, à familia, occiſi ſubjicitur quæſtioni, & equuleo, *l. Itemque* 10. *D. de S. C. Syllan.* & tamquam libertus punitur, aut impune occiditur, deprehenſus in adulterio patroni uxoris, aut patronalium fœminarum. *l. Si is, qui* 42. *D. ad leg. Jul. de adulter.* quæ ex *eodem libro* Tryphonini *ſecundo* diſputationum eſt, & jungenda cum *dict. l. Idemque* 10. & inter libertos alimenta à patrono libertis relicta capit, & retinet. *l.* 1. *D. de jure aur. annul. l. Falſa* 33. §. *Sed ſi cui, D. de condit. & demonſtrat.* (in qua fere eſt, ut ſuſpicer, irrepſiſſe in textum gloſſema aliquod ſciolæ manus, ſatagentis exponere illud, *ſed ſi cui quaſi liberto*, adjectione illa, *id eſt inter libertos*, quam Baſilica quidem non agnoſcunt, atque ita ſimpliciter exprimunt, Εἰ δὲ καὶ ἀπελευθέροις ληγατευθῇ. *Quod ſi libertis legatum fuerit*) & denique patronatus jure tenetur, tam quoad reverentiam, *dict. l. Sed ſi hac* 10. §. *Sed ſi jus* 3. *D. de in jus voc.* quam quoad ſucceſſionem patronalem, *l.* 3. *D. de bonis lib. l. penult. D. de jure aur. annul.* quæ ex Paulo ad leges noſtras eſt *lib.* 9. quo, & præcedente de jure patronatus egiſſe creditur. *l. Qui contra* 15. *Digeſt. de jure patronat.* Ex utroque autem præmiſſo apparet, quatenus, & quam recte affirmetur, libertinum poſt jus aureorum annulorum vivere, ut ingenuum (quoad alios ſcilicet præter patronum) & mori, quaſi libertum, *dict. l.* 3. *D. de bon. lib.* ſive tribui eo jure, *libertinis, quoad vivunt, imaginem, non ſtatum ingenuitatis, l. unic. Cod. ad leg. Viſſel. dict. l.* 2. *Cod. de jure aur. ann.* in qua ita probabiliter, *libertini*, pro *libertinitatis*, corrigunt, Cujac. *ad l. 1. Cod. ſi ſervus, aut libert. ad Decur. lib.* 10. Pacius *cent.* 6. *quæſt.* 86. Laur. Pignor. *Symbolic. epiſt.* 1. Amaja *ad dict. l.* 1. *Cod. ſi ſervus, aut lib. ad Decur. lib.* 10. *num.* 46. ſive, quod idem eſt, honorem augeri, non conditionem mutari. *d. l. Falſa* 33. §. *Sed ſi cui, D. de condit. & demonſtr.*

Porro his præmiſſis, ut ea jam commentationi 4
noſtræ, & Ulpiano in *dict. l. 4. & ultim. D. de jure aur. annul.* propius ſubſerviant, in primis quod attinet ad *dict. l. ultim.* quæ ex *libro* 1. Ulpiani eſt *ad legem Juliam, & Papiam*, ſcriptum inibi eſt, libertinum, ſi jus annulorum impetravit, quamvis jura ingenuitatis, ſalvo jure patroni, nactus ſit, tamen ingenuum intelligi, atque ita Divum Hadrianum reſcripſiſſe; eſt autem ea ſententia, ut ex inſcriptione apparet, junctis ex *eodem libro* 1. Ulpiani *l. Palam* 43. *D. de ritu nupt. l.* 5. & 7. *D. de Senatoribus. dict. l.* 4. *D. de colluſ. deteg. dict. l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom.* referenda ad tractatum legum noſtrarum, eamque illarum partem, ſeu *caput, de prohibito connubio Senatoris cum libertinis.* Ac proinde ſententia eſt, ut quamvis libertinus impetratis annulis, non ſit ingenuus ſtatu, ſed imagine, ac velut umbra, *dict. l. 2. Cod. de jure aur. annul.* neque abſciſſe, abſoluteve nanciſcatur jura ingenuitatis, ſed ſalvo jure patroni, *dict. l. ultim. & l. penult. & 3. D. de jure aur. annul. l. 3. D. de bon. lib. l. Sed ſi hac* 10. §. *Sed ſi jus* 3. *D. de in jus voc. l. ſi is, qui* 42. *D. ad leg. Jul. de adult. l.* 14. §. 2. *D. de excuſ. tut.* eaque jura ingenuitatis conſequatur beneficio Principis ſine contradicto judicio, aut contradictore juſto. *d. l.* 3. *D. de jure aur. annul. l. 2. Cod. eodem tit.* ideoque non videtur habendus pro ingenuo, quoad connubium cum Senatoria fœmina, qui in omnibus ingenuus non eſt, exemplo ejus, quod ſcriptum eſt de libertino, adrogato ab ingenuo, Principis beneficio. *l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* juncta *l. ultim. D. de adopt.* quæ dubitandi ratio eſſe potuit, apud Ulpianum in *d. l. ultim.* tamen rectius deciditur, intelligendum eſſe ingenuum, quoad nuptias Senatorias ex lege Julia, quia annulorum impetratio tribuit ei honores, jura, & munia omnia ingenuitatis quoad alios, quam patronum. *l. unic. Cod. ad l. Viſſell. l.* 11. *Cod. ſi ſervus, aut lib. ad Decur. lib.* 10. *dict. l. Sed ſi hac* 10. §. *Sed ſi in jus l. Cum ex oratione* 44. *D. de excuſat. tutor.* Cujuſmodi honor eſt, & ingenuitatis prærogativa, jus, ſeu capacitas connubii cum Senatoria fœmina. *l. Senatoris* 47. *in fine. D. de ritu nupt.* egregie, & ad rem noſter Accurſius in *dict. l. ult. & in l.* 2. verb. *Tributus, Cod. de jure aur. annul.* & quamvis ſine contradicto judicio, aut contradictore ea jura nactus ſit, tamen in his, per quæ patrono non præjudicatur, & quoad alios, ſatis eſt, nactum fuiſſe beneficio Principis, cujus eſt, dare aditum famæ, honoribus, ingenuitati, etiam quoad

jus

jus connubii. *l. Imperialis* 23. *Cod. de nupt.* in eoque diverſa ſpecies eſt libertini, adrogati ab ingenuo, quia non nanciſcitur ingenui jura, niſi in ea familia, ac proinde non extra eam, & quoad nuptias Senatorias. *dict. l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* Idque ex eo rurſus, quia aureorum annulorum jus impetratur, & principaliter reſpicit honores publicos ingenuitatis. *dict. l. unic. Cod. ad leg. Viſſell.* Adoptio autem principaliter privata jura filii, & familiæ adoptantis. *l.* 1. & 2. *l. Qui in adoptionem* 23. *D. de adopt. l. Amiſſione* 5. §. *ult. cum l. ſeq. D. de capite min.*

5 Singulare magis eſt, &, ut Connanus *lib.* 2. *com. cap.* 12. *num.* 2. Rhodig. 6. *lect. antiq. cap.* 12. Hopping. *de jure inſign. cap.* 22. *num.* 275. aliique notant, mirandum, quod ex Ulpiani ejuſdem *lib.* 3. *ad leges noſtras* proſcribitur in *dict. l. Etiam* 4. *D. de jure aureor. annul. Etiam fœminæ jus annulorum aureorum impetrare poſſunt, & jura ingenuitatis impetrare, & natalibus reſtitui, poterunt.* Quippe primum illud de fœminis, jus annulorum impetrantibus, nuſquam lectum noſtratibus, imo & abſurdum fere videtur, cum fuerint annuli præmia, & inſignia equeſtris militiæ, à fœminis perquam alienæ, ideoque eo fere defugiunt, ut jus annulorum impetrare in fœminis, exaudiant pro eo, quod ſtatim ſequitur, *& jura ingenuitatis*, non autem proprie annulorum equeſtrium, quorum fœminæ expertes, & impotes.

6 Nos in primis agnoſcimus frequentem annulorum uſum in muliebri mundo, & ornamentis. *l. Argumento* 25. §. *Ornamenta* 10. *l. Pediculis* 32. §. *Titia, D. de auro, & argent. l. un. verſ. Nulli, Cod. Nulli licere in frænis lib.* 11. juncta *Novella* Leonis 81. Imo luxum, licentiamque, cum, ut noſter Iſidorus *lib.* 19. *etymolog. cap.* 32. cum apud veteres ultra unum annulum uti, infame viro videretur, fœminæ tamen binos, ac poſtea plures ſingulis digitorum articulis ferre ſolitæ; neque immerito Tertullianus in *Apolog. cap.* 6. cum primum ſcripſiſſet, Matronas olim auro non uſas, præter uno digito, quem ſponſus oppigneraſſet pronubo annulo, ſubjungat, *nunc præ auro nullum in fœminis leve membrum eſſe*, exponente de annulis Iſidoro jam laudato; & apertius Tertullianus idem ſcripſerit, *de habitu muliebr. cap. ult. Uno lino decies ſeſtertium inſeritur; ſaltus, & Inſulas tenera cervix circumfert; graciles aurium cutes calendarium expendunt; & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit.* Seneca *de viris muliebriter cultis* 7. *natur. quæſt. cap.* 31. *Exornamus annulis digitos: in omni articulo gemma diſponitur. Quotidie comminiſcimur, per quæ virilitati fiat injuria.* Clemens Alexandr. 3. *pædag. cap.* 2. Plinius 33. *natur. hiſt cap.* 3. *Habeant fœminæ* (aurum) *in armillis, digitiſque totis.* Et de viris, luxu diffluentibus idem *dict. lib.* 33. *cap.* 1. *Gemmas addendo exquiſiti fulgoris, cenſuque opimo digitos onerando.* Ovidius *epiſt.* 21. *Cydippe. Ipſa dedit gemmas digitis, & crinibus aurum.* Et *epiſtol.* 15. *Nec premit articulos lucida gemma meos.*

7 Deinde & obſervamus, aureorum annulorum jus, & uſum fuiſſe etiam in Matronis, ingenuitatis inſigne, & Equeſtris Nobilitatis, eoque à libertinis, & è plebe fœminis diſtingui ſolitas patricias, & nobiliores, quibus ſolis auri uſus, Romanis moribus, permiſſus, ut & dicemus infra *lib.* 3. ſive quas, ut Apulejus 2. *de aſino, aurum in gemmis, & in tunicis matronas profecto confitebatur.* Matronas, inquam, hoc eſt, ut Paulus apud Feſtum exponit, *quibus ſtolas habendi, jus erat*; ac proinde patricias, & nobiles: ſed de annulis aureis matronalibus proprie Leo Cæſar in *d. l. unic. verſ. Nulli, C. nulli licere in frænis lib.* 11. & de jure aureorum annulorum, libertinæ fœminæ impetrato, tamquam ingenuitatis nota, & præludio, exerte Juſtinianus, optimus Ulpiani noſtri Interpres, in *Novella* 18. *de triente, & ſemiſſe, cap. ultim.* ubi de ancilla concubina, ita: *Poſtea vero libertate honoraverit & ancillam, & natos, & jus eis* (tam matri, quam liberis, ait Cujacius *ad Novell.* 12. *in fine*) *aureorum potierit annulorum, & regenerationis, & inter ingenuos ſecundum juſtos reduxerit modos, & nuptias confirmaverit.* Referenda huc fortaſſe *vetus Lugdunenſis Inſcriptio* apud Gruterum, *pag.* 567. *num.* 8. quæ ſic habet: ET. QUIATI. ÆTERNÆ. VERINIÆ. INGENUÆ. LIBERTÆ. QUONDAM. ET CONJUGI. Et poſt alia, C. VERECUNDINIUS. VERINUS. CONJUXS. ET PATRONUS. Et apparet, poſita eſt libertæ conjugi, poſtea ingenuæ factæ, non reſtitutione natalium, ſed jure ingenuitatis per annulos, unde & adhuc patronus conjux vocatur. Jungendum illud Plauti in *Caſina actu* 3. *ſcena* 5. ubi ancillam herus demulcet, pollicitatione aurei annuli, quem geſtet in digito, alioquin non permiſſum, notante ibi Taubmano: *Si effeceris hoc, ſoleas tibi dabo, & annulum in digito aureum.* Accedit obſervatis, quod in compedibus, ſeu pedum vinculis, aut calceorum anſis, quas ſcite, & ſalſe, *annulos*, vocat Martialis *lib.* 3. *epigr.* 29. & *lib.* 11. *epigr.* 38. diſerte omnino Plinius *lib.* 33. *natur. hiſtor. cap.* 3. ſcribit, aurum in matronalibus compedibus, *hunc medium inter ſtolam, plebemque fœminarum Equeſtrem Ordinem facere.* Et è contra idem *eodem libro cap.* 12. *Argentum ſuccedere aliquando & auro, luxu fœminarum plebis, compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas, mos triſtior vetat.* Petronius de matrona illa *Circe* ex Orcheſtra quatuordecim tranſiliente *Satyric. cap.* 36. *Jam pedum candor intra auri gracile vinculum poſitus*: ad quem multa novi Scholiaſtæ, & nos ſupra. Ergo nec mirum jam, aureorum annulorum jus impetrari à fœminis libertinis, tamquam inſigne non militiæ, ſed ingenuitatis, & Nobilitatis Equeſtris, utpote quas alioquin, ab aureis annulis etiam in pedibus, triſtior, ut Plinius loquitur, ſive ſeverior mos arcebat, & ſeparabat ab Equeſtri Ordine, imo nec ſine effectu id jus in fœminis, & valiturum ſaltem ad nuptias cum Senatorio viro, ut vel Accurſius noſter admonuit in *dict. l. Etiam* 4. & enodabimus ad Juſtinianum, Ulpiano, ut & viciſſim illuſtrentur, conferendum, in *l. Imperialis* 23. §. *Similes* 4. *C. de nupt.* infra.

8 Præmittendus tamen jam nunc, & conferendus cum Ulpiano, & Juſtiniano mutuam ad lucem locus Hieronymi *epiſt. ad Ocean.* 38. Ubi de pauperibus nuptiarum ſarcinam declinantibus, & ancillas ſuas, atque ex eis liberos in contubernio habentibus ſubjungit, ita: *Qui ſi forte ditati, ab Imperatore ſtolam illius meruerint, confeſtim Apoſtolo colla ſubmitterent, & inviti inter uxores, eas recipere cogentur; ſin autem Principale Reſcriptum eadem tenuitas impetrare nequiverit, cum Romanis legibus ſcita Eccleſiæ mutabuntur.* Si tamen levi emendatione, pro verbis *ſtolam illius*, legas, *ſtolam illis meruerint* (quomodo hæc poſt dictata, comperi, prænotaſſe Cujacium *ad Novell.* 51.) nempe ancillis in contubernio habitis, & eaponas de impetrata ab Imperatore ſtola (ſic enim, *meruit ſtolam, & annulum*, eloquitur de prodigo Ambroſius 2. *de pœnit. cap.* 3. & mereri dignitatem, ſeu Reſcriptum, ut nubant. in *l. Imperialis* 23. §. *Similes* 4. *cum ſeqq.* ac tota ea *l. Cod. de nuptiis*) ſtola, inquam, pro inſigni, non tantum matronali, cujuſmodi eam fuiſſe conſtat, & oſtendimus *lib.* 3. ſed & ingenuitatis, ut ad rem probant de ſtola in fœminis, Tertullianus *de Idolol. cap.* 18. illic: *Poterit & pueris prætexta concedi, & puellis ſtola, nativitatis inſignia, non poteſtatis; generis, non honoris; Ordinis, non ſuperſtitionis.* Et de ſtola, atque annulo Cyprianus *libro de Unctione Chryſmatis: Ampliorem, & digniorem recuperant libertatem, reddita ſtola, & annulo.* Ut proinde Hieronymi ſententia, Victorino, & aliis parum percepta ſit; impetrata ab Imperatore ſtola illis, ancillis quondam contubernalibus, ac proinde jam matronis, ingenuiſque, vel invitos eas uxores habituros, qui ante recuſaſſent, & merito vel invitos, quia jam ingenuas, matronaſque retinere in contubernio, non licet. *l.* 3. *D. de concubin.*

9 Rurſus quod ſequitur in *d. l.* 4. *Et jura ingenuitatis impetrare, & natalibus reſtitui, fœminas poſſe*, conjungenda prioribus, ſimulque expoſita oſtendunt,

poſt impetratum jus annulorum, quo, ut præmiſimus, imago potius; quam ſtatus, & ingenuitatis jura non integra tribuuntur, *d. l.* 2. *Cod. de jure aur. annul.* poſſe libertam pleniora ea jura impetrare, & quod præcipuum, ac poſtremum eſt, natalibus reſtitui beneficio Principis, hoc eſt, reſtitui illis natalibus primævi juris, quibus nulla ſervitutis, aut libertinitatis nota, aut notitia, ſed omnes homines perinde ingenui, & liberi naſcebantur, *l.* 2. *D. de natal. reſtit. l. Imperialis* 23. *Cod. de nuptiis.* juncta *l.* 4. *D. de juſt. & jure*, quod cum ſit, ingenuitatis ſtatus, & jura integra tribuuntur, & patronatus jura omnia, ac libertinitatis memoria abolentur, ideoque nonniſi conſentiente patrono, natalibus Princeps reſtituit. *d. l.* 2. *& tot. tit. D. de natal. reſt.. l.* 1. *&* 2. *C. de jure aur. ann. l. Sed ſi hac* 10. §. *Sed ſi jus, D. de in jus vocand. l.* 3. §. 1. *D. de bon. lib. l.* 3. *verſ. Sed quemadmodum, Cod. eodem tit. l.* 1. *Cod. ſi ſervus, aut libert. ad Decur. lib.* 10. *l.* 6. *Cod. de ſuis & legit.* Unde & gradatim, ut Ulpianus proponit in *dict. l. Etiam* 4. primum jus annulorum libertis, deinde eiſdem, eo jure veluti præmundatis, indulgeri ingenuitatis jura, & natalium reſtitutio ſolebat, ut ex Juſtiniano addiſcere eſt *Novell.* 74. *quibus mod. natural. effic. legit. cap.* 1. *dict. Novell.* 18. *de triente, & ſemiſſe, cap. ultim.* quibus ita per gradus veluti diſtinguuntur hæc jura, primumque *δίκαιον χρυσῶν δακτυλίων*, ſeu *jus aureorum annulorum*; ſecundum autem, *παλιγγενεσίας*, ſeu *regenerationis* vocatur, donec tandem Juſtinianus utrumque jus confundens, & miſcens, conceſſit ſimul, ſemelque in poſterum, omnibus libertis jus annulorum, & natalium reſtitutionem, ſalvo tamen etiam poſt hanc, & præter veteris Juris rationem, jure patronatus. *Novell.* 78. *Ut liberti de cætero aureo non indigeant annulo*, & ut priſtinis reſtituantur natalibus, *cap.* 1. *& ſeqq.* poſt quam Conſtitutionem, quia exoleverunt ſenſim jura annulorum & reſtitutiones natalium, omiſſa eorum mentio eſt in Baſilicis, nec relati in Græcanici Juris *libros tituli de jure aureorum annulorum*, & de natalibus reſtituendis, & ſicubi non omnino omiſſa, fuit ſaltem veluti diſſimulata, impetratio juris annulorum, ſub periphraſi, *compotes facti ſint dignitatis cujuſdam, ἀξίας τινὸς*, ut ſcriptum eſt *lib.* 44. *Baſil. tit.* 19. *in dict. l. Falſa* 33. §. 1. *D. de cond. & demonſtr.* pro eo, quod in Latino textu erat, *annulos ab Imperatore acceperit.*

10 Secunda eodem pertinens inſpectio eſt, de libertino adrogato ab ingenuo, tractata in libris ad leges noſtras à Marcello in *l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* & Ulpiano in *l. ultim. D. de adoption.* Quibus breviter expediendis, meminiſſe ſuffecerit, libertinos adrogari ab ingenuis, quamvis jure fieri poſſit, non tamen facile permitti, niſi cauſa cognita, ne temere liberti per adoptionem in jura ingenuorum invadant. Ut ex Maſſurio Sabino prodidit A. Gellius 5. *noct. Atticar. cap.* 19. juncta *l. Paterfamilias* 15. §. *ultim. D. de adopt. l.* 3. *Cod. eodem tit.* Cæterum, cauſa cognita, permittitur patrono adrogatio proprii liberti, & multo magis filii ſuſcepti in ſervitute, *l. ultim. D. de ſtatu homin. dict. l. ultim. D. de adopt.* juncta *l. In adoptionem* 8. *Cod. eodem titul.* & liberti alieni, etiam extraneo, ſi patronus conſentiat, *l.* 1. §. *Nepos, D. ſi à parente quis fuer. manum. l. Sed ſi hac* 10. §. *Patronum, D. de in jus voc. l. Liberto* 49. *D. de bonis lib.* ad quas inculcant eadem fere, nec diſtincte ſatis Doctores, Raph. Fulgoſ. in *l. ultim. D. de adoption.* ubi & Eguin. Baro, & noviores. Connan. 2. *comm. cap.* 12. *num.* 5. Mercer. 1. *opinion. cap.* 8. Cujac. *conſult.* 56. Briſſon. *de jure connub. p.* 15. Pacius *cent.* 1. *quæſt.* 27. Fab. in *Juriſpr. tit.* 4. *princ.* 2. *illat.* 2. Fr. Balduin. in *notis ad l. ultim. D. de ſtatu hom.* Anonymus Scholiaſtes *Baſilicon*, negans abſciſſe alieni liberti adrogationem, *lib.* 46. *tit.* 1. *ad l. ult. D. de ſtatu hom.*

11 Ex his deſcendit quæſtio apud Marcellum *lib.* 1. *ad leges Juliam, & Papiam, in dict. l. Sciendum* 32. an libertinus, adrogatus ab ingenuo (ſcilicet permiſſa adrogatione, ſicut permitti, cauſa cognita, poſſe monuimus) ſit adhuc repellendus à Senatoriis nuptiis; & ſane non repelli, imo admitti eum, debere, etiamſi non utamur argumento libertini, donati annulis, de quo jam ſupra, evincere videtur ea juris ratio, regulaque, quod per adoptionem augetur dignitas adoptati, *l. Per adoptionem* 35. *D. de adopt.* & quidem adeo, ut non ſolum in familia adoptantis, ſed etiam extra eam, & quoad publica jura dignitatis, & Civitatis fruatur illis adoptivus filius, ex perſona adoptantis. *l. Liberos* 10. *D. de Senator. l.* 4. *Cod. de Decurion. & l. Cives* 7. *Cod. de incolis, lib.* 10. *l.* 1. *l. Ordine* 15. §. *ultim. l. Libertus* 17. §. *In adoptiva, D. ad municip. l. In adoptionem* 7. *Cod. de adoption.* & quod præcipuum eſt, & ad rem proprie expenditur, etiam quoad jus connubii ex legibus noſtris, ut ad eaſdem Paulus, Ulpianuſque de filio adoptivo Senatoris ſcribunt, in *l. Senatoris* 5. *cum l. ſeq. D. de Senator.* diximus fuſe ſupra *hoc libro cap.* 2. & de adoptivo filio patris ludionis, ſive ſcenici, idem Paulus in *l. Lege* 44. §. *Item* 4. *cum ſeq.* juncta *l. ſi quis tutor* 60. §. *Quid ergo* 6. *D. de ritu nupt.* Quorſum itaque, aut qua ratione plebejus, adoptatus à Senatore, erit pro filio Senatoris, quoad nuptias in *dict. l. Senatoris* 3. *cum l. ſeq.* & ingenuus, adoptatus à ſcenico, pro filio ſcenici in *dict. l.* 44. §. *Item* 4. ac non itidem libertinus, ab ingenuo adrogatus, ſit pro ingenuo, cum per adoptionem ingenui jura conſequatur in adrogatoris familia, ut exprimitur in *dict. l. Sciendum* 32. juncta *l. pen.* §. *Teſtamento, D. de bon. poſſ. ſec. tab.*

Verum in contrarium Marcellus definit, adro- 12
gatum hunc libertinum repelli à nuptiis Senatoriis, idque *ut libertinum*, ſic enim loquitur, ſcribitque in *dict. l.* 32. ſive quia, quamvis, permiſſa adrogatione, conſecutus ſit jura ingenui in familia adrogantis, libertinum tamen manere, non dubitatur, ut Ulpianus *ad leges noſtras* notat in *dict. l. ultim. D. de adopt.* nec adoptione fit ingenuus. *l. ultim. D. de ſtatu hom.* (in qua textus Baſilicus adjicit, pertinere eam ad Jus antiquum; nunc autem omnes libertos eſſe ingenuos, nempe ex *Novella* 78. extat ea adjectio *lib.* 46. *tit.* 1. *in extremo*) ſed ingenui jura conſequitur potius, quam ſtatum, argumento ex *dict. l.* 2. *Cod. de jure aur. annul.* atque illa non omnino, vel omnia, ſed dumtaxat in familia adrogatoris, ut proprie ſcriptum eſt in *dict. l. Sciendum* 32. ideoque extra familiam ad nuptias Senatorias illis non fruitur. *dict. l.* 1. §. *Nepos, D. ſi à parente quis fuer. manum. l. Liberto* 49. *D. de bonis lib.* Plane adoptio liberti, ſive adrogatio, utcumque permittatur, nec facit eum ingenuum, nec pro ingenuo extra familiam adoptantis, propria, & ſpeciali ratione; quoniam, ut diximus, fuit veteris Juris, & moris, ne libertini per adoptionem jura ingenuorum invaderent, teſte, ex Sabino, A. Gellio *dict. lib.* 5. *cap.* 19. juncta *l. Super* 9. *Cod. de quæſt. l.* 1. *D. de colluſ. deteg.* idque ex diſciplina priſcarum legum, *propugnatricum acerrimarum nobilitatis*, ut in propoſito ſcribit Syneſius, Cyrenenſis Epiſcopus, *epiſtola ad Nicandrum.* In quo alià ratio ingenui, tametſi ex plebeja familia, à Senatore adoptati, in *dict. l. Senatore* 5. *&* 6. ſive quia non perinde publice exoſa, aut vetita ingenuæ plebis cum patriciis, aut Senatoriis per adoptionem, ſeu connubia, conjunctio imo permiſſa, & ante leges noſtras, Canulejo ſcito, de quo Livius *lib.* 4. L. Florus 1. *cap.* 25. juncta *l.* 6. §. 1. *D. de Senatorib. l. Per adoptionem* 35. *D. de adoption.* utpote cum inter plebejas familias eſſent etiam pleræque nobiles, jure imaginum, & honorum, *l. unic.* §. *Hodieque* 3. *D. de offic. Quæſtor.* & ex Livio, & Aſconio prænotavimus ſupra *cap.* 1. ſive etiam quia Julia noſtra lex connubialis loquuta proprie de filio Senatoris, & filio ſcenici, & utrumque ex perſona ſua apprehendit, tamquam filium ob claritudinem, notamve patris, *dict. l. Lege* 44. cujuſmodi filios eſſe adoptatos à Senatore, aut ſcenico, nequit negari, *d. l. Senatoris* 5. *&* 6. *dict. l.* 44.

l. 44. §. *Item* 4. junctis in ſimili *l. Liberos* 10. *D. de Senator. l.* 4. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *l. Divo* 11. *Cod. de quæſt.* & è contra lex Julia, Papiaque loquuntur non de filio ingenui, *aut libertini*, ſed de ingenuo ipſo, aut libertino. *l. Lege* 23. *dict. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt. l. ſi libertam* 28. *Cod. de nupt.* Ulpianus *tit.* 13. & 16. §. *Aliquando.* Proinde non comprehenditur connubii Senatorii jure ex lege Julia libertinus, adoptatus ab ingenuo, quia quamvis filius ingenui ſit, & pro ingenuo in illa familia, non eſt tamen ingenuus, ſed libertinus. *dict. l. Sciendum* 32.

13 Jungenda nuper traditis eſt Ulpiani ſententia *lib.* 4. *ad legem Juliam, & Papiam in l. ultim. D. de adoption.* & referenda vel ad hanc partem legum noſtrarum, ad quam de jure filii quoad connubium egit fortaſſe Ulpianus *eo libro*, *l. ſi Judex* 11. *D. de his, qui ſui, vel alieni jur. l. Apud hoſtes* 9. *D. de captivis*, niſi ſi quis malit, referre (quod non probo) ad jus capiendi ex teſtamento propter filios, de quo ex *eodem lib.* 4. Ulpiani ſunt, *lex Quæret* 135. *D. de verb. ſignif. l. Cum in annos* 23. *D. quando dies legat. ced.* Id vero utcumque fuerit, Ulpiani ſententia eſt, filium ſuſceptum in ſervitute patris, ſive dum pater ſervus eſſet, ex contubernio cum ancilla (alioquin ſi mater libera, & ingenuus filius foret. *l.* 3. *Cod. ſolut. matrim.*) ſi poſtea pater manumiſſus, & natalibus etiam reſtitutus ſit, ut in ſpecie *l. Ex libera* 6. *Cod. de ſuis, & legit.* ac demum ipſe filius manumittatur, fiatque libertinus, ut in *l. Libertinum* 4. *Cod. de interd. matrim. int. tut. l. Cum pater* 77. §. *Volo* 13. *l. Lucius* 88. §. *Damæ* 12. *D. de legat.* 2. *l. Ex facto* 17. §. *ſi quis rogatus* 4. *D. ad S. C. Trebell. l. ultim. D. de jure delib.* cum tamen adhuc ſit extra poteſtatem patris, utpote non ſuſceptus ex juſtis nuptiis, *princip. Inſtit. de patr. poteſt.* poſſe in paternam poteſtatem redigi beneficio Principis, id eſt non, ut Accurſius, Faberque volunt (Accurſius in *dict. l. ultim.* verb. *Beneficio.* A. Faber *inibi. & in Juriſprud. tit.* 10. *princip.* 1. *illat.* 30. & *titul.* 8. *princ.* 5. *illat.* 3. Donell. *lib.* 2. *comment. cap.* 23.) extraordinario privilegio, aut Reſcripto, ſed ut, poſt Irnerium, Fulgoſius, & Eguinarius Baro exponunt ibidem (qua occaſione inferciunt plura, aliena ad eum locum, de legitimatione, vulgares Doctores, & poſt eos Beſoldus in *Delibatis Juris ad lib.* 1. *Pandectarum in dict. l. ult.*) ſed per adrogationem, quæ, quoniam Ulpiani ævo jam Principis auctoritate, & Reſcripto fiebat, *l.* 2. *D. & l.* 2. in fine, *l. Adrogationes* 6. *l. In adoptionem* 8. *Cod. de adopt.* Principis beneficium vocatur, ſicut natalium reſtitutio, aut jus annulorum. *l.* 2. *Cod. de jure aur. annul. l.* 3. *D. de natal. reſtit.* & quamquam libertinus iſte, & alienus libertus ſit, cujus non facile permittenda adrogatio, *l. Pater familias* 15. §. *ultim. D. & l.* 3. *Cod. de adopt.* juſtior tamen, & ſingularis cauſa eſt, ob quam permitti poſſit patri adrogatio filii libertini, ſuſcepti in ſervitute ipſius patris, potius, quam alterius naturalis filii, de quo in *l. Jubemus* 6. §. *ultim. Cod. de natural. lib.* utpote ſuſcepti ſine ulla in leges noxa ex contubernio, quod inter ſervos vice nuptiarum eſt, quia nuptias illis leges non indulgent. *l. Adoptivus* 14. §. *Serviles, cum §. ſequ. D. de ritu nupt. l.* 3. *Cod. de inceſt. nupt.* Salvo tamen & poſt adrogationem jure patroni, & libertinitatis ſtatu, extra familiam adrogatoris, unde & libertinum manere, affirmatur in *dict. l. ultim.* junctis traditis nuper ad *dict. l. Sciendum* 32. & præcedente, ut adrogetur, ipſius filii conſenſu, juxta *l. ultim. D. de his, qui ſui, vel al. jur.* unde & quamvis adrogatio filiorum naturalium ex concubina (ſcilicet libera) permiſſa ab Anaſtaſio in *dict. l. Jubemus* 6. §. *ult.* & prohibita in poſterum, ſublataque à Juſtino, & Juſtiniano in *l. Legem* 7. *Cod. de natural. lib. Novell.* 74. *quib. mod. natur. effic. legit. cap.* 3. & *Novell.* 89. *quib. mod. natur. effic. ſui. cap.* 11. §. *adoptionis* (an & reducta tandem à Juſtiniano *Novell.* 117. *ut liceat matri, & aviæ cap.* 2. de quo certant Cujacius, Faber, & alii.) tamen quoad naturales filios, in ſervitute ex contubernio quæſitos, crediderim, utcumque dubitet Eguinarius in *dict. l. ultim.* ſalvam ſemper manſiſſe, neque abrogatam permiſſionem adrogationis, *ex d. l. ult.* utpote in quibus ſine flagitio, & petulantia ſuſceptis ex naturali conjunctione honeſta, quia nuptiarum ex legibus compotes parentes non fuerunt, ceſſet ratio illa alliciendi ad nuptias, & deterrendi à concubinatu, vetita naturalium adrogatione, de qua in *dict. l. Legem* 7. *Cod. de natural. lib.* ad quam tamen ſimul cum *l.* 1. *Cod. de natur. lib.* alia, hiſce conferenda, ſcripſimus infra.

Enimvero quod dicitur, in poteſtatem patris re- 14
digi libertinum, ſeu naturalem filium, qui in ea nunquam fuit, *d. l. ult.* non improprie dictum, aut ſcriptum, ſed eadem phraſi, & forma, qua Modeſtinus in naturali filio utitur in *l. ult. D. de his, qui ſui, vel al.* ad quam, emendante Connano, reprehenſo, tamquam magis inconditæ, quam reconditæ eruditionis Scriptore, obſervat, redigi in poteſtatem, dici eum etiam, qui in ea nunquam fuit, ex Plinio Cujacius 10. *obſerv. cap.* 23. poſt Connan. 2. *com. cap.* 14. *n.* 3. alii apud Hillig. *ad Donell.* 2. *comm. cap. ult. litt.* A. D. Larrea *Granat. deciſ.* 32. *num.* 28. extantque exempla ejuſce locutionis in *l. ſi pater* 15. *l. Nec ei* 17. §. *Et primum* 2. *verſ. Deinde. l. Etſi puber* 53. *D. de adopt. l.* 5. §. 1. *D. de ſtatu hom.* Nec diſſimilia apud Salmaſ. *ad Spartian. in Hadr. pag.* 3. Illud denique dignum notatu, filium in ſervitute quæſitum, & à patre poſtea adrogatum, redigi eo beneficio in poteſtatem patris, & in jus filii, ac ſui hæredis. *d. l. Jubemus* 6. *in princ. & §. ultim. Cod. de natur. lib.* & jus ingenui conſequi in familia adrogatoris. *d. l. Sciendum* 32. quamvis extra eam libertinus maneat, *d. l. ult. & l. ult. D. de ſtatu hom.* Utrumque autem diverſum eſſe in liberto non filio, quem patronus teſtamento inter filios, & quaſi filium hæredem ſcripſit, nuncupavitque, ut in *l. Cajus* 12. *D. de jure patron.* hic enim neque filius eo modo fit, quia filii nuncupatio, aut profeſſio à patre facta, quamvis ut probet, eum, qui alioquin filius dicitur, filium eſſe, grandis momenti ſit, *l.* 6. §. *Julianus* 12. *D. de agnoſc. lib. l.* 1. §. *Ad quæſtionem* 3. *D. de quæſtionib. cap. Per tuas* 10. *de probat.* non tamen facit filium eum, qui, cum talis non ſit, filius nominatur. *l. Non epiſtolis* 13. *cum. l. ſequ. Cod. de probat. l. Neque* 5. *Cod. de teſtament.* quippe neque adoptio eſt *dict. l.* 13. & 14. & utcumque pro adoptione teſtamento facta haberetur, non ſubſiſteret, niſi confirmata à Principe, *l. Adoptio* 38. juncta *l.* 2. *D. de adoptionib.* ut ad rem Cujacius præmonuit *lib.* 7. *obſerv. cap.* 7. & *lib.* 1. *reſponſ. Modeſtini in dict. l. Cujus* 12. *D. de jure patronat.* ac deinde neque ingenui jus habet, etiam in familia patroni; quoniam, ut diximus, nominatio adoptio non fuit, & alioquin ingenuitas natalibus, aut publica rei judicatæ, aut Principis auctoritate quæritur, non privata nuncupatione. *l.* 1. *Cod. de jure aur. annul. l.* 2. *Cod. de colluſ. detegend. l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu homin.* Proinde & recte Modeſtinus reſpondet, ejuſmodi ſcriptura teſtamentariæ filii nuncupationis, ſtatum liberti non mutari, ſcilicet, neque ut filius fiat, neque ut ingenuus, etiam quoad patroni familiam. *dict. l. Cajus* 12. *D. de jure patronat.* cujus hæc paraphraſis eſt, Alberico, Cujacio, & aliis viſa, magis quam trita (Cujacio ſupra, & in *recitat. ad tit. D. de jure patronat. in l.* 9. Alberico in *dict. l. Cajus* 12.) Plane Jure noviſſimo filii ſpurii nominatio apud acta, vel teſtamento, aut inſtrumento, tamquam filii, ſimpliciter, facit eum filium legitimum. *Novell.* 117. *ut liceat matri, & aviæ, cap.* 2. ubi Accurſius, verbo, *Vocante*, & nominatio ſervi tamquam filii, apud acta, facit eum ſaltem liberum, ſed non filium, ſicut & adoptio olim, ex Catonis ſententia. §. *ultim. Inſtitut. de adopt. l. unic.* §. *Similique* 10. *Cod. de Latina lib. tollenda.*

CAPUT XXIV.

De judicato in cauſis nobilitatis quando & quatenus aliis noceat, aut proſit. Practicæ Illationes. Ad legem 7. 8. & 9. tit. 11. lib. 2. Compilationis.

ARGUMENTUM.

Judicatum pro nobilitate, aut contra eam, cum juſta contradictione, & contradictore, eſt pro veritate, quoad alios, cum ſuis tamen temperamentis. Judicato contra patrem in nobilitate privilegiaria, ſi filii proprio jure, neque tranſmiſſo à patre nitantur, non excluduntur, aliter atque ſi tranſmiſſo. In nobilitate poſſeſſoria, ſi pater ſuccubuit, quia non probavit, ſe poſſediſſe, eo ipſo ab ea nobilitate excluſus eſt filius; non item ſi ſuccubuit, quia non probavit poſſeſſionem avi, quo caſu filius probata avi ſui, & patris, ac ſua ſimul vicennali poſſeſſione victor futurus. In nobilitate ſoli, ſeu ſanguinis, judicatum contra patrem non nocet filiis, nec modo conceptis ante judicatum, quod expeditius, ſed et am poſtea ex ratione, & regulis juris, quæ appenduntur. Res judicata contra fratrem in nobilitate proprietaria ſoli, aut ſanguinis, vel etiam poſſeſſoria, aut privilegiaria, non obſtat in vim judicati, alii fratri, ſicut nec judicatum contra unum ex conſortibus litis, obſtat aliis, etiam in connexis, aut individuis, utique apud Nos ex Regia l. 21. tit. 22. part. 3. *quæ collata cum Romanis legibus. E contrario judicatum pro nobilitate unius fratris prodeſt alii frati; idque, quia diſpar ratio odii, & favoris. Judicatum cum matre pro libertate, aut contra eam, quæ vis, quoad filios.*

1 SEd é Scholico pulvere tantiſper jam ad forenſem, producturi ad ejus trituram, moreſque noſtros, aſſertiones illas Juris prudentum de ingenuo, & libertino, quoad leges Juliam, & Papiam, de quibus hactenus ex *dict. l. Ingenuum* 25. *de ſtatu hom. l. Rei judicata* 207. *D. de reg. jur. l.* 4. *D. de colluſ. deteg. l.* 4. & *l. ult. D. de jure aur. annul. l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt. l. ult. D. de adopt.* In primis utique ex ſententia *dict. l. Ingenuum* 25. deducimus, judicatum pro nobilitate, vel contra eam, quoties ſcilicet contradicto judicio, cum contradictore juſto, nobilem quem eſſe, aut non eſſe, judicatum eſt, haberi pro veritate, & jus facere quoad alios omnes, id quod ex regula *dict. l.* 25. juncta *l.* 1. *§. ultim.* cum *l.* 2. & 3. *D. de agnoſc. lib.* & quia nobilitas jus perſonæ eſt, & ſtatus veluti ingenuitatis, ſive dignitatis, de quo lata ſententia ſtare, quoad omnes, debet, aut cadere. *l. ſi dolo* 24. *D. de dolo. l. Ex ea* 9. *D. de poſtul. l. de ætate* 43. *D. de minor.* juncta *l.* 5. *§.* 1. & 2. *D. de extraord. cognit.* docuit Joannes Faber in §. *Præjudiciales, num.* 41. *Inſtit. de action.* Tiraquell. *de nobilit. cap.* 37. *num.* 2. poſt alios Petr. Surdus *deciſ.* 289. *num.* 17. Fab. de Anna *conſil.* 17. *num.* 20. noviſſime Hector Capic. Latro *deciſ.* 183. *num.* 28. & *conſult.* 129. *num.* 2. & *ſeqq.* Regens olim, & noſter in Italico Senatu Collega, Don Franciſcus Merlinus *centur.* 2. *controv.* 32. *ex num.* 1. Scipio Rovitus *conſil.* 80. *num.* 5. *lib.* 1. Aug. Barboſa *de Canonicis, cap.* 13. *num.* 38. Alſ. Eſcobar multis, & poſt multa, alienaque movens, & miſcens *de purit. & nobil.* 1. *part. quæſt.* 13. *§.* 1. *num.* 11. & *ſeqq.* & *quæſt.* 17. *§.* 1. *ex num.* 5. & appoſite ad normam Hiſpanæ nobilitatis, Otalora *de nobilit.* 2. *part.* 3. *princip. cap.* 8. *num.* 7. Garcia *eodem tractat. gloſſ.* 46. *num.* 3. & *gloſſ.* 6. *num.* 48. D. Molina 4. *de primog. cap.* 8. *num.* 3. *in fine.* Joſ. Seſſé 1. *part. deciſ.* 3. *Arag. num.* 15. & *deciſ.* 10. *num.* 1. & 3. Fontanell. *deciſ. Catal.* 143. *num.* 10. Paz *de tenuta q.* 32. *n.* 73.

2 Cui traditioni conſentaneum cenſetur, judicato patre nobili, aut ignobili, prodeſſe ad judicatum, & nocere ejus filiis, quorum originis, & familiæ jus, ſeu nobilitas ex paterno jure pendet, *l. Liberos* 10. *in fin. D. de Senator. l.* 1. *§. ultim. D. ad municip. §. ſunt autem, Inſtitut. de legit. agnat. tut. l. Exemplo* 36. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *l.* 1. *C. de dignitat. lib.* 12. *cap. ultim. de converſ. infid. l.* 2. *tit.* 21. *part.* 4. *l.* 3. *tit.* 21. *part.* 2. Quoniam in genere monſtrando princeps eſt partis paternæ prærogativæ, ut ſcite Apollinaris Sidon. *lib.* 5. *epiſt.* 21. idque ita ex *dict. l.* 1. *§. ultim. cum l.* 2. & 3. *D. de agnoſc. lib.* notat in ſpecie Mieres *de majorat.* 2. *par. quæſt.* 4. *illat.* 2. *num.* 28. & poſt Otaloram, Garciam, & alios laudatos, Eſcobar *d.* 1. *p. q.* 17. *§.* 1. *n.* 26. & 27.

3 Verum conſequentia hæc, ſive illatio de judicato contra patris nobilitatem, nocituro filiis, eget temperamentis, & explicatu, ſine queis, & ſimpliciter falſa foret. Et in primis ſi quæratur de nobilitate privilegiaria, & quidem ex privilegio, non quaſi antiquæ nobilitatis declaratorio, ſed ejuſdem novæ inductivo, quo cum pater niteretur, judicatum contra eum eſt, talem privilegiarium nobilem non eſſe, diſtinguenda, ut ſciatur, an filiis noceat & forma privilegii; quippe ſi id non patri ſoli, ſed etiam ejus filiis, ſive liberis, poſteriſve, verbis ad eos relatis conceſſum fuerit, judicatum contra privilegiariam nobilitatem patris, non habebitur pro judicato quoad filios, quia non jure tranſmiſſo à patre, aut pendente, acceſſoriove illius jeri, ſed diverſa, propria, ac ſpeciali conceſſione nituntur. Argumento ex *l. Emancipatum* 7. *§. ult. D. de Senator.* juncta *l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* Sin autem privilegium fuerit conceſſum patri, & de liberis nihil loquutum, tametſi ad eos tranſmiſſibile, & pertinens ex clauſula indultæ in perpetuum nobilitatis, aut exæquationis cum nobilibus originariis, obſtabit judicatum contra patrem filio. Argumento ex *dict. l. Emancipatum* 7. *verſ. Sed cum. l. Moris* 9. *§. Plane* 15. *D. de pœnis. l.* 2. *§. Sed ſi pater* 3. *D. de Decurion.* ſi tamen ſit conceptus poſt judicatum contra patrem, *dict. l.* 7. *§.* 1. *verſic. ſi quis conceptus, dict. l.* 3. *§. ſed ſi pater* 3. *cum §. ſequ.* juncto proprio ad rem textu in *l. ultim. Cod. de liberali cauſa. l. ſi quis cum* 7. *§. ſi ancillam, D. de except. rei judic.* quoniam ſcilicet non ſuo jure nititur filius, ſed veluti tranſmiſſo, & pendente à patre, qui amiſit, judicatus ignobilis, antequam tranſmitteret, *l. Divo* 11. *C. de quæſt.* Quomodo & jam docuimus, diſtinximuſque in quæſtione ſimili, de amiſſione nobilitatis privilegiariæ in liberis, per inuſum tricennii in patre, ſupra hoc libro. Et fere diſtinguit noviſſime Theodor. Hopping. *de jure inſign. c.* 16. *ex num.* 101.

Deinde ſi de nobilitate, ut loquimur, ſanguinis, 4
ſeu non privilegiaria, quæramus, de qua litigans pater victus fuit, & ignobilis judicatus, ſeparanda eſt quoad filios ex cenſura Hiſpanarum legum, cauſa nobilitatis poſſeſſionis, & proprietatis. Namque quoad poſſeſſionem, ſi pater judicatus ignobilis, quia ſe fuiſſe in quaſi poſſeſſione nobilitatis non probavit, obſtabit utique id judicatum filio litiganti de poſſeſſione nobilitatis, quia in ea, ut obtineat, præter poſſeſſionem in ſua perſona, probare debet continuatam poſſeſſionem vicennii patris, & avi, ex præſcripto noſtrarum legum 7. 8. & 9. *tit.* 11. *lib.* 2. *Compil.* nec poteſt in propoſita ſpecie probare poſſeſſionem patris, contra quem judicatum eſt, non poſſediſſe, & in quo ille principalis contradictor fuit. *dict. l. Ingenuum* 25. juncta *l.* 3. *D. de colluſ. deteg.* filiique jus, ex illius jure in ea poſſeſſione pendens, & acceſſorium, ac proinde ſine illo non ſubſiſtens,

ut

Google

ut in *l. Pomponius* 13. §. *Quæſitum*, *D. de acquir. poſſeſſ.* Notat ad rem Otalora *de nobilitat.* 3. *part. cap.* 6. *num.* 9. *verſic. Vel aliter*, & *ſecundò*. Seſſè *deciſ. Arag.* 6. *num.* 36. Mieres *de majorat. dict.* 2. *part. quæſt.* 4. *illat.* 2. *n.* 29. Cevall. *commun. contra commun. q.* 636. *num.* 11. Et è contrario ſi pater judicatus ignobilis, quia quamvis ſuam, & patris, non tamen avi poſſeſſionem nobilitatis probavit, poterit obtinere filius in poſſeſſorio nobilitatis, probata poſſeſſione vicennaria ſua, & patris, atque avi, quamvis non probet proavi, cujus ex defectu pater ſuccubit; evenietque ille caſus, Pragmaticis noſtris mirabilis, quo plebejus pater, & nobilis filius pronuncietur, ut expendunt Otalora 2. *part.* 3. *principal. cap.* 8. *n.* 2. *verſic. Sed in ea*, Garcia *de nobilit. gloſſ.* 12. *num.* 48. Seſſè *deciſ.* 3. *Arag. num.* 25. & 30. & *deciſ.* 4. *num.* 6. & *ſeqq.* Fab. de Anna *conſil.* 80. *num.* 12. dummodo, quod hi non expendunt, ante judicatum contra patrem, fuerit in eo, & ipſius patre continuata, & completa vicennii poſſeſſio, juxta præſcriptum *dict. l.* 8. illic: *Por veinte años continuos, y cumplidos. tit.* 11. *lib.* 2. *Comp.* quia id completum jus non perimitur, quoad nepotem interruptione poſt judicati contra patrem, ex ſententia *l.* 1. §. *ultim. cum l.* 2. *D. de itinere, actuq. priv. l.* 1. §. *Idem ait* 20. *D. de aqua quot. & æſt.* junctis traditis à Garcia *gloſſa* 6. *num.* 1. & 62. Cæteroquin ſi expleta nondum foret vicennaria poſſeſſio, & præſcriptio, non dubitarem, eam interrumpi judicato contra patrem, ex regula *l. ſi poſt acceptum* 18. *D. de judic. l. Nemo* 20. *Cod. de adquir. poſſeſſ. l.* 1. & 2. *l. Nec mora* 10. *Cod. de præſcript. longi tempor.* neque illius acceſſione poſſe uti filium ad complendum vicennium, in patre interruptum, *dict. l. Pomponius* 13. §. *Quæſitum* 4. *D. de adquir. poſſeſſ. l. Poſſeſſio* 20. *D. de uſucap. l.* 6. §. *ultim. D. pro emptore. l. penult.* §. 3. *D. de diverſ. & temp. præſcript.* & conſequenter non continuum, quale exigitur in *dict. l.* 8. *tit.* 11. *lib.* 2.

5 Jam vero ſi de proprietate nobilitatis ſanguinis lis, & res judicata contra patrem fuerit, ſive fuerit ea nobilitas ſoli, ut ajunt, notorii, ſive proprietaria ſimpliciter ſanguinis, & originis, inter quæ ad hac effectum non diſtinguimus, ut expoſita *Henricia lege* 9. *tit.* 11. *lib.* 2. *Compilat.* obſervavimus ſupra; res judicata contra patrem, qua non eſſe nobilem ſoli, vel ſanguinis, ſed ignobilem potius, pronunciatum eſt, non oberit filio, quominus poſtea litigans oſtendat proprietariam ſoli, vel ſanguinis nobilitatem, ſecluſa etiam patris perſona, à majoribus deductam, juxta normam Regiarum legum, idque aperta illa, & eleganti ratione; quia in nobilitate ſoli, vel ſanguinis, pater, contra quem judicatum eſt, non fuit principalis contradictor, reſpectu filii, cujus originaria nobilitas non à patre, ſed à genere, & majoribus pendet. *l.* 3. *Digeſt. de interd. & releg. l. Jura* 8. *D. de regal. jur. l.* 2. *in fine*, illic: *Que lo han por linage antiguamente.* Et poſtea: *Mas de lueñe vienen de buen linage. tit.* 21. *part.* 2. Quocirca nec judicatum contra patrem nocere debet filio, qui, quoad ſtatum ſuæ nobilitatis, juſtus, & principalis contradictor eſt. *l. Principaliter* 19. *Cod. de liber. cauſ.* juncta *l.* 1. *Cod. de ingen. manum. l.* 3. *D. de collaſ. detog.*

6 Id porro in filiis natis, conceptiſve, antequam contra patrem judicaretur, expeditius eſt, quia eis, etiam quoad nobilitatem privilegiariam, quamvis tanto, quam ſanguinis, debiliorem retinendam ex perſona, & dignitate ſolius patris, non officit, quod pater eam per ſententiam, aut alio caſu amiſerit, ſufficitque, fuiſſe illos natos, ſeu conceptos, antequam amitteret, *l. Emancipatum* 7. §. 1. *verſic. ſi quis conceptus*, *D. de Senator. l.* 2. §. *Sed ſi pater* 3. *cum ſeqq. D. de Decurion. l. Moris* 9. §. *Plane* 15. *D. de pœnis.* & ſimiliter quoad ſtatum libertatis, quamvis ea in filiis pendeat non à parentibus, ſeu majoribus, ſed à matre ſola, cujus ſtatum filii ſequuntur, *l. Partum* 7. *Cod. de rei vindic. l.* 3. *Cod. ſolut. matrimon. l. Avi* 27. *Cod. de liber. cauſ.* non officit lis judicata contra libertatem matris, filiis ante litem natis, quia ſuo nomine, tamquam principales de ſtatu ſuo contradictores in litem vocari debuerunt, *l. ultim. Cod. de liber. cauſa l. ſi uſumfructum* 23. §. *ultim. D. eodem tit.* juncta *l. ſi quis cum totum* 7. §. *ſi ancillam*, *cum* §. *de fructibus* 3. *D. de except. rei judic.* de queis ſupra non ſemel, quibus fatendum eſt, non coacinere, nec tamen contrarium eſſe, ſed ſua, & propria ratione niti, quod elicitur ex *l.* 1. §. *ult. D. de Carbon. Ed. l.* 1. *Cod. ad leg. Corn. de falſi.* de qua *ad eum titul.* Cujacius, & *lib.* 20. *obſerv. cap.* 24. Carrança *de partu*, *cap.* 5. *ſect.* 3. D. Larreatigui *in var.*

Sed & in filiis, ſuſceptis poſt judicatum contra nobilitatem patris, poſſe eos ex perſona avi, & majorum, proprietariam nobilitatem ſibi aſſerere, non obſtante patris caſu, liquet ſatis ſuperque ex regula, & ratione *d. l.* 3. *D. de interd. & releg.* juncta *l.* 1. §. 1. *cum legib. ſeqq. D. de liber. cauſa.* & in propoſito firmant, poſt Petrum de Aneharr. in *cap.* 1. *de natis ex libero ventre.* Tiraquell. *de nobil. cap.* 35. *num.* 3. & 4. Otalor. *dict.* 2. *part.* 3. *princip. cap.* 8. *num.* 2. & 4. Garcia *dict. gloſſ.* 6. *num.* 43. & 48. Mieres *de majorat.* 2. *part. quæſt.* 4. *illat.* 2. *num.* 35. operoſe, imo, ut in propria cauſa, enixe Fab. de Anna *conſ.* 17. *per tot.* & *conſil.* 18. *num.* 11. & *ſeqq.* & *conſil.* 80. *ex num.* 8. & *conſil.* 19. & contra ſuum Sabaudum Aimonem *conſil.* 165. *num.* 4. & 5. A. Fab. in *ſuo Cod. lib.* 9. *tit.* 29. *defin.* 1. & 15. & 25. Seſſè *deciſ.* 3. *Arag. num.* 27. & *deciſ.* 6. *num* 32. *tom.* 1. Eſcobar *de purit.* 1. *part. quæſt.* 13. §. 1. *num.* 19. (quamvis contrarium idem, & incondite, ut ſolet, ſcribat *quæſt.* 17. §. 1. *num.* 26. & 27.) Hect. Cap. Latro *conſult.* 129. *ex num.* 16. Gutierr. 3. *practic. q.* 14. *num.* 140. & *ſeqq.* Theodor. Hopping. *de jur. inſign. cap.* 16. *num.* 102. Riccius *collect. deciſ.* 733. *part.* 4. Rovitus *conſ.* 80. *num.* 3. *lib.* 1. qui tamen, &, præ cæteris, Fabius de Anna, & A. Faber utuntur parum apte in hanc rem argumento *l. Emancipatum* 7. §. *ultim. D. de Senator.* cum ſimilibus, quæ ſunt de nobilitate veluti privilegiaria, & dignitatis beneficio retinenda à nepote ex perſona avi Senatoris, quamvis pater amiſerit. Et quidem ideo, quia non tranſmiſſa à patre, ſeu tamquam ejus filius, ſed ſuo, proprioque jure, tamquam Senatoris nepos, Julia lege comprehenditur. *dict. l.* 7. §. *ultimo. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* atque ita non ſat dextre applicantur ſanguinis nobilitati, quæ quamvis à majoribus, & avis in nepotem tranſeat, tranſit tamen media patris perſona, per quam nepos illis conjungitur, & nobilitas in eum tranſfunditur *ipſo ordine ſanguinis*, ut ſcriptum eſt in *l.* 1. *Cod. de privil. eorum, qui in Sacro Pal. milit. lib.* 12. *l. Si ex patronis* 10. §. 1. illic: *Quia per patrem avitos libertos conſequitur. D. de bon. liber. l. Dotem* 6. *verſ. Quippe officium*, *D. de collat. bon.* & tamen adhuc ea nobilitas non perit nepoti, caſu patris, quia utcumque per hunc tranſmittitur; verum nihilominus eſt, non patrem, ſed majores eam dediſſe, *d. l.* 3. *in fine*, illic: *Non enim hæc patrem, ſed majores eis dediſſe, D. de interd. & releg.* & ab illis derivatam cum ſanguine in nepotem, ſtatim atque conceptus eſt. Ut videre fere eſt in patronatu libertorum avitorum, pertinente ſanguinis jure ad nepotem, etiam patre exhæredato, aut notato. *l. Divi* 17. *in fine*, *D. de jure patron. l. Quæritur* 38. juncta *l. Paulus* 47. §. *penult. & ultim. l. ſi libertus* 23. §. 1. *D. de bon. lib.* In eoque ut debilius, ita deterius, & diverſum jus eſt nobilitatis privilegiariæ avi, in nepotem tranſmiſſo per patrem jure perventuræ, quæ utique nepoti intercedit, ſi pater, per quem debuit tranſmitti, notatus ſit. *l. Divo* 11. *Cod. de quæſtion.* de qua, & aliis ex profeſſo, ſupra.

Conſequenter propoſitis ſtatuimus, ſententiam, 8 ſive judicatum contra fratrem, de poſſeſſoria nobilitate ejuſdem, aut etiam proprietaria ſoli, ſanguinis, vel privilegii, qua, non potiri, ſive ignobilem eſſe, pronunciatum eſt, non nocere, in vim exceptionis judicati, fratri ex eodem patre, aut alii con-

 ſan-

ſanguinea, quo minus ſuæ nobilitatis poſſeſſionem, aut proprietatem alio judicio probet, & obtineat. Quæ aſſertio in primis nititur maſcula illa, & fundata Juris ratione; quia nec pater quoad filium, & multo minus frater reſpectu fratris, ſed unusquiſque in cauſa ſtatus, ſive nobilitatis ſuæ eſt principalis, juſtuſque contradictor, cui alterius factum, judicatumve obeſſe, non debet. l. 3. D. de interd. & releg. l. Principaliter 19. Cod. de liber. cauſa, juncta l. 3. D. de colluſ. deteg. Fulcitur etiam argumento, veluti à majore, ex eo quod judicatum contra ſtatum matris, non præjudicat filiis, ſuſceptis ante litem. l. ultim. Cod. de liber. cauſa. l. ſi uſumfructum 23. §. ultim. D. eodem tit. & proinde multo minus nocere debet judicatum contra fratrem, à cujus ſtatu non neceſſario infertur ad ſtatum alterius, l. Ad probationem 22. juncta l. Matrem 17. Cod. de probat. l. Multis 17. Cod. de liber. cauſ. l. 2. §. 1. D. ſi quis aliquem teſtari probibuerit.

9 Accedit generalis regula, quæ obtinuit, etiam inter unius juris, ſeu cauſæ, & litis conſortes, ſententiam contra unum non nocere alii conſorti, qui non litigavit. l. Titio 71. §. ultim. in fine, D. de condit. & demonſtr. l. Etſi crimine 12. Cod. ad leg. Jul. de adulter. l. Denunciaſſe 17. §. ultim. verſ. ſi condemnatus, D. eod. tit. Idque non modo in jure, & cauſa dividua, ut in judicato contra cohæredem, aut collegatarium pro portione ſua, quod cohæredi, aut collegatario non præjudicat. l. Sæpe 63. in princip. D. de re judic. l. 2. Cod. quibus res judicata non noc. l. 1. l. Judicatæ 29. D. de except. rei judicatæ. l. A ſententia 5. D. de appellat. l. Cum duobus 13. Cod. de inoffic. teſt. ſed etiam in cauſa connexa, veluti adulterii, in quo damnatio adulteri non nocet adulteræ. dict. l. Etſi crimine 12. Cod. ad leg. Jul. de adulter. dict. l. Denunciaſſe 17. §. ultim. cap. dilecto 25. in fin. de præbend. l. 9. tit. 17. part. 7. & in jure individuo, veluti ſervitutis, de qua res contra unum, qui de communi ſervitute egerat, judicata, non eſt damno cæteris, ſervitutem vindicaturis. l. ſi de communi 19. D. ſi ſervit. vindic. juncta l. Cum filius 76. verſ. Plane, D. de legat. 2. in quo poſtremo, quamvis poſt gloſſam, & Bartolum in dict. l. ſi de communi 19. contra ſtatuat Cujacius inibi, &, poſt plures, Alexander in dict. l. Sæpe 63. num. 48. D. de re judic. Noviſſime, poſt alios Salgado in labyrintho 3. part. cap. 1. num. 179. & de Reg. protect. 4. part. cap. 8. num. 350. & fortaſſe potioribus Juris, & rationum momentis, ex l. Liberto 31. §. ultim. ubi gloſſ. D. de negot. geſt. l. Si rem 62. §. 1. D. de eviction. l. Loci 4. §. Si fundus, cum §. ſeq. D. ſi ſervit. vindic. l. 2. §. 1. D. de Prætor. ſtip. l. ſupra 11. §. 1. cum §§. ſeqq. D. de aqua, & aquæ pluv. l. In duobus 28. in princip. & §. Ex duobus 3. D. de jurej. l. Ex duobus 16. D. de duob. reis. l. 4. D. ſi ex noxali cauſa agat. l. Si ſervus 8. D. de noxal. act. Tamen quoad fori noſtri, cui hæc ſcribimus, paraturam, ſatis eſt, aſſertionem hanc, quæ plurium etiam ex Accurſianis eſt, de judicato contra unum de ſervitute, non præjudicaturo cæteris, firmari, & exprimi Regia noſtrate l. 21. verſ. E ſi por aventura, ubi Gregor. gloſſ. 3. tit. 22. part. 3. ex qua ita nuper, poſt Hilligerum, & alios, notavit noſter ad Scholas, forique uſum Alfonſ. Olea elucubrato tractatu de ceſſione jur. tit. 4. q. 6. n. 33.

10 E contrario autem ex eiſdem regulis deducitur, & affirmatur, judicatum pro nobilitate unius fratris, proprietaria ſcilicet ſoli, ſanguinis, aut privilegii, qua ex perſona parentum, ſive tamquam ab eis derivata, nobilem eum eſſe, judicatum eſt (non item ſi privilegiaria in uno fratre incipiens, aut poſſeſſoria unius fratris nobilitas eſſet, de quo alibi) prodeſſe alteri fratri ex eiſdem parentibus, argumento ex Authent. Si quis liberos, Cod. de natural. lib. Novell. 117. Ut liceat matri, & Aviæ. cap. Ad hæc 2. l. 7. tit. 15. part. 4. in eoque potentius, & melius jus eſſe judicati pro nobilitate, quam contra eam, quod in primis, quoad ſententias de ſtatu, pervincitur exemplo rei judicatæ contra libertatem matris, quæ, quamvis non noceat filiis, ante litem editis, l. ultim. Cod. de liber. cauſ. l. ſi uſumfructum 23. §. ultim. D. eod. tit. proficit tamen eiſdem filiis, ſi ſecundum ingenuitatem matris judicetur. l. ſi aviam 3. Cod. de ingen. manum. Conducit circa eaſdem de ſtatu ſententias, quod videmus, favorabilem ſemper eſſe cauſam, & ampliationem earum, quæ pro libertate. l. Duobus 30. in fine. juncta l. ſi pariter 9. in fine, D. de liber. cauſa. l. Lege Junia 24. D. de manumiſſion. l. Inter 38. D. de rei judic. l. Judicatæ 29. D. de except. re judic. l. Cum filius 76. D. de leg. 2. l. Cum duobus 13. Cod. de inoffic. teſtam. Adſtipulatur & quod dicitur, quamvis in cauſis dividuis, judicatum pro eo, qui pro parte ſua litigavit, non magis alii proſit, quam noceat. l. ſi cum uno 22. D. de except. res judic. l. 2. Cod. quib. res judic. non noc. tamen in connexis, aut individuis, ſententiam, ſeu victoriam unius, qui in ſolidum egit, prodeſſe conſorti. l. denunciaſſe 17. §. ult. verſ. ſi abſolutus. juncta l. Adulter. 19. §. ſi eo, & §. ult. D. ad leg. Jul. de adult. l. 4. §. ſi fundus 3. D. ſi ſerv. vind. l. 4. D. expilatæ hær. l. ſi hæres 7. D. famil. herc. l. Poſthumus 6. §. ſi quis ex his, D. de inoffic. teſt. l. 1. Cod. de diverſ. reſcript. l. ſi qui ſeparatim 10. §. ult. D. de appellat. l. 1. & 2. Cod. ſi unus ex pluribus appell. cap. penult. de appell. Idque expeditius eſſe, quam ut contra unum judicatum alii noceat, ex ratione l. Solvendo 39. in fin. D. de negot. geſt. & aperta apud nos deciſione d. l. 21. tit. 22. p. 3.

Porro utrumque propoſitum, nempe & judicatum, contra nobilitatem fratris, non nocere fratri, & pro ea judicatum prodeſſe, ne auctoramentis Doctorum egeas, probent, poſt Angelum in Authent. Ut liceat matri, & aviæ, §. Ad hoc in fine. Alex. in l. Sæpe, num. 51. D. de re judic. Matth. Afflict. in Conſtit. Neap. proſequentes quæſt. 5. num. 15. & quæſt. 7. & in Conſtit. Intentionis noſtræ, num. 30. verſ. Sed quæro de quæſtione. Joann. Faber in §. Præjudiciale 5. num. 41. Inſtit. de act. Tiraq. de nobilit. cap. 17. num. 2. & cap. 37. num. 14. Joann. Vincent. de Anna ſingulari 468. copioſe Fab. de Anna conſ. 80. num. 16. & conſ. 89. num. 4. & 5. & conſ. 99. n. 7. & 8. Phil. Paſchal. de virib. patr. poteſt. 4. par. cap. 2. num. 69. & 70. Vinc. de Franchis deciſ. 523. num. 19. ubi Amendol. in addit. num. 5. & ex noſtris, poſt Caſtel. in l. 79. Tauri, affirmantem, quæſtionem hanc à Procuratoribus Regni motam, nec deciſam in Comitiis Matritenſibus anni 1534. petit. 48. D. Præſ. Covarr. in practicis, cap. 13. num. 5. in princip. verſ. Quod ſi lis. Greg. Lop. in l. 7. verb. Los otros hermanos, tit. 15. part. 4. Mieres de majorat. 2. part. quæſt. 4. illat. 2. num. 30. Otalora de nobilit. 2. p. 3. princip. cap. 8. n. 6. Garcia eod. tract. gloſſ. 6. num. 48. Seſſé deciſ. 4. Arag. p. 1. num. 28. & deciſ. 6. num. 33. Franc. Hieron. Leon. deciſ. Valentin. lib. 3. n. 12. & ſeqq. Moreno de Vargas de nobilit. diſc. 1. n. 8. Fontanell. deciſ. 228. ex num. 10. & deciſ. 229. Lara de Anniverſ. lib. 2. cap. 4. n. 17. & ſeqq. & de vita hom. cap. 7. n. 52. Salgado de Reg. protect. 4. p. cap. 8. n. 28. D. Valençuela conſ. 90. ex n. 145. & conſ. 92. n. 63. & conſ. 152. ex n. 6. Riccius collectan. deciſ. 733. & 835. Auguſt. Caputo de regim. Reip. cap. 1. §. 2. n. 30. Franc. de Petris conſ. 2. n. 16. & conſ. 30. n. 2. & conſ. 39. n. 18. & conſ. 40. n. 2. & ſeq. Melchior Lotterius de re beneſic. lib. 2. q. 43. n. 85. Capic. Latro conſult. 12. n. 32. & conſult. 50. n. 27. lib. 1. & conſult. 128. ex n. 11. & conſult. 129. ex n. 4. & 14. cum ſeqq. tom. 2. Coccinus deciſ. Rotæ 68. n. 14. & deciſ. 105. num. 1. Scip. Rovit. conſ. 80. n. 6. & ſeqq. lib. 1. Theod. Hopping. de jure inſign. cap. 7. n. 308. & 316. cum ſeqq. Eſcob. de purit. 1. p. q. 13. §. 1. n. 19. & §. 2. n. 10. quamvis aliter idem quæſt. 17. §. 1. n. 30. notatus à Capicio Latrone dict. conſult. 129. ex num. 14. 11

CAPUT

CAPUT XXV.

De judiciis pro nobilitate, aut puritate ſanguinis, quoad equeſtres habitus, aut actus S. Inquiſitionis, & Collegiorum, Eccleſiarumque, & ſimilium.

ARGUMENTUM.

Judicia, quæ prænominavimus, utpote extraordinaria, ſummaria, & ſine juſta contradictione, aut contradictore, non faciunt judicatum. Comparabilia quadantenus cum impetrato honore aureorum annulorum. Deductio inde ad majoratus clauſulam, de proprietaria nobilitate in ſucceſſore, cui non fieri ſatis, illis honoribus, Senatus cenſuit. Decreta in eis extraordinariis judiciis, neque obſunt, neque proſunt, in aliis, nec quoad alios, niſi in vim præſumptionis. Pragmatica de tribus actibus poſitivis, diſcrepans ab his regulis, ſubnixa tamen aliis, juſte-politicis: quibus tandem non acquievere militares Ordines, & qua auctoritate, & jure.

1 Lineas addimus ejuſdem penicilli, & circa rem judicatam de ſtatu, quæ theorice ſupra explicuimus, & ſuperiore Capite ad res judicatas de nobilitate patris, aut fratris, & an filiia, fratrive noceant, proſintve, aptavimus, producimus adhuc ad praxim, patrioſque mores. Ergo cum ſtet in primis, ſtatumque ſit, regulam illam de re judicata de nobilitate, ſeu ſtatu, habenda pro veritate quoad omnes, ſtare, obtinereque, ſi modo res judicata ſit, *dict. l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom. l.* 1. *§. ultim. cum l.* 2. *&* 3. *D. de agnoſc. lib. l.* 3. *D. de colluſ. detegend.* elicitur hinc recte, & intelligitur in eo judiciorum genere, in quo quamvis de ſtatu ſanguinis, ſive nobilitate agatur, & judicetur, judicata tameo, ſeu decreta in rem judicatam non tranſeont, ſive rei jodicatæ auctoritate non nituntur, neque nocere, aut præjudicare aliis, quibus alioquin nocerent, imo neque omnino, & perpetuo illis ipſis, quorum de ſtatn actum, decretumque eſt.

2 Ejuſmodi noſtris moribus ſunt extraordinaria illa judicia, in queis de puritare ſanguiois pro admiſſione ad Eccleſias, Collegia, & Sanctæ Inquiſitioois munera, ſimilem qualitatem ex ſtatuto requirentia, aut de nobilitate ſimul, & puritate, quoad equeſtria militarium Ordinum inſignia, probatiooes fieri, & decreta interponi, ſolent; in his enim judiciis omnia abnormia, & informia (tametſi graves olim ob cauſas apud nos recepta, nec ſine gravi motu, & ratiooom momeotis, mutanda, de queis, ac de toto illo procedendi ordine contra Carlevalium, Seguram, & alios, accurate Gabr. Pareja *de edit. inſtrum. tom.* 2. *titul.* 10. *reſolut.* 4. *ex num.* 18. *&* 24. *cum ſequentibus*) & quæ nec conſeotanea judiciorum regulis, nec judicati auctoritati ſufficientia. Quippe conſtat, eſſe hæc judicia, ſive inquiſitiones potius vocaveris, extraordinaria, ſummariaque, non tantum quoad ordinem, ſolemoiaque judiciorum, quod ſatis eſſent, ne tranſirent io judicatum. *l. à Divo Pio* 15. *§. ſi rerum, verſic. Sed ſciendum, Digeſt. de re judic. cap. Veniens* 38. *de teſtib.* Utpote in queis proceditur ex officio arcano judicis, ſine litis conteſtatione, & editione actorum, ac publicatione teſtium, & concluſione cauſæ, quod vel plus eſt, quam ſimpliciter, ut dicitur, & de plano, ſine ſtrepitu, ac figura judicii. *Clementina Sæpe de verbor. ſignif. Clementin. Diſpendioſam de judic.* Sed extraordinaria etiam, ſummariaque, quoad ſubſtantiam cognitionis, & probationum, quia tam cognitio, & inquiſitio, quam receptio inſtrumentorum, & teſtium fit ſine ulla citatiooe partis, vel ejus admiſſione ad repulſas, & proinde imperfecta ſingula, & contra regulas judiciorum, & judicati. *cap.* 2. *cap. Significavit* 41. *de teſtib. l. ſi quando* 19. *verſ. ſed cum, & Authent. ſeq. Cod. de teſtib.* juncta *l. de unoquoque* 47. *D. de re judic. l. Admonendi* 31. *D. de jurejurand.* Denique, quod vel ſolum excludendæ judicati auctoritati ſufficeret, deficit in hiſce judiciis *plena* illa *inquiſitio*, & diſcuſſio inter utramque partem, cujus mentio in *l. Judices* 9. *Cod. de judic.* ſeu juſtæ altercationis *magnus conflictus*, quem ſententiæ, & rei judicatæ veluti neceſſarium nominat *lex ultim. Cod. Comminationes, vel epiſtolas*, quia cognitio, & judicium fit, non modo ſine citatione, ut diximus, Candidati ejuſmodi honorum, ſed etiam ſine alio contradictore juſto, & veluti accuſatore, ſine quo ab honoribus nemo regulariter prohibetur. *l. Reſcripta* 6. *§. ſi quis accuſatorem, D. de muner. & hon.* ſive ſine qua juſta contradictione, & contradictore, decreta in cauſa ſtatus non ſunt pro judicatis. *l.* 3. *D. de colluſ. deteg. l.* 1. *l. Patronum* 5. *D. ſi ingenuus eſſe dicet. l. Divi* 27. *§.* 1. *in princip. & verſic. Recte, D. de liber. cauſ. l.* 1. *Cod. de ingen. manumiſ.* juncta, quoad alias cauſas, regula *l. Qui repudiantis* 17. *§. ult. D. de inoffic.*

Cui poſtremæ rationi propriæ, & ſpeciali ad rem, 3
præ aliis generalibus, quibus Practici noſtri utuntur, accedit proprium item, & appoſitum ex priſco Jure exemplum, nempe inſigne illud aureorum annulorum, quod cum Romanis moribus eſſet nobilitatis equeſtris, & iogenuitatis inſigne, ut apud nos ſacratæ equeſtrium militiarum Cruces, idcircoque aureorum annulorum jus conſequuti pro ingenuis habebantur, quoad honores, & dignitates ingenuorum, *l. unic. Cod. ad leg. Viſell. l.* 1. *Cod. ſi ſervus, aut libert. ad Decurion. lib.* 10. *l. unic. Cod. quando civil. actio crimin. præjudic. l. Cum ex oratione* 44. *D. de excuſat. tutor.* tamen quia id jus impetrabatur beneficio Principis, ſine contradicto judicio, aut contradictore juſto, *l.* 2. *Cod. de jure aureor. annul.* præſtabat impetranti potius honorem, & imaginem, quam ſtatum iogenuitatis, *dict. l.* 2. *l. unic. Cod. ad leg. Viſell. l. Falſa* 33. *§. ſed ſi cui, D. de condit. & demonſtrat.* neque præjudicabat patrono, ſicut præjudicaret, ſi judicatum eſſet. *l. ſed ſi hac* 10. *§. ſed ſi jus.* juncta *l. Adoptivum* 8. *§. Patronum, D. de in jus voc. l. ſi is, qui* 42. *D. ad l. Jul. de adulter.* Expendi ſimiliter poſſunt exempla liberti, adrogati ab ingenuo, ex beneficio Principis, aut patroni jurantis, ſe patronum eſſe, queis caſibus, nec adrogatio ſtatum ingenuitatis, nec juramentum libertinitatem omnino inducit, quia ſine contradicto judicio expediuntur, & proinde nec judicata ſunt. *l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt. l. ultim. D. de adoption. l. ſi juravera* 14. *D. de jure patron.* de quibus multa ſupra. Recte itaque tametſi vix perpenſis his veteris Juris rationibus, noſtrates Doctores ſtatuunt, non haberi pro re judicata, ut tamquam judicata noceant, aut proſint decreta admiſſionis, vel excluſionis in Collegiis, Eccleſiis, Ordinibus, puritatem, nobilitatemve ſanguinis ex ſtatuto requirentibus; ita, poſt alios, Lara *de Anniverſ. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 91. Paz *de tenuta cap.* 32. *num.* 53. *& ſeqq.* D. Valcoç. *conſ.* 90. *ex num.* 115. Noguerol. *allegat.* 25. *num.* 301. Lother. *de re benefic.* 2. *cap.* 43. *num.* 82. Carleval. *de judic. tom.* 2. *tit.* 2. *diſput.* 3. *num.* 32. Et poſt Aug. Barboſ. Ricciullium, & alios, operoſe magis, quam docte, repetens, Eſcobar *de purit.* 1, *part.* 4. 9. *§.* 4. *num.* 63. *& quæſt.* 13. *§.* 3. *num.* 49. *& §.* 4. *num.* 72. *& quæſt.* 17. *§.* 1. *ex num.* 53. Pareja *de inſtrum. edit. tom.* 2. *tit.* 10. *reſol.* 4. *num.* 34. conducunt in ſimili tradita à Joſepho Seſſe *deciſ. Arag.* 5. *num.* 12. *& ſeqq. tom.* 1. Capicio Latr. *conſult.* 50. *num.* 58. *& ſeqq. lib.* 1.

Secundum quæ, cum in Supremo Regio Senatu 4
peteretur tenuta inſignis majoratus, cujus inſtitutor ſtricta, & diſerta conditionis forma, nobilitatem proprietariam,

proprietariam, & poſſeſſoriam ſanguinis, & puritatem ejuſdem, nullo adverſo rumore laceſſitam, in perſona ſucceſſoris, & uxoris, & utriuſque patre, matreque requirebat, quamvis plerique ex tenutæ petitoribus integra, ex omni parte puritatis, & nobilitatis ſama, & repetitis in ſe, & majoribus equeſtrium militiarum inſignibus ſplenderent, nec deeſſent judices, qui cenſerent (fortaſſe non minus prudenter, quam humane) dandam tenutam ex petitoribus uni, & ei, qui potiore cæteris vocationis, & ſanguinis jure niteretur, tametſi non uſquequaque, & undique nobilitatem contradicto judicio, & judicato aſſertam oſtenderet, ſcilicet quoniam conditioni, utcumque abſciſſe nobilitatem proprietariam undique requirenti, credendum eſt, ſatisfieri probatione nobilitatis moraliter poſſibili, juxta ſubjectam materiam, & præſumptam mentem inſtitutoris, ad rem poſt Felinum in *rubr. de probat. conch.* 2. cenſuit Rota apud Seraphin. *deciſ.* 207. *num.* 1. & *ſeqq. tom.* 1. Lara *de Anniverſ.* 2. *cap.* 4. *num.* 53. in ſpecie Eſcobar *de purit. in addit. pag.* 502. *verſ. Ibidem*, *poſt num.* 185. juncta notabili traditione Cajetani, de requirenda in probationibus rerum humanarum, certitudine fidei, non evidentiæ, apud Petr. Barboſ. in *l.* 2. *part.* 1. *num.* 92. *D. ſolut. matrim.* ne alioquin contra votum inſtitutoris, quæ conditio decori ſucceſſorum proſpexit, in eorumdem dedecus cedat, ſitque hujus majoratus tenuta Delphicus ille tripus, quem ab Apolline dicatum primo Sapienti, cum inter ſeptem illos Græciæ nemo eo dono dignus cenſeretur, Apollini remiſſum memorant, aut ſicut Alexandri Imperium, quod optimo, ſive digniſſimo relictum, non tam relictum ſucceſſioni, quam diviſioni fuit; tamen, neglectis hiſce conſiderationibus, Senatus noſter cenſuit, non eſſe locum tenutæ, illa inter alias ſtricti juris ratione, quia, ut ſupra diximus, fama, poſſeſſio, & inſignia equeſtrium militiarum non faciunt rem judicatam pro nobilitate proprietaria, qualem inſtitutor requirebat, & ubi ab inſtitutore nobilitas, vel alia qualitas in vim conditionis requiritur, probanda eſt plene, & integre. Ut argumento ex *l.* 40. *Tauri* in fine, notarunt Palac. Rub. in *l.* 45. *Tauri*, *num.* 2. Zevallos *comm. quæſt.* 905. *num.* 188. ſive ſpecifice, ut ſcripſit D. Molina 2. *de primog. cap.* 13. *num.* 30. in fine; jungendus Seſſè *deciſ.* 13. *num.* 17. & 20. *cum ſequentib.*

5 Eſt item propoſitis conſequens, decretam, & repetitam excluſionem unius ab Eccleſia, Collegio, aut militia, puritatem, nobilitatemve requirente (quamquam ea, quæ decreta dicimus, non redigantur in Acta publica, neque edantur, & ſint ſola, & ſecreta ſuffragia, quibus non conſtare de qualitatibus requiſitis in prætenſore decernitur, & expeditio petiti honoris ſuſpenditur, reprobatis, ut loquimur, informationibus) non obſtare in vim judicati, quo minus ille idem ad eumdem honorem, & ordinem novo decreto admitti poſſit. Et multo minus obſtare ipſi, quo minus ad alium Cœtum, vel Ordinem, ſimili ſtatuto ſubnixum, admittatur, ex regula *tituli Cod. res inter alios actas. l.* 1. *D. de except. rei judic. cap. Inter dilectos* 6. *verſ. Atteſtationes de fide inſtrument.* Et multo utique minus nocere aliis ejuſdem filiis, fratribus, conſanguineiſve, quo minus ad eos ipſos honores, à quibus ille decreto excluſus, admitti denuo poſſint, & debeant; & è converſo decreta admiſſionis illi ipſi, qui admiſſus, non prodeſſe in vim judicati, ut admittatur ad alium Cœtum, ſimili ſtatuto ſuffultum, & multo minus prodeſſe ad eum finem, tamquam judicata, filiis ejuſdem, fratribuſque, quæ ſingula ſtant una illa, & ſolida Juris ratione, quia in judiciis his extraordinariis, & informativis, decreta pro admiſſione, vel excluſione non ſunt res judicatæ, *dict. l.* 3. *D. de colluſ. deteg. l. Dioj* 27. §. 1. *de liber. cauſa*, illic: *Nec ea res ingenuum facit eum, qui non fuit. dict. l. Ingenuum* 25. *Digeſt. de ſtatu homin.* docent, deducuntque laudati ſupra, Lara, Pazius, Valençuela, Carlevalius, & alii.

6 Illud tamen meminerimus, decreta hæc admiſſionis, vel excluſionis, quamvis neque proſint, neque præjudicent in vim judicati, imo neque in vim probationis, ex regula *tit. Cod. res inter alios actas. cap. Inter dilectos* 6. *verſic. Atteſtationes, de fide inſtrument.* adeo ut nec ſemiplenam probationem faciant; contra quam cenſuit Bartolus, communiter exploſus in *l. Admonendi* 31. *num.* 45. *D. de jurejurand.* prodeſſe tamen, & præjudicare, ſaltem in vim præſumptionis, quæ probationibus aliis juncta, vel in earum paritate, & concurſu pro admiſſione, vel excluſione, moneat, producatque animum judicis in eam partem, pro qua decretum, vel admiſſionis, vel excluſionis, etiamſi inter alios, vel quoad alium ordinem adfuerit; juxta nobiles textus, & decretis hiſce extraordinariis aptabiles, in *l. ſi duo patroni* 13. *verſic. Multum tamen fidei*, ubi poſt Accurſium, & Claſſicos, A. Faber *D. de jurejurand. l.* 1. §. *Julianus* 12. *verſic. Quandoque*, *D. de agnoſcend. liber.* junctis *l.* 1. §. *Ibidem Julianus* 8. *D. de Carbon. Edict. l. Imperatores* 29. §. *ultim. D. de probat. l. A ſententia* 5. *D. de appellat.* docte & pro multis unus, Dom. Covarruv, in *practicis cap.* 13. *num.* 4. plene, & in ſpecie Eſcobarius *ubi ſupr. quæſt.* 13. §. 1. *ex num.* 2. recenſendus tamen, & redigendus ad limam, lineaſque has veræ Juriſprudentiæ in his, quæ contra illam, & pro decretis hiſce admiſſionis, & excluſionis, ut proſint, noceantque aliis, tamquam ſi eſſent judicata de ſtatu, molitur laborioſe *d.* §. 1. *ex n.* 11. & §. 2. *per totum*, maxime ex *num.* 17. *cum ſeqq.*

7 Adnotamus tandem, conſequenter jam traditis, Regiam Pragmaticam, editam primum inter alia Capita generalis Reformationis *anni* 1623. ac deinde inſertam *novæ Compilationi lib.* 1. *tit.* 7. *l.* 35. 36. & 37. quibus cavetur, tres actus poſitivos pro nobilitate, aut puritate ſanguinis, ſive tria decreta, & honores, eis decretis obtentos, in Eccleſiis, Militiis, Tribunalibus, Collegiis, eas qualitates ex ſtatuto requirentibus, & eadem Pragmatica expreſſis, haberi deinceps pro re judicata, ut tamquam talis, & ea auctoritate, & vi proſint ad ſimiles honores aliis ejuſdem lineæ, probata ſola, ut ita dicam, lineæ contingentia, & ſine nova nobilitatis, aut puritatis probatione, adnotamus, ut præmiſimus, hanc ejus Pragmaticæ partem fuiſſe inductivam juris novi, nec conſentaneam ſtricti juris ratione, & regulis, ſecundum quas, decreta pro nobilitate, aut puritate, in judiciis illis ſummariis, extraordinariis, & irregularibus, & ſine contradictione, aut contradictore juſto, qualia apud nos recepta ſunt, etiamſi plura ternis, aut trecentis decreta forent, nec ſunt, neque cenſeri poſſunt res judicatæ de ſtatu, ut animadvertimus ſupra, & actus poſitivi, ſive honores, eis decretis obtenti proficerent ad ſummum pro quaſi poſſeſſione, aut præſumptione ejus qualitatis, quæ probationis onus transferret in adverſarium. *l. Liberis* 7. §. *ultim. l. Cui neceſſitas* 39. *D. de liber. cauſa. l. Vis ejus* 15. *Cod. de probat. l.* 5. *tit.* 14. *part.* 3. ſed neutiquam, ut ſint quoad alios pro re judicata de ſtatu, quantumvis ſingulare, & novum hoc jus Regiæ Pragmaticæ adaptare, tamquam conforme communi Juri, & Regulis, tentet, ſatagatque Eſcobarius *part.* 2. *quæſt.* 4. *art.* 2. *ex num.* 1. & 13. & ſupponat obiter D. Petr. Salcedo *lib.* 1. *de Lege Polit. cap.* 5. *num.* 24. *in fin.* Nec tamen ideo diffitemur, ſanctionem illam, utcumque novam, correctoriamque, ſubnixam fuiſſe juſtis humanitatis, & politicæ convenientiæ rationibus, quæ exprimuntur in *dict. l.* 35.

8 Sane poſt hæc, ut ſunt variæ, & inſtabiles temporum, hominumque cenſuræ, in Generalibus equeſtrium Militiarum Ordinum D. Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ Capitulis, ſive Comitiis, habitis nuper *anno* 1653. retractata, & redacta ad examen Ordinum ſanctione hac, de tribus actibus poſitivis, diſ-

plicuit

plicuit ejus obſervantia, & uſus, quoad honores eorum Ordinum, quorum Capitularibus Statutis, Regia auctoritate editis, revocata ea Pragmatica eſt; id quod an in futurum expedierit, experientiæ, & aliorum judicium ſit. Illud interim non ſilemus, cum Regia illa Pragmatica munita poſtea fuerit Apoſtolica confirmatione, & Urbani VIII. *Bulla anni* 1624. quam recitat Salcedo *d. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 23. etiamſi nuper Regia, cujus meminimus, revocatione, quoad tres equeſtres Ordines abrogata ſit, tamen ne adhuc, Apoſtolica ſaltem, qua nititur, auctoritate obliget, neceſſariam videri Pontificiam diſpenſationem, ſeu derogationem, niſi revocatio à Capitulis facta ſubſtineatur poteſtate, quæ ſupponitur eiſdem, & eorum Magiſtro Apoſtolicis Bullis conceſſa, mutandi, & innovandi qualiacumque etiam à Pontificibus confirmata, eorumdem Ordinum ſtabilimenta, quæ modo primitivæ regulæ ſubſtantiam non tangant, de quo tamen alii cenſento.

CAPUT XXVI.

De Decretis reintegrationis, vel allectionis in Sedilibus Neapolitanis, an faciant judicatum: & de Pragmatica arcente Clericos à Sedilibus.

ARGUMENTUM.

Sedilium Neapolitanorum inſtitutio, & inſtitutum. Admiſſio ad ea per reintegrationem tranſit in vim judicati, prodeſtque aliis ex familia, etiam collateralibus, & quare? Aliud in admiſſione per allectionem, qua non inducitur judicatum; & tamen prodeſt proprio jure filiis allecti, non item collateralibus. Allectio non permiſſa Sedilibus, ſine Regio permiſſu, id quod firmatur Politiæ, & Juris momentis, interque alia ex l. 1. & 2. Cod. de jure aur. annul. *Nobilitatem, & admiſſionem ad Reipublicæ regimenta indulgere, eſt ſolius Supremi Principis. Per Pragmaticam arcentem Clericos à ſuffragio, & adminiſtratione in Sedilibus (ſervata eiſdem nobilitatis prærogativa) an lædatur Eccleſiaſtica Immunitas, ſeu libertas? Affirmatur non lædi, quia conſonat Pragmatica Eccleſiaſticis legibus, quæ illuſtrantur ſimul cum Cæſareis, & Regiis. Conſentanea item eſt Eccleſiaſtici ſtatus diſciplinæ. Excipiuntur Clerici Conſiliarii Regum, & quidem ex ratione, aut mente D. Thomæ.*

1 PRoducimus & extra Hiſpaniam, ſed intra Hiſpanæ Monarchiæ terminos, tradita huc uſque de judicatis, ſive decretis de nobilitate, & ſtatu, ad illuſtria quinque illa *Sedilia*, ſive *Exedras*, &, ut Iſernia nominat, τόπους, Nobilium Neapolitanæ Urbis, & totidem veluti Curias Nobilium in quinque illis Porticibus, Plateis, &, ut ajunt, Quarteriis diſtributas, corpus Neapolitanæ Civitatis ſimul cum Sedili populi repræſentantes, & inſtitutas ad politicam ejuſdem regimen (ut apud nos Conſiſtoria Decurionum) primum à Carolo I. Andegavenſi, & expolitas deinde plenius, perfectiuſque à Roberto, & Joanna Regibus Neapolitanis, quorum auctoritati, & privilegiis originem, & formam debent, ut poſt M. Ant. Surgentum in *Neapoli illuſtr.* Summonthum in *Hiſtor. Neapol. lib.* 1. *cap.* 8. notat Juris, & Hiſtoriæ peritus Franciſc. de Petris *Hiſtor. Neapol.* 1. *cap.* 7. *pag.* 76. *& ſeqq. & conſ.* 46. & 63. Hieronymus Meſigerus in *Neapolitanis deliciis*, *cap.* 5. *pag.* 42. *& ſeqq.* Julius Capaccius *nel foraſtiero giornata* 8. *pag.* 692. poſt alios, inter Practicos, Marin. Freccia *de ſubfeud. lib.* 3. *n.* 18. *&* 34. *pag.* 463. *&* 466. Vincent. de Franchis *deciſ.* 207. *n.* 8. *& deciſ.* 2. *n.* 10. noviſſime Taſſonus in *Pragmat. de antefacta*, *verſ.* 2. *obſerv.* 4. *num.* 17. *& verſ.* 3. *obſervat.* 3. *n.* 8. *&* 330. *& verſ.* 4. *obſerv.* 5. *n.* 1. *& ſeqq.* Hector Capic. Latro *conſ.* 128. *ex n.* 1. *lib.* 2.

2 In his itaque quinque Neapolitanæ Nobilitatis Sedilibus, quorum nuncupationes notiſſimæ, ſunt Nidi, Capuanæ, Montaneæ, Portæ novæ, & Portus; ſi quæramus, an decreta admiſſionis unius ad Sedile proſint in vim judicati aliis, etiam collateralibus ejuſdem familiæ, ad jus ſeſſionis, & ſuffragii in eodem Sedili, obſervanda diſtinctio eſt, inter admiſſionem per reintegrationem, vel per allectionem, & deducenda diſtinctionis ratio ex jam traditis. Admiſſionem per reintegrationem vocamus, quoties collateralis ex familia, cujus majores jure, & prærogativis nobilitatis alicujus Sedilis potitos fuiſſe conſtat, petit, ſe declarari Nobilem illius Sedilis, & reintegrari ad ejus privilegia, & honores: in qua hypotheſi, ſi vel probetur, majores illos collaterales petentis fuiſſe ex familia antiqua originaria Neapolitana, vel ſaltem ſi non probetur, fuiſſe exteros Nobiles ex aliis Neapolitani Regni Urbibus, præſumuntur potiti honoribus Sedilis, tamquam originarii Nobiles Neapolis, argumento ex *Novella* 15. *de defenſoribus Civit. cap.* 6. *in fine*, illic: *Convenit enim, unumquemque Nobilium ſemper functionem agere Civitatum, quas inhabitat. cap. Fundamenta* 17. in fine, *verſ. Ut autem Cives, de election. lib.* 6. *l. Filios, Cod. de municip. & orig. lib.* 10. prodeſtque ea collateralium quaſi poſſeſſio, & origo, aut originis præſumptio collaterali nunc petenti, ad obtinendam ſententiam reintegrationis, ut in ſpecie, quoad Neapolitana Sedilia, poſt Matthæum de Afflictis *ad Conſtit. Neapolit. Proſequentes quæſt.* 5. *num.* 15. *& quæſt.* 7. *num.* 16. *& ad Conſtit. Intentionis num.* 30. *verſ. Sed quæro de quæſtione*, docent fuſius, diſtincteque Joann. Franc. de Ponte *conſ.* 107. *lib.* 1. Fab. de Anna *conſ.* 80. *num.* 16. Scip. Rovit. *conſ.* 80. *num.* 8. *lib.* 1. Phil. Paſchal. *de virib. patr. pot.* 4. *part. cap.* 2. *num.* 70. Auguſt. Caputus de *regim. Reip. cap.* 1. *§.* 2. *num.* 32. Capic. Latro *conſult.* 128. *ex num.* 11. *& conſ.* 120. *num.* 21. *&* 28. & poſt Bombinum, Vivaldumque, eruditus præ aliis in his Sedilium cauſis Franc. de Petris *conſ.* 2. *num.* 16. *& conſ.* 39. *num.* 5. *&* 16. *& conſ.* 40. *num.* 2. *&* 6. & ex eo tranſcribens Joannes Baptiſta Thoro in *compend. deciſ. p.* 2. verbo, *Nobilitas alicui*, *pag.* 381.

Id autem, quod tradidimus, quaſi poſſeſſionem 3
collateralis, tamquam originarii Neapolitani in Sedili, prodeſſe collaterali ad reintegrationem, procedit multo magis, expeditiuſque, ſi qui nunc petit, aut majorum aliquis admiſſus ſit ad Sedile per ſententiam reintegrationis; ea enim ſententia rite lata, & obtenta proderit aliis ejuſdem familiæ etiam collateralibus in vim judicati, ut admittantur ad idem Sedile, ut poſt Afflictis in *dict. Conſtit. Intentionis num.* 30. notant Joann. Vinc. de Anna *ſingul.* 468. & laudati nuper Rovitus, Paſchalius, Caputus, Latro *dict. conſ.* 129. *num.* 7. D. Valençuela *conſ.* 92. *n.* 68. ex aliis Thoro 1. *tom. comp. deciſ.* verb. *Sententia lata in favorem unius fratris in Sedilibus pag.* 501. Ratio autem poſtremæ hujus aſſertionis eſt, omnino ſupra poſitis principiis congruens, connexaque. Quippe reintegrationis ad Sedile ſententia rite lata, eſt res judicata de ſtatu nobilitatis, & quidem expedita, & obtenta ordinario judicio, & cum contradictione, & contradictore juſto, & proinde faciens, proficienſque in vim judicati aliis etiam collateralibus, ex regula *dict. l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom. l.* 1. *§. ult.* cum *l. ſeq. D. de agnoſc. liber.* quemadmodum noſtris moribus res judicata pro nobilitate unius fratris proprietaria, ſive originaria ſoli, ſeu ſanguinis prodeſt alteri fratri jure judicati, ut probavimus plene ſupra. Enimvero, ut, quod diximus de reintegrationis ad Sedilia judicio, & ju-

dicati vi, ſit etiam exteris pro explorato, monuiſſe liceat, cauſas haſce apud Neapolitanos ex Regiis Ordinibus tractari, & terminari magno conflictu, coram quinque Hiſpanis Judicibus, Regia auctoritate deſignatis, citato, & contradicente Sedili, ejuſque Electo, ſeu Syndico, ſimulque interveniente Fiſci Advocato, ut memorant Franc. de Ponte de poteſt. Proreg. tit. 12. num. 2. ubi Additiones, Caputus dict. cap. 1. §. 1. num. 48. Rovit. conſ. 31. lib. 1. tandemque per noviores Ordines, non niſi præcedente libello ſupplici in Supremo Italiæ Conſilio, ibique expedito Regio permiſſu pro admittenda petitione reintegrationis.

4 Per allectionem dicimus, admiſſionem fieri, quoties ſine ullo contradictorio judicio, ſed vel ſolo decreto Sedilis, vel præcedente ad allectionem tractandam Regio permiſſu, & ſecuta deinde Regia approbatione (de quibus formis poſtea nonnulla) reperitur allectio, ſive aggregatio facta alicujus Nobilis ad Sedile, & per eam allectionem admiſſus, quæririurque, an id decretum aggregationis, & admiſſionis ſit res judicata jus faciens, proficienſque aliis ejuſdem familiæ admittendis. Reſpondemus indubie, prompteque, non eſſe rem judicatam, & idcirco quamvis allectio unius ad Sedile proſit filiis, & deſcendentibus ejuſdem, ad honores illius Sedilis, non tamquam res judicata, ſed tamquam jus privilegiariæ nobilitatis, à patre adquirente ad ejus poſteros tranſmiſſæ, argumento ex l. Liberos 10. D de Senator. l. Divo 11. Cod. de quæſtion. l. 1. Cod. de privileg. eorum, qui in Sacr. Palat. mil. lib. 12. l. 1. & l. Senator 11. Cod. de dignit. eod. libr. & ſupponunt in ſpecie allectionis ad Sedilia poſt Afflictis d. Conſtit. Intentionis num. 30. & ſeqq. Vinc. de Franch. deciſ. 357. num. 5. in fine. Ponte dict. conſ. 107. num. 2. in fine. Rovit. dict. conſil. 80. num. 1. & 7. cum ſeqq. lib. 1. exerte Paſchal. de vir. patr. poteſt. 4. par. cap. 2. num. 69. & 70. Caput. de regimin. Reip. cap. 1. §. 2. num. 29. & 31. Capic. Latro dict. conſult. 128. n. 8. Thoro in compend. deciſ. 1. part. verb. Nobilitas alicujus familiæ pag. 359. non tamen prodeſt fratri, aut collateralibus, deſcendentibus ex fratre allecti, ſicut neque eiſdem proficeret privilegiaria nobilitas, aut poſſeſſoria, quæſita ab uno fratre, ut juxta regulam l. Matrem 17. l. Ad probationem 22. Cod. de probat. l. Multis 17. Cod. de liber. cauſa. l. 2. §. 1. D. ſi quis aliq. teſt. probib. notant, quoad mores noſtros, Otalora de nobil. 2. part. 3. partis princip. cap. 8. num. 5. Garcia eodem tract. gloſſ. 6. num. 48. Lara de vita hom. cap. 7. num. 52. Parlador. differ. 145. §. 2. num. 6. Eſcobar de purit. 1. part. quæſt. 17. §. 1. num. 35. Et quoad Neapolitana Sedilia Afflictis, Ponte, Paſchalius, Caputus, Latro, & Thoro, ubi proxime. Et in commone Hoppingius de jure inſign. cap. 7. num. 326. Non eſt autem, ut diximus, allectionis decretum, res judicata, quia ſine ullo contradicto judicio expeditur, ſed vel Sedilis ſuffragio, & actu, quia extrajudicialis cenſetur, ut notatur in cap. Conſtitutis 46. ubi Panormitan. & alii de appellat. Vel extraordinaria itidem Supremi Principis approbatione, aut creatione, quemadmodum Jure Romano olim, allectiones, ſive nominationes Decurionum ad honores, & Ordines curiarum (quibus, ut præmonuimus, Sedilia Neapolitana; & Decurionibus, equites Sedilium reſpondent) fiebant per ſuffragia, & Decreta earumdem Curiarum, interveniente, aut ſubſecuta Præſidum Provinciarum auctoritate, aut confirmatione. l. 1. §. Solent 3. cum ſeq. D. quando appell. ſit. l. 3. cum legibus ſeqq. D. quod cujuſc. univ. l. 2. l. Nominationum 45. l. ſi quos 59. C. de Decurion. lib. 10. l. Nominationes 27. Cod. de appellat.

5 Enimvero quod ſuppoſuimus de allectione ad Sedile, facta decreto Sedilis, vel Regia auctoritate (omiſſis tamquam à propoſito alienis, allectionibus illis, per quas in municipiis olim in Cives recipiebantur, de queis in l. 1. D. ad municip. l. Cives 7. Cod. de incolis, lib. 10. l. In adoptionem 7. Cod. de adoptionib.) ne vel obiter indiſcuſſum maneat, obſervandum obiter eſt, ſi de facto quæratur, extare utriuſque generis allectionis vetera monumenta, & exempla, ſive factæ per ſuffragia majoris partis Sedilis, ut apud Sigiſmundum Lofredum conſ. 51. Vincent. de Franchis deciſ. 2. per tot. & num. 28. Franciſc. Cenſalium in addit. ad Peregrin. ad artic. 23. pag. 114. Franc. de Petris Hiſtor. Neapolit. lib. 1. cap 8. in fine; ſive Regio aſſenſu, aut Reſcripto, ut apud eumdem Franchis deciſ. 207. num. 11. & 13. & deciſ. 357. numer. 5. Joann. Vincent. de Anna alleg. 130. num. 16. & 19. Marcell. de Mauro allegat. 7. n. 11. & 13. junctis traditis à Franc. de Petris conſ. 63. num. 15. & 22.

Cæterum ſi de jure, ſive facultate aggregandi, & alliciendi ad Sedilia, quæſtio ſit, an ſcilicet ea Sedilibus competat privative, vel ſaltem independenter à Regia approbatione, & permiſſu, quamvis non deſint, qui, competere, affirment, ex vi immemorialis conſuetudinis, ut ſupponit Caputus de regimin. Reipublic. cap. 1. §. 2. num. 1. & ſequentibus, interque alios turbido ſpiritu potius, quam ſpiranti, & viva ratione, Cenſalius ubi proxime; verins tamen omnino eſt, ex Juris, & Politiæ cenſura, jus hoc aggregationis, ſive allectionis ad Sedilia, eſſe proprie ſolius Principis, Regiæque, ut ſic loquamur, Supremitatis, ſive quia ſi allectionem ſpectes, tamquam cooptationem ad equeſtrem Ordinem, & actum poſitivum, ſeu poſſeſſorium nobilitatis, ejuſque honorum, & inſignium, conſtat, ea ſingula à Principe Supremo conferri, & pendere, eſſeque inter Suprema, ut aiunt, Regalia. l. 1. Cod. de equeſtr. dignitat. lib. 12. l. Sed ſi hac 10. §. Sed ſi jus 3. Digeſt. de in jus voc. l. Imperialis 23. §. 1. Cod. de nupt. l. 3. Digeſt. de natal. reſtit. l. unic. Cod. ad leg. Viſell. l. Nemo 5. Cod. de dignitat. & l. 3. Cod. de Conſulib. lib. 12. cap. 1. §. Cæteri. Ubi Baldus & Claſſici, qui dicatur Dux, Marchio, vel Comes, lib. 2. tit. 10. in feudis. §. Filiusfamilias 4. verſic. Sed ex Conſtitutione, Inſtit. quib. mod. jus patr. poteſt. Novella 78. ut liberti de cætero cap. 1. 6

Unde ut ignoto in hac re Pragmaticis, & appoſito ad allectionem Sedilium, auctoramento juris utamur, reſcripſerunt alibi Cæſares, natales antiquos, & jus ingenuitatis non præſtari à Decurionibus, aliquem tamquam nobilem, vel ingenuum Ordini, & Curiæ ſuæ aggregantibus (proinde neque per allectionem factam a Sedilium Decurionibus, & Curiis, quæ Romanis illis ſucceſſere, & reſpondent) ſed ab Imperatoribus peti debuiſſe. l. 1. & 2. Cod. de jure aureor. annulor. juncta dict. l. unic. Cod. ad leg. Viſell. l. 1. & 2. Cod. ſi ſervus, aut libert. ad Decurion. lib. 10. l. Ex libera 6. Cod. de ſuis, & legit. 7

Sive etiam, quia ſi Sedilia intueare, tamquam Neapolitanæ Urbis, & nobilitatis Collegia, & per allectionem ad Sedile conſideres, tribui allecto jus politici ſuffragii, & conſenſus, & publicum veluti munus Decurionis in una ex quinque illis Nobilium Curiis, quibus, ſimul cum populi Curia, Neapolitana Civitas repræſentatur, & regitur; eſt item exploratæ aſſertionis, Collegia qualiacumque, eorumque jura, non poſſe, ſine Principis permiſſu, & auctoritate, ſuſtineri, l. 1. D. quod cujuſcumq. Univ. l. 1. cum ſeqq. D. de Colleg. & Corpor. & ſimiliter pendere allectionem ad Curias, & politica allecti munia, non ex poteſtate, aut decreto Curiarum, aut Decurionum nominantium, ſed ex Supremitate Principis, allectionem permittentis, aut confirmantis, vel per ſe, ut in allectis ad Senatum Romanum ſub Cæſaribus, &, ut Cæſares iidem loquuntur, Senatorium conſequutis Imperiale largitate faſtigium. in l. 2. tit. 2. lib. 6. Cod. Theodoſ. juncta l. In his 74. illic: Senatorio adepto vel à Nobis, vel à Divis Principibus honore, de Decurion. in eod. Cod. Caſſiodoro lib. 1. variar. epiſtol. 41. & lib. 3. epiſt. 33. & lib. 4. epiſt. 25. & lib. 6. formula 14. de referendis in Senatu. Lampridio in Alexandro, Dione Caſſio lib. 52. hiſtor. Vel per Magiſtratus, & Provinciarum Rectores, ut in Decurionibus, ad Curias, ſeu minores Urbium Senatus, allectis. 8

allectis. *l. 1. §. Solent 3. cum ſeq. D. quando appell. ſit. l. 2. l. Si quos 59. Cod. de Decurion. lib. 10. l. Defenſores 8. Cod. de defenſorib. Civit. Novell. 15. de defenſorib. cap.* 1. Plinius *lib. 10. epiſt. ad Trajanum* 113. *& ſeqq.*

9 Sive denique ex una illa legalis, & politicæ ſcientiæ ratione, quia in Monarchico ſtatu, tranſlatis ad Principem, ut Arcadius ajebat, Reipublicæ regimentis, & populi poteſtate, atque imperio, *l. unic. D. de offic. Præf. Prætor. l. 1. D. de Conſtitut. Princip.* ita de rebus publicis cenſendi, & decernendi, &, ut Ariſtoteles nominat 4. *Polit. cap. 4. βουλευτικὴ*, ſeu conſultatrix facultas, eſt ſolius Supremi Principis, & exercetur in ſingulis Urbibus à Decurionibus, & Curiis, non ſuo, ſed vicario, & precario Principis nomine, & jure. *l. 2. §. Noviſſime 11. D. de orig. jur. l. unic. D. ad leg. Jul. de amb.* juncta *l. 1. verſ. Nec Civitates, Cod. de bon. vacant. lib. 10. cap. unic. quæ ſint Regal. lib. 2. In feudis, tit.* 56. ex noſtratibus Roder. Suar. *allegat. 7. num. 7. & 9.* & ex Politicis Arniſeus *de jure Majeſt. lib. 2. cap. 4. num.* 13. Proinde & concludimus, fuiſſe ſemper precarias, & ex Regio permiſſu, aut confirmatione pendentes, allectiones ad Sedilia (quemadmodum & fuit ipſorum Sedilium inſtitutio, leges, & forma, de qua ſupra) docentque in ſpecie, ex Neapolitani fori ſenſu, & ſtylo Franc. de Amicis *ad tit. de his, qui in feudum dare poſſ. §. Explanatis num. 3. & ſeqq. pag.* 219. Paſchal. *de virib. patr. poteſt. 4. part. cap. 2. num. 71. & 76.* acriter, prout affectus, Joann. Vinc. de Anna *allegat.* 130. & eodem motu tranſcribens Marcell. de Mauro *allegat.* 7. apud quem Abbas Hieron. de Mauro in *Additionibus*, & notatus ſupra Cenſalius, tandem agnoſcunt hodie, ex Regiis Ordinibus, eo jure Neapolitana Sedilia uti, ne allectiones tractentur, niſi prævio Regio permiſſu, neve fiant, niſi ſequuto Regio aſſenſu, & approbatione.

10 Eſt & alia, recens mota, & diſcuſſa, & antequam è Sedilibus ſurgamus, ex propoſitis decidenda quæſtio, an ſcilicet juſta, neque Eccleſiaſticæ immunitatis, aut libertatis offenſiva ſit lex politica, ſeu Pragmatica, nuper edita *anno* 1652. prohibens Clericis munia adminiſtrationis, & jus ſuffragii in Sedilibus Neapolitanis, ad exemplum alterius Pragmaticæ, de eadem re latæ à Prorege Cardinali Granvella *anno* 1570. quæ extat inter Pragmaticas Neapolitanas apud Regentem Tapiam *lib. 1. ad Jus Regni tit. de Epiſcop. & Cleric. pag.* 38. in qua quæſtione, & ut ſine ambiguitate expediatur, obſervandum in primis eſt, non eſſe controverſiam cum Eccleſiaſticis de honoribus Nobilitatis Sedilium, ſeparatis ab adminiſtratione publici muneris, neque per Pragmaticam prohiberi, quo minus his honoribus fruantur, vel reintegrentur contradicto judicio ad eas ſanguinis prærogativas, & actum poſitivum, ſeu poſſeſſorium nobilitatis, quomodo reintegratum nuper legimus Epiſcopum Andrienſem, pro quo conſuluit, obtinuitque Scipio Rovitus *conſ. 83. lib.* 1. contradicente, & victo, ut fatetur, Capicio Latrone *conſult. 52. in fin. lib.* 1. atteſtante etiam Joann. Mar. Novario *ad Pragm. Neapol. tit. de condemnatis pro del. Collect. 3. num.* 1. & reintegratum fuiſſe iterum alium Epiſcopum, & Equitem Hieroſolymitanum apud Capic. Latron. *conſ. 128. lib.* 2.

11 Deinde quoad ſtatum quæſtionis Pragmaticæ, qui eſt de arcendis Eccleſiaſticis à jure ſuffragii, & adminiſtratione publicorum munerum in Sedilibus, meminiſſe oportebit id, quod jam ſupra ſæpius poſuimus, nempe quinque illa Sedilia eſſe totidem veluti Curias, &, ut nos nuncupamus, Decurionum Conſiſtoria, ſimul cum populi Curia, politicis Neapolitanæ Urbis muniis, & miniſteriis veluti annonæ, & ſimilium, per Electos, quos vocant, & alios exercendis, deſtinata, ut præter Neapolitanos Surgenium, Summontium, Franc. de Petris, Taſſonum, & alios ſupra initio *hujus capitis* laudatos, notant, vel inter exteros, Jacob. Aug. Thuanus *lib. 3. hiſtor.* Sedilia, & eorum Electos deſcribens. *Pu-*

blicum Civitatis Conſilium ex Sviris conſtat, quorum quinque ex Nobilitate, ſinguli ex ſingulis Curiis, in quas omnis diſtributa eſt Nobilitas, leguntur; unus è plebe: iis ſimul jus eſt de rebus publicis conſulere, ac ſi qua majoris momenti deliberatio incidat, ſinguli ex Nobilitate ad ſingulas Curias, plebejus item ad plebem referre ſolet.

12 Ex ſuppoſitis proprie in primis deducitur, per Pragmaticam, arcentem Clericos ab adminiſtratione publicorum munerum, platearum, ſive Sedilium, uſque adeo non offendi, aut lædi Eccleſiaſticam libertatem, atque immunitatem, ut cenſenda potius ſit conſentanea, & conſentiens Eccleſiaſticis legibus, quibus Clerici prohibentur ab officiis, & adminiſtrationibus publicis ſæcularibus, ut in *cap.* 1. illiſque verbis, *In Plateis ſæcularibus diſputare*; & paſſim *tit. Ne Clerici, vel Monachi*; & *tota 21. quæſt. 3.* in *Apoſtolicis Canonibus 6. & 82.* quibus ſub pœna depoſitionis vetantur Clerici, *ſe dejicere ἐις δημοσίας διοικήσεις*, ſive *in publicas adminiſtrationes.* Unde & ſumpta, repetitaque prohibitio in Conciliis Chalcedonenſi, Carthaginienſi, Emeritenſi, Moguntino, & aliis, tandemque Tridentino *Seſſ. 22. de Reform. cap.* 1. quorum meminere, poſt Zonaram, Balſamonem, Turrianum, & alios ad laudatos Canones Apoſtolorum, Anton. Auguſt. in *Epitome jur. Pontif. lib. 8. tit.* 39. D. Garcia Loaiſa in *notis ad Hiſpaniæ Concilia, in Emeritenſi Can.* 11. Laur. Landmeter *de Clerico Monacho lib. 2. cap. 15. & 52.* fuſe Salerno *conſil. 17. lib.* 1. Exprimitur autem ea prohibitio, ut proprio, nec vulgari argumento utamur, quoad munera ipſa Curiæ, & Decurionum in *Concilio Romano 1. ſub Sylveſtro Can.* 16. inibi: *Nemo enim Clericus, vel Diaconus, aut Presbyter, qualibet intret in Curia, quoniam omnis Curia à Cruore dicitur, & immolatis ſimulachrorum eſt.* Et Conſtitutione Catholicorum Cæſarum Honorii, & Theodoſii in *l. Placet 17. Cod. de Epiſc. & Cler.* illic: *Ut nihil commune Clerici cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cujus corpori non ſunt annexi, habeant:* ſicut è contrario, qui annexi Curiæ, vel origine, vel alio jure ſunt (cujuſmodi ſunt Nobiles, jure Nobilitatis Gentilitiæ annexi Curiis Neapolitanorum Sedilium) vetantur, ad Clericatum promoveri, niſi certis ex cauſis, & tunc relicta patrimonii parte Curiæ, aut ſubſtituto Laïco, Curialibus muniis addicto. *l. ſi quis Curialis 12. l. Ad ſimilitudinem 21. l. Sancimus 53. in princip. & §. 1. & ſeqq. C. de Epiſc. & Cler. l. Solem 49. l. Juſſio 99. l. Curiales 104. l. Clerici 115. l. ſi qui 163.* & paſſim, *Cod. Theodoſ. de Decurion. l. 3. in eodem, Cod. de his, qui ad Eccleſ. confug. Novella 123. de Sanctiſſ. Epiſc. cap. 1. & 15.* Atque eſt omnino prohibitio, & incompatibilitas hæc actionum Curiæ, & Clericatus ex priſca Eccleſiæ diſciplina, cujus teſtes Ambroſius *Epiſt.* 26. Innocentius I. *in Epiſtola ad Synodum Toletanam primam cap.* 4. illic: *Neque de Curialibus aliquem ad Eccleſiaſticum Ordinem venire poſſe:* cujus Epiſtolæ pars alia, & alia ad rem decreta apud Gratianum in *cap. 1. & ſeqq. diſt.* 51.

13 Eſt denique Pragmaticæ prohibitio, conſonans Eccleſiaſticæ prohibitionis rationi, quæ fuit, fluxitque ex illo Pauli 2. *ad Timotheum cap. 2. verſ. 4. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus* (cujus illuſtratio ad rem, petenda ex integra *diſtinct.* 88. & 21. *quæſt. 3. cap. 1. ne Clerici, vel Monachi. cap. Te quidem 29. 11. quæſt. 1. cap Quoniam 8. 10. diſtinct.*) & præ cæteris ex D. Cypriano *Epiſt. 66. ad Clerum Turritanorum.* Synefio Epiſcopo, qui de re egregie, *Epiſt. 57. adverſus Andronicum* D. Bernardo *lib. 1. de conſiderat. ad Eugen. cap.* 6. juncta feudiſtica illa aſſertione in *lib. 2. tit. Clericatu feudum amitti* 109, *Miles Chriſti ſerviat Chriſto, milites ſæculi ſerviant ſæculo, & tit. de Vaſſallo milite 21. quod deſiit eſſe miles ſæculi, qui factus eſt miles Chriſti.* Quæ fere eadem ratio adumbrata extat, vel inter Ethnicos, apud Plutarch. *problem.* Ulpianum in *l. Non diſtinguemus 32. §. Sacerdotis 4. D. de recept. & qui arbitr.* & inter Cæſares Chriſtianos, apud Juſtinum *l. Repetita 41. verſic. Abſurdum*,

furdum, *Cod. de Epiſcop. & Cleric. l. Conſulta* 21. *verſ. Opprobrium*, *Cod. de teſtament.* & quoad Curiales Clericos eleganter in *l. Curiales* 104. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* his verbis: *Curiales, qui Eccleſiis malunt ſervire, quam Curiis, ſi volunt eſſe, quod ſimulant, contemnant illa, quæ ſubtrahunt. Quippe animos divina obſervatione devinctos non decet, patrimoniorum deſideriis occupari.* Et exponitur diſtincte magis ab Angelico Thoma 2. 2. *quæſt.* 71. *artic.* 2. dum ſcribit, Eccleſiaſticos prohiberi ab officiis ſæcularibus (veluti advocatione, de qua in ſpecie quærit, reſpondetque) non tam ob impotentiam, quam ob indecentiam, ſcilicet, quia ſunt majores tali officio, & majoribus rebus, nempe divinis, obligati, à quibus avocari ad ſæculares neque oportet, nec decet. Unde & infert, ſi neceſſitas, ſeu juſta cauſa ſubſit, quæ indecentiæ præponderet, eamque tollat, ceſſare prohibitionem, ut in Clerico Advocato pro patria ſua, quod eſt exemplum Divi Thomæ.

24 Addo ego, & ex Angelica doctrina deduco, in Clericis Conſiliariis Regum, in queis publica Regnorum utilitas, & neceſſitas prævalet rationi indecentiæ, & diſtractionis, &, quod plus eſt, ſtrictiori obligationi voti, & reſidentiæ, & quidem ex cenſura etiam, & approbatione Canonum, & Eccleſiæ, ac Regnorum uſu. Ut in *cap. Non eſt* 5. *verſ. Sane.* ubi Panormit. *de voto cap. in Archiepiſcopatu* 4. *verſ. Cum autem*, *de raptoribus.* Trident. *Seſſ.* 23. *de Reform. cap.* 1. *verſ. Nam cum Chriſtiana*; junctis *legibus noſtris* 48. *verſ. Aſſi como*, *tit.* 6. *p.* 1. *l.* 1. *circa fin. verſ. Tdeſpues los Reyes*, *& l.* 4. *tit.* 4. *lib.* 2. *& l.* 2. *verſ. Los dos el Prelado*, *tit.* 19. *lib.* 4. *l.* 14. *verſ. Ca aviendo dos naturales*, *tit.* 3. *lib.* 1. *Compil. Auth. Habita*, ubi Bald. *C. ne filius pro patre*, de quo tamen videndi politice, & varie cenſentes, præter innumeros laudatos, ex noſtratibus à D. Solorç. *de Ind. Gub. lib.* 4. *cap.* 4. *ex n.* 42. *& lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 71. *& ſeqq. & in Polit. Ind. lib.* 5. *cap.* 4. *p.* 782. *& Emblem.* 55. *ad fin.* Vela 2. *tom. diſſert. Hiſpal.* 44. *n.* 4. *& ſeq.* Aug. Barb. in *cap. Cleriris* 5. *n.* 6. *Ne Clerici*, *vel Monachi.* D. Larrea *alleg. Fiſc.* 87. *n.* 1. *& ſeqq.* Diſerte Renatus Coppin. Monaſticon *lib.* 2. *tit. ult. n.* 10. *& de ſacra polit. lib.* 2. *tit.* 1. *ex n.* 20. Mich. Rouſel. *lib.* 4. *biſtor. juriſd. Pontif. cap.* 3. *n.* 42. *& c.* 5. *n.* 10. quoad Mediolanenſem Senatum Ægid. Boſſius in *praxi tit. de Principe*, *n.* 209. Craſſis *de effect. Cleric. eff.* 13. *n.* 7. Marquez in *Gubernatore lib.* 1. *cap.* 20. §. 2. Cabrera in *Philippo II. lib.* 9. *cap.* 27. *p.* 701.

Ergo, ut concludamus, in muneribus Curiarum, 25
& Sedilium, in queis nulla Eccleſiæ approbatio, aut diſpenſatio, nulla Regnorum conſuetudo, utilitas, aut neceſſitas pro Eccleſiaſticis admittendis urget, ſtat, obſtatque Canonica prohibitio, & ejus ratio, cui, cum conformis ſit Pragmatica, interdicens hæc officia Eccleſiaſticis, & ut ſcriptum in propoſito eſt in *Novella Leonis Philoſophi* 86. *non contraria* (*quod abſit*) *ſtatuere*, *ſed potius quod ſacram Sanctionem ſequi velit* (præter quam quod & aliis juſtis, & politicis cauſis ſubnititur, de quibus alibi) procedit procul dubio ſine offenſa Eccleſiaſticæ libertatis, atque immunitatis, ut quoad Neapolitanam Pragmaticam memoratam notant, poſt Vinc. de Franch. *deciſ.* 479. *n.* 3. Tapia *ad jus Regni lib.* 1. *tit. de Epiſc. & Cler. ad Conſtit. Frederici*, cujus initium, *Clerici quoque*, *ex n.* 3. *& deciſ.* 10. *Conſ. Ital. n.* 9. *& ſeq.* ubi de legationis ad Regem munere, excepto à prohibitione. Rovitus. & Novar. *ad Pragm. Neap. de Eccleſiaſt. perſon.* Borrell. *de Magiſtr. Edict. l.* 1. *c.* 10. *n.* 20. *& de præſtant. Reg. Cath. c.* 73. *n.* 1. Taſſonus *ad Pragm. de anteſ. verſ.* 2. *Obſerv.* 2. *n.* 101. *& verſ.* 3. *Obſ.* 4. *n.* 131. Petr. Caball. *crim. caſu* 64. *n.* 8. Fontanell. *deciſ.* 190. *n.* 18. & poſt Carabittam, Muſcatellum, Capiblancom, Riccium, alios, Thoro in *comp. deciſ.* 1. *tom. verb. Clerici*, *& cæteri.* Maſtr. *de Magiſtr. lib.* 2. *c.* 6. *n.* 37. ubi & de ſimili Siciliæ ſanctione ex *capitulo* Alfonſi 258. de quo idem *deciſ.* 159. *n.* 17. Salerno *d. conſ.* 17. §. 1. *n.* 27. *&* 30. Mar. Muta *tom.* 5. *ad Cap. Alſ.* 258. *n.* 26. *& ad Cap.* 511. *n.* 52. *&* 57. Mar. Cutell. *de Eccl. immun. l.* 2. *q.* 19. *n.* 20. Denique quoad Hiſpanas leges noſtras, quibus Eccleſiaſtici excluduntur ab officiis Decurionum, & aliis publicis, ut in *l.* 3. *tit.* 4. *& l.* 10. *tit.* 3. *lib.* 1. *& l.* 14. *tit.* 5. *lib.* 3. *Compil.* ſentiunt, præter innumeros apud Velam, Larr. Solorç. & alios ſupra, graviter D. Covarr. in *pract. c.* 3. *n.* 6. Vazq. Mench. *lib.* 3. *de ſucceſſ. creat.* §. 26. *n.* 75. *& ſeqq.* & noviſſime noſter, atque ex noſtra olim Salmanticæ diſciplina D. Laurent. Matheu & Sanz 1. *tom. de regim. Regn. Valent. c.* 4. §. 8. *n.* 2.

CAPUT XXVII.

Ad Ulpianum 4. ad Juliam, & Papiam in l. Si judex 11. D. de his, qui ſui, vel alieni jur. De judicato pro alimentis, non præjudicante quoad jus filii.

ARGUMENTUM.

R*Elata ad partem hanc noſtrarum legum*, *Ulpiani gnome in* dict. l. 11. *Dubitandi in ea ratio*, *& decidendi. Judicatum de alimentis non eſt pro judicato, quoad jus filii, ſicut nec de alia cauſa principali quoad quæſtionem incidentem. De alimentis cognitio, & judicium ſummarium. Proinde in eo decreta non præjudicant in ordinario, & pleno. Id, quod præter vulgarem ſenſum firmatur, etiamſi in judicio de alimentis ſit plene cognitum de jure filii. Per minorem cauſam non fit præjudicium majori, quamvis de ea in minori incidenter cognitum: obiter* de l. 17. D. de except. *Receptior aſſertio eſt*, *ſententiam ſummarii judicii, quoties in eo plene cognitum, præjudicare in ordinario. Aſt non certior. Expenduntur ſummarii, & ordinarii judicii differentiæ, tam in procedendo, quam in judicando. Sententia de alimentis inducit ſaltem præſumptionem, quoad filiationem. Probationes, & Acta non juvant in plenario, niſi reproducantur, aut repetantur. Singulare jus Actorum, incidenter de nobilitate, ex* l. 33. §. 11. tit. 11. lib. 2. Compil.

1 SUbnectimus, antequam abeamus, & annectimus huic parti, & capiti Juliæ, Papiæque legum, Ulpiani fragmentem in *l. ſi Judex* 11. *D. de his, qui ſui, vel alieni jur. ex lib.* 4. *ad leges noſtras*, in quo diſputatio de jure filii, ſive quando, & quatenus quis pro filio habeatur, quamvis referri poſſet ad tractatum de præmiis patrum propter filios, & de pœnis orbitatis, ad quem ex *eodem libro* 4. Ulpiani pertinent, *l. Quæret* 135. *D. de verbor. ſignif. l. Cum in annos* 23. *D. quando dies legat. ced.* tamen opportunius, niſi decipimur, refertur ad hoc caput de filio libertini, aut Senatoris, quoad connubium, ſicut & *lex apud* 8. *D. de captiv. & poſtlim. rev. & l. ultim. D. de adoptionibus*, ex eodem Ulpiani *lib.* 4. in quo ex profeſſo ille, jamque inde à *libro* 1. totus fuit in hac parte legum noſtrarum *de maritandis Ordinibus* elucidanda, ut apparet ex *l.* 5. *l. Emancipatum* 7. *D. de Senatorib. l. Ingenuum* 25. *D. de ſtat. hom. l.* 4. *& l. ult. D. de jure aur. annul. l.* 4. *D. de colluſ. deteg. l. Oratio* 16. *D. de ſponſalib. l. Si quis* 27. *D. de ritu nupt.*

Sit itaque, ſive fingatur in *dict. l. ſi Judex* 11. re- 2
lata

lata ad leges noſtras quæſtio hæc: an filius, de quo Judex decrevit, ſeu pronunciavit, nutriri, vel ali (inter quæ Ulpianus non diſtinguit, quamquam Hiſpaniſmus noſter diſtinguat, *l. 2. tit. 20. part. 4.* ſicut inter *alere*, & *educare* Nonius Marcellus *cap. 5.* in voce *alere*) oportere à patre Senatore, cum tamen iſte filium ſuum eſſe negaret, habendus ſit pro filio Senatoris, ne libertinam uxorem ducat. In qua quæſtione, ſi dubitandi ratio movenda eſt, quæ ſuadeat, habendum eſſe hunc pro filio Senatoris, quoad interdictionem connubii cum libertina, occurrit, & ſuadet regula illa, ſupra jam ſtabilita, de re judicata in cauſis ſtatus habenda pro veritate, etiam quoad hunc effectum connubii ex noſtris legibus. *dict. l. Ingenuum 25. D. de ſtatu homin. l. Res judicata 207. D. de regul. jur. l. ſi libertinus 4. D. de colluſ. deteg.* & de re judicata in hac ipſa cauſa filiationis, de qua Ulpianus ſcripſit, *ejus rei judicem jus facere*, nempe etiam quoad alios. *l. 1. D. de agnoſc. lib.* ſive in omnibus cauſis, ut ex Juliano diſcimus in *l. 2. D. eod. tit.* juncta *l. 1. §. Pari 4. D. de liber. exhib. l. 1. §. ultim. D. de Carbon. Edicto.* & quidem indubie, quoties de jure filii actum, & pronunciatum eſt cum patre, utpote principali, & juſto contradictore. *l. 1. §. ultim. D. eod. tit. de agnoſcend. lib.* juncta *l. 3. D. de colluſ. deteg. l. 1. Cod. de ingen. manum.* Sed in contrarium, nec dubitanter Ulpianus decidit, ſtatuitque in *dict. l. ſi Judex* 11. etiamſi pronunciaverit Judex, ali oportere hunc filium à patre, quærendum eſſe de veritate, an filius fuerit, vel non; ac proinde ſentit, non haberi eam pronunciationem pro veritate, neque jus facere quoad aliam cauſam, quam alimentorum, veluti quoad connubium tamquam filii Senatoris cum libertina. Decidendi ratio expreſſa ab Ulpiano eſt, *neque enim alimentorum cauſa veritati facit præjudicium.*

3 Cui explanandæ, & dubitandi, quam inſinuavimus, rationi expediendæ, obſervandum eſt, regulam illam de re judicata de ſtatu, habenda pro veritate, & jure, etiam quoad alios, obtinere, quoties principalis cauſa de ſtatu fuit, & acta, ac judicata cum contradictore, & contradictione juſta, ſeu plena. *dict. l. Ingenuum 25.* junctis *l. 3. & 4. D. de colluſ. deteg. l. 1. l. ſi te 7. Cod. de ingen manum. l. Arrianus 27. Cod. de liber. cauſa*, non autem quoties principalis cauſa non de ſtatu, ſed de alia re fuit, in quam, ſive ejus occaſione, quæſtio ſtatus incurrerit, ſive incidenter mota ſit, ut in ſpecie *d. l. ſi Judex* 11. in qua ſupponimus, principalem cauſam non de ſtatu, ſed de alimentis fuiſſe, filio petente, ſe à patre ali, patre autem contradicente, oppoſita exceptione, quia filius non eſt, atque ita excipiente incidenter de ſtatu, ſeu filiatione; ideoque recte Ulpianus docet, cum pronunciatio, ſive res judicata ſit de alimentis, non de ſtatu, non poſſe eam præjudicium facere veritati ſtatus, & ut idem ſignanter ſcribit, in *l. ſi quis à liberis 5. §. ſi vel parens 8. cum §. ſeq. D. de agnoſcend. liber.* quamvis ad pronunciandum de alimentis oporteat ſummatim, & incidenter, & proinde ſine plena contradictione cognoſcere, an filius ſit, non tamen præjudicium fieri veritati; *nec enim hoc pronunciatur, filium eſſe, ſed ali debere.* Quæ ſimpliciſſima Ulpiani ratio, & expoſitio eſt. Junge ejuſdem rationis, & ſententiæ textum in *d. l. ſi quis 5. §. Solent 18. D. de agnoſcend. liber.*

4 Enimvero occaſione *dict. l. ſi Judex* 11. expendunt, in commune, multa de ſententia in quæſtione principali, & an, & quando in incidenti præjudicet, remque ad regulam, ut ſolent, Brocardicam, diſtinguendo, & ſubdiſtinguendo, producunt, poſt Accurſium, verb. *Alimentorum*, Bartolus, Baldus, Albericus, Fulgoſius, & alii in *dict. l. 11.* Nos in primis, & in ſpecie adnotamus, & veluti pro auctario præſignatæ Ulpiani rationis ſubjungimus, ſententiam de alimentis eſſe ſummariæ cognitionis, & judicii, etiam quoad alimenta ipſa, ut plures, paſſimque deducunt ex *l. 1. §. Julianus 12. dict. l. 5. §. ſi vel parens, de agnoſcend. liber.* junctis *l. ultim. D. de appellat. recip. l. 2. D. de re judic. l. ſi Inſtituta 27. §. de inofficioſo 3. D. de inoffic.* Et poſt Bartolum in *Extravaganti ad reprimendum*, verb. *Summarie, num. 11. & 19.* Tiraquellus *de privileg. piæ cauſæ, privil. 137.* ubi Riccius, & Thorus in *addit.* D. Molina *de primog. l. 2. cap. 15. num. 75.* ubi etiam addentes. Surd. *de aliment. tit. 8. privil. 2.* & multo magis eſſe ſummariam, quoad cognitionem incidentis quæſtionis de filiatione, ad quam proprie pertinent verba *dict. l. 5. §. ſi vel parens*, verbo *Summatim*, *l. ultim.* illic: *Llanamente, è ſin alongamiente. tit. 19. part. 4.* Et auctoramenta Gloſſæ ultimæ in *l. ult. Cod. de alendis lib.* & in *l. 3. §. Sciendum*, verb. *Summatim, D. ad exhibend.* & in *§. Præjudiciales, Inſtit. de act.* & pro explananda *dict. l. ſi Judex* 11. D. Covarruv. in *practicis, cap. 6. n. 8.* Proinde ſuccedit regula in foro notiſſima, quæ docet, decreta, in ſummario judicio, ſive magno illo conflictu, & plena inquiſitione, quam ordinaria judicia, & judicata deſiderant, *l. ultim. Cod. comminat. vel epiſt. l. Judices 9. Cod. de judic.* non præjudicare in vim judicati, quominus de quæſtione incidenti, ſummatim diſcuſſa, poſſit poſtea ordinario, & pleno judicio judicari. *l. à Divo Pio 15. §. ſi rerum, verſic. Sciendum, D. de re judicat. cap. Veniens 38. verſ. Quo audito, de teſtibus.*

Secundo & adnotaſſe oportebit, ex alimentorum 5
exhibitione non ſequi neceſſario, & præciſe, filium eum eſſe, cui exhibita ſunt, cum potuerint etiam non filio exhiberi, pietatis intuitu. *cap. Tranſmiſſæ 3. qui filii ſint legitimi.* juncta *l. Cum is, §. Mulier D. de condict. indeb.* & potuerint etiam, tamquam filio, alimenta decerni ei, de quo dubitatur, an filius ſit, ut in ſpecie *l. 1. §. Julianus 12. & §. Idem 14. Digeſt. de agnoſc. lib. l. Nec filium 9. Cod. de patr. poteſt.* Quocirca ſuccedunt itidem notiſſimæ rationes, & regulæ, quæ docent, judicatum in principali cauſa non nocere in incidenti, quæ neceſſario non pendebat à principali. *l. ſi ſuperatus 3. verſ. Atquin, D. de pignorib. l. ſi quis libertatem 7. §. ultim. D. de hæredit. petit.* juncta, *l. 2.* de qua poſtea *Cod. de ordine cognit. l. Vindicantem 17. cum l. ſeq. D. de eviction.* juxta intellectum Bartoli in *l. Qui Romæ 122. §. Duo fratres num. 7.* ubi & Jaſon *num. 50. D. de verbor. obligat.* Et judicatum in una cauſa non obſtare in cauſa diverſa *l. Cum quæritur 12. cum ſeqq. D. de except. rei judic.* Cujuſmodi diverſæ ſunt cauſæ alimentorum, & filiationis, ut innuitur in *dict. l. 5. §. Meminiſſe 9. verſic. Nec enim, D. de agnoſcend. liber.*

Ex propoſitis juris rationibus circa ſententiam de 6
alimentis, & pro elucidanda *d. l. ſi Judex 11. dict. l. 5. §. ſi vel parens, cum §. ſeq.* doceo indubie, & deduco, etiamſi in judicio de alimentis, cum ſcilicet quis tamquam filius peteret alimenta à patre, atque iſte negaret, & exciperet, filium non eſſe, ſit plene cognita, examinata, & diſcuſſa incidens quæſtio, ſive exceptio filiationis, & pronuncietur, ali eum debere, non fieri tamen præjudicium veritatis filiationis, de qua ſi poſtea principali, & proprio judicio diſquiratur, non obſtabit, tamquam rei judicatæ exceptio pronuntiationis de alimentis. Quia quamvis admittamus, mox diſcuſſuri, quod dici ſolet, & circumferri pro deſultoria in foro regula, judicatum in judicio ſummario, ſi in eo plene cognitum fuit, præjudicare in ordinario, ac proinde judicatum de alimentis, ſi in eo judicio plene de filiatione cognitum, debere utique præjudicare quoad ordinariam cauſam filiationis (quæ ſola appoſite, aut præcipue contra aſſertionem, quam deducimus, ratio urget) tamen, utcumque ea interim regula ſupponatur, atque urgeat, nihil evincet contra aſſertionem noſtram de judicato de alimentis, quoniam ea regula obtinebit ubi, vel principalis quæſtio ſummario judicio plene cognita, deciſaque refricatur in ordinario, vel incidens in ſummarium

judicium quæſtio, atque illic plene cognita, pendet præciſe adeo à principali, illic deciſa, ut & cum illa conſequenter deciſa intelligatur, juxta tradita *l. 2. Cod. de ordine cognit.* At quæſtio veritatis, &, ut ſic dicamus, proprietatis filiationis, quamtumvis plene diſcutiatur, cognóſcaturque in judicio de alimentis, neque eſt principalis quæſtio deciſa, aut decidenda in illo judicio, quia non de filiatione, ſed de alimentis pronunciatur. *dict. l. 5. §. Meminiſſe*, inibi: *Nec enim hoc pronunciatur filium eſſe, ſed ali debere*; neque eſt incidens quæſtio præciſe pendens ex judicato de alimentis, quia ad alimenta decernenda etiam ei, de quo interim non plene liquet, an filius ſit, ſufficere potuerunt Judici decernenti, vel omiſſæ à patre cautiones Senatus Conſulti Plautiani. *l. 1. §. Julianus 12. cum ſequentibus, Digeſt. de agnoſc. liber. l. Nec filium 9. Cod. de patr. poteſt.* vel filiationis quaſi poſſeſſio, ſi in ea ſit alimenta petens. *dict. l. 1. §. Julianus 14. l. ſi neget 7.* ubi Bartolus *num. 1. D. de agnoſcend. lib. l. ultim. verſic. Quod ſi ei, Cod. de ordine cognit.* vel denique ſemiplena probatio filiationis, argumento ex *l. 3. § Cauſæ 4.* ubi Bartolus *D. de Carbon. Edicto. l. 1. §. ſi ea 14. D. de ventre in poſſeſſ. mitt.* juncta recepta Bartoli traditione in *Extrav. Ad reprimendum*, verb. *Summarie num. 11.* & famigerato *conſilio* Geminiani 27. & congeſtis noviſſime à Caſtillo *de alimentis, cap. 4. &* 19.

7 Adjicimus rationem aliam, ducimuſque ex illa regula, quæ habet, per minorem cauſam non fieri præjudicium cauſæ majori. *l. Per minorem 54. Digeſt. de judiciis. l. Rei majoris 21. Digeſt. de except.* idque non tantum ad eum finem, ut ſi in minori cauſa deducatur in judicium eadem quæſtio, judicanda in cauſa majori, poſſit opponi præjudicialis exceptio cauſæ majoris, atque interim, & ea oppoſita, ſuſpendatur minor cognitio. *dict. l. Rei majoris 21. l. Fundum 16. l. Fundi 18. Digeſt de exceptionibus. l. Non diſtinguemus 32. §. ſi is faciat 10. Digeſt. de recept. & qui arbitr. l. Divus 5. §. ultim. l. ſi quis libertatem 7. in princip. D. de hæred. pet. l. ultim. in princip. Cod. eodem tit. l. 1. §. 1. D. famil. herciſc. cap. Tuam 3. de ordine cognit.* Sed etiam ut, ſi prius de minori cauſa (fortaſſe ob non oppoſitam præjudicialem exceptionem) judicatum fuerit, non obſtet exceptio illius judicati, quoad cauſam majorem, in minore incidenter cognitam. *l. ſed ſi ante 17. Digeſt. de exception.* quam de exceptione rei judicatæ, ita recte mihi accepit Cujacius *libr. 70. Pauli ad Edictum, & tractat. 9. ad Africanum, in dict. l. Fundum 16.* & ante eum Bartolus in *l. Qui Romæ 122. §. Duo fratres num. 7. D. de verb. obligat.* tametſi alia, & correctoria via, idem ad *dict. l. Per minorem 54. D. de judic.* aliter item vulgo veteres, & noviores. Eſt autem procul dubio minor cauſa, & cognitio alimentorum, & major, principaliorque filiationis. *l. 3. §. ſi quis liber 12. D. de Carbon. d. Edict. cap. Tuam 3. de ordine cognit.* Ac proinde non ex eo, quod in judicio de alimentis ſupponatur, plene cognitum de filiatione, at neque etiam ſi tamquam filium ali debere, pronuncietur, ſequitur, aut præciſe infertur, fuiſſe plene probatam, aut deciſam incidentem quæſtionem filiationis. Idque totum firmat ſententia noſtræ *l. ſi Judex 11. & dict. l. 5. §. Meminiſſe*, dum ſine diſtinctione plenæ, aut ſummariæ cognitionis ſtatuit, judicatum de alimentis, non eſſe judicatum, quoad filiationem; atque ita contra vacillantem Surdum *de alimentis tit. 1. quæſt. 126. num. 10. & ſeqq.* & renitente Valençuela *conſil. 169. num. 60. & ſeqq. & conſ. 134. num. 45.* expendit, & concludit recte, verbis tamen, quam re copioſior, Caſtillo *tom. 5. controv. cap. 104. ex num. 22. & 40.* & ante alios ſenſit Accurſius in *dict. l. ſi Judex 11.* verb. *Alimentorum, verſ. Vel contra*, & explicite docuit Angelus in *d. l. 11. n. 1. verſ. Extra quæro.*

8 Porro ſi extra confinia judicati de alimentis, & in commune, ſive generaliter quærimus, an ſententia ſummarii judicii, ſi in eo plene de principali, aut incidenti quæſtione illinc pendente cognitum fuit, præjudicet in vim judicati, quoad eaſdem quæſtiones in ordinario judicio, agnoſcimus, placuiſſe id multis, & circumferri, ut nuper diximus, pro deſultoria regula, ſive pro limitatione regulæ de judicato in ſummario, non præjudicante in ordinario, ut ſcilicet ea ceſſet, ac ſententia præjudicet, quoties plene in ſummario cognitum fuit; ut docet, ac diſtinguit Accurſius in *noſtra l. ſi Judex, gloſſ. ultim. verſ. Vel diſtingue.* & in *l. 2.* verb. *Pronunciatum* in fine, *Cod. de ordine cognit.* Baldus in *dict. l. 11. num. 6.* & poſt Jacobum Butrigarium, hujus limitationis Anteſignanum in *l. Ab hoſtibus 15. §. ſed quod ſimpliciter, D. ex quib. cauſ. majores*, & Panormitanum, acriter diſſerentem *conſ. 50. num. 3. lib. 1.* ex aliis Surdus *dict. tit. 1. quæſt. 126. num. 10.* Vioc. de Franchis *deciſ. 289.* Gratian. *diſcept. forenſ. 3. tom. cap. 445. num. 2. & ſeqq.* Caſtillo *dict. cap. 104. num. 37.* Fontanell. *deciſ. 133. num. 3. tom. 1.* Noguerol. *allegat. 26. num. 335. & ſeqq.* junctis ex eadem ratione traditis à D. Covarruv. in *practicis cap. 24. num. 8.* Agnoſcimus etiam hanc, ſive regulam, ſive limitationem regulæ noſtræ *l. ſi Judex 11.* ſi Auctorum magis numero, quam rationum momentis ſtandum eſt, receptiorem omnino eſſe, ut teſtatur Alexander in *l. Sæpe 63. n. 81. & in l. à Divo Pio 15. §. ſi ſuper rebus, num. 6. & ſeqq. D. de re judic.*

At ſi è contrario, ut inſinuare cœpimus, non tam ex numero, quam ex auctoritate Juris, & rationis cenſendum eſt, vix eſt, ac ne vix quidem, ut prætextu plenariæ cognitionis, adhibitæ in judicio ſummario, quod ſummarium tamen permanſit, præjudicare poſſit, aut debeat ſententia illius judicii, in vim exceptionis judicati, quoad aliud ordinarium, plenumque judicium, in quo eadem quæſtio deducatur, idque nos certe, non, niſi perraro, & pendente cenſorio calculo, admitteremus. Nam in primis, ſi Auctores legum potius, quam Legulejos conſulimus, conſtabit, cognitionem ſummarii judicii in quæſtione principali, & multo magis in incidenti, ſemper eſſe ſummariam. *dict. l. 5. §. ſi vel parens 8. D. de agnoſcend. liber. l. 3. §. Sciendum 9. cum §. Ibidem 13. D. ad exhib. l. 1. §. ſi ea 14. D. de ventre in poſſeſſ. mitt. l. ſi ſine 9. §. Illud 6. D. de interrogat. in jure fact. l. 3. §. 1. D. ut in poſſeſſ. legator. l. ſi quis libertatem 7. §. Plane, D. de hæred. petit.* & ideo judicatum in ſummario non præjudicare in vim judicati quoad ordinarium, præſertim, quoad incidentem quæſtionem. *dict. l. 5. §. Meminiſſe 9. dict. l. ſi Judex 11. D. de his, qui ſui, vel al. l. à Divo Pio 15. §. ſi rerum, D. de re judic.* Idque nulla habita ratione plenæ cognitionis, quæ ſi plena futura eſt, & altiore eget indagine, excedit captum ſummarii judicii, & reſervatur in ordinarium. *l. 3. §. Ibidem 13. D. ad exhibend. l. Ille à quo 13. §. ſi de teſtamento 2. cum §. ſeq. D. ad S. C. Trebell.* 9

Deinde quia & meminiſſe oportebit, ſummariæ 10 cognitionis judicia diſtingui ab ordinariis, tum in ordine procedendi, quoniam ſcilicet in ſummariis res ſummatim exponitur, & cognoſcitur, *dict. l. 3. §. Sciendum 9. D. ad exhibend. l. In lege 40.* illic: *Summatim re expoſita. D. ad leg. Aquil.* & ſine dilationibus, & ſolemnibus ordinarii judicii, ex quibus plena illa inquiſitio, & diſceptatio, ſive magnus conflictus ordinariæ cognitionis componitur, *dict. l. Judices 9. Cod. de Judic. l. Judex 5. l. ultim. Cod. comminat. vel epiſt.* tum in eo, quod pleraque ſummaria judicia, & ſaltem favorabiliora, leviores probationes requirunt, & ſemiplenis contenta ſunt, *dict. l. In lege 40.* illic: *Ad ſuſpicionem Judicem adducam. l. 3. §. Cauſæ 4.* ibi: *Vel modicum pro puero facientem. D. de Carbon. Edicto.* Quæ fere de duabus his ſummarii judicii qualitatibus traditio, Bartoli eſt, in *dict. Extravag. ad reprimendum*, verb. *Summarie, ex num. 1. & 9.* Gloſſæ, & Canoniſtarum in *Clementin. Diſpendioſam, de judic. & in Clementin. Sæpe, de verbor. ſignific.*

Et

Et inſinuantur hæ ſummarii judicii qualitates in *Regia noſtra l. 7. tit. 19. part. 4.* prima illic: *Llanamente, è ſin alongamiento, non guardando la forma del juizio.* Et ſecunda inibi: *E ſi faltare por algunas ſeñas.* Quocirca, utcumque ſupponatur plene probatum, & egreſſum Judicem fuiſſe anguſtias ſummariæ cognitionis, tamen cum id Judici regulariter non liceat, utpote contra ſolitum ordinem ſummarii judicii, non faciet rem judicatam, *l. Prolatam* 4. *Cod. de ſentent. & interl. omn. Judic.* juncta *l. ſi duo patroni* 13. §. *Idem Julianus, verſic. Nec pati, D. de jurejurand. l. ultim. Cod. Qui legitim. perſ. ſtandi in judic. non hab.* vel ſi ex litigatorum conſenſu, aliave ex juſta cauſa licuiſſe petimus, ſi quidem ita ut ex ſummario judicio in ordinarium tranſierit, erit res extra terminos quæſtionis propoſitæ; aut ſi ſummarium judicium manſerit, non fiet res judicata, quoad ordinarium, ex ratione, & regula *dict. l. à Divo* 15. § *ſi rerum, D. de re judicat. cap. Veniens* 38. *verſic. Quo audito, de teſtibus.* Atque ita de hac re ſenſit jam olim Baldus in *l. 2. num.* 29. *Cod. de edendo*, & poſt alios Fachinæus *lib.* 10. *controv. cap.* 81. & poſt Salicetum, atque alios, Petr. Gilkenius *in l. 1. n.* 17. *Cod. de ord. judicior.* Quibus illud ſaltem, ne ſcioli labantur, adjicimus, induci ad hanc quæſtionem perperam, quod traditum eſt in *l. 2. Cod. de ordine cognit.* cum ſimilibus, *l. 1. Cod. de ordine judic. l. Quoties* 3. *Cod. de judic. l. ſi quis libertatem* 7. *D. de hæred. pet. l. Quod in diem* 7. §. 1. *D. de compenſ. l. ſi autem* 8. §. 1. *D. de negot. geſt. l. 1.* §. *Præterea* 4. *D. de contrar. jud. tut. cap. Tuam* 3. *de ord. cognit. cap. Cauſam* 7. *qui filii ſint legit.* quia non ſunt de quæſtione incidenti, plene, aut ſummatim cognita in judicio ſummario, ſed de eo potius, an ſententia ordinarii judicii, in quo incidens quæſtio deducta eſt, faciat rem judicatam, quoad incidentem. Quod certe alienum à propoſita *l. ſi Judex* 11. & alterius inſpectionis, & curæ.

11 Duo ſaltem propris hujus loci, nec prætereunda adnotamus. Primum ſit, ſententiam de alimentis, quamvis non faciat rem judicatam, quoad principalem cauſam de jure filii, inducere tamen præſumptionem pro filiatione, & conſtituere, ut ajunt, in illius quaſi poſſeſſione, & proinde transferre contrariæ probationis onus in adverſarium: quæ ſingula argumento ex *dict. l. ſi Judex* 11. *dict. l. ſi quis* §. *ſi vel parens*, & §. *Meminiſſe, D. de agnoſc. liber. dict. l. ultim. in fine, tit. 19. part. 4.* docent, deducuntque, poſt Palæotum *de nothis, & ſpuriis cap. 23. num. 4.* Surdus *de alim. tit. 9. quæſt. 7. num. 10. & tit. 1. quæſt. 126. num. 9. & ſeqq.* Caſtill. *dict. lib. 5. cap. 104. num. 44.* Noguerol. *alleg. 25. num. 78.* in eamque rem expendere licebit textus in *l. 1. §. Julianus 12. verſic. Quandoque, D. de agnoſc. liber l. 3. §. ibidem Julianus 8. D. de Carbon. Edict. l. ſi duo patroni 15. verſic. Multum*, ubi Gloſſa, & Claſſici *D. de jurejurand. l. A ſententia 5. D. de appellat.* junctis traditis à D. Covarruv. in *practicis cap. 13. num. 4.*

Secundum ſit, probationes, & Acta ſummarii alimentorum judicii pro filiatione, non præjudicare, quoad plenum, & principale de illa judicium, niſi reproducantur, & quod conſultius, cautiuſque eſt, repetantur, *dict. cap. Veniens* 38. *verſ. Quo audito.* juncto *cap. Præſentata* 50. *de teſtibus. l. Cum antea* 5. *in fine, Cod. de recept. arbitr. l. ultim. Cod. de teſtib.* Notat ad rem poſt ordinarios in *dict. cap. Veniens* 38. in ſpecie Caſtillo *dict. cap. 104. num. 44.* & in commune ex aliis Noguerolius *alleg. 25. num.* 300. ac quoad tenutam majoratuum Hiſpaniæ Pacius *de tenuta cap. 32. ex num. 2. & ſeqq.* Circa quæ rurſus ſingulare jus eſt, & ideo notabile, inductumque apud nos *Regia l. 32. §. 11. titul. 11. lib. 2. Compilat.* qua cautum, probationes, & Acta, pro nobilitate incidenter deducta, ad evitandam carcerationem, aut torturam, aliumve ſimilem effectum, ſicut apud quoſcumque Judices incidenter deduci, moris, juriſque eſt, *l. Quoties 3. Cod. de judic. l. 1. Cod. de ordin. judicior.* junctis notatis ſupra, ad verba illa Juliæ legis, *Qui filius. cap. 4. ad finem*, non ſolum non præjudicare, quod principale de nobilitate judicium, apud Regios illius Judices, quos *Alcaldes de Hijoſdalgo* vocamus (quod regulare, & expeditum erat) ſed neque reproduci apud eos, aut aliquatenus expendi poſſe, &, ut ſcriptum eſt in *dict. §. 11. Ne ſe puedan preſentar, ni alegar, ni tener por acto poſitivo para la hidalguia en lo principal.* Videndus, poſt Narbonam *inibi gloſſa* 12. noſter Solorçano 2. *tom. lib. 4. cap. 3. num.* 63. 12

C A P U T XXVIII.

Ad verba Juliæ legis: Aut eam, quæ ipſa, cujuſve pater, materve artem ludicram facit, fecerit. De prohibito Senatorio connubio cum ſcenicis.

A R G U M E N T U M.

Scenicarum nuptiæ inhibitæ etiam his, qui tantum ingenui; at Senatoriis non modo illarum, ſed etiam, quarum pater, materve ſcenici. Proinde nec ſuperflua hæc prohibitio, quoad Senatorios, nec ſupplenda in l. Lege 44. Digeſt. de ritu nupt. *quoad mulieres quæſtuarias, cum Balduino: prohibitionis ratio, & correcta leviter* Novella *Martiani de* matrimon. Senator. *De ignominia ſcenicorum ex legum, morumque, & Eccleſiæ cenſura. Sed maxime ex legum, in queis notata ſigillatim ignominiæ ejus teſtimonia, & effectus. Collata Juliæ legis verba, & illa Edicti Prætorii, de artis ludicræ cauſa in ſcenam prodeuntibus, eaque, tametſi inter ſe ſubtiliter diſtingui poſſent, in eumdem ſenſum redacta.*

1 ERant adhuc in argumento hoc de prohibitis nuptiis Senatoriis cum libertinis, exceptiones una, atque altera cjuſce prohibitionis, quæ extant in *l. ſi Senatoris* 31. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. ſi libertam* 28. *Cod. de nuptiis*, in quas, & adjacentes alias, poſſet noſtra commentatio excurrere; ſed ſepoſitis interim illis, & ad *capitis hujus, de maritandis Ordinibus*, reliquiis conſulto reſervatis, revocant nos quæ in *eodem capite Juliæ legis*, verba ſequuntur, apud Paulum in *dict. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* illic: *Aut eam, quæ ipſa, cujuſve pater, materve artem ludicram facit, fecerit*, inhibentur his verbis nuptiæ Senatori, ejuſdemque filio, nepoti, pronepoti cum muliere ludricæ artis, ſeu ſcenica, vel filia ſcenici, ſcenicæve: pertinentque ad hanc prohibitionem legum noſtrarum, conſtitutiones *l. Imperialis* 23. & *l. ultim. Cod. de nupt. l. Sacram* 33. *Cod. de Epiſcop. aud. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt. l. 1. Cod. de natural. liber.* & Ulpiani *fragmentum, titul. 13. in princip. l. Semper* 42. §. 1. *Digeſt. de ritu nuptiarum.*

Porro duo hic ſtatim notanda. Primum eſt, prohibitionem hanc connubii Senatorii cum ſcenicis, non fuiſſe otioſam, ſuperfluamve, quia quamvis, qui non ultra quam ingenui eſſent, prohiberentur, etiam noſtris legibus, uxores ducere eas, quæ artem ludicram facerent, ut eſt apud Ulpianum *dict. tit.* 13. §. *ultim.* eoque ipſo ſine ſpeciali prohibitione Senatoribus, Senatoriiſque, utpote antecedentis gradus hominibus, prohibitæ illæ nuptiæ intelligerentur, ex Ulpiani, & Marcelli ſententia in *dict. l. Lege* 44. §. *ultim. l. obſervandum* 49. *D. de ritu nupt.* de queis ſupra *cap.* 1. attamen prohibitio illa, quæ in inge-

nuis ſtabat, attinebatque tantum mulieres ipſas ludicras, ſive ſcenicas, producitur quoad Senatorios, ex ſupra ſcriptis Juliæ legis verbis, ad eas etiam, quæ ipſæ non ſcenicæ, ludicræve, ſed quarum pater, materve artis ludicræ forent. Eoque reſpectu Paulus ſententiam Juliæ legis in hoc capite, & verbis ad ſummam redigens, in *dict. l. Lege* 44. §. 1. omiſſa ipſius mulieris ludicræ mentione, utpote ad quam communis illa nuptiarum cum ingenuis prohibitio ſufficeret, ſignat tamquam ſpecialem, propriamque Senatoriis cautionem, prohibitionem connubii cum illis, quarum pater, materve artis ludicræ fuiſſent, ut & prænotavimus *hoc libro* ſupra *capite* 1.

3 Secundum eſt, & quidem nuper poſitis conſequens, non eſſe diminutum, defectumve contextum *capitis Juliæ legis*, apud Paulum in *d. l. Lege* 44. dum poſt verba hæc, *quæ ipſa, cujuſve pater, materve artem ludicram facit, fecerit*, non adjicitur, *item palam corpore quæſtum facientem*; neque ſupplenda ea verba apud Paulum, quomodo ex Ulpiano *dict. tit.* 13. *in princ.* adjicit, ſuppletve Balduinus, quippe ad prohibitionem Senatorii connubii cum quæſtuaria fœmina, ſufficiebat prohibitio ejus connubii cum ingenuis, ex ratione *d. l. Lege* 44. §. 1. *l. Obſervandum* 49. neque erat cur in capite de Senatoriis ſpeciatim exprimeretur: ac proinde non ſupplendus Paulus, & caput legis Juliæ legis, ſed Ulpiani fragmenti verba componenda, reponendaque in ſuum locum, ut & fecimus explicite magis *lib.* 3.

4 Prohibitionis ratio duplex, & in primis quoad ſcenicas ipſas generalis illa, communiſque aliis turpibus fœminis, ducta ex periculo contagionis morum, ne ſcilicet, *Senatoribus harum fœminarum non tam connubia, quam vitia jungerentur.* Ut ſcriptum eſt in *Novella* Martiani 4. *de matrim. Senat.* juncta *l.* 1. illic: *Quarum venenis inficiuntur animi perditorum. Cod. de natur. lib.* deinde quoad ipſas, etiam non ſcenicas, & tamen filias ſcenici patris, aut matris, ob ignominiam conditionis, & ſanguinis, ſive ne geniales Senatorii thori contaminentur *pollutarum mulierum fæce*; ſic enim ſcribendum in laudata *Novella* Martiani *verſic. Quis arbitretur*, quomodo apud Gratianum Cæſarem ſcenicorum filiæ dicuntur ex hujuſmodi *fæce progenitæ, in l. Quæcunque* 9. *Cod. Theodoſ. de ſcenicis.* Adde in re nobilem *noſtram legem* 3. *titul.* 14. *p.* 4. ubi poſt nominatam inter alias, notatamque, *la Juglareſa, y ſus fijas*, ſubjungitur ratio illa: *Cà non ſeria guiſada coſa, que la ſangre de los nobles fueſſe embargada, nin ayuntada à tan viles mugeres.*

5 Jam vero de ignominia ſcenicæ artis, & artificum, ex Juris, morumque cenſura, illuſtrandæ prohibitionis noſtræ rationi, ne in re parata, & prompta moremur, ſit ſatis, & veluti in commune ſtatuiſſe, ſcenicos, ſive ſcenicæ, ludicræve artis cauſa in ſcenam prodeuntes, infamia notari, tam ex Prætorio Edicto, de quo in *l.* 1. *l.* 2. *§. ultim. cum l.* 3. *& 4. D. de his, qui not. infam. l. pen. Cod. ex quib. cauſ. inf. irrog.* quam ex priſco Romano Jure, moribuſque, de queis locuples teſtis Æmilius Probus, ſive potius Cornelius Nepos in *Prologo vitarum ad Atticum.* Cicero 4. *de Republic.* & ex eo Div. Auguſtin. 2. *de Civitat. Dei cap.* 13. *& lib.* 1. *de conſenſu Evangeliſt. cap.* 33. Tertullian. *de ſpectac. cap.* 22. Arnobius *lib.* 7. *adv. gentes.* Addimus ſuccedaneos, eumdem Auguſtinum, dum Romanos Diis ſuis componit, & anteponit *lib.* 2. *de Civit. cap.* 14. *Illi* (ſcilicet Dii) *honori ſuo depoſcunt ſcenicos ludos; iſti* (Romani) *ab honoribus omnibus repellunt homines ſcenicos; & cap.* 27. ubi ſic de ſcenicis Floralibus: *Cujus actores laudanda Romanæ virtutis indoles, honore privavit, tribu movit, agnovit turpes, fecit infames.* Div. Chryſoſthomum in *epiſtol.* 1. *Pauli ad Corinth. homilia* 12. ubi inter alia ſic de ſcenicis: ἀλλ' ἄτιμοι εἰσί: *Sed ſunt infames. Quid ergo*, adjicit, *per infames honoras Regem? Cur in eos tot ſumptus facis? Si enim ſunt infames, oportuit eos Urbe pelli, non de publico ali.* Carthaginienſe *Concilium* apud Gratianum in *cap. Diffinimus* 4. *quæſt.* 1. illic: *Omnes infamiæ maculis aſperſi, id eſt hiſtriones.* Nec diverſo ſenſu Tertullianus in *apologet. cap.* 15. hiſtrionem vocat, *ignominioſiſſimum, & famoſum caput*, & *de ſpectacul. cap.* 23. *damnandos in omnem ſcopulum famoſitatis.* Caſſiodorus *lib.* 7. *formula* 10. *fama demiautos.* Julianus in *Miſopogone.* theatrale vitæ genus ἀνελεύθερον καὶ ἐπονείδιστον, ſive, *turpiſſimum, & ignobiliſſimum*, ſicut *pudendum* Auſonius in *prologo ſeptem ſapientum*, inducens eos in ludum illum: *Hodie in Orcheſtram palliati prodeunt: quid erubeſcis tu togate Romule; Scenam quod introibunt tam clari viri? Nobis pudendum hoc, non Atticis quoque, quibus Theatrum Curiæ præbet vicem.* Scipio Africanus apud Macrobium 2. *Saturnal. cap.* 10. *Eunt in ludum hiſtrionum: diſcunt cantare; quæ majores noſtri ingenuis probro ducier voluerunt.* Nec plura de notiſſima re.

Reſtat potius ex Romano Civili Jure, (Eccleſiaſticum nunc ſeponimus) effectus, ſive documenta ſcenicæ infamiæ ſummatim delibare. Ejuſmodi ſunt adeptum ſcenicis jus poſtulandi. *l.* 1. *§. Removet* 6. *& §. Ait* 8. *Digeſt. de poſtul. l.* 4. *§.* 1. *Digeſt. de legation.* juncta *l.* 1. *Digeſt. de his, qui notant. infam.* accuſandi *l. Is qui judicio* 4. *verſic. Item, Digeſt. de accuſat. cap. Diffinimus* 4. *quæſt.* 1. teſtimonii dicendi, argumento ex *l.* 3. *§. Lege* 5. *Digeſt. de teſtib.* conquerendi de inofficioſa, ſive injuſta exhæredatione. *l. in arenam* 11. *Cod. de inofficioſo teſtament. Novell.* 115. *ut cum de appellat. cap.* 3. *§. ſi Præter* 10. *l.* 5. *titul.* 7. *part.* 6. & è contra permiſſa inofficioſi querela fratri, ſi inſtitutus à fratre ſcenicus, ſive mimus, ut ſignanter Theophilus *libr.* 2. *Inſtitut. titul.* 18. *§.* 1. Anianus Thymelicos accenſens inter injuſtos deteſtabilis turpitudinis notis, ad *leg.* 1. *Cod. Theodoſ. de inofficioſ. teſtament.* Harmenop. in *promptuario libr.* 5. *titul.* 6. juncta *l. Fratres* 27. *Cod. de inofficioſ.* data marito impunitas occidendi adulterum mimum. *l. Marito* 24. *Digeſt. ad leg. Jul. de adulter.* Paulus apud Licinium Ruffinum in *collat. leg. Moſaic. titul.* 4. *§.* 2. *& ultim. & lib.* 2. *ſentent. titul.* 27. & Magiſtratibus jus torquendi, & puniendi hiſtriones, ſine metu legis Juliæ de vi, etiamſi ad Principem provocaverint. Teſte eodem Paulo *lib.* 5. *ſent. tit.* 26. juncta *l. Lege.* 7. *D. ad leg. Jul. de vi publ. l. Capitalium* 28. *§. Solent, D. de pœnis.* Tacito *lib.* 1. *&* 13. *Annal.* 6

Ruſus negata ſcenicis jura, & decoramenta honeſtarum perſonarum, quale illud, ut Pantomimi, & hiſtriones non decorentur pictura in porticibus publicis, aliiſque locis honeſtis. *l.* 4. *C. de ſpectacul. lib.* 11. *l. ſi quæ* 12. *Cod. Theodoſ. de ſcenicis.* Ut in mulieribus, ſcenæ deditis, earumque Amaſiis impunita adulteria ſint, ſive ſtupra. *l. Mater* 10. *§. ultim. Digeſt. ad leg. Jul. de adulter.* junctis *l. ſi ea* 22. *l. Quæ adulterium* 29. *Cod. eodem tit.* ut Senatoris filiæ ſcenicæ non cenſeantur indignæ nuptiæ cum libertino. *l. Senatoris* 47. ubi ratio, & de qua ſuo loco *D. de ritu nupt.* Ut filius ſcenicus non proficiat, ſeu computetur inter filios libertini patris ad liberationem operarum propter liberos ex lege Julia. *l. Qui libertinus* 37. *D. de oper. liber.* ne liceat mimis fœminis, uti publice habitu virginum Deo dicatarum. *l. Mimæ* 3. *Cod. de Epiſcop. aud. l. ſi qua* 12. *Cod. Theodoſ. de ſcenicis*, neque gemmis, aut ſigillatis ſericis, textiſve auratis, aut illis veſtibus, *quas Græco nomine Latini* cruſtas *vocant, in quibus alii admixtus colori, puri rubor muricis inardeſcit.* (quomodo legendum in *l. Nulla mima* 11. *Cod. Theodoſ.* monuit Rad. Fornerius 3. *rer. quotid. cap.* 11. quamquam, *robur*, malit Gothofredus illic in notis) neque ſella, aut ſeſſionis prærogativa in ſpectaculis. *l. unica, Cod. Theodoſ. de uſu ſellarum*: de queis ſingulis conferenda hæc, quæ ſcripſimus *lib.* 3. ubi & de inhibito artificibus ludicris conſeſſu in quatuordecim. 7

Tandem quod & pro infamia ſcenica, & interdictione Senatorii connubii proprie conducit, ut digniores quæque perſonæ tanto magis arceantur à ludicro artificio, & profeſſione, veluti miles, cui ob 8

artem

artem ludicram capitis pœna. *l. Quædam* 14. *D. de pœnis.* juncto *cap.* 1. *de vita, & honeſt. Cleric. libr.* 6. & ne Magiſtratus, aliive ludorum editores, præterquam ſi Conſules ſint, dent pro præmio auri quicquam ſcenicis artificibus, *l.* 2. *Cod. Theodoſ. de ſpectacul.* junctis pro re illuſtranda de coarctatione luxuris, & largitionum in ſcenico, *l.* 3. *Cod. qui munus. non poſſ. cap. Donare cum ſeq.* 86. *diſtinct.* Tacito *lib.* 1. *Annal.* Capitolino in *M. Antonio*, & Lampridio in *Alexandro*, Scholiaſte veteri *ad illud Juvenalis Satyra* 7. *Accipe, victori populus quod poſtulat aurum.* Queis pleraque poſteriorum Cæſarum, & ſecli licebit, addere, nec à me tranſcribenda, ex commentariis Jacob. Gothofred. *ad l.* 1. *&* 2. *Cod. Theodoſ. de expenſ. ludor.* Poſtremo ne Senator domus Pantomimorum introiret, neve Equites Romani hiſtrionum, egredientium in publicum, latus tegerent, & multo minus Senatores, Equiteſve ſcena polluerentur; quæ ſunt ſingula ex priſcis Senatuſconſultis apud Suetonium in *Auguſto cap.* 43. *&* in *Tiberio cap.* 35. Tacitum *lib.* 1. *Annal.* Dionem *lib.* 54. *hiſtor.* Ex cum tot, tantaque ſcenicorum infamiæ documenta ſint, ſubeat prorſus mirari, extare adhuc pro eorum fama honeſtanda, operoſe ſatagentes, Albericum Gentilem in *libello de actoribus fabularum non notandis*, noſtrumque, & probum plane virum, at pravi, & parum honeſti patrocinii aſſertorem, Simonem Villalobos in *paradoxis juris cap.* 9.

9 Expoſita ſententia, & ratione hujus partis, verborumque noſtræ legis Juliæ, conſequens eſt, diſpicere, quinam artem ludicram facere videantur. In quo occurrit ſtatim Ulpiani deſcriptio in *l.* 2. §. *ultim. cum l.* 3. *&* 4. *D. de his, qui not. infam.* Et quamquam ea deſcriptio aptetur proprie verbis Prætorii Edicti, quibus infamia notatur, qui artis ludicræ, pronunciandive cauſa in ſcenam prodierit. *dict. l.* 1. *D. de his, qui not. infam. l. penult. Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog.* Lex autem Julia non ſignate de prodeunte in ſcenam, ſed de artem ludicram faciente, aut qui fecerit, concepta ſit, *dict. l. Lege* 44. *l. ſemper* 42. §. 1. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt.* Ulpianus in *fragment. tit.* 13. juncto ſimili alio capite Juliæ legis apud Paulum in *l. Qui libertinus* 37. *D. de oper. liber.* inter quæ an eadem ſint, dubitari, neque inſubtiliter diſtingui poſſet, ſicut dubitatum de eo, qui quamvis artis ludicræ cauſa, ſe Prætori in hortis oſtenderat, non tamen in ſcenam prodierat, ſeu productus fuerat, ut eſt apud Quintilianum *lib.* 3. *Inſtit. Orat. cap.* 6. de quo multa affabre in *ſemeſtribus* Petrus Faber *lib.* 1. *cap.* 20. & diſtinguuntur, aut ſeparantur in *l. Marito* 24. *D. ad leg. Jul. de adulter.* juncta Baſilicorum verſione *lib.* 60. *tit.* 36. *&* in *Synopſi libro* item 60. *tit.* 37. tamen ut & ſimplicius, ita & ſimilius veri eſt, artem ludicram facere, & artis ludicræ cauſa in ſcenam prodire pro eodem uſurpari, ſaltem quoad leges noſtras, quarum cautionem hanc interdicti connubii cum ludicram artem facientibus, exaudiunt, & accipiunt poſteriores Conſtitutiones, non de facientibus extra ſcenam, ſed de ſcenicis, ut videre eſt in *l.* 1. *C. de naturalib. lib. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt. l. Imperialis* 23. *& l. ult. Cod. de nupt. &* in *Baſilicis lib.* 28. *tit.* 5. *ex l.* 42. §. 1. *D. de ritu nupt.*

C A P U T XXIX.

De Thymelicis Analectum. Ad l. 4. D. de his, qui notant. infam.

A R G U M E N T U M.

Exagitatur varie, & valide Ulpiani aſſertio, de Thymelicis, non habitis pro ignominioſis. Thymelicorum *nomen à* Thymele, *ſive Orcheſtra, aut pulpito Theatri parte, in queis Muſici artifices pſallebant, aut ſaltabant. Eo ſenſu Orcheſtra, & ſcena diſtinctæ; & Thymelici à ſcenicis apud Græcos, &* in l. 33. & l. 14. Cod. de Epiſcop. aud. *Apud Romanos Thymelici in ſcenæ fronte, ſeu proſcenio, illiuſque pulpito, ludicris ſuis expoſiti, & ſcenæ, ac ſcenicis accenſiti, ut in* l. 24. D. ad leg. Jul. de adulter. & Novella 105. & in Baſilicis, *& extra Juris libros aliis, ex queis multa. Expoſita contra Cujacium* l. 14. cum l. ultim. §. 1. Cod. de Epiſcop. aud. l. ultim. Cod. de ſpectacul. *Elucidata, & emendata* l. Scenæ 8. Cod. Theodoſ. de ſcenic. *Concluditur, fuiſſe Thymelicos inter ignominioſos, idque non modo ex cenſura Eccleſiæ, de qua præ aliis* Canon Laodicenus 54. *(cujus apud Gratianum lectio corrigitur) &* Trullanus Canon 24. *illuſtrantur, ſed & ex concinentibus eidem cenſuræ Cæſarum legibus, ac vel ex ipſo Prætorio Edicto, ut in Baſilicis enarratur. Jam ergo exploſa vulgari acceptione* dict. l. 4. de Thymelicis, *ſcenicis, ſubſcribitur illam intelligentibus de Muſicis, ſeu Thymelicis certantibus in muſicis agonibus. Tentatur alter intellectus* dict. l. 4. ex Baſilico textu de Thymelicis, *ſeu Muſicis præcinentibus* ἐνδόσιμα, *ſeu proœmialia in ſacris certaminibus: & pro utroque intellectu expenſus Balſamonis locus: & Thymelicorum mentio in* l. 7. Cod. de numerar. lib. 12. l. 20. & 21. Cod. Theodoſ. de diverſ. offic.

1 Illud utique, ante quam progrediamur (& quod præ aliis, alienioribuſque pro analecto veluti ſit) in commentatione illa Ulpiani de artis ludicræ cauſa in ſcenam prodeuntibus, difficile, nec omittendum eſt, quod ſcriptum eſt, in *d. l.* 4. *D. de his, qui not. infam. generaliter omnes opinari, & utile videri, ut neque Thymelici* (neque alii, de queis illic mentio, nunc ad Spartam noſtram non pertinens) *ignominioſi habeantur.* Difficile, inquam, eſt. Namque Thymelicos, id eſt, Cantores, Tibicines, Citharœdos, Lyriſtas, Symphoniacos, & id genus Muſicos alios, ſcitum eſt, dictos à Thymele, id eſt, Orcheſtra, theatri parte, ubi & ara, ſeu pulpitum, in quo muſici artifices præcinebant, & interdum ſaltabant; quomodo apud Græcos, ſcena ab Orcheſtra, & Thymelici à ſcenicis diſtinguebantur, Vitruvio anctore *lib.* 5. *de Architectura, cap.* 8. Div. Iſidoro, temere à Rittershuſio *ad Salvianum* notato, *lib.* 18. *etymolog. cap.* 43. 44. *&* 47. Polluce *lib.* 4. *Onomaſt. cap.* 19. Suida, Phrynico, & priſcis gloſſariis, Varrone, & ex eo Nonio Marcello *cap.* 2. in voce, *Ramices*, eoque Græcanico ſenſu ſcena, & Orcheſtra diſtinguuntur, apud Græcanicum Cæſarem Juſtinianum in *leg.* 33. illic: ἐπὶ σκηνὴν, ἢ ὀρχήστραν, *in ſcenam, vel Orcheſtram. Cod. de Epiſcop. aud. l. ultim. Cod. de nupt.* quarum ſententia eſt, non licere, pertrahere invitas fœminas in ſcenam, ut mimæ, vel in Orcheſtram (non Senatoriam, ſed græco ſenſu, pulpitum) ut Thymelicæ fiant, & utrobique proſtent, quod inhibitum jam à Leone, pœna tamen non addita, in *l.* 14. *Cod. de Epiſcop. aud.* verbis illis, exponendo, illuſtrandoque Juſtiniano, appoſitiſſimis: μηδὲ θυμελικὸς ἐίη, ἢ ἄλλως σκηνικὸς, ſive *Thymelicus ſit, ſive alioquin ſcenicus.* Et repetitum in *l. ultim. Cod. de Epiſcop. aud. & in l. ultim. Cod. de ſpectacul. ex Baſilicis lib.* 60. *titul.* 38. Addimus Græcum item, & Juſtiniano coævum, Procopium in *antidotis*, de Theodora illa mox Auguſta: *Neque enim Tibicina fuit, vel ſaltatrix, aut Orcheſtræ habuit uſum.* Et poſtea. *Deinde mimis in theatro ad omnia ſe præbuit miniſtram.*

Apud Romanos tamen, cum Orcheſtra ſedibus Senatoriis deſignata eſſet, & Thymelici in ſcenæ fronte, ſive proſcenio, illiuſque pulpito actiones ſuas peragerent, *& ex pulpito*, ut alibi Seneca *epiſt.* 84. *omne tibiarum genus, organorumque conſonaret*, 2

deliſſe eos omnes artifices in ſcenam operam, negari non poteſt, ut his fere verbis diſtinguit, docetque Vitruvius *dict. lib.* 5. *cap.* 6. & de Nerone Citharœdo Suetonius *cap.* 21. Quæ Græci, & Romani theatri, ac ſenſus diſtinctio adhibenda eſt, conciliandis Veterum ſcriptis de Thymelicorum actione in Orcheſtra, aut proſcenio, primo adſpectu pugnantibus, ne in illis cum Dempſtero 5. *ad Roſinum cap.* 29. & aliis inventus hæreat, & feciſſe Thymelicos artem ludicram, neque ſolo, & ſevero Senecæ ſenſu ludicras vocantis *epiſtol.* 88. *quæ ad voluptatem oculorum, atque aurium tendunt.* Sed omnino ſcenicam, & in ſcena, ut liquet ſatis ex *Novella* 105. *de Conſulib. cap.* 1. §. *Quintum*, illic: *Ubi in ſcena ridiculorum eſt locus tragœdis, & Thymelicis choris l. Marito* 24. *D. ad leg. Jul. de adulter.* inibi: *Quive artem ludicram fecerit, in ſcenam cantandi, ſaltandive cauſa prodierit*, Tertullian. *de ſpectac. cap.* 10. ubi de ſcena, & ſcenicis artibus: *Quæ vero voce, & modis, & organis, & lyris tranſiguntur.* Caſſiodor. 4. *var. cap.* 51. *Pantomimo igitur cum primum ſcenam plauſibus invitatus advenerit, aſſiſtunt conſoni chori diverſis organis eruditi.* Unde in græca collectione librorum Juris, pro titulo illo Juſtinianei Codicis, *de ſpectaculis, & ſcenicis*, vertitur περὶ θεατρῶν καὶ θυμελικῶν, ſive *de ſpectaculis, & Thymelicis*, ut in libro 54. *Baſilicon tit.* 5. & 28. & in Juris, aliiſque libris.

3 Plane quamvis *Thymele* proprie eſſet muſicorum, & ſaltatorum, juxta Luciani illud in *Dialogo de Orcheſtra*, de ſaltatore quodam obeſo, cui ſaltum molienti Antiocheni inclamabant, ut Thymelæ, ſive tabulato, in quo ſaltaturus, parceret φείσαι τῆς θυμέλης. Itemque illud Sidonii *lib.* 9. *epiſtol.* 13. de Corinthiis Thymelicis, quorum acroamata Phornutus alibi memorat, *Bimari remittat Urbe Thymelea, Palemque doctas, tepidas ad officinas, Cithariſtrias Corinthus.* Tamen & generaliter, paſſimque Thymele pro ſcena, aut theatro, ut apud Plutarchum in *Galba*, & in *libello de cupiditate divitiarum*, ſive περὶ φιλοπλουτίας, & Juſtinianum *Novella* 105. *de Conſulibus, cap.* 1. §. *Proceſſiones*, juncto §. *Quintus.* Thymelici, Citharœdi, Symphoniaci, & eorum chori, veſtes, officia, ſub generali ſcenæ, ſcenicorumque nomine comprehenduntur, & comœdis, hiſtrionibus, mimis junguntur, comparantur, *l. Veſtis* 127. *D. de verbor. ſignific. l. Cum ejuſdem* 34. *D. de Ædil. Edict. l. Proinde* 22. §. 1. *D. ad leg. Aquil. l. ſed ſi quid* 15. §. 1. *D. de uſufruct.* Salvianus *lib.* 7. *de Gubernat. Dei*; dum à Chriſtianis increpatorie ſciſcitatur: *Templum omnes magis ſectentur, an theatrum? Dicta Evangeliorum magis diligant, an Thymelicorum? Verba Chriſti, an verba mimi?* Ammian. Marcellin. *lib.* 1. *Denique pro Philoſopho Cantor, & in locum Oratoris, Doctor artium ludicrarum accitur.* Statius Papin. *lib.* 1. *ſylv. ultim. Hic agnoſcitur omne quod theatris, aut forma placet, aut probatur arte; hoc plaudunt grege Lydiæ tamentes, illic cymbala, tinnulæque Gades, illic agmina confremunt Syrorum; hic plebs ſcenica.* Sidon. Apollin. *in Narbone*, ſive *Carm.* 23. *Quid dicam Cithariſtrias, Choraules, mimos.* Artemidor. *lib.* 2. *Oneirocrit. cap.* 42. ubi de Venere πανδήμῳ, ſeu populari, bonam eam eſſe *Thymelicis, & ſcenicis omnibus.* Apulej. *Apologia* 1. *Quid enim ſi Choragium Thymelicum poſſiderem? Num ex eo argumentarere, etiam me uti conſueſſe tragœdi Syrmate hiſtrionis, Crotalove ad trieterica Orgia, aut mimi centunculo.* Xiphilinus ex Dione in *Nerone*, de quo poſtea Capitolinus in *L. Vero: Adduxerat ſecum & tibicines, & fidicines, & hiſtriones, & mimos, prorſus ut videretur, non bellum Parthicum, ſed hiſtrionicum confeciſſe.* Vopiſcus in *Carino*, ubi de Meſſalla: *Ille enim patrimonium ſuum ſcenicis dedit, hæredibus abnegavit: matris tunicam dedit mimæ; lacernam patris mimo, inſcriptam eſt adhuc in Choraulæ pallio Tyrianthino, quo ille velut ſpolio nobilitatis exultat, Meſſallæ nomen, & uxoris;* noſter Iſidorus *lib.* 18. *cap.* 43. & 44. illic: *Officia ſcenica tragœdi, comœdi, Thymelici, hiſtriones, mimi, & ſaltatores.*

Non itaque, tamquam diſſimiles, ſeparantur ſcenici, & Thymelici, ut in *l.* 14. *Cod. de Epiſcop. aud.* ut 6. *ad Africanum* Cujacius, eidemque alii bene creduli cenſuerunt, ſed tamquam ſimiles junguntur voce repetitiva ſimilium, ἢ ἄλλως, ſive *alio modo ſcenicus*, ſicut *in eadem lege* 14. in fine: συγχωρεῖν μίμοις ἢ χόροις. *Conjungi mimis, aut choris*; & in *l. ultim.* §. 1. *Cod. de Epiſcop. aud.* illic: *Aut ſcenæ, vel Thymele ſpectatores ſiunt ludorum.* Et in eadem re ſcenici omnes uno Thymelicorum nomine comprehenduntur, in *l. ultim. ex Baſilicis* addita, *Cod. de ſpectacul.* Et initio *Trullani Canonis* 24. *Synodi* 6. & à Theodoro *Baſilicorum* Scholiaſte *libr.* 60. *titul.* 39. *ad l. ultim. Cod. de maleſic.* junctis notatis infra *ad Canonem Laodicenum*; quoniam revera mimi, & Thymelici, quamvis illi in ſcena, & iſti in proſcenio, ſeu pulpito, utrique tamen ſcenici, & ſcenæ ſerviebant. 4

Atque inde elucidanda *lex Scenæ* 8. *Cod. Theodoſ. de ſcenicis*, ubi quæ in principio vocatur *ſcenæ mulier*, eſt proprie, omninoque Thymelica, ut apparet ex eo, quod ſequitur, *retracta in pulpitum*, ſtatuiturque, ſi ſcenæ vacationem, ob Religionem, tamquam Chriſtiana poſtulaverit, *obtentu petitionis venia non deſit* (legimus ita *ex l.* 1. *eodem tit. & Cod.*) Verum ſi poſtea *turpibus voluptata complexibus, religionem, quam expetierit, prodidiſſe, & gerere quod officio deſierat, animo tamen ſcenica detegetur*, ſive, ut ſimiliter Syricius Papa, *ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & ludicras* (non *lubricas*, ut in Vulgatis, apud Gratianum, eſt) *voluptates, & inhibitos denuo appetivere concubitus. cap. de his* 12. 33. *quæſt.* 2. *retracta in pulpitum* (ſic enim legendum, non *detracta*, ut ad ſcenica officia retrahi in *l. Mulieres* 4. *eodem titul. & revocari, vel reduci in l.* 1. & in Africano Concilio *cap.* 30. *& retracta in pulpitum*, in quo, ut monuimus, Thymelicæ ſtabant, aut proſtabant) *ſine ſpe abſolutionis*, id eſt, veniæ, & vacationis à ſcena, *ibi eo uſque permaneat, donec anus ridicula ſenectute deformis* (qualis Lyce illa, aut Chloris apud Horatium *lib.* 3. *Carm.* 15. & *lib.* 4. *Carm.* 13. vel exoletum illud ſcortum in proſcenio apud Plautum *in prologo Pœnuli*) *ne tunc quidem abſolutione* (à ſcena) *potiatur, cum aliud quam caſta eſſe non poſſit.* quo ſenſu hoc ultimum ſaltem recte exaudiſſe video illic Jacobum Gothofredum contra Samuel. Petitum. 5

Sed, ut pergamus, Thymelicos, & eorum Choragium, præter quam quod ſcenæ inſerviiſſe, & ludicram artem feciſſe, ſatis jam liquet, idque, ut infames eſſent, & haberentur, ſufficeret: idcircoque inter operas ludicras, viles, ſerviles cum hiſtrionibus, ſeu mimis recenſentur. *dict. l. Cum ejuſdem* 34. *D. de Ædil. Edict. dict. l. Proinde* 22. *D. ad leg. Aquil. l. ſed ſi quid* 15. §. 1. *D. de uſufruct.* juncta *l. Suos* 73. §. *Proinde, D. de legat.* 3. *l. Titius* 43. in fine, *D. de action. empti. l. ultim.* §. *ultim. D. de liberali cauſa. l. Patronus* 25. *l. ſi libertus* 27. *l.* 7. §. *Dabitur, D. oper. lib.* Macrob. *lib.* 2. *Saturnal. cap.* 10. fuiſſe tamen & habitos inter ignominioſos, nec dumtaxat ex cenſura illa ſancta, & ſevera Eccleſiæ priſcæ, qua Thymelici, ſive cantores ſcenici, perinde ac mimi, & hiſtriones de turpitudine notantur, damnantur, ut præter Salvianum *lib.* 7. & Iſidorum 18. *cap.* 44. & 51. quorum ſupra meminimus; Auguſtinum *lib.* 2. *de Civit. Dei cap.* 4. ubi de Symphoniacis ſcenici; Hieronymum *epiſt. ad Furiam*, dum fidicinas, pſaltriaſque nominat *chorum diaboli.* docet Clemens Romanus *lib.* 8. *Conſtitut. Apoſtolic. cap.* 32. ubi de accedentibus ad baptiſmum ita, ex Canonibus Pauli Apoſtoli: *ſi quis ſcenicus accedat.* Et deinceps: *Aut Tibicen, aut Cytharœdus, aut Lyricen, aut Saltator, vel ceſſent, vel repellantur.* 6

Et nominatim de Thymelicis *Canon* 54. Concilii Laodiceni, quo cautum, non oportere Clericos, *ſpectaculis aliquibus, quæ in nuptiis, aut cœnis exhibentur* (corrupte apud Gratianum *in eo Can. non* 7

oportet

oportet de conſecratione, diſtinct. 5. legitur, *ſcenis*, gloſſa illic, & aſſeclis delirantibus, cum legendum ſit *Cœnis*. Ut apud Ivonem *Decreti parte* 11. *cap.* 78. & in Græco Laodiceni *textu*, δεῖπνον, ſive *convivis*, ut eſt in Braccharenſi 2. *Can.* 60.) *intereſſe: ſed antequam Thymelici ingrediantur, ſurgere, & de convivio abire.* Ubi & pro re obſervandum, Thymelicorum nomine, noviores Canones, illo utentes, intellexiſſe univerſos ſcenicos; ſicut & in *l. ultim. Cod. de ſpectacul.* de qua ſupra, & id genus ludicra omnia ſpectacula, ut videre eſt in *Canone* 24. Sextæ Trullanæ Synodi (ad quem plura Balſamon Patriarcha, & Zonaras Monachus) illic: ἡνίκα θυμελικὰ παίγνια. *Quando ludicra ingreſſa fuerint.* Et in Braccharenſi 2. *Can.* 60. *antequam ingrediantur ſpectacula.*

8 Quibus, quoad Thymelicorum infamiam, concinunt Chriſtianorum Cæſarum *leges*, *quiſquis* 5. *l. Scenæ* 8. juncta, de qua jam ſupra, elucidatione *l. ſi qua* 12. *in fine*, *Cod. Theodoſ. de ſcenic. l.* 14. & 33. *atque ultim. Cod. de Epiſcop. aud. l. ultim. Cod. de ſpectacul.* Idque, inter alias infamiæ cauſas, quia non minore turpitudine, quam mimæ in ſcena, Thymelicæ in proſcenio, ſive Orcheſtra proſtabant, ut poſt Plautinum illud in *prologo* Pœnuli: *Scortum exoletum, ne quis in proſcenio ſedeat*; de Thymelicis, proprie Cæſares verbis huc reſpicientibus in *l. Scenæ* 8. illic: *Retracta in pulpitum.* Et poſtea: *Cum aliud quam caſta eſſe non poſſit. Cod. Theodoſ. de ſcenicis.* Et apertius in *l.* 14. & 33. *Cod. de Epiſcop. aud. l. ultim. Cod. de nupt. l. ultim. Cod. de ſpectacul.* Ubi qui vocatur Thymelicus, fœminas in Orcheſtra producens, & proſtituens, eſt ille idem, qui Tribunus Thymelicus, apud Anaſtaſium in *Collatione Maximi. Novella* 51. & 105. Juſtiniani *cap.* 1. §. *Quintus*, ubi in proceſſu illo dicto πορνεῖον, ſive proſtibulo, recenſentur *Thymelici Chori.* Div. Auguſtinus in hac re ipſa Thymelicam obſcenitatem exaggerans *lib.* 6. *de Civitat. Dei*, *cap.* 7. *in fine.*

9 Quin denique, ut jam concludamus, vel ex ipſo Prætorio Edicto fuiſſe ignominioſos Thymelicos, licet elicere ex illius verbis: *Qui artis ludicræ, pronunciandive cauſa. l.* 1. *D. de his, qui notant. infam.* Primis etenim illis ſignantur hiſtriones, & mimi, qui ſaltantes, vel geſticulantes, ludicræ artis cauſa, in ſcenam prodibant, ſive in ſcena ludebant, ut ſcriptum eſt in *cap. Maritum* 33. *diſtinct.* poſterioribus autem Thymelici, & cantorum chori, qui pro ſaltaturo hiſtrione, aut geſticulaturo mimo fabulam prænunciabant (idque in *Baſilico dict. l.* 1. *contextu* eſt, προσημαίνειν) ſeu cantillando pronunciabant, *iiſque canentibus, alii geſtus edebant*, ut ſcripſit Iſidorus 18. *origin. cap.* 44. & 49. more in re ſcenica notiſſimo, de quo Manilius *lib.* 5. *æquabitque choros geſtu.* Caſſiodorus *lib.* 4. *epiſtol.* 51. Anonymus *inter priſca epigrammata libr.* 4. *Egreſſus ſcenam populum ſaltator adorat, ſolerti pendet prodere verba manu. Nam cum grata chorus diffundit cantica dulcis, Quæ reſonat cantor, motibus ipſe probat.* Graphice, & ſæpius Lucianus in *Dialogo de Orcheſtra. ſeu ſaltatione*; & Ariſtænetus *libr.* 1. *epiſtol.* 26. *ad Pantomimam.* Atque hoc ipſum eſt, quod Scholiaſtes Græcanicus *libr.* 21. *Baſilicon titul.* 2. verba illa *d. l. pronunciandive*, exponens, ſubjungit: ὁ ποῖος ἐστὶν ὁ ἐμβοῶν, ὑπὲρ ὀρχηστοῦ τοῦ μέλλοντος ὀρχεῖσθαι παρακαλῶν. *qualis eſt, qui pro hiſtrione ſaltaturo ſolet provocare.* Nempe cantor, ſive Thymelicorum chorus, ut poſt Ariſtotelem, & Horatium in *poëtica* Iſidorus *lib.* 18. *cap.* 41. Poſtremo & addimus Prætorio Edicto Romanam legem Juliam de adulteriis, quæ cum ludicris artificibus componit, & inter infames reponit eos qui cantandi cauſa in ſcenam prodierint. *l. Marito* 24. *D. ad leg. Jul. de adult.* ſive in ſcenæ, theatrive proſcenium, neque enim id honeſtius, quam ſcena. *l. ſi qua* 4. *in fine*, *Cod. de ſpectacul.* juncto Dione in *Nerone* apud Xiphilinum, dum de Senatoribus, & Equitibus, qui in ſcenam prodierant, ὥσπερ οἱ ἀτιμότατοι, ſive *tanquam viliſſimi*, aut infames ſubjungebant. *Quidam* *eorum tibiis ludebant, ſaltabant, in tragœdiis, & comœdiis minor, & hiſtriones agebant.* Congruit *Regia lex noſtra* 4. *tit.* 6. *part.* 7. *Otroſi*, ait (*ſon enfamados*) *los juglares, è los remedadores, è los faz dores de los zaharrones, que publicamente andan per el pueblo, ò cantan, è fazen juegos por precio.*

Eſt itaque, ut, poſt tam multa, jam ad rem, non dumtaxat difficile, ſed diſſonum, abſurdumque quod traditur in *dict. l.* 4. *de his, qui not. infam.* Thymelicos neque eſſe, neque haberi inter infames, utique, ſi de Thymelicis ſcenicis accipiatur. Id quod apud eruditiores fere in confeſſo eſt, & miramur, Hilligerum 18. *ad Donell. cap.* 7. *litt. A.* & quod magis mireris, Cujacium *ad l. ſi qua* 4. *Cod. de ſpectacul. lib.* 11. Thymelicos de muſicis ſcenicis modulos in tabula facientibus accepiſſe, eoſque inter infames non habuiſſe. Proinde aſſentior potius aliis, & ex eis adnotanti Amajæ noſtro *ad leg. unic. Cod. de infamib. num.* 40. & Thymelicos exaudio de certantibus in muſicis certaminibus, ſive agonibus, cujuſmodi θέας μουσικὰς καὶ θυμελικὰς, vocat Plutarchus *in Fabio Maximo*, & Septitia illa apud *Modeſtinum in l. Septitia* 10. *D. de pollicit.* & qui ipſi Thymelici, cum aurigis, ſive agitatoribus, de queis poſt *in dict. l.* 4. conjunguntur in *l. Nulli* 21. *Cod. Theodoſ. de piſtoribus.* Et actuarii Thymelæ, & Equorum Curulium, in *l. Actuarios* 7. *Cod. de numerar. lib.* 12. & *in l.* 20. & 21. *Cod. Theodoſ. de diverſ. offic.* Eamque expoſitionem ex eo firmo, quia quos initio Ulpianus athletas (communi nomine muſicis gymnicis, & equeſtribus certatoribus, qui generaliter athletæ dicti, ut apud Platonem *Dialogo* 6. *de legibus.* Pollucem *lib.* 3. *Onomaſtici cap.* 30.) non facere artem ludicram, propoſuerat in *dict. l.* 4. eoſdem poſtea ſingulis vocibus ad ſingula certamina accommodatis diſtinguit, atque exprimit, dum recenſet *Thymelicos*, qui in muſico agone; *Xyſticos*, qui in gymnico, & *agitatores*, qui in Circenſi, ſive equeſtri certabant, ad quod triplex certamen, Ulpianum reſpexiſſe, probabile eſt, utpote cum id Romæ ad inſtar Olympicorum, fuerit inter ſacra habitum, & nuncupatum quinquennale, ſeu Capitolinum, adeoque non infame, ut ab eo ſervi, & Pantomimi prohiberentur, ut ad rem ſcribit Tacitus *lib.* 14. *Annal.* Sueton. *in Nerone cap.* 12. & *in Domitiano cap.* 4. Xiphilinus ex Dione Caſſio in *Nerone.* Philoſtratus *de vita Apollonii lib.* 4. junctis, atque inde illuſtrandis *l. unica*, *Cod. de athletis. l.* 1. *Cod. de ſpectacul. l. Spem* 5. *Cod. quæ res pignori. l.* 6. §. *Ulpianus* 13. *Digeſt. de excuſat. tutor. l. Commodis* 40. *D. de re judic. l.* 2. *D. de aleator. l. Qua actione* 7. §. *ſi quis in colluctatione* 4. *D. ad leg. Aquil.* 10

Quamquam nec repugnabo, ſi quis malit cum Græco Baſilico *textu libr.* 21. *titul.* 2. ubi *in Scholiis* Cyrillus, & *in Synopſi*, ſive *Ecloga eodem libro*, & *titulo*, & apud Photium in *Nomocanone*, *tit.* 13. *cap.* 21. & ex his poſt Cujacium Fabro Sanjoriano *lib.* 1. *agoniſticon*, *cap.* 4. Thymelicos *in dict. l.* 4. intelligere, non de muſicis certatoribus in muſico agone, ſed de illis Thymelicis, ſive muſicis, qui in ſacris certaminibus gymnicis, vel equeſtribus, ante eorum commiſſionem, ad tibiam, aliudve muſicum inſtrumentum præcinebant, pronunciabantque præludia, ſeu prooemia quædam (cujuſmodi prooemium, ſeu cantilenam prooemialem à Græcis Citharœdis vocare, οἶμον, ſcripſit Quintilianus *lib.* 4. *Inſtitut. Orator. cap.* 1. & προοίμιον Ariſtoteles *lib.* 3. *Rhetoricorum*, atque ex his Curius Fartunatianus 3. *Rhetoric.*) Eoque referendum eſſe, quod in Baſilico textu, & Scholiis jam laudatis pro Thymelicis, quorum apud Ulpianum mentio, exprimuntur, qui in Olympiis *Enthyria* dicunt, ἐν τοῖς ὀλυμπίοις λεγομένοις τὰ ἐνθύρια, ſi *Enthyria* exaudias de prooemiis illis muſicis, quæ futuro ſacro certamini, θύρας, ſive portas, præcinendo, quaſi aperiebant. Sane non alio ſenſu in vetere inſcriptione, cujus ex Onuphrio Gruterus meminit, quod hodie legitur. ATHENODORUS XISTICUS PARIDI THYMELICO BENE MEREN- 11

TI FECIT. Acceperim de Athenodoro athleta, grato erga Paridem Thymelicum de ſe bene meritum, dum præcentor eidem certaturo in gymnico agone feliciter Enthyria cecinerat.

12 Nec diverſus ab iſto ſenſu (ſi capere mavelis, quam carpere) Theodorus Balſamon, dum *ad Canonem* 13n. *Synodi Carthaginienſis*, excludentis ab accuſandn mimos, & ſimiliter turpes, adnotat, non contineri eo Canone nmnes Thymelicos, ſive, ut in Græco eſt, *μὴ πάντας τὰς τῆς θυμελικῆς*, non nmnes Thymelicos, ſcilicet, quia quamvis Thymelici ſcenici, utpote infames contineantur, alii tamen extra ſcenam, vel in ſacris agonibus muſica organa tractantes, non ſunt infames, ut & ſcripſit Firmicus Maternus *lib.* 4. *Matheſ. cap.* 15.

13 Sed neque aliena hæc explanatio à reliquo Ulpiani textu, ſi obſervetur, poſt nominatos initio athletas, quæ deinde ſequuntur, pleraque fere eſſe de præparantibus, ſeu miniſteriis ſacrorum certaminum, quales præter deſignatores, & eos, qui aquam equis ſpargebant, ſunt in primis Thymelici jam expoſiti, & Xiſtici, qui in xiſto, ſeu porticu ſe exercebant, & futuro agoni parabant, & agitatores, ſi tamen eos exaudias, non de aurigis, ſed equorum Curulium ad Circenſe certamen curatoribus, præbitoribus, factionariis, de queis in *l.* 1. *&* 2. *C. Theodoſ. de equis Curul. l.* 2. 3. *&* 5. *C. de ſpectac. l.* 1. *§. Perſonalia, D. de muner. & honor. l. Plenum* 12. *§. Equitii, D. de uſu & habit.* Et in Symmachi *epiſtolis* paſſim. Denique actuariis illis Curulium equorum, qui eorum publica ratiocinia tractabant, & actuariis Thymeles conjunguntur, in *l. Actuarios* 7. *C. de numerar. l. Nemo* 21. *cum l. ſeq. C. Theodoſ. de div. offic.* (quas luſtrat fere ſilens, accuratus alioquin Theodoſiani Codicis illuſtrator, Gothofredus.) At de his hactenus, & quoad agitatores, pendente titulo, quia nec diutius deliberare, aut exerrare vacat, aut libet.

C A P U T XXX.

Ad leg. Lege 44. *in princip. & §. non obeſt. D. de ritu nuptiar. De ludicris artificibus, qui ipſi, quorumve pater, materve fuere.*

A R G U M E N T U M.

Qui arti ludicræ ſe locaverit, niſi & eam fecerit, non comprehenditur lege Julia, nec notatur Prætorio Edicto. Elucidata l. 3. D. de his, qui not. infam. *Sed & cur non idem in locante ſe ad beſtias, & ex locatione ſola notato. Differentiæ ratio proxima, deducta ex legum, & Edicti verbis. Ulterior alia, ſignata à Cajo in d.* l. 3. *quæ adornatur. Detectus in re obex in* l. 10 § ult. D. ad leg. Jul. de adult. *eique removendo tentamenta Græcorum, queis non acquieſcitur. Diſtinctio inter infamiam ex Edicto, & eam, quæ facti dicitur, ſive notam, quoad theſin* d. l. 10 § ult. *Ad Paulum in* §. Non obeſt, d. l. 44. *Patris nomen producitur juſta interpretatione ad avum, quoties par ratio, aut in favorabilibus, non in odioſis. Electa rei exempla in tractatu* S. C. Tertylliani. *Jam quoad* d. §. Non obeſt, *propria ratio petita ex verbis legum. Illuſtratus Calliſtratus* in l. 220. D de verb. ſign. *& adhibitum exemplum ex lege Pompeja de parricidiis, cum lugubri nobis memoria. Addita tandem ratio rationis ad* dict. §. Non obeſt.

1 PErcurremus jam levi pectine Pauli Commentationem, & quas ſingillatim movet quæſtiones ad ſupraſcripta legis Juliæ verba in *dict. l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* In primis autem, & ultra Paulum (niſi ſi ab eo notatum fortaſſe Tribonianus omiſit) animadvertimus, ex verbis Juliæ legis ita conceptis, de his, qui artem ludicram *faciant*, *fecerint*, recte, proprieque inferri, eos, qui artis ludicræ faciendæ cauſa, ſive, ut in ſcenam prodirent, operas ſuas locaverint, nec tamen fecerint, prodierintve, non contineri prohibitione, aut verbis legis Juliæ, quæ ſunt de his, qui faciunt, fecerint, non de facturis; ſuntque ſimilia illa, & fere ſolemnia in legibus verba, *faciat*, *fecerit*. Ut in *l. Libertinus* 37. *D. de oper. libert. l. Marito* 24. *D. ad leg. Jul. de adulter l.* 3. *§. Lege Julia, D. de teſtib. l. Palam* 43. *in princip. & §. Non ſolum, D. de ritu nuptiar.* Ulpianus *in fragm. regul. tit.* 13. *& lib.* 9. *de officio Proconſulis*, apud Licinium Ruffinum *in collat. leg. tit.* 9. Idque ipſum ad Edictum Prætorium de infamia ejus, qui artis ludicræ cauſa in ſcenam prodierit, nempe ut non ſit infamis, qui operas locavit, nec prodiit, prænotavit Cajus in *l.* 3. *D. de his, qui not. infam.* Et quidem eleganti ratione addita, quia ars ludicra *non eſt res adeo turpis, ut etiam conſilium puniri debeat*; id eſt, quia quamvis in atrocioribus maleſactis, qualia *Immane nefas* Virgilius 6. *Æneid.* & ſignanter, *ſcelera* vocant Seneca *lib.* 4. *controverſ. & de conſtantia ſapientis*, *cap.* 7. Juvenalis *Satyr.* 3. Apulejus in *floridis lib.* 1. & Cæſares in *l.* 1. *Cod. Theodoſ. ad leg. Jul. de ambitu*, conſilium cum conatu puniatur, *l. Quiſquis* 5. *Cod. ad leg. Jul. Majeſt. l. ſi quis non dicam* 5. *Cod. de Epiſcop. & Cler. l.* 1. *D. de extraordin. crim. l. ſi quis aliud* 38. *§. ultim. D. de pœnis. l. ult. §. Sic autem, D. de bonis eorum, qui ante ſentent.* non tamen in levioribus, ſeu non habentibus atrocitatem facinoris. *l. Cogitationis* 18. *D. de pœnis. l.* 1. *§.* 1. *D. de furtis. l. Impuberem* 22. *§. Etſi ei ſervo* 4. *D. de lege Cornel. de falſi.*; ſive in non adeo turpibus, cujuſmodi eſſe artem ludicram, adnotat Cajus in *d. l.* 3.

Enimvero & hæc ratio, ſi dextre applicetur, & explanetur, ſufficit diſſolvendæ quæſtioni, & differentiæ, cujus in ratione reddenda Græci, & Latini interpretes valde laborant, cur ſcilicet non ſit infamis, qui operas ludicræ arti locavit, ſi non prodiit, & è contrario infamis ſit, qui operas ſuas, ut cum beſtiis depugnaret, locat, etiamſi non depugnaverit. *l.* 1. *§. Removet* 6. *verſ. Et qui operas, D. de poſtulat. l. Qui libertinus* 37. ubi duo hæc diſtinguntur, *Digeſt. de oper. libert. l.* 1. *§. Qui operas* 6. *D. ad. S. C. Tertyll. l.* 3. *§. Lege, D. de teſtib.* Paulus apud Licinium Ruffinum in *collat. legum titul.* 4. *& tit.* 39. Sane proxima, & prompta differentiæ ratio eſt, in qua ex Græcis Theodorus Balſamon *ad Photii Nomocanonem tit.* 13. *cap.* 21. & prolixo ſatis Scholio Cyrillus *ad d. l.* 3. *lib.* 21. *Baſilicon tit.* 2. & ex Latinis, poſt Caſtrenſem in *l.* 1. *§. Beſtias, D. de poſtul. & in l.* 2. *§. Ait Prætor, D. de his, qui not infam.* Vertranius Maurus, Eguinarius Baro, Balduinus, Briſſonius, Ræyardus, Petrus Faber, & ſi qui alii apud Hilligerum *ad Donellum* 18. *cap.* 3. *litt. BB. &* 57. *litt. A.* & vel ex Practicis Tiraquellus, Menochius, Roizius, Carrocius conveniunt, nempe in ludicra arte factum dumtaxat, ſeu turpitudinis effectum, & exercitionem notari, ut in Prætorii Edicti verbis, *prodierit*, & in noſtrarum legum *faciat*, *fecerit*, *exercuerit. l. Semper* 42. *§.* 1. *l. Senatoris* [illegible] *D. de ritu nupt.* cum ſupra laudatis. Ideoque qui non prodiit, nec fecit, etiamſi ſe rei ludicræ faciendæ locaverit, non notari. *l.* 3. At ex adverſo in locante ſe ad beſtias, quamvis non depugnaverit, damnari propoſitum habentis ſanguinem venalem, & pro mercede caput ſuum, ac funus locantis, ut alibi Manilius, ſive exponentis vitam diſcrimini certandi cum belluis; cum tamen

men factum ipſum pugnandi, non mercedis, quæſtuſve, ſed virtutis gratia, & ut habet *Regia lex noſtra 4. titul. 6 part. 7. Por probar ſu fuerça, è ganar prez de hombre; non notetur d. l 1. §. Removet 6. verſ. Eis qui operas, cum ſeqq.* Unde & in lege de vi excipitur, ne inter famoſos habeatur, qui jaculandi cauſa ad Urbem miſſus eſt, Ulpiano teſte apud Licinium Ruffinum *d. tit.* 9. quia, ut appoſite Quintilianus *declamatione* 302. de auctorato ad gladium pro parte redimendo, cui deinde tamquam gladiatori contradicebatur, ne in quatuordecim theatri gradibus ſederet: *Non pugna per ſe turpis eſt, ſed inhoneſta pugna; dedit enim & familiis nomina: hinc Corvini; hinc Torquati; hinc Opimi: illum ergo majores prohibuerunt theatro, qui vilitate, qui gula ſe auctoraſſet.*

3 Sed hæc prompta, cujus & ut diximus proxima, ſive immediata dubitationis, & differentiæ ratio. Quod ſi ulterius quæſieris, cum ſicut in locante ſe ad beſtias, propoſitum turpe notatur, non itidem notetur in locante ſe ad ſcenam, cum ſit prodire in ſcenam turpe, *& nullius rei turpis merces decora ſit* ut Tertullianus expendebat *de habitu muliebri cap.* 2. applicanda differentiæ ratio eſt, & huc referenda illa ex Cajo in *dict. l.* 3. (quam & ipſum huc retuliſſe arbitramur, cum alioquin prima, & proxima illa ex verbis Edicti, factum, aut propoſitum notantibus, cuivis in expedito eſſet) quoniam ſcilicet in ſcenam prodire, quantumvis turpe, non tamen adeo turpe, ut etiam conſilium, ſive conatus ſe locantis, puniri debeat, aliter atque in locante ſe ad beſtias, ſeu venationem in arena, cujus non modo turpis, ſed nequiſſima ars, ut vocatur Auguſtino in *cap. Qui venatoribus, cum ſeq.* 86. *diſtinct. & miniſterium crudelitatis*, ut Ambroſio *ad Pſalmum* 118. *Octonario* 8. *Et ferarum lacbrymoſa ſpectacula, in l. ultim. Cod. de feriis*, denique, *actus deteſtabilis, ludus crudelis, ſanguinaria voluptas, inhumana feritas*, ut de re, & ad rem Caſſiodorus *lib.* 5. *var.* 42.

4 Neque prætereundum eſt, quod primo adſpectu obſcurum, & in hac re nondum expenſum, Papinianus ſcribit, in *l. Mater* 10. §. 1. *D. ad leg. Jul. de adulter.* poſſe ex Senatus Conſulto, illic relato accuſari, & damnari adulterii mulierem, quæ, evitandæ pœnæ adulterii gratia, operas ſuas in ſcenam locavit; & proinde ſupponitur, ante illud Senatus Conſultum, & extra illius limites ſolam locationem in ſcenam, etiamſi non produiſſet, ſuffeciſſe ad infamiam mulieris, & ut in ea tamquam infami adulterii pœna non exerceretur, juxta *l. ſi ea* 22. *l. Quæ adulterium* 29 *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* Id quod ipſum ex eo firmatur, quia & impudicitiæ, aut lenocinii ſola profeſſio cœpta, ſeu ſolemniter apud Ædiles facta, ſatis erat ante id Senatus Conſultum, ad exſolvendam fœminam dignitate matronali, & evitandas propter infamiam legum pœnas, ut Suetonius ſcribit in *Tiberio cap.* 35. *More illo apud Veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant*, ait Tacitus *lib.* 2. *Annal. Solaque famoſam culpa profeſſa facit*, ut eſt apud Naſonem *lib.* 3. *eleg.* 14. conducit & Catonis illud apud Nonium in *voce ſuſpicioſus*, & A. Gellium 9. *noct. Attic. cap.* 12. *Aut ſe lenoni locaviſſet etſi famoſus, & ſuſpicioſus eſſet.* Quæ ſingula adverſari videntur jam traditis de locatione in ſcenam ſola, infamem non faciente, utpote re non adeo turpi, ut illius ſola profeſſio, ſeu conatus puniri debeat. *d. l.* 3. *D. de his, qui notant. infamia.*

5 Nec probamus perfugium rei expediendæ, quod velut ſuggerit *textus libro* 60. *tit.* 37. *in Baſilicis*, in quo pro verbis illis, *aut operas ſuas in ſcenam locavit*, in *d. l. Mater* 10. §. 1. redditur γένηται ἢ σκηνική, *vel fiat ſcenica*, & proinde locatio exauditur, ſive ſuppletur de ea, quæ fuit cum effectu ſcenici miniſterii, ſicut è converſo intromiſſio in arenam, & arenarii mentio intelligitur per ſuppletionem de eo, qui non ob virtutem, ſed ex locatione, vel auctoramento in arena pugnavit. in *l.* 4. *D. de accuſat. l.* 4. §. 1. *D. de legation. l. Ob carmen* 21. §. *ſi ea, D. de teſtib. l.* 5. *D. ad S. C. Treb. l. Hæ demum* 38. *D. de oper. libert. l. In arenam* 11. *Cod. de inoffic. teſt. l.* 1. *Cod. de natural. lib. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* Non probamus utique, quia & verius credimus, quoad terminos *dict. l. Mater* 10. §. 1. & ante illud Senatus Conſultum, ejuſque hypotheſin ſuffeciſſe ad infamiam, & impunitatem adulterii, & ſtupri, quemadmodum profeſſionem ſolam lenocinii, aut licentiæ ſtupri apud Ædiles, ita & locationem operæ in ſcenam, apud editorem ludorum; ſic enim fere hæc comparantur in *dict. l.* 10. § 1. & apud jam laudatum Suetonium, Tacitumque. Et ſpecialiter, proprieque magis de ſponſione jurata, vel fidejuſſione pro operis in ſcenam, in *Novella Juſtiniani* 51. *l. Neque* 18. juncta *l.* 33. *Cod. de Epiſcop. aud. l. ultim. Cod. de ſpectacul. l. Imperialis* 23. *l. ultim. Cod. de nupt.* neque immerito, quia Romanis moribus, legibus (proh quam exlegibus) eadem fere erant locatio operarum fœminæ in ſcenam, & profeſſio meretricii. *Novella* 51. *ſcenicas*, in præfatione *l. Mimæ* 5. *Cod. de Epiſcop. aud. l. Scenæ* 9. *in fin. Cod. Theodoſ. de ſcenic.* Tertullianus *de ſpectacul. cap.* 17. Auguſtin. *lib* 2. *de Civit. Dei cap.* 26. & *lib.* 6. *cap.* 7. *ad finem.* Iſidorus *lib.* 18. *orig. cap.* 42. & ex Patribus alii creberrime.

Ergo obſervamus, potius diſtingui oportere inter 6
infamiam illam Juris ex Edicto Prætorio, ad quam ſola locatio operarum in ſcenam, niſi & prodeatur, non ſufficit, *dict. l.* 3. *D. de his, qui notant. infam.* & infamiam, ut vocant, facti, ſive ignominiam, notamque ex probroſa, turpive cauſa, etiamſi Jure non notata, contracta cum minutione exiſtimationis apud graves viros. *l.* 2. *D. de obſequ. par. vel patr. l. penult.* §. *Minuitur, D. de extraord. cogn.* Quæ certe nota, & probrum incurritur ex ſola locatione publica operarum fœminæ in ſcenam, aut profeſſione lenocinii, vel meretricii apud Ædiles, etiam ante quam exerceantur: eaque probroſa profeſſio ſufficiebat, ne erga ſimiles fœminas ſtuprum, vel adulterium committatur, aut vindicetur. *l. ſi ea* 22. *l. Quæ adulterium* 29. *Cod. ad leg. Jul. de adulter. l.* 1. *Cod. Theodoſ. eod. tit. l. In liberæ* 24. *l. Probrum* 42 *D. de ritu nupt. l.* 1. §. *Cum Attilicino. l.* 3. *D. de concub. l. Cum tabulis* 16 §. *Quoniam, D. de his, quæ ut indign. l. ſi uxor* 13. *D. ad leg. Jul. de adult.* Nec mirum; cum ad eum effectum ſola vilitas vitæ, aut miniſterii in caupona, & illius occaſione, lenocinio, aut libidini obnoxii, vel expoſiti, ſoleat ſufficere. *dict. l. ſi ea* 22. *l. Quæ adulterium* 29. *l.* 2. in fine, *tit.* 19. *part.* 7. junctis *l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt. l.* 1. *Cod. de natural. lib* itemque *l. Palam* 43. *in princ. &* §. *ſi qua cauponam, D. de ritu nupt. l.* 4. §. *ait Prætor, D. de his, qui not. infam l. ultim. Cod. ſi mancip. ita vend. ne proſtit.* Excipiuntur tamen fœminæ nuptæ, ſive matres familias, quæ poſt commiſſum adulterium, & ad evitandam illius pœnam jam imminentem, profeſſæ ſunt licentiam lenocinii, aut meretricii, vel operas ſcenæ locarunt, ut tamquam famoſæ, & exſolutæ dignitate matronali, de adulterio, ante commiſſo, non puniantur, ut Viſtilia illa apud Tacitum 2. *Annal.* & famoſæ aliæ apud Suetonium in *Tiberio d. cap.* 35. quas omnes, ne refugium in tali fraude eis eſſet, poſſe adulterii, antea commiſſi, accuſari, & damnari, fuit cautum Senatuſconſulto, de quo in *dict. l. Mater* 10. §. 1. Quomodo id exponendum, collatis etiam Tertulliani *de pallio cap.* 4. aliiſque locis, dicemus plenius *infra lib.* 3. ubi de interpretanda *l. ſi uxor* 13. §. *Sed & in ea* 2. *D. ad leg. Jul. de adulter.*

Ex eiſdem verbis illis, *faciat, fecerit*, proxima 7
illatio eſt, eam etiam mulierem, quæ ipſa, cujuſve pater, materve artem ludicram fecerint, etiamſi nunc non faciant, ſeu quamvis facere deſierint, lege notari, ſcilicet quoad prohibitionem ejus nuptiarum cum Senatoriis; quod & fortaſſe Paulus ad hæc verba Juliæ legis non prætermiſit, ſaltemque, eum ita ſenſiſſe, intelligitur ex eo, quod tradidit

didit in *dict. l.* 44. §. *An & is* 5. *D. de ritu nupt.* dé qua poſtea; interim pro firmanda illatione ſatis ſit, ſtabiliri eam ab Ulpiano ad ſimilia verba noſtrarum legum de prohibitis nuptiis ingenuorum cum fœminis, quæ palam corpore quæſtum faciant, fecerint. in *l. Palam* 43. §. *Non ſolum* 4. *D. de ritu nupt.* ad quem locum plura, neque inculcanda *infra libr.* 3. Illud loci hujus proprium, quoad eam, quæ artem ludicram fecit, & facere deſiit, ſeu pœnituit, fuiſſe huic capiti derogatum, in *l. Imperialis* 23. *Cod. de nupt.* de qua tamen, & pro re, & opportunius, pleniuſque dicemus infra pro auctario ejuſce capitis noſtrarum legum.

8 At cum Paulo jam progrediamur, qui in *dict. l. Lege* 44. §. *Non obeſt* 2. ad illa verba, *cujuſve pater, materve*, in primis notat, non obeſſe, ſcilicet ad connubium cum Senatoriis, avum, & aviam nubentis artem ludicram feciſſe. Dubitandi ratio ex eo, quia quod de patre, matreve ſcenico cautum pertinere, aut produci oportere ad avum, aviamve ſcenicos, videbatur, juſta interpretatione *l. Juſta* 201. in fine *l. Appellatione* 51. *D. de verbor. ſign. l.* 4. §. *Parentem*, *D. de in jus voc. l. ultim.* §. *Parentes* 7. *D. de gradibus.* Et ſpecialiter in connubiali hoc capite noſtrarum legum, in quo & quoad ejus prohibitionem appellatio filii Senatoris pertinet etiam ad nepotem, & pronepotem, qui avum, vel proavum Senatorem habuit. *l. Emancipatum* 7. §. *penult. & ultim. l. Liberos* 10. *D. de Senator.* juncta *l.* 2. §. *In filiis*, *verſic. In avo*, *D. de Decurion.* & quæ ad eumdem tractatum, caputque pertinet *l. Non quemadmodum* 8. cum *l. ſi quis* 5. §. *Utrum* 2. & Auguſti *Conſtitutione* non diſſimili, de qua nos ex Dione ſupra *hoc libro*, *D. de agnoſcend. liber.* Sicut immunitates Viceſimæ conceſſæ patri in hæreditate filii, productæ ſunt à Trajano ad avum in hæreditate nepotis; *cur enim retro non recurreret æquitas eadem?* Ut ad rem expendebat Plinius in *Panegyrico.*

9 Sed in contrarium decidendi ratio fortior; quippe nomen *patris* ductum à *patratione*, ſeu *procreatione*, ut Iſidorus ſcripſit *lib.* 9. *etymolog. cap.* 5. proprie, & partite reſpicit patrem ſolum, non autem avum, & ulteriores, qui parentes vocantur latiore, & communi nomine. Ut perite Accurſius præſenſit, in *dict. l. Appellatione* 51. Eoque ſpectat, quod interdum, *parens*, *vel pater*, nomina, tamquam diverſa diſtinguuntur. *l. ſi pupillorum* 7. §. *ſi pater*, *D. de rebus eorum. l.* 3. §. 1. *D. de adminiſtr. tut. l. Profectitia* 5. *D. de jure dot.* & apud Ciceronem, alioſque non ſemel. Et quamvis juſta interpretatione, ſive ex Juris prudentum ſententia, plerumque patris nomine avus quoque comprehendatur, ſeu demonſtrari intelligatur *dict. l. Juſta* 201. *D. de verb. ſign. cap.* 2. *de verb. ſign.* junctis pro illuſtratione, & collatis *Danielis cap.* 5. *verſic.* 17. & *Hieremiæ cap.* 52. in fine. Id tamen obtinet in his, quæ neque odioſa, neque ſavorabilia, & in queis eadem eſt ratio patris, atque avi, & multo magis in ſavorabilibus. *l. Neſſennius* 34. *verſ. Præterea*, *D. de negot. geſt. l. ſi quis* 5. §. *Utrum* 2. *cum ſeqq. D. de agnoſcend. lib. l. Divi* 17. *D. de jure patronat. l. dotem* 6. *D. de collat. bonor.* non autem in odioſis, ſive quæ ſunt ſtrictæ interpretationis. *l. Patri* 21. *cum l. ſequ. D. ad leg. Jul. de adulter.* juncta ratione, & regula *l. cum quidam* 19. *D. de liber. & poſthum.* Ejuſque diſtinctionis electa, & elegans probatio duci poteſt ex tractatu Senatus Conſulti Tertylliani, in quo filii ſucceſſio matri, non etiam aviæ, deferebatur, ut eſt ſingulariter proditum in §. *Poſtea* 2. ubi Theophilus *Inſtit. de S. C. Tertyll.* & patris appellatio, ut præferatur matri in ſucceſſione filii, non extenditur ad avum, etiam manumiſſorem. l. 2. §. *Objicitur* 15. juncta *l. Æquiſſimum* 5. §. 1. *Digeſt. ad S. C. Tertyllian. l.* 2. *Cod.* & §. *præfertur* 9. *Inſtitut. eodem titul. l. ſi ad patrem* 10. *Digeſt. de ſuis, & legit. cap. penult. de conceſſion. præbend. in* 6. & è contra in eodem tractatu conſtitutiones de matre, non petente tutorem filiis, pertinere etiam ad aviam. *dict. l.* 2. §. *Si mater* 23. *cum* §. *Filiis* 28. *Digeſt. ad S. C. Tertyllian.* juncta *Authent. matri, & aviæ, C. quando mulier tutor. offic. fungi poſſ.* Quam diſtinctionem de patris, matriſve appellatione, in favorabilibus ad avum, aviamque porrigenda, non autem in odioſis, docent, deducuntque ſignate, *ex noſtra l. Lege* 44. §. *Non obeſt*, Bartolus, Albericus, & Fulgoſius *inibi*, *ubi* & Baldus, & in *l. Palam* 43. §. *Quæ in adulterio num.* 5. *D. de ritu nupt.* & ad nobiles in praxi quæſtiones produci poſſent.

Sed evagari nunc non datur. Plane quoad Pauli 10
gnomen in *dict.* §. *Non obeſt*, ſpecialis, propriaque decidendi, & ad dubitandi rationes, ſupra expenſas, reſpondendi ratio eſt, quia Juliæ legis verba, quæ Paulus interpretabatur, ſunt concepta dumtaxat de ea, quæ ipſa, cujuſve pater, materve artem ludicram feciſſent; & è contrario eadem lex Julia *in hoc capite*, ubi de filio Senatoris loquuta, expreſſit nominatim filium, nepotem, pronepotem, & conſequenter patrem, avum, proavumque Senatorem. *dict. l. Lege* 44. Eſt autem certa ſatis, notaque definitio, quæ docet, quamvis juſta interpretatione nominis patris, *ex dict. l. Juſta* 201. vel generali appellatione parentum aſcendentes omnes intelligantur. *dict. l. Appellatione* 51. *D. de verb. ſign. l.* 4. §. *Parentem. l. ſed ſi hac* 10. §. *Liberos* 9. *D. de in jus vocand. l.* 1. §. 1. *D. de legat. præſt. l. Nuptiæ* 53. *D. de ritu nupt. l. ultim.* §. *Parentes* 7. *D. de gradibus*, juncto Pompejo Feſto in voce *Parens*; tamen quoties leges ſingularum cognationum, ſive graduum nominibus utuntur, enumeratione facta, veluti filii, nepotis, pronepotis, vel patris, avi, proavique, non intelligi his legibus conſtitutum de omnibus gradibus, ſed de his ſolis, quos nominatim enumerant. *l. Liberorum* 220. *verſ. toties*, *D. de verbor. ſignific.* Ubi quæ leges nominantur, exaudiendas eſſe de Julia, & Papia noſtris, præmonuerunt jam alii, & nos ſupra *lib.* 1. *cap.* 3. & referri poſſe ad hoc caput quod extat in *dict. l. Lege* 44. itemque ad illud, cujus mentio in *l. unica*, §. *Et cum lex*, *Cod. de caduc. toll.* & apud Ulpianum in *fragment. tit.* 18. cujuſmodi etiam enumerationis graduum, ne ad ulteriores productio fiat, extant exempla in *l.* 1. §. *Enumerantur* 1. *D. ſi à parente quis manumiſſ. ſit. l. filii* 22. §. *Senatores* 5. *D. ad municip. l. Divo Marco* 11. *Cod. de quæſtion. l.* 1. *Cod. de privilegiis eorum, qui in Sacro Palatio milit. lib.* 12. *l.* 1. *Cod. de his, qui ante apertas tabulas.*

Et notanter in tractatu de parricidio, in quo pœ- 11
na illa Culei more majorum, qua forſan enumeratis patre, matre, avo, & avia nominatim indicta, vel inducta fuerat, non porrigebatur ad ulteriores perſonas. *l. Pœna* 9. §. 1. *D. de lege Pompeja de parricid.* ſcilicet ante Conſtantinum in *l. unica*, *Cod. de his, qui parentes. l. unic. Cod. Theodoſ. de parricid.* Cujus in hac re Conſtitutum, quia Pompejæ legis de parricidio veluti appendix, & auctarium fuerat, adſcribit Juſtinianus Pompejæ legi in §. *Alia deinde* 6. *Inſtit. de public. judic.* ut obſervavit ante alios noſter Covarruvias, & ſimilia nos plura ſupra *hoc libro.* Quamquam de tota hac re nobis in hoc tranſcurſu non facile extricanda, pro turbatis, aut valde rem turbantibus locis explanandis, in *l.* 1. *D. de lege Pomp. de parricid. l. Hos accuſare* 12. §. *ultim. verſic. Item*, *D. de accuſat. l. Divus* 15. *D. de pœnis. l. ſi adulterium* 38. §. *Imperator* 38. *D. ad leg. Jul. de adult. l.* 1. §. *ult. D. ad leg. Cornel. de Sicar.* Paulo *lib.* 5. *ſentent. tit.* 24. noviſſime erudito, & arguto criterio, & prout quæſtionis, & ætatis lubricum eſt, acri, & ardenti, cenſuerit in ſuis *de parricidii pœna* in Tribonianum *analectis lib.* 5. noſter Joannes Franciſcus Ramos, Jacobæi Ordinis Eques, & Regius in Patrimonii Regii Senatu Conſiliarius, in quo ſicut inclinatæ domus recumbentem ſpem (poſt præreptos intra biennium, turbato ordine, & immatura heu morte, Franciſcum, Joſephumque filios) & eumdem qualiſcumque noſtri in Juriſprudentia nominis ſucceſſorem, votis ah non felicibus proſpiciebamus,

Google

bamus, ita ejuſdem in medio annorum, & honorum curſu propera morte interciſas ſpes patriæ, & patris, patrio affectu lugemus, niſi quod ſpes Chriſtiana ſolatur illius non jam mortui, quam ad meliorem vitam tranſlati, ô utinam, qui potes, polleſque Deus!

12 At nt in viam, cur Julia lex in Senatoriis uſque ad pronepotem, & proavum, & in ſcenicis, ſive ludicris, non ultra ipſos, eorumque patrem, matremve caverit, non eſt differentiæ ratio in difficili, ex differentia ſtatus quæſtionis, ſive materiæ, nimirum quia in Senatoriis ſtatuebatur de dignitate proavi producenda ad pronepotem, quod eſt favorabile; nec enim honores parentum invidere liberis oportet. *l. Senator* 11. *Cod. de dignit. l. Emancipatum* 7. *§. ultim. l. Liberos* 10. *D. de Senatorib. l. Moris* 9. *§. ſed utrum, D. de pœnis. l.* 2. *§. In filiis cum ſeqq. D. de Decurion. l. Filii* 22. *§. Senatores* 5. *D. ad municip.* At ſi infamiam ſcenici avi, vel proavi prorogaret, quoad interdictionem connubii, lex Julia ad nepotem, pronepotemve innoxium (quæ & infamia quanto remotior, utique inefficacior) foret ſubdura, odioſaque, argumento ex *l. crimen* 26. *D. de pœnis, l.* 2. *ſed ſi pater* 3. *cum ſeqq. D. de Decurion. l. Generali* 31. *§. ultim. D. de ritu nupt. l. Filiam* 9. *D. de Senator. l.* 2. *Cod. de libert. & eor. lib. l. Per adoptionem* 35. *D. de adopt.* Conducit notiſſima regula *l. penult. D. de pœnis. l. cum quidam* 19. *D. de liber. & poſthum.*

C A P U T XXXI.

Ad eamdem l. Lege 44. §. nec diſtinguitur 3. cum §. 4. & 5. D. de ritu nupt. Breves Enarrationes.

A R G U M E N T U M.

Emancipatio minuit, mutatve privata jura familiæ, non autem publica, quale eſt jus connubii. Unde & à Senatorio arcetur filia ſcenici emancipata. Aliud in filia naturali, ſeu ſpuria patris ſcenici, cui pater, utpote incertus, non obeſt, nec apprehenditur prohibitione hac connubii, utique odioſa, & ſtricta, quamvis pro filia ſit, quoad alia diverſæ rationis. Obſtat tamen naturali filiæ mater ſcenica, utpote certa, obſtatque etiam adoptivæ pater adoptivus. Sed an obſtet adoptivæ emancipatæ pater, qui antequam adoptaret, vel emanciparet, ſcenicus fuit, & poſtea deſiit, quærit Paulus in dict. l. 44. §. An & is 5. *ex verbis Juliæ* Faciat, Fecerit. *Et quamvis ſubobſcure, diſtinguit filiam naturalem emancipatam, cui pater, etiamſi ante emancipationem ſcenicus deſierit, obſtat: & adoptivam à patre jam ſcenico emancipatam, in qua contrariam Juliæ legis ſententiam, ſcilicet, ut non obſtet, Pomponius cenſuit; quia quamvis verbum,* fecerit, *contrarium innuat, tamen extra rationem Juris eſſet, obſtare legem adoptivæ emancipatæ, in qua poſt emancipationem nihil juris ex adoptione manet, aliter atque in naturali, vel adoptiva, facta ſui juris, morte patris.*

1 SEquuntur apud Paulum in *dict. l. Lege* 44. *§. nec diſtinguitur & §. Item*, tres aſſertiones. Prima, non diſtinguendum, pater in poteſtate habeat filiam, nec ne: ſecunda, patrem intelligendum eſſe juſtum; matrem autem, etiamſi vulgo conceperit: tertia, nihil referre, naturalis ſit pater, an adoptivus. Jam ut de ſingulis quam breviſſime, quoad primam, dubitandi ratio ex eo, quia filia, quæ in poteſtate patris naturalis non eſt, ut puta emancipata, amiſit emancipatione, ac per eam capitis minutione, jura filiæ familiæ, & civilia pendentia à patre naturali, cui extranea facta eſt. *§. Emancipatos* cum *ſequ. de exhæred. lib. §. Emancipati* cum *ſeq. de hæred. quæ ab inteſt. l.* 3. *& ultim. D. de capite min.* Proinde quoad ignominiam patris naturalis ludionis, ſeu ſcenici, & prohibitionem connubii Senatorii, quæ civilia effecta ſingula ſunt, ſubdurum videbatur, obſtare ei notam patris naturalis, à quo nihil civile retinet, nec diſtingui à filia retenta in patris poteſtate; ut ſcriptum eſt in *dict. §. Nec diſtinguitur.* At decidendi ratio illa non dubia, quia emancipatio, utcumque perimat, mutetque privata jura filiæ, familiæ, & ſucceſſionum civilium, non tamen publica, *l. Amiſſione* 5. *§. ultim.* cum *l. ſeq. D. de capite min. l. Senatoris* 6. *§.* 1. cum *l. ſeq. D. de Senatorib. l. Per adoptionem* 35. *D. de adoptionib.* in queis non attenditur, ſeu non diſtinguitur jus poteſtatis. *l. Ille, à quo* 13. *§. ultim.* cum *leg. ſeq. D. ad. S. C. Trebell. l. In privatis* 77. *cum l. ſeq. D. de judic. l. Filius familias* 9. *D. de his, qui ſui, vel al. jur.* Ejuſmodi autem eſt jus connubii cum Senatoriis, & prohibitio illius cum ignominioſis fœminis ex noſtris legibus, utpote innexum, ſubnixumque publica Dignitate, & decore Ordinis Senatorii, argumento ex *l.* 1. *D. de colluſ. deteg. l.* 1. *Cod. de natural. lib. l. Super* 9. *Cod. de quæſt. Novell.* Martiani 4. *de matrimon. Senat.* Quocirca quemadmodum Senatoris filius, etiam emancipatus, vel in adoptionem datus, habetur pro Senatoris filio, quoad interdictionem connubii, ex noſtris legibus apud Paulum, & Ulpianum in *l. Senatoris* 6. *§.* 1. cum *l. ſeq. D. de Senator.* de queis ſupra; Ita & filia ſcenici, quamvis emancipata, quoad eamdem prohibitionem. *d. §. Nec diſtinguitur.*

2 Seconda aſſertio, bipertita eſt; ejuſque prior pars, quæ cum Octaveno definit, patrem in hoc tractatu, intelligendum eſſe juſtum, ac proinde ſupponit, patrem non juſtum, ſive qui ſine nuptiis pater eſt, etiamſi ſcenicus ſit, non obſtare filiæ, quo minus Senatorio nubat, perfacilem rationem habet, quia quamvis abſonum videri poſſit, melioris conditionis, quoad connubium, eſſe filiam ſpuriam ſcenici patris, quam legitimam filiam ejuſdem, contra regulas, rationemque *l. Generaliter, dict. §. Cum autem in fine, verſic. Ut quod, Cod. de inſtit. & ſubſt. l.* 3. *§. Spurios* 2. *D. de Decurion. l.* 1. *verſ. Nulla ſcilicet. l. ultim. Cod. de natural. lib. Novella* 89. *quibus modis naturales*; & quoad nuptias ipſas filiæ ſpuriæ, inſpiciantur, impediantque naturalia jura, & vincula, patris non juſti, & conſanguinitatis, atque affinitatis non civilis, *l. Adoptivus* 14. *§.* 1. *&* 2. *verſ. Unde, D. de ritu nupt. cap. Per tuas* 10. *de probation.* tamen cum pater ſolus ſit certus, quem nuptiæ demonſtrant, & filius, qui ex viro, atque uxore ejus naſcitur, *l. Quia* 6. *D. de in jus voc. l. Filium* 6. *D. de his, qui ſui, vel alien. jur. §. ſi adverſus, Inſtit. de nupt. l. Lucius* 83. *D. de condit. & demonſtr.* abſurdum magis eſſet, patrem non juſtum, & filiam itidem non juſtam (de queis an pater, filiave ſint, in incerto eſt) comparari patri, filiæque certæ, ut tamquam filiam ſcenici, quæ fortaſſe non illius, ſed patritii filia eſt, arceatur à nuptiis Senatoriis. Accedit rei, rationique communiendæ, tum quod prohibitio hæc nuptiarum, tota civilis eſt, ut jam diximus, & in propoſito prænotavit Baldus in *noſtra l. Lege* 44. tum quod non favorabilis, quatenus libertatem, & frequentiam coarctat connubii, indeque arctanda potius, quam extendenda, ut non deterius ſenſit Fulgoſius inibi, & nos ſupra non ſemel *hoc libro, & libro* 3.

3 Accedit etiam, & eſt Juris, regulæque, ſicut quoad civilia effecta originis, dignitatis, familiæ, & ſimilium, ex perſona patris in filio, ſolum patrem, filiumque

filiumque juſtum, ex nuptiis nempe juſtis, attendi, *l. Cum legitimæ* 19. *D. de ſtatu hom. l. Exemplo* 36. *Cod. de Decurion.* & *l.* 3. *Cod. de municip.* & *origin. lib.* 10. *cap.* 2. *de converſion. infidel.* non autem patrem extra nuptias, quem filius non ſequitur, *dict. l. cum legitimæ* 19. *l. Lex naturæ* 24. *D. de ſtatu homin. l. ſi ſpurius* 4. *D. unde cognati. l. ult. Cod. de naturaral. lib. l. Patronæ* 18. *D. de bonis lib. §. Vulgo quæſitos, Inſtit. de ſucceſſ. cogn. l. Divi* 25. *D. de captiv. l.* 1. *Cod. de poſtlim. rever. l. Ex libera* 6. *Cod. de ſuis,* & *legit.* de qua in ſpecie jam ſupra. Ita & eſt juris, rationiſque, ſtricta, odioſave conſtituta, de patribus, filiiſque certis intelligenda, nec producenda ad patrem incertum naturalem, cujuſmodi ſingulare illud, quod extat in *l.* 3. *ubi ex Baſilicis* Thalcleus de nato ex concubina, *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* & multo minus ad filium incertum, ſive naturalem, in quo humanius eſt, non impedire ex patris nota dignitatem ejus, cum nihil admiſerit, ut appoſite Papinianus in *l. Spurii* 6. juncta *l.* 2. *§. In filiis,* & *§. Nullum* 7. *D. de Decurion.* Diverſum autem eſt in rebus, ex naturali honeſtate æſtimandis, veluti abſtinentia nuptiarum inter parentes, filios, conſanguineos, affines, quantumcumque non certos, ſed naturales, vel ſpurios. *dict. l. Adoptivus* 14. *§.* 1. & 2. *l. Etiam* 56. *Digeſt. de ritu nupt.* Diverſum item in effectis, quæ, quamquam civilia, aut pendentia ex Civili Jure, ſunt tamen favorabilis interpretationis, vel reſpiciunt naturalem illam ſanguinis neceſſitudinem, & reverentiam, mutuaque officia, & affectionem inter parentes, & liberos, etiam obliquos, non jure certos, at quorum natura communis eſt, ut ad rem Venulejus in *l. Hos accuſare* 12. *§ ultim. verſic. Item nec lex, D. de accuſat.* junctis *l. Libertinum* 4. *Cod. de interdicto matrimon l.* 4. *§. ultim. l. Parentes* 6. *D. de in jus vocand. l. ſi collactaneus* 13. *Digeſt. de manum. vind. l.* 3. *Digeſt. de liber. cauſa. l. Uxorem* 41. *§. Codicillis* 2. & *§. Pater* 11. *D. de legat.* 3. *l. ſi domus* 71. *§. Qui confitetur, D. de legat.* 1. *l. Denique* 8. *Digeſt. de pignorib. Novella* 157. *de ruſticis, qui in alienis prædiis.*

4 Poſterior aſſertionis pars, quæ habet, matrem ſcenicam, quoad effectum arcendæ filiæ à nuptiis Senatoris, eſſe intelligendam etiam eam, quæ vulgo conceperit, eſt utique expeditæ rationis; quia quamvis mater juſta non ſit, tamen omnino certa eſt. *l. Quia* 5. *D. de in jus vocand.* Idcircoque, quamvis, ut jam præmiſimus, quoad originem, dignitatem, familiam, & reliqua civilia, filii ex juſtis nuptiis ſuſcepti, ſequantur patrem, cujus princeps eſt in genere monſtrando prærogativa, ut Sidonius ajebat, tamen filii non juſti, ſive extra juſta nuptias quæſiti, matrem protſus ſequuntur. *l. Cum legitimæ* 19. *l. Lex naturæ* 24. *D. de ſtatu hom. l. Ejus* 9. *D. ad municip. l.* 3. *Cod. ſoluto matrim. l. Ex libera* 6. *Cod. de ſuis,* & *legit l.* 3. *in fine, Cod. Theodoſ. de liber. cauſa.* Idque tam in civilibus, quam naturalibus. *l.* 1. *§. ultim. in fine. l. Ejus* 9. *D. ad municip. l.* 1. *§. ſed* & *vulgo* 2. *cum ſeqq. l.* 2. *§.* 1. & *ſeqq. D. ad S. C. Tertyllian. l.* 2. *l.* 4. *l. Modeſtinus* 8 *D. unde cognati. l. penult. in fine, Cod. ad S. C. Orfit. l. Patronæ* 18. *D. de bonis lib. l. ſi ſuſpecta* 29. *§.* 1. *D. de inoffic. teſtam. l.* 1. *l. Jus poſtliminii* 14. *l. Commercio* 16. *Cod. de poſtlim. rev. l. Divi* 25. *D. de captiv. l. Vulgo* 23. *D. de ſtatu hom. l.* 3. *Cod. ſoluto matrim. l. ſi quis* 5. *§. Ergo* & 4. *D. de agnoſc. lib.* Paulus *lib.* 4. *ſentent. titul.* 10. paſſimque in *titulis Inſtitut. de S. C. Tertyll.* & *Orfit. de ſucceſſ. cogn.* quanto potius, ut tamquam filia ſpuria matris ſcenicæ comprehendatur prohibitione connubii cum Senatorio, cum & mater certa ſit, & ſcenica, ac de matre, ſeparatim à patre, ſint legis Juliæ verba concepta, *dict. l. Lege* 44. juncta *l. Tutelas* 7. illic, *ut perſonæ, D. de capite min.* & in hac filia, ut ſcite olim Calpurnius Flaccus *declamat.* 30. *de ſuſcepto ex meretricie, neſcias, quid ſit indignius, utrum patris origo, quod eſt dubia, an matris origo, quod certa eſt,* ſive ut argutia pari Auſonius *epigramm.* 25. *Nec pater certus fuit,* & *mater vere fuit lupa.*

5 Jam nec prolixa eſt, aut perplexa magis ratio tertiæ aſſertionis in *§. Item* 14. *dict. l.* 44. qua ſtatuitur, nihil referre, naturalis ſit pater, an adoptivus, ſcilicet, quia perinde, filia patris naturalis, ſive, quod idem eſt, veri, juſtique ex juſtis nuptiis patris, ut in *l. Senatoris* 5. *D. de Senator.* ſi ille ſcenicus ſit, non poteſt nubere Senatorio, ita & filia adoptiva ſcenici patris. Et dubitandi, ac decidendi ratio æque in promptu; illa, quia adoptio patrem, filiamque facit, non natura, ſed Juris cenſura, & commento; at hæc, quia quoad connubii jus civile ſatis eſt, filiam, patremque eſſe cenſura Juris. *dict. §. Item* 4. *dict. l. Senatoris* 5. *l. Liberos* 10. *D. de Senator. l.* 1. *in princip. l. Ordine* 15. *§. ultim. D. ad municip. l.* 4. *Cod. de Decurion. l. Sives* 7. *Cod. de incolis lib.* 10. Diximus hæc, & alia diſtinctius ſupra, quæ non recoquimus.

6 Subſequitur, & proxima eſt in *§. an* & *is* 5. *d. l. Lege* 44. quæſtio alia, de patre adoptivo ſcenico, an ſcilicet & ille, qui, antequam adoptaret, fecit ludicram artem, ſi tamen cum adoptat, jam non faciat (ſic enim ſupponendum eſſe, & contextus vult, & Juris ratio, quoniam ſi adhuc, cum adoptaret, ludicrum faceret, nec dubitandum, quin filiæ noceret, imo deciſum jam in *dict. §. Item*) noceat filiæ, poſtea adoptatæ, quoad nuptias Senatorias: perinde *atque,* ait Paulus, *ſi pater naturalis, antequam filia naſceretur, fecerit;* & ſane Paulus, quamvis quæſtioni ſigillatim non reſpondeat, ſentit tamen, & pro explorato relinquit, tam in patre adoptivo, quam naturali, qui ante adoptionem, vel nativitatem filiæ fecit ludicram artem, utcumque jam non faciat, nocere utriuſque filiæ ignominiam ſcenici patris, tum ex verbis legis diſerte ſcriptis, de eo, qui faciat, fecerit, *dict. l. Lege* 44. junctis in ſimili *l. Palam* 43. *§. Non ſolum* 4. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. Qui libertinus* 37. *D. de oper. lib. l. Marito* 24. *D. ad leg. Jul. de adulter. l.* 3. *§. Lege, D. de teſtib.* Ulpiano apud Ruffinum in *collat. leg. Moſ. tit.* 9. de queis *proximo ſupra capite,* tum ex ratione Juris, de qua plenius *libr.* 3. & opportunius alia, quoad Jus novum. *l. Imperialis* 23. *§.* 1. & *§. His illud* 5. *Cod. de nupt.* inſra *hoc libro.*

7 Eo itaque relicto, tamquam deciſo, & pro explorato, progreditur Paulus, & quærit, an ſi hujus notæ homo, nempe ſcenicus, filiam, quam adoptavit, emancipaverit, obſtet filiæ huic, emancipatione ſui juris factæ, nota adoptivi patris ſcenici, perinde ac obſtaret, ſi talis ſcenicus, idemque naturalis, & juſtus, pater, deceſſiſſet, ejuſque morte, naturalis filia ſui juris fieret, quo ſcilicet poſtremo caſu obſtare filiæ, patris morte extra poteſtatem poſitæ, notam patris præmortui, ſuppoſuerat ſatis Paulus, dum præſcripſerat, non diſtingui, quoad notam hanc, pater in poteſtate habeat filiam, nec ne. *dict. §. Nec diſtinguitur.* Eaque dubitandi ratio, & deductionis à naturali filia ad caſum adoptivæ filiæ emancipatæ ſubeſſe poterat, & ulterior alia; quia vel in adoptiva ipſa, manere eam, etiam poſt mortem adoptivi patris in ejus familia, & pro filia, quoad conſectanea jura familiæ, agnationis, conſanguinitatis, & ſucceſſionis, indubium eſt. *l. Utrum* 9. juncta *l.* 3. *§. ſi pater, D. de bon. poſſeſſ. contr. l. Pronunciatio* 195. *§. Communi, D. de verbor. ſign. Sed in hoc caſu,* nempe filiæ adoptivæ emancipatæ, ait Paulus, *contrariam legis,* ſcilicet Juliæ, *ſententiam eſſe, Pomponius recte putat,* nimirum ut hæc filia, non *connumeretur eis,* filiis ſcenicorum patrum, quæ à Senatoriis nuptiis arcentur: idque, quia emancipatio in adoptiva filia, omnia jura adoptionis reſolvit, nullumque ex priſtino relinquit veſtigium. *l. In omni* 13. *D. de adoption. l. Senatoris* 6. *D. de Senator. l. Per adoptionem* 17. *l. Qui etiam* 55. *§.* 1. *l. ſi quis tutor* 60. *§. Quid ergo, D. de ritu nupt.* Eadem autem emancipatio in filia naturali, neque perimit publica jura, nec naturalia. *l. Amiſſione*

ſione 5. §. *ultim.* cum *l. ſequ. l. Eas* 8. *D. de cap. min. dict. l.* 5. §. 1. *l. Emancipatum* 7. *D. de Senatorib.* Quin & mors patris, etiam in adoptiva filia, cum illam ſine minutione civilis capitis, aliter atque emancipatio, faciat ſui juris. *l.* 3. §. *ultim. D. de S. C. Maced.* relinquit adhuc eam in familia illa, quæ fuit patris adoptivi, quoad civilis jura, illi annexa. *dict. l. Utrum* 9. *D. de bonor. poſſeſſ. contr. tab.* Enimvero, quia hæc ipſa de filio adoptivo emancipato Senatoris, non habendo pro filio naturali emancipato, quoad connubium ex legibus Julia, & Papia, docuerant Ulpianus, & Paulus *his eiſdem ad illas libris in dict. l.* 5. 6. *&* 7. *D. de Senator.* (& fortaſſe ex illis caſu aliquo expreſſum lege Julia fuerat) ſubinfert ducto inde argumento, in hoc caſu filiæ adoptivæ emancipatæ, ſententiam legis Juliæ contrariam eſſe ei, quod de naturali emancipata, aut patris morte ſui juris facta, conſtitutum ſupponebatur, in *dict.* §. *Nec diſtinguitur. dict. l.* 5. 6. *&* 7. *D. de Senatorib.* ad quas multa non inculcanda dedimus ſupra *cap.* 2.

C A P U T XXXII.

Ad eamdem l. 44. §. ſi poſtea 6. cum §. ſeq. D. de ritu nupt. l. ſi libertam 28. Cod. de nupt.

A R G U M E N T U M.

IN §. Si poſtea 6. d. l. 44. *ſuſpecta Triboniani manus. In eiſdem rationis ſpeciebus cum illa* d. §. 6. *contrarium cenſuere veteres Juriſconſulti, ut liquet* ex l. 28. C. de nupt. *Cujus proinde ſenſui, non illorum aptatur, Triboniano interpolante,* d. §. 6. *Aſt pro exponendo eo tamquam Pauli præmittitur, illum, ſuppoſita Oratione Marci de diſſolutione matrimonii contra legem Juliam, reſpondere ſecundum rationem Juris, de matrimonii bene contractis non diſtrahendis, & de ſuperveniente nota patris ad filium innoxiam non producenda. Tentatur & pro diſcriminanda illa theſi, & ſevero ſenſu Veterum, quorum mentio in* d. l. 28. & d. §. 6. *ſubtilior diſtinctio inter notam ſcenicæ matris, quæ ſuperveniens, & veluti extranea, & extrinſeca, quoad filiam, & notam libertinitatis, quæ propria, & naſcendo contracta, nec compatibilis ſevero illo ſenſu cum ſuperveniente dignitate Senatoria mariti. Illuſtratur diſtinctio exemplis* ex l. 24. D. de his, qui not. int. & ex l. 15. §. 3. D. de excuſ. tut. *quibus curſim prælata fax.* Ad §. Plane 7. d. l. 44. *in uxore ipſa Senatoria dante ſe ſcenæ, indubia ratio, & jus illius ſeparandæ ex Romanis legibus, & Eccleſiæ.* Ad l. 28. Cod. de nupt. *cujus duæ aſſertiones, illarumque rationes propriæ, & diſcretæ ab illis, de queis in* d. §. 6. & 7. l. 44. *Expuncta Theophili* nota. *Tandem pro auctario, & pro vulgato illo de infirmandis, aut non infirmandis, quæ ab initio conſtiterunt, ex ſubſecuto caſu, à quo incipere non potuiſſent, diſtincta, brevis, & accurata cenſura, re, & regula ſuis capitibus diſterminata, ex pura, & puta Juris ratione.*

1 EXtrema eſt in *dict. l. Lege* 44. hypotheſis §. *ſi poſtea* 6. *cum* §. *ſeq.* in queis Paulus definit: ſi poſt contractas à Senatorio nuptias cum uxore ingenua, pater, materve ejus uxoris, artem ludicram facere cœperit, *iniquiſſimum eſſe, dimittere eam debere, cum nuptiæ honeſte contractæ ſint, & fortaſſe jam liberi procreati ſint; plane ſi ipſa artem ludicram facere cœperit, utique dimittendam fore.* Nec diſſimulo in primis ſuſpicionem Triboniani notæ in eo textu, tum ex phraſi illa decretoria, Triboniani magis propria, quam Pauli, *iniquiſſimum eſt, dimittere eam debere,* & *utique dimittenda erit*; & charactere illo ratiocinandi, per verba, *cum nuptiæ,* & *fortaſſe.* Tum etiam, quia ex vi, verbiſque Juliæ legis, quæ Paulus commentabatur, nuptiæ Senatorii, etiam ab initio contractæ cum ſcenica, aut filia ſcenici, erant quidem injuſtæ, & contra legem nuptiæ. *l. ſi Senatori* 31. *l. ſi quis* 27. *generali* 34. §. *ultim. D. de ritu nupt. l. unica, D. unde vir, & uxor.* juncto Ulpiano *tit.* 16. §. *Aliquando,* non tamen diſſolvebantur, ante Orationem, & Senatus ſcita, quibus cautum eſt, ut nec nuptiæ eſſent, ut obſervatum nobis ſupra *hoc libro, ex l. Oratione* 16. *l. Palam* 43. §. *Senatus,* juncta *l. Semper* 42. §. 1. *D. de ritu nupt. l.* 3. §. 1. *verſic. Ergo, D. de donat. inter. l. Oratio* 16. *D. de ſponſalib.* unde & Paulus ad verba Juliæ legis in *dict. l. Lege* 44. de prohibitione ducendæ uxoris ſignate loquitur in §. 1. illic: *Libertinam ducere, & filiam ducere.* in §. *An & is* 5. *an non poſſit duci.* & §. *ultim. prohibentur ducere, & non ducent*; non autem de ea retinenda, aut dimittenda. Nec poterat ex Julia lege, vel non, niſi expreſſis, aut ſuppoſita Senatuſconſultorum cautione, dubitari, aut diſquiri de uxore, ſecundum legem ducta, dimittenda, propter patrem, poſtea ſcenicum factum, cum etſi ante nuptias ſcenicus eſſet, & filia contra legem ducta non dimittenda ex Juliæ vi, & verbis.

2 Tum denique, & potiſſimum, quia ſi privati hominis filiæ, quæ non contra leges liberto nupſerat, poſtea pater Senator fiat, aut libertinæ ex lege Papia ab ingenuo uxori ductæ, juxta regulas *l.* 23. *D. de ritu nupt. l. Uxorem* 15. *Cod. de nupt.* poſt nuptias maritus factus Senator ſit, ſenſiſſe olim in poſteriore hac ſpecie Ulpianum, & in priore ex legis Papiæ diſciplina, veteres Juris Auctores, matrimonium diſſolvendum, & uxorem diſpergendam, ob ſupervenientem dignitatem patris, uxoris, vel mariti, Juſtinianus commemorat, ac ſe primum ſtatuere ex Dei judicio, & humanitatis, quas expendit, rationibus, ne matrimonium, uxorve his caſibus diſpergatur, in *l. ſi libertam* 28. *Cod. de nupt.* Proinde & pariter, ſaltem ex cenſura veteris Juriſprudentiæ, ante Juſtinianum, fuiſſe, videtur, diſſolvi matrimonium, & uxorem, utcumque rite ductam, dimitti ob ſupervenientem ignominiam ſcenici patris, cum par ſaltem, & comparabilis ſit ex noſtris legibus nota ſcenæ, & libertinitatis, quoad Senatorias, & prohibitio, illiuſque ratio. *l. Semper* 42. §. 1. *l. Lege* 44. *in princip. l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt. l. Cod. de natural. liber.* Imo & eo reſpectu major nota ſcenæ, quam libertinitatis, quia ſcenicarum nuptiæ inhibitæ ingenuis Julia, Papiaque lege, non autem libertinarum, ut eſt apud Ulpianum *tit.* 13. §. *ultim. & tit.* 16. *l. Lege* 23. *D. de ritu nupt.* Neque in facili differentiæ ratio ſit, cur ſuperveniens dignitas patris matrimonium filiæ diſſolveret, ſevero illo ſenſu, ante Juſtinianum, de quo in *dict. l. ſi libertam* 28. §. *Simili.* Et ſuperveniens ignominia patris non diſſolveret eodem illo ſenſu, & jure, contra quam ſcriptum eſt, in *dict. ſi poſtea* 6. *l.* 44. ut proinde tandem nec temere ſuſpicemur, aſſertionem illius §. 6. non tam Pauli eſſe, quam Triboniani, reſpicientis ad Juſtiniani novum jus ex *dict. l. ſi libertam* 28. & ejuſdem in ſimili re ſententias Tribonianicas, aliis obſervatas, in *l. ſi cum dotem* 22. §. *ſi maritus* 7. *cum ſequ. D. ſolut. matrim. l. uxores* 6. *D. de divort. l. ſed ſi mors* 13. §. 1. *verſ. Cum igitur, D. de donat. inter.*

Fuerint tamen hæc ſuſpicandi de Triboniani ma- 3
nu, & ſi Pauli contextus eſt, dubitandi in ejus hypotheſi, veluti cauſæ. At decidendi omnino apertiores, dum præmittamus quod & prænotavimus *dict. cap.* 8. quantumvis Juliæ legis verba Paulus commentaretur, ſuppoſuiſſe tamen illum, tamquam

appendices Juliæ legis, Orationem Marci, & Senatuſconſulta, quibus poſt legem Juliam, & ante Paulum obtinebat, nuptias contra Juliam initas, non modo injuſtas, ſed & irritas, ac diſſolvendas eſſe, & uxores dimitti oportere. Ergo eo ſub præmiſſo (quod in Paulo non legimus, quia ſegmenta ſola ejus telæ, ſeu textus nobis relicta in Pandectis) diſquiritur cauſate apud Paulum in *dict. §. ſi poſtea* 6. an ingenua rite, & ſecundum Juliam ducta à Senatorio uxor, cujus poſt nuptias pater, materve ſcenici facti, ſit dimittenda, ſaltem ex Senatus Conſulto, ad eamdem legem Juliam facto, de ſimili uxore non retinenda. *l. Palam* 43. *§. Senatus, Digeſt. de ritu nuptiar.* juncta *l. Miles* 11. *§. ultim. Digeſt. ad leg. Jul. de adulter.* & ex ſententia illa Ulpiani, & Veterum, de queis in *dict. l. ſi quis* 28. *Cod. de nupt.* Æquiſſime autem deciditur, dimitti eam non debere, & inſinuatur ratio illa Juris, quod ſcilicet nuptiæ honeſte contractæ ſunt, & illa æquitatis, quod fortaſſe jam liberi procreati ſunt: quibus proprie firmandis ſerviunt, conjungendæque ſunt regulæ, & exempla Juris, quæ docent, rite contracta matrimonia ex poſt facto vitiari non debere, etiamſi ex poſt factum ſit tale, à quo incipere non potuiſſent, ut aperte proditum in *l. 3. Cod. de interd. matrim. l. penult. §. Sed videamus. l. ſi qua* 12. *in princip. l. Oratione* 16. *§. ultim. Digeſt. de ritu nupt. l. Patre* 8. *verſ. Nam furioſus, D. de his, qui ſui, vel al. l. ſi cum dotem* 22. *§. ſi maritus* 7. *D. ſolut. matrimon. l. Julianus* 4. *Dig. de divort. l. Furor* 8. *D. de ſponſ.* Item ratio illa æquitatis, de matrimonio bene concordante, & quieſcente non facile turbando, aut diſtrahendo, & multo magis, bene contracto, & poſt ſuſceptos liberos. *dict. l.* 3. ibi: *Poſt liberos ſuſceptos. l.* 1. *§. ultim.* illic: *Forte & liberis ſubnixum, cum l.* 2. *D. de liber. exhib. l. Miles* 11. *§. Licet* 11. *l. Adulter* 19. *§. ult. l. Conſtante* 26. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. Qui in Provincia* 57. *§.* 1. *D. de ritu nupt. Novella* Juſtiniani 139. & 154. *l. Cum te* 18. *l. Filia* 20. *Cod. de inoffic. teſtament. l. diſſentientis* 5. *Cod. de repud. l. Cum hic ſtatus* 32. *§. ſi ſocer* 19. *cum §. ſeq. D. de donat. inter.* de queis & aliqua jam nos *ſupra ad l.* 4. *D. de colluſ. det.* Accedit, Paulo non explicita, & tamen rei propria ratio alia juris, & æquitatis, nempe quod innocenti filiæ, quæ per ſe, ac ſuo tempore Senatorii connubii capax, compoſque fuit, nocere non debet noxa, notave ſuperveniens ſcenici patris, *l.* 2. *§. Nullum* 7. junctis *§. In filiis* 2. *verſic. In avo cum ſeq. l. Spurii* 6. illic, *non enim, D. de Decurion. l. Legem* 7. illic, *quia indigni, Cod. de natur. lib.* neque dignitas, Senatorio connubio quæſita filiæ, auferenda ei eſt propter crimen, caſumve ſubſecutum patris ſcenici, quæ ſimilis, tametſi in diſſimili ſpecie, ratiocinatio Papiniani eſt in *l. Generali* 34. *§. ultim. D. de ritu nupt. l. Filiam* 9. *D. de Senator.* juncta regula *l. Crimen* 26. *D. de pœnis. l. Sancimus* 22. *Cod. eodem tit.*

4 Plane quod in ſpecie comparabili de ſuperveniente dignitate Senatoria patri uxoris, à libertino ductæ, aut marito uxoris libertinæ, ſenſiſſe olim Ulpianum, alioſque, ex legis Papiæ ſcito, matrimonium diſſolvendum eſſe, & Juſtinianus ſupponit in *dict. l. ſi libertam* 28. *Cod. de nupt.* & nos nuper expendimus pro Triboniani manus veluti vola, in *dict. l.* 44. *§. ſi poſtea*, habuit fortaſſe propriam, nec facile extricandam diſtinctionis cauſam, inter notam ſupervenientem ſcenici patris, poſt filiæ juſtas nuptias, de quo in *dict. §. ſi poſtea*, & dignitatem Senatoriam patris, poſt nuptias filiæ cum liberto, aut mariti poſt nuptias cum libertina, de queis in *dict. l.* 28. habuitque illam fortaſſe, quia ſcenæ nota in filia non ſcenica, quæ nec naſcendo illam, nec ſuo vitio ſcenæ ſe dando, per ſe contraxit, & ſine qua per nuptias in familiam mariti tranſiit, poſteaque ex dignitate patris, ſcenici facti ſupervenit, eſt veluti extranea, & aliena, quoad filiam, eique per ſe innoxiæ, & honeſte nuptæ, ex poſt facto ſcenici patris, notam illam inuri, & nocere, iniquum, & injurium eſſet. *dict. §. ſi poſtea* 6. juncta regula, exempliſque *l.* 2. *verſ. Quoniam, Cod. de libert. & eor. liber. l.* 3. *D. de interd. & releg. l. Divi* 17. *in princip. & fine, Digeſt. de jure patron. l. Emancipatum* 7. *§.* 1. *verſ. ſi quis conceptus, D. de Senator. l.* 2. *§. Sed ſi pater* 3. *D. de Decurion. l. Moris* 9. *§. Plane* 15. *D. de pœnir. l. ultim. Cod. de liber. cauſa.* At libertinitatis nota, naſcendo contracta (utcumque ſine culpa naſcentis, ſicut illa ſcenici patris, quoad filiam) eſt tamen naturalis, perſonalis, & propria, utpote ad ſtatum pertinens libertæ, aut liberti, & tranſit cum eiſdem, & permanet poſt nuptias (quantumvis tunc juſte initas, quia tunc non Senatoriæ) & ſuperveniens dignitas Senatoria patri, aut marito reperit notam illam libertinitatis naſcendo, ante nuptias contractam, & poſt nuptias permanentem in conjuge libertino: idcircoque illam tunc obſtare nuptiis jam Senatoriis, ex ſeveritate legum Juliæ, & Papiæ, *dict. l. Lege* 44. & diſſolvendas eſſe ex Senatuſconſultis ad eaſdem factis, *l. Oratio* 16. *D. de ſponſal. l. Oratione* 16. *l. Semper* 42. *§.* 1. *l. Palam* 43. *§. Senatus, D. de ritu nupt.* (ad quas pro elucidanda *dict. l. ſi quis libertam* 26. monuimus ſupra) cenſuiſſe ea ratione Ulpianus, & alii, videntur, in *d. l.* 28.

Quemadmodum eadem ſeveritate Ulpianus idem, & Marcellus in *libris ad leges Juliam, & Papiam*, de filio in ſervitute nato, & per arrogationem redacto in poteſtatem patris, & de libertino arrogato ab ingenuo, ſcripſere (quantumcumque iſte apud arrogatorem ingenui jura ſit conſecutus) manere tamen utrumque libertinum, & à Senatoriis nuptiis repellendum, obſtante nempe, & permanente, etiam poſt jura ingenuitatis, innata illa, & propria libertinitatis nota. *l. ult. D. de adoption. l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* de queis ſupra. Cum tamen è contrario Ulpianus idem in ancilla quæſtuaria, & poſtea manumiſſa, & liberta, refert ex Reſcripto Severi, non obſtare ejus famæ notam quæſtus meretricii, in ſervitute facti (utpote non innatam, nec pertinentem ad ſtatum, aut permanentem, ut eſt libertinitas) idque quoad nuptias cum ingenuo ex legibus noſtris, alioquin quæſtuariæ inhibitas, quomodo pro *l. Imperator* 24. *D. de his, qui not. infam.* obſervabimus hæc, & alia infra *lib.* 3. Quemadmodum denique non abſimili ſeveritate, & Senatoriæ dignitatis reſpectu, ſcriptum Modeſtinus reliquit, ſi tutor pupilli non Senatorii poſt ſuſceptam tutelam, fiat Senator (ſic enim quæſtio, & theſis ponenda, de tutore ipſo facto Senatore συγκλητικῶ, non autem de pupillo, nec de Decurione, ſeu βουλευτῶ, ut, præter vulgi ſenſum, Antonius Auguſtinus primus admonuit), continuo, ſive omnino abſolvendos eſſe à tutela ante ſuſcepta pupilli, utcumque innocentis, idque intuitu, ut diximus, Senatoriæ dignitatis, & muneris, *l. Spadonem* 15. *§. ſi quis autem* 2. *l. Juriſperitos* 30. *D. de excuſat. tutor. l. Verum* 11. *§. Ex facto, verſ. Cum enim, D. de minor.* juncta, & ex poſitis illuſtranda *l. Et qui* 22. *D. de tutorib. datis ab his*: quamvis alioquin Reipublicæ operantes, aut illius cauſa abſentes, non abſolvantur, nec deponant tutelam, ante acceptam, ſive non excuſentur, niſi ad tempus. *l. Non tantum* 18. *§. Sane* 5. *l. Adminiſtrantes* 43. *§. Eorum. l.* 10. *§.* 3. *D. de excuſat. tut. dict. l. Verum* 11. *§. Ex facto. l. In omnem* 15. *cum l. ſeq. D. de tutorib. datis ab his. l. Quæſitum* 12. *D. de tutel. l.* 1. *Cod. in quib. cauſ. tutor. hab. l.* 1. *&* 2. *Cod. ſi tutor Reip. cauſ. l. ſi tutor* 9. *D. de tutel. & ration. diſtr. §. Item, qui* 2. *cum §. ſeq. Inſtit. de excuſ. tutor.* 5

Diverſum eſt, quod ſequitur apud Paulum in *§. Plane* 7. *dict. l.* 44. ſi uxor ipſa, poſt nuptias Senatorias rite initas, cœperit artem ludicram facere, utique dimittendam eſſe; quia quamvis & ad hanc ſpeciem valere videantur regulæ illæ de nuptiis ſemel juſte contractis, non diſturbandis, diſtrahendiſve ex poſt facto, ſeu ſubſecuto, *dict. l.* 3. *Cod. de interd. matrim. l. Miles* 11. *§. Licet* 11. 6

D.

D. ad leg. Jul. de adulter. prævalent tamen Juliarum legum, & eis annexorum Senatuſconſultorum Decreta, de ejuſmodi mulieribus nec ducendis, nec retinendis, ſicut de publico judicio damnata proditum eſt, in *l. Palam* 43. *§. Senatus*, *D. de ritu nupt.* & de deprehenſa, vel damnata adulterii, *dict. l. Palam* 43. *§. Quæ in adulterio* 12. *l. Auxilium* 37. *§. ultim. D. de minorib. l. Miles* 11. *§. ultim. D. ad leg. Jul. de adulter. l. Claudius* 13. *D. de his, quæ ut indign.* Ulpiano *tit.* 13. *§.* 1. cujuſmodi nuptæ damnatæ, vel deprehenſæ in adulterio, ſimilis eſt, aut exæquanda, quæ poſt nuptias ſe ſcenæ dedit, *l. Mater* 10. *§. ultim. D. ad leg. Jul. de adulter.* juncta *l. ſi ea* 22. *l. Quæ adulterium* 29. *Cod. eodem tit.* quia ludicra ars, ſeu ſcenica in fœmina, erat veluti profeſſio meretricii, & proinde in nupta, tamquam deprehenſio, ſeu damnatio adulterii, ut ex *Novella* 51. *ſcenicas, in præfatione. l. Mimæ* 5. *Cod. de Epiſcop. aud. l. Scenæ* 9. *in fine*, *Cod. Theodoſ. de ſcenicis. dict. l. Mater* 10. *§.* 1. cum aliis admonuimus ſupra, & *lib.* 3. Qua ratione, vel ex ſevera illa, ſanctaque priſcæ Eccleſiæ diſciplina, habere in matrimonio ſcenicam, ſeu retinere, vetitum erat, & conjugia hæcce ſeparabantur, ut ex *Canone* 18. *Apoſtolorum*, qui apud Gratianum eſt, 15. *ſi quis viduam* 34. *diſtinct.* junctis *Can.* 43. *Concilii Tolet.* 4. *& Can.* 67. *Eliberitano*, juxta lectionem illam, *aut comicos, aut viros ſcenicos habeat*, non ſecus ac damnatam, vel deprehenſam adulterii, ex *Canone Neocæſarienſi*, itidem apud Gratianum, *cap. Si cujus* 11. 34. *diſtinct.* de queis plura *lib.* 3. Addimus ſingulare magis, nec vulgo expenſum, & veluti à majore, propriumque ad rem præſentem argumentum illud, quod, vel ex ſolo acceſſu uxoris ad ſcenam, non ut ſcenica fiat, ſed ut ſpectet, interſit, gaudeatve theatralibus ludis, invito, aut ignorante marito, dimitti eam uxorem poſſe, eamque unam eſſe ex legitimis cauſis repudii, placuit Cæſaribus Chriſtianis, *l. Conſenſu* 8. *§. Vir quoque*, illic, *aut ipſo invito*, *Cod. de repud. Novella* 117. *cap. Quia vero* 8. *§. Si Circenſibus* 6. Quanto utique magis dimitti, quantoque indignius eſſet, retineri uxorem Senatoriam, quæ non modo inſpectioni, ſed etiam miniſterio ipſi ſcenæ ſe dederit, fœdaveritque.

7 Conjungenda eſt his Pauli notatis in *dict. § ſi poſtea* 6. *cum §. ſeq.* Juſtiniani Conſtitutio, quæ & conſentanea eiſdem eſt, non diſſentanea in *l. ſi libertam* 28. *Cod. de nupt.* Ejus duo capita ſunt. Primum, de liberta, ſecundum leges ducta, cujus civilis maritus poſtea Senator factus fuit. Secundum de privati hominis filia, non contra leges à liberto uxore ducta, ac poſtea ejus uxoris patre, Senatoria dignitate illuſtrato. Supponit autem utroque in capite Juſtinianus, ex legis Papiæ ſeveritate, & Ulpiani, aliorumque ſenſu, matrimonium olim diſſolvi ſolitum, & ſe deinceps ſtatuere, ne diſſolvatur: idque, ut loquitur, ex una radice, ſeu ratione, nempe *ſequendo*, ut ait, *Dei judicium*, de indiſſolubilitate matrimonii, ſive jam olim naturali non ſcripto, ſive ſcripto Evangelico (de quo noviores Theologi certant) at certe divino, ut liquet Matthæi *cap.* 19. *verſu* 6. *& ſequ.* Pauli 1. *ad Corinth. cap.* 7. *verſ.* 10. junctis *cap. unico de voto in* 6. *cap. Cum per bellicam* 34. *diſtinct.* 2. *cap. Sunt, qui dicant* 19. 27. *quæſt.* 2. Tridentino *ſeſſ.* 24. *de matrim. in princip.* & ex humanitate illa politica, ne mariti, patriſve uxoris felicitas, ſive proſpera alterutrius ex conjugibus fortuna, fiat alterius infortunium, ſed participes viciſſim ſint in fortuitis felicitatis, & infelicitatis, in queis neutrius vitium incurrit, quomodo ex Triboniani ſenſu adumbrate legimus in *l. ſi cum dotem* 22. *§. ſi maritus* 7. *verſ. Quid enim*, *D. ſoluto matrim. l. Sed ſi mors* 13. *§.* 1. *verſ. Et nihil vitiam*, *D. de donat. inter. dict. l. ſi libertam* 28. *in princ. verſ. Non patimur*, *& §.* 7. *in fin.* illic: *Non ex vitio mulieris, & mariti.*

8 Ex quo poſtremo, & in aperto eſt diſcriminis ratio inter hypotheſes *d. l.* 28. *§. ult. & §. ſi poſtea* 6. *l.* 44. in queis matrimonium non diſſolvitur, ob ſubſecutam indignitatem, aut indignitatem patris uxoris, quia vel iniquum, vel inhumanum eſſet, ſine vitio, ſeu culpa innocentis conjugis, auferre ei veluti decus, dignitatemque nuptiarum honeſte contractarum, *dict. l.* 28. *d. §. ſi poſtea* 6. juncta *l. Spurii* 6. *verſ. Nec enim*, *D. de Decurion. l. Adoptivum* 8. *§. ultim. D. de in jus vocand.* Et inter hypotheſim *dict. §. Plane* 6. in qua nuptiæ ſolvuntur (ſaltem quoad thorum Chriſtianis moribus) ob indignitatem ſubſecutam uxoris Senatoriæ, quæ ſeſe ſcenæ dedit, quoniam ipſius vitio, culpaque eſt, ut dimittenda ſit, nec matrimonii Senatorii, utcumque rite contracti, decus retineat, argumento ex *l. Senatoris* 47. *verſ. Nec enim*, *D. de ritu nupt. l.* 1. *in fin. Cod. ubi Senatores, vel Clariſſ. l. ultim. D. de pœnis.* Jam nec moramur interim, affinem quæſtioni *dict. l. ſi libertam* 28. & abnormem à Juſtiniani ſæculo, & ſenſu, & cui merito nigrum *theta* præfigatur, adnotationem Theophili, de impediendis nuptiis manumiſſæ matrimonii cauſa, ſi poſt manumiſſionem, & ante nuptias manumiſſor fiat Senator, in § 5. *ad finem. Inſtit. quib. ex cauſ. manumitt.* de qua junge, quæ ſcripſimus ad caput de ingenuorum nuptiis cum libertinis.

Subnotamus potius veluti auctarium Pauli in *dict.* 9
§. ſi poſtea 6. & Juſtiniani in *dict. l.* 28. (ad quas ultra Rhævardi, & noſtratis Amajæ *lib.* 2. *cap.* 5. *ex num.* 30. tot nondum eiſdem notata attexuiſſe, non pœnitebit) de nuptiis non diſſolvendis, etiamſi ad eum caſum pervenerint, à quo incipere non poterant; & è contrario diſſolvendis apud eumdem Paulum in *dict. §. Plane* 7. regulam illam, de vitiandis his, quæ ab initio conſtiterunt, ſi ex poſt ſecuto in eum caſum incidant, à quo incipere non potuiſſent, quamvis ſtatuatur tamquam regula in *l. penult. §. Etſi placeat*, *Digeſt. de verbor. obligation. l. Quia* 16. *D. ad leg. Aquil. l. Pro parte* 11. *D. de ſervit. l.* 3. *§. ultim. D. de his, quæ pro non ſcriptis. l. Granius* 71. *verſ. Et puto*, illic, *ut quemadmodum*, *D. de fidejuſſ. l. Falſus* 45. *§. ultim. D. de furtis.* Eſſe tamen, ut pleraſque alias, periculoſam, nec perpetuam *l. Omnis* 201. *l. In ambiguis* 85. *§.* 1. *D. de regul. jur.* imo & fuiſſe ſub controverſia inter ipſos Juriſconſultos, ut conjectari licet ex *§. Ex contrario* 14. *Inſtit. de legat.* junctis *l. Verbis* 5. *in fine*, *D. ad leg. falcid. l. Debitor* 82. *verſ. Quod ſi vivo*, *D. de leg.* 2. itemque *ex. l. A filio* 25. *D. de legat.* 1. juncta *l. ſi à ſervo* 20. *D. ad leg. falcid.* (queis conciliandis nunc immorari, neque otii, nec negotii noſtri eſt) & quod utique & ſaltem conſtat, regulam illam vitiari, ſubverti, aboleri, non paucioribus fere, quam quæ ſub regula manent, exceptionibus, quas, & regulam ipſam ad potiora capita redigi, & componi obtinuit pene jam poſt Bartolum, Caſtrenſem, & alios inter judicioſiores Interpretes, ea diſtinctione: nimirum, ut regula obtineat in his, quæ licet ab initio conſtiterint, & valide cœpta, nondum tamen conſummata, aut perfecta fuere, ſed ex futuro adhuc pendentia, poſtea in eum caſum, ſeu ſtatum inciderunt, à quo non modo incipere, & ſtare non potuiſſent, ſed neque ad effectum perduci; tunc enim in irritum recidunt, ut cernere eſt in ſervitute ad fundum proprium, in ſtipulatum deducta, non tamen conſtituta, & ante conſtitutionem, & poſtea fundo in totum, aut pro parte alienato, *l. Pro parte* 11. *D. de ſervit. l. Exiſtimo* 98. *in fine. l. ſi ſub una* 136. *§.* 1. *D. de verbor. obligat.* & in re profana utiliter promiſſa, aut legata, & poſtea ante effectum traditionis exempta à commercio, *l. Inter* 83. *§. Sacram*, *verſ. Nam & cum quis. l. Is, qui alienum* 51. *l. ſi ſervum* 91. *§.* 1. *de verb. obl. l. ſi mihi* 92. *l. Qui res* 98. *§. Auream in princ. & fin.*, *D. de ſolut. l. Statu liberum* 9. *§. Illud* 2. *verſ. Nam etſi*, *D. de ſtatu lib. l. ſi hæres* 35. *D. de leg.* 1. *§. Idem* 2. *verſ. Item contra*, *Inſtit. de inutil. ſtip.* & in teſtamento rite facto, ſi ille caſus teſtatori ſupervenerit, quo impediatur teſta-

teſtamentum ad effectum perduci, ut puta ademptis bonis. §. *Non tamen* 6. & §. *Aiio* 4. *Inſtit. quib. mod. teſt. infirm. l. ejus* 8. §. 1. *D. qui teſt. fac. poſ. l. ſi quis filio* 6. §. *Irritum cum ſeqq. D. de injuſto rupto. l. pen.* §. *teſtamento, D. de bon. poſſ. ſec. tab.*. quibus non diſſimilia, aut eodem ratione filo annectenda exempla ſunt. *l.* 3. §. *ult. D. de his, quæ pro non ſcriptis.* §. *penult. Inſtit. de adſignat. lib. l. Exiſtimo* 98. *verſ. Aut ſi hoc verum, D. de verb. oblig. l. Falſus* 43. §. *ult. D. de furt. l. Furioſum* 9. *verſ. Nunc autem, Cod. qui teſtam. fac. poſſ. l. ſi is, qui* 27. *D. eodem titul. l. Pomponius* 13. *l. Non diſtinguemus* 32. §. *Summa* 3. in fine, & §. *Item* 5. *D. de recept. qui arbitr. l. ſi à me* 11. illic, *quoniam, D. de judic. l. Liber homo* 13. §. *ultim. cum l. ſeq. D. ad leg. Aquil. l. Granius* 71. *verſ. Et puto, D. de fidejuſſoribus.*

10. Diverſum autem eſt, in his, quæ, quamquam ſint dumtaxat cœpta utiliter non conſummata, & ex futuro pendeant, caſus tamen ſuperveniens ejuſmodi eſt, ut non impediat conſummationem, & effectum, ut, poſt teſtamentum rite factum, furor, interdictio bonorum, & caſus ſimiles, ſupervenientes teſtatori. *l.* 6. §. 1. *l. Is, cui lege* 18. *l. Qui teſtamento* 20. §. *Nec furioſus* 4. *D. qui teſt. fac. poſſ. l. Conficiuntur* 8. §. *ſi poſt* 2. *verſ. Nec ſimilis, D. de jure codicill. l.* 1. §. *ſi quis autem* 9. *D. de bonor. poſſeſſ. ſec. tabul. dict. l. Furioſum.* 9. in fine, *Cod. qui teſtam. fac. poſſ.* §. *Præterea* 1. *cum ſeqq. Inſtit. quib. non eſt permiſſ.* idemque furor, ſuperveniens uſucapioni, cœptæ per poſſeſſionem, ante furorem quæſitam *l. Juſto* 44. §. *Eum, qui* 6. junctis *l.* 4. §. *Furioſus* 3. *l. Nunquam* 31. §. *ſi vi* 4. *D. de uſucap. l. ſi is, qui* 27. *l.* 1. §. *Furioſus* 3. *D. de adquir. poſſeſſ.* aut ſi ejuſmodi caſus ſuperveniat, qui non tam extinguat, quam difficilem reddat effectum ejus, quod ab initio conſtitit, ut in *l.* 2. §. *Ex his, verſ. Ex quo. l. penult.* §. *Etſi placeat, verſ. Et tamen,* juncta *l. Continuus* 137. §. *Illud* in fine, *D. de verb obl. l. Hæredes* 25. §. *An ea* 9. *cum* §. *ſeq. D. famil. herc. l viæ* 17. *D. de ſervit. l.* 2. in fine, *D. de ſervit. leg.* junctis, nec diſſimiliter explanandis, *l.* 1. §. *Caſum, verſ. Quamvis, D. de poſtul. l. Cæcus* 6. *D. de judic. l. Etiam* 16. *D. de autor. tutor. l. Frater* 9. *Cod. de excuſat. tutor.* vel qui ſuſpendat magis, quam extinguat. *l. Qui res* 98. § *Aream* 8. *verſic. Diverſum, D. de ſolut.* junctis, atque huc fortaſſe referendis, *l. Cum furioſus* 39. *D. de judic. l. Furor* 8. *D. de ſponſal. l. Idem* 12. *D. de excuſat. tut. l. Furioſus* 11. *D. de tutel. l. Quoties* 8. *D. de pactis dot.*

11 E contrario autem regula ceſſat in his, quæ non tantum valide cœpta, ſed & perfecta, ac conſummata, qualia quæ fuere, non reſolvuntur, aut extinguuntur, etiamſi poſtea caſus incidat, à quo incipere non potuiſſent: eaque propoſitæ regulæ exceptio patet uſque adeo, ut vel per ſe in contrariam regulam fere abierit. *l. In ambiguis* 85. §. 1. *D. de regul. jur. cap. Quod legitime* 72. *de regul. jur. in* 6. *l.* 2. *Digeſt. de itinere, actuque priv.* Ejus exempla ſunt in ſervitute ſemel conſtituta, quæ conſervatur, nec extinguitur alienatione partis fundi, cui ſervitur, aut acquiſitione partis fundi ſervientis, quamvis ab initio ita adquiri, aut conſtitui non potuiſſet. *dict. l. penult.* §. *Etſi placeat* in fine, *D. de verbor. obligat. l. Ut pomum* 8. §. *ultim. D. de ſervit. l. Unus* 34. *verſic. Quoniam, Dig. de ſervit. ruſtic.* Et in matrimoniis rite contractis, quæ non diſtrahuntur ex poſt facto ſupervenientis tutelæ, adoptionis, affinitatis, furoris. *l.* 3. *Cod. de interdicto matrim. l.* 1. §. *ultim. D. de excuſat. tutor. l. penult.* §. *ſed videamus. l. ſi qua* 12. *in princip. l. Oratione* 16. §. *ultim. Dig. de ritu nupt. l. Patre* 8. *D. de his, qui ſui, vel al. jur. l. Julianus* 4. *D. de divort. l. ſi cum dotem* 22. §. *ſi maritus* 7. *D. ſolut. matrim.* juncta *l.* 5. §. 1. *de bonis damnator. cap. diſcretionem* 6. juncto *cap.* 2. *de eo, qui cognovit conſanguin. uxoris. cap.* 1. 2. & 3. *de conjug. leproſor.* & quod proprium hypotheſis noſtræ eſt, nec diſtrahuntur ex ſubſecuta indignitate in patre uxoris rite ductæ, aut dignitate in eodem patre, aut marito, *dict. l. Lege* 44. §. *ſi poſtea, d. l. ſi libertam* 28. *Cod. de nupt.* denique in finitimis cauſis ſponſalium, teſtamentiſve, ſignatorum, legati, donationis, venditionis, poſſeſſionis, uſucapionis, dignitatis, Magiſtratus, muneris, & ſimilium, veluti tutelæ, & actionis de dote, quæ ſemel conſtiterunt, *l. Furor* 8. *D. de ſponſal. l. Ad teſtium* 22. §. 1. *D. qui teſtam. fac. poſſ. l. Plane* 34. §. *Plane* 13. *cum* §. *præcedente, D. de legat.* 1. *l. donationes* 31. *D. de donat. l. ſi is, qui* 27. *D. de adquir. poſſeſſ. l.* 1. §. *ultim. cum l. ſequ. D. de itin. actuq. priv.* §. *Furioſus* 3. *l. Nunquam* 31. §. *ſi vi* 4. *D. de uſucap. l. judex* 46. juncta *l. Cum Prætor* 12. §. *Non autem* 2. *verſic. Natura. l. Cum furioſus* 39. *D. de judic. l.* 1. §. *Caſum, verſic. Quamvis, D. de poſtul. l. Nec mandante* 8. §. 1. *Digeſt. de tutor. datis ab his. l. Etiam* 16. *D. de auctorit. tutor. l Infamia* 8. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *l. Sciendum* 15. §. *ultim. Digeſt. qui ſatiſd. cog. l. Cum Prætor* 127. *Digeſt. de regul. jur. l. Adminiſtrantes* 41. §. *Eorum* 2. *Dig. de excuſat. tutor. l. Qui filium* 74 §. *ultim.* in fine, *Digeſt. ad Senat. Conſult. Trebell. l. Si ſocer* 44. *D. ſoluto matrim.* excepta, Religionis intuitu, ſpecie illa *l. Non diſtinguemus* 32. §. *Sacerdotio, D. de receptis, & qui arbitr. l. Aut Religionis* 18. *D. de Procurator. l. Prætor* 13. *D. de vacat. munes.* & intuitu Senatorii muneris illa ſingulari, de qua in *l. Spadonem* 15. §. *ſi quis autem* 3. *Digeſt. de excuſat. tutor.* eum ſupra adjunctis. Porro ſubexcipiendi ſunt ab hac, ſive exceptione, ſive regula, ſupervenientes matrimonio, & aliis, utcumque perfectis, caſus ex culpa, vitiove eorum, inter quos ab initio conſtiterant, quorum in pœnam, ſive ob infamiam diſtrahuntur, quatenus jure poſſunt, ut indignitate uxoris, quæ ſe ſcenæ poſt nuptias dedit. *dict. l. Lege* 44. §. *Plane* 7. *cap. ſi cujus* 11. 34. *diſtinct. cap.* 2. & *cap. diſcretionem* 6. *de eo, qui cognovit conſanguin.* & in ejuſdem fere calculi caſibus *l.* 1. in fine, *Cod. ubi Senatores, vel Clariſſ. cap. ultim. de jurejurand. libr.* 6. *cap. Inſinuante* 25. *de offic. delegati.* aut ſi caſus ſubincidant, qui etiam ſine ullius culpa impediant uſum, retentionemve. *l.* 10. § *ultim. cum l. ſeq. l. Poſt ſuſceptam* 40. *Digeſt. de excuſat. tutor. l. penultim. l. Solet.* 13. *Digeſt. de tutel. l. Prætor* 13. *Dig. de vacat mun. l.* 1. *in fine princip. Digeſt. de curatore fur.* juncta *l. penultim. Cod. eodem titul. cap.* 2. & *ſeqq. de Clerico ægrot. cap.* 1. & *ſeqq. de conjug. leproſorum.*

CAPUT XXXIII.

Ad Juliæ legis verba: neve ſenatoris filia neptiſve ex filio, proneptiſve ex nepote, filio nato, nata, libertino. Et deinceps in l. Lege 44. de ritu nupt.

ARGUMENTUM.

Verborum legis ſumma, &, quæ ad eam referantur, Juriſconſultorum fragmenta. Notata differentia inter priora legis verba, queis apprehenditur pronepos etiam ex nepte, & poſteriora hæc, quibus non niſi proneptis ex nepote, filio nato: differentiæ ratio deducta ex cenſura mediæ Juriſprudentiæ, & Voconiæ legis, quæ, utcumque benigna erga agnationem, ſemel duntaxat interruptam, non tamen erga bis defectam, de quo non pauca expenſa obiter; oſtenditur deinde, diverſam, non contrariam eſſe l. 3. C. de nupt. *quæ eſt de liberti cum patroni ſui filia, nepte, pronepte, nuptiis, quales, etiamſi Senatoria fœmina non ſit, ſemper exoſæ, & punibiles propriis rationibus. Expo-*

ſitio

ſitus Martianus in l. 14. §. 1. D. de manum. vind. *Expoſiti etiam Modeſtinus in* l. 14. §. 1. D. de excuſ. tut. *& Tryphoninus in* l. 24. D. ad leg. Jul. de adulter. *Obſervata, & objecta propoſitis Anthemii Novella, quæ nunquam, & nulla ante eam lege vetitum conjugium liberti cum patrona ſupponit. Aſt reſpondetur, vel deſitam, datamque oblivioni, cadente Imperio, & moribus, ſeveram talium conjugiorum cenſuram, vel, quod fortaſſe certius, non uſquequaque notam illius Novellæ ſarcinatori, langueſcente fere poſt Conſtantinum, & multo magis ſub Anthemio, & ad pauciſſimos redacta Juris Romani profeſſione, & peritia. Id, quod non vulgariter adſtruitur pro diſcentium vulgo.*

1 PErluſtranda ſunt tandem, & quidem levi pede, ſaltemque ne obliviſci videamur, quæ ſuperſunt legis Juliæ verba apud Paulum in *dict. l. Lege* 44. illic: *Neve Senatoris filia, neptiſve ex filio, proneptiſve ex nepote, filio nato, nata, libertino, eive, qui ipſe, cujuſve pater, materve artem ludicram facit, fecerit, ſponſa, nuptave ſciens dolo malo eſto: neve quis eorum dolo malo ſciens, ſponſam, uxoremve eam habeto.* Verborum ſumma, & ſententia eſt inhibitio nuptiarum Senatoris filiæ neptis, proneptis, cum libertinis, aut ſcenicis: idque, ut ſæpius diſtinximus, tam ea legibus Julia, & Papia, ut nuptiæ injuſtæ ſint, non autem irritæ, *dict. l.* 44. *l. Sciendum* 32. *l. Generali* 34. *§. ultim. l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. ſi libertam* 28. *§. Simili, Cod. de nupt. l. Filiam* 9. *D. de Senatorib.* quam ex Marci ratione, & Senatos Conſulto, ut nec omnino nuptiæ ſint, ſed ot irritæ diſſolvantur. *l. Oratione* 16. *l. Semper* 42. *§.* 1. *Digeſt. de ritu nuptiar.* juncta *l. Oratio* 16. *Digeſt. de ſponſal.*

2 Pertinet ad hæc verba Juliæ legis, eiſque commode aptari poteſt, definitio de libertino, habendo pro ingenuo, nempe quoad nuptias cum filia Senatoris, ſi ingenuus judicatus ſit. Ut ex Ulpiani *libro* 1. *ad leges Juliam, & Papiam*, proditum legimus in *l. Ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom. l. Res judicata* 207. *D. de regul. jur.* item de libertino, qui impetravit jua aureorum annulorum, habendo itidem pro ingeouo, quoad Senatoriæ fœminæ ouptias, ex eodem Ulpiano, & libro in *l. ultim.* juncta *l. antecedente, D. de jure aureor. annul.* & è contrario de libertino eodem, judicato ingenuo per colluſionem, aut arrogato ab iogenuo, ne ſcilicet habeatur pro iogenuo, ſive ne tamquam ingenous habeat connubium cum filia Senatoris. Ut ex eiſdem libris traditur in *l. ſi libertinus* 4. *D. de colluſ. deteg. l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt. l. ultim. D. de adoption.* de queis ſingulis abunde ſupra ad Juliæ legis verba de libertinis, quia & eis commode applicabantur, quæ nunc moleſtum eſſet, repetere: atque ejuſdem generis ſunt quæ de appellatione filiorum, nepotum, pronepotumve Senatoris, & ad quos ea, qualeſque liberos producenda eſſet, diſſeruimus plene ſupra *cap.* 2. *& ſequentibus*, nec niſi ioopportune huc transferenda, aut inculcanda. Quin & ratione, & quidem graviore, ſtrictioreque, prohibitionis connubii ejuſce Senatoriarum fœminarum, imo & ingenuarum cum libertinis, ſcenicisque, animadvertimus non pauca, *huic capiti* itidem ſervientia, *ad caput de ingenuorum connubio cum libertinis*, *lib.* 3. *cap.* 3.

3 At enim propria eſt horum verborum, & loci, nec ſilenda, ſpernendave obſervatio differentiæ inter filiam, neptem, proneptemve Senatoris, & ejuſdem filium, nepotem, pronepotem, quoad prohibitionem connubii ſcenici, aut libertini, ex poſtremis iſtis, & prioribus illis verbis legis Juliæ, quæ io *noſtra l.* 44. Quippe io prioribus *ex filio*, apprehenduntur prohibitione, ſignate nepos ex filio, & pronepos ex filio nato, ſi receptæ Florentinæ lectioni ſtamus, cui & magis ſtetimus ſupra ad ea verba, *pronepoſve ex filio nato*, & proinde apprehenditur etiam pronepos ex nepte, dummodo neptis ſit ea filio Senatoris, quia iſte pronepos eſt ex filio nato, ut eodem illo capite expreſſimus: ex diverſo in poſtrema hac clauſula, & cautione de filia Senatoris, exprimuntur ſignate, & ſolæ, neptis Senatoris ex filio, & proneptis ex nepote filio nato, & proinde non comprehenduntur neptis, aut proneptis ex filia, imo nec proneptis ex nepote, ſi non ſit nepos iſte ex filio natus, ut fere ſenſit in re ſimili Paulus *l. Filii* 22. *§. Senatores* 5. illic: *Et pronepotes ex filio, D. ad municip.* (ſcilicet ſi exaudiatur de proneptibus ex nepote, & filio, ut in *l. Gallus* 29. *in princip. & §. Idem credendum* 2. *cum §. ſeq. D. de liber. & poſth.*) & redigendus ad eumdem ſenſum Modeſtinus in *l. ſemper* 42. *§.* 1. *D. de ritu nupt.*

Nec differentiæ ratio in difficili jam, & ſupra, 4 ot monui, indicata, illa nimirum, quoniam in pronepte ea filio Senatoris, utcumque per neptem, promptior fuit, ac debuit eſſe conſiderationi, & reſpectui legis Juliæ, quoad prohibitionem connubii ignominioſi, Senatoria proavita dignitas, & linea maſculina continuata per filium, & ſemel tantum interrupta in oepte, ut veluti ſuſcitaretur in pronepte, & prodeſſet ei magis dignitas proavi, & avi, quam obſtaret interruptio lineæ per matrem, ea ratione *l. Emancipatum* 7. *§. ultim. D. de Senator.* juncta *l.* 2. *§. In filiis, verſic. In avo, D. de Decur.* utique & multo magis, cum & illius mater, tamquam neptis ea filio, ſignatis Juliæ legis verbis comprehendatur. *d. l. Lege* 44. illic: *Neptiſve ex filio.* Jam autem è converſo in pronepte, quamvia ſit ex nepote, ſcilicet nato in filia (& multo potius in pronepte, nepteque ea filia) fuit difficilior, & remotior conſideratio proavitæ dignitatis Senatoriæ, nec tam facile ſuſcitaoda rurſus ea conſideratio, & linea maſcula Senatoria, quæ in filia ſemel, primumque defecerat, & in pronepte denuo iotercisa, ſi ad eam rurſus per nepotem tranſiret, bis veluti ſuſcitaretur, quod bis difficile, & fere diſſonum, non dumtaxat, quia in filia ſemel defecerit familia Senatoria, cum fœmioa familiæ ſuæ & caput, & finis fuerit. *l. Pronunciatio* 195. *§. ultim. cum l. ſeq. D. de verbor. ſign. l. Quicumque* 10. *Cod. de re milit. libr.* 12. junctis ea legum Juliæ, & Papiæ commentariis *l. Non quemadmodum* 8. *D. de agnoſcend. lib. l. Nulla* 13. *D. de ſuis, & legit.* ſimulque *l. Liberos* 10. *§. ultim. D. de Senatorib.* quæ ſane ratio, & ad pronepotem per neptem ex filio Senatoris aptari poſſe videretur (qoia perinde in nepte defecit Senatoria agnatio, ut expendere licet ex diſciplina illa Juris veteris, memorata in *§. Item vetaſtas* 15. illic: *& pronepotes ex neptibus, cum §. ſeq. Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt.* juncta *l. ſi defunctus* 9. *l. ultim.* illic, *nepotibus, vel pronepotibus cujuſcumque ſexus.* Et in fine: *quod tantum in futuris, non etiam in præteritis. Cod. de ſuis, & legit. hæred.*) Sed & potiſſimum, quia in pronepte ex filia bis defecta, ſive denuo interciſa, conſideretur Senatoria agnatio, eamque bis ſuſcitari difficilius, & contra veteris, ſeu mediæ Juriſprudentiæ, & Voconiæ legis cenſoram, noſtris Julia, Papiaque legibus anteriorem, & earum avo vigentem, quæ quamvis primi gradus fœminas, ut in linea recta filias, aut ex filio oeptes, ſic & ex filio, & nepote proneptes connumerabat, admittebatque tamquam agnatas ad legitimam hæreditatem parentum. *d. §. Item vetuſtas* 15. *in princip. & verſ. Et quemadmodum. l.* 1. *§. Suos* 2. *& §. Non minus* 4. *D. de ſuis, & legit.* aut proneptem ex oepote per filiam, in queis remotior, & defecta non ſemel agnatio. *dict. §. Item vetuſtas* 15. *verſ. Et pronepotes ex neptibus.* juncta *l.* 3. *Cod. de ſuis, & legit.* & vulgari, at in hanc rem fortaſſe invulgata *l. Maximum* 4. illis in verbis: *Et hæc non ſolum in filiabus obtinere, ſed etiam in nepotibus, & neptibus, & deinceps obſervari cenſemus, ſi tamen ex maſculis progeniti ſunt. Cod. de liber. præter.* quemadmodum ſimiliter eadem Voconiana Juriſprudentia in hæreditate legitima tranſverſalium, admittebat, agnoſcebatque pro agnatis primi gradus illius

illius lineæ, ſorores conſanguineas defuncti fratris, non autem filias ſororum, & ulteriores in queis remotior, & abrupta repetite, atque abſciſſa per duas fœminas agnatio videbatur. §. *Cæterum* 3. *verſ. Quod ad fœminas*, & *verſ. Media*, *Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ. l. Lege* 14. *Cod. de legit. hæred.* Paulus *lib.* 4. *ſentent. tit.* 8. §. *Fœminæ*. Ulpianus. *tit.* 26. §. *Ad fœminas ultra.*

5 Nec dimovere à differentia obſervata debet, tametſi primo adſpectu diſcrepet, quod elicitur ex Conſtitutione Severi in *l.* 3. *Cod. de nuptiis*, quod probitionem matrimonii liberti cum patrona, aut patroni filia, nepte, pronepte, comprehendi eas ſingulas indiſtincte, ſeu ſine diſtinctione, an neptis ex filio, vel pronepis ſit ex nepote, filio nato, contra quam Julia noſtra lex diſtinxit, & cenſuit in *dict. l.* 44. *in princip.* & *verſ. Neve Senatoris.* Sed ut monuimus, ne hac diſcrepantia moveamur, ratio ejus in *dict. l.* 3. non relinquitur in obſcuro: eſt enim ea Conſtitutio non de nuptiis ſimpliciter prohibitis, neque ultra, quam ut non juſtæ, ſive non nuptiæ ſint, cujuſmodi ſunt inter fœminas Senatorias, & libertinos (qui ſcilicet non ſunt liberti illius Senatoriæ fœminæ, cujus de nuptiis agitur) ſed de improbatis, & ſevere punitis, tamquam odioſis, & exoſi publice exempli. Quales fuere, & cenſebantur ex diſciplina priſci Juris, appetitæ à liberto nuptiæ cum patrona ſua, aut patroni ſui vidua, aut filia, nepte, & pronepte. Ut exprimitur in *dict. l.* 3. & oſtendit pœna metalli, aut operis publici, qua libertum coërceri placuit, ut ait Paulus 2. *ſentent. tit.* 19. §. *ultim.* juncta *l. Libertum* 64. *l. Non eſt* 66. *in fine. l. Quamquam* 62. §. 1. *D. de ritu nupt. l. Libertinum* 4. *C. de interd. matr. int. tut.*

6 Cui diſciplinæ congruebat, ut, quamquam ingenuo viginti annis minori, ancillam ſuam matrimonii cauſa manumittere lege Ælia Sentia permitteretur, §. *Eadem* 4. *cum ſeq. Inſtit. quib. manum. lic. l. ſi collactaneus* 13. *in fin. l. ſi rogatur* 20. §. *Matrimonii*, *D. de manum. l. Matrimonii* 51. *D. de ritu nupt. l. Matrimonii* 21. *D. qui & à quib.* & eandem libertum uxorem ducere, ſi manumiſſor, ſeu patronus non ſit Senatorius, *l. Uxorem* 15. *C. de nupt. d. l. ſi rogatus* 20. §. *Matrimonii. l. ult. in fin. C. communi, de manumiſſ.* junctis ex libris ad leges Juliam, Papiamque *l. Invitam* 28. *cum l. ſeq. l. In eo* 45. *cum ſeqq. D. de ritu nupt. l. ultim. D. de divort. l.* 1. *D. de concub.* non tamen è contrario permitteretur mulieri manumittere matrimonii cauſa ſervum, ut ei manumiſſo, & liberto ſuo patrona nubat, niſi ea ipſa non ingenua, ſed conſerva primum fuerit ejuſdem ſervi, cui poſtea manumiſſæ idem ſervus legatus fuerit, *in hoc*, nempe, ut manumittat, & liberti uxor ſit, cujus fortaſſe in ſervitute fuerat contubernalis, quomodo elucidandus Marcianus in *l. Alumnos* 14. §. 1. *D. de manumiſſ. vind.* & ex eo viciſſim Ulpianus in *l. ſi patrona* 13. *D. de ritu nupt.* de queis ſingulis alia nos ad *caput connubii ingenuorum cum libertinis* infra *lib.* 3. *cap.* 3. ubi & de ratione illa, ob quam ſtrictior fuit ſemper, ſeveriorque cenſura, & deteſtatio nuptiarum patronæ cum liberto ſuo, & cur eas fieri dicatur, *mala ratione* apud Papinianum in *l. Quamquam* 62. §. 1. *D. de ritu nupt.* cui nunc quoad eaſdem nuptias liberti cum patrona, aut ejus filia, nepte, aut pronepte, de queis in *dict. l.* 3. jungitur ratio illa alia, quod eis ſingulis debet libertus obſequium, ſeu reverentiam, *l. Parens* 5. *D. de obſequ. l. Adoptivum* 8. §. 1. *l. ſed ſi hac* 10. §. *Liberos* 5. *cum ſeqq. D. de in jus voc.* indignum autem viſum, & incivile, ut libertus exigat obſequium à patronali fœmina, tamquam ab uxore, *l. Alia* 14. §. *ultim. in fine*, *D. ſoluto matrim.* cui ipſe reverentiam debet, tamquam libertus, *l. Liberti* 9. *D. de obſequiis par. Nam præter æquum cenſet*, ait 1. *Epiſtol.* Symmachus, qui inter diſpares par obſequium requirit.

7 Sit itaque ſtatum, & ſcitum, diſtare valde prohibitionem legis Juliæ, quæ non niſi de nuptiis injuſtis filiæ Senatoris, neptiſve ex filio, proneptiſve ex nepote, idque cum extraneis libertis, & ex ratione ſola Senatorii decoris, & prohibitionem illam, deteſtationemque matrimonii affectati à liberto cum patrona ſua, aut patroni filia, nepte, pronepte, quod abſciſſe, abſoluteque ſine diſtinctione lineæ, quoad neptem, aut proneptem disjungitur, damnaturque tamquam odioſum, & contra reverentiam à liberto patronæ debitam, *dict. l.* 3. *Cod. de nuptiis.* Argumentum rei addimus ex *l. Libertum* 14. §. 1. *D. de excuſat. tutor.* ubi quoad conſtitutum illud, ne libertus à tutela liberorum patroni, aut patronæ excuſetur, ex Senatus Conſulto, de quo in *l. Libertum* 5. *Cod. de excuſat. tutor. l. Libertus* 14. *D. de tutorib. datis*, Modeſtinus ſcribit, liberos patroni intelligendos, non tantum primi gradus, ſed & *nepotes ex utroque latere*, & *eos, qui deinceps ſunt*, *ἐγγόνοι ἐξ ἑκατέρου, καὶ τοὺς ἐφεξῆς.* Et proinde ſine differentia lineæ, vel ſexus; ſubjungitque eum etiam libertum, qui jus aureorum annulorum impetraverit, cenſendum eſſe in libertorum ordine, *ἐν τούτῳ*, ſive, *in hoc*, ut apud Modeſtinum eſt in *dict. l.* 14. §. 2. ſive quoad hoc, ſcilicet, ne à tutela liberorum patroni excuſetur, idque ex Conſtitutione Marci Antonini, *dict. l. Libertum* 5. juncta, & ab ea, ob diverſitatem hypotheſis diſcriminanda, *l. Cum ex Oratione* 44. *in princip.* & §. *ultim. Digeſt. de excuſ. tut.*

8 Accedit quod in *l. ſi is, qui* 42. *D. ad leg. Jul. de adult.* non diſſimili ſenſu, & cenſura Tryphoninus, quoad permiſſum illud marito, occidendi libertum ſuum, deprehenſum in adulterio, ſupponit, in primis libertum intelligi oportere, non tantum eum, qui libertus ſit ipſius mariti, vel uxoris, ſed & qui fuerit patris eorum, aut matris, & filii, filiæve eorum, ſicut & ſcriptum eſt in *l. Marito* 24. *D. ad l. Jul. de adulter.* & ex Paulo apud Licinium Ruffin. in *collat. leg. Moſaic. titul.* 4. §. 2. ac deinde decidit, huic etiam pœnæ impunitatis occiſionis ex lege Julia, ſubjiciendum tamquam libertinum, eum etiam, qui annulorum jus impetravit, & quidem pro tuitione matrimoniorum, & quia impetratione annulorum non præjudicatur patrono, quæ rationes ſunt *dict. l. ſi is, qui* 42. juncta, ex eodem Tryphonino, *l. Idemque* 10. *Digeſt. de S. C. Syllanian.* itemque *l. penult.* & *ultim. D. de jure aur. annul. l. ſed ſi hac* 10. §. *ſed ſi jus*, *D. de in jus voc. l.* 3. *D. de bonis liber.* ſed hoc amplius, quia quamvis hic libertus poſt annulos, ſit pro ingenuo, quoad connubium cum fœminis, etiam Senatoriis, quarum libertus non ſit, *dict. l. penult.* & *ultim. D. de jur. annul. l. unic. Cod. ad leg. Viſell.* & ut à tutela libertini pupilli excuſetur, utpote jam ingenuus, *l. Cum ex Oratione* 44. juncta *l.* 1. §. *Libertinus* 4. *D. de excuſat. tutor. l.* 3. *Cod. eodem tit.* non tamen habendus pro ingenuo, ne ſit obnoxius tamquam libertus occidionis impunitati ob adulterium cum patronali nupta, ſicut, neque ut excuſetur à tutela liberorum patronalium, cujuſcumque ſexus, & lineæ, *dict. l. Libertum* 14. §. 1. & 2. & ex eadem ratione, neque quoad connubium cum patronali filia, nepte, pronepteve qualicumque, *dict. l.* 3. *Cod. de nupt.* quia eſſent ſingula hæc incivilia, & contra reverentiam patronalem, *dict. l. ſed ſi hac* 10. §. *ſed ſi jus* 3. juncta *l. Non eſt* 66. *in fine*, *D. de ritu nupt.* quæ amplianda, non coarctanda, *l. Capitalium* 28. §. *Omnia* 8. *D. de pœnis. l. ſi adulterium* 38. §. *Liberto* 9. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. Prætor* 7. §. *Præterea*, *D. de injur. l.* 4. §. *Adverſus* 16. *de doli except. l.* 2. *Cod. de in jus voc. l.* 3. & 4. *C. de libert. & eor. lib.* cum ejuſmodi aliis ſexcentis.

9 Plane, priuſquam hinc ad alia, non eſt prætereundum, quod ex adverſo veluti ad nuper tradita, legimus in *Novella* 1. Anthemii *de mulieribus, quæ ſe ſervis propriis, vel libertis junxerunt:* nempe de libertorum conſortiis prohibendis (cum patronis ſuis, cujuſmodi erat Julia illa, cujus preces Anthemius memorat) *evidens æſtimari, quod ante hoc lex ulla non vetuit.*

vetuit. Et ut poſtinde ſcribitur, *nulla nunc uſque ad liquidum jura vetuerunt*; rurſuſque poſtea: *de quibus ante hanc noſtri nominis ſanctionem nihil legum ſcita præſcripſerunt*, denique ut de re tandem: *quod nemo prohibuerat.* Et ſane hæ repetitæ ter, quaterque aſſertiones, negant veluti deſtinato, & ex oppoſito, non tantum ſcitiſſima vetita, ſive probibita legum noſtrarum, connubii Senatoriæ, & vel dumtaxat ingenuæ fœminæ cum libertinis, ſed quod inſperatum magis, & inſolens, damnationem, deteſtationemque conjugii patronæ cum liberto ſuo, *dict. l. 3. Cod. de nupt.* cum ſupra laudatis. Nos hæc ex fide bona, & animi ſententia cenſentes potius quam improbabiliter conciliantes, vel agnoſcimus ſub Anthemio, cadentibus cum Imperio moribus, legibuſque, caſſaque pridem ipſa morum diſciplina, & cenſura (cujus inter alia judicium erat, de ingenuorum conſortiis cum libertinis) eaque cenſura jam ſuo ævo diſperſa, ut Tertullianus conqueritur, *de pallio cap. 6.* & ſub Theodoſio demum reſecata, Romani Senatus Decreto, & ſuffragatore Symmacho *lib. 4. Epiſtol. 29. & 45. & libr. 5. Epiſtol. 9.* tum deminuta valde fuiſſe jura pleraque patronalis reverentiæ, & obſequii, ut apparet *ex Novella* Valentiniani *de libertis*, tum etiam excidiſſe memoria, aut exoleviſſe moribus, deſitaſque, vel diſſimulatas ſeveras prohibitiones conjugii patronæ cum liberto ſuo, eoque referendas aſſertiones illas non cenſorias aulicorum aſſeſſorum Anthemii in *dict. Novella* 1. vel inclinamus potius, ut fateamur, emoriente itidem ſub Anthemio, & occidente, cum Italiæ Imperio, Romanarum legum ſcientia, fuiſſe prohibitionem conjugii patronæ cum liberto, vel ignoratam Anthemii libellorum Magiſtro, ſeu Palatii Quæſtori, vel non *uſque ad liquidum* notam, ſed de qua *ſuſcepto quaſi errore nutarent, formidarentque ſuſpicaces mentes*, ut ſcriptum fere eſt in *d. Novella* Anthemii.

10 Id quod ne mireris, memineris, poſt Conſtantium elanguiſſe adeo Juris Civilis ſcientiæ decus, ut quæ olim *Manilios, Scævolas, Servios in ampliſſimum gradum dignitatis evexerat, libertorum artificium duceretur.* Ut Mamertinus ſcripſit *in gratiarum actione pro Conſulatu ſuo ad Julianum*; eſſentque ita rudes nonnulli peritiæ affectatores, *ut vel nunquam ſe Codices habuiſſe meminiſſent, vel ſi in circulo doctorum auctoris veteris incidiſſet nomen, piſcis, aut edulii peregrinum eſſe vocabulum arbitrarentur, & ut pervulgati Juris proferretur lectio una, ſeptem vendibiles introitus præpatarent*, quomodo ſtomachatur, ut ſolet, de Juliani ejuſdem ævo, Ammianus *lib.* 30. Denique poſt Theodoſium Juniorem, ejuſque Codicem Theodoſianum, cui nonniſi à temporibus Conſtantini Conſtitutiones inſertæ, cum & *pauci, rarique tunc extarent, qui plena Juris Civilis ſcientia ditarentur, aut recepiſſent ſoliditatem perfectæ doctrinæ*, ſimulque eo confirmato Codice, cautum eſſet, ne in poſterum diſceptare, aut advocare liceret legibus, niſi ex libris illius vocabuli, ut legitur in *Novella* Theodoſii *de Theodoſ. Cod. auctor.* & in *Præfatione Codicis Alarici Regis.* D. Iſidoro *lib. 5. Origin. cap.* 1. in oblivionem abiiſſe apud pleroſque, Juriſconſultorum, & Cæſarum Conſtantino antiquiorum, libros, & leges, quin & poſtinde, intra Italiam, jam pene barbaricam, & ſub Anthemio calcatas ipſas Theodoſianas leges, & Theodoricianas, ſeu Gothicas introductas, ut de Anthemii ſeculo Sidonius *lib.* 2. *Epiſt.* 11. & intra Gallias ipſas, qua ex parte adhuc Romanæ ſub Anthemio ignotam fuiſſe, & à Nicetio primum introductam, nobilem illam Theodoſii Magni Conſtitutionem de triginta annorum præſcriptione, ſeptuaginta circiter annis ante Anthemium conditam (nec in Theodoſii nepotis Codice extantem) ut Sidonius idem commemorat *lib. 8. Epiſtol.* 6. cujus de duobus his locis elucidandis, nondum inter eruditiores convenit. Addimus, ſubſignamuſque rem, atteſtatione Valentiniani Junioris, ex eodem Anthemii ævo, *Novella de confirmandis bis, qua adminiſtrantibus*, illo loci: *Notum eſt, poſt fatalem hoſtium ruinam, qua Italia laboravit, in quibuſdam Regionibus, & cauſidicos defuiſſe, hodieque gnaros Juris, & legum, aut rare, aut minime reperiri.* Nobis ſat eſt, ex eis ad rem juventuti præiviſſe. Illud ſaltem adjicimus, ab Anthemio *eadem Novella*, & exinde in futurum patronarum conjugia cum libertis prohiberi, ut execrabilia, & plecti deportatione, aliiſque pœnis. Ut & adnotabimus infra *lib. 3. cap.* 2.

Nec plura nunc de his verbis Juliæ legis, ſepoſita ad parerga, ſive analectorum claſſem pleniore ad Scholam, forumque commentatione, pro *l. Non quemadmodum 8. D. de agnoſc. lib.* juncta *l. Libertos 10. §. ultim. D. de Senator. l. Nulla 23. D. de ſuis, & legit.* & ejuſdem notæ, ac numeri aliis huc referendis. 11

C A P U T XXXIV.

Ad Paulum 4. ad legem Juliam, in l. Senatoris 47. & Ulpianum 3. ad eamdem in l. Si quis 27. & Papinianum in l. 34. §. ultim. D. de ritu nuptiar. & l. 9. D. de Senatoribus.

A R G U M E N T U M.

E*Xcepta à probibitione nubendi libertino, Senatoria filia, ſuo admiſſo facta ignominioſa, ex Paulo* in l. 47. de ritu nupt. *Oppoſita eidem regula, & ratio Papiniani* in l. 34. §. ult. eod. tit. & l. 9. de Senator. *At pro Paulo rationes Juris generales, & propriæ. E converſo contra Papinianum expenſus Ulpianus* in l. 27. de ritu nupt. *Item regula de convaleſcentibus nuptiis ceſſante impedimento, tandemque & argumentum Senatoriæ fœminæ, nuptæ plebejo, ideoque & deinceps non Senatoriæ, quanto magis illius, ut Papinianus loquitur, ſecutæ libertinum, ſeu ſequutulejæ. Diſtinguitur inter ſcenicam, aut meretriciam, in Senatoria fœmina, fœditatem, quæ utique gravius probrum, ſceluſque, & ejuſdem fœminæ notam nubentis libertino, in quo peccatum vocatur conjugium. Et firmatur diſtinctio ex ipſis legibus Julia, & Papia. Stoica Paralogia de peccatis paribus ſimul cum Novatianis damnata, & quam aliena ea à ſenſu Juriſconſultorum, quos nec omnes, neque in omnibus Stoiciſſare. Senatoria, quæ ſcenæ, aut meretricio ſe dedit, deinceps non ſolum Senatorio, ſed nec ingenuo potuit nubere: idcircoque permiſſum ei, nubere libertino legibus noſtris, ex queis ad rem exemplum* in l. 3. D. de concub. *de qua & aliis alia. Diverſum in Senatoria nuptias libertini ſequuta, per quas, utpote nullas, non tranſit in familiam libertini, & eſt adhuc nubilis ingenuo, & Senatorio.* Ad l. 27. de ritu nupt. *& quæ illic decidendi ratio. Senator, ordine motus, deſinit ſua culpa eſſe Senator. Non item deſinit filia eſſe Senatoria ſine ſuo admiſſo, & ex patris nota, ſeu caſu: atque ita componendi, qui alioquin opponeretur loci. Poſtremo de Senatoria nupta plebejo, liquet, eam, utpote per legitimas nuptias, tranſire in plebejam familiam conjugis, quæ tamen non tranſiret, ſi libertinum ſequeretur. Gutheri* ad l. 16. D. de ritu nupt. *correctio diſpuncta.*

1 PRohibitionis connubii Senatoriarum fœminarum cum libertinis, & ſcenicis regulæ proxima eſt, & primaria exceptio, quæ apud Paulum *lib. 2. ad legem Juliam, & Papiam, in l. Senatoris 47. D. de ritu nupt.* de Senatoris filia, quæ corpore quæſtum, vel artem ludicram fecit, aut judicio publico damnata

nata fuit: an ſcilicet attineatur adhuc legis Juliæ prohibitione, ne libertino ſponſa, nuptave ſit. Et ſane, ut attineri videatur, expendi electe, neque inargute poteſt exemplum Senatoris filiæ, quæ libertino nupſit, contra legem Juliam, ac poſtquam illius pater Senatoria dignitate cecidit, motuſque fuit. In qua tametſi ſuo admiſſo, & indignitate nuptiarum cum libertino ſit facta indigna honore filiæ Senatoris: & proinde poſt remotionem patris à Senatu, nihil obſtare videatur, qoo minus io poſterum ſaltem fiat libertino juſta uxor; Papinianus tamen reſpondit, non fieri, & ſervari ei adhuc dignitatem filiæ Senatoris, naſcendo quæſitam. *l. Generali* 34. §. *ultim. D. de ritu nupt. l. Filiam* 9. *D. de Senatorib.* Cur itaque non idem ſervetur filiæ Senatoris, quæ vel corpore quæſtum fecit, contra leges Juliam, & Papiam, *l.* 3. *in princip.* & §. *ultim. D. de concubin. l. Fœdiſſimam* 20. illic: *Leges ulciſcuntur. Cod. ad leg. Jul. de adulter. l. Palam* 43. §. *Non ſolum, D. de ritu nupt.* ad quam plura nos infra *lib.* 3. vel arti ludicræ ſe dedit, & ſcenæ, contra Senatus Conſulta, id ſpeciatim Senatoriis vetantia, de queis Dion *lib.* 54. Suetoo. in *Auguſto cap.* 43. & in *Tiberio cap.* 35. Tacitus *lib.* 1. *Annal.* & 2. *hiſtor.* juncta, & ad remoon male expendenda *l. Mater* 10. §. *ultim. D. ad leg. Jul. de adulter.* vel denique delicti in leges publicorum judiciorum damnata fuit, indeque indigna nuptiis ex Senatuſconſulto ad Juliam, & Papiam *d. l. Palam* 43. §. *Senatus*, *D. de ritu nupt.* ſive è converſo, cur ſervetur honor filiæ in *dict. l.* 34. §. *ultim.* & *d. l Filiam* 9. *contra rationem l. Senatoris* 47. cum utrobique filia, in legem Juliam delinquendo, indigna Senatorio honore fiat, & hoc amplius in *dict. l.* 34. §. *ultim.* & *dict. l.* 9. ſupervenerit indignati filiæ indignitas patris, remoti à Senatu.

2 Sed in contrarium Paulus ſtans in quæſtione *dict. l. Senatoris* 47. ſcribit, Senatoris filiam, quæ corpore quæſtum, vel artem ludicram fecerit, aut judicio publico damnata fuerit, impune oubere libertino, & proinde ſupponit, juſtam ei uxorem fieri, & rationem illam ſubjungit, *nec enim bonos ei ſervatur, quæ ſe in tantum fœdus deduxit*, quomodo illic conſtanter in Florentino archetypo, aliiſque libris legitur, in *tantum fœdus*, ignoia, & Balduino non recepta phraſe, pro qua ſubſtitui poſſet, in *tantam fœditatem*, ut in *l. Filiam* 19. *Cod. de inoffic. teſtam.* ſive in *tantum ſcelus*, ut Holoander, & in *ſtatum fœdum*, nt Faber, atque alii. Nos, ut de re, & ratione potius, animadvertimus, ſubniti eam regula, exemplisque Juris, perquam frequentibus, ex quibus liquet non modo generale illud, honores excludi reatu, eiſque indignos eſſe, qni indigne deliquerunt, ut de Senatoriis, ac ſimilibus proditur in *l.* 1. *in fine*, *Cod. ubi Senatores. l. Judices* 12. *l. Quoties* 17. *verſ. In criminalibus*, *Cod. de dignitatib. lib.* 12. *l.* 2. *Cod de ſecund. nupt. cap.* 1. *de purgat. Canon. cap. Nobilis* 15. 2. *quæſt.* 5. ſed, quod ſpecialius eſt, dignitatem, decuſque Senatorii patris amitti veluti, & aboleri in filio, indignitate, & dedecore ipſius filii, ſive *ſuo admiſſo*, ut ad rem Paulus noſter ſcripſit in *l ultim.* §. *ult. de pœnis.* juncta *l.* 2. §. *Nullum*, illic: *Innocenti filio*, *D. de Decurion. l. Adoptivus* 8. §. *ultim.* illic: *Filius*, *quaſi innocens*, *D. de in jus voc.* ruſuſque & illud ſpeciale, quoad leges Juliam, & Papiam, privilegiis, præmiiſve earum, ut indignos arceri eos, qui in eas deliqoerunt. Ut ad eaſdem, & *eodem lib.* 2. Paulus docuit in *l. Qui libertinus* 37. §. *Poſthumus*, *verſ. Ex lege*, *D. de oper. lib.* & Terentius Clemens in *l. Filio* 48. §. 1. *Digeſt. de ritu nupt.* & Ulpianus in *l. unic. verſic. Nihil enim*, *D. unde vir*, & *uxor.* & *tit.* 16. §. *Aliquando* 2. *cum* §. *ſeq.* & *tit.* 25. *de fideicommiſſ.* §. *ſi quis in fraudem* 17. juoctis ex eodem tractatu, *l à Divo* 58. *l. Dote* 61. *D. de ritu nuptiar. l. ultim. verſic. Delinquunt*, *D. de legat.* 1. *l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ ut indign. l.* 3. §. 1. *l. Cum hic ſtatus* 32. §. *ultim. D. de donat. l. ſi concubina* 17. *D. de act. rer. amot. l.* 1. *Cod. de natur. liber. l.* 4. *Cod. de inceſt. nupt.* de queis affatim ſupra *hoc libro*, ſimul cum regula illa notiſſima *l. Auxilium* 37. §. *ultim. in fine*, *D. de minorib.*

Jam vero nunc, & ſecundnm hæc tum obſcurior 3 eſt ratio diſcriminis, cur filiæ, contra legem Juliam libertino nuptæ, dignitas Senatoriæ filiæ conſervetur, etiam poſt patris crimen, & ne vel tunc fiat uxor apud Papinianum in *dict. l. Generali* 34. §. *ult.* & *dict. l. Filiam* 9. & non conſervetur eidem filiæ, contra leges peccanti, poſtque, vel ob id ipſum, libertino oubere, apud Paulum in *noſtra l. Senatoris* 47. tum & ſi ſemel, ſerioque cenſeas, non modo exerrans à perpenſa ratione Juris, & regula, ſed & exorbitans ab alia, ac ſeverior, ſubduriorque Papiniani aſſertio videtur, cum pro regula itidem ſit, nuptias initas contra legem Juliam, velut Senatoris cum libertina, quamvis interim neque nuptiæ, neque uxor ſit, ſi tamen ille poſtea Senatorio Ordine cadat, convaleſcere, & libertinam eſſe uxorem incipere, ut eſt apud Ulpianum *libro* 3. *ad leges Juliam*, & *Papiam*, *in l. ſi quis in Senatorio* 27. *D. de ritu nupt.* & pro regula, ioquam, ut poſui, in nuptiis, quas, utcumque ab initio inutiles, aut contra Jus, poſtea tamen ceſſante Juris impedimento, eo perſeverante junctorum voluntate, convaleſcere exinde in poſterum. juſtaſque fieri, liquet, vel exemplis nuptiarum filiorum familias, ſine conſenſu patrum, & tutoris contra Senatus Conſultum; & Præfecti contra mandata, & deoique minoris duodecim annis, de queis in *l ſi ut propenis* 5. *cum l. ſeq.* juncta ex Cujacio, inſerta Codici, *Inſtitutione Severi*, *poſt l.* 8. *Cod. de nupt. l. Eos*, *qui* 65. §. 1. *l. Minorem* 4. *l. ſi quis officium* 38. *D. de ritu nupt. l. Filius* 28. §. *ſi quis eo* 3. *D. de liber.* & *poſthum. l. ſi uxor* 13. § *ſi quis uxorem* 6. *in fine.* & §. *ſi minor* 8. *D. ad leg. Jul. de adult.* quod & Papinianus idem agnoſcit io *l. Dotis* 68. *D. de jure dot.*

Accedit, ut, vel alio ex capite, abnorme, & abſooum Papiniani reſponſum cenſeas, in *dict. l. Filiam* 9. & *dict. l.* 34. §. *ultim.* quod io contrarium legimus, uxorem, quæ fuit Senatoris, aut Conſularis, ſi plebejo poſtea oubat, deſioere eſſe Senatoriam, ſive Clariſſimam, aut Conſularem. *l. Cum te* 10. *Cod. de nupt. l. ultim. l. Fœminæ* 8. *D. de Senatorib. l. Filiis* 22. §. 1. *D. ad municip. l.* 1. & *l. Mulieres* 13. *Cod. de dignitat. lib.* 12. *l. ultim. Cod. de incolis lib.* 10. *Novella* 22. *de nuptiis cap.* 36. &, quod prope, ac proprie magis ſtringit, filiam Senatoris eſſe Clariſſimam, quamdiu in familia patris Senatoris eſt, aut Clariſſimo viro oupta, non item ſi nubat plebejo. *dict. l. Fœminæ* 8. juncta *l. Libero* 10. *in fine*, *D. de Senatorib.* juxta vetus illud, & notum de Virginea Patritii Auli filia, quam, quia Volumnio Plebejo, utcumque Cooſuli, enupſerat, matronæ ſacris pudicitiæ patritiæ arcuerunt, apud Livium *libro* 10. ſive quia, ut de ſe in Apulejo 2. *de aſino*, Byrrhena illa: *Nos dignitas diſcernit*, *quod clariſſimas illa*, *ego privatas nuptias fecerimus.* Quo jure igitur in filia Senatoris, quæ non tantum plebejo, ſed etiam libertino, cootra legem Joliam, nupſit, reſpondeatur, retinere adhuc dignitatem Clariſſimæ, ſeu filiæ Senatoris, & quidem vel poſt indignitatem patris remoti à Senatu, idqoe ut etiam poſt remotum patris Senatoris impedimentum, nec uxor fiat, nec nuptiæ convaleſcant, ot in *dict. l. Filiam* 9. & *dict. l.* 34. §. *ultim.* contra rationem, exemplumque *dict. l. ſi quis in Senatorio* 27. ac præterea noſtræ *legis Senatoris* 47. & ne vel hoc diſſimulemus, cum dedecore quodammodo ipſius Senatorii ſanguinis, libertinis nuptiis inquinati, argumento ex *l.* 1. *D. de colluſ. deteg. l. Super* 9. *Cod. de quæſtion. Novella* Martiani 4. *de matrimon. Senat.* quod vel Papinianus idem agnoſcit, proprietatis verborum, & diſciplinæ inter Juriſconſultos retinentiſſimus, dum de hac Senatoris filia ſic loquitur, non ut eam nupſiſſe, aut nuptam libertino, dicat, ſed *nuptias libertini ſequutam*, qua loquutione fere contubernium, & improbatæ potius,

tius, quam juſtæ nuptiæ. *l. Mulier* 16. *Cod. de agricol. & cenſit. l. Decrets* 11. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irroget. l.* 3. *Cod. de liber. cauſ.* juncto Paulo *lib.* 2. *ſent.* integro fere *tit.* 21. & mulier cum probro, amaſium ſequuta, ſignari ſolet, qualis Lycoris illa apud Maronem *Eclog.* 10. quæ *perque nives alium, perque horrida caſtra ſequuta eſt.* Et apud Propertium 2. *eleg. ult. &* 4. & 5. Medea *ſequax* dicta, quia *ignotum ſecuta virum*, onde & mulier *ſecutuleja* Petronio in *ſatyr. cap.* 42. & veteri noſtro Hiſpaniſmo, muger *de ſeguida*, Mariana 19. *hiſtor. cap.* 17.

5 Hæc, quæ tam multa, novaque contra Papinianum movimus, egent etiam nova, ut ſubmoveas, obſervationis ope, quæ & Papiniano *locis laudatis*, & Ulpiano, Pauloque in *dict. l.* 47. & 27. atque aliis una opera explanandis ſit ſatis, eamque incaſſum quæras in Accurſii, & Veterum gloſſis, imo neque in noviorum, Baronis, Corraſii, Rebuffi, Vaccæ, Fabri, & ſi qui alii ſunt, *ad titulum de Senatoribus*, &, quod mireris magis, præter Rævardum, Briſſonium, & ex noſtris Amayam *lib.* 2. *obſervat. cap.* 5. *num.* 31. & 45. nec reperias apud Cujacium, qui ad Papiniani illud reſponſum *d. l. Filiam* 9. nodum ex Ulpiano in *dict. l.* 27. nectit ex parte potius, quam ſolvit. Nos tot ſimul, ac ſingulis expediendis, & in primis elucidandæ rationi illi *dict. l.* 47. *verſ. Nec enim*, & ut liqueat, non eſſe illam applicabilem Papiniani hypotheſi, in *dict. l.* 34. §. *ultim. & dict. l. Filiam* 9. diſtinguimus in filia Senatoris inter fœditatem ſcenicæ, aut meretriciæ operæ, aut damnationis publici judicii, de queis in *dict. l.* 47. & dedecus nuptiarum cum libertino, ejuſdem filiæ, de qua in *dict. l. Filiam* 9. & *l.* 34. §. *ultim.* quia, quamvis per has nuptias peccaverit in leges Juliam, & Papiam, ideoque indigna videatur honore Senatoriæ filiæ, ex eiſdem legibus, juxta Pauli rationem in *dict. l.* 47. non tamen inficiari licet, gravius omnino, ſive fœdius, flagitioſiuſque probrum eſſe Senatoriæ filiæ, meretricio, aut ſcenæ ſe dare, vel adulterii, ſtuprive damnari, quam libertino nubere: quippe priora illa, fere hyperbolice, *tantum fœdus*, à Paulo, & alibi *flagitioſæ fœditatis*, ſive *fœdiſſimæ nequitiæ*, & *portentoſæ vilitatis*, probra dicuntur *dict. l.* 47. *l. ſi filiam* 19. *Cod. de inoffic. teſtam. l. Fœdiſſimam* 20. *Cod. ad leg. Jul. de adulter. l. His ſolis* 7. *in fine*, *Cod. de revoc. donation.* ſive *prodigia, moreſque Romæ damnandus Canopo*, ut de Senatoria, ſequuta ſcenicum, Ægyptum uſque, proprie, & acriter Juvenalis *Satyra* 6.

Nupta Senatori comitata eſt Hippia ludum
Ad Pharon, & Nilum, famoſaque mœnia Lagi,
Prodigia, & mores Urbis damnante Canopo.

At vero non tam fœdum, probroſumque Senatoriæ filiæ, tametſi probrum, & inhibitum, nubere libertino, ſaltem quia, quod illic ſcelus, hic *vocatur matrimonium*, ut de Patritii filia, liberto nupta, declamator apud Senecam *lib.* 7. *controv.* 6. &, ut apud Maronem, Dido in 6. *conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.* Conſtat autem, multum diſtare probrum à probro, & ſceleſtum contubernium à matrimonii nomine. *l. ult. Cod. de inceſt. nupt. l. Probrum* 41. *D. de verbor. ſignif.* & diſcrimen eſſe inter ſcelus, & erratum, ut ſcite *Hieron.* ſeu *Paulinus epiſtol.* 14. & quoad interdictionem connubii noſtris ex legibus diſtingui meretricem palam profeſſam, & quæſtuariam ab ea, quæ non palam, & paſſim, aut ſine quæſtu proſtituta fuit; & damnatam calumniæ ex cauſa publici judicii ab ea, quæ damnata publico judicio. *l. Palam* 43. §. 1. *cum ſeqq.* & §. *ſi qua* 11. *l. Probrum* 41. juncta *l. In libera* 24. *D. de ritu nupt. l.* 1. & 3. *D. de concubin. l. Cum tabulis* 16. §. *Quoniam*, *D. de his, quæ ut indign. l. ſi uxor* 13. *D. ad leg. Jul. de adult.* & quoad rem ſignantius, diſtingui, & diſtringi graviore nota dedecus meretriciæ, ac ſcenicæ artis, aut damnationis publici judicii in fœminis, quibuſcum, ſi tales ſint, prohibetur connubium, non dumtaxat Senatoriis viris, ſed etiam quibuſcumque ingenuis, ut ex Ulpiano diſcas in *fragment. regul. titul.* 13. *in princip.* & §. 1. juncta *dict. l. Palam* 43. *l. fœdiſſimam* 20. *Cod. ad leg. Jul. de adult.* & notam libertinitatis, ob quam cum libertina fœmina inhibitæ nuptiæ ſolis Senatoriis, permiſſæ autem aliis ingenuis. *l. Lege* 23. *D. de ritu nuptiar.* Ulpianus *dict. tit.* 13. & 16. §. 1. & quoad infamiam ipſam, ſeu turpitudinem culparum cenſeri alias aliis turpiores *l.* 3. *D. de his, qui not. infam.* juncta *l.* 1. §. *removet* 6. *verſ. Et qui ſperat*, illic: *Ergo qui locavit*, *D. de poſtul.* de queis ſingulis abunde ſuis locis *lib.* 3. *cap.* 1. & *ſeqq.* & hoc eodem libro ſupra.

Adjicimus, ut vel currente penna adnotemus, paradoxam illam Stoicorum aſſertionem, quæ ſicut virtutes omnes pares ſtatuebat, propugnante diſerte Seneca *epiſtol.* 66. & diſertiſſime Auguſtino *epiſtol.* 20. *ad Hieronymum*, Plutarcho in *Solone*, Horatio 1. *Satyra* 3. & 1. *epiſtol.* 16. ita & paraloge peccata omnia per ſe æqualia, ut apud Laërtium in *Zenone*, Ciceronem *paradoxo* 4. & *Academic.* 4. neque aliud *turpi turpius*, ut idem Cicero ſcribit 4. *de finib.* (cui Novatiani olim aſſenſere, & poſtea Jovinianus, damnati Hieronymo, ſive apud Hieronymum Paulino *epiſtol.* 14. *ad Celantiam.* & ex profeſſo *lib.* 2. *adverſ. Jovin. cap.* 12. & *ſeqq.* & Hieronymum laudanti Auguſtino *dict. epiſtol.* 29. & *de hæreſibus ad Quodvult. cap.* 82. & ante eos Cypriano *epiſtol.* 52. *ad Antonianum*, imo nec Tertulliano ipſi probati, quamvis, alioquin cum Montano juxta eadem erranti, & tamen diſtinguenti inter delicta modica, & media, ut vocat, & alia culmen criminum tenentia, & principalia, ac devoratoria ſalutis, *libro de pudicitia cap.* 1. & *de patientia cap.* 5. & *de idololatr. cap.* 1.) aliena tamen ſemper fuiſſe à cenſura noſtræ Juriſprudentiæ, ſecundum quam peccata, & maleficia, non paria, aut eadem, ſed diverſa, & diſcriminanda, ſuo gradu, & qualitate, ut quædam levia, & minora ſint, quædam graviora, & atrociora, & omnino alia aliis turpiora. *l. Aut facta* 16. §. *Qualitate. l. Perſpiciendum* 11. *D. de pœnis. l.* 4. §. *Gravius* 10. & §. *Levius* 14. *Dig. de re milit. l. Ad tempus* 5. *D. de Decurion. l.* 2. *D. de effractor.* quin & alienam fuiſſe ab Ulpiani ſenſu, apud quem mores alii leviores, alii graviores, ut in ejus regularum fragmentis *tit.* 6. §. *Morum* 12. *cum* §. *ſeq.* (juncta *l. Virum* 39. *D. ſoluto matrim.* ubi paria delicta, non tam quia æqualia. *l. Palam* 43. §. *Lenocinium* 6. *D. de ritu nupt. l.* 4. §. *Pomponius. l. Imperator* 24. *D. de his, qui notant. infam.* quam quia mutua, & compenſanda, ut dicuntur in *l. ſi uxor* 13. §. *Judex* 5. in fine, *l.* 2. §. *Qui hoc* 4. *cum* §. *ſeq. D. ad leg. Jul. de adulter.*) & apud eumdem gravia crimina diſtincta à levioribus. *l.* 1. §. *ult. D. nihil innov. appell. pend. l. Quid ſit* 17. §. *Noxas* 18. *Digeſt. de Ædil. Ed. l. Neratius* 11. §. *Quamvis* 2. *verſ. ſunt enim*, *D. de ſervo corrupt. l.* 1. §. 1. *D. de effractor. l. Probrum* 42. *D. de verbor. ſignific. l. Levia* 6. *Digeſt. de public. judic. l.* 1. §. *Interdictum* 43. *D. de vi, & vi arm.* juncta regula illa *l. Ad ea* 157. *D. de regul. jur.* & ad eam ex eodem Ulpiano appendicibus. *l. Is, qui* 11. §. *An ignoſcitur* 7. *D. quod vi, aut clam. l. ſed eſt* 9. §. *ſi atrocem* 3. *Digeſt. de injur.* & ex Labeone *ad eamdem regulam l. ſi unius* 17. §. *ſi juſſu* 7. *l. Prætor* 7. §. *ultim. D. de injur.* Tandemque & ad eamdem, ex Cajo ad leges noſtras, in *l. In fraudem* 10. §. *ultim. D. de his, quæ ut indign.* quos tamen ſingulos Ulpianum, & Cajum, poſt Labeonem, Proculejanorum Antiſtitem, auctoremque ſtoiciſſare perſæpe Eruditi, novioreſque gratuito ſuſpicaces volunt, & in hoc ipſo paradoxo de æqualitate peccatorum, de Ulpiano Merilius 1. *obſervat. cap.* 24. lævo, ac levi argumento ex *l. Vulgaris* 21. *D. de furt.* cum è contra eſſe ſtatum, ſcitumque debeat, Juriſconſultos neque omnes, neque in omnibus fuiſſe juratos Stoicorum aſſeclas, de quo pluribus, ſi vacaret. 6

7 Sed pergamus, ſatiſque ſit, conſtare jam rationem illam, ductam ex hyperbole, veluti fœditatis, & probri filiæ Senatoris meretricis, ſcenicæ, aut mœchæ, in *d. l.* 47. non poſſe aptari ad ſpeciem ejuſdem nuptiarum cum libertino, in quo non adeo turpe, ſeu tanto levius erratum, & nota. *d. l.* 34. §. *ult.* Jam itaque, ut pergamus, obſervemus, diverſas eſſe, non modo poſitione, ſed & Juris æſtimatione theſin apud Paulum in *d. l.* 47. quæ eſt, ut filia Senatoris poſt meretricium, ſcenam, aut damnationem, impune nubat libertino; & apud Papinianum in *d. l.* 34. §. *ult.* & *d. l. Filiam* 9. ut eadem filia, etiam poſt libertini nuptias, atque etiam per caſum patris, moti à Senatu, fiat libertino uxor, nam in priore theſi cum Senatoria filia, quæ meretrix, ſcenica, aut publici judicii, ac probri damnata fuit, eo ipſo non poſſit nubere Senatorio, &, quod amplius eſt, neque ingenuo. *l. Palam* 43. §. *Non ſolum* 4. & §. *Senatus* 10. *D. de ritu nupt. l. Fœdiſſimam* 20. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* Ulpianus *tit.* 13. *in princ.* & §. 1. fuit providentiæ Juliæ, Papiæque legum, & virtutis illius in permittendo, quæ leges inter alias eſt, *l. Legis* 7. *D. de legibus*, permittere ejuſmodi fœminæ, ut ſaltem nuberet libertino, idque vel ſine luce illa Evangelicæ charitatis, cujus eſt, meretrices, *& mulieres luxurioſe viventes, ut caſte vivant, ad legitimum thori conſortium invitare*, quomodo habet integrior *textus cap. Inter opera* 20. *de ſponſalibus.* Et *ad corrigendam vitam ſacramento conſulere*; ut cum Hieronymo in *cap. ultim.* 32. *q.* 1. Auguſtinus *lib.* 22. *contra Fauſtum*, *cap.* 80. adumbratum cernere licet, argumento ad rem opportuno, electoque in eiſdem legibus Julia, & Papia, quæ mulieres haſce ignominioſas, meretrices, damnatas, ſcenicas, eo ipſo quod uxores eas ducere ingenuis prohibuit, permiſit habere in concubinatu, conjunctione ſcilicet illa, olim legibus permiſſa, ſive quæ, quia per leges nomen aſſumpſerat, extra legis pœnam erat, ut ſcite, & appoſite Martianus in *l.* 3. & *ad leges noſtras* Ulpianus in *l.* 1. §. 1. & *ſeqq. D. de concub.* juncta *l. Probrum* 41. *Dig. de ritu nupt. l. Stuprum* 34. *l. Mater* 10. §. 1. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. Cum tabulis* 13. §. *Quoniam*, *D. de his, quæ ut indign.* ad quas exacte nos in *Analecto de concubinis.* Proinde & multo magis permittendum fuit Senatoris filiæ ignominioſæ, ut nuberet libertino, & quidem *impune*, ut ait Paulus in *dict. l.* 47. ſenſu ſimili, illi Martiani *extra legis pœnam.* in *dict. l.* 3. §. 1. *D. de concub.* Cujus eſt apud Paulum vis, ut quamvis ex legibus noſtris Julia, Papiaque, impares nuptiæ, & injuſtæ, cujuſmodi Senatoriæ fœminæ, & vel ingenuæ tantum cum libertino prohiberentur, neque eſſent impune ſaltem cenſoribus, & eorum notæ, ſive Epiſcynio, ut monuimus *lib.* 3. Et quoad damnatam adulterii, puniantur etiam Julia de adulteriis. *l. Miles* 11. §. *ult. l. Mariti* 29. §. 1. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. Caſtitati* 9. *Cod. eodem tit. l. Auxilium* 37. in fine, *D. de minor.* & hoc amplius ſi libertinus, cui Senatoria, vel ingenua fœmina nubit, ipſius libertus ſit, odioſa, & acriter coërcenda conjunctio cenſeatur *l.* 3. *Cod. de nupt. l. Quamquam* 62. §. 1. *D. de ritu nupt.* Paulus *lib.* 2. *ſentent. tit.* 19. §. *ultim.* Ceſſant tamen hæc ſingula in Senatoria filia, meretrice, ſcenica, aut damnata, cujus nuptiæ cum libertino ſunt impune, tam quoad ipſam, quia vitæ anteactæ vilitas indignam eam fecit legum obſervatione, ſive cenſuræ nota, ſive ſtupri pœna. *l. Quæ adulterium* 29. *l. ſi ea* 12. *Cod. ad leg. Jul. de adult. l. Cum tabulis* 16. §. *Quoniam*, *D. de his, quæ ut indign. d. l.* 1. §. 1. & 2. & *l.* 3. *D. de concubin.* quam quoad libertinum maritum ex ſua perſona, quia leges noſtræ nuptias cum ignominioſis fœminis prohibuere ingenuis, & Senatoriis, non item libertinis viris, ut liquet ex Ulpiano *dict. tit.* 13. §. 1. illic: *Cæteri ingenui.* & *l. Lege* 44. *in princip.* & §. *ult. D. de ritu nupt.* juncta *l.* 3. § *ſi emancipatus* 5. *verſ. Nam etſi*, *D. de bonor. poſſeſſ. contr. tab.* & de ingenuo non Senatorio ignominioſæ libertæ ſuæ marito, contra legem Juliam, exponenda *l. Filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt.* ut prædiximus *hoc libro cap.* 9. & *lib.* 3. *cap.* 6. & ex perſona filiæ Senatoris, tamquam Senatoriæ, quia ut proprie, & hoc reſpectu Paulus, *non ſervatur hic honos ei, quæ ſe in tantum fœdus deduxit. dict. l.* 47. & quidem, etiamſi libertinus, cui nubit, ipſius libertus ſit, quia tam ignominioſæ patronæ ſunt boneſtæ vel liberti ſui nuptiæ. *l. ſi patrona* 13. *D. de ritu nupt. l. Alumnos* 14. §. 1. *Dig. de manumiſſ. vind.*

8 Fuit autem omnino diverſa Juris æſtimatio, & cenſura in theſi Papiniani, de Senatoria filia liberto nupta, in *dict. l.* 34. §. *ultim. dict. l. Filiam* 9. quippe cum eas nuptias lex Julia injuſtas faciat, & Senatus Conſultum, poſt Marcum, dirimat. *l. Lege* 44. *l. Oratione* 16. *l. Semper* 42. §. 1. *Digeſt. de ritu nuptiar. l. Oratio* 16. *Digeſt. de ſponſalibus. l.* 3. §. 1. *Digeſt. de donation. inter.* potuit & poſt eas nuptias, quæ nuptiæ non erant, & proinde nec libertini uxor, *l. unic. D. unde vir*, & *uxor.* §. *ſi adverſus* 12. *Inſtitut. de nupt.* Senatoris filia, & ingenua nubere ingenuo, & quod magis eſt, etiam Senatorio, quia ſecutæ, ſive attentatæ libertini nuptiæ, utcumque ſubjecerunt illam cenſorio ſupercilio, & notæ, & indignationi patritiatus matronalis, non tamen alii pœnæ, aut Juris infamiæ, quin nec interdictioni connubii cum Senatoriis, & ingenuis, ex noſtris legibus, quæ ſignate ſcenicas, meretrices, lenas, & adulterii, aut publico judicio damnatas apprehendunt, non alias ultra, quamvis alioquin infames. Ulpianus *dict. tit.* 13. & *in l. Palam* 43. §. 1. & 2. & §. *ſi qua* 12. *D. de ritu nupt.* & conſequenter attentatum libertini conjugium non eſt tale admiſſum, ex quo filia, quoad connubium ex noſtris legibus, Senatoris filia eſſe deſinat, ſive cui aptari poſſit ratio, & reſponſum Pauli in *l. ultim. D. de pœnis.* Quin potius nec libertina eſt Senatoris filia, quia libertini injuſtas nuptias ſequuta; non enim ſequitur mulier viri jus originis, conditioneſve, niſi per legitimas nuptias, *l. de jure* 37. §. *ultim. l. Ea, quæ* 32. *D. ad municip. l.* 5. *D. de ritu nupt. l. ult. Cod. de Incolis lib.* 10. Quocirca ex noſtris legibus, & earum æſtimatione, eſt omnino diverſa hæc theſis ab illa *dict. l.* 47. quæ eſt de Senatoris filia Senatorio honore indigna, &, ob fœditatem ſuam, alii non nubili, quam libertino, cui & ideo nubere impune eſt, ut nubat potius, quam meretricetur; è contra apud Papinianum Senatoris filia, etiam poſt libertini injuſtas nuptias, non ſit libertina, ſed nubilis ingenuo, aut Senatorio, & proinde nihil ſit, cur tamquam ſumme probroſa, & alii non nubilis, fiat juſta uxor libertino, etiam poſt patris remotionem à Senatu. *dict. l.* 34. §. *ult.*

9 Enimvero ex tot jam huc uſque obſervatis, facile explicatu eſt primum, cur Senatoris filia, libertino nupta, etiam poſt remotionem patris à Senatu, non fiat uxor juſta libertino, apud Papinianum in *dict. l.* 34. §. *ult.* & *d. l.* 9. & è contrario apud Ulpianum libertina nupta Senatori, ſi ille poſtea Senatoria dignitate moveatur, ſive excidat, eſſe uxor incipiat, *dict. l. ſi quis in Senatorio* 27. *D. de ritu nupt.* nimirum quia filia Senatoris, per nuptias cum libertino, non deſiit eſſe ingenua, & Senatoria, *dict. l. de jure* 37. §. *ultim. Dig. ad municip.* & proinde eſt adhuc nubilis ingenuo, & Senatorio, cui & ut nubat, conſequens magis eſt, & conſentaneum decori ejuſdem, & providentiæ, ac fini legum Juliæ, & Papiæ, quam ut per caſum patris fiat uxor libertino, *dict. l.* 34. §. *ultim.* At Senator amiſſa Senatoria dignitate ſive Ordine motus (exaudiuntur enim hæc pro eodem, *l. Emancipatum* 7. *verſ. ſi quis conceptus*, *D. de Senator. l.* 2. §. *ſed ſi pater* 3. *D. de Decurion.* quomodo qui apud Papinianum caſus, ſcilicet dignitatis Senatoriæ amiſſæ, dicitur in princip. *dict. l.* 34. §. *ultim.* poſtea apud eumdem, & eodem reſponſo vocatur crimen, & caſus patris, remoti à Senatu, *dict.* §. *ultim. dict. l. Filiam*) non eſt deinceps Senator, *dict. l. Emancipatum* 7. *l. penult.* §. *Minuitur*, *D.*

de

de extraord. cogn. l. Ordine 15. *D. ad municip. §. Quibus* 5. *Inſtit. de capit. min.* ſed plebejus, & dumtaxat ingenuus, *dict. l.* 2. *§. Sed ſi pater* 3. *& §. Præterea* 6. *D. de Decurion. l. Divo* 11. *Cod. de quæſt. l. Morte* 9. *§. Plane* 15. *D. de pœnit. l. Infamia* 8. *Cod. de Decurion.* excepto caſu, effectuque *l. ult. D. de Decurion.* Quapropter & eidem legi Papiæ congruenter dicitur, ut quamvis libertina huic, quamdiu Senator fuit, non fuerit uxor, incipiat tamen eſſe uxor, poſtquam Senator eſſe deſiit, & ingenuus dumtaxat eſt, cui Papia lex, libertinam uxorem ducere, & multo magis retinere, ſive habere jam ductam, permittit. *dict. l. ſi quis in Senatoris* 27. juncta *d. l. Lege* 23. *D. de ritu nupt.*

10 Secundum, propoſito proximum, & explicatu itidem jam facile eſt, cur apud Papinianum in *dict. l.* 34. *§. ultim.* Senatoris filia poſt patris remotionem à Senatu, non fiat uxor, nuptiæve illius cum libertino non convaleſcant, tamquam ſublato jam impedimento nuptiarum, per amiſſionem dignitatis patris Senatoris, ut apud Ulpianum in *dict. l. ſi quis in Senatorio* 27. & juxta exempla, rationemque aliarum nuptiarum, ſublato impedimento ſimili, convaleſcentium. *l. Eos qui* 65. *§.* 1. *D. de ritu nupt. l. Etſi contra* 6. *Cod. de nuptiis.* At reſpondendum, apud Ulpianum in *dict. l.* 27. ut libertina incipiat eſſe justa uxor ei, qui jam Senator non eſt, ceſſaſſe impedimentum dignitatis Senatoriæ, amiſſa ab eo dignitate; ſuo facto, ſive admiſſo, ideoque & nuptias convaleſcere exinde in poſterum, ſicut convaleſcunt ceſſante impedimento Præfecti, tutoris, filii familias, aut minoris in his, qui jam tales non ſunt, *dict. l. Eos, qui* 65. *§.* 1. *l. Minorem* 4. *D. de ritu nupt. dict. l. Etſi contra* 6. *cum l.* 5. *Cod. de nupt. l. Dotis* 68. *D. de jure dot. l. Filius* 28. *§. ſi quis eo* 3. *D. de lib. & poſthum. l. ſi uxor* 13. *§. ſi quis uxorem* 6. *in fine, & §. ſi minor* 8. *ad leg. Jul. de adult.* non idem eſt apud Papinianum in *dict. l.* 34. *§. ultim.* in filia Senatoris, quæ Senatoria eſſe non deſiit, nec ob attentatas, & injuſtas nuptias cum libertino, ut jam expoſuimus, & Papinianus pro explorato habuit, ſuppoſuitque, nec per remotionem patris à Senatu, quia decus, ſive dignitas filiæ Senatoris, quæſita ei, ex quo ſemel patrem Senatorem habuit, non eſt eidem auferenda ſine ſuo facto, aut flagitio, propter caſum, crimenve patris, remoti à Senatu, quomodo & explananda, & ut huic, veluti occurrenti ex *dict. l.* 27. objectioni reſpondeat, applicanda eſt Papiniani ratio in *dict. l.* 34. *§. ultim. dict. l. Filiam* 9. *D. de Senator.* junctis, & conſpirantibus in eumdem ſenſum *l.* 2. *§. ſed ſi pater* 3. *cum ſeqq. l. Spurii* 6. *D. de Decurion. l. Moris* 9. *§. Plane* 15. *de pœnis. l. Emancipatum* 7. *§ ultim. & §.* 1. *verſ. ſi quis conceptus, D. de Senator. l. Adoptivum* 8. *§. ultim. D. de in jus voc. l. Divi* 17. *in princip. & §.* 1. *D. de jure patron. l.* 3. *D. de interd. & releg. l. ultim. Cod. de liber. cauſa. l.* 2. *verſ. Quoniam, Cod. de libertis, & eor. liber. l. unica,* illic: *Soboli parcimus, ne defunctorum parentum vitiis prægravetur. Cod. Theodoſ. de mulieribus, quæ ſe ſervis;* ſive, ut in ſimili Caſſiodor. 2. *variar. epiſtol.* 11. *ne novo infelicitatis eventu, fiat dedecus proprium, ſcelus alienum:* ſimul eum regula notiſſimæ *l. Crimen* 26. *Dig. de pœnis*, itemque *l. ſi poſt mortem* 10. *§. ult. verſ. Cum enim, D. de bonor. poſſeſſ. contr. tab.* Scite ergo Papinianus non fieri filiam Senatoris in *dict. l.* 34. *§. ultim.* uxorem libertini, neque convaleſcere nuptias, per remotionem patris à Senatu, quia nec per eam aufertur filiæ decus filiæ Senatoriæ, & conſequenter neque impedimentum nuptiarum.

Tertium, poſtremumque expenſum contra Papinianum ſupra, & breviter jam expediendum, cur nempe filia, libertino nupta, non amiſerit, vel ante caſum patris, decus filiæ Senatoriæ, cum ſi plebejo nupta eſſet, aut alii inferioris dignitatis, quam Senatoriæ (ſive ut ſeptempartita lex noſtra loquitur 7. *tit.* 2. *part.* 4. *Con otro de menor guiſa.*) deſineret eo ipſo, eſſe Senatoria. *l. Feminæ* 8. juncta *l. Liberos* 10. *l. ultim. D. de Senatorib. l. Filii* 22. *§* 1. *D. ad municip. l. Cum te* 10. *Cod. de nupt. l.* 1. *& l. Mulieres* 13. *Cod. de dignit.* Sed ex traditis conſpicua eſt ratio, quam ab Accurſio ſubindicatam in *dict. l. Filiam* 9. verbo, *Facit*, pluribus poſt alios Corraſius exprimit, ſcilicet, quoniam filiæ Senatoris libertinum ſecutæ, non ſunt nuptiæ, idcircoque per eas nec in familiam libertini tranſit, nec deſinit eſſe in Senatoria. *dict. l. de jure* 37. *§. ultim. l. Ea, quæ* 32. *D. ad municip. dict. l. Feminæ* 8. E diverſo; ſi non libertino, ſed plebejo nupſerit, vel inferioris dignitatis, quam Senatoriæ, ſeu Clariſſimæ, quia inter Senatorios, & plebejos jam olim ante Juliam, Papiamque leges, fuerunt juſtæ, & probatæ nuptiæ Canulejo Plebiſcito, de quo Livius *lib.* 4. Florus *cap.* 25. utpote cum plebejæ familiæ pleræque fuerint, non tantum libertinis digniores, ſed & ſuo gradu nobiles, & jure imaginum, honoreque decoratæ, *l. unic. §. Hodieque, D. de offic. Quæſtor.* Livius *lib.* 22. *& alii alibi paſſim;* cujuſmodi Equites ſunt, Auſonio in *Cleobulo, Orcheſtræ proximi. l unica, Cod. de equeſtri dignit. lib.* 12. juncta *l Plebs* 238. *D. de verbor. ſignific.* ſicut Licinius ille, Fabiæ patritiæ maritus, & quidem *Illuſtris*, quamquam *plebejus*, ait Livius *lib.* 6. Quocirca & Senatoria, plebejo nupta, tranſit in mariti Ordinem, & deſinit eſſe in Senatorio, ſeu Clariſſimo, *dict. l. Feminæ* 8. *& l. ultim. D. de Senator. l. Cum te* 10. *Cod. de nupt. l. Filii* 22. *§* 1. *D. ad municip. l.* 1. *& l. Mulieres* 13. *Cod. de dignitat.* Signamus hæc levi animadverſione in Gutherii criticam levem, an muſteam, dum *lib.* 2. *cap.* 7. *de jure Pontific. in l. Oratione* 16. *Digeſt. de ritu nuptiar.* audacter legit de Senatoris filia, *Libertino enupſiſſet*, ut ea voce, diſtincta à *nupſiſſet*, gentis, ſeu familiæ mutatio, & in libertinam per nuptias tranſlatio ſignificetur, quod in Senatoria, quæ libertino nupſit, falſum omnino, quamvis ſi plebejo nupſiſſet, proprie diceretur, ut jam diſtinximus. 11

CAPUT XXXV.

Ad leg. Si Senatori 31. *ex libro* 6. *Ulpiani ad Juliam, & Papiam, D. de ritu nupt. l. Imperialis* 23. *Cod. de nuptiis.*

ARGUMENTUM.

Senatori libertina erit juſta uxor, ſi Princeps permittat, ſeu diſpenſet. Ejus diſpenſationis in Cæſaribus Romanis, quoad nuptias prohibitas, teſtimonia, & uſus. Non item ut Senatoria fœmina fiat juſta uxor libertino, in quo non diſpenſandi ratio. At diſpenſatum rurſus, & indultum, quamvis perraro, ut Conſularis vidua nubat inferioris gradus viro, retenta Conſularis fœminæ dignitate. Illuſtratur lex ult. D. de Senatorib. *Jam & deinceps* ad l. 23. Cod. de nupt. *paraphraſticæ enarrationes. In eis libata curſim aliqua de teſtamenti factione meretricum. & ſcenicarum. Et de eiſdem dignitate donatis, ac de earumdem pœnitentium filiabus: dein perpenſæ dubitandi rationes contra permiſſionem connubii ſcenicæ reſipiſcentis, cum Senatoriis, & quidem tam ex Jure Romano, quam ſacro Hebræorum. Decidendi in contrarium cauſæ ductæ ex benignitate Eccleſiæ, & Chriſtianorum Cæſarum erga ſcenicas pœnitentes. Sed an cauſæ illæ ſatis, ut eis permitterentur nuptiæ Senatoriæ, diſcuſſum, & propendatur, ut non ſatis fuerint ex diſciplina Eccleſiæ Canonum, & Romanæ Nomotheſiæ. Jam quoad* dict. l. 23. *aſſerta ea Juſtino Cæſari,*

ſari, impulſore Juſtiniano, pro excuſanda indignitate conjugii ſui cum Theodora ſcenica. Atque eatenus credi poſſe Procopio in anecdotis, de queis in univerſum ſeria, ſevera, &, ut cenſemus, juſta cenſura.

1 FUit & alia vetus exceptio regulæ prohibitarum nuptiarum Senatoris cum libertinis, teſtata Ulpiano *lib. 6. ad leges Juliam, & Papiam in l. ſi Senatori 31. Dig. de ritu nupt.* illis verbis: *ſi Senatori indulgentia Principis fuerit permiſſum, libertinam juſtam uxorem habere, poteſt juſta uxor eſſe.* Exceptionis ratio expedita vel ex eo, quia cum Romanæ legis, Juliæ, & Papiæ, auctoritate prohibitio hæc nitatur, *dict. l. Lege 44. & l. Lege 23. Dig. de ritu nupt.* ſubdita etiam eſt Romani Principis indulgentiæ, &, ut loquimur, diſpenſationi, qui non ſolum ſolutus eſt eiſdem legibus Julia, & Papia, *l. Princeps 31. D. de legibus. l. Quod Principi 56.* cum *l. ſeq. D. de legat.* 2. ſed & ſupra eaſdem Juliam, Papiamque eſt, tam ut deroget *l. unic. in princ. verſic. Et quemadmodum, Cod. de caduc. tollend. l. Sancimus 27.* cum *l. ſequent. Cod. de nuptiis*; quam ut diſpenſet, indulgeat, ſolvatque juga ipſarum ſingulatim, vel in commune, *l. 1. & 2. Cod. de infirm. pœnis cœlib. lib. l. 1. Cod. de jure libert.* quoniam, ut de Imperatoribus in hoc ipſo veniæ prohibitarum alioquin nuptiarum argumento, ſcriptum eſt *in Novella* Leonis 105. *Licitum eſt, ut quibus Deus univerſi terrarum orbis, tamquam familiæ cujuſdam adminiſtrationem demandavit, hi ſecus quam lex, quæ ſubditos devincit, præſcribat, familias cogant.*

2 Cujus auctoritatis in Principibus Romanis, ſcilicet diſpenſandi in nuptiis prohibitis ſolo Romano Jure, extant documenta conſpicua in *l. Solet 10. D. de his, qui notant. infam. l. penult. Cod. de interd. matrim. inter tut. l. 1. Cod. ſi nuptiæ ex reſcript. pet.* & quoad Senatoris cum libertina conjugium, in peculiari, & ad vetus hoc jus reſpiciente Conſtantini Sanctione (de qua & ſuo loco) in *l. 1.* illic: *Aut noſtri prærogativa Reſcripti. Cod. de naturalib. lib.* & quod ulterius eſt, diſpenſandi, vel in nuptiis, alioquin illicitis, impedimento ſanguinis. *l. Celebrandis 19. Cod. de nupt.* juncta *l. ultim. Cod. de inceſt. nupt. l. 2. Cod. ſi nuptiæ ex reſcript. pet.* & huc itidem referendis *l. Qui in Provincia 57. §. 1. D. de ritu nupt. l. ſi adulterium 38. §. Fratres 4. & §. iidem Pollioni 6. D. ad leg. Jul. de adulter.* cum ſcitiſſimis Caſſiodori locis *lib. 7. form. 40. & 46.* At de his, & ſimilibus, ſimulque quando, & quatenus in re connubiali, Romani Cæſares, tamquam Pontifices Maximi, Jura dederint, differemus, fundate magis & fuſe, poſtremo ad leges noſtras excurſu, de auctoritate politica in matrimoniis.

3 Illud hic ſaltem, & ſignate ad Ulpianum in *dict. l. ſi Senatori 31.* notamus, tractari ab eo theſin de indulgentia Principis pro connubio Senatoris cum libertina, ſive, ut hæc fiat juſta uxor Senatori; non item è contrario, & de indulgentia pro connubio Senatoriæ fœminæ cum libertino: idque taxatim, neque inconſulto. Quippe ut Senatori libertina eſſet uxor, quamvis obſtarent Julia, & Papia leges, neque infrequens omnino fuit, neque probroſum adeo, ut non aliquando ſit viſum, permiſſumque, ut innuit declamator ille apud Senecam *lib. 7. controverſ. 6.* tametſi Marco Antonio exprobratum à *Cicerone Philip. 2.* At, ut Senatoria fœmina fiat juſta uxor libertini, impermiſſum, improbatumque ſemper, ante, & poſt Juliam Papiamque leges, ac vel poſt Juſtinianum, ex ratione illa juſtopolitica, ſtrictioris, ſeverioriſque honeſtatis in conjugiis, exigendæ à nobilibus fœminis, quam à viris; de qua toties, tam multaque ad caput de ingenuorum connubio cum libertinis *lib. 3. cap. 4.* & nuper *cap. 34.* ubi & exemplum dedimus, rei appoſitum, de Senatore libertinam habente, cui dignitate amiſſa, fit ea juſta uxor, quæ ante non erat; ea Ulpiano in *l. ſi quis in Senatorio 27. D. de ritu nupt.* & è contra de Senatoris filia, libertinum ſequuta, quæ ei non fit uxor, etiamſi pater Senator deſinat, ex Papiniano in *l. Filiam 9. Digeſt. de Senatorib. l. Generali 34. §. ultim. D. de ritu nupt.* cui non diſſimile illud, quod eodem capite expendimus de permiſſis patrono ingenuo cuivis, non Senatorio, nuptiis cum liberta ſua. *l. Uxorem 15. Cod. de nupt. l. ſi rogatus 20. §. Matrimonii, Digeſt. de manumiſſ. vind.* & ex adverſo abſciſſe inhibitis, coërcitiſque patronæ cum liberto, *l. 3. Cod. de nuptiis. l. Libertum 64. Digeſt. de ritu nupt.* Paulus *lib. 2. ſentent. tit. 19. §. ult.*

Addimus, illuſtrandæ magis huic notæ, aliam ex 4
eodem Ulpiano in *l. ultim. D. de Senatorib.* dum ſcribit, nuptas prius Conſulari viro, ſi iterum minoris dignitatis viro nupſerint, quo facto, & jure excidunt dignitate prioris conjugii, deſinuntque eſſe Conſulares. *l. 1. & l. Mulieres 13. Cod. de dignit. lib. 12. l. Cum te 10. Cod. de nupt. l. Filii 22. §. Viduæ, D. ad municip. l. Fœminæ 8. D. de Senatorib.* tamen ut nihilominus in Conſulari dignitate maneant (ad exemplum indulti ab Antonino Caracalla, Juliæ Mammeæ conſobrinæ ſuæ, & Alexandri Severi matri) ſolitas impetrare id à Principe, *quamvis perraro*, ait exerte Ulpianus, & quidem eo forſan intuitu; quia nuptiæ Conſularis, aut patritiæ fœminæ cum inferioris ordinis viro, veluti cum Romano Equite, aut plebejo alioquin nobili, utcumque non prohibitæ, ſed permiſſæ, juſtæque eſſent poſt Canulejam, & ante, ac poſt Juliam, Papiamque leges, ut prænotavimus *hoc lib. cap. 1. & alibi*, tamen nunquam caruere cenſura flacceſcentis matronalis patritiæ dignitatis in fœmina ejus Ordinis, denubente inferiori viro, fueruntque Civitati hæ nuptiæ *inter partes mœroris*, ut de Julia illa, denupta Rubellio Blando, Romani Equitis nepoti, edixit Tacitus *6. Annal.* ſaltemque habitæ impares, & indecoræ, & proinde patritia eas iniens vix digna, ut à Principe impetret retentionem Patritiatus, *niſi perraro. dict. l. ult. Dig. de Senatoribus.*

Sit jam ſequela veluti, & acceſſio Ulpiani ſen- 5
tentiæ in *dict. l. ſi Senatori 31. D. de ritu nupt.* nova, notaque Conſtitutio *l. Imperialis 23. C. de nupt.* cujus prolixiori contextui non commentarium, ſed recitationem paraphraſticam jungimus, ſeu ſummam Capitum. Primum eſt in §. 1. licere ſcenicis mulieribus, deſerta ſcena reſipiſcentibus, nubere qualicumque Illuſtri dignitate, vel dumtaxat ingenuo natalibus, ut expoſuimus *lib. 3.* & reſtitui famæ, dotalibus tamen inſtrumentis confectis, & Reſcripto Principis impetrato. Cui tamen Conſtituto, quoad requiſitum inſtrumentorum dotalium in nuptiis eorum, qui non ſunt ex Illuſtribus, ſive majori dignitate decoratis, fuit poſtea derogatum à Juſtiniano in *Novella 117. ut liceat matri cap. 6. in fine* juncta *Novella 89. quib. mod. natur. cap. 1. §. 1.*

Secundum eſt in §. *ſed &* 2. filios ex ejuſmodi 6
nuptiis cum ea, quæ ſcenica fuit, ſuſceptos, eſſe ſuos, legitimoſque patri, eique cum aliis ex priore matrimonio legitimis, ſuccedere, correcta hoc capite, & in hoc caſu, Conſtantini *Conſtitutione in l. 1. in princip. Cod. de naturalib. lib.*

Tertium in §. *ſed etſi tales* 3. eaſdem ſcenicas, Re- 7
ſcripto ſemel reſtitutas, etiamſi deinde non nubant, permanere adhuc integras famæ, & cum teſtamenti factione, tam ut eis ſuccedatur, quam ut ipſæ ſuccedant ex teſtamento, vel ab inteſtato: in eoque vel tacite detrahitur, ac veluti derogatur legi Conſtantinianæ, quæ ſcenicas, ac ſimiles fœminas fecerat impotes dati, ſeu commendati ab Illuſtribus, quorum nuptias affectaſſent. *dict. l. 1. §. 1. Cod. de naturalib. lib.* vel reſpicitur ſimul ad vetera Conſtituta, quibus ſuccedendi, aut capiendi ex teſtamento jus, in meretricibus, ac proinde in ſcenicis deminutum, reſtrictumque ex parte, certiſque caſibus, *l. 9. D. ſi à parente quis fuer. manum. l. ſi filiam 19. Cod. de inoffic. teſtam. l. Miles 41. §. Mulier. 1. D. de teſtam. mil.* Suetonius in *Domitiano cap. 8.* Dio Caſſius *lib. 57. & 58.* dum tamen è contrario memorſis, ſcenicas, meretriceſque non fuiſſe Jure priſco

Romano

Digitized by Google

Romano incapaces omnino neque teſtandi. *l. ſed & qui* 5. *D. ad S. C. Trebell.* neque capiendi ab inteſtato, *l.* 2. §. *ſi mulier* 4. *D. ad S. C. Tertyll.* neque ex teſtamento capiendi. *l. cum tabulis* 16. §. *Quoniam*, *D. de his, quæ ut indign.* Hieronym. *epiſtol.* 83. *ad Nepotian.* ex quo, & aliis hæc obſervavimus *lib.* 3.

8 Quartum deinde caput ejuſdem *l. Imperialis* 23. §. *Similes* 4. eſt, ſimiles illis, quæ Imperiale Reſcriptum promeritæ, futuras ſcenicas, quæ dignitatem aliquam conſecutæ ſunt, etiam ſine libello ſupplici apud Principem, ſed ultronea illius (& ut hodie loquimur, *motu proprio*) donatione dignitatis ante matrimonium, quomodo recte Accurſius exaudit in *dict.* §. *ſimiles*, quippe ea dignitate, perinde ac Reſcripto, reſtitui fœminas famæ, & connubio, alioquin eiſdem prohibito. Exemplum damus, capiti huic illuſtrando, ex Ulpiano in *l. Etiam* 4. *D. de jure aur. annul.* & compar, ſeu coævum magis ex eodem Juſtiniano in *Novella* 18. *de triente, & ſemiſſe cap. ult.* queis traditur, libertinam, jure aureorum annulorum impetrato, ut in *dict. l.* 4. vel etiam ancillam, quam dominus pro concubina, & ex ea filios habuit, ſi manumiſſa poſtea ſit, & jus aureorum annulorum impetraverit (quod quid aliud eſt, niſi dignitas Equeſtris Ordinis, honore ingenuitatis? *l. unic. Cod. ad leg. Viſell. l.* 2. *Cod. de jure aur. annul. l. Falſa* 33. §. 1. *D. de cond. & demonſtr.* Plinius *lib.* 33. *natur. hiſtor. cap.* 1. & 2. aliique alibi laudati, & noti) fieri, tamquam ingenuam, juſti, & alioquin prohibiti connubii compotem, filioſque juſtos: ſicut ſi jus ſtolæ ab Imperatore impetraſſet, ut Hieronymus ſcripſit, loco ad rem gemello, *epiſt. ad Oceanum* 83. de quo & aliis plura jam ſupra *hoc libro.* Nec diſſimilis ad rem ſenſus, *Canonis* 38. *Concil. Triburienſis* ſub Formoſo I. illic: *Ancillam per manumiſſionem, & Regalem largitionem liberam factam, legitime in matrimonium duxerit.* Ad quem tamen, & alia Nos *lib.* 3. & ad caput ingenuorum connubii cum libertinis.

9 Quintum eſt in §. *His illud* 5. ſcenicarum filias, natas poſt matrum reſipiſcentiam, non arceri à connubio, ſcenicarum filiabus inhibito, *legibus noſtris*, ſcilicet Julia, & Papia, itemque Conſtantini, & Valentiniani *l.* 1. *Cod. de naturalib. lib. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* junctis, pro decidendi ad Juſtinianum ratione, *l.* 2. *verſ. Filiis, Cod. de libert. & eor. lib. l. ultim. Cod. de liber. cauſa. l.* 2. §. *ſed ſi pater* 3. *cum ſeqq. D. de Decurion. l. Moris* 9. §. *Plane, D. de pœnis. l. Emancipatum* 7. §. 1. *D. de Senatorib.* (quantumvis in hoc ipſo ſeveriorem fuiſſe cenſuram veterum legum, & apprehendiſſe etiam filias ſcenicorum, qui ante, aut poſt eas natas reſipuiſſent, & ſcenici eſſe deſiiſſent, licet colligere ex *l. Palam* 43. §. *Non ſolum* 4. *l. Lege* 44. §. *An & is* 4. *cum* §. *ſeq.* ubi & prænotavimus ſupra, *D. de ritu nupt.*) rurſuſque in *dict. l.* 23. §. *His illud* 4. natas ante reſipiſcentiam, & ex matre tunc ſcenica, poſſe libello ſupplici integrari à Principe, famæ & connubio, ineundo tamen cum dotalibus inſtrumentis *dict.* §. *His illud* 4. cui proximum eſt, & ſubſequitur Sextum in §. *ſed ſi à ſcenicæ* 6. nempe natas non tantum ſcenica tum matre, ſed & quæ ſcenica uſque ad mortem fuit, poſſe, ea mortua, à Principe impetrare veniam famæ, & nuptiarum, alioquin eis prohibitarum prioribus *legibus*, de queis nuper.

10 Septimum jam, poſtremumque adjicitur in §. *Imo etiam* 7. *dict. l.* 23. nuptias cum ingenua muliere, exceptis inceſtis, nefariis, aut alioquin illicitis, & exceptis nuptiis cum ſcenicis, quando & quatenus permittuntur ea *l.* 23. valituras exinde, etiam ſine dotalibus inſtrumentis, & ſine diſtinctione honeſtatis perſonarum, remoto priſco, quod ſupponebatur, jure de matrimonio inter impares non contrahendo, niſi cum inſtrumentis dotalibus: de quo tamen, & novo, ac priſco jure, quia & excedit hujus paraphraſis, & *d. l.* 23. quæ de ſcenicis, & proſcenicis lata, terminos, dicemus proprie magis, & ſigillatim ad *l. à Caligati* 21. *Cod. de nupt. infra.*

11 Concluditur in *dict. l.* 23. ejuſque extrema cautio, & clauſula eſt in §. *His illud* 8. pertinere eam Conſtitutionem ad præteritas nuptias ab initio illius Imperii cum ſcenicis initas, eaſque inde cenſendas, & firmandas, ſimulque uxorum, & filiorum juſta jura: quod utique, niſi nominatim caveretur, contra eſſet. *l. Etſi contra* 6. *Cod. de nupt. l. Eos, qui* 65. §. 1. *l. Qui in Provincia* 57. §. 1. *D. de ritu nupt.* juncta regula *l. Leges* 7. *Cod. de legib.*

12 Succedunt paraphraſi *dict. l.* 23. dubitandi, ac decidendi rationes ad id Conſtitutum, quæ neque excedent brevitatem paraphraſis. Dubitandi ea aperta, quia connubii prohibitio cum ſcenicis, ſive ludicris, ex noſtris legibus, non fuit tantum cum his, quæ nunc ludicræ, ſed cum his etiam, quæ fuerunt, ſive quæ artem ludicram faciunt, fecerint. *l. Lege* 44. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt.* junctis Ulpiano *tit.* 13. *l. Qui libertinus* 37. *D. de oper. lib. l. Marito* 24. *D. ad leg. Jul. de adulter. l.* 3. §. *Lege, D. de teſtib.* ſicut & cum his, quæ palam corpore quæſtum faciunt, fecerint, ex eodem Ulpiano in *l. Palam* 43. §. *Non ſolum* 4. *D. de ritu nupt.* & quidem hæ, quæ fecerint, etiamſi facere deſierint; *neque enim aboletur turpitudo, quæ poſtea intermiſſa eſt. dict.* §. *Non ſolum* 4. cujus ratione adjunximus plura recoquenda *lib.* 3. nunc autem pro dubitatione ad Juſtinianum, ſatis ſit, addidiſſe, famoſas, ſeu probroſas fœminas, etiamſi pœnituerit, ideoque & merito *ignominiæ eximantur, propter propoſitum mutatum in melius; laudanda eſt enim nequitiæ pœnitentia:* nec vetentur nubere aliis. *cap. Scenicis* 96. *de conſecrat. diſtinct.* 2. *cap. Inter opera* 20. *de ſponſalib.* tamen vetari ſaltem debuiſſe, ne à ſcena, aut lupanari migrarent ad Senatorios thoros, quomodo hæc, & alia facunde Philo Hebræus de vetito cum ejuſmodi fœminis conjugio Sacerdotibus Hebræis *lib.* 2. *de Monarchia*; nec diſſimili ſenſu Tharaſius *epiſtola ad Joannem Presbyterum* inſerta *Synodo ſeptimæ, ſeu Nicenæ* 2. ne vel inter ethnicos Tacitus *de Germanis: Publicatæ pudicitiæ nulla venia; non forma, non ætate, non opibus maritum invenerint.*

13 Fuerunt tamen, vel prætexuntur pro decidendi rationibus in *dict. l. Imperialis* 23. tres vel potiſſimæ. Prima, Imperialis benevolentiæ cura erga ſubditos lapſos, cujuſmodi ſcenicæ iſtæ ſunt, ſublevandos, & meliorandos, *dict. l.* 23. *in princip.* Secunda, divinæ clementiæ imitatio, in ignoſcendo peccatoribus pœnitentibus. *dict. l.* 23. in *princip. verſ. Nam ita.* Tertia, exemplum natalium reſtitutionis in libertis, quod ſcenicis reſipiſcentibus applicabile, *dict. l.* 23. §. 1.

14 Enimvero, ut jam à recenſendo ad cenſendum de eiſdem rationibus, agnoſcimus eas, quæ pro decidendo expenduntur in *dict. l.* 23. prævaluiſſe merito, ut ſcenicæ reſipiſcentes, ſive quæ ſcenicæ eſſe deſierunt, reſtituantur Imperiali Reſcripto famæ, & connubio, vel cum ingenuis, contra præteritas leges illas noſtras, de queis Ulpianus in *dict.* §. *Non ſolum* 4. & *dict. tit.* 13. *cum ſupra laudatis.* Sic enim & ſancta vetus Eccleſia ſcenicas, aut meretrices, quæ pœniterent, & ſcenam, ac meretricium ejurarent, admittebant ad baptiſmum, & nuptias, ut ex Illiberitano *Canone* 44. & 62. & Africano *Can.* 12. quin apud Gratianum in *cap. Scenicis* 96. *de conſecrat. diſtinct.* 2. & *cap. de his* 12. 33. *quæſt.* 2. ſimulque ex Auguſtino *libro de Fide, & operibus cap.* 21. & *de octo Dulcitii quæſtionibus.* Sic item, & ante Juſtinianum, Chriſtiani Cæſares, præeuntibus Eccleſiæ Conciliis, ſcenicos ad baptiſmum admiſſos, tametſi antea ſcenæ deditos, addictoſque, eadem liberabant. *l.* 1. & *l.* 4. *l. Scenæ* 8. *cum l. ſequ. Cod. Theodoſ. de ſcenic.* (ad quas docte alia Gothofredus) juncto *Canone* 30. Concilii Africani ſub Bonifacio, & Cœleſtino, quibus ſucceſſere conſonantes Juſtinianicæ leges, *ultima Cod. de nupt.* & 33. *Cod. de Epiſcop. aud.* & *Novella* 51. *ſcenicas non ſolum, cap.* 1. ſic denique ſolo reſipiſcentiæ, & emendatioris vitæ intuitu, & ante Juſtinianum ſcenicæ fiebant expertes

ſcenici miniſterii, Reſcripto Cæſarum, ut in *dict. l.* 4. in fine, repetita in *l. Quæcumque* 9. in fine, *Cod. Theodoſ. de ſcenic.*.

15 Atque eo uſque laudabiliter, nec ſine exemplo in *dict. l.* 23. Atqui in eadem tranſitus fit, ut non modo ad famam, nuptiaſque cum ingenuis, alioquin prohibitas, reſtituantur ſcenicæ reſipiſcentes, ſed etiam ut nubant Illuſtribus, qualicumque dignitate, & gradu, cum dotalibus inſtrumentis, ſi ex animi ſententia, & quidem libero, & politico ſenſu æſtimes, utcumque eam apologetice tueri, aut excuſare, conetur Gabriel Trivortius pro Juſtiniano *cap.* 11. *num.* 3. *&* 4. fuit plane ſine exemplo, nec dumtaxat contra Romanas noſtras leges, quas ſecutus Conſtantinus *honeſti amantiſſimus*, *& morum ſanctiſſimus cenſor*, *ſcenicarum mulierum fæce geniales Senatoris thoros contaminari prohibuerat*, ut de eo ſcriptum eſt in *Novella* Martiani 4. *de matrimon. Senat.* juncta *l.* 1. *Cod. de natur. liber. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* Sed etiam præter ipſam Eccleſiæ ſanctæ politiam, diſciplinamque, quæ quamvis ſcenicas pœnitentes, & ejuratas admittebat ad baptiſmum, & nuptias, non tamen ad eaſdem nubendas, retinendaſve cum Clericis, ut addiſcere licet ex *Can.* 18. *Apoſtolorum*, qui apud Gratianum in *cap. ſi quis viduam* 15. juncto *cap. ſi cujus* 11. *cum ſeq.* 34. *deſtinct. cap. Maritum.* 2. 33. *diſtinct.* & Toletano 4. *ſub Siſenando Can.* 43. (de queis junge, quæ ſcripſimus infra *lib.* 3.) neque utcumque converſas, continenteſque ſcenicas, referebat inter Diaconiſſas, de quo eſt inſignis atteſtatio Taraſii, ſupra pro dubitando allata; ſicut neque ſcenicos ipſos, quantumvis reſipuiſſent, inter ſacros Miniſtros, ut Innocentius Primus ſcripſit *epiſtol.* 24. *ad Patres Toletanos cap.* 1. *&* 2. Idque ex ea honeſtiſſima Philonis jam laudati cenſura, quia utcumque reſipuerint, idcircoque reſtitui ad famam, & nuptias famæ non incongruas; ſit Imperialis providentiæ, & pietatis, ut oſtenditur in *dict. l.* 23. indignum tamen è ſcena migrare ad Senatorios thoros, cum maneant, ut itidem Philo expreſſit, *vel in animis pœnitentium cicatrices quædam*, *& veſtigia nequitiæ priſtinæ.* Et ut ex Claudio in *ejus vita* Suetonius *cap.* 16. *extet ſaltem litura.* nec comparabilis ex æquo ſit, ſed ut contenditur in *dict. l.* 23. favorabilior natalium reſtitutio in libertis, utpote per quam eluitur macula, naſcendo contracta, ſine libertorum culpa. *l.* 2. *& ultim. D. de natal. reſtitut.* juncta *l. Spurii* 6. *verſ. Non enim*, *D. de Decur. l. unic. Cod. Theodoſ. de mulier. quæ ſe ſervis*, quam reſtitutio famæ in ſcenica, quæ ſuo admiſſo famam amiſerat. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. ult.* §. *ult.* illic: *ſuo admiſſe. D. de pœnis.*

16 His ex Juris ratione & diſciplina præmunitis, ducimur, neque inviti, ut credamus Procopio Cæſarienſi in *anecdotis*, ſive *arcana*, ut vocant, *hiſtoria*, dum ſcribit, Juſtinianum, ut cum Theodora planipede pridem, & ſcenica, nuptias, quas moliebatur, perficeret, auctorem fuiſſe Juſtino, avunculo, legis ferendæ, qua cum ſcenicis meretricibus nuptiæ Senatorijs viris permitterentur. Porro eam legem fuiſſe, quæ extat in *dict. l. Imperialis* 23. inſcriptam Demoſtheni Præfecto Prætorio, & adſcribendam Juſtino Majori (ut agnoſcit, adſcribitque, non agnoſcentibus Cujacio, & aliis, recens, nec male notus ſcriptor Antonius Galvanus *de uſufr. cap.* 31. *num.* 9. & ante eum Nicolaus Alemanus *ad Procopii anecdota pag. notar.* 37.) non Juſtiniano, cujus alia, & diverſa in eodem Codice Conſtitutio eſt, Reſcriptum, de quo in *dict. l.* 23. in matrimonio ſcenicæ cum Illuſtri; non requirens. *L. ult. verſ. Licentiam*, *Cod. de nupt. l.* 33. *Cod. de Epiſcop. aud.* eoque intuitu *dict. l.* 23. ſcenicis ſolis, quarum ex fæce Theodora fuit, non de aliis ignominioſis, & perinde à connubiis inhibitis, nominatim indulgeri, prænotatum jam probabiliter Nicolao Alemano, nupero editori Procopii, cujus locus fere ita habet: *tum ii* (Juſtinianus) *cum Theodora inire nuptias molitur. Nam cum non liceret Senatoria dignitate præditis viris, meretricem fœminam ducere uxorem* (*quod priſcæ leges prohibebant*) *ille ad ſolvendas eas leges adigit Principem alia*, *novaque lege*, *& exinde Theodoræ matrimonio jungitur*, *aliiſque omnibus aditum aperit ad meretricias nuptias.* Alia de connubiali toto jure à Theodora ad libidinem ſuam redacto, deturpatoque cum ſaltatricibus, & ſcenicis idem Procopius in *eiſdem anecdotis pag.* 77. à quo quoad Juſtiniani fœdas nuptias cum proſtibula (exerrans tamen in Antoninæ, Beliſarii uxoris pro Theodora, nomine) non valde diſcrepat Aimoinus *lib.* 2. *hiſt. Francor. cap.* 5.

17 Sane his, ut indicavimus, ducimur, ut credamus Procopio, quoad editorem, cauſamque edendæ Conſtitutionis *d. l.* 23. Namque extra eam, & quoad alia anecdota ejuſdem libri, ſi de auctore, & illis cenſorem agere, noſtrum nunc eſſet, non diffiteremur, vitam eam ſcriptionem ſemper fuiſſe ſequioris animi, & fidei, cum non modo ſit retractatio publicarum, quas apud Juſtinianum; ac de ejus laudibus habuerat, laudationum, ut Nicephorus notat *lib.* 17. *hiſt. Eccleſ. cap.* 5. & in non paucis palinodia, hiſtoriæ ipſius vivo, ac lecturo Juſtiniano oblatæ, atque editæ (quem, ac Theodoram ſimul, ne extra rem exemplum perquiras, *lib.* 1. *de ædific. Juſtiniani*, merito laudavit de extructo Regia impenſa, & pietate, *pœnitentiæ*, ut vocabant, monaſterio, atque in id è lupanari redactis mulierculis reſipiſcentibus, in *anecdotis* 16. hoc ipſum in deterius capit, & carpit) & quod vel magis eſt, Beliſarium illum, *Decus Romanorum*, ut de eo ex nummo Juſtiniani Cedrenus, & cujus perpetuus Aſſeſſor in Perſicis, Vandalicis, Gothicis, nec tam Hiſtoricus, quam Panegyriſta, fortitudinis, liberalitatis, juſtitiæ, continentiæ, aliarumque Beliſarii virtutum, ſimulque perſpicacis, ac vividi ingenii, fuit Procopius in *Vandalicis lib.* 1. *& in Gothicis lib.* 3. eumdem ille idem in *anecdotis*, inertem Imperii prædonem, avarum, perjurum, ac demum Antoninæ uxoris lenonem, belloque, ac pace contemptibilem deſcribit. Quæ ſingula, ut vera eſſent, nunquam tamen effugiet Procopius quin vel in *publica hiſtoria*, atque ultro publicata, Græculus adulandi prudens, vel in *arcana* imprudens, & calumniandi artifex fuerit.

18 Quamquam & rurſus, ſi de rebus ad eaſdem narrandi modum, geniumque tranſeas, neque excuſatior in his Procopius, ſive dum tot indigna, & obſcena, & privata perſonarum ſcelera, non tam poſteritati in documentum, quam ſeculo, & naturæ ipſi ceſſura in dedecus, commemorat, hærente, & occupato in tot impuris ſtylo, neque, ut debuit, modeſte, & modice, inſinuaſſe contento, juxta præceptiones hiſtoricas Ariſtotelis 3. *Rhetor. cap.* 7. Polybii *lib.* 1. *&* 3. & Halicarnaſſ. *lib.* 1. ſive dum eas ipſas narrationes onerat plauſtris conviciorum, & ut alibi *de anecdotis*, Cicero 2. *ad Attic. epiſtol.* 6. Theopompina aſperitate, & obtrectatione, quæ non minus averſanda in Hiſtoricis, quam fœda adulatio. At deſinimus, id ſaltem addidiſſe, contenti, & gratulantes nobiſcum, eadem fere de Procopii anecdotis cenſuiſſe eruditum ex Gallia Ariſtarchum, Motam Vayerium 1. *tom. opuſc.* ubi de Hiſtoricis, & ubi de Procopio, & ex profeſſo Gabrielem Trivortium in *obſervat. apologet. pro Juſtiniano*, *& in Procopii anecdota cap.* 26. *& ſeqq.* utrumque, poſt hæc ſcripta, à me viſum.

CAPUT

CAPUT XXXVI.

Ad appendices legum Juliæ, & Papiæ. Et ex profeſſo ad Conſtantinum in l. 1. Cod. de natural. liber.

ARGUMENTUM.

P*Oſt Orationem Marci, & Senatus Conſultum ſuis ſuccedanea huic capiti Juliæ legis*, nobilis lex Conſtantini 1. Cod. de natur. lib. *Inſcripta ea ad Gregorium, & quis ille in aliis Conſtantini legibus, & apud Optatum. Subſcripta, ſive ut ſubſcriptio habet*, Data, ſeu lecta Carthagine: *in quo mendum, niſi ſi referatur ad eum locum, in quem tranſmiſſa, ut legeretur, ſeu publicaretur: ut in aliis Conſtantini legibus, & inter alias in* l. 16. Cod. de ſponſalib. *in qua* Facundi *nomen reſtitutum. Conſtantinianæ legis, quam commentamur, ſumma. In illa, pro voce*, Præfectos, *legi oportere*, Perfectiſſimos. *Quinam iſti ſub Conſtantino, & poſtea ex ejuſdem, & aliorum legibus, & illius ævi Scriptoribus. Fuere Senatoribus proximi, aut ſecundi gradu, & dignitate inter eas, quæ codicillis Principes deferuntur. E converſo Equites Romæ ſecundi poſt Senatores, ſeu Clariſſimatum, inter eos Ordines, ex quibus illa Urbs, ſeu Populus Romanus conſtabat. Sic conciliandæ, & exponendæ* l. unic. Cod. de equeſtr. Dignitat. libr. 12. & l. 1. Cod. Theodoſ. de his, qui ven. ætat. *Ratio ampliandæ Juliæ probibitionis ad Perfectiſſimos, petita ex eorum dignatione.*

1 PRoperat jam ad metam labor hic noſter, & perluſtrato Juliæ legis capite de maritandis Ordinibus, & quæ ad illius verba, aut ſententiam in Juris libris pertinent, commentationibus, & analectis, venimus eo tandem, ut diſquirere dumtaxat reſtet, quando, & quatenus prohibitio hæc Senatorii connubii cum libertinis, aut ignominioſis permanſerit, vel ampliata, ac retenta ſit, aut deminuta, vel abolita. Seponimus autem ſtatim, quæ ad caput de ingenuorum nuptiis permiſſis cum libertinis, & de prohibitione cum probroſis, ac de veſtigiis, & abrogatione priſci illius juris, Eccleſiaſticis, & novioribus civilibus legibus, ſcripſimus ex profeſſo *lib.* 3. idque, ne actum agamus, in his, quæ & transferre huc promptum eſſet. Seponimus item, nec moramur, Orationem Marci, & Senatus Conſultum, quibus ampliata, firmataque prohibitio Juliæ, Papiæque legum in Senatoriis connubiis, ut in *l. Oratio* 16. *D. de ſponſalibus. l. Oratione* 16. *l. Palam* 43. *§. Senatus, D. de ritu nuptiar. l.* 3. *§.* 1. *verſ. Ergo, D. de donat. inter.* de queis, quaſi appendicibus legum noſtrarum, affatim ſupra hoc libro.

2 Acceſſit illas poſt, & ſervata in hunc locum appendix alia, & ampliatio ex nobili Conſtitutione Conſtantini ad Gregorium, quæ extat in *l.* 1. *Cod. de natural. liber.* lata ea circiter ad extremum Imperii Conſtantini *anno* 336. Nepotiano, & Facundo Conſulibus, & inſcripta ad Gregorium, eaque inſcriptionis ad Gregorium nota inſignitur à Juſtiniano in *Novella* 89. *quib. modis naturales, cap.* 15. & *Novella* 117. *ut liceat matri, cap.* 6. Extant porro ad Gregorium Conſtantini *leges in Theodoſiano Codice* 2. *de contrah. empt.* & ſub eiſdem Conſulibus Nepotiano, & Facundo, *l.* 3. *de annonis & tributis*, ubi & epigraphe cum Præfectum Prætorio nuncupat. Fuit, ut conjicere licet, ille idem Gregorius Præfectus, quem Donatus, ſchiſmatis, & hæreſeos Donatiſtarum Carthagine caput, & Præſul (à quo ſub Conſtantini extremis annis, & dein ſub Conſtantio, Donatiani, ſeu Donatiſtæ, teſte Hieronymo *de Scriptoribus Eccleſ. cap.* 104. *& ad Euſebii Chronicon ad annum Conſtantini* 22.) fortaſſe quoniam Conſtantini in Donatiſtas Edicta exequebatur, non dubitavit inſolenter laceſſere, ut eſt apud Optatum Afrum *lib.* 3. *de Schiſmat. Donat.* illo loco: *Et de fonte levitatis ſuæ multa maledicta effudit, non minus quam in Gregorium aliquando, ad quem ſic ſcribere minime dubitavit; Gregori, macula Senatus, dedecus Præfectorum, & talia; cui Donata Præfectus patientia Epiſcopali reſcripſit.*

3 Sed & quoad ſubſcriptionem *d. l.* 1. *Cod. de natural. lib.* ubi ſic habet: *Dat.* ſive ut eſt apud Haloandrum, *Lecta* 12. *Kal. Auguſt. Carthagine.* Obſerves, oportet, (ſi, *Data*, vocem referas ad locum, diemque illius Conſtitutionis ſubſcriptæ, ut ex Romano more, & ſenſu Suidas in *voce* Δατὸν) non potuiſſe eam legem dari, aut ſubſcribi Carthagine à Conſtantino, quia Conſtantinus eo anno, & Conſulibus Nepotiano, & Facundo, ac proxime ſecuto anno, qui & ei Imperii, ac vitæ poſtremus, vix exceſſit Conſtantinopolim, & Nicomediam Bithyniæ, ubi & in ſuburbano deceſſit ſub ipſum Pentecoſtes feſtum, & Feliciano, ac Titiano Conſulibus, ut liquet ex Eccleſiæ, & ſeculi faſtis, & ex Conſtitutionibus aliis datis eodem anno, & Conſulibus Conſtantinopoli *d. l.* 2. *de contrab. empt. l. Cum Decuriones* 22. *de Decurionib. l. Eum, qui* 5. *de Judæis, in Cod. Theodoſ.* ex queis & corrigenda epigraphe *l. Si quis* 4. *C. Theodoſ. de annon. & trib.* & adſcribenda ea lex Conſtantio, non Conſtantino, collata convincendo mendo *l.* 2. *de diſtrab. pignorib. in eod. Cod.* Quamquam rectius adſcribat eam legem 2. Conſtantino juniori Jacobus Gothofredus illic in *notis*.

4 Sed ut ad rem, & juxta hæc, eſt emendanda itidem ſubſcriptio *dict. l.* 1. *Cod. de natural. lib.* ut pro *Carthagine* legatur *Conſtantinopoli*, vel exaudienda, quod & certius eſt, & referenda ad eum diem, quo primum è Conſtantinopoli, ubi edita, fuit tranſmiſſa Carthaginem, ut illic legeretur, ac publicaretur, & ad Gregorium fortaſſe Italiæ, & ideo Africæ Prætorio Præfectum, ideoque Donato, & illius ſectæ inviſum. Quomodo & frequens eſt, in ſubſcriptionibus Conſtitutionum Cæſarum, exprimi diem, locumque Metropolis Provinciarum, ſeu Diœceſeon, ad quem tranſmiſſæ, ſive ubi acceptæ, ut videre eſt in *aliis* Conſtantini, *& anni ejuſdem legibus in Theodoſii Codice l.* 1. *Ne Chriſtian. mancip. l. Sacerdotes* 2. *quemadmodum civil. mun.* & præ aliis in *l. ſi à ſponſo* 5. *de ſponſal.* inſcripta ad Tiberianum Vicarium Hiſpaniarum, cum integra hac ſubſcriptione *Dat. Id. Jul. Conſtantinopoli; Accepta* 14. *Kal. Maji Hiſpali, Nepotiano, & Facundo Coſſ.* ex qua & ſupplenda, & reponendum *Facundi* nomen, pro *Pacato*, in eadem Conſtitutione apud Juſtinianum *l. ſi à ſponſo* 16. *Cod. de ſponſalib.* ſilentibus ad hæc, atque alia, poſt Cujacium, utroque Gothofredo.

5 Jam vero ſumma Conſtantini Conſtitutionis hæc; Senatores, & qui alii nominantur, fieri infames, & exleges Romanis, ſi ex ancillis, & aliis, quæ recenſentur fœminis, ſuſceptos filios habeant pro legitimis; & donata eiſdem, aut matribus eripi, & transferri ad juſtos filios, agnatos, cognatos, & eorum defectu ad Fiſcum. Quo in Conſtituto id primum notandum, quantumvis Conſtantini verba, qualia in Juſtiniani Codice extant, non exprimant ſignate inhibitionem, & irritationem conjugii Senatorum, & ſimilium, cum memoratis illis fœminis, tamen dum ſtatuunt filios, matreſque eſſe illegitimos, & incapaces, ſatis ea ipſa ſententia ſupponere inhibitionem matrimonii, ſicut & iſto ſenſu accepta Conſtantini lex fuit à Martiano in *Novella de matrim. Senat.* illis verbis, *de Conſtantiniana lege: Nam cum ſanciret, ne Senatori* (deinceps) *habere liceret uxorem, ancillam, ancillæ filiam*, cum reliquis;

& in l. Humilem 7. in fine, Cod. de inceſtis nupt. Juſtiniano *dict. Novell.* 117. *cap.* 6. Secundum, & proprie illuſtrandum eſt, ampliari à Conſtantino, & produci ad perſonas alias prohibitionem Juliæ, Papiæque legum, & adaugeri effectu, ac pœnis: de queis nunc ſigillatim.

6 In primis ergo præter Senatores, quos ex Julia lege nominat Conſtantinus initio *d. l.* 1. *C. de natural. lib.* & Juſtinianus Conſtantini hanc legem memorans, vocat λαμπροτάτους, ſeu Clariſſimos, noto Senatorum epitheto. *Novell.* 89. *quib. mod. natur. cap.* 5. junctis notatis ſupra *hoc lib. cap.* 1. ampliatur prohibitio ad *Præfectos*, ut vulgata lectio habet, ſane inconcinne, quia ea appellatio, ſi ad Præfectos Prætorio, aut Urbi referas, qui ſub Conſtantino, & ab Alexandro uſque Severo omnes Senatorii, imo & ſupra Senatores dignitate, & Illuſtrium Primi, ſuperflue exprimeretur, cum prohitione Senatoria apprehendatur ex ratione *l. Obſervandum* 49. *D. de ritu nupt.* Quod ſi referenda ad alios *Præfectos* inferioris ordinis, veluti annonæ, vigilum, aut caſtrorum, nominandi ſpeciatim fuerant, & parum apta generalis Præfectorum mentio, tot, præter eos, altiorum, & humiliorum graduum Præfectos, confundens, ac miſcens, argumento ex *l.* 2. *Cod. ut dignit. ordo ſerv. Novella* Juſtiniani 62. *de Ordine Senatorum.* Sed obſervatum jam Cujacio, pro *Præfectis*, ſubſtitui, ac legi oportere, *Perfectiſſimos*, ut eſt in editione Haloandri, legiturque in *Novell.* Martiani *de matr. Senat.* illic: *Nam cum ſanciret, ne Senatori, Perfectiſſimo, Duumviro.* Et apud Scholiaſtem *libri* 38. *Baſilic. tit.* 1. *ad l.* 6. §. 14. *D. de excuſat. tutor.* utcumque pro vulgata ſtet Antonius Auguſtinus *ad Modeſtinum.*

7 *Perfectiſſimorum* autem voce deſignatur dignitatis ordo, ac titulus, extra, atque infra Senatum, & poſt Illuſtres, Spectabiles, ac Clariſſimos, quo ſub Cæſaribus medii Imperii, & maxime poſt Conſtantinum, ornari ſoliti plerique, militaris, aut Palatinæ, ac Provinciarum adminiſtrationis merito, & gradu (& ut Juſtinianus *dict. Novella* 89. *cap.* 15. eos, qui Conſtantino Perfectiſſimi, Græce exaudit διασημότατοι, ſeu *valde inſignis*, vel abſque eo, ſolis codicillis perfectiſſimatus, ut vocabant, ab Imperatore impetratis: ut eſt dicere ex *l. unic. Cod. Juſtin. & Theodoſ. de perfectiſſim. dignit. l. Divo* 11. *Cod. de quæſtion. l. Cum reis* 18. quæ in Theodoſiano eſt 4. *cum epigraphe, Cod. de pœnis. l. Scriniis* 7. *in utroque Cod. de palatin. ſacr. largit. l. Orphanotrophos* 32. *Cod. de Epiſcop. & Cleric. l. Actuarios* 10. *Cod. Theodoſ. de numerar. l. Cunctos* 26. *l. Quicumque* 44. *de Decurion. & l. Omnes* 7. *de privileg. eorum, qui in Sacr. Palat. mil. in eodem Codice.* junctis ex Conſtantino cum inſcriptionibus *l.* 3. quæ apud Theodoſium eſt 1. *Cod. fin. regund. l.* 2. *in Theodoſ.* 1. *Cod. de bonis vacant. l. Univerſis* 15. *Cod. Theodoſ. de Decurionib. l. unica, eodem Codice de his, qui veniam ætat. impetr.* quæ interpolata à Triboniano extat in *l.* 2. *verſ. Sed Senatores, Cod. Juſtinian. eodem titul.* & expendendis pro diſtinguendo perfectiſſimatu adminiſtrationis ab honorario ex eodem Conſtantino *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de honorar. codicill. l. Eos, qui* 5. *Cod. Theodoſ. de Decurionib.* cujus Conſtitutionis ad Bythinos partes ſunt *l.* 1. *de Cæſarianis, & l.* 3. *de Cohortal. in Cod. Theodoſ. & l.* 1. *de Murilegulis in Cod. Juſtin.* Et eſt Perfectiſſimorum gradus mentio in utriuſque Imperii notitia, & apud Ammian. Marcellin. *lib.* 21. Symmachum *lib.* 10. *epiſtol.* 55. & 40. *ac* 41. Auguſtinum *lib.* 3. *contra Creſconium, cap.* 7. *& Epiſtol.* 68. Eumenium in *Orat. de inſtaur. Mœnian.* Macrobium 5. *Saturnalium, cap.* 22. & ſine ſtata gradatione Lactant. *lib.* 5. *divin. inſtit. cap.* 15. *in fin.* & in veterum inſcriptionum loculis, quos non excutimus.

8 Duo ſaltem ad rem obſervanda. *Primum* eſt, Perfectiſſimatus honorem, & titulum, ſi cum eis ſolis conferatur, aut recenſeatur, qui vel officii adminiſtrati jure, vel allectione, & codicillis Principis deferuntur, proximum eſſe Clariſſimatui, ſeu Senatorio gradui, & honori, atque ab eo veluti ſecundum, & Equeſtri veluti majorem, ut colligitur fere ex gradatione illa apud Conſtantinum in *l. unic. verſic. Ita ut Senatores, Cod. Theodoſ. de his, qui veniam ætat. l. Omnes* 7. illic: *A primis quibuſque gradibus uſque ad Perfectiſſimatus Ordinem. Cod. Theodoſ. de privil. eor. qui in Sacro Palat.* Ammian. Marcell. *lib.* 21. ubi ſic de Conſtantio erga tribuendas celſiores dignitates parco, & nihil novante: *Nec ſub eo Dux quiſquam cum Clariſſimatu provectus eſt; erant enim, ut nos quoque meminimus, Perfectiſſimi.* At ſi non tam codicillos, aut officium in Perfectiſſimatu reſpicias, quam eos gradus, atque ordines, quibus Romana Urbs, ac populus, diſtinguebatur, quiſque in eo præcipui, fuit procul dubio, equeſter ordo, ac dignitas, ſecunda poſt Clariſſimatum. *l. unic. Cod. de equeſtri dignit. lib.* 12. Signanterque illis verbis ejus Conſtitutionis in Theodoſiano. *Equites Romani, quos ſecundi gradus in Urbe omnium obtinere volumus dignitatem.* eoque referenda ſignata illa vox, *in Urbe*, quæ à Triboniano omiſſa in eadem *l. unic. Cod. Juſtin. de equeſtri dignitat.* junctis *l. Cum te* 10. *Cod. de nupt. l. Fœminæ* 8. *in fine, l. ultim. Dig. de Senatoribus. l. Mulieres* 13. *Cod. de dignitat. libr.* 12. de queis ad rem ſupra *hoc libro cap.* 1. in *extremo:* idque non tantum Roma vetere, & Juriſconſultorum ævo, ſed etiam poſt Conſtantinum, & ſub Valentiniano Primo, cujus eſt *dict. l. unic. Cod. de equeſtr. dignitat.* eoque ſenſu Auſonius ſub Gratiano, in ludo ſapientum, ubi de Cleobulo, Equeſtrem Ordinem compellat, Orcheſtræ, ſcilicet Senatoriæ proximum, illic: *Interpretare tu, qui Orcheſtræ proximus, gradibus propinquis in quatuordecim, Sedes.* & agnoſcit dignationem, & gradum Equitum eodem fere ſæclo Claudianus 3. *de laudibus Stiliconis: Omnis in hoc uno variis diſcordia ceſſit Ordinibus, lætatur Eques, plauditque Senatus, votaque Patritio certant plebeja favori.* Denique iſto reſpectu prior Equeſtris dignitas Perfectiſſimatu, ut & agnoſcitur digniore conditione, quæ in allectione Equitum requiritur, & gradatione ipſa Conſtitutionum, & titulorum de Equeſtri dignitate, & Perfectiſſimatus dignitate in utroque Codice. Atque ita Equites, & Perfectiſſimi non tam pares, potioreſve inter ſe, quam diverſi, & unuſquiſque ſua conſideratione prior, & proximus Clariſſimatui; quomodo & componendæ diſſidentes alioquin leges, & loci, quamquam parum obſervent poſt Alciatum, Cujacius, Pancirola, Bulengerus, Gutherius, & quod magis eſt, vix diſtinguat Jacob. Gothofredus ad utramque illam Theodoſiani Codicis legem, cujus accuratis alioquin commentariis nuper viſis, hæc proſcripſiſſe non pœnituit.

Secundum eſt, Perfectiſſimos eo ipſo honore diſtingui à Plebejis, neque ſubjici eorum pœnis, & tormentis, *l. Divo* 11. *Cod. de quæſtion.* ſicut neque Equites ex *l. unic. Cod. Theodoſ. de equeſtr. dignitat.* & pleroſque à Perfectiſſimatu provehi ſolitos ad Clariſſimatum, atque Ordinem Senatorium, ut elicitur ex *l. Omnes* 7. *Cod. Theodoſ. de privileg. eor. qui in Sacr. Palat.* juncta *l. Actuarios* 10. *eodem Cod. de numerar.* ſicut ex Equeſtri Ordine pridem, qui fuit veluti Seminarium Senatus, auctoribus Livio, Tacito, atque aliis, juncta, & huc referenda *l.* 1. *Digeſt. de colluſ. detegend.* Unde & ut ad Conſtantinum jam, hac ratione, & intuitu, dignitatis, & ſpei proximæ ad Senatorium Ordinem in Perfectiſſimis, ampliata ad eos à Senatoribus prohibitio Juliæ legis in *dict. l.* 1. *Cod. de natural. liber.* ne illis interim probroſo conjugio fœdatis, & poſtea ad Senatum promotis, inquinaretur ampliſſimus Ordo, argumento ex *dict. l.* 1. *Dig. de colluſ. detegend.* qua & ratione crediderim, ampliationem hanc Conſtantini pertinuiſſe etiam ad Equites Romanos, utpote pares, aut potiores Perfectiſſimis, neque inferiores Duumviris Civitatum (juxta illud Plinii 1. *epiſt.* 19. *ad Romanum Firmum*) ad quos poſtea ampliatio fit, & ex regula *l. Obſervandum* 49. *Digeſt. de ritu nuptiarum.* 9

CAPUT

CAPUT XXXVII.

Ad eamdem leg. 1. Cod. de naturalib. liber. De Duumviris, item de Phœniciarchis, & id genus aliis Sacerdotibus Gentilium.

ARGUMENTUM.

Duumvirorum in Romani Imperii Urbibus nomen, atque honor. Summus hic in illis, dignatione, & ornamentis, cujuſmodi, inter alia, lictores cum faſcibus; ut in l. 53. Cod. de Decurion. & Act. Apoſtolor. cap. 16. verſ. 35. *Duumviri dicti Principes Civitatum, ſive Strategi, & Archontes. Aſſerta, & fulta ex aliis locis vulgata verſio apud Modeſtinum in* l. 6. §. 14. D. de excuſat. tut. *Curiæ, Decurioneſque, ex queis duumviri, imagines Romani Senatus; atque inde ratio ad Conſtantinum in* noſtra l. 1. C. de natural. lib. *De Sacerdotibus Gentilium pro eadem lege, & Modeſtino in* l. 6. §. 14. D. de excuſ. tut. *Hi generali nomine Sacerdotes, Flamines, & in Hiſpania non ſemel Pontifices, ac exaudita de eis* l. ult. §. 24. D. de muner. & honor. *Iidem proprio nomine Phœniciarchæ in Syro Phœnice, Syriarchæ in Syria Prima, ſeu Cœleſyria: Alytarchæ in Antiochia, quorum in Cæſarum legibus illuſtratur mentio. Illuſtratur itidem de Aſiarchis, & exponitur, ac ſuſtinetur contra Cujacium, & Albaſpinum, vulgata verſio* Act. Apoſt. cap. 19. *Ornamenta Sacerdotum, & Flaminum, inter alia, Coronæ, de queis* Canon Illiberitanus 55. *Ex eis, & quia eorum honor compar, & comparatus ſæpe duumvirali, & ſingularia eorum privilegia petita ratio ad Conſtantinum in* noſtra l. 1. *De Voconio Flamine, Inſcriptio Hiſpanienſis relata ad Voconium Plinianum.*

1 Ampliatur deinde prohibitio Juliæ legis ad eos, *quos*, ut loquitur Conſtantinus, *in Civitatibus duumvirilitas, vel Sacerdotii, id eſt, Phœniciarchiæ, vel Syriarchiæ ornamenta condecorant.* De duumviris, eorumque juriſdictione plura, nec inculcanda nunc, *libro 3. cap. 6.* laudatis eo loci ex noſtratibus D. Emanuel. Gonſalin Tellin, & Suarin Mendoſa, & jam nunc Jacobo Gothofredo *in paratitlis, & commentariis ad titul. & leg. Cod. Theodoſ. de Decurionib.* Illud proprie ad hunc locum, duumviros in Civitatibus, fuiſſe in pleriſque Magiſtratus ſummi gradus, & honoris. *l. 1. D. de albo ſcrib.* dictoſque à numero duumviros, quamvis unius vice fungebantur. *l. Magiſtratus* 25. D. *ad municip.* & in quibuſdam municipiis non duo, ſed quatuor viri, quinque viri, aut ſeviri erant, & dicebantur. *l. unic. cum inſcriptione, Cod. de ſolution. & deb. Civit. lib.* 11. & in aliis Ædiles, Prætores, Conſules, Dictatores, Poteſtates. *l. 2. Cod. ſi ſervus, aut lib. ad Decur. aſpir. l. Qui Inſulam* 30. §. 1. *D. locati. l. unica, D. de via publ. & ſi quid in ea.* Sed in pleriſque, ut initio poſuimus, duumviri, qui & ideo intelliguntur, generali appellatione Magiſtratuum Municipalium. *l. In honorariis* 35. *in fine, D. de obligat. & act. l. ultim. C. de judic. l. 3. Cod. quo quiſque ordine conv. lib.* 11. *l. ſi ad Magiſtratum* 18. *Cod. de Decurion.* & alibi paſſim. *Et in* Illiberitano *Canone* 56. illic: *Magiſtratum vero anno, quo agit duumviratum.*

2 Plane erat, ut diximus, duumvirilitas, maximus in pleriſque municipiis honor, ad quem ex Decurionum Ordine eligebantur, & plebejis aditus non erat. *dict. l. 1. D. albo ſcrib. l. Honores* 7. §. *Is, qui* 2. *D. de Decurion.* & ad inſtar Romanorum Conſulum, inſignes erant ornamentis, & lictoribus cum faſcibus, ſive, ut olim, bacillis. *l. Item* 15. §. *unde* 39. *D. de injur. l. Duumvirum* 53. *Cod. de Decurionib. lib.* 10. Petronius in *Satyr.* de Trimalcione Seviro Auguſtali: *In poſtibus Triclinii faſces erant cum ſecuribus mixti.* Apulejus *lib.* 10. *Miler.* ubi de quinquennali municipali Magiſtratu, *& ut ſplendori capeſſendorum reſponderet faſcium.* & *lib.* 1. ubi de Ædili Hypathæ: *Nam & lixas, & Virgas, & habitum prorſus Magiſtratui congruentem in te video.* Et in *Actis Apoſtolorum, cap. 16. verſu* 35. de Magiſtratibus Coloniæ Philippenſium: *Miſerunt Magiſtratus lictores.* Unde & vocantur ἄρχοντες τῆς πόλεως. *in l. Spadonem* 15. §. 9. *D. de excuſat. tutor.* ubi cum Græcus textus habeat, ἐὰν τῆς πόλεως ἄρχων, τοῦτ' ἔστιν, ὁ στρατηγὸς, ut verbum verbo redderet Latinus Interpres, neceſſario habuit vertere: *Si Civitatis Princeps, id eſt, Magiſtratus*; neque eſt, cur reprehendatur ab Antonio Auguſtino; ſic enim idem Modeſtinus nominat in *dict. l. 6. §. Remittuntur* 16. D. *de excuſat. tutor.* & in *l. Scire* 21. *D. de tutor. datis ab his.* Theophilus in §. 4. & 5. *Inſtit. de Attil. tutor.* & in *princip. de ſatiſdat. tutor.* & paſſim in *Baſilicis lib.* 38. *tit.* 8. quin jam olim in Græco textu Lucæ, Magiſtratus Hebræorum, qui Evangelii *cap. 22. verſ. 4. &* 52. dicuntur *Strategi*, ſunt & dicuntur iidem *Archontes. cap. 23. verſ.* 14. & quod Conſtantino noſtro illuſtrando proprium, quos ille in *hac lege* 1. *Duumviros* vocat, *Strategos* Juſtinianus, illam memorans in *Novella 89. quib. modis natur. cap.* 15. Ex queis nec properanti toleranda Mercerii ineptia vertentis pro Strategis, *Exercituum Duces*, apud Harmenopulum *lib. 5. promptuarii, titul. 2. de Curatoribus.*

At ut rurſus de honore duumvirilitatis, ſicut ea maxima in Civitatibus, & Duumviri ad inſtar Conſulum Romanorum, ita & Curiæ ipſæ fuere veluti effigies parvæ, & ſimulachra Romani Senatus in municipiis, & Coloniis (tametſi hæ ab illis olim diſtinguerentur) ut poſt A. Gellium 16. *noct. Atticar. cap.* 13. Juſtinianus *Novella* 38. *de Decurion. in princip.* Diximus hæc, & alia de Curiarum, ac Decurionum honore, & oneribus *ſupra hoc libro cap.* 2. unde & Curia, minor Senatus, & Decuriones minores Senatores, ſuæ ſcilicet Curiæ. *l. Pupillus* 239. §. *Decuriones* 5. *D. de verb. ſign. l. Omnes* 33. *l. Exempla* 36. *Cod. de Decurionib. lib.* 10. Majorianus initio *Novellæ de Curialibus.* Caſſiodorus non ſemel *lib. 2. variar. epiſtol.* 18. & *lib. 9. edicto* 2. in fine, & quoad originem, exemplo Senatorio cenſetur. *l. Exemplo* 36. *Cod. de Decurionib. l. 2. §. Proinde 4. D. eodem tit.* & quemadmodum Senatores, ſeu Clariſſimi immunes à pœnis, tormentiſque plebejorum, ita & Decuriones. *Divo* 11. *l. Decuriones* 16. *C. de quæſtionib. l. Moris* 9. §. *Iſtæ* 11. *cum ſeqq. l. Capitalium* 28. §. *Et ut generaliter* 5. *l. ult.* §. 1. *D. de pœn. l. 3. l. Decurionum* 11. *C. eod. tit. l. 2. §. in filiis* 11. *cum ſeqq. l. ult.* in fin. *D. de Decur. l. 3. D. de veteranis. d. l. Omnes* 33. *C. de Decur. l. In perpetuum* 39. *l. oppidaneis* 47. *l. qui ad Sacerdotium* 75. *l. Omnis* 80. *l. omnes* 85. *l. Principales* 126. *cum l. ſeq. eod. tit. in Theodoſ.* quamquam in eo, ſuæ pro tempore, & caſibus exceptiones. *l. ſi quis Decurio* 21. *Cod. ad leg. Cornel. de falſ. l. Decuriones* 16. in fine, *Cod. de quæſtionib. l. Quilibet* 40. *C. de Decur.* cui poſt Auguſtinum, Cujacio laudatum, jungendus Caſſiodorus *lib. 6. form.* 3. illic: *Curiales etiam verberat*, & ſicut libertini arcentur à Senatu, ſic à Decurionatu. *l. 1. D. de colluſ. deteg. l. 1. & 2. Cod. ſi ſervus, aut lib. ad Decurion.* juncta *l. Libertinum* 9. *Cod. de dignitat.* de qua ſuo loco. Denique ut tot jam tradita Conſtantino illuſtrando ſerviant, viſum eidem merito fuit, prohibitionem ignominioſi conjugii in Senatoribus ampliari ſaltem ad ſummos Curiarum, ſeu minorum Senatuum, ſcilicet duumviros. 3

Sequuntur apud Conſtantinum hi, quos in Civitatibus, ut ait, *Sacerdotii, id eſt, Phœniciarchiæ, vel Syriarchiæ ornamenta condecorant*; quibus verbis ſignari, 4

ri, & comprehendi Sacerdotes gentium, ſive Gentilium ſuperſtitionis, in Civitatibus Provinciarum, nemo jam dubitet, vel ex *Novella* Martiani *de matrim. Senat.* in qua pro verbis his Conſtantinianæ legis, extant illa, *Flamini municipali, Sacerdoti Provinciæ*, utcumque noſtri olim Accurſiani parum hæc ceperint, & ex his Albericus in *Dictionario*, Syriarchiam exaudiat de Præfectura Syriæ: quomodo & vulgaris Interpres apud Modeſtinum in *l.* 6. §. 14. *D. de excuſ. tut.* verba illa: Ἐθνῶν ἱερωσύνη. & poſtea, τῦτ' ἐςὶν ἕως ἐν ἀρχῇ; ſic vertit: *Gentium Præſidatus*, & *quoad in Præſidatu ſunt*, cum vertere debuerit: *Provinciæ Sacerdotium.* Et poſtea: *Quamdiu in Sacerdotio ſunt*, quomodo in eo textu intellexere Græci Scholiaſtæ *lib.* 38. *Baſilic. tit.* 1. *litt. T. & B.* de Sacerdotibus Provinciarum, Phœniciarchis, & Syriarchis, & quidem laudata in eam rem Conſtantini noſtri lege. At hæc notata pridem, ſimulque crebra mentio Sacerdotum Ethnicorum Provinciarum in Juris libris. *l.* 1. §. 1. *D. ad leg. Juliam de ambitu. l. Sponte* 17. *D. de munerib. & honor. l. ſi quis ob honorem* 11. *D. de pollicit. l. Nec protoſtaſiæ* 8. *Cod. de numer. patrim. l. unic. Cod. de peric. ſucceſſ. l. In honoribus* 8. *l. Prætor* 13. *D. de vacat. mun. l.* 4. *Cod. de injur.* & apud Paulum 5. *ſentent. tit.* 30.

5 Illud pro Conſtantino nunc, Sacerdotii communi appellatione, cujus exempla duo ſubjungit in Phœniciarchis, & Syriarchis, complecti eum, qualeſcumque Provinciarum Sacerdotes, & Civitatum Flamines (ſicut duumvirorum nomine jam ante omnes municipales Magiſtratus) & præ cæteris Sacerdotes earum Provinciarum, & municipiorum, qui non ſpeciali aliquo, ut Phœniciarchæ, ſed communi nomine Sacerdotes, ſeu Flamines dicebantur, ut Africani. *l. Quoniam* 21. *l. A ſolis* 46. *l. Africani* 145. *l. Juxta* 166. *l. Duumvirum* 174. *l. Exceptis* 176. *Cod. Theodoſ. de Decurionib. l. Sacerdotales* 20. *eodem Cod. de Paganis.* Et ex eodem Conſtantino, & Codice *l.* 2. *Quemadmodum civil. mun. indicantur.* & in Hiſpania, communi etiam nomine, & promiſcuo, Sacerdotes, & Flamines, ut in Illiberitanis *Canonibus* 2. 3. 4. & 55. quorum extant notæ in lapidibus Tarraconenſibus, Emeritenſibus, Eborenſibus, aliiſque, qui & iidem Pontifices dicti, Inſcriptione illa Hiſpana apud Gruterum *pag.* 31. P. PODIL. AVITUS. P. F. INDULGENTIA PONTIFI. ICADITANOR. LOCUM. SEPUL. ACCEPT. ANTE AED. DEAE MAGNAE CYBELES. QUAM TRATAM MORTE SENSI. Et in alio Aſtigitano, & Arjonenſi, ex queis illuſtranda Pontificis mentio in *l. ultim.* §. *Ab hujuſmodi* 24. *D. de munerib. & honor.* & referenda ad Sacerdotes, ſive Pontifices Gentilium in Provinciis, ut in Hiſpania, qui ñ muneribus patrimonialibus non immunes, tametſi id eis aliquando indultum ſub Theodoſio, de quo Symmachus *lib.* 4. *epiſtol.* 62. juncta *l. Glegam* 10. *C. Theodoſ. de Senatorib.* ad quam Gothofredus.

6 At vero Phœniciarchia apud Conſtantinum, & in *dict. l.* 6. §. 14. *D. de excuſ. tut. Novella* 89. Juſtiniani *cap.* 15. fuit Sacerdotium Provinciæ Phœnices, ſeu Syro Phœnices ad Libanum, & intra ſitæ, quæ & ideo Libanenſis dicitur, ſeu Libanica, in *l. Per Provincias* 10. *Cod. de ædific. priv. & Edicto* 4. Juſtiniani *de Magiſtratu Phœniciæ Libanicæ*, in qua Damaſcus, Cæſarea, Berytus, Helinpolis, & maritimi Sidonii, & Tirii: ſic & Syriarchia Conſtantino, & Juſtiniano, junctis *l. unica*, *Cod. de offic. Com. Or. l.* 2. *Cod. Theodoſ. de expenſ. lud. l. Voluntate* 103. *eodem Cod. de Decurionib. l.* 1. *eodem Cod. de prædiis Senatorum.* Sacerdotium Provinciæ Syriæ Primæ, ut expreſſum eſt in *dict. l. un. Cod. de offic. Com. Or.* quæ & vocata Cœleſyria, & Cava Syria, Libanum inter, & Antilibanum, & Phœnicem, ut Plinius loquitur, *circumfundens.* Cujus Caput Antiochia, quin & in ea (Antiochia ſcilicet) Sacerdotium dictum. Alytarchiæ munus redigitur à Leone Cæſare ad curam ſpectabilis Comitis Orientis, qui Antiochiæ fere reſidebat; ſicut Syriarchia ad moderatorem illius Secundæ Syriæ, quia & utraque Syria Prima, & Secunda fuit ſub officio Comitis Orientis. *dict. l. un. Cod. de offic. Com. Or. l. Voluntate* 103. quæ inſcripta Proculo Comiti Orientis. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* quibus illuſtrandis ſimul cum *dict. l.* 2. *eodem Cod. de jure Fiſci. l. ultim. Cod. de Cupreſſ. ex luco Daphn.* jungendus de Alytarcha, primus obſervatur Cujacius *lib.* 8. *cap.* 13. eique potius, quam Petro Fabro 1. *Agoniſt. cap.* 18. ſubſcribens Jacob. Gothofredus *ad l.* 2. *Cod. Theodoſ. de expenſ. lud.* queis addendus Lucianus in *Hermotimo*, ubi de Alytarcha ludorum Præſide. Nec nos plura de Bythiniarchis, Cappadociarchis, quorum mentio in *dict. l.* 6. §. 14. *de excuſ. tutor.* & Aſiarchis, quorum inibi, & in *dict. l.* 2. *de expenſ. lud. l. In honoribus* 8. *Dig. de vacat. mun.* quos Conſtantinus communi Sacerdotum, & ſimilibus exemplis Syriarcharum, & Phœniciarcharum complexus.

Id ſaltem addimus de Aſiarchis, nihil cauſæ eſſe, cur in *Actis Apoſtolorum cap.* 19. *verſ.* 31. pro verbis illis Sacri Vulgati Textus: *Quidam autem & de Aſiæ Principibus*, tentet Cujacius *ad leg.* 1. *Cod. de pericul. ſucceſſ. lib.* 10. eique temere ſubſcribens Epiſcopus Albaſpinus *lib.* 1. *obſervat. cap.* 22. vertendum eſſe: *Sed & quidam numerariorum Aſiæ Provinciæ*: cum Lucas Græce ſcripſerit: τινὲς δὲ καὶ τῶν Ἀσιαρχῶν ὄντες: & Aſiæ Archontes, ſint, & dicantur proprie Principes illius Provinciæ, ſive Magiſtratus intelligas, ut in *dict. l.* 15. §. 9. *D. de excuſ. tut. l.* 2. § 6. *D. de tutor. datis ab his. l.* 48. *D. de judic.* de queis jam ſupra, quomodo *Lucam* de Magiſtratibus Aſiaticis expoſuit Petrus Alexandrinus in *Canonibus Pœnit.* ſive Primarios Sacerdotes Provinciæ Aſiæ, nam & hi ex Principibus, ſeu Proceribus Aſiæ, ut in *l.* 6. §. 14. *D. de excuſ. tut.* & ut ad rem ſcitiſſime Strabo Geograph. *libr.* 14. ubi de Trallianis Aſiaticis Civibus, καὶ ἀεί τινες ἐξ αὐτῶν, ὅσοι ἐν πρωτεύοντες κατὰ τὴν ἐπαρχίαν οὓς Ἀσιάρχας καλοῦσι. Et ſemper aliqui ex his, *ſunt Principes Provinciæ, quos Aſiarchas vocant.* Strabo idem poſtea *eodem lib.* 14. ubi de Lyciarchis, & *lib.* 17. in extremo, ubi δυνάστας, ſeu *Principes* vocat, ejuſmodi, aut pro eiſdem habet, Provinciarum Præfectos, & Sacerdotes τοὺς ἱερεῖς, neque alio ſenſu Cenſorinus *de die natali*, *cap.* 15. *Officiis municipalibus functus, honore Sacerdotii, in Principibus tuæ Civitatis conſpicuus*, inſinuata hæc Gothofredo *ad l.* 1. *Cod. Theodoſ. de præd. Senator.* & ante illum prænotata Salmaſio *ad Solinum* 1. *tom. p.* 805. 7

Sed & pro elucidandis ornamentis illis, quibus condecoratos Phœniciarchas, Syriarchas, & Sacerdotes ſimiles Conſtantinus ſcribit, memineris, id genus Ethnicis, ornamenta fuiſſe purpuream veſtem, prætextam, & apicem, ſeu pileum acuminatum filo laneo, a quo Flamines dicti, unde & de illis Latinus Pacat. in *Panegyr. Theodoſ. Reverendi municipali Purpura Flamines, inſignes apicibus Sacerdotes.* Et cum Sacris, ſeu ludis præſiderent, virgam, & veluti lictores, lorarios illos, ſeu flagelliferos, qui *Maſtigophori in l. ultim.* §. *Maſtigophori* 17. *D. de muner. & honorib.* (à queis quia & *Alytæ* dicebantur, nominati *Alytarchæ* eis præfecti, ut *ad l. un. Cod. de offic. Com. Or.* ex Phavorino Cujacius) ac præ cæteris coronas, & quidem *aureas Provincialium Sacerdotum*, ut Tertullianus exprimit *de Idolol. cap.* 18. quibus ſcilicet, ut ille itidem *de Corona mil. cap.* 10. *Sacerdotes eorum coronantur.* Ut Nicopolitanus ille Sacerdotii Auguſtalis Candidatus apud Arrianum 1. *diſput. Epicteti*, *cap.* 19. *in fine*: ἀλλὰ χρυσοῦν στέφανον φορήσω. *At auream coronam geſtabo.* Diodorus Sic. *lib.* 36. *in excerptis Photii.* ubi de Battace Phryge Sacerdote Magnæ Deum matris, qui ut ſcripſit, Romæ, ἐφόρει χρυσοῦν στέφανον ὑπερμεγέθη, *ferebat coronam auream inuſitatæ magnitudinis.* Unde & petenda, & prælata jam noſtris lux, & ratio ad *Canonem Illiberitanum* 55. illic: *Sacerdotes, qui tantum ſacrificantium coronas portant.* Innocentium 1. *epiſtol. ad Toletanæ Synodi Epiſcopos, qui poſt Baptiſmum vel Co-* 8

Coronati

Google

rohati fuerint, *vel Sacerdotium*, *quod dicitur*, *ſubſtituerint.* Addimus Flaminalibus viris defunctis, quin & Flaminicis fœminis inter ornamenta fuiſſe decretam ſæpe in Coloniis, & municipiis IMPENSAM FUNERIS, LOCUM SEPULTURÆ, ET STATUAM, ut de Laberia Flaminica Eborenſi legitur in Leiriæ marmore. Atque hæc fuere inter alia Conſtantino inſinuata ornamenta, queis Sacerdotes Ethnici in Civitatibus condecorabantur, quæ & exornandis ſint verbis illis *l.* 4. *Cod. de injuriis: Cum eſſes in Sacerdotio, & dignitatis habitum, & ornamenta præferres.*

9 Ex his eſt in conſpicuo ratio ampliationis prohibiti conjugii cum probroſis fœminis ad Sacerdotes Provinciarum, ſeu Flamines municipales, nempe eadem, quæ in Duumviris, & par illis, ſummaque dignitas Sacerdotum, ſeu Flaminum; unde & paſſim junguntur, & comparantur. *l.* 1. §. 1. *D. ad leg. Jul. de ambitu*, illic: *Magiſtratum*, *aut Sacerdotium. l. ſi quis* 11. *D. de pollicit. Ob honorem*, *vel Sacerdotium.* & poſtea, *honorem*, *vel Magiſtratum.* Paulus 5. *ſentent. tit.* 30. *Petiturus Magiſtratum*, *vel Provinciæ Sacerdotium. l. Quoniam* 21. *poſt Flaminii honorem*, *& Sacerdotii*, *vel Magiſtratus decurſa inſignia. l. Sacerdotes* 60. *l. Qui ad Sacerdotium* 75. *Cod. Theodoſ. de Decurion. l.* 1. *in princip. de ſpectacul. eod. Cod.* Tertullianus *de ſpectacul. cap.* 12. *Quæſturas dics*, *& Magiſtratus*, *& Flamina*, *& Sacerdotia.* Et ſignate, ſimulque *Sacerdotales*, *& Flamines perpetui*, *atque etiam duumvirales*, ut Conſtantinus noſter ſcripſit in *l.* 2. *C. Theodoſ. quemadm. civil. mun. indic.* cui ſimiles *l. Nemo* 77. illic: *Nec vero à Duumviratu*, *vel Sacerdotio incipiat. l. Duumvirum* 174. *eodem Cod. de Decurion.* Et in vetere Inſcriptione Sagunthi apud Gruterum *pag.* 489. *num.* 10. C. VOCONIO. C. F. GAL. PLACIDO AED. II. VIRO. II. FLAMINI II. (& fortaſſe Voconius ille, ut vel curſim notem, fuit Voconius Romanus ille, Secundo Plinio peramicus, quem Flaminem fuiſſe, &, ut videtur, in Hiſpania citeriore, Plinius ſubindicat *lib.* 2. *epiſt.* 13. laudato ejus parente, cuique, & filio applicandus lapis ille itidem Saguntinus apud Gruterum *pag.* 748. *num.* 3. VOCONIUS ROMANOS PATRI OPTIMO, & Voconiæ familiæ mentio in aliis Tarraconenſibus, & Eborenſibus) & plane Duumviri, ac Sacerdotes, ſeu Flamines, utrique ſuo genere, Principes Civitatum, & Provinciarum, ut jam diximus, ſummuſque in eis honor, ad quem & ideo non aſcendebatur, niſi gradatim, *l. Nemo* 77. *l. Qui ad Sacerdotium* 75. *l. Cum ſuper* 149. *Cod. Theodoſ. de Decurion. l.* 1. *D. de albo ſcrib.* utriſque & paria inſignia, & ornamenta, & perfunctis, dignitas ex Comitibus, ſeu Comitivæ tertii Ordinis, *l. Item* 15. §. *Unde* 39. *D. de injur. l.* 4. *C. de injur. l. Quoniam* 21. *l. Qui ad Sacerdotium* 75. *l. Nec cogi* 109. *l. Quicumque* 127. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* utrique immunes à corporalibus injuriis, & pœnis plebejorum, & à præpoſituris, ac muneribus inferioribus, *dict. l. Quoniam* 21. *& l. Qui ad Sacerdotium* 75. *l.* 2. *quemadm. civ. mun. ind.* Utrique ex Ordine Curialium, ſeu Decurionum electi, ut ſupponit Innocentius I. *epiſt. ad Tolet. Synodi Epiſcop.* Utrique dignatione ſaltem pares, ut ſcribebat Julianus illie Parabata *in fragmento Epiſtolæ ad finem* 1. *tom.* Operum illius à Petavio editæ. Atque hæc erant, quæ dicebantur privilegia Sacerdotum *l. Sacerdotes* 60. *Cod. Theodoſ. de Decurionib. l. Privilegia* 14. *eod. Cod. de paganis.* Symmachus 4. *epiſtol.* 62. ad quem alia Juretus.

CAPUT XXXVIII.

Parèrgon, de ſacerdotibus, & templis idolorum, & quamdiu, & quatenus ſteterint, ſub Conſtantino, & Chriſtianis Cæſaribus.

ARGUMENTUM.

IN Conſtantino Magno Chriſtianæ Fidei teſtatus cultus, *ac ſimul deteſtatio Idololatriæ. Deleta ab eo in Phœnice Libanenſi Delubra Veneris*, *ſive Uraniæ. Credita hæc eadem*, *cum Aſtarte Sidoniorum*, *& Cæleſti Carthaginenſium. De Cæleſti duo D. Auguſtini loci obſervati*, *& correcti*, *& Inſcriptio Tarraconenſis. Secundum hæc*, *nec ſine cauſa juventus quærat*, *aut miretur*, *retineri ab eodem Conſtantino in* noſtra l. 1. C. de natural. lib. *privilegia*, *& ornamenta Sacerdotum Gentilium*, *Phœniciarcharum*, *& aliorum. Aſt obſervatur Conſtantini cum Ethniciſmo tolerantia temporaria*, *& politica in non paucis*, *ut in haruſpicinæ abuſu*, *& Gentilium Templis. Permanſere ſub Conſtantino*, *& ad Honorium uſque & Canones Carthaginenſes ſimulacbra Cæleſtis in Africa. Stetere item in Phœnice*, *& Syria Aſtartis Idola*, *queis Phœniciarchæ*, *& Syriarchæ miniſtrabant*, *& everſa tandem Arcadii*, *& Theodoſii junioris legibus*; *cujuſmodi eſt* l. 16. C. Theod. de Pagan. *Proſtabant & ſimilia alibi*, *ut in Ægypto Archierei*, *de queis in* l. 112. C. Theod. de Decurion. *& in Africa Sacerdotes Carthaginis*, *& Provinciarum*, *atque inter has Byzazenæ* (*cujus ſignata mentio in* Gratiani Decreto, & in collatione Carthaginenſi.) *Obſervatur deinde*, *manſiſſe Sacerdotum Gentilium nomina*, *& honores politico reſpectu*, *non ut Ethnicis Sacris præeſſent*, *ſed ut ſpectaculis publicis*, *quæ ſub eorum cura*, *& ſumptu*, *unde & Agonothetæ dicti. Varii de ea re Juris*, *& aliorum loci*, *& Auguſtini unus de Apulejo Madaurenſi. Expoſita*, *& cum aliis compoſita* l. 14. Cod. de paganis, *& diſtincti Hierophantæ Cereris*, *& agrorum à Sacerdotalibus Metropoleon*; *reddita tandem voluntaria ſub Chriſtianis Cæſaribus ea Sacerdotia*, *quamvis non ita olim*, *& juſſum ne à Chriſtianis exercerentur*, l. 103. & 112. Cod. Theodoſ. de Decurion. *& inter Africanos* Canon 27.

1 SEd hem, hæſerit fortaſſe Salmantina noſtra juventus, ac merito quærat, an non aliena, indignaque hæc cura decori in matrimoniis, & ornamentorum Sacerdotum Gentilium in Conſtantino Magno, qui veneranda Chriſtianorum Fide Romanum munivit Imperium, ut de eo ſcriptum eſt in *l. Divi* 5. *hoc eod. tit. de natur. liber.* & qui, ut Oroſius memorat *lib.* 7. *cap.* 28. Paganorum Templa clauſit, vetuitque Idolis immolari, coactis eorum Sacerdotibus, ea in publicum proferre, *magna cum irriſione*, σὺν πολλῷ γέλωτι, ait Euſebius 3. *de vita Conſtantini*, *cap. Pleniuſque*, *& alio*, *idem cap.* 53. *& ſeqq. & lib.* 4. *cap.* 25. *& lib.* 2. *c.* 43. *&* 44. *&* 46. *cum ſeqq.* Sozomenus *Eccleſ. Hiſt.* 1. *cap.* 8. quo referenda eſt de eodem Conſtantino Conſtantii filii teſtatio illa in *l.* 2. *Cod. Theodoſ. de pagan. ſacrificiorum aboleatur inſania: Nam quicumque contra legem Divi Principis parentis noſtri.* Deinde qui Ethnicorum Flaminum, & Sacerdotum privilegia, quæ erant, & ornamenta ad Chriſtianos Antiſtites tranſtulit, ut ex illius Oratione in Senatu habita recitat Baronius *ad annum* 324. *num.* 78. Nicephorus 7. *Hiſtor. Eccleſiaſt. &* 24. Euſeb. *lib.* 10. *&* 14. Cedrenus *in hiſtor. compendio*, ubi de Conſtantini *anno Imperii* 9. *&* 26.

Denique ut & ſpeciatim de Syriarchis, & Phœ- 2
niciarchis, quorum in *noſtra l.* 1. Conſtantinus meminit, conſtat, eum in Phœnice Libanenſi apud Aphacos in vertice Libani, & Heliopoli deleviſſe funditus impura delubra dicata Veneri, quam Phœnices Uraniam vocabant, auctoribus Euſebio in *Conſtantini vita* 3. *cap.* 54. *&* 56. Sozomeno *Hiſtor. Eccleſiaſt.* 2. *cap.* 4. Nicephoro *lib.* 8. *cap.* 33. *& lib.*

lib. 7. cap. 46. Socrate Scholiaſtico *lib. 1. cap.* 14. Eunapio Sardiano *de vitis Philoſoph. in Ædeſio.* Eique Veneri, ſive Uraniæ ſacra feciſſe Phœniciarchas, atque eam ipſam fuiſſe Aſtartem Sidoniorum, & Deam Syriam, cui Syriarchæ miniſtrabant, & Cœleſtem Carthaginenſium illuc à Phœnicibus tranſlatam, cum Phœnices in Africam eructarent, ut in *de Pallio* Tertullianus loquitur, prænotavit ex Herodiano *lib. 5. & aliis omnibus ejus* ille in *ſemeſtribus* Faber *lib. 3. cap.* 2. cui vel in hoc tranſcurſu addiderim locum Auguſtini *de Civit. Dei, lib. 2. cap.* 26. *ubi & quando ſacrati Cœleſtis* (legendum *Cœleſti*) *audiebant caſtitatis præcepta*; & poſtea: *Illinc Virginem deam*, quem de Veſta perperam capiunt Viveſius, & Coquæus, cum ſit de Cœleſti, ſive Urania, de qua *eodem libro cap.* 4. idem Auguſtinus *cap. 4. Cœleſti Virgini*, & quidem, vel Junone, ut malunt Baronius, & Lipſius; vel Venere, ut Pamelius, & fere Auguſtinus *ad Pſalm.* 198. illo loco: *Regnum Veneris, quale erat Carthagine, ubi nunc eſt Regnum Cœleſte?* Et alio ſimili, atque ignoto vulgo, quem adſcribo, ut emendem, *Sermone 29. de Verbis Domini, cap. 10. Carthago in nomine Chriſti manet, & everſa eſt Cœleſtis* (ita legimus pro eo, quod in excuſis libris eſt, *& olim everſa eſt à ſceleſtis; quia non fuit Cœleſtis, ſed terreſtris.*) Reſpexitque Auguſtinus ad everſionem illam Cœleſtis, ejuſque fani, cujus eo tempore factæ meminit Proſper *lib. 3. de prædict. cap.* 38. Utrique porro, ſive Veneri, ſive Junoni tributum nomen Cœleſtis, & Virginis, ſcripſit de Aſſyriis, & Afris Firmicus *lib. de myſter. prof. relig. cap.* 4. & quod reſtat, indictumque, utriuſque ſub Cœleſtis nomine ſuperſtitio per Phœnices, aut Carthaginenſes tranſiit ad Iberos Hiſpanos, ut liquet ex Tarraconenſi lapide apud Schottum, & in Gruterianis *pag.* 318. D. M. C. AVIDIO, APAIMULO. SACERDOTI COELESTIS. INCOMPARABILE RELIGIONIS. EJUS. C. AVIDUS. VITALIS. PATRI. B. M.

3 . At ut rurſus de re ad Conſtantinum, diſcat, ne hæreat Juventus, illud in primis, Conſtantinum, quamvis, ut diximus, Idolis immolari vetuerit, & quæ memoravimus, fana everterit, non tamen omnia, neque omnino, vitandis Ethniciſmi furentis Romæ, & alibi ſeditionibus, ut ex Theodoreto 5. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 20. explicite Nicephorus *lib. 12. cap.* 25. & præterquam quod haruſpicinæ publicum uſum, &, ut vocat, ritum, eique exercendo aditum ad aras, & delubra, improbandis perquam legibus permiſit, *l. 1. C. Theod. de pagan. l. 1. & 2. de maleſic. eodem Cod.* connivens ſcilicet Gentilibus, quantumvis eum, ut rei inſcium excuſare nitatur D. Ambroſius *ep.* 30. ſed connivens ut dixi, ut & Valentinianus I. in *l. 9. C. Theod. de maleſic.* conſtat tamen, manſiſſe Idola, eorumque ſuperſtitionem, vel permiſſam, integro ſeculo, & amplius poſt Conſtantinum ad uſque Honorii, de quo Auguſtinus 1. *de Civitat. cap ultim.* & Theodoſii junioris tempora, de queis poſt alios mox laudandos Nicephorus 14. *hiſt. Eccleſ. cap. 3. in fin.* Quorum tandem Cæſarum Edictis extirpatæ reliquiæ ſimulachrorum Gentilium, in Africa quidem Cœleſtis, & aliorum, petentibus Africanis Patribus *Concilii 5. Carthag. cap. ult.* & poſtea ſecutis ad Rectores Hiſpaniæ, & Africæ, *l. ſicut 15. & ſeq. l. ædes 18. l. Sacerdotales 20. l. ult. de pagan. in Theod. C. & in Juſtin. l. 3. & 5. l. nemo 7. eod. tit. Novell.* Theodoſii *de Judæis, §. Hinc perſpicit.*

4 Sic deinde & in Oriente eiſdem Arcadii, & Theodoſii legibus, ac præcipue in Phœnicia, quæ reſtabant poſt Libanenſe illud à Conſtantino everſum, fana, atque Idola Aſtartis Sidoniorum, & Heliopolis Phœniciæ, & in Syria Apamei Jovis, de queis in ſpecie, ut alia alibi deſtructa omittam, Sozomenus *Eccleſiaſt. hiſtor. 7. cap.* 15. Theodoret. 5. *cap.* 29. & everſionis ſolicitator Chryſoſtomus *epiſtol.* 123. & 126. *ad Ruffinum Presbyterum*, & ad hanc everſionem, poſt illam Conſtantini, quæ huic conferenda, pertinet proprie, & referenda Arcadii *lex ſi qua 16. Cod. Theodoſ. de pagan.* Ac de Aſtarte, ſeu Venere ſub Honorio, explicite illis verbis: *Quam Phœnices nunc tenent*, Macrobius 1. *Saturn. cap.* 21. & de Cœleſti in Africa Ambroſius 2. *contra Symmachum.* Et poſt Honorium ſub Zenone Salvianus 8. *de Provident.* quibus ſcilicet Idolis in Phœnicia, & Syria Phœniciarchæ, & Syriarchæ ad id uſque temporis præerant.

Sic & perſtabant poſt Conſtantinum in ſuis Provinciis Sacerdotes alii, ut in Oſroëna Syriæ accenſita, aut contermina, in qua vel ſub Theodoſio Magno Templum patebat oraculis, *l. Ædem 8. C. Theodoſ. de pagan.* & in Ægypto apud Alexandrinos, Archiereus (ut in Galatia dictus Arſacius ille ἀρχιερεύς. *epiſtol. Juliani* 49.) ſeu Pontifex Summus Serapidis, & Iſidis, cujus ad Pontificatum, ſeu *Archieroſynam Templa, & Templorum ſolemnia pertinere*, legitur in Conſtitutione Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii ad Florentium Præfectum Auguſtalem, quæ & ex his illuſtranda, *l. In conſequenda archieroſyna 102. Cod. Theod. de Decurion.* 5

Sic denique & perſtabant in Africa Sacerdotales, & Sacerdotes Provinciæ, & Metropoleon, ac præ aliis Carthaginis, & Provinciæ Proconſularis, & Civitatum vel ſub Honorio *l. Sacerdotales 20. Cod. Theodoſ. de paganis.* junctis *l. Omnia 43. de hæreticis*, cujus pars eſt *l. Templorum 19. de paganis.* & junctis item *l. Filios 7. l. Quoniam 21. l. à ſolis 46. l. Africani 145. l. Juxta 166. l. Duumvirum 174. l. Exceptis 176. de Decurion. l. ultim. de Tyronibus*, quæ ſunt de Africæ, & Carthaginis Sacerdotibus ad Honorium, & Valentinianum III. uſque, ut de Byzazenis Lybo-Phœnicibus in eadem Africa (quorum Provinciæ, & Concilii mentio in *Theodoſiani Codicis l. Breves 13. de indulg. reliquor.* & in Inſcriptionibus *l. 3. de inofficioſ. teſtam. l. 1. de libert. & eor. lib.* & Byzazenæ Provinciæ in *l. 2. §. 1. Cod. de offic. Præf. Prœt. Afr. l. Multum 12. de divin. offic. l. Ex Byzazena ult. de ſuſceptor. in eod. C.* & Conſularis Byzazenæ in *l. 1. C. de offic. com. rer. priv. l. 1. C. Theod. de conlat. donat.* & Præſidis Provinciæ Byzazenæ, in nobili Inſcriptione Arcadio Proculo iterata ex Romanis apud Goltzium, Smetium, Gruterum, & alios, & Epiſcopi Primatis Byzazeni apud Gregorium *lib. 7. epiſt.* 64. cujus locum à Gratiano, & gloſſis vulgaribus oſcitanter tranſlatum ad Byzantinum, ſeu Conſtantinopolitanum, correxere jam Gregoriani Patres in notis *ad Decreti caput 4. diſt. 22. & Collatione Carthaginenſi* edita à Papirio Maſſono, in qua pro *Burcenſi Provincia*, reponendam Byzazenſem, ſeu Byzazenam, adnotavit eruditus Theologus Phileſacus *de ſacra Epiſc. auctor. cap. 9. §. 11.*) Eſt inquam de Byzazenis Sacerdotibus prope Carthaginem in Tunetano hodie Regno *lex Sacerdotes 60. Cod. Theodoſ. de Decurion.* quam omiſſa de Sacerdotibus mentione, & conſtituto tranſtulit in Juſtiniani Codicem Tribonianus *l. Curiales 25. de Decur. lib.* 10. Unde &, ut pergamus, ſub Honorio denique in Galliis Idolorum, eorumque Antiſtitum ſub Theodoſio mentio frequens Sulpicio Severo in *vita D. Martini, cap. 10. & ſeqq. & dial. 3. cap.* 9. & in Hiſpania Sacerdotium Ethnicum ſubſtinentium itidem ſub Honorio apud Innocentium *epiſtol. ad Patres Toletanæ Synodi.* 6

Secundum, & quod proprium, ac ſatis pro Conſtantino, & juventute eſt, etiam poſt ſacrificia prohibita, uſque ad cadentis poſt Honorium Imperii ſeclum manſiſſe dignitatem, privilegia, & ornamenta Sacerdotum Gentilium, ſeu Flaminum, & Syriarcharum, Phœniciarcharum, ac ſimilium, idque ea politica tolerantia, & reſpectu, quia, cum eorum cura & expenſis ederentur *ſpectacula & ludi, non conveniebat ea convelli, ex quibus præberetur populis priſcarum ſolemnitas voluptatum.* Ut in ſimili ſere expreſſum eſt Conſtantii lege, quæ eſt 3. *Cod. Theodoſ. de pagan.* & ſpeciatim in illa Honorii, ac Theodoſiii junioris 2. *Cod. Theodoſ. de expenſ. lud.* junctis *l. Ut profanos 17. de pagan. eodem Cod. & in Juſtinianeo l. 4. eodem titul.* 7

Per-

Google

8 Pertinuiſſe autem ad ejuſmodi Flamines, & Sacerdotales, Syriarchas, ac reliquos ſpectaculorum, ſeu munerum editiones, quibus & præerant, tam pro explorato eſt, ut fere teſtibus non egeat, *dict. l.* 2. *de expenſ. lud.* illic: *Exceptis Alytarchis, Syriarchis, Agonothetis, itemque Aſiarchis, & cæteris, quorum nomen votiva feſtivitatis ſolemnitas dedicavit.* In qua notandum, Agonothetas, qui nominantur, eſſe eos ipſos, qui Sacerdotii nomine, & jure dicati erant editioni ſpectaculorum, quæ vocatur Agonotheſia in *l. Nec cogi* 109. *Cod. Theod. de Decur. l. ſi filia* 20. §. *Neratius* 7. *D. fam. herc.* unde & Agonotheticæ poſſeſſiones, & Templorum fere pro eiſdem, quia & Agoniſticis impenſis, ſimulque Templorum Antiſtibus deſtinatæ, *l. ſi qui* 5. *C. de diverſ. offic. lib.* 11. *l.* 3. *C. ne rei domin. vel Templ. Novella* Martiani *de prædiis Civitat.* juncta *l. ult. Cod. de fundis patrim. l. Quiſquis* 6. *Cod. de omni agro deſerts. l. Univerſa* 8. *de jure Fiſci. & l. Ædificia* 5. *de locat. fund. reip. & templ. in C. Theod.* quamquam & alii Magiſtratus titulo, vel privatæ editionis jure, atque onere, vocabantur ſæpe ad Agonotheſiam, erantque Agonothetæ, & Præſides certaminum, *l. Septitia* 10. *D. de pollicit. l. ult.* §. *Maſtigophori* 17. *D. de muner. & honor. l. Annuam* 6. *Dig. de annuis leg.* deinde & pro re notandum, Alytarcham in *d. l.* 2. *& in l.* 2. *Cod. de Cupreſſis ex luco daphn.* ſub Theodoſio juniore, eumdemque ſub Gratiano in *l. More* 12. *Cod. Theodoſ. de jure Fiſci*, nominari, & veluti honorari, tamquam ſpectaculorum Præſidem, non ſacrorum, cum Antiochiæ, ubi Alytarchæ, multis ante Theodoſium annis, ſacrificia Alytarcharum ceſſaſſent, conflagratione Templi, & Apollinis Daphnenſis ſub Juliano Apoſtata, de quo plene Baronius *ad annum* 362. Poſtremo & notandum eodem ſenſu in *d. l.* 2. exaudiendam eſſe mentionem Syriarcharum, & Aſiarcharum, ſcilicet tamquam Præſidum ſpectaculorum, non autem Sacrorum, quæ abolita ante eam legem fuiſſe ab Arcadio, & Theodoſio juniore in Phœnicia, Syria, atque Aſia, & ab Honorio in Occidente, jam memoravimus.

9 Porro illud de editione ſpectaculorum, ſeu munerum, ut vocabant, ad ejuſmodi Flamines, Sacerdoteſque pertinere in Provinciis, Coloniis, & Municipiis, liquet ex *l. unic. Cod. de peric. ſucceſſ. par.* juncta *l. Nec protoſtaſiæ* 8. *Cod. de muner. patrim. lib.* 11. Tertulliano *de ſpectac. cap.* 11. 12. *&* 30. *in fine.* Arriano 1. *Epicteti, diſſert.* 19. Luciano in *Hermotimo*, ſive *de ſectis*, ubi de Alytarcha: & illaudata vulgo de hac re Auguſtini *epiſtol.* 5. *ad Marcellin.* in qua illud de Apulejo Afro Madaurenſi: *An forte iſta, ut Philoſophus voluntate contempſit, qui Sacerdos Provinciæ pro Magno fuit, ut munera ederet, Venatoreſque veſtiret.* Et poſt Conſtantinum ultra laudatas nuper ex *l. Qui ad Sacerdotium* 75. *l. Nemo* 77. *l. Voluntate* 103. *l. Africani* 105. *l. Cum ſuper* 109. *l. Exceptis* 176. *Cod. Theodoſ. de Decurionib. l.* 1. *Cod. eodem, de ſpectacul. & l. ultim. de Tyronib.* Julianus Chriſtianorum hoſtis ſimul, ac Simia *epiſtol.* 49. *ad Arſacium Archiereum Galatiæ*, qua illum, Sacerdoteſque ei ſubditos, monet, abſtinere à ſpectaculis: eoque intuitu, & collatio annua, ſeu penſitatio, quam vocabant Syriarchiam, exigebatur, *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de præd. Senat. l. unic. de offic. Comit. Or. & fund.* ut dicebantur, Agonothetici, ſeu Templorum, de quibus nuper.

10 Sed & manebant eodem intuitu editionis ſpectaculorum, Sacerdotibus Gentilium ſua privilegia, nec modo ſub Conſtantino, cujus eſt, & noſtra Conſtitutione poſterior, *l.* 2. *C. Theo. quemadm. mun. civ.* ſed & poſt eum fero uno ſeculo, ut liquet ex *l. qui ad Sacerdotium* 75. *l. Nemo* 77. *l. Africani* 145. *l. Exceptis* 175. quæ Honorii, ac Theodoſii junioris eſt, *in hujus C.* ſupponitque *in verſ. Ipſius*, durare adhuc privilegia dignitatis Sacerdotibus Africæ; cum tamen ea eis adempta, & abolita fuiſſe videantur anteriore *Conſtitutione* Arcadii, & Honorii, quæ eſt *lex Privilegia* 14. *C. Theodoſ. de pagan.* Aſt ne contraria hæc cenſeantur, ſupponimus, referendam eſſe *dict. l.* 14. ad privilegia conceſſa, ut ait, *Sacerdotibus Miniſtris, Præfectis Hierophantis agrorum*, in queis veluti latebris, & agreſtium locorum compitis, excluſa Urbibus ſuperſtitio Gentilium, obſtinatior perſeverabat, ut indicatur in *l. ſi qua* 16. *l. Paganos* 22. *cum l. ſeq. Cod. Theodoſ. de pagan.* unde & pagani dicti à pagis, quia in his, & extra Urbes Idololatriæ ſuæ ſerviebant, ut vel diſcere eſt ex Oroſio *lib.* 1. *hiſt. adv. Pagan. cap.* 1. Ejuſmodi autem Sacerdotes, erant Antiſtites illi Vicani Gentilium ruſticorum, de queis Sulpitius Severus in *vita S. Martini*, *cap.* 10. & qui in *dict. l.* 14. nominantur *Hierophantæ agrorum*, nempe ſacrati Deæ Ceteri matri agrorum, & Eleuſiniæ apud Athenienſes, teſte Arnobio 5. *adv. Gentes.* Hieronymo *epiſtol.* 11. *ad Gerontiam*, *& lib.* 1. *adverſ. Jovinianum in fine*, ubi & illos, *uſque hodie*, id eſt, ſua, quæ fuit Honorii ætas, manere affirmat; ſive Hierophantæ Hecatis Cereris filiæ, quæ & Proſerpina, ſeu Perſephone frugifera, & præfecta frumentis germinantibus, ut Auguſtinus ſcribebat 4. *de Civitat. Dei*, *cap.* 8. quo titulo inſigniuntur ſcilicet ſacrati Deæ Ceseri, & Hierophanti Deæ Hecatæ, Ædeſius Prætextatus, & Paulina Prætextati uxor, in Gruteri *Inſcript. pag.* 300. *& pag.* 1102. & in aliis apud Baronium *ad annum* 376. *&* 382. de queis alia Jacobus Gothofredus *ad l.* 14. quem non tranſcribo.

E contrario novior illa lex, exceptis 176. Honorii & Theodoſii junioris, eſt de Sacerdotibus non agrorum, ſed Carthaginenſis Curiæ, & Metropolis, & Provinciarum, ubicumque, quibus, & maxime Carthaginenſibus, privilegia ſua ſtabant, non Sacrorum, quæ damnata, intuitu, ſed ſpectaculorum, quæ edebant, Carthagine, &, ut ſcriptum eſt, *cum favorabili editione*, *l. Africani* 145. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* cum invulgata in hanc rem *lege ult.* quæ eſt Theodoſii II. & Valentiniani III. de Sacerdotibus Carthaginis, *Cod. Theodoſ. de Decurion.* excluſa nempe a privilegiis hiſce, *Sacerdotalium ſuperfluo turba*, ut vocatur in *dict. l. Exceptis* 176. (quanto magis Hierophantis agrorum) & é Carthagine à Metropolibus in Urbes ſuas redire juſſa, ut noviore alia Honorii & Theodoſii *lege Sacerdotales* 20. *Cod. Theod. de pagan.* 11

Enimvero ſtetiſſe ſaltem ſub Theodoſio, Honorii parente, Sacerdotum Gentilium immunitates, & privilegia, oſtendit ſatis unus D. Ambroſius celebri illa epiſtola contra Symmachi relationem, dum de Veſtalibus, atque ultra de Sacerdotibus ſanorum expendit, exprobratque, eſſe illis jus, ex teſtamento Chriſtianæ viduæ capiendi, quod Chriſtianis Sacerdotibus adimebatur Theodoſii *legibus* 20. *&* 27. juncta *l.* 28. *Cod. Theodoſ. de Epiſc. & Cleric.* quas & ſimiliter expendit Hieronymus *epiſt.* 2. *ad Nepotianum*; ac præterea adjicit Ambroſius, immerito Veſtales & Flamines conqueri de alimentis ex publico non præſtitis, & Templorum agris in fiſcum translatis, quod factum fuerat Gratiani Conſtituto, cujus mentio in *l. Sacerdotales* 20. *C. Theod. de paganis*; & repetitum poſtea aliis, de queis ſupra ubi de Agonotheticis fundis. At honores, ornamentaque Flaminum ſub Theodoſio memorat Latinus Pacatus in *Panegyric.* Cenſorinus *de die natali*, *cap.* 15. & vel poſt Honorium Sidonius, *Flaminiæ municipibus invideri*, tamquam honores, ſcripſit *lib.* 5. *epiſt.* 12. Ac denique Innocentius I. *epiſtol.* illa ad Patres Toletanos, *de Sacerdotium ſuſtinentibus, & editiones publicas.* 12

Quibus & Illiberitanis Canonibus 2. 3. 4. & 55. 13 elucidandis, addeſis licet, Chriſtianos Cæſares noviores, utcumque retinuiſſent Flamines, Syriarchas, ac ſimiles Sacerdotes pro favorabili editione, noluiſſe tamen ad ea Sacerdotia, & munera cogi invitos, *l. Voluntate* 103. *l. Juxta* 166. *C. Theodoſ. de Decurion. l.* 3. *de Scenicis*, quæ in Juſtiniani Codice eſt de ſpectac. & quamvis olim cogebantur ſaltem ſemel, *l. Sponte* 17. *D. de muner. & honorib. l. In honoribus*

noribus 8. *l. Prætor* 13. *D. de vacat. mun. l. Nec proſtaſiæ* 8. *Cod. de muner. patrim. lib.* 10. Hieronymus aliis laudatus in vita Hilarionis, & ſub Cæſaribus Chriſtianis Curiales Ethnici, de queis exaudienda *lex Duumvirum* 174. *in fine*, *Cod. Theod. de Decurion.* tamen aperta probibitio in Chriſtianis, ſive illis, *qui à Templorum cultu*, *obſervatione Chriſtianitatis*, *abſceſſerint*, ut proditum eſt de Archieteis in *l. Conſequenda* 112. *eodem tit. & Cod.* Ubi & indigna illa ratio, quæ Canonibus ſacris jungatur: *Quippe indecorum eſt, ìmo, ut verius dicamus, illicitum, ad eorum curam Templa, & Templorum ſolemnia pertinere, quorum conſcientiam vera ratio divinæ Religionis imbuerit, & quos ipſos decebat, tale munus, etiamſi non probiberentur, effugere.* Conducunt *lex* 1. *Cod. Theodoſ. de Fide Cathol. leg. Quoniam* 5. *Cod. Theodoſ. de Epiſc. & Cler.* & in Africanis *Can.* 27. Sit & jam finis huic excurſui, qui & fuit Sacerdotibus Ethnicis, & nominibus Syriarcharum, & Alytarcharum, redacta eorum cura titulis, & ludis ad Comitem Orientis, & Moderatorem Syriæ. *l. unica*, *Cod. de offic. Com. Or.* ſub Leone I. poſt quem & ideo ſub Juſtiniano Phœniciarcharum, & Syriarcharum deſucta, & ignota fere nomina, ut indicatur in *Novella* 89. *cap.* 15. ac ſimiliter Sacerdotum Ethnicorum, & Flaminum, quos & ideo Tribonianus in ſecunda Juſtioiani Codicis *Novella* Martiani *de matrimoniis Senatorum*, ſimul cum Perſectiſſimis, & Duumviris omiſit, nominatis tantum Senatoribus. *l. Humilem* 7. *C. de inceſt. nupt.*

Atque hæc de Sacerdotibus Geotilium, Phœoiciarchis, & aliis, & politica in bis conniventia Cæſarum commentabamur præter Cujacium, Petrum Fabrum, Juretum, Pancirolam, Bulengerum, & alios laudatos noſtratibus Amajæ *ad l.* 1. *n.* 10. *Cod. de muner. & bonor. lib.* 10. Gooſalio in notis ad Illiberit. *lib.* 2. *cap.* 7. & 9. & poſt Baronium, Lilium Giraldum, Gutherium, & ad Tertullianum alios Epiſcop. Albaſpio. *lib.* 1. *obſerv. cap.* 22. & ante editos Jacobi Gothoſredi commentarios ad Theodoſii Codicem, cujus in prolegomenis *ad tit. de pagan.* cum notis ad illius tituli leges, ſimulque *tit. de Decurion. & l.* 2. *de expenſ. lud. l.* 2. *de prædiis Senator.* reperiſſe nos pleraque ex his, quæ ſcripſeramus, & interdum plura non diffitemur, Juris nempe, & aliorum Auctorum, teſtimonia, & ut ſic dixerim, pro ædificio cæmenta, & tigna. At ſat ſit, collocationem hanc, & ſtructuram noſtram ſuiſſe, & in ea erectas aliquot obſervationum columellas. 14

CAPUT XXXIX.

Ad eamdem leg. 1. Cod de naturalib. liberis. Ubi de connubio cum ancilla, liberta, aut ejus filio, & Latina.

ARGUMENTUM.

Juliæ, Papiæque Leges non tam probibuere, quam deſpexere connubium cum ancilla, utpote quod Romano Jure babitum ſemper pro nullo. At probibuit Conſtantinus coërcendæ Nobilium utriuſque ſexus licentiæ, quæ ſuo ſeculo in ſerviles nuptias præceps ibat: ac præ cæteris Decurionum, de queis eſt Conſtantini lex 6. Cod. Theod. de Decurion. *in qua ſub legum nomine intelligendæ Julia, & Papia. Conferuntur Conſtantini aliæ leges pro boneſtate, ac diſciplina morum. Quoad connubium cum liberta firmantur, fulciunturque pœnis leges Juliæ à Conſtantino. Sed in filia libertæ ampliantur probibito connubio, non probibito legibus Juliis. Ampliationis ratio non alia fortaſſe, quam ut comprimeret effrænem abuſum Senatorum in nuptiis cum ejuſmodi ſœminis, quæ utcumque non probibitæ, ſemper tamen viſæ indecoræ Senatoriis. Ad Juliani* legem 9. Cod. de dignitatibus, lib. 12. *animadverſio. De Latinis, vel libertis curſim aliqua. Non fuit cum illis connubium, etiam ante Conſtantinum, niſi ſpecialiter concederetur. Explanati Paulus in ſententiis, & Ulpianus apud Licinium. Nec tamen ideo otioſa probibitio Conſtantini, quippe adaucta ea pœnis, & exacerbata, compeſcendo conjugiorum exceſſui, cum notæ bujus ſœminis. Latina facta, quæ & quo ſenſu exaudienda apud Conſtantinum.*

1 PRoximæ ſunt apud Conſtantinum io *dict. l.* 1. *Cod. de natural. lib.* poſt ampliationes prohibitionis connubialis legum Juliæ, & Papiæ in perſonis maritorom, aliæ in fœminis ducendis: & in his prior illa: *Sed ex ancilla, vel ancillæ filia.* Firmatur hæc ampliatio *in Novella* Martiani *de matrim. Senator. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* Quibus elucidandis memineris, Juliam, Papiamque leges in prohibitione Senatorii conoubii cum indignis fœminis, loogiſſime abſuiſſe ab exprimenda prohibitione in ancillis, ſatiſque habuiſſe, exprimere libertioas, quæ ſunt ancillarum filiæ: idque tanto magis, quia connubium cum ancillis, non modo indignum Senatorio, ſed & inauditum Jure Romano cuivis libero homini; & ut eſt in Plautino prologo, *novum, & quod ſit nuſquam gentium.* Ulpiaous *tit.* 5. *§. Cum ſervis.* Paulus 2. *ſentent. tit.* 19. *§. Inter. l. Proculus* 67. *D. de jure dot. l.* 3. *Cod. ſolut. matrim. l. ſi quis ſic* 57. *D. eodem tit. l.* 1. *D. de divort. Novella* 22. *de nuptiis*, *cap.* 10. & quidem *multo prius hoc ipſum Domino conſtituente, quam initium Romani Juris exiſteret.* Ut in ſpecie expendit *cap. Non omnis* 12. 32. *quæſt.* 2. exponendos nobis infra *lib.* 3. *cap.* 2. Quocirco aut injurioſa Senatoriis poſſit videri, aut ſaltem ſupervacua ampliatio hæc prohibitioois ad conjugia cum ancillis, tamquam exprobrans illis, quæ vel non appetituri, ut indigniſſima, vel à queis ſatis prohibiti, dum vel cum libertinis vetantur.

2 At obſervaſſe rei expediendæ juvabit, flacceſcente cum Romano Imperio morum diſciplina ac decoro, ante, & poſt Conſtantinum, increbuiſſe vel maxime abuſum ſervilium coojugiorum, idque non modo io fœminis ingenuis, & nobilibus, quæ contempte Claudiano Senatuſconſulto, *in plagae contubernii*, ut Conſtantinus vocat, in *l.* 3. *in fine*, *Cod. Theod. ad Senat. Conſ. Claud.* cum ſervulis voleotes ibant, ut ex Tertulliano, & Hieronymo, & profanis Juvenali, ac Petronio, moouimus *lib.* 3. *cap.* 3. ſed etiam in viris oobilioribus, ex queis plerique eo ſeculo ancillas ſuas pro uxoribus habebant, aut uxoribus ſuperinducebant concubinas, & aocillarum ſuarum fiebant mariti, præcipitantes faſtigium noblium matrimoniorum io cubilia obſcena ſervarum, ut de Aquitanis ſuis deplorat Salvianus *lib.* 4. & 7. & eodem ſeculo, ac ſenſu Leo Primus *epiſtol. inter editas* 95. *ad Ruſticum Narbonenſem.* Ambroſius *ſerm.* 3. de S. Joaone Baptiſta ad finem; uterque apud Gratianum in *cap. Non omnis* 12. 32. *quæſt.* 2. *cap. Dicat* 9. 32. *q.* 4. illuſtravimus laudato nuper *lib.* 3. *cap.* 2. Addimus Hieronymum *epiſt.* 83. ad Oceanum, ubi de habeotibus ancillas ſuas pro uxoribus, ſuſceptoſque ex eis liberos, ut proprios. De quo & nos ſupra.

Addimus ad rem magis, jam à Conſtantini ævo, conſueviſſe præ cæteris Decuriones municipiorum, ſeu Civitatum, ut ſe, ſuamque ſobolem ſubducerent curiarum oneribus, quæ gravia jam, & intolerabilia eſſe cœperant, ut nominantur *Novella* Leonis 46. & Juſtiniani 38. *de Decur.* Quibos adjecimus non pauca ſupra, abſtinere à nuptiis legitimis, & confugere ad conjugia ſervilia cum ancillis potentium dominorum, eoque ipſo in gremia, & patrocinium potentiorum, 3

potentiorum, quorum ſcilicet patrocinio, & potentia, contra repetitionem curiarum defenderentur: ut Conſtantinus noſter aliquot ante hanc legem annis commemorat, in *l.* 3. *C. de inceſt. nupt.* quæ eſt *lex Quoniam* 6. *Cod. Theodoſ. de Decurionib.* (in qua præfatum illud; *Nulla præditos dignitate ad ſordida deſcendere connubia ſervulorum, etſi videtur indignum, minime tamen legibus prohibetur.* abſurdum merito videatur, ideoque à Triboniano omiſſum in *dict. l.* 3. *Cod. de inceſt. nupt.* niſi ſi legum nomine intelligantur Julia, & Papia, quæ de nuptiarum cum ancillis prohibitione, nihil ſpeciale ſanxere, quia deſpexere, ut ſupra inſinuavimus; ſenſitque ad illam *l.* 6. Jacob. Gothofredus) ſed & diſerte Leo, ac Majorianus *Novella* de Curialibus, ubi de his: *Illud quoque ſibi dedecoris addentes, ut dum uti volunt patrociniis potentum, colonarum ſe, ancillarumque conjunctione polluerint; itaque factum eſt, ut Urbibus Ordines deperirent.* Conducunt, & ex his illuſtrandæ *l. Ex omnibus* 31. *l. ſi quis* 34. *l. Curiales* 39. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *l. Curiales* 30. *C. de locato. l. Omnes* 178. *verſ. Nec quiſquam, cum l. ſeq. C. Theod. de Decurion. Novell.* Theodoſii *ne Curialis præd. alt. conduc. l. ult. ad finem, Cod. Theodoſ. de patrocin. Vicor. Novell.* 38. *de Decurion.* §. 1. *verſ. Denique, & cap.* 2. Neque exſcribimus Salviani locum *lib.* 5. de ſimilibus patrociniis, & clientelis laudatum Cujacio ad *l. unic. Cod. ut nemo ad ſuum patrocin. lib.* 11.

4 Ergo ea occaſione, & cura Conſtantinus, ut compeſceret Nobilium effrænem abuſum cum ancillis, tanquam uxoribus, herilem lectum aſcendentibus, ut idem loquitur in *l.* 3. *Cod. Theodoſ. de liber cauſa*; ac præ cæteris Decurionum, quorum ex Ordine Duumviri, & Sacerdotales in Curiis erant, quomodo & ſolent, cum vitia exorbitant, inſurgere, & armari nuvæ leges, ampliavit prohibitionem Juliæ, & Papiæ, ad Duumviros, & Sacerdotes, & expreſſit quoad ancillas, nec ſupervacuo, utpote additis pœnis, quæ ſequuntur in hac *l.* 1. *C. de natur. lib.* & quas vetus Juriſprudentia non agnoverat, quia ſervilia connubia, ut contubernia deſpexerat, ex regula *l. Quod attinet* 32. *D. de reg. jur.* juncta Conſtantino illa Juſtiniani traditione in *Novella* 89. *quibus mod. natural. in princip.* Quemadmodum eadem ex cauſa idem, veteri juri de nullitate, ut ſic loquamur, connubii cum ancillis, ſanctionem, pœnaſque addiderat anteriore Conſtitutione. *l.* 3. *C. de inceſt. nupt. l. Quoniam* 6. *in Theod. de Decurionib.* & in mulieres, *ſervorum ſuorum complexibus inflammatas*, animadvertit, *diſtrictiſſimo rigore*, ut ſcriptum eſt in *Novella* Anthemii, *& l. unic. Cod. Theodoſ. & Juſtin. de mulier. quæ ſe ſerv. propr.* & in his, quæ alieno ſervo, intendit pœnas Claudiani Senatus Conſulti. *l.* 1. *Cod. Theodoſ. ad S. C. Claud.* Nec diſſimili ſeveritate idem Conſtantinus cavit de concubinis conſtante matrimonio non habendis. *l. unic. C. de concubinis.* Fuitque acerrimus pudicitiæ vindex in raptores virginum, ac viduarum, *l.* 1. *de accuſat. & l.* 1. *de raptu virgin. in Theod.* cujus poſtremæ eſt pars interpolata in *l. penult. Cod. Juſtinian. pro quib. cauſ. ſervi pro præm.* & in tutores pupillarum violatores. *l. un. in utroque Cod. ſi quis eam, cujus tutor ſuer. corr.* & his, aliiſque legibus, intemperantes, ac libidinoſos concubitus coërcuit, ut Sozomenus ſcribit *lib.* 1. *Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.* 8. *ad finem. D. Hieron. lib.* 2. in *c.* 2. *Eſaiæ.* Nazarius in *Panegyr. ad Conſtantinum, cap. ultim.* Ut proinde & pro merito in hac noſtra Conſtitutione enarranda miligitetur Conſtantinus *boneſti amantiſſimus, & morum ſanctiſſimus Cenſor*, à Martiano in *Novella de matrim. Senat.*

5 Continenter apud Conſtantinum, poſt verba illa, *ex ancilla, vel ancillæ filia*, ſequuntur, *vel liberta, vel libertæ filia:* ad quæ, quoad libertam, nihil eſt, cur moremur, quia ancillæ filia, ſi manumiſſa, & libera eſt, ut ſupponitur (alioquin enim à matre ancilla non diſtingueretur) eſt eadem cum liberta; & pleonaſmus, ſeu redundantia in verbis eſt ſequioris Latinitatis ſub Conſtantino, & ſimiliter eſt plus quam notum, eum liberta Senatoriis non fuiſſe connubium, ex legibus Julia, & Papia, & proinde quoad ancillæ filiam, ſeu libertam, firmavit legum prohibitionem pœnis additis Conſtantinus, non ampliavit. At quoad libertæ filiam, de qua itidem Conſtantinus, ampliatur omnino, & extenditur Juliæ, Papiæque prohibitio, ultra illis legibus expreſſa, quibus, ut ſpeciatim monuimus ſupra, libertæ ſolæ apprehendebantur, quas libertinarum nomine intellexere, uſitata, & civili vel ab Auguſti ſeclo, inter Juriſconſultos, libertinorum acceptione. *l. Lege* 44. *D. de ritu nupt. l. ſi quis libertam* 28. *verſ. Quia lex, Cod. de nupt.* juncta *l. Qui libertinus* 37. *D. de oper. libert.* Libertarum autem filiæ, utpote ingenuæ, *l. Quod ex liberta* 11. *Cod. de oper. libert. l. Libertina* 9. *Cod. de ingen. manum.* & quod magis eſt, libertæ ipſæ, ex ſervitute manumiſſæ, vel ex ancillis natæ, ſi ingenuitatis jus, aut imaginem poſtea conſequerentur, nubere poterant Senatoriis, ut ad leges Juliam, & Papiam, Juriſconſultos noſtros ſenſiſſe, *l.* 4. 5. *&* 6. *D. de jure aur. annul. l.* 4. *D. de colluſ. deteg. l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* prænotavimus ſupra. Quin &, quod ad rem magis, ante, & poſt Conſtantinum, libertorum, ſeu quod idem eſt, libertinorum filii, utpote ingenui, poterant in Senatum allegi, ut ex Juliano proditum eſt in *l. Libertinorum* 9. *Cod. de dignitat. lib.* 12. juncta *l.* 1. *Digeſt. de colluſ. deteg.*

Ex his neque eſt in promptu ratio, ob quam Conſtantinus prohibitionem Senatorii connubii, quæ ex Julia, & Papia legibus intra libertas ſtabat, ampliaverit ad libertarum filias, niſi ut nuper de ancillis, conjectemur de libertarum filiabus, quæ utcumque Juris ſenſu ingenuæ, erant tamen *ſtirpis libertinæ*, ut Ulpianus diſtinguit apud Licin. Ruffin. in *collat. leg. tit.* 16. §. *Item libro*, invaleſcente cum ejuſmodi fœminis (maternæ ſervitutis memoria, & *decolore macula infectis, ac veluti obſcenitatem profeſſis*, ut fere loquitur Martianus Conſtantini interpres *Novell. de matrim. Senat.* quia ſæpe libertinæ eædem, & concubinæ præſertim patronorum ſuorum. *l. ultim. D. de divort. l. Probrum* 41. *l. Etiam* 56. *D. de ritu nupt. l. ſi uxor.* 13. *D. ad leg. Jul. de adult. l.* 1. 2. *&* 3. *D. de concub.* & Conſtantiniani fere ævi *l. Libera* 34. *Cod. de liber. cauſa*, de queis ſuo loco accuratius) invaleſcente, ut dicebamus, & inſaniente in ejuſmodi concubinas tamquam viceconjuges, luxu Senatorum, ut de Saluſtio illo olim Horatius 1. *Satyra* 2. & *de Veſpaſiano* Suetonius *cap.* 3. ac *de Caſſiano Senatore* Papinianus *in l. Cum Tabulis* 16. §. *Quoniam, D. de his, quæ ut indign.* Conſtantinum, honeſti, ac decori amantiſſimum, qui & concubinatum, & ſimiles ſerviles conjunctiones ſatis pridem legibus coërcuerat, ut ſupra memoravimus, eumdemque minime erga libertos indulgentem, quoa vel in aula, & aulicos Chlamide uti vetuit, & extremo loco habuit, ut collaudat Lampridius in *Alexandro* prope finem; & quibus vel ex levi offenſa ingratis pœnam ſervitutis comminatus, *l.* 2. *Cod. de libert. & eor. lib. l.* 1. *Cod. Theodoſ. eodem titul.* exacerbaſſe prohibitionem, & inauxiſſe ad libertarum etiam filias. 6

Ac ne mirere, Julianum poſtea indulgentiorem Conſtantino erga libertorum filios in Senatum allegendos, *dict. l. Libertinorum* 9. *Cod. de dignitat. lib.* 11. memineris ſimul impium Parabatam Conſtantino Orthodoxo ſemper iniquum, & infenſum, ut ex illius de Cæſaribus fabula liquet, & ſimiliorem, faventioremque fuiſſe Gentili ſuo Diocletiano, qui Anulini Senatoris olim libertos, teſte Aurelio Victore, & libertinorum ſtudioſus, ut ſuſpicari licet ex *l. cum affirmes* 8. *cum ſeqq.* uſque *ad l.* 40. *Cod. de lib. cauſ. l.* 3. *ſeqq. Cod. de ingen. manumiſſ.* quamquam ut & quod rei, non ſuſpicionis eſt, dicamus, libertinorum filios allegi in Senatum, utcumque non prohibitum, ſemper tamen probroſum allegentibus, & nunquam admiſſum ſine reprehenſione, & ut Tacitus *lib.* 13. *Annal.* loquitur, de Paride liberto, & Pan- 7

tomimo, *non ſine infamia Principis* allegentis: notumque id ex Suetonio in *Claudio*, *cap.* 24. & in *Nerone*, *cap.* 15. Lampridio io *Commodo*, & *Alexandro.*

8 Sequebatur poſt verba hæc, *liberta vel libertæ filia*, in autographo Conſtantini, *Cive Romana, vel Latina facta*, ut Conſtantioi legem recenſens exprimit iterato Martianus in *Novella de matrim. Senat.* §. *Nam cum ſanciret.* & §. *Humiles.* Sed omiſſa ea verbu io Conſtantini, & Martiani legibus Inſtinianeo Codici inſertis *l. 1. Cod. de natural. lib. l. Humilem 7. Cod. de inceſt. nupt.* quoniam Latina libertate ſublata, & in Civitatem Romanam transfuſa à Juſtiniano, nulla manſit inter Latinam, & Civem Romanam diſtinctio, & ſicubi Latinorum meotio io priſcis legibus, omiſſa ea, aut tranſlata à Juſtinianeis Concinnatoribus, ad jus, nomenque libertatis juſtæ, ſeu Civitatis Romanæ, ot ex aliis, quos non tranſcribo, locis, obſervatum Cujacio, & uiis *ad l. unic. in princip.* & §. *His tantum* 12. *Cod. de Latina lib.* & io *Inſtitutionibus*, §. *ult. de libertin.* & §. *ultim. de ſucceſſ. libert.* & ad Livium *lib.* 43. ubi de Colonia illa Latina Cartejenſium libertinorum, poſt Rævardum, & alios ex noſtratibus eruditiores: & noviſſime, uxque exacte Jacobus Gothofred. *ad l. 3. de hæred. pet. l. 1. de raptu virg. l. 7. ad Sen. Conſ. Claudianum in Theod. Cod.*

9 Mooemus tamen pro elucidanda hac veteris Juriſprudentiæ indicina, Romaois legibus cum Latina fœmina oon fuiſſe connubium, oiſi ſpecialiter concederetur, ut ex Ulpiano liquet *tit.* 5. §. *Connubium* 3. & §. *Ex Cive* 9. & *tit.* 7. §. *ultim.* juncta *l. Lex. naturæ* 24. *D. de ſtatu hom.* Boëtio *ad Ciceronis Topica*, §. *A conſequentibus.* Latinam uotem naſci, vel fieri; quippe Latioa matre quæ naſcitur, Latina naſcitur, & libertinæ nexu, & legibus cenſetur, oiſi poſtea Quiritium jus conſequatur, tametſi hæc eadem, quia non eſt ancilla, ſed ex libera matre, utcumqoe Latinæ libertatis, naſcitur, dicitur, atque eſt ingenua Latioa, ſcilicet iogenua, *quia non eſt manumiſſa*, ſed nata, & Latina, qoia ex Latioa matre, ut quoad hæreditatem legitimam filiorum ejuſce fœminæ, diſtinguit Paulus ſic explanandus 4. *ſentent. tit.* 9. §. *Latina ingenua*; juncto ex ejuſdem Pauli ſententiis *tit.* 10. §. *Ad legitimam:* & proinde huic proprie ingenuæ natalibus, & libertinæ ſtirpe, ac conditione Latina, aptatur diſcretio illa Ulpiani, inter *libertinum*, & *ſtirpis libertinæ* apud Licioium Roffinum *tit.* 16. §. *Item libro.* Latina autem liberta fuit, non tantum manumiſſione per eos modos, quibus Latina olim libertas contingebat, ſed etiam facto legis certis caſibus *l. 1. de raptu virgin.* & *l. unic. de hæred. petit. in Cod. Theodoſ.* atque eſt utriuſque generis veluti exemplum, in natis ex ingenua, & ſervo fiſcali, qui quamvis, quia ex ingenua matre oaſcuntur, Juris cenſura ingenui, fiunt tamen, naſcunturque Latini ex Cooſtitutione Conſtantini, & *mediam tenent fortunam, ut ſervorum liberi, & ſpurii liberorum Latini ſint*; qoomodo, & ſcite ſcriptum in *l. 3. Cod. Theodoſ. ad Senat. Conſ. Claudian.*

10 Quæ cum ita ſint, dubitari merito poteſt, qui neceſſe habuerit Conſtaotinus, Senatoribus inhibere coojugium cum Latinis libertabus, quibuſcum ante Conſtantioum, atque ante, & poſt Juliam, Papiamque leges, quio & citra earum preſcriptum cuivis Civi Romano, etiam plebejo, connubium non erat, otpote cum Latioa noo Cive, *princip. Inſtit. de nupt.* cum ſupra laudatis: deinde cur Conſtantious ſignanter loquatur de *Latina facta*, quaſi ſcilicet aliud ſentiat de connubio cum Latina non facta, ſed outa, ſcilicet ex matre Latina, cum tamen hæc eadem, quamvis ingenua, Latina ſit, niſi ſpecialiter jus Quiritium cooſequatur, excludatur tamquam Latina, & non Civis, a legitima hæreditate filiorum ex Tertylliano, ut ex Paulo poſuimus 4. *ſentent. tit.* 9. §. *Latina*, & *tit.* 10. §. *ad legitimam.* Et cooſequenter itidem à connubio cum Civibus: & multo magis cum Senatoriis, utpote Latina, & libertæ filia, quod poſtremum vel ſatis juxta Conſtantini verba.

11 At, ut paucis reſpondeas licet, & recolas rurſus ud hæc verba, illud ſupra notatum, de exacerbatu à Conſtantino prohibitione connubii cum ejuſmodi fœminis, compeſcendo exceſſui Nobilium in his contuberniis, & ampliata vel ad eas, cum quibus priſco jure conoubium erat, veluti ingenuos libertarum Civium Romanarum filias, & multo magis exacerbata quoad Latinas, nec ſuperflue quoad iſtas, utpote additis, quæ in priſcis legibus non erant, pœnis, quæ exprimuatur in *d. l. 1. Cod. de natural. liber.*

12 Jam quod de Latina facta loquitur, non eo referas, ut aliud ſentiat de Latina nata, quod abſurdum, & abſooum Conſtantino foret, qui apprehendit ea prohibitione ingenuam etiam, Civemque Romanam, natam ex liberta Cive Romana, proinde & quanto magis Latinam natam; ſed de facta loquitur, quia refertur, ſequiturque hæc adjectio præcedentem illam, communemque poſitiooem de liberta, cui regulare eſt, fieri, non naſci, & quidem fieri, ut ſubſequitur, Civem Romanam, aut Latinam, quomodo hæc non ſemel junguotur. §. *ult. Inſtit. de libertin.* Paulus apud Licinium Ruffinum *tit.* 4. §. *Idem Paulus* 1. neque alia huic rei, & nunc de Latiois, de queis alibi ad alia capita noſtrarum legom, ac præ cæteris ad caput de caducis, ac de ratiooe, ob quam id caput io cælibibus extenſum ad fideicommiſſa, ooo extenderetur ad ea in Latinis, ut ex noſtris, tricennio ante hæc, dictatis Salmanticæ, quin & ex diſciplina, quod gloriamur, noſtra commemorat, dignus Schola principe Primarius Anteceſſor, imo digniſſimus, & admotus jum Supremæ Senatoriæ Orcheſtræ, in Caſtellano Regio Senatu, Don Joſephus Retes *repetitæ editionis commentario de interdictis, & releg. lib. 3. excurſu 3. num.* 30. & 33.

CAPUT XL.

Ad legem, a Caligato 21. Cod. de nuptiis.

ARGUMENTUM.

IN vulgati, & Scholiaſte egentis l. 21. Cod. de nuptiis *Textus, & quæ in eo difficilia. His explanandis, dictum in primis, qui Caligati milites, ac dein qui Protectores. Ab illis, tamquam infimi gradus, ad Protectores, tamquam ſummi, gradatio in* Theodoſiano Codice. *Rejecta in* noſtra l. 21. *Pratejana emendatio, & tentata alia. Præpoſiti Laborum, ſeu Labarorum, Protectoribus pares, aut comparabiles. Jam inde ab Auguſti ævo liberti, ad armatam militiam admiſſi, non item ad Palatinam ex Theodoſii lege, quia ea militia inter honores, & ne inſoleſcerent : quæ rationes ſunt* l. 3. de libert. & cor. lib. & l. 1. de Conductor. & hom. dom. Aug. in Cod. Theod. *atque ipſæ ſunt unius Conſtitutionis partes. Protectorum militia fuit dignitas, & in poſt Primicerium decem primi ſequentes, fuere Senatorii. Idcirco quamvis libertorum filii, utpote ingenui, admitterentur ad inferiores gradus militiæ Protectoriæ, non tamen uſque ad proximos Protectori, qui eis nullatenus liciti. Enodata ſic contra Anianum,* d. l. 3. de lib. & cor. lib. *ſcriptura, in nuptiis non neceſſaria, & tamen habita inter ſolemnia priſca nuptiarum; quin & inter neceſſaria in matrimoniis Nobilium, & in nuptiis imparibus : illuſtratur* l. 22. Cod. de nupt. *cum aliis, & Leonis Magni Canon apud Gratianum* cap. 12. 32. qu. 5. *Additur exemplum conjugii inter Latinum,*

Latinum, & Civem Romanam, ex Ulpiano, & Cælicolæ cum terrigena, ex Martiano Capella. Papia lege an, & quid de dotibus cautum. Obſervatur jam, noſtram l. 21. *eſſe ſectionem* d. l. 3. de lib. & cor. lib. *Eſt & illius pars (prænotante hoc Jacobo Gothofredo)* l. ult. C. Juſtin. de lib. & cor. lib. *in qua, Honorii nomine expuncto, emaculata inſcriptio, & ſubſcriptio. Expoſita ea* lex ult. de militia Palatina, *juxta* d. l. 3. *& caſtigatus Tribonianiſmus, & ex eo Baſilicorum erratum. Ex hiſ ſuppleta item ſubſcriptio* noſtræ l. 21. *cujus ſententia, & ratio applicita ad Caligatum militiæ Palatinæ, ſeu Protectoriæ, ac proinde ingenuum, ejuſque nuptias cum ingenua permiſſas; ſine ſolemnitate, uſque ad Protectoris proximos (ſic enim legi malumus) quibus non permiſſæ, ſine ſolemnitate, quia impares, & illi Senatorii. De Inſtrumentis in nuptiis varia Juſtiniani Statuta. Inter hæc illud, ut requirantur in matrimoniis dignitatum Maximarum,* uſqne ad Illuſtres, Novella 117. cap. 4. *pro queis Baſilica, & alii reddunt,* uſque ad Spatharios. *Iſti ſub Juſtiniano, & deinceps fere iidem cum Protectoribus, nempe cuſtodes corporis Cæſaris, & eorum Præfectus Protoſpatharius, & ſub Gothis Comes Spathariorum.*

1 Latuit fortaſſe hactenus, aut præteriit eruditiores, niſi nos in ſubluſtribus his priſci Juris latibulis hallucinamur, Conſtantinianæ legis veſtigium veluti, aut appendix, quæ extat in Theodoſii, & Valentiniani *l. à Caligato* 21. *C. de nupt.* verbis illis: *A Caligato milite uſque ad Protectoris perſonam, ſine aliqua ſolemnitate matrimoniorum, liberam, cum ingenuis dumtaxat mulieribus, contrahendi conjugii permittimus facultatem.* Quorum verborum, niſi per nebulam, vix primo adſpectu conſtet ratio, ac ſententia. Cur enim Caligato militi, ſive gregario, ac plebejo non permittatur conjugium, niſi cum *ingenua dumtaxat* fœmina, ac proinde non cum libertina, cum longe ante Theodoſium Julia, Papiaque legibus, ingenuo civis, præter Senatorium, permiſſa libertinarum conjugia, *l. Lege Papia* 23. *D. de ritu nuptiar.* aut cur Protectori militi prohibeatur, ſignificatur in *d. l.* 21. connubium cum ingenua, quod Senatoriis, & Patritiis permiſſum Julia, & Papia, ac demum Conſtantini lege? *l. Lege Julia* 44. *D. de ritu nupt. l.* 1. *C. de natur. lib. l. Humilem* 7. *C. de inceſt. nupt.* aut quæ denique ratio, ac neceſſitas ſolemnitatis illius matrimoniorum, vel permittendæ ſine illa facultatis eorum, Theodoſii lege in matrimoniis ante eam omni jure permiſſis? *l. ſi vicinis* 9. *l. Neque* 3. *C. de nupt. l. Jubemus* 11. *C. de repud.* Quanto minus in Caligato *Novella* 74. *quib. mod. natur. cap.* 4. *§. Quiſquis* 3. *ad finem.*

2 Profitemur autem in primis, & præfiſcine, & ſcripſiſſe nos hæc, & quæ ſequuntur, ſine ullo duce, utique ante accuratos illos commentarios Jacobi Gothofredi ad Theodoſianum Codicem, & poſt hæc illis editis, nec reperta aliqua in eis, & in *l.* 3. *de libert. & eor. lib.* vel levi *noſtræ l. A Caligato* 21. mentione, quæ tamen pars illius *l.* 3. eſt, ut jam oſtendemus, non diſplicuiſſe qualeſcumque has noſtræ animadverſionis ſtricturas. Ergo pro diſcentibus, tamquam ſi è Cathedra Salmanticæ præfaremur, pauca præmunienda ſunt. Illudque in primis, verbis illis prioribus *dict. l.* 21. *à Caligato milite uſque ad Protectoris perſonam*, deſignari duo veluti extrema, atque Ordines, ſummum, & infimum militantium, ſcilicet Caligatos, quomodo à Caliga, vulgari crurum tegmine, dicti olim Caligati, milites Gregarii, ſive manipulares, & infimæ claſſis, & ut Juſtinianus compellat εὐτελέστεροι, καὶ ἀφανέστεροι, *viliores, & obſcuriores. Novell.* 74. *quib. mod. natur. cap.* 4. *§.* 3. junctis *l.* 10. *D. de excuſat. tut. l. Omne* 6. *§. Sed & Caligatus* 5. *D. de re milit. l. de militibus* 9. *D. de cuſtodia reor.* ad quam alia ex Briſſonio illaudato Dionyſius Gothofredus *l.* 2. *D. de his, qui not. infam.* in qua pro Caligatis, aut recte habet textus Baſilicus *lib.* 21. *titul.* 2. *milites novitios*, & proprie magis Scholiaſtes illic: *Viles, & gregarios*, & è converſo Protectores ſic dictos, quia protegendo, ſeu tuendo Cæſarum lateri militabant, quorum de origine, nomine, & jure multa, ante annos triginta nos Salmanticæ, calente illo ætatis, & coræ extemporalis impetu, in *recitatione typis data ad l.* 2. *C. de excuſat. muner. lib.* 10.

3 Nunc id ſaltem pro re, Protectores habitos fuiſſe, ſummum, digniorem que militantium gradum, & honorem (ἀξιώτεροι, ſive digniores milites dicuntur Procopio *hiſtor. arcanæ pag.* 108.) quem veterani in votis habebant, & quo ſæpe poſt ſtipendia emerita augebantur. *l.* 2. *C. de veter. lib.* 12. *l. Qui in ſudore* 7. *l. Eos quos* 14. *C. Theod. de luſtr. coll.* Ammianus Marcellinus *lib.* 30. Symmachus *lib.* 3. *ep.* 67. ubi in *notis* ex Paulino Juretus. Unde & diſcretio illa tamquam extremorum infimi, & ſummi, *à Caligate uſque ad Protectorem, in d. l.* 21. ſicut in *l. qui in ſudore* 7. *de luſtr. coll. in C. Theod.* illic: *Stipendiorum gradus uſque ad Protectores*, & in *l.* 3. *eod. C. de libert. & eor. lib.* inibi, *ad locum uſque proximum Protectoris.*

4 Quocirca & explodenda ſciola correctio, qua olim Pratejus, pro verbis, *uſque ad Protectoris perſonam, in d. l.* 21. reponebat, *uſque ad Præfectum Cohortis*, ut apud Ulpian. in *l.* 2. *D. de his qui not. inf.* At ſcire, aut meminiſſe debuit, apud Ulpianum gradationem fieri à Caligato, ſeu gregario milite ad exercitum Regentes minores, majoreſque veluti Centuriones, Præfectos Cohortis, Tribunos legionis, & univerſi exercitus Duces, quales Ulpiani ſeculo erant. *d. l.* 2. *l. Præfectus* 63. *D. de rit. nupt. l. Abeſſe* 32. *D. ex quib. cauſ. major. l. Omne* 6. *§.* 1. *&* 2. *& ult. l. Officium* 12. *§. ult. l. milites* 13. *§. irreverens, D. de re mil. l.* 1. *in fin. l. Tribunus* 20. *cum l. ſeq. l. Titius* 25. *D. de teſt. mil. l. de Inofficioſo* 9. *C. de inof. teſt. l.* 1. *C. de reſtit. mil.* è contra apud Theodoſ. in *d. l.* 21. à claſſe infima Caligati militis, non ad Duces, ſed ad ſummam, digniorem que claſſem militum protectorum ſub Theodoſio, quorum nullibi in Pandectis nomen, quamquam Ulpiani ſeculo, jam eo nomine noteſcere incipiebant, ut liquet ex Spartiano in Caracalla, Capitolino in Maximinis, ac deinde aucta, & promota eorum dignitas à Gordiano juniore, & ſecutis Cæſaribus, quomodo exaudiendus Cedrenus in Gordiano.

5 Nobis ſi critici ſcalpelli uſus aliquis in *d. l.* 21. (dimiſſa interim correctione alia, de qua opportunius infra) placebat, pro illis, *uſque ad Protectoris perſonam*, in queis perſonæ vox abundans, parumque apta, quia non tam de perſona unius Protectoris, quam de gradu militiæ eorum ſermo, legi *uſque ad Protectores, & Præpoſitos*, facili ex notis mendo. Intelligi autem Præpoſitos illos, qui Præpoſiti Laborum dicuntur in *l. un. C. de Præpoſ. lab. lib.* 12. eoſdemque, qui vulgo Præpoſiti Labarorum, quia & in laborum militarium ſolutionem, ac præmium, & Labaro ante Cæſares ferendo præponebantur, de queis jam olim poſt Cujacium diximus edita illa commentatione *ad l.* 2. *C. de excuſ. mun.* At pro correctione nunc noſtra addimus, Præpoſitos hos Laborum, ſeu Labarorum, fuiſſe ex Ordine, & claſſe, ſeu Schola domeſticorum in Palatio, & ad latus Principis militantium. *l. un. C. Theo. de præpoſ. Lab.* & paris, ſive ejuſdem cum Protectoribus dignationis *d. l. un. C. de præpoſ. Lab. in C. Juſt. & Theod.* juncta *l.* 2. *C. de domeſt. & protect. lib.* 12. *l. domeſtici* 7. *cum ſeqq. eod. tit. in Theod.* Unde & Protectores, aut Præpoſiti junguntur comparanturque in *d. l.* 2. *C. de excuſ. mun. lib.* 10. *l.* 1. *C. Theo. de teſtim.* illic: *Si qui ex Protectoribus, vel ex Præpoſitis*, juncta *ſeq. l. eod. tit. l. Veteranorum* 5. *C. Theod. de veteran.* inibi: *Qui Præpoſiti, vel Protectores fuerunt.*

6 Secundo præmuniendum eſt, ſicut ſolis ingenuis, & quidem honeſtioribus licuiſſe, eſſe inter milites, & libertos, libertinoſve, non fuiſſe allectos, admiſſoſve ad militiam, idque ex veteris Romæ delectu, diſciplina, & jure, de quo *ad Polybium*, ex aliis Lipſius *lib.* 1. *de milit. Rom. cap.* 2. Stewech. *ad Vegetium lib.* 1. *de re milit. cap.* 7. noſque ex Ulpiano *tit.*

3. §. *ult. lib.* 3. *c.* 1. ita poſtea, & jam inde ab Auguſto ſub ſecutis Cæſaribus, & Juriſconſultis noſtris, libertos recens manumiſſos promiſcue, paſſimque militaſſe, ut colligere ſatis nunc ſit ex *l. qui ſtatus* 8. *l. ab omni* 11. *de re milit. l. ſi militi* 6. *verſ. Plane*, *D. de caſtrenſ. pec. l. ul. C. de lib. & eorum lib. l. operis* 43. *D. de oper. lib. l. qui de libertate* 29. *D. de lib. cauſ.* juncta de præbitione tyronum poſſeſſoribus indicta, & receptis ad arma ſervis, quales domini habere faſtidiebant, atque inde tot Imperio illatis cladibus, lamentabili querela Vegetii, atque utinam non noſtris moribus applicabili, *lib.* 1. *de re milit. cap.* 7. *in fin. l. Inter* 8. *l. Quiſquis* 11. *l. Contra* 16. *C. Theod. de Tyronib. & Novella* Theodoſii *de Pantapolis*, *&* 3. *de Tyronibus. l.* 2. *Cod. eod. tit. lib.* 12.

7 Sed quod in propoſito obſerves, à militia Palatina, ſcilicet in Palatio Principis agente, libertos, ſive ex ſervitute manumiſſos, omnino excluſos fuiſſe, Theodoſii lege, in hanc rem ſingulari, quæ eſt 3. *Cod. Theod. de libert. & eor. liber. in princip.* illic: *Libertinæ conditionis homines nunquam ad honores, vel Palatinam aſpirare militiam, permiſimus.* Et *in fine*, illic: *Ipſos vero, qui manumiſſi ſunt, nulla ratione ad ullum, quamvis humilis militiæ locum, ſinimus admitti.* Quæ prorſus exaudimus de militia inter Palatinas humiliore, non autem de armata extra palatium, ad quam vel ſervos ipſos, & dediticios invitabat, libertate promiſſa, *lex alia Theodoſii*, quæ eſt *contra* 16. *C. Theodoſ. de Tyronib. l.* 4. §. *Servus* 6. *C. de bonis libert.* Fuit autem propria ratio in Palatinis militiis, quia cenſebantur inter honores dignatione, erantque fere dignitatibus pares, aut comparabiles. *l. Quoniam* 38. *verſ. Qui vero, Cod. Theodoſ. de Decurionib. l. ſi quis cum l. Super* 6. *Cod. qui militare poſſ.* juncta *l. Jubemus* 4. *Cod. de præpoſ. Sacri Cubic. lib.* 12. Ambroſius *de militiis*, ſeu *Scholis his Palatinis ad* 1. *epiſtol.* Pauli *ad Corinth. cap.* 12. *in princ. Sicut eſt etiam* in humanis officiis; *Scholæ enim ſunt, quæ poſitis in ſe dant dignitatem.* Et liberti arcebantur honoribus ingenuorum, *lege Vitellia. l. unica*, *Cod. ad leg. Viſell. l.* 1. *Cod. ſi ſervus, aut liber. ad Decurion. lib.* 10. ac præterea ne Palatinæ militiæ uſurpatione liberti erga patronos inſoleſcerent, aut inſurgerent, *& ex hoc ſibi erigendi ſupercilii faſtu ſacro*, ſive Cæſareo nomini *oriatur invidia*, ut fere ſcriptum eſt de conductoribus domus Auguſtæ, ne ad militiam aſpirent, ut exaudio, Palatinam, in Conſtitutione ejuſdem fere cum *dict. l.* 3. *Cod. Theodoſ. de lib.* inſcriptionis, ſubſcriptionis, & datæ, quæ eſt *l.* 1. juncta *l. ſeq. de conductor. & hom. dom. Aug. in Theodoſ.* quam rationem, cenſuramque ſecutus *Toletanus Canon*, prohibens libertos Palatinis officiis, atque inde illuſtrandus in *Concil. Toletan.* 13. *cap.* 6.

8 . Tertio & monemus, quod ſatis jam vel ex propoſitis liqueat, Protectorum militiam fuiſſe dignitatem, *l.* 3. *Cod. Theodoſ. de diverſ. offic. l.* 10. *de fabricens. eod. Cod. & in Juſtinianeo* 2. *eod. tit. l.* 2. *de excuſ. mun. lib.* 10. *l.* 2. *Cod. de veteran. l. Nonnulli* 153. *& l. Quoniam* 38. *Cod. Theod. de Decurion. l. Qui in ſudore* 7. *l. Eos, quos* 13. *de luſtrali collat. & l.* 1. 2. *&* 3. *de teſtimoniali*, & ex Tribunis in eodem Codice, & quidem, quia, inter alia decoramenta, & privilegia, ſacram Cæſaris purpuram adorabant. *l.* 1. *Cod. de domeſtic. & prot. lib.* 12. *l. Reſtituendæ* 6. §. *Licentiam*, *C. d. advoc. diverſ. Judicum. l.* 3. *&* 4. *Cod. Theodoſ. eodem tit. dict. l.* 2. *aut* 3. *de fabricens. l. Qui de ordinariorum* 9. *de diverſ. offic.* Addimus, ut & magis propoſito appropinquemus, inter Protectores ipſos, eminuiſſe, poſt Primicerium, decem primos ſequentes, Senatoria dignitate, ſive Clariſſimatu, inter allectos, veluti exconſulares, *dict. l.* 2. *l. Domeſtici* 7. *cum ll. ſeqq. Cod. Theod. de domeſt.* Eoque poſito, ſubjungimus, Theodoſiana illa, cujus meminimus, *l.* 3. *de libert. & eor. lib. in Cod. Theod.* quamvis liberti ipſi, ſeu manumiſſi ad nullam, quamvis humilem, Palatinam militiam admitterentur, tamen ex libertis, ſeu manumiſſis natos aditum habere *ad locum uſque proximum Protectoris, licitum nullatenus.* Ut ſcriptum eſt in *dict. l.* 3. quibus verbis (ſi modo ſincera ſunt) quamquam ſignificari ſimpliciter locum, ſeu gradum Protectoris, & ad eum uſque poſſe conſcendere ingenuos filios manumiſſorum, interpretatur Anianus, ſeu quis alius *ad dict. l.* 3. repugnant tamen illa, *licitum nullatenus*, quæ eum locum conſcendi vetant. Nec ſatis congruunt illa, quæ non locum Protectoris ſimpliciter, ſed *locum uſque proximum Protectoris* deſignant: ac proinde expono potius de loco decem primorum, ut quemadmodum in litterata militia ſcriniorum palatii, dicti eo ſeculo, proximi ſcriniorum, qui immediate eorum Præfectos, ſeu Magiſtros, qui Spectabiles erant, ſequebantur dignitate, & loco Clariſſimi, & Conſulares inter allectos, *l.* 1. *&* 3. *l. Peculiari* 5. *cum aliis*, *Cod. de proxim ſacr. ſcrin. lib.* 12. *& l.* 2. *&* 7. *cum ſeqq. Cod. Theodoſ. de proxim. Comit. diſpoſ.* ita in militia armata Protectorum decem primi dicantur proximi dignitate Clariſſimatus, Protectori, qui ſingulariter, & quaſi antonomaſtice Protector vocabatur. Quomodo apud Ammianum *lib.* 18. *&* 26. ille Jovianus, *Domeſticorum Ordinis Primus*, atque ex eo Interpretator, quem poſtea *Protectorem* ſimpliciter vocat Ammianus *lib.* 25. & Paulus Diaconus, *millenarium*, *lib.* 11. *ad finem*, & *Chiliarchum*, ſeu *Tribunum* Socrates 3. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 19. Cedrenus in *Joviano.* Quocirca, & eſt ſententia Theodoſianæ legis, libertos, ſeu manumiſſos ab omni militia Palatina arceri, filios autem eorum aditum habere, ſalva patronorum reverentia, *ad locum*, uſque proximum Protectoris, licitum nullatenus, id eſt, ad protectoriæ militiæ gradus inferiores excluſive, ut nunc Scholiaſtice diceremus, ad majores Primicerii, & decem primorum proximorum Protectori Tribuno, qui eis nullatenus liciti.

Quarto tandem ſupponimus, quamvis certi, & recepti Juris ſit, in nuptiis ſcripturam non requiri, eaſque & matrimonium fieri conſenſu, non tabulis, *l. Contrahitur* 4. *in fine*, *D. pignor. l.* 4. *D. de fide inſtrument. l. Donationes* 31. *D. de donation. l. ſi vicinis* 9. *l. Neque* 13. *Cod. de nupt. l. Jubemus* 11. *Cod. de repud. l. ultim. verſic. ſicut*, *Cod. de donat. ante nupt.* juncta regula *l. Nuptias* 30. *D. de regul. jur. l. In ſponſalibus* 7. *D. de ſponſal.* tamen inter ſolemnia priſca nuptiarum recenſeri perſæpe nuptiales, ſeu matrimoniales, ut vocabant, tabulas, & inſtrumenta, quibus & dos conſcribebatur, & teſtatio ex more fiebat, nuptias fieri liberorum procreandorum animo, & voto, & utrumque juxta, aut ex juſſu legum Juliæ, & Papiæ, quarum veſtigia in *l.* 2. *Cod. de indicta viduit. Novella* 22. *de nuptiis*, *cap.* 33. & apud Martianum Capellam *lib.* 2. *Satyr.* junctis *l. ſi is, qui te* 13. *Cod. de poſtlim. rev. l. Liberorum* 220. §. *Præter*, *D. de verbor. ſignif.* de queis, & alibi *lib.* 4. *reliquat.* 25. *ad leg. Jul. Miſc.* Sed tamen vel jam nunc adſcribimus Marculphi Monachi locum *lib.* 2. *form.* 15. quæ vocatur *libellus dotis*, ac ſic habet: *Quod bonum, fauſtum, felix, proſperumque ſit: de diſponſandis, maritandiſque Ordinibus, ac procreationi liberorum cauſis, quæ ſunt neceſſariæ, ut omnis etiam donatio per ſcripturarum ſeriem pleniorem obtineat firmitatem*; quibus verbis alludi quadamtenus ad præſcripta noſtrarum legum Juliæ, & Papiæ, prænotavit illic Bignonius. At de tabularum ſolemnitate in nuptiis, Juvenalis illa *Satyra* 2. *Quadraginta dedit Gracchus ſextertia, dotem Cornicini: ſignatæ tabulæ; dictum, feliciter.* & *Satyr.* 10. *Veniet cum ſignatoribus auſpex.* & *Satyr.* 6. *ſi tibi legitimis pactam, junctamque tabellis*; & in conſpicuo Tacitus 11. *Annal.* Tertull. *de velandis virgin. cap.* 12. Apulejus *lib.* 4. *& apolog.* 2. Sidonius 7. *ep.* 2. & ad eos Scholiaſtæ, quos non exſcribimus. 9

Illud pro re, & obſervatu dignius, matrimoniales tabulas, utcumque moris potius, quam Juris eſſent, fuiſſe tamen veluti ex more legitimo in matrimoniis Nobilium, ut habet ſingularis in propoſito locus Juſtiniani, in *l. unic.* §. *ſed etſi quis* 9. *Cod. de* 10

Latina

Latina lib. toll. illic: *ſi enim hoc, quod frequentiſſime inter Cives Romanas, & maxime inter nobiles perſonas fieri ſolet, id eſt, dotalis Inſtrumenti conſcriptio.* Et, quod plus eſt, ex Jure neceſſarias habitas in nuptiis imparibus, ſive inter impares honeſtate perſonas, quas non aliter valuiſſe, niſi dotalibus Inſtrumentis confectis, idque priſcis legibus (licet obſcurius) conſtitutum fuiſſe, teſtis eſt Juſtinianus, ſeu Tribonianus in *l. Imperialis* 23. §. *Imo* 7. *Cod. de nupt.* ſuntque illius priſci, licet obſcuri, Juris exempla, & argumenta ante Juſtinianum in concubinis, ſive ingenuis, in concubinatu habitis, cum teſtatione, & proinde pro inhoneſtis, juxta *l.* 3. §. 1. quam ita pridem accepimus *D. de concubin.* ſive libertis, aut libertinis, quales pleræque concubinæ erant, in queis tamquam imparibus, & *inæquali conjugio*, ut vocatur in *l.* 3. *verſ. Quod ſi alterutrum, Cod. de natur. lib. l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Collegiatis*, ut uxores, & nuptiæ, liberique legitimi fierent, Inſtrumenta dotalia requirebantur, ex Anaſtaſii *leg. Jubemus* 6. §. 1. *cum l.* 5. *verſ. Pactis, Cod. de natur. lib.* juncta *l. Laudabili* 4. §. *Quoties, Cod. de advoc. diverſ. Jud.* quod & jus Juſtinianus ſequutus in matrimonio cum ſcenica, & illius filia *l. Imperialis* 23. §. 1. *verſ. Dum tamen, & §. His illud* 5. *Cod. de nupt.* & quoad concubinarum nuptias, in *Novell.* 12. *de inceſt. nupt. cap.* 4. *Novell.* 18. *de triente, cap.* 11. & *Novell.* 89. *quib. mod. natur. cap.* 3. §. *ult. Inſtit. de nupt.* & §. *ſui autem* 2. in fine, *de hæred. quæ ab inteſtato.* Atque ex eo priſco, ante Juſtinianum, Jure illuſtrandum eſt conſtitutum illud de matrimonio, & legitimis liberis, etiam ſine dotis inſtrumento, *inter pares dignitate perſonas*; ut ſcriptum eſt in Theodoſii *leg. ſi donationum* 22. *Cod. de nupt. l. ultim. eodem tit. in Theod.* ſcilicet quia, ſi impares eſſent, veluti concubina, liberta, aut libertina cum ingenuo, neque nuptiæ, neque naturales filii fierent legitimi ſine inſtrumentis dotalibus.

11 Atque hinc elucidandum eſt illud Leonis Magni, Theodoſio, & Valentiniano coævi, apud Gratianum in *cap. Non omnis* 12. 32. *quæſt.* 5. ubi cum præmiſiſſet, *nuptiarum fœdera inter ingenuos eſſe legitima, & coæquales, multo prius hoc ipſum domino conſtituere, quam initium Romani Juris exiſteret.* Subjungit in *verſ. Igitur*, de viro habente concubinam, non eſſe eum cenſendum pro conjugato, *niſi forte illa mulier, & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis nuptiis honorata fuerit*, ſignificans nimirum, cum concubina, utpote impare, ſive inæquali, non eſſe conjugium, niſi & ingenua fiat, & accedant inſtrumenta dotis, & nuptiarum publicarum pompa, ac celebritas, ut vocatur in *dict. l. ſi donationum* 22.

12 Deinde & fuere umbræ obſcuriores priſci illius Juris, & ex eo luce perfundendæ in Junia Norbana, & Ælia Sentia legibus Juliæ, Papiæque noſtræ *συγχέουσι*, quibus in conjugio Latini cum Cive Romana, inter quos connubium non erat, Ulpiano teſte *tit.* 5. *de his, qui in pot.* §. 4. & 9. utpote *inter diſpares dignitate*, ex Iſidor. *lib.* 9. *orig. cap.* 8. §. *Connubium*, ſive *diſparis conditionis perſonas*, ut apud Ulpianum legit Cujacius *tit.* 7. *de donat.* §. *in poteſtate* 4. tamen ut ex eo matrimonio liberi, ac parentes juſti, ac Cives Romani fierent, exigebatur teſtatio interpoſita, liberorum procreandorum cauſa uxorem duci, & probatio cauſæ apud Prætorem, Præſidemve, ut ex Ulpiano diſces, *dict. tit.* 7. §. 4. & *tit.* 3. *de Latinis*, §. *Liberis.* juncta illius juris veluti mimeſi, in *l. unic.* §. *ſed etſi quis* 9. *Cod. de Latina lib.* Quomodo & eodem fortaſſe reſpectu in matrimonio illo Apuleji cum Pudentilla, quam ſexagenariam eſſe, objiciebatur, ac proinde impar matrimonium, & quod non proficiat ad capiendam dotem, ex Senatuſconſulto Calviciano ad legem Papiam, de quo Ulpianus *tit.* 16. *de ſolidi capacit.* §. *ultim.* in fin. *l. ſi major* 14. in fine, *Cod. de legitim. hæred.* Et in villa, ac proinde clam, & ſine teſtatione uxorem ductam, ut Apulejus idem *alibi lib.* 6. *Miles*, reſpondebat ille ipſe *apol. pro ſe* 2. & Pudentillam vix fuiſſe quadragenariam, ac præterea, quamquam in villa, quod *Julia lex de maritandis Ordinibus nunquam interdixit, fuiſſe conſignatas nuptiales tabulas.* Et quidem *cum dote*, ut & ſcribit, *non grandi, atque ubere*, ſed *modica, & promiſſa.* Poſtremo, ut & critica magis, an & crepera alluſione concludam, non alia olim Martianus Capella, in nuptiis illis Mercurii Cœlicolæ cum Philologia terrigena, ut *paribus jungerentur auſpiciis*, qui impares erant, poſt ambroſiæ poculum, quo Philologiam factam immortalem, & Cœlicolarum concilio illatam comminiſcitur, atque eo ipſo factas *nuptias non impares, ſed legitimas, & Juri Civili congruas*, ut, in ſimili Pſyches fabella, Jupiter Apulejanus *lib.* 6. ſubjungit Apulejum imitatus Capella ſcite, *tunc petitum de Jove, Superiſque cunctis, ut in conſpectu omnium quicquid ſponſalium nomine præparaverat Majugena, traderetur, ac demum dos à virgine non deeſſet: tuncque tabulas, ac Papiam, Poppeamque legem fuerant recitare*: ſcite prorſus, ut credimus, applicito tabularum ritu ex lege Papia pro nuptiis imparibus.

13 Signamus hæc tandem Papiniani nota, qui inter alias maritalis honoris, ſeu matrimonii conjecturas, deficientibus etiam nuptialibus tabulis, reſpondit, perpendendam rem eſſe, *ex perſonis comparatis*; nempe quia ſi perſonæ conjugum non ſint ex Nobilibus, neque impares, in queis dotales tabulæ, ut diximus, conſuetæ, ut legitimæ. *l. Imperialis* 23. §. *Imo* 7. *Cod. de nupt. l. unic.* §. *ſed etſi quis* 9. *Cod. de Latin. liber.* juncta *l. cum tabulis* 16. §. *Quoniam, D. de his, quæ ut indign.* ſed ingenui æqualis conditionis, matrimonium potius, quam concubinatus præſumetur ex maritali honore, & vitæ conjunctione individua, etiam ſine tabulis, neque enim tabulas facere matrimonium. *l. Donationes* 31. *verſ. An autem, D. de donat.*

14 Erit ex tam longe petitis (& quis ad hæc illinc, crederet, eſſe viam?) planior jam explanatio noſtra *ad l. à Caligato* 21. *Cod. de nupt.* ſi & veluti pro auctario primi obſervemus, partem eam eſſe unius, ejuſdemque Conſtitutionis Theodoſii II. & Valentiniani III. inſcriptæ Baſſo Præfecto Prætorio, & datæ 3. *Kalend. Mart.* Ravennæ Theodoſio A. 2. & Valentiniano A. 2. Coſſ. cujus pars major, præcipuaque cum relata inſcriptione, & ſubſcriptione extat in *l. Libertinæ* 3. *Cod. Theodoſ. de libert. & eor. liber.* Et ex qua in *verſ. Nam ſi militantes*, ut vel obiter animadvertamus, ſumptum à Triboniano fragmentum, quod legimus in *l. ultim. Cod. Juſtin. de libertis, & eor. lib.* ubi & emaculanda in primis epigraphe, quæ Honorium auctorem præfert, & corrigenda, ut ſic inſcribatur. Impp. Theodoſius, & Valentinianus A A. Baſſo PP. Idque vel ex ipſa ſubſcriptione, quæ ſignatur 3. *Kal. April.* Theodoſio 12. (ſic etiam corrigenda, non *Theodoſio* 11. ex *dict. l.* 3. *Cod. Theod. de lib.*) & *Valentiniano* 2. *A A. Conſulibus.* Cum in comperto ſit, Valentinianum hunc, ſcilicet Tertium, nonniſi biennio circiter poſt Honorii mortem, Auguſtum fuiſſe, ac præterea Baſſus, quem Præfectum Prætorio epigraphe nominat, non fuerit, vel poſt Honorium, & primo anno, ac Conſulatu Valentiniani Cæſaris, niſi Comes rerum privatarum, ut inſcribitur in *l. Manichæos* 64. *de hæret. in Cod. Theodoſ.* & ſequenti anno primum, nempe Theodoſio 12. & Valentiniano 2. A A. Coſſ. noteſcat Præfectus Prætorio *l.* 1. *de Conductor. & homin. dom. Aug. l. ult. de Apoſtatis, & l. pen. de Judæis, in C. Theod.*

15 Jam & poſt correctiones has, conjuncto pleniore contextu *dict. l.* 3. *Cod. Theodoſ. de libert. & eor. lib.* liquebit, ſententiam fragmenti, quod proponitur in Juſtiniani Codice in *dict. l. ult.* ejuſdem *tit. ſic exponendam eſſe*, ut libertorum filii ſive ex manumiſſis nati, ut vocantur, in Theodoſiano textu, poſſint quidem adire militiam Palatinam, *uſque ad locum proximum Protectoris* excluſive, ſed *ita ut patronis, patronorumve hæredibus reverentiæ Privilegia conſerventur; nam ſi militantes etiam docebuntur ingrati, ad ſervitutis nexum procul dubio reducentur*; quomodo habet integrior textus *dict. l.* 3. in Theodoſiano, cui

cui conducit juridica ratio *l. 1. D. de obſeq. par. & patr. l. ſi quis 5. §. A milite 15. D. agnoſcend. lib.* Unde neque excuſabilis multiplex oſcitantia Triboniani, dum quod Theodoſiano lex de militantibus in palatio, ille ad quoſcumque militantes, & quod in illa de manumiſſorum, ſeu libertorum filiis, quibus ſolis non item libertis patribus aditum ad militiam Palatinam dabat, iſte aſſumptis ex initio Theodoſiani textus, verbis, *libertinæ conditionis homines*, & additis de ſuo, *vel eorum filii*, ad libertos, & eorum filios tranſtulit, denique ſic excerpſit, diſcerpſit, interpolavit, ut deinde Juſtinianeo in Codice, neque mens, neque ratio *d. l. ult.* conſtiterit Græcis, Latiniſque Scholiaſtis.

16 Documentum rei ſint concinnatores Eclogæ Baſilicorum, apud quos *lib. 49. tit. 2. de obſequio patr. præſt. à lib.* & ex *Ecloga* in corpore Baſilic. *tom. 6. eodem libro*, & titulo, ſic redditur, exprimiturque ſententia *dict. l. ult. Libertus, aut liberti filius, ſi militaverint, velut hoc ipſo erga patronum ingrati.* Et ut in Græco textu eſt *ὡς ἐξ αὐτοῦ τούτου ἀχάριστοι γινόμενοι, ad ſervitutem reducuntur.* Quo ſenſu nihil alienius à germano illo, qui elicitur ex archetypo *dict. l. 3. Theodoſianæ*, nihil etiam abſurdius, quia libertus niſi operas patrono debeat *l. Operis 43. D. de operis lib.* non fit ingratus ex eo ipſo quod militet, quia nec prohibetur à militia armata extra palatium. *l. Qui ſtatus 8. D. de re milit. l. Qui de libertate 29. D. de liber. cauſa. l. ſi militi 6. verſ. Plane, D. de caſtr. pecul.* Ulpianus *tit. 3. §. Militia.* juncta *l. 8. §. 6. Dig. de excuſ. tut.* & recens manumiſſi ad qualemcumque militiam inermem, ſeu miniſterialem extra palatium admittuntur. *l. His verbis 102. §. Alumno*, cum *§. ſeq. D. de leg. 3. l. Libertis 18. §. Ab hæredibus, D. de alim. & cib. leg.* de qua miniſteriali militia extra palatium potius, quam de iſta, aut armata, exaudiri velim Juſtinianum in *l. Super 6.* ob illa verba, *ad militiam eis datam*, cum *l. ſeq. C. qui milit. poſſ. l. 8. §. Servus 6. C. de bonis lib.*

17 Eſt denique, ut jam pergam, pars alia ejuſdem Conſtitutionis Theodoſianæ, & inſcripta itidem ad Baſſum Pr. Præt. in *noſtra l. à Caligato 21.* in qua, quæ deeſt ſubſcriptio, ſupplenda eſt ex *d. l. 3. Cod. Theod. de libert.* ubi & initio epigraphes ad Baſſum P. P. jungitur nota illa, *poſt alia.* Cujus frequens illius Codicis concinnatoribus uſus, quoties non integra Conſtitutio, ſed pars exhibetur, aliis omiſſis, aut reſervatis; plane quod obſervamus, & præindicavit Jacob. Gothofredus *ad l. In celebrandis 19. Cod. de nupt.* nempe has ſectiones *l. à Caligato 21. & l. ultim. C. de libert. & l. 3. in Theodoſ. eodem tit.* partes eſſe unius Conſtitutionis Theodoſii, & Valentiniani ad Baſſum in partes ſectæ, ac diviſæ (atque in eis itidem recenſendæ, epigraphe, & datæ ejuſdem, nec diſſimilis argumenti *l. Cod. Theod. de Conductor. & hom. dom. Aug.*) tam in conſpicuo eſt, collatis earum legum inſcriptionibus, verbis, & ſententia, ut jam è conjectura tranſeat in aſſertionem.

18 His itaque ſtabilitis, eſt & in expedito mens, ac ratio *d. l. à Caligato 21.* ſimulque reſponſio objectionibus, quas ſupra citavimus. Nam quod primum ſtatuitur, permitti Caligato militi matrimonium ſine alia ſolemnitate cum ingenuis dumtaxat mulieribus, ac proinde non cum libertinis, cum tamen lege Papia permitteretur, id eam rationem habet in primis; quia ſermo eſt non de quovis Caligato viliore, cui qualecumque matrimonium, & ſine ſolemnitate permiſſum, *Novella* Juſtiniani 74. *quib. mod. natur. cap. 4. §. Quiſquis 3.* ſed de Caligato dignioris militiæ Palatinæ, cujus ad gradum, quamvis humiliorem, non niſi ingenuus admittebatur, ut diſces, & prædiximus ex eadem Conſtitutione in *d. l. C. Theod. de libert.* At ingenui matrimonium, quamvis permittebatur ſine ſolemnitate cum ingenua, utpote cum æquali, tamen cum libertina, ut impar, egebat ſolemnitate inſtrumentorum dotalium. *d. l. Imperialis 23. §. Imo etiam 7. l. ſi donationum 22. Cod. de nuptiis.*

19 Rurſus quod veluti è contrario inſinuatur, permitti hæc à Caligato uſque ad Protectorem, non eſt exaudiendum incluſive, quaſi etiam Protectoribus permittantur matrimonia cum ingenuis ſine ſolemnitate, quamvis ſic exaudiſſe viſus, poſt vulgares Gloſſas, & Baldum, Cujacius, ſed potius, ut permittantur Caligatis ſolis infra, ſive excluſive, ut loquimur, uſque ad Protectores, ſicut ejuſdem ſenſus ſunt, etſi explicatiora, in permittenda ingenuo nato ex liberto, militia Palatina, uſque ad Protectorem excluſive, illa verba, *ad locum uſque proximum Protectoris (licitum nullatenus) in dict. l. 3. Cod. Theodoſ. de libert.* ex queis *in noſtra l. à Caligato*, pro illa, *uſque ad Protectoris perſonam*; volupe eſſet, reponere *uſque ad Protectoris proximas.* Sed vel hac correctione admiſſa, cui potius acquieſcimus, vel illa *uſque ad Protectores, vel Præpoſitos*, de qua ſupra; eſt apud nos indubiæ aſſertionis, permiſſionem matrimoniorum cum ingenuis ſine ſolemnitate, pertinere ad Caligatos, in Scholis Protectorum militantes, non autem ad Protectores Anteſignanos, & eorum proximos, ſcilicet decem primos illos, & Primicerium, idque ex inobſervata, & ad Juliam, Papiamque legem cum Conſtantiniana, & jus illud de inſtrumentis dotalibus in nuptiis imparibus, & Nobilium pertinente ratione; ſcilicet quia Protectores decem primi, & Præpoſiti, erant Senatorii, & Clariſſimi, *l. 2. Cod. de domeſt. & prot. cum l. Domeſtici 7. & ſeqq. Cod. Theodoſ. eod. titul. l. unic. de præpoſ. lab. in utroque Cod.* atque ita comprehenſi legibus Julia, Papia, & Conſtantiniana, ne libertinas ducant, & hoc amplius recepto more, & Jure, ne vel ingenuas dumtaxat, ſive quæ nihil amplius, quam ingenuæ ſint, ac proinde impares Senatoriis ducant, ſine ſolemnitate inſtrumentorum dotalium, *dict. l. ſi donationum 22. l. Imperialis 23. §. Imo 7. Cod. de nupt. l. un. §. Sed & ſi quis 9. C. de Latin. lib. toll.*

Offerimus adhoc vel pro mantiſſa obſervationis 20
noſtræ ad *l. à Caligato 21.* (præterquam quod & eſt correctoria appendix *l. 2. C. de natur. lib.*) Conſtituta Juſtiniani in propoſito, & quidem varia. Quorum primum fuit, ut matrimonia firma ſint ſine dotalibus inſtrumentis, & ſine diſtinctione perſonarum imparium, dummodo liberæ, & ingenuæ, ut expreſſum eſt in *l. Imperialis 23. §. Imo 7.* cum *§. ſeq. Cod. de nupt.* abrogato priſco illo Jure, niſi in caſibus exceptis quoad ſcenicas, in *dict. l. 23. in fine, & §. His illud 5.* & quoad concubinas in *l. Cum quis 10. & l. ſeq.* cum *l. Jubemus 6. Cod. de natur. lib. §. ultim. Inſtit. de nupt. Novell. 12. de inceſtis, cap. 4. & Novell. 18. de triente, cap. 15. & Novell. 98. quib. mod. natural. cap. 8.* Secundum, primi derogatorium, fuit, ut qui in majoribus, ſeu maximis dignitatibus eſſent uſque ad Senatores, & Illuſtres matrimonia contraherent omnino cum dotalibus inſtrumentis. Alii autem, mediæ veluti & honeſtioris militiæ, aut profeſſionis ſaltem cum teſtatione ſcripta apud defenſorem Eccleſiæ; denique Caligati, ſeu gregarii milites, & agricolæ, ac reliqui obſcuriores etiam ſine inſtrumentis, aut ſcriptura, ex ſolo affectu, *Novell. 74. quib. mod. natur. cap. 4. §. 1. 2. & 3. & Novell. 89. cap. 1. §. 1. ubi & cap. 15.* antiquatur tamquam exoleta Conſtantini *lex 1. Cod. de natur. lib.* Tertium denique, atque itidem correctorium, ut omnibus, & mediæ, aut infimæ conditionis licerent matrimonia, ſine inſtrumentis, ac ſine ulla apud defenſorem teſtatione, & ex ſolo affectu; non tamen his, qui in maximis dignitatibus uſque ad Illuſtres, in queis retentum jus de neceſſitate inſtrumentorum dotalium (exceptis Illuſtribus Barbaris) nec præterea permiſſa Illuſtribus, cum inſtrumentorum interventu, matrimonia, etiam mulierum prohibitarum lege Conſtantini, & Leonis, quæ eſt *l. Humilem 7. Cod. de inceſt. nupt.* quibus aperte derogatur, & reliqua nuper ſignata ſtatuuntur in *Novell. 117. ne liceat matri, cap. 4. & 6.* ejuſdem & *Novell. 89. cap. 1. & 15.* Irnerianæ ſummæ extant in *Authent. Sed novo Jure, Cod. de natur. lib. Auth. Maximis, Cod. de nuptiis.*

Hæc inter, quam pollicebamur, mantiſſa, ac for- 21
taſſe,

taſſe, ut Tertullianus loquitur, non depretianda ad *dict. l. à Caligato* 21. reperitur in memorata *Novella* Juſtiniani 117. *cap.* 4. ubi in cautione illa de matrimoniis decoratorum maximis dignitatibus cum inſtrumentis uſque ad Illuſtres, in libris Juris Græco-Romani, veluti *Synopſi Baſilicorum lib.* 28. *tit.* 4. *cap.* 54. pro verbis, *uſque ad Illuſtres*, redditur μέχρι σπαθαρίων, *uſque ad Spatharios*, & in Baſilicorum corpore *tom.* 4. *dict. lib.* 28. *tit.* 4. *num.* 47. *cap.* 4. μέχρι πρωτοσπαθαρίων, ſive *uſque ad Protoſpatharios*: eamque tranſlationem agnovit, & notatu dignam ſcribit Anonymus Scholiaſtes Baſilicus inibi: & apud eum Theophilus. Harmenopulus in προχείρῳ, ſeu *promptuario lib.* 4. *tit.* 4. §. 16.

22 Porro Spatharios jam inde à Juſtiniano, ſub quo Zacharias ille, *immanis Protoſpatharius* dictus Anaſtaſio Bibliothecario in *Sergis Papa*, & Spatharius alter Totilæ apud D. Gregorium 3. *Dialog.* 6. ſub poſterioribus Cæſaribus Byzantinis, Leone Philoſopho, & Conſtantino Porphyrogeneta, Baſilicorum auctoribus, fuiſſe eoſdem cum Protectoribus, ſive ſub novo nomine, ſucceſſiſſe in illorum cuſtodiæ munus, ne diſcentes dubitent, liquet ſatis, vel ex laudatis Theophilo, Harmenopuloque, & auctores ſunt Gregorius Cedrenus in *compend. hiſtor.* paulo ante Julium Cæſarem *num.* 79. ubi Spatharium Romanis, ait, eſſe cuſtodem corporis σωματοφύλακα (qua voce Protectores nominat Herodianus *lib.* 4.) Anaſtaſius Bibliothecarius *hiſtor. Eccleſ.* ſub Heirene, apud quem & Paulum Diaconum 23. *hiſt. miſcell. cap.* 8. qui *Spatharius, & domeſticus excubitorum*, dicitur, eſt fere idem qui olim Comes domeſticorum, & Protectorum in Palatio excubantium, *l.* 2. & 3. *Cod. de domeſt. & Protector.* & eodem ſenſu Scholiaſtes *Baſilic. d. l.* 28. *tit.* 4. *num.* 47. *cap.* 4. Protoſpatharium conferens cum illuſtri Comite domeſticorum; unde & Illuſtris, ſicut ille, Protoſpatharius, & Magnificus, Glorioſuſque, de quo ex Leonis *Ecloga tit.* 10. Nicolao 1. *epiſtol. ad Michaelem Imperatorem*, Codino *de officiis Aulæ*, & *Byzantinæ hiſtoriæ libris*, plura Meurſius, ac Rigaltius in *Gloſſariis*, & deſcriptor, ut ſolet, Bulengerus. Quomodo & ſub Gothico Imperio noſtro Comes Spathariorum, pro Præfecto Cuſtodum Regii corporis recenſetur inter illuſtria Palatina officia in ſubſcriptionibus *Toletani Concilii* 8. ad quas Loaiſa, Pautinus, & noſtrates alii.

At & conſentiens muneri nomen Protoſpatharii, 23 ductum à Spatha, latiore enſe, qualem fortaſſe Protectores, & ab eo Spatharii dicti geſtabant, *enſe latus ſtricti*, ut eſt in deſcriptione Corippi Africani *lib.* 3. & qualem inſignem, & erectum Protoſpatharius Imperatori præferebat, tamquam domeſticorum Præfectus, cujuſmodi Leo ille Protoſpatharius, & domeſticus excubitorum, & alii indigitati, Protoſpatharii, & domeſtici, & σπαθαροκανδιδάτοι in *Conſtantinopolitana octava Synodo actione* 3. & 4. & ſub extrema Græcia, & Imperio, Megadomeſticus, qui in prælatione enſis tandem Protoſpathario potior, teſte Codino *de offic. Aulæ, C. P. cap.* 6. *n.* 6. & *cap.* 14. *n.* 6.

Sed ut finiamus, ſuadent ſatis hæc ſingula, quem- 24 admodum in *dict. l. à Caligato* 21. aſcenſu quodam veluti facto à Caligato infimo milite, uſque ad Protectorum proximos, ſeu Proceres, ſcilicet decem primos Primicerios Tribunos deſignari eos, ut uſque adeo, & exinde, qui ſupra ſunt, contrahant matrimonia cum inſtrumentis, ita in Baſilicis ad eumdem effectum deſcendi à Patritiis inter Illuſtres maximos, uſque ad Protoſpatharios, Protectorum Proceres, & Comites gradu, & munere ſimiles, & ſuccedaneos; & in ſumma, ſicut ſub Theodoſio in *dict. l. à caligato* 21. Protectorum gradus inter milites erat ſummus, ad quem uſque à Caligatis aſcendebatur; ſic ſub Cæſaribus, a quo Baſilica edita, Spatharios Protectoribus munere, & dignatione ſucceſſiſſe, & eorum caput fuiſſe Protoſpatharios, ad quos uſque, tamquam Illuſtrium ultimos, à maximis dignitatibus deſcenſus fit, in *Ecloga*, & *Baſilicorum* laudatis locis, idque ut ex traditis pro *d. l. à Caligato* 21. non contrahant matrimonia ſine ſolemnitate inſtrumentorum.

CAPUT XLI.

Ad reliqua in contextu l. 1. Cod. de naturalibus liber.

ARGUMENTUM.

Tabernariæ, quæ apud Conſtantinum, & de earum nota ex Cæſarum legibus. Arenarii, qui in arena pugnabant, tam gladiatores, quam beſtiarii, idque communi utriſque nomine, & proprio etiam gladiatoribus, ut in l. 11. C. Theod. de pœnis, *tametſi uſitatiore in beſtiariis. De illorum ignominia, ex Juris cenſura, atque inde ratio ampliandæ ad illos prohibitionis in* d. l. 1. *in qua*, Arenarii, *vox, non de gladiatoribus, quorum ſpectacula, decennio ante eam legem, vetita à Conſtantino, ſed de beſtiariis, qui permanſere, vel uſque ad Juſtiniani ævum. Agnita Triboniani ſectio in* l. 3. §. Lege, D. de teſtib. *Filii contra Conſtantini legem, aut Juliam, & Papiam non fuere juſti, neque tales fiebant, patris profeſſione, aut arrogatione, ante Juſtinum in* l. Lege 7. C. de natur. lib. *quæ elucidatur. Conjugiorum contra Conſtantini ſanctionem, prima pœna, infamia, & quæ illius ratio. Secunda, ut alieni fiant à Romanis legibus, ſeu communione eorum, quæ Romani Juris fuere. Minor hæc pœna, quam peregrinitas, à qua & diſtinguitur in* l. 36. atque aliis, C. Theod. de hæret. *Tertia pœna ereptitii donatorum in his conjugiis, & applicatio eorum legitimis, & poſt eos Fiſco. Commendatæ res in Conſtantini textu pro depoſitis, quo ſenſu ea vox ſæpe alibi, & reponenda ex Salmantina noſtra animadverſione in* l. 1. §. ult. D. depoſiti, *pro qua, & ſimilibus dictatis noſtris* ad l. 53. D. de leg. 2. *& ad titulum* de Concub. *vindiciæ juſtæ. Ereptitii pœnam Conſtantinianam, tamquam adhuc obſervabilem, ſunt, qui ſupponant, favente eis* l. ultim. titul. 14. part. 4. *At pro explorato ſit, ceſſaſſe, ſicut & illud de inſtrumentis dotalibus in conjugiis imparibus, vel Senatorum.*

2 Regredimur ad Conſtantinum in *l.* 1. *Cod. de naturalib. lib.* apud quem adhuc inter fœminas, quarum conjugia inhibet, recenſentur aliæ illis verbis: *Vel ſcenica, vel ſcenicæ filia, vel tabernaria, vel tabernariæ filia, vel humilis, vel abjecta perſona, vel lenonis, aut arenarii filia, vel quæ mercimoniis publice præfuit.* De queis, quoad licebit, parciſſime ſubjungendum: & utique de ſcenicis, & lenonibus, eorumque filiis, dictum ſupra quam ſatis ad Juliæ legis capita, & *lib.* 3. *cap.* 9. & *ſeqq.* Sed & de tabernariis fœminis, fuiſſe eas plerumque lenas, & meretrices, & cauponas meretricantium officinas, idcircoque jam olim Julia lege à connubio cum ingenuis prohibitas, adnotavimus *lib.* 3. *cap.* 14. & comparari tabernarias ſcenicis, *l. unic. de uſu ſellarum*, in *Cod. Theod.* Addimus nunc quoad eam, quæ mercimoniis publice præfuit, de qua & eodem *lib.* 3. *cap.* 28. & accenſeri vilioribus fœminis ab eodem Conſtantino in *l. Quæ adulterium* 29. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* quam à tabernaria Conſtantinus diſtinguit, & ad illam veluti ampliat connubii prohibitionem, fuiſſe & has fœminas, quæ publice, atque palam mercimonia exerceant, ac per ſe præſint ergaſterio, uti minutiorum mercium propolæ, & in foro, & ut vocatur in *l. Noſtra ultim. tit.* 14. *part.* 4. *Regatera*, habitas conditione vitæ fere pares cum ta-

 bernariis,

ſcenariis, *dict. l. Quæ adulterium* 29. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* juncta Pauli ſententia apud Cujacium, *lib.* 21. *obſerv. cap.* 18. & inter officiorum fæces, & abjecta, deformiaque miniſteria, & ultimas negotiationes, ideoque a dignitatibus ſubmotas, *l. Ne quis* 6. *Cod. de dignit. l.* 1. *Cod. de præpoſ. ag. in reb. l. un, C. negotiator. ne mil. l. ſi cohortalis* 12. §. *ult. de cohortalib. lib* 12. juncto *cap. Nulli* 3. 44. *diſtinct. Clem.* 1. *in fine, de vita, & honeſt. Cleric. l.* 3. *tit.* 1. *verbo*, Recatones, *lib.* 6. *Comp.* Proinde & merito à connubio cum Senatoriis, *dict. l.* 1. *Cod. de natural. lib.* Accedit *Canon* 76. *Trullanus*, quo tamquam pares ſtare prohibentur cauponariæ tabernæ, & aromatum, ac ſimilia ergaſteria, intra ſanctos ambitus, id eſt intra Eccleſiarum areas, porticus, & veſtibula, ut exponunt Zonaras, & Balſamon.

2 Reliqua ſola eſt in Conſtantini verbis relatis, *Arenarii filia*; de qua & ſtatim monemus, non reperiri expreſſam Juliæ legis capite de connubio Senatorio, quod extat in *l. Lege* 44. *de ritu nuptiar.* neque illo de connubio ingenuorum apud Ulpianum *titul.* 13. §. 1. prohibitionem connubii cum arenarii filia, neque ullo alio, quem ſciamus, Veterum loco ante Conſtantinum, occurrere ejus prohibitionis notam. Proinde & ſimile vero eſſe, ampliatam primum à Conſtantino, ut & in aliis ampliaſſe oſtendimus, legem Juliam, ad arenarii filiam, idque ex ratione, de qua poſtea. Arenarios intelligo eos, qui in interiore illa, atque inferiore Amphitheatri parte, quam, quia concava, caveam, & quia arenis ſternebatur, arenam vocabant, ſpectaculum ſui præbebant, vel gladio inter ſe pugnaturi, unde gladiatores dicti; vel cultro cum beſtiis, unde beſtiarii, ſeu venatores: & utrique à loco, arenarii Tertulliano *de ſpect. cap.* 22. ubi quatuor illa recenſet, *quadrigarios*, *ſcenicos*, *xiſticos*, *arenarios*, & communi arenariorum nomine includit, gladiatores, & beſtiarios, quomodo idem alibi in partitione a locis quatuor ſpectaculorum complectitur eoſdem, ſub atrocitate arenæ, in *Apolog. adverſ. gent. cap.* 38. & fortaſſe gladiatores etiam Theodoſius in *l. Conſenſu* 8. §. *Vir quoque*, *C. de repud.* illic: *vel circenſibus, vel theatralibus ludis, vel arenarum ſpectaculis.* Et ante eum de gladiatoribus Valentinianus, & Valens in *l Neminem* 11. *C. Theod. de pœnis*, inibi: *Arena ſuſcipiat, laniſta doceat, ſæva meditatio, & pugnatrix exerceat.* Cui junge Quintiliani illud *declam.* 9. *Certa enim arenæ deſtinabar victima.* Et paulo ante: *Contemptiſſimus Tyro gladiator, diſcebam quotidie ſcelus*; & ex eodem *declamat.* 302. *Gladiator eſt, qui in arena, populo ſpectante, pugnavit*, atque illud ante inibi: *Non ludum, neque arenam, neque armorum inſcientiam complexa eſt lex, ſed gladium* (ubi inſcientiam exaudio, προσθῆναι, pro ſcientia & peritia, quomodo inſcientem Cujacius *ad l. ſi ſervus* 34. *D. de uſurp. & uſuc.*) Quamquam non diffiteamur, apud Conſtantinum, de quo *infra*, & in Auctorum Juris *fragmentis*, quæ in *Cod. & Pandectis* extant, arenariorum, & arenæ nomen, ut plurimum, referri non tam ad gladiatores, quam ad beſtiarios, *l. ult. D. de fugitiv. l.* 1. §. *Beſtias, verſ. Denique*, *D. de poſtulat. l. Ob carmen* 21. §. *ſi ea* 2. juncta *l.* 3. §. *Lege Julia* 5. *D. de teſtib. l. Hæ demum* 38. juncta *l. qui libertinus* 37. illic: *Quive operas*, *D. de oper. lib.*

3 Jam prohibitionis ampliandæ ratio ad arenarii filiam, tam in aperto eſt, ut nec merito nos moretur. Conſtat enim parem fuiſſe, ac perſimilem *arenæ infamis*, ut Prudentius indigitat 2. *contra Symmachum*, & arenariorum ignominiam, atque ſcenæ, & ſcenicorum, id quod in beſtiariis, qui in libris noſtris, ut prædiximus, proprie arenarii, liquet ſatis ex *l.* 4. *Dig. de accuſ.* illic: *Item his, qui cum beſtiis, depugnandi cauſa, in arenam intromiſſi ſunt, quive artem ludicram. Novell.*, 115. *ut cum de appell. cap.* 3. §. *ſi præter* 10. ibi: *Inter arenarias, vel mimos.* Theophilus 2. *Inſtit. tit.* 18. μῖμοι, κύνηγοι *l.* 1. §. *Removet* 6. *verſ. Et qui operas, cum ſeqq. D. de poſtul. l.* 3. §. *Lege*, 5. *cum l. Ob carmen* 21. §. *ſi ea* 2. *D. de teſtib. l. Sed & qui* 5. *Dig. ad S. C. Trebell. l.* 4. §. 1. *D. de legation. l. Qui libertinus* 57. *D. de oper. libert. l.* 1. §. *Qui operas*, *D. ad S. C. Tertyll. l. In arenam* 11. *Cod. de inoffic. teſtam. l.* 1. & 3. *D. de veteran. l.* 1. §. 1. *verſic. Item ſi quod*, *D. de ædil. ed. l. ultim. D. de fugitiv.* & ſpeciatim de arenariorum ingominia ſunt textus *in l.* 3. *D. de liberis & poſth.* Paulus apud Licinium Ruffinum in *collat. leg. tit.* 4. §. *Idem Paulus* 2. juncto §. *ultim.* & *tit.* 8. §. *Ulpianus lib.* 8. *de offic. Proconſ. Cap. Qui venatoribus* 8. *cum ſeq.* 86. *diſt.* Quibus illuſtrandis, non pauca adjicere, ſi vacaret, liceret.

At non omiſerim, quod & notatu non indignum pro Conſtantino, nec notatum vulgo adhuc, arenarii appellationem in *dict. l.* 1. *Cod. de natur. lib.* proprie magis, ut præmonuimus, referri ad beſtiarios, quam ad gladiatores, quia decem & amplius annos ante *dict. l.* 1. quæ edita ad extremum circiter Imperii Conſtantini, ut oſtendimus *ſupra*, Conſtantinus idem gladiatoria ſpectacula prohibuerat, Conſtitutione illa, Paulino, & Juliano Conſulibus, quæ extat in *l. unic. Cod. de gladiator lib.* 11. pleniorque in Theodoſiani *l.* 1. *eodem tit.* & quamvis, poſt Conſtantinum, cruenta ea ludicra, rurſus in uſu, & abuſu fuerint, ut apparet ex *l.* 2. & 3. *Cod. Theodoſ. de gladiatorib. l. Neminem* 11. *l. Quicumque* 8. *de pœnis*, ſublata tandem fuere ſub Honorio, de quo ex illius ævi Scriptoribus copioſe noſter pridem Salmanticæ in Profeſſoria Anteceſſura, & Mediolani in Præſidatu extraordinariorum redituum ſucceſſor, Nicolaus Fernandius Caſtro *ad. l. unic. Cod. de gladiator.* Quapropter poſt Honorium in *Novella* Valentiniani 3. & Martiani *de matrimoniis Senator. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* quæ Conſtantinianam legem recitat, & confirmat, arenarii appellatio non de gladiatoribus, qui jam extincti, & deſiti, ſed præciſe exaudienda de beſtiariis ſolis, quorum cum feris lachrymoſa ſpectacula, ut, poſt Honorium, & Martianum, vocantur in *l. ultim. Cod. de feris*, manebant adhuc ſub Juſtiniano, §. *Pœnæ* 5. *Inſtit. quib. mod. jus patr. pot. Novell.* 105. *de Conſul. cap.* 1. §. *Et tertium, cum ſeq.* juncta *Novell.* 115. *ut cum de appell. cap.* 3. §. *ſi præter l. unica. Cod. de venat. ferar. lib.* 11. Caſſiodoro 5. *variar. epiſt.* 42. quin & poſt Juſtinianum ſeculis aliquot, ut obſerves, licet, ex *Can.* 51. *Synodi ſextæ*, & *ex Synopſi Baſilic. lib.* 8. *tit.* 1. *cap.* 1. Photio in *Nomocan. tit.* 13. *cap.* 2. ubi in *Scholiis* Balſamon, & ad laudatum *Can.* 5. ad quem tamen Zonaras *de venationum ſpectaculis*, quæ τῶν κυνηγίων θέαν, vocat, tamquam de ſuo ſeculo jam inſuetis loquitur. 4

Illud ſaltem ex hac gladiatorii ſpectaculi ante Juſtinianum ceſſatione, & retento vel poſt eum uſu venatorii, & beſtiariorum, primi conjectamur, fortaſſe eo reſpectu in recitanda Juliæ legis cautione, ex Caliſtrato in *l.* 3. §. *Lege* 5 *D. de teſtib.* cum ea lege ex æquo caveretur de eo, *qui depugnandi cauſa auctoratus erit, quive beſtias depugnare locavit, locaverit*, ut ex Ulpiano & lege Julia ſcriptum legimus apud Licinium Ruffinum in *collat. leg. titul.* 8. §. *de falſo.* Ulpianus *lib.* 8. (quibus verbis deſignantur, diſtinguunturque & gladiatores, auctorati ad pugnandum, & beſtiarii ſe locantes ad pugnandum cum beſtiis, ut apud eumdem Ruffinum ex Paulo *tit.* 4. *de adulter.* §. *Idem Paulus* 1.) Tribonianum omiſiſſe mentionem gladiatoris auctorati, & retinuiſſe beſtiarii ſe locantis, in *dict. l.* 3. §. *Lege*, *D. de teſtib.* 5

Ampliationibus memoratis prohibitionis legum noſtrarum ſuccedunt in Conſtantiniana, prohibitio ipſa, pœna, atque effectus, quibus commentario juſto opus eſſet, niſi & præcipua alibi expoſita, & nos ad metam properaremus. Ergo ut ſummatim, cum Conſtantini ſententia fuerit congruens Juliæ, Papiæque legibus, inhibere Senatoribus, & aliis, quos nominat, conjugia cum fœminis, quas recenſet, ne ſcilicet eas uxores habere liceat, ut ex Conſtantino refertur in *Novell.* Martiani *de matrim. Senat. l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* conſequenter conſtituit, 6

ſtituit, neque filios ex eis ſuſceptos, in numero legitimorum habendos eſſe, *d. l.* 1. illic: *Suſceptos liberos, Cod. de natural. lib.* quomodo ante, & poſt leges Julias, in nuptiis per eas prohibitis, juſti filii non erant. *l. Uxorem* 55. *Cod. de nupt. l. Qui libertinus* 37. *§. Poſthumus* 7. *verſ. Ex lege, D. de oper. lib. §. ſi adverſus* 12. *Inſtit. de nupt.* electus Pauli locus, atque ex his illuſtrandus apud Ruffinum in *collat. leg. tit.* 16. *§. Paulus, verſ. ſui*, illic: *Nec intereſt, adoptivi ſint, an naturales, & ſecundum legem Juliam, Papiamve quæſiti*; id, quod in permittendis ingenuorum nuptiis cum libertinis, & prohibendis Senatoriis, expreſſum lege Julia, monuimus ſuo loco ex Dione *lib.* 54. *hiſtor.* notumque illud Apulejanum de nuptiis Pſyches imparibus, ideoque non legitimis, ac per hoc filio ſpurio naſcituro, ut ille ait *lib.* 6.

7 Adjicit continenter Conſtantinus, non eſſe eos filios habendos legitimos, *aut proprio judicio, aut noſtri prærogativa Reſcripti*. Quibus verbis, ut duo, quos includunt, caſus diſtinguantur, primum accipio non de arrogatione à patre facta ejuſmodi filiorum, Reſcripto Principis, de qua expoſuimus ex appoſita ad illam ſpeciem ratione *hoc libro ſupra*, Ulpianum in *l. ultim. de adopt.* hic enim caſus vix conveniret verbis *proprio judicio*, nec diſtingueretur ab illis, *aut noſtri prærogativa Reſcripti*, ſed accipimus potius hunc primum caſum de patribus, qui, ut Conſtantinus loquitur, eos ſuſceptos filios in *numero legitimorum habere voluerint proprio judicio*, ſine Principis auctoritate, veluti ſi eos filios teſtamento nuncupaverint, aut alioquin profeſſi ſunt; ut in *l. Cajus* 12. *D. de jure patron. l. Neque* 5. *Cod. de teſtam. l. Non nudis* 14. *Cod. de probat.* de queis itidem *ſupra*.

8 Secundum autem caſum intelligo, non ut Accurſius, Bart., Salicet., Baldus, & hucuſque fere omnes, de legitimatione per Reſcriptum Principis, cujus formula apud Caſſiodorum 7. *variar. cap.* 40. & cujus in naturalibus uſus cœpit poſt Conſtantinum, *Authent. præterea Cod. de natural. lib. Novell.* 74. *quib. mod. natural. cap.* 2. *& Novell.* 89. *ejuſdem tit. cap.* 9. ad exemplum fortaſſe illius Reſcripti, quod extat in *l. Qui in Provincia* 57. *§.* 5. *D. de rita nupt.* ſed in vulgato hactenus ſenſu de arrogatione ejuſmodi filiorum, Reſcripto Principis, ſicut ſub Conſtantino in uſu erat. *l.* 2. in fine *l. Arrogationes* 6. *l. In adoptionem* 8. *cum l. ſeq. Cod. de adoption. l.* 2. *D. eod. tit.* quam legitimationem per arrogationem non concedit his filiis Conſtantinus, quia ſuſcepti ex conjugio vetito, ſecus atque illi ex contubernio permiſſo in ſervitute patris, de queis in *dict. l. ultim. D. de adopt.* & quamvis poſtea hæc ipſa arrogationis legitimatio in ſuſceptis ex concubina, admiſſa fuerit, Anaſtaſii *lege jubemus* 6. *§. ultim. Cod. de natural. lib.* tandem tamen excluſa à Juſtiniano in *dict. Novell.* 74. *cap.* 3. *& Novell.* 89. *cap.* 11. *§. Adoptionis*; & ante eum à patre Juſtino in *l. Legem* 7. *Cod. de natural. lib.* quo loci verba illa, quibus excluſo in poſterum uſu arrogationis filiorum, indulget tamen in præteritum uſque ad illius legis diem, adrogationi factæ filiorum ex cupidine cujuſcumque mulieris, modo non inceſta, & nefaria, ac proinde etiam ex prohibitis Conſtantini *lege* 1. *C. de natural.* & ſuffragatur, ſicut ſcribit, *ut adoptio, ſeu arrogatis firma permaneat, nullis prorſus improbanda quæſtionibus, quaſi quod impetrarunt, lege quadam interdictum ſit.* Obſervamus fortaſſe nove, reſpicere, ac referri poſſe ad Conſtantinianæ legis verba illa, *aut noſtri prærogativa Reſcripti*, ex queis impetratio Reſcripti, & adrogationis filiorum ex mulieribus ea lege recenſitis, non nefariis, inceſtiſve, & tamen vetitis, interdicta cenſebatur, atque inde emergebant quæſtiones poſt Anaſtaſium, & ante Juſtinum, quas tamen ſuſtulit in præteritum, quia indigni non ſunt, qui alieno laborant vitio. *dict. l. Legem* 7. *Cod. de natur. lib.*

9 Prohibitionem ſequuntur pœnæ apud Conſtantinum in illis verbis: *Placet maculam ſubire infamiæ, & alienos à Romanis legibus fieri*; ad quæ indicaſſe, ſuffecerit, priorem pœnam, ſcilicet infamiæ, ob impar, & probroſum conjugium, congruere fere cum priſcis Romanis moribus, quibus jam olim inæqualia, & dedecoroſa conjugia erant obnoxia Cenſorum notæ, & mulctæ, ut præmonuimus *lib.* 3. *cap.* 1. & quamvis eo ipſo, quia quæ cenſorio ſupercilio relicta non coërcebantur propria ex legibus pœna, ut expreſſum à Dione Caſſio *lib.* 54. non exprimeretur, imponereturve infamiæ pœna legibus Julia, & Papia, *l. Lege* 44. *D. de rita nupt.* tamen exoleſcente cenſura, & reſecata tempeſtate, ut loquitur Symmach. 4. *epiſt.* 29. quam ſcilicet ſub Conſtantino ultimus fortaſſe geſſit Dalmatius, ambigente utcumque Baronio, Cenſor, quomodo vocatur à Socrate *lib.* 1. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 20. Athanaſio in *Apologia* 2. & ad quem referendæ inſcriptiones *l. Uxor* 7. *Cod. de repud. l.* 1. *Cod. Theodoſ. de his qui numero liberor.* poſtinde Conſtantinum, *honeſti amantiſſimum, ac morum ſanctiſſimum Cenſorem*, ut in hac re indigitatur in *Novella* Martiani *de matrim. Senator.* quam merito probroſis his conjugiis infamiæ maculam inuſſiſſe, utique graviorem nota cenſoria, quia illa ruboris ſolius, & nominis, ut ſcripſit Cicero 4. *de Republic.* hæc famæ læſio, & minutio. *l. Cognitionum* 5. *§.* 1. *&* 2. *D. de extr. cognit.* ſed ſeverior priſcis Conſtantinus in hac Conſtitutione, ut animadvertimus non ſemel ſupra capitibus præcedentibus.

Poſterioris pœnæ formula illa, *& alienos à Romanis legibus fieri*, utcumque nova, ac ſine exemplo ſit veteri Juriſprudentiæ, eam tamen fere vim habere videtur, ac ſi diceretur, peregrinos fieri, ſive, ut Salicetus exaudit, bannitos hodie; quippe peregrini fuere alieni à communione Romanarum legum, ſeu Civilis Juris, & eorum, quæ ex eo Jure propria Civium Romanorum, ex regula *l. ſunt quidam* 17. *§.* 1. *D. de pœnis. l. Deportatus* 15. *D. de interdict. & releg.* veluti connubii, patriæ poteſtatis, mancipationis, teſtamenti factionis, & ſimilium, de queis Ulpianus *tit.* 5. *§. connubium* 4. *& §. connubio* 8. *tit.* 7. *§. ultim. tit.* 10. *§. ſi patri* 3. *titul.* 19. *§. Mancipatio* 3. *&* 4. *tit.* 20. *§. Latinus* 14. *& tit.* 22. *§. Dedititius* 2. Cajus 1. *Inſtit. tit.* 6. *§. Item* 2. junctis *l.* 6. *§. Solemus, D. de hæred. inſtit. l.* 1. *C. eod. tit.* ad quam plura ex Briſſonio Gothofredus, quæ tranſcribere aliorum fuerit. 10

Nos pro Conſtantino obſervamus: pœnam relatis 11 verbis additam non extendi, ſive pertinere, & pertingere uſque ad peregrinitatem exilii, deportationis, & olim interdictionis aquæ, & ignis, quamquam ita explicuerit Faber in *Juriſprud. tit.* 11. *princ.* 2. *ill.* 1. tum quia hæc ſi intelligeretur, ſuperfluam faceret precedentem pœnam infamiæ; quoniam peregrinitatis pœna illam includeret, ſive famam conſumeret. *l. Cognitionum* 5. *§.* 1. *& §. Conſumitur, D. de extr. ord.* tum etiam, quia alienatio à Romanis legibus, quæ ſola pœna exprimitur, non eſt amplianda interpretatione ad peregrinationem. *l. pen. D. de pœnis. l. cum quidam* 19. *D. de lib. & poſth.* tum denique, & potiſſimum, quia Conſtantini ævo, & deinceps diſtinguuntur pœna infamiæ, & privatio communionis Juris Romani, cujus mentio in *l.* 4. *in princip. Cod. de hæret.* junctis *l. ſi qui* 7. illic: *ſub perpetua juſtæ infamiæ nota teſtandi, ac vivendi Jure Romano, omnem protinus eripimus facultatem. l. Quid de Donatiſtis* 40. inibi: *Nihil ex legibus ſit commune cum cæteris. l. Manentibus* 49. *Ut in totum utriuſque Juris communione priventur, Cod. Theodoſ. de hæret. l.* 2. ibi: *Teſtamenti condendi interdicimus poteſtatem, ut ſint abſque Jure Romano. l.* 4. *& ſeqq. eodem Cod. de Apoſtatis, cum l.* 3. *ejuſdem tit. in Juſtinianeo*, diſtinguuntur utique à pœnis peregrinitatis, ut liquet *ex l. Eunomianis* 36. *C. Theod. de hæret.* illic: *Eunomianis pœnas adimendæ teſtamenti factionis, peregrinorumque mutandæ conditionis remittimus.* Quibus verbis derogatur tum Conſtitutionibus, quæ Eunomianis ademerant teſtamenti factionem, & communionem Juris cum reliquis. *l. Eunomiani* 17. *in princip.* & *fine l. Omnes* 25. in fine. juncta *l. Eunomianis* 23. *l. Conficiendorum* 27. *Cod. Theodoſ. de hæret.* tum & aliis, quibus Eunomiani iidem Urbibus pulſi, extorres, & proin-

de peregrinitatis pœna eis indicta. *l. Doctores* 31. *cum l. ſeq. l. Eunomiani* 34. *eodem titul. & Cod.* Fiunt itaque à Conſtantino illi, quos alienos à Romanis legibus fieri vult, non peregrini, quales olim, qui ſine pœna, quia Cives Romani non erant, alieni etiam erant à Romania legibus, quamquam propriis ſuarum Civitatum utebantur. *l. 2. §. Poſt aliquod* 28. *Digeſt. de orig. jur. l. Nec apud* 7. *Cod. de hæred. inſtit. l. Non dubito* 7. *D. de captiv.* juncto Ulpiano *titul.* 20. *§. Latinus* 14. in fine, & Varrone apud veterem Grammaticum inter Latinæ linguæ auctores, *Peregrinum dicebant, qui ſuis legibus uteretur* (quod poſtremum illis, de quibus Conſtantinus non congruit, quia Cives manent, tametſi infames, & inteſtabiles) neque peregrini in pœnam, ut olim, aqua, & igni interdicti, & poſtea deportati, & *ἀπόλιδες*, ſive extorres, ac demum neque relegati, ſive qui hodie banniti, ſed ſine exilio, & peregrinitate, privati in pœnam communione legum Romanarum, & Luciliane, ut dicam ex Nonio Marcello *cap. 1. verbo* Illex, *non exules, ſed exleges*; quomodo & ſenſit Baldus in *noſtra l. 1. num.* 2. ubi & poſt Cynum, & Albericum infert ad eos, quibus in pœnam adimitur protectio communitatis ſuæ, ſeu Civitatis ſuæ, juxta Statuta, aut Conſuetudines Urbium Italiæ, de quo & fortaſſe alia alibi.

12 Conſentanea poſteriori huic pœnæ alia, ſive illius conſequens effectus eſt, qui pluribus verbis exprimitur in *d. l. 1. verſ. Ita ut quidquid cum ſeqq. ad fin. uſque Cod. de natur. lib.* ejuſque ſumma eſt, donata, aut qualitercumque collata à Senatoribus, & aliis illic recenſitis, in ejuſmodi fœminas, & ex eis filios prohibitione comprehenſos eripi eiſdem, & transferri ad juſtos filios, fratres, ſorores, patrem, matremve donatoris, aut agnatos, & cognatos, ac demum iſtis poſt bimeſtre ſpatium non petentibus, vindicari Fiſco, ſub quadrupli pœna. Confirmatur pars hæc poſtrema Conſtantinianæ legis, generali, & poſtremo capite *Novellæ* Martiani *de matrim. Senat.* ſuntque illius veluti parallela, quoad alia conjugia prohibita in *l. ſi quis inceſti 6. cum l. 4. Cod. de inceſt. nupt. l. 1. verſ. Omnium, Cod. de ſec. nupt.* de queis, & aliis Conſtitutis de donationibus, dotibus, vel legatis inter injuſtos conjoges, ex vetere, & nova Juriſprudentia diſſeruimus ex profeſſo *ſupra.* At in verbis illis, *ſi quid quæritur, vel commendatum dicitur*, & poſtea, *donatas*, vel *commendatas res*, eſt qood vel paucis adnotemus, commendati appellatione intelligi depoſitum, cujus ſub titulo, ac prætextu donata à Senatore concubinæ, ſupponebantur depoſita ab ea penes Senatorem, ut deinde tamquam propria ei reddi oporteret, atque ita fraus legi fieret, quod in incapacibus præſumitur, ut in exemplis *l. Qui teſtamentum* 27. *D. de probat. l. Cum quis* 37. *§. Codicillis, D. de legat. l. ſi ſponſus* 5. *§. Circa* 5. *D. de donat. inter.* junctis *l. Lucius* 88. *§. Quiſquis, D. de legat. 2. l. Aurelius* 28. *§. ultim. D. de lib. leg. l. Qui uxori* 18. *in princip. & §. 1. D. de auro & arg. leg.* Sane commendati nomen pro depoſito frequens eſſe apud Veteres, ſimulque & ex coacta Juris ratiooe pro voce, *commodatæ rei*, reponendum eſſe, *commendatæ*, in *l. 1. §. ultim. D. depoſiti*, non infrequenti alibi errato, obſervavimus pridem *ſelecta ad cum textum Academica commentatione dictata Salmanticæ ad annum* 1627. allatis ad rem locis aliis, & tentata itidem illius *§. Expoſitione*, ex queis tamen nihil adſcribimns, quia deſcriptam eam à commentatione integre, & ad verbum ex autographis dictatis noſtris legere volenti, licebit apud Arium de Meſa *lib. 2. var. cap.* 34. & 35. & quidem ſibi aſſerta veluti commilitii Academici jure, an & fide, quamquam non ſemel noſtri bonorifice meminerit. Quod & eumdem feciſſe *lib. 2. cap. 10. num. 15. in animadverſione noſtra ad l. Cum ab uno* 53. *D. de legat.* 2. deſumpta ex *Manuſcriptis noſtris Salmanticæ recitatis ad l. unic. §. Primam itaque, Cod. de rei uxor. act. ad annum* 1626. Et poſtea *ad tit. de verb. oblig.* ubi de individuis, oſtendet ſatis Mercurialis Merlinus; manuſcripta noſtra collaudans *poſt tractatam de pignoribus, deciſ.* 127. *num.* 12. Cujuſmodi & eadem fide uſurpatum eſt Syntagma illud de concubinis, & inter eas, & uxores ſimilitudine, ac differentiis *lib. 3. cap.* 38. 39. & 40. ex adverſariis, ſchediiſque noſtris, quæ & ſe pridem legiſſe, & meliore fide agnoſcit noſter D. Joſephus Fernandius Retes Primarius Anteceſſor *lib. de donationib. inter conjuges, cap. 2. num.* 9. Nobis interim præfiſcine, & ingenue vindicias egiſſe pro qualibuſcumque illis Academicis lucubrationibus, quæ, & aliæ, dum à prælo tamdiu abſtinemus, in alienum nomen tranſire licuerit, inoffenſa memoria, ac manibus docti Anteceſſoris, cui bene volumus, ac precamur.

Atque hæc pro Conſtantini *text. in l. 1. Cod. de* 13
natur. lib. cujus ex verbis non pauca avide magis; quam opportune, ad forenſes quæſtiones de incapacitate ſpuriorum producunt Accurſiani veteres, & noviores, à queis temperamus. Addimus dumtaxat pro re, & pro coronide, quantumcumque ex ſententia *dict. l. 1.* hodie relicta, vel donata à patre Senatore, vel in dignitate poſito, filiis ſuſceptis ex abjecta, aut vili muliere, eripi eis, & applicari legitimis, aut Fiſco, ſupponant, poſt Bertrandum *conſ.* 395. *num.* 10. *lib.* 4. D. Covarr. *de ſponſal. 2. part. cap. 8. §. 5. num.* 3. Gomeſius in *l. 9. Tauri num.* 33. quibus adſtipulatur veluti *lex ultim. titul.* 14. *part.* 4. juncta *Gloſſa in l. ultim. verb. Perſonam, Cod. de ſponſal.* Pro certo tamen, & explorato haberi oportere, prohibitionem matrimoniorum Conſtantinianæ legis, & illius pœnas, effectuſque ceſſaſſe in primis, matrimonio contracto cum dotalibus inſtrumentis, correctione Juſtiniani in *Novell.* 89. *quib. mod. natur. cap. 1. & 15. & Novell.* 117. *Ut liceat matri, cap. 4. & 6. Authent. Sed novo jure, Cod. de natur. lib. Auth. maximis, C. de nupt.* ut prænotavimus in *excurſu ad l. à Caligato* 21. *C. de nupt. ſupra.* Quocirca exemplum illud, & ſuppoſitum à Theophilo in ſuis *Inſtitutionibus lib. 1. titul. 6. §.* 5. de manumittente ancillam, matrimonii cauſa, uxorem eam ducturo, niſi juſta cauſa impediat, *veluti, quia manumiſſor Senator factus eſt; nam Senator libertinam uxorem ducere non poteſt*; vix congruit Theophili ævo, quocumque tandem, & quiſque ille fuerit, ſi tamen poſt Juſtinianum vixiſſe, & ſcripſiſſe illum, eum eruditioribus cenſeamus, ſublata jam Senatorii connubii cum libertina prohibitione, & fortaſſe accenſendum aliis Theophili illius erratis.

Hoc amplius: etiam ſine inſtrumentis dotalibus, 14
valere hodie matrimonia Senatorum, & Illuſtrium cum abjectis, & diſparibus fœminis antiquata Conſtantini lege, & prioribus noſtris Julia, & Papia, in hoc capite, & cenſura Canonici Juris, cui in hac re ſtandum. *cap. ultim. de ſec. nupt.* juncta ratiooe *cap. 2. de conjug. ſerv. cap. ſi quis ingenuam, ubi Gloſſ.* ad rem celebris, 4. 29. *quæſt. 2. cap. Inter opera* 20. *de ſponſalib.* quomodo *ad dict. l. 1. Cod. de natural. lib.* ſcripſit Salicet. abrogatam eam ſentiens, & apertius *ad Authent. maximis, Cod. de nupt.* Fulgoſius, ſubdubitans quidem, in *l. Sed ea, quæ, D. de ſponſal. & in l. Oratione* 16. *D. de ritu nupt.* & firmans tandem, & ſequutus, ut ait, Jus Canonicum in *l. Lege* 23. *Dig. de ritu nupt.* Panormitanus in *cap. 1. de ſponſalib.* Angelus *conſil.* 29. *num.* 34. Hoſtienſ. Tiraquell. *de nobilit. cap.* 20. *num.* 173. & *cap.* 15. *num.* 82. Martin. Navarr. *conſ. 3. lib. 4. tit. 14. num. 7. in fine.* D. Covarr. *de ſponſalib. 2. part. cap. 8. §. 2. num.* 8. Corraſius *ad l. Filiam* 9. *num. 1. D. de Senat.* Jacob. Gothofred. *ad. leg. Juliam, & Papiam.* Duaren. *ad tit. D. ſolut. matrimon. in præludiis de nuptiis.* Antoo. Faber in *Juriſprud. tit. 9. princip. 2. illat.* 1. p 401. *num. 3. ad finem.* Facbinæus 4. *controv.* 53. Hugo Grotius *de jure belli & pac. 2. cap. 5. num.* 15. propric, & plene Petr. Gregor. *ad cap. 1. de ſponſalib. num.* 77. & *ſeqq.* ex profeſſo Menochius *conſil.* 18. *ex num.* 8. & *ſeqq.* Decianus *tom. 1. reſponſ. 5. ex num.* 73. *cum ſeqq.* P. Sanctius *de matrim. tom. 2. lib. 7. diſp. 19. num. 9. & 10.* Gutierrez *de juram. confirm. 1. part. cap. 16. num. 60. & 61.* poſt Avendanium, & Gregorium Lupum. Matienço in *l. 9. tit. 8. gloſſ. 2. num. 4. lib. 5. Compilat.* Petr. Barboſ.

boſ. in *l. 2. part. 4. D. ſolut. matrim.* & ex eo, & Peregrino *de jure Fiſci* 3. *tit.* 17. poſt alios alter Barboſa in *collectan. ad l. Humilem* 7. *num.* 11. *Cod. de inceſt. nupt.* & *ad d. l.* 1. & *Auth. Sed novo jure, Cod. de natur. lib.* & in nobili quæſtione de legitimatione filiorum per matrimonium etiam cum vili matre; plene, ac poſt plures, Theodorus Hoppingius *de jure inſign. cap.* 7. *ex num.* 181. & 193. & 198. *cum ſeqq.*

15 Idque, ut poſuimus, habendum hodie pro indubitato, utcumque pro Jure Juſtinianeo Ritershuſius ad *Novell.* Juſtin. 4. *part. cap.* 1. *num.* 13. & pugnaciter, ut ſolet, & pertinaciter contra Canonicum, obloquatur, ex ſectariis, Albericus Gentilis *lib.* 1. *de nupt. cap.* 3. & *lib.* 3. *cap.* 12. *ad finem*, & quoad legitimationem filiorum in terris Imperii, poſt Angelum, Socinum, & alios, illis, quod nollem, ſubſcribens, noſter Larrea *deciſ. Granat.* 8. *n.* 37. & 38. & tamen, ne immemores videamur, adjicimus, agnoſcimuſque, manſiſſe adhuc poſt Juſtinianum aliquot ſeculis, in Græco Romano Imperio, prohibitionem nuptiarum fœminæ illuſtris, ſeu Senatoriæ cum liberto, aut ſcenico, ut non ſemel alibi ſcripſimus, præcipue *lib.* 3. *cap.* 2. ſicut & alias in Eccleſiæ, & Nationum legibus, veteris prohibitionis reliquias, de queis alibi, & quæ tandem merito exolevere.

CAPUT XLII.

Ad Novellam Martiani de matrim. ſenat. addito ſpicilegio Canonico, pro cap. In illis 2. apud Gratianum 80. *diſtinct.*

ARGUMENTUM.

F*Luit Martiani* Novella *ad Conſtantinum veluti appendix. Cum dubitatione, an ingenua pauper arceatur tamquam humilis, & abjecta à matrimonio Senatorio. Dubitandi ratio ex Romana politia, juxta quam æſtimatio, & honores pendebant ex cenſu, & matrimonia diſcernebantur à concubinatu ex dote; eo uſque, ut ſine iſta non cenſerentur legitima priſcis Canonibus, qui expenduntur. Potior tamen apud Martianum honeſti ratio, & laudes, quas memorat, paupertatis ingenuæ. Objecta de matrimoniis ſine dote. A Martiano, & qua occaſione meminit Flaminum Muncipalium, & Sacerdotum Provinciarum, digreſſio fit* ad Clementis I. epiſtolam, *quæ refert, D. Petrum præcepiſſe, ut in queis Civitatibus apud Ethnicos primi Flamines eorum erant, in eis ponerentur Epiſcoporum Primates, & Patriarchæ. Aſſerta contra Novatores, epiſtolæ fides, & ſenſus, luſtratis, & illuſtratis aliis Pontificiis Decretis, ſimulque ex Modeſtino diſtinctio Primatum Urbium, & Metropoleon, ac Metrocomiarum. Ex eodem Petri ſenſu fuit inſtitutio Patriarcharum, & Primatum in his Civitatibus, quæ erant veluti capita Imperii, & Ethniciſmi, aut plurium Provinciarum, ut Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ. Pro quo expenſi inter alios* Canon Taurinenſis, & Leonis Magni locus. *Inde & eo paulatim ventum, ut plerumque ſeculari politiæ conformaretur Eccleſiaſtica, quoad Primates firmandos in Primariis, ſeu Regiis Urbibus, ut, Toleti, ſub Gothis; id tamen non ex Regum, Cæſarumve imperio (ut læve, & aulice olim Balſamon) ſed Pontificio. Aſiarchæ Primates Ethnicorum in Aſia; Archierei in Ægypto, ſive Alexandriæ; Alytarchæ in Antiochia, queis ſucceſſere Patriarchales Sedes. Sic Carthagine Primi Sacerdotales, quibus ſucceſſit Archiepiſcopus Primas, ſicut Archiflaminibus, & aliis minoribus alii Metropolitæ, & Epiſcopi in Africa. De Flaminibus Primis majoribus, & minoribus in Hiſpania notæ, & remiſſiones.*

1 PRopria hujus loci eſt, & adjungenda, luſtrandaque vel leviter, ante quam abeamus, appendix ad Conſtantinum ex *Novella* Valentiniani, & Martiani *de matrimoniis Senatorum*, cujus prior pars, & præfatio extat relata à Triboniano in *Juſtiniani Codicem*, tametſi in fine interpolata in *l. Leges* 9. *Cod. de legib.* potiſſima autem ſententiæ, ac deciſionis ſumma in *l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* cujus & hæc paraphraſis fuerit. Adjecerat Conſtantinus, poſt ſpecialiter recenſitas probroſas fœminas, de queis hactenus, generalem illam circumſcriptionem: *vel humili, vel abjecta perſona.* Inde ambigendi nata occaſio, &, ut ſcriptum eſt in *laudata Novella*, *Magna dubicatio in judiciis, utrumne hæc nomina etiam ad pauperes ingenuas fœminas referri debeant; eaſque à matrimonio Senatorum præſcriptum legis excludat.* Et fortaſſe ex Romanis legibus, moribus, non ſine cauſa dubitabatur, cum & adſcribi fere ſolerent paupertati vilitas, ſordes, infamia, &, Horatiano epitheto, *magnum opprobrium. l. 2. verſic. Quid enim, Cod. quando, & quib. quarta pars deb. lib.* 10. *l. Quiſquis*, §. 1. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* junctis *l. Nonnulli* 10. *D. de accuſat.* l. 3. *D. de teſtib. l. ultim. Cod. de ſpectacul. lib.* 11. illic: *Conductis pro paupertate perſonis, quas fors damnavit humilior. l. Palam* 43. §. *Non eſt ignoſcendum, D. de ritu nupt.* ad quam nos aliqua in *Analecto libr.* 3. *cap.* 15. *in fine*, & *cap.* 16. & ſicut Romæ ex cenſu Senatores, Equites, Claſſeſque Civium, ita matrimonia à concubinatu dignoſcerentur, ex dote, ex dotalibus tabulis, de quo, & quædam jam Nos ſupra ubi *de dotibus caducis.* & *cap.* 40. *ad l. A Caligato* 21. *C. de nupt.*

2 Atque hæc uſque adeo, ut quemadmodum dos fuerit veluti teſſera, & argumentum matrimonii. *l.* 3. *D. de jure dot. l.* 1. §. *penult.* & *ultim. D. pro dote*, & dotata mulier eo ipſo cenſeatur legitima uxor, & diſtinguatur à concubina, ex nobis, atque hinc illuſtrando Euariſti Papæ *Decreto in cap.* 1. inibi: *& legibus dotetur.* 30. *quæſt.* 5. & Leonis Magni in *cap. Non omnis* 12. illic: *& dotata legitime.* 32. *qu.* 2. junctis *cap. Tria* 8. & *ſeqq.* 36. *qu.* 2. & ex Leone *Concilio Triburienſi* ſub Arnulfo, eo loco: *Eſt igitur, ut ex Decretis Papæ Leonis prædiximus, ingenua facta, & dotata legitime, & propterea jam non eſt concubina, ſed uxor legibus adquiſita.* Idque adeo productum, ut definiatur *Arelatenſi Canone*, *ut nullum fiat ſine dote conjugium*, quomodo ex eo refertur in *cap. Nullum* 6. 30. *q.* 5. juncto perinde obſciſſæ aſſertionis *textu In conſanguineorum* 4. 3. *qu.* 7. Sic è contra, indotata, & pauper præſumetur concubina, juxta Plautinum illud in Trinummo: *Sed ut inops infamis ſim, ne mihi hanc famam differant, me germanam meam ſororem in concubinatum tibi ſic ſine dote dediſſe magis, quam in matrimonium.*

Eccista, & alia id genus, quale illud declamatoris 3
apud Calpurnium *declam.* 29. *Pauper, & dives, inimicum eſt matrimonium*; tametſi dubitandi anſam præbuerint Palladio Præfecto Prætorio, cujus conſultationi reſpondetur in *dict. Novella de matrim. Senat.* aſt, ajunt Cæſares, deciduntque: *Abſit, ut hoc nefas illius* (Conſtantini) *putemus temporibus, cuiquam dedecori data eſſe paupertas, cum ſæpe plurimis multum paraverint gloriæ opes modicæ, & continentiæ fuerit teſtimonium, cenſus anguſtior: quis arbitretur, inclytæ recordationis Conſtantinum, cum geniales Senatorios thoros contaminari pollutarum mulierum fæce, prohiberet, fortunæ munera bonis naturalibus prætuliſſe? Et divitiis, quas varietas caſuum tam poteſt adimere, quam tribuere, poſtpoſuiſſe ingenuitatem, quæ auferri non poteſt, ſi ſemel nata ſit. Ille vero honeſti amantiſſimus, & morum ſanctiſſimus Cenſor, eas humiles, abjectaſque judicavit eſſe perſonas, & matrimoniis Senatorum duxit indignas, quas aut naſcendi decolor macula, aut vita probroſis quæſtibus dedita, ſordentibus notis polluit, & vel per originis turpitudinem, vel obſcœnitate profeſſionis infecit. Ideoque* (& tandem concludunt) *humilem, vel abjectam*

fœminam minime eam, judicamus, intelligi, quæ licet pauper, ab ingenuis tamen parentibus nata ſit: ſed licere, ſtatuimus, Senatoribus, & quibuſcumque ampliſſimis dignitatibus præditis, ex ingenuis natas, quamvis pauperes, in matrimonium ſibi aſciſcere, nullamque inter ingenuas, ex divitiis, & opulentiore fortuna eſſe diſtantiam. Porro deſcripſimus Cæſarum verba, quorum pars tantum extat in *l. Humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* & quia Philoſophiæ plena, & quidem veræ, ac Chriſtianæ, ac ne quis illa poſt elegantia adeo, atque aurea, à nobis expectet, Centones de paupertatis ingenuæ laudibus, qui forent, ut dicitur, panni Cæſariana purpura.

4 Sed quando adhuc in hac ipſa *Novella* Martiani, reperita legimus nomina Flaminum Municipalium, & Sacerdotum Provinciarum, deflectimus vel curſim, & fortaſſe non ſine aliquo operæ pretio, in veteris Eccleſiaſticæ politiæ locum, qui nec longe extra viam eſt, apud Gratianum ex Clemente Papa 1. *epiſt. ad Jacobum in cap. In illis* 2. 80. *diſtinct.* in quo crucem lectoribus poſitam, eamque è Gratiani Decreto tollendam, Dialogiſta ille cenſuit, apud Antonium Auguſtinum: idque quia vix auditum alibi; vel quod aliunde vix probetur, quod Clemens aſſerit, *in illis Civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos Primi Flamines eorum, atque Primi legis Doctores erant, Epiſcoporum Primates poni, vel Patriarchas, Petrum præcepiſſe.*

5 At in primis pro fide & epiſtolæ, & aſſertionis Clementis, contra Magdeburgenſes novatores, utramque impugnantes, ſtat auctoritas Romanæ editionis Clementis, & aliorum Pontificum *epiſtolarum* ex archetypis *tom.* 1. *p.* 9. ubi plenior, correctiorque contextuſque, & ſententia habet, præcepiſſe Petrum, *in illis Civitatibus, in quibus olim* (ut & poſtea, *dudum*, non quaſi tunc non eſſent, ſed quia erant jam inde *à multis ante adventum Chriſti temporibus*, ut fere exponit Stephanus I. *epiſt.* 2. §. *Eas quoque* & ante eodem ſenſu Anacletus I. *epiſt.* 2. apud Gratianum in *cap.* 1. 99. *diſtinct.* & *epiſtol.* 3. illic: *priſcis temporibus.* Gregorius VII. *lib.* 6. *Regiſtri epiſt.* 35. Leo IX. *epiſtol.* 4. *ad Petrum, & Joannem Epiſcopos*) *Ethnicorum Primi Flamines, atque Primi legis Doctores erant, Epiſcoporum Primates poni, vel Patriarchas, qui reliquorum Epiſcoporum judicia, & majora* (quoties neceſſe foret) *negotia in fide agitarent: in illis autem Civitatibus, in quibus erant Archiflamines* (minores ſcilicet, quam memorati Primates) *Archiepiſcopos inſtitui. In ſingulis vero reliquis Civitatibus ſingulos Epiſcopos conſtitui, qui non Primatum, aut Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum nomine, quia matres Civitatum non tenent, ſed Epiſcoporum tantum vocabulo potirentur.* Stat & epiſtola Clementi ſuccinens ſub eadem gradatione Primorum Flaminum, Archiflaminum, & Flaminum minorum, tranſlata ad Primates, ſeu Patriarchas, & ad Archiepiſcopos, ſeu Metropolitanos, ac denique ad Epiſcopos apud Leonem Nonum *tom.* 3. *epiſtol.* 4. juncto in *Decretalibus cap.* 1. *de privileg.*

6 Queis conſentiunt eadem diſcretione inter Primates Urbes, ſeu Maximas, ut Modeſtinus diſtinguit in *l. ſi duas* 6. §. *Eſt autem* 2. *D. de de excuſ. tutor.* ſive plurium Provinciarum, &, ut loquebantur, Diœceſeon capita, μητρόπολεις τῶν ἐθνῶν, ſeu *matres gentium*, (in queis olim Primates ſeculi, aut legum Gentiles, & poſt Petrum, Patriarchæ, & Primates deſignati) & Civitates majores, ſeu mediocres, ſingularum Provinciarum Matres, ſeu Metropoles, & Principes, *l.* 3. *Cod. de natural. lib.* 4. §. *Ingreſſum. l. ſi in aliam* 7. *D. de offic. Proconſ. l. un. Cod. de Metrop. Beryto. lib.* 11. *Novella* Theodoſii *cap. de his, qui ſponte munus, ad finem.* In queis poſiti Metropolitani, ſive Archiepiſcopi, demumque Civitates minores Parœciarum, ut loquebantur, ſive Caſtellorum, & Vicorum matres, ſeu Metrocomias. *l. un. Cod. non licere habit.* Metroc. *lib.* 11. *l. ultim. C. de exactor. trib. lib.* 10. *l. Valerii* 6. *Cod. Theodoſ. de patrocin. vic.* in queis Epiſcopi conſtituti. Eadem, inquam, diſcretione facta, niſi quod, omiſſa Flaminum mentione, fit eorum loco mentio Primatum Gentilium ſeculi, & legum: Conſentiunt Anacletus, Clementis ſucceſſor *epiſt.* 2. & 3. *cap.* 1. 99. *diſt.* & apud Ivonem 5. *p. cap.* 52. Stephanus I. *epiſtol.* 2. §. *Eos quoque* (cujus verba, gloſſis inobſervantibus, adſcribuntur Lucio, Stephani deceſſori, apud Gratianum in *cap.* 1. 80. *diſt.* aſt laudat, & deſcribit Clementis, Anacleti, & Stephani Epiſtolas ætatis, & Francogalliæ ſuæ oraculum Hincmarus Rhemenſis *opuſculo* 55. *cap.* 25.) Anicetus *epiſt. unica*, §. *Nulli*, unde eſt *caput* 2. 88. *diſt.* Gregorius VII. *lib.* 7. *reg. ep.* 35. Quibus tot, tantiſque refragari, tamquam ſuppoſititiis, non niſi effrontis Novatoris ſit, cujuſmodi eſt præ aliis David Blondellus, contra priſcas Pontificum Epiſtolas, improba, & impia cenſura *ad* 1. Clementis I.

Deinde & ſtat, ac conſentit accepta à Petro tra- 7
ditio, inſtituendarum Patriarchalium Sedium, & Eccleſiarum in illis Urbibus, quæ & Imperii, & ſuperſtitionis Ethnicæ veluti capita, ut in primis Romæ pro Occidente Europæo; Alexandriæ, ſecundæ, & maximæ poſt Romam Urbis, Joſepho auctore 5. *de bell. Jud. cap. ultim.* pro Africa Orientali, ſive Ægypto; Pentapoli, & Libia, & Antiochiæ pro Oriente Aſiatico in queis Primi, & Maximi Patriarchæ, quibus poſtmodum ſub Græcis Cæſaribus additus Conſtantinopolitanus, ob prærogativam Imperii, Regiæque Urbis, & Hieroſolymitanus ob originem ſacrorum, & fidei, ſive quia *mater Chriſtiani nominis*, ut vocat Imperator Juſtinus *epiſt. ad Hormiſdam Papam*, quæ ſingula, ſatis ſit, dedicisse ex Gratiani *rhapſodia in cap. Sacroſancta* 2. *cum ſeqq.* 22. *diſt. cap. Mos antiquus* 6. *cum ſeq.* 65. *diſt. cap. Cleros* 1. 21. *diſt.* & ex Concilio Niceno *Can.* 6. & 7. (ubi de Hieroſolymitana Eccleſia, ſubdita Cæſareæ, tamquam Palæſtinæ ſub Romano Imperio Metropoli, ut illic notat Zonaras, & Balſamon, & pridem docuerat Hieronymus *epiſt.* 61. *ad Pammachium contra Joann. Hieroſol. prope finem*) itemque ex Chalcedonenſi *Can.* 28. & 17. quo poſtremo, & conſequenter traditioni Apoſtolicæ, ſupponitur, innovata, & erecta ab Imperatoribus Civitate aliqua ad Metropolis prærogativam, par eſſe, ut Eccleſiarum ordo eam ſubſequatur, quomodo & cautum Taurinenſi Concilio *Can.* 2. in contentione de primatu inter Arelatenſem, & Viennenſem Epiſcopos, ut, *qui ex his approbaverit, ſuam Civitatem eſſe Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus obtineat.* Quomodo denique apud nos Gothis ſub Regibus, cum prærogativa Imperialis Urbis Toleti ſtabilitus Toletanus Primatus. Quamquam hæc, & ſimilia de ſubſequentibus Epiſcopatuum ordinibus, prærogativas Regiarum Urbium, aut Imperiorum gradationes, neutiquam tribuenda ſint auctoritati, & poteſtati Imperatorum, ut aulice annotavit Balſamon *ad Chalcedon. Can.* 17. cui obviam eas licet, poſt Gelaſium Papam *in celebri epiſt. ad Epiſc. Dardan.* cum Nicolao I. *in cap. Legem* 10. *diſt.* Joanne VIII. *in cap. Hæc quippe* 10. *in fine* 3. *q.* 6. ſed quia ut plurimum expediens Eccleſiæ viſum, Eccleſiaſticam, & civilem politiam conformari, *eaſque veræ fidei diſcipulas Urbes conſtitui, quæ fuerant magiſtræ erroris, & Evangelii lucem, quæ in omnium gentium revelabatur ſalutem, efficacius à Capitibus in omne mundi corpus, effundi*, ut de Roma ſua Leo Magnus *Serm.* 1. *in natali Apoſtol.*

Stat denique, & cooducit pro illuſtranda diſcre- 8
tione illa Primorum Sacerdotum, Flaminum, Archiflaminum, & minorum Flaminum, & diſcretione Urbium apud Ethnicos, illiuſque in Eccleſia, ex Petri inſtituto, introductione, ut Gratianus loquitur in *præfat. diſt.* 21. §. *Horum*, quod nuper de Aſiarchis exprimebamus, fuiſſe eos Principes, ſeu Primarios Sacerdotes Provinciæ Aſiæ, ac proinde Præſidentes, veluti Epheſo apud Lucam *Actuum Apoſtol. cap.* 31. *verſu* 19. Primaria inter Matrices Aſiæ Urbe *l.* 4. §. *Ingreſſum* 5. *in fin. D. de offic. Proconſ.* Conducit, & quod ſcimus, ſicut Romæ Gentilium Pontificem Maximum, & Pontificum minorum Collegium, ita Alexandriæ, apud Ægyptios, Archiereum, ſeu Primarium Sacerdotem fuiſſe, ad cujus curam Templa, & Templorum ſolennia pertinebant. *l. in conſequenda*

109. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* ſicut Antiochiæ in Oriente Alytarcham Sacrorum ſimul, & ſpectaculorum Primum Præfectum, de quo jam ſupra; ita & tribus his in Urbibus, Roma, Alexandria, & Antiochia, Patriarchales à Petro Sedes conſtitutas.

9 Poſtremo, ne alia ex *dict. cap.* 37. huc transferamus, addimus proprie nunc, pro gradatione hac inter Primates Sacerdotes Gentilium, & Archiflamines, ſeu Sacerdotes Provinciarum, ac Flamines Urbium, clariora exempla ex Africa, in qua, conſtat, Primates Sacerdotes, ſeu Flamines, quibus Africani reliqui veluti ſubeſſent, ſediſſe Carthagine, principe Provinciarum Africæ Urbe. *l. Sacerdotales* 20. *Cod. Theodoſ. de paganis. l. Exceptis* 176. *l. Africani* 145. *in eodem Cod. de Decurion.* juncta *l. ultim. Cod. Theod. de Tyronibus.* Carthagine, ut dicimus, in Africano Orbe, quaſi Roma, ut Salvianus vocat *lib.* 7. atque unde per totum Africæ corpus malum, tamquam à vertice, effunderetur, ut de Carthagine ſua Auguſtinus *epiſt.* 162. quo exemplo Carthaginenſis Archiepiſcopus inter cæteros Africæ Primates, ſeu Metropolitanos fuit Primas, veluti Primarius, & maximus Metropolitanus Africæ, ut liquet ex *Conciliis Carthaginenſibus*, apud Balſamonem, & Zonaram *cap.* 59. *&* 86. *&* 109. Leone 9. *epiſt.* 3. *&* 4. juncta *Novella* 131. *de Eccleſ. tit. cap.* 4. *&* 119. *cap.* 509. apud Julianum Anteceſſorem; & in aliis Africanis Provinciis, earumque Metropolibus, ſeu Matricibus, fuiſſe Archiflamines, ſeu Provinciarum Sacerdotes. *l. A ſolis* 46. *l. Cum ſuper* 149. *l. Duumvirum* 174. *dict. l. Exceptis* 176. *de Decurion.* ut Apulejus ille Afer, qui *Sacerdos Provinciæ pro Magno fuit*, ſive *Magnus, quoad potuit*, ut eidem ſuccenſens memorat Auguſtinus *epiſtol. ad Marcellinum* 5. *ad finem*, quorum ad inſtar in Provinciis Africæ, veluti Numidia, Mauritania, Byzacena, & aliis, Metropolitani, ſive ut vocabant, Primates Epiſcopi conſtituti, juxta *Carthaginenſes Canones* 17. *&* 87. *in Græca collectione* nuper laudata, & Leonem *dict. epiſtol.* 3. Gregorium Magnum *libr.* 7. *epiſtol.* 64. Denique fuiſſe in ſingulis Urbibus minoribus, minores Flamines, ſeu *Sacerdotales*, *& eorum ſuperfluam turbam*, ut dicitur in *dict. l. Exceptis* 176. juncta *l. Sacerdotes* 60. *de Decurion. l. Sacerdotales* 20. *de paganis*, *in Cod. Theodoſ.* Quibus utique in eiſdem Urbibus Epiſcopi inſtituti, veluti oppoſiti, ut de Africanis Leo IX. *dict. epiſt.* 3.

10 Accedunt his (ut taceam Patres illos, & Principes Pontificum Gallicanorum, quos, ethnica itidem alluſione, vocat Protomyſtas Sidonius *lib.* 7. *epiſtol.* 13. *& lib.* 2. *epiſtol.* 9.) monumenta Hiſpaniæ noſtræ, in qua fuere olim, & deſignati in Primariis, ac Matricibus Provinciarum Urbibus Flamines, ut vocabant, Primi, ac perpetui, Provinciæ Hiſpaniæ citerioris, cujuſmodi fere Tarracone, *cunctis Urbibus eminente Iberis*, ut Prudentius in *Periſteph. hymno* 6. & Provinciæ Bœticæ, quales Cordubæ; & Provinciæ Luſitaniæ, ut Emeritæ, *cui tota ſuos Hiſpania faſces ſubmittebat*, ſi *Auſoniano textui* fides. Fuere & diſcreti ab illis, minores Flamines Municipiorum, ac Coloniarum, de queis ſingulis *Gruterianæ Inſcriptiones pag.* 321. *ac ſequentibus*, atque alibi Hiſpanienſes plures.

11 Tandem, ſi cui non ſatis hæc, pro illuſtrando, ac tuendo Canone illo Clementis apud Gratianum in *cap. Illis* 2. 80. *diſtinct.* conferat tradita ab Ant. Auguſtino *ad Gratianum dialogo* 55. Franc. Turriano *adverſ. Magdeburg. libr.* 2. *cap.* 16. Anaſtaſio Germonio *de Sacr. Immunitat. libr.* 2. *cap.* 5. Joanne Dartis *ad caput In illis* 1. ubi & alii noviores, 80. *diſtinct.* Fr. Hallierio *de Eccleſ. Hierarch. lib.* 4. *artic.* 3. §. 2. Philipp. Berterio *Diatriba* 2. *cap.* 6. Innocent. Gyronio *libr.* 1. *obſervat. cap.* 10. *&* 12. Joanne Fileſaco *de ſacra Epiſcop. auctor. cap.* 9. §. 1. *& ſeq.* Mich. Rouſellio in *Hiſtor. Pontific. Juriſdict. lib.* 2. *cap.* 2. *ex num.* 8. noviſſime Petro Marca *in concord. Sacerdot. & Imp. lib.* 1. *cap.* 3. *& lib.* 2. *cap.* 8. *& libr.* 6. *cap.* 1. cum aliis, ac fere illis quotquot de Toletanæ Eccleſiæ Primatu, contra Bracchaenſem, Hiſpalenſem, atque alias, noſtro, & ſupra noſtrum ævo ſcripſere. Sit itaque propoſitorum ſumma, fluxiſſe ex traditione Petri, & Apoſtolica, inſtitutionem Primatum in illis Urbibus, in queis Primi ethnicorum Flamines erant, & quæ ipſæ primariæ erant Imperii Urbes, ſicut & Metropolitarum, & Epiſcoporum in aliis, quæ *Metropoles*, aut *Metrocomiæ* dicebantur.

C A P U T XLIII.

Pro Juliarum legum cautione de Scenicis, Parecbaſis, & Libri hujus lineæ extremæ. De hodierna Hiſpana Comœdia, & quando, & quatenus licita, aut tolerabilis. Et ſententiæ, quæ licitam ſtatuit, Auctores, & fulcra.

A R G U M E N T U M.

Nnectitur tot hoc libro traditis de ſcenicis, diſſertatio de Hiſpanis Comœdiis. Præmonetur, non eſſe eis aptabilem deteſtationem veteris ſcenæ, ex Canonum, & Patrum cenſura, de qua remiſſive. Deteſtationis primo cauſa fuit, Idolorum cultus, queis velut ſacra ſcena, & ſcenici ludi. Marianæ in Div. Iſidorum *ſtrictura factum ſatis, & de Idololatria in Hiſpania, vel ſub extremis Toletanis Conciliis. Secunda cauſa ſcenæ obſcenitas, de qua ex Juris libris, & aliis. Sed, ut monuimus, hæ cauſæ vix applicabiles comœdiis noſtris. Præmonetur etiam velut in abſtracto, hodiernas comœdias, ſi moribus noxiæ non ſint, habendas pro licitis, & pertinere ad virtutem Eutrapeliæ, ut de Hiſtrionibus Divus Thomas, & ante eum Sariſberienſis. E contra ſi inhoneſtæ, aut moribus nocituræ, fore prorſus illicitas. Jam autem in concreto de recentibus comœdiis quales, & cujuſmodi apud Nos in uſu agnoſcitur, ſententiam, quæ eas habet pro licitis, non eſſe improbabilem, tum ex auctoritate Eccleſiarum, Senatuum, Scriptorum pro illis ſtante: tum ex ratione, quia cum Hiſtrionum ars, ex Divi Thomæ ſenſu, non ſit per ſe illicita, ſed indifferens, & æſtimanda ex fine, ad quem dirigitur, conſtat item, eum finem, ex Reipublicæ ſenſu, eſſe licitum, nempe honeſtæ recreationis: tum etiam ex actione ipſa recentium comœdiarum, quæ neque argumento turpes, utpote quamvis amatorio, non inhoneſto, ſed in nuptiarum ſpem ducente, neque diſpoſitione, aut verſibus, non tam laſciviæ, quam oblectamento ingeniorum ſervientibus; & utcumque in aliis extrinſecis cantionum, & chorearum interdum excedatur, tamen & extrinſeci hi exceſſus nec ſufficientes rei, per ſe licitæ, faciendæ illicitæ, & corrigendis illis publici Correctores præpoſiti.*

1 His, quæ de ſcenicorum ignominia, & connubii ademptione ex noſtris legibus *hoc libro*, & alibi ſæpe, ac *lib.* 3. non ſemel, adſtruximus, tamquam Parergon, & pro libri hujus coronide, accedit Theologo-Politica diſſertatio de hodierna Hiſpana comœdia, & an, & quando, quatenuſve ea licita, aut tolerabilis ex poli, & politiæ cenſura; enimvero cum diſſertatio hæc exercuerit, ætate noſtra, Regiorum Supremorum Senatuum diſſentientes, ſuffragiis fere paribus, conſultationes, & excitaverit, accenderitque fere declamatorie contendentes Theologorum, Politicorumque ſcriptiones, enitemur cenſere nos ſedato animo, & ex animi plane ſenſu, ſine aliorum præjudicio, ſimulque rem, tam multis, totieſque dictam, redigemus diſtincte, & breviter ad aſſertiones.

2 Præmonemus autem jam nunc, ne poſtea nos moretur, aut moveat, ſanctam illam, ſeveramque Eccleſiæ,

Eccleſiæ, Conciliorum, & Patrum cenſuram, quæ Chriſtianos in Baptiſmo abrenunciare pompis, & ſpectaculis ſcenicis, & poſt Baptiſmum etiam laicos abſtinere à viſu, acceſſuque ad ſcenas, præſcribebat, & ſcenicos non recipiebat, niſi ſcena ejurata, ad Baptiſmum, neque poſtinde eos, utcumque baptizatos, ad ſacros Ordines, de queis ſingulis plura dedimus *hoc libro* ſuperius, & ubi de *Thymelicis*, totamque, ut ſemel pronunciemus, comœdiæ, ſive ſcenæ paraturam damnabat, & execrabatur, non eſſe ex æquo, aut merito applicabilem pro damnatione, & deteſtatione Hiſpanæ comœdiæ. Fuerunt enim in illa vetere Romana, & Græca duæ, & quidem graviſſimæ, ac primariæ Sacris Conciliis, Patribuſque cauſæ, ut damnarent, ac deteſtarentur. Ut videre eſt poſt *Can.* 18. *Apoſtol.* in Concilio Carthagin. 3. *Can.* 11. & in Africano ſub Bonifacio *Can.* 30. Synodo 6. in *Trullo Can.* 24. *&* 51. ubi Balſamon, & Zonaras: & in Laodiceno *Can.* 54. Braccharenſi 2. *Can.* 60. Clemente Rom. *lib.* 8. *Conſt. Apoſtol. cap.* 32. Innocentio I. *epiſtola ad Victricium Rhotom. cap.* 11. & inter Patres, ex præcipuis, Tertulliano *toto lib. de ſpectaculis.* Cypriano in *adſcripto ei ejuſdem argumenti libro*, & *epiſtol.* 2. *ad Donatum.* Arnobio *lib.* 4. & Minutio Felice in *Octavio.* Lactantio *lib.* 6. *cap.* 20. & *epitomes cap.* 6. Auguſtino *lib.* 1. *de Civitate Dei*, *cap.* 31. *& lib.* 2. *cap.* 8. *& ſeqq.* atque alibi ſæpe. Salviano *lib.* 6. & præ cæteris Chryſoſtomo *homil.* 6. 21. 69. *atque aliis in Matthæum.*

3 Prima autem cauſa fuit Idololatria, à qua origo theatris, eaque ipſa illius ſacraria, & ſacrati Veneri, ac Libero, Mercurio, & Muſis ſcenici ludi, atque inde deteſtabilis, ac veluti Apoſtaſia in Chriſtiano acceſſus ad ſcenam, ut pro illuſtranda *l.* 4. *Cod. de paganis*, vel unus Tertullianus docebit *de ſpectac. cap.* 6. *&* 10. *&* 24. & ex eo D. Iſidorus *lib.* 18. *orig. cap.* 59. quem ſpeciatim deteſtari ſpectacula, tamquam dæmonum inſtituta, & Idololatriæ ſacra, cum tamen Iſidori ſeculo nulli Idololatræ ſupereſſent, non fuit cur miraretur Joann. Mariana *de ſpectac. cap.* 12. ſive quia Iſidorus ſcribit Tertullianico ſenſu, ac fere verbis, ut liquebit, ſi conferas eum *dict. cap.* 59. Tertull. in *Apologet. cap.* 38. & ex Iſidoro deſcribens, & eadem Idololatriæ execratione, & quidem vix ante annos ducentos Rodericus Zamorenſis in *ſpeculo vitæ humanæ lib.* 1. *cap.* 31. ſive quia Iſidori ævo, ac vel centum poſt illum annis, nondum prorſus in Hiſpania exoleverant Idolorum cultores, contra quos lati *Canones* 2. Concilii Toletani, 16. ſub Egica, & 11. Tolet. 12. ſub Ervigio.

4 Secunda damnationis ſcenici miniſterii cauſa fuit, obſcenitas, propria adeo ſcenæ, ut à *ſcena* vocem *obſcenum* derivet Varro *lib.* 6. *& ſcenicos ludos* vocarent, *πόρνας*, ſeu *meretricios*, ut in Juſtiniano legimus, *Novell.* 105. *cap.* 1. §. *Quintum.* & *Theatrum*, idem quod *proſtibulum*, D. Iſidoro 18. *orig. cap.* 42. & ſcenicæ ipſæ pro proſtitutis, Caſſiodor. *lib.* 7. *epiſt.* 10. quia re ipſa palam, ac nudæ in ſcena proſtabant, eoque in eam producebantur, ut præter Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Iſidorum, & ex Patribus alios, vel ex libris legum liquet. *Novella* 51. *ſcenicas. l.* 14. *Cod. de Epiſcop. aud. l. ultim. Cod. de ſpectac. l. Scenæ* 8. *Cod. Theod. de ſcenic.* juncto Procopio in *Hiſt. Arc. p.* 41. *& ſeqq.* Plane duas iſtas potiſſimas deteſtandæ priſcæ comœdiæ cauſas, Idololatriæ, & proſtitutionis, comœdiæ hodiernæ convenire, aut aptari nemo, niſi per auxeſin, & ſuperciliose affirmaverit; quamquam neque negandum, fuiſſe & alias in vetere ſcena geſtuum, motuum, cantionum, ſaltationum, & amatorii dramatis notas, in quas, ac per ſe extant Sanctorum Patrum ſeriæ, ac graves deteſtationes, quæ & applicabiles comœdiis noſtris, quia à præſignatis notis illis non immunes. De quo poſtea.

5 Præmonemus deinde, ſi in commune, &, ut dicitur, in abſtracto, definienda quæſtio ſit, de licita, aut illicita permiſſione comœdiæ præſentis, poſſe prompte, & in univerſum definiri, ſi immodeſtæ, aut alioquin moribus noxiæ non ſint, argumento, actione, verbis, ſeu verſibus, & aliis comœdiæ accidentibus, cantionum, ſaltationumque veluti exodiis, & perſonarum, modi, loci, ac temporis circumſtantiis, eſſe omnino habendas pro licitis, & permiſſionem comœdiarum earum, quales deſcripſimus, non modo honeſtam, licitamque, ſed & laudabilem, quia tendunt ad honeſtam recreationem animalem, ſeu remiſſionem animis neceſſariam, pertinentque ad Eutrapeliam, cui inter virtutes locum dat Ariſtoteles *lib.* 1. *Magnorum Moralium*, *cap.* 31. ſaltemque inter mediocritates, ut idem recenſet 2. *Eudemiorum*, *cap.* 7. eamque in comœdiis agnoſcit *lib.* 4. *Ethicorum ad Nicomach. cap.* 14. quod aliis eſt 18. & ex Ariſtotele, & moralis Theologiæ cenſura, Angelicus Doctor *de Hiſtrionibus* ſcribens 2. 2. *quæſt.* 168. *artic.* 2. *in reſp. & art.* 3. *ad* 3. & ad eumdem Cajetanus *quæſt.* 167. *art.* 2. *ad* 3. &, quod obſerves, eodem ante Div. Thomam ſenſu, Joannes Sariſberienſis, alterius Thomæ Cantuarienſis diſcipulus, *lib.* 8. *Polycratiæ de nugis Curialium*, *cap.* 12. *ad finem.* E contrario autem, ſi inhoneſtæ, aut honeſtati, & moribus nocituræ comœdiæ fuerint, ex illis rerum, & circumſtantiarum capitibus, quæ præſignavimus, debere itidem prompte, & decretorie definiri, eſſe eas omnino illicitas, neque permitti, tamquam licitas, poſſe, quia excedunt, & exorbitant à ratione, & regulis Eutrapeliæ, ſive honeſtæ, & ordinatæ delectationis, ut Angelicus idem Thomas diſtinguit, & docet locis laudatis, & ex eo, atque ore uno Sacræ, & Civilis Philoſophiæ Magiſtri, quos in re nota non numeramus.

6 Sed jam à præmonitis, & definitionibus in abſtracto, ad quæſtionis in concreto ſtatum, ut transferamus, diſpiciamuſque, an comœdiæ, quales, & cujuſmodi hodie in uſu apud nos ſunt, ſint licitæ, aut ſaltem tolerabiles, vel politice expediens earum permiſſio. In primis, & pro prima aſſertione ſtatuimus, non eſſe improbabilem ſpeculative ſententiam, quæ eas licitas eſſe ſupponit. Nam cum duo primaria ſint, quæ opinionem probabilem reddant, argumentorum topica, auctoritas inſignium Doctorum, & quidem vel unius eximii, neque abſurde opinantis, ut poſt Ariſtotelem 1. *Topicor. cap.* 9. D. Thomas *quodlibet.* 3. *quæſt.* 4. *art.* 10. & ratio ſuo pondere, ac momento conſiderabilis, ut ad eundem Thomam 1. 2. *quæſt.* 1. *art.* 8. *ad.* 2. *&* 1. 2. *quæſt.* 18. paſſim Scholaſtici Theologi, & inter eos Melchior Canus aureo illo opere *de locis Theolog. lib.* 8. *cap.* 4. *& lib.* 9. *cap.* 9. habet propoſita ſententia pro ſe auctores in primis, diſerte aſſerentes, & exerte de Hiſpanis Comœdiis, tum graves Theologos, Auguſtinianum Mendozam, Veſpertinum Salmanticæ Anteceſſorem, in *quodlibet. quæſt.* 9. *Scholaſt. num.* 10. *&* 13. Dominicanum, & Primarium item Salmanticæ, Auraujum, Segovienſem Epiſcopum, *ſeleciar. de ſtatu civili diſput.* 5. *ſect.* 3. *num.* 6. Emanuel. Rodericum in *Summa* 1. *tom. cap.* 68. *num.* 3. Marcum Ant. de Camos in *Microcoſm.* 1. *part. Dialogo* 12. quibus conſentiunt ex Juriſperitis noſter Amaya *lib.* 3. *obſervat. cap.* 5. *num.* 60. & ex eo Cabreras de metu *lib.* 2. *cap.* 8. *ex num.* 10. &, ut nuperum Paradoxorum Scriptorem, & alios taceam, ſibi in ſuſcepto populariter comœdiarum patrocinio indulgentes, Anton. Ricciulus *de perſonis*, *quæ in ſtatu reprobo lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 9. tum exploratæ ſcientiæ, & morum Regios Conſiliarios, ex queis re mature diſcuſſa, & in conſultationem deducta, ut reſponderent Regio Decreto, expedito ad ſupplices preces pro comœdiarum uſu Regnorum Caſtellæ Comitiorum, & Matritenſium Decurionum anno proxime elapſo 1646. fuiſſe non paucos, qui comœdias præſentes non ſolum tolerabiles cenſerent, ſed etiam ut indifferentes, & licitas tuerentur, affirmare teſtatis tabulis poſſumus; tum denique uſum, & approbationem Sanctiſſimarum Eccleſiarum Hiſpaniæ, eiſque præſidentium Antiſtitum,

& Regularium

& Regularium fere ex omni Inſtituto præcellentium Theologorum, qui feſtivitatibus ſacris celebrandis comœdias ſimiles, & quidem non ſemper argumento, aut titulo ſacras, advocare ultro, & interdum intra ipſa Templa adhibere, eaſdemque ſuo aſpectu, & aſſeſſu honeſtare ſoliti, &, quod maximum eſt, Hiſtriones noſtros, ſcenicaſque mulieres, neque à ſcenico ſtatu deſiſtentes, nec deſtituros, non ut olim illos vetus Eccleſia arcebat à Baptiſmo, & Sacris, niſi ſcenam ejurarent, *cap. Pro dilectione* 95. *cum ſeq. de conſecr. diſt.* 2. ſed vel in ſtatu ſcenico perſeveraturos, tamquam non reprobo, admittit alioquin pœnitentes ad ſacram Synaxin, ſeu communionem; cujus in Hiſpania uſus, ſi in re notiſſima teſtes deſideres, non modo teſtes, ſed & auctores ſunt Mendoza *d. quodl.* 9. *n.* 14. *ad fin.* Rodrig. *d. c.* 68. *n.* 5. poſt plures Aug. Barboſa *de univ. jure Eccl. lib.* 1. *c.* 40. *n.* 56. *& ſeqq.* noviſſime de Hiſtrionum ſtatu vix reprobo, & Eccleſiaſticis comœdiarum ſpectatoribus multa, ut ſolet, urbane, ac diſſerte Archiepiſcopus Villarœlius, hiſtrionum tamen uſum non probans in *Gubern. Eccleſ.* 1. *p. q.* 6. *art.* 3. *per tot.* & in eumdem ſenſum P. Thomas Hurtadus 2. *tom. Moral. tractat.* 8. *cap.* 7. *digreſſ.* 3. *ſect.* 2. *num.* 740. In quibus tot, & ſingulis, tot, tantoſque doctrina, & moribus viros conſenſuros, non eſt par credere, ſi comœdias, ſeu comicam rem pro illicita, quantumcumque tolerabili, & hiſtrionum ſtatum pro reprobo, pro licito, & ſaltem indifferenti approbarent.

7 Habet item ſuppoſita aſſertio pro ſe rationis momentum non leve pondere, & æſtimatione. Nam cum comœdiæ, ſive earum ars, & profeſſio, atque officium hiſtrionum non ſit illicitum per ſe, ſed indifferens, licitumque, & dirigibile, ut D. Thomas loquitur, ad honeſtam recreationem, ſi actio, & circumſtantiæ non diſcrepent, ac proinde eis concurrentibus, etiam laudabile, ut præmonuimus, docuitque his fere verbis Thomas 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. *&* 3. licet expendere in comœdiis præſentibus, ea ſingula, ex quibus res alioquin indifferentes fiant licitæ, honeſtæque. Quippe ſi intueare finem, objectum, & circumſtantias, ex quibus potiſſimum humanæ actiones indifferentes, & per ſe mediæ, ut Auguſtinus eas vocat, æſtimari, & cenſeri ſolent bonæ, vel malæ, juxta Angelicas traditiones Thomæ 1. 2. *q.* 18. *art.* 2. 3. 4. *&* 8. in comœdica re finis Reipublicæ, ſive Principis, Magiſtratuſque illa vel permittentis, vel inſtruentis eſt procul dubio honeſta recreatio populi. *l. un. C. de Majuma. l.* 1. *&* 2. *Cod. Theod. eod. tit. l.* 4. *C. de paganis. l.* 1. *&* 5. *C. de ſpect. lib.* 11. & *ſolatium hominibus exhibendum*, quæ Aquinatis verba ſunt *d. q.* 168. *ar.* 3. *ad.* 3. eumdemque licitæ recreationis finem ſuppones merito, & præſumas, ut plurimum, in pleriſque comœdiarum ſpectatoribus; quin & in hiſtrionibus ipſis, ſive comœdis, officio, miniſterioque per ſe non illicito, ſed ad honeſtum finem permiſſo, utentibus ad eum finem, & ad ſe ejus miniſterii mercede ſubſtinendos, juxta ejuſdem Aquinatis ſententiam, de qua nuper. Et ut in contrarium expendas, & agnoſcamus, non paucos ex ſpectatoribus, vel comœdis, intervenire ei miniſterio, ſæpe, aut non ſemel ſine inhoneſto, turpive, non evinces tamen ex eo, ut id illicitum cenſendum ſit ex illicito quorumdam abuſu, aut exceſſu, ac non potius licitum ex Reipublicæ, & plurium honeſto fine; ut mercaturæ exemplo, & aliarum artium, probo, ac pravo uſui obnoxiarum doceri poſſet. *Quid enim eſt in uſu hominum bono, ac licito, unde non poſſit etiam pernicies irrogari?* ait Auguſtinus *epiſtol.* 154. *ad finem*, & apud Gratian. in *cap. de occidendis* 8. 23. *q.* 5.

8 Deinde ſi & actionem ipſam, & rem comœdiarum recentium ſpectes, ſunt & in illis fere potiora, quæ vel honeſta cenſeas, vel non facile improbes; quæque non modo ſi Italica illa, de qua pro Atellanis Valerius 2. *cap.* 4. ſed Hiſpana ſeveritate temperentur. In primis fabularum argumenta non impia, aut impudica, qualia illa damnatarum à Patribus comœdiarum, ſed aut ſeria, & moralia, aut etiamſi amatoria, & ludicra, non tamen contra mores ad turpia, turpeſve amores, niſi ut ſimul reprobentur, ſed ducentia ad permiſſos affectus, ſpeſque nuptiarum, quæ ſunt perſæpe comœdiarum noſtrarum exitus, ſive Cataſtrophes. Jam & ſententiæ eiſdem argumentis, & honeſtati congruentes, carmina ſuo cultu, & urbano acumine, non impuro, aut noxio ſpecioſa, & ut ad rem Tacitus 14. *Annal. ſtudio honeſto, & conceſſa voluptate incitamentum ingeniis allatura*, totumque ipſum poëma, in quo vel ex popularibus plerique non tam laſciviam, quam lætitiam genii, atque illud *τὸ πρέπον Tullianum*, ſeu *decorum*, &, ut apud nos vulgus, proprietatem; & aptitudinem in argumento, ſententiis, verſibus, & in comœdiæ ipſius titulo, actibus, attextu, & exitu intueatur, in queis pro capto exerceat criterium.

9 Poſtremo ſi ultra finem, & objectum, ſeu rem, etiam ex circumſtantiis, & accidentibus, utcumque extrinſecis, cenſendum ſit, inter quæ ſunt potiſſima pronunciatio, ſeu recitatio ſcenicarum, & earumdem cantilenæ, ac ſaltationes, veſtibus, geſtu, ac motu immodeſtæ, aut laſcivæ, expenditur, è contrario hæc ipſa eſſe extrinſeca, nec frequentia, & ut ne quando in his exorbitetur, proviſum eſſe Senatoria cura, deſignato Inſpectore, qui non tantum fabulas ipſas comicas ante editionem, ſed & earum veluti exodia, & parabaſes, cantiones, & choreas extra theatra cenſeat, & corrigat, & præpoſito theatris ipſis, pro diſciplina, Prætorum Curiæ aſſenſu, & Magiſtratuum aliis in Urbibus, ne inhoneſta, probroſave auditu, aut viſu interſeri comœdiis permittant, ad exemplum Tribuni illius voluptatum, de quo ad extremum diſſertationis hujus aliqua. Nunc unum illud pro Hiſpanis comœdiis teſtimonium Galli ſcriptoris Jeſuitæ, & eruditi Ludovici Cellotii, qui *Oratione* 11. ex his, quas adverſus Hiſtriones edidit, ita poſt alia: *Invideo vobis, Hiſpani, quibus etiam in ludo gravibus, ſeriiſque eſſe licet; cum apud vos religioſe, modeſteque ſcena haberi dicatur; mulcta etiam indicta, propoſitaque pœna, ſi quod verbum temere effudiſſe dicatur.*

C A P U T   XLIV.

Sententiæ, cui, ut potiori, aſſentimur, & quæ illicitas Comœdias cenſet, auctoramenta.

A R G U M E N T U M.

H*iſpanæ Comœdiæ uſus, utcumque tolerabilis ſit, non tamen poſſe per ſe, & in concreto cenſeri inter res licitas, aut indifferentes, quinam ſcripſerint Theologi, & Juriſperiti. Regiorum Senatuum permiſſio pro comœdiarum uſu, & admiſſio ſcenicorum ad Sacra, non eſt approbatio; ſed tolerantia, nondum pro illicita indubie damnata. Sub Philippo IV. Regii Senatus major pars contra comœdias conſuluit. In Regiis legibus, quæ una fere Hiſtrionum meminit, notat eos, dum diſtinguit à perſonis honeſtis. Hiſtrionatum improbarunt extra Hiſpaniam, plures Itali, Germani, Francogalli. Jam ut ab auctoritate ad rationem, ſupponitur, rem per ſe bonam, aut indifferentem fieri illicitam ex circumſtantiis non bonis; etiamſi finis bonus intendatur. Aſt in comœdiis, in primis actio ipſa, & repræſentatio fabulæ amatoriæ (cujuſmodi utplurimum ſunt) eſt inductiva ad amatoria, & turpia, eoque magis noxia, quanto urbanior, ex Auguſtini, & aliorum ſenſu, neque excuſanda obtentu Curialitatis illius, de qua in* cap. 11. de exceſſ. Præl. *neque propendente ad moralia, aut honeſtas nuptias comœdiarum exitu. Deinde & ipſarum intermedia, & accidentia dramati, cantionum, & ſaltationum ludicra, omnino turpiora, nec abſimilia ſæcularibus illis, quæ improbata*

improbata pridem ſacris Canonibus, curſim luſtratis, & ſignate quoad mulierum ſaltationes Can. 62. & aliis Trullanis, & quoad Fidicinas Theodoſii Magni lege, quæ eſt 10. in Theod. C. de ſcenic. quamquam invaleſcente poſtea contra illam legem luxu, & fortaſſe occaſione novioris leg. 4. Cod. de pagan. In qua obſervatur, & illuſtratur votorum publicorum mentio. Porro in Hiſpania eſt vetus eadem chorearum, & tripudiorum improbatio, tamquam nocentium, ut ex Concilio Toletano, apud Gratianum in cap. a. de conſecr. diſt. 2. & quidem ſub nomine, ballimachiarum, ſeu ballationum, quarum etymum ductum ex Græco; & Laodiceno can. 52. Improbantur hæc, ut turpia, & luſa diabolica, ut vocantur in Capitulari Ludovici VI. cap. 193. ſive ut chori diaboli, ut olim Hieronym. Affines fidicinis, & ſaltatricibus illæ, quæ in Toletana Synodo anni 1324. dicuntur, Soldaderas, à ſolidis, quos turpi ſui ſpectaculo, ſaltationeque emerebant: unde & ſubmotæ à domibus Epiſcoporum, juxta Braccharenſem Can. 62. Laodicenſ. 54. & Euſebii Papæ Decretum. Tot recentis comœdiæ turpibus accedunt ipſa comicorum contubernia, turpia tum perſonis, & illarum inter ſe promiſcua fere turpitudine, tum promiſcuis illis veſtium transformationibus virorum in fœminas, quas vel ethniciſmus prædamnavit, in l. 23. §. 2. D. de auro & arg. leg. & vel maxime fœminarum in viros, quam deteſtatur Sacra Lex Deuteron. cap. 22. & poſtinde Braccharenſes, & Trullani Canones, & Angelicus Thomas, tamquam incentivum concupiſcentiæ, & occaſionem libidinis. Subſcribitur tandem huic ſententiæ contra comœdias, & reſpondetur objectionibus quarundam modeſtiorum, vel aliarum extra ſcenam actionum, perinde turpium, ac demum obtendiculis piorum ſumptuum, queis theatra ferviunt, & queis defenduntur. Signantur hæc Sancti Caroli Borromæi, & Mediolanenſis Concilii ſancta, & ſevera de comœdiis cenſura.

1 AT vero, quamvis aſſertionem ſuppoſitam, tot, tantiſque auctoritatis, & rationum fulcris ſubnixam, damnare improbabilitatis ſit, aut videatur, ne præcipitis, dicam, parum maturæ, aut moderatæ cenſuræ, nobis tamen contraria aſſertio non tantum probabilior ſpeculative, & practice, & quod liquet, omnino tutior, ſed & ex animo, & juridica formula, ut affirmemus, certior, receptiorque eſt. Nempe Hiſpanas comœdias, earumque uſum, qualia hodie apud nos, quamvis tolerabiles, aut tolerandæ poſſint videri, de quo poſtea, non eſſe tamen, nec cenſeri in concreto poſſe, rem licitam, vel indifferentem. Aſſertores ſunt de Hiſpana comœdia, ita ſerio, & ſignate cenſentes, Franciſcus Ribera in Micheam ad cap. 1. num. 61. & ſeqq. Joannes Mariana toto opuſc. 3. de ſpect. & perinde acriter lib. 3. de Regis inſtitut. cap. 16. & lib. 2. cap. 5. ad finem. Ribadeneira de tribulatione, lib. 3. cap. 11. Joſephus de Jeſus Maria lib. 4. de excell. caſt. cap. 16. & ſeqq. Joannes de Sancta Maria de Republ. Chriſt. cap. 29. Joannes Marquez in Gubernatore lib. 1. cap. 30. §. 2. ad finem. Valle Moura de incantat. opuſc. 1. ſect. 2. cap. 16. num. 23. & ſeqq. Petrus Mendoza de ſpe, & char. 2. tom. quæſt. 179. ſect. 2. per tot. Joannes Baptiſta Fragoſus de regim. Reip. 1. part. lib. 1. diſp. 2. num. 181. & ſeqq. Anonymus, & doctrina, ac moribus nominari dignus, declamator contra fœminarum abuſus in nuditate colli, & pectoris, ſive, ut vulgo, Eſcotados, propoſitione 9. §. 43. Archiepiſcopus Tapia; & ex Theologis alii, apud Illuſtriſſimum Aragoniæ Procancellarium D. Chriſtophorum Creſpi de Valdaura obſervat. 1. numer. 136. ubi, & num. 133. laudat venerandæ memoriæ Antiſtitem Placentinum, Regiumque ad Apoſtolicam Sedem Legatum, D. Ludovicum Creſpi de Borgia (proh quale, quantumque fratrum par, & ſecli ornamentum) ſacra proclamatione ejuſdem in comœdias cenſuræ. Laudat item noſtrum ex animo, & inter paucos ingenio, atque animo eruditum, Ludovicum Exea, Aragonii Senatus Regentem, in diſſertatione de Hiſtrionibus; quibus Senatorio ſuffragio Illuſtriſſimum Cancellarium, nec tam fraterno animo, ut Horatius ajebat, quam amante recti judicio, annuiſſe, utcumque prudenter non exprimat, conjectari tamen datur. Subſequuntur fere Theologos Joannes Vallerus de different. int. utrumque forum, verb. Peccatum, diff. 25. Rodericus Acuña ad cap. 1. num. 10. 51. diſtinct. Petrus Pantoja de aleatoribus ad l. 2. verb. Saliendo, num. 5. Nec diſſentit effectu, tametſi, primo aſpectu, præcipuus contrariæ aſſertionis patronus, Auguſtinianus Mendoza, dum poſt illam diſputando aſſertam, concludit tandem, proclamatque dict. quæſt. 9. num. 15. & ſeqq. eliminandas prorſus eſſe è Republica comœdias noſtras, & earum actores, & actrices, tamquam noxios honeſtati ſeculi, & diſciplinæ.

2 Quin nec turbare, aut deterrere à cenſura in comœdias, debet, publicus, & permiſſus earum uſus, approbantibus, ut videtur, Regiis Senatibus, & admittentibus vel ad Sacra ſcenicos Eccleſiæ adminiſtris; quippe ex ea permiſſione, aut admiſſione non tam præciſe approbationem inferes, quam tolerantiam rei quadamtenus dubiæ, & pro illicita nondum citra controverſiam damnatæ. Ac rurſus ſi Senatuum auctoramenta, & extra eos gravis, grandiſque inter Eccleſiaſticos cenſuræ ſuffragia vel expendas, vel numeres, comperies jam inde ſub Philippo II. de quo in proximo, quod ſequebatur capite, & demum ſub Philippo noſtro, in ſolenni illa Supremi Caſtellæ Senatus conſultatione anni 1646. ſtetiſſe contra comœdiarum tolerantiam, & plures Conſiliarios numero, & auctoritate non inferiores, quamquam, ut non ſemel viſum in his, quæ politiæ, ac pietatis ſpecie ſubrepunt, minor pars vicerit majorem, at non Regio Decreto, aut reſponſo ad conſultationem Senatus, ſed tolerantia quadam, & tacita permiſſione. Denique ſi noviores de novis comœdiis patrias leges, aut Senatuſconſulta requiras, occurret dumtaxat l. 1. §. 12. tit. 12. lib. 7. Comp. & in illius tituli auctario Decretum Senatus anni 1636. queis hodierni hiſtriones diſcriminantur à perſonis honeſtis ſpeciali prohibitione, ac nota quoad aurum, argentumque in veſtibus.

Accedit de recentibus extra Hiſpaniam comœdiis, 3
perinde eas deteſtans, & damnans, gravium extra Hiſpaniam Scriptorum auctoritas, quæ & merito in Hiſpanas comœdias valeat, quia recentes illæ noſtrarum imitatione expoſitæ, in eamdem fere artem jam redactæ, & noſtræ ab illis antiquioribus vix fere diſtant, niſi quod urbaniore nequitia laſciviunt. At quoad Italicas, & quidem noviores, ut veteres ejuſdem Italiæ omittam, in quas jam pridem multa Franc. Petrarcha de remediis utr. fort. lib. 1. dialogo 30. Rodericus Zamorenſis lib. 1. ſpec. vitæ hum. cap. 31. Polydorus Virgil. lib. 2. cap. 13. Henric. Salmuth, qui de Italicis ad Pancir. theſ. 1. p. tit. 18. ne nunc expendam infra expendendum de Italico ſui temporis hiſtrionatu ſcribentem, & cum meretricatu conferentem, D. Thomam, ignoto, & inſigni loco 2. 2. q. 87. art. 2. ad 2. improbat eas, tamquam illicitas, ex novioribus, & poſt Menochium, alioſque ex profeſſo Julius Chartarius deciſ. crim. Mediol. 20. n. 60. & ſeqq. Paulus Comitolus lib. 5. reſp. moral. qu. 11. Antonius Ricciullus de perſonis, quæ in ſtatu reprobo, lib. 5. cap. 7. ad fin. Joann. Maria Novarius in collect. ad Pragmat. 5. Neapolit. ne quid in loco publico, num. 8. Camill. Borrell. de Magiſt. edict. lib. 3. cap. 10. n. 5. & qui unus quovis auctoramentu in hiſtriones major eſt, Div. Carolus Borromæus in Concil. Mediolanenſi 1. Can. de armis, ludis, & ſpectaculis, & Can. de hiſtrionibus, in queis comœdiæ cenſentur, ludicræ, & impuræ actiones, & hiſtriones perditi homines. & de feſtor. dier. cultu, & locis aliis, de queis inferius. Nec diſſimiliter de Germanicis comœdiis Adamus Contzenius 3. politic. cap. 13. §. 4. & ſeqq. Ubi & de Britannis hiſtrionibus (in quos jam olim multa Sariſberienſis 3. Polycrat. cap. 8. & lib. 1. cap. 3. & lib. 8. cap. 12.) Joann. Kochier in theſ. polit. lib. 5. cap. 20. §. Improbandi. Franc. Zypæus in libello inſcripto Judex Magiſtratus Senatus 3. cap. 4. n. 4. & 9. & ex Canonhiero, & aliis Chriſtoph. Beſold. tom. 2. polit. diſſ. 1. de educat. cap. 4. n. 3. & de Gallicis Petr. Gregor. ſyntagm. 39. cap. 5. n. 19.

n. 19. *&* 27. *& lib.* 13. *de Repub. cap.* 21. *n.* 15. & probæ in hoc politiæ pravus auctor Joann. Bodin. *lib. 6. de Republ. cap.* 1. egregie P. Ludovicus Cellotius *Orat.* 10. *in comœdias.*

4 Nunc ab auctoritate, ut ad rationem noſtræ aſſertionis, ſupponimus, & reſumimus illud ipſum, quod ſupra pro contraria aſſertione tradidimus, ſcilicet actiones, alioquin indifferentes, reddi malas ex fine, objecto, & circumſtantiis, & tali in eis defectu, quo fiat, ut non ſint bonæ ex integra cauſa, & proinde, ut malæ ſint, ut eſt diſcere apud Angelicum Thom. 1. 2. *q.* 18. *art.* 2. 3. *&* 8. Addimus & in ſpecie ex eodem Thoma 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. *in reſp. verſ. Circa quæ, & art* 3. *in reſp. & ad* 3. actiones ipſas ludicras, ſive hiſtrionicas ex circumſtantiis materiæ, & modi, & per exceſſum in actionibus eiſdem tranſire ab indifferentibus ad vitioſas. Quo ſuppoſito, ut nec de fine Reipublicæ in comœdiis diſputemus, largiamurque eum honeſtum eſſe, nempe licitæ recreationis, eumdemque in pleriſque ſpectatoribus, & quod vel ultra eſt, non eſſe illicitum in pleriſque ſcenicis ſupponamus, ut ſupra expendimus, tamen in actione ipſa comica, ſeu comœdiis, ſi ſincere de illis, ſtatuque ac modo, quo nunc exhibentur, judicetur, affirmamus, excedi utplurimum à medio ad extrema vitioſa, & illicita, ideoque & eas cenſendas illicitas, quippe in primis actio ipſa, ſive actionis ſpecies, eſt recitatio, & ut loquuntur, repræſentatio fabulæ amatoriæ (qualia aut in totum, aut ex parte ſunt pleraque comœdiarum noſtratium argumenta) eaque ornata ſenſibus, ſententiis, figmentis, & amantium illecebris, artibus, affectibus, ardenti repræſentatione expreſſis, quæ ſingula quanto ornatiora, & magis moventia, ducunt, cum oblectamento aurium, & animorum, ſimul eoſdem, ac præſertim lubricos illos, & molles adoleſcentiæ ſenſus, ad eaſdem amandi affectiones, dum in *theatro congaudent amantibus, quamvis hæc ſimulate gerantur in ludo ſpectaculi*, ut de ſe Auguſtinus ſcripſit *lib.* 3. *Confeſſ. cap.* 3. Proinde ex parte actionis, & ipſius repræſentationis in ſpecie exceditur in eo, quod primum & principale eſt, ne delectatio collocetur in operatione, ac verbis turpibus, aut nocivis, ſive inductivis ex natura ſua ad turpia, cujuſmodi ſunt, per quæ homines, præſertim juvenes, fiunt proniores ad laſciviam, quomodo ad rem ſtatuit, docetque fere ad verbum D. Thomas *dict. quæſt.* 168. *art.* 2. *in reſp. verſ. Circa quæ, & art.* 3. *in reſp. verſ. Uno modo, & ad* 3. *& qu.* 167. *art.* 2. *ad* 2. ubi ex Chryſoſtomo Cajetanus.

5 Neque à turpiloquio, ſeu turpitudine excuſes comœdias ex eo, quod neque obſcena palam, & urbana potius, quam turpia hæc comica dramata, & poëmata apud nos, ac fere ſemper ea, ſicubi in inhoneſtos amores primi actus exorbitarunt, clauduntur tamen honeſto, & illos improbante morali exitu, ac fine. Nam quoad illud conſtat, fuiſſe & olim comœdias aliquas nulla verborum obſcenitate, & tamen turpes, ideoque deteſtabiles, ut deteſtatur Auguſtinus 2. *de Civit. Dei, cap.* 8. in fine, *& 1. confeſſion. cap.* 16. & admonuit diſerte Lactantius 5. *divin. inſtit. cap.* 20. Comicas amatorias fabulas, quo magis urbanæ, atque eloquentes verſibus, ac ſententiis, inhærere eo magis audientium animis, & per ſimulata inſtigare, atque erudire ad vera. Quin, ſicut Petronianæ illæ deliciæ non ideo innoxiæ, honeſtæve magis, quia erudito quodam luxu, & elĕgantia affluebant, ut de illis Tacitus 13. *Annal.* neque nequiores minus fœminæ, quia velatæ, ut Poppæa illa apud eumdem Tacitum *dict. libr.* 13. ita nec Hiſpanæ comœdiæ innoxiores, quia tecto magis, & urbaniore amorum lenocinio, *movent ſenſus, mulcent affectus*, ut de re Cyprianus *epiſt.* 2. *ad Donatum.* & perinde ſcite Minutius Felix in *Octavio: Enervis hiſtrio, amorem dum fingit, infligit.*

6 Plane appoſitum, nec vulgo tritum contra hanc urbanitatis excuſationem, quod legitur in *cap. Inter dilectos* 11. *de exceſſ. Prælator.* illic: *Peſtes hujuſmodi extirpare proponimus, atque ludos voluptuoſos, (occaſione quorum, ſub quadam Curialitatis imagine, ad diſſolutionis materiam devenitur) penitus improbamus: excuſationem prædictam, quæ per pravam conſuetudinem (quæ corruptela dicenda eſt) palliatur, frivolam reputantes.* Curialitas illic dicta à Curiam Principum affectantibus (quo ſenſu eas voces inferior ætas accepit, ut *in legibus Siculis Imp. Freder. lib.* 1. *tit.* 9. *&* 37.) eſt illa ipſa urbanitas, quæ obtenditur pro excuſatione comœdiarum noſtratium, & quæ *humanitas* Tacito in *Agricola*, cujus de loco in *cap. ſeq.* Quamquam præter dramata ipſa, & carmina in hiſtrionibus ea recitantibus cernantur laſcivientes tot corporis, manuum, oculorum, atque ejuſmodi alia amatoria delinimenta, quæ vel honeſta, vel indifferentia eſſe, nemo, ſalva conſcientia, dixerit.

Adjicimus & quoad illud de morali, ac honeſto 7
plerumque exitu comœdiæ, utcumque alioquin primis in actibus amatoriæ, aut parum honeſtæ, non honeſtari eo exitu, & clauſula, neque fieri licitam comœdiam, quæ alioquin illicita, ſive mala cenſenda erat, ex quocumque boni defectu, juxta Theologicum axioma, &, quod prætereundum non eſt, labem, perniciemque obrepentem moribus ex turpitudine amatoriæ narrationis, & actuum, & quæ perſæpe ante cataſtrophen animis hæſit, non elui, aut emundari, quantumcumque morali, & honeſta ejuſdem periodo, ac præterea non niſi periculoſe, & abſurde collocari in theatris magiſterium morum, aut medicinam, ſed *ridiculo omnino inſtituto*, cujuſmodi hoc ipſum, & has comœdias, morum præceptrices, taxabat pridem Ariſtides Sophiſta *Oratione de non agendis comœdiis*, *tom.* 2.

Inſeruntur porro comœdiis, & ſingulis earum 8
actibus, ludicra illa *intermedia* (quibus vel inde inditum Hiſpano idiotiſmo nomen) eaque compoſita fere, & mixta vel petulantibus, & ſcurrilibus locis, vel exodiis, ut Veteres vocabant, comicarum cantionum, & ſaltationum, in quibus ſingulis nocentiore licentia, nequitiaque dramatis, carminum, motuum, geſtuumque, & actionis totius peccari, quam in comœdiis ipſis, tam in aperto eſt, ut vel ſignaſſe pudeat, pigeatque, & ſignaſſe ſufficiat, ut proprie his aptetur aſſertio illa D. Thomæ jam laudati de illicitis hiſtrionum ludis, & ſpectaculis, quando, & quatenus petulantia, & prona ad laſciviam.

Duo tamen in re ſubjungimus. Primum, comœ- 9
diarum noſtratium intermedia, eaque jocularia, ex quibus conſtant, chorearum, & ſaltationum, eſſe ea ipſa, ob quæ ſeculi, noſtro proximi, & Eccleſiæ Canones improbant hiſtriones, qui larvati, & ſaltantes, & mimos, qui geſticulantes, & ut ſcriptum eſt in *cap. ult. de vita, & honeſtat. Cleric.* 3. *collect. Decret. per geſticulationum ſuarum debacchationes obſcenas*, denique & joculatores, ſive, ut nos dicimus, *Juglares*, qui ridicula, & circulatoria dicacitate ludibriorum ſpectaculis deſerviebant. *cap. Qui die* 66. *de conſecr. diſtinct.* 1. *cap. Cum decorem* 12. *cap. Clerici* 15. *de vita, & honeſt. Cleric.* juncto *cap. unica, eodem tit.* in 6. Concilio Moguntino 1. *Can.* 48. Pariſienſi ſub Gregorio IV. *lib.* 1. *Can.* 38. Colonienſi ſub Paulo III. *part.* 3. *Can.* 26. Senonenſi *Can.* 17. Baſileenſi *ſeſſ.* 21. *cap. de ſpectaculis*, & ſignantius Mediolanenſi 1. *cap. de hiſtrionibus, & cap. de armis, & cap. de feſtorum dier. cultu.* & Mediolanenſi 2. *titul.* 2. *cap.* 34. & Mediolan. 3. *tit.* 1. §. *Quoniam*, & ex *Capitularibus in additione* 3. Ludovici *cap.* 27. *&* 42. illic: *Hiſtrionum quoque turpium, & obſcenorum inſolentias jocorum*, ſic enim, non, *locorum*, legimus, juxta *Turonenſem Canonem*, apud Burchardum *lib.* 1. *cap.* 26. à quo ſumpta additio Ludovici, nec ſilendis in re noſtris legibus 12. *tit.* 20. *part.* 1. *& l.* 4. *tit.* 6. *part.* 7. *& l.* 3. *tit.* 14. *part.* 4. cum gloſſis, & Luca Pennenſi in *l. ſi qua* 4. *Cod. de ſpectacul.* & ex inferioris itidem ſecli Scriptoribus,

Sariſberienſi, Petrarcha, Roderico Zamorenſi, & aliis, quorum ſupra meminimus. Eaſque ipſas jocoſas comœdias, ut olim Plautus apud Feſtum vocabat, & quales fere Juſtiniani ævo, ille *ridiculorum cum Thymelicis choris*, ut in *Novella* 105. *de Conſul. cap.* 1. §. *Quintum*, non diſſimilis fuiſſe ab intermediis noſtris ludicris, niſi quod illæ proſa, & vernacula ſcurrilitate ludebant, noſtra autem poëſi, & cultu urbaniore, non honeſtiore.

10 Secundum, & proprium, quoad cantilenas, & ſaltationes comicas, ſubjungimus, prohiberi eas etiam laicis, ſub pœna ſegregationis, & vel ſepoſitis illis Idololatriæ, & ſcenicæ proſtitutionis periculis, ſed per ſe, & *tamquam multam noxam, exitiumque afferentes*; & *è Civitate fidelium tolli*, & nominatim *publicas mulierum ſaltationes*, ut ſtatuitur *Canone* 62. *Synodi* 6. in Trullo, à quo non diſcrepant *Trullani* item *Canones* 51. & 24. & ad eos Balſamon, & Zonaras, & ante eoſdem Clemens Romanus *lib.* 8. *Conſtit. Apoſtolic. cap.* 32. Auguſtinus, Salvianus, Iſidorus, & alii, quos in Thymelicos advocavimus ſupra hoc libro.

11 Deinde fuiſſe eo uſque improbatas Chriſtianis moribus ſaltatricum fœminarum choreas, ut eaſdem ſpectaculis adhibere, aut privatis conviviis, vel alioquin fidicinam habere, aut emere, interdixerit Magnus Theodoſius Edicto illo, cujus pars extat in *l. Fidicinam* 10. *Cod. Theodoſ. de ſcenic.* ſive *miniſteria laſciva*, & *pſaltrias*, ut eſt apud Aurelium Victorem in *Theodoſio*, & ex illo Paulum Diacon. *lib.* 13. *hiſtor. miſc. cap.* 17. quamquam repreſſa ad tempus, & recrudeſcente poſt Theodoſium licentia, ut vel Sidonius docebit *lib.* 1. *epiſtol.* 2. & *lib.* 9. *epiſtol.* 13. & *carm.* 23. & ad eum eruditi Scholiaſtæ Bulengerus *de Theatro*, *lib.* 2. *cap.* 9. & *de conviviis lib.* 3. *cap.* 29. & *ſeqq.* &, quod neſcio, an adhuc notatum, inolevere rurſus fidicinæ in conviviis, occaſione recentis poſt Theodoſium legis Honorii, & Arcadii, quæ eſt 4. *Cod. de paganis*, ubi, & *in l.* 17. juncta *l.* 8. *C. Theod. eod. tit.* verba illa, *exhiberi populorum voluptates ſecundum veterem conſuetudinem, miniſtrari etiam feſta convivia, quando exigunt publica vota*, referenda omnino ſunt ad vota illa publica, quæ pro ſalute Cæſarum *Kalendis Januariis* nuncupabantur. *l. ſi canitur* 233. §. 1. *D. de verb. ſign. l. un. C. de oblat. votor. lib.* 12. & ad voluptates conviviorum, cantionum, & chorearum, quæ in Kalendis illis miniſtrabantur, ut vel liquet apud Gratianum in *cap. ſi quis Kalendas* 14. *cap. Non obſervetis* 16. *in princ.* 26. *q.* 7. (cum alioquin in honorem ſacrilegi ritus funeſtioribus locis exercere convivia non liceret, *l. Templorum* 19. juncta *l.* 17. *eod. tit. de paganis*, *in C. Theod.*) fuerint quamvis, ut alia ſileam, immemores *d. l. ut paganos* 4. in utroque hoc notato tot exteri, noſtrateſque, qui de Kalendis, & votorum oblatione ſcripſere.

12 Denique ne extra Hiſpaniam cantilenarum, & tripudiorum improbationem quæras, comperies, improbari ea, & exterminari ab omni Hiſpania, & quidem tamquam *nocentia* in Concilio Toletano 3. *Can.* 23. qui in Gratiani Decreto eſt *cap. Irreligioſa* 2. *de conſecr. diſtinct.* 2. & in Ivonis *part.* 4. *cap.* 12. Quibus adſtipulantur Antiſiodorenſe Concilium *Can.* 9. Moguntinum ſub Leone III. *Can.* 48. Cabilonenſe 1. ſub Clodoveo *Can.* 19. Vocantur autem ſaltationes illæ in epigraphe *Canonis Toletani*, *ballimachiæ*, ſeu *ballomantiæ*, & in Concilio Braccharenſi *Can.* 80. qui apud Burchardum extat *lib.* 10. *cap.* 39. ſicut & in *Synodo Romana* ſub Lothario *Can.* 35. & in *Capitularibus* Caroli, & Ludov. *lib.* 6. *cap.* 193. de queis poſtea, & in *Synodo Rhemenſi* ſub Lothario *Can.* 35. *Ballationes*, derivata voce à Græcanico illo τὸ βαλλίζειν, ſive βάλλειν, quod eſt, *ſaltare*, ut habet Græcus textus *Can.* 52. Concilii Laodiceni, & ex eo Photius in *Nomocanone*, *tit.* 13. *cap.* 24. unde & βαλλισμὸς, & *balliſtea* pro ſaltatiunculis in Vopiſci *Aureliano*, & in Iſidori *Gloſſis*, Athenæo, Suida, & ex Benedicto Levita, & Michaële Scoto in Meurſii *Gloſſario Græco-barbaro*. Alia, ex noſtro Alderete, & aliis de his ballimachiis, ſeu ſaltationibus cumulat noſter item, & poſt ſcripta hæc viſus, Don Eman. Gonçal. *ad cap. cum decorem* 12. *n.* 1. & 7. *de vita & hon. Cleric.* & Hiſpanis, Italis, Gallis, uſitatæ hodie eadem notione voces.

Sed, quod ad rem, improbantur ballationes illæ, 13
ſeu ſaltationes, & cantica, quia *turpia*, & *luxurioſa*, qualia cenſentur *dict. cap.* 193. *lib.* 6. *Capitular.* & prohibentur etiam in *plateis*, *ac domibus*, *omnique loco*, & dicuntur *Luſa diabolica*, *quia de paganorum conſuetudine remanſerunt*, quæ & ratio in hac re exprimitur *in* Concilii Carthaginenſis *Can.* 63. apud Balſamonem, qui fuit 27. Concilii Africani, ex quo Burchardus 10. *cap.* 36. At nobis in propoſito ſatis eſt, habita ſemper fuiſſe pro noxiis, publica fœminarum tripudia, & cantiones, & *fidicinas ipſas*, *ac pſaltrias*, *chorum diaboli*, & *mortifera ſirenum carmina*, ut indigitat Div. Hieronymus *epiſtol.* 10. *ad Furiam*, juxta ſacrum illud præmonitum Eccleſiaſtici *cap.* 9. *verſ.* 4. *Cum ſaltatrice aſſiduus ne ſis*, *neque audias illam*, *ne forte pereas in efficacia illius.* Quanto magis pereundi periculo proximas cenſeas in comœdiis noſtris aſſiduas ſaltatricum ſcenicarum choreas, & earum elumbes, molleſque flexus, & motus, in quos tam ſerio, ſancteque pridem Cyprianus, Chryſoſtomus, atque alii ex Patribus apud Marianam, & utrumque Mendozam.

Illud non extra rem, neque extra Hiſpaniam, & 14
indictum adhuc, aut ignotum noſtratibus, non prætermimus, quod legimus in Concilio Toletano *anni* 1324. ſub Joanne Archiepiſcopo, extatque inter Concilia editionis Severini *tom.* 3. *part.* 2. *pag.* 817. §. *Antiquos*, in hæc verba: *Cæterum quia in partibus iſtis morbus deteſtandæ inhoneſtatis irrepſit, quod mulieres, quæ ſoldaderas vulgariter nuncupantur, intrant publice domos Prælatorum, & Magnatum, ad comedendum, & alia, loquentes prava, & inhoneſta colloquia, plerumque corrumpentia bonos mores, facientes ſpectaculum de ſe ipſis, præcipimus omnibus, & maxime Prælatis, ſub obteſtatione Divini Judicii, ne hujuſmodi mulieres permittant.* Et deinceps. Plane nuncupatas fuiſſe has mulieres, *Soldaderas*, à ſoldis, ſive ſolidis, quos turpi ſui ſpectaculo emerebant (quæ eſt etiam origo vocis *Soldados*, ut notatum pridem Gloſſariis Græco, & Latino-barbaris,) & fuiſſe eas utplurimum mimas, cantatrices, & ſaltatrices, ſatis innuitur eo Canone, dum & reſpicitur ad *antiquos Canones*, in præfatione deſignatos, quibus Eccleſiaſtici vetantur intereſſe ſpectaculis, & ludicris conviviorum, juxta *Hiſpanienſem Can.* 62. Concilii Braccharenſis 2. ſumptum ex Laodiceno 54. de quo, & aliis nuper, & ſupra, & de Prælatis, ſive Epiſcopis potiſſimum Decretum Euſebii Papæ apud Burchardum *lib.* 14. *cap.* 7. illic: *Removeantur ab Epiſcopi convivio, cuncta turpitudinis argumenta, non ludicra ſpectacula, non acroamatum vaniloquia.* (cum ſit è contrario vetus, & notum omnibus, ut Auguſtinus ſcribebat 3. *adverſus Parmenianum*, *nugaces*, & *turpes ſaltationes ab Epiſcopis ſolere compeſci*) Et quia deſcriptiones illæ mulierum, quæ *Soldaderas*, ſeu *quæſtuariæ*, inibant convivia ad inhoneſta ſui ſpectacula, & comedendum, conveniunt proprie ſaltatricibus, & cantatricibus *laſcivientium delictis conviviorum*, ut vocat A. Gellius *lib.* 1. *noct. Att. cap.* 11. quas & ideo à conviviis eliminatas Theodoſii lege, proxime adnotavimus.

Hæc præter ſufficerent, ut ab indifferenti ad in- 15
honeſtam, malamque res comica apud nos tranſiret, perſonæ ipſæ hiſtrionum utriuſque ſexus, quales & Hiſpania noſtra, & ſeculum ſuſtinet: idque ſive illam fæcem perditorum hominum, viliumque fœminarum conſideres, diſcretam contuberniis, &, ut vocant, ſocietatibus (quamquam nullius rei inhoneſtæ, honeſta ſocietas ſit, ut Ulpianus monebat in *l. Nec prætermittendum* 57. *D. pro ſocio*) & è converſo mixtam inter contubernales ſcenicos fœda, ac fere promiſcua licentia, & libidine, eaque illis, & extra eos contagione, & exemplo publice noxiam; ſive

ve fœdas illas transformationes, per quas tam ſæpe impurus hiſtrio ſanctiſſimi cujuſque ex divis perſonam induit, ac repræſentat, &, nt in *Apologetico* Tertullianus *cap.* 15. *ignominioſiſſimum capus imagine Dei veſtit.* rurſuſque ille idem (quod ſine vituperatione non fieri, vel Ulpianus docuit in *l. Veſtis* 23. §. *Veſtimenta* 2. *verſ. Muliebria, D. de auro & arg. leg.*) eviratur muliebri habitu, & in fœminam frangitur, quorum utrumque olim deteſtabantur Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Auguſtinus; ſed, quod deteſtabilius nunc, & nocentius, fœminæ ſcenicæ transformantur in viros, & ſub virili, militari, ant ludicro ſchemate pelliciunt juventutis oculos, animoſque ſolutiore procacia, & theatri, & transformationibus habitus, quæ vel extra theatra inhibetur, coërceturque pœnitentia triennali, *Canone illo Braccharenſi* 8. quem Burchardo debemus, *lib.* 10. *cap.* 39. & damnatur pro abominabili apud Deum, Deuteronomii morali lege *cap.* 22. *verſ.* 5. ad quam multa Scholiaſtæ Biblici.

16 Unum proprie ad rem noſtram, quod inter alias damnationis cauſas memorat Div. Thomas 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 6. *ad* 6. & 2. 2. *quæſt.* 169. *art.* 2. *ad* 3. nempe *mulierem indui veſte virili*, *eſſe incentivum concupiſcentiæ*, & *occaſionem præſtare libidini*, ſive eſſe veluti præparationem ad meretricandum, nt annotavit *Gloſſa ad Canonem* Concilii Gangrenſis (quamquam alio ille Canon pertinet) qui extat in *cap. Si qua mulier* 6. 30. *diſtinct.* Plane in re hiſtrionica prohibitio commutationum veſtium, & nominatim, ne mulieres ſcenicæ virilibus induantur, ſtabilita jam olim *Canone* 62. Concilii Generalis 6. in Trullo, nbi Zonaras vocat hanc, *conſuetudinem Bacchantium.*

17 Tot ſimul malis comœdiarum noſtratium dramatis, repræſentationis, intermediorum, cantionum, ſaltationum, & perſonarum, miniſteriique hiſtrionici, cauſis, ſeu circumſtantiis concurrentibus, quæ vel ſingulæ per ſe, ac ſeparatæ ſatis eſſent, ut illas ex indifferentibus illicitas redderent, juxta Thomæ, & Theologicæ Scholæ documenta, de queis ſupra, amplexamur rurſus ſerio, & ex animo, aſſertionem, quæ ſtatuit, illicitas comœdias eſſe, prout hodie exhibentur, nec poſſe in concreto cenſeri licitas, vel indifferentes. Adjungimus pro cautione aſſertionis, & contra adverſantes tutela, quantumcumque extra ſcenam, & ſcenicas in profanis aliis perſonis, & actionibus, occurrant non pauca, honeſtati perinde offenſiva, aut nocitura, & in comœdiis ipſis aliquæ argumento, actione, & adjunctis verecundiores, & ut ejuſmodi ſint, atque exhibeantur, invigilari à Magiſtratibus ei rei præpoſitis; tamen neque extra ſcenam illa, quantumcumque tolerentur, licita eſſe, de quo nunc quæritur: & de ſcena, ac ſcenicis non cenſendum ex una, aut altera comœdia modeſtiore, ac innocentiore, cujuſmodi perpaucæ ſunt, ſed ex pluribus, & quales utplurimum ſunt noxiæ, & immodeſtæ, præſertim repræſentatione, & intermediis, ac perſonis, quarum publica inverecundiæ veluti profeſſio turpior, & perniciosior boneſtati eſt, quovis alio, & privato extra theatra exceſſu; deinde nec ſufficere, experientia teſte, nec ſuffeciſſe unquam Tribunatum, ſeu Præfecturam illam corrigendis comœdiis, & hiſtrionibus.

18 · Poſtremo neque ſuſtineri, neque expiari comœdias vulgari illo prætextu theatrali quæſtus ſervientis piis ſumptibus Xenodochiorum; cum, præterquam quod mala, ſive illicita, cujuſmodi comœdias eſſe affirmamus, nullius boni ſecuturi prætextu licita fiunt, juxta Pauli illud notum *ad Romanos* 3. *verſic.* 8. ſtent contra eum prætextum rationes, & exempla improbati olim vectigalis *Chryſargyri*, nteumque ærario publico ſervientis, nc ſub *eo obtentu corrumpendi pudoris liceret exercere commercium, & in injuriam ſui ipſam quodammodo ignaram connivere Rempublicam.* Ut ſcriptum eſt in *Novella Theodoſii* 8. *de Lenonibus*, cui illuſtrandæ, & ad rem multa dedimus *lib.* 3. *cap.* 1. Alia ad rem Anonymus ille, *contra los eſcotados*, *propoſ.* 9. §. 43.

19 Subſignamus aureo veluti annulo, aut gemma aſſertionem hanc, cenſura, & auctoritate Mediolanenſis Concilii 3. habiti *anno* 1573. in quo magnum illud Eccleſiæ, & ſeculi decus Sanctus Carolus Borromæus ſic de comœdiarum ſcandalis cenſuit, ſub titulo de *feſtorum dierum cultu: Quoniam autem uſu in hac Provincia nimis compertum eſt, depravatis his temporibus, & moribus ad choreas, tripudia, ſaltationes, & id genus alia, numquam fere conveniri ſine multis, & iis quidem graviſſimis Dei offenſionibus, idque cum ob turpes cogitationes, obſcene dicta, inhoneſtas actiones, morum corruptelas, & perniciosas ad omnia opera carnis illecebras, illis perpetuo conjunctas, tum propter cædes, rixas, diſſidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima, inde conſequentia, quam ſæpiſſime, his tot offenſionum, & peccatorum ſeminariis locum dari.* Qua cenſura præmiſſa, ſubjungit: Interdicimus, *ne ſaltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant; ne item comœdiæ, ludi ſcenici, vel theatrales.* Expendimus autem, ut diximus, cenſuram ſanctiſſimi Præſulis de comœdiarum ſcandalis, & opponimus cenſentibus eas licitas, aut indifferentes, ſepoſita interim diſceptatione de ratione, & auctoritate eaſdem tolerandi, aut prohibendi, de qua alio capite ex profeſſo.

CAPUT XLV.

Secunda, & præcedentibus proxima aſſertio: Hiſpanas hodiernas Comœdias tolerari poſſe, ſine noxa conſcientiæ publicæ tolerantis.

ARGUMENTUM.

PRo tolerantia comœdiarum licita, ſtant etiam illi ex Theologis, qui illicitas cenſent. Fundamentum primum, quia, cum non eſſe illicitas, ſit plurium ſententia, & quidem probabilis, non peccat Reſpublica, eas tolerans, probabili ſententiæ innixa, utcumque alia, illicitas cenſens, probabilior ſit. Exponitur, qui obſtare videbatur, Div. Thomæ locus. Secundum, quia, etiam ſuppoſitis illicitis, licita eſſe poteſt tolerantia permiſſiva, ut in aliis aperte malis, ad vitanda deteriora; quæ una cauſa eſt hujus tolerantiæ, ſicut & recreatio populorum. Tertium, quia tolerantia hæc non libera, abſoluta, & perpetua, ſed conniventia cum ſuis cautionibus, & temporalis. Expenditur pro re Canon 86. *Concil. Carthag.* 4. *ſimulque pro hac tolerantia comœdiarum vetus Hiſpaniæ conſuetudo, cui leges connivent, & ſuffragatur Scholium Balſamonis ad* Can. 63. *in Trullo, hiſtrionatum intra Eccleſias, & in Clericis conſuetudine excuſans. Aſt præfixum Balſamoni nigrum theta, dum ex conſuetudine etiam excuſat abuſum cum illuſione ſacrarum veſtium in hiſtrionibus. Suggillatus in tranſitu, quamquam ſine decretoria cenſura, abuſus recens fœminarum detectionis per* Eſcotados, *ut vocantur, colli, & pectoris, & laudatum Regii Caſtellani Senatus Decretum in eum abuſum.*

1 SEcunda, nuper poſitis proxima, & fere extra controverſiam, ideoque quam breviſſime ſtatuenda, aſſertio eſt, Hiſpanas comœdias, quales hodie exhibentur, eſſe ſaltem tolerabiles, ſeu tolerari poſſe licite, ac ſine noxa conſcientiæ publicæ tolerantis; id quod, ut ponimus, intra tolerantiæ permiſſivæ terminos, aſſeruit de comœdiis, poſt Joannem Fabrum in §. *In ſumma*, *Inſtit. de injur.* Na-

varrus *conſil.* 3. *de Judæis*, *lib.* 5. *num.* 2. Eoque referendum, ſcilicet ad tolerantiam permiſſivam temporariam, quod de comœdiis noſtris Romæ, ſe præſente, permiſſis, memorat, ſat erga eas indulgens, Thomas Hurtadus 2. *tom. tractat.* 8. *cap.* 7. *digreſſ.* 3. *ſect.* 3. *num.* 746. & agnoſcunt ex Theologis fere omnes, etiam qui, illicitas eſſe, contendunt, ſi Mendozam Jeſuitam excipias. Videſis, ſi vacat, Anton. Dianam 5. *part. tract.* 13. *Miſcell. reſ.* 78. Araujum moral. *de ſtatu civ. diſp.* 5. *ſect.* 3. *num.* 5. Azorium, de tolerantia comœdiarum, & lupanariorum, æque cenſentem, *tom.* 1. *inſtit. mor. lib.* 8. *cap.* 22. §. 13. & *lib.* 2. *cap.* 10. *ex aliis.*

2 Fundamenta aſſertionis in conſpicuo. Primum, quia, ea etiam ſententia ſtante, quæ illicitas comœdias cenſet, cui, ut omnino probabiliori, & certiori, ſubſcripſimus, agnoſcimus tamen, ac vix niſi temere negetur, eſſe probabilem auctoritate, & ratione contrariam, quæ illas ſtatuit, licitas eſſe, & ſaltem indifferentes. Non peccat autem Reſpublica, aut Princeps, qui juxta probabilem ſententiam operatur, & quidem intra eam ſententiam de comœdiis indifferentibus, non ſolum ſi permittat, aut toleret, ſed etiam ſi aliquatenus eiſdem auctoritatem ſuam indulgeat, ſecundum traditiones Theologicas, de operantibus cum opinione probabili, apud Gabriel. Vaſquium in 1. 2. *diſput.* 62. & *ſeqq.* Thom. Sanctium in *moral. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *ex num.* 14. Joannem Sanctium *ſelectar. diſput.* 44. & *ſeqq.* Dianam 2. *part. tractat.* 13. ſicut neque alio ex capite peccat tolerans, aut permittens ad honeſtum finem rem, ſuo genere indifferentem, & quæ ſit, aut eſſe poſſit honeſti finis, atque uſus, quamvis utentium vitio tranſitura ſit in abuſum. De quo plura jam *lib.* 3. *cap.* 13. & in ſpecie pro utroque nunc poſito, poſt Mendozam Auguſtin. *quodlib.* 9. *n.* 10. Araujus *d. diſp.* 5. *ſect.* 2. *n.* 6. & *ſect.* 3. *n.* 5.

3 Neque contrarius huic aſſertioni cenſendus eſt Div. Thomas 2. 2. *quæſt.* 169. *artic.* 2. *ad* 4. illic: *Si tamen operibus alicujus artis pluries aliqui male uterentur, quamvis de ſe non ſint illicitæ, ſunt tamen per officium Principis è Civitate extirpandæ, ſecundum documenta Platonis.* Queis potiſſimum verbis nitebantur olim viri magni, ut illicitam eſſe, & mortali culpæ obnoxiam in Principe tolerantiam comœdiarum, Philippo Secundo Regi ſuaderent. Sed merito quoad tolerantiam, quæ permiſſa juſtis ex cauſis eſt Principibus Eccleſiaſticis, Politiciſque, etiam rei per ſe illicitæ, & illiciti omnino uſus. Neque id unquam Divus Thomas inficiaretur; ſed expreſſit ſuperioribus verbis ſententiam ſuam de prohibenda arte, etiam non illicita, ob pravum plurium uſum, ſcilicet, quoties juſtæ cauſæ pro tolerantia non urgent, nec tam conſcientiam Principis reſpexit, quam *officium* politicum; ſive *curam*, ut Cajetanus inibi vocat, & ideo addidit, *ſecundum documenta Platonis:* ac proinde auctoritas Thomæ non tam urget, ut probet, Principem ex conſcientiæ debito extirpare comœdias debere (etiamſi juſtæ, & probabiles cauſæ pro tolerantia ſint, quod paradoxum, & paralogum fere eſſet) quam ut oſtendat, regulariter, & politico ſenſu, & officio expedire, ut à Principe extirpentur, de quo etiam, capite, quod ſequetur, dicendum.

4 Secundum eſt, quia & omiſſa, vel excluſa opinione probabili de indifferentibus comœdiis, & retenta ea ſola, quæ illicitas definit, poteſt eſſe adhoc licita tolerantia permiſſiva earum, ſi modo permiſſiva tolerantia limites non excedat, ſicut pleraque alia, multo magis indubitanter illicita, & mala, tolerantur, & permittuntur ad vitanda deteriora, vel ob alia bona, ut docuit Div. Thomas 2. 2. *quæſt.* 10. *artic.* 11. *in reſp.* & notiſſimo illo exemplo meretricum, & lupanarium, quæ comœdiis, quantumcumque illicitis, omnino, & manifeſte magis illicita, & mala, nemo inficietur, & tamen vel Eccleſiæ legibus tolerentur, oſtendimus ex profeſſo *lib.* 3. *cap.* 36. & dicemus explicatiore ſenſu *inferius ad finem hujus de comœdiis excurſus.*

5 Conſideretur autem pro tolerantia comœdiarum, tum bonum illud publicum recreationis populorum, quo, ut de tolerantia alia Auguſtinus ajebat *libr.* 2. *de Ordine*, *cap.* 4. *Inter ipſas leges locum neceſſarium tenet, & in bene moderatæ Civitatis ordinem inſeritur*; tum etiam evitatio graviorum malorum, ſeu peccatorum, à queis pleroſque, tolerato illo comœdiarum oblectamento, interim diſtineri, perſuaſum eſt, ideoque & licitum tolerare, & offerre permiſſive in comœdiis materiam minoris mali, ut ex Cajetano, & aliis diſſeruimus alibi *lib.* 3. *cap.* 18. & *ſeqq.* & quamquam ſint, qui ex facto, neque immerito contendant, irritari potius, quam evitari per comœdias graviora mala, de quo & proximo capite, negari tamen nequit, evitationem hanc, quæ ſupponitur, & bonum illud neceſſariæ oblectationis populi (de quibus ſingulis jam *eo*, quod ſequitur *capite*) probabili ratione, & auctoramento ſubniti; quæ & ſatis ſunt, ut probabilis tolerantia ſit.

6 Tertium denique, quia tolerantia hæc, & permiſſio, neque abſoluta eſt, & libera, ſed certis perſonarum, & rerum, aliiſque in comœdia cautionibus circumſcripta, neque perpetua, ſed temporaria, & quæ conniveat veluti laxumento, utcumque illicito ſeculi, & morum, interim, ſive quamdiu in totum recidere non datur, eaque tolerantia non tantum permittitur, ſed etiam conſulitur Eccleſiaſticis legibus. *cap. ultim. de tranſact. cap. Nihil* 2. *de præſcript. cap. Etſi illa* 23. 1. *quæſt.* 7.

7 Confirmamur in hac re ipſa, ignoto fortaſſe adhuc, auctoramento *Canonis* 86. Concilii Carthaginenſis 4. apud Gratianum in *cap. Neophyti* 12. *de conſecr. diſtinct.* 5. quo præcipitur Neophytis, ut inter alia *abſtineant ſpectaculis aliquando*, ac proinde aliquando, ſive ad tempus eis permittitur, ſpectaculis aſſidere, & inter ea comœdiis, idque contra ejerationem ab illis ipſis in Baptiſmo factam ſpectaculorum, & contra interdictionem eorumdem in Chriſtianis omnibus, ob damna Idololatriæ, & impudicitiæ, juxta Carthaginenſis Concilii 3. uno circiter anno quartum antecedentis, *Can.* 11. & tamen permittuntur comœdiarum ſpectacula Neophytis aliquatenus, ſive temporarie, dum connivetur aliquatenus eorum imbecillitati, & conſuetudini, ſub ſpe eoſdem poſtea ad ſaniora, ac ſanctiora deducendi, quomodo & plenius nos *ad illum Canonem lib.* 3. *cap.* 38.

8 Plane ſcimus, eſſe & hoc alterum pro comœdiis ſuffragium, ſcilicet conſuetudinis earum, ſive uſus in Hiſpanis recepti, longævique (de quo, & quæ illius volæ, ac veſtigia, videſis *capite* ſequenti) ut proinde nec temere popularibus in hac re ſtudiis contrairi debeat, argumento ex *l.* 4. *Cod. de paganis*, illic: *Secundum veterem conſuetudinem. l. unic. Cod. de expenſ. ludor. juxta veteris conſuetudinis legem.* juncta *l.* 1. *Cod. de ſpectacul. libr.* 11. & appoſito in hoc ipſum teſtimonio Theodori Balſamonis *ad Canonem* 63. Concilii Trullani, dum de hiſtrionibus, ſuo tempore, abutentibus intra Eccleſias, Clericalibus, & Monachalibus veſtibus, cum earum deriſione, & contra Eccleſiaſticas, & politicas leges ſcribit, cum ille interrogaſſet, *quomodo hæc fierent*, nihil aliud audiviſſe, niſi hæc longa conſuetudine peragi. ἐκ μακρᾶς συνηθείας ταῦτα πλεῖσθαι.

9 Quamquam, ne Balſamonis locum ſine antidoto adſcripſerimus, non debuit, conſuetudinis obtentu, defendi, quin potius coërceri, & præcidi Eccleſiaſtico, & politico gladio abuſus ille exorbitans hiſtrionum, intra Eccleſiam, Eccleſiaſticis veſtibus illudentium, cum ſit officii debitum, ut de aliis Eccleſiaſticorum ludis ſcriptum eſt *in cap. Inter dilector* 11. *de exceſſ. Prælat. Peſtes hujuſmodi extirpare, & improbare excuſationem, quæ per pravam conſuetudinem, quæ corruptela dicenda eſt, palliatur.* At Balſamon (quod ſine noxa, de ſchiſmatico, & aulico Patriarchatus affectatore credideris) contentus ſimulata illa interrogatione, *quomodo hæc fierent*, non progreditur

greditur ad execrationem, ſciens utique, auctorem ſuum Photium, cujus in Nomocanone commentator, & in ſchiſmate ſectator fuit, damnatum fuiſſe in Octava Oecumenica Synodo, tamquam *Compatriarcham mimi* (quod illius inter alia fuit anathema, legiturque *action. 9. ejus Synodi*) idque quoniam connivens Michaëli Imperatori, toleraverat Theophilum quemdam ſcenicum Compatriarcham, qui intra Eccleſiam, præſente Photio, hiſtrionica imitatione, ſacris myſteriis illudebat. Videndus de re tota Nicetas in *vita S. Ignatii*, & ex eo Baronius *tom.* 10. *Annal. ad ann.* 862. Nec plura hic de tolerantia comœdiarum, dicturi & alia infra, ubi de controverſia inter Eccleſiaſticam, & Politicam poteſtatem in hac materia.

10 Ex his cenſere, in proclivi eſſet, de tolerantia hodierni abuſus fœminarum in detegendis collo, & pectore, & ambulantium, non modo *extento collo*, juxta Eſaiæ illud *cap.* 3. *verſ.* 16. ſed oſtentato, & ut de meretricibus in *Heliogabalo* Lampridius, *papilla ejecta*, quem in abuſum ſancta, & ſevera objurgatione proclamavit inter paucos, libello edito Anonymus ille, cujus meminimus ſupra *cap.* 42. & contra pro abuſu excuſando, ſive exculpando, ſtant, & ſtetere plures, ut fere ſunt plures luxus, quam correctionis favitores. Nos de reatu culpæ gravioris, aut levioris in hoc abuſu recente, & irrepente adhuc potius, quam legitima conſuetudine introducto, juſtam cenſuram aliis relinquimus: id ſaltem, nondum monitum, ex diſciplina noſtra monemus, improbatum adeo, & exoſum fuiſſe legumlationi noſtræ hunc exceſſum, ut inter Decreta illa, ſive Regii noſtri Senatus Conſulta inſerta *libr.* 7. *titul.* 12. *Compilat. in Summario, prope finem*, legatur inter alia illud, *ne fœminæ utantur Thoracibus illis, dictis Eſcotados, præter eas, quæ corpore quæſtum faciunt, quibus permittuntur ambulantibus detecto pectore*; nimirum ut eo ipſo diſtinguantur à matronis, atque iſtæ tanto magis horreant nuditatis exceſſum, & luxum proprie meretricium, ad exemplum priſci illius conſtituti, de quo Athenæus *libr.* 2. *Deipnoſophiſt. cap.* 6. Clemens Alexandrin. *libr.* 2. *pædagog. cap.* 10.

CAPUT XLVI.

Tertia Aſſertio. Hiſpanæ Comœdiæ tolerantiam, proba & politica æſtimatione, non eſſe expedientem moribus in pace, & bello.

ARGUMENTUM.

Contra comœdias politice cenſentes, cenſuere plures, poſt Div. Thomam, cui ſubſcribimus. Cenſura hæc nititur primo illo Juris, & Politiæ præcepto, Honeſte vivere, *quod ſupponitur. Ex præcepto, & publicorum morum honeſtati habitas eſſe pro noxiis comœdias, diſcere eſt, tum ex libris legum, tum ex Patribus, & Philoſophis, & præ aliis Tertulliano, Auguſtino, Seneca, & priſco illo Naſica, theatrorum hoſte. Succedit præceptio alia politica, nempe corruptioni morum, & luxui, ſequelas veluti eſſe, ruinas Imperiorum. Ita poſt Eſaiæ* cap. 3 *ex Politicis Ariſtoteles, & de Romano Imperio Romani Hiſtorici, & Vates, & apud Licinium Ruffinum Theodoſii lex, quæ illuſtratur. Jam de comœdiis noſtris, eſſe illas veluti magiſtras morum molliorum, & luxus, utinam non experimentis doceremur. Sed prædocuit Romana ſeveritas, quæ, ea cautione, & ſubſellia in Theatris prohibuit, & militem ſcenæ ſe dantem, tanquam à militia ad mollitiem deſciſcentem, capite punit,* l. 14. D. de re milit. *& fuit eidem Romæ inter artes dominationis, ad enervandam ſubditorum ferociam, eoſdem à ſeveris ad effœminata, & ludicra ſenſim deducere. Porro hæc morum è comœdiis diſpendia eſſe ſaltem juvenibus graviora, monuit pridem Ariſtotelis lex, prohibens illis, ſpectare comœdias, cui conſentanea Theodoſiani Codicis* lex de ſtudiis liber. Urb. Rom. *& Salmantinæ Scholæ Regia Statuta. Adſcribuntur in eumdem ſenſum Senecæ Patris, & Ammiani Marcellini proclamationes. Accedunt his politicis rationibus auctoramenta legum, apud Francos Philippi Auguſti, & Ludovici Sancti, quibus non accenſenda alia* Caroli V. *quæ Germanica, & alio tendens. At in Hiſpania, quamquam jam inde à ſeclo Septempartiti Juris, notæ comœdiæ illæ, quas* Farſas, *ſeu* repræſentationes *vocabant,* coloquias, rimas, *&* remedios, *& noviore voce* Entremeſes, *&* Momos Ricos, *de queis noſtri Antiquarii; diſplicuiſſe tamen cenſuræ Hiſpanicæ rectæ, & ſeveræ, tanquam irritamenta luxus, memorabili documento ſunt Aragoniæ Comitia ſub Joanne I. apud Suritam. Et memorabiliora Philippi II Senioris, eoque prudentioris, præviis magnis conſultationibus, Interdicta comœdiarum. Agnoſcitur, irrepſiſſe eas poſtea ſub Philippo III non tam Principe, & Senatu auctoribus, & theatro faventibus, ut de re Hieronymus, & Tacitus, quam conniventibus contra meliorem politiam, tolerantiæ mali ſpecioſis prætextibus, vitandi deteriora, & recreationis populorum; aſt non veris. Et quidem primus, adeo non verus, ut potius cenſeantur, & ſint theatrales cœtus, conſilia vitæ, & Cathedræ* deriſorum, *ut eſt in* Hebraico textu Pſalmi 1. Davidici, *explanantibus Tertulliano, & Clemente Alexandrino, quæ doceant, ducantque ad pejora. Et rurſus alter ille prætextus oblectamenti populorum, quamvis favere ei videantur Romanæ leges, tamen in re ab indifferenti ad pravam vergente, inſufficiens pro tolerantia, &, ut Clemens Alexandrinus ſcripſit, ſapientiæ politicæ incongruens. Claudimus rem inſigni cenſura Auguſtini, Salviani, & Oroſii de Romano Imperio cadente, & pereunte theatralibus deliciis prius quam vi externa periret.*

1 Tertia, & quæ duas aſſertiones priores ſupponit, & ſignat, eſt de convenientia politica, aut inconvenientia comœdiarum, ſive an earum tolerantia, & permiſſio, hodie, & cujuſmodi hodie ſunt, & ſepoſita illa de eiſdem illicitis, vel indifferentibus cenſura, ſit politice expediens, & ſuſtinenda. Pollicemur autem ſtatim de re ipſa ex præceptis juſto-politicis ſententiam noſtram, nec moraturos nos recenſendis tot nimis feriatorum ingeniorum ſcriptis, quibus nuper edendis præla inſudarunt, quamquam ſi de comœdiis politice cenſentium nomenclaturam deſideres, adeo non expedire earum tolerantiam, ut potius ſit politice noxia, & damnanda, habes laudatos ſupra, dum de illicito ipſarum uſu, Sariſberienſem, Petrarcham, Rodericum Zamorenſem, Polydorum Virgilium, Contzenium, Rochierum, Petrum Gregorium, Bodinum, Beſoldum, Zypæum, quibus addas licet Antonium Guevarram in *M. Aurelio*, *lib.* 3. *cap.* 43. *& ſeqq.* Joannem Marquez in *Gubernatore*, *lib.* 1. *cap.* 30. §. 2. *ad finem.* Joan. Marianam *de ſpec. cap.* 15. *&* 25. *& lib.* 3. *de Regis inſtitu. cap.* 16. Azevedo in *l.* 5. *n.* 5. *in fine*, *tit.* 10. *lib.* 8. *Compil.* Sed ante alios, & præ aliis Div. Thomam, ita omnino cenſentem, & quidem politice, & ſecundum documenta Platonis, 2. 2. *quæſt.* 169. *art.* 2. *ad* 4. *verſ. Si tamen*, cujus verba dedimus, & expoſuimus *capitis*, quod præceſſit, *ad finem.* Quos, vel omiſſis nunc theologice, aut ex Jure cenſentibus, potiores eſſe auctoritate, & numero, nuperis, ſi qui ſunt, Politicis, quales volunt videri, comœdiarum patronis, non negabitur.

At nunc de re, & ſemel, ſerioque aſſertio noſtra 2
eſt, Hiſpanas præſentes comœdias non eſſe neceſſarias,

farias, utileſve, neque politice expedientem earum tolerantiam, quin potius probæ ipſi, puræque Reipublicæ regendæ rationi, quam Politiam vocamus, expedire, ut exterminentur. Pro aſſertione ſtat primum ratio, ſive rationum firmamenta plura, & conſpicua; quorum veluti fundum damus, primam illam juſtopoliticam præceptionem, *honeſte vivere:* eaque præceptione nunc intelligimus honeſtatem morum, quæ etiam alioquin tolerata, ſive permiſſa non admittit, niſi & honeſta ſint. *l. Non omne* 144. *l. Semper* 397. *D. de reg. jur. l. Semper* 42. *D. de ritu nupt.* §. *Si uxor* 9. *Inſtit. de nupt.* & quæ, ut olim de cenſura Romana Livius *lib.* 4. *&* 24. & Cicero *Orat. in Piſonem*, & *pro Cluentio*, *morum, & diſciplinæ publicæ regimen, & magiſterium ſuſtinet pudoris, ac modeſtiæ, ne quid in moribus labet, corrigit ea etiam, quæ legibus non puniuntur*, ut eſt apud Dionem *lib.* 52. & Tacitum 11. *Annal.* quam utique præceptionem, & morum curam pro interna, & vera felicitate Reipublicæ, veluti finem primarium, *ὅπως ἄνδρες ἀγαθοὶ γίγνωνται*, ſcilicet, *quomodo viri boni fiant*, proponit gubernatori ſuo, politicorum præceptor, Ariſtoteles 7. *de Republ. cap.* 14. & vel ex eo Scipio apud Ciceronem 8. *ad Atticum epiſt.* 11. *Ut vita Civium virtute honeſta ſit*, in eumque finem, *ut pravas artes, malaſque libidines à juventute prohibeat, retineatque illam ab ſtultitia, & falſis voluptatibus.* Ut Salluſtius olim ad Cæſarem *Orat.* 1. *de Rep. ordin.*

3 Plane hodiernis comœdiis, earumque actione, & acceſſionibus, quales deſcripſimus, labefactari, & lædi graviſſime honeſtatem publicorum morum, affirmabunt conſtanter quotquot eas illicitas eſſe affirmant, & laceſſi ſaltem, ac periclitari in juventute, eandem honeſtatem, fateantur, neceſſe eſt, illi ipſi, qui utcumque indifferentes illas cenſent, tot tamen conſulunt ante, & in editione Magiſtratuum cautiones, ne noxiæ ſint, ac vel ſic juventuti periculoſas non diffiteantur. At audiamus de diſpendio morum in comœdiis judicia Veterum, neque ea ſola ex libris noſtris, in queis diſpendia hæc corruptionis morum in ſpectaculis, inſinuantur præcautione illa *l. un. verſ. Ita tamen Cod. de majuma lib.* 11. juncta *l.* 1. §. *ultim. D. de ſervo corrupto. l. Item* 15. §. *appellare* 20. *D. de injur.* & potiſſima, atque huc referenda, illa prohibitione extruendi theatri, & ſimilium ad ludicra operum, ſine auctoritate Principis, ut traditum eſt in *l.* 3. *D. de oper. publ.* jungenda *l.* 4. *D. de adminiſtr. rer. ad Civit. pert. l. Legatum* 10. *D. de uſufruct. legato.* Salvianus 6. *de provid.* ubi *de Treveris*, ne ſcilicet theatrales ludi mores inficerent, ut de re Plinius *lib.* 4. *epiſt.* 22. *ad Sempronium.*

4 Sed & præcipua ex Patribus, ac Philoſophis, & quidem non ex ſacra tantum, aut ſevera illa obſcœnitatum theatralium deteſtatione, ſed politico proprie ſenſu, ac cenſura: ita ex ethnica diſciplina Tertullianus *de ſpectac. cap.* 10. *Sæpe Cenſores renaſcentia cum maxime theatra deſtruebant; moribus conſulentes, quorum ſcilicet periculum ingens de laſcivia providebant.* Et eodem ſenſu idem *Apolog. cap.* 5. de politicis Romæ legibus, quæ *theatra ſtuprandis moribus orientia ſtatim deſtruebant*; nec diſſimiliter de Scipione Naſica, ſcenam conſtrui prohibente, *propter animorum cavendam peſtilentiam*, Auguſtinus 1. *de Civit. Dei, cap.* 32. *&* 33. *& lib.* 2. *cap.* 5. *& epiſt.* 5. *ad Marcellinum.* Livianus Epitomator de eadem re *lib.* 48. *Tamquam inutile, & nociturum Romanis moribus*, deſtructum eſt. Appianus 1. *bellor. Civ.* 8. [illegible] *non expeditos eſſe Romanos, Græcis voluptatibus aſſueſcere.* Paulus Oroſius *lib.* 4. *hiſt. cap.* 21. Iſidorus *lib.* 18. *orig. cap.* 62. Ita etiam politice Chryſoſtomus de periculo morum ex theatris, *homil.* 42. *in Acta Apoſt.* magna mala Civitatibus inferri ex theatralibus ludis, atque *eo periculoſior, quod ſenſim immutari mores, & pejores fieri non ſentimus, virginum pudorem imminui, juvenes petulantes evadere, ſenes laſciviam repetere*, ac deinceps alia, quæ ſimillima cenſoriis illis Senecæ *epiſt.* 7. *Nihil eſt tam damnoſum bonis moribus, quam in aliquo ſpectaculo deſidere: tunc enim per voluptatem facilius vitia ſubrepunt. Quid me exiſtimas dicere? Avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior?* Ita denique Clemens Alexandr. *lib.* 2. *pædag. cap.* 11. cujus cenſuram poſtea dabimus, quamquam ſi recentiorem, proximamque corruptelæ morum ex comœdiis noſtris deſideres, præſto, & ſatis futura ſit illa Mediolanenſis Concilii, ac Div. Caroli, quam *ſuperiore capite* adſcripſimus, & ſufficere itidem debeant demonſtrandis re ipſa damno, ac diſpendio morum, quæ ſigillatim de repræſentatione, dramate, intermediis, cantationibus, ſaltationibus, & hiſtrionica tota comœdiarum noſtratium paratura, ibidem expendimus, neque inculcamus. 5

Conſequenter ei fundo, ſeu firmamento aſſertionis noſtræ jungimus præceptionem aliam, ſane meracioris politiæ, at per ſe, & pro tuendo Imperii ſtatu contra externam vim neceſſariæ; nimirum corruptelæ publicorum morum ad luxum vergentium, imminere, ac fere eſſe proximas converſiones Imperiorum, enervato effœminatis ſtudiis, atque artibus vigore illo animorum, & corporum, quo res publicæ in bello egent. Documentum è ſacris libris Eſaiæ *cap.* 3. *verſ.* 4. *&* 16. in queis ruentia Hebræorum Regni ſignantur inter alia notæ illæ, ſeu cauſæ, quod *effœminati dominabantur eis, & quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant.* Ex Politicis, eorum Princeps Ariſtoteles *lib.* 5. *Polit.* ſeu *de Repub. cap.* 6. breviterque, ut ſolet, Tacitus 3. *Annal. quanto pecunia dites, & voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles Heduos.* Et exempla ne quæras, ut de Oriente, Græcaque ſileam, de Romanis Hiſpanus noſter Lucanus 1. *Pharſal.* deliciarum exceſſum vocans,

publica belli
Semina, quæ populos ſemper merſere potentes.

Cedentibus, ut ait, *moribus luxui, & rebus ſecundis*, ſive ut eadem acrimonia Juvenalis *Satyra* 6. *Incumbenti ſæviore armis luxuria, victumque ulciſcente orbem, & frangente ſecula, & mores turpi luxu, & divitiis mollibus: ex quo fonte derivata clades in patriam, populoſque fluxit*; ut ante eos Horat. 3. *Od.* 6. & ſimilia Livius 1. Vellejus 2. & Eumolpii *Carmen* apud Petronium *cap.* 79. & de cadente Imperio Ammianus *libr.* 14. *&* 22. Salvianus 6. *&* 7. *de provid.* Sidonius in *Majoriani Panegyr. Romani Principis arma, Cæſareumque larem luxu torpere perenni, audieram.* Denique ut & Cæſares ipſi fidem rei faciant, Theodoſius, Valentinianus, & Arcadius, ex propoſitis illuſtrandi, Conſtitutione, quæ extat *collationis legum Moſaic. tit.* 5. inibi: *Conquerentur Urbis Romæ virtutum omnium matrem diutius fœdari, & agreſte illud ab priſcis conditoribus robur, fracta molliter plebe tenuatum, convicium ſeculi, vel conditorum irrogare, vel Principum.* Quæ & alia illius Conſtitutionis corrigas licet, juncta *l. omnes* 6. quæ illius pars eſt, *C. Theodoſ. ad leg. Jul. de adulter.*

At de comœdiis noſtris, eſſe illas, vel potiſſi- 6
ma irritamenta luxus, & morum, ne turpes nunc dicamus, ſaltem molliorum, queis popularis, & quod magis doleas, nobilior juventus, ſpecie amœnitatis ingenii, aut honeſtæ delectationis, degeneret à viridi illo Hiſpano more, ad enervia *ſtudia, atque otia, aut turpes amores*, ut fere eſt apud Tacitum 13. *Annal.* utinam non tam certum, quam expertum eſſet.

Sane ut cumprimis ex Juriſprudentia noſtra do- 7
meſticum, neque ideo ſuſpectum teſtimonium demus, non alia ratione Macer Æmilius in *l. Quædam* 14. *D. de pœnis*, ſcribit, militem dantem ſe in artem ludicram, graviore pœna plecti, quam paganum (quippe hic ignominia ſola, at miles capite) idque ea, obſervatu digna, ex cauſa, quia ludicrum, ſive ſcenicum miniſterium eſt tanto fœdius

dius flagitium in milite, quanto eſt, aut eſſe debet illius profeſſio virilior, & durior, utpote cujus nomen ductum *à militia*, ſive *duritia*, *quam pro nobis milites ſuſtinent. l. 1. §. 1. D. de teſtam. mil.* ſive per antiphraſin *à mollitia*, quod *nihil molle*, *ſed potius aſperum milites gerant*, ut ajebat Ennianus, egregie cordatus homo Cajus Ælius Sextus Juriſconſultus, apud Feſtum in voce *Miles*: & proinde nihil tam contrarium militi, quam mollities ſcenæ, & deſidia, *l. Omne 6. Dig. de re milit.*

8 Jam vero & ea præcautione politica, pro vigore militari in moribus Civium contra theatralem luxum, vetus Roma, neque ſubſellia in ludis, neque ſedentem ſpectare quempiam, patiebatur, ſcilicet, ait Valerius 2. *cap.* 4. *ut remiſſioni animorum juncta ſtandi virilitas, propria Romanæ gentis nota eſſet*; ſive, ut de Scipione Naſica Auguſtinus 1. *de Civitat. Dei*, *cap.* 31. *Ne Græcam luxuriam virilibus patriæ moribus paterentur obrepere, & ad virtutem labefactandam, enervandamque Romanam peregrinæ conſentire nequitiæ.* Et jungendi, præter Iſidorum *lib.* 18. *orig. cap.* 42. Appianus, Livius aliique ſupra. Et cum Auguſtino, de Scipione item, & theatro, Oroſius *lib.* 4. *c.* 21. quem infra exſcribemus: & eodem ſenſu Plinius in *Panegyr. cap.* 33. de ſpectaculo comico, ut id a gladiatorio diſtinguat, vocat illud, *enerve, ac fluxum, & quod animos virorum molliret, & frangeret.*

9 Et ne jam plura, cum fuerit pridem inter arcana injuſtæ dominationis, populos, libertatis memores, & alioquin feroces, dulcedine otii pellicere, & emollire adeo, ut fere viri in mulieres degenerent, neque unquam rebellent, quomodo ad Cyrum Crœſus apud Herodotum *lib.* 4. ſed *quieti, & otio per voluptates aſſueſcant*; unde & paulatim deſcendatur *ad delinimenta vitiorum, id quod apud imperitos humanitas vocetur, cum pars ſervitutis ſit*; ut de Britannis in *Agricola ſuo* Tacitus, quanto magis futurum ſit juſti, ac paterni Imperii, *effœminatas ſcenicas artes, & indecora ſeculo ſtudia*, ut Plinius vocat in *Panegyr. cap.* 46. exterminare, quibus maſcula ſubditorum indoles enervatur, & ſub amenitatis ſpecie à virili, ſeveraque, qualis ſemper Hiſpana fuit, diffluit in mollem, honeſtati in pace noxiam, & in bello non tam victoriæ idoneam, quam ſervituti.

10 Porro quoad duo hæc è comœdiis damna, aut diſpendia, in pace moribus, & ad bella Martiæ virtuti, quantumcumque neque omnino, neque omnes in his periclitari, contendas, at qua fronte inficieris, periclitari ſaltem juventutem, cujus inſtitutionem ad virtutem in pace, ac bello, & abſtinentiam à delinimentis vitiorum cum primis curandam eſſe imperantibus pro interna, externaque felicitate Imperiorum, primarii Politici docuere: & inter eos ſpecistim de re Ariſtoteles 7. *de Republ. cap. ult.* dum ſcribit: *νεωτέρους κωμῳδίας θεατὰς νομοθετητέον, adoleſcentibus comœdias ſpectare, lege prohiberi.* Et quidem utroque illo reſpectu, ne corruptelæ illius ſcenicæ ſint ſpectatores *adoleſcentes, quorum lubrica ætas, quæ frænari, ac regi debet, ad vitia, & peccata his imaginibus erudiatur*, ut Lactantius monebat in *epitome cap.* 16. *ac ne diſcat movere manus in theatris*, quas movere deinde pigeat in prælius, ut Varronis illud leviter mutem *de re ruſtica*, *lib.* 2. ſed, ut Epaminondas apud Æmilium Probum, ſciat, *Caſtris utendum eſſe, non palæſtra.*

11 Eſt autem referenda ad hanc inſtituendæ juventutis curam, & periculum ejus in ſpectaculis Conſtitutio, *l.* 1. *de ſtudiis liberalib. Urb. Romæ, in C. Theodoſ.* ubi inter alia de ſtudioſis, ſeu diſcentibus cautum, ut ſint, *qui turpem, inhoneſtamque famam, & conſociationes* (*quas proximas putamus eſſe criminibus*) *æſtiment fugiendas, neve ſpectacula frequentius adeant*; ſive ut in Petronii *Satyrico cap.* 2. legitur (Turnebo incaſſum retinente) de Scholaſtico, ſive ſtudioſo: *Neve plauſor in ſcena ſedeat redemptus, hiſtrioniæ addictus.*

Tandem nec temperamus, quin adſcribamus pro diſpendio iſto morum, ac virilitatis in juventute, ex ſcenæ ſtudiis, cantationibus, ſaltationibus Patris Senecæ locum in *præfat.* 1. *controverſ. Torpent ecce ingenia deſidioſæ juventutis, nec in ullius honeſtæ rei labore vigilatur. Somnus, languorque, ac ſomno, & languore turpior malarum rerum induſtria invaſit animos: cantandi, ſaltandique nunc obſcena ſtudia effœminatos tenent, & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, immundiſſimis ſe excolere munditiis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt. Emolliti, enerveſque, quod nati ſunt, inviti manent, expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes ſuæ.* 12

Addimus & ex ſeculo illo flacceſcentis luxu in ruinam Romani Imperii, & potiſſimo eo luxu hiſtrionum, & ſaltatricum flacceſcentis, deſcriptiones duas Ammiani Marcellini, prolixiores utique, at cenſorias, & acres animo, ac ſtylo. Ita ille *lib.* 14. *hiſtor.* poſt alia de Romæ tunc moribus. *Denique pro Philoſopho Cantor, & in locum Oratoris doctor artium ludicrarum accitur; & bibliothecis ſepulchrorum ritu in perpetuum clauſis, organa fabricantur hydraulica, & lyræ ad ſpeciem carpentorum ingentes, tibiæque, & hiſtrionici geſtus inſtrumenta non levia. Poſtremo ad id indignitatis ventum eſt, ut cum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam, pellerentur ab Urbe præcipites, ſectatoribus diſciplinarum liberalium impendio paucis, ſine reſpiratione ulla extruſis, tenerentur mimarum aſſeclæ veri, quive id ſimularunt ad tempus; & tria millia ſaltatricum, ne interpellata quidem cum choris, totidemque remanerent magiſtris. Et licet, quocumque oculos flexeris, fœminas affatim multas ſpectare cirratas, quibus per ætatem teneram nixus poterat ſuppetere liberorum, ad uſque tædium pedibus pavimenta terentes, jactari volubilibus gyris, dum exprimunt innumera ſimulacra, quæ finxere fabulæ theatrales.* Nec fere alia Ammianus idem *lib.* 22. de Palatinis, & militaribus illius ævi, in his excerptis: *Namque fatendum eſt, pleramque eorum partem, vitiorum omnium Seminarium effuſius aluiſſe ita, ut Rempublicam inficerent cupiditatibus pravis, pluſque exemplis, quam peccandi licentia læderent multos. Unde & fluxioris vitæ initia pullularunt, & perjuria, & nullus exiſtimationis reſpectus, demenſque ſuperbia, fidem ſuam probroſis quæſtibus polluebat. Inter quæ ingluvies, & gurgites crevere prærupti conviviorum, & pro victorialibus epulares triumphi, uſuſque abundantes ſerici, & textiles auctæ ſunt artes, & culinarum ſollicitatior cura, & ambitioſa ornatarum domorum exquiſita ſunt ſpatia; quibus tam maculoſis acceſſere flagitia diſciplinæ caſtrenſis, cum miles cantilenas meditaretur pro jubilo molliores, & non ſaxum erat, ut antehac, armato cubile, ſed pluma, & flexiles lectuli, & graviora gladiis pocula. Adeo autem ferox erat in ſuos illis temporibus miles, & rapax, ignavus vero in hoſtes, & fractus, ut per ambitionem, otiumque opibus partis, auri, & lapillorum varietates diſcerneret ſcientiſſime, contra quam.* Ac deinceps. Sed ô fuerint deſcriptiones hæ, & imagines corruptelæ illius ſecli, & ô utinam non ſint noſtri dedecora. 13

His tandem ex politica diſciplina rationum momentis ſuccedunt & exempla laudatiſſimæ politiæ legum, ejuſdem in comœdias, & hiſtriones cenſuræ. Neque veteres ethnicos numeramus, Lacedæmonios primum, aut Maſſilienſes, alioſve de comœdiis priſcis, ſed cumprimis de novioribus Philippum cognomento Auguſtum, Franciæ Regem, qui ut ex illius ævi Hiſtoricis deſcribit Papirius Maſſonius *lib.* 3. *hiſt. Franc. Legem talit adverſus hiſtriones, ut Regni finibus excederent, quod id genus hominum Reipublicæ pernicioſum exiſtimaret.* Eandem legem repetiit Philippi nepos, Ludovicus Sanctus Hiſpani ſanguinis, & Hiſpanæ matris inſtitutione clariſſimus, ut memorat Genebrardus in *Chron. ad annum* 1261. Paulus Æmilius, & Gaguinus in eodem Ludovico, tametſi prævalentibus poſtea contra ſanctiſſimas leges impuris moribus. Jam intra Hiſpa- 14

niam,

niam, ut & de illius cenſoria in hiſtriones ſeveritate nonnihil: præterimus non inſcii Conſtitutionem Caroli V. Cæſaris, quam ab eo editam de pellendis hiſtrionibus ſcribunt, ex Petro Gregorio Menochius *addit. ad caſum* 69. *de arbitr. n.* 34. ex Trithemio Ricciullus *de perſonis, quæ in ſtatu reprob. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 4. Præterimus autem, quia fuit ea Conſtitutio Germanica *anni* 1548. non de hiſtrionibus Comicis, ſed de præſtigiatoribus Ægyptiis, ſive Zingaris, & ſimilibus, ut ex illius textu liquet. At præmonemus ſaltem, comœdias haſce, quibus argumenta ſacra, & moralia, aut alioquin non inhoneſta, repræſentata exhibentur, fuiſſe uſitatas, aut non ignotas, vel ab ævo Septempartiti Juris, in quo vocantur *repræſentationes*, nec ſine mentione exhibitarum earum ob vilem quæſtum. *l.* 34. *tit.* 6. *part.* 1. vocabat & eaſdem comœdias illa ætas, *farſas*, communi, aut derivata à Francis appellatione, & *coloquios*, ſeu *rimas vulgares*, ac deinde inclinantibus ad noſtros annis, ac moribus, *Entremeſes*, y *momos ricos*, ſeu Luſitanice *momazes reais*, qui & ipſi prius dicti, *remedadores*, & ludus ipſe *remedijo. l.* 12. *tit.* 20. *l.* 10. *tit.* 23. *part.* 1. *l.* 4. *tit.* 6. & *l.* 4. *tit.* 9. *part.* 7. & eſt diſcere antiquitatum patriæ ſtudioſis ex Hieronymo Blancas in *Coronationibus Regum Arag. lib.* 1. *cap.* 5. Joanne de la Encina Salmanticenſi Eccleſiæ inter portionarios in *arte Hiſpano-poëtica* ad Joannem Principem, & *Ecloga* illa, atque aliis quæ inter illius opera repræſentationibus (quem & ipſum fuiſſe primum ſub Catholicis Regibus comœdiarum noſtratium architectum ſcripſit Mendez de Silva in *Geneal. Reg. in Eliſabetha Regina*) Antonio Guevara, commentitii libelli Marci Aurelii bene credulo enarratore, *illius cap.* 43. & *ſeqq.* & ante eos de Momis Ferdin. Guſman. in *Chronica Regis Joannis II. anno* 35. *cap.* 263. Reſendio in *hiſtor. Joann. II. cap.* 122.

15 At utcumque iſta fuerint, fatis ſit pro cenſoria ſeveritate Hiſpaniæ in ſimiles ludos nobile exemplum Joannis Primi Aragoniæ Regis, à quo, cum ſupra modum indulgeret Symphoniæ, cantus vocum, nervorum, ac tibiarum ſtudiis, & *deliciarum comiti extremæ*, ſaltationi, adeo ut ſolemni legatione à Rege Francorum expeteret, celebriores vernaculos Poëtas ex Narbonenſi Provincia in Hiſpaniam tranſmitti, publicis Scholis apud nos inſtituendis ejus poëticæ artis, quam vocabant *la gaia ſciencia*, obtinuere Aragoniæ Comitia, & Proceres, correctionem earum voluptatum, molliumque ludorum, ne, depoſitis belli ſtudiis, *veteris militaris diſciplinæ ſeveritas, & frugalitas deſiderarentur, ac quodammodo noſtri patriam virtutem projeciſſe viderentur*, ut his fere, & pluribus verbis commemorat gravis Hiſtoricus Hieronymus Zurita in *Indicibus rerum Arag. lib.* 3. *in Joanne I.* & in *Annalib. tom.* 2. *lib.* 10. *cap.* 43. Joannes Mariana *lib.* 18. *de reb. Hiſp. cap.* 14. videndus & Petrus Beuter in *præfatione hiſtor. Valentinæ, epiſtol. ad Magnificos.*

16 Claudimus totam rem propria, ac recenti de recentibus Hiſpanis comœdiis cenſura, Magni illius, & ſeveræ prudentiæ Principis Philippi Secundi, qui ſicut impuriores jocos prohibuit, *l.* 5. *tit.* 10. *lib.* 8. *Compil.* ita quantumcumque connivens moribus, & ſeculo aliquandiu comœdias toleraſſet; tandem tamen tolerantiæ pœnitens, ſupplicante clariſſimo Hiſpalenſi Antiſtite Petro Vaca de Caſtro, & ſuadentibus clariſſimis item Garſia Loayſa, Didaco Yepes, & Gaſparo Cordubenſi, qui à Rege de ea re in conſeſſum vocati, ſic conſuluere, comœdiarum in poſterum, & hiſtrionum uſu interdixit expeditis in id à Supremo Caſtellano Senatu Proviſionibus, ut vocant, ſive Edictis poſtridie Kalendas Majas anni 1598. quorum exemplar, ſimulque laudatiſſimæ conſultationis copiam, legiſſe licuit, & in his præſignata hæc è comœdiis damna, quæ expendimus, inhoneſtatis morum in pace, & emollitæ virilitatis ad bella, meminere Ægidius Davila 2. *tom. Theatri Eccleſiaſt.* in Petro Vaca Hiſpalenſi Archiepiſcopo, Valle Moura *de Incantationibus opuſc.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 16. *n.* 32. *in fine.*

17 Agnoſcimus, ut nihil diſſimulemus, revixiſſe poſt Philippum Secundum comœdias noſtras, & quidem ſolutiore luxu; nam & vidimus ipſi paucis ante annis, ſancta, ſeveraque Optimi Regis noſtri interdictione, inter alias politiæ, ac morum reformationes, clauſa theatra, & hiſtrionica miniſteria fere exulare juſſa, eaque demum, poſt accuratas Senatuum Conſultationes, ad tolerantiam illam, qua ſe tuentur, rediiſſe. Verum hæc non cenſuræ, & honeſtæ politicæ diſciplinæ, pro qua contra comœdias ſtetimus, ſed ſunt tolerantiæ, quæ ut de Sophoclis tragœdia Hieronymus *epiſtol.* 2. *ad Nepotianum, ſeveritatem Tribunalium in theatri favorem verterit*, neque ideo, *Principe, & Senatu auctoribus, licentiam vitiis permiſſam* dixeris, ut Seniores illi apud Tacitum *libro* 13. ſed contra meliorem politiam malo conniveri comœdiarum, tamquam evitaturo majora mala, & recreationi populorum neceſſario. Quæ duæ vel potiſſimæ cauſæ obtenduntur pro hac tolerantia, penes honeſtiores, & ſerios, ne alias, ſive alios moremur, ſeculi, ac deliciarum patronos, & luxuriæ faventes, ut non extra rem Plinius 7. *natur. hiſt. cap.* 25. ſed obtenduntur, ut innuimus, & prætexuntur potius, quam re ſubſiſtunt.

18 Nam quod de evitatione deteriorum permiſſis comœdiis, quamvis probabilitatem tolerantiæ dederit, ut ad extremum præcedentis capitis fatebamur, eſt tamen uſque adeo non verum, ut potius ſint comœdiæ, moribus corrumpendis, & fœdioribus vitiis veluti irritamenta, & Scholæ: in quam ſententiam, ultra tot, & tanta, qualia ex Conciliis, Patribus, & Politicis ſupra expendimus, damus nunc pro ſacro ſignaculo textum illum, exordiumque *primi Pſalmi: Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſtetit.* Quo textu, & prima illa voce Davidica deſignari, ac damnari theatrales coetus, vias, & Cathedras (nam & hæc ſingula in theatris erant) tamquam concilia, ſeu conſilia ad mala, & vias ad peccata graviora, & Cathedras peſtilentis doctrinæ, conſenſere jam olim, ſic exponentes, Tertullianus *de ſpectacul. cap.* 3. & 27. Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *pædagog. cap.* 11. & *lib.* 2. *Stromaton.* Chryſoſtomus *homil.* 62. ad populum Antiochenum, & *homil.* 8. *de pœnit.* & ex Tertulliano Hieronymus *ad Pſalm. num.* 1. Proinde & tantum abeſt, per comœdias evitari pejora, ut potius ad eadem moveant, ducant, & doceant, tamquam conſilia, viæ, & Cathedræ, & quidem *deriſorum*, ut pro τῷ *peſtilentiæ* habet ad rem appoſite Hebraica lectio illius Pſalmi, apud Sanctem Pagninum, ſive *deluſorum*, ut vertit Hieronymus conferens Hieremiæ illud *cap.* 15. *verſu* 17. *Non ſedi in conſilia*, & ut in Chaldaico eſt, in *coetu, ac ſocietate ludentium.* Qua veluti delineatione *ſocietatis, deluſorum*, ſeu *deriſorum*, quaſi exprimuntur *las Compañias*, ut dicimus, *de farſantes*, qui proprie ludiones, & deriſores jam olim, ſive *ridiculi*, ut vocantur à Juſtiniano *Novella* 105. *de Conſul. cap.* 1. §. *Quintus.* Plauto in *captivis*, & *Sticho.* Sidonio *lib.* 2. *epiſt.* 2. & Philiſtion ille à Martiali *lib.* 2. *epigr.* 41. & Latinus alter, *deriſor*, apud eumdem 1. *epigr.* 5. eujuſmodi & erant Hiſpanis olim, quos vocabant, *jugeos de eſcarnio. l.* 34. & 36. *tit.* 6. *part.* 1. Habes itaque prædamnatam ſacra prophetia, tamquam contrariam beatitudini voluptatem, abeundi, ſedendi, ſtandi in conciliis, viis, & Cathedris, ſeu ſocietatibus hiſtrionum.

19 Deinde ille alter prætextus recreationis populorum, quo tolerantia comœdiarum ſe tegit, & munit, & quidem probabilibus in ſpeciem argumentis, ex *l.* 4. *C. de paganis. l.* 1. *C. de Majuma. l.* 1. *C. de ſpect. lib.* 11. junctis, quæ in Theodoſiano

Codice

Codice *l. 2. de expenſ. ludor.* & apud Caſſiodorum *lib. 3. ep. 51. ad fin. & lib. 7. form.* 10. neque ſufficit tolerantiæ honeſtandæ, ſi comœdias, ut ſunt, & aguntur, agnoſcamus, tranſiiſſe ex indifferentibus ad noxias illecebras, & delinimenta vitiorum, & *vergere in proximi nocumentum*, ut de hiſtriotibus monuit D. Thomas laudato ſæpius *art.* 3. *q.* 167. *in* 2. 2. neque probat, eas tanquam neceſſarias, oblectamento populorum eſſe tolerandas, cum poſſit ei oblectamento, plerìſque aliis non inhoneſtis, noxiiſve ludicris provideri, qualia recenſere non noſtri otii, atque operæ eſt. At non omittimus pro politico ſenſu, quo nunc cenſemus, illud Clementis Alexandr. 3. *pædag. cap.* 11. *Si dixerint pro ludo aſſumi ſpectacula ad recreandos animos, dicemus non ſapere Civitates, quæ ludis tamquam ſeriis ſtudent.* Sic enim exprimo Clementis mentem, illic: *ὡς τὸ παίζειν σπουδάζεται*, & conducit non diſſimilis gnome in *l. 2. in fin. C. Theod. de offic. Rect. prov.* Sed & diſinimus, & pro auctario, & documento (atque utinam ſit) ruinæ Imperiorum, à Deo immiſſæ, propter theatralem luxum, ſubjungimus vel inviti, ac dolentes, quæ in eam rem de Romanis ſupra dedimus, præ aliis Zoſimum, utcomque Conſtantino Magno inſenſum, & injurium, politice tamen recenſentem inter cauſas ruentis Imperii, *quod milites ipſos theatris, & voluptatibus emollivit; unde & rerum hactenus pereuntium internecioni, principia, & ſemina ſubminiſtravit.* Et quidem adeo ut quo tempore Roma caperetur, & caderet, Romani *theatra quærerent, intrarent, implerent*, ut Auguſtinus deplorat *lib* 1. *de Civit. Dei, cap.* 33. & ut de Carthagine, ac Treveris Salvianus *lib.* 6. inter ipſa excidia, & poſt illa, *in theatris luxuriarent, per quæ prius perierant, quam periiſſent.* Quibus eſt conſentiens ex Paulo Oroſio Hiſpano Presbytero, & Auguſtinum inter, & Hieronymum ſanctæ amicitiæ ſequeſtro, de Romanæ ruinæ cauſis cenſura *lib. 4. hiſt. cap.* 21. ubi poſt illud Scipionis Naſicæ in theatrum, quod aſſerebat *inimiciſſimum fore bellatori populo ad nutriendam deſidiam, laſciviamque commentum.* Sic Oroſius: *Quamobrem intelligant noſtri (quibus extra oblectamentum libidinis occurrit, offenſio eſt) propter hoc, quod ſe infirmiores eſſe hoſtibus ſuis ipſi ſentiunt, & fatentur, theatra incuſanda, non tempora.* Et deinde conſerens Romam ante theatra, ac poſt illa: *Nam utique tunc nec hoſtes, nec fames, nec morbi, nec prodigia deerant, ſed theatra non erant, in quibus, quod incredibile dictu eſt, ad aram luxuriæ virtutum victimæ trucidantur.* Et concludit poſt hæc, & alia. *Quin potius Naſicæ erubeſcant, qui Chriſtianis exprobrandum putant, & non nobis de hoſtibus, quos ſemper habuerunt, ſed illi de theatro, quod haberi prohibuerat, conquerantur.* Concludimus & nos ejuſdem Naſicæ, quod Auguſtinus nuper laudatus Chriſtianum fecit, Oraculo. *Non eſſe felicem Rempublicam, ſtantibus mœnibus, ruentibus moribus.*

C A P U T XLVII.

Quarta aſſertio. Tolerantiam, probibitionemve comœdiarum, eſſe auctoritatis temporalis politicæ; eſſe etiam Eccleſiaſticæ, ſi Eccleſiæ, & Sacris noceatur; & utraque auctoritate contendente cui potius ſtandum?

A R G U M E N T U M.

Comœdias probibere, aut permittere, pertinere ad politicum regimen, ſenſit pridem Franciſcus Marcus, & poſt eum alii. Argumenta rei, tum quod publicorum morum honeſtatis, atque eapropter ſpectaculorum cura, & diſciplina, fuit ſemper Magiſtratus politici, vel poſt Platonis monita, ex Romanis legibus, quæ laudantur, & quidem primum Præfecti Urbis, ac poſtea voluptatum Tribuni: tum etiam quia, vel quoad Sacra, fuit auctoritatis, & curæ Chriſtianorum Cæſarum, probibere comœdias ſacris diebus, locis, perſonis; tum denique, quia vel antiqui Eccleſiæ Canones expetiere, ut Imperiali auctoritate comœdiæ probiberentur feſtis diebus, ut eſt in Africanis 27. & 28. & apud nos in Toletano 3. cap. 23. *qui & alii illuſtrantur. Et obiter de ludicris ſacro-feſti Corporis Chriſti apud nos conſuetis. Sed & eſt Eccleſiaſticæ diſtrictionis, coërcere hiſtrionum abuſus, queis Sacra offenduntur, de quo poſt Toletanum Canonem inſignis eſt* Regia lex noſtra 36. tit. 6. part. 1. *Jam in quæſtione de probibente Eccleſiæ Prælato, comœdias ſacro-feſtis diebus, & è contra illas ſuſtinente Magiſtratu politico extra Eccleſias, & poſt Sacra Officia, memoratur ex hiſtoricis monumentis in primis controverſiæ origo, & progreſſus apud Mediolanenſes. Deinde in illa facti ſerie, & ſtatu propenditur eo, ut potior fuerit cauſa Magiſtratus politici, utpote nitentis probabilibus ſententiis pro indifferentia. aut tolerantia comœdiarum, etiam feſtis diebus, poſt Divina Officia, contra quem licite adeo operantem jus non fuerit Eccleſiaſtico Prælato, Eccleſiæ cenſuris utendi. Communitur aſſertio hæc duabus aliis Prima circa pronunciatum illud Canonicum de auctoritate, & correctione Eccleſiaſtica, etiam extra Eccleſiam, & contra Laicos, ratione peccati. Ut in* cap. 13. de judic. *non eſſe extendendum ad abuſus probabiliter tolerabiles, ne alioquin Eccleſiæ, & ſeculi poteſtates paſſim turbentur, ut graviter Hoſtienſis, & Navarrus. Secunda eſt, ut quamvis Eccleſiaſticæ auctoritati ſtandum ſit, etiam in temporalibus, quando, & quatenus de his ſtatuit, ad ſublimiorem ſpiritualem finem contra politicas leges, aut mores peccaminoſos.* d. cap. 13. de judic. *non tamen in his, de queis nondum Eccleſia decrevit, eſſe illicitos. & quos indifferentes eſſe, probabiliter affirmatur, ac proinde à poteſtate politica non temere ſuſtinentur. Ut poſt gloſſam in* regula poſſeſſor, de reg. jur. *Bellarminus, Victoria, & alii. Exemplum rei apud nos in motu B. Pii* 5. de cenſib. *exempla item in aliis, quæ quamquam manifeſte mala, fecit tamen tolerabilia, vitatio deteriorum, aut aliæ politicæ cauſæ, ut de lupanaribus, & quadantenus uſuris, cenſuere graves Theologi, & poſt Cajetanum, Navarrus, Molina, Azorius, & alii.*

1 ABſolutæ politicæ in comœdias diſſertationi accedit & politicum prononciatum, ſive axioma, quale eſt, prohibitionem, aut tolerantiam comœdiarum, ſaltem noſtratium, & noſtris moribus, pertinere in primis, & proprie ad auctoritatem politicam temporalis Regiminis; id quod de *farſis galanorum*, ut vocat, ſenſit pridem Franciſcus Marcus *deciſ. Delphin.* 123. *ex num.* 5. *partis* 2. & aſſerte magis Menochius *in additis ad caſum* 69. *lib.* 2. *de arbitr. num.* 36. & 48. Petr. Gregor. *lib.* 39. *ſyntagm. cap.* 3. *num.* 27. Roder. Acuña in *cap. Donare* 7. *num.* 1. 86. *diſtinct.* Bovadill. *lib.* 5. *Polit. cap.* 4. *num.* 24. nec diffitentur ex Eccleſiaſticis, Julius Chartarius *deciſ. crimin.* 20. *num.* 113. & *ſeqq.* Antonius Ricciullus *de perſonis, quæ in ſtat. reprob. lib.* 5. *cap.* 15. *n.* 3. & *cap.* 16. *n.* 1.

Sunt autem ab auctoritate, & ratione argumenta, tum quod vivendi honeſte præceptio, & publicorum morum, atque inde theatri extruendi permiſſio, & ſpectaculorum, ac ſcenæ diſciplina fuit ſemper Magiſtratus politici cenſuræ, & curæ, & præ cæteris Præfecti Urbis, *l.* 1. §. *Quies* 12. *D. de off. Præſ. Urb. & Rectoris Provinciæ*, qui & ideo mancipatus popularitati, & ſpectaculorum editioni 2

dicitur in *l. 2. C. Theod. de offic. Rector. prov.* junctis *l. 3. D. de operib. publ. l. 1. Cod. de expenſis ludor. l. un. Cod. de Majuma*, cum *l. 1. & 2. Cod. Theod. tit.* Plioins *epiſtol. lib. 4. ep. 22. ad Sempronium*, ubi de Viennenſi agone. Salvianus *lib. 6. de Treveris.* Caſſiodor. *lib. 1. epiſt.* 32. *& lib. 6. form.* 4. Tacitus illo loco de ludorum licentia, Principe, ac Senatu auctoribua ex *lib.* 14.

3 Uode & ex vetere Platonis monito 1. *de legibus*, ac 7. *de Republ.* de examinandis publica recenſione tragicis Poëmatiis (ſicut hodie apud oos comœdiarum cenſutæ Regius Conſiliarius præficitur, quem & Cenſorem malim vocari, quam Protectorem) præfuit eidem rei, & honeſtatia in ſcenis tutelæ apud Romanos Tribunus ille voluptatum, in *l. ult. cum inſcriptione, Cod. Theodoſ. de ſcenicis* & poſt Suetonium in *Tiberio cap.* 42. apud Jul. Firmicum, qui *Præpoſitum voluptatum* vocat, *lib. 3. cap.* 10. Caſſiod. 7. *form.* 10. *& lib. 6. form.* 19. *& lib. 5. epiſt.* 25.

4 Tum etiam quia non modo in profanis fuit politicæ auctoritatis, & præcautionis Chriſtianarum legum, & Principum Præfectura comœdiarum, ſed etiam prohibere, & cavere, quoad ſacra, & religioſa, veluti, ne ſcenici, aut mimi ſchemate religioſo, aut monaſtico in ſcena uterentur. *l. Mimæ 5. Cod. de Epiſc. aud. Novell.* 123. *de ſanctis Epiſc. ult. l. 36. tit. 6. par.* 1. de queis jam nos *lib. 3. cap.* 30. ac ne Dominicis, aliiſque ſacro-feſtis diebus theatrales ludi ederentur. *l. ult. cum l. Omnes 6. Cod. de feriis. l. Dominico 5. & l. 2. in fine*, ad quas Briſſonius, & Gothofredua, *Cod. Theod. de ſpectac.* Capitularia Caroli *lib. 6. cap.* 193. neque intra Templa, ſive Eccleſias. *l. ſi qua, verſ. Neque unquam, Cod. de ſpectac. lib. 11. l.* 4. neque ab Eccleſiaſticis ipſis. *l. ult.* §. 1. *Cod. de Epiſcop. aud. l. Placet 17. l. Parabolani 18. in fine, Cod. de Epiſcop. & Cleric. l. Quia 42. cum ſeq. Cod. Theod. eod. tit.* Capitularia *in addition.* 3. *Ludovici, cap. 27. & 42. dict. l. 34. tit. 6. part. 1. l. 57. tit. 5. part.* 1. quæ ſumpta eſt ex *Novell.* 123. *de ſanctis Epiſcop. cap. ultim.*

5 Tum denique, quia hæc ſingula quoad Sacra, quamvis itidem ſacria Canooibus caveantur. *cap. Cum decorem 12. cap. Clerici 15. de vita & boneſt. Cleric. cap. unico, eodem tit. in 6. cap. Inter dilectos 11. de exceſſib. Prælat. Clement. unic. §. Nonnulli de celebrat. Miſſar.* & ex Conciliia Laodiceno, Carthaginenſi, Agathenſi, & Toletano. *cap. Irreligioſa 2. de conſecr. diſtinct. 3. cap. Non oportet 31. de conſecr. diſtinct. 5. cap. Qui die ſolenni 66. de conſecr. diſtinct. 1. cap. Presbyteri 19. 34. diſtinct.* cum aliis ſupra allatia, queis volcos adjungo de comicia illis repræſcotationibus, tripudiiſque Sacroſancti Corporis Chriſti Feſto (in quo ſola pſallere fides, & tripudiare ſpes debebat, ut eſt io Clement. *unic. de reliq. & vener. Sanct.*) miſceri apud nos ſolitis, graviſſimam querelam divinæ revelationi accedentem venerabilium M. Joannis Davila, & D. Sanctiæ Carrilliæ, quarum meminere in *utriuſque vita* Martinus Roa, & ex eo Ludov. Munoſius in *M. Avila lib. 2. cap.* 14. Expreſſere tamen idem Sacri Canones, petendum eſſe ab Imperatoribus, atque eos moneri, ut prohiberent theatralia feſtis diebua, de quo ſunt nobiles Coocilii Africani, ſive ex Africania *Canones* 27. *&* 28. qui apud Balſamonem inter Carthaginenſes *cap.* 63. *&* 64. Burchardum *lib. 10. cap.* 35. & agnoſcit ſaltem in commune Coocilium Mediolanenſe 1. ſub D. Carolo *part. 2. cap. de biſtrionib.* illia verbis: *De bis etiam Principes, & Magiſtratus commonendos eſſe duximus, ut biſtriones, & mimos, cæteroſque circulatores, & ejus generis perditos, e ſuis finibus ejiciant.* Quamquam, ut vel initio poſui, apud nos ſacris, Regiiſque legibus, hiſtrionum abuſus, etiam quoad Sacra, prohibentur politica auctoritate, & puniuntur, ut liquet ex Coocilio Toletano 3. *Can.* 23. illic: *Et judicum curæ. d. cap. Irreligioſa 2. de conſecr. diſtinct.* 2. Et proditum eſt in *l. 36. tit. 6. part.* 1. ubi de abutentibus monaſtico habitu in deriſoriis ludis, ita: *Ca eſtas coſas tambien los Prelados, como los Judgadores ſeglares de cada un lugar las deven mucho eſcarmentar, que non ſe fagan.*

Plane nec diffitemur, eſſe etiam Eccleſiaſticæ 6
auctoritatis & muneris, prohibere & coërcere comœdiarum abuſus, ſi vel ſint in ludibrium ſacrarum rerum, aut veſtium, ut exprimitur *ſeptempartita illa lege* 36. quamvis hoc ipſum Eccleſiaſticis neget Gallicana licentia, Franciſcus Marcus *dict. deciſ. 123. ex num.* 5. vel ſi intra Eccleſias hiſtrioniei abuſus committantur, quorum exterminatio in Hiſpania noſtra, jam olim *Sacerdotum, & Judicum curæ* committitur, ut eſt in *d. Toletano cap. Irreligioſa.* Quocirca & intra eos terminos, eorumque abuſuum coërcitio eſt cenſenda mixti fori, tam Eccleſiaſtici, quam ſecularis. Idque vel ex eo, quia abuſus iſti contra Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum decorem, habeot ſpeciem ſacrilegii, quod utriuſque fori eſt. *cap. Cum ſit generale 8. de foro compet. cap. Felicis 5. §. Per hoc, de pœnis in 6. l. ſi quis in hoc genus 10. Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Atque hæc fere in confeſſo ſunt ioter eoa, qui de re in ſpecie cenſuere, Menochium, Chartarium, Ricciullum, alioſque laudatos ſupra, quamvis non perinde diſtioguant, aut probeot. At licebit, addas Henricum Botteum *de Synodo Epiſcopi 3. part. art. 1. num. 189. &* 191. Gratianum *diſcept. forenſ. 1. tom. cap. 154. num.* 25.

Illud non perinde in confeſſo, ſed controverſæ 7
omoino, & acria quæſtionia fuit io Mediolanenſi Provincia, an ſacro-feſtis diebus prohiberi deberet comœdiarum uſus, &, quod potiſſimum, au prohiberi poſſet à Prælato Eccleſiaſtico, contra permiſſionem Magiſtratus politici, & cui potius in ea re auctoritati ſtari oporteret. Initium controverſiæ ſub Divo Carolo Borromeo, cujus de prohibitione ludicrorum ſpectaculorum feſtia diebus, Decretum fuit in Mediolanenſi Concilio 1. *part. 1. cap. de feſtorum dierum cultu*, & ſignate de comœdiia, oe feſtis diebus agerentur, *ſaltem horis, quibus divina celebrantur Officia*, in Mediolanenſi 3. *tit. 1. §. Quoniam in fine, cum ſeq.* Ubi, & in præfatione illius tituli præmittitur pro ratione prohibitionis, obſervantia feſtorum dierum cultus, commendata Tridentino Concilio Epiſcoporum curæ, ne violentur abuſibus laſciviæ, & luxus. Revixit deinde, & quidem acrius controverſia ſub Cardinali Federico Borromeo Mediolanenſi Archiepiſcopo, à quo & extenſa comœdiarum prohibitio ad integros feſtos dies, etiam poſt divina Officia, & ad carcerationem ruſticorum in feſtis, & poſt Officiorum horas tripudiantibus, edito in id libello, quem inſcribebant, *tripudiorum.*

At è contra ſtetere, ſicut coævi Carolo Medio- 8
lanenſis Status Gubernatores, Terranovæ, & Albuquerquii Duces, & Requeſenius Commendatarius major, ita in Federicum Velaſquius Comeſtabilis, contendentes cumprimis, utcumque in ſacro-feſtis, ac præſertim, divinorum Officiorum horis honeſtiſſima, & optanda ſit evitatio comœdiarum, rem tamen eſſe monitionis (cujuſmodi fuiſſe ajebant illud Decretum Caroli, io primo Mediolaoenſi Concilio) potius quam præceptionis, & prohibitionis pœnalia, per Eccleſiaſticos Prælatos, maxime cum comœdiarum actio, ſit res non tantum tolerabilis, conſuetudine, & aliis de cauſis, ſed etiam per ſe indifferens, neque licere Epiſcopis debeat, ea, quæ peccata oon ſunt, pœnalibus legibus coërcere, præſertim contra populi Mediolaneoſis cooſuetudinem, *cui potius conniventum, ſuoque ingenio relinquendum erat, ne forte pejor exiſteret, ſi probiberetur*, ut Ambroſianis verbis, contra Eccleſiæ Ambroſianæ Antiſtitem, expendebat Mediolanenſis Senatua ex *cap. Denique 4. verſ. Unde, 4. diſt.*

Extat

Google

9 Extat hæc controverſiæ ſumma, illiuſque veluti motus, & momenta *in relationibus* Antonii Herreræ de his, aliiſque Mediolanenſibus, illius temporis, controverſiis *cap.* 2. *&* 5. *&* 7. pleniuſque in fere apologeticis epiſtolis Cardinalis, & Comeſtabilis ab iſto editis, inter Acta illarum controverſiarum *pag.* 24. *&* 55. *cum ſeqq & pag.* 90. Meminere & Ludovic. Cabrera in *Philippo II. lib.* 9. *cap.* 22. *ad finem.* Joſephus Ripamontius in *hiſtoria Eccleſiæ Mediolanenſ. pag.* 3. *lib.* 4. *&* 5. Ludovicus Munnoſius in *vita D. Caroli, lib.* 6. *cap.* 9. & de controverſia ipſa, ac poſt eam cenſentes, ac fere certantes Jacobus Menochius, noſter in Præſidatu Mediolanenſi extraordinarii Magiſtratus deceſſor, & Comeſtabilis primarius Aſſeſſor *in addit. ad caſum* 69. *lib.* 2. *de arbitr.* & Julius Chartarius Cardinalis, Federici Vicarius *deciſ. illius fori* 20. Fuit porro contentionum finis, & exitus, poſt multa, magnaque Apoſtolicæ & Regiæ pietatis, & prudentiæ officia, ut deinceps comœdiæ, & tripudia feſtis diebus (& omnino Paſchalibus, & Quadrageſimalibus, ac feria ſexta) quibus horis Divina Officia in Eccleſiis aguntur, prorſus ceſſarent (ſicut neque aliud, ultrave prohibuit D. Carolus, Decreto illo Mediolanenſis Concilii 3. cujus verba ſupra deſcripſimus, & id ipſum cautum Edicto Terranovani Ducis, & à Comeſtabili ad Veſpertinas itidem, & Completorii horas extenſum, & deſignati examinandis comœdiis Cenſores, ut videre eſt *in Actis laudatis pag.* 257. *cum ſeqq. &* 274.) at extra eos dies, & horas tolerarentur tripudia, & comœdiæ *delli Comici*, ut vocabant, *uniti.*

10 Jam ſi & à facti ſerie, & fine ad controverſiæ ipſius ex Jure cenſuram tranſire vacet, & quidem ad id, in quo erat, ut ajunt, controverſiæ prora & puppis, an ſcilicet ſuſtinentibus comœdias, aut tolerantibus Regiis Magiſtratibus, intra dierum feſtorum horas, politicis Edictis permiſſas, jus fuerit Mediolanenſi Archiepiſcopo Federico, etiam intra illas horas permiſſas, prohibere comœdiarum uſum Eccleſiaſtico præcepto, & cenſuris, crediderim, ut ſine præjudicio, & quod ſentio ſcribam, id juris non fuiſſe. Pro quo in primis eſt fundamentum ex re ipſa, ſive materia ſumptum, quia cum comœdiæ ſint, aut cenſeantur, ſaltem probabili opinione, res ſua natura indifferens, & perinde licita, vel quod fere non eſt, qui inficietur, ſint utcumque per ſe non licitæ, tamen tolerabilis in Republica uſus, ob politicos honeſtos fines recreationis populorum, & vitandi graviora mala, & conſuetudinis provinciarum, quibus tolerantiam hanc fieri licitam, & indulgeri poſſe à Principibus, ſine ulla conſcientiæ noxa, affirmavimus ex communi Theologicæ, & Canonicæ Scholæ ſenſu ſupra. Et quod in ſpecie eſt, feſtis etiam diebus, poſt peracta Divina Officia, licita eſſe hæc ſpectacula eiſdemque intereſſe, ſcripſerint graves Theologi, Silveſter in *Summa verb. Choreæ, num.* 2. Angelus Clavaſius *in Summa, & eodem verbo, num.* 1. ex Suario *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de diebus feſtis, cap.* 27. *num.* 5. Ricciullus *de perſon. quæ in ſtatu repr.* 5. *cap.* 5. *num.* 4. nihil juris eſſe potuit Archiepiſcopo Mediolanenſi, rei indifferentis, aut ſaltem licite tolerabilis, uſum prohibere, & multo minus uti cenſuris Eccleſiaſticis contra Magiſtratus, aut populos, cum probabili, aut certa opinione licite operantes.

11 Adjicimus ei fundamento communiendo unam, atque alteram, & quidem nobiles, & uſui futuras, in ſimilibus controverſiis præceptiones. Prima eſt, dictatum illud Canonicum, rectumque, quo docemur, Pontificiæ auctoritatis, & muneris, & Eccleſiaſticæ juriſdictionis eſſe, decernere, procedere, & corrigere ratione, ut ajunt, peccati, & coërcere illius nutritivas corruptelas, & abuſus in Chriſtianis Regnis, perſonis, & cauſis. *cap. Novit* 13. *verſ. Non enim, de judic. cap.* 1. *de offic. ordin. cap.* 1. *de torneam.* Div. Thomas *de regim. Princ. lib.* 3. *cap.* 10. *verſ. Quamvis in omnibus.* Div. Bernard. 1. *de conſider. ad Eugen. cap.* 6. tamen ejus dictati, & auctoritatis, juriſdictioniſque Eccleſiaſticæ uſum extra Eccleſiaſticas perſonas, & cauſas, & erga laicos, non niſi temperate, & ſobrie expediri oportere, & in his ſolis peccatis, quorum ſint manifeſti, & graviter pernicioſi Reipublicæ Chriſtianæ abuſus, cujuſmodi illi, de queis in *cap.* 1. *de torneam. cap. Ex parte* 10. *de conſuetud. cap. ult. de præſcript.* & qui à Principibus, & politicis legibus non corrigantur, ſed ſine probabili excuſatione permittantur, aut tolerentur. Quippe alioquin, ſi prætextu qualiſcumque peccati in laicis, de quo & an peccatum ſit, diſceptetur, vel à ſeculari Principe coërceri poſſit, vel tandem in quo interim probabilibus ex cauſis connivet, & tolerat (quæ ſingula comœdiis aptari, jam ſupra expreſſimus) eſſet paſſim, promiſcueve exerendi, & exercendi Eccleſiaſtici gladii jus, turbarentur omnino Eccleſiaſticæ, & temporalis poteſtatis fines, & jura, cum gravi utriuſque, & Chriſtianæ Reipublicæ damno, ac diſpendio, ut judicioſe, docteque admonuit Cardinalis Hoſtienſis in *d. cap. Novit* 13. *col.* 2. Bartolus in *Extravag. ad reprimendam, §. Denunciationem, num.* 9. Navarrus *in dict. cap. Novit, notab.* 6. *num.* 20. *&* 22. quos & Bellugam, alioſque laudavimus ſupplici ad Sanctitatem Alexandri Septimi *libello de Epiſcopatibus Portugalliæ, propoſit.* 4. *q.* 5. & in quæſtione hac ipſa, ex Belluga Menoch. *d. addit. caſus* 69. *num.* 39. *& de juriſd. Imper. & pot. Eccleſ. & Secul.* quos, ex dono Mediolanenſis Regii Senatus, manuſcriptos habemus, *lib.* 3. *cap.* 14. *§. Accedit*, ubi in eumdem ſenſum laudat Fulgoſium in *Authent. Clericus, n.* 5. *Cod. de Epiſc. & Cleric.* ac veluti pendente ſenſu, & calamo noſter Gonſalius *ad caput Novit, num.* 7. *& in fine, de judic.*

12 Secunda præceptio eſt, quantumque temporalis, ſeu politica auctoritas, ſit dignitate inferior, poteſtate Eccleſiaſtica, atque huic potius, & ejuſdem auctoritati, & legibus ſtandum ſit, etiam in temporali ſtatu, quando, & quatenus ad ſpiritualem ſublimiorem finem neceſſe eſt, & contra politicas leges, aut conſuetudines peccati nutritivas Eccleſia ſtatuit, ac procedit. *d. cap. Novit* 13. junctis *cap. Solitæ* 6. *de majorit. & obed. cap. Duo ſunt* 10. 96. *diſt. cap. Lege* 1. *cum ſeqq.* 10. *diſt.*

13 Eſt tamen è contrario ſtandum potius auctoritati politicæ, duobus ſaltem caſibus. Uno, ſi materia ſuo genere ſit temporalis, & politica, de qua nondum Eccleſia definierit, illicitam & peccaminoſam eſſe, quinimo eam licitam eſſe, & indifferentem probabiliter affirmetur, quamvis Eccleſiaſticus Prælatus aliquis eam, ut illicitam, prohibeat, cum è contra Magiſtratus politicus eamdem ex politicis, neque inhoneſtis reſpectibus tueatur. Sic ex ſententia Gluſſæ Canonicæ in *Regula, poſſeſſor, verbo, Poſſeſſor, de reg. jur. in* 6. Bellarmin. 1. *tom. lib.* 5. *de Rom. Pontif. cap.* 6 *§. Quantum ad leges.* Franciſcus Victoria *relect.* 1. *de poteſt. Eccleſ. ſeſſ.* 6. *num.* 14. Conducunt quæ *de Conſtitutione* Pii V. *de cenſibus* non prævalitura politicis legibus, moribus qui eam non receperunt, in illis, quæ non manifeſte ex naturali, aut divino Jure, aut omnino, tamquam ad ſalutem animæ, neceſſaria, illic ſtatuuntur, diſſeruere Navarrus in *comment. de uſuris, ex n.* 105. *&* 108. Molina *de juſt. diſp.* 392. *num.* 1. in fin. Joannes Salas *de contract. tract.* 3. *de cenſib. dub.* 6. *ex n.* 4.

14 Conducunt etiam, quæ de diſtinguendis Eccleſiaſtica, ac ſeculari poteſtate, neque illa, niſi urgente ſpirituali neceſſitate, ad temporalia producenda, edocentur in *dict. cap. Duo ſunt* 10. *cap. Cum ad verum* 6. 96. *diſt. c. Cauſam* 7. *c. Per Venerabilem* 10. *verſ. Inſuper cum ſeqq. qui fil. ſint legit. cap. Si duobus* 7. *§. denique de appell. d. cap. Novit, & d. cap. Solitæ*, & de ſuſtinendis receptis Regnorum legibus politicis, reverenter ſimul, & viriliter, niſi manifeſte ſint malæ, ne novis Ec-

cleſiaſticis Decretis evertantur, cum turbatiooe provinciarum, argumeoto ex nobili ad rem *textu in cap. Quod dilectio de conſanguin. & affinit.* tradidere poſt Innocentium in *cap. Inquiſitionis* 44. *num.* 3. *de ſentent. excomm.* Fraoc. Marcus *Decis. Delphin.* 445. *num.* 27. *& ſeqq.* Henriq. *de Pontific. clave lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 5. & ut alios, quorum alias meminimus, nunc ſileamus, ooviſſime, & erudita recenſione Petrus Marca Pariſienſis Archiepiſcopus *lib.* 3. *de concord. Sacerd. & Imp. cap.* 15. *num.* 8. *& ſeqq.*

15 Alter caſus eſt, ſi in eodem materiæ geoere temporalis, & profanæ conſtet, illius uſum eſſe peccaminoſum, & ut talem ab Eccleſia damnari, aut prohiberi, & tamen lex politica noo eum probet, vel promoveat, ſed tamquam minus malum ad vitanda majora, aut ex aliis politicis, neque improbabilibus cauſis ſuſtineat ioterim, & toleret: quo etiam caſu ſtandum potius in re, & foro politico, auctoritati politicæ toleranti, quam Eccleſiaſticæ prohibenti, liquet vel ex Eccleſiæ ipſius, in Eccleſiaſticis ſimilibus tolerantiis, exemplo, & documento. *cap. Denique, verſ. Unde* 4. *diſt. cap. Etſi illa* 23. 1. *quæſt.* 7. *cap. Ut conſtitueretur* 25. *in fine*, 50. *diſt. c. ultim. de tranſact.* & quidem etiam quoad ſeculares in Eccleſiaſticis uſurpationes. *cap. Nihil.* 2. *de præſumpt.*

16 Et exempla notiſſima ſunt, non tantum rei intrinſece, & aperte malæ, cujus uſum Eccleſiaſtica, & politica auctoritas tolerat, veluti lupanarium, de queis copioſe alibi. Et tolerari poſſe lege politica, quamvis Eccleſiaſtica prohiberentur, io ſpecie cenſuit Wadingus *de contract.* apud Dianam *tom.* 9. *tract.* 9. *diſp.* 14. Sed quod & in propoſito magis ſtringit in uſuris, quas utcumque illicitas, & prohibitas, Caoonicis legibus, ut in *Clement.* 1. *de uſur. cap. Super eo* 4. *cap. Poſt mirabilem* 12. *eodem tit.* poſſe adhuc à Principibus Supremis, in Regnis ſuis tolerari quadantenus, ac permitti ad vitanda graviora mala, & politicis legibus tolerantibus licite ſtari, contra Canooicas prohibentes, reſpondit, poſt Joanoem Andream, inſignis Navarrus *toto conſil.* 3. 4. *&* 5. *de Judæis*, ex profeſſo Azorius conjungens huic exemplo, illa tolerantiæ lupaoarium, & comœdiarum *tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 8. *cap.* 22. §. 13. *& ſeqq. & lib.* 2. *cap.* 10. Molioa Theolog. *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 203. *num.* 19. *verſ. Nihilominus.* Poſt alios Fragoſus *de regim. Reip. tom.* 1. *lib. diſp.* 2. § 4. *num.* 177. alii apud Gaſp. Theſaurum *conſil. ſuo poſt deciſionem* 57. *Patris Theſauri.* Farinac. *in fragm. crim.* 2. *part. litt. I. num.* 672. Antonioum Dianam, contrariæ licet ſententiæ adhærentem, *tom.* 9. *tract.* 9. *diſput.* 14. & videtur ſeoſiſſe omnino Cajetanus, nec præter D. Thomæ mentem, *ad* 2. 2. *q.* 78. *in reſponſione ad* 2. *&* 3.

Summa jam, & veluti periochæ ſint eorum, quæ de hodiernis comœdiis diſſeruimus, quatuor Aſſertiones ſequentes.

Prima, hodiernas Comœdias, quæ, & cujuſmodi in uſu ſunt, non poſſe noſtro ſenſu, &, ut credimus, receptiore, ac ſaniore, cenſeri inter res licitas, aut indifferentes.

Secunda, eaſdem comœdias, & illarum tolerantiam licitam eſſe, ſine noxa conſcientiæ publicæ tolerantis.

Tertia, earumdem comœdiarum tolerantiam, juſta politica cenſura, non eſſe expedientem publicis moribus, ac potius expedire, ut non tolerentur.

Quarta, tolerantiam, prohibitionemve comœdiarum, eſſe auctoritatis politicæ, & eatenus Eccleſiaſticæ, quatenus Eccleſiæ, & Sacris offenſivæ ſint, & contendentibus politica tolerante, & Eccleſiaſtica prohibente, ſtandum politicæ, niſi quatenus Eccleſia, & Sacra offendantur.

A D

AD LEGES
JULIAM, ET PAPIAM
COMMENTARIORUM
LIBER TERTIUS.
IN QUO AUCTARIUM JUSTO - POLITICUM
DE AUCTORITATE ECCLESIASTICA ET POLITICA ET UTRIUSQUE CONFINIIS CIRCA MATRIMONIA, ET VIOLENTIARUM RECURSUS.

AD CAPUT JULIÆ, PAPIÆQUE LEGUM.
QUO PERMISSA INGENUIS CONNUBIA CUM LIBERTINIS;
AD LEG. LEGE PAPIA 23. D. DE RITU NUPTIAR.

CAPUT I.
ARGUMENTUM.

Caput hoc vel primum, vel proximum illi de Senatorio connubio, & conſentaneum fini legum de maritandis ordinibus. Fuit in primis ex lege Julia, *& ex illa in* Papiam *translatum.* Εὐγενὴς, *proprie ingenuus, non patritius. Connubium, priſco* Jure Rumano, *non fuit ingenuis cum libertinis; illuſtratus* Livii *locus de* Hiſpalla Fecennia, *& notata* Hotmani *oſcitantia. Impares nuptiæ habitæ ſemper Romæ, pro non juſtis, & libertini impares ſtatu, & dignitate. Inde inter alia erat, ut libertini eſſent ſine Tribu, & maxime ſine Tribu Ruſtica, quæ ingenuorum, & honeſtiorum, niſi impetraſſent. Relata huc ex* Pandectis l. 35. de leg. 3. *& aliæ. Libertini vix milites adlegebantur, niſi penuria ingenuorum, & tunc diſcreti ab illis, aut ſepoſiti ad militiam nauticam, aut vigilum, ac de his* Ulpiani *locus* tit. 3. *& dubitandi ratio* ad l. 8. §. 6. D. de excuſ. tut. *Ingenui eadem ratione excuſati à tutela libertinorum, & ingenuæ patronæ, quoad Jus liberorum, ſicut ingenua mater, quoad ſucceſſionem ex* Tertylliano, *diſcretæ à libertinis. Diſcreti itidem quoad annules libertini ab ingenuis, atque his tandem Juris auctorum ævo aurei in uſu, etiamſi equites non eſſent, in quo defenſus contra antiquarios* Iſidorus. *De* Viſellia *lege, quæ, & quando lata in libertinos, qui ingenuorum honores attentarent. Relatus ad eam legem* Paulus 5. ſent. tit. 25. §. ult. *&* Tertullianus, *de qua &* Garidas Scholiaſtes Baſilicon. *Practico-politica illatio in degeneres, qui ſe generoſis ſtirpibus inſerunt, & qui inſignia nobilitatis indeptæ, aut dignitatis, aut ſcientiarum gradus uſurpant,* ad leg. unicam. Cod. de mutat. nom. l. 27. §. ultim. D. ad leg. Cornel. de falſis.

1 Fuiſſe hujus Capitis cautionem vel primam, vel ex primis Juliæ legis, per quam ſimile vero eſt, ut pote quæ primario illius legis fini congruebat, de maritandis ordinibus, nempe equeſtri, & plebeio (in queis Romani Cives omnes ingenui, præter Senatorios, cenſeutur) maritando cum libertinis. At quoniam præcedente libro Caput de Senatorio connubio, tamquam auctographum, & primarium, priorem ſibi commentationem veluti uſurpavit, ſubjungimus continenter hanc ad hoc Caput, illi ordine, & materia proximum, & adfine.

2 Cautum ergo inter prima fuit lege Julia, ut omnibus ingenuis libertinas uxores habere liceret, exceptis Senatoriis. Teſtis Dio Caſſius *lib.* 54. *Hiſtor. &* 56. *in Oratione Auguſti ad Cælibes:* καὶ ἐξελευθέρας τάς γε ἔξω τοῦ βουλευτικοῦ ἔσω, ἄγεσθαι συνεχώρησε. In queis vertendis notatus aliis jam Xylandri error, qui τὸ εὐγενὲς, *patricium* reddidit, cum, *ingenuum*, potius deberet. Eſt enim, Εὐγενὴς Græcis *ingenuus*, ut oſtendunt Harmenop. *lib.* 1. *Promptuarii tit.* 18. § 1. Theophilus 1. *Inſtit. titul.* 14. ibi: καὶ εὐγενής ἐστιν, ὁ εὐθέως ἅμα τῷ τεχθῆναι, ἐλεύθερος ὤν. Et apud Galenum *libro de cognoſcend. & curand. animi morbis*, ἡμεῖς τῶν ὀνομαζομένων εὐγενῶν, hoc eſt, *nobis qui ingenui nominamur*, non, ut vulgo redditur, *nobiles, & generoſi*. Eſt itaque ſententia verborum Dionis priori loco hæc: *Jam vero, quoniam maſculi ingenui numerum ingenuarum fæminarum multo anteibant, voluit etiam libertinas ab omnibus, exceptis Senatoribus, duci uxores poſſe, filioſque inde*

ſuſceptos juſtos eſſe, conſtituit, poſteriori autem loco ita: *Libertinarum quoque matrimonia, his, qui patritii non eſſent, conceſſit*; tranſcripſit ex Dione Zonaras 2. *Annal.* Porro hoc caput Papiæ legi adſcribitur à Celſu *in l. lege Papia* 23. *D. de ritu nupt.* cum tamen proprium fuerit, primumque legis Juliæ, ut jam diximus: ſed tranſlatum à Julia in Papiam, & repetitum, ideoque utrique adſcribitur ab Ulpiano *in Fragm. titul.* 16. §. *aliquando*, ut obſervavimus *lib.* 1. *cap.* 3.

Sed de occaſione, & cauſa legis noſtræ in hoc 3
capite, jam videamus; cui referandæ, præmonendum breviter eſt, connubium, ſive, uxoris Jure ducendæ, facultatem, ut Ulpianus definit *tit.* 5. §. *connubium*, non ſolum ex ætate, aut ſanguine, ſed etiam ex Natione, Dignitate, & Statu, Romanis legibus, & moribus æſtimari. Itaque neque Civibus Romanis cum peregrinis, aut Latinis, aut ſervis, neque patritiis cum plebeiis, neque ingenuis cum libertinis fuit jus connubii. Sed de prioribus commodius alibi, & de patritiis cum plebeiis, ex profeſſo ſupra *lib.* 2. *cap.* 1. Poſtremum autem hoc, quia ad hujus capitis diſquiſitionem proprie pertinet, plenius firmandum eſt. Plane fluxiſſe hoc jus ex legibus decemviralibus, quibus quemadmodum ademptum connubium patritio cum plebeia, teſte Dionyſio Halicarn. *lib.* 10. *Antiq.* Livio *lib.* 4. ita & ingenuo cum libertina, credidit Lipſius. Ego hujus conjecturæ quis auctor, fundusve dari poſſit, ignoro: illud ſcio, fuiſſe ante leges noſtras certum, receptumque, quod ſupponimus, non eſſe ingenuo

cum libertina conjugium. Ideoque tales nuptias Antonio exprobrat Cicero *Philipp.* 2. *Quæ amentia, eſt*, inquit, *eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cujus pater Numitoriam Fregellanam, proditoris filiam, habuerit uxorem, ipſe ex libertini filia ſuſceperit liberos.* Concludit Livii locus inſignis *lib.* 39. ubi Hiſpallæ Fecenniæ libertinæ, indicique Bacchanalium, conceſſum ſpeciali Senatuſconſulto pro præmio refert, *uti datio, diminutio gentis enuptio, tutoris optio item eſſet, quaſi ei vir teſtamento dediſſet; utique ei ingenuo nubere liceret, neu quid ei, qui eam duxiſſet, ob id fraudi, ignominiæque eſſet*, quo de loco multa recte Turneb. *lib.* 30. *adverſ. cap.* 25. Hotman. *lib.* 3. *Obſerv. cap.* 16. illud non recte, quod in extremo Hotmannus ſcribit, jus ingenuo nubendi, non ideo Hiſpallæ datum, quod alioquin libertinam ingenuo nubere, jus non eſſet, ſed quia corpore quæſtum fecerat. Mihi utrumque in cauſa fuiſſe, videtur, ut Hiſpalla jure ingenuo nubendi egeret, & quod libertina, & quod meretrix. Aliter, nec miror, Jacob. Guther. *de veteri Jure Pontificio lib.* 2. *cap.* 7.

4 Porro hujus ſeu conſtituti, ſeu recepti ante leges noſtras juris ratio non incerta eſt. Quippe impares nuptiæ, ſive inter inæquales ætate, aut conditione perſonas, inauſpicatæ ſemper habitæ, & infelices, vel ex Sophorum Græciæ ſententia. Notum Solonis illud, cujus Auſonius meminit in ludo ſapientum:

Par pari jugator conjux, quod impar eſt, diſſidet.

Nec aliter Chilo apud Stobæum *ſerm.* 68. *γάμως ἐυγενῶς καὶ ἰσοτίμως ποιεῖν*: hoc eſt, *æquales nuptias eſſe jungendas*; nec plura promo ex hoc Myrothecio. Ad Romanum potius Jus redeo, quo inſpecto jam inde ab Urbis cunabulis impares nuptiæ pro legitimis non habentur, ſive non jure contrahuntur, ut deteſtatur Boëtius *in Ciceronis Topica.* Recte itaque D. Iſidorus *lib.* 9. *Origin. cap.* 8. connubium dici, aït, *Cum æquales in nuptias coeunt, ut, puta, Cives Romani, pari utique dignitate.* Et alluſit aperte Apuleius *lib.* 6. *Metamorph. Jam faxo*, ait Jupiter, *nuptias non impares, ſed legitimas, & Juri Civili congruas.* Et paulo ante apud eumdem Venus, *impares nuptiæ, & præterea in Villa, ſine teſtibus, & patre non conſentiente factæ, legitimæ non poſſunt videri.* Unde illuſtranda ſunt, quæ de paribus nuptiis legimus *in l. viduæ* 18. *Cod. de nupt.* quæ eſt *lex* 1. *Cod. Theod. eod. tit.* præcipue autem vetus illud juris aſſertum, quod obtinuiſſe, Juſtinianus aït, ut matrimonia inter impares honeſtate perſonas contrahenda, non aliter valerent, niſi dotalia inſtrumenta confecta eſſent *l. imperialis* 23. §. *ino*, *Cod. de nupt.* de quo non pauca ſupra vulgi captum nos *ad l. à caligato* 21. *Cod. de nupt. lib.* 2. *cap.* 40.

Ergo, cum matrimonia, inter impares ætate, aut
5 dignitate perſonas, legitima non eſſent Jure Civili, non in obſcuro ratio eſt, cur eodem antiquo Jure ingenuis Civibus Romanis non eſſet cum libertinis connubium, quippe libertini (etiamſi eos ita nomines, qui ex libertis ſunt procreati, priſca notione de qua ſupra *lib.* 2.) diſcrepant tamen valde ab ingenuis, ſtatu, & dignitate, cum ingenui eodem jure priſco hi ſoli dicerentur, qui patrem, avumque ingenuum habuiſſent, ut ex Livio *lib.* 10. obſervatum aliis; libertini vero hi, quorum parentes ſervierunt ſervitutem, cujus maculam, quodammodo inuſtam, eluere non potuerunt. Itaque & jure vetere in omni fere publica re, vel privata libertini ab ingenuis diſtinguebantur, de quo pluribus plura poſt Carol. Sigon. *lib.* 2. *de antiquo Jure Civ. cap.* 14. Roſinus *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 20. & Dempſterus *in Paralipomen.* mihi hæc ex libris noſtris, eiſque illuſtrandis, juris hujus antiqui veſtigia, quia nec notata illis, nec vulgo, opinor, nota, breviter indicare, libuit.

6 In primis autem libertini, niſi ſpecialiter cum Civitate Romana, jus ſuffragii in Tribu ferendi à populo, vel Principe impetraſſent, id non habebant, nec congiaria, ſive commoda, annonas, teſſeras frumentarias, aliaſque liberalitates, quæ inter Tribules dividebantur, percipiebant, ut ſignificat Sueton. *in Auguſto cap.* 42. Cicero *in Orat. pro L. Cornelia*, ideoque frequens, utiliſſimumque libertis legatum fuit Tribus emendæ *l. Patronus* 35. *D. de legat.* 3. ſicut eadem ratione teſſeræ frumentariæ, aut, quod idem eſt, ſymbola quantitatis frumenti publice per Tribus diſtribuendi legari libertis ſolebant *l. ſed & ſi* 52. §. 1. *D. de Jud. l. mortuo* 49. §. 1. *D. de legat.* 2. quando autem libertinis jus Tribus, & ſuffragii concedebatur, non in ruſticas, quæ ingenuorum, honeſtiorumque Civium propriæ, ideoque laudatiſſimæ, auctore Plinio *lib.* 18. *Natur. Hiſtor. cap.* 3. Columella *in præfat. ad libros de Re Ruſtica*, ſed in urbanas Tribus referri, ac rejici moris fuit, ut oſtendunt Dionyſius Halicarnaſſ. *lib.* 4. Livius *lib.* 5. & 9. Luc. Florus *in Epitome lib.* 20. Plutarch. *in Publicola*, Aſcon. Pædianus *in Orat. pro Milone.* Tacitus, ſic accipiendus, *lib.* 13. *Annal.* ubi de libertinis, ita: *Hinc plerumque Tribus, Decurias, miniſteria Magiſtratibus, & Sacerdotibus, Cohortes etiam in Urbe conſcriptas*, niſi ſcilicet pecunia, aut gratia, qua plerumque ex Pliniano ſcito, valere ſolent apud non Magnos Principes magni liberti, jus etiam Tribus ruſticæ impetraſſent, ſive emeruiſſent. Talis Publius ille apud Perſium *Satyr.* 5. qui cum libertate impetravit jus teſſeræ, Tribuſque, & quidem Velinæ, quæ inter ruſticas, quia urbanæ quatuor dumtaxat, Suburbana, Palatina, Collina, Eſquilina, ut liquet ex Dionyſiu *lib.* 4. Livio *lib.* 1. & 9. Varrone *lib.* 4. *de Lingua Latina*, Pliniu *lib.* 18. *cap.* 3. Perſiani verſus, in quibus enarrandis nimis quam, poſt Cornutum veterem Scholiaſten, Lipſius labitur, in electis, hi ſunt.

Libertate opus eſt, non hac, qua ut quiſque Velina
Publius emeruit, ſcabioſum teſſerula far
Poſſidet.

Deinde & in re militari, libertini ab ingenuis adeo diſcreti, ut cum ingenuos omnes, tenuioribus 7
exceptis, ſcilicet proletariis, & capite cenſis, ſolemni habito delectu milites adlegi jus eſſet, Romano, antiquoque more, de quo Polybius *lib.* 6. Agell. *lib.* 16. *noct. Atticar. cap.* 10. Libertinos tamen non aliter, quam penuria ingenuorum, & in tumultu, gravive bello, ut affirmant Appianus *lib.* 1. *bellor. Civil.* Livius *lib.* 10. Plutarchus *in Mario.* Macrob. *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 11. D. Auguſtin. *lib.* 3. *de Civitate Dei*, *cap.* 19. Hirtius *lib.* 1. *de bello Afric.* & tunc quidem ita ut, vel ſub proprio Vexillo, neque commixti cum ingenuis, aut eodem modo armati haberentur, ut loquitur Sueton. *in Auguſto cap.* 25. vel ſeponerentur viliori Militiæ, qualis apud Romanos nautica, ut aperte Livius *lib.* 22. & 36. aut in Cohortes Vigilum, qui incendiis Urbis arcendis ſub officio Præfecti ex equeſtri ordine excubias agebant, & è libertinis, aut libertis conſcribebantur, auctore Dione *lib.* 54. & 55. Strabone *lib.* 5. Tacito *lib.* 13. *Annal.* Eoque pertinet, quod Ulpianus aït *titul.* 3. §. *militia*, Latinum libertum, qui inter Vigiles Romæ ſex annis militaverit, conſequi jus Quiritium, ſeu Civitatem Romanam *ex lege Viſellia*, cui poſtea derogatum eſt Senatuſconſulto, quo cautum ſufficere tres annos militiæ inter cuſtodes nocturnos, ſeu Vigiles, ut jus Quiritium conſequatur Latinus.

Hinc etiam dubitandi ratio nata apud Modeſti- 8
num in *l.* 8. §. 6. *D. de excuſat. tutor.* cujus ſententia eſt adeo veteranos à tutela, vel cura filiorum ejus, qui inter Vigiles militavit, non excuſari, ut etiam legionarius filiorum ejus, qui inter Vigiles militavit, tutor recte detur; & tamen dici contra poſſe, videbatur, vel quia indecorum legionario obligari tutelæ filiorum vigilis Vulcano potius militantis, quam Marti, & non ſatis legitimi, juſtique militis, vel quia iniquum quodammodo, ingenuum, honeſtumque Civem, quales fuiſſe legionarios milites, diximus, tutelam cogi ſuſcipere, filiorum liberti vigilis, hoc eſt, libertinorum priſca notione,

à

à quorum tutelis excuſari ingenui ſolent, de quo poſtea. Sed Modeſtino merito placuit, etiam legionarium à tutela filiorum vigilis non excuſati, quia quamvis bonoratior ſit legionarii militia, receptum tamen eſt, omnes militantes, licet in diverſis numeris, commilitones eſſe, & Urbanos cuſtodes, ſeu Vigiles, militum privilegiis frui. *d. l.* 8. §. 4. *l. unic.* §. 1. *D. de bonor. poſſeſſ. ex teſtam. milit. l. ſi maritus* 15. §. *quod ſi quis, D. ad leg. Jul. de adult.* & libertorum vigilum filii ingenui ſunt, eo ſenſu, quo juris noſtri auctores ingenuos definiunt.

9 Præterea, ut in propoſito pergamus, vetuſtæ inter ingenuos, & libertinos diſcriminationis illuſtre exemplum eſt, quod nuper indicavimus, nempe ex Oratione Divi Marci, & Reſcripto Severi, eam ſecuto, ingenuos libertinis tutores dari non oportere, datoſque inter ſtatutum tempus excuſare ſe poſſe. *l.* 1. § *penult. & ultim. l. cum ex oratione* 44. *D. de excuſat. tutor. l.* 3. *C. eod. tit. l. pupillo* 27. §. 1. *D. de tutor. datis ab his.*

10 Quid quod, ut & hæc ingenuorum, libertinorumque in lege Julia, & Papia diſcrimina, plenius ſuo loco explicanda, obiter attingamus, adeo etiam in præmiis noſtrarum legum ingenui libertinis præpoſiti, ut ingenua patrona, duobus liberis honorata, idem juris habeat in libertorum bonis, quod patronus habet ex edicto; libertina autem patrona, non niſi tribus liberis honorata ſit, quomodo utrumque ex lege Papia Ulpianus proponit *in Fragm. tit.* 29. §. *Patronæ;* quin & ex Tertylliano Senatuſconſulto ad inteſtati filii hæreditatem mater ingenua, trium liberorum jure honorata, admittitur, libertina autem non niſi quatuor, teſte Ulpiano *tit.* 26. §. *ult.* Juſtiniano *in* §. 2. *Inſtitut. de S. C. Tertyll.*

11 Ejuſdemque generis eſt illud, à D. Iſidoro memoriæ proditum, *lib.* 19. *origin. cap.* 32. *Annulum aureum neque ſervus, neque libertinus geſtabat in publico, ſed annulo aureo liberi utebantur, libertini argenteo, ſervi ferreo utebantur.* Conſentit, quod ad ſervos attinet, Statius Papin. *lib.* 3. *Sylvar.* in lachrymis Hetruſci, à Veſpaſiano manumiſſi, & in equeſtrem ordinem relati:

Atque idem in Cuneos populum cum duxit equeſtres,
Mutavitque genus, lævæque ignobile ferrum
Exuit, & celſo natorum æquavit honore.

Apuleius *lib.* 10. *Miles. Donec juſſu Magiſtratuum miniſteria publica contrectatis nequiſſimi ſervi manibus, annulum ferreum deprehenſum cum ſigno ſacculi conferunt;* ſed & quod ad ingenuos, ſive liberos attinet, quibus indiſtincte aureum annulum tribuit Iſidorus, adſtipulatur Aſconius Pædianus *in* 4. Ciceronis *in Verrem. Haſtæ,* inquit, *vexilla, phaleræ, coronæ civicæ, item annuli aorei, ingenuitatis ſigna:* probatque id ipſum, recte expenſus, Papinianus *in l.* 2. *D. de Jure aur. annulor.* Nec fuit cur Lipſius *libr.* 2. *Elect. cap.* 8. ſive quis alius, ex multis, quos nuncupavimus *ſupra lib.* 2. *D.* Iſidori verba in diſcrimine falli, aut fallere, temere ſcriberet, quia quamvis antiquiſſimo Romano more, nec Senatoribus quidem aureorum annulorum jus eſſet, niſi legationis cauſa, & in publico, poſtea vero Senatoribus conceſſum, deinde Equitibus, quorum ordinem tertium, mediumque plebi, & Patribus annuli inſeruere, & ab ingenuis plebeiis ſepararunt, ut loquitur Plinius, multa in hanc rem commemorans, *lib.* 33. *Natural. Hiſtor. cap.* 1. & 2. ſub Imperatoribus tamen, cum jam inde ab Auguſto, pro libidine principum, impotentiaque libertorum, eis etiam jus aureorum annulorum tribui cœpiſſet, ut aperte (ne exempla in veteribus hiſtoriis obvia, conquiram) demonſtrat Dio Caſſius *lib.* 48. *Hiſtor.* & Narbonenſe Marmor, Auguſto inſcriptum, apud Vinetum *ad Auſonium in claris urbibus*, quo nominantur Narbonenſes Coloniæ *tres Equites Romani à plebe, & tres libertini*, tandem eo licentiæ ventum, ut ſub poſterioribus Cæſaribus, quorum ævo Paulus, Ulpianus, aliique ex noſtris prudentibus floruere, aureorum annulorum jus non jam Equeſtris ordinis dumtaxat, ſed ingenuitatis eſſet inſigne, à quo liberti, niſi impetraſſent, temperabant. *l.* 1. *& paſſim D. & C. de Jure aur. annul. l. cum ex oratione* 44. §. 1. *l.* 14. §. 2. *D. de excuſat. tutor. l. idemque* 11. *D. de S. C. Syllan. l. falſa* 33. §. 1. *D. de condit. & demonſtr. l. ſi is qui* 42. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. ſed ſi hac* 10. §. *ſed ſi Jus, D. de in Jus voc. l.* 3. *D. de bonis libertor. Novella* 74. *quib. mod. natur. effic. legit. cap.* 1. *& Novella* 78. *ut liberti de cætero cap.* 1. de quibus ſingulis ſuo loco opportunius.

Claudat, firmetque hæc omnia *lex Viſellia*, lata non 12
anno ab U. C. 768. ut perperam, aliud fortaſſe agens, Hotmanus ſcripſit, neque ſub D. Claudio, ut ſimili oſcitantia Cujacius *ad Ulpianum* notavit, & Mercerius *ad Tertullianum de pallio;* ſed quantum conjectari licet, anno ab U. C. 776. L. Viſellio Varrone, & Cornelio Cethego Conſulibus, decimo fere anno Tiberiani Imperii. Nam cum ſuperiori anno, C. Antiſtio vetere, & C. Aſinio Pollione Conſulibus, ab U. C. 775. annulorum auctoritati forma conſtituta eſſet, cautumque, ne cui id jus eſſet, *niſi cui ingenuo ipſi, patri, avoque paterno ſeſtertia quadringenta cenſus fuiſſet, & lege Julia theatrali in quatuordecim ordinibus ſedendi*, ut teſtatur his ipſis verbis Plinius *lib.* 33. *Natur. Hiſtor. cap.* 2. ſecuta eſt anno proximo lex Viſellia, quæ generaliter magis, & in commune ſtatuit, ne libertinis hominibus eos honores, dignitateſque, quæ ingenuorum propriæ ſunt, capere liceret. *l. unic. Cod. ad leg. Viſell. l. unic. Cod. quando civilis actio crimin. præjud. l. unic. Cod. Theodoſ. victum civiliter agere, & crimin. poſſe*, Juncto Ulpiano *in fragm. tit.* 3. §. *Militia*, niſi ſcilicet aureorum annulorum jus impetraſſet à Principe libertinus. *dict. l. unic. Cod. ad legem Viſell. l.* 1. *Cod. ſi ſervus, aut libertus ad Decurion. lib.* 10. quam exceptionem, non tam lege Viſellia comprehenſam, cujus, & præcedentis conſtituti propoſito repugnabat, quam ex prudentum auctoritate, invaleſcente, juris aureorum annulorum libertis elargiendi, uſu, poſtea receptam, ſimile vero eſt.

Interim illud moneo, quod Paulus docet *lib.* 5. 13
Sentent. tit. 25. §. *Qui inſignibus*, eos nempe, *qui inſignibus altioris ordinis utuntur, militiamque confingunt, quo quem terreant, vel concutiant, humiliores capite puniri, honeſtiores in inſulam deportari;* tametſi, juxta inſcriptionem tituli apud Paulum, qui eſt ad legem Corneliam teſtamentariam, vulgo intelligatur de his, qui cum milites non eſſent, pro militibus ſe geſſerunt, vel pro Magiſtratu, illicitis inſignibus uſurpatis, quos pœna *legis Corneliæ de falſis, & legis Juliæ Majeſtatis*, teneri conſtat. *l. eos, qui* 27. §. *ultim. D. ad leg. Jul. Majeſt.* referri tamen poſſe commodius ad libertinos, qui inſignibus altioris ordinis, veluti aureis annulis, aut etiam lato Clavo uterentur, quo ſe vel Equites Romanos, vel Senatores mentiantur, contra legem Viſelliam, vel militiam ſublimiorem confingunt, gladioque latus cingunt, & caligati incedunt, non phœcaſiati, ut Petronianus ille Encolpius, idque, ut aliquem pulſent, concutiant, & impune magis graſſentur in togatos, ut de militibus Juvenalis ſcripſit *Satyr.* 16. eoque ipſo militiam, quæ inter honores ingenuorum proprios, libertinus uſurpet. Quæ interpretatio & congruentior eſt mentioni altioris ordinis apud Paulum; ſic enim proprie magis, & paſſim in alienis, noſtriſque libris vocari conſtat, non Magiſtratus, Prætorem puta, aut Conſulem, qui dignitate potius, quam ordine diſtinguuntur, ſed, vel Equeſtrem ordinem, vel Senatorium, aut in Provinciis Decuriones, quatenus à plebeio, & libertino, utpote altiores, diſtant. *l.* 4. *D. de Senator. l.* 1. *Cod. de ſentent. paſſiſ. l. cum ex oratione* 44. *D. de excuſat. tut. & alibi*, ſæpe: & ſuadetur gravitate pœnæ, non tam Corneliæ legi accomodatæ, quam Viſelliæ, cujus ſeveritatem, dum libertinos, ingenuorum inſignia attentantes, perurget, & criminaliter perſequitur, velut exagerant Cæſares *in d. l. un. C. ad leg. Viſell. d. l.* 1. *Cod. ſi ſervus, aut libertus ad Decurion. lib.* 10. *l. unic. Cod. quando civil. actio.* Ad quam fortaſſe reſpicit Tertull. dum inter veteres Romanas leges & inſtituta,

ſtituta, eorum etiam meminit, quæ dignitatum, & honeſtorum natalium inſignia, non temere, nec impune uſurpari, ſinebant. Ut ſcribit *in Apologet. cap.* 6. ſed aperte magis de ea lege Garidas, vetus Græcanicus Interpres, *lib. 6. Baſilicon tit.* 62. neſcio, quo auctore, notat, libertos, qui ea, quæ ingenuorum ſunt, faciunt, vel ingenuos ſe dicunt, & Senatorum ordinem, vel dignitatem aliam ingenuorum propriam uſurpant, non petito Jure aureorum annulorum, *puniri etiam infamia, lege*, ut ſcribit, *Viſcllia antiqua, & à Viſellio Conſule lata.*

14 Unde, ut vel iſto capite, judiciorum uſui, ſeu praxi aliquid largiamur, apparet, quam vetus ſit, quantiſque, Romæ, politiæ auctoramentis ſubnixa animadvertendi ratio, genuſque, in plebeios, ignobileſque, ſeu viles homunciones, qui altioris dignitatis, aut ordinis, ſive nobilitatis inſignia, nomenque impudenter uſurpant; quales interdum fuerunt, ſuntque impuriſſimi impoſtores, qui ſibi Comitum, aut Marchionum, vel aliorum illuſtrium titulos adſcribere, & aſſerere, non verentur; vel qui obſcuri ipſi, degenereſque, ſe ſe clariſſimis familiis inſerere, eaſque adulterini, atque adſcititii ſanguinis ſordido contagio inquinare, non dubitant, quo facilius in alienas opes, potentiam, & interdum Regnum irrumpant, cujus generis non paucos noſtra, & avorum ætas tulit, & ex veteribus exempla multa apud Valer. *lib.* 9. *cap. ult.* quibus adjiciunt pleraque Menoch. *de Arbitr. caſu* 318. *num.* 27. *& ſeq.* Petr. Ærod. *lib.* 9. *Rerum judicat. tit.* 2. Lipſius *in exemplis Polit. lib* 2. *c.* 5. Vel denique, qui ſibi indebitæ, ſive indeptæ dignitatis inſulas, & inſignia publice præſumunt, veluti ſi ſe quis pro Doctore gerat, cum non ſit, quo exemplo vulgo Interpretes utuntur, poſt Bartol. *in d. l. Eos, qui* 27. *§. ult. D. ad leg. Cornel. de falſis*, vel qualem certe Salmanticæ, quo tempore hæc ſcribo, in publica vincula ductum, nec ſatis pro admiſſo coërcitum, vidi, impudentiſſimum nebulonem, qui militaris Equeſtris Ordinis Div. Jacobi purpureum ſtemma propalam circumferre, eoque egregio nobilitatis decore, ad furta, abigeatus, & viliſſima flagitia tutius patranda, abuti ſolebat. Illi ſane omnes, & ſi qui ſimiles, niſi dementiæ opinio non affectata, aut alia juſta cauſa fraudis in illicita uſurpatione, labem emaculet, vel extenuet, *l. unica, Cod de mutat. nomin.* notat poſt Paulum *lib.* 5. *ſentent. tit.* 25. *§. ſi qui ſibi*, Scholiaſtes *Baſilicon lib.* 60. *tit.* 41. *ad. l. falſi* 13. *D. ad leg. Cornel. de falſis*, præterquam quod in legem Corneliam de falſis committunt, & pœna falſi coërcentur, *d. l. falſi* 13. *l. eos qui* 27. *§. ult. D. ad l. Corn. de falſis.* Paulus *lib.* 5. *Sentent. tit.* 25 *d. §. ſi qui ſibi.* optima *lex* 2. *tit.* 7. *part.* 7. ibi: *Eſſe meſmo ſeria el que anduvieſſe en talle de Cavallero, è non lo fueſſe.* Incidunt proprie magis in Viſelliam legem, *d. l. unica, Cod. ad legem Viſell.* cujus pœnam moribus noſtris extraordinariam eſſe, & judicis arbitrio graviorem, aut leviorem imponi, docent, poſt Bartol. & congeneres *in l. Reddatur* 8. *Cod. de profeſſ. lib.* 10. *& in d. l. eos, qui* 27. *§. ult.* Tiraquell. *de Nobilit. cap.* 13. Menoch. *de Arbitrar. d. caſu* 318. *&* 320. *ex num.* 7. *& caſu* 402. Boſſius *in tit. de Falſis num.* 2. Petr. Gregor. *lib.* 36. *Syntagm. cap.* 4. Cujacius *lib.* 15. *reſponſ. Papin. in. d. l. falſi* 13. Farinac. *de Falſitate, q.* 150. *p.* 3. *n.* 80. *& ſeq.* Riccius 4. *p. collectan. Deciſ.* 934. D. Joann. Vela *de Pœnis delictor. cap.* 13. *verſ. Secundo*; noviſſime, & in terminis, ut aiunt, caſus ſuprapoſiti, de uſurpatione, ſive de circumferente inſignia militaris Equeſtris Ordinis D. Jacobi, affirmans, flagellandum, damnandumque ad triremes, Narbona argumento *text. ad rem conducentis in l.* 10. *tit.* 6. *lib.* 1. *Compilat. gloſſ.* 5. *n.* 8. *& ſeq.*

15 Uno certe caſu, ex propoſitis, certa etiam prohibita pœna eſt legibus Regiis, quibus ſancitur, eos, qui Doctoratus, aut Licentiæ titulos, & ſubſcriptionem uſurpant, cum tamen juxta earumdem legum formam, hos, ut loquimur, doctrinæ gradus non acceperint, ſeu potius, aſcenderint, tamquam falſarios puniri, exilio, ſcilicet, à Regni finibus, & confiſcatione dimidiæ partis bonorum. *l.* 5. *in fin. tit.* 7. *lib.* 1. *Compilat. l.* 5. *tit.* 10. *lib.* 1. *Ordin.* ubi noſter Didac. Perez, *& in l.* 3. *verbo, Que falſare, circa fin. tit.* 6. *l.* 8. *ordinam.* Quæ quidem pœna, etſi ſeverior videatur in eo ſaltem, qui ſola ſubſcriptione, ſeu nomine Licentiæ, aut Doctoratus utitur, nec inſignia, vel actus, aut immunitatem gradus uſurpat, quaſi ſcilicet leve id delictum, ac ſine ullo publico diſpendio ſit, ideoque hunc extra ordinem, mitiuſque arbitrio judicis puniendum eſſe, contendat, poſt alios, Flores Diaz de Mena *lib.* 3. *var. Quæſt.* 23. *num.* 80. Farinac. *dict. Quæſt.* 150. 3. *part. n.* 87. Juſtiſſima tamen eſt, & exercenda omnino contra hominum genus inſolens, imperitorum ſimul, & impudentium, irrumpentium licenter, ac pro libidine in ſcientiarum gradus, & titulos, eoſque inſcitia, & malis artibus cum publico dedecore, & damno dehoneſtantium. Cui pernicioſo exemplo ſi occurreret legum, & judicantium ſeveritas, ſtaret adhuc ſuum, ſanctumque litteris, & litteratis decus, & doctos tandem, dignoſque ſolos doctrinarum præmia manerent, neque hæc ſenſim vileſcerent, crebreſcentibus obviiſque tot ſcientiarum, ut ſic dicam, propudiis, & mendicabulis, quæ ad ſumma interdum evehit, *quoties voluit fortuna jocari.* Sed alterius loci hæ querelæ.

C A P U T II.

De permiſſo connubio ingenui maſculi cum libertina, & prohibito ingenuæ cum libertino.

A R G U M E N T U M.

Stabilita legibus noſtris connubii permiſſio ingenui maſculi cum libertina, non autem ingenuæ cum libertino. Differentiæ hujus vix adhuc notæ, aut notatæ, ratio, præter Dioni *expreſſam, ducta ex honeſtatis ratione, quæ ſtrictior ſemper habita, & exacta à fœminis, maxime ingenuis, & maxime ubi licentior earum libido in libertos, & viliores amaſios. Advocati in propoſito loci* Tertulliani, Hieronymi, *& aliorum. Exemplum differentiæ ſimilis in connubio Senatoriæ fœminæ cum libertino, quod vetitum etiam poſt* Juſtinianum, *quamvis Senatori cum libertina permiſſum. Fulcbra hujus animadverſionis* ex Baſilico textu l. 42. §. 1. & l. 16. & 32. D. de ritu nupt. *cum* Harmenopulo, *&* Balſamone, *ex eiſdem* Baſilicis, *& eorum* Græcis Scholiaſtis. *Correctus tamen inter eos* Enantiophanes, *& ex Latinis* Accurſius, *cenſentes, poſt* Novellam *Juſtin.* 78. *potuiſſe Senatoris filiam nubere liberto. Illuſtrata differentiæ hujus ratio* ex Novella *Anthemii cum* l. 5. Cod. ad S. C. Orphit. *& ſimili apud Nos cautione* in l. 2. tit. 1. lib. 5. Compil. *Expoſita* Papiniani *aſſertio* in l. 62. §. 1. D. de ritu nupt. *quæ ſignatæ, ſpecialeſque de nuptiis patronæ cum liberto ſuo improbatis (niſi ſit patrona æque ignobilis) quamvis non itidem improbentur patroni cum liberta. Mala ratio apud* Papinianum *quæ. Explanatum* Baſilicis, *&* Harmenopulo. *Appendix fere fuit* ex lege Ælia Sentia, *cautio de manumittente minore, matrimonii cauſa; & fuit, ut conjectamur, appendix hujus capitis, vel illius de divortio libertæ nuptæ patrono. Elicita hinc ratio dubitandi, & decidendi* ad l. 14. §. 1. D. de manum. vind. *de fœmina minore manumittente, matrimonii cauſa, cui jungenda* lex 13. D. de ritu nupt. *Poſtrema adjectio,* Dione *auctore,* legis Papiæ *hoc capite fuit, ut ex nuptiis ingenuorum cum libertinis filii eſſent juſti. Id, ne alioquin pro juſtis non haberentur, tamquam nati ex imparibus, & permiſſis magis, quam juſtis nuptiis. Relata huc* l. 15. C. de nupt.

Hæc

1 HÆc ita ex priſco illo ante legumlationes noſtras jure, quo cum impediretur, aut coarctaretur certe non leviter, noptiarum uſus, libertaſque, quibus præcipue Julia, Papiaque noſtræ ſtuduerunt, ut *& libr.* 1. plenius notavimus, tributum eſt eiſdem, jus connubii ingenuis omnibus cum libertinis, atque ita quidem, ut omnibus ingenuis maſculis, exceptis Senatoriis, libertinas uxores habere, liceret, quomodo Caput hoc expreſſimus *ſupra ex dict. l. lege* 23. *D. de ritu nupt.* Dione *lib.* 54 *&* 55. Zonara 2. *Annal.* cauſa autem ſic ſpecialiter cavendi, vel ea fuit expreſſa Dioni, *quoniam ſcilicet longe amplior erat ingenuorum maſculorum numerus, quam fœminarum.* Proinde leges noſtræ ingenuis quidem omnibus libertinas uxores ducere permiſerunt, non tamen è contrario fœminis indultum, ut libertinis nubere poſſent, quippe priori permiſſu ingenuorum nuptiis frequentandis, ſobolique ex eiſdem procreandæ apte proſpiciebatur, quæ raræ alioquin, & infrequentes ſtante prohibitione, ob defectum ingenuarum mulierum; poſteriore vero, præterquam quod ingenuarum mulierum honeſtati, & exiſtimationi conſulitur, ne in ſordes libertini conjugii prolabantur, non tam libertas, ac frequentia nuptiarum procurari, quam quodammodo contrahi circa ingenuos, videretur, libertis ad conſortium honeſtioris connubii ingenuarum fœminarum receptis.

2 Et ſane, ut ſingulare hoc jus, vulgo quidem ignotum, imo vel eruditis inexplicatum hactenus, & obſervatione digniſſimum illuſtremus, quemadmodum nova, vetuſque Romana Juriſprudentia majorem pudicitiæ, & honeſtatis rationem à fœminis, quam maſculis exegit, etiam in aliis cauſis. *l.* 1. *Cod. ad leg. Jul. de adult. l.* 1. *C. Theod. de repudiis. l. uxores* 9. *D. de his, qui not. infam. l. unic. Cod. de mulieribus, quæ ſe propriis ſervis junxer.* juncta *l. ult. Cod. commun. de manum.* Agell. *lib.* 10. *noct. Atticar. cap.* 23. Plautus in *Mercatore* actu 4. *ſcena* 8. ita etiam noſtris legibus graviora, arctioraque honeſtati conjugiorum in fœminis ingenuis, aut illuſtribus vincula impoſita, quibus coërceretur, & quaſi frænaretur earum libido, concitatior interdum, & ardentior, quanto viliores, ſordidioreſque amaſii, ignoſcant pauliſper theatralibus verbis Catones; *Quædam enim*, ait nequiſſimus ſcriptor Petronius *Satyr. cap.* 86. *fœminæ ſordibus calent, nec libidinem concitant, niſi aut ſervos viderint, aut ſtatores altius cinctos; arenarius aliquas accendit, aut perfuſus pulvere mulio* (ita enim lego potius, quam ut alii, *mulis*, & ad aurigas refero, ſive agitatores Circi perfuſos pulvere, quos amenter viles hæ fœminæ deperibant) *aut hiſtrio ſcenæ oſtentatione traductus. Ex hac nota Domina eſt mea, uſque ad Orcheſtra quatuordecim tranſilit, & in extrema plebe quærit quod diligat.* Et deinde: *Ego adhuc ſervo nunquam ſuccubui, nec hoc Dii ſinant, ut amplexus meos in crucem mittam. Viderint matronæ, quæ flagellorum veſtigia oſculantur, ego etiamſi ancilla ſum, nunquam tamen niſi in equeſtribus ſedeo.* Tertullian. *lib. de Spectaculis, cap.* 22. loco à Criticis vexatiſſimo: *Etenim ipſi auctores*, inquit, *& adminiſtratores ſpectaculorum, Quadrigarios, Scenicos, Xyſticos; Arenarios illos amantiſſimos, quibus viles animas fœminæ, aut illis etiam ſua corpora ſubſternunt*; ſive, ut corrigit Lipſius: *Quibus viri animas, fœminæ autem illis etiam ſua corpora ſubſternunt.* Proprie autem magis de nuptiis cum libertis Tertullian. *ad Uxores lib.* 2. *cap.* 8. *Pleræque & genere nobiles, & re beatæ, peſſimis de ignobilibus, & mediocribus ſimul, junguntur, aut ad luxuriam inventis, aut ad licentiam expertis. Nonnullæ ſe libertis, & ſervis ſuis conferunt, omnium hominum exiſtimatione deſpecta, dummodo habeant, a quibus nullum impedimentum libertatis ſuæ timeant.* D. Hieronym. in *epiſtol. ad Lætam. Nobiles fœminæ, quæ nobiliores habuere neglectui procos, viliſſimæ conditionis hominibus, & ſervulis copulantur.* Ille idem *epiſt.* 9. *ad Salvinam: Scio, multas, clauſis ad publicum foribus, non caruiſſe infamia ſervorum, quos ſuſceptos faciebat aut cultus immoderatus, aut craſſi corporis nitor, aut ætas apta libidini.* Multus in hac nobilium fœminarum petulantia increpanda, princeps ille Satyrographus Juvenalis *in* 6. *& alus.* Merito itaque, ne pravi exempli res impunitate permiſſionis adoleſceret, ingenuarum nempe mulierum cum libertinis, viliburſque hominibus nuptiæ, retenta noſtris legibus eſt, quoad illas, interdictio veteris juris, quamvis laxata in maſculis, ut monuimus.

Quemadmodum eadem ratione Caput illud anecto- 3 graphon ex lege Julia, quo nuptiæ inter Senatores, eorumque poſteros, utriuſque ſexus, cum libertinis, ſcenicisque improbantur, *l. lege* 44. *D. de ritu nupt.* quamvis quoad Senatores ampliatum, expoſitumque conſtitutione Conſtantini *in l.* 1. *Cod. de natural. lib. Novell.* Martiani *de matrimon. Senat.* quæ extat *in l. humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt.* & abrogatum tandem a Juſtiniano, permittente nuptias inter Senatores, aut Senatorios maſculos cum libertinis fœminis, aut alias vilibus, & famoſis. *Novella* 117. *ut liceat matri, & aviæ cap.* 6. *§. illo. Authent. Sed novo Jure, Cod. de natural. lib. & Novella* 89. *quib. mod. natural. cap.* 15. *in fine*, de queis ex profeſſo *ſupra lib.* 2. Manſit tamen legum noſtrarum prohibitio incorrecta (quamvis eruditiores Interpretes parum obſervent, ſi Albericum tamen excipias, quem rectiſſime hoc ipſum adnotaſſe comperi, poſt hæc ſcripta, *in l. fœminæ in fine, D de Senatorib.* & Accurſium huc inclinantem *in l. Lege* 23. ubi Salycetus, *D. de Ritu nupt.* Cujacium 35. *Pauli ad edictum in l. oratione* 16. *D. de ritu nupt.* ut præſignavimus curſim *ſupra lib.* 2.) quoad filias, nepteſque, vel proneptes Senatorum, quarum nuptias cum libertinis, ſcenicisve, aut famoſis hominibus, ne poſt Juſtinianum quidem probari Cæſareo, ſeu Civili jure, argumento eſt, & quidem fortiſſimo, eadem illa Modeſtini ſententia noſtris legibus conſentanea, quæ extat *in l. ſemper* 42. §. 1. *D. de ritu nupt.* eadem enim hodie legitur inſerta Libris Baſilicon *lib.* 28. *tit.* 5. *de nuptiis prohibitis*, his verbis, reddente Gentiano Herveto: *Non eſt validum matrimonium filiæ, aut neptis ejus, qui eſt dignitate præditus, cum liberto, aut ſcenico, aut filio ſcenici*, adjicitque interlinearis gloſſa: *Eſt enim probroſum, & indecorum ejuſmodi matrimonium.* Idem poſtea *ex l. oratione* 16. *D. de ritu nupt.* proponitur in Baſilicis *eodem titulo*, his verbis: *Senatoris filia non rite nubit liberto.* Et vel plenius in *Baſilicorum Synopſi lib.* 28. *tit.* 5. *de prohibitis nuptiis, cap.* 9. illic: *Inter filiam, vel proneptem viri in dignitate conſtituti, & libertinum, vel ſcenicum, vel ſcenici filium, nuptiæ non conſiſtunt.* Deſcribit ex eiſdem Baſilicis Theodorus Balſamon *ad Canonem* 41. *S. Baſilii*, ubi & ad rem commemorat, nobilium fœminarum Matrimonia cum ignobilibus viris fuiſſe ab Imperatore ſuo dirempta, & punita. Atvero ſcimus, ſciuntque omnes in Baſilicis legendis vel leviter morati, ea dumtaxat ex jure vetere illis libris inſerta, quæ in uſu erant, pertinebantque ad rem præſentem. Adſtipulatur Conſtantinus Harmenop. *in Enchiridio*, ſive *Promptuario lib.* 4. *tit.* 6. *cap. de pœna inceſtarum nuptiarum, ad finem*, ibi: *Nec qui palam ludicram artem facit, ejuſve filius, uxorem, aut filiam Senatorii viri*, ſcilicet, ducet: *Nam & in his eſt, quid deceat, ſpectandum. Atque hæc quidem ex legibus collecta compendio tradita ſunt, quæ & ita ſervantur.* Scholiaſtes Baſilicon Enantiophanes, ut vulgo vocatur, ſive enarrator locorum pugnantium, cujus hæc in Modeſtino explicando appoſitiſſima rei noſtræ ſententia *Cum autem Jure veteri utrumque eſſet prohibitum, & illuſtres conjungi probroſis uxoribus, & honeſtæ exiſtimationis fœminas conjungi viris obſcuris*, 117. *Novella de vilibus quidem mulieribus remiſit, de viris autem nullæ exiſtimationis ſilentio præteriit, hoc forte conſilio, quod ſunt mulieres faciles, & ſimplices, & facile labantur.* Similia his Scholiaſtes alter Græcanicus *lib.* 28. *Baſilic. tit.* 1. ad verba illa conſtitutionis Leonis in *l.* 5. *Cod. de ſponſalib. Ut etiamſi legibus prohibitæ non ſint ſperatæ nuptiæ*, ſubnotat: *Forte enim*

eſt ſcenicus, eſt autem Senatoris filia, quæ eſt ei nuptura. Quod autem Enantiophanes notat ubi ſupra, prohibitionem nuptiarum filiæ Senatoris cum liberto ſublatam eſſe, præterquam quod nullo, quod ſciam, juris teſtimonio probatur, & repugnat Modeſtini verbis, quæ ex eiſdem Baſilicis retulimus, convincitur aperte magis, noſtraque firmatur aſſertio, loco Marcelli *lib. 1. ad leg. Jul. & Pap. in l. Sciendum* 32. *D. de ritu nupt.* cujus ſententia hæc eſt expreſſa Baſilicis. *dict. tit.* 5. *Libertus, qui adoptatur ab ingenuo, habet jura ingenuitatis in ejus familia, prohibetur autem à nuptiis eorum, qui ſunt dignitate præditi.* hoc eſt, ut gloſſa interlinearis explicat, *non poteſt ducere uxorem Senatoris.*

4 Nec movemur eo, quo Seholiaſtes Græcanicus, & inter Latinos Accurſius *ad l. Oratione* 16. *Dig. de ritu nupt.* moventur nempe *ex Novella* 78. *ut liberti de cætero cap.* 1. libertos omnes Jure ingenuitatis, & aureorum annulorum potiri, ideoque a Senatoriis nuptiis non ſubmuvendos. *l.* 4. *& ultim. D. de Jure aureor. anaul.* Id enim ad effectus alios pertinet, & eirca nuptias ad eum dumtaxat, ut patronus Senator poſſit libertam ſuam uxorem ducere, dotalibus inſtrumentis confectis, ut exprimitur *cap.* 3. *ejuſdem Novellæ*, maxime in inſcriptione, & apud Julianum, anteceſſorem *Conſtit.* 72. *cap.* 270. (tametſi textus ejus vulgata verſio, & Irnerius in *Authent. Sed novo Jure, Cod. de nupt.*, parum id ſignent) non autem quamcumque libertinam; id enim poſtea effectum *Novella* 117. *cap.* 6. §. *illo*, & conſequenter multo minus permiſſum, ut Senatoria libertino nubere poſſit.

5 Maneat itaque pro explorato quod diximus, obviam itum legibus noſtris, levitati, & libidini fœminarum, retenta prohibitione ingenuarum cum libertinis nuptiarum, & quidem ſi Civiles nunc mores, ex illiſque honeſtatem in matrimoniis æſtimemus, ſane quam merito, ne modo in Senatoriis, ſed &, *nedum tantum ingenuæ libertatis fulgore perſpicuum genus in fœmina, imprudentior complexus imminuat*, ut *ad rem ſcriptum eſt, & ſcribendum fuit*, correctione *textus Novellæ* 1. Anthemii *de mulier. quæ ſe ſerv. cum mulieribus ingenuis, & illuſtribus, caſtitatis obſervatio, præcipuum debitum ſit*; eaſque nuptias impares, & ſerviles prolabi, *injurioſum ſatis, acerbumque ſit, & temporibus noſtris indignum*, ut in re ſimili Juſtinianus loquitur graviter *in l. Si qua illuſtris* 5. *Cod. ad S. C. Orphit.* juncta *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt.* eleganter declamator ille apud Senecam *lib* 7. *Controverſ.* 6. inſultat, tamquam inſano, patri, qui ſervo filiæ raptori, & in crucem cum aliis, qui rapuerant, tollendo, quia virginem ſervaverat, manumiſſo eamdem collocavit. *Quiſquis*, inquit, *has nuptias fecit, aut inſanus eſt, aut tyrannus. Egregius gener, cui nihil eſt glorioſius, quam quod inter cruciarios non eſt. Itane dignus eſt nuptiis, quia indignus eſt cruce? In aliis ſtuprum vocatur, in hoc matrimonium. Convenite ſervuli, convenite libertini; empta cognatio.* Et ut rectiſſime Cujacius alibi *libr.* 35. *ad edictum in dict. l. oratione* 16. *D. de ritu nupt.* vir genere nobilitat fœminam, *l. ult. Cod. de incol. lib.* 10. *l. mulieres* 13. *Cod. de dignit. lib.* 12. non itidem fœmina virum, cui nubit. *l. fœminæ* 8. *& l. ultim. D. de Senator. l. cum te* 10. *Cod. de nupt.* Ideoque fœmina turpius ſe applicat impari, quam vir; unde etiam Regiis legibus, quamvis matrimonium cum mercenaria famula, cujus miniſterio quis utitur, ſit impunitum, punitur tamen, & quidem exilio perpetuo à finibus regni, famulus mercenarius, domeſticuſve cliens, qui filiam, cognatamve domini, ſeu patroni, cujus uterque in domu alitur, ſine ejuſdem permiſſu uxorem duxerit, ac præterea fœminæ ipſi exhæredationis pœna irrogatur, *l.* 2. *tit.* 1. *lib.* 5. *& l.* 1. *titul.* 15. *lib.* 8. *ordinam. l.* 2. *tit.* 2. *lib.* 5. *Compil.* quæ tamen pœnæ an hodie ſervandæ, opportunius dicemus *infra cap.* 34. Nos interim ſi diutius morati, veniam merebimur; coëgit enim hæc ſcribere, tantumque non expreſſit querimonias, & lachrymas, decoris publici ſervandi ratio in matrimoniis fœminarum nobilium, quarum impotentiæ, libidini, luxuique coërcendis, Oppiis olim, Voconiiſque legibus, & gravibus Senatus decretis, veluti Claudiano, & aliis occurſum. Conferenda tamen his, quæ non tranſcribimus, & ſunt rei, rationiſque ejuſdem, obſervata ſupra *lib.* 2. *pro l. ſi ſenatori* 3. *D. de ritu nupt.*

Explananda ex propoſitis, antequam abeamus, breviter eſt Papiniani ſententia *in l. quamquam* 62. §. 1. *D. de ritu nupt.* quæ ſic habet: *Mulier liberto viri, ac patroni ſui, mala ratione conjungitur.* Item Severi, & Antonini conſtitutio *in l.* 3. *Cod. de Nuptiis*, ubi ſcribunt, libertum, qui patronam, aut patroni filiam, neptem, proneptem, conjugemve, ducere uxorem auſus eſt, puniendum congruenti pœna diſciplinæ ſæculi, ſive ut Cæſares aiunt, *moribus temporum meorum, quæ hujuſmodi conjunctiones odioſas eſſe, merito duxerunt.* Convenienter his Paulus *lib.* 2 *Sentent. tit.* 19. §. *ultim. Libertum, qui nuptias patronæ, vel uxoris, filiæve patroni affectaverit, pro dignitate perſonæ, metalli pœna, vel operis publici coërceri placuit.* Addenda exceptio tradita ab Ulpiano, ſi patrona tam ignobilis ſit, ut ei honeſtæ ſint vel ſaltem liberti ſui nuptiæ, quo caſu officio judicis non prohibentur, *l. ſi patrona* 13. *D. de ritu nupt.* cum autem é contrario conſtet, poſſe à patrono ingenuo libertam uxorem duci, & quidem impune, *l. in eo* 45. *cum l. ſeq. D. de ritu nupt. l. ult. D. de divort. l.* 1. *D. de concub. l. uxorem* 15. *C. de nupt.* dubitandum non eſt, quin, quæ de nuptiis liberti cum patrona, aut ejus filiis fœminis diximus, reſpiciant fere ſingula vetus jus illud, noſtris etiam Julia, Papiaque legibus retentum, neque à Juſtiniano, ut monuimus, abrogatum de prohibitione nuptiarum inter ingenuas mulieres, & libertinos; eo enim jure inſpecto, libertus plectitur, qui patronam, patronalemve fœminam uxorem duxit; & é contrario non punitur patronus, cui nupſit liberta; neque autem, ſi permiſſæ legibus noſtris liberti cum patrona nuptiæ, odioſæ hæ conjunctiones, & coërcitione dignæ dicerentur *in d. l.* 3. neque *mala ratione conjungi*, apud Papinianum *in d. l. quamquam* 62. §. 1. tametſi, quod ad illum attinet, alio etiam reſpectu mulier mala ratione conjungi viri ſui liberto, dici poteſt, ne ſcilicet libertus patroni ſui uxorem ingenuam ducendo, *ſuſpicionem de ſe quoque afferat, quod eam adulterarit*, quomodo ante Cujacium ponit, exponitque Harmenop. *in Promptuar. lib.* 4. *tit.* 6. §. *de pœna inceſtar. nuptiar* Conducit elegans in re ſimili *Regin lex* 3. *tit.* 3. *part.* 6. ſive, quod Papiniani verbis congruit magis; *Liberta, quæ nupſit ſuo patrono, poſt mortem ejus non nubit ejus liberto, niſi mala ratione*, ſive ut Græci [illegible], *ne quis poſſit dicere, quod adhuc vivo patrono in eam admiſit adulterium*, ut adjicit, explicatque *textus* Baſilicon *lib.* 28. *tit.* 5. & Accurſius noſter, quem Faber, & noviores ſequuntur, non ſat recte intellexit, ſicut & idem alibi perperam notat abrogatam eſſe Juſtinianeo jure prohibitionem nuptiarum inter libertum, & patronam *in Novella* 78. *ut liberti de cætero, cap* 3. *ſi quis autem*, verbo, *Exiſtens, in fine*; quod ex ſupra propoſitis facile confutandum. Junge his ea, quæ diximus ſupra *lib.* 2. ubi de nuptiis Senatoriæ fœminæ cum liberto, & de *Novella* Anthemii *de mulier. quæ ſe ſerv.* 6

Accedere autem poteſt, & accenſeri pro ejuſce legis Juliæ capite de nuptiis ingenuorum cum libertinis, veluti ſequela, & appendix, caput illud *legis Æliæ Sentiæ*, quo inter cæteras juſtas manumiſſionis cauſas, quibus apud conſilium probatis, minori viginti annis domino, manumittere vindicta permittitur, illa etiam nominatim recenſetur, ſi ancillam, matrimonii habendi cauſa, velit manumittere, *l. ſi collactaneus* 13. *l. alumnos* 14. §. 1. *cum l. etiam* 15. §. *ſi duo. l. ſi minor* 19. *l. ſi rogatus* 20. §. *matrimonii, D. de manum. vind. l. matrimonii* 21. *D. qui, & à quibus l. quod & Atteius* 29. *l. matrimonii* 51. *D. de ritu nupt.* § *eadem* 4. *cum* §. *ſeq. inſtit. quibus ex cauſis manumit. licet*, de quibus ſingulis pro- 7

prie

pric ſuis locis. Duo nunc ſola in anteceſſum damus. Primum eſt, quod poſuimus, fuiſſe nempe hanc cautionem legis Æliæ Sentiæ, ſequelam veluti, & auctarium capitis noſtri, quo cum permiſſum eſſet ingenuis omnibus libertinas uxores habere, & quidem Juliis legibus, quarum priorem latam anno ab U. C. 725. poſteriorem vero anno ab U. C. 736. docuimus *libro* 1. ſecuta poſtea eſt lex Ælia Sentia, perrogata viginti circiter poſt poſteriorem Juliam annis ab U. C. 756. Sexto Ælio Catulo, & Sentio Saturnino Conſulibus, ut notatum aliis jam ex Dione *lib.* 55. Suetonio *in Auguſto cap.* 40. Cavitque Ælia Sentia ſpecialiter, ut liceret minori viginti annis, ancillam, matrimonii cauſa, vindicta apud conſilium manumittere, quam, ſcilicet libertam, habere uxorem juſtam poterat ex lege Julia, cujus ita permiſſionem adjuvit, & promovit Ælia Sentia; niſi ſi quis malit, me non repugnante, & quodammodo ducente Ulpiano *lib.* 3. *ad legem Juliam, & Papiam in dict. l. quod & Atteius* 29. *D. de ritu nupt.* pertinere etiam, aut proprie magis hanc partem legis Æliæ Sentiæ, ad caput illud alterum legis Juliæ, quo cautum, divortii faciendi poteſtatem, libertæ, quæ nupta eſt patrono, non eſſe, quamdiu patronus eam uxorem eſſe volet, de quo pleraque Ulpianus *lib.* 3. *ad legem Juliam & Papiam in dict. l. quod & Atteius* 29. *l. in eo* 45. *l. proxima* 50. *D. de ritu nupt. l. ultim. D. de divort.* juncta *l. unica in fine, D. unde vir, & uxor.* Suetonio *in Auguſto cap* 34.

8 Secundum eſt, pendere ex noſtro capite, & circa illud propoſitis, dubitandi, ac decidendi rationem *ad l. alumnos* 14. §. 1. *D. de manum. vind.* cujus hæc quæſtio eſt, an fœminæ minores viginti annis poſſint ſervos, matrimonii cauſa, vindicta apud conſilium manumittere. Dubitandi ratio in fœminis major ex eo, quod non itidem ingenuis fœminis libertinos maritos habere, lege Julia permiſſum, ac maſculis ingenuis libertinas uxores: quin potius nuptiæ ingenuæ mulieris, ſive patronæ cum liberto, odioſæ ſemper habitæ, & indecoræ, ut uberim ſupra probavimus. Decidendi, ſive ita reſpondendi cum illis, quos Martianus ſequitur *in dict. l. alumnos* 14. §. 1. ratio ex eo, quod interdum patronæ non ſunt inhoneſtæ cum liberto ſuo nuptiæ, veluti ſi ea ignobilis, & originis perinde ſervilis *l. ſi patrona* 13. *l. ſenatoris* 47. *D. de ritu nupt.* Ideoque ita demum Martianus putat, fœminæ permittendum, matrimonii cauſa manumittere, ſi ei, quæ olim ancilla, jam manumiſſæ, *legatus ſit conſervus ſuus*, cujus contubernalis forſitan, & quaſi uxor in ſervitute fuerat, *in hoc*, ſcilicet, ut eum manumittere, & maritum legitimum habere poſſit. Huic enim, & ſi qui alii, non indigne nubit manumiſſura, ideoque & permittendum ei eſt manumittere, argumento *ex l. ſi rogatus* 20. §. *matrimonii, D. de manum. vindicta.* Hæc autem, niſi fallimur, propria, &, ut dicitur, genuina Martiani mens, Accurſio, & ſi qui alii ex Interpretibus, non intellecta, imo neque Græcanicis *lib.* 48. Baſilicon *tit.* 2.

9 Unum dumtaxat monitum velim, ne quem forte viri magni, mihique olim amiciſſimi (quem, quia in hoc laudare non poſſum, illaudatum prætereo) auctoritas tranſverſum agat, ſcribentis, deceptum fuiſſe Bened. Pinellum *lib.* 1. *Select. cap.* 9. *num.* 16. dum ſentit, potuiſſe fœminam ſervo proprio manumiſſo nubere jure Civili, ſi ignobilis domina ſit, juxta *dict. l. ſi Patrona* 13. *D. de ritu nupt.* in quo certe non Pinellus deceptus, cujus aſſertio expreſſa eſt in *dict. l. alumnos* 14. §. 1. ſed parum, ut leniſſime dicam, perceptus ab eo, qui contrarium adſtruit, immemor *dict. l. alumnos* 14. §. 1. At deceptus Pinellus, & ſi qui alii cenſuere, patronæ cum liberto ſuo nuptias non abſolute prohiberi, aut prohiberi, & puniri dumtaxat ex præſumptione illa pudicitiæ proſtratæ, cum & prohibeantur vel maxime, quia contra matronale decus, & reverentiam patronæ ſuæ à liberto debito debitam: de quo & plura *ad caput de Senatoriis nuptiis.*

Supereſt pro coronide veluti hujus capitis explicandum quod eo etiam adjectum, expreſſumque memorat Dio Caſſius *lib.* 54 ubi poſtquam ſcripſit, voluiſſe Auguſtum, libertinas ab omnibus, exceptis Senatoribus, duci uxores poſſe, ſubjungit continenter: ἔννομον τὴν τεκνοποιΐαν, αὐτῶν εἶναι ἐννόμους, hoc eſt, ut ſupra vertimus: *Filioſque, inde ſuſceptos, juſtos eſſe, conſtituit.* Adjectum vero hoc, & expreſſum, quo perſpicuius liqueret, juſtas, ac legitimas nuptias deinceps futuras ingenuorum maſculorum cum libertinis. Conſtabat enim, conſtatque inter omnes, ex juſtis, & legitimis nuptiis dumtaxat juſtos liberos ſuſcipi. *princip. inſtit. de patria poteſt.* § *ſi adverſus, inſtit. de nupt. l.* 3. *D. de his, qui ſui, vel alieni jur. ſunt. l. cum legitimæ* 19. *D. de ſtatu homin.* ex injuſtis autem, minuſque ſolemnibus, quamvis hactenus jure permittantur, ne diſſolvantur, quales nuptiæ à filio familias ſine conſenſu patris contractæ, teſte Paulo *lib.* 2. *Sentent. tit.* 19. §. *eorum.* juncta *l.* 1. §. *ultim. D. de liber. exhib.* non tamen filii juſti naſcuntur, nec in poteſtate patris ſunt. *l. Paulus* 11. *D. de ſtatu homin. l. ſi uxor* 13. §. 1. & §. *ſi quis uxorem D. ad leg. Jul. de adulter. l.* 3. §. *ſi emancipatus, D. de bonor. poſſeſſ. contr. Tabul.* eleganter Calpurnius Flaccus *Declamat.* 44. *non eſt*, inquit, *filius tuus, nuptiis enim ſolemnibus non eſt natus. Cujus ergo niſi faces accenderit, & Feſcennina cecinerit, pater eſſe non poterit?* Eademque ſimilitudine etiam poſt permiſſionem nuptiarum ingenuorum cum libertinis, videri cuiquam poſſet, non juſtos filios, nec in poteſtate patris naſci (niſi id ſpecialiter legibus noſtris expreſſum eſſet) utpote ex imparibus nuptiis, ex quibus nati patrem non ſequuntur; ut Boëtius ſcribit *ad Ciceronis Topica*, §. 13. & eleganter Venus apud Apulei. 6. *Mileſiarum*: *Felix vero ego, quæ in ipſo ætatis meæ flore vocabor avia; & vilis ancillæ filius, nepos Veneris audiet; quamquam inepta ego fruſtra filium dicam. Impares enim nuptiæ, ac præterea in Villa, ſine teſtibus, & patre non conſentiente, factæ, legitimæ non poſſunt videri: ac per hoc ſpurius iſte naſcetur.* Merito itaque, neceſſarioque hæc ſimul hoc capite Juliæ, Papiæque legis exprimuntur, & ut ingenuis omnibus, præter Senatores, eorumque liberos, libertinas uxores habere, liceat, & ut ex eo matrimonio ſuſcepti liberi juſti ſint, & in poteſtate patris. Summam porro ejus capitis in utraque parte non poſſum aptius ſubſignare, aut concludere, quam Diocletiani, & Maximiani reſcripto, quod non vulgarem hinc lucem accipit, ac viciſſim capiti noſtro præbet, extatque *in l. uxorem* 15. *Cod. de nuptiis.* *Uxorem*, inquiunt, *libertam ſuam manumiſſori, ſi non ſit ex his perſonis, quæ ſpecialiter prohibentur* (nempe Senatoribus, eorumque liberis) *ducere non eſt interdictum, & ex eo matrimonio, juſtos patri filios naſci, certiſſimum eſt.* 10

Videri cuiquam poterit propria hujus capitis, nec ſeponenda diſputatio de ingenuis, & libertinis, de queis non pauca Juriſconſulti *in libris ad leges Juliam, & Papiam.* Dicemus tamen tempeſtivius de utriſque ad caput illud legum noſtrarum, *de nuptiis Senatorum, & qui Senatorii*; quia cum ei, qui Senatorius non ſit, ſive ingenuus dumtaxat ſit, ſive Eques Romanus, ducere uxorem libertinam liceat, & multo magis ingenuam, non nimis neceſſaria huic capiti diſquiſitio quis ſit ingenuus, vel libertinus. 11

CAPUT III.

Ad Leonis I. Epiſtolam apud Gratianum in Cap. non omnis 12. 32. quæſt. 2.

Conſectanea de connubio ingenuorum cum libertinis ex Eccleſiaſticis legibus.

ARGUMENTUM.

ANthemii Novella, *& conſonantes Latino-Barbaræ Gentium leges memorantur. Sed cum primis* Leonis I. Canon, *quo ſupponitur, inter ingenuos, & libertinos, non eſſe connubium Jure Romano, idque longe poſt permiſſionem legum* Juliæ, & Papiæ. *Concubinatus ingenuarum vetitus, & punitus, & è contra libertinarum permiſſus, & frequens. Sed* Leonis *mens alia, reſpiciens ad conjugium ingenui cum ancilla, quod nec Hæbraico, nec Romano Jure fuit connubium, & in quo effrænes erant Aquitani nobiles,* Leonis *ævo, cujus* Canon *eſt* ex epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem. *Exponitur alter* textus, Julio I. à Gratiano *adſcriptus,* in cap. 3. ſi quis 29. quæſt. 2. *ubi, quarto circiter ſæculo, poſt leges noſtras dubitatur anxie de connubio ingenui domini cum liberta ſua, & quidem tamquam impio; & deciditur ex ſuppoſito de nuptiis validis ex ſolo affectu, quod ſuppoſitum à ſæculo* Julii I. *alienum. Aſt obſervatum jam, & tentatum pridem,* Archidiacono, & Bellameræ, *eſſe illum textum ſumptum ex* Juſtiniani l. 26. Cod. de nupt. *mendo ex epigraphe orto, quod tamen pervaſerit hactenus Conciliorum, & Epiſtolarum Pontificum Collectiones: jam autem textu emaculato, & quæſtione poſitæ in alumna, dubitatum in ea, quia loco filiæ, ac proinde impium connubium, & improbatum* Moſis *lege, ſi* Joſepho *fides. Sed deciditur, quia neutiquam filia, & permiſſa connubia ex affectu à* Juſtiniano. *Porro ex* Leonis *epiſtola duæ illationes, liberi hominis cum ancilla conjunctionem non conſtitiſſe, tamquam matrimonium* Leonis *ſæculo, & ſenſu, & Eccleſiæ duobus, & amplius poſt* Leonem *ſæculis. Laudati in id Patres, & Canones; donec tandem Eccleſiaſticæ leges, prævalente contra ſervitutem Chriſtianæ libertatis cauſa, ſervilia inter ſcientes conjugia ſuſtinuere. Expenſi in hoc ipſum* Canones, & Ivonis epiſtolæ, & Regia lex noſtra. *De inſcriptione, & ſumma* cap. 1. 29. q. 2. *nova cogitatio. Non eſſe id* Julii I. *imo alienum, & aliena, quæ præponitur, ſumma à* Julii *ſæculo, & ſenſu. Revelata, quæ* Gratiano *forte fuit, errandi anſa. Secunda illatio eſt, pro explorato* Leoni *fuiſſe, & poſt inde, conſtare matrimonium ingenui cum ancillæ manumiſſa, ſeu liberta. Elucidatus* Canon Triburienſis 38. *& relata illius pars ad priſcam legem Saxonum de conjugio nobilis cum nobili. Leve in eo Canone mendum emaculatum. Elucidatus itidem* Canon Toletanus *de libertis Eccleſiæ.*

1 SUbjungimus, veluti conſectanea huic capiti legum noſtrarum, ſi quæ inferiori ſæculo, legibuſque Eccleſiaſticis, & civilibus, de conjugio ingenuorum cum libertis occurrunt, & quidem eo volentius, quo vulgata minus. Inter quæ non moramur nunc abnormem illam Anthemii Cæſaris *Novellam legem de mulieribus quæ ſe ſervis propriis, vel libertis junxerunt*, quæ patronarum, etiam ingenuarum, cum libertis ſuis conjugia, tanquam legibus nullis ante illam vetita (inconſulto errore, ut cenſorie præmonuimus ſupra *lib.* 2.) in præteritum approbavit, & dumtaxat in futurum prohibuit, ſub pœna deportationis, cui poſteriori parti ſimiles ſunt ſeveritate, & ſenſu Wiſigothorum *leges lib.* 3. *tit.* 2. *cap.* 2. *& lib.* 5. *tit.* 7. *cap.* 17. Salicæ *tit.* 14. §. 11. Longobard. *lib.* 2. *titul.* 9. §. 2.

2 Sed, ut in commune de connubio ingenuorum cum libertinis fœminis, ex legibus noſtris permiſſo, occurrit in primis, & explicatu dignum, imo & obſcurum merito videri poteſt, quod ex Leonis I. Pontificis Romani, *in Epiſtola 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum num.* 4. apud Gratianum legimus *in cap. Non omnis* 12. 32. *quæſt.* 2. *Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter coæquales multo prius hoc ipſum, domino conſtituente, quam initium Romani Juris exiſteret.* Sentit his verbis, aut ſentire videtur, Leo Pontifex, ab ipſis veluti incunabulis Romani juris, ingenuitatem, ſive æqualitatem ſtatus in conjugibus deſiderari, ut legitimæ nuptiæ ſint; quod quid, quæſo, aliud eſt, quam inter libertinos, & ingenuos non eſſe connubium? Idque etiam poſt permiſſionem legum Juliæ, & Papiæ, quatuor, & amplius ſæculis, & imperantibus Theodoſio II. & Valentiniano, quibus Leo coævus. Hanc autem eſſe Leonis ſententiam, ſuaderi vel ex eo, videtur, quod nihil aliud fere ea epiſtola agit, niſi ut uxoris juſtæ dignitatem, & munus à concubinatu diſtinguat.

3 Fuit autem inter cæteras uxoris, concubinæque differentias, quas tempeſtivius alibi proponemus, illa propria hujus loci, nec ſubticenda, utpote in qua enarranda ſcriptorem doctum alioquin, mihique multis ſuſpiciendum nominibus, cujus memoriæ libens ignoſco, lapſum comperio, quod uxorem ingenuam ingenuo cuique, ante leges noſtras, & poſt eas, ducere, licitum; concubinam autem ingenuam non ſine ſtupri crimine, quod committit, qui liberam mulierem, & ingenuam, conſuetudinis, non matrimonii cauſa retinet. *l. ſtuprum.* 34. *D. ad leg. Jul. de adulter.* niſi ſcilicet vilis, aut inhoneſta, ſeu probroſa mulier ſit *l. in liberæ* 24. *l. probrum* 41. *D. de ritu nupt. l.* 1. §. 1. *l.* 3. *Dig. de concubin.* Conſtantin. Harmenop. *in Promptuar. jur. lib.* 4. *tit.* 4. §. *penult.* vel niſi interponatur teſtatio, de qua *in d. l.* 3. & nos *ad leges noſtras*, ubi *de concubinis*, exponemus. Concinit certe his Vopiſci locus *in Aureliano*, in fine, ibi: *Concubinas ingenuas haberi, vetuit.* Conſequens eſt & illud, quod dicimus, in liberæ mulieris conſuetudine, hoc eſt, ingenuæ, honeſtæque, nuptias, non concubinatum præſumi. *dict. l. In liberæ* 24. & quod occurrit ſæpe, concubinas, aut meretrices libertinæ conditionis fuiſſe. *dict. l.* 3. *D. de concubin. l. cum tabulis* 16. § *quoniam, Digeſt. de his, quæ ut indignis. l. etiam* 56. *D. de ritu nuptiar.* Talis Fecennia illa, de qua Livius *lib.* 39. & altera apud Plautum *in Epidico.*

Ergo illam hodie volo facere libertam meam,
Mihi concubina quæ ſit.

Et apud eumdem *in Ciſtellar. actu* 1. *ſcena* 1.

——————— *eunt depreſſum;*
Quia nos libertinæ ſumus, & ego, & tua mater ambæ
Meretrices fuimus.

Horat. *lib.* 1. *Satyra* 2.

Tutior at quanto merx eſt, in claſſe ſecunda
Libertinarum, dico, Salluſtius in quas
Non minus inſanit, quam qui mœchatur.

Sed quamvis hæc non male diſputentur, alia tamen mens epiſtolæ Leonis *in dict. cap. Non omnis* 12. 4
cujus diſſertatio tota eo propendet, non ut affirmet, indicetve, non fuiſſe jure Romano ingenuis cum libertinis connubium (fuit enim, ſaltem poſt leges noſtras, multiſque ante Leonis Pontificatum annis) ſed ut oſtendat potius, ingenuitatem, & æqualem ſtatum libertatis utriuſque, quem, ſui ſæculi more, vocat, *ingenuitatem*, adeo in conjugibus requiri, non Romano dumtaxat jure, ſed etiam vetere Moſaïco, ut ancillæ cum ingenuo, ſeu libero homine, conjunctio, & conſuetudo, nunquam fuerit matrimonium, ſed contubernium, & concubinatus. Id quod Romano jure ſcitiſſimum eſt. *princip. Inſtit. de nupt.* & concubinæ plerumque ancillæ.

cillæ *l. Denique* 8. *D. de pignorib. l. pen. D. de rebus auctoritat. jud. poſſid. l. ult. Cod. commun. de manumiſſ.* Moſaïco autem jure, idem fuiſſe, oſtendit Leo, dum ſubjungit: *Itaque aliud eſt uxor, aliud concubina, ſicut aliud ancilla, aliud libera.* Et ibi, ex Geneſi, ubi dicit Abrahæ: *Ejice ancillam, & filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Et inter Moſis leges Joſephus 4. *Antiq. cap.* 8. illam recenſet: *Ancillas ne ducant ingenui.* Id quod ex Talmudiſtis, de ancillis etiam ex Gentiliſmo in Judaiſmum receptis, manente tamen ſervitute, intelligit Seldenus *lib. 5. de Jure natural. cap.* 12.

5 Deterret itaque ea Epiſtola Leo ab ancillarum contubernio, ſeu concubinatu, quibus ita conſueverant multi, maxime in Aquitania, & Narbonenſi Diœceſi, ad quam Leonis epiſtola mittitur, ut ancillas juſtæ, ac legitimæ uxoris loco haberent, ac ſuperinducerent, ut deplorat eleganter Salvianus, Maſſilienſis Epiſcopus, & ætate Leoni pene ſuppar, *lib. 4. de Vero Judic.* his verbis: *Conjugium dixi, quia ad tantam res impudentiam venit, ut ancillas ſuas multi uxores putent, atque utinam, ſicut putantur eſſe quaſi conjuges, ita ſolæ haberentur uxores. Illud magis tetrum, ac deteſtabile, quod quidam matrimonia honorata ſortiti, alias ſibi rurſum ſervilis ſtatus conjuges ſumunt, deformantes ſancti connubii honorem per degeneris contubernii vilitatem, non erubeſcentes maritos fieri ancillarum ſuarum, præcipitantes faſtigium nobilium matrimoniorum in cubilia obſcœna ſervarum, digni prorſus etiam illarum ſtatu, quarum ſe putant dignos eſſe conſortio.* Idem *lib. 7. Quis autem*, inquit, *Aquitanorum divitum non hic fuit, quem non ſibi ancillæ impudiciſſimæ, aut adulterum, aut maritum jure dixerunt;* Merito ergo tales Leo increpat, docetque, ancillæ, & concubinæ nomen, & dignitatem, ab uxoria multum differre, nec matrimonium cum ancilla præſumi, niſi & *ingenua facta* (ut loquitur proprie, ac partite minus, at ſui ſæcli locutione, cum ingenui naſcantur, non fiant) hoc eſt manumiſſa, & *dotata legitime, & publicis nuptiis honeſtata videatur.* Illuſtrat docte, alia, quamvis alio fine, & reſpectu, conſerens noſter Baſilius Legionenſ. *lib. 7. de Matrimon. cap. 54. num. 22. & ſeq.* quo illaudato, ſane illiberaliter, verba ejuſdem tranſcribit aliorum inferioris notæ Interpretum diligens nomenclator, Auguſtinus Barboſ. 4. *tom. Collectan. in Jus Pontif. in dict. cap. Non omnis.* Aſt meliore fide, quamvis per tranſitum, Baſilium laudant noſtrates, Arias de Meſa *lib* 3. *Variat. cap.* 40. *num.* 11. D. Emanuel Gonſalius *ad cap. ult. de conjug. ſerv. num.* 3. ſed & nos alia ad Leonis *Canonem lib.* 2.

6 Plane ex elucidata Leonis Primi epiſtola duo pro elucidandis aliis Eccleſiæ, & minorum gentium legibus deducimus. Primum eſt, Leonis I. ſæculo, & anterioribus, ac ſubſecutis aliquot ſæculis, conjunctionem liberi hominis cum ancilla non manumiſſa, non ſolum fuiſſe habitam pro concubinatu, & contubernio illicito, ſed omnino non conſtitiſſe, tamquam matrimonium, etiamſi liber homo, aut dominus, ancillam in ſervitute manentem ſibi eſſe uxorem, vellet. Id quod primitus probat aſſertio illa de æqualitate ingenuitatis (ſive ut expoſuimus, *libertatis*) neceſſaria, ut, quæ jungitur, ſit uxor non concubina, *multo prius*, ut S. Leo ſcribit, *hoc ipſum domino conſtituente, quam initium Romani Juris exiſteret.* Quibus verbis & ſub Romani juris appellatione, præter vetus illud Romanum jus de ſervili contubernio, cujus meminimus, reſpexiſſe Leo potuit celebrem, & ſæculo proximam, Conſtantini *legem* 1. *Cod. de natural. lib.* contra contubernia nobilium aliquot cum ancillis: ac deinde in ſuppoſito illo, de domino multo prius hoc ipſum conſtituente, ultra Moſaïcas leges, quas ſupra ex Joſepho laudavimus, reſpicere itidem potuit Conſtitutionem Apoſtolicam, apud Clementem Romanum *lib. 8. cap. 24. in extremo: De ſeparando, aut abjiciendo fideli, aut fœmina, ſi ſervis copulentur.* Ex qua conſtitutione, adjunctis *Aurelianenſi, Cabilonenſi, & S. Baſilii Canonibus, & Salicis, Longobar-*

diſque legibus, ita Eccleſiam, primis illis ſæculis, de ſervilibus conjugiis cenſuiſſe, agnoſcit judicioſe noſter Gonſalius *ad cap. ultim. num.* 3. & 7. *de conjug. ſerv.* ubi, & *num.* 11. de conſentiente eiſdem, ex eadem Leonis Epiſtola, *textu in cap. ancillam.* 11. 32. *quæſt.* 2. Et ex *Capitulari* Caroli Calvi, laudantis in hoc ipſum Leonis primi epiſtolam, ſenſit itidem Joannes Seldenus *in uxore Hebr. cap.* 3. Adde, eidem Leonis ſenſui adſtipulantes, de improbato conjugio liberi hominis cum ancilla, D. Hieronymum *Epiſtol.* 83. (cujus inſignem locum illuſtravimus *ſupra lib.* 2.) Ambroſium *Serm. 3. de S. Joanne Baptiſta*, ut apud Gratianum *in cap. non dicat.* 9. 32. *quæſt.* 4. Salvianum *lib* 4. & 7. *de Provid.* Theodor. Balſamonem *ad Synodum 7. in Trullo cap. 85. & ex legibus Wiſigoth. lib. 3. tit. 2. cap. 2. & ſeq.*

7 Atque hæc ita ſubſtitere, ex priſcæ Eccleſiæ cautione, & cenſura, quæ, Romanis, & Hebræis legibus, ſervilia conjugia improbantibus, pro tempore acquievit, eo etiam intuitu, ne dominis in jure ſuo, erga ſervos, Eccleſiaſticæ leges injuriæ, aut inviſæ fierent, ſi ſerviles conjunctiones, utique invitis dominis initas, haberet pro nuptiis ratis, aut juſtis; unde, imo & ex eodem intuitu, nec ſacram eis Græca Eccleſia benedictionem impendit, uſque ad ſæculum decimum, & Alexii Comneni conſtitutionem, quam recitat Balſamon *ad Synod. 6. in Trullo cap.* 85. Jam vero & ante id ſæculum, exoleſcente inter Chriſtianos ſervitutum nomine, & jure, & prævalentibus Apoſtolicis illis dictatis, quod apud Deum non eſt diſtinctio liberi, & ſervi, & unus Deus Dominus pater omnibus eſt, obtinuit, ut ſervilia conjugia, inter ſcientes contracta, etiam invitis Dominis, ſuſtinerentur Eccleſiaſticis legibus, ſalvo Dominorum jure, ut liquet *ex cap.* 1. & *ſeq. de conjug. ſerv. cap. Illud* 11. *de præſumpt.* cum his, quæ apud Gratianum ex Zacharia Papa, & Wermerienſi, ac Triburienſi Concilio extant *in cap.* 2. 4. 5. & 7. 29. *quæſt.* 1. Jungenda *Capitularia* Caroli M. *lib. 6. cap.* 94. Ivo Carnotenſis ſcite inter conjugium ſcientis cum ancilla, & inſcientis, diſtinguens *Epiſt.* 242. quamvis in eo aliter, & inconſpecte idem *Epiſt.* 221. Jungenda item *lex Regia noſtra, tit. 5. part.* 4. in qua priora verba illa: *Uſaron de luengo tiempo aca, è tuuolo por bien Santa Egleſia, que caſaſſen comunalmente los ſiervos, è las ſiervas en uno*, indicant, me indicante, non ab initio, neque ſemper conjugia ſervilia Eccleſiam approbaſſe, ſed à longo tempore, & poſt *leges illas Wiſigoth. lib. 3. titul. 2. §. 2. & ſeq.* Sed inter Canones, approbantes ſervilia conjugia, non numero *Caput 6. ex epiſtola* 1. Gregorii Magni *lib.* 6. quia ea non de conjugio ſervili ſuſtinendo, ſed de contracto cum libera, cujus poſtea impugnata libertas, & tandem approbata fuerat.

8 Unum vel tranſiens non diſſimulo, ſuſpectum mihi eſſe, ne ſuppoſititium dicam, quod apud Gratianum, tamquam ex Julio Papa, ſcilicet I. *in cap.* 1. 29 *quæſt.* 2. cujus ex ratione, & verbis, quæ non deſcribo, & conſentanea poſterioribus Eccleſiæ legibus ſervilia conjugia approbantibus, ſuperſcripſit Gratianus lemma illud: *Licet ſervo matrimonia contrahere.* At ea aſſerta, adſcripta Julio I. qui in Pontificatu Conſtantiniano ſæculo compar, deviat omnino à ſæculi illius, & Eccleſiæ ſenſu, quæ ingenuorum cum ancillis conjugia adeo tempore illo non habebat pro licitis, & non dirimendis, ut potius improbaret, aut ſepararet, ut poſt Clementem Romanum ex Hieronymo, Ambroſio, Leone, Salviano, & aliis Canonum, legumve gentium auctoramentis, Julii I. ætati ſupparibus, aut inferioribus, ſupra oſtendimus. Accedit ſuſpicioni noſtræ, quod id Decretum, Julio adſcriptum, neque in collectione epiſtolarum Pontificum, inter Julii epiſtolas, neque inter eaſdem in tomis Conciliorum Generalium habetur, niſi in additis ex fide Gratiani, & conſultò, ut credere eſt, ab Antonio Auguſtino omiſſum in *Epitome Juris Pontificii, lib. 10. tit.* 25. utcumque id, tamquam ex Julio I. laudet, & pro-

ſtabilitate ſervilium conjugiorum, eo veluti fundo, & fulchro primario utatur noſter Baſilius Legionenſis, Gratiano huic bene credulus, & inter Eccleſiæ ſæcula, & ſenſum in hac re non diſtinguens, nec ſatis ſibi conſtans, *lib. 7. de Matrim. cap. 42. n. 2. & cap. 54. n. 25.*

9 Accedit etiam non jam ſuſpicioni, ſed detegendæ errati cauſæ, quod, ut Gregoriani ad Gratianum Correctores prænotavere, id ipſum decretum apud Burchardum *lib. 9. cap.* 18. & in Decreto Ivonis Carnotenſis *part.* 8. *cap.* 156. continenter, ſeu continuato textu appingitur decreto illi, quod Julii Papæ adſcriptum, & ſub illius nomine apud Gratianum legitur *in cap. ſi quis ancillam* 3. 29. *quæſt.* 2. in quo nos jam initio hujus capitis, mendum Juliani nominis revelavimus, & ancillæ, pro, alumna, mentionem ſuſtulimus. Cui tamen decreto veluti concinentem ſententiam de uno Deo omnibus, & æquali lege tam liberis, quam ſervis, Burchardus, & Ivo, juxta ſui ſæculi Eccleſiæ ſenſum ſubjungere. At ſecutus illos Gratianus eamdem ſententiam, diſcretam a *Canone illo, ſi quis ancillam*, & addita ex Panormia, aut de ſuo clauſula illa, *ſi autem*, ut Eccleſiaſticis ſui ſæculi legibus de ſervilibus conjugiis aptaret, *in rapsbodiam* ſuam retulit, retento Julii I. nomine, quod *in Decreto*, cujus appendix erat, exſtabat, tametſi utrobique mendoſe, ut jam cenſemus, non conjectamur.

10 Eget etiam Interprete quod ex Julio Papa proponitur *in cap. ſi quis ancillam* 3. 29. *quæſt.* 2. *Si quis ancillam ſuam libertate donaverit, & in matrimonium ſibi ſociaverit, dubitatur apud quoſdam, utrum hujuſmodi nuptiæ legitimæ eſſe, videantur, an non. Nos itaque vetuſtam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima eſſe, cenſemus. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, & nihil impium, & legibus contrarium in tali copulatione fieri poteſt, quare prædictas nuptias inhibendas, exiſtimemus?* Obſcura, inquam, mihi ea verba; quippe ſi Papia lege, jam ab Auguſti ævo permiſſa, comprobataque ingenuorum maſculorum cum libertinis fœminis conjugia, non video, cur, aut quorſum dubitari apud quoſdam, potuerit, ſub Julio I. Romano Antiſtite (quem præfuiſſe Eccleſiæ, conſtat, imperante Conſtantio, Conſtantini Magni filio anno Chriſti 336. trecentis, & quinquaginta circiter poſt latas leges noſtras annis) an domini cum ancillæ manumiſſa, & liberta, legitimæ nuptiæ eſſent, aut quo ſaltem colore deciſam in hac parte à Julio Pontifice vetuſtam ambiguitatem dicamus, quæ poſt Papiam legem, nulla ſupererat. Quid quod, ut *nuper cap.* 2. diximus, ancillam matrimonii cauſa manumittere, receptum adeo poſt Julias leges, ut etiam minori viginti annis permittatur lege Ælia Sentia, eo addito, ut matrimonii hæc cauſa, apud Conſilium probetur, & intra ſex menſes juſta uxor ducatur *§. eadem 4. cum ſeq. Inſtitut. quib. ex cauſ. manum. non licet.* cum aliis, de quibus poſtea.

11 Deinde illud, quod ſequitur, & pro certo quaſi ſuponitur, *ex affectu fieri omnes nuptias*, certum eſſe non potuit Julii I. temporibus. Quippe Romano jure vetere nuptias impares, etiamſi affectus contrahentium adeſſet, illegitimas eſſe, conſtabat, ut docuimus *ſupra cap.* 1. ac præterea his etiam caſibus, quibus impares nuptiæ permiſſæ, veluti lege Papia inter ingenuos, & libertinas, non aliter valuiſſe, niſi dotalibus inſtrumentis confectis, ante Juſtinianum *in l. imperialis* 23. *§. ims etiam, Cod. de nupt.* vel niſi profeſſione apud acta, qualis proponitur *in l. laudabile* 4. *§. quoties, Cod. de advocat. diverſ. Judic. Novella* 117. *ut liceat matri, & aviæ, cap.* 2. quod & jus Juſtinianus in quibuſdam cauſis retinet *l. cum quis* 10. *cum leg. ſeq. C. de naturul. lib. §. ult. Inſtit. de nupt. Novella de inceſtis* 12. *cap.* 4. *& Novella* 18. *de triente, & ſemiſſe, cap.* 11. *& Novell.* 117. *cap.* 4. de queis exactius *ſupra lib.* 2. Regulariter autem impares nuptiæ ſolo affectu ante Juſtinianum non fiunt, proinde neque Julii temporibus, qui centum, & quinquaginta amplius annis Juſtinianum præceſſit. Accedit *impium* illud, quod his domini nuptiis cum liberta, à quibuſdam forſan objectum Julius ſignificat, removetque, congruere non ſatis proprie poſſe his nuptiis, in quibus nulla inceſtæ, nefariæve conjunctionis, vel tenuis macula eſt, nulla impietatis, ſint licet viles, parumque decoræ.

12 His quidem non perpenſis, tentarunt ante Emundum Merilium *ad* 50. *deciſiones Juſtin. in l.* 26. *Cod. de nupt. num.* 4. non ſatis firmo aſſenſu, Archidiaconus, & Bellamera *in dict. cap. ſi quis ancillam*, ſumptum fuiſſe id fragmentum *ex l. ſi quis* 26. *C. de nuptiis*, ducti, & edocti, ut ſuſpicor, ſimilitudine verborum, quæ eadem fere exſtant *in d. cap. ſi quis* 26. *& in d. cap. ſi quis ancillam.* Idque mihi, tametſi Gregorianæ emendationis Patribus permiſſum, videtur certe certum, & explicandis ſingulis, quæ objecimus, perquam idoneum. Eſt enim quod proponitur *in dict. cap. ſi quis*, prior pars conſtitutionis Juſtiniani *in dict. l. ſi quis* 26. in qua cum hæc epigraphe ſit: *Idem* (ſcilicet Juſtinianus) *Juliano PP.* ſive *Idem A. Juliano Præfecto Prætorio*, natus ex noſtris error eſt, ſive is Gratiani, ſive Ivonis, Burchardi, aut alterius novioris, antiquiorisve exſcriptoris fuit, & mendoſe repoſitum, *item Julius Papa*, ut apud Gratianum, hodieque legitur, cujus ex fide Julio I. Pontifici inter decreta ejuſdem tribuitur in Panormia *decreti* Ivonis Carnotenſis Epiſcopi *lib. 6. cap. 7.* ſive 3. *p. decreti cap.* 156. & in vulgatis collectionibus Conciliorum, epiſtolarumque Pontificum, cum tamen nuſquam conſtet, ac ne conſtare quidem poſſit, quando, aut inter quos, Julius Pontifex ita decreverit.

13 Verum, emaculata apud Gratianum epigraphe *d. cap. ſi quis*; & *alumna*, pro, *ancilla*, ſubſtituta, elegans eſt quæſtio, & deciſio. Quæſtio hæc: an educator, idemque dominus alumnam, ancillamque ſuam, libertate donatam, poſſit legitimam uxorem ducere. Dubitandi cauſa ex eo, quod impium conjugium videtur, cum alumni loco filiorum ſint, & educatores vice parentum, ut Servius notat ad illud Virgil. *lib. 6. Æneidos:*

Nec non & Tytium terræ omniparentis alumnum
Cernere erat.

Nonius Marcellus in voce, *Alumnos*, ubi & Pacuvianum hoc profert:

Quæ deſiderio alumnum, pœnitudine,
Squale, ſcabreque, & inculta vaſtitudine.

Multa Statius Papinius *lib. 2. Sylvar. Epiced in Glauciam Melioris.* Seneca *lib. 5. Controv.* 33. Sueton. *in Claudio, cap.* 39. Quintilianus *Declam.* 358. Conducunt ex libris noſtris textus *in l. quidam* 132. *D. de verb. oblig. l. 3. §. ſi cum 4. D. de hom. lib. exhib. l. Codicillis* 34. *§. ult. D. de uſufr. leg. l. Lucius* 88. *§. Lucius, D. de legat.* 2. *l. Neſſenius* 32. *verſ. ſimilis, D. de excuſat. tut. l. in teſtamento* 38. *D. de fideicom. libert. l. nutritoribus* 10. *Cod. commun. de ſucceſſ. l.* 1. *§. ſed nec in alumno* 10. *D. de S. C. Syllan. l. cum tabulis* 16. *§. quoniam, D. de his, quæ ut indig. cap. Tranſmiſſæ* 3. *qui filii ſint legitimi*, cum aliis, de queis plura majores, noſtrateſque. Illud in re præſenti non ſubticendum, quod ex conjunctione, & neceſſitudine iſta inter nutrices, & alumnos fluxit, nempe prohibitum fuiſſe Moſaïcis legibus concubitum cum nutrice, ſi credimus Joſepho *lib. 3. Antiquit. cap.* 14. quod tamen nullo hactenus Sacræ paginæ loco proditum, memini. His tamen, & ſimilibus forte argumentis ſimile vero eſt, non paucos ex veteribus juris auctoribus extitiſſe, qui nuptias educatoris domini cum alumna manumiſſa legitimas eſſe, negarent. Affirmat tamen cum aliis, veterem ambiguitatem decidens, Juſtinianus, nempe quia quamvis quodammodo ſit alumna loco filiæ, non tamen vere filia, natura, aut jure; idcircoque cum jam nuptiæ, impares etiam, introductæ ſint ex affectu, etiam ſine dotalibus inſtrumentis, aliiſve ſolemnibus, ut Juſtinianus ipſe introduxerat *in dict. l. imperialis*

23.

Google

23. §. *imo etiam*, *Cod. de nuptiis* (exceptis illis caſibus, qui exprimuntur illius *Novellis* 12. *cap.* 4. & *Novell.* 18. *cap.* 11. & *Novell.* 117. *cap.* 4.) non eſt cur inhibeantur nuptiæ, in quibus nihil impium, aut legibus contrarium invenitur, nec enim ulla inceſtæ conjunctionis, aut pietatis, per eam violandæ, ſubeſt ſuſpicio, niſi ſcilicet quam alumnam nunc vocat, habuerit, educaveritque loco filiæ, vel naturalis, vel adoptivæ, quod tamen, ſi eam ducere uxorem velit, non præſumitur, ut Juſtinianus tandem concludit.

14 Secundum ex eadem illa Leonis epiſtola *dict. cap. non omnis*, *in fine*, indubie deciditur, conſtitiſſe ingenuorum matrimonia cum ancillis manumiſſis, ſeu libertabus, quod &, ut indubitatum, utique poſt leges noſtras, ſupponit Juſtinianus *in Novella* 18. *de triente*, *cap.* 11. & laudati ſupra Hieronymus *Epiſtol.* 83. Ambroſius *in cap. non dicat* 9. 32. *quæſt.* 4. Annectimus tamquam Leonis, & rei appendicem, ex Triburienſi Concilio ſub Formoſo *Canonem* 38. in quo, relatis Leonis verbis, ſtatuitur, ut *quiſquis liber libertam, hoc eſt ancillam per manumiſſionem, & regalem largitionem liberam factam, legitime in matrimonium duxerit, ulterius habere debeat, tamquam unam ex nobili genere progenitam.* Et in extremo ſubjungitur: *Hæc eadem lex, pro qualitate ſexus, ſit fœminis, & maſculis libertas*, ſive ut alias legitur, *libera.* In quo tamen Triburienſi Canone duo, nondum notata, curſim attingimus. Primum, verba illa, *tamquam unam ex nobili genere progenitam*, reſpexiſſe videri, & dubitandi, ac decidendi cauſam referri poſſe ad leges Saxonum, apud quos, ut Adamus Bremenſis, vetus Chronographus memorat *lib.* 1. *Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.* 5. *Firmatum legibus fuit, ut nulla pars in copulandis conjugiis propriæ ſortis terminos transferat. Sed nobilis nobilem ducat uxorem, & liber liberam, libertus conjungatur libertæ, & ſervus ancillæ.* Sic enim in ejuſdem Concilii *Canone* 39. qui ſequitur, & interciſus exſtat *in cap.* 1. *de ſponſalib.* ad Saxonum in conjugus leges alias reſpicitur, & fortaſſe ad hanc eamdem, dum apud Burchardum *libr.* 9. *cap.* 76. & Ivonem 8. *part. cap.* 213. de nobili Franco, nobilem uxorem Saxonicam ducente, theſis ponitur, ut præmonuimus *ſupra libr.* 2. ad eum Triburienſem Canonem, & ſane fuit Concilium illud collectum ex Epiſcopis Saxoniæ magna ex parte, & Franconiæ, ac Sueviæ, ut ex ſubſcriptionibus liquet, & ex notatis à Baronio *tomo* 10. *Annal. ad ann.* 895.

15 Deinde pro extremis verbis illis, *ſit fœminis*, & *viris libertas*, ſeu *libera*; malumus legi, *libertis*, ut ſenſus ſit, perinde atque à maſculo ingenuo ancillam manumiſſam, ſeu libertam uxorem ductam, ſtatuitur, debere haberi pro uxore; ita etiam ſi fœmina ingenua, & patrona ſervo ſuo manumiſſo, ſive liberto nupſerit, debere eum deinceps haberi pro marito, quod poſtremum caveri & exprimi, oportuit, quia conjugium ingenuæ fœminæ cum liberto, & maxime patronæ ingenuæ cum liberto ſuo, ſemper pro odioſo magis habitum, & improbatum, quam ingenui cum liberta ſua, & prohibitum, non modo poſt leges noſtras Juliam, & Papiam, & per Anthemii *Novellam de mulier. quæ ſe ſervis*, ſed adhuc, poſt Juſtinianum, inferioris ſæculi, & gentium legibus, ut Longobard. *lib.* 2. *tit.* 9. §. 2. Alamanorum *tit.* 18. Wiſigothorum *lib.* 2. *tit.* 2. §. 2. & *lib.* 5. *tit.* 7. §. 17. donec tandem Eccleſia, neglecto impedimento diſparis ſtatus, ſervilia etiam conjugia ſuſtinuit, ut ſupra diſtinximus, proinde & multo magis ingenuæ fœminæ cum liberto, atque hunc Eccleſiæ ſenſum Triburienſes patres ſecuti.

Nec diffitemur, ut finiamus, diſſonare à nuper poſitis *Canonem* 12. *Concilii Toletani* 9. in uno de Eccleſiarum libertis, indiſtincte, tam viris, quam fœ- 16
minis ſtatuitur, ne connubii cauſa copulentur ingenuis, Romanis, aut Gotthis. Verum ea conſtitutio, quamquam *in verſic. igitur*, ſe referat ad rationem illam communem de non maculanda ingenuitate conjugio degeneri, & ad Wiſigothorum laudatam *legem lib.* 5. *tit.* 7. §. 17. *verſ. atque inde*, pertinuit proprie ad libertos Eccleſiarum, in queis tam maſculis, quam fœminis, & eorum propagine, ut præmonuit noſter Gonſalius *ad cap. ultim. de conjug. ſerv. num.* 13. ſubnixa fuit ſpeciali ratione, ne, connubii cum ingenuis obtentu, à perpetuo, quo Eccleſiis tenebantur, obſequio, & patronatu ſe ſubtraherent, ut exprimitur *ſequenti Canone* 13. cui fini, aliis cautionibus, plures eo ævo Canones proſpexere, de queis Nicolaus le Maiſtre *lib.* 3. *de bonis Eccleſ. cap* 9. & 10. ſuperaddimus in id ipſum ex Emeritenſi Concil. *Can.* 20. *verſic. quod ſi contigerit.*

C A P U T IV.

A N A L E C T U M

Ad Legem Spadonum 128. de verb. Signif.

Spadones, ſive Eunuchi, an, & quadamtenus comprehenſi legibus Julia, & Papia.

A R G U M E N T U M

DE Ulpiano *ex* lib. 1. ad leges Juliam, & Papiam, in l. 128. de verb. ſign. Cujacii, *aut* Balduini *ſuſpicis, credentium, legibus noſtris cautum, ne Eunuchi ante octodecim annos teſtarentur, eoque referentium* d. l. 128. *vix probabilis vel ex eo, quia* lib. 1. Ulpianus, *& alii non de teſtamenti factione improlium, & cœlibum, ſed de connubialibus commentati. Referendus itaque potius ad hæc* Ulpianus, *& fortaſſe ad quæſtionem de Spadone, manumittente, matrimonii cauſa, ut* in l. 14. §. ult. D. de manum. vind. *ſive ad ſpeciem* l. 6. §. ult. de Jure Patron. *Spadones, & Eunuchi, qui, & unde dicti. Generale eorum nomen tam de ſterilibus natura, quam de exſectis. Varie, & ex variis id illuſtratum. At pro re, & ſpecialiter Spado dictus, qui morbo ſterilis, & qui compos connubii, diſtinguendus à caſtratis, qui omnino exſectus, & impos conjugii. Diſtinctis, & ejus ratio aſſerta ex* Theophilo, *&* Baſilicis, *atque eadem quoad adoptionem, & poſthumi inſtitutionem, ac redhibitoriam. Spadones non excluſi à militia, aliter atque exſecti penitus. At non penitus, ſeu non omnino abſciſſi, concupiſcentia fere viri, neque ingrati impudicæ Veneri.* Eccleſiaſtici *de his* Textus Sacri, *& ex* Trullanis Can. 5. *elucidatus. Ex motu proprio* Sixti *V. P. M. exſecti, utroque teſte carentes, tamquam improles, ſubmoti à nuptiis.* Jacobi Gothofredi *conjectatio de Spadonibus, à connubio excluſis per* Juliam, *&* Papiam, *rejecta* ex l. 39. §. ult. D. de Jure Dot. l. 6. Digeſt. de liber. & poſthum.

1 SEd dum *reliqua cogimus, & exhauſta hujus capitis materia, circumſpicimus, non quid dicamus, ſed quid non dixerimus*, ut eleganter Seneca noſter *lib.* 7. *de Benefic. cap.* 1. venit peropportune in memoriam Ulpiani locus *lib.* 1. *ad legem Juliam, & Papiam, in l. Spadonem* 128. *D. de verb. ſign.* qui niſi huc referatur, non facile, quo jure tractationem Juliæ, Papiæque legum diſputatio illa attingat, diffiniri poterit. Certe nullo alio ex capite proprie, & commode magis explicari poſſe, contenderim. Nec Cujacium audio *in Recitationibus d. l. Spadonum* 128. dum quod Paulus ſcripſit *lib.* 3. *Sentent. tit. de teſtam.* §. 2. Spadones nonniſi ab eo tempore, quo plerique pubeſcunt, hoc eſt anno decimo octavo, teſta-

mentum facere poſſe, credit, definitum fuiſſe legibus noſtris Julia, & Papia, quæ ſobolis ſtudioſæ fuerunt, & his, qui generare nollent, vel non poſſent, infenſiſſimæ, & ad hoc caput legum noſtrarum reſpicere diſputationem Ulpiani, *in dict. l. Spadonum* 128. Ego tametſi videam, Cujacii non laudati, aut potius Balduini *de lege Papia*, Guil. Fornerii *ad leg. Spadonum* 128. *D. de verbor. ſignific.* veſtigia, in conjectura iſta, ſecutum Academicum noſtrum, & amiciſſimum, Amaiam *lib.* 3. *Obſerv. cap.* 6. *ex num.* 25. multa inſuper de æquali fere cœlibum, & Eunuchorum, circa teſtamenti factionem, jure docte expendentem, & in contrarium pro Eunuchorum excuſatione à pœnis cœlibatus, & orbitatis ex noſtris legibus ſtantem Joannem Gedæum *ad dict. l. Spadonum* 128. *in fine*, ſepoſito tamen interim, ac veluti ſuſpenſo ea de re judicio, illud jam nunc admoneo, non poſſe, niſi incommode nimis referri diſputationem *dict. l. Spadonum* 128. ad eam partem legum noſtrarum de pœnis improlium, quia eam Ulpianus, & alii, commentariorum ad leges noſtras auctores, poſtremis eorum libris interpretati ſunt, utpote poſtremam etiam ordine legum noſtrarum, ut ex fragmentis veterum Juriſconſultorum ad eas inſcriptis, & in Pandectas relatis licet colligere, quomodo item in Cujacium, & fortaſſe Amaiam noſtrum comperio, poſt hæc ſcripta, ſtare Jacobum Gothofredum *in fontibus legum*, & *notis ad Juliam de maritandis*, *pag.* 318.

Porro cum in prioribus libris, atque in primo po-
2 tiſſimum, Ulpianus noſtrarum legum capita, quæ de maritandis ordinibus, ſive de matrimoniis ingenuorum cum libertinis, & Senatoriorum cum aliis, attigerit, ut apparet ex inſcriptionibus *l. ingenuum* 25. *D. de ſtatu homin. l.* 5. *& l. emancipatum* 7. *D. de Senatorib. l. palam* 43 *D. de ritu nupt. l. ultim. D. de Jure aureor. annul. l. ſi libertinus* 4. *D. de colluſ. deteg. l. res judicata* 207. *D. de reg. Jur.* ad iſtam potius partem legum noſtrarum pertinere ſententiam *dict. l. Spadonum* 128. *ex libro* 1. *ad legem Juliam, & Papiam*, crediderim. Niſi ſi quis malit, reſpicere eam diſputationem ad aliud caput legum noſtrarum, quo remittitur jusjurandum liberto impoſitum, ne uxorem ducat. *l. quæſitum* 31. *cum l. ſeq. D. qui, & à quibus l. qui contra* 15. *l. adigere* 6. *§. ultim. de Jure Patron.* in cujus *l. §. quamvis* ſcriptum eſt, non facere contra legem Patronum, qui caſtratum libertum jurejurando adegerit, ne uxorem ducat, qua certe occaſione convenienter de Spadonum, & caſtratorum generibus diſputari potuit, *in dict. l. Spadonum* 128. Verum cum illud caput poſterioribus libris ad leges noſtras attigerint Juriſconſulti, & octavo potiſſimum, ut liquet ex epigraphe *dict. l. qui contra* 15. *& dict. l. quæſitum* 31. *cum l. ſeq.* commodius ad hoc noſtrum referri, arbitror, *d. l. Spadonum* 128. Proinde cum Ulpianus caput hoc noſtrum, de permiſſu nuptiarum ingenuorum cum libertinis exponeret, ſimulque illud legis Æliæ Sentiæ, noſtris, ut dixi, legibus conſentaneum, ſeu ſuccidaneum, de permittenda, minori viginti annis, Domino manumiſſione ancillæ, matrimonii cauſa, attigit illam forte quæſtionem, quam in eodem hoc argumento Marcianus propoſuit *in l. alumnos* 14. *§. ult. D. de manum. vind.* an ſcilicet Spado Dominus, idemque ingenuus poſſit ancillam, matrimonii cauſa, manumittere, quam legitimam poſtea uxorem ducat. Cui forſitan quæſtioni, vel expediendæ, vel expoſitæ, adjunxit, ſeu præmiſit Ulpianus ſententiam illam de Spadonum appellatione, & generibus *in d. l. Spadonum* 128. eamque & nos, quia quadamtenus ejus inſcriptio flagitat, breviter percurremus.

3 *Spadonum*, aït Ulpianus, *generalis appellatio eſt, quæ nomine tam hi, qui natura Spadones ſunt, item thlibiæ, thlaſiæ, ſed & ſi quod aliud genus Spadonum eſt, continentur.* Exſtat ejuſdem ſumma *lib.* 33. *eclog.* 1. *cap.* 52. *in Synopſi Baſilicon*, & in ipſis Baſilicis *lib.* 2. *tit.* 1. *& lib* 33. *tit.* 1. Præmonemus (*ne autem pudeat neceſſariæ interpretationis, natura veneranda eſt, non erubeſcenda*, ut Tertullianus graviter *lib.* 3. *de Anima*, *cap.* 27.) *Spadonum*, vocem, quamvis Stephanus de *Urbibus* à Vico Perſico, *Spada*, in quo primum caſtrari mares cœpti, derivet, Accurſius autem, & congeneres à *Spata*, ſeu *Novacula*, qua virilia abſcinduntur; deduci tamen verius ἀπὸ τοῦ σπᾷν quod Græcis eſt, *evellere*, & *contorquere* interdum, ac *detorquere*. Unde apparet, *Spadonum* nomine, non eos modo comprehendi, quibus exciſi ferro, aut teſta, vel attriti, aut contuſi virilitatis nervi, ſed eos etiam, qui ſteriles ſunt natura, vel quia ſine teſtibus nati ſunt, vel propter vitium aliud, veluti ſi ita eis diſtortus, contortuſve ſit meatus ſeminis, ut id per virgulam emitti, ferive, nequeat, de quo Ariſtotel. *lib.* 2. *de Generat. animal. cap.* 5. *in fine, & ſect.* 4 *problemat.* 27. Cornel. Celſus *lib.* 7. *cap.* 18. Plutarchus *lib.* 5. *de placitis Philoſophor. cap.* 13. *& ſeq.* & ex Galeno *lib.* 15. *de Uſu partium*, & aliis medicis: Andreas Laurentius *lib.* 7. *Hiſtor. Anatomicæ, quæſt.* 1. *& ſeq.* Jul. Scaliger *exercitat.* 277. *in Cardanum ſect.* 4. Anton. Muſa *in Aphoriſmis Hyppocratis, & Galeni aphor.* 28. Nicol. Florentia *de Membris natural. ſerm.* 6. *tractat.* 3. *cap.* 3. Recte itaque Ulpianus definit, Spadonum appellationem generalem eſſe, eaque ita etiam utitur ipſe *in l. ſi ſerva* 39. *§ ultim. D de Jure Dot.* Mamertin. *in Panegyrica Juliani*, ibi: *Nec viros quidem, ſed muliercula exambibant, nec fœminas tantum, ſed Spadones quoque, quos quaſi à conſortio humani generis extorres, ab utroque ſexu, aut naturæ origo, aut clades corporis ſeparavit.* Inde Spadones per tranſlationem vocari ſurculos ſteriles, & fruge carentes, aiunt Columella *lib.* 3. *de Re Ruſtic. cap.* 10. Div. Iſidor. *lib.* 17. *Origin. cap.* 5. Sicut Spadonia mala, à conditione caſtrati ſeminis, Plinius *lib.* 15. *Natur. Hiſtor. cap.* 14.

Eadem, generaliſque itidem vocis, *Eunuchus*, 4
notio, & uſurpatio eſt, ſive ab εὐνὴ, καὶ ἔχω, dictos velimus, cum Leone Philoſopho *Novella* 97. *de pœna Eunuchor.* illic: *Cubiliſque fidi, & extra ſuſpicionem, cuſtodes, quod ſane vocis ipſe ſonus promittit.* Sive quaſi cuſtodes cubilium, quæ olim quam Eunuchorum militia progrediebatur, ut Claudianus alibi, ſive quaſi εὐνῆς τὸ ἔχειν, *coëundi impotentes*, teſte Euſtathio *Iliados X.* ſive denique ab εὐνοεῖν, quod ſe benevolos, fidoſque uxorum cuſtodes maritis præbeant, ut aït Epiphan. *lib.* 2. *contra hæreſes.* Theodoretus *ad illud Geneſis* 39. *Emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis.* Nazianzenus *Oratione in ſanctum Baptiſmum. Hunc tibi pudicitia* (Baptiſmum) *cuſtodem adjunge, innumeris Eunuchis, & janitoribus tutiorem.* Undecumque certe ea vox deducatur, conſtat ſatis, Eunuchorum appellatione generali, ſicut & Spadonum, ſignificari genus omne ſterilium, qui naſcuntur, aut fiunt: idque aperte Theophilus noſter teſtatur, *in §. ſed & illud* 9. *Inſtit. de adopt.* & ex eo ad verbum fere Harmenop. *in Promptuario, lib.* 2. *tit.* 8. vetus juris Gloſſarium Græcanicum, editum à Carolo Labbæo, cujus verba in Latinum, qualitercumque ſic vertimus: *Eunuchi tripliciter dicuntur. Vocantur ſic Spadones, qui naturæ vitia, morbove affecti, in genitalibus membris, liberos procreare non poſſunt. Et thlibiæ, quibus ſub nutrice, vel matre contigit, teſticulos eliſos ſubſidere; & caſtrati, quibus exſecta ſunt genitalia.* Idque ſatis, ut teſtimonia leviora omittam, probat vulgatum illud Chriſti Domini noſtri, apud Matthæum *cap.* 1. *Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt, & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus, & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum.* Cujus hæc elegans Paraphraſis apud Hieronymum *lib.* 1. *adverſus Jovinianum: Alios Eunuchos natura facit, alios vis hominum: mihi illi Eunuchi placent, quos caſtravit non neceſſitas, ſed voluntas: libenter illos in meum ſinum recipio, qui ſe caſtraverunt propter Regna Cœlorum, & ob mei cultum noluerunt eſſe, quod nati ſunt*; exſtat in *cap. qui ſtit.* 33. *quæſt.* 5. quibus, præter Auguſtin. *de ſancta Virginit. cap.* 23. *&* 24. Baſilium Magnum *eodem Tractatu*, alioſque, aliis laudatos, conſentit Tertullian. *de Cultu fœminar. cap.* 9. ibi: *Non enim & ita multi faciunt*,

tiunt, & ſe ſpadonatui adſignant, propter Regnum Dei, tam fortem, & utique permiſſam voluptatem ſponte ponentes. Ciailia Archiepiſcopus Toletanus *in vita S. Ildephonſi*, qui ab ipſis incunabulis, ab ineunte ætate, Eunuchus permanens, magnum in ſe habitaculum præparavit, qui non manubrio, vel manu, ſed divino ſecatus eſt gladio, nec ingenio ferramentorum ſecavit libidinem, ſed munere cœleſti promeruit ſanctitatem. Sic denique *Eunuchorum* appellatio uſurpatur *Canone Apoſtolor.* 20. & in Concil. Nicæno *cap.* 20. ad quem plura Photius *in Nomocan. tit.* 1. *cap.* 14. & Theodor. Balſamon. *in Scholiis.* Anonymus Scholiaſtes Baſilicon *lib.* 1. *Selector. cap.* 8. Joannes Seldenus *lib.* 5. *de Jure nat. cap.* 16. qui priores Eunuchos homines dictos à Talmudis, notat, paſſimque apud Gratianum *cap. ſi quis* 4. *cum ſeq.* & *cap. Eunuchus* 8. §. *diſtinct. cap.* 3. *de corpore vitiatis.* Nec plura nos pro Ulpiano de verbis, ne pervulgata leaica compilare videamur, præſertim cum ſcitiſſimum ſit, quinam *Thlibiæ*, aut *Thlaſiæ* dicantur, de queis multa ex veteribus noviores *ad d. l. Spadonum* 128. & monere paucis, poſſimus, *Thlibias* eos dici, quibus attriti teſtes; *Thlaſias* autem, quibus contuſi, compreſſive, ſicut & alii ἐκτομίας, ſive *Caſtrati*, quibus exſecti, abſciſſive; de quo poſtremo genere multa Cornel. Celſus *lib.* 7. *de re Med. cap.* 19. ac de ſingulis Paulus Ægyneta *lib* 6. *cap.* 54. *Erant vero*, inquit, *faciendi multi modi; quidam enim fiebant exciſione teſtium. quidam verctri etiam cum teſtibus, qui mingebant fiſtula ænea, ut nunc quoque, quibus ob morbum ea pars eſt ſecta: quidam fiebant teſticulorum attritione Ea vero erat puello in balneum demiſſo paulatim teſticulos atterere, uſque dum veluti diſſipati evaneſcerent, atque contorquere, ut vena, quæ alimentum illis defert, velut nodo intercaperetur, atque ita illi tabeſcerent. Itaque erant Eunuchi teſtibus exciſis ſolis, aut etiam cum veretro, & contritis, qui propterea vocabantur Thlibiæ.*

5 De re itaque potius videamus, in qua Ulpianus ipſe ſcribit, *in l. ſi ſerva* 39. §. *ult. D. de jure dot.* cum quæritur, an Spado uxorem ducere poſſit, & conſequenter, an & ancillam matrimonii cauſa manumittere, quam libertam poſtea ipſe ingenuus uaorem habeat, juxta leges noſtras, diſtinguendum eſſe Spadonem *a* caſtrato, ſicut & *in dict. l. alumnos* 14. §. *ult. D. de manum. vind.* Nam quamvis Spadonum generalis appellatio omnes Eunuchorum ſpecies, ut diximus, complectatur, ſpecialiter tamen, & proprie magis, alii ſunt Spadones, alii caſtrati. In quo ne Accurſii, & antiquiorum Gloſſematariorum errores interim nos morentur, aut moveant, obtinuit jam apud eruditiores, Theophili, Harmenopuli, quos laudavimus nuper, diſtinctio, quam & expreſſit, fulſitque primus Anton. Auguſtinus *in Emendationibus lib.* 3. *cap.* 5. & inſinuat Theodor. Balſamon *in Canone* 24. *Apoſtolor.* Cyrillus apud Suidam *in voce*, σπάδων. Quorum, & aliorum ſententia Spadones dicuntur, reſtricta generali ſignificatione, hi, quibus morbus, vitiumve naturæ impedimento eſt, quominus generare poſſint, integris tamen membris, atque indefectis, quales, qui frigore, languore, aut paralyſi quadam, luaatis, ſeu laxatis nervis quodammodo ſunt, & funeratam habent partem illam corporis, qua viri eſſe ſolent, ut Encolpius ille apud Arbitrum, ὑποσπαδαίους, vocat Galen. *lib.* 15. *de uſu part.* E converſo vero caſtrati ſunt arte, aut vi exſecti, & ex forti ſexu in ſegniorem, hoc eſt ex maribus in fœminas fracti, quos in Baſilicis *lib.* 48. *tit.* 2. ἐκτομίας, vocari, ſcio, quales interdum Sancti Martyres ob Chriſtum facti Eunuchi, de queis Euſebius *lib.* 8. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 17. & 24. Quod Gallonio inter cruciatus Martyrum prætermiſſum, & in Gloſſario vetere ἐκτετμημένους: appoſite Lucianus in Eunucho: *Cæterum*, inquit, *Eunuchorum genus eſſe vilius, quam Spadonum Nam illos aliquando virile quiddam expertos eſſe, at hunc ab ipſo ſtatim ortu fuiſſe exſectum*, qua diſtinctione poſita, affirmamus, Spadonem quidem ingenuum, & matrimonii cauſa, poſſe ancillam manumittere, & eam poſtea jure uaorem ducere; caſtratum vero, ſi omnino exſectus ſit, non poſſe, *dict. l. ſi ſerv.* 39. § *ult. D. de Jure dot. dict. l. alumnos* 14. §. *ultim. D. de manumiſſ. vind.* Leo Philoſophus eleganti *Novella* 79. *de pœna Eunuchorum*, & ut ne uxores ducant, exſecti ſcilicet omnino, ut *in fine ejuſdem Novellæ* (aliter atque ſi unum teſticulum habeat, qui nec vitioſus, nec morboſus eſt, cum generare poſſit, & militare. *l. Pomponius* 6. §. *ult. D. de Ædil edicto l.* 4. *D. de re militari.* Idque etiam hodie, poſt decretum Sixti V. Pontificis Maximi, de quo poſtea, obſervandum etiam in his, quibus, cum à chirurgo exſcinderentur, teſticulo uno avulſo, alter intra viſcera conditus manſit, nempe ut hi tales nuptias jure contrahere poſſint, docet recte noſter Baſil. Legion. *de Matrim. lib.* 7. *cap.* 68. *nu* 3. Leander *de Sacram. tom.* 2. *tract.* 9. *diſput.* 21. *quæſt* 10. Conducunt tradita ab Accurſio *in dict. l. ſi ſerva.* 39. §. *ultim. verbo, qui caſtratus.* Caldas Pereyra *de Nominat. Emphyteut. quæſt.* 14. *num.* 21. Barboſa *in l.* 1 *part.* 1. *num.* 90. *D. Solut. Matr.* Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſput.* 92. *num.* 14. Gutierrez *eodem Tract. cap.* 112. *num.* 11.) Quippe ſterilitatis, Spadonatuſve invaletudo poteſt, natura, aut arte emendari, virilitas ſemel exciſa non itidem. Proinde recte concinnatores Baſilicon, ſententiam *dict. l. ſi ſerva* 39. §. *ultim.* ſic paucis exprimunt *lib.* 28. *tit.* 15. *Eunuchus, qui non eſt exciſus, poteſt uxorem ducere, & dotem accipere.*

Qua etiam ratione placuit, Spadones, adoptando, 6
vel adrogando, ſuum hæredem ſibi adſciſcere poſſe, caſtratos non poſſe, ſicut & in Baſilicis proditum *lib.* 77. *tit.* 1. *ex l.* 2. § *pen. l. adrogato* 40. §. *ult. D. de adopt. l. ſed eſt quæſitum* 6. *D. de liber. & poſthum.* §. *ſed & illud inſtit. de adoption.* Ulpian. *in fragm. titul.* 8. *de adoption.* §. *hi, qui* 6. Caius *lib.* 1. *Inſtit. tit.* 5. §. *Spadones*, queis locis, & verbis illis, *generare non poſſunt*, temere correctiorium cultrum applicat Samuel Petitus *lib.* 2. *Obſerv. cap.* 6. At permiſſum poſtea etiam caſtratis, adoptare, *Novella* Leonis Philoſophi 26. Deinde poſſe poſthumum à Spadone inſtitui, non autem à caſtrato, *dict. l. ſed eſt quæſitum* 6. *D. de liber. & poſthum.* rurſus redhibitioni Spadonis, tanquam morboſi, vel vitioſi locum non eſſe, aliter atque ſi caſtratus ſit. *l. Pomponius* 6. §. *ult. cum. l. ſeq. D. de Ædil. edicto. l. Ædiles* 38. §. *ſed enim* 6. *in fin. D. eod. tit.* alludit veluti Claudian. *l.* 1. *in Eutropium Eunuchum*, ibi:

Nudatus quoties, medicum dum conſulit emptor,
Ne qua per occultum lateat jactura dolorem,
Omnes pœnituit pretii, venumque redibat,
Dum vendi potuit.

Denique, quod notatum vulgo, non item potuiſ- 7
ſe militare Spadonem, ſicut & eum, qui cum uno teſticulo natus eſt, aut poſtea amiſit. *l.* 4. *D. de re militari*, qualis Putiphar ille, Pharaonis Eunuchus, & Magiſter militiæ, ut vocatur Geneſis *cap.* 37., penitus vero exſectum non poſſe; eoque reſpectu Juvenalis *Satyra* 6. imbelles Eunuchos vocat, ibi:

Sunt quas Eunuchi imbelles, & mollia ſemper
Oſcula delectent, & deſperatio barbæ;
Et quod abortivo non eſt opus.

Et telas eis, non tela tractanda, eleganter Claudianus *in Eutropium Eunuchum lib.* 1.

—— Quid te, turpiſſime, bellis
Inſeris, aut ſævis pertentas Pallada campis;
Tu potes alterius ſtudiis hærere Minervæ,
Tu telas, non tela pati, tu ſtamina noſſe,
Arma relinque viris.

Quin & Sidonius, ut perverſam rerum omnium legem oſtendat, *arma tribuit Eunuchis, litteras Barbaris,*

ris, lib. 1. *epiſtol.* 8. quo etiam refero Lampridii *in Alexandro* illud de Conſtantino, vetante, Eunuchos uti Chlamyde, ſcilicet, militari, quamquam & de palatina accipi poſſit.

8 Plane caſtrati, quibus non omnino amputatum veretrum, ſive, ut Horatius loquitur, teſticulis dumtaxat demeſſi, relicta ſalaci cauda, vel qui jam puberes exſecti ſunt, ſive eunuchizati, ut loquitur D. Gregor. Magnus *lib.* 1. *Dialog. cap.* 4. & hepate ſunt ferventiore, ſeu capacioribus genitalibus vaſis, rem quadamtenus habere cum fœminis, & qualequale ſperma fundere, creſcente in eis, & prurientе acrius libidine, poſſunt, ideoque & fuerunt olim tales, plerumque amaſii, mœchique, & procacibus, impudicisque fœminis, quæ iniri volunt, non parere, nimis grati, ut ex Juvenale *Satyr.* 6. D. Baſilio in *ἀσκητικοῖς.* Martiale, & Medicis plerisque, probat Muretus *lib* 10. *Var. Lect. cap.* 11. Joann. Brodæus *lib.* 4. *Miſcellan. cap.* 21. Ant. Clarus Silvius *ad leg Regias, & 12. tabular. cap.* 17. Dempſter. *in Paralip ad Roſin. lib.* 8. *cap.* 24 *in fin.* Hieronym. Mercur. *lib.* 3. *var. lect. cap.* 20. & ante eos, ut alios ex noſtratibus, mox nominandos, taceam, Cœlius Rhodigin. *lib* 10. *Lect. Antiquar. cap.* 52. Quibus addo libens illud Eccleſiaſtici *cap.* 20. *Concupiſcentia Spadonis devirginavit Juvenculam.* Itemque illud ejuſdem *cap.* 30. *verſ.* 27. *Videns oculis, & ingemiſcens, quaſi Spado complectens virginem, & ſuſpirans*, quod proponit in re hac, exponitque; Aug. *lib.* 6. *contr. Julian. Pelag. cap.* 14. Addo & Photium *in Bibliothecn in excerptis è Philoſtrato in vita Apollonii Thyanæi, pag. mihi* 1019 ubi ſic ex verſione Schotti: *Diſces*, inquit, *ô Dami, Eunuchos amare, & cupiditatem, quæ per oculos inducitur, in illis non extingui, ſed calidam, & vigentem in ipſis permanere Quod ſi humana quæpiam ars eſſet, domina, potenſque cupiditates ejuſmodi expellere ex animo, viverent cum virtutis oculis: nunc vero congredientem inveni, & virum agentem.* Junge & ſimilia exempla Bagoæ Eunuchi, in adulterio deprehenſi. apud Lucianum *in Pamphi lo*, ſive *Eunucho*, & Spadonis, in meretricem exarſiſſe, convicti apud D. Auguſtin. *lib.* 2. *ad Valer. Comit. & d lib.* 6. *extr. Julianum cap* 14.

9 Hac certe ex cauſa, quod notatu digniſſimum, ſexta Synodus univerſalis, ſive Conſtantinopolitana 3. *Canone* 5. cum vetuiſſet, quemquam ex Clero habere ſecum mulierem extraneam, quas ſubintroductas, Canones vocant, idem etiam præceptum Eunuchis obſervari, vult, ut vitam puram, & ſine reprehenſione vivant, nempe quia & in Eunuchis ex cohabitatione mulierum ſiniſtræ ſuſpicioni, & labi locus. Quapropter & Matronis Spadonum comitatum interdicit Hieronym. *epiſtol. ad Furiam, & in Paula* collaudat, quod & à Spadonibus Monachas ſuas ſejungeret, *ne ullam daret occaſionem linguæ maledicæ, quæ ſanctos carpere ſolita eſt, in ſolatium delinquendi.* Ita ille *ad Euſtochium.* Et ſimilia quædam Baſilius *de vera virginitate*; quamvis alioquin receptiſſimum eſſet, Eunuchos virginibus, matroniſque cuſtodes apponi, ut me poſt alios docuerunt Heliodor. *lib.* 9. *hiſt. Æthiop.* Clemens Alexandr. *lib.* 3. *Pædagog. cap.* 4. & laudati *ſupra.*

Verum quia non eſt, ut exſecti tales prolificum, 10
& generationi idoneum ſemen emittant, definitum jam hodie eſt *Decreto* Sixti V. Pontificis Maximi, *motu proprio*, edito *an.* 1587. Spadones, ſive Eunuchos utroque teſte carentes, nuptias contrahere non poſſe, eaſque, ſi facto contractæ fuerint, diſſolvi, atque irritas declarari, oportere, eoque jure utimur, conſopitis eo decreto interpretum noſtratium ea de re controverſiis non paucis, ut explicant P. Thomas Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *de impedim. diſp.* 92. *n* 17. P. Lorinus 2. *tom. in Levitic. cap.* 24. *verſ.* 1. noſter Baſil. Legion. *eod. tract. & lib.* 7. *cap.* 67. *&* 68. *cum plurib.* Gutierrez *de Matrim cap.* 112. *n.* 11. D. Roderic. Acunha *in cap. Hi qui* 5. *n.* 3. 55. *diſt.* Lara *de vita hom. cap.* 31. *n.* 38. Ægid. Conink *de Sacram. diſput.* 31. *dubio* 7. *concl.* 1. *&* 2. *n.* 77. *& ſeq.* Gregor. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 10. *qu.* 5. *art.* 3. Pro multis, & poſt multos unus, Dom. Franciſcus de Amaya *in Eunucho lib.* 3. *obſerv. cap.* 6 *num.* 71. cujus ſedula in tam ſterili agro meſſio, reliqua hæc nobis ſpicilegia fecit.

Unum addimus, & uno verbo, non aſſentiri nos 11
Jacobo Gothofredo, quem tricennio poſt ſcripta hæc vidimus, affirmanti *in Fontibus*, quos inſcripſit, *legum ad Juliam de maritandis*, interdictas fuiſſe, ea lege, nuptias Spadonibus, tamquam inutilibus procreationi, & quidem argumento *ex d. l. Spadonum* 128. & *l. Si ſerva* 39. *§. ult. D. de Jure dot* atque eo ſolo argumento, & conjectura, quæ non ſatis mihi, ut aſſentiar & cui repugnat *eadem lex* 39. *§. ult.* in qua non ſic loqueretur Ulpianus, *arbitror, diſtinguendum eſſe*; nec in *l.* 6. *de liber. & poſth.* uteretur in ea re opinionibus Labeonis, & Caſſii, ſi in ea re extaret conſtitutum *legis Juliæ de maritandis ordinibus.*

C A P U T V.

Ad Ulpianum titulo 23. Regularum, §. Ultimo.

De Connubio ingenuorum cum ignominioſis fœminis.

A R G U M E N T U M.

JUliæ *primum, deinde &* Papiæ *legis proprium hoc Caput. Verba ejuſdem, ſententiaque efficta, aut efformata. Lux inde in primis* Paulo, *&* Marcello lib. 1. ad legem Juliam, & Papiam, in l. Lege 44. §. ult. l. Obſervandum 49. D. de ritu nupt. *In quois* Accurſii Scholia *caligant. Lux itidem* Terentio Clementi lib 8. ad legem Juliam, & Papiam, in l. Filio 48 §. 1. D. de ritu nupt. *Nuptiæ ingenui cum ignominioſa, improbatæ legibus noſtris, non irritæ. Beneficium legis, quod* in d. l. 48. 8. *& alibi. Eo indignus, qui contra legem eſt maritus. Cæpta enarratis capitis* Juliæ *legis, ibi:* Fraude, ignominiæque; *impares nuptiæ olim non tam invalidæ, quam probroſæ, & obnoxiæ Cenſoribus. Eorum nomen, dignitas, munia qualia, quantaque apud Romanos perſtrictum obiter Matrimonia inter alia cenſuræ ſubdita. Cenſorium item fuit Judicium de moribus conjugum, ſicut & de tota re uxoria, & matrimoniis male tractatis. Quæcunque legibus impune ſunt, & correctionis tamen egent, ſubſunt correctioni Cenſorum. Tales nuptiæ ingenuorum cum libertinis; illuſtrat* Tertullianus, Juvenalis, *& alii. Cenſoria animadverſio eſt ignominiæ, & mulctæ. Illa veluti nominis nota injuſta à Cenſoribus, tametſi præjudicatiſſima, ruborem, non infamiam affert. Mulcta cenſoriæ notæ, adjuncta plerumque in his, qui ærarii facti. Similes in militia ære diruti, hoc eſt, ſtipendiis expuncti, apud* Sidonium, *aliiſque vulgo ignotos. Elucidata in ea re* lex 3. § 1. l. penult. Digeſt. de re milit.

1 FUit ſuperioris capitis, de connubio ingenuorum cum libertinis, exceptio nobilis, alio, & diverſo ab illo, conjectari licet, legum noſtrarum capite comprehenſa, quod Juliæ legi adſcribere Ulpianum videtur, *in fragmentis*, ut aiunt, *regular. tit.* 13. *§. ultim.* & ex Julia in Papiam tranſlatum, ac repetitum, ſicut & alia pleraque, ſimile vero eſt, juxta notata ſupra *lib.* 1. *cap.* 33. & ſignanter Ulpianus *tit.* 16. *§. aliquando* ibi: *Si contra legem Juliam, Papiamque Poppæam contraxerint matrimonium,*

verbi

Digitized by Google

verbi gratia, ſi famoſam quis uxorem duceret. Ergo cum iſto capite, ante alia, ut ſuſpicor, expreſſum fuiſſet, ne ingenuis, qui ex permiſſu ſuperioris capitis, libertinas uxores duxiſſent, quidquam ob eam rem fraudi, ignominiæque eſſet, ut in Senatuſconſulto illo de Hiſpalla Fecennia libertina monet Livius *libr.* 39. ibi: *Utique ei ingenuo nubere, liceret, neu quid ei, qui eam duxiſſet, ob id fraudi, ignominiæque eſſet;* (cujus exemplum formulæ ſecuti ſumus, cum hoc caput inter alia legum noſtrarum, ad inſtar veterum Romanarum legum compacta, Academicæ diſputationi Salmanticæ exponeremus) ne ſcilicet ingenuus aliquis, ob impares, & indecoras quodammodo nuptias cum libertina, aut alias, notaretur à Cenſoribus, quibus curæ fuit olim, familias, ſoboles, matrimonia cenſere, & de uxoribus ſolemne jusjurandum exigere, ut monuimus *lib.* 1. *cap.* 5. Adjectum deinde eſt, *modo ne quis eorum ſciens, dolo malo, ſponſam, uxoremve habeat lenam, à lenone, lenave, manumiſſam, & in adulterio deprehenſam, & Judicio publico damnatam, & quæ artem ludicram, vel quæſtum corpore, palam faciat, fecerit.* Ex queis priora illa verba, *ſciens dolo malo ſponſam, uxoremve habeat*, efficta à nobis ſunt, ad exemplum capitis illius legis Juliæ, quod exſtat *in l. lege* 44. *D. de ritu nupt.* ſimilem enim fuiſſe, aut eamdem illo, & iſto capite cavendi formulam, perſuadebunt ſibi, ut opinor, eruditi omnes; reliqua vero verba fere omnia, eorumque ſententia exſtat apud Ulpianum *d. tit* 13. *§. ult.* niſi quod omiſſa ea, ibi: *quæ palam corpore quæſtum fecit*, ſupplenda tamen *ex l. palam* 43. *D. de ritu nupt.* cum aliis, de quibus poſtea ſuo loco.

2 In primis autem ex ſententia hujus capitis, intelligimus facile, quo pertineant Pauli, Marcellique teſtimonia *lib.* 1. *ad l. Juliam, & Papiam, in l. lege* 44. *§. ult. l. obſervandum* 49. *D. de ritu nupt. Obſervandum eſt*, aït Marcellus, *ut inferioris gradus homines* (nempe ingenui dumtaxat, qui vel in ſecundo Romanorum Civium ordine, Equeſtri, ſcilicet, vel in tertio, id eſt, plebeio. *l. un. C. de Equeſtri dignit. lib.* 12. *l. cum ex oratione* 44. *§. ult. D. de excuſat. tutor.* cum aliis ſexcentis) *ducant*, ſive ducere poſſint, *uxores eas, quas hi, qui altioris dignitatis ſunt*, (nempe Senatorii, quorum primus, & ampliſſimus ordo. *l.* 2. *§. verba, D. ad S. C. Velleian.* cum aliis) *ducere legibus*, Julia, ſcilicet, Papiaque, *probibentur*, nempe libertinas, quæ Senatoribus prohibitæ. *dict. l. lege* 44. *D. de ritu nupt.* Ingenuis autem inferioris gradus permiſſæ. *At contra*, aït Marcellus, *antecedentis gradus homines*, hoc eſt, *Senatorii, non poſſunt eas ducere, quas his, qui inferioris dignitatis ſunt*, hoc eſt ingenuis, *ducere non licet*, nempe famoſas fæminas, quarum apud Ulpianum mentio, *dict. tit.* 13. *§. ultim.* ibi: *Cæteri ingenui prohibentur, ducere lenam à lenone, lenave manumiſſam, &c.* quibus etiam ex verbis explicanda eſt Pauli ſententia, *in dict. l. lege* 44. *§. ultim.* ibi: *Eas, quas ingenui cæteri prohibentur, ducere uxores, Senatores non ducent.* Eam ita exprimunt Baſilica *lib.* 28. *tit.* 5. vertente Gentiano Herveto: *Senator non ducit eam, quæ prohibetur nubere alteri ingenuo.* Uterque ſane locus Marcelli, & Pauli, cerebrum pene excuſſit Accurſio, qui ſuperioris juris ignoratione cœcutiens, referre utrumque tentat ad nuptias prohibitas inter aſcendentes, ſive proximi ſint, ſive ulterioris gradus. *l. nuptiæ* 53. *D. de ritu nupt.* inconſpecte tamen, quia Marcellus de nuptiis propter dignitatem prohibitis loquitur, *d. l. obſervandum* 49. Id quod & Fabri juriſprudentia bene vidit, quamvis reliqua non ſatis explicet.

3 Ejuſdem generis, & ex hoc etiam capite explicandum, videtur, quod ex Terentio Clemente proponitur *lib.* 8. *ad leg. Juliam, & Papiam, in l. filio* 48. *§.* 1. *D. de ritu nupt. Si ignominioſam libertam ſuam patronus uxorem duxerit, placet, quia contra legem maritus ſit, non habere eum hoc legis beneficium.* Reſpiciunt certe hæc verba duplex, diverſumque legis Juliæ, vel Papiæ noſtræ caput. Primum hoc, quo cavetur, ne quis ingenuus ſponſam, uxoremve habeat probroſam, ſive ignominioſam fæminam, quales legum noſtrarum verbis exprimuntur. Secundum, & à nobis etiam ſuo loco enarrandum, Juliæ legis noſtræ, quæ voluit, divortii faciendi poteſtatem libertæ, quæ nupta eſt Patrono, non eſſe, quamdiu Patronus eam uxorem eſſe, volet. *l. in eo* 45. *D. de ritu nupt. l. ult. D. de divortiis l. unic. in fine, D. unde vir, & uxor.* quo poſito, quæſtionis fuit, an, ſi Patronus ingenuus ignominioſam libertam ſuam, veluti ſcenicam, aut meretricem, uxorem duxerit, poſſit ab eo invito divertere liberta, & alii nubere. Dubitandi ratio ex eo, quod hujuſmodi nuptias cum ingenioſa fæmina, tametſi injuſtas, improbataſque legibus noſtris, valere tamen, & quod ad nexum contrahentium, ſeu matrimonii vinculum, jure conſiſtere, conſtabat apud veteres Juriconſultos, quod & Terentius Clemens, dum quæſtionem ponit, ſupponit *in dict. l. filio* 48. *§.* 1. ibi: *Quia contra legem maritus ſit*; & quia ſuperflue alioquin de divortio tractaret, niſi conſtaret, retineri, ſeu ſuſtineri matrimonium, & quidem jure. *l.* 4 *in fine, D. de divort. l. ſi concubina* 17. *D. de actione rerum amot.* ut & exprimitur *in l. unic. §.* 1. *Dig. unde vir, & uxor.* in quo nimis dum cavet, alii ne decipiantur, deceptus eſt Faber, & noviores aliquot eum ſecuti, ut oſtendimus ſupra *lib.* 2. Proinde videbatur fatendum, libertam, quæ nuptiarum vinculo, quamvis minus ſolemnium, ſemel patrono nexa eſt, non poſſe ab eo invito divertere, præſertim cum ob patroni reverentiam matrimonium, etiam jure direptum per captivitatem patroni, ejuſdemque mariti, intelligatur, adhuc durare quoad hoc, ne ipſa liberta divortii jus, & cum alio connubium habeat. *l. in eo* 45. *§. ult. D. de ritu nupt.* juncta *l.* 2. *D. de concubin.*

E contrario tamen validior ratio Terentium movit, ut affirmaret, non habere patronum, in propoſita ſpecie, *hoc legis beneficium*, hoc eſt, jus illud, ne liberta ab eo invito poſſit divertere, quod, *beneficium legis*, vocatur, ſcilicet Juliæ, *in dict. l. filio* 48. *§.* 1. *l. ultim. §. illud, D. de divortiis l. libertæ* 8. *Cod. de operis libert.* ac de quo proprie tractavit Clemens *libr.* 8. *ad l. Juliam, & Papiam, in dict. l. filio* 48. *§.* 1. *l. plane* 14. *D. de operis libert.* Caius *eodem lib.* 8. *in l. illud* 46. *D. de ritu nupt.* Ratio autem illa, *quia contra legem maritus ſit*, hoc eſt, quia nuptiæ cum ignominioſa liberta, quamtumvis validæ, nec diſſolvendæ, ſunt tamen injuſtæ, & improbatæ hoc capite legis Juliæ, vel Papiæ. Proinde indignus eſt ejuſdem legis auxilio, ſive beneficio, patronus, qui dum eamdem invocat, contenditque, libertæ divortii poteſtatem, & cum alio connubium adimere, in eam ipſam legem committit, enitens tunc vel maxime, in matrimonio retinere ignominioſam fæminam; ut in ſimili ſpecie docemur *in l. auxilium* 37. *§. ult. D. de minorib. l. Claudius* 13. *Dig. de his, quæ ut indign. cap. Bonæ* 23 *de elect.* Nec enim honos patrono ſervandus, qui ſe in tantum fœdus deduxit. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. & ideo* 62. *§.* 1. *D de donat inter. l. un. in princ. D. unde vir, & uxor.* Proinde quamvis agnoſcamus, patronum in propoſita ſpecie maritum eſſe, & libertam ejus uxorem, ſive, idem nuptam, juxta formulam *dict. l. in eo* 45. *in princip. D de ritu nupt dict. l. ultim. D. de divort.* Addimus tamen, eſſe maritum contra legem, & conſequenter non habiturum legis beneficium, quin potius liberum futurum libertæ ignominioſæ, a patrono divertere, & alii nubere. De queis tamen & alia *lib.* 2. Pendetque ex eodem rationis filo Ulpiani fragmentum *titul.* 16. *§. aliquando*, de quo ſupra ex profeſſo *lib.* 2. 4

His, in commune, & generaliter, circa ſententiam capitis noſtri, poſitis, reſtat, ut ejus verba, qualia in fronte proſcripſimus, ſigillatim luſtremus, & explicemus. At lex: *Eis, qui ita nuptias contraxerint* (nempe ingenuis, libertinas ducentibus, ita ut *priori capite* expreſſum fuit) *nihil ob eam rem fraudi, ignominiæque eſto.* Præmonemus his explicandis, 5

impares nuptias, quales erant ingenui cum libertina, non tam certæ ex legibus pœnæ, aut ſeparationi contrahentium, quam ignominiæ, & publicæ exprobrationi obnoxias fuiſſe, idque indicatur ſatis Ciceroni *Philipp.* 2. & Livio *lib.* 39. quos laudavimus ſupra *cap.* 1. Exemplum notæ bujus, ac veluti ignominiæ ob inæquales nuptias, celebre illud, apud Livium *lib.* 10. in Virginia, Auli filia, & Patricia, ac plebeio Volumnio Conſuli nupta, quam Patriciæ matronæ, eo quod è patribus enupſiſſet, à ſacris pudicitiæ Patriciæ arcuerunt. Exiſtimaverim autem, animadverſionem in bujuſmodi Cives, genus, gentemque ſuam quodammodo, & ſanguinem, honoremque imparibus nuptiis fœdantes, fuiſſe proprie Cenſoriam. Fuerunt enim Cenſores Romæ, quamvis initio cenſui tantum agendo, cum Conſules ei curæ non ſufficerent, creati. *l.* 2. *§. poſt deinde* 17. *D. de orig. Jur. l. cenſeri* 111. *D. de verb. ſign.* deinde tamen tanto incremento poteſtatis aucti, *Ut morum, diſciplinæque Romanæ regimen, Senatus, Equitumque Centuriæ, dedecoris, decoriſque diſcrimen, ſubditione ejus magiſtratus, publicorum Jus, privatorumque locorum. & vectigalia Populi Romani ſub nutu, atque arbitrio eſſent*, ut eleganter Livius *lib.* 4. *Eoſque ad mores bominum regendos, caſtigandaque vitia animum advertere ſolitos*, ſcribit idem *lib.* 24 ubi pleraque de Cenſorum muniis. Inde certe *morum magiſtri, & diſciplinæ publicæ præpoſiti, ſeu præfecti vocantur*. Inde cenſura ipſa *magiſtra pudoris, & modeſtiæ*, apud Ciceron. *in Piſonem*, & in *Oratione pro Cluentio.* Adde, & adi, ſi vacat, de Cenſorum officio, ſanctiſſimoque Magiſtratu, Ciceron. 3. *de Legib.* Varron. *lib.* 4. *de Lingua Latina*, & *lib.* 2. *de vita P. R.* Plutarch. *in Paulo Æmil. & in Catone.* Dionyſ. Halicarnaſ. *lib.* 2. & 4. 5. Aſcon. Pædian. *in divination. Ciceron.* Feſtum Pompej., & Nonium Marcellum in *Cenſere*, & *arbitrari.* Suidam *in voce* Κηνσωρ. Dionem *lib.* 38 & 40. & 52. Valer. Maxim. *lib.* 2. *cap.* 9. Eutrop. *lib.* 2. Zonaram 3. *Annal.* Trebell. Pollion. *in Valeriano.* Agell. *lib.* 4. *noct. Atticar. cap.* 12. & 10. & *lib.* 7. *cap.* 22. Plinium *lib.* 34. *cap.* 6. *lib.* 35. *cap.* 17. *lib.* 33. *cap.* 4. Sueton. *in Auguſto, cap.* 27. & *in Claudio, cap.* 16. Tacitum *lib.* 11. *Annal. ad finem.* Aurel. Symmach. *lib.* 1. *epiſt.* 6. & *lib.* 4. *epiſt.* 29. & 45. & *lib.* 5. *epiſt.* 9. Et ex novioribus præter laudatos ab Hilligero *ad Donell. lib.* 17. *cap.* 24. *litt. S.* alioſque, qui de Magiſtratibus P. R. ſcripſere, Jan. Langlæi *lib.* 12. *ſemeſtr. cap.* 1. Ludovic. Carrio. *lib.* 3. *emendat. cap.* 5. Petr. Ærodi *lib.* 2. *rerum Judicat. tit.* 16. Joann. Cokier. *in Theſauro aphoriſm. Polit. lib.* 5. *cap.* 19. Nicol. Gruchium *de Comit. Roman. lib.* 1. *cap.* 4. & 5. Budæum *in annotation. priorib. ad leg. ult. D. de Senatorib.* Carol. Sigon. *de antiquo Jure Civ. Rom. lib.* 1. *cap.* 14. Marcell. Donatum *dilucidat.* in *Livium, lib.* 24. *pag. mihi* 35. Bulenger. *de Imperatore Romano, lib.* 1. *cap.* 21. Alexand. ab Alex. *lib.* 3. *Dierum genial. cap.* 13. Roſin. *lib.* 7. *Antiquit. Roman. cap.* 10. Joannes Bodinus, probi inſtituti pravus inſtaurator, *lib.* 6. *de Republ. cap.* 1. eique conſentientes, Lipſius *lib.* 4. *Polit. cap.* 11. & cum politicis Germanis Beſoldus *tom.* 2. *diſſert.* 3. *de Magiſtr. & Cenſor. cap.* 4. diſſentiente tamen, & in Bodinum cenſorie invecto, Magno illo noſtro Joanne Marquio *in Gubernat.* aliiſque, ex quibus plura, ſi liberet, pluribus.

6 Nos duo dumtaxat rei præſenti firmandæ ſeligimus. Primum eſt, inter cætera, quæ correctioni, curæque Cenſoriæ ſubjecta, fuiſſe matrimonia, de quibus varia, & multiplex Cenſorum notio, teſte Plutarcho *in Catone.* Namque & de moribus conjugum gravioribus, levioribuſque judicabant, & matrimonii male tractati nomine notabant, ac mulctabant interdum, ut ſignificant Valer. *dict. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 2. Aſcon. Pædian. *in orat. Ciceron. in Piſonem.* Idque fuit judicium de moribus, ſi quibuſdam credimus, cujus mentio *in l. illud* 5. *D. de pactis dotal. l. viro* 39. *D. ſolut. matrim. l. jubemus* 11. *§. ultim. Cod. de repud.* & Judicio de moribus ſublato, & cum familias, ſoboles, pecuniaſque cenſerent, ſolemne jusjurandum exigebant de uxoribus, & cœlibatum, orbitatemque non prohibebant ſolum, ſed notabant, mulctabantque, ut plenius monuimus *lib.* 1. *cap.* 5. Denique cum auctores eſſent corrigendi, quicquid in Civium moribus labaret, ac ne quid probri in populo, Senatuve relinquerent, & de parentis moribus, qui filiam, quam deſponderat, duci uxorem à genero, non patiebatur, Cenſorium etiam judicium eſſet, ut indicat M. Varro *lib.* 5. *de Lingua Latina*, ſicut de tota uxoria re, & matrimoniis male tractatis, ad quæ præter Valer. *lib.* 2. *tit.* 4. proprie refertur Juvenalis illud *Satyr.* 2.

Tu nube, atque tace; donant arcana cylindros:
De nobis poſt hæc triſtis ſententia fertur.
Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Et ejuſdem *Satyrographi in* 2. *de nupta Cornicini.*

- - - - - - Gremio jacuit nova nupta mariti,
O proceres, Cenſore opus eſt, an haruſpice nobis?

Notaſſe etiam, mulctaſſeque, videntur, eos, qui inæqualis conjugii ſordibus ſuum, publicumque quodammodo decus contaminaſſent, ac præſertim ingenuos libertinarum maritos, quorum nuptiæ ante leges noſtras, tametſi impares, & injuſtæ, propria tamen ex legibus pœna non coërcebantur, ideoque magiſterio, ſive ſupercilio, ut ſic dicam, Cenſoriæ animadverſionis obnoxias fuiſſe, par eſt. Proprium enim illius munus, ut Dio ſcribit *lib.* 52. *Hiſtor.* id eſt, *corrigere ea, quæ pœna digna nondum ſunt*, neglecta tamen, aut inſuper habita, pravi publice exempli futura ſint. Quale certe apud Romanos erat, promiſcuum ingenuorum cum libertinis conſortium, pertinenſque ad Cenſoriæ intentionis Epiſcynium, ut appoſite ad rem Tertullian. *de pallio cap.* 6. *Enimvero jam dudum*, inquit, *cenſoriæ intentionis Epiſcynia diſperſa, quantum denotatur, poſſivitas affert, libertinos in equeſtribus, ſubverbuſtos in liberalibus, dedititios in ingenuis, rupices in urbanis, ſcurras in forenſibus, paganos in militaribus*, hoc eſt, indiſcretam ordinis, dignitatis, ſtatus confuſionem, cui arcendæ Cenſorio ſupercilio opus.

7 Secundum eſt, totum fere genus Cenſoriæ animadverſionis, duplici coërcitione finiri, ignominiæ nempe, vel mulctæ. De ignominia, quæ præcipuum, & acre cenſuræ telum, multa Cicero *in Oratione pro Cluentio*; ſed inſigniter magis idem *lib.* 4. *de Republ.* apud Nonium Marcellum in *ignominia: Cenſoris Judicium nihil fere damnato affert, niſi ruborem. Itaque ut omnis ea judicatio verſatur tantummodo in nomine, animadverſio illa, ignominia dicta eſt.* Proinde ignominia, quaſi nominis nota, quam Cenſores, ordine, aut gradu motis adſcribere, & quaſi inurere ſolebant. Porro quamvis hæ notæ ruborem ſolum afferrent, ut ait Cicero, neque infamem jure damnatum facerent, ideoque nec ad honores aditum præcluderent, neque adimerent jus accuſandi, ut probat idem Cicero *dict. Orat. pro Cluentio.* Auctor *ad Herenn Rhetoric. lib.* 2. Valer. *dict. lib.* 2. *cap.* 9. *ad finem*, & alii paſſim. Quæ tamen ſingula jure, ut aïunt, infamibus denegantur *l.* 4. *l. qui accuſare* 4. *D. de accuſat. l.* 2. *Cod. de dignitat. lib.* 12. *l. unic. Cod. de infamib. lib.* 10. fuerunt tamen præjudicatiſſimæ in publicum auctoritatis, quaſque *etiam collega timeret*, ut Juvenalis loquitur *Satyr.* 11. quia exiſtimationem notati onerabant apud probos, verecundoſque Cives, quibus gravior eſt fama, quam pœna, ut alibi Calpurn. Flaccus *l.* 2. *D. de obſeq parent. vel patrono præſt. l. iſti* 8. *§. pen. D. quod metus cauſa.*

8 Jam de mulcta paucis affirmo, fuiſſe eam plerumque notæ, & ignominiæ conjunctam; quippe & in Senatorem Senatu motum, & in Equitem, cui publicus equus ademptus, & in plebeium notatum, ſic ſæpe animadvertebatur, ut ſuffragii jure dempto, & in Cæritum tabulas relatus, vel Tribu motus, fieret ærarius, hactenuſque dumtaxat in albo

Centuriæ ſuæ retineretur, ut æs pro capite, tributi nomine in ærarium conferret, ut ex Aſconio *in divinat. Ciceron.* ſupra notavimus *lib.* 1. *cap.* 5. Tales fere ære diruti milites in re militari, quibus ſcilicet, ignominiæ cauſa, ſtipendium in æreis nummis ſolvendum, non erat datum, ac proinde quorum æs in Fiſcum diruebatur, non in militis ſacculum, ut ſcribunt Feſtus in *Dirutum*, & in *Reſignatum*. Nonius Marcell. in *ære diruti*. Varro *lib.* 3. *de vita Pop. Rom.* & 4. *de Lingua Latina.* Valer. *lib.* 2. *cap.* 2. Jul. Frontin. *lib.* 4. *Stratag. cap.* 1. *in fine.* Livius *lib.* 7. atque alibi ſæpe, ut alludunt eleganter Cicero *actione 6. in Verrem*, ibi: *Aleatoris Placentini Caſtra memorabuntur, in quibus cum frequens fuiſſet, tamen ære dirutus eſt.* Auſon. *in extremo præfationis Centonis nuptial. Et quia ſub Imperatore meo merui, procedere mihi inter frequentes ſtipendium jubebis; ſin aliter, ære dirutum facies, ut cumulo carminis in Fiſcum ſuum redacto, redeant verſus, unde venerunt.* Sidon. Apollin. *carm.* 7. *ſeu Panegyrico Aviti A.*

Ad nomen currente Geta, Timet ære vocari
Dirutus, opprobrium, non damnum barbarus horrens.

Hanc autem ære dirutorum militum pœnam, vocari pecuniariam mulctam *in l.* 3. §. 1. *D. de re milit.* notatum à quibuſdam eſt, quos alii cenſeant. Illud potius crediderim, reſpicere ad infrequentes hos ære dirutos, indeque elucidandam mentionem militis, ſtipendiis expuncti, ob deſertionem, apud Papinianum *in l. penult. D. de re milit.* de quo multa Langlæus *in ſemeſtribus.*

9 Utrumque itaque Cenſoriæ ſubſcriptionis, & ſtyli veluti mucronem, mulctam ſcilicet, & ignominiam, retundere voluit lex noſtra, dum cavet, nulli ingenuo, libertinam ducenti, quidquam ob eam rem fraudi, ignominiæque eſſe, intelligens *ignominiæ*, voce, notam Cenſoriam; *fraudis*, autem mulctam, damnumque pecuniarium, quod ex Cenſoria animadverſione ſequi ſolet. Sic enim, *fraus*, pro *periculo, damnove pecuniario* non ſemel apud noſtros Juris auctores, *l.* 1. §. *& alias* 15. *D. ſi quid in fraudem patroni; fraus enim in damno accipitur pecuniario l. inter* 33. §. *ult. D. ex quibus cauſis major.* & fraudi non eſſe, pro eo, quod diceremus, damno non eſſe *l. filiusfam.* 114. §. *divi* 14. *verſic. ſed hæc, D. de legat.* 1. *l. cum te 6. Cod. de pactis int. Empt. & Vendit.* Idque ex antiquo Jure Servius adnotat, ita exponens, aut corrigens illud Virgilii *lib.* 11. *Æneidos:*

Jam noſces, ventoſa ferat cui gloria fraudem.

Itemque illud ejuſdem 10. *Æneides:*

Quis Deus in fraudem? Quæ dura potentia noſtra
Egit?

Acron etiam *ad Horatianum illud in ſæculari carmine:*

Cui per ardentem ſine fraude Trojam.

Sine fraude, inquit, *ſine læſione, ut Biſtonidum ſine fraude crines.* Niſi ſi quis malit, fraudis appellationem in lege noſtra accipere, pro noxa ipſa, culpaque admiſſa in nuptiis libertinæ affectandis, quæ ſæpe etiam fraus dicitur, & ignominiæ ipſius, ſive mulctæ Cenſoriæ quædam præparatio eſt, ut copioſius jam *analecta hujus capitis*, ſive *Parerga* exponent, ad *l. aliud* 131. *D. de verb. ſign.* cujus diſputatio de fraudis, pœnæ, mulctæque differentiis huc referenda eſt.

C A P U T VI.

De fraudis, pœnæ, mulctæque differentiis parergon.

Ad Ulpianum libro 3. ad leg. Juliam, & Papiam, in aliud 131. D. de verbor. ſignific.

A R G U M E N T U M.

R*Elata ad caput hoc noſtrarum legum diſputatio* d. l. aliud 131. *An ea referenda ad* caput Papiæ, *de liberto centenario; vel de capacitate fœminarum ultra quadrantem* legis Voconiæ; *vel ad* Miſcellum *de conditione viduitatis; vel denique ad Cenſorias mulctas cœlibum, & orborum, & pœnalem eam partem legum noſtrarum? Refutata ea ſingula ex ordine librorum* Ulpiani, *aliorumque ad leges noſtras, & inſcriptione* d. l. 131. Fraudis, *nomen, pro,* pœna, *ſæpe. Expoſita* lex cum autem 23. §. excipitur, D. de ædilit. edict. & Petri Fabri Gloſſa Ulpiani, Gloſſam *Grammatico adſcribentis, rejecta. Eadem uſurpatio fraudis pro pœna in legibus decemviralibus, & Tribunitiis, aliiſque Juris noſtri locis. Explanatum* Falcidiæ tertium caput, & Juliæ de adulteriis ſecundum, Briſſonio *omiſſum. Fraus pro pœna ideo dicta, quia ſemper fere fraudis, & culpæ comes eſt pœna, proprie tamen, ſpecialiterque diſtinguntur. Fraus eſt noxa, ſeu culpa, quæ delinquentem pœnæ præparat. Pœna eſt noxæ vindicta, & æſtimatio. Fraus, & noxa ſine pœna eſſe poteſt, ut in legibus imperfectis, qualis* Valeria olim, *de qua* Pomponius in l 2. §. exactis 16. D. de orig. Jur. & reſcriptum M. Antonini *apud* Ulpianum in l. & ſi quis 14. §. Divus 14. D. de religioſ. *quales denique leges noſtræ* in hoc cap. *Advocata ſimilia exempla* Laconum. *Indeque ad noſtros Judices monitum breve.* Fredum, *pro* mulcta, *apud* Francogallos. *Et* in lege Ripuariorum. *Pœna ſine fraude, ſeu delicto non eſt in noſtris legibus, & aliis. Cenſuræ imago quædam in noſtra Senatoria viſitatione, de qua paucis; comprehendi ea omnes, etiam Præſides, fere ſine exceptione, & correctionem ejus ſtare intra ignominiam motionis ab ordine, & pecuniarias mulctas.*

1 REſtat porro, ut pergamus, de *fraudis, pœnæ*, ac *mulctæ* differentiis, nobilis diſputatio, apud Ulpianum *lib. 3. ad legem Juliam, & Papiam, in l. aliud eſt fraus* 131. *D. de verb. ſign.* quæ niſi huc referatur, intelligaturque ſubſervire legis noſtræ in hoc capite verbis interpretandis, non ſatis commode ex aliis legum noſtrarum partibus explicari, poterit. Neque ignoro, occurrere non ſemel in noſtris legibus fraudis mentionem, veluti in capite legis Papiæ, de liberto centenario, qui minorem ſe centenario in fraudem legis ejuſdem fecit, de quo Ulpianus *lib.* 10. *ad leg. Jul. & Pap. in l. ſi libertus* 16. *D. de Jure Patronat.* Juncta *l. virilis* 145. *dig. de verb. ſign.* item in alio capite ejuſdem Papiæ legis, quo mulieribus, plus quam ter enixis, ultra quadrantem lege Voconia ſtatutum, ex bonis cenſi, ſive fraude ſua capere, permittitur, ut ſcribit Dio *lib.* 36. *Hiſtor.* & ſignificatur fortaſſe *in l. ſi vir* 61. *l. ſed ſi hoc* 62. §. 1. *D. de condit. & demonſtrat.* quo referendam diſputationem *dictæ l.* 131. cenſuit Jacobus Gothofredus *in Fontibus legum in notis ad Juliam de maritandis, cap* 11. Rurſus in Senatuſconſultis factis circa caput illud miſcellum *legis Juliæ de conditione viduitatis*, quibus ſcilicet, Senatuſconſultis cavetur, legis Juliæ ſententiam eam videri, ne quod omnino nuptiis impedimentum inferatur, ob eamque rem quidquid in fraudem legis ad impediendas nuptias ſcriptum erit, ipſo jure reſcindi, placere, de quo Ulpianus *lib.* 8. & Terentius Clemens *lib.* 4. *& 5. ad leges noſtras in dict. l. ſi vir* 61. *cum legib. ſeq.* junctis *l. cum tale* 72. §. *ſi arbitratu. l. hæres* 79. §. *ultim. D. de condit. & demonſtrat.* Denique in parte illa pœnali legum noſtrarum, per quas cœlibes ſolido, orbi autem ſemiſſe relictorum mulctantur, ut auctores ſunt Euſeb. *lib. 4. de vita Conſtantini, cap.* 26. Hermias Sozomæn. *lib.* 1. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* *cap.*

cap 9. Nicephor. *lib.* 7. *cap.* 46. juncta *l. ſi Titio* 55. §. 1. *Dig. de legat.* 2. cum aliis, ſimulque illis, qui in fraudem legum noſtrarum fidem tacitam accomodaverint, de reſtituendo eis, quibus per leges noſtras capere non licet, velut indignis eripitur, quod relictum eſt, de quo Caius *lib.* 15. *ad leg. Jul. & Papiam, in l. in fraudem* 10. *D. de his, quæ ut indignis.* Paulus *lib.* 7. *in l. in facto* 60. *D. de condit. & demonſtr. & in l. edicto* 13. *D. de Jure Fiſci.*

2 Scio etiam, non deeſſe, imo nec defuturos forſitan poſt noviores Guil. Fornerium *ad l. aliud eſt fraus* 131. quibus placeat, pertinere, ac referri commodiſſime diſputationem illam ad poſtremam partem legum noſtrarum, quæ de cœlibibus, & orbis, quos quemadmodum Cenſores olim notabant, & ærarios faciebant, hoc eſt ignominia pariter, & mulcta puniebant, ut ſupra diximus, ita etiam poſt Leges noſtras latas Cenſores, ut liquet ex Cenſoris Claudii exemplis, quæ poſuimus *lib.* 1. *cap.* 5. præſertim cum eiſdem legibus, & in honoribus cœlibes, orbive patribus, aut maritis poſtponerentur, ut diſces ex Tacito *lib.* 2. & 15. *Annal.* Dione *lib.* 53. Agellio *lib.* 2. *Noct. Attic. cap.* 15. junctis *l.* 2. *D. de minoribus l.* 6. §. *ult. D. de Decur. l. in albo* 9. *Cod. eod. tit. lib.* 10. & pœnis etiam varie mulctarentur circa capiendi ex teſtamento jus, ut ex profeſſo differemus ſuis locis.

3 Hæc quamvis ita ſint, ac diſputatio illa, ſeu diſtinctio fraudis, mulctæ, vel pœnæ non male aliis capitibus legum noſtrarum, maxime autem poſtremis, de pœnis cœlibum, & orborum poſſit accommodari, ſi tractationem ſolam pinguius ſpectes, non tamen ſi librorum ordinem, ſeriemque, ut ita dicam, materiarum, quas ſingulis ad leges noſtras libris complexos fuiſſe veteres Juriſconſultos, ſcimus. Namque in *poſterioribus libris*, ac præſertim 8. *& ſeq. de pœnis cœlibum, & orborum; de ſucceſſione centenarii liberti; de conditione viduitatis*; ac ſimilibus, ut nuper ſigillatim monuimus, diſſeruerunt: at *in l.* 2. & 3. ex quo decerpta eſt *d. l. aliud* 131. *de Jure connubiorum*, & reliquis, quæ ſtatui, aut conditioni conjugum finitima ſunt, tractaſſe ſæpius in præcedentibus animadvertimus. Proinde referenda eſt diſputatio illa ad *capitis hujus* verba, quæ in manibus, & quidem commodiſſime, ut jam liquebit.

4 Principio itaque Ulpianus, ut in legis noſtræ verbis, quæ effinximus, fraudem ab ignominia, pœnaque, ſive mulcta diſtinguat, ita ſcribit: *aliud fraus eſt, aliud pœna; fraus enim ſine pœna eſſe poteſt, pœna ſine fraude eſſe non poteſt; pœna eſt noxæ vindicta, fraus & ipſa noxa dicitur, & quaſi pœnæ quædam præparatio.* Significat Ulpianus, ac veluti pro explorato ſupponit, eſſe in fraudis voce generalem quamdam uſurpationem, & ſpecialem. Generaliter enim fraus dicitur, non tantum noxa, delictum, ſeu flagitium fraude, aut dolo commiſſum, ſed etiam pœna delicti comes, noxæque vindicta, ut Ulpianus idem expreſſit *in l. cum autem* 23. §. *excipitur. D. de ædilit. ed.* Quo loci exponens verba illa Edicti Ædilitii, *item ſi quod mancipium capitalem fraudem admiſerit. l.* 1. §. 1. *verſ. item ſi quod, D. de ædilit. edict.* adnotat eleganter, capitalem fraudem admittere eum, qui tale aliquid delinquit propter quod capite puniendus ſit, *veteres enim fraudem pro pœna ponere ſolebant.* Quæ poſtrema verba, non eſt, cur, tanquam ſemidocti Grammatici Gloſſema, ſuſpecta, & ejicienda Petro Fabro *lib.* 2. *Semeſtr. cap.* 16. vel aliis videri, debeant, quia quamvis agnoſcam, in Edicti Ædilitiis verbis propoſitis capitalem fraudem accipi, non pro pœna, ſed pro delicto ipſo, quod pœnam capitalem meretur, ſive propter quod quis capite puniendus ſit, non incommode tamen, ne quis forte putaret, fraudis vocem ad dolum ſimplicem, & pecuniarium damnum referri, ut ſæpe in libris noſtris, *l.* 1. §. & *alias* 15. *D. ſi quid in fraud. patr.* ſimulque ut innoteſceret, in veteribus legibus fraudem plenius accipi, etiam pro ipſa pœna, non intempeſtive adnotatur, veteres fraudem, pro pœna, ponere, conſueviſſe.

Porro uſurpationis hujus, *fraudis*, pro, *pœna*, exemplum, & initium ex legibus XII. Tabularum, veluti illa, de reis judicatis æris confeſſi, addicendis, vinciendis & ſecandis, de qua Agell. *lib.* 20. *Noct. Attic. cap.* 1. *Tertiis nundinis partis ſecanta, ſi plus, minuſve ſecuerint, ſe fraude eſto*, hoc eſt, ſine fraude, ſine pœna. Itemque in illa lege decemvirali, quæ coronam virtute partam ei, qui peperiſſet, & ejus parenti ſine fraude eſſe, jubet impoſitam, ut ait Cicero *lib.* 2. *de Legib.* Plinius *lib.* 21. *Natur. Hiſt. cap.* 3. & *in Tribunitia illa rogatione de Ciceronis reditu*, apud eundem *lib.* 3. *ad Atticum, epiſt.* 23. *Quod per legem Clodiam promulgare, abrogare, derogare, obrogare, ſine fraude ſua, non licet.* Recte itaque, ut Ciceronis, Livii, & aliorum paſſiva teſtimonia, & aliis jam congeſta mittamus, utamurque domeſticis ſoiis, verba illa tertii capitis legis Falcidiæ: *Eis quibus quid ita datum, legatumve erit, eam pecuniam ſine fraude ſua capere, liceto*, ſic exaudiunt noviores, id eſt, impune, ac ſine pœna legis Furiæ, quæ ſupra mille aſſes legatum capere, vetat, & eum, qui plus ceperit, mulctat quadruplo, ut Ulpianus ſcribit *in Fragm. tit.* 1. Theophil. *in princip. Inſtit. de lege Falcidia.* Ejuſdem generis, & ſententiæ eſt, ideoque & ſimiliter explicanda frequens illa apud noſtros diſceptatio de Magiſtratibus, quos propter imperium, poteſtatemve, quam habent, more majorum, ſine fraude in jus vocare, non licet *l. ſed etſi* 16. §. *ait Prætor.* 2. *D. ex quib. cauſ. major. l. nec Magiſtratibus* 32. *D. de injur. l. qui accuſare* 8. *D. de accuſationib.* 5

Deinde & illud legis Juliæ de adulteriis caput, 6 quod, ſecundum fuiſſe, ait Paulus *libro ſingulari de adulteriis*, apud Lucinium Ruffin. ſive quis alius auctor eſt, collationis legum Moſaïcarum, & Romanarum *titul.* 4. (& prætermiſſum, aut certe mutilum, & capite minutum poſitum, magno Briſſonio, cum ad legem Juliam de adulteriis ſcriberet, ſæpe miror.) Eo permittitur *patri, ſi in filia ſua, quam in poteſtate habet, aut in ea, quæ eo auctore, cum in poteſtate eſſet, viro in manum convenerit, adulterium domi ſuæ, generive ſui deprehenderit, inque eam rem ſocerum adhibuerit, ut is pater eum adulterum ſine fraude occidat, ita ut filiam incontinenti occidat*, hoc eſt, ſine pœna homicidii, impune, & vindice nullo, ita ut non incidat in legem Corneliam de Sicariis *l. Patri* 20. *cum legib. ſeq. l. nihil* 32. *D. ad leg. Juliam de adulter.* Eodemque ſenſu accipienda adjectio, *ſine fraude*, in alio capite legis Juliæ, de quo Ulpianus *in l. capite* 25. *D. ad leg. Jul. de adulter.* & in ficta lege apud Senecam *lib.* 1. *controv.* 4. & *lib.* 9. *controv.* 1.

Sed, ut progrediar, quamvis veteres, fraudis nomine, pœnam ſignificent; *ab eo, quod præcedit id, quod ſequitur*, teſte Servio *lib.* 21. *Æneid.* quoniam ſcilicet peccati ſæva ſatelles, culpæque, & fraudis comes eſt pœna, quæ *rara antecedentem ſceleſtum pede claudo deſeruit*, ut Horatius loquitur *lib.* 3. *carm.* 2. & ut ex Platone, Heſiodoque Plutarch. *in libello de his, qui tarde à Deo puniuntur: Non modo proximam peccato pœnam peccati, ſed coætaneam*, quia nec cujuſquam fere crimen in pectore, cujus non & in tergo vindex Deus; declinat tamen, & propendet magis Ulpianus à generali hac, & veteri ſignificatione in ſpecialem aliam, juxta quam fraus à pœna diſtinguitur, & fraus pro culpa, vitio, ſeu delicto uſurpatur, ut in *Edictis Ædilium*, de quo ſupra, & apud Sueton. *in Claudio, cap.* 14. atque alibi paſſim, quomodo & in præſenti accipi, diximus: *Nihil ob eam rem fraudi, ignominiæque eſſe*, hoc eſt, non debere id culpæ, vitiove verti, aut ea propter notari à Cenſoribus ingenuos libertinas ducentes. Fraus itaque in præſenti eſt noxa ipſa, & quaſi præparatio quædam pœnæ, ſive ignominiæ Cenſoriæ; atque è contrario pœna eſt noxæ vindicta, perſecutioque, ſive ut exprimitur in Baſilic. *lib.* 2. *ſynopſ. tit.* 1. *cap.* 131. & verbatim in corpore Baſilicon *lib.* 2. *tit.* 2. *in d. l.* 131. & ut generalius, atque apertius dicamus, fraus ſignificat etiam delictum ipſum, ſive noxam, pœna dignam. *l. plebs* 238. §. *ultim. D. de verb.* 7

verb. ſign. l. 1. §. 1. *D. ſi quadrupes pauper. fec. dic.* pœna vero eſt noxæ ipſius vindicta, ſive æſtimatio culpæ, noxæque accommodata, quæ ibi eſt, ubi noxa eſt, ſuoſque auctores tenet, neque ulterius progreditur, quam delictum, ut ſcriptum eſt in *l. ſancimus* 22. *C. de pœnis l.* 1. §. *item illud* 24. *D. de S. C. Syllan.* juncta *l. ſanctio* 41. *D. de pœnis cap. ſine culpa* 24. *de regul. Juris lib.* 6.

8 Cui differentiæ, inter fraudem, & pœnam, illa etiam apud Ulpianum accedit *in d. l aliud.* 131. nempe, quod fraus, & noxa ſine pœna eſſe poteſt, non tantum ideo, quia connivent interdum leges imperfectæ, & minus perfectæ, quales, quæ prohibuiſſe, contentæ, non tamen contra factum reſcindunt, nec pœnam irrogant contrafacienti, ut Ulpianus docet *in fragm. tit.* 1. Macrob. *lib.* 2. *in Somn. Scipion. cap.* 17. Talis Valeria illa (cujus *ad leg. aliud* 131. tempeſtive Cujac. meminit) *quæ, cum eum, qui provocaſſet, virgis cædi, ſecurique necari, vetuiſſet, ſi quis adverſus ea feciſſet, nihil ultra quam improbe factum adjecit; id (qui tunc pudor hominum erat) viſum, credo, vinculum ſatis validum legis, nunc vix ſervo ita minetur quiſquam*, ſive . *vix ſerio*, ut ex Pithœi emendatione: graviter, eleganterque Livius *lib.* 13. juncto Pomponio *in l.* 2. §. *exactis* 16. *D. de orig. jur.* Plutarcho *in Valerio Poplicula.* Dionyſ. *lib.* 3. 4. & 10. Valer. Maxim. *lib.* 4. *cap.* 1. Livio *lib.* 2. & 3. Tale & Reſcriptum illud M. Antonini, leniſſimi Principis, qui cum daret operam, ut *omnia crimina minori ſupplicio, quam legibus plecti, ſolent, puniret*, ut ſcribit Capitolinus *in ejus vita*, ſimili lenitatis exemplo reſcripſit, eum hæredem, qui prohibet funerari ab eo, quem teſtator elegit, non recte facere, pœnam tamen in eum ſtatutam non eſſe. *l. Et ſi quis* 14. §. *Divus* 14. *D. de religioſ.* cui junge ſimile Reſcriptum Macri *in l.* 3. §. *non perpetuæ, D. de ſepulchr. viol.* Tales denique leges noſtræ, dum nuptias ingenuorum cum probroſis fœminis, & Senatoriorum cum libertinis improbant quidem, non tamen reſcindunt, nec dolo malo ejus, qui ſciens libertinam, probroſamve uxorem habuerit, aliam pœnam ſtatuunt, ut monuimus ſupra *cap.* 1. & ex profeſſo ſupra *lib.* 2. *cap.* 8. ſufficere quippe, viſa eſt his legibus, pœnæ, & ſanctionis loco, publica improbe facti nota, & ſuper indictum, quemadmodum & olim in Chios advenas, qui Spartam profecti, poſt cœnam, in Ephororum Curia vomuerant, atque oletum fecerant, edictum eſt ab Ephoris, ac publice proclamatum. Τοῖς Χίοις ἐφιᾶσιν ἀσελγαίνειν. *Licere Chiis turpiter agere*, ut Plutarchus *in Apophtegmat. Lacon.* ac ſimiliter in Clazomenios, qui Ephororum thronos fuligine reſperſerant, proclamatum eſt publice per præconem, ἐξέστω Κλαζομενίοις ἀσχημονεῖν. *Liceat Clazomeniis indecore facere*, ut Ælianus memorat *lib.* 2. *Var. Hiſtor. cap.* 15.

9 Quibus exemplis (ideoque & ea libentius, ac liberius adſcripſi) monitos, velim, inferiores noſtrates Judices, quibus plerumque moris eſt, delationibus, nunciationibuſque quibuſque, interdum calumnioſis, vel ex leviſſimis cauſis, ſeſe acerrimos legum cuſtodes, ac vindices oſtentare, ac privato compendio ſuo ſervire, reprimant potius, quam irritent id genus calumniarum, ac leviſſimorum criminum reos, objurgatione potius, & pœnæ metu, quam pecuniariis damnis affligant, denique ſolemne illud ſervent, quod de Agricola Tacitus *in ejus vita:* omnia ſcire, non omnia exequi, parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commodare, neq; pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitentia contentos eſſe. *l. perſpiciendam* 11. *de pœnis.* Referenda hnc *lex Ripuariorum, tit.* 89. *de Freda*, non exigenda à Judicibus Fiſcalibus, niſi juxta formam illic præſcriptam. Vocabatur enim *Freda* eo ſeculo, mulcta, ut ex aliis illarum gentium legibus notat Lindembrugius *in Gloſſario ad Cod. leg. antiq. verb. Fredum*, & diſcere eſt ex Gregorio Turonenſi *in S. Martino, lib.* 4. *cap.* 26. Flodaordo Rhemenſi *libr.* 4. *hiſt. Rhem. cap.* 50. Marculpho Monacho *lib.* 1. *cap.* 3. Verum, ut jam ad rem, cum fraus, ut expoſuimus, ſine pœna eſſe poſſit, ac plerumque impunita ex ipſis legibus Julia, Papiaque noſtris ſit, maxime in iſta, de conditione & ſtatu nuptias contrahentium, parte, ut jam diximus, pœna tamen in eiſdem legibus ſine fraude, aut delicto non eſt, ideoque illis vetatur, ne quis ingenuus libertinam ducens, ignominiæ obnoxius ſit, quippe nec fraudem ullam commiſit, qui permiſſu legum fecit. *l. Gracchus* 4. *Cod. ad leg. Juliam de adulter.* ac nemo ſine culpa puniendus. *d. l. ſancimus* 22. *Cod. de pœnis. cap.* 2. *de conſtitutionib. cap. ſine culpa* 24. *de reg. jur. lib.* 6. cum vel ſatius ſit, nocentem dimitti, quam innocentem damnari. *l. abſentem* 5. *D. de pœnis cum aliis.*

Verum tot ſupra traditis de cenſura Romana, vix 10
mihi tempero, quin adjungam cogitatum non ſemel noſtrum, de comparabili aliquatenus Cenſorio illo munere cum noſtris Viſitationis Magiſtratuum judiciis, quorum de origine, uſu, & abnormi proceſſuum forma, plene poſt hiſtoricos Cabrera *in Philippo II. lib.* 5. *cap.* 3. & 17. *lib.* 12. *cap.* 21. Adam Contzen *lib.* 7. *polit. cap.* 9. §. 2. & *ſeq.* noſtri in Senatu Regio Collegæ, Valenzuela *conſ.* 155. *num.* 59. Larrea *deciſ. Granat.* 98. *num*, 15. & *ſeq.* & *allegat. fiſcal.* 101. & 46. & 48. Solorzanus *de Ind. Gubern. lib.* 4. *cap.* 8. *ex num.* 10. & *lib.* 5. *polit. cap.* 11. & præter eos, ex Italico Senatu, Regens Ponte *de poteſt. Proreg. tit. de elect. offic.* § 7. Hieronymus Caimus *in manuſcripto*, quem ſervamus, *de judicio Viſitationis tractatu.* Gabriel Verartius *integro* item *de eadem re, tractatu.* Alex. Raudenſ. *reſponſo* 49. & 50. *tom.* 1. Apicella *conſ.* 6. 7. & 8. Maſtrill. *de Magiſtrat. lib.* 6. *cap.* 1. & 2. *cum ſeq.* Bovadilla 5. *pol. cap.* 1.

Nos nunc dumtaxat pro parallelo cum cenſura 11
adnotamus. Primum, ſicut Cenſorii muneris Romæ fuit, ne probrum in Senatu relinquerent, ut eſt apud Ciceronem 3. *de legib.* & Cenſorum ſuprema auctoritas adeo, ut non modo collega timeret, quod ſupra ex Juvenale *Satyra* 11. expoſuimus, ſed ut in omnes poteſtates animadverterent, & nemo ſolutus, ac liber à cenſoris judicio eſſet, quomodo 2. *hiſtor.* Eutropius. Nec diſſimiliter Trebellius Pollio in *Valeriano.* Dio Caſſius *lib.* 53. Ita apud Nos Regii Viſitatores Generales inducti, ut perpetuos Magiſtratus, & Senatus cenſeant, recenſeant, neque in eis quid probri relinquant; & quidem, ſuprema in omnes auctoritate, etiam in Præſidem illius Senatus, ad quem viſitatio dirigitur, ſic enim, utcumque dubitatum, liquet deciſum *ex principio reſponſi* 40. Alexandri Raudenſis. Bobadilla *lib.* 5. *polit. cap.* 3. *num.* 55. & *ſeq.* & deciſum nos ipſi vidimus in Regia hac Curia, & Regii Patrimonii Præſide, vel ex eo, quia Viſitationis litteræ Senatum, & illius Præſidem complectebantur; quamquam exceptus ſemper ab ea cenſuræ regula, Supremi Caſtellani Senatus Præſes, cui ſi quando expedire, viſum, arcano, ſuoque motu, extra Viſitationem, & honoris ſpecie, ac receſſus, honeſtam veluti miſſionem Reges noſtri dedere. Quin & Supremus Idem Senatus vix hactenus viſitationem expertus, niſi ipſius Regis Philippi Secundi, qui & per ſe Cenſor, & cenſuræ actuarius fuit; & Caroli Quinti, qui Viſitationis acta, ſuo juſſu confectæ, juſſiſſe, ſatis habuit, & inviſa in ignem conjecit, ut memorat Ludov. Cabrera *in Philippo II. lib.* 12. *cap.* 21.

Secundum, & ejuſdem lineæ notatum, eſt, quem- 12
admodum cenſuræ Romanæ animadverſio, ſtabat intra ignominiam, & mulctam, graviori, ſi qua opus eſſet, coërcitione legibus relicta, ut ex Dione *lib.* 52. monuimus, & ignominiam quidem illam, quoad Senatores, quæ illis per motionem à Senatu inurebatur. *l.* 2. & 3. *l. Emancipatum* 7. §. 1. *D. de Senatorib. l. Cum Prætor* 12. §. *non autem* 2. *verſ. lege, D. de judic. l. filiis* 22. §. *Senator.* 4. *l. ordine* 15. *D. ad municip. l.* 5. §. *minuitur, D. de extraord. cogn. l.* 2. 3. & 5. *D. de Decurionib.* §. *quibus* 5. *Inſtit. de capit. diminut.* Ita apud Nos, Viſitationis Magiſtratuum, ſive Senatorum cenſura, ſtat intra duas animadverſiones

verſiones, ſcilicet, ignominiæ, ſeu notæ, quæ contrahitur per remotionem ab officio (vel temporariam, quam ſuſpenſionem vocamus, vel perpetuam, quam privationem) & mulctæ, ſive condemnationis pecuniariæ: id quod viſitationum praxi, & eorum, qui de illa ſcripſere, atteſtatione, tam pro explorato eſt, ut auctoramento alio non egeat. Quin ſi quando in viſitationis cenſuram gravius aliquod Senatoris delictum incurrerit, & cui gravior, quam pecuniaria, aut remotio ab officio, pœna infligenda ſit, ut puta corporalis, non eſſe, ei infligendæ, locum in arcto illo, exorbitante viſitationis judicio, ſed aperiri, ut aiunt, proceſſum, & plene audito Fiſco, ac reo, decerni oportere, placuit cordatioribus.

C A P U T VII.

Pœnæ, mulctæque differentiæ tres inſigniores.

Ad dict. l. aliud 131. & ad l. ſi qua pœna 244. D. de verbor. ſignific.

A R G U M E N T U M.

Pœnæ, mulctæque, *nominum promiſcuus uſus* Labeoni, *& aliis auctoribus. Ille tamen notatus* Paulo in l. ſi qua 244. D. de verb. ſign. *& pœna, mulctaque proprie, & partite magis diſtinctæ. In primis pœnæ nomen eſt generalis coërcitionis omnium delictorum. Mulctæ autem ſpecialis peccati*, in d. l. aliud 131. *An exaudiendum id de contumacia, inobedientiave erga Magiſtratus? Placitum potius, exaudiri de vitio, culpave, non legibus, ſed cenſuræ obnoxia, quale impar matrimonium ingenui cum libertina. Deinde mulctæ animadverſio, ut legimus* in dict. l. 131. *hodie pecuniaria eſt.* A. Fabri, ad ea verba, *Criterium audax rejectum. Eruditiorum expoſitio proponitur, probaturque. Mulcta olim pecoralis, non pecuniaria. Ejus maximæ, & minimæ modus, formula, & ritus. Pecoralis mulctæ æſtimatio ex* Ateria lege, & Tarpeia. Ulpiani *ævo jam in pecuniariam tranſierat. To,* hodie, *in libris noſtris, eſt Mnemoſynon antiqui Juris, antiquitatiſque.* Ad eumdem verſic. d. l. alind 131. *nova cogitatio. Cenſura Romæ poſt* Domitianum *fere exolevit.* Tertullianus, Trebellius, Pollio, & Symmachus *elucidati. Expoſita* lex 1. Cod. de modo mulctar. *Ad eumdem, & Cenſoriam mulctam fortaſſe reſpicit* d. l. 131. Ulpianus *coævus* Severo, & Antonino *Cæſaribus. Pœna non modo capitis, aut pecuniæ eſt, ſed etiam famæ. Prætcrea mulcta arbitraria eſt, & incerta, quia ſemper ejus culpæ, cui propria pœna ex legibus non eſt. Exempla in mulctis Cenſoriis, & Magiſtratuum contra contumaces, aliaque ex Juris libris. Pœna autem eſt, quæ expreſſa legibus, & ideo certa, quia & Jus certum, finitumque.*

1 PErgit *in dict. l. aliud* 131. Ulpianus, atque, ut quæ generaliter de pœna, à fraude diſtinguenda, dixerat, oſtendat, proprie magis ad ignominiam, mulctamque pertinere, de quibus Juliæ legis verba in hoc capite intelligenda, ſubjungit inſignitas differentias inter mulctam, & pœnam, quas & paraphraſtica expoſitione percurremus, ſimul cum his, quæ exſtant *in l. ſi qua pœna* 244. *D. de verbor. ſign.* Ergo, quamvis Antiſtii Labeonis, magni Juriſconſulti, ac verborum proprietatis, & originum ſcicotiſſimum, ut Agellius teſtatur *lib.* 13. *noct. Atticar. cap.* 10. ſolemne illud, propriumque effatum ſit, *ſi qua pœna eſt, mulcta eſt; ſi qua mulcta eſt, pœna eſt. dict. l. ſi qua* 244. indeque & generaliter, promiſcueque occurrat pœnæ nomen in pecuniariis, & mulctæ in corporalibus coërcitionibus, non ſemel apud noſtros, & exteros Scriptores. *l. in ſervorum* 10. *§. ultim. D. de pœnis l. in teſtamento* 27. *D. de condition. & demonſtrat. l.* 1. *§. hoc autem* 2. *D. de fugitivis l.* 3. *D. de termino moto.* Virgil. 11. *Æneid.*

Proſpexit triſti mulctatam morte Camillam.

Atque alibi paſſim, ſi tamen proprie magis, & ſpecialiter mulctam, pœnamque diſtinguimus, utrumque Labeonis aſſertum falſum eſt, nec πιθανὸν, ut ille inſcribebat, ſed ἀπίθανον, prorſus & improbabile, multumque inter mulctam, & pœnam intereſt, ut Paulus ſentit, notatque *in dict. l. ſi qua* 244. & Ulpianus conſentit *in dict. l. aliud* 132. ideoque & ſeparantur *in l. fidejuſſores* 68. *D. de fidejuſſor.* & apud Ciceronem 3. in *Verrem, ac.* 3. *de legibus.*

2 Differentia prima ſit, quod pœna, generale nomen eſt coërcitionis omnium delictorum, neque nominatorum dumtaxat, veluti furti, adulterii, ac ſimilium, ut Alciatus expoſuit, ſed omnium omnino, quæ latiori, delicti, aut criminis appellatione comprehenduntur, ut in *dict. l. aliud* 13. *in fine*, ibi: *Cui hujus criminis, ſive delicti executio competit. l. quid ſit fugitivus* 17. *§. noxas* 18. *D. de Ædilit. Ed.* ac quæ tamquam delicta, ſeu crimina ἐγκλήματα, ſive ἁμαρτήματα, ſpecialibus legum pœnis, ſive pecuniariis, ſive criminalibus, iſtiſque, aut capitis, aut exiſtimationis, aut denique aliis corporis coërcentur, ut latiſſime, rectiſſimeque exponit Conſtantinus Harmenop. *lib.* 6. *Promptuarii, tit.* 3. *ad fin.* cujus verba, quia prolixiora, non adſcribo. Mulcta vero, aït Ulpianus, eſt *ſpecialis peccati.* Quæ quidem verba ab Harmenopulo, & novioribus Latinis pleriſque, non incommodo, referuntur ad peccata, ut ſic dicam, contumaciæ, inobedientiæve erga Magiſtratus, cui cum certa, præfinitaque pœna legibus non ſit, permittitur Magiſtratui ipſi, ut nec obedientem, & nocuum Civem condemnet pro arbitrio, mulctetque, ut vel Cicero exprimit 3. *de legibus*, apud quem ita *ex legibus XII. Tabularum: Magiſtratus nec obedientem, & noxium Civem, mulcta, vinculis, verberibuſque coërcento: ni par, majorve poteſtas, populuſque prohibeſſit, ad quos provocatio eſto. Cum Magiſtratus judicaſſit, irrogaſſitve, per populum mulctæ, pœnæ certatio eſto.* Junge *l.* 2. *§. ſi quis in Jus vocatus non ier. l. unic. D. ſi quis Jus dic. non obtemp. l.* 2. *§. ult. D. de judic.* cum aliis, de quibus poſtea.

Mihi, pro re præſenti, & inſtituto, quin imo & argumento inſcriptionis, commentariique ad legem Juliam, & Papiam, de quibus *in d. l. aliud* 131. placeret magis, *ſpecialis peccati* nomine *in d. l. aliud* 131. intelligi omne vitii, culpæve genus, quod quia legum pœnis non coërcetur, aut arcetur, quia non tam grave eſt, ut earum animadverſione dignum videatur, relictum tamen eſt Cenſoriæ Curæ, corrigendum ejuſdem notis, mulctiſque, ut ex Dione *lib.* 52. & aliis, diximus ſupra *cap.* 1. cum enim mulcta hæc Cenſoria, & in cœlibes, orboſque, & in conjuges ipſos matrimonii male tractati, aut imparis contracti nomine exerceretur, ut ibi indicavimus, appoſite Ulpianus noſter *lib.* 3. *ad legem Juliam, & Papiam*, legum noſtrarum verba exponens, quæ nuptias ingenuorum cum libertinis, neque ignominiæ, nec mulctæ Cenſoriæ obnoxias eſſe, patiuntur, pœnam, mulctamque ſic diſtinguit, ut mulctam propriam eſſe, affirmet, ſpecialis peccati, quales imparis conjugii, aut ſimilium circa matrimonia, quæ à Cenſoribus mulctari, ſolita. 3

Secunda, ac ſuperiori cohærens, ſeu connexa, inter mulctam, & pœnam, differentia eſt, quod mulctæ, ut ait Ulpianus, *animadverſio hodie pecuniaria eſt.* Hæc ita exaudit Faber *de error. Pragm. Dec.* 97. *err.* 8. quaſi ſignificent, fuiſſe aliquod tempus, quo mulcta capitis, aut exiſtimationis eſſet, quod certe non niſi falſo, ac ridicule dici poſſe, 4

contendit,

contendit. Proinde, ita legendum eſſe, aït: *Cujus animadverſio non niſi pecuniaria eſt.* Sed, ut omittam, non niſi contra fidem librorum omnium, vocem, *hodie*, præcipitem furcillis ejici, poſſe, *in dict. l. aliud* 131. quinimo & reclamantibus Baſilicis, in quibus voci, *Hodie*, reſpondet σήμερον. *lib.* 2. *Synopſ. tit.* 1. *cap.* 131. & in corpore Baſilic. *lib.* 2. *tit.* 2. *dict. l.* 131. Et itidem apud Harmenopulum *lib.* 6. *tit.* 3. *in Promptuario.* quod tamen gravius eſt, ac bona pace ſubtiliſſimi alioquin Juriſconſulti dictum velim, ſuam ipſe Faber in ſcribendo incuriam, aut ignaviam detegit, dum Pragmaticorum, ac Triboniani errores tam acerbe inſectatur. Nam ſi vacaſſet illi (& vacare certe debuit, priuſquam receptiſſimæ lectionis fidem levi, ac muſtea emendatiuncula ſugillaret) vel Alciatum *in dict. l. aliud* 131. conſulere, ut Briſſonium *lib.* 1. *Antiqu. cap.* 3. novioreſque alios taceam, qui rem, Alciato diſerte notatam, ſelectionibus ſuis ſeponunt, ſciret facile, mulctæ animadverſionem non fuiſſe olim pecuniariam, quamvis hodie, atque Ulpiani tempore, jam pecuniaria eſſet.

5 In quo explicando, ut quæ pluribus aliis, nos paucis, notamus breviter, mulctam, ſive Sabinum, ſive Latinum verbum ſit, atque undecumque ejuſdem etymon ductum, de quo ex Varrone Agellius *lib* 11. *noct. Attic. cap.* 1. Idem Varro *libr.* 4. *de Lingua Latina.* Feſtus Pompeius, in voce, *mulctam*, fuiſſe certe non pecuniariam, ſed pecorariam, ovium, ſcilicet, & boum apud Romanos veteres, ſicut & apud Troglodytas, de queis Diodorus Sicul. *lib.* 4. *cap.* 3. quorum, ut & priſcorum hominum, res fere omnis erat in pecore. Fuit autem ſuprema mulcta, id eſt, ſumma, maximaque, ovium duarum, & triginta boum; minima vero mulcta ovis unius, ejuſque à Magiſtratibus indicendæ legitima verba hæc: *M. Terentius quando citatus nec reſpondit, nec excuſatus eſt, ego ei unum ovem, mulctam dico.* In indicendo vero & illud ſervatum, ut oves virili genere appellarentur, ac ne prius bovem, quam ovem nominaret, qui mulctam diceret, veluti pro argumento benevolentiæ priſcarum legum, expendit Plinius *lib.* 18. *Natur. Hiſtor. cap.* 3. *& ex eodem lib.* 33. *cap.* 1. Plutarcho in *Valer. Poplicola.* Dionyſ. *lib.* 10. *&* 9. ac præcipue Agellio *dict. lib.* 11. *cap.* 1. Feſto Pompeio *in æſtimata*, & *mulctam*, & *ovibus*, & *peculatus.* Nonio Marcello *in Oves.* Servio *ad illud Virgil.* 3. *Georgic.*

Continuoque greges viliis lege mollibus albos.

Notant plenius noviores, quorum in hiſce locis animadverſiones tranſcribant alii: non id otii, aut negotii, addo, nec moris mei eſt.

6 Illud non prætermitto, quod cum oves, boveſque in mulctando adigerentur, alias pretii parvi, alias majoris, eaque res faceret inæqualem mulctæ punitionem, ac præterea pecora mulctatitia incuria corrumperentur, ære tandem ſignato, facta eſt, lege Ateria, Tarpeiaque, æſtimatio pecoralis mulctæ, ita ut ſinguli boves centuſſi, oves decuſſi æſtimarentur, hoc eſt, boves æris centeni, ſeu centenis aſſibus, oves vero æris deni, ſive denis aſſibus, eaque æſtimata pœna dici cœpit, ac deinceps ſuprema mulcta trium millium, & viginti aſſium, quibus triginta boves, & duæ oves æſtimatæ. Ut latius Feſt. Pompeius, Agellius, Dionyſius, Plutarchuſque, jam laudati, Liv. *libr.* 4. Ergo quamvis & poſt æſtimationem ſtatutam, pecoralis mulcta legum antiquarum non omnino exoleverit, ſed in uſu permanſerit ex inſtituto vetere, ut ſignificant Varro *lib.* 2. *de Re Ruſtica*, *cap.* 1. Plinius *dict. lib.* 33. *cap.* 1. Ulpiani tamen ævo, ac deinceps pecuniaria jam erat, idque ille articulo illo, *Hodie*, voluit indicatum; ſic etenim, & alibi ſæpe in Pandectis, verbum, *Hodie*, veteris, jamque intermortui juris, quod, cum olim vigeret, poſtea deſiit, memoriam inſinuat, ut in hocce ipſo pœnarum tractatu *l. hodie* 32. *Dig. ad leg. Cornel. de falſ. l. lex Julia* 7. *§. ultim, D. de lege Julia repetund. l.* 3. *D. ad leg. Jul. pecul. l.* 1. *D. de lege Jul. ambit. l. hodie* 13. *D. de pœnis l.* 3. *§. ultim. Digeſt. ad leg. Cornel. de Sicar.* & in aliis juris partibus *l.* 1. *§. hodie* 5. *D. ſi cui plus, quam per leg. Falc. l. ſi hæres* 68. *Dig. ad S. C. Trebell. l. & ſuum* 7. *§. ult. D. de pactis*, cum innumeris aliis.

Hæc, quamvis magno aſſenſu eruditiorum omnium, quin & eorum, quos Academia noſtra erudiit, & ex eis, Eman. Gonſalio noſtro *ad cap.* 1. *de offic. deleg. num.* 19. Petro Pantojæ *ad leg.* 1. verbo, *Mulcta*, *num.* 8. *D. de aleator.* non vulgari plauſu recepta ſint, pro interpretandis illis Ulpiani verbis, in *dict. leg. aliud* 131. mihi tamen, niſi palatum meum prorſus obſurduit, ſapere aliquid amplius pro Ulpiani guſtu, condirique concinnius poſſe, videtur, alia explicatio, quam jam, quo pectine conjecturæ cœpimus, percurremus. Suppono ergo, quod & ſupra *cap.* 1. poſui, probavique, nempe Cenſoriam mulctam fuiſſe plerumque notæ, aut ignominiæ conjunctam; vix enim fuit, imo non fuit, ut Civis, ærarius factus, atque ita à Cenſore mulctatus, ſive notatus eo ipſo genere animadverſionis, apud graves, verecundoſque Cives exiſtimationis periculum non ſubiret. Deinde meminerimus, ſpecialis peccati nomine, apud Ulpianum *in dict. l. aliud* 131. intellexiſſe ſupra nos ea peccata, quæ, quia legibus non puniuntur, Cenſoriæ animadverſionis, ignominiæ, mulctæque, ſcilicet, relicta ſunt. Quibus nunc duo addimus. 7

Primum eſt, cenſuram illam, graviſſimumque morum Magiſterium, de quo tam multis ſupra, quamvis libera adhuc Republica, ac ſub prioribus Cæſaribus, ad Veſpaſianum uſque, & Domitianum, ejus filium viguerit, poſtea tamen paulatim deſiiſſe, ac fere exoleviſſe priſcum illud inſtitutum, ut ſignificat Cenſorinus *de die natali*, *cap.* 17. *in fine.* Itaque non immerito Tertullianus, Septimio Severo Imperatori, & Ulpiano noſtro coævus, *jam dudum intentionis Cenſoriæ Epiſcynium diſperſum*, veluti conqueritur, *de pallio cap.* 6. & Valerianus ſub Decio Cæſare, privatus adhuc Cenſor creatus, referente Pollione *in Valeriano*, ita ſe apud Decium excuſat: *Veniam igitur ejus honoris peto, cui vita impar eſt confidentia, cui tempora ſic repugnant, ut cenſuram hominum natura non quærat.* Ubi, ſi emendationi locus, libens legerim, *ferat.* Denique quamvis Conſtantino Imperante, Dalmatii Cenſoris mentio apud Socratem Scholiaſticum *lib.* 1. *Hiſtor. Eccleſiaſtic. cap.* 20. ſub Theodoſio tamen totius Senatus auctoritate fugatam, repudiatamque cenſuram, ordiniſque Decreto, repulſam datam priſcæ ſeveritatis Magiſterio, cum id iterum ſuſcitare tentaſſet Optimus Princeps, affirmat Symmach. *lib.* 4. *epiſtol.* 29. *&* 45. *& lib.* 5. *epiſt.* 9. additis etiam ex Oratione, quam ejus argumenti ſcripſit, rationibus, quibus repudiationem poteſtatis, quæ jam pridem, ut ille loquitur, *tempeſtate reſecata eſt*, quodammodo excuſat, ſcilicet, *quia ſolis quædam ſpecioſa nominibus uſu, & experiundo plurimum nocent*, ſive, *ne ſub ſpecioſo nomine fores impotentiæ, ambire ſolitis panderentur.* 8

Secundum addimus, rectiſſime Severum, & Antoninum Cæſares, mulctis Cenſoriis, totoque illo animadverſionis genere exoleſcente, ac reſpectu mulctarum, quæ à Magiſtratibus aliis indicuntur, reſcripſiſſe, mulctam famæ damnum non irrogare *l.* 1. *Cod. de modo mulctarum.* Quoniam, ſcilicet, mulcta extra ordinem, & per interlocutionem, ſeu comminationem ſæpe ſtatuitur, *l.* 4. *Cod. comminat. vel epiſt. l.* 1. *§. removet, verſic. qui adverſus, D. de poſtul.* Interlocutiones autem non infamant, *l. fuſtibus* 16. *cum l. ſeq. l. interlocutiones* 19. *Cod. ex quibus cauſ. infam. irrog. l. quid ergo* 13. *§. quantum. Digeſt. de his, qui not. infam. l.* 1. *§. quæri* 4. *D. ad S. C. Turpill.* juncta *l. ob hæc* 20. *D. de his, qui not. infam.* 9

Quæ ſingula, cum ita ſint, germana, ac genuina, 10
niſi fallimur, Ulpiani verborum *in dict. l. Aliud.* 131. interpretatio hæc eſt, mulctæ animadverſionem hodie pecuniariam eſſe; quia quamvis olim, peccatorum, quæ

quæ nominatim legibus non puniuntur, eſſet animadverſio Cenſoria, eaque mulcta ignominiæ conjuncta, poſtea tamen obliterato cenſuræ uſu, placuit, ea, atque alia peccata, ſi quæ à Magiſtratibus mulcta plectuntur, mulctari pecuniarie dumtaxat, ac ſine damno famæ, ut definiunt Severus, & Antoninus *in dict. l.* 1. quorum Reſcriptum, juſque illo inductum, ſeu declaratum, intelligit verbo, *Hodie*, Ulpianus, quem Severo, Antoninoque coævum, ac deinceps ſub eorum ſucceſſoribus, præſertim Alexandro, floruiſſe, tam in comperto eſt, ut teſtibus non egeat. Vide tamen, ſi neſcis, Dionem, & Lampridium in *Alexandro*. & *Heliogabalo*. Spartianum in *Peſcennio Nigro*. Eutrop. *libr.* 8. Euſeb. *in Chronico anno Domini* 228. Et, ex noſtris, perſpicuos textus *in l.* 4. *Cod. de locato. l.* 4. *Cod de contrab. ſtipulat.* Itemque *in l.* 3. *D. de minorib. l. à Divo* 15. *§. ſi pignora, D. de re judicata. l.* 4. *§.* 1. *D. de in litem jurando. l.* 4. *D. de offic. Proconſul. l. licet* 74. *D. de legat.* 1. *l. cum hic ſtatas* 32. *D. de donat. inter. l.* 6. *§. reprobari* 6. *D. de excuſat. tutorum.* juncta *l. at gradatim* 11. *§. reprobari, D. de muner. & honor.* in quibus, & ſexcentis aliis à Revardo, Bertrando, & Lexicographis congeſtis, *Imperatoris noſtri* nomine, Ulpianus Baſſianum Antoninum Caracallam Severi filium, & Imperii conſortem intelligit. Ergo ut ad rem, quamvis mulcta hodie poſt Severi, & Antonini Reſcriptum pecuniaria tantum ſit, non famoſa, pœna tamen non tantum capitis, aut pecuniæ, ſed etiam exiſtimationis damno irrogari ſolet; varii enim pœnarum gradus ſunt, ordines, genera. *l. capitalium* 28. *in princip. & §.* 1. *D. de pœnis*, inter eaſque non minima infamia, *ſtans nexa in vulgi pectore, fluctuanti intonſa coma, ſordido veſtitu, ore ſevero*, ut eleganter deſcribit Varro.

11 Succedit tertia jam inter pœnam, mulctamque differentia. Mulcta quippe, ait Ulpianus *in dict. l. aliud* 131. *Ex arbitrio ejus venit, qui mulctam dicit*, quoniam, ut mox ſubjungit, *mulcta ibi dicitur, ubi ſpecialis pœna non eſt impoſita.* Utriuſque aſſertionis exempla in mulctis Cenſoriis, quibus, ut diximus, ea peccata pro Cenſorum arbitrio coërcebantur, quæ ſpecialibus legum pœnis comprehenſa non fuerant. Exempla tamen frequentiora apud noſtros in pecuniariis pœnis, ſeu mulctis, quæ æſtimationi, arbitrioque Magiſtratuum legibus relinquuntur quibuſdam in cauſis, potiſſimum vero adverſus contumaces, nec obedientes, irreverenteſve. *l.* 1. *§. removet* 6. *verſic. qui adverſus*. ibi: *Pro æſtimatione judicis, extra ordinem, pecuniaria pœna mulctabitur, D. de poſtulando. l.* 2. *§.* 1. *D ſi quis in jus vocat. non ierit. l. ultim. §. ultim. Cod de modo mulctar.* de queis contumacialibus mulctis plura, ad forenſem uſum, Farinacius *tomi prax. crimin. quæſt.* 18. *ex num.* 27. Atqui pœna, ait Ulpianus, *non irrogatur, niſi quæ, quaque lege, vel quo alio jure ſpecialiter huic delicto impoſita eſt*, veluti furto, non manifeſto, duplum, & manifeſto quadruplum. *§. pœna, inſtitut. de obligat. quæ ex delicto.*

Cui differentiæ proxima eſt, ac fere eadem, illa, 12
quæ extat *in dict. l. ſi qua pœna* 244. *ad finem, Digeſt. de verbor. ſignificat.* nempe, pœnas ſingulorum peccatorum certas eſſe, quoniam, ſcilicet, lege, aut jure imponuntur, jus autem certum, & finitum eſt. *l.* 2. *Digeſt. de juris, & facti ignor. l.* 2. *§. Servius, Digeſt. de origine jur.* mulctam contra, eſſe incertam, *quia ejus judicis poteſtas eſt, quantam dicat*, ſive quia pendet ex arbitrio Judicis, & conſequenter ex facto, cujus nulla finita, certave ſcientia eſt. Proponuntur enim, proſtantque leges omnibus, unde de plano recte legi poſſint, factorum vero interpretatio etiam prudentiſſimos fallit. *dict. l.* 2. *Digeſt. de jur. & fact. ignor. l. penult. Cod. eodem titul.* Et quamvis æſtimatio mulctæ, in arbitrium Judicis, tamquam boni viri collata, quodammodo quantitatis certæ ſit. *l.* 1. *Digeſt. de legat.* 2. inſpecta, ſcilicet, juris cenſura, per quas res ex bono & æquo æſtimanda definitur, certaque efficitur. *l. ſi filiæ* 43. *D. de legat.* 3. *l. quæro* 60. *cum leg. ſeqq. l. cum poſt* 69. *§. gener. D. de jure dot. l.* 3. *Cod. de dotis promiſſ.* Vere tamen antequam definiatur, ac niſi definiatur, incerta eſt. *l. ultim. Cod. de contrahend. emption. l. ſi merces* 25. *Digeſt. locati.*

CAPUT VIII.

Adtextæ ex eodem filo differentiæ aliæ inter pœnam, & mulctam.

Ad l. ſi qua pœna 244. D. de Verbor. Signif.

ARGUMENTUM.

Legitima, & ſpecialis pœna criminis, quamvis in pronunciatione omittatur, tamen ipſo, ſuoque Jure damnatum ſequitur, ſi pronuncietur, crimen admiſſum, non autem, ſi, non probatum, pronuncietur. Facti quæſtio in poteſtate judicantis eſt, non autoritas Juris. Papiniani γνώμη *expoſita* in l. 1. §. 4. D. ad S. C. Turpil. l. 15. D. ad municip. *Infamia eſt legis pœna, idcirco & ſtatim apprehendit furti damnatum. Aliud in mulcta, quæ ordinaria, & incerta. Pœna ſemel indicta, pronunciatione à Judice, qui indixit, non minuitur, aut mutatur, quia nec diffinitiva ſententia, per quam indicitur. Mulctam, & poſtquam irrogata, licitum judici, mutare ex cauſa, quia & interlocutionem, per quam irrogatur. Diffinitiva finem judicio, & Judicis officio imponit, nec, niſi cauſa plene cognita, fertur, interlocutio præparat, non perimit, & pronunciatur interim, ſine plena cognitione cauſæ. Diſcrimen in ea re Juris* Romani, *&* Attici, *& illuſtrati ex illo mille loci. Item* Tertulliani, Apuleii, *& aliorum. Differentia alia inter pœnam, & mulctam* ex d. l. 244. *A pœna provocare, cur, & quando non liceat? A lege, à Principe ab executione appellatio incivilis eſt, nec recipienda, ſic & pœna, & a correctionibus Monachalibus: non item ſi appelletur à declaratione Judicis, pœnam crimini non probato, aut non legitimam irrogantis. A mulcta, & interlocutione, per quam indicitur, provocatio hodie eſt, & fuit olim à mulcta Magiſtratuum ad populum, per quem certabatur, poſtea à minoribus ad majores, & à Prætoria mulcta ad Senatum. Elucidata* l. 25. Cod. de appellat. *ſimulque alia Civilis, Pontificiique Juris, & veterum auctorum ſegmenta.*

1 ADjungamus huic tertiæ inter mulctam, pœnamque differentiæ, alias veluti ſuccedaneas, & ex iſta explicandas, quamvis omiſſas ab Ulpiano *in d. l. aliud* 131. colligendas tamen *ex d. l. ſi qua pœna* 244. aliiſque juris locis. In primis autem ex eo, quod diximus, pœnam certam, ac lege definitam, atque è contrario mulctam incertam, & arbitrariam eſſe, & illud recte ſequitur, quod & Harmenopulus infert *in Promptuar. lib.* 6. *tit.* 3. *ad finem*, nempe in criminibus, ſive delictis, quibus ſpecialis pœna legibus imponitur, confeſtim, ac de crimine, ſeu delicto pronunciatur, veluti ſi quis furti, aut homicidii damnetur, etiamſi judex pœnam non irroget, aut ejuſdem modum non exprimat, pœnam tamen lege definitam damnato inſtare, eamque dare, ſeu ſufferre debere, lege quodammodo ipſa irrogante; idque eſt, quod Martianus ex Papiniano ſcribit, poſt damnationem judicis, *quamvis nihil de pœna ſubjecerit, tamen legis poteſtatem adverſus damnatum exerceri, nam facti quidem quæſtio in poteſtate eſt judicantis, juris autem auctoritas non eſt l.* 1. *§. quorum* 4. *D. ad S. C. Turpill. l. ordine* 15. *D. ad municipal.* hoc eſt, arbitrio judicis permittitur, dum de facto cognoſcit, ſive dum de crimine inquirit, an id probatum ſit,

ſit, æſtimare, *l. 3. §. 1. & ſeq. D. de teſtib. l. eum, quem temere 79. §. 2. D. de judic.* poteſtque non probatum pronuncians, delinquenti parcere, eoque modo oblique, & flexu quodam, pœnam legum, quam directe non poſſet, minuere, aut mollire *d. l. 1. §. quorum 4.* Cæterum ſi de facto conſtat, crimenque admiſſum, & probatum judex pronunciat, non eſt in ejus poteſtate *juris auctoritas*, hoc eſt, *pœna legum*, quæ ex earum auctoritate pendet, & tacite ſententiam ſequitur, ut exprimunt Baſilica *lib. 60. tit. 1. ad dict. l. 1. §. quorum 4.* cui jungendus Ariſtotel. *lib. 2. Politic. cap. 8.* dum Cretenſium inſtituta improbans, ſcribit, plenum eſſe periculi, non ex legibus judicare, ſed ſuo quemque arbitratu. Unde etiam fit, quod dicitur, non poſſe Præſidem Provinciæ efficere, ut furti damnatum non ſequatur infamia *l. non poteſt 63. D. de furtis l. divus 40. D. de injuriis*, quia ea, utpote legis pœna, ſtatim damnatum apprehendit, quam mollire, aut minuere judex non poteſt *l. ſervos 8. §. ultim. Cod. ad leg. Jul. de vi pub. l. manente 8. Cod. Theodoſ. de appellat. cap. de cauſis 4. §. 1. de offic. & poteſt. Jud. deleg.* Diverſum porro eſt in mulcta, quæ tota eſt in poteſtate judicantis, quia ex ejuſdem arbitrio, & finitione, non ex juris auctoritate pendet, ideoque & poſt pronunciationem de crimine, prius quam tamen, ac niſi mulctæ modus à judice ſtatuatur, damnatum non ſequitur, quia nec aliunde ſciri, aut definiri poteſt.

2 Deinde eadem ratione fit, quod quamvis placeat, pœnam ſemel damnatione, aut pronunciatione irrogatam, quia legitima, & certa eſt, mutari, minui, aut remitti ab eo, qui ſententiam dixit, non poſſe. *l. acta 45. §. 1. l. judex 55. D. de re judic. l. 1. §. ultim. in fine. D. de quæſt. l. moris 9. §. iſtæ 11. l. divi 27. D. de pœnis*, mulctam tamen, quia arbitraria ſemper fuit, & incerta, & poſtquam definita à Judice, atque irrogata eſt, licet, licuitque eidem olim, remittere, in totum, vel ex parte, non quidem ſemper, paſſimque, ſed ex cauſa, veluti inopiæ ejus, qui mulctatus eſt *l. illicitas 6. §. ult. D. de offic. Præſid. l. 2. §. ultim. D. ſi quis in jus vocat. non ierit l. ultim. §. ult. Cod. de modo mulctar.*

3 Ejus autem differentiæ ratio non ea ſola eſt, quam jam ex ſuperioribus indicavimus, ſed & alia, quæ & vulgo creditur, quoniam, ſcilicet, ſententiam definitivam, latam, ſeu dictam reſcindere, aut retractare judex non poteſt, qui ſemel, ſive bene, ſive male officio functus eſt *l. Paulus 52. l. judex 55. l. cum quærebatur 62. D. de re judic. l. 1. Cod. ſentent. reſcindi non poſſe. l. 2. Cod. de ſentent. ex periculo recit. l. 3. C. commination. vel epiſt. l. qualem 19. §. ult. cum l. ſeq. D. de receptis, & qui arbitr. recep.* quia ψηφισάμενος παύεται εἶναι δικαστής, ſive, *ſententia dicta, judex eſſe deſinit.* Ut loquitur *Synopſis* Baſilicon *lib. 8. tit. 1. cap. 45. & 61.* pœna autem legitima irrogatur per ſententiam, qua ſemel lata, *perpetuo jam*, ut Apuleius loquitur *libr. 10. de aſino aureo, tranſactum eſt, cum rei fortuna, nihilque poſtea commutari licet, ſed mancipari poteſtas capitis in manum carnificis.* D. Auguſtin. *lib. de Fato: Judicibus non licet ſuam ſententiam, in reum latam, revocare, aut mutare*; nec vulgatos Apuleii locos *lib. 1. Floridor. in fine.* M. Senecæ *lib. 3. controv. ultim.* aut aliorum nunc moror. Atqui mulcta non per ſententiam, ſed ſemper fere, aut ſæpe interlocutione ſtatuitur, ideoque illam contrario imperio tollere, aut mutare, permittitur *l. quod juſſit 14. D. de re judic. l. qualem 19. §. ultim. D. de receptis, & qui arbitr. rec. l. ſi opus 16. D. de oper. novi nunciat. l. 1. §. ultim. l. ſi præſes 10. D. de prætor. ſtipul. cap. cum ceſſante 60. de appellation.* Alluſit docte, ut ſolet, Tertullianus *libro de Pudicitia, cap. 14.* ubi de poteſtate in judice indulgendæ pœnæ ſpiritualis, & mutandæ ſententiæ, ſemel latæ, ſic inter alia; *Poſtremo quid Judicem indulgere? Quod pronunciatione deciderit? An quod interlocutione ſuſpenderit?*

4 Neque obſcura etiam nunc inter diffinitivam, & interlocutionem ratio diſcriminis. Quippe diffinitiva ex ſua natura, & ex mente judicis, ſicut liti, & judicio finem imponit, ita & officio judicantis *d. l. qualem 19. §. 1. d. l. judex 55. l. 3. Cod. de ſentent. & interloc.* Interlocutio vero præparat judicium, non judici poteſtatem mutandi, aut corrigendi, ut ſentit Harmenop. *lib. 1. Promptuar. tit. 4.* & hoc amplius, diffinitiva non fertur, niſi cauſa plene cognita, & deliberatione habita, *& magno conflictu*, ut ſcriptum eleganter eſt *in l. ult. Cod. comminat. vel epiſtol.* ideoque nec mutari, debet *l. 2. Cod. de ſentent. ex peric. recit.* Interlocutio autem, vox, & voluntas judicis plerumque eſt potius, quam ſententia *l. 4. Cod. comminat. vel epiſt.* & cum non ſatis cauſa cognita, ſæpe proferatur, poteſt ea, plenius cognita, revocari, ut expreſſit *Regia lex noſtra 2. & 3. tit. 22. part. 3.* Plane quoad mulctam, pœnamque, adeo diverſo jure à Romanis Athenienſes uſi, ut apud eos, mulctam ſemel illatam, ſeu dedicatam, remittere, fas non eſſet, tametſi pœnas alias legitimas pecunia redimere, permitteretur, ut Alciatus monuit ex Plutarcho, quem non laudat, *in Demoſthene circa finem.*

5 Rurſus ex eiſdem principiis deducenda eſt nobilis differentia alia, neque explicatu facilis, quam contra Labeonem Paulus affert, *in d. l. ſi qua pœna 244. De pœna*, inquit, *provocatio non eſt; ſimul atque enim victus eſt ejus maleficii, cujus pœna eſt ſtatuta, ſtatim ea debetur; at mulctæ provocatio eſt, nec ante debetur, quam aut non eſt provocatum, aut provocator victus eſt.* Æſtuat in enarrandis his non leviter Accurſius, qui tandem tamen, ac poſt eum Bartolus, Albericus, & alii, *in d. l. ſi qua pœna 244.* ſic Pauli verba exaudiunt, ut à pœna provocare non liceat, nempe cum non ab iniquitate judicis, ſed à pœna ipſa, legibus definita, provocatur, nec crimen, cujus quis victus, aut confeſſus eſt, provocans inficiatur, ſed graviorem, quam pro crimine, pœnam eſſe conqueritur; veluti ſi quo exemplo ex Latinis Accurſius, & ex Græcis Harmenopulus accommodatiſſime utuntur *d. lib. 6. tit. 3. ad finem*, ſi furti manifeſti convictus, confeſſuſve, damnatuſque in pœnam legitimam furis manifeſtarii, nempe quadruplum, appellet, conqueraturque de iniquitate ſententiæ, non quidem furtum manifeſte negans, ſed injuria ſe affectum, dicens, quaſi acerbius, quam debuerit, puniatur. Tunc enim nec audiendus, nec appellatio ejuſdem recipienda, quia cum pœnæ, ut poſuimus, certæ ſint, & legitime, ac ſpecialiter legibus ipſis ſtatutæ, atque expreſſæ, ſimul atque quis maleficii convictus eſt, *cujus pœna eſt ſtatuta, ea ſtatim debetur*, hoc eſt, non tam ex judicis pronunciatione, ſeu damnatione, quam etiam ante illam ex lege ipſa, cujus auctoritas, poteſtaſque, quæ in pœna verſatur, quemadmodum non eſt in poteſtate judicis, ut remittat, *d. l. 1. §. quorum 4. D. ad S. C. Turpill. l. ordine 15. D. ad municip.* ita nec in arbitrio delinquentis, ut appellando infringat.

6 Quin potius, ſicut à Principe, legis auctore, appellare non licet *l. 1. §. 1. D. a quibus appellare non licet l. Præfecti 17. D. de minor. l. unica in fine, D. de officio Præfecti Prætor. l. unic. Cod. de ſentent. Præfect. Prætor.* nec ab executione provocatio recipitur *l. ab excuſatione 5. Cod. quor. appellat. non recipiant l. 3. D. de appellat.* ita neque a pœna legitima, quæ & juris auctoritas, & ipſius quodammodo legis executio eſt *d. l. 1. §. quorum 4. l. ult. §. 1. D. de appellat. recip.* incuſare enim, & increpare legis iniquitatem, videtur, à pœna ipſius appellans, quod & ineptum, & incivile eſt *dict. l. 1. §. 1. D. à quib. appell. non licet.* Idque præſertim obtinet in correctionibus legitimis Monachalibus. *cap. ad noſtram 3. cap. reprehenſibilis 26 §. ultim. cap. quia nos 32. de appellation. cap. licet in corrigendis 12. de officio, & poteſt. Judicis ordinarii*, ſive quoties proceditur per viam viſitationis, & correctionis, ut conſtitutum eſt in Tridentino *ſeſſ. 13. de reformat. cap. 1. & ſeſſ. 24. cap. 10.*

7 Plane à declaratione pœnæ à judice, ut loquuntur, factæ, ſive ab irrogatione, & damnatione, eo

caſu, quo damnatus de judicis iniquitate conqueritur, ſive quia crimen non probatum, ſive quoniam aliter in cognitionis, & diſceptationis facto peccatum fuiſſe, aut denique non imponi legibus talem pœnam delicto, contendit, permiſſa, ac recipienda provocatio eſt *cap. cum ſit Romana* 5. §. *ult. de appel. l.* 2. *C. quam appellat. non recip.* Notat ad rem, & judiciorum uſum, Gloſſa ſingularis *in cap. cupientes* 16. §. *quod ſi per viginti, verſ. inſuper, verbo, privatos, de electione, lib.* 6. quam legitiis incognitam, aït Curtius junior *in l. unic. in princip. num.* 41. *D. ſi quis jus dicenti non obtemper.* ac præter plures congeſtos ab Hilligero *ad Donell. lib.* 28. *cap.* 6. *litt. CC. & DD.* utiliter ad praxim Bartol. *in l. ejus* 29. *D. de Jure Fiſci.* Baldus *in l. unica. Cod. ex delictis defunctor.* Abbas *in cap. ultim. num.* 5. *de jur. calumn.* Peregrin. *de Jure Fiſci, lib.* 4. *tit.* 8. *num* 2. Caſtillo, Bobadilla *lib.* 3. *Polit. cap.* 8. *num.* 277. Farinacius *in praxi crim.* 1. *tom. quæſt.* 18. *num.* 58. Noviſſime multa ex his, quæ poſuimus, ad forenſem uſum producens docte, diſerteque, venerandus Præceptor noſter, Primarius olim Pontificii juris in Academia noſtra Anteceſſor, Regiuſque nuper in Supremo Patrimonii Senatu Fiſci Patronus, D. Joannes de Balboa Mogrovejo, doctrina, integritate, & utriuſque ſama clariſſimus, cui, ut Horatius alibi:

. . . . Juſtitiæ ſoror,
Incorrupta fides, nudaque veritas,
Quando ullum invenient parem?

Quem natum bono publico, eique magis, quam ſibi creſcentem vocavit ad meliora Deus, funeravit publico ſumptu optimum Conſiliarium optimus Princeps, magno, nec imitando facile, vix credendo poſteris exemplo audituris, Regium hunc Senatorem, honoratiſſimis, uberrimiſque, dum vixit, ſtipendiis, donativiſque à Principe ſublevatum, vix, ac nec vix quidem habuiſſe morientem, unde funeraretur, cujus memoriæ qualecumque hoc gratitudinis noſtræ, & obſervantiæ Mnemoſynon, ex animo, ac libentes bene merenti ponimus, ſacramuſque; ita, inquam, ille 2. *tom. lectionum Salmantic. ad tit. de appellation. in cap. reprehenſibilis* 20. §. *ult. cap. ad noſtram* 3. *eod. tit. n.* 10. *& ſeq.*

8 E contrario, inquit Paulus *in dict. l. ſi qua pœna* 244. *mulctæ provocatis eſt*, hicque unus caſus eſt ex his, in quibus jure Civili ab interlocutione appellatur, veluti à mulcta ante ſententiam dicta, juxta *leg. Sacrilegi* 9. §. *ult. D. ad l. Jul. peculat. l.* 1. §. *quid ergo ſi non* 3. *D de inſpic. ventre*, quia cum mulcta arbitraria, & incerta ſemper fuerit, atque in poteſtate judicis poſita, non eſt, cur litiganti mulctato non permittatur, de iniquitate judicis, appellando, conqueri, ſi acerbius, graviuſque, quam pro admiſſo par erat, mulctam ſibi inflictam, aut eam omnino infligi, non debuiſſe, contendat. Itaque & hodie certum jus eſt, appellari à mulcta irrogata, vel inſerenda, poſſe. *l.* 2. *D. quis à quo appellat. l. certa* 5. *Cod. quando provocare non eſt neceſſe l. & in mulctis* 25. *Cod. de appellation.* quam Tribonianus interpolavit ex *l. in condemnationibus* 37. *Cod. Theodoſ. de appellation.* excepto, ſcilicet, ſingulari caſu *l. propter* 29. *Cod. Theodoſ. quor. appellation. non recip.* quam illuſtrare, licet, ex traditis ab Annæo Roberto *lib.* 1. *rer. judicat. cap.* 10. at vel maxime ex notatis nuper à Jac. Gothoſredo *ad C. Theod. in d. l.* 28. *& l.* 37. *de appellationib.*

9 Sic & olim receptiſſima à mulctis provocatio fit ad parem, majoremve poteſtatem, ac plerumque populum, cujus ſuffragiis, comitiiſque mulcta à Tribunis plebis, vel alio Magiſtratu dicta, rogatave, vel irrogabatur, vel abrogabatur, remittebaturque, eo tempore, quo lis hæc mulctatitia diſceptaretur, per populum certari dicebatur, ut ex Cicerone 3. *de Legib. & Philipp. II. & in orat. pro domo ſua.* Livio *lib.* 25. *poſt princ.* ubi de M. Poſthumio, Dionyſio Halicarnaſſ. *lib.* 7. adnotatum Budæo, & aliis. Poſtea vero judicio populi, comitiiſque cum libertate oppreſſis, manſit tamen provocatio à mulctis, per minores Magiſtratus dictis, ad majores, veluti à Tribunis plebis ad Conſules. *Nec ante*, ut Paulus inquit, mulcta *debetur*, quam *aut non eſt provocatum, aut provocator victus eſt.* Quibus reſpondet, & pro interprete quodammodo eſt, Tacitus *lib.* 3. *Annal. Addidit*, inquit, *L. Piſo deſignatus Conſul, ne quid intra domum pro poteſtate animadverterent,* (ſcilicet, Tribuni) *neve mulctam, ab his dictam, quæſtores ærarii in tabulas publicas ante quatuor menſes referrent, medio temporis contradicere, liceret, deque eo Conſules ſtatuerent.* Itemque à Prætoria mulcta ad Senatum. Plinius *lib.* 4. *Epiſtol.* 29. *Licinnius Nepos Prætor, acer, & fortis vir, mulctam etiam dixit Senatori. Egit ille in Senatu cauſam ſuam, egit autem ſic, ut deprecaretur, remiſſa eſt mulcta, ſed timuit, ſed rogavit, ſed opus venia fuit;* ſicut à Legato ad Proconſulem *in d. l.* 2. *D. quis à quo appelletur.*

Porro quæcumque hucuſque tertiæ, ab Ulpiano 10
poſitæ *in dict. l. aliud* 131. inter mulctam, pœnamque differentiæ occaſione, diximus de mulcta incerta, & arbitraria ſemper, eam habent exceptionem, quæ à Paulo ſubjungitur *in d. l. ſi qua pœna* 244. *in fin.* nempe, ut in mulcta ſit judicis poteſtas, quantam dicat, *niſi cum lege* eſt conſtitutum, quantam dicat. Diſplicet hæc exceptio Fabro *tom.* 4. *de Error. Pragmat. Dec.* 97. *err.* 8. & Hotmano, & uterque eam Triboniano potius, quam Paulo tribuit, quaſi ſcilicet Triboniani hoc emblema reſpiciat modum illum, judicibus in mulctando præfinitum, quemque prætergredi non poſſunt, ex conſtitutione Arcadii, & Honorii *in l. ultim. Cod. de modo mulctar.* quam certe conſtitutionem nec Paulus, tot ante annis potuit proſpicere, neque, ſi prævidiſſet, ſcriberet, conſtitutum eſſe illa lege, quantam mulctam diceret judex, cum adhuc & poſt eam legem in arbitrio ſit judicis, quantitas mulctæ, majoris, vel minoris, dum tamen ſit intra ſtatutum modum.

Mihi quamvis non neſciam totam illam contex- 11
tus Pauli partem, quæ ad mulctam pertinet, prætermitti à concinnatoribus Eclogæ Baſilicon *lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 243. tamen cur hic accuſem Tribonianum, aut ejuſdem manum agnoſcam, non ſatis liquet. Poſſunt enim illa verba, tamquam à Paulo ſcripta, defendi, & commode explicari biſariam. Primo, ſi obſervitemus (quod magnos hoſce Triboniano maſtigas obſervaſſe, oportuit) mulctarum modum, ſeu taxationem, intra quam conſiſterent, non ſtabilitam primum ab Arcadio, & Honorio *in d. l. ult. C. de modo mulctar.* nedum à Juſtiniano, cui *d. l. ult.* inconſpecte magis, neſcio, an audenter, tribuit Faber in *Rationalibus*, quin potius priſcis legibus, non pauciſque ante Paulum ſæculis, initio quidem pecoralem maximam mulctam, minimamque definitam, poſtea vero ejuſdem æſtimationem pecuniariam, ita ut ſupremæ mulctæ quantitas eſſet trium millium, & viginti aſſium, lege Tarpeia, & Ateria, de qua pluribus Anton. Auguſtinus, & ex politicis Bodinus *lib* 3. *de Republ. cap.* 3. & monuimus *ſupra cap.* 3. ſed & pro varietate Magiſtratuum, varium etiam mulctandi modum, ac finem legibus olim præſtitutum fuiſſe, pridemque ante conſtitutionem Arcadii, mihi idem Paulus indicat *in l.* 2. *D. ſi quis in jus vocatus non ierit*, ibi: *Ex cauſa à competenti Judice mulcta pro Juriſdictione Judicis damnabitur.* Ulpianus, ita vulgo intellectus, *in l. unica, D. ſi quis jus dicenti non obtemp.* ibi: *Secundum jus poteſtatis ſuæ.* Tacitus *lib.* 13. *Annal. Cohibita arctius & Ædilium poteſtas, ſtatutumque quantum curules, quantum plebeii pignoris caperent, vel pœnæ irrogarent.* Evidentius Carus Carinus, & Numerianus *in l. certa* 5. *Cod. quando provocare non eſt neceſſe. Certa ratione*, inquiunt, *& fine, mulctare Præſides poſſunt. Quod ſi aliter, & contra legis ſtatutum modum, Provinciæ Præſes mulctam vobis irrogaverit.* Potuit itaque reſpectu iſto Paulus ſcribere, incertam mulctam eſſe, & in poteſtate judicis, quantam dicat, *niſi cum lege eſt conſtitutum, quantam dicat*, hoc eſt, quatenus legibus mulctæ quantitas minimæ, &

maximæ

maximæ pro varietate judicium conſtituitur, concluditurque intra certum finem, & modum.

12 Secundo, & quidem proprie, ſtricteque magis, explanari Pauli verba poſſunt, ſi referantur ad mulctas, quas interdum certæ quantitatis à Magiſtratibus dici, veteres leges conſtituerunt. Exemplum in Valerio Publicola, cujus lege cautum, ſcribit Plutarchus in ejus vita, ut qui Conſulibus non paruiſſet, ei quinque boum, ac duarum ovium mulctam Conſules ſtatuerent. ἀπειθείας ζημίας, ut ille loquitur. Gravior, certaque itidem apud Athenienſes abſentis contumacis mulcta, mille drachmarum, ſcilicet, ſi Scholiaſti Demoſthenis Ulpiano credimus *in Oratione contra Midiam*. Sed & in noſtris libris non ſemel pecuniariæ pœnæ taxatæ occurrunt, quæ & mulctæ nuncupantur, ſive quia olim incertæ, & arbitrariæ; ſive quia & nunc non aliter debentur, quam ſi à judicibus infligantur, atque hactenus arbitrariæ manent *l.* 1. §. 1. *& ſeq. D. de fugitivis. l. ab executione* 5. *Cod. quorum appellat. non recip. l.* 2. *& 3. Cod. Theod. de Prætoribus, & Quæſterib. l.* 3. *Digeſt. de termino moto. l.* 3. *Cod. de ſepulchr. violato.*

Talis mulcta, olim celebris; quinquaginta librarum argenti, in appellantes ante ſententiam ab interlocutione, aut executione, ſive, ut conſtitutiones loquuntur, ab articulo, aut præjudicio κατὰ διαλαλίας. *dict. l. ab executione* 5. *in fine. l.* 2. *Cod. de Epiſcop. audient. l. ab executione* 15. *cum l. ſeq. Cod. Theodoſ. quorum appellat. non recipiant.* quam, præjudicialem mulctam, vocari, obſervator magnus præmonuit *lib.* 12. *cap.* 6. *l. eum, qui* 50. *l. præſcriptione* 65. *Cod. Theodoſ. de appellation.* Symmacho *lib.* 10. *epiſtol.* 29. *&* 51. & cum ſublata eſſet conſtitutione Valentis, quaſi ſatis pœnæ eſſet, non audiri ab articulo provocantem *l. exceptis* 23. *in fine, Cod. Theodoſ. quorum appellat. non recip.* reducta poſtea eſt eadem *in l.* 25. & à Gratiano *in l. ſæpe* 30. *eodem tit. & Cod. l.* 36. *Cod. de appellat.* vix ad hanc variationem intendente Gothofredo. 13

C A P U T IX.

Practico-Legalia.

De mulctis, pœniſque juxta noviorem judiciorum uſum.

A R G U M E N T U M.

Mulcta, etiam hodie, arbitraria, & indepedens à taxatione Juris Romani, & remiſſibilis ab eodem Judice, ob paupertatem l. 6. §. ult. D. de offic. Præſ. l. 4. tit. 22. part. 3. *nempe, ſi Fiſco, aut publico applicata, non, ſi parti. Quin & pœnæ, quamvis quamdiu ſtetere ſolemnia criminum judicia Romana, fuerint Judicibus immutabiles, poſtea tamen mutari, & minui, potuere, juſto arbitratu. Compoſiti, alioquin pugnantes, juris auctorum loci, & advocati in re* Auguſtinus, *&* Salvianus, *&* Regia noſtra lex 8. tit. 31. p. 7. *&* Pragmatici. *Mutabiles item, & moderandæ pœnæ, ex cauſis, jure probatis, etiamſi lege aliqua, moderatio inhibeatur. Expenſa* lex 27. tit. 6. lib. 3. comp. *Hæc ante ſententiam, vel in ea, qua tamen ſemel lata, ſoli Principi licitum, pœnam moderari, aut remittere, non autem Judici, etiamſi ei nunc conſtet de rei innocentia, quo tamen caſu id ei Regio jure permiſſum. In pœnis legum, quin & mulctis, quarum applicatio omiſſa eſt, obtinuit, ut Fiſco applicentur, unde & Regalis annumerantur, & apud nos ſaltem dimidia pars,* ex l. 2. tit. 26 l. 8. compil. *quæ tamen lex non obtinet in mulctis, ſi prorſus arbitrariæ ſint, & proinde applicabiles Fiſco, aut publico, piove operi, Illuſtrata* l. 5. Cod. de modo mulctar. *&* alia de ſacris mulctis.

1 Complicemus tamen rudentes, tertiamque hanc inter mulctam, pœnamque differentiam, & quæ ex illa deduximus, ad uſum fori jam, Tribunaliumque convertamus. Ergo quæ ſingula de mulcta diximus, ſunt etiam receptiſſima apud noſtros, nempe arbitrariam eam eſſe, & incertam, ideoque, niſi à judice ſtatuatur, nec ampliorem, quam ſtatuta eſt, deberi, ut docent Bartol. Alberic. Rebuff. Alciat. Cœpola, & ſi qui alii *in d. l. aliud* 131. & *in d. l. ſi qua pœna* 244. Claſſici *in l. unica, D. ſi quis jus dicenti non obtemperav.* cum pluribus Tuſchus *Pract. tom.* 5. *concluſ.* 408. *& ſeq. litt. M.* poſt alios Menoch. *de Arbitr. caſu* 280. quin & ſemel ſtatutam mulctam poſſe ab eodem judice remitti, ex cauſa paupertatis, expreſſum eſt *in l.* 4. *tit.* 22. *part.* 3. atque ita quidem, ut mulctæ in corporalem pœnam commutatio non fiat *d. l. illicitas* 6. §. *ultim. D. de offic. Præſidis*, quam in hac parte multum notabilem, ait Panormitan. *in cap. niſi, num.* 6. *de officio legati*, quem ſequuntur Tiraquell. *de Pœnis Tempor. cauſa* 32. Menchaca *lib.* 1. *Controv. illuſtr. cap.* 24. *num.* 15. Boërius *Deciſ.* 349. *num.* 2. Baëza *de Inope debitore, cap.* 18. *num.* 2. *& ſeq.* Bobadilla *lib.* 4. *Politicæ cap.* 5. *n.* 67. Azevedo *in l.* 14. *n.* 7. *&* 10. *tit.* 26. *lib.* 8. *Compil.* Barboſa *in l.* 2. §. *ult. n.* 15. *D. de judiciis.* Farinac. 1. *tom. Prax. crim. q.* 18 *n.* 56. quamvis renitantur perperam Concennat. *lib.* 1. *Quæſt. jur. ſingular. quæſt.* 2. *num.* 21. Cujac. *in Paratitl. ad tit. Cod. de modo mulctar.*

2 Remitti autem poſſe, ita hi omnes conſentiunt, ſi mulcta Fiſco, aut publico operi applicata fuerat, non, ſi parti, pro eo, quod ejuſdem intererat, & quidem recte; quia non idem licere judici, debet, de alieno, quam de publico, imo liberior ſemper, laxiorque de publico condonandi facultas, quam de privato, quia illius quodammodo arbiter judex eſt, hoc autem, ſine injuria, adimi, non poteſt *l.* 2. §. *merito, & §. ſi quis à Principe, D. ne quid in loco publico.* Propria, & aperta in hanc ſententiam *dict. lex* 4. *tit.* 22. *p.* 3. ibi: *E mayormente ſi aquel yerro non fueſſe muy grande, è aquel pecho devia venir à la Camara del Rey*, notat ibi docte Greg. Lopez Avendan. *de Exequend. mandat. Reg. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 7. *& lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 3. *&* 7. Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *centur.* 5. *caſu* 447. *num.* 9. Azevedius *in l.* 10. *n.* 69. *& ſeq. tit.* 1. *lib.* 4. *Compilat.* & *in l.* 29. *num.* 1. *tit.* 1. *lib.* 8. *Compilat.* Peregrin. *de jure Fiſci, lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 19.

Illud apud nos moribus antiquatum eſt, inductumque contrario judiciorum uſu, ut neque mulctarum modus, taxatioque, pro varietate Magiſtratuum Juſtinianeo jure, ſtatuta, ſervetur, & ut liceat unum, eumdemque ſæpius, quam ter in anno, mulctare, contra *dict. l. ult. Cod. de modo mulctar.* tametſi ea ipſa, & lex penultima tituli ejuſdem, receptæ ſint noviſſimo jure Græcanico, relatæque *in Synopſim* Baſilicon *lib.* 43. *tit.* 7. *cap.* 3. *&* 4. ſed apud nos, ut dixi, pendet utrumque ex arbitratu, æſtimationeque judicantis, ut poſt alios monent Menoch. *de Arbitrar. caſu* 280. Barboſa *in l.* 2. §. *ult. n.* 16. *& ſeq. D. de judic.* 3

Circa pœnas vero, quamvis hæ priſco jure Romano, certæ, ut diximus, eſſent, & legitimæ, & in juris auctoritate poſitæ, non in arbitrio, & poteſtate judicum, qui proinde illas neque ante ſententiam, ſi, admiſſum crimen, pronunciabant, ſuſpendere, neque poſt ſententiam remittere, aut mutare poterant *dict. l.* 1. §. *quorum* 4. *D. ad S. C. Turpil. l. pœnam* 15. *Cod. de pœnis*, cum aliis, ſupra adductis, id tamen ſtricte ita, & abſciſſe obtinuit, quamdiu & ſolemnis exercendorum publicorum capitalium, & criminalium judiciorum ordo ſervatus, cujus, inter alia, proprium fuit illud, ut judices, ſemel conſcripti, addictique à legum, in quas jurabant, 4

bant, præſcripto recedere, pœnamque earum minuere, aut mollire non poſſent, ut ex locis M. Fabii *libr. 3. Inſtit. Orator. cap. 10. & lib. 7. cap. 4.* Plinii junioris *lib. 2. Epiſtol. 11. ad Arrianum*, adnotavit pridem Budæus, cui ſuccedaneos do, Salvianum Maſſilienſem, *Epiſtol. 4. ad Hypatium, & Quietam, ad finem*, illuc, tametſi inferiori ævo collimantes: *Certe etiam illic miſericordia valuit, ubi, locum eſſe miſericordiæ, non licebat; laturi ſententiam judices, qui nihil ſe, niſi ex veritatis officis, pronunciaturos eſſe, juraverant, excludere tamen miſericordiam, nec poſt ſacramenta, potuerunt, in tantum humanitate moti, ut dum aliens negotio conſulunt, ſuum pene obliviſcerentur*, junge & Div. Auguſtin. *de Vera Relig. cap. 31.* apud Gratianum *in cap. in iſtis, 4. diſtinct.* & *ad illud Pſalmi 57. Molas leonum confringet Dominus; judex*, inquit, *non poteſt niſi legibus ſuis judicare.*

5 Verum ſub poſterioribus Cæſaribus, cum ordo ille ſolemnis in uſu eſſe, deſineret, atque extra ordinem, ſine formula, formaque certa, non dati judices, quæſitoreſve, ſed plerumque Magiſtratus ipſi, aut Senatus, de criminibus cognoſcerent, judicarentque, quamvis manentibus, neque abrogatis legum pœnis. *l. ordo 8. D. de public. judic. l. cognitionum 5. D. de extraordinar. cognit. l. in Senatus Conſultum 5. D. ad S. C. Turpil.* licuit tamen, eaſdem pœnas ex cauſa in pronunciando minuere, aut mutare, & coërcitionem extraordinariam inducere, nec Senatui dumtaxat, apud quem *juris clementia eſt*, ut loquitur M. Fabius *dict. lib. 7. cap. 4.* ſive *cujus cognitio ſoluta, & libera, nec legibus concluſa, quantum admiſit reus, tantum vindicat*; ut Plinii verbis utar, *dict. lib. 2. epiſt. 11.* Nec ſoli Principi, *cujus in manu eſt, ut poſſit mitius judicare, quam leges, cum & qui legem tulit, derogandæ, vel abrogandæ illius habeat poteſtatem*, ut ad rem Joannes Sareſberienſis *in Polycratico, de nugis Curial. lib. 2. cap. 26.* ſed etiam Provinciarum Præſidibus, Præfectiſque, graviorem, vel leviorem ſententiam pro arbitratu ferentibus. *l. 1. §. ultim. l. hodie 13. D. de pœnis l. lex Julia 7. §. ult. D. de lege Julia repetund. l. 3. §. ultim D. ad leg. Cornel. de Sicar. l. Divus Pius 31. D. ad leg. Cornel. de falſ. l. ultim D. de privat. delict.* in quibus explicandis aberrat ſane nimis, non modo vulgus Latinorum Interpretum, ſed & Græcanicorum, qui *libro 60.* Baſilicon *tit. 51. ad d. l. 1. §. ult. d. l. hodie 13. D. de pœnis*, adnotant, eos extra ordinem cognoſcere, qui vel diſcrimine, cui nulla ſcripta lex certam pœnam ſtatuit, cognoſcunt (quomodo & vulgares Doctores paſſim accipiunt) vel ſine accuſatore, aut ab officio moniti, reos apprehendunt, quamvis & indiſtincte, recteque affirment, licere judicibus, legum pœnas minuere, vel augere.

6 Nec refragatur Papiniani ſententia, quam ſæpius ſupra expendimus, *ex dict. l. 1. §. quorum 4. Digeſt. ad S. C. Turpil. l. ordine 15. Digeſt. ad municip.* Quod enim ea jactatur, facti quidem quæſtionem judicantis eſſe, juris autem auctoritatem, ex qua pœna pendet, non eſſe, vel ſumptum eſt, & explicandum itidem ex vetere, & ſolemni criminalium judiciorum ordine, ſecundum quem, ut diximus, dati judices de facto cognoſcebant, certoque jure, à cujus pœnis recedere non poterant, vel referendum eſt ad pœnam infamiæ, quæ ſola proprie, & quaſi antonomaſtice ex juris auctoritate pendet, & quidem ſolius, quia eam ſolum jus exequitur, neque ullum judicis factum deſiderat, ideoque nec poteſt judex ipſe facere, ut criminis, jure ſamoſi, damnatum non ſequatur infamia. *d. l. non poteſt 63. D de furtis, l. Divus 40. D. de injuriis*, ſicut nec ut non incidat in excommunicationem, ipſo jure latam, qui in jus ipſum commiſit, quia excommunicatio, etiam perinde atque infamia, ſecum trahit executionem. *cap Paſtoralis 53. §. verum de appellation.* docte, & appoſite ad rem Alfonſ. de Caſtro *lib. 2. de Poteſt. leg. pœnal. cap. 12.*

7 Sane quod dicimus, licere etiam judicibus inferioribus, pœnas legum ex cauſa in pronunciando minuere, vel augere, & expreſſum quodammodo eſt ſeptempartito Regio jure *in l. 8. tit. 31. part. 7.* & apud cordatiores Pragmaticos magis obtinuit, qui in hanc ſententiam utuntur Juriſconſultorum locis, *in l. quid ergo 13. §. pœna gravior*, ubi Accurſiani, *D. de his, qui notant infam. l. perſpiciendum 11. D. de pœnis l. pedius 4. §. 1. in fine D. de incendis, ruina, & naufr* itemque *textu in cap. ult. de tranſactionib.* cum aliis, ex quibus ita tam in pœnis, Romano jure, quam ſtatutario, vel conſuetudinario inductis, docet Innocentius, vulgo, ut aiunt, receptus *in cap. niſi, num. 7. de officio legati*, D. Covarr. *lib. 2. Variar. cap. 9. num. 8.* Avendanus *de Exeq. mand. lib 2. cap. 16. num. 11. & ſeq.* Tiraquell. *de Pœnis temp. in præfat. ex num. 16.* Julius Clarus *lib. 15. Recep. ſentent. §. ult. quæſt. 85. num. 10.* Tiber. Decian. *2. tom. Crimin. lib. 8. cap. 3. num. 18.* Peregrinus *de jure Fiſci, lib. 4 tit. 8. num. 24. & ſeq.* Eduardus Caldeira *lib. 3. Variar. cap. 4. num. 4. & ſeq.* Thuſcus *in Pract. litt. P. concluſ. 255.* Salazar *de Uſu & Conſuetud. cap. 5. num. 11.* poſt multos Bobadilla *lib. 2. Polit. cap. 21. num. 136.* Paz *in Praxi 1. tom. 5. part. §. 12. num. 97.* Riccius *2. part. Deciſ. Collectan. 261. & 3. part. collectan. 561.* Gratian. *Regula 344.*

Id vero etiam in pœnis, quas interdum noſtrates Regiæ leges, ſive, ut vocant, Pragmaticæ, certas indicunt, earumque moderationem inferioribus judicibus inhibent, veluti in caſu importationis, aut exportationis mercium interdictarum, juxta *l. 14. tit. 26. lib. 8. Compilat.* cui ſimiles Romano jure conſtitutiones Cæſarum, *in l. ſervos 8. §. ult. Cod ad l. Jul de vi public. l. manente 8. Cod. Theodoſ. de appellat l. 3. Cod. ne Sanctum Baptiſma iteretur.* Atqui *inter Pontificias Salmanticenſis Academiæ conſtitutiones 21.* & præſertim 19. qua cavetur, ut ordinarii perpetuæ Cathedræ Anteceſſores publicam ſcholaſticam relectionem quotannis habeant, alioquin decem francos amittant ex ſtipendiis, *nulla remiſſione eiſdem aliquatenus profutura*, ut ait conſtitutio, cujus in hanc rem meminit Caſtro *de Poteſtat. leg. pœnal lib. 2. cap. 12.* idem, inquam, in his, & aliis admittendum ſimiliter eſt, nimirum, ut judicibus liceat, eas pœnas minuere, & mutare, ſi modo cauſa, jure recepta, & ex actis probata, ſubſit, qua ſubſiſtente, durum, ac nimis rigidum interpretandi genus eſſet, ſi cenſeremus, poteſtatem moderandi inclementer tolli legibus Regiis, quibus ea potius conceditur ordinariis judicibus *l. 8. tit. 11. lib. 8. Compilat.* & quidem generaliter, quatenus eis communi jure permiſſum *l. 27. tit. 6. lib. 3. Compilat.* ibi: *Y en las dichas ſentencias, que dieren, guarden las leyes del Reyno, y con ellas no diſpenſen ſin nueſtra licencia, y eſpecial mandato, ſalvo, como, y quando de derecho ſe permitte.* Quæ ſane exceptio, cum ſit generalis, ſubaudienda etiam eſt, ſupplendaque in caſu *dict. l. 14.* & poſterior hæc ex priore illa explicanda, argumento *ex l. non eſſe novum 26. cum legib. ſeq. D. de legib. l. 1.* ubi Accurſ. *cum l. 2. Cod. de bonis, quæ liberis*, ac præterea ſingularis *d. l. 14.* quamvis quoad minutionem pœnarum generaliter accipi, & confirmari, videatur, noviſſima *l. 21. §. 5. titul. 26. lib. 8. compilat.* quoad cætera tamen intra ſui caſus, veluti cancellos, cohibenda, extra quos, imoque & intra illos, moderatio licita eſt, ex cauſis jure probatis, ut obſervant, non pauca utiliter judicibus, circa praxim moderationis pœnarum, conſulentes, Azevedo *in d. l. 14. num. 4. & ſeq.* Bobadilla *lib. 4. Politicæ cap. 5. num. 62. & ſeq.* Zavallos *Practicar. commun. contr. commun. quæſt. 540. num. 41.* Anguian. *de Legib. lib. 2. controverſ. 5. & 7. & lib. 4. Controv 5. num. 32. & 35.* 8

Sed hæc, ante ſententiam, vel in ea pronuncianda, ponimus. Cæterum poſt ſententiam, pœnam, ſemel illa irrogatam, minuere, & mutare, non judici legum cuſtodi, & adminiſtro licet, ſed Principi earum arbitro, auctorique; neque id Romano tantum jure, de quo ſupra *ex l. pœnam 15. C. de pœnis l. acta 45. §. 1. D. de re judic.* cum aliis, ſed etiam Regio, *l. 9. tit. 31. p. 7.* niſi, ſcilicet, damnato reo, poſt ſententiam, innocentiæ ratio conſtiterit, 9

ſtiterit, quo caſu jure Cæſarum non licuit judici, liberare damnatum, aut reſtituere, ſeu ſententiam reſcindere, inconſulto Principe. *l. 1. §. ultim. D. de quæſtionib. l. moris 9. §. iſtæ. l. Divi* 27. *D. de pœnit dict. l. acta* 45. §. 1. *D. de re judic.* Hodie vero permiſſum etiam inferiori judici, reum liquido innocentem, etiam poſt damnationem, liberare. *l.* 4. *tit.* 30. *part.* 7. ibi: *Develo quitar*, ex qua ita docent, poſt Gregor. Lopez inibi, Gomez 3. *tom. Var. cap.* 13. *num.* 33. *in fine.* Paz *in Praxi*, 5. *p.* 1. *tom. cap.* 3. §. 10. *num.* 6. noviſſime, ac diſerte, ut ſolet, noſter Valentia *lib. 2. Illuſtr. jur. tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. Vel niſi pecuniaria pœna fuerit extra ordinem, judicis arbitrio, irrogata, & Fiſco Regio, aliive publico inferenda, & ut latine, atque uno verbo dicam, mulcta, quam poteſt judex, etiam poſt ſententiam, ex cauſa paupertatis remittere, ſi modo talis ſit, qualem deſcripſimus, non, ſi certa, & legitima, aut parti pro eo, quod intereſt, applicata. *l.* 4. *tit.* 22. *part.* 3. *l.* 9. *tit.* 31. *part.* 7. quas ita dextre expones, compones, ut & ſentiunt Gregor. Lopez *utrobique.* Avendanus *de Exeq. mandat. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 7. Azeved. *in l.* 10. *num.* 70. *tit.* 1. *lib.* 4. *& in dict. l.* 14. *n.* 7. *& ſeq. titul.* 26. *lib.* 8. *compilat.* Bobadill. *lib.* 4. *Politic. cap.* 5. *n.* 68. *ad finem.*

10 Unum adhuc noviſſimo Regio jure, ut quæ in hac re utiliora, toto, ut dicitur, horreo admetiar, inter mulctam, pœnamque diſcrimen, oppido nobile, & in foro frequens, explicandum ſupereſt, quod in pœnis, ſiquidem certæ ſunt, & legitimæ, ſimulque pecuniariæ, certa etiam eſt earum diſtributio, ſive applicatio, legibus facta, quam mutare, aut invertere, neque in interno foro licitum judici, ut adnotant, poſt alios, Peregrin. *de Jure Fiſci, lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 4. Caſtro *de Poteſtat. leg. pœnal. libr.* 2. *cap.* 12. ſed omnino ipſæ pœnæ, judicum arbitrio relictæ, in his tamen criminibus, quæ legibus puniuntur, & quibus conſequenter pœnæ magis, quam mulctæ notio congruit, juxta tradita ſupra *cap.* 4. *&* 5. ſic tamen applicari, ſeu diſtribui jubentur, ut earum dimidia ſaltem pars Fiſco, ſeu Regio ærario adjodicetur, eique deferatur, etiam ſi judex vel omiſerit, vel aliter expreſſerit, ſicuti hæc ſingula conſtituuntur *in l.* 2. *tit.* 26. *lib.* 8. *Compilat.*

11 Quin potius & in pœnis legitimis, certæque quantitatis, quarum tamen diſtributio, ſive applicatio expreſſa legibus non eſt, & in multis ſimiliter, quarum applicationem judex omiſit, inveteravit jam, & invaluit Accurſii ſententia, affirmantis, in totum eas Fiſco Regio, ſive publico ærario aſſignatas cenſeri, quod & probatur *in l. mulctarum* 5. *Cod. de modo mulctar. cap.* 1. ibi: *Mulctarum, pœnarumque compendia; quæ ſint regal. lib* 2. *titul.* 56. *in feudis*, docet Accurſius, communiter, ut aiunt, receptus *in l. jubemus* 14. §. *His quoque, verbo, Bonorum, Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Bartol. *in l. Lege Agraria, D. de termino moto.* Salycet. *in l.* 1. *Cod. de modo mulctar.* plene, pluribuſque Camill. Borrell. *de præſtant. Reg. Catbol. cap.* 13. *num.* 1. *&* 22. *& conſ.* 1. *num.* 4. 6. 59. *&* 63. *vol.* 1. Thuſcus *in Pract. litt. P. concl.* 240. *num.* 17. Peregrin. *dict. lib.* 4. *tit.* 8. *numer.* 9. Didac. Perez *in Rubric. titul.* 19. *de las penas, ad finem, pag.* 359. *lib.* 8. *ordinam.* Avendan. *de Exequend. mandat. libr.* 2. *cap.* 24. *num.* 4. Azevedo *in dict. l.* 2. *num.* 7. *tit.* 26. *lib.* 8. *Compil.* Aviles *in cap Prætor. gloſſ. Camara, n.* 1.

12 Diverſum vero eſt, ſaltem quoad deciſionem *dict. l.* 2. *tit.* 26. *lib.* 8. *Compilat.* in mulctis, quæ quidem, ſi puram, ſimpliceemque naturam mulctarum retineant, prorſuſque incertæ ſint, & arbitrariæ, poſſunt ſic à judicibus diſtribui, ut in ſolidum publico alicui, piove operi, ſacrove, aut publicæ neceſſarii loci fabricæ, & uſibus adjudicentur. nulla portione Fiſco, ſeu Regiæ Cameræ delata. *l.* 2. *titul.* 13. junctis *l.* 8. *&* 9. *titul.* 14. *lib.* 2. *Compilat.* Idque ex noſtratibus Pragmaticis, quos, quando in hæc deſcendimus, laudare cur pigeat? notant Aviles *in cap. Prætor. gloſſ. Juriſdiccion, num.* 33. Bobadill. *lib.* 5. *Politic. cap.* 6. *num.* 6. Villadiego *in Politica, cap.* 5. §. 12. *n.* 8. *& ſeq.* & ante eos Bart. & Salycet. *in d. l. Mulctarum* 5. *Cod. de modo mulctar.*

13 Quibus addimus, mulctarum hanc adjudicationem publicis, ſacriſve operibus, præterquamquod probatur Juſtinianeo jure, *in dict. l. Mulctarum* 5. ibi: *Niſi ipſe Judex id, quod ad pœnam admiſſi facinoris exculpitur, vel publicis operibus, vel curſui publico, vel aliis neceſſariis cauſis ſpecialiter deputaverit.* Sicut & exprimit *Ecloga* Baſilicon *libr.* 43. *tit.* 7. *cap.* 3. & Baſilica ipſa *lib.* 43. *tit.* 7. fluxiſſe etiam ex ipſis veteris juriſprudentiæ Romanæ, Græcæque viſceribus. Namque & apud Athenienſes in Aram Jovis mulctas dedicare, fuit moris, ut Plutarchus *in Demoſthene circa finem* ſcribit, ubi de mulctis, ita: *Conſuetum enim*, inquit, *fuit, ut Jovis ſervatoris ſacrificio argentum penderent*, mulctatitium ſcilicet, de quo ibi. Et apud Latinos priſcos ſimiliter mulctæ in Deorum ſacrificiis expendi ſolitæ, unde & ſacra ipſa dicta, ſupplicia, quaſi in quibus ex pœnis, boniſque damnatorum Deo libaretur, & ſupplicaretur, ut indicant Sextus Pompei. Feſt. *in ſupplicia.* Div. Iſidor. *lib* 5. *Origin. cap.* 27. Servius *ad illud* 1. *Æneid.*

--- Simul Divum templis indicit honorem.

Indeque etiam, *in ſacrum judicare mulctam*, pro eo, quod nunc diceremus, ſacro applicare, legimus *in fragmento legis Syllanæ, de ponderibus*, quod alibi Cujac. expendit *lib.* 11. *Obſerv. cap.* 9. inde denique ex pecunia mulctatitia, tot ſacra opera extructa apud Livium, veluti ædes in Fauni Inſula, *lib.* 33. Clypea, & quadrigæ inauratæ, *lib.* 35. & alibi paſſim. Et generaliter novioribus Chriſtianorum Cæſarum legibus, mulcta in Eccleſiaſticis cauſis, ſeu perſonis indicta, non Fiſco, ſed pauperibus erogari, juſſa eſt. *l.* 2. *Cod. de Epiſcop. audient. l. quoniam* 20. *quorum appellat. non recip. in Cod. Theod.*

C A P U T X.

Ad eamdem l. aliud 131. §. ult. D. de verbor. ſignif.

Queis judicibus jus mulctæ dicendæ;

A R G U M E N T U M

R*Efutata* Fabri *correctio, & tentata alia* ad d. §. ult. *ſed non niſi tentata. Exponitur recepta lectio de his, qui publica auctoritate judicant, ſcilicet* Magiſtratibus. *Expoſita etiam ſpeciatim de* Cenſoribus. *Judices dati non habuere jus mulctæ dicendæ, quia nec publica auctoritate judicarunt. Et* in l. 2. §. ultim. verſ. Niſi, D. de judic. *non fuit, cur* Faber Triboniani *manum agnoſceret, cum referri ad jus priſcum poſſit. Delegatis, ut hodie loquimur, Judicibus, non eſſe mulctæ dictionem, forenſe placitum eſt, & quidem plurium, tametſi alii contra,* ex l. 2. D. quis à quo appell. *Aſt hæc proprie capienda de* Proconſulis Legato. *Non eſt item jus mulctandi arbitris compromiſſariis; &* Javolenus in l. 39. D. de recept. & qui arbitr. *quo in contrarium abuſi* Harmenopulus, *& alii, intelligendus de pœna compromiſſi, ſuffragantibus* Baſilicis.

1 SEd ad Ulpianum item regrediamur *in d. l. aliud.* 131. proponit ille tandem quartam, poſtremamque ordine, non autem uſu, obſcuritateve, inter mulctam, pœnamque differentiam. *Item mulctam*, inquit, *is dicere poteſt, cui judicatio data eſt*, ita in Thuſcis Pandectis; apud Haloandrum vero, *cui adjudicatis*

judicatio data eſt. Utraque certe lectio obſcuræ explicationis eſt, ne dicam, deploratæ. Nam ſi *judicationem*, accipimus pro poteſtate judicandi, cognoſcendique, quæ & notio dicitur, & in datis judicibus, ſive pedaneis, diſtinguitur à juriſdictione. *l. ait Prætor 5. D. de re judic. l. notionem 99. D. de V. S. l. ult. verſic. Sed ne quis ita, Cod. ubi, & apud quem cognit. in integr. reſtitut.* conſequens erit, competere etiam datis judicibus, mulctæ dicendæ jus, quod tamen falſum, & abſurdum eſt, *l 2. §. ult. D. de Judiciis.* Sin autem legimus, *adjudicatio*, alienius nihil poſſe afferri, videtur, ab Ulpiani mente, cum adjudicatio ſit acquirendi dominii modus per addictionem factam in duplicibus illis judiciis familiæ herciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum, teſte eodem Ulpiano *tit. 19. de dominiis. §. adjudicatione*, Juſtiniano *in §. ult. Inſtit. de offic. Judic.* quod cum mulctæ dictione qui congruit? Cauſatius itaque, quam alias ſolet, acer ille, & ſubtilis Triboniani, & Pragmaticarum, imo & Typographorum aberrantium Cenſor, Anton. Faber *in Rationali ad l. 2. §. ult. D. de judic. & de error. Pragm. deciſ. 97. err. 8.* defectum, imminutumque contextum *d. l. aliud. 131.* eſſe, arbitratur, & negatione addita, ſic legendum: *Item mulctam is dicere non poteſt, cui judicatio data eſt*, hoc eſt, judex datus, quamvis ille ipſe pœnam legibus ſtatutam delicto irrogare poſſit, ut in extremo *ejuſdem l. aliud* 131. ſubjungitur.

2 Nobis tamen, ſi critico, aut cenſorio ſtylo figendum aliquid, ut refigendum eſſet, levius ſane, leniuſque videretur, ſublato vitio interpunctionis (quæ nulla, aut certe non diſtincta in veteribus libris, & monumentis, imo neque in Pandectis Florentinis, quorum in Archetypo, nulla extare punctorum intervalla, eruditiores notarunt, ut Antonius Auguſtinus præmonuit *lib. 1. Emend. cap ultim.*) & unius litterulæ immutatione totum ſic contextum corrigere: *Item mulctam is dicere poteſt, cui judicatio data eſt, Magiſtratus ſolus; & Præſides Provinciarum poſſe mulctam dicere, mandatis permiſſum eſt. Pœnam autem*, juvat emendationem noſtram, quod ſi, ut vulgo legatur, conjunctimque, *Magiſtratus ſolos, & Præſides Provinciarum*, innuitur, utriſque permitti mandatis Principum jus dicendæ mulctæ; atqui mandata Principum Rectoribus, ſeu Præſidibus Provinciarum proficiſcentibus, vel abſentibus dari, ſeu mitti, ut ex eorum forma jus dicant, & ſuo munere, poteſtateve fungantur, qualia quæ hodie vocamus, *Inſtruccion, y Capitulos de Corregidores*, frequens, crebrumque in juris libris. *l. 3. l. obſervandum 19. D. de offic. Præſid. l. Divus 7. §. 1. D. de jure patr. l 1. D. de Colleg. & Corpor. l. 4. §. 1. D. ad l. Jul. peculat l. Divi 27. §. 1. l. mandatis 35. D. de pœnis. l. ſolent 6. §. ultim. D. de offic Proconſ.* Juſtinianus *Novella 17. de mandatis Princip.* & alibi alii paſſim. Urbanis vero Magiſtratibus, qui præſentes, aut municipalibus, qui à municipiis ſingulis creati, infra curam Principum erant, mandata Principum deſtinari, inauditum mihi hactenus credo, & doctioribus; ſit itaque ſententia reſtitutæ lectionis hæc: competere jus mulctæ dicendæ his, quibus judicatio data eſt, ſi tamen Magiſtratus ſint, & quidem ſoli. Id eo pertinet, ut intelligatur, datos judices, & ſi qui alii non ſunt Magiſtratus, quamvis judicationem habeant, mulctare non poſſe. *dict. l. 2. §. ultim. D. de judic.*

3 Hæc tentaſſe ſatis. Diſpiciamus, an ſuus conſtet receptæ, ac Florentinæ lectioni ſenſus. Nec moramur Accurſii expoſitiones *in dict. l. 3. § ultim. & ad dict. l. aliud 131. gloſſ. penult.* tametſi earum ultimam, quæ judicationem datam, intelligit, judicibus ordinariis, qui publice ordinariam juriſdictionem exercent, ſequantur magno aſſenſu antiquiores, & ſi explicetur, ſuſtineri poſſit. Affirmamus potius ſimpliciter, breviterque, quod & plerique ex cordatioribus ſentiunt, & fere, poſt Fornerium, Cujacius *ad dict. l. 131.* nempe, clauſulam illam, *cui judicatio data eſt*, explicandam, ac veluti ſupplendam eſſe *ex dict. l. 2. §. ultim.* ibi: *Quibus publice judicium eſt*, ut proinde utriuſque loci ſententia ſit, eos ſolos mulctam dicere poſſe, qui publice judicium exercent, ut loquitur Ulpianus *in l. qui dolo 10. D. ad leg. Jul. de vi publ.* ſive quia auctoritate, & poteſtate publica judicant, præſuntque jure dicundo. Qua deſcriptione Magiſtratus proprie ſignificatur, ac præcipue Urbanus Populi Romani *l. 2. §. poſt originem 13. D. de orig. jur. l. eum, qui 13. §. 1. D. de juriſdict.* juncta *l bona 15. cum leg. ſeq. D. de verbor. ſignific.* Nec abſurdum videri cuiquam debet, quod, juxta expoſitionem hanc, *judicationis*, vox *in dict. l. aliud.* 131. ad Magiſtratus, & juriſdictionem eorum referatur, cum id perinde accidat *in l. 4. §. non omnis, D. de re militari*, & judicationem datam, cui vel à Republica Magiſtratui, vel à Magiſtratu judici dato accipere poſſimus, eam interpretationem capimus, quæ vitio caret, juxta *l. in ambigua 19. D. de legibus.*

Quamquam, ſi quis, ita Ulpianum exaudiat, ut, 4
Judicationis, voce pro Ulpiani *in dict. l. aliud* 131. inſtituto, quod tam multis ſupra indicavimus, accipiat, *cenſuram*, quæ antonomaſtice vocari, *judicatio*, poteſt, quia de omnibus judicat, ut ſæpius loquitur Trebell. Pollio in *Valeriano*, vel judicationem datam intelligat ipſius mulctæ, quæ cum irrogaretur, judicari, dicebatur, ut apud Cicer. 3. *de Legib.* & *in Fragmento legis Sillanæ*, de quo *ſupra cap. 1. in fine*; non nimis aberraſſe, mihi videtur. Eſt enim certum, hanc poteſtatem mulctæ dicendæ, ſive ejuſdem judicationem, ut nunc exponimus, datam fuiſſe lege ſpeciali Urbanis Magiſtratibus omnibus; idque veluti ex legibus decemviralibus, recitat Cicero 3. *de Legib. Magiſtratus nec obedientem, & anxium Civem mulcta, vinculis, verberibuſque coercento.* Et cum initio ſolis Conſulibus eſſet mulctæ dicendæ jus, *lege Valeria*, de qua Plutarchus *in Publicola*, poſtea *lege Tarpeia*, ſive *Ateria*, datum eſt omnibus Magiſtratibus, irreverentes erga ipſorum poteſtatem mulctare, ut ſcribit Dionyſ. Halicarn. *lib. 10.* juncta *l. 2. §. 1. D. ſi quis in jus vocat. non ier. l. unic. Dig. ſi quis jus dicenti non obtemper.* Fuit itaque mulctæ dictio in Urbe Conſuli, Cenſori, Prætori, Ædilibus, Tribunis, aliiſque, quorum ex Briſſonio meminit Gothofredus, nec tranſcribere, noſtrum eſt, denique & ærarii Quæſtoribus, ſi inſcriptioni veteri accredimus, quam exhibet Gutherius *de Offic. dom. Auguſ. lib. 3. c. 32.*

Verum, utcumque Ulpianus explicetur, quædam 5
tamen eidem illuſtrandu breviter adnotanda ſunt. Primum eſt, non poſſe datum judicem mulctam dicere, quia quamvis judicatio ei data ſit, non tamen publice, ſive à Populo Romano, vel Principe, ſed à Magiſtratu, qui quemadmodum facere non potuit, ut pedaneus judex eſſet Magiſtratus, ita neque ut judicium publice exerceret, ſive publica auctoritate judicaret. *l. 2. Cod. de pedan. Judicib. l. pen. D. de confeſſis. l. ait Prætor 5. l. à Divo 15. D. de re judic.* Idque expreſſum vulgo putatur *in dict. l. 2 §. ult. D. de judic.* Eaque occaſione ſubtilis ille Rationalium concinnator, Triboniani, eſſe putat, poſtrema hæc verba: *Niſi hoc ſpecialiter eis permiſſum eſt*, quaſi reſpiciant Juſtiniani conſtitutionem *in l. 3. Cod. de ſportul.* qua conceſſum judicibus, qui vel à Principe, vel a majoribus Magiſtratibus delegandas lites accipiunt, ut poſſint, executores mulctis afficere uſque ad tres, ſexve ſolidos.

Vellem tamen, argumento magis firmo utere- 6
tur, ut Triboniani manum agnoſcere neceſſe eſſet. Nam cum generalis regula hæc fuerit, dari mulctæ dicendæ jus his, quibus publice judicium eſt, & non aliis, hoc eſt Magiſtratibus Populi Romani, & quidem Urbanis, qui judicium exercent publice, hoc eſt, Romæ, non tamen aliis, qui vel Romæ ſine auctoritate publica judicant, veluti dati judices, vel in Provinciis, & conſequenter non publice, *d. l. bona 15. D de verb. ſign. l. eum, qui 13. §. 1. D. de juriſdict.* vel omnino non præſunt judicando,

cando, ſive jure dicundo, ideoque nec proprie ſunt Magiſtratus. *d. l. 2. §. poſt originem* 13. & *§. Et hæc* 33. *D. de orig. juris*, commodiſſime hæc exceptio ſubjungitur, niſi, ſcilicet, quibuſdam ex his, hoc jus mulctandi fuerit permiſſum. Exempla præter Juſtinianum illud, *dict. l.* 3. *Cod. de ſportul.* quod reſpicere Ulpianus non potuit, occurrunt jure vetere in Curatoribus aquarum, quibus, quamvis Magiſtratus non ſunt, *dict. l.* 2. *§. Et hæc*, datur tamen mulctæ dictio antiqua lege, quæ apud Jul. Frontinum *de aquæ ductibus*, ibi: *Ut quicumque Curator aquarum eſt, erit, ſi Curator aquarum eſt, vel erit, mulcta pignoribus cogito, coërcito, eique Curatori eo nomine cogere, & coërcere, mulctæ dicendæ, ſive pignoris capiendi jus, poteſtaſque eſt.* Ejuſdem generis ſunt ἀστυνόμοι, ſive Curatores viarum publicarum, quibus mulctandi jus, lege datum, Papinianus non ſemel indicat in *l. unic. D. de via publica.* Denique & Provinciarum Præſides, quibus idem jus datum, mandatis Principum, de quo poſtea.

7 Illud primo huic aſſerto, ſive notato, quod ad forenſem uſum attinet, conſequens eſt, delegatos, ut vocant, judices, mulctæ dicendæ jus non habere; ſive, delegatorum nomine, intelligamus, notione priſca, propriaque, judices datos, quibus mera certæ cauſæ notio ſine juriſdictione, ſeu poteſtate exequendi committitur, quibus mulctandi jus non eſt, niſi intra ſpeciem, formamque *dict. l.* 3. *C. de ſportul.* ſive accipiamus ita eos potius, quibus juriſdictio mandatur; quos cum datis judicibus, temere fæx interpretum confundit, ac miſcet. Iidem tamen, qui magis nunc in aliis ignoſcamus, ſentiunt recte in propoſito, non licere delegatis judicibus (utrocumque eos modo accipiamus) mulctam dicere, idque & ratio juris evincit, quia quamvis juriſdictionem mandatam habeant, non tamen ei publice præſunt, nec auctoritate publica judicant, ideoque nec ſunt Magiſtratus. *l. 2. §. poſt. originem* 13. *D. de origin. jur. l. & quia* 6. *D. de Juriſdict. l. ult. Cod. ubi, & apud quem cognit. in integr. reſtitut. l. qui neque* 81. *D. de judic.* nec principaliter, propriamve juriſdictionem habent, ſed mandatam exercent, alieno beneficio, non ſuo. *l. 1. §. ultim. l. 3. D. de offic. ejus l. more 5. cum leg. l. ſolet 16. D. de juriſdict.* & conſequenter à mulctando excluduntur *in dict. l. 2. §. ultim.* ibi: *Quibus publice judicium eſt, & non aliis* & *in dict. l. aliud* 131. ibi: *Magiſtratus ſolos, & Præſides Provinciarum.* Quarum argumento, ita docent, poſt Accurſium *gloſſa penult. in dict. l. 2. §. ultim.* Alexand. *in l. à Divo Pio. num. 6. D. de re judic.* Jaſo *ibidem, num 4. & in l. unic. num. 20. D. ſi quis jus dicenti non obtemper.* Decius in *cap. de cauſis, num. 14. de offic. deleg.* Menoch. *de Arbitr. lib. 1. quæſt. 74. n. 7.* pluribus, & poſt plures Thuſcus *Practic. tom. 5. concl. 409. ex num. 6. litt. M.* Barboſa *in dict. l. 2. §. ultim. num. 85. & ſeq. Dig. de judic.* Ubi & an id etiam, Pontificio jure, vel an in delegato à Principe, obtineat, fuſius oſtendit.

8 Nec refragatur huic receptæ ſententiæ Venuleius in *l. 2. D. quis à quo appellet.* dum ita ſcribit: *Appellare à legatis Proconſul poteſt, & ſi mulctam dixerit, poteſt de iniquitate ejus Proconſul cognoſcere, & quod optimum putaverit, ſtatuere.* Quibus verbis, tamquam decretorio telo pugnantes, ut luſoria, & leviora quædam præteream, putant, mulctandi jus competere delegatis judicibus, Accurſius, parum ſibi conſtans, ut ſolet, *in l. 2. verbo, ſupponere, Cod. de ſportul.* Canoniſtæ priſci, & noviores *in cap. 1. de Offic. deleg.* Fulgoſ. *in l. ultim. num. 1. D. de offic. ejus.* Alciat. *in cap. quod ſedem, num. 51. verſic. quin imo, de offic. Ordinarii.* Longoval. *in l. imperium, num. 563.* ubi & noviores *D. de juriſdict.* Pardulp. Prateius *in media Juriſprudentia, lib. 4. ſentent. cap. 7.* Morla *in Empor. 1. part. tit. 2. quæſt. 18. num. 4.* Non refragatur Venuleius, ut dixi, nec tamen, ei explicando, Goveani effugia probo, *ad l. 1. num. 8. D. de juriſd. & lib. 1. variar. lect. cap.* 46. referant, aut refellant alii. Mihi illud potius placet, quod & eruditioribus probatum, ſcio, poſt Cujacium apud Hillig. *ad Donell. lib. 17. cap. 8. litt. Nun.* accipiendum eſſe Venuleium, quo caſu loquitur, ſtricte, partiteque, nimirum de legato Proconſulis, qui cum non à Proconſule eligeretur, ſed illi quaſi adjutor ex Senatus Conſulto daretur, ut ſcribit Appianus *lib. 1. de Bello Civili.* Cicer. *de petitione Conſulatus.* juncta *l. obſervare 4. § poſt hæc l. ſolent. 6. §. ſicut, Digeſt. de offic. Proconſ. l. ſi quis forte 6. §. ſi quos, D. de pœnis l. cognitio 4. D. de offic. ejus, l. 1. §. damus, D. de ſuſpect. tutor.* pleraque etiam ſingularia promeruit negata aliis, quibus juriſdictio mandatur. veluti, ut tutorem dare poſſit. *l. 1. §. 1. D. de tutor. datis ab his l. penultim. D. de offic. Proconſ.* & auctoritatem manumittenti præſtare. *l. apud 17. §. ultim. D. de manumiſſ. vindic.* & criminalem cognitionem exercere *l. unic. Cod. de offic. Proconſul. l. excipiuntur 14. D. ad Syllan.* ſive inde propriam eſſe Legati Proconſulis juriſdictionem velimus, quod Cujacio, & aliis tentatum, argumento *ex l. legati 13. D. de offic Proconſ. l. 4. D. de offic. ejus l. 1. §. damus. D. de ſuſpect. tutor. Textus*, vulgo in hanc rem ignotus, *in l. ſæpe 8. cum l. ſeq. D. de offic. Præſid.* ſive eidem, quamvis mandatam juriſdictionem exerceat, hæc tamen proprie, ſpecialiterque legibus tributa affirmemus, quod invaluit vulgo frequentius. *l. cum Prætor 12. §. 1. verſic. is quoque, D. de judic l. 1. §. ultim. D. de offic. ejus l. ſolent 6. §. ſicut, de offic. Proconſ.* Nobis utrumque nunc altioris, & alienæ diſquiſitionis eſt.

Secundum ex eiſdem principiis, & ad forenſem 9
itidem uſum, notandum eſt, non poſſe arbitros compromiſſarios mulctare, quia neque publica auctoritate judicant, neque juriſdictioni præſunt, tamquam Magiſtratus, ſed privati, & privatorum conſenſu judicant. *l. 3. Cod. de juriſdict. omn. judic. l. 1. Cod. de recept. arbitr. l. diem proferre 27. §. ſtari, D. eodem titul.* cum tamen regulariter à mulctis provocatio ſit. *dict. l. ſi qua pœna 244. Digeſt. de verbor. ſignific. l. & in mulctis 25. Cod. de appellat. l. certa 5. Cod. quando provocare non eſt neceſſe.* Neque vel juxta formam compromiſſi, poteſt ad pœnam Fiſco pendendam litigatores damnare, ita ut aliquid Fiſco acquiratur, cui nihil ex privati ſtipulatione quæritur, ſicuti neque alteri per alterum jure Romano. *l. arbiter inter certum 42. Digeſt. de recept. & qui arbitr. recep. l. ea quidem 5. C. ſi mancip. ita fuerit alien. ut manumitt.* juncta *l. ſtipulatio 38. §. alteri, D. de verbor. obligat.* & tamen mulcta ſæpe, aut ſemper fere Fiſco adjudicatur, vindicaturque. *l. mulctarum 5. Cod. de modo mulctar. cap. 1. quæ ſint regal. libr. 2. titul. 56. in feudis.* Recte itaque non eſſe jus mulctandi compromiſſariis arbitris, niſi id eis ſpecialiter à partibus permiſſum, argumento ex *dict. l. 2. §. ultim. Digeſt. de judic. l. 2. §. 1. Digeſt. ſi quit in jus vocat. non ierit.* Affirmant, poſt Gloſſam, *in cap. cum dilectus 6. verbo, niſi de arbitris*, Panormitan. *ibi num* 12. Bartol. Fulgoſ. & alii *in l. non ex omnibus 39. Dig. de receptis, & qui arbitr.* Archidiacon. *in cap. legitima, de appellat. lib. 6.* Jaſo *in l. unic. num. 17. & 21.* ubi & Doctores, *D. ſi quis jus dicenti non obtemper.* Et ex Neotericis copioſe Barboſa *in dict. l. 2. §. ult num. 104. & ſeq. D. de judic.* Gregor. Lopez *in l. 23. gloſſ. 5. titul. 4. part. 3.* Anton. Faber *in ration. ibidem, & in d. l. non ex omnibus 39. §. 1. D. de recept. & qui arbitr.* Meril. *lib. 6. Obſer. cap. 28.*

Propendere ſane in contrarium Javolenus, vide- 10
tur, *in dict. l. non ex omnibus 39. D. de recept. & qui arbitr.* Ubi ex Caſſio, ex quo & alia ibidem deſcripſerat, ita proponit: *Idem* (Caſſius nempe ſcribit) *contumaciam litigatoris arbiter punire poterit, pecuniam eum adverſario dari jubendo.* Quo ex contextu, eſſe arbitris jus mulctæ dicendæ, idque ex lege datum contendit Conſtantinus Harmenop. *lib. 1. titul. 3. in promptuario juris*, ubi ſic Scholio ultimo: *Datur facultas arbitro, ex legum præſcripto, mulctæ dicendæ, & irrogandæ alteri litigatorum per contumaciam abſenti, ejuſque exigendæ, partique adſtanti dandæ. Hoc autem legumlator ſtatuit, ut ne tergiverſentur, ac moram committant litigantes, unde impedimentum diſceptationi*

arbitri afferatur. Subſcribunt Harmenopulo Cujac. *ad dict. l. 2 §. ultim. Digeſt. de judic.* Duaren. *ad titul. D. recept. & qui arbitr. in fine*, tametſi aliter alii, quod non moramur, atque idem Cujac. *lib. 13. Pauli ad edictum. in l. ſi duo 34. §. ſemel, D. de recept. & qui arbitr.*

11 Nos non ſubſcribimus, quin potius longe aliam Javoleni mentem fuiſſe, opinamur in *dict. l. non ex omnibus* 39. Vel enim eo caſu loquitur, quo ex forma compromiſſi licitum arbitro, quia & expreſſe conceſſum, mulctare contumacem, quomodo poſt Accurſium Bartolus, & congeneres. Secunda, ut aiunt, lectura, intellexerunt Gregor. *in l. 106. gloſſ. 1. titul. 18. part. 3.* vel, quod conſulti verbis, juriſque ipſi rationi quadrat magis, non de mulcta accipiendus Javolenus, de qua nec verbum toto eo titulo, ſed de pœna, compromiſſo adjecta, & generaliter promiſſa, ſi arbitro non pareatur; eam enim ob operam non præſtitam à litigatore contumace, pronunciare commiſſam arbiter poteſt. *l. quid tamen 21. §. ſi arbiter, cum §. ſeq. alias l. ſi cum dices, §. ſi arbiter. l. diem proferre 27. §. ſi quis litigatorum, Digeſt. de recept. & qui arbitr.* pecuniamque, pœnæ nomine, in ſtipulatum deductam adverſario dari jubere, ac ſic litigatoris contumaciam punire. *dict. l. non ex omnibus* 39. in qua in hunc ſenſum pro, *pecuniam eum*, libens legerim, *pecuniam eam*, quod & Latinitatis ratio poſtulat, cum mox in Florentinis legatur, *dari*, & mens ipſa conſulti, ſic enim tacite *eam pecuniam* deſignat, nempe, quæ compromiſſo adjecta fuerat, pœnæ nomine. Firmant porro hunc intellectum Baſilica *libr. 7. titul.* 2. in queis ſententia *dict. l.* 39. redactis ad contextum unum initio ejus legis, & *verſic. idem*, ſic exprimitur: *Non ex omnibus cauſis, ex quibus arbitri ſententiæ quis non paruit, pœnam committit, ſed cum pecuniam dare, aut facere aliquid juſſus eſt, poteſt arbiter eum, qui per contumaciam abſuerit, punire, pecuniam adverſario dari, jubendo.*

CAPUT XI.

Ad leg. unicam, D. ſi quis jus dicenti non obtemperaverit.

Magiſtratibus municipalibus an jus mulctandi.

ARGUMENTUM.

MAgiſtratus municipales, *& inter eos* Duumviri, *& ſimiles, qui fuerint, & qua auctoritate. Duumviris jus mulctandi fuiſſe, contra vulgarem ſenſum firmatur. Varia, & ex variis juris locis in rem argumenta.* Ulpiani, *qui in contrarium ſtare creditur, recepta lectio contra Correctores, aſſerta ex* Baſilicis. *Eadem dextre accepta non de mulctæ dictione, ſed de pœnali judicio, quod à mulcta diſtinguitur. Interpretatio* §. 1. ejuſdem l. unic. *Pœnale judicium quod, & quale, & cur illius exercitio impermiſſa* Duumviris, *obſervata ratio.* Magiſtratibus Urbanis, *&* Præſidibus Provinciarum *datum jus mulctandi, eoque exemplo hodie Regiis Urbium* Correctoribus, *non item olim* Procuratori Cæſari, *quia nec publica ei judicatio* l. 2. & 3. C. de modo mulct. *quarum argumento hoc ipſum de Regiis tributorum cum juriſdictione adminiſtratoribus, ſentiendum eſt. Cæterum pœnæ lege ſtatutæ, qualicumque criminis judici competit, etiamſi Magiſtratus non ſit.* l. 1. Cod. de Fiſcal. uſur.

1 DEinde & ex notatis *ad l. aliud* 131. tertium, & quidem præter mentem vulgi, moreſque noſtros, in uſum tamen, lucemque veteris juriſprudentiæ, obſervandum eſt, Magiſtratus municipales majores, veluti Duumviros, mulctam dicere potuiſſe. Fuerunt autem Duumviri in municipiis Magiſtratus ex Decurionum ordine electi, & Romanis Conſulibus numero, muniis, & inſignibus faſcium perſimiles, ſicuti & municipia ipſa, effigies quædam fuerunt, & ſimulachra Romanæ Urbis *l. honores 7. §. is, qui 2. D. de Decurion. l. 1. D. de albo ſcrib. l. Duumvirum 53. Cod. de Decurion. libr. 10. l. 1. §. ſi inter 9. D. de Magiſtr. conv. l. 1. Cod. de naturalib. lib. l. ult. Cod. de Judic.* cum aliis ſexcentis: nec diſſimiles nimis Duumviris in aliis municipiis, ſive Coloniis, Ædiles, Dictatores, Prætores, Quinqueviri, Septemviri, Quatuorviri, (quorum mentio obſervata recte Cujacio, neque Hilligero *ad Donell. lib. 17. cap. 7. litt. T.* oſcitanti, ſeu cæcutienti viſa, in inſcriptione *l. un. Cod. de ſolution. & liber. debit. civ. lib.* 11.) itemque Seviri, crebrum in Hiſpanienſibus inſcriptionibus municipalium Magiſtratuum nomen, denique, ut ſemel dicam, Græcorum *ἄρχοντες καὶ ϛρατηγοὶ τῶν πόλεων*, ut illi vocant. De quibus ſingularia multa paucis, noſter, inter paucos, amicus Dom. Joannes Suarez de Mendoza *lib. 1. cap. 2. ſect. 5. commentariorum ad legem Aquiliam*, & ex eo noviſſime, ex noſtra itidem Salmanticæ diſciplina, ac poſt veſpertinam illic Pontificii juris Anteceſſuram Supremi in cauſis Fidei Senatus Conſiliarius, Dom. Emanuel Gonſalius Telhus *in eruditis ad Illiberitanum notis, lib. 3. c. 39.* noſter item Suarius de Mendoza *lib. 1. ad leg. Aquil. cap. 2. ſect. 5.* Et nos alia, nec protrita ſupra *lib.* 2.

2 His itaque, & ſimilibus jus fuiſſe mulctandi, reclamante quamvis veterum, & noviorum Interpretum turba, primus forſitan poſt Cujacium pono, proboque, quia, ut ille conſiderat, habuerunt Magiſtratus hi, ſeu Duumviri pleraque alia, mulctæ dictioni affinia, aut graviora, veluti caſtigationem corporalem in ſervos *l. Magiſtratibus 12. D. de juriſdict. l. item 15. §. unde quærit. l. ſed ſi unius 17. §. 1, D. de injur. l. ſi privatus 17. §. 1. D. qui, & à quibus*, & in liberos homines viliores *l. eos, qui 12. D. de Decurionib.* ut in Actis Apoſtolorum *cap.* 16. & prehenſionem, conjectionemque in vincula, non tantum fugitivorum, de queis *in l. 1. §. hoc autem 2. l. 4. D. de fugitivis l. ſi quis uxori 52. §. ſi fugitivum. D. de furt.* Sed etiam ingenuorum, ut in actis Martyrum paſſim, & apud Vellei. Patercul. *lib.* 2. ubi de C. Mario, & juriſdictionem in levioribus criminalibus cauſis, ſaltem ſub Juſtiniano, *ex Novella* ejus 15. *de defenſor. civit. cap. 6. §.* 1. & in pecuniariis jam olim intra certam quantitatem *l. inter 28. D. ad municip* juncta *l. ult. D. de juriſd.* Paulo *lib. 5. Sentent. tit. 5. in princ.* denique quamvis ea, quæ imperii magis ſunt, quam juriſdictionis, non habuerint, *l. ea, quæ 26. D. ad municip. l. 4 §. duas cum § ſeq. D. de damno inf.* habuerunt tamen & capionem pignorum, diſtractionemque pro executione ſententiæ *l. quemadmodum 29 §. 1. D. ad leg. Aquil. d. l. 4. §. 1. & ſeq. D. de damno inf. l. 3. §. 1. D. de reb. cor.* cur non igitur itidem & mulctæ dictionem, quæ ſimul cum capione pignorum dari legibus ſolet, veluti in lege veteri, apud Frontinum *de aquæ ductib.* ibi: *Mulcta pignoribus cogito, coërceto*, itemque, mulctæ dicendæ, ſive pignoris capiendi Jus, poteſtaſque eſto *l. 1. §. quid ergo 3. D. de inſpic. ventre l. Sacrilegi 9. §. ult. D. ad l. Jul. peculat. & alibi* non ſemel.

Deinde ejuſce ipſius ſententiæ non imbelle argumentum eſt, quod legimus, defenſoribus Civitatum, 3
itemque curatori Reipublicæ jus mulctandi non eſſe *l. defenſores 5. Cod. de defenſor. civit. l. 3. Cod. de modo mulctar.* quia neuter ex his publice judicationem habet, ſed defenſorum quidem munus in tenuiorum patrocinio, curatoris vero in adminiſtratione bonorum Civitatis verſatur: jam autem fruſtra in hiſce de mulctandi jure dubitatum, deciſumve, ſi nec Duumviros, ſimileſque id habere, conſtaret, quorum primus, ſummuſque in Municipiis, & Coloniis honor *l. 1. D. de albo ſcribendo*, & quos auctoritate publica,

Google

publica, publiceque judicaſſe, ſive juri dicundo præ-
fuiſſe, ſcimus, ſaltem quatenus latior publici appel-
latio ad municipia quoque porrigitur *l. inter* 17. *D.*
de V. S. l. 4. *§. ult. D. ad leg. Jul. pecul. l. uſucapio-*
nem 9. *D. de uſucap.* cum aliis. Sit itaque in confeſ-
ſo, deinceps majoribus Magiſtratibus municipalibus
mulctæ dicendæ jus lege datum, ad eoſque etiam
pertinere verba illa *d. l.* 2. *§.* 1. *D. ſi quis in jus vocat.*
non ier. à competenti judice, mulcta, pro juriſdictione Ju-
dicis damnabitur. Id quod & mihi circa Ædiles cu-
rules, viarum curatores, ſive *ἀστυνόμους*, Papinia-
nus indicat *in l unica, D. de via publica*, §. 1. ibi:
Mulctent eos, quouſque firmos effecerint: & ibi: *Mul-*
ctent ſecundum legem, & quod factum eſt, diſſolvant.
Quæ ſunt de Ædilibus municipalibus, ſeu Civitatum,
ſicut e contrario de Urbanis Romæ Ædilibus, Sue-
ton. *in Claudio, cap.* 38. Agellius *lib.* 10. *cap.* 6.
Sed hem, dixerit aliquis, ſuſſlaminandus es; Rue-
4 re enim, & quaſi præceps agi oratio, videtur, im-
pactura in ſcopulum naufragiis, infamem gloſſema-
tariorum utriuſque notæ. Ulpiani is locus eſt, *in*
l. unica, D. ſi quis jus dicenti non obtemper. Omnibus
Magiſtratibus, non tamen Duumviris, ſecundum jus
poteſtatis ſuæ conceſſum eſt, juriſdictionem ſuam defende-
re pœnali judicio. Creditum vulgo eſt, imo & per-
ſuaſum quoque eruditioribus, deſumpta hæc verba
eſſe ex lege Ateria, ſive Tarpeia, eorumque hanc
apertam ſententiam eſſe, ut liceat omnibus Magi-
ſtratibus, pro modo juriſdictionis ſuæ, non paren-
tes mulctare, non tamen & Duumviris, ſive muni-
cipalibus Magiſtratibus, quibus vel ſolam minimæ
mulctæ, tamquam modicæ coërcitionis, animadver-
ſionem permittunt; vel Duumvirorum nomine Cu-
ratores, & Adminiſtratores Civitatum potius, quam
Magiſtratus juri dicundo præpoſitos, interpretantur.
Verum illud cum Ulpiani verbis, de mulcta acce-
ptis, pugnat, hoc autem cum notiſſima juris ratio-
ne, quæ Duumviros eſſe Magiſtratus, & juriſdictio-
ni præeſſe, demonſtrat *l. ea, quæ* 26. *l. inter* 28. *cum*
l. ſeq. D. ad municip. cum aliis ſupra adductis. Nec
feliciores, qui poſt Accurſium *in dict. l. unic. gloſſ.*
1. pro, *non tamen*, legunt, *non tantum*, contra fi-
dem Hetruſci, Noricique exemplaris. Et hoc am-
plius contra lectionem, tot ante ſæculis agnitam
concinnatoribus Baſilicorum *lib.* 7. *tit.* 7. ubi ſic:
πᾶσι τοῖς ἄρχουσι χωρὶς τῶν στρατηγῶν. *Omnibus Ma-*
giſtratibus præter Magiſtratus municipales. Vocantur
autem iſti ſimpliciter Strategi, ut apud Juſtinian.
Novell. 89. *cap.* 15. juncta *l.* 1. *C. de natural. lib.* &
ſæpe in Baſilicis *lib.* 38. *tit.* 8. quamvis alibi Strate-
gi vocantur, cum adjectione τῆς πόλεως, de quo
proprie nos ſupra *lib.* 2.
5 Quid igitur? Tranſimus-ne in eorum ſententiam,
qui omnino jus mulctandi negant Duumviris? Apa-
ge: ſtat contra juris ratio firma, ſolida, quam ſu-
pra expendimus. Videamus potius, ne non prima
verborum ſpecies, ſtructuraque *dict. l. unic.* inter-
pretes tranſverſos egerit, cum tamen Ulpianus non
de mulctæ dictione, ſed de pœnali judicio loquatur,
inter quæ duo, ſi ſerio, ſobrieque animadvertas,
permultum intereſt, ut, fere præſenſiſſe ad rem,
tandem comperi Cujacium *in recitat. poſth. ad l. unic.*
D. ſi quis jus dic. non obtemper. In primis enim mul-
ctæ, pœnæque nomina uſu, effectuque juris valde
diſtantia, ut ſæpius jam oſtendimus, ad noſtram *l.*
aliud 131. Deinde mulctæ dictione utitur Magiſtra-
tus adverſus contumaces, irreverenteſve, qui quan-
documque; vel qualitercumque non obtemperant,
veluti ſi in jus vocati non veniant *l.* 2. *§.* 1. *D. ſi*
quis in jus vocat. non ier l. 1. *§. removet* 6. *verſ. qui*
adverſus, D. de poſtulando. l. 1. *§. quid ergo* 3. *D. de*
inſpic. ventre. l. ſacrilegi 9. *§. ult. D. ad leg. Jul. pe-*
culat. l. ne quis 10. *D. de cuſtod. reor. l. ult. C. de mo-*
do multar. cum aliis. Cicero 3. *de Legib.* Plutarchus
in Publicola. Dionyſ. Halicarn. *lib.* 10. Pœnale au-
tem judicium, cujus mentio *in d. l. un.* in eos tan-
tum exercetur, qui quod extremum in juriſdictione
eſt non fecerunt, hoc eſt, ut cordatiores poſt Bul-
garum exponunt, qui Magiſtratus exequentis præ-
cepto, quod in juriſdictione extremum eſt, ſicut &
executio ipſa eſt ultima linea, & terminus juri di-
cundi, non obtemperaverunt. *d. l. un. §.* 1. veluti
ſi quis rei vindicatione conventus, & à Magiſtratu
evocatus, latitat, & litem ſecum conteſtari, ut res
vindicetur, non patitur, quamvis mulctari eo no-
mine poſſit, *d. l.* 2. *§.* 1. *D. ſi quis in jus voc. non*
ier. ſi tamen poſtea Magiſtratui, rem auferri juben-
ti, paruerit, non videtur, non obtemperaſſe, quod
pœnale judicium, quia rem abduci, quod extremum
in juriſdictione fuit, paſſus eſt, & conſequenter vi-
detur, obtemperaſſe *dict. l. unic.* § 1. cujus ita in
tranſcurſu defectionem, ſive ἐλλειπῶς ſupplemus,
ſicut & *in l. in bello* 12. *in princip. D. de captiv.* in
qua ſimilem præciſionem, ſeu reticentiam, animad-
vertit pridem Cujacius *lib.* 24. *Obſervat. cap.* 31. quo
cum ſic explicare malumus, quam cum noſtratibus
emendare.
Rurſus mulctæ dictionem ex ſolo Magiſtratus di- 6
centis, adjudicantis, exigentis, imperio, officio-
que pendere, nemo non videt; pœnale autem judi-
cium, de quo Ulpianus *in dict. l. un.* & ex Magi-
ſtratus concedentis auctoritate, & ex litigatoris im-
petrantis, ac mox exercentis facto. Eſt quippe, ut
paucis dicam, judicium pœnale *in dict. l. unic.* ut &
alibi ſæpe judicium in uſu juris, actio à Prætore e-
dicto propoſita, promiſſaque, cujus formulam,
conceptionemque ſolemnem, & is, cui competit
impetrare, & Prætor ipſe ei dare ſolet, ſimulque
judicem, apud quem exerceatur. Unde & actio-
nis, & judicii nomen promiſcue in libris noſtris u-
ſurpatum, præſertim in edictorum vulgari formula,
judicium dabo l. 3. *D. de ſepulchro viol. l.* 1. *D. de his,*
qui effuder. vel dejecer. l. eo tempore 50. *§. etiam, D.*
de pecul. ibi: *Si poſt actionem dictatam ſervus pecuniam*
exſolverit, non magis repetere poteſt, quam ſi judicium
dictatum non fuiſſet. Et *in rubrica, Cod. de contr. ju-*
dic. tutelæ, atque alibi millies. Adi, qui diſcis, Ma-
rium Victorin. Ciceronis interpretem, *libro ejuſ-*
dem 2. *de invent.* Theophil. *in princip. Inſtitut. de*
interdict. Aſcon Pædian. *in Orat.* Ciceronis 3. *in*
Verrem. ubi *de Comperendinatione.* Liqueat itaque non
adimi ab Ulpiano Duumviris jus mulctæ dicendæ,
& addicendæ, ſive adjudicandæ, ſed actionis pœ-
nalis, judiciique dandi, ſeu concipiendi.
Jam vero ſi quæſieris, cur hoc non liceat, nem- 7
pe juriſdictionem ſuam defendere pœnali judicio, in
promptu ratio eſt, quoniam, ſcilicet, actionum,
ſeu ſolemnium formularum impetratio, judicium da-
tio, judiciorumque conceptio adeo eſt tota juris
Romani, ut olim Pontificibus, poſtea autem ſolis
Romanis Magiſtratibus propria fuerit. *l.* 2. *§. dein-*
de ex his legibus 6. *D. de orig. jur. l. ſi finita* 15. *§.*
eleganter 28. *D. de damno infecto. l. enim Prætor* 12. *§.*
1. *D. de judic. l. eum, qui* 13. *§.* 1. *D. de juriſdict.*
juncta *l. poteſtatis* 213. *D. de verb. ſignific. l. ea quæ*
26. *ad municip.* Apud Duumviros autem, utpote
Magiſtratus municipales, non ſunt legis actiones,
niſi ſi quæ ſpecialiter legibus datæ ſunt, ut ait Pau-
lus *lib.* 2. *Sent. tit.* 25. *§. penult* juncta *l.* 1. *D. de*
offic. juridic. l. ultim. Cod. de vindicta libert. l. 1. *Cod.*
de emancipat. liberor. ſingularis forſitan in re hacce
locus *in l.* 4. *§ an tamen, D. de damno infecto.* Nec
ſilemus, ſubſcripſiſſe huic interpretationi, & quidem
commentatiis hiſce, ante triginta, & amplius an-
nos laudatis, noſtrum ex aſſe affectus, & æſtima-
tionis amicum D. Joannem Suarium Mendozam *lib.*
1. *ad leg. Aquil. cap.* 2. *ſect.* 5. *num.* 53. & ex eo no-
ſtrum itidem in commentariis nuper editis D. Ema-
nuel. Gonſalium *ad cap.* 1. *n.* 24. *de offic. delegati.*
Denique, ut paucis jam mulctatitiam hanc litem 8
concludamus, ſequitur mox apud Ulpianum *in d. l.*
aliud 131. Magiſtratus ſolos, & Præſides provincia-
rum poſſe mulctam dicere, mandatis permiſſum eſt.
Magiſtratus intelligit Urbanos, Romanoſque, qui
ſimpliciter & ἀντονομαστικῶς Magiſtratus vocantur,
diſtinguunturque ſic à Provincialibus, qui poteſtates
dicuntur.

dicuntur. *dict. l. eum, qui* 13. §. 1. *D. de juriſdict. l.* 1. *D. quod quiſque juris l. qui furere* 20. *D. de ſtatu hom. l.* 1. *D. ad leg. Jul. repetund. l.* 3. §. 1. *D. quod metus cauſa.* Præſidum autem appellatione omnes provinciarum Rectores complectitur, veluti, qui ſpecialius Præſides nuncupantur, item Proconſules, Prætores, Correctores, Procuratores vice Præſidum *l.* 1. *D. de offic. Præſid. l.* 2. §. *in bonorum, D. ſi quis ordo in bonor. poſſeſſ. ſerv.* Porro Magiſtratibus Urbanis datum mulctandi jus, legibus Valeria, moxque Ateria, Tarpeia, ut & ſupra monuimus. Præſidibus autem, mandatis Principum, quæ ad eos ſemper dirigebantur, ut ex eorum forma jus dicerent *l.* 3. *l. obſervandum* 19. *D. de offic. Præſidis*, cum aliis ſupra adductis.

9 Quo exemplo Regiis hodie Prætoribus, Rectoribuſque Metropoleon, ſive majorum Urbium, aut Oppidorum, quos, *Corregidores*, vocamus, permiſſam etiam eſſe extra ordinem mulctæ dictionem modicam, & ex cauſa, ejuſque applicationem, executionemque ſummariam, non dubitaverim, puta in litigatores irreverentes, advocatos clamoſos, litiumque redemptores, aut concinnatores, procuratores, apparitores, tabularios, alioſque fori rabulas, & adminiſtros indecore agentes, argumento *ex l.* 1. §. *removet* 6. *verſic. qui adverſus, D. de poſtul. l. nec quicquam* 9. §. *circa, D. de offic. Proconſ. l. obſervandum* 19. *D. de offic. Præſid. cap. dilectus* 11. *de pœnis.* Id quod & uſus judiciorum recepit, & Idiotiſmus noſter vocat, *provehidos*, docet Bartol. *in l. ſi qua pœna* 244. *D. de verbor. ſign.* Puteus *de ſyndicatu, verb. notorium judici, numer.* 3. & 11. Gregor. Lopez *in l.* 22. *gloſſ.* 6. *tit.* 22. *part.* 3. Bobadill. *lib.* 3. *Polit. cap.* 1. *num.* 49. Guido Papius *deciſione Delphin.* 626. multi apud Thuſcum *Practic. tom.* 5. *concluſ.* 409. *ex n.* 1. *litt. M.*

10 Plane Præſidum appellatio non pertinet ad Procuratores, qui tametſi in Provinciis interdum vice Præſidis eſſent, eaſque gubernarent *l.* 3. *Cod. ubi cauſæ Fiſcal. l. ex conſenſu* 23. §. 1. *D. de appellat. l.* 2. *Cod. de pœnis l.* 1. *Cod. de pedan. judic. l.* 4. *Cod. ad leg. Fab. de plagiar.* quoties tamen non gubernabant, ſolam Fiſcalium adminiſtrationem, exactionemque, eique adjunctam inter privatos, Fiſcumque juriſdictionem habuerunt *l. nec quicquam* 9. *D. de offic. Proconſ. l.* 1. 2 & 5. *Cod. ubi cauſæ Fiſcal. l.* 2. *Cod. ſi adverſ. Fiſc.* ideoque niſi vice Præſidis eſſent, non fuit mulctandi jus Procuratoribus Cæſaris, ſeu rationalibus *l.* 2. *Cod. de modo mulctar. l.* 1. *C. de Fiſcalib. uſur. lib.* 10. juncta *l. ultim. D. de offic. Procurat. Cæſ. l.* 2. *Cod. de pœnis*, quia nec fuit illis publice judicium, ſeu judicatio inter privatos *l.* 1. *Cod. de juriſdict. omn. judic. l. ex conſenſu* 23. §. 1. *D. de appellat.*

11 Quo ſimiliter exemplo, itemque Curatorum Reipublicæ, de quibus *in l.* 3. *Cod. de modo mulctar.* affirmaverim, adminiſtratores, exactoreſque Regiorum vectigalium, quibus adjuncta in tributariis cauſis juriſdictio eſt, quales apud nos ſunt, qui vocantur, *Iuezes del ſervicio de Millones*, itemque in Civitatibus, & Univerſitatibus quibuſdam adminiſtratores bonorum communium, adjuncta in eum effectum quaſi quaſi juriſdictione, non poſſe extra ordinem mulctas dicere (quamvis id etiam ſibi interdum arroganter uſurpent, vexatis miſeris collatoribus, laxatiſque impotentiæ frænis, quos coërcere potius publice intereſt) quia Curatores potius ſunt quam Magiſtratus, & adminiſtrationi, quæ in illis prima, acceſſit juriſdictio, quatenus neceſſaria *l.* 2. §. & *hæc* 33. *de origin. jur. l.* 1. *D. ad leg. Jul. repetund.* & cum nihil amplius ſint, quam vel Procuratores Principis, vel curatores ſuæ Reipublicæ, quadrant illis appoſite in hac re conſtitutiones *d. l.* 2. & 3. *Cod. de modo mulctar. l. defenſores* 5. *Cod. de defenſor. civit. d. l.* 1. *Cod. de Fiſcal. uſur. lib.* 10. ad quam ita, poſt Accurſium, notat Pennenſis, fuſius Barboſa *in d. l.* 2. §. *ult, num.* 95. & *ſeq. D. de judic.*

12 Diverſum autem, ut jam alteram illam poſtremæ hujus inter mulctam, pœnamque differentiæ partem attingam, eſt in pœna. Pœnam enim, aït tandem Ulpianus *in d. l. aliud* 131. *unuſquiſque irrogare poteſt, cui hujus criminis, ſive delicti executio competit*, hoc eſt, ut quam breviſſime enarremus, mulctæ quidem judicatio, ſeu dictio, quia incerta, & arbitraria, legumque vinculis ſoluta, & libera eſt, non niſi Magiſtratuum Urbanorum, aut Provincialium quibus publice, & inter omnes ſit judicatio. Pœnam autem, quia certa, & legitima eſt, unuſquiſque irrogare poteſt, cui ejus executio data eſt, etiamſi Magiſtratus non ſit, ſed privata auctoritate judicans, ſive ille Judex ſit, ut dicitur, quæſtionis publicæ à Magiſtratu diſtinctus *l.* 1. *D. ad leg. Cornel. de Sicar.* ſive etiam Procurator Cæſaris, cui mulctandi jus non eſt, pœnæ legitimæ irrogatio eſt *l.* 1. *Cod. de Fiſcalib. uſur. lib.* 10. Cujus hæc elegans ſententia eſt.

CAPUT XII.

Ad leg. palam 43. §. Lenas 7. D. de ritu nuptiar.

De Lenocinii nota ex legibus Julia, & Papia.

ARGUMENTUM.

LEno, *quis, ac de ejus* Etymo. Lenocinium *ſæpe exercitum prætextu Cauponæ, ut in noſtro* §. Lenas cum ſeq. *Miniſtri in eis, qui dicti*, Aquarioli, *de queis* Stephanus Scholiaſtes Baſilicor. ad l. 4. §. aït Prætor, D. de his, qui not. infam. Tertullianus, & *alii. Ejuſmodi item* Aquarioli, & *aquæ aſſiduæ, ac lenocinii abuſus in* Balneatoribus. *Illuſtratum* Ezechiel cap. 16. *Prohibitionis nuptiarum cum* Lena *ratio, tum ob contagium, odiumque turpitudinis, de qua* Cæſarum *leges, tum ob infamiam ex* Prætorio *edicto. Ea ex infamia increbuerat mos profitendi* lenocinii, *aut licentia ſtupri, ad vitandas adulterii, aut ſtupri pœnas, donec vetitum id S. C. de quo* in l. 10. §. ult. D. ad leg. Jul. de adult. *Elucidati* Suetonius, Tacitus, *ac præ aliis, & proprie* Tertullianus de Pallio cap. 4. *Additæ novo jure pœnæ* in Lenones, *ac præcipue à* Conſtantino, & Juſtiniano. *An & mortis ab iſto? Non creditur, tametſi vulgo ſint, qui crediderint, ſed capitalis, veluti exilii, & aliæ* Sacris Canonibus. *Hodie* Lenonum *pœna arbitraria, niſi quod ſtata, certaque* Regiis *noſtris* legibus. *Aſt moribus, quoad* Lenas, *recepta illa, ut mitratæ traducantur. Mitræ habitæ inter muliebria ornamenta, & viris probroſa: & quoad fœminas, propria meretricum, quin &* Lenonum, Tertulliano *indicante.*

1 SEd de mulctis ſat multa jam. Ad Caput noſtræ Juliæ legis redimus. Aït deinde lex, modo *ne quis eorum ſciens dolo malo ſponſam, uxoremve habeat.* Efficta hæc verba ſunt ad exemplum, ut dixi, capitis *illius legis Juliæ de nuptiis Senatoriis*, quod exſtat *in l. lege* 44. *D. de ritu nuptiar.* ubi & nos opportunius horum verborum vim, ſententiamque expoſuimus *ſuperiore libro.* Nunc breviter monemus, ſic quidem ingenuorum cum libertinis nuptias permitti, ac citra fraudem, mulctam, ignominiamque eſſe, dummodo nemo ingenuus uxorem, ſponſamve habeat ignominioſam, quales mox recenſentur, noſque ordine explicabimus. In primis autem *Lenam*, cujus nuptias ingenuis prohiberi, aït Ulpianus *d. tit.* 13. §. *ult.* Quæ autem Lena ſit, appoſite noſtrum caput interpretans Ulpianus, definit *lib.* 2. *ad legem Juliam, & Papiam, in l. Palam* 44. §. *Lenas* 7. *D. de ritu nupt.* ibi: *Lenas autem eas dicimus, quæ mulieres*

res quæſtuarias proſtituunt. Quemadmodum eadem ſententia, lenocinium facere eos, qui quæſtuaria mancipia habent, notat idem, ad Edictum Prætoria *in l. 4. §. ait Prætor, D. de his, qui not. infam.* exprimitque ita Photius *in Nomocan. tit. 13 cap. 21. Regia lex 1. tit. 22. part. 7.* ibi: *Leno en Latin, tanto quiere dezir, como alcahuete, que enganna las mugeres, ſoſacando, è faciendolas facer maldad de ſus cuerpos, è ſon cinco maneras, &c.* Congruit vocis origo; dicti etenim lenones à leniendo, ſive illiciendo, quaſi conciliatores ſtupri, *eo quod mentes miſerorum blandiant, & lenienda ſeducant*, ait D. Iſidorus *lib. 10. Etymolog. litt. L.* Feſtus in *Lenones.* Unde & Gloſſaria vetera, Lenones interpretantur, *mediatores, conciliatores, locatores*, à Græco λυχᾶν, ſive λυκάζειν, & Prudentius *in Periſtephano, Hymno* 14. alitem illum, ſive Aquilam, à qua raptum Ganymedem, aiebant Mythologi, ſcite vocat *Lenonem, qui exoletum tyranno pertulit.* Vetus Gloſſarium *productor*, προαγωγὸς, πορνοβοσκὸς. Elucidandus hinc Suetonii locus *in Nerone, cap.* 28. de quo adhuc certant Critici: *Super ingenuorum*, inquit, *proagogia, & nuptarum concubinatus. Veſtali virgini Rubriæ vim intulit.* Proagogia vocat *productiones*, ſive proſtitutiones ingenuorum, ἀπὸ προαγωγῆς, quod eſt producere, ſeu lenocinium facere, ut Beroaldus, aliique adnotarunt, quamvis pædagogia velit Turnebus *l. 23. adverſar. cap.* 19. ita & εἰς πορνείαν προάγειν, *in l. 15. C. de Epiſcop. aud.* eſt, *in ſcortationem perducere.*

2 Proponit mox Ulpianus, quod itidem ad caput hoc legum noſtrarum attinet, Lenam etiam eam eſſe, quæ alterius nomine hoc vitæ genus exercet. *dict. l. palam 34 §. lenam 8. de ritu nuptiar.* Subjungitque, & ii quæ cauponam exercentes, in ea, corpora quæſtuaria habeant, *ut multæ*, inquit, *adſolent, ſub prætextu inſtrumenti cauponii. proſtitutas mulieres habere:* eas quoque Lenarum appellatione contineri. Concinunt textus in *l. ult Cod. ſi mancip. ita venierit, ne proſtituat. l. Quæ adulterium 29. Cod. ad leg. Jul. de adulter. l. 4. §. ait Prætor 2. D. de his, qui not. infam.* Cujus ſententiam delineat Photius *in Nomocan. tit.* 13. *cap.* 21. quem ſub incerto veteris Gloſſographi nomine, laudat Briſſonius: *Leno eſt*, inquit, *turpem quæſtum ex ſervis, vel liberis faciens, ſive principaliter hoc negotium gerat, ſive alterius negotiationis prætextu tales perſonas habeat, ut caupo, vel ſtabularius, vel balneator.* Nec diſſimiliter *Synopſis* Baſilicon *lib. 60. tit. 38. cap. ult.* quæ ut in tranſcurſu illuſtrem, ac potiſſimum verba illa *d. l. 4. §. Ait Prætor 2. ſive balneator fuerit, veluti in quibuſdam Provinciis fit, in balneis ad cuſtodienda veſtimenta, conducta habent mancipia, hoc genus. obſervantia in officina.* Obſervo tales fuiſſe plerumque, quos *aquariolos* vocabant, hoc eſt, mulierum impudicarum ſordidos aſſeclas, ut ait Feſtus, voce *Aquarioli*, & lenonum quaſi famulos, atque adminiſtros. Nomen illis, vel quia inter aquas, & in balneis, impudicitiæ ſimul, & ablutioni miniſtrabant, qualis Gython ille Petronianus, cum linteis, & ſtrigilibus parieti balnei applicitus; unde & officioſi, obſcœna, ſpurcaque voce, dicti Petronio hi veſtimentorum ſervatores, quos capſarios noſter Paulus vocat, in *l. 3. §. ultim. D. de offic. Præfecti Vigil.* Scholiaſtes Juvenalis *ad illud Satyr. 3. & ſonat unctis ſtrigilibus* ἱματιοφύλακας καψαρίους, Epiphan. *lib. 2. Panarii contra hæreſes*, & itidem Capſarios in re nominana, Stephanus Scholiaſtes Baſilicus, *ad eandem l. 4. §. Ait Prætor, D de his, qui not. infam. lib.* 71. *tit.* 2. ſive quia aquam ad balneum neceſſariam petebant, dabantque meretricibus ad eluendas ſordes. Tertullian. in *Apolog dict. cap.* 43. *Lenones perductores aquarioli.* Lamprid. in *Commodo: Aquam geſſit, ut Lenonum miniſter, ut probris natum magis, quam ei loco crederes, ad quem fortuna provexit.* Juven. *Satyr.* 6.

Si nihil eſt; ſervis incurritur; abſtuleris ſpem
Servorum, veniet conductus aquarius.

Ac præter Apuleium *Apolog.* 2. ibi: *hiſce auditis exacerbatus aquariolus iſte uxoris ſuæ.* Gloſſaria ipſa, quæ aquariolum exponunt baccarionem, *& aquaculat, lenocinatur.* Unde & hodie Lenones Francis dicuntur, M. addita, *Macarois*, nobiſque meretrices ipſæ *Macarenas*, hujuſque cognomenti infame adhuc Lenonum ſceleribus, notiſſimumque Hiſpali oſtium: tametſi aliunde, dextreque, ut ſolet, Macarenæ Hiſpalenſis portæ etymon deducat amicus noſter, vir pari eruditione, & modeſtia, cuique æternum non modo Hiſpalis, ſed Hiſpania omnis, ejuſque antiquitates debebunt, Rodericus Carus in ſua *Hiſpali, libr. 1. cap* 11.

Utrumque ſane illud certum, & balneatores ipſos lenocinium ſæpe exercuiſſe, ut Ulpiano conſentiens inſinuat Martialis *lib. 3. Epigr.* 93. 3

Cum te lucerna balneator extincta
Admittat inter buſtuarias mœchas.

Et quod ſecundum fuit, frequentem olim aquæ uſum his, qui Veneri, ac libidini operarentur, de quo multa noviores poſt Lipſium *lib. 1. lect. antiquar. cap.* 12. indeque meretricibus in lupanaribus ad eluendas ſordes, perpetua fere aqua opus fuiſſe, & aquariolis ſervulis, qui aquam aggererent, & emundarent. Plautus *in Pœnulo*, apud quem Adelphoſium meretrix *act.* 1. *ſcena* 2. ac paulo poſt idem Anteraſtilis. Idem *in Pſeudolo actu 1. ſcena* 2. ubi ſic Leno imperat Aquariolo:

Tu qui urnam habes, aquam ingere, face, plenum ahenum ſit cito.

Illuſtrandus hinc *ſacer textus* Ezechiel. *cap.* 16. *Sedebit ad aquas ſolitudinis, & poſito vaſe divaricabit pedes ſuos omni tranſeunti, & uſque ad verticem polluetur.* Sed ad rem.

Ratio autem prohibitionis nuptiarum cum Lenis, 4 aliiſque ignominioſis fœminis, de queis poſtea, generalis una, communiſque omnibus. quæ hoc legum noſtrarum capite recenſentur, ne ſcilicet, ut in re ſimili ſcriptum eſt in *Novella* Martiani *de matrimoniis Senatorum; harum fœminarum non tam connubia* ingenuis, *quam vitia jungerentur*, ſive ne earum venenis aliorum inficiantur animi, ut ait Conſtantinus in *l. 1. Cod. de naturalib. lib.* Denique quia, ut Alfonſus noſter ſcribit in *l. 3. tit. 14. p. 4. Ca non ſeria guiſada coſa. que la ſangre de los nobles fuiſſe embargada, nin ajuntada à tan viles mugeres;* ſpecialis item ratio, quoad Lenas, *propter odium deteſtabilis quæſtus*, quomodo lenocinium indigitant Cæſares in *l. Fœdiſſimæ 7. C. de poſtlimin. reverſ.* ſicut Terentius *in Adelph. peſtem, perniciemque communem adoleſcentium:* ſcite Quintilianus *Declamat.* 385. *Leno eſt publicum damnum*, ſive quoniam, ut ſcribit Juſtinianus *Novella 14. de Lenonibus: Et antiquis legibus, & dudum imperantibus, ſatis odibile. viſum eſt, eſſe lenonum munus, & nomen.* Sacram illam legem quis neſcit? *Ne proſtituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.* Levitici *cap.* 19. cujus litteralem hunc ſenſum agnoſcunt ex veteribus Heſychius, Cyrillus Alexandrin., Abulenſis, Lyranus, & alii.

Antiquo ſane Jure Romano, ſola propemodum 5 infamiæ pœna plectebantur Lenones. ex Edicto Prætorum. *l. 1. l. 4. §. Ait Prætor, D. de his, qui not. infam.* ob eamque, & ademptum Lenonibus jus accuſandi *l. 4. D. de accuſat.* & marito Lenonem cum uxore ſua deprehenſum, licuit occidere, ex lege Julia. *l. marito 24. D. ad l. Jul. de adult.* & quamvis olim à Metello Prætore bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas denegata Lenoni Vetilio, de quo Valer. Max. *lib. 7. cap. 7 in fin.* jure tamen inteſtabiles Lenones non fuiſſe, ſive potuiſſe ex teſtamento capere, acriter indignatur acer Satyricus Juvenalis in 1.

Cum leno accipiat mœchi bona, ſi capiendi
Jus nullum uxori.

Et *Satyr. 6.*

Teſtandi cum ſit lenonibus, atque laniſtis
Libertas, & juris idem contingat arenæ,
Non unus tibi rivalis dictabitur hæres.

Denique ob eamdem infamiam matronæ pleræque, ad evitandas ſtupri, & adulterii pœnas, quæ in famoſas mulieres non exercentur. *l. ſi ea* 22. *l. quæ adulterium* 29. *C. ad legem Juliam de adult.* vel licentiam ſtupri apud Ædiles vulgabant, *more apud veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſus impudicas, in ipſa profeſſione flagitii credebant*, ut ſcribit Tacitus *lib.* 2. *Ann. ad fin.* vel etiam matronalibus ornamentis depoſitis, lenocinium profiteri ſolitæ; eique fraudi, & turpitudini occurſum ſub Tiberio fuit Senatuſconſulto, quo cautum, *mulierem, quæ evitandæ pœnæ adulterii gratia, lenocinium fecerit, aut operas ſuas in ſcenam locaverit, accuſari adulterii*, nihilominus, *damnarique poſſe. l. mater* 10. *§. ult. D. ad leg. Jul. de adult.* Suet. in *Tiberio cap.* 35. *Fœminæ formoſæ, ut, ad evitandas legum pœnas, jure, ac dignitate matronali exſolverentur, lenocinium profiteri cœperant. Eas omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam eſſet, exilio affecit.* Tacitus *d. lib.* 2. *Annal.* Reſpexit ad Senatuſconſultum hoc Tertullianus *de Pallio cap.* 4. de quo nos alia *ſupra lib.* 2. vulgo non intellectus, imo nec Eruditis Caſaubono, Pamelio, Cerdæ, Ambianenſi, & aliis oſcitantibus fere, ad hæc verba: *Habes ſpectare, quod Cæcinna Severus graviter Senatui impreſſit, matrona ſine ſtola in publico, denique Lentuli Auguris conſultis, quæ ſeſe exauctoraſſet, pro ſtupro erat pœna, quoniam quidem Judices, Cuſtodeſque dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi impedimenta, ſedulo quædam deſuefecerant. At nunc in ſemetipſas lenocinando, quo planius adeantur, & ſtolam, & ſupparum, & crepidulum, & caliendrum, ipſas quoque jam lecticas, & ſellas, queis in publico quoque domeſtice, ac ſecrete habebantur, ejuravere.*

6 Novioribus Cæſareis Conſtitutionibus acceſſerunt pœnæ infamiæ in Lenones graviores aliæ. Nam præterquam quod patres, dominive, qui in ancillis, aut filiabus lenocinium exercent, dominii, aut poteſtatis jure mulctantur, ſicut & creditor pignus amittit. *l. eleganter* 24. *§. ult. D. de pign. act.* & redemptor pretium redemptionis. *l. fœdiſſimæ* 7. *C. de poſtl. reverſ.* & venditor manus injectionem, ac jus patronatus. *l.* 1. *C. ſi mancip. ita venier. ne proſtit. l. un. §. ſimilique C. de Latina lib. tol. l. ſed ſi hac* 10. *§.* 1. *D. de in jus voc. l. Imperator* 7. *D. qui ſine manum. l.* 2. *tit.* 22. *p.* 7. tum etiamſi peccandi ingerant neceſſitatem invitis, & proſcriptione bonorum inſuper & exilio, aut metalli addictione humiliores, vel militiæ, ac dignitatum amiſſione honeſtiores puniuntur. *l. ſi lenones* 13. *l.* 14. *Cod. de Epiſcop. audient. l. penult. & ult. Cod. de ſpectac. lib.* 11. *l.* 2. *Cod. Theod. de lenonib.* quæ proponuntur *lib.* 60. *Synopſis* Baſilicon *tit.* 38. & deſcribuntur *in l.* 4. *tit.* 22. *part.* 4. juncto *l.* 36. *tit.* 5. *part.* 5. quamvis non idem priſco Jure Romano. *l.* 2. *D. de his, qui ſui, vel alieni jur. l.* 1. *§. quod autem* 8. *D. de offic. Præfecti Urbi.* ſed & à Conſtantino cautum, ut quoniam ſæpe parentum cuſtodiæ, nutricum fabulis, & pravis ſuaſionibus deluduntur, his primum, quarum deteſtabile miniſterium fuiſſe arguetur, redemptique diſcurſus in virginibus de ſtupro appellandis, meatus oris, & faucium, qui nefaria hortamenta protulerit, liquentis plumbi ingeſtione claudatur, ut ſcriptum eſt in *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de raptu virginum.* Tandemque Juſtinianus *Novella* 14. *de Lenonibus* Lenones, comprehenſos *noviſſima ſupplicia* ſuſtinere voluit. ἐσχάτας ποινὰς, *extremas pœnas*, ut eſt in Baſilicis *lib.* 60. *tit.* 38. qua appellatione, tametſi mortis pœna, eaque ſola plerumque ſignificetur. *l. capitalium* 28. *D. de pœnis*, ex qua multa in re hacce Petr. Colvius *ad Apuleii lib.* 7. *Metamorphoſ.* indeque a Juſtiniano Lenones morte puniri, veteres, ac vulgares, poſt Accurſium, Gloſſematarii putent, argumento ex *l.* 1. *§. ult. D. de extraordin. crim.* quod & ſequitur *Regia lex* 2. *tit.* 22. *part.* 7. in diſputando tamen, & quoad Juſtinianum verius eſt, in *dict. Novella.* 14. noviſſimi ſupplicii nomine, non mortem deſignari, ſed capitalem pœnam exilii, vel deportationis, ut oſtenditur poſtea ibidem, dum dicitur, & in corpore Lenones puniri, & à Civitate expelli, & exprimunt Baſilica *lib.* 60. *Eclogæ, titul.* 38. Denique & judicat Procopius *lib.* 1. *κτήσμα τῶν Ἰυσμανῶ.* & effictum, ſive ſumptum videtur, ex *Novella* Theodoſii 18. *de Lenonibus*, ſentitque anonymus Scholiaſtes Baſilicon *lib.* 60. *d. tit.* 38. ubi & ex Synodo generali 6. *in Trullo*, laudat *Canonem* 86. quem pro auctario pœnarum Lenonum libens ſubjicio: *Qui ſcorta in perniciem animarum congregant, & alunt, ſi Clerici fuerint, deponantur, ſi laïci, ſegregentur.* Quin etiam olim Patribus Illiberitani Concilii placuit, matrem, parentes, aut fidelem alium, ſi lenocinium exercuiſſet, nec in fine communionem accipere, ut liquet ex *ejuſdem Canone* 12. eaſque lenocinii pœnas auxit, intenditque Paulus IV. Pontifex. Max. *Conſtit.* 9. *in Lenones*, quos ultimo ſupplicio punit, ac veluti tranſſcribit *Novell. Juſtinian. de Lenon. & l.* 1. *D. de extraordin. criminib.*

Hodie certe ubicumque ſolæ Romani Juris ſanctiones, propriis Legibus non abrogatæ, in lenones exercentur, obtinuit, eorum pœnam, tamquam incertam, Judicum arbitrio permitti, ut teſtantur pleraque alia ad judiciorum uſum in hiſce pœnis cumulantes, Julius Clarus *in Pract. crim. lib.* 5. *§. final. quæſt.* 68. *num.* 13. Ludovic. Peguera *Deciſ. crim.* 15. *num.* 12. Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *caſu* 534. *num.* 44. *cent.* 6. Petr. Caball. *Reſolut. criminal. caſu* 171. *num.* 6. & 7. Vela *de Pœnis delictor. cap.* 20. Farinac. in *Praxi crim. part.* 4. *de delictis carnis, quæſt.* 143. *num.* 4. & 11. Gutierrez *de Delictis, quæſt.* 149. *num.* 14. Ant. Gomez *in l.* 80. *Tauri, num.* 73. Azevedo *in l.* 4. & 5. *tit.* 11. *lib.* 8. *Compilat.* Apud nos autem Regiis Conſtitutionibus expreſſa pœna eſt in Lenones, eaque obſervanda, *l.* 7. *titul.* 10. *lib.* 4. *fori leg. l.* 4. 5. & 10. *titul.* 11. *lib.* 8. *Comp. l. ult. tit.* 14. *lib.* 8. *ordinam.* 7

In lenas vero, Veneriſque, ac Cupidinis proxenetas, pararias, ſive internuntias, ea jam noſtris, aliarumque finitimarum gentium moribus recepta magis pœna eſt, ut publice ignominioſe traducantur, vel etiam verberentur, mitra verſicolori, ac picta redimitæ, quomodo interdum & mariti uxorum ſuarum lenones puniri ſolent. Origo moris, pœnæque illa forſitan, quod jam olim mitram connumerari, placuit inter muliebria ornamenta, quibus viri non ſine vituperatione uti poſſent. *l. veſtis* 23. *§. veſtimenta. verſ. muliebria. l. argumento* 25. *§. ornamenta* 20. *verſ. ornamentorum, cum l. ſeq. D. de auro, & arg. leg.* niſi molles, evirati, ac probroſi haberi, deſpicerent, ut vel indicat Maronianum illud notiſſimum *lib.* 9. *Æneidos:* 8

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O vere Phrygiæ, neque enim Phryges!

Et *lib.* 4.

Et nunc ille Paris cum ſemiviro comitatu,
Mæonia mentum mitra, crinemque madentem.

Ad quos locos multa in iſtam ſententiam ex aliis Scriptoribus poſt Servium, Interpretes noviores, Prudent. *in Pſichomach.*

Ut mitra, cæſariem cohibens aurata virilem
Combibat effuſam croceo medicamine nardum.

Quin & illud adnotat Servius, inter mulieres ipſas fuiſſe mitras plerumque meretricum, idque multa lectione doceri, ideoque effœminatis, tamquam me-

retri-

retricibus, mitræ geſtamen objectum, aperte Juvenal. *Satyr.* 3.

Ite, quibus grata eſt picta lupa barbara mitra.

Et cui non notum è *Catalectis Virgilianis* illud:

Copa Syriſca caput graia redimita mitella.

Quidni itaque ſpurciſſimis lenis, lenonibuſque mollium, eviratorumque aſſeclis, & adminiſtris, ruborem, ſi quis tameo in effronte fronte permanſit, ſuffundere mitella ſuperpoſita, tamquam turpitudinis inſigni obtinuerit, eaque, ut dixi, verſicolori, quemadmodum & coloratos olim lenones fuiſſe veſtitu, indicat Tertullianus *de Spectac. cap.* 23. ibi: ut *Sacerdos coronatus, vel coloratus, ut leno.* Plautus in *Curculione, actu* 2. *ſcena* 1. Donatus in *Terent. initio Andriæ. Leno,* inquit, *pallio varii coloris tegitur, meretrix lutea veſte.* Quid plura? imo & ſi conjecturis locus aliquis, mitratos jam olim lenones depingit Tertullianus *de Pallio, cap.* 4. ubi cum meretricum ornatum, lenonemque eas ornantem, quem latrinarum antiſtitem vocat, deſcripſiſſet, ejuſdem poſtea lenoois cultum ſub perſona Sacerdotis Cereris quæſtuarias, ut illa Proſerpinam, quærentis delineat, his verbis: *Cur iſtas non ſpectas?* inquit, meretrices, ſcilicet, *vel illos item habitus, qui novitate veſtitus religionem mentiuntur, cum ob cultum omnia candidatum, & ob notam vittæ, & privilegium galeri Cereri initiantur.* Et egebant ſane mitra, ſeu galero lenones, quia recalvaſtri erant, raſoque capite, taleſque etiam in comœdiis, qui leoones agerent Cicero in *Orat. pro Roſcio Comœdo: Qui idcirco capillo, & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne ullum pilum viri boni habeat. Nam Gallionem illum perjuriſſimum lenonem cum agit, agit Chæream.*

C A P U T XIII.

Ad leg. Ancillarum 27. §. ult. D. de hæred. petit.

Enodatus nodus de lupanari exercito in virorum honeſtorum prædiis.

A R G U M E N T U M.

Qui congruat cum propoſitis de odio, & infamia lenocinii, & cum Juris, & honeſtatis elementis, aſſertio veluti approbatoria lupanarium in prædiis honeſtorum virorum. Ea aſſertio non neceſſaria pro deciſione d. l. 27. §. ult. *Cujus ſine illa conſtat ratio, & explicita ex aliis Juris principiis. Rationes à* Juriſconſultis *non ſæpe ineptæ, aut falſæ, ut audenter* Cujacius *ſcripſit, ſed quæ objectioni tacitæ, aut ſenſui ſubaudito reſpondeant, ut exemplis oſtendit noſter* Coſta. *Sic exaudienda ratio* d. l. 27. §. ult. *& conferenda cum principio ejuſdem legis, ut quemadmodum illic partus ancillarum veniunt in reſtitutionem hæreditatis, quamvis fructus non ſint, quia non temere ancillæ, ejus rei cauſa comparantur, ut pariant, ſic & veniant penſiones ex lupanario, quia quamvis non temere ei exercendo prædium comparetur, exercebatur tamen cum tolerantia Romanis moribus, quorum veſtigium extare creditur in* l. 38. D. de oper. lib. *Jam huic theſi, etiam quoad jus poli, explanandæ diſtinguitur inter res per ſe malas, veluti Idola, & alias per ſe bonas, quamvis ad malum uſum trahi poſſint, veluti domus, aut gladii. Quippe in hiſce, quamvis locare ad uſum prohibitum, neque fas, neque impune ſit, at licet ad uſum permiſſum, ſeu toleratum, tametſi inhoneſtum, non cooperando, ſed connivendo publicæ permiſſioni; quomodo de domo locata meretrici, ubi tolerantur, cenſent graves Theologi. Subadditur pro verbis illis,* à lenone, lenave manumiſſam, *lenas, aut meretrices fuiſſe plerumque ancillas, aut libertinas, de quo hic, & alibi alia. Illud proprium, & impiæ memoriæ, fuiſſe ab impiis Ethnicis damnatas crebro Chriſtianas Virgines ad lenones, cujuſmodi Sanctiſſima Virgo Euphraſia. Notatus* Arioſtus, *ſacro exemplo ad profanam fabulam abutens.*

1 Nihil mirum itaque, ut ad rem jam, ſi noſtris legibus improbentur ingenuorum nuptiæ cum lenis, in quas uſque adeo gladio ultore armata vetera, & nova Jura, tanta inſimul pœnarum, odiorumque acerbitate exarſere. Quæ tamen cum ita ſint, obſcurum, aut abſurdum videtur, quod Ulpianus ait in *l. Ancillarum* 27. § *ultim. D. de hæredit. petit.* penſiones ex lupanario perceptas, reſtituendas eſſe hæreditatis petitori, hac nominatim ratione reddita; *nam & in multorum honeſtorum virorum prædiis lupanaria exercentur.* Et ſane obſcurior ratio, quam deciſio. Habet enim deciſio eam rationem, quia quamvis ex non perceptis fructibus à poſſeſſore hæreditatis, hi ſoli veniant in reſtitutionem, qui & percipi honeſte potuerunt *l. fructus* 33. *D. de rei vindicat. l.* 3. §. *ultim. generaliter* 5. *D. de uſuris*; percepti tamen ſemel, etiamſi inhoneſte, veluti ex lupanario, omnino reſtituendi ſunt petitori, *ne honeſta interpretatio non honeſto quæſtui, lucrum poſſeſſori afferat*, ut eleganter Hermogenianus *in l. ſi poſſeſſor* 52. juncta *l. cum hæreditas* 56. *D. de hæred. petit.* hoc eſt, quia ſi honeſtatis ſpecie, & colore quodam ducti, dixerimus inhoneſte inhoneſti quæſtus reſtitutionem urgeri à petitore, quaſi hæc præſtatio contra bonos mores ſit, argumento ex *d. l. generaliter* 5. *D. de uſur.* faciet honeſta hæc interpretatio non honeſto quæſtui adhibita lucrum poſſeſſori, nempe retentionem turpis quæſtus, cum tamen è contrario æquius ſit, lucrum id iohoneſtum poſſeſſori nocenti auferri, & innocenti petitori dari, cui non eſt inhoneſta præſtatio, ſive reſtitutio, dum petit, quamvis fuerit inhoneſta perceptio poſſeſſori, dum fecit. Ergo cum, ut jam liquet, deciſio *d. l. Ancillarum* 27. §. *ult.* ſit de penſionibus perceptis, quas, etiamſi inhoneſte percipiantur, ſemel tamen perceptas reſtitui, placet, ex ratione *d. l. cum poſſeſſor* 52. non congruit ei ratio, quæ ſubjungitur in *d. l. Ancillarum* 27. §. *ult.* ſignificatque, non inhoneſte ex lupanario penſiones percipi.

Sed neque conveoit Juris præceptis, quorum primum, & primarium illud, honeſte vivere. *l. Juſtitia* 10. §. 1. *D. de juſt. & jure.* Unde & lenocinii exercitio, tamquam famoſa, & inhoneſta legibus noſtris & Prætoris edicto notatur, & eum, qui domum ſuam, agrum, balneumve præbet, ut adulterium, ſtuprumve faciat, adulterii pœna teneri, proditum eſt in *l. qui domum* 8. *cum l. ſeq. D. ad l. Jul. de adulter. l. auxilium* 37. §. *ult. D. de minorib.* juncta *l.* 1. §. *ult. D. de extraordin. crimin.* ſicuti & domum ejus, qui eam lenocinio faciendo locavit, publicari, conſtitutum eſt in *Novella* 14. *de Lenonibus l.* 2. *tit.* 22. *part.* 7. Conducit ex Concilio *Meldenſi Can.* 74. *Provideant viri potentes*, inquit, *& maxime potentes fœminæ, ut in ſuis domibus adulteria, & luxuriæ concubinaticæ, & inceſta adulteria non vigeant.* Quid autem, quæſo, aliud eſt, penſiones ex lupanario percipere, idque in prædiis ſuis exercere, quam *lenociniis negotiantes*, ut Tertullianus loquitur *de Patientia, cap. ultim.* quæſtum facere ex impia, degenerique mercatione, ut vocatur in *l. un.* §. *ſimilique modo, Cod. de Latina libert. toll.* 2

Sed, ut obſcura, perplexaque explicatu res explicetur, obſervandum eſt, ſæpe à Juris auctoribus rationes reddi, non ineptas, aut falſas, ut temere obſervator magnus ſcripſit, Cujacius 17. *Obſerv. cap.* 15. Rad. Fornerius 3. *Rer. Quotid. cap.* 23. ſed quæ ſententiæ ſubauditæ, aut objectioni tacitæ occurrenti potius, quam propriæ, & in præcedentibus expreſſæ theſi conveniant, ut animadvertit, & exemplis oſtendit non minor illo, ſi Juriſprudentiam ſo- 3

lam ſpectes, majorque multis aliis, judicio, ingenioque Juriſconſultus, Emanuel Coſta, qui noſtram olim Academiam Primarius Anteceſſor fulſit. Is itaque *ad cap. ſi pater*, 1. *part. verbo Inſtituit*, *num.* 4. *& ſeq. de teſtament. lib.* 6. hujuſce obſervationis exempla profert, exponitque ita. *l. ita tamen* 27. §. *quoties*, *verſic. Marcellus*, *D. ad S. C. Trebell. l. ſi Titius & Seia* 48. §. 1. *D. de fidejuſſorib.* (ne inter alia moremur, alibi extricandum, & adde ſimile exemplum in *l. qui teſtamentum* 27. in *fine*, *D. de probat.*)

4 Nobis, & ſchedis noſtris laudatis, noſter Eman. Gonſalius *ad cap. inter opera* 20. *num.* 3. *de ſponſal.* quod nunc ad manum, exemplum eſt ſatis ex *dict. l. Ancillarum* 27. cujus in principio Ulpianus ſcripſerat, ancillarum partus in petitionem hæreditatis, & reſtitutionem venire, quia hæreditatem augent, quamvis fructus non ſint, quoniam, ut ille docet, non temere ancillæ ejus rei cauſa comparantur, ut pariant. Unde argumento, ducto ex tacito, ſeu ſubaudito ſenſu, colligi recte poſſe videbatur, penſiones, ex lupanario perceptas, in reſtitutionem non venire, quia non temere quis domum comparat, ut eam lupanari exercendo locet, neque hæreditas augeri videtur turpibus lucris, argumento *ex l. quod autem* 53. *D. pro ſocio* Contra tamen Ulpianus ſupponit, docens, etiam penſiones ex lupanario reſtituendas eſſe, & tacitæ objectioni, quæ incurrebat, reſpondet, dum ait, & in multorum honeſtorum virorum prædiis lupanaria exerceri, & conſequenter neque id turpe Romanis moribus lucrum eſſe, adeo ut hæreditatem non augeat, neque rarum, & infrequens adeo, ut inter fructus non niſi temere quærendos computetur.

5 Jam vero quinam hoc cum præceptis Juris congruat, quæ in contrarium expendimus, expediemus perfacile, & quidem quoad utrumque Jus Fori, ut aiunt, & Cœli, ſive interius, exteriuſque, ſi obſervemus, res quaſdam eſſe, quæ per ſe, ac ſuapte natura ad malum tendunt, veluti Idola, & Sacrificulorum Ethnicorum veſtes, & è contrario alias res, quæ cum in ſuo genere vitio careant, bonæque, & honeſtæ uſionis ſint, interdum vitio utentium ad pravitatem trahuntur, veluti domus, veſtes, gladii, quibus utuntur recte multi, abutuntur & alii, ut docet, ac diſtinguit ex Theologis Cajetanus 22. *quæſt.* 10. *artic.* 4. Plane & huic diſtinctioni circa res ſecundi generis, quarum uſus honeſtum finem habet ſua natura, veluti domus, de quibus nunc loquimur, adjungenda eſt & alia diſtinctio, deducta ea prohibitione legum, aut permiſſione. Quippe ejuſcemodi res ad uſum legibus interdictum, ei, quem ſcimus, ita abuſurum, commodare, locare, aut vendere, neque honeſte, neque impune licet, hoc eſt, neque ſine peccato, nec citra pœnam, veluti gladium, telumve in alterius cædem furenti, atque irruenti, domum fœneratori, ubi fœneratio prohibita. *cap.* 1. *de uſuris*, *lib.* 6. aut adulterio, lenociniove faciendo, quorum utrumque jure plectitur, ideoque & domuum, ad eorum uſum, præbitio. *dict. l. qui domum* 8. *cum leg. ſeq. D. ad leg. Jul. de adulter. l. auxilium* 37. §. *ultim. D. de minoribus. Novella* 14. *de Lenonibus. l.* 2. *titul.* 22. *part.* 7. quam ita recte accepit rectiſſimus Scholiaſtes Gregor. *ibi gloſſ.* 2. juxta *dicta novella* 14. *de Lenonibus.* At è contrario ad uſum, quamvis inhoneſtum, permiſſum tamen publicis legibus, ſeu toleratum, res ſuo genere bonas commodare, locare, aut vendere, etiamſi ad turpem illum abuſum detorquendas ſciamus, jus, faſque erit, veluti meretrici domum, veſtes, fucos; aleatori chartas, taloſve, quibus locis, & quatenus utrumque toleratur. Neque id eſt, pravitati cooperari, aut inſtrumentum dare peccati, ſed permiſſioni publicæ connivere, & concedere, quam in id genus peccati licitam fuiſſe ſupponimus, ad graviora mala vitanda, teſte Div. Auguſtino *lib.* 2. *de Ordine*, *cap.* 4. Div. Thoma *de Regimine Princip. libr.* 4. *cap.* 14. *&* 22. *quæſt.* 10. *art.* 11. de quo tamen ex profeſſo infra *hoc libro.*

Ergo, cum Romanis legibus, moribus lupanaria 6
tolerarentur, neque ea publica ſola, ſed & privata, & in privatis domibus, in queis ancillas meretrices habere, quæ corpore quæſtum facerent, atque ita lupanaria exercere, turpe non videbatur, ſi novitiis quibuſdam, Emundo Merilio 2. *Obſervat. cap.* 12. credimus, poſtremum hoc notantibus ea *l. hæ demum* 38. *D. de oper. libert.* junctis *l. verum* 39. *l. fullo* 82. §. *qui ancillam*, *Dig. de furtis*, utique ſi obſervemus, vel in Palatio, jam inde à Claudii Cæſaris ævo, lupanar fuiſſe, ut teſtantur Dio Cocceianus *lib.* 60. *Hiſtor. ad finem.* Xiphilinus in *Excerptis Dionis*, *ex Avito*, *ſive Heliogabal. lib.* 79. mirum non jam, ſi Ulpianus ſcribat, & in multorum honeſtorum virorum prædiis lupanaria exerceri; quia nec per ſe inhoneſta domus locatio, & lupanaris exercitio legibus toleratur; in eoque diverſa ratio domus locatæ uſurario, qui exterminari juſſus *cap.* 1. *de uſuris*, *libr.* 6.

Quibus conſequens eſt, quod & moribus noſtris 7
magis obtinuit, neque lethaliter peccare, nec jure, aut opinione hominum turpiter agere eos, qui domos ſcortorum habitationi accommodatas, in illis oppidorum regionibus, in quibus tolerantur, eiſdem locant, ut affirmant Joann. Majur. in 4. *Sentent. diſtinct.* 35. *quæſt.* 35. Gregor. Lupus *in dict. l.* 2. *gloſſ.* 2. *titul.* 22. *part.* 7. plures laudati à Cænedo in *collectan. ad Decretales* 140. *num.* 5. Nec diſſentit, dubitet quamvis, Navarro in *Manuali*, *cap.* 17. *num.* 195. *verſic.* 4. eleganter Joann. Mariana *de Spectaculis*, *cap.* 18. Gabr. Vaſquius *opuſculo* 2. *de ſcandalo*, *dubio* 5. *num.* 38. Leonardus Leſſius *de juſtit. & jure*, *lib.* 2. *cap.* 24. *dubitat.* 8. Thomas Sanchez *in præcept. Decalog. libr.* 1. *cap.* 7. *num.* 20. Gregor. Valent. *tom.* 3. *Diſput.* 5. *quæſt.* 20. *punct.* 5. *& quæſt.* 21. *puncto* 4. Azor *Inſtitut. Moral. tom.* 2. *lib.* 12. *cap. ultim. quæſt.* 3. Bonacina *tom.* 2. *Diſput.* 2. *quæſt.* 4. *puncto* 11. *numer.* 23. Roder. Acunna in *cap. Imperatores* 9. *numer.* 3. *diſtinct.* 9. viſus, poſt hæc ſcripta, Salcedus *ad Div. Thomam*, *de regim. Princip.* 4. *cap.* 14. *diſſ.* 49. *num.* 168.

Sequitur mox in capite legum noſtrarum, *à lenone*, *lenave manumiſſam.* Quibus verbis nihil fere 8
præcedentibus additur, ſed demonſtratur id, quod res, moreſque ferebant; ancillas ſcilicet, aut ex libertinarum claſſe, plerumque fuiſſe lenas, ſicut & quæ corpore quæſtum facerent, de quo ſupra *hoc libro*, *cap.* 2. Indeque cum legibus noſtris ingenuorum cum libertinis fœminis nuptiæ permitterentur, neceſſe fuit, eiſdem excipi lenas, quæ libertinæ ſæpius, & à lenone, lenave manumiſſas, quomodo & intelligitur notari etiam eas, quæ domini juſſu, ſive alieno nomine lenocinium exercent, ut appoſite ad rem Ulpianus in *l. palam* 43. §. *Lenam* 8. *Digeſt. de ritu nuptiarum*, de quo & infra plenius. Nec diſſimulo, fuiſſe, cum putarem, circumſcriptione hac, *à lenone. lenave manumiſſam*, ſignificari meretrices, eaſdemque ancillas lenonum, ſeu lenarum, quæ ab eiſdem proſtitui, cogique, ut palam corpore quæſtum facerent, ſolebant; unde & ab Hadriano cautum, ne lenoni venderentur ancillæ, *cauſa non præſtita*, ut ait Spartian. in *Hadriano*, hoc eſt, cauſa venditionis non præſtita, & probata apud Magiſtratum, argumento ex §. *eadem Inſtitut. quibus ex cauſ. manum. lic.* juncta *l. circumcidere* 11. *Digeſt. ad leg. Cornel. de Sicar.* & à lenonibus, etiam invitis, emere, eaſque redemptas manumittere, moris, Juriſque veteris fuit *l.* 2. *Digeſt. de his*, *qui ſui*, *vel alien. jur. ſunt.* Lamprid. in *Heliogabal. Meretrices à lenonibus cunctas redemit ſæpe*, *& manumiſit.*

Quod tamen ſive moris, ſive Juris violatum ab 9
impiiſſimis Ethnicis, erga piiſſimos Chriſtianos Martyres, in quos quemadmodum in aliis etiam pœnis ſuas ipſi leges, & clementiam majorum egrediebantur, ita & in hac, Sanctiſſimas Virgines lenonibus ad turpem quæſtum mancipantes, ſive εἰς πορνικὴν ὕβριν, ut memorat Euſebius *libr.* 8. *Hiſtoriæ Eccleſiaſtic. cap.* 15. 24. *&* 27. & paſſim *Acta Martyrum*, ut *in Martyrol. Roman. die* 8. *Aprilis in S. Ædeſio*, & *die* 28.

in

in S. Theodora, & 3. *Maii in S. Antonina*; electe, & eleganter Tertullian. *in Apologet. cap. ultim. Nam & proxime ad lenonem damnando Chriſtianam potius, quam ad leonem, confeſſi eſtis, labem pudicitiæ, apud Nos, atrociorem omni pœna, & omni morte reputari.* Prudent. *in Periſtephano, Hymn.* 18. Ambroſ. *Serm.* 9. *& integris libellis de Virginibus*. maxime *libr.* 2. *in Martyrio Antiochenæ Virginis.* Hieronymus *Epiſtol.* 8. *ad Demetriadem.* Palladius *in Lauſiac. cap.* 53. Auguſt. *libr.* 1. *de Civitate Dei*, *cap.* 26. Nicephor. *lib.* 7. *Hiſtor. Eccleſiaſtic. cap.* 13. ubi de Euphraſia Virgine in lupanar deducta, quæ pollicita impuro juveni pharmacum contra omnes telorum ictus, idque ut in collo ſuo, prius cera, oleo liqueſacta, inuncto, experiretur, hortata, mox ejuſdem juvenis gladio cervicem præbuit, eoque jugulata, Virginitatis, & Martyrii palmam ſimul adepta eſt, ſancto, & ſalubri aſtu, quem transferre ad profanas fabulas ſub ementitis nominibus Rhodomontis, & Iſabellæ, auſus improbe eſt Ludovicus Arioſtus *Cantu.* 29 *furioſi* (reprehenſus merito magno ſcriptori Baronio *tomo* 3. *Annal. ad ann.* 309. *num.* 34) & poſt Arioſtum vulgares Poëtæ noſtrates, atque exteri. Cæterum pœnam iſtam damnationis, deductioniſque in lupanaria, erga Chriſtianas fœminas, ſuſtulit Conſtantius junior, cujus ea conſtitutio eſt (non Conſtantini Magni) *in l.* 1. *Cod. Theodoſ. de lenonibus*, ubi noviſſime Gothofredus. Sed ut ad leges noſtras redeam, quæ, ut dixi, cogitabam olim, diſplicent nunc; tum quia nuptias earum, quæ palam corpore quæſtum facerent, apertius, generaliuſque inhibitas legibus noſtris, veriſimilius eſt, ut & ad finem capitis hujus Juliæ legis dicemus; tum etiam, quia quæ ancilla apud lenonem corpore quæſtum fecit, non notari poſt libertatem, & conſequenter neque nuptias ejus ingenuis inhiberi expreſſum pene eſt *in l Imperator* 24. *Digeſt. de his, qui notant. infam.* de qua & infra opportunius.

C A P U T XIV.

Ad leg. palam 43. §. quæ in adulterio 12. D. de ritu nuptiar.

De ignominia deprehenſarum in adulterio.

A R G U M E N T U M.

Cum deprehenſa in adulterio vetitæ nuptiæ, lege Julia. *Ratio ex infamia deprehenſionis, quæ teſtata, & publica: illuſtrati in re juris, & aliorum loci. Defenſa contra* Fabrum Sanjorianum, textus *ſeries* in d. §. quæ in adulterio 12. *Tentata etiam illius emendatio, at abſque illa* Ulpianus *expoſitus. Adjungitur quoad deprehenſionem, & adulterii pœnam, differentia inter virum, & fœminam. Hæc deprehenſione ſola, ille non niſi de adulterio damnetur, notatur. Adulterium fœdius in fœmina, quam in viro, in quo* Romanis legibus *id impune, nec repudii cauſam olim dabat, aliter atque in fœmina. Aſt hæ* Romanæ leges, *& mores fuere contra* Eccleſiæ *cenſuram, pro qua advocati, & adornati* Patres Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Nazianzenus, *& cum aliis.* Conciliares Canones, *tametſi aliquando juxta ſæculi ſenſum locuti, ut* Ambroſius, Baſilius, *&* Baſilicorum Scholiaſtæ. *Notatur tandem, quoad notam deprehenſæ, ex lege* Julia *noſtra, non diſtingui à quo, vel ubi deprehenſa, quamvis quoad* Juliam *de adulteriis diſtinguatur. Animadvertitur inter eas diſcrimen, & illius ratio.*

1 At rurſus lex noſtra, & *in adulterio deprehenſam*, cujus perinde nuptias, atque aliarum ignominioſarum *lege Julia*, inhiberi, ait Ulpianus, *dict. tit.* 13. § *ult.* eoque ejuſdem diſputatio pertinet, de deprehenſis in adulterio *lib.* 1. *ad leg. Juliam, & Papiam, in dict. l. palam* 43. § *quæ in adulterio* 12. *D. de ritu nuptiarum.* Inhibitionis ratio ducenda ex infamia ipſa, turpitudineque deprehenſionis, ſcilicet, ἐν ἔργῳ, ſive in ipſis rebus Veneris, ut ſcriptum eſt *in l. quod ait* 23. *l. mariti* 29. *D. ad leg. Jul. de adulter.* Denique ut habet Græcus contextus Evangelii Joannis *cap.* 8. ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη: *in ipſo facto adulterantem.* Quia præter damna innumera, pericula, ac pœnas, quæ deprehenſis in adulterio fœminis imminent, & imminebant, more majorum, tempore etiam noſtrarum legum, veluti dotis mulctatio, & in corpus, caputque ipſum animadverſio, coërcitioque, qualemcumque mariti irati exigerent, ut Juvenalis loquitur *Satyr.* 10. Horat. *lib.* 1. *Satyr.* 2. juxta Catonis illud, apud Agell. *lib.* 10. *Noct. Atticar. cap.* 23. *in adulteris uxorem tuam ſi deprehendiſſes, ſine judicio impune necares.*

2 Erat etiam in deprehenſione ipſa grave pudoris, verecundiæque, ſeu famæ diſpendium, ex ritu ipſo, quaſi legitimo deprehenſionis, quem, neſcio, an alii adhuc illuſtrarint. Non enim aliter in adulterio deprehenſa mulier videtur, quoad juris ſcilicet effectus, & pœnas, quam ſi, ut lex Julia loquitur, in re ſimili, teſtandæ ejus rei gratia, retenta mulier ſit, ſive adultera, hoc eſt, teſtes inducti teſtimonio futuri in deprehenſam in adulterio *l. capite* 25. *in princ. & §. ult. D. ad leg. Juliam de adulter.* Idque ſive inde eſt quod dicitur, maritum, qui deprehenſam in adulterio uxorem retinuit, adulterumque dimiſit, excuſare ignorantiam ſuam non poſſe, vel adumbrare patientiam prætextu incredibilitatis *l. mariti* 29. *Dig. ad leg. Jul. de adulter.* nempe quia deprehenſa non eſt, niſi quæ deprehenſa eſt cum teſtatione. Alluſit ad hunc morem *vetus* incerti Poëtæ *Epigramma*, quod *inter Catalecta* Scaliger edidit.

> *Formoſa es, fateor, dives, generoſa, vetuſta,*
> *Confiteor, ſi vis omnia, redde vicem.*
> *Nempe parum caſta es; nempe es deprenſa; negabis?*
> *Res venit ad lites; rurſus & illa nega.*
> *Dic potius, ſed nempe ſemel, ſed nempe puella,*
> *Et cum deprenſa, quis niſi frater erat?*
> *Frater erat? nihil eſt: fecit, quod Jupiter, illud,*
> *Sed quod non fecit Jupiter, hoc facitis.*

Martialis de Lesbia illa, quam, *deprehendi malle*, ſignificat, ita *lib.* 1. *Epigram.* 35.

> *Et plus ſpectator, quam te delectat adulter,*
> *Nec ſunt grata tibi gaudia, ſi qua latent.*

Ad quem locum deprehenſionis nota, pulchre, politeque clariſſimus Senator D. Laurentius Ramirez de Prado. Merito itaque ob *deprehenſi pudoris damna*, ut Auſonius indigitat *Epigramm.* 88. cautum hoc capite legum noſtrarum, ne quis ingenuus deprehenſam in adulterio uxorem habeat, nempe, quo caſu, non durante prioris mariti ad ſanguinem, & cædem animo, adulterii pœnam evaſerit deprehenſa, ac dimiſſa, nubere mox alii, velit. Concinit, quoad infamiam deprehenſionis, *Regia lex* 3. *titul.* 6. *part.* 7.

Ex qua jam parte capitis noſtri, illuſtranda paucis eſt, Ulpiani diſputatio, huc pertinens *lib.* 1. *ad leg. Jul. & Papiam, in dict. l. palam* 43. §. *quæ in adulterio, D. de ritu nupt.* Ait in primis: *Quæ in adulterio deprehenſa eſt, quaſi publico judicio damnata eſt. Proinde ſi adulterii condemnata eſſe, proponatur, non tantum, quia deprehenſa eſt, erit notata, ſed quia & publico judicio damnata eſt.* Exſtare in verbis his, ordinis artificioſe converſi exemplum, ut & alibi in 3

libris noſtris, vult Petr. Faber 1. *Semeſtr. cap.* 23. quaſi ſcilicet præter naturam horum articulorum *non tantum*, ac *ſed*, ab eo, quod fuit incertius, nempe notari damnatam publico judicio, *ex §. Senatus* 10. *dict. l. palam* 43. Cum è contra notiora prius proponi, ab eiſque, utpote facilioribus, clarioribuſque ad ignotiora, & obſcuriora progredi, ſive aſcendere, atque ita creſcere oratio deberet. Dabunt forſitan alii huic animadverſioni plauſum, ac per me, dent, licet, dicam tamen quod ſentio. Notior fuit, aut ſaltem, quam pro certa magis Ulpianus ſupponeret, nota, & connubii ademptio cum ingenuis, deprehenſæ in adulterio, quam damnatæ adulterii. Illa enim deſcendit proprie, expreſſaque diſerte legibus noſtris Julia, & Papia, quas interpretabatur Ulpianus, ut idem ſignificat *in d. §. quæ in adulteris in fine*, ibi: *quia factum lex non ſententiam notaverit.* & *regular. tit.* 13. *§ ult.* ibi: *Et in adulterio deprehenſam.* juncta *l. fœdiſſimam* 20. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* de qua poſtea. Hæc vero, nempe adulterii damnata, non notatur ſpecialiter, expreſſimque legibus noſtris, ſed generaliter, & quodammodo tacite, quatenus publico judicio damnata eſt, quia publicum judicium adulterii eſt *l.* 1. *D. de public. judic.*. quamvis ſpecialiter notetur *lege Julia de adulteriis*, qua plectitur, qui adulterii damnatam uxorem ducit, aut retinet *l. mariti* 29. *§* 1. *D. ad leg. Jul. de adult. l. auxilium* 37. *in fine*, *D. de minorib. l. Claudius* 13. *D. de his, quæ ut indign. l. caſtitati* 9. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* Proinde Ulpianus *in d. §. quæ in adulterio, ad leges Juliam, & Papiam* ſcribens, earumque præcepta ſupponens, non præpoſtere ab obſcurioribus ad clariora, ſed naturali ordine, à notioribus, ipſiſque legibus, quas interpretabatur, expreſſis ad ignotiora, utpote ex aliis legum capitibus petenda, ex noſtris autem non niſi per conſequentias elicienda, ſcandit, dum ait, in adulterio deprehenſam, non tantum, quia deprehenſa eſt, eſſe notatam, ſed quia & publico judicio damnata eſt.

4 Quod autem mox ſubjungitur *in d. §. quæ in adulterio, verſ. at ſi*, ei etiam, quæ damnata non eſt, aut quod eſt amplius, abſoluta poſt deprehenſionem, ſi tamen deprehenſa ſit, obeſſe notam debere (ne ſcilicet ingenuo nubat) perelegantem, ſed obſcuram habet rationem; *quia verum eſt, eam in adulterio deprehenſam, quia factum lex, non ſententiam notaverit.* Obſcuram, inquam, quia delictum, aut delinquentem notari legibus, frequens quidem, ſententiam autem ipſam, inſolens, inauditumque in jure, ac præterea dici ſolet, infamiam ſemper lege irrogari, etiam cum per ſententiam irrogatur, quia facti quæſtio in poteſtate eſt judicantis, juris autem auctoritas non eſt *l.* 1. *§. quorum* 4. *D. ad S. C. Turpil. l. ordine* 15. *D. ad municipal.* juxta notata ſupra *cap.* 3. Itaque conjectabar jam pridem, mendoſum eſſe Ulpiani contextum ob verborum compendia, ſive notas non ſatis Triboniano, & adjuvis intellectas, nam cum ſcriptum forſitan eſſet S. N. expreſſerunt, *ſententiam*, cum vertere debuiſſent, *Senatus*; ut ex Valerii Probi, & Magnonis, aliorumque *fragmentis* apparet, ut ſic legeretur: *Quia factum lex, non Senatus notaverit.* Quorum verborum non obſcura mens hæc, notari deprehenſam, quamvis aut non damnata, aut abſoluta ſit; quia verum eſt, eam deprehenſam, & lex, ſcilicet Julia, vel Papia, factum notavit, hoc eſt, deprehenſionem, non item, ac Senatus, qui damnationem, ſeu damnatam dumtaxat notavit, Senatuſconſulto illo, cujus Ulpianus idem meminerat *in §. Senatus* 10. *d. l. palam* 43.

5 Perplacet tamen magis recepta lectio, ejuſque recta forſitan expoſitio hæc, quam Accurſius, & cæteri vix percalluerunt. Cum infamia ipſo jure irrogatur, facto, ſive delicto, lex ignominiam conjungit, idque ipſum notat, ſeu famoſum efficit, ut in propoſito deprehenſionem, ita ut ſceleri, & ſceleſto ſtatim, ſimulque nota cohæreat, nec neceſſaria ſententia ſit, niſi ut declaret. At cum ſententia quis fit infamis, prius quodammodo condemnatio ipſa infamatur, quæ, cum in reum incidit, famoſum facit. Ideoque cum lex Julia, ſive Papia factum, ſeu deprehenſionem in adulterio notaverit, non ſententiam, ſeu damnationem, etiamſi deprehenſa, aut non damnata poſtea, aut abſoluta ſit, obeſt eidem nota, & ignominiæ litura extat, ut maligne olim Claudius aiebat, quia ſententia, tametſi abſolutoria, veritatem facti non mutat, ut *in dict. §. quæ in adulter.* notat Fulgoſius *ex l. Julianus* 60. *D. de condit. indeb.* melior in propoſito *text. in l.* 4. *§ ignominia* 6. *D. de re militari.* Jam ſi & humana ſacris conferas, quanto ſanctior, humanior Chriſti Domini cenſura, qui adulteram illam deprehenſam, quia nemo ex accuſatoribus damnare auſus, nec ipſe Dominus damnavit, ut legimus *in Evangelio* Joannis *cap.* 8. ubi tamen, ut diſertiſſime Ambroſius *lib.* 6. *epiſt.* 52. *ad finem*: *Dimittitur mulier, non abſolvitur, quia deerat accuſator, non quia innocens approbatur.* Plura ad eum locum idem Ambroſius *dict. lib.* 6. *epiſt.* 51. *ad Studium.* Auguſtinus *tract.* 33. *in Evangel.* 10. & ipſe, atque alii alibi.

6 Diſtant vero in hac parte, ac deterioris ſunt conditionis, ut & in aliis multis juris articulis, fœminæ, quam viri. *l. in multis* 9. *D. de ſtatu homin. l.* 1. *D. de Senator.* fœminæ enim, ut diximus, deprehenſione ſola notantur, viri non aliter, quam ſi condemnatio ſecuta ſit. *l. ſcio* 14. *D. de teſtib. l.* 2. *§. miles, D. de his, qui notant. infam.* Eaque differentia, & paſſim Interpretibus noſtris recepta eſt, & rationem habet, quam & Accurſius reddidit *in dict. § quæ in adulterio*, nempe quia humanis legibus, moribus adulterium fœdius, graviuſque in fœmina, quam in viro, majorque, & ſtrictior ab iſta, quam ab illo pudicitiæ ratio exigitur. *l.* 1. *C. ad l. Jul. de adult. l.* 1. *C. Theod. de repud.* de quo nos plura ad alias etiam partes noſtrarum legum, *ſupra lib* 2.

7 Illud nunc proprium, quod & in dictis locis exprimitur, non itidem atque uxor adulterii à marito, & jure mariti accuſatur, & ipſam de matrimonio violato conqueri, ac maritum accuſare adulterii poſſe, & quod eſt conſequens, poſſe maritum repudiare mœcham uxorem, non tamen & uxorem divertere à viro mulierculario. Quod poſtremum ex lege Romuli, quam & acerbam, ſive σφοδρὰν, vocat Plutarchus *in Romulo*, utramque autem *duram legem, multoque iniquiorem mulieribus, quam viris*, eſſe, conqueritur Syra illa apud Plautum *in Mercatore actu* 4. *ſcena* 8. Addimus in eam ſententiam de inæqualitate humanarum legum in hac re, & æqua, parique ſacrarum cenſura, D. Hieronym. *ad Oceanum in Epitaphio Fabiolæ*: *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti. Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur, & ſolo ſtupro, atque adulterio condemnato, per lupanaria, & ancillulas libido permittitur quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos, quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.* Div. Auguſtin. *lib.* 2. *Adulterin. Conjug. cap.* 8. & *de decem Chordis, cap* 3. & *Homil. ſeu ſerm.* 4. *de verbis Apoſtoli*: *Hæc dixi, quæ licite committuntur, ſed non Dei legibus. Quis enim aliquando ad judicem ductus eſt, quia meretricis lupanar intravit? Quis enim aliquando in publicis Tribunalibus accuſatus eſt, quia per ſuas lyſtrias laſcivus, immunduſque defluxit? Quis aliquando habens uxorem, quia ancillam ſuam vitiavit, crimen invenit? Sed in foro, non in Cœlo; in lege mundi, non in lege Creatoris mundi.* D. Ambr. *lib.* 1. *de Patriarcha Abraham, cap.* 3. relatus *in cap. Nemo* 4. 32. *q.* 4. *Nemo ſibi blandiatur de legibus hominum, omne ſtuprum eſt adulterium, nec viro licet quod non licet mulieri.* Lactant. Firmian. *lib.* 6. *de Vero Cultu, cap.* 32. *Nondum*, inquit, *omnia caſtitatis officia executus ſum, quam non modo Deus intra privatos parietes, ſed etiam præſcripto lectuli terminavit, ut, cum quis habeat uxorem, neque ſervam, neque liberam habere inſuper velit, ſed matrimonio fidem ſervet. Non enim ſicut publici juris ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ habet alium; maritus autem, etiamſi plures habeat, à crimine adulterii ſolutus eſt. Sed Divina Lex ita duos in matrimonium, quod eſt in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter*

habeatur,

habeatur, quiſquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit. Et in *Epitome Divinar. Iuſtit. cap.* 9. *Sed ſicut fœmina caſtitatis vinculis obligata eſt, & ne aliud concupiſcat, ita vir eadem lege teneatur, qua Deus & viro uxorem unius corporis compage ſolidavit.* Late S. Aſterius Amaſenus *Orat.* 5. *de non dimitt. uxore, quacumque ex cauſa.* Eleganter Chryſoſtom. *Serm. de libello repudii*, & apud Gratianum *in cap. ſi quis uxorem* 4. 32 *quæſt.* 1. junctis *cap. præcepit* 19. & *cap. ult.* 32. *quæſt.* 5. ibi: *Chriſtiana Religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat*, hoc eſt, pari pœnitentia, ſeu pœna, ut liquet ex Concilio Aneyrano *Can.* 20. Illiberitano *Can.* 69. Bracchar. 2. ſeu collectione Martini *Can.* 76. Nannetenſi *Can.* 12. & 14. Vormacienſi *Can.* 44. Conſentit & Gregor. Nazianzenus *ad illud Matthæi cap.* 19. ubi de lege, permittente viris erga uxores repudium, non autem uxoribus erga maritos, & adulterium in his, non illis plectente *ἐδὲ ἔχομαι ταύτῃ νομοθεσίαν, non adhæreo*, inquit, *huic legumlationi*, ubi & multa deinceps in hanc ſententiam, quæ & conſtans eſt omnium Sanctorum Patrum, de inæqualitate legis Romanæ, ſive Politicæ civilis, quamvis interdum juxta illam, moreſque ſæculi, loquantur in re hac, illos obiter proponentes, non probantes, quomodo explicandus Baſilius *Epiſt.* 1. *ad Amphiloc. cap.* 9. & 21. cujus verba deſcribit in hanc rem Græcanicus Interpres juris Baſilicon *lib.* 60. *tit.* 37. *in principio, & ad finem tituli*, ubi ex eodem Baſilio rationem hujus rei facilem non eſſe, eo tamen more nos uti, Ambroſ. in *Commentar. epiſtol.* 1. *ad Corinth. cap.* 7. relatus *in cap. uxor à viro* 33. *quæſt.* 7. ut poſt Zonaram *in Can.* 48. *Apoſtolorum* (ubi in hoc ipſo eeſpitat Balſamon in Scholiis) eruditiores ex noſtratibus obſervarunt. Quin & camdem civilem legem inſeroit *ſuæ Canonum Collectioni* Gratianus 32. *quæſt.* 1. *verſ. publico*, & confirmat *Regia lex* 13. *tit.* 9. *part.* 4. *l.* 1. *tit.* 17. *part.* 7. quæ perelegantes rationes exprimit, cur adulterium in uxore, & merito non æque puniendum, tametſi aliud Sacrorum Canonum judicium ſit.

8 Scribit tandem Ulpianus *in dict. l. palam* 43. §. *ultim.* non adjici hîc, ſive in hoc capite legis noſtræ, neque diſtingui, à quo, vel ubi deprehenſa in adulterio mulier ſit, à marito, an ab alio, & in domo mariti, vel patris, an alibi. Proinde à quocumque deprehendatur, notatur deprehenſa legibus noſtris, ejuſque nuptiæ ingenuis interdicuntur. Reſpicit vero hæc Ulpiani ſententia, ac veluti referat differentiam, quoad hæc, inter leges noſtras Juliam, & Papiam, & Juliam de adulteriis, qua poſtrema, atque ejus capitibus diſtinguitur, à quo, vel ubi adulter deprehenſus ſit, quia nec omnibus deprehendentibus necare, permittitur, ſed patri tantum, & marito. *l. patri* 20. *l. marito* 24. *D. ad leg. Jul. de adulter.* nec ubicumque deprehenſum, ſed patri quidem domi ſuæ, vel generi ſui; marito vero domi ſuæ dumtaxat. *l. nec in ea* 22. § *Jus occidendi l. quod ait* 23. §. *quare*, ubi ratio. *l. marito* 24. *D. ad leg. Jul. de adulter.* Paulus *lib.* 2. *Sentent. tit.* 26. Quintilian. *lib.* 5. *Inſtitut. Orator. cap.* 9 *in argument. à loco: Occidiſti adulterum, quod lex permittit; ſed quia in lupanari, cædes eſt.* Denique nec maritus ipſe, qui uxorem deprehenſam retinet, tenetur, niſi in domo ſua deprehenderit. *l. marito* 29. *D. ad leg. Jul. de adulter. l.* 2. *Cod. eod. tit.* Nec differentiæ ratio in propoſito, inter Juliam, Papiamque noſtras, & Juliam de adulteriis obſcura. In iſta jus occidendi adulterum, aut lenocinii pœna in maritum, nec omnibus permitti, nec paſſim, ac promiſcue induci, debuit, ſed ubi patris, aut mariti perſona, ſimulque domus adulterio fœdatæ injuria, aut executionem juſti doloris, cædiſque impunitatem quaſi extorquerent, aut turpem adulterii conſcientiam, patientiamque in marito lenone coarguerent. *dict. l. mariti* 29. *dict. l. quod ait* 23. §. *quare.* Ad quam ita anonymus Scholiaſtes Baſilicon *lib.* 60. *titul.* 37. In noſtris autem legibus ad adimendum jus connubii, notandamque deprehenſam, ſufficere, viſa eſt, & quidem merito, ſola contumelia deprehenſionis, quicumque, & ubicumque deprehenderit.

C A P U T XV.

Ad eamdem l. 43. §. quæ in adulterio 12. verſ. quod ſi l. 20. Cod. ad leg. Jul. de adulter. l. Claudius 13. D. de his, quæ ut indign.

Conſectanea de deprehenſione, aut damnatione adulterii.

A R G U M E N T U M.

Cum damnata adulterii, tamquam damnata publico judicio, inhibitæ nuptiæ lege Julia, *ſive ad eam S. C. at ſpecialiter* Julia de adulteriis, *qua non modo eam uxorem ducere, ſed & retinere, vetitum, diremptis nuptiis, & ſub pœna adulterii. Notata inter utramque* Juliam *diſtinctio. Pro explananda* l. Fœdiſſimam 20. Cod. ad leg. Jul. de adulter. & Accurſianorum illic Scholio, *curſim aliqua de impuris tribadibus, & illarum pœnis. Aſt abolito impuro* Scholio, *intellecta ea lex de fœminis seis adulterii, ſeu ſtupri, & exceptæ per vim compreſſæ.* Gradus *hinc ad* l. 13. D. de his, quæ ut indign. *in qua difficile illud, cur matrimonium improbetur cum muliere nec deprehenſa, nec damnata adulterii, & cur hæreditas eidem eripiatur, tamquam indignæ, contra* l. & ſi 12. Cod. ad l. Jul. de adulter. *Decidendi in* d. l. 13. *ratio, ducta ex præſumptione legali adulterii contra eam, quæ, adulterii cum ea commiſſi, damnato poſtea nubit, quamvis ea nec deprehenſa, nec damnata. Auctoramenta ejus præſumptionis ex juris, aliiſque libris. Inde etiam ratio ereptitii inter eoſdem, tametſi ultra non porrigatur. Adulteram nondum damnatam, an ducere liceat, diſcuſſum, & diſtincte deciſum, elucidatis juris Auctorum locis, & præ aliis* l. 34 §. ream, D. de ritu nopt.

1 PRætermiſimus conſulto, ſepoſuimuſque in hunc locum in explicandis Ulpiani verbis, quod proponitur, inter alia, *in dict. l. palam* 43. §. *quæ in adulterio, verſ. quod ſi*, nempe eam etiam, quæ deprehenſa in adulterio non eſt, ſi tamen damnata ſit, notari, quia publico judicio, quale eſt adulterii, damnata eſt, & conſequenter nuptias ejus ingenuis inhiberi, juxta §. *Senatus dict. l. palam* 43. verbaque noſtri capitis, de quibus poſtea. Hoc autem, quamvis recte pro re, ſive inſtituto interpretandi leges Juliam, & Papiam, Ulpianus ex eiſdem deducat, *in dict.* §. *quæ in adulterio*, expreſſum tamen proprie magis, & ſpecialiter eſt *lege Julia de adulteriis*, ſive de pudicitia, qua tenetur, qui damnatam adulterii ſciens ducit uxorem, vel reducit, ac retinet. *l. caſtitati* 9. *Cod. ad leg. Juliam de adulter. l. mariti* 29. §. 1. *D. eodem tit. l. auxilium* 37. in *fin. D. de minoribus.*

2 Nec ſupervacua ideireo alterius legis ſanctio; noſtris enim cum ingenuis dumtaxat, non autem cum libertinis, connubium damnatæ adimitur, ſolaque nota, ac dedecus ducenti pœna eſt, tamquam ſi aliam quamcumque, publico judicio damnatam, duxiſſet: ac præterea, ut dicemus *cap. ſeq.* & monuimus jam ſupra *cap.* 1. nuptiæ cum damnata, & ſimilibus ignominioſis non diſſolvuntur, ſed tamquam injuſtæ improbantur, & ducere eam, vetitum, non retinere, ſicut nec aliam damnatam judicio publico, ut notabimus infra opportunius. *Julia* autem *de adulteriis* indiſtincte omnibus, hoc eſt, tam marito, quam aliis quibuſcumque damnatam adulterii ducere,

 vetatur,

vetatur, & quidem ſpecialiter ſub pœna ejuſdem legis, ex cauſa lenocinii, quæ ſive capitalis, ſive relegatio ſola fuerit (de quo nunc alii certent) graviorem ſaltem fuiſſe ſimplici nota, non dubitatur. Denique nuptiæ ipſæ ſic prohibentur, ut nec ſtare, ſeu ſuſtineri, quoad nexum contrahentium poſſint, ſed diſſolvantur, nec ducere dumtaxat, vetetur, ſed etiam retinere: idque ita ſignanter *ex Julia de adulteriis*, forſitan, ut noſtrarum Juliæ, Papiæque jus diverſum inſinuet, proponit Papinianus *in l. miles* 11. *§. ult. D. ad leg. Jul. de adult.* ibi: *Cum per legem Juliam hujuſmodi uxorem retinere, prohibearis.* Plane quamvis lex Julia dumtaxat adulterii damnatæ meminerit, tamen ad ſtuprum etiam referenda eſt. *dict. l. mariti* 29. §. 1. juncta *l. inter 6. §. 5. D. ad l. Jul. de adulter. l. inter* 101. *D. de verb. ſign.* hoc eſt, ut neque viduam, virginemve ſtupri damnatam ducere uxorem, liceat, ut exprimunt apertius Baſilica *lib.* 60. *tit.* 37. & *Synopſis eodem lib. & tit. cap.* 28. ibi, id eſt, & adulterii, *aut ſtupri virginem, vel viduam damnatam.*

3 Unde illuſtrandum non vulgariter eſt Diocletiani *Reſcriptum ad Didymum. in l. fœdiſſimam* 20. *Cod. ad legem Juliam de adulter. Fœdiſſimam*, inquit, *earum nequitiam, quæ pudorem ſuum alienis libidinibus proſternunt, non etiam earum, quæ per vim ſtupro compreſſæ ſunt, leges ulciſcuntur.* Fuerunt apud Accorſium jam olim, qui putarent, deſignari tacite prioribus verbis, ac periphraſi illa, *quæ pudorem ſuum alienis libidinibus proſternunt*, mulieres ſe ipſas fere ineuntes, τῷ ὀλίσϐῳ, & quodammodo maſculam venerem inter ſe exercentes, ac fœminas cum fœminis, virorum inſtar cubantes, congredientes, quas *frictrices*, & *tribadas* vocant. Martialis *lib.* 1. *Epigr.* 91. *ad Baſſam tribadem*, & *lib.* 7. *Epigr.* 66. & 69. Juvenal. *Satyr.* 6.

Ipſa Medullinæ frictum Criſſantis adorat.

M. Seneca *lib.* 1. *Contr.* 2. ubi de tribade deprehenſa, & occiſa. Tertullianus *de Pallio*, *cap* 4. *Aſpice lupas popularium libidinum nundinas, ipſas quoque frictrices*; ſic enim lego, tametſi alii *fictrices.* Graviter in id genus flagitii Seneca *Epiſt.* 95. *Non mutata fœminarum natura, ſed vita eſt, nam cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt: libidine nec maribus quidem cedunt, pati natæ. Dii illas, Deæque male perdant, adeo perverſum commentæ genus impudicitiæ viros ineunt. Quid ergo mirandum eſt, maximum medicorum, ac naturæ peritiſſimum in mendacio prehendi, cum tot fœminæ podagricæ, calvæque ſint? Beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt, & quia fœminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus.* Frequens hæc fœditas apud Lesbios, unde & frictrices ipſæ λεσϐίας ζέυσαι, qualis Megilla dives illa Lesbia, & tribas apud Lucianum *Dialogo Clonarii, & Leænæ.* Ubi multa de hac turpitudine: paria, aut eadem fere idem ſcriptor in ἔρωσι, ſive *amoribus.* Et graphice omnino, ac ſignanter Juvenalia *Satyr.* 6.

4 Sed apage tam ſpurca, impuraque: & in execrationem memineris, turpitudinem hanc inter veræ ſodomiæ ſpecies eſſe, ut ſentit D. Auguſt. *Epiſtol.* 109. & apud Gratianum *in cap. uſus* 14. 32. *q.* 7. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 154. *artic.* 11. & inter ſpecies coitus præter naturam recenſet Artemidor. *lib.* 1. *Oneirocrit. cap* 83. & ordinaria ſodomitarum pœna puniri, ſi inſtrumento aliquo materiali, ſive τῷ ὀλίσϐῳ fiat, ſin autem ſine illo, & fricatione ſola, extra ordinem puniuntur, ut docent, ac diſtingunt utentes in hanc ſententiam, *textu in dict. l. fœdiſſimam* 20. Salycet Odofred. & Cynus *ibi*, & *in l. cum vir* 31. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* & poſt Alciatum *lib.* 10 *Parerg. cap.* 11. & alios, Boërius *Deciſ.* 316. *num.* 14. Anton. Gomez *in l.* 80. *Tauri*, *num.* 34. Clarus *in Praxi. lib.* 5. *ſentent. §. fornicatio*, *num.* 29. Covarr. *in* 4. 2. *part. cap.* 7. §. 5. *num.* 7. Menoch. *lib.* 2. *de Arbitrar. Caſu* 286. *num.* 36. P. Gregor. *lib.* 36. *Syntagm. cap.* 14. Farinac. 5. *part. Praxis Crimin. tit. de delictis carnis*, *quæſt.* 148. *num.* 40. Sanch. *de Matrimonio*, *lib.* 10. *de divortio*, *diſput.* 4. *num.* 5. Vela *de Pœnis Delictor. cap.* 33. Petrus Caballus *Reſolut. Crimin. caſu* 19. *num.* 14. Riccius *in Collectan. Deciſ.* 1. *part. collect.* 184. Azevedo *in l.* 1. *num.* 51. *tit.* 21. *lib.* 8. *compilat.*

Hæc etſi vera ſint, alieniſſima tamen à verbis, & ſententia *d. l. fœdiſſimam* 20. in qua non eſt, niſi nequiſſime argutari velis, verbum ullum, quod ad tribades pertineat. Loquitur ergo potius de vulgaribus fœminis, quæ pudorem, formamque ſuam alienis, maſculorum ſcilicet, libidinibus, paſſim proſtituerunt, ſive quæ palam corpore quæſtum fecerunt, de quibus poſtea ad caput hoc noſtrum, aut quod & ſtupri mentioni, & argumento *legis Juliæ de adulteriis*, magis congruit, de deprehenſis in adulterio, ſive damnatis ſtupri, vel probri, quarum nequitiam leges ulciſcuntur, ſcilicet Julia, & Papia in deprehenſis, & Julia de adulteriis in damnatis, & quidem violata earum exiſtimatione, & nota, ſive infamia irrogata, dum leges noſtræ illis connubium cum ingenuis, Julia autem de adulteriis cum aliis quibuſcumque viris adimunt *d. l. marito* 29. §. 1. *D. ad leg. Jul. de adult. d. l. palam* 43. §. *quæ in adulterio.* 5

Rectiſſime vero ex hoc numero excipitur, in *d. l. fœdiſſimam* 20. quæ per vim ſtupro compreſſa eſt, ſive, ut Cujacius vult, *comprehenſa*, *irreprehenſa*, ut ait, *voluntate*, in quam vis ſuperincidens, abſoluta, & præciſa, culpam omnem excludit, *ubi nihil adjumenti affert, qui facit, aut patitur*, ut ait Ariſt. *lib.* 3. *Ethicor. cap.* 1. Nam ut ad rem Saresberienſis *lib.* 3. *Polycrat. cap.* 13. *A patribus pridem diffinitum eſt, quia pudicitia auferri non poteſt, niſi mentis corruptio antecedat. Quod enim, ut magnus aſſerit Auguſtinus, non præcedente libidine, violenter patitur corpus, vexatio potius dicenda eſt, quam corruptio.* Unde & vim paſſa mulier, nec adulterii, nec ſtupri damnatur. *Deuteronomii cap.* 22. *in fine. l. ſi uxor.* 13. §. *ſi quis plane* 7. *l. vim paſſam* 39. *D. ad l. Jul. de adulter.* Ideoque & inviolatæ exiſtimationis eſt, neque nuptias ejus aliis interdici, placuit *d. l fœdiſſimam* 20. *l.* 1. *removet* 6. *D. de poſtulando. l.* 7. *tit.* 9. *part.* 4. Ambroſius, Auguſtinuſque apud Gratianum *in cap.* 1. & *ſeq* 32. *quæſt.* 5. niſi ſcilicet ipſa vim, non invitæ ſibi, illatam fuiſſe quodammodo, oſtendat, eamque veluti provocaverit, *ſcorti habitu*, *oculiſque quaſi ſcortantibus*, ut ex Divo Gregorio Thaumaturgo, & D. Baſilio exponit latius Scholiaſtes Baſilicon *lib.* 60. *tit.* 37. *ad d. leg. ſi uxor* 13. § *ſi quis virgines*, *D. de injur.* de qua nos *alibi hoc lib.* Verum ut jam in inchoato ſupra de adulterii damnata ſermone pergamus, duo, quæ in eo reliqua, breviter explicanda ſunt, & quaſi ſaltuatim. Primum eſt, quomodo his, quæ diximus, congruat, explicandumque ſit, Papiniani *ex quæſtionum libris fragmentum*, *in l. Claudius* 13. *D. de his, quæ ut indignis.* Ubi cum Mævius in adulterio Semproniæ damnatus, eamdem Semproniam non damnatam duxiſſet uxorem, & hæredem eam moriens reliquiſſet, Papinianus de jure matrimonii, & inſtitutionis ex facto conſultus, reſpondiſſe, fertur, neque tale matrimonium ſtare, neque hæreditatis lucrum ad mulierem pertinere, ſed quod relictum eſt, ad Fiſcum pervenire. Utrumque autem ſatis difficile. Primum de matrimonio, quia cum Sempronia neque adulterii damnata fuerit, neque conſtet fuiſſe deprehenſam, niſi ſcilicet in facti hypotheſi, quam Claudius Seleucus propoſuit, aut divinare nos, aut divinaſſe Papinianum, volumus, nihil cauſæ eſt, cur matrimonium tale non ſtare, affirmemus, præſertim cum neque leges noſtræ Julia, & Papia, neque Julia lex de adulteriis, nuptias improbent, inhibeantve cum damnato adulterii, ſed cum damnata, ut notat, differentiam hanc inſinuans, Scholiaſtes Baſilicon ex Div. Baſilio *ad lib.* 60. *tit.* 37. *in principio.* 6

Neque audienda Græcanica tranſlatio *Eclogæ* Baſilicon, *lib.* 60. *titul.* 37. *poſt caput* 67. ubi damnata 7

etiam

etiam Sempronia proponitur, his verbis: Ἐὰν ἐπὶ μοιχείᾳ γυναικὸς καταδικασθεὶς ἀγάγωμαι αὐτὴν, ἢ καὶ αὐτὴ καταδικασθῇ, οὔτε ὁ γάμος ἐῤῥῶται. Hoc eſt: *Si in adulterio mulieris damnatus duxero eam, vel ſi ipſa damnata ſit, matrimonium non conſiſtit.* Non audienda, inquam, ea lectio, quin potius negatione adjecta legendum, ut Leunclavio videtur, ἢ καὶ αὐτὴ μὴ καταδικασθῇ, *etiamſi ipſa damnata non ſit.* Quam lectionem præter fidem Latini textus, & Græci ipſius *Synopſis dict. lib.* 60. *tit.* 42. *de ingratis, cap.* 13. ubi, ſicut corrigimus, exſtat, firmat etiam apud me Harmenopulus conſtanter negativam, quam ſequimur, lectionem, & Baſilicis proponens, *in Promptuario Juris, lib.* 4. *tit.* 6. §. *de adulterio, & lib.* 6. *tit.* 2. ad finem.

8 Secundum de hæreditate eripienda, peræque obſcurum eſt, quia præterquam quod ſi matrimonium, ut diximus, non eſt illicitum, nulla etiam ratio eſt, ob quam Semproniæ hæreditas, ut indignæ eripiatur prætextu matrimonii illiciti *l.* 2. §. 1. *& ſeq. D. de his, quæ ut indig. l. ult. D. de legat.* 1. in ſpecie ipſa Papiniani, Semproniam non damnatam, etiamſi adulter condemnatus ſit, nec pœnæ, nec infamiæ ſubjici, & conſequenter, neque ereptioni hæreditatis, tamquam indignæ, ſcriptum diſerte eſt in *l. etſi crimine* 12. *Cod ad leg. Jul. de adulter. l. denunciaſſe* 17. §. *ultim. D. eodem tit.* Nec videt, aut diſſimulat hanc Juris, & rationum pugnam, magnus ille Papiniani Interpres, Cujacius, tametſi alia, & aliena magis à te noſtra nectat, & ſolvat.

9 Nos præeunte Bartolo *in dict. l. Claudius* 13. animadvertimus, apud Papinianum ibi quæri dumtaxat de jure matrimonii inter adulterum damnatum, & adulteram ipſam, ob quam damnatus eſt, ſimulque de hæreditate invicem inter eos capienda. Porro quoad hæc duo, ſingulares rationes neque in obſcuro ſunt, ob quas Papinianus reſponderit, neque tale matrimonium ſtare, & hæreditatem, ut indignæ ereptam, ad Fiſcum pervenire. Atque ut omiſſo interim Pontificio Jure in hoc caſu, præſertimque antiquiorum Canonum, qui Papiniano fere conſentiunt, & noviorum, qui extant in titulo Decretalium *de eo, qui duxit in matrimon. quam polluit per adulter.* Loquamur nunc dumtaxat juxta Jus Civile Romanorum. Non ſtat matrimonium, quia quamvis mulier proprie neque damnata, neque deprehenſa ſit, poſtquam tamen ei nupſit, qui in ejus adulterio damnatus fuit, ut Papinianus loquitur, perinde eſt, ac ſi quodammodo damnata, & deprehenſa eſſet. Frequens enim Romanis, vel Apollonio teſte apud Philoſtratum *lib.* 8. *Uxores eas ducere, quibuſcum mœchati, cum in eis deprehenduntur.* Unde & ſunt nuptiæ ipſæ, grave, grandeque adulterii commiſſi contra mulierem argumentum, & velamentum quoddam, ſive obtendiculum, flagitio quæſitum, ut vocantur *in l. commiſſum* 27. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* quia veluti fatetur mœchiam, quæ mœcho nubit, ut aperte Papiniani ex mente, etiam quoad capitalem pœnam adulterii, Juſtinianus ſtatuit in *Novella* 134. *ut nulli Judicum cap.* 12. §. *ſi quis vero*, & ante eum in eleganti ſpecie Cæſares, in *l. ſi qui* 34. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* illic, maniſeſta fide, atque *indiciis evidentibus.* Cujus argumento, ſeu potius auctoritate, eſſe hanc præſumptionem juris, & de jure, ut loquuntur, ſufficereque ad pœnam adulterii ordinariam, quamvis alioquin præſumptiones aliæ non legales, tametſi violentæ attendantur dumtaxat, quoad thori ſeparationem, aut matrimonii impedimentum, aut dotis amiſſionem, docet poſt antiquiores Menoch. *lib.* 5 *Præſumpt.* 41. *num.* 8. *cum pluribus.* Farinac. *in Praxi crimin.* 4. *tomo de delictis carnis quæſt.* 136 *ex num.* 18. *&* 21. Petr. Barboſa *in l.* 2. *in Princip. part.* 1. *num.* 85. *D. ſolut. matrim.* Idque argute Satyrica illa acu non ſemel tetigit Martialis noſter *in Proculinam lib.* 6. *Epigr.* 22.

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modo, nunc facis maritum,
Ne lex Julia te notare poſſit,
Non nubis, Proculina, ſed fateris.

Et *eodem libro Epigramm.* 45. *in Lectoriam.*

Hæc eſt caſta Venus? nubit Lectoria Lygdo:
Turpior uxor erit, quam modo mœcha fuit.

Et *in Paulam lib.* 1. *Epigr.* 75.

Mœchus erat; poteras tamen hoc tu, Paulla, negare;
Ecce vir eſt: numquid, Paulla, negare potes?

Sed & hæreditas ab adultero damnato, relicta adulteræ, quam uxorem duxit, vel è contra ab iſta illi, eſt quodammodo indicium adulterii, ut expendunt Declamatores apud Senecam *lib.* 2. *Controv.* 15. & ideo eripitur eis, tamquam indignis, & Fiſco vindicatur; tum quia vulgaris pœna hæc eſt matrimonii illiciti, ſeu contra leges inter eos contracti *l.* 2. §. 1. *& ſeq. D. de his, quæ ut indign. l. ultim. D. de legat.* 1. *l. dote* 61. *l. præfectus* 63. *D. de ritu nupt. l. cum hic ſtatus* 32. §. *ultim. D. de donat. inter. l. qui contra* 4. *l. ſi quis inceſti* 6. *Cod. de inceſt. nupt.* Tum etiam, quod Interpretes parum obſervant, quia, etſi matrimonium contractum non eſſet, debuerunt pœnam hanc ereptitii ſufferre, quoniam, cum ſe invicem adulterio inquinaſſent, indigni fuerunt, quibus hæreditatem mutuo capere, cum effectu, liceret, quin potius digni, quibus Fiſcus eriperet, ſicut aufert ſtupro cognitis *l. mulierem* 14. *l. cum tabulis* 16. §. *quoniam, D. de his, quæ ut indignis.* 10

Plane excepta matrimonii cauſa, & bonorum, in quibus propriæ, ut diximus, rationes occurrunt, diverſum eſt, quoad reliquam graviorem adulterii pœnam, infamiamque, quibus non ſubjicitur, nec pro damnata habetur mulier, ex eo ſolo, quod vir in ejus adulterio damnatus ſit *dict. l. etſi crimine* 12. *Cod. ad leg. Jul. de adult.* Quid enim ſi adulter inimicitiis oppreſſus eſt, vel falſis argumentis, teſtibuſque ſubornatis gravatus, aut noluit, aut non potuit provocare? Mulier vero Judicem religioſum ſortita, pudicitiam ſuam defendit; fortaſſis & obtinere vel gratia, vel juſtitia, vel legis auxilio poſſit? Ut ſcriptum eleganter eſt *in l. denunciaſſe* 17. §. *ult. D. ad leg. Jul. de adulter.* 11

Secundum, circa eamdem rem explicandum eſt, an adultera nondum damnata, & tamen rea jam, ut ſuſpecta duci impune uxor poſſit, aut jure haberi. Id vero obſcuræ ut ſit diſquiſitionis, faciunt ſparſa, ac variantia Juriſconſultorum reſponſa, nec expedita per ſe ſatis, nec collecta adhuc & diſpoſita. Quare ut intelligantur, utaris, licet, brevi hac diſtinctione. Aut quæritur, an uxor duci adultera poſſit, antequam inter reas recipiatur, aut poſtquam recepta eſt. Inter reas autem receptam dicimus eam, cujus nomen ad Prætorem delatum ab accuſatore, ipſaque legibus interrogata eſt, & cum crimen negaret, dies à Magiſtratu accuſatori data eſt crimini inquirendo, & accuſatio inſtituta, nomine adulteræ in reorum album relato, ſeu recepto, ut colligere licet ex Aſconio Pædiano *in* 2. *Orationem Ciceronis in Verrem*, ad illa verba: *Tum cum à me reus factus ſit* juncta *l.* 3. *D. de accuſationib* cum aliis. Primo ergo caſu adulteram nondum inter reas receptam ducere impune uxorem quivis poteſt, adeo ut is etiam licite poſſit, cum quo inſimulatur adulterii, ſive cum quo ſuſpecta eſt (dummodo non damnatus jam adulterii cum illa, de quo ſupra, ex *l. Claudius* 13. *D de his, quæ ut indignis*) & quod eſt amplius, etiamſi accuſationem vir minatus ſit, & quodammodo jam reum adulterii deſtinaverit *l. quæſitum* 40. *l. miles* 11. §. *licet, D. ad l. Jul de adulter.* quin & reducere maritus uxorem talem poteſt, nec tenetur lenocinii, ex *l. Julia. l. ſine metu* 17. *C. ad l. Jul. de adult.* cum tamen, ſi poſt crimen intentatum, ſive accuſationem inſtitutam reducat, deſtitiſſe ab accuſatione videatur, ideoque & incidat in Turpilianum, & accuſare amplius non poſſit, ex eadem lege, niſi poſt abolitionem deſtiterit. *l. abolitionem* 12

nem 16. *C. ad leg. Jul. de adulter. d. l. quæſitum* 40. §. 1. *eodem tit.* Cæterum ſi maritus, accuſaturum ſe adulterii, non taotum minatus, ſed & teſtato, riteque denunciaverit mulieri, poterit poſtea ab ea, qusmvis jam alii nupta, accuſationem incipere, cum alioquin citra denunciationem prius adulterum accuſare, neceſſe eſſet *l. qui uxori* 16. *cum l. ſeq. per totam l.* 2. *l. nuptam. l. miles* 11. §. *licet*, *D. od l. Jul. de adulter. l. ſervos* 5. *in fine*, *D. de accuſat. l. ſi dum* 14. *l. ita nobis* 27. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.*

13 Secundo autem caſu, in quo ſcilicet jam adulteram inter reas receptam fuiſſe ponimus, neque duci illa uxor ab extraneo poteſt, vivente marito. *l. reas* 26. *D. de ritu nuptiar.* nec reduci à marito, niſi poſt abolitionem impetratam *l. generali* 34. §. *ream*, *D. de ritu nupt.* & quidem ſive jure mariti, ſive jure publico, tamquam extraneus, ream uxorem fecerit; neutro enim ex his caſu impune eam reducir, niſi poſt abolitionem. *d. l. quæſitum* 40. *d. l. abolitionem* 16. ut proinde hæc adjectio, *poſt abolitionem*, quamvis priore dumtaxat caſu à Papiniano expreſſa, ad poſteriorem etiam referenda ſit, & in utroque repetenda, at rectiſſime Cujacius monuit, *ad Papinianum in dict. l. generali* 34. §. *ream* & confirmant Baſilica, quæ ſic exprimunt *lib.* 28. *tit.* 2. *in princip. Sive jure mariti*, *ſive jure extranei*, *maritus accuſavit uxorem adulterii*, *poteſt poſt condonationem*, *eam rurſus accipere.*

Jam vero non eſt contrarium Modeſtino *in dict. l. reas* 26. quod legimus *in l. miles* 11. §. *ultino. Digeſt. od legem Juliam de adulter.* Nempe rea adulterii uxore ducta, & poſtea damnata, ac mox repudiata, non videri maritum cauſam diſſidii præſtitiſſe, atque ita jus tractandum, quaſi culpa mulieris facto divortio, & conſequenter ſupponitur, potuiſſe jure uxorem duci ream adulterii, & eo uſque licite, ut maritus ex eo lucrum potius, quam pœoam ſufferat. Non eſt, inquam, cootrarium, quia reſponderi poteſt, vel uxorem eam ductam fuiſſe mortuo jam marito, à quo rea facta fuerat, quo tempore ceſſat jam ratio inhibendarum nuptiarum, quæ vivente marito improbabantur *dict. l. reas* 26. ad quam alia, poſt alios, Faber in *Juriſprud. tit.* 9. *princ.* 5. *illot.* 19. vel, quod arridet magis, nondumque aliis vulgo notatum, ſupponendum eſt, quodammodo ex hypotheſi *præcedentis* §. *mulier*, *d. l. miles* 11. ream adulterii in *dict.* §. *ultim.* ductam fuiſſe ab ignorante, accuſatam fuiſſe adulterii, & conſequenter ſine culpa, ut notat Scboliaſtes Baſilicon *ibidem lib.* 60. *tit.* 37. 14

C A P U T XVI.

Ad Ulpianum tit. 13. §. ult. eum dict. l. 43. §. Senatus cum ſeq. D. de rito nuptiar.

De damnatæ publico judicio nuptiis inhibitis.

A R G U M E N T U M.

INhibitionis ratio, & *quorſum ea repetita*, & *expreſſa S. C. in Senatoribus? Reſpondetur*, *quia bis non modo ducere*, *ſed* & *retinere illas*, *vetitum. Et S. C. boc fortaſſe ſegmentum illius in* l. 16. D. de ſponſalib. *De deſcriptione publici judicii in* dict. l. 43. §. Senatus. *Item ad* §. ſi qua 12. *an quoad nuptiarum vetitum*, *habenda pro damoata publico judicio*, *quæ damnata eſt calumniæ ex cauſa publici judicii? Expenſo*, *ut ſic affirmetur*, *momenta. At in contrarium* Ulpianus in d. §. 12. *pro quo*, & *ejus explanatione*, *paucis.*

1 PErgamus in capitis noſtri verbis, quæ poſt in adulterio deprehenſam, ſtatim, ſeu conſequenter offerunt, & *publico judicio damnatam*, quam, perinde ac probroſas alias, uxorem ducere, ingenui prohibentur, teſte Ulpiano *dict. tit.* 13. §. *ultim.* Prohibitionis eaoſa deducenda, ut in aliis, de quibus ſupra, ex infamia damnationis judicio publico, quæ notiſſima. *l. infamem* 7. *D. de public. judic.* Idem vero ſpeciali Senatuſconſulto prohibitum Senatoribus, ne ſcilicet uxorem ducerent, ſeu retinerent, publico judicin damnatam, docet Ulpianus *lib.* 1. *ad leg. Juliam*, & *Papiam*, *in dict. l. palam* 43. § *Senatus*, *D. de ritu nuptiar.* Mihi, cum exploratum ſit, nuptias earum, quas ingenuis non licet ducere, multo minus licere Senatoribus, ex regula *l. lege* 44. §. *ultim l. obſervandum* 49. *Dig. de ritu nuptiar.* quos expoſuimus ſupra *cap.* 1. non eſt ſane exploratum, cur nuptias publico judicio damnatæ, quas hoc capite legum noſtrarum vel ingenuis inhiberi conſtat, fuerit neceſſe Senatoribus etiam proprio Senatuſconſulto interdicere?

2 Sed quando conjecturæ res eſt, & quidem in bis tenebris priſci Juris, & Interpretum alto ſilentio, qualiſcumque admittendæ, tentari poteſt, Senatuſconſultum illud, cujus mentio in *d. l. palam* 43. §. *Senatus*, fuiſſe idem cum eo, ſive partem, appendicemque illius, cujus Ulpianus idem meminit io *l. oratio* 16. *D. de ſponſalibus l.* 3. §. 1. *D. de donation. int. vir.* Paulus in *l. oratione* 16. *de ritu nupt.* Eo itaque nobili Senatuſconſulto, cum quædam nuptiæ in perſona Senatorum inhiberentur, ut expoſuimus latius ſupra *lib.* 2. cautum fuit, inter cætera, ne quis Senator uxorem duceret poblico judicio damnatam; ac ne otioſa, ſupervacuave cautio videretur, quæ in ingenuis, jam pridem expreſſa verbis capitis hujus legum noſtrarum obſervabatur, adjectum eſt Senatuſconſulto, ut nec talem uxorem retinere Senatori liceret. *d.* §. *Senatus*, hoc eſt, ut nec quoad nexum, ſive vinculum contrahentium, nuptiæ inter Senatorem, & damnatam publicn judicio ſuſtinerentur, ſeu retinerentur, quin potius eas diſſolvere, ac dirimere oporteret, quaſi non modo injuſtæ, & improbatæ, ſed nec omnino nuptiæ, nec ullius momenti eſſent, quemadmodum eo Senatuſconſulto in aliis caſibus expreſſum fuiſſe, legimus *in dict. l. Oratio* 16. *dict. l.* 3. §. 1. *D. de donat. inter.* Et conſequenter non liceret, uxorem retinere damnatam publico judicio, non taotum ſi jam talis, & damnata fuit à Senatore uxor ducta, ſed etiamſi poſt nuptias jure cootractas paſſa eſt damnationem, argumento *ex l. lege* 44. §. *plane* 7. *D. de ritu nuptiar.* Utrumque vero iſtud diverſum eſt in ingenuis ex noſtris legibus, quæ eorum ouptias cum probroſis fœminis ita improbabant, ut injuſtas eas redderent, minuſque ſolemoes, non tamen ut dirimerent, ſeu diſſolvereot, ut notavimus ſupra *cap.* 1. & conſequenter duci uxorem, vetabant; non vetabant, retineri damnatam publico judicin, quamvis in damnata adulterii aliud eſſet ex *lege Julia de adulteriis*, ut notavimus ſupra *cap.* 11. ex *l. miles* 11. §. *ultim. D. ad leg. Jul. de adulter.* In quo inter legem Juliam, & Senatuſconſultum viros doctos diſtinguere nondum potuiſſe, ſcripſit Jacob. Gothofred. in *Fontibus Legum*, & in *Julia noſtra pag.* 315. inſciens, ut credimus, longe ante illos fontes detectos, diſtinxiſſe nos in *Salmanticenſibus dictatis anni* 1635.

Duo porro circa hoc Senatuſconſultum, pertinentia itidem ad ſententiam legum noſtrarum in *hoc cap.* extant apud Ulpianum *lib.* 1. *ad legem Juliam*, & *Papiam*, in *dict. l. palam* 43. §. *Senatus cum ſeq.* ac vix paraphraſim noſtram deſiderant. Primum eſt *in dict.* §. *Senatus*, ubi poſt verba illa: *Senatus cenſuit*, *non eſſe conveniens ulli Senatori*, *uxorem ducere*, *aut retinere damnatam publico judicio*, ſequitur continenter hæc veluti deſcriptio, ac definitio publici judicii: 3

Quo

Quo judicio cuilibet ex populo experiri licet, niſi ſi cui lege aliqua accuſandi publico judicio non eſt poteſtas. Congruit deſcriptio hæc, & explicanda ex §. 1. *Inſtitut. de public. judic.* juncta *l. lege Cornelia* 30. *D. de lege Cornel. de falſis. l. quamvis* 30. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* Gloſſæ Baſilicon *lib.* 60. *titul.* 33. in princip. *Publica judicia dicuntur, quia cuilibet de populo licentia datur inſtituendi ea.* Quibus ut deſcriptionem iſtam capias, ſimulque Duareno, & novioribus, in illam incurrentibus, facias ſatis, jungere te, & adire, velim, Primarium Juris Civilis in Academia noſtra Anteceſſorem, mox Regium in Pinciano Juridico Conventu Senatorem, Dom. Antonium Pichardum Vinueſa, cui docenti debui jam olim affectum, humanitatemque ſingularem, qua non vulgari me ſub ejus diſciplina proficientem vix duodecennem fecit, ut pergerem, nec direxit ſolum, ſed animavit. Adi, inquam, illum *ad princip. Inſtit. de public. judic. num.* 2. *& ſeq.*

4 Secundum explicandum ſequitur *in §. ſi qua, d. l. palam* 43. cujus hæc quæſtio. An videatur damnata publico judicio, quoad effectum ſcilicet legum noſtrarum, & Senatuſconſulti, ea mulier, quæ calumniæ, vel prævaricationis damnata eſt, ex cauſa publici judicii, nempe quibus caſibus ſit poteſtas mulieribus, accuſandi publico judicio, veluti læſæ Majeſtatis, aut annonæ fraudatæ, vel ſi ſuam, ſuorumque injuriam perſequantur. *l. qui accuſare* 8. *l. his tamen* 11. *l. mulierem* 13. *D. de accuſationibus. l. in quæſtionib.* 9. *D. ad leg. Jul. Majeſt. l. ultim. §. ultim. D ad leg. Jul. de annona. l. de crimine* 12. *Cod. de his, qui accuſare non poſſunt.* Videri autem & hanc damnatam judicio publico, ſaltem quoad hunc effectum, ſuadet quodammodo infamia ipſa damnationis, quæ quemadmodum ſequitur, afficitque damnatam judicio publico, ideoque & eam indignam Senatorum, & ingenuorum nuptiis facit, perinde & illam, quæ calumniæ, vel prævaricationis publico judicio commiſſæ damnata eſt. *l.* 1. *Digeſt. de his, qui notant. infam. l.* 4. *D. de prævaricator. l. Spurii* 6. *§. qui Judicii, D. de Decurionib.* ſive, ut Ulpianus loquitur in *dict. § ſi qua, ex cauſa publici judicii*, ſicut eodem ſenſu crimen hoc prævaricationis, vel calumniæ, publico judicio commiſſæ, habere cauſam publici judicii, dicitur in *l. infamem* 7. *Digeſt. de public. judic.*

5 Accedit, quod calumniæ judicium, quamvis interdum privatum ſit, & quidem non famoſum, ſi calumniæ, privato judicio commiſſæ, quis damnetur. *l. qui calumniatores* 5. *Cod. de calumniator. l. ſi quis* 7. *§. ultim. D. ad Senat. Conſult. Turpil.* plerumque tamen & famoſum, & publicum eſt, ſicut prævaricationis. *l.* 3. *D. de prævaricator.* famoſum nimirum, quoties calumniæ publico judicio commiſſæ, ut proponitur in *dict. §. ſi qua.* Nec tamen lege publici judicii quis damnatur, veluti lege Remmia, quæ inter leges publicorum judiciorum non recenſetur. *l.* 1. *D. de public. judic.* & calumniatoribus infamiam irrogat, neque integram frontem relinquit, ſed convulneratam, & compunctam notis. *l. quæſitum* 13. *D. de teſtibus. l.* 1 *§. calumniatoribus* 2. *D. ad Senat. Conſult. Turpil* de queis plura nos infra, ſi Deus volet, *ad caput Papiæ legis de delatoribus.* Famoſum autem ſimul, & publicum eſt, quoties legibus publicorum judiciorum calumniator punitur, veluti *lege Julia de vi privata*, vel *repetundarum*, aut *Cornelia de falſis. l.* 1. *§.* 1. *D. de calumniator. l.* 1. *§.* 1. *D. de lege Cornel. de falſ l. eadem* 6. *§. lege, D de lege Julia repetund. l. ex Senatuſconſulto* 6. *D. ad leg. Jul. de vi priv.* Quibus certe poſtremis caſibus, nec dubitandum videtur, quin mulier calumniæ, publico judicio commiſſæ, & præterea lege publici judicii damnata, ingenuo nubere non poſſit.

6 Ex contrario tamen, & indiſtincte Ulpianus in *dict. l. palam* 43. *§. ſi qua*, reſpondet, non videri damnatam publico judicio eam, quæ damnata eſt calumniæ, vel prævaricationis, ex cauſa publici judicii: & conſequenter poſſe illam duci uxorem, vel retineri, non tantum ab ingenuo, ſed etiam à Senatore. Porro Ulpiani verba non male contrahi poſſe videntur ad judicium calumniæ proprium, quin ut liberius, quod res eſt, dicamus, de eò ſolo loquuntur calumniæ judicio, quod tale eſt mere, ac ſimpliciter, & de calumnia ſola proditum, veluti criminale privatum, ex *lege Remmia*, & pecuniarum, ex *Edicto de calumniatoribus.* In his enim judiciis, calumniæ damnata ex cauſa publici judicii, tametſi infamis fiat, nec eſt, neque videtur damnata publico judicio. *l.* 3. *§.* 1. *& ultim. Digeſt. de prævaricator.* utique quoad prohibitionem nuptiarum, quia leges noſtræ, & Senatuſconſultum, nominatim loquuntur de damnata publico judicio. nec producenda fuit earum prohibitio ad damnationem ex privato judicio, quamvis publici judicii cauſam habuerit, ideoque & fœminam infamem fecerit, quoad alios juris effectus. *l.* 1. *Digeſt. de his, qui notant. infam. l. infamem* 7. *Digeſt. de public. judic.* præcipue cum probibitio hæc, quatenus libertatem, & frequentiam nuptiarum impedit, ſeu coërcet, odioſa ſit, & coarctari potius debeat interpretatione, quam ampliari. *l. hoc modo* 64. *Digeſt. de condition. & demonſtration. l. cum quidam* 19. *Digeſt. de liber. & poſthum.* ut & alio, atque appoſito ad rem exemplo demonſtrabimus infra *cap.* 19. Cæterum quoties legibus publicorum judiciorum calumnia plectitur, veluti *Julia de vi privata*, aut *repetundarum*, vel *Cornelia de falſis*, ſi ex his mulier damnata proponatur, fatendum certe eſt, eam publico judicio damnatam videri, quoad leges noſtras, tametſi aliter Salycetus cenſeat, in *dict. l. palam* 43. *§. ſi qua.* Nec Ulpiani verba obloquuntur *in dict. §. ſi qua*, concepta, ut jam monuimus, ſignanter. & *ἐmpγῶλικῶς*, de judicio calumniæ proprio, non autem de his, quæ proprie, & principaliter ſunt, repetundarum, vis privatæ, aut de falſis, quamvis interdum & calumniam puniant.

C A P U T XVII.

Ad eamdem leg. palam 43. in princip. & Ulpian. titul. 13.

De mulieribus palam corpore quæſtum facientibus.

A R G U M E N T U M.

I*Ngenuis cum mulieribus quæſtuariis interdictum connubium, legibus* Julia, *&* Papia, *ſupponunt, & quidem ſecure*, Balduinus, Hottomanus, Briſſonius. *Et tamen dubium id, & intutum, vel ex* Ulpiano tit. 13. §. 1. & ult. *ubi ſolis Senatoribus vetitæ hæ nuptiæ, non autem ingenuis, ut & aſſertum* Jacobo Gothofredo. *Nos cum prioribus pluribuſque cenſemus. Argumenta ei rei ex* d. l. 43. l. 24. l. 48. §. 1. D. de ritu nupt. l. 20. Cod. ad leg. Jul. de adulter. *Submotus, qui ex* Ulpiano dict. tit. 13. *obex. Quin & contextus ille ſuſpectus mendi, ſi conferatur cum* l. 44. in princip. D. de ritu nupt. *Et in quo tandem animus ſedit, trajecta, & ad extremum §. 1. transferenda verba illa:* Item corpore quæſtum facientem.

1 SUperſunt tandem in his capitis hujus legum noſtrarum verbis, quæ proſcripſimus ſupra *cap.* 4. *& quæ artem ludicram, vel quæſtum corpore palam faciat, fecerit.* De priore, *quæ ludicram artem*, atque in univerſum de ſcenicis, eorumque quoad nuptias ex legibus noſtris nota, proprie magis, & plene ad caput legum noſtrarum de nuptiis inter Senatorios, & libertinos, atque ignominioſos, ubi & Juriſcon-

ſolti veteres, quorum veſtigia longo intervallo ſequimur, diſputarunt. *l. legs* 44. §. 1. *& ſeq. D. de ritu nupt.* De poſteriori, ſcilicet, quæ palam corpore quæſtum fecit, cujus & nuptias ingenuis fuiſſe inhibitas iſto legum noſtrarum capite, jam ſupponimus. Eſt ſane prius, propriumque, & præſens opus, ut videamus, imo & deliberemus cum cura. Nam etſi Balduinus, Hottomanus, Briſſonius, & ſi qui alii, pro explorato, & veluti conſtanti habent, hujus etiam perinde, ac probroſarum aliarum nuptias, ingenuis interdici legibus Julia, & Papia; id tamen, ut leniſſime dicam, non ſatis liquet. Quippe neque apud ullum, quem ſciam, locupletem auctorem Juris, aut rei Romanæ, propria ejus prohibitionis mentio, neque, quod amplius eſt, apud Ulpianum *d. tit.* 13. §. *ult.* Ubi ex profeſſo veluti, & deſtinato, ſententiam hujus capitis legum noſtrarum recitans, aliarum ſigillatim meminit, quarum ingenuis nuptias hoc capite inhiberi, diximus; non autem ejus, quæ palam corpore quæſtum fecit, non omiſſurus certe, ſi eadem in iſta, ac in aliis, quas recenſuit, prohibitio vigeret. Quin quod & ſtricte, & magis urgèt, *initio ejuſdem tit.* 13. Ulpianus inter eas, quas Senatores ducere uxores, lege Julia probibentur, poſt libertinas, & ſcenicas, adjicit, & exprimit quæſtuarias, his verbis: *Item corpore quæſtum facientem.* Ac proinde eo ipſo, dum illic exprimit, & *in* §. *ult.* omittit, ſignanter veluti docet, & demonſtrat, prohiberi earum nuptias Senatoribus, non item ingenuis. Et plane ita cenſuiſſe, ſuppletis Juliæ legis verbis, quæ *in l. lege* 44. *D. de ritu nuptiar.* comperio Gothofredum *ad caput Juliæ de maritandis pag.* 271. *litt. L.* Accedit, quod nec novo Jure enumeratur inter abjectas alias, ſimileſque, quibus cum Senatoribus non eſt connubium. *l. humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt. l.* 1. *Cod de natural. lib. Novella* Martiani 1. *tit.* 4. *de matrimon. Senator.* Denique neque, ut credam, hujus etiam, quæſtuariæ ſcilicet, nuptias hoc capite cum ingenuis improbari, conjecturæ eſt ſatis firmæ (qua tamen una noviores ducuntur) Ulpiani diſputatio de his, quæ palam corpore quæſtum faciunt, *lib.* 1. *ad leg. Juliam, & Papiam, in dict. l. palam* 43. *D. de ritu nupt.* quaſi ſcilicet omnino ea diſputatio pertineat ad prohibitionem nuptiarum cum ingenuis, ſicut quæ ibidem extat de lenis, & in adulterio deprehenſis, cum ſimilibus. Poteſt enim, neque incommode, aut nimis detorte, referri eadem diſputatio ad aliam legum noſtrarum partem, ſive adjectionem, qua permiſſum cum liberto connubium Senatoris filiæ, quæ corpore quæſtum, vel artem ludicram fecerit, aut judicio publico damnata fuerit. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nuptiar.*

2 Sed utcumque ita ſint, propendeo tamen, ut putem, quod & in effingendis verbis hujus capitis legum noſtrarum jam expreſſi, nempe & ejus mulieris, quæ palam corpore quæſtum faciat, fecerit, nuptias ingenuis inhiberi *legibus Julia, & Papia.* Ejus opinationis conjectanea, ſive argumenta hæc ſunt. Primum ex *dict. l. palam* 43. §. *lenocinium* 6. ubi Ulpianus leges noſtras interpretans, ſcribit: *Lenocinium facere, non minus eſſe, quam corpore quæſtum exercere*, inſulſe, inepteque, dicat aliquis, cum imo gravius, fœdiuſque ſit lenonis mercimonium, quam meretricis, ut apparet ex collatione *l.* 4. §. *Pomponius*, cum *l. imperator* 24. *D. de his, qui notant. infam.* de quibus poſtea hoc libro, & ex aliis notat Menoch. *de Arbitr. centur.* 6. *caſu* 533. *num.* 2. Mendoza *de Confirm. Concil. Illiberit. lib.* 2. *cap.* 25. Sed Ulpianus ideo dumtaxat ait, non minus eſſe, quia id ei ſatis erat, & in confeſſo apud omnes, ut oſtenderet interdici merito ingenuis nuptias lenæ legibus noſtris, cum ex eiſdem legibus noſtris interdictæ eſſent itidem ingenuis nuptiæ cum ea, quæ palam corpore quæſtum fecerat, quod niſi eum poſuiſſe, aut ſuppoſuiſſe, volumus *in initio dict. l. palam* 43. non facile alia idonea interpretatio occurret *dict.* §. *lenocinium.*

3 Secundum argumentum eſt ex *l. fœdiſſimam* 20. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* ubi quod ſcriptum extat, *ulciſci leges, & interdici aliis nuptias earum, quæ pudorem ſuum fœdiſſima nequitia alienis libidinibus ſubſternunt*, tametſi accipi poſſit de deprehenſis, ſeu damnatis in adulterio, ut expoſuimus ſupra *cap.* 15. referri tamen etiam poteſt & ad quæſtuarias meretrices, quarum nuptias ingenuis leges noſtræ interdicunt, violata earum exiſtimatione: idque interpretationis proprie magis expoſtulant ſuperlationes illæ, *fœdiſſimæ nequitiæ*, & *pudoris alienis libidinibus ſubſtrati*, quæ de proſtibulis recte dicuntur, non item & de aliis, quæ uni, aut alteri culpæ ſuccubuerunt. *dict. l. palam* 43. §. 1. *& ſeq. D. de ritu nupt.*

4 Tertium eſt ex Terentio Clemente *lib.* 8. *ad leges noſtras, in l. filio* 48. §. *ſi ignominioſam, D de ritu nupt.* Ulpiano *in Fragment. titul.* 16. §. *aliquando*, ubi indefinite, & quaſi generaliter ſupponunt, prohiberi ingenuos uxores ducere famoſas, vel ignominioſas; ergo perinde eas, quæ corpore quæſtum fecerunt, ac lenas, aliaſque, quibus comparantur *dict. l. palam* 43. §. *lenocinium d. l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt.*

5 Quartum, ex *l in liberæ* 24. *D. de ritu nuptiar.* Ubi quod Modeſtinus ait, in liberæ mulieris conſuetudine, non concubinatum, ſed nuptias intelligendas eſſe, *ſi non corpore quæſtum fecerit*, non aliam, ut opinor, rationem habet, niſi quia liberæ, & honeſtæ mulieris, quemadmodum ex noſtris legibus nuptiæ permittuntur, ita & merito præſumuntur potius, quam concubinatus, in quo ingenua, & honeſta eſſe non poteſt *l. ſtuprum* 34. *D. ad leg. Jul. de adulter. l.* 3. *D. de concub.* Ignominioſæ vero, ſive illius, quæ corpore quæſtum fecit, quemadmodum concubinatus permittitur legibus noſtris *l.* 1. § *qui autem l.* 3. *de concubin.* ita & nuptiæ improbantur cum ingenuis, ideoque nec præſumuntur *d. l. in liberæ* 24. cujus hanc propriam forſitan mentem eſſe, docebit, & firmabit magis *Analectum noſtrum de concubinis*, ubi & probabimus, earum dumtaxat fœminarum concubinatum permiſſum fuiſſe cælibibus, legibus noſtris, quibus cum fœminis ex eiſdem legibus non fuit connubium, & conſequenter improbatas nuptias quæſtuariæ, cujus concubinatus permittitur, *d. l.* 3. *D. de concubinis.*

6 His rationum momentis, quamvis non decretoriis, cum magis tamen, ut dixi, in hanc partem propendeam, non me movent, aut mutant, quæ contra expendi, quia nec mirum eſt nimis, omitti novo Jure mentionem quæſtuariæ inter alias abjectas, quarum nuptiæ inhibentur Senatoribus, cum omiſſæ etiam ſint eodem jure famoſæ aliæ, quibuſcum nuptiæ ex noſtris legibus improbantur, veluti in adulterio deprehenſæ, & publico judicio damnatæ, quæ nec enumerantur in *d. l. humilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt. d. l.* 1. *Cod. de natural. liber.*

7 Sed nec Ulpiani quidem de quæſtuariis hiſce ſilentium, obi tam accurata aliarum probroſarum, quarum nuptiæ iſto capite inhibentur, recenſio eſt, *d. tit.* 13. §. *ultim.* valde, aut valide nimis obſtat; ſcio enim, injuria vetuſtatis, quæ ex fragmentis illis multa peſſumdedit, manſiſſe adhuc quæ extant, luxata, & ſuis ſedibus emota ſæpius, quibus interdicto unde vi, reſtituendis, vix ſedecim Prætores ſuffecerint. Tale autem accidiſſe Ulpiano, *eo ipſo tit.* 13. auſim quovis ſacramento contendere; initio enim eſt ita ſcriptum: *Lege Julia prohibentur, uxores ducere, Senatores, liberique eorum libertinas, & quæ ipſæ, quarumve pater, materve artem ludicram fecerit: item corpore quæſtum facientem.* Quibus in verbis ſuſpecta mihi eſt adjectio illa quæſtuariæ. Nam ſi, ut poſuimus, probavimuſque, nec ingenuis quidem permittuntur legibus noſtris nuptiæ cum quæſtuariis, ac præterea conſtat, eas, quas ingenui cæteri ducere prohibentur, multo magis probiberi Senatoriis. *l. leg.* 44. §. *ult. l. obſervandum* 49. *D. de ritu nupt.* non fuit, cur, niſi otioſe, & ſupervacuo omnino, nominatim prohiberentur Senatorii, ducere quæſtuarias, quas eo ipſo quod ingenui erant, imo & altioris

tioris ordinis, juris ratio eis interdicebat *dict. l. obſervandum* 49. Unde & *in eo capite Juliæ legis*, quod fuit *de nuptiis Senatorum*, nullius fere ex his probroſis fœminis, quibus connubium cum ingenuis, hoc caput legis ejuſdem, Papiæque, ademerat, ſpecialis fit mentio, niſi illius, quæ ludicram artem fecerat, ac nec hujus quidem tam, ut conſtaret, duci eam non poſſe, ſi ipſa ſcenica fuiſſet, quod etiamſi eo capite non exprimeretur, in confeſſo erat, cum & ingenui ducere prohiberentur, quam ut adjiceretur, nec duci quidem poſſe, ſi vel ejuſdem pater, aut mater ludicram artem feciſſet, quod ingenuis tamen non vetitum *dict. l. lege* 44. §. 1. Ulpianus *dict. titul.* 13. §. *ultim.* Quid quod, ut fortius ſtringam, vel ipſe Paulus, ubi caput illud de connubio Senatorum, auctographon, & legis verba ipſiſſima recitat, *in dict. l. lege* 44. nec verbum quidem de ea, quæ corpore quæſtum fecit. Et tamen quemadmodum par credere eſt, ſi ejuſdem etiam nuptias cum Senatoriis ſpecialiter *lex Julia* inhibuit, non alio inhibuiſſe capite, quam eo, in quo & aliarum ſimilium, veluti ſcenicarum, & libertinarum connubia interdixit, ſicut *in dict. l. lege* 44. ita è contrario non eſt veriſimile, Paulum, qui idipſum caput ad verbum deſcripſit, defectum, imminutumque deſcripſiſſe, omiſſa ea, quæ corpore quæſtum fecit. Reliquum ergo eſt, ut fateamur, nec quæſtuariæ nuptias, in capite de nuptiis Senatorum, Juliam legem ſpecialiter, ac ſuperflue inhibuiſſe, neque Paulum id caput mutilum, decurtatumve exhibuiſſe, quin potius, quod probabile, tolerabiliuſque mihi, tot conſpirantes conjecturæ jam faciunt, trajecta, & ſuo loco evulſa apud Ulpianum eſſe illa verba: *item corpore quæſtum facientem*, cum pertineant proprie ad caput hoc noſtrum, alteramque illam partem legis Juliæ, de nuptiis ingenuorum cum ignominioſis fœminis, de quibus *dict. titul.* 13. §. *ultim.* Proinde & ſic Ulpiani verba primus compono. Cæteri autem ingenui prohibentur, ducere lenam, à lenone, lenave manumiſſam, & in adulterio deprehenſam, & judicio publico damnatam, & quæ artem ludicram fecerit: item corpore quæſtum facientem, adjicit Mauritianus, & à Senatu damnatam.

C A P U T XVIII.

Ad leg. palam 43. in princip. & §. 1. l. probrum 41. D. de ritu nuptiar.

Palam, quæſtum facere, an idem, quod, vulgo.

A R G U M E N T U M.

PAlam quæſtuariæ *mulieres, quæ? Et inter eas eſſe, quæ in caupona tales fuere. Proſtibulorum inde, & proſedarum nomina. Quæ uni, aut alteri ob quæſtum ſuccubuit, non habetur pro* palam quæſtuaria; *quamvis cæteroquin turpis ſit. Cenſura in eos, qui aliter cenſuere, & expoſitio* dict. l. 43. §. 1. *Emaculata vulgaris lectio* l. 41. Dig. de ritu nuptiar. *Et aſſerta, ac elucidata* Florentina. *Diſtinctio inter vulgares fœminas, quæ probroſæ, & in queis ſtuprum impune eſt, nec tamen ſunt* palam quæſtuariæ, *quoad* legem Juliam. *Applicita eadem traditio ad noſtram* l. 62. Tauri, *de fœminis non carcerandis ob pecuniaria debita, niſi manifeſte corpore turpes ſint, nempe ut tales habeantur, qualeſcunque vulgo inhoneſtæ, etiamſi* palam quæſtuariæ *non ſint.*

1 STabilita Juliæ, Papiæque legis iſto capite inhibitione, circa ingenuorum nuptias cum ea, quæ palam corpore quæſtum faciat, fecerit, Scholiaſtem jam hæc verba deſiderant, qualem & dabimus pro inſtituto. *Palam* eſt, coram pluribus, ait Ulpianus *in l. palam* 33. *D. de verb. ſign.* ſed id alio forſitan reſpicit *l.* 1. *l. ædiles* 38. *D. de ædilit. ed. l. hæredes* 21. *D. qui teſtam. fac. poſſ. l. ſed ſi pupillus* 11. §. *proſcribere*, *D. de inſtitor. act. l. non intelligitur* 3. *l. ita fidei* 40. *D. de jure Fiſci.* In præſentiarum autem, *palam*, ſic accipimus, quaſi promiſcue, paſſim, ac ſine delectu, non ſi qua adulteris, aut ſtupratoribus ſe committit, ſed quæ vicem proſtitutæ ſuſtinet, ut Ulpianus deſcribit *in dict. l. palam* 43. §. 1. ſive, ut alibi legimus, quæ paſſim venalem formam exhibuit, & proſtitutam, meretricio more, vulgo ſe præbuit *l. ſi ea* 22. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* Tales Ovidius vulgares, ac profeſſas nominat, & certo cuivis ære mercabiles, utpote, *quarum publico venalis eſt turpitudo*, ut ſcriptum eſt *in cap. meretrices* 11. 32. *quæſt* 4. ſive *quæ multorum libidini patent*, ut definiuntur *in cap. vidua* 16. 34. *diſtinct.* D. Iſidor. *lib.* 10. *Etymolog. Fornicatrix eſt, cujus corpus publicum, ac vulgare eſt; Muger, que manifieſtamente ficieſſe maldad de ſu cuerpo por dineros l.* 10. *in fine*, *tit.* 16. *part.* 3. Denique, *Mugeres, que publicamente ſon malas de ſus perſonas, y ganan por ello l.* 2. §. 17. *tit.* 12. *lib.* 7. & *l.* 7. *tit.* 19. *lib.* 8. *compilat.* Inde & publicanas nuncupat Veronenſis Zeno *Serm. de triplici genere Sacrific.* ibi: *Qui publicanas mulieres cum ſubjiciunt ſibi, viliores ſe eſſe, quam illæ ſunt, produnt.* Quibus deſcriptionibus operoſum nobis non eſſet, perplura adjicere, tam ex priſcis Romanis, Græciſque moribus circa ſcortorum cellas, habitum, quæſtum, quam ex receptis argumentis, apud Accurſianos, & Pragmaticos noſtros, quibus hodie meretricia ars probatur, aut præſumitur. Sed piget, pudetque in hoc cœno volutari, ideoque & quæ dumtaxat, ac quatenus Ulpiani diſputatio *in dict. l. palam* 43. poſtulabit, breviter attingemus.

2 Congruit itaque in primis cum ſuprascripta enarratione verbi, *palam*, in noſtro capite, quod Ulpianus ad leges noſtras ſcribit *in d. l. palam* 43. *in princ.* nempe non tantum eam palam quæſtum facere, quæ in lupanario ſe proſtituit (ſive ut eleganti periphraſi Tertullianus *lib.* 2. *ad Uxorem*, *cap.* 6. *in Conſiſtorio libidinum publicarum*) verum etiam, ſi qua in taberna cauponia, aut alia ſimili, pudori ſuo non parcit, &, ut ſcite Virgilius, *pudorem ſolvit.* Ait vero Ulpianus, *ut aſſolet*, quia frequens fuit jam olim in cauponis, taberniſque meretricantium ancillarum turba, ut vel ipſe indicat *in d. l. palam* 43. §. *ſi qua cauponiam* 9. juncta *l.* 4. §. *ait Prætor*, *D. de his, qui not. infam. l. quæ adulterium* 29. *Cod. ad leg. Jul. de adulter. l. ult. Cod. ſi mancip. ita venierit, ne proſtituatur.* Diximus ſupra *cap.* 12. inde nomen *proſtibuli*, meretricibus quibuſdam inditum, ab eo, quod, ut Nonius Marcellus inquit *in Differentiis Latinarum vocum*, *ante ſtabulum ſtarent, quæſtus diurni, & nocturni cauſa.* Quemadmodum eodem reſpectu *proſedas*, meretrices vocari, ait Pompeius Feſtus, *quod ante ſtabula ſedeant.* Et in Gloſſario veteri Petri Danielis meritoria ſunt *loca tabernarum, ubi adulteria committuntur.* Reſpexit fere ſingula Plautus *in Pœnulo.*

An ibi vis inter iſtas verſarier?
Proſedas, piſtorum amicas, reliquias alicarias,
Miſeras, cœno delibutas, ſervilicolas, ſordidas,
Quæ tibi dant ſtabulum, ſtratumque, & ſellam, & ſeſſibulum merum.

Et eadem fere alluſione de Hebræis lupanaribus, ac proſtibulis Sacer Ezechielis Textus *cap.* 16. *Ædificaſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis.*

3 Subjungit deinde ex eadem verbi, *palam*, expoſitione

ſitione Ulpianus. *Item quod cum uno, & altero ſe pecunia accepta commiſcuit, non videtur, palam corpore quæſtum facere.* Quibus in verbis non poſſum non mirari vulgarem lapſum eorum, qui ex his colligunt, ſcriptumque reliquere, eſſe etiam meretricem illam, quæ vel duos, nec plures, ob quæſtum admiſit, ut poſt Panormitanum, & alios *in cap. inter opera* 21. *num.* 5. *de ſponſalibus*, notant Joann. Lupus *in Rubrica de Donationib. inter*, §. 40. *num.* 1. Roland. à Valle *Conſ.* 74. *num.* 20. *lib.* 1. Gomez, Caſtel, & alii *in l.* 62. *Tauri.* Vincent. de Franchis *Deciſ.* 68. D. Ferdinand. Mendoza *lib.* 3. *de confirm. Concil. Illiber. cap.* 18. D. Roderic. de Acunna *in cap. ſi quis viduam* 15. *num.* 7. 34. *diſtinct.* plures apud Maſcard. *de Probation. concluſ.* 1067. *num.* 16. Tuſchum *Practic. tom.* 5. *litt. M. concl.* 211. *num.* 2. Et cum pluribus pervicaciter ſatis Matienço *in l.* 10. *gloſſ.* 4. *num.* 3. *tit.* 3. *lib.* 5. *Compilat.*

4 Sed iniquior, neſcio, an ineptior collectio ſit. Quid enim inhumanius, iniquiuſve, quam meretricis fœdum nomen, & notam, ei dumtaxat legibus irrogatam, quæ paſſim, publice, ac ſine delectu venalem formam exhibuit, & proſtitutam vulgo ſe præbuit, *dict. l. ſi ea* 22. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* cum aliis, ad eam etiam extendere, quæ uni, aut alteri miſera ſuccubuit. *Matronæ*, aiebat illa nequiter, apposite tamen ad rem apud Plautum *in Moſtellaria, non meretricum eſt, unum inſervire amantem.* Nos, ut probius dicamus, utcumque turpis ſit, atque inhoneſta, quæ ob quæſtum duos admiſit, nec matronæ dignitatem retineat. *l. ſi uxor.* 13. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. cum tabulis* 16. §. *quoniam, D. de his, quæ ut indign.* non eſt tamen omnino meretrix, quia nec palam, & promiſcue vulgaris, profeſſa, ac proſtituta. *d. l. palam* 43. ibi: *Non ſi qua adulteris, aut ſtupratoribus ſe committit. l. probrum* 41. *D. de ritu nupt.*

5 Deinde quid ineptius, alieniuſve ab Ulpiani verbis, quæ aperte oſtendunt, non videri, palam corpore quæſtum facere, quæ cum uno, aut altero miſcuit? Niſi ſi hac locutione, *uno, vel altero*, duos ſignificari, quiſquam mediocriter Latine ſciens neſcit. Teſtimonia non cumulo, quibus in eam rem, & contra ſuperiorem traditionem, utitur D. Covarr. *de Sponſalib.* 2. *part. cap.* 8. § 11. *num.* 4. & ex eo illaudato, fere ad verbum, ſane illiberaliter, auditor ejus Petr. Plaça *in Epitome Delictor. cap.* 34. *num.* 8. cum aliis Azevedo *in l.* 2. *tit.* 13. *lib.* 8. *Compilat. num.* 115. Gratian. *Diſcept. For.* 1. *tomo*, *cap.* 135. *num.* 5. & *ſeq.* Greg. Lopez. in *l.* 53. *gloſſ.* 3. *tit.* 14. *part.* 4. Pichard. *in* §. *Juris præcepta num.* 22. *Inſtit. de juſt. & jure.* Farinac. *in Praxi Crim. quæſt.* 136. *cap.* 3. *num.* 85. Henr. Salmuth. *in Comment. ad Memorab.* Pancir. 1. *part. tit.* 45. *pag.* 207. & ante eos Alciat. *in l. Maſſurius* 144. *num.* 4. *D. de verb. ſign* & ante Alciatum Salycetus, ſentiens ita, aut præſentiens *in d. l. palam* 43.

6 Pertinet autem proprie ad hanc partem, & explicandus ex propoſitis Marcelli locus *in l. probrum* 41. *D. de ritu nupt.* de quo monendum breviter eſt, receptam vulgatorum Codicum lectionem manifeſto in morbo cubare, dum pro voce, *probrum*, habet *ſtuprum*, atque ita incipit: *Stuprum intelligitur etiam, in his mulieribus eſſe, quæ turpiter viverent, vulgoque quæſtum facerent, etiam ſi non palam.* Falſa omnino ſententia; eſt enim è contrario plus quam certum, non modo in meretricibus, palam, ac promiſcue profeſſis, ſed etiam in vulgaribus aliis, vilibuſque mulieribus, ſtupra nec fieri, nec vindicari. *l. ſi ea* 22. *l. quæ adulterium* 29. *ad leg. Jul. de adulter. l.* 1. *Cod. Theodoſ. eodem tit. l.* 2. *in fin. tit.* 19. *part.* 7. de queis Nos plura infra. Inde & cum ea, quæ alterius, quam patroni, concubina fuit, de qua confeſtim & Marcellus loquitur *in dict. l. probrum* 41. jus exploratum eſt, ſtuprum non contrahi, nec puniri, nempe quia eo ipſo, quod concubina, & inhoneſta, etiamſi non meretrix, nec matronæ dignitatem, aut nomen retinet. *l. ſi uxor* 13. *in princip.* & §. *ſed & in ea. l. ſtuprum* 34. *D. ad leg. Jul. de adulter. l. cum tabulis* 16. §. *quoniam, D. de his, quæ ut indig. l.* 1. §. *Cum Atilicino. l.* 3. *D. de concubinis.*

Itaque primus ille Illiberitani Concilii propugnator D. Ferdinand. Mendoza *lib.* 3. *cap.* 18. dum ſcribit, etiam in quæſtuariis, turpibuſque fœminis ſtupri pœnæ locum fuiſſe, dummodo ipſæ ſtupri licentiam apud Ædiles non vulgaſſent, ex more, de quo ſupra *cap* 12. Indeque intelligendam Marcelli ſententiam *in dict. l* 41. peccat non leviter in rationem juris, ejuſque auctoramenta, quibus oſtendimus, ceſſare ſtupri nomen, & pœnam, etiam in concubinis, aut qualitercumque inhoneſtis, quamvis neque profeſſis, neque proſtitutis. Et nullem, ei, utcumque in tranſcurſu, calculum ſuum adjeciſſe noſtrum Eman. Gonſalium *ad cap. inter* 20. *num.* 12. *de ſponſalibus.* Jam & graves, nec memorandæ nunc Accurſii, & antiquorum anguſtiæ, ut vulgarem lectionem *dict. l.* 41. mordicus veluti retineant, & à tot juris locis incurrentibus tueantur, ut videre eſt apud Salycetum *in l. ſi ea* 22. *n.* 2. *C. ad l. Jul. de adult.* Alberic. *in l. un.* n. 6. *C. de raptu virgin.* 7

Sed perſpicua hodie res ex Florentinis libris, in quibus ſcriptum eſt, quomodo & jam legendum: *Probrum, intelligitur, etiam in his mulieribus eſſe, quæ turpiter viverent, vulgoque quæſtum facerent, etiamſi non palam.* Probrum quidem eſſe ſtuprum, flagitium, ait in voce, *Probrum*, Paulus apud Feſtum; proprie tamen, crebroque magis turpitudinem ipſum, ac dedecus flagitio conjunctam vocari, *probrum*, liquet. vel ex Attii, quem laudant, *verſu: Qui, niſi probrum, omnia alia indelicta æſtimant.* Et Cœcilii: *Ea tum compreſſa parit huic puerum, ſibi probrum. l. probrum* 42. *D de verb. ſign.* ubi eo ſenſu dicitur, probra quædam natura eſſe, quædam civili jure, hoc eſt, crimina jure naturæ turpia, & famoſa, vel jure civili. Eſt itaque, ut pergamus, Marcelli *in dict. l. probrum* 41. ſententia hæc, ut quamvis hæ, quæ palam corpore quæſtum non faciunt, utcumque alioquin vulgares, inhoneſtæque ſint, & ſtupratoribus, adulteriſve ſe committant, non notentur legibus Julia, & Papia, neque earum nuptiæ ingenuis vetentur, probrum tamen in his eſſe intelligatur, ſive probroſæ, vileſque ſint, juris, hominumque cenſura, ſi turpiter, atque inhoneſte vivant, etiamſi non palam. Quod eo pertinet, ne in his tamquam probroſis ſtuprum committi, videatur, aut puniri debere, ſicut neque in concubina alterius, quam patroni, de qua ſtatim Marcellus, & Nos uberius *in Analecto de concubinis.* 8

Electa porro, & elegans diſtinctio eſt, quam Marcellus inſinuat inter eas, quæ *palam*, & eas quæ *vulgo* quæſtum facerent, quaſi quæ *palam*, legibus noſtris notentur; quæ *vulgo*, non item etiamſi alioquin probroſæ ſint. Nimirum, plus eſt, palam, quam vulgo quæſtum facere. Quæ palam ſunt, ut ſic dicam, culpam profeſſæ, & famoſæ, ἀντονομαστικῶς, quales quæ in lupanaria deductæ, & ſummænianos illos fornices, ac ſaburram, nomen impudicitiæ dederant, & accepta inſcripta cella, pretioque conſtituto, matronalibus decoramentis cedentes, nudæ in communi loco proſtabant, inſpectæ, & contrectatæ uſque ad faſtidium, ut apud M. Senecam deſcribunt declamatores *lib.* 1. *Controv.* 2. qualia proſtibula, quæ ante ſtabulum ſtabant, quæſtus diurni, & nocturni cauſa, de quibus ſupra *hoc capite*, vel quales tandem, quæ ſera oppoſita populum non ſubmovent, velo teſtes non abigunt, & incuſtoditis liminibus peccant, & palam, quod venale eſt, oſtendunt, quomodo in re hac loquuntur Horat. *lib.* 1. *Sat.* 2. Ovid. *lib.* 3. *Amorum, eleg.* 13. Martial. *lib.* 1. *Epigr.* 35. & *lib.* 11. *Epigr.* 46. Quæ autem vulgo quæſtum faciunt, ſunt quidem meritoria ſcorta, ſed honeſtiora, nec proſtituta in propatulo omnium libidini, veluti Ly- 9

de

de illa, quam hoc reſpectu vocat *devium ſcortum* Horat. *lib.* 2. *Carmin.* 11.

Quis devium ſcortum eliciet domo
Lyden?

Tales autem non palam peccant, quia peccaſſe, negare poſſunt, ſolaque famoſam culpa profeſſa facit. Juvat vero hanc diſtinctionem ſimilis in re ſimili, quæ extat Levitici *cap.* 21. ubi, cum ſacerdotes minores prohibeantur, ducere uxores *ſcortum*, *& vile proſtibulum*, hoc eſt, palam, publiceque quæſtuarias, ſummus tamen Sacerdos, & Pontifex, cujus ſanctior dignitas ſeveriorem honeſtatis, in conjugio, curam deſiderat, non tantum meretricem accipere in uxorem, vetatur, ſed etiam *ſordidam*, hoc eſt qualitercumque inhoneſtam, ideoque impudicitiæ nota ſordidam, tametſi omnino proſtituta, vel famoſa ſit, ut opportunius infra enotabimus, quamvis aliter ex interpretibus ſacri Bibliorum textus plerique.

10 Eſt vero appoſitiſſima, nec noſtratibus ſatis perpenſa, ſententia Marcelli *in d. l. probrum* 41. pro explicanda *regia l.* 62. *Tauri. l.* 10 *tit.* 3. *lib.* 5. juncta *l.* 2. *tit.* 24. *lib.* 4. *Compil.* quibus præcipitur, ne fœminæ ob debitum, ex civili cauſa deſcendens, in publica vincula pertrahantur, aut alias detineantur; præterquam ſi manifeſte turpes corpore fuerint, quod & indiſtincte prohibitum jure Romano. *l.* 1. *& Auth. ſed hodie, C. de offic. diverſ. jud. Auth. hodie, C. de cuſtod. reor. Novella* 134. *ut nulli judicum, cap.* 9. *§. neceſſarium.* Eo itaque jure poſito, dubitatum non ſemel eſt, quænam ſint, vel cenſeantur manifeſte corpore turpes, &, ut leges loquuntur, *conocidamente malas de ſu perſona.* Placuit autem noſtratibus, tales cenſeri non tantum meretrices, ſed & quaſcumque alias vulgares, ac vel unius duntaxat concubinas, ſi modo id publice notum ſit. Non enim leges exigunt, ut palam corpore quæſtum fecerint, ſed ut inhoneſtæ ſint manifeſte. Hoc autem minus eſt, quam palam quæſtum facere, & quemadmodum quoad interdictionem nuptiarum ex Julia, & Papia legibus non ſufficit, ita ſatis eſt quoad alios juris effectus, quia probrum etiam eſt in his mulieribus, quæ turpiter viverent, vulgoque quæſtum facerent, etiamſi non palam: & ſi qua ſe in alterius concubinatum, quam patroni, dediſſet, matrisfamilias honeſtatem non habet, ut ad rem ſcriptum eſt *in d. l. probrum.* 41. Accedit, quod jus illud, ne fœminæ honeſtiores carcerem, aut cuſtodiam patiantur, proſpexit verecundiæ, & dignitati matronali, cujus non levis contumelia eſſet, & pudoris, reverentiæque labes, ſi pertraherentur in publicos carceres, & à viris cuſtodirentur ob æs alienum, ſine delicto contractum. *d. l.* 1. *C. de offic. diverſ. jud.* juncta *l. maritus* 21. *Cod. de Procurat. l. ultim. Cod. de recept. arbitr.* Indigna vero eſt matronæ honore concubina, aut alioquin inhoneſta, quæ ſe in tantum fœdus deduxit. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l. his ſolis* 7. *in fin. Cod. de revocand. donat.* docent ita in ſpecie Baldus *in l. conſentaneum, num.* 46. *Cod. quomodo, & quando judex* Alex. *in l. plerique, num.* 12. *D. de in jus vocando.* Petr. Duennas *Regula* 312. *limitat.* 1. Card. Tuſchus *Pract.* 5. *tom. litt. M. concl.* 416. *num.* 7. & aperte magis poſt alios Covarr. *de Sponſalib.* 2. *part. cap.* 8. *§.* 11. *num.* 6. Petr. Plaza *in Epitome delictor. cap.* 34. *num* 13 *verſ. rurſus.* Joann. Lupus, Gomezius, & alii *in dict. l.* 62. *Tauri.* Matienço *in d. l.* 10. *gloſſ.* 4. *n.* 1. ubi & Azevedo *num.* 31. *tit.* 3. *lib.* 5. *Compilat.*

CAPUT XIX.

Ad Eamdem Leg. 43. §. Octavenus. & §. non eſt ignoſcendum 5. D. ritu nupt.

De palam inhoneſtis ſine quæſtu, & an ignoſcatur quæſtuariæ, obtentu paupertatis.

ARGUMENTUM.

OCtaveni *ſententia, ſic accepta, ut pro* quæſtuaria *ſit etiam, quæ ſine quæſtu proſtituta, diſſideret a verbis legis* Juliæ, *& à cenſura legum, & morum, queis non damnantur tamquam meretrices, niſi quæ tales ſunt cum quæſtu; unde & à merendo ſtipem, dictæ meretrices, & meritoria ſcorta, & id genus alia; præterquamquod* lex Julia *de* quæſtuariis, *& in hac re pœnalis, & ſtricta non fuit, cur ad non* quæſtuarias *porrigeretur. Alius itaque* Octaveni *ſenſus, nempe ut proſtituta non* quæſtuaria, *annumeretur his, quæ uni, aut alteri ſuccubuerunt, de queis* proximo §. 1. *Proponitur poſt inde* in §. 5. *non ignoſci ei (ſcilicet quoad connubium* ex lege Julia) *quæ paupertatis obtentu turpis fuit. Cui theſi elucidandæ, adnotatur, eſſe illam de obtentu paupertatis, & quidem non extremæ, cui non parcitur, ut turpitudinis notam evitet, quamvis alioquin, & quoad alia excuſet extrema neceſſitas, ut* in Analecto, quod ſequitur.

1 SEd de vi vocis, *palam*, in noſtro capite, cui non hæc ſatis? De quæſtu videamus, qui in eiſdem verbis ſequitur, de quo duo duntaxat ſunt apud Ulpianum, *in dict. l. palam* 43. notatu, & explicatu digna. Primum eſt *in § Octavenus*, ubi ſic ſcriptum eſt: *Octavenus tamen rectiſſime ait, etiam eam, quæ ſine quæſtu, palam ſe proſtituerit, debuiſſe, his connumerari.* Id autem, poſt Accurſium *in l.* 4. *§. ait Prætor, verbo, Quæſtuarias, D. de his, quæ notant. infam.* ſic noviores omnes exaudiunt, interque alios hic cum primis impingens Petr. Pantoja *in ipſo aditu Comment. ad l.* 1. *de aleator. num.* 3. *&* 5. Jacob. Gothofredus *ad Juliam de maritandis, pag.* 271. & ex Pragmaticis Farinac. *in Praxi Crimin. qu.* 136. *cap.* 3. *num.* 8. Gregor. Lopez *in l.* 53. *Gloſſ.* 3. *tit.* 14. *part.* 4. ex Theologis Lorinus *in Leviticum, cap.* 21. *verſu* 7. Ut ſenſus ſit, connumerari etiam his, quæ palam corpore quæſtum faciunt, ac perinde notari legibus Julia, & Papia, eam, quæ ſine quæſtu palam ſe proſtituit, quaſi ſcilicet gratuita, an quæſtuaria turpitudo ſit, in propoſito nihil interſit; in eamque ſententiam expendunt, *l.* 2. *D. de calumniator. l. qui domum* 9. *Dig. ad leg. Jul. de adulter. l.* 5. *§. domum, D. de injur.* Nobis omnino aliud judicium eſt, quia quamvis non inviti fateamur, earum etiam non integram famam eſſe, quæ ſine quæſtu turpiter viverent, argumento *ex dict. l. probrum* 41. quod tamen attinet ad connubii jus cum ingenuis, ex iſto capite noſtrarum legum, eas illis connumerari, quæ palam corpore quæſtum fecerint, alieniſſimum videtur non modo a verbis legum, & mente, ſed etiam à ratione juris, & Ulpiani, aliorumque ſenſu. Verba legum in primis concepta aperte ſunt de his, quæ palam corpore quæſtum fecerint, ut ex Ulpiano liquet *d. tit.* 13. *§. ultim. & in d. l. palam* 43. *in princ.*

Mens vero earumdem legum, quam ex verbis colligimus, aut intelligimus, ad ſolas meretrices pertinet, quæ in lupanari, aut alibi, inſunt quæſtuariæ, ſive, quod idem eſt, *omnibus meretricibus dantur mercedes*, ut legimus Ezechiel. *cap.* 16. inde enim *meretrices*, & *meritoria ſcorta* dicta à *merendo*, quaſi *promercales mulieres. l.* 5. *Cod de condict. ob turp. cauſ.* ſicut ἀπὸ τοῦ πέρνειν, vendere πορνὸς, καὶ πόρνη, & Hebræis mercenariæ à *Zonah*, ſive *merere*, ut in *caput* 1. *Iſaiæ num.* 53. notat Gaſpar Sanctius: inde *proſtibula*, quæ *ante ſtabulum ſtarent*, 2

quæſtus diurni, & nocturni cauſa; inde *lupæ à rapacitate* corporis quæſtuoſi, ut vel eruditorum vulgo notum, ex Pompeio Feſto, Nonio Marcello, D. Iſidoro, & aliis, unde & *lupas*, *popularium libidinum nundinas*, vocat ſcitiſſime Tertullianus *de Pallio cap.* 4. & ſimili alluſione ad capturas, ſtipemque meretricias, Lucillius:

Si nihil ad faciem, & ſolum lupa, proſtibulumque
Nummi opus, atque aſſis.

Sive ut eadem ſententia ex his illuſtrandus, Sapiens *Proverbior. cap.* 6. *Pretium ſcorti vix eſt unius panis.* Denique hinc & meretricum *ſuavia*, *poſcinummia*, ſive *negotinummia.* Apuleius *lib.* 5. *de Aſino.* Et eaſdem *multivolas* ſacer textus *Eccleſiaſt. cap.* 9. & *diobolares* Plautus *in Sticho.* Pacuvius apud Fulgent. Planciadem, & proſtibuli occurſum ethnicis mercatoribus fauſti, felicisque ominis fuiſſe, non item virginis, quaſi ſcilicet meretrix portenderet diem πολλῆς ἐμπορίας γέμουσαν, ſive *mercatus multi plenam*, ſcribit, corripitque acriter Chryſoſtomus *Homil.* 21. *ad popul.* Igitur neque verbis, neque ſententia Juliæ, Papiæque legum apprehenduntur illæ, quæ ſine quæſtu ſe proſtituerunt, etiamſi palam, ac ſine delectu.

3 Accedit juris ratio, juxta quam etſi ultro largiamur, æque, aut magis probroſam, turpemque eſſe gratuitam proſtitutionem, quam quæſtuariam, cum tamen leges noſtræ in hoc capite odioſæ ſint, utpote, pœnam, notamque irrogantes, & libertatem connubii contrahentes, non fuit, cur Octavenus non levis juris auctor, prohibitionem capitis noſtri, de quæſtuariis conceptam, traheret ad non quæſtuarias, contra regulam *l. cum quidam* 19. *D. de liber. & poſthum.* juncta *lege hoc modo* 64. *D. de condit. & demonſtr.* Sed &, utcumque Octavenus ſenſiſſet, Ulpianus certe ipſe eam extenſionem prohibitionis, & pœnæ legum noſtrarum, tamquam rectiſſimam laudare oon potuit, niſi vel parum ſibi conſtans, vel immemor omnino, ac diſſimilis ſui ipſius, qui *in eadem lege palam* 43. *in princip.* non putavit, prohibitionem nuptiarum cum palam quæſtuariis ampliari poſſe, vel debere ad eas, quæ ſe adulteris, vel ſtupratoribus committerent, etiamſi alioquin probroſæ ſint *dict. l. probrum* 41. *D. de ritu nupt.* & in *§. ſi qua. dict. l. palam* 43. ademptionem connubii cum damnata publico judicio, cenſuit, non pertinere ad damnatam calumniæ ex cauſa publici judicii, quamvis perinde infamis ſit *l. infamem* 7. *D. de public. judic.* Diximus ſupra.

Quid igitur? Firmandum qnod res eſt, & con-
4 textus, ſeu continentia orationis Ulpiani poſtulat, apud quem cum, quam proxime ſcriptum ſit, non videri palam corpore quæſtum facere eam, quæ ſe adulteris, vel ſtupratoribus commiſit, vel quæ cum uno, & altero commiſcuit, pecunia accepta, congruenter ex Octaveno ſequitur (& quidem interpoſita adverſativa, *tamen*, non ut adverſam in ſpecie, quæ ſubjungitur, juris rationem, ſed ut diverſam ſpeciem proſtitutionis, nempe gratis, & palam proponi, oſtenderet) eam etiam, quæ ſine quæſtu palam ſe proſtituit, debuiſſe his connumerari, nimirum his, de queis proxime dictum, quæ quia palam quæſtuariæ non ſunt, ad prohibitionem legum noſtrarum non pertinent, neque ingenuis nubere, vetantur. Jam vero pro Accurſii, & aliorum expoſitione, quam valere juſſimus, non ſtat, obſtatve nobis Pauli locus *in d. l.* 2. *de calumniatorib.* ubi idcirco tenetur *edicto de calumniatoribus*, cui gratuita pecunia utenda data eſt, ut alii per calumniam negotium faceret, vel non faceret, quia in eo ipſo quæſtus, ut lucrum cernitur calumniatoris, qui ſine uſuris ob calumniam mutuum accepit, quod non facile alioquin ſine fœnore reperiret, ut vel explicat Græcus Scholiaſtes Baſilicon *lib.* 60. *tit.* 1. *ad dict. l.* 2. Minus longe ad rem pertinet *dict. l. § domum, D. de injur. l. domum* 9. *D. ad leg. Jul. de adulter.* ut facile expendenti liquebit.

Secundum, & celebrius, & ejuſdem de quæſtu in noſtro capite diſquiſitionis eſt, quod Ulpianus 5
ſcribit *in dict. l. palam* 43. *§. non eſt ignoſcendum*, ſcilicet, *non eſſe ignoſcendum ei, quæ obtentu paupertatis, turpiſſimam vitam egit.* Et conſequenter notari noſtris legibus, arcerique à connubio ingenuorum etiam eam, quæ miſera, & paupercula meretricium quæſtum occœpit, quales non ſemel a lenonibus mercede conductæ, *quas ſors damnavit humilior*, ut eleganter ſcriptum eſt *in l. ultim. Cod. de ſpectacul. lib.* 11. ſive quas ad obſcœnitatem compulit fames, vel ideo *obſcœna* dicta à Virgilio *lib.* 3. *Æneidos*, ibi: Servio adnotante:

Obſcœnamque famem, quæ prima pericula vitæ.

Et Virgilio ſubæmulatus, Valentinianus *Novell.* 11. *de parentib. qui filios.* Nam etſi alioquin extrema, ut aiunt, neceſſitas, utpote fortior aliis legibus lex, & quæ, ut Thales Mileſius olim, ἰσχυροτάτη καὶ πάντων κρατεῖ, legem non habere, dicatur, ut ſcriptum eſt *in cap. ſicut* 11. *de conſecrat. diſtinct.* 1. *cap. quanto* 4. *de conſuetud.* & licitum in lege faciat, quod non erat licitum, ex *regula quod non eſt* 4. *de regul. jur.* in antiquis, & omittendum, atque inculpabile judicetur, nec ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio neceſſitatis intulit, vel extorſit, ut eiſdem fere verbis monent apud Gratianum D. Auguſtin. *in cap. inter cætera* 22. *in fine* 22. *quæſt.* 4. Leo Pontifex *in cap.* 1. 34. *quæſt.* 1. & 2. Joann. VIII. Pontifex *in cap. ad limina* 7. 30. *quæſt.* 4. Ea tamen omnia ad præſentem rem parum pertinent. Tractat enim Ulpianus non de ea, quæ in extrema neceſſitate peccavit, ſed quæ, paupertatis obtentu, inter quæ ad excuſandam turpitudinem multum intereſt. Neceſſitatis enim extremæ amariſſimas leges eſſe, & truculentiſſima imperia, queis reſiſti non poteſt, conſtat vel ex Valerio *lib.* 7. *tit.* 6. Paupertatis autem ſolius, etiamſi gravis, lenior tamen, & remiſſior vis, & quæ ſuadet potius, quam cogat, eoque reſpectu maleſuada fames, ſive κακουργία, & turpis egeſtas apud Maronem 6. *Æneid.*

Et metus, & maleſuada fames, & turpis egeſtas.

Et magiſtra peccandi, Quintiliano *Declamat.* 12. *paſt. cadav.* cujuſque obtentu, ut Ulpianus noſter loquitur, hoc eſt, prætenſa, & adumbrata potius, quam vera vi, coacti multi peccaverunt, ex veriverbio *Eccleſiaſtici cap.* 27. juncto *cap. quoniam* 40. *de ſimonia.* Ideoque nec in ejuſce generis turpitudine parcitur paupertati, ut legitimam pœnam evitet, ut vel deducitur *ex cap. ex litteris* 5. *de divortiis*, cum debuerit potius quælibet mala tolerare, quam malo conſentire. *cap. ita ne* 3. 32. *quæſt.* 5. *cap. Lotharius* 4. 31. *quæſt.* 2. Quibus tamen adde, ſi vacat, quæ de tota iſta re copioſius jam dicemus.

CAPUT

C A P U T XX.

Ad leg. palam 43. §. non eſt ignoſcendum, D. de ritu nuptiar.

A N A L E C T U M.

Cur, ſicut furtum, non excuſabilis fornicatio ſimplex, pro extrema neceſſitate vitanda?

THEOLOGICA-MORALIS DISPUTATIO.

A R G U M E N T U M

PRæſcriptæ differentiæ aſſertio poſita, & illius aſſertores: ſed & rationes, quæ redduntur, abſurdæ. Nos in primis de illis, quæ dubitandi ſunt, aut & ſuadendi, ut extrema neceſſitas excuſabilem faciat turpitudinem. Prima ex comparatione cum furto, quod eo caſu excuſabile, cum tamen gravius, & cum proximi injuria peccatum ſit. Secunda, ex homicidii exemplo, quod & ſummum ſcelus, & utique permiſſum pro extrema vitæ tuitione. Tertia, quia pro vitando majori malo, cujuſmodi eſt mors, quam extrema neceſſitas infert, licita cenſenda eſt, tamquam minus malum, ſimplex turpitudo. Sunt & ab auctoritate argumenta. Primum, ex facto Loth Geneſis cap. 19. *Secundum de* Thamar Geneſis cap. 38. *Tertium, exemplo filiarum* Loth, ejuſdem Geneſ. cap. 19. *Quæ ſingula non modo excuſata, ſed & commendata ſatis* Sanctis Patribus, *qui laudantur. Additur exemplum fœminæ* Antiochenæ ex Auguſtino. *Denique* Theologi *aliquot* Scriptores, *& Juris, non dubitantes, ſed fere ita decidentes.*

1 QUæ ſuperiori capite ad hunc textum ſcripſimus, ſufficienter ſortaſſis pro Ulpiano, & verbia ejus ſobrie, & ſimpliciter interpretandis, ſi eia tantum ſervire ſat eſſet, ſed indulgent materiæ largius vulgares Interpretes veteres, & noviores, & ex Ulpiano impræſentiarum docent, & deducunt communiter ſimplicem mœchiam, ſeu fornicationem, nec pro vitanda extrema neceſſitate licere. Diverſum autem eſſe in facto, quod ſi pro ſublevanda ſumma neceſſitate fiat, non modo pœna, ſed & culpa vacare, creditur. Ita, poſt Gloſſam, Abbas Panormit. & Claſſici alii Pontificii Interpretes *in cap. ſi quis propter neceſſitatem* 3. *de furtis.* Oſtienſis *in Summ. de Furtis* §. 1. *num.* 2. Decius *in l. quæ propter* 162. *num.* 4. *D. de regul. jur.* ex novioribus D. Covarruv. *in Regula peccatum*, 2. *part* §. 1. *num.* 3. & 5. *de regul. jur. in* 6. Petr. Surdus *de Aliment. tit.* 8. *privileg.* 39. & 40. Ægid. Boſſiua *in Praxi, titul. de furtis, num.* 52. Menoch. *Conſ.* 31. *num.* 30. & *ſeq. lib.* 1. & poſt D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 64. *artic.* 7. *in* 4. argumento ex Theologia: Medina *de Reſtitut. quæſt.* 19. *ad fin.* Henriquez 2. *part. Summæ Theolog. lib.* 11. *de Matrim. cap.* 8. *num.* 3. *in notatis litt.* G. Corduba *in Quæſtionario lib.* 2. *quæſt.* 29. Toletus *in Summa lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 4. *ad fin.* Sanctius *de Matr. lib.* 9. *diſp.* 17. *n.* 16.

2 Differentiæ hujus inſignitæ, inter præceptum non mœchandi, & non furandi, rationem ſi quæſieris, alii aliam reddent, plerique tamen ineptas, & indignas, quibus in refutandis moremur. Sunt, quibus, poſt Abbatem, & Joannem Andream *in d. cap. ſi quis propter neceſſitatem* 3. placeat, ideo vel in extrema neceſſitate, illicitam mœchiam eſſe, quia humana creatura non eſt in fructu, aliter atque res, in quibus furtum fit. Quo quid ad rem propoſitam inconcinnius? Quaſi vero, etiamſi homo in fructu non ſit, non ſit receptum uſusfructus jus in ſervis, nec liceat pro vitanda extrema neceſſitate, ancillam alienam, ſicut & aliam rem ſubripere, &, quod magis eſt, patri ingenuum filium venumdare. *l.* 2. *Cod. de patrib. qui filios ſuos diſtrax.* alii poſt Decium *in d l. quæ propter* 162. differentiæ rationem ex eo petunt, quod per fornicationem non immediate ſubveniatur famis, aut neceſſitatis periculo, quod in furto diverſum eſt. Sed ſi hæc ratio ſubſiſteret, nec liceret, ad extremam famem pellendam, res alias, quam cibarias ſubripere, quia argento, auro, & ſimilibus non directe, aut immediate fami ſuccurritur, quod tamen quam aut durum, aut abſurdum eſſet, nemo non videt. Quibuſdam facit ſatis ea ratio diſcriminis, quia præceptum non furandi remittitur, diſpenſatione divinæ legis, ſumma neceſſitate urgente, Matth. *cap.* 12. Similis autem diſpenſatio circa præceptum non mœchandi, nuſquam in ſacris libris occurrit. Verum, id eſt, quod quærimus, cur non itidem in hoc præcepto, atque in illo diſpenſatur, cum eadem in utroque ratio vigere, videatur.

3 Ergo hiſce omiſſis, & Ulpiano invitante potius, quam flagitante, ut quæſtionem jam ipſam, Pontificiis Doctoribus non ſatis dextre, Theologis vix niſi obiter tractatam, & tractatu tamen digniſſimam, ſi non digne magis, ac dextre, accuratius certe exponamus, largiamurque hoc Parergon, moralis, quam vocant, Theologiæ amatoribus. Obſervandum in primis eſt, circa ſtatum ipſum quæſtionis, an ſcilicet, & cur non licita fornicatio ſimplex, ſicut & furtum, pro extrema neceſſitate vitanda, valde, & valide dubitari poſſe, tam ex ratione juris divini, humanique, quam ex auctoritate. Ratio non unius generis; prima autem, & præcipua, ut generalem illam omittamus, quam ex vi neceſſitatis, legem non habentis, deducebamus ſuperiori capite, ex comparatione furti, quod in extrema neceſſitate licere, conſtat; & tamen gravius peccatum eſſe fornicatione ſimplici, videtur. Illud enim conjunctum cum injuria proximi domini, cui res invito auferatur, & conſequenter contra juſtitiam, præſtantiſſimam moralium virtutum, ſi prudentiam excipias. Hæc autem (fornicatio ſcilicet ſimplex) & ſine aperta proximi injuria, eſt contra temperantiam dumtaxat. Illud diſerte vetitum in Decalogo Exod. *cap.* 20. Deuter. *cap.* 4. & humanis legibus, moribus apud omnes fere gentes turpe, & infame. *l.* 1. *in fin. D. de furt. l. probrum* 41. *D. de V. S.* Itaneque in Decalogo, niſi ſub mœchiæ nomine, prohibita, nec probroſa gentium moribus, quibus ſola naturalis ratio præluxit. Argumenta alia non cumulo, quibus hoc ipſum adſtruunt, nempe gravius in furto, quam in fornicatione ſimplici ſcelus eſſe, Martinus à Magiſtris *in Tract. de Temperantia*, *q.* 2. Durandus *in* 4. *Sentent. diſtinct.* 33. *q.* 2.

4 Secunda ratio ex homicidii exemplo, in quo certe flagitioſius delinqui, quam in fornicatione ſimplici, tam in confeſſo eſt, ut teſtibus non egeat. Adi tamen, & audi D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 3. *verſ. reſpondeo*, & *in reſponſ. ad tertium.* Abulenſem *in Matthæi Evangel. cap.* 5. *q.* 196. *verſ. ad tertium.* Atqui pro tuenda vita ei, qui ejus periculum evadere aliter non poſſet, occidere irruentem, omnes leges, omniaque jura permittunt. *l. ſcientiam* 45. §. *qui cum aliter*, *D. ad leg. Aquil. l.* 3. *D. de juſt. & jure. cap. ſignificaſti* 18. *in fin. de homicid. Clementina ſi furioſus, eod. tit.* & quidem citra noxam, pœnamve ullam, non humana dumtaxat lege, ſed & divina, Exodi *cap.* 22. Cur non igitur, & perinde, citra culpæ reatum, permiſſa fornicatio ſimplex, pro effugiendo vitæ periculo, quod extrema neceſſitas infert?

5 Accedit tertia ratio deducta ex eo, quod dici ſolet, ex duobus malis, ſeu periculis, ex quibus evadendi ſine peccato nullus aditus patet, eligendum

minimum eſſe pro vitando majori, idque ex præſcripto rectæ rationis, ut docemur *in cap. duo mala* 1. *cum ſeq.* 13. *diſtinct. cap. non ſolum* 7. 22. *q.* 4. *l. quoties* 200. *D. de regul.* quaſi tunc ſpeciem boni minimum malum habeat, ſi cum majore conferatur, ut ſcribit Ariſtot. *lib.* 5. *Ethicor. cap.* 3. *in fin.* ſive quia *illa deſinunt eſſe peccata, quæ propter graviora vitanda ſuſcipiuntur*, ut ait D. Auguſt. 3. *p. lib. de Mendacio ad Conſentium*; *cap.* 8. laudi interdum datur ipſa perpeſſio turpitudinis, ut cenſet Ariſtotel. *lib.* 3. *Ethicor. cap.* 1. At urgente neceſſitate famis extrema, aut vitæ periculo, quod vitare non liceat, niſi fornicatione ſimplici media, duobus malis, ſeu ſceleribus intercluditur, qui ſic urgetur, quorum alterutrum neceſſarium, vel luxuria, & mollities, ſi tueri vitam velit, vel homicidium ſui ipſius, niſi neceſſitati ſuccumbat, & ſuccurrat. Nam ut Symmachus Pontifex, apud Gratianum *Diſtinct* 83. *in Princip. Non grandis differentia eſt, lethum inferas, an admittas*; *& mortem, probatur, infligere, qui hanc cum poſſit, non excludit; quiſquis enim paſcendo ſervare hominem poteſt, ſi non paſcit, occidit. cap. paſce* 21. 86. *diſtinct. cap. quantæ* 47. *de ſentent. excommunic.* Ergo cum conſtet, longe gravius ſcelus eſſe homicidium, & quidem voluntarium ſui ipſius, quam ſimplicem fornicationem coactam, & veluti neceſſariam, licere debet ei, qui alterutro ex his malis omnino urgetur, leviori turpitudini, quæ in ſcortando, cedere, & quaſi connivere, ne graviori piaculo propriæ cædis contaminetur: *Si enim facturus eſt quod non licet, jam faciat adulterium, & non faciat homicidium.* Ut appoſite ad rem ſcribit, de marito uxorem adulteram vel occiſuro, vel dimiſſuro, Div. Auguſtin. *lib.* 2. *de Adulter. Conjug. cap.* 15. *in cap. ſi quod verius* 9. 33. *q.* 2.

6 Nec leviora auctoritatis momenta ex Sacræ Scripturæ locis, quibus non ſemel fornicatio, etiam non ſimplex, gravi neceſſitate urgente excuſatur. Tale in primis illud de Loth Geneſ. *cap.* 19. qui cum Angelos Sodomam miſſos, homines exiſtimans, hoſpitio recepiſſet, cœnatoſque domi haberet, eoſque improba juventus ex oppido ad ſtuprum flagitaret, pro hoſpitibus filias obtulit, *non acquieſcentibus, quibus illicita potius deſiderio erant*, ut his ipſis verbis commemorat Sulpic. Severus *libr.* 1. *Hiſtoriæ Sacræ*, quaſi ſcilicet, pro vitando graviori impuriſſimæ pœderaſtiæ ſcelere, quod urgebant, & propulſanda vi, ſive neceſſitate illiciti ſtupri, quod hoſpitibus minabantur, licita fuerit filiarum ad impudicitiam oblatio, quam & eo reſpectu excuſant Div. Ambroſ. *lib.* 1. *de Abraham*, *cap.* 6. relatus à Gratiano *in cap. offerebat* 12. 32. *quæſt.* 7. Chryſoſtom. *Homil.* 43. *in Geneſim.* ubi inter alia: *Quid enim*, inquit, *juſti hujus benignitate ſatis dignum afferri poteſt, qui ne ſuis quidem filiabus pepercit, ut ſervaret hoſpitibus honorem, & liberaret eos à perverſitate Sodomitarum?* Auguſtin. *lib. de Mendacio*, *cap.* 7. ibi: *Si Loth, cum ita juſtus eſſet, ut Angelos etiam hoſpitio ſuſcipere mereretur, ſtuprandas filias Sodomitis obtulit, ut fœminarum ab eis corpora potius, quam virorum, corrumperentur; quanto diligentius atque conſtantius animi caſtitas in veritate ſervanda eſt, cum verius ipſe animus corpori ſuo, quam corpus virile fœmineo præferatur.* Idem Auguſt. *libr.* 22. *contra Fauſtum Manichæum*, *cap.* 33. 37. & 43.

7 Secundum eſt exemplum Thamar, quæ expinxit ſe, & ornavit, & ſub theriſtro, ſeu velamento meretricio latuit, habitus qualitate quæſtuariam mentiente, ut Tertullianus loquitur *de Cultu Fæminar. cap.* 12. ſeditque in bivio itineris, ut ex ſocero ſuo Juda, inceſta commixtione, prolem ſuſciperet; quod & contigit. Et tamen quia non cæco libidinis ardore, ſed honeſto deſiderio urgente ſuſcitandæ ſobolis ex ſanctiſſimo Abrahæ ſemine, quo fruſtrata bis fuerat, nupta Her, & Onam, & eluſa tandem ſeparato matrimonio Selæ, filii Judæ, ad ipſius ſoceri concubitum properavit, vel ipſius teſtimonio innocens prædicatur, & abſolvitur; nec innocens dumtaxat, ſed innocentior illo, qui nurum ſuam ignorans compreſſit. Sic enim pronunciavit Judas: *Juſtior me eſt, quia non tradidi eam Sela filio meo. Geneſ. cap.* 38. Eiſdemque conſiderationibus inceſtum Thamar non modo excuſant, ſed & collaudant, plenumque myſteriis affirmant, Ambroſ. *lib.* 3. *Comment. in Lucam*, *cap.* 3. Theodoret. *in Geneſim*, *q.* 94. Chryſoſt. *Homil.* 62. *in Geneſim.*

8 Quemadmodum eodem prætextu, Abrahæ cum Agar concubitum, & aliorum Patriarcharum cum ancillis, ab adulterii labe liberant Ambroſius, Auguſt. & alii; quoniam ſcilicet, *non ardore aliquo vagæ libidinis, non petulantis formæ decore, ſed ſtudio quærendæ poſteritatis, & propagandæ ſobolis, ancillæ contubernio, conjugalem poſthabuerunt thorum.* Ut ſcriptum eſt a- apud Gratianum *in cap. dixit* 3. juncto *cap. objiciuntur* 7. 32. *quæſt.* 4. tandemque omnino ſimili excuſatione concubitum filiarum Loth cum inebriato patre, de quo *Geneſ. cap.* 19. ab inceſti crimine purgant, Chryſoſtom. *Homil.* 44. *in Geneſ.* ubi & fidus ejuſdem aſſecla, Theodoretus *Quæſt.* 69. & ante eos, B. Irenæus *lib.* 1. *cap.* 51.

9 Tertium ſit denique illius mulieris Antiochenæ, quæ, ut de adulterii ſtipe maritum redimeret, ac eximeret morti, cui quodammodo ob æs alienum addictus erat, ſe, marito conſentiente, cum alio commiſcuit, ut & memorat, & commendat Auguſtinus 3. *part. Tractat. de Sermone Domini in monte*, *libr.* 1.

10 Ergo cum ex ſententia Sacri Bibliorum textus, quam veteres Eccleſiæ Patres agnoſcunt, & ſequuntur, licita ſit oblatio virginis ad ſtuprum pro vitanda neceſſitate ſequioris concubitus, ut in exemplo Loth; licitum & inceſtum, ex voto ſobolis fruſtra ſperatæ, ut in Thamar, & aliis jam recenſitis; licitum denique adulterium, ut ex illius pretio maritum uxor à morte liberet, ut in Antiochena apud Auguſtinum, licebit utique multo magis ſimplex fornicatio, quæ adulterio, ſtupro, & inceſtu omnino levior, pro effugiendo propriæ vitæ periculo, ſive extrema neceſſitate, qua nulla gravior. Idque intra cancellos ipſiſſimæ hujus quæſtionis, tametſi parce nimis, & jejune rem attingentes, affirmant Magiſter *in* 4. *diſtinct.* 38. Hugo *de Sacrament. lib.* 2. *part.* 11. *cap.* 6. Vetus Decii adnotator. *in l. quæ propter* 162. *num.* 4. *Digeſt. de regul. juris.* Et ex novioribus Petr. Surdus, qui poſt rationem differentiæ inter fornicationem, & furtum, diu, & anxie quæſitam, neque inventam, ſubmittit tandem arma, & utrumque extrema neceſſitate excuſari, ait, *in Tractat. de Alimentis*, *titul.* 8. *privileg.* 40. *in fin.* idque ipſum fere tentat Menoch. *de Arbitrar. Caſu* 533. *num.* 18.

CAPUT XXI.

Pro aſſertione orthodoxa, de non excuſabili, etiam ſimplici, fornicatione ob extremam neceſſitatem, auctoramenta.

ARGUMENTUM.

Primum eſt ex divino jure, & Decalogo, *quo comprehendi ſub* Mœchiæ *nomine etiam ſimplicem concubitum,* Auguſtini, Tertulliani, *& aliorum eſt ſenſus; at præ aliis* Apoſtoli Pauli, *& ex eo myſticum illud, de non contaminando corpore; per baptiſmum* Chriſto *unito, & per confirmationem* Spiritui Sancto *in Templum. Illuſtrati* SS. Patres, *reprehenſus* Martinus a Magiſtris, *& damnati* Nicolaitæ, *&* ſectarii *novi. Secundum auctoramentum eſt ex naturali jure; quo itidem improbata ſimplex turpitudo, ut Catholica Schola cenſet. Ratio quia, contra bonum, naturæ dictamine curandum, rectæ educationis prolis. De quo fortaſſe dextre, cum reſponſione ad argumenta*

argumenta Martini à Magiſtris, *&* Durandi. *Fulchrum rei* ex epiſtol. Div. Petri, *de* Gentilibus *reis gravis culpæ ob ſimplicem fornicationem; ac proinde quia ea improbata naturæ præſcripto. Conſentaneum traditis eſt, fornicationem, utcumque ſimplicem, eſſe intrinſece pravam, & conſequenter non excuſabilem, diſpenſabilemve extrema neceſſitate, quoniam, iſta etiam ſtante, ſi diſpenſaretur, ſtaret, maneretque præjudicium educationis prolis, vage ſuſceptæ, in quo pravitas, ſeu malitia fornicationis. Concluditur argumento uno ab auctoritate, ex* Danielis cap. 13. *ubi de* Suſanna, *ac de quo egregie* Ambroſius, *& alii. Concluditur tandem, & reſpondetur comparationibus furti, & homicidii, quorum diverſa ratio enucleatur.*

1 HÆc in diſputatione inchoata ſententiæ affirmativæ argumenta, quibus cedunt, acceduntve laudati Auctores, ſed illaudandi; namque ut jam ſerio, ſemelque eloquar, aberrant toto, ut dicitur, cœlo, peccantque graviter in primaria Chriſtianæ Religionis dogmata, eorumque in hac re lapſum, tamquam in fide intolerabilem, atque hæreſi proximum, notant, damnantque ſimul Theologi, Pontificiique, quorum meminimus ſupra *cap.* 16. *in princip.* aſſeverantes ſerio, & conſtanter, fornicationem ſimplicem, nec pro vitanda extrema neceſſitate, licere. Id quamquam apud omnes Orthodoxæ Religionis cultores in confeſſo eſſe debeat, rei tamen explicandæ, ſimulque differentiæ rationis inter fornicationem, & furtum, duo breviter duximus prælibanda. Primum ſit, fornicationem ſimplicem, mœchiam, ſcortationem, & ut generaliter dixerim, omnem concubitum, præter nuptialem, divino jure prohiberi. Ita Deuteronom. *cap.* 23. *Non erit meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator de filiis Iſraël.* Tobiæ *cap.* 4. *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam, nunquam patiaris, crimen ſcire.*

2 Quin & ſub eo Decalogi præcepto, *Non mœchaberis*, omnem concubitum non legitimum, & conſequenter etiam ſimplicem, vagamque ſcortationem videri vetitum, ſentit D. Auguſtin. in *Exod. quæſt.* 71. exſtat apud Gratianum *in cap. Meretrices* 11. 32. *quæſt.* 4. juncto *cap. qui viderit* 13. 32. *quæſt.* 15. *cap. audite* 6. 34. *diſtinct. cap ultim.* 32. *quæſt.* 1. Conſentiunt Gregor. Nicænus *Epiſt. Canonica cap.* 4. Tertullian. *de Pudicit. cap* 4. *In primis*, inquit, *quod mœchiam, & fornicationem nominamus, uſus expoſtulat. Habet & fides quorumdam nominum familiaritatem, ita in omni opuſculo uſum cuſtodimus. Cæterum etſi adulterium, etſi ſtuprum dixero, unum erit contaminatæ carnis elogium. Nec enim intereſt, nuptam alienam, aut viduam, quis incurſet, dum non ſuam fœminam, ſicut nec locis refert, in cubiculis, an in turribus pudicitia trucidetur. Omne homicidium extra ſylvam latrocinium eſt. Ita & ubicumque, vel in quacumque ſemet ipſum adulterat, & ſtuprat, qui aliter quam nuptiis utitur. Ergo mœchia, quod etiam fornicationis eſt res*, &c. & poſtea, *ſoli mœchiæ, quod etiam fornicationi quoque.* Nec obſcuriora teſtimonia ex novo Teſtamento, ſed conſpicua magis, liquidaque. Matthæi *cap.* 15. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, falſa teſtimonia, furta, blaſphemiæ, hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* in Actis Apoſtolor. *cap.* 15. *Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos, bene agetis.* Apocalypſ. *cap.* 21. *Et homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti, igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.*

3 Præcipuus tamen in hujus vitii deteſtatione Paulus Apoſtolus, *ad Hæbræos cap.* 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus.* In eamdem ſententiam idem *ad Galatas cap.* 5. & *ad Epheſ.* 5. & 1. *ad Corinth. cap.* 6. ubi inter alia: *Nolite*, inquit, *errare, neque fornicarii, nec Idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles*, &c. *Regnum Dei poſſidebunt.* Et paulo poſtea perelegantem rationem exprimit, ob quam execratione ſit ſcortatio digniſſima: *Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ego membra Chriſti, faciam membra meretricis? abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? erunt enim*, inquit, *duo in carne una. Qui autem adhæret Domino unus Spiritus eſt. Fugite fornicationem, omne enim peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. An neſcitis, quoniam membra veſtra templum eſt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? empti enim eſtis pretio magno.* Subſequuntur, enucleantque myſticum hunc Apoſtoli ſenſum (de execratione fornicationis ob propriam illam ejus deformitatem, & irreverentiam, ingratitudinemque erga Deum, quæ verſatur in contaminatione corporis, Chriſto per Baptiſmum uniti, & Spiritui Sancto in Templum per confirmationem conſecrati) ſanctiſſimi Eccleſiæ Patres Ambroſ. *lib.* 1. *de Cain, & Abel, cap* 5. Chryſoſtom. *Homil.* 18. *in Epiſtol.* 1. *ad Corinth.* Iſidor. *lib.* 2. *Sententiarum, de ſummo bono, cap.* 39. apud Gratianum *in cap. non ſolum* 15. 32. *quæſt.* 7. (ubi & iſto reſpectu, ſeu conſideratione ſcribit, *Inter cætera ſeptem vitia, fornicationis maximum ſcelus eſſe*, nempe *quia*, ſeu quatenus, *per carnis immunditiam templum Dei violat, & tollens membrum Chriſti, facit membrum meretricis.* Ut & ſentit, & quodammodo exponit Hieronymus *in cap. in eo* 12. 32. *quæſt.* 4. quamvis alioquin per ſe, & in ſuo genere fornicatio ſimplex, lenius, leviuſque ſit peccatum homicidio, & aliis, ut dicemus infra *cap.* 22.) acute, ut ſolet, Auguſt. *Serm.* 16. *de Verbis Domini: Si eligeres in Eccleſia*, ait, *facere adulterium, intra iſtos parietes, quid te eſſet ſceleratius? modo autem tu ipſe es templum Dei, templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum ſurgis: vide, ne quid agas; vide, ne offendas templi habitatorem, ne deſerat te, & in ruinam vertaris.* Div. Thom. 2. 2. *quæſt* 134. *art.* 3. *in reſponſ. ad* 3. *& in* 4. *Sentent. diſtinct.* 33. *quæſt.* 1. *artic.* 3. D. Antoninus 3. *Part. tit.* 1. *cap.* 1. §. 4. adde Tertullianum, vel inde mœchis pœnitentibus veniam negantem, cœco & damnato errore, *in libello de Pudicitia cap.* 6. ibi: *Non corpus Chriſti, non membra Chriſti, non templum Dei vocabatur, cum veniam mœchiæ conſequebatur.* Et plenius *cap.* 16.

Hæc vel ideo adnotaſſe, juvat, ut appareat, er- 4
roneam, & obelo cenſorio digniſſimam eſſe ſententiam Martini à Magiſtris, viri alioquin docti, & Catholici, qui in *Tractatu de Temperantia quæſt.* 2. quamvis fateatur, fornicationem ſimplicem eſſe peccatum mortale, non tamen putat, contrariam aſſertionem eſſe hæreticam, quaſi ſcilicet nuſquam in ſacris libris diſerte, & ſpecialiter vetita fornicatio. In quo quantum cæcutiat, liquet vel ex propoſitis ſatis. Quid enim an non aperta, certaque veteris, novæque ſacræ paginæ teſtimonia, quæ adſcripſimus? An non conſtans, conſentienſque de eorum mente, graviſſimorum Eccleſiæ Patrum ſententia? Nec Patrum modo, verum ipſius Domini, cujus Apocalypſis, ut Tertullianus loquitur *de Præſcriptionibus adverſus hæreticos cap.* 46. *Totam Nicolaitarum hæreſim graviſſima ſententiæ auctoritate damnavit* Joann. *cap.* 2. ibi: *Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Et *in Epiſtola* Judæ *Apoſtoli*, ibi: *Subintroierunt enim quidam homines impii, Domini noſtri gratiam transferentes in luxuriam.* Et tamen fuit præcipuus, & impuriſſimus Nicolaitarum error, vagi, promiſcuique concubitus fœda licentia, obſcœnæ, & execrabiles permixtiones, ut pote quibus in voluptate beatitudo collocaretur. Ideoque & illos τὺς φιληδόνες, τὺς συνεχάστας, vocat Ignatius Martyr *in Epiſtol. ad Trallianos*; multaque in eorum fœtidum dogma, una veluti voce, & ſpiritu, quamvis de origine, & auctore variantes, ſcripſerunt priſca illa Eccleſiæ lumina, Clemens I. *lib.* 6. *Conſtitut. Apoſtolic. cap.* 8. Irenæus *lib.* 1. *adverſus*

ſus Hæreſes, *cap.* 27. & *lib.* 3. *cap.* 11. Hilarius *in Matthæum cap.* 25. Hieronym. *Epiſtol.* 1. & 48. Auguſtin. *de Hæreſ. cap.* 5. Epiphan. *Hæreſi* 25. Theodor. *lib.* 3. *Hæret. Fab.* Quibus adde Clementem Alexand. *liq.* 3. *Stromat.* Euſeb. *lib.* 3. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 23. Nicephorum *lib.* 3. *cap.* 15. Nec recenſeo Nicolaitarum in eadem hæreſi ſectatores, aut ſucceſſores, Gnoſticos multiformes, Adamiſtaſque non uno ſæculo pullulantes, Origeniſtas, cognomento turpes, in eodemque cœno heu etiam nunc jacentes, & eorum veluti ex aſſe hæredes Anabaptiſtas, aliaque ſectariorum propudia, quos jam olim ſub nomine Beguardorum, & Beguinarum damnavit Eccleſia in Concil. Turonenſi 2. *cap.* 20. & in Concil. Viennenſi ſub Clemente V. quod exſtat *in Clementina ad noſtram* 3. *verſic. ſeptimo*, *de Hæreticis*.

5 Supponendum itidem, nec diſputandum ſit, fornicationem, etiam ſimplicem, naturali jure improbari, & quidem ita ut per eam ſanctius illud rectæ rationis, ſeu naturæ præſcriptum graviter offendatus, & malum, ſeu peccatum mortale ſit, ut docent Pontificii omnes, Theologique purioris fidei, & judicii, quorum anteſignanos laudaſſe ſatis, D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. & *in* 4. *Sentent. diſtinct.* 33. *q.* 1. *art.* 3. Abulenſem *in Matthæi Evangel. cap.* 5. *quæſt.* 190. Turrecremat. *in* §. *quod autem*, *num* 1. 32. *quæſt.* 4. Joannem Andream *in cap. ſine culpa*, *de regul. juris in* 6. & ex Veteribus præter Platonem *Dialog.* 7. *de legib.* & Epictetum *in Enchiridio cap.* 43. qui in improbanda ſcortatione naturæ ductum ſecuti, noſtris conſentiunt. Luculenter Div. Chriſoſtom. *Homil.* 12. *ad popul.* ubi in hanc ſententiam: *ab initio formans Deus hominem*, *legem ipſi naturalem impoſuit*; & *quid tandem eſt lex naturalis? conſcientiam nobis expreſſit*, & *per ſe doctam fecit notitiam bonorum*, & *eorum*, *quæ talia non ſunt*; *non enim egemus diſcere*, *quod ſit malum fornicatio*, & *bonum continentia*, *ſed ſcimus ab initio.* Quo loci Græco eſt, non μοιχεία, quod contrahi ad adulterium poſſet, ſed πορνεία, quod proprie ſimplici fornicationi reſpondet.

6 Id, quod ex eorum ſententia, & noviorum perplurium, quos non moramur, & vel ab Aquilone vocem dantis, ſuffragiumque huic rectæ aſſertioni, Samuelis Puffcodorfii *lib.* 6. *de Jure Natur.* & *Gent. cap.* 1. *num.* 4. & *ſeq.* ſic facile probatur. Conſtat enim, educationem, defenſionem, rectamque inſtitutionem ſobolis perinde ex naturali jure deſcendere, ac procreationem ipſam, ut vel teſtatum ſcimus *in l.* 1. §. *jus naturale*, *D. de juſt.* & *jure l. ultim.* §. *ipſum autem*, *Cod. de bonis*, *quæ liber. l. Amiciſſimos* 36. §. *ultim. D. de excuſat. tutor.* Proinde quemadmodum natura, ſeo Deus, ad conceptum, partumque ſobolis, vim generandi, & organa opportuna diſpoſuit, ita & ſobolis educationi, rectæque inſtitutioni proſpiciens, induxit conjunctionem maris, & fœminæ, individua vitæ conſuetudine, ſeu vinculo adſtrictam, quam matrimonium appellamus *dict. l.* 1. *jus naturale l.* 1. *D. de ritu nupt.* §. 1. *inſtit. de patr. poteſt.* Quippe ſi vagus eſſet, & ſolutus concubitus, nec alligatus firmo, & ſtabili nuptiarum nodo, vix unquam proles recte educaretur, inſtrueretur ve humanis moribus, cum mater ſola quæ certa ſemper eſt, ei rei non ſufficiat, niſi accedat quoque patris cura, & tuitio, qui ſine nuptiis incertus eſt *l. quia* 6. *D. de in jus vocando l. filium* 6. *D. de his*, *qui ſui*, *vel alien. jur.* Et conſequenter vago concubitu, ſive quod idem eſt, fornicatione ſimplici, ſi abuti liceret, nec patres, deficiente prolis certitudine, ei ſovendæ, & erudiendæ incumberent, neque matres ſolæ ſufficerent tot muniis nutriendi, protegendi, inſtruendi, mille corporis, & animi dotibus, quibus ut imbuantur homines poſt cunas, & crepundia, vel uſque ad maturiorem ætatem, domeſtico magiſtro egent; ex quo nemo non videt, quantum incommodaretur non modo naſcituro ipſi, ſed in univerſum propagationi humani generis, quæ prima, & naturalis cauſa nuptiarum, ut Auguſtinus loquitur *lib.* 1. *de Adult. Conjug.* Ergo quemadmodum naturali ratione prælucente edocemur, oportere ad probam prolis inſtitutionem perpetuo, & inſolubili matrimonii vinculo parentes adſtringi, quo magis & communibus vitæ officiis, & impenſiore affectu juſtæ, certæque ſobolis, eam educent, inſtruant, promoveant; ita è contrario eadem recta ratio dictat, turpe, ac deforme eſſe, indulgere libidini, & procreationi cum diſpendio educationis procreati, utpote prætermiſſa nuptiarum conditione, per quam natura ipſa perfectæ liberorum inſtitutioni, & curæ proſpexit: eaque turpitudo, & deformitas, cum & ſit contra vitam naſcituri, & contra bonum ipſum commune propagationis humanæ ſobolis, idcircoque in re gravi, gravem etiam naturalis juris offenſam contineat, neceſſe eſt.

7 Neque audiendi Martinus à Magiſtris *in Tractat. de Temperant. quæſt.* 2. Durandus *in* 4. *Sentent. diſtinct.* 33. *quæſt.* 2. contendentes, fornicationem ſimplicem non eſſe naturali jure malam, aut grave, ſeu lethale peccatum, cum poſſit citra matrimonium aliunde pacto, aut lege prolis educationi provideri, ſed prohibitam divino jure. Non audiendi, inquam, niſi ut erroris non ferendi, & quam proxime ad hæreſim accedentis damnentur. Conſtat enim, vagum, liberumque concubitum nuptiali ſocietate non devinctum per ſe, ut loquuntur, ſive ſuapte natura, deviare à fine rectæ educationis, cui tametſi nonnunquam pacto, aut lege caveri poſſit, continget tamen id extrinſecus, & ex accidenti, ex quo humanorum actuum rectitudo moralis non æſtimanda, ſed ex eo, quod ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ſive, *ut plurimum.* Conſtat itidem ante ſcriptam divinam legem veterem, & poſtea, gentiles, quamvis fornicationem ſimplicem, neque turpem, nec illicitam eſſe, cenſerent, obruto pridem in ipſis rectæ naturalis rationis lumine, ideoque ut Div. Paulus ſcribit *ad Epheſios cap.* 4. *Tenebris obſcuratum habentes intellectum*, *ſemet ipſos tradiderunt impudicitiæ*; Eſſe tamen, & fuiſſe reos gravis, mortiferique peccati, cujus, ut Div. Petrus admonet *Epiſtol.* 1. *cap.* 4. *Reddent rationem ei*, *qui paratus eſt judicare vivos*, & *mortuos.* Atqui niſi naturæ jure mala, & divino tantum prohibita ſimplex fornicatio eſſet, non fuiſſet peccatum Gentilibus, qui procul dubio, ut in confeſſo eſt, ſcripta lege Moſaïca non tenebantur, ſed naturali ſola, juxta quam, ut Apoſtoli verbis utar, *Gentes*, *quæ legem non habent*, *naturaliter ea*, *quæ legis ſunt*, *faciunt*, & *oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis* 1. *ad Roman. c.* 2. Conſtat denique convenitque inter omnes melioris notæ Theologos, nullum eſſe in lege Evangelica præceptum pure morale, quod ſub pœnæ mortalis culpæ, ſive diſpendio æternæ ſalutis obliget, niſi de rebus ſuo genere, & natura graviter bonis, aut malis; proinde & talis eſt per ſe fornicatio ſimplex, quæ & tali negativo præcepto prohibetur, ut ſupra oſtendimus. Adi, ſi plura cupis, contra hunc Martini, & Durandi errorem, affatim eorum argumentis, tuoque voto ſatisfacturos, Cajetanum *ad* 2. 2. *quæſt.* 154. *artic.* 2. Sotum *de Juſtit. lib.* 5. *q.* 3. *art.* 3. Henriq. *in Summa*, *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 3. *in fine.* Gregor. de Valentia *Commentar. Theolog.* 3. *tom. diſput.* 9 *quæſt.* 3. *puncto* 3. Leonard. Leſſium *de Juſtit. libr.* 4. *cap.* 3. *dubitat.* 7. *num.* 48. Covarr. *in* 4. *Decretal.* 1. *part. cap.* 4. *num.* 8. & 2. *part. in princip. num.* 6. & *ſeq.* Joann. Lorinum *Comment. in Act. Apoſtolor. cap.* 15. *verſu* 20. & in *Levitic. cap.* 20. *verſ.* 10. Lenius ſane, & benignius excipiendi noſtrates Bartolus *in l. in concubinatu* 3. *num.* 3. *D. de concubin.* Alexand. *in l. ex facto* 17. §. *ſi quis rogatus*, *num.* 13. *D. ad S. C. Trebell.* & noviores alii, dum ſcribunt, concubinatum eſſe licitum, ſeu legitimam conjunctionem jure naturæ. Impoſuit enim eis, & imponat facile cuivis, civili tantum Juriſprudentiæ credulo, Juſtinianus *in Novella* 74. *quibus modis natural. offic. legit. cap.* 1. §. *liceat.* Cujus tamen alia omnino mens eſt, de qua ex profeſſo nos *in Analecto de concubinis.*

8 Ex his divini, & naturalis juris principiis, ſequitur

tur neceſſario, quod quærimus, fornicationem ſimplicem nullo unquam, vel ſummo vitæ periculo excuſari. Nam cum ea ſimpliciter, & abſciſe divina lege inhibeatur, quia & naturali jure inſpecto turpis omnino, & improba eſt, conſequens certe ſit, manente ejuſdem improbitate, nullo utique periculi, aut neceſſitatis reſpectu, improbitatis culpam ceſſare, pœnamve remitti, quia nec Deus, manente actus malitia, eumdem actum permittere, vel in eo diſpenſare, ſolet, aut poteſt, ut Scholaſticæ Theologiæ princeps docet, Div. Thomas 1. 2. *Quæſt.* 100. *art.* 8. Atqui propria deformitas, ſive malitia, ut aiunt, intrinſeca fornicationis, ex eo ſcilicet, quod & ſit contra vitam naſcituri, rectamque ejuſdem inſtitutionem, & contra bonum ipſum propagationis humanæ ſobolis, non ceſſat, etiamſi pro vitando extremæ famis, aliove ſimili vitæ periculo admittatur; nec enim ideo magis naſcituro proſpicitur, qui perinde, nuptiarum vinculo deficiente, debito juſtæ curæ, & tuitionis adjumento fraudatur; neqne peccatur minus in bonum publicum perſectæ propagationis humani generis. Proinde & neceſſe eſt, quantacumque periculi vitæ impendentis neceſſitas ſit, non ſufficere eam ad excuſandam labem, ſeu culpam fornicationis ſimplicis, ſed illicitam etiam tunc eſſe naturali, & divino jure.

9 Exſtat in eam ſententiam, ut leviora alia omittam, nobile, appoſitiſſimumque teſtimonium in ſacris litteris, Danielis *cap.* 13. Ubi caſtiſſima illa Suſanna, cui mortis, & infamiæ certum, & ineluctabilem laqueum impuriſſimi ſenes nectebant, niſi eorum libidini obſequeretur, nunquam tamen vel ſummi illius periculi neceſſitate adduci potuit, ut conniveret, conſentiretve turpitudini, quin potius pudicitiam, vitæ, famæque prætulit, egregie, ut ſacer textus ait, prolocuta: *Anguſtiæ ſunt mibi undique; ſi enim boc egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mibi, abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini:* quem ad locum multa Chryſoſt. *in Homil. de Suſanna.* Auguſtin. *Sermonib. duob. de tempore* 118. & 242. Athanaſius in *Synopſi.* Ambroſ. *lib.* 3. *de Offic. cap.* 14. *Sancta quoque Suſanna*, inquit, *denunciato falſi teſtimonii terrore, cum hinc ſe videret urgeri periculo, inde opprobrio, maluit honeſta morte vitare opprobrium, quam ſtudio turpem vitam ſubire, ac ſuſtinere; itaque dum honeſtati intendit, etiam vitam reſervavit, quæ ſi id, quod ſibi videbatur ad vitam utile, præoptaviſſet, non tantam reportaſſet gloriam; imo etiam id, quod non ſolum inutile, ſed etiam periculoſum foret, pœnam criminis forſitan non evaſiſſet.*

10 Id porro in aliis Decalogi præceptis, ac præſertim in illis non furandi, & non occidendi, quorum exempla ſupra objecta non diluemus, eadem in contrarium ratione diverſum eſt. In primis namque in furto, ſicut exploratiſſimum eſt, illud & naturali jure improbari, ſive inhiberi *l.* 1. *in fine, D. de furtis l. probrum* 42. *D. de V. S.* §. 1. *inſtit. de obligat. quæ ex delicto*, & divino poſitivo, ſeu ſcripto. Exod. *cap.* 20. Deuteron. *cap.* 5. Levitici *cap.* 19. ita & rationem inhibitionis pendere totam ex injuria domini, cui propria res invito aufertur, contra primaria juris, & juſtitiæ præcepta, ſui cuique tribuendi, juxta dominiorum diſtinctionem, nec lucri cum alterius jactura captandi *l. juſtitia* 10. juncta *l. ex hoc jure* 5. *D. de juſt. & jure l. nam hoc natura* 14. *D. de condict. indeb.* juncto §. *furtum* 6. *cum ſeq. inſtit. de obligation. quæ ex delicto.* Div. Auguſt. *Part.* 8. *ſuper Levit. quæſt.* 68. Plane hæc domini injuria, ſimulque furti probrum, ſive iniquitas, & malitia, abeſt omnino, quoties res ei aufertur, qui vel conſentit, vel conſentire accipienti debuit, ut evenit extrema urgente neceſſitate. Nam cum & Stoico, & Chriſtiano ſenſu res omnes inferiores gratia hominum comparatæ ſint *l. in pecudum* 28. *D. de uſur. l. juſtiſſime* 44. *D. de Ædilit. edict. l. vetus* 68. *D. de uſufr.* §. *in pecudum inſtit. de rer. diviſ.* quamvis jure gentium, uſu exigente, & humanis neceſſitatibus, dominia diſtincta ſint *d. l. ex hoc jure* 5. *D. de juſt. & jure*, tamen quoties neceſſitas ſic urget, ut tueri quis aliter vitam non poſſit, quam ſi alienis rebus utatur, conflictantibus primaria illa naturæ, & providentiæ divinæ lege, quæ inferiores res omnes viſioni hominis, & fruitioni ſubjecit, & ſecundaria illa juris gentium, & politicæ potius, quam incorruptæ rationis poſitione, quæ, diſtinctis rerum dominiis, tuum, meumque, alienumque introduxit, cedit utique humana hæc, & imbecillior lex, divinæ illi, potentiorique; & perinde ac ſi tunc res ſingulæ communes eſſent *l.* 2. §. *cum in eadem, D. de lege Rhod. de jactu. cap. dilectiſſimis* 2. 12. *quæſt.* 1. patent jure naturæ, & acquiruntur ei, qui ad uſum ſuum, ſive indigentiam eas occupat; argumento ex *l.* 3. *D. de acquir. rer. dom.* §. *fere, inſtit. de rer. diviſ. cap. jus naturale* 7. 1. *diſtinct.* Itaque nec injuria tunc dominus afficitur, neque ſuum ei eripitur, aut lucrum cum illius jactura captatur, quin potius ipſe injuſtus, improbuſque alieni uſurpator, dum eſurientium panem, quem ipſorum eo caſu proprium natura fecit, injurius detinet, & nudorum indumentum recludit, ut graviter Ambroſ. apud Gratianum *in cap. ſicut ii* 8. *in fine* 47. *diſtinct.* & ex eo Div. Thom. 2. 2. *Quæſt.* 66. *art.* 7. & *in* 3. *Sentent. quæſt.* 1. *art.* 4. *ad* 3. quo & egregie, ut omnia, docente (atque ei obſecundante Præſide Covarruvia in *Regul. peccatum* 2. *part.* §. 1. *num.* 3. & 5. ut noviores alios taceam, quorum nomenclator noviſſimus & enarrator, noſter Gonſalius *ad caput. ſi quis propter* 3. *de furtis*) didicimus, non manere tunc proprie furtum, ſecundum rationem furti, quia nec tamquam alienum fraudulente contrectatur, ſed tamquam proprium, ſeu commune capitur; idcircoque non tam diſpenſatione divinæ legis, quam interpretatione juſta, furtum extrema neceſſitate urgente, quia furtum eo caſu proprie non eſt, excuſari, & permitti, ut vel liquet Evangelico exemplo Diſcipulorum, quos per ſata tranſeuntes, & cum eſurirent, ſpicas vellentes, manibuſque confricantes, ut frumentum inde purgatum ederent, innocentes prædicat Chriſtus Dominus, Matthæi *cap.* 12. Lucæ *cap.* 6. quia coacti fame hoc fecerunt, ut ſcriptum eſt in *cap. Diſcipulos* 26. *de conſecrat. diſtinction.* 5.

Nec diſſimilis cenſendi ratio de homicidiis, quo- 11
rum ſumma improbitas, & naturali, ac divino jure inhibendi cauſa, non niſi ex eo, quod innocenti vita eripitur; ideoque nec omnino, aut abſolute occiſio deteſtanda, ſed illius, qui mortem pati non debuit, ut ſignanter ſcribit Divus Thomas *in* 3. *Sent. quæſt.* 1. *artic.* 4. *ad quartum.* At qui immerentem injuria aggreditur, eique necem molitur indigne, quin nocens prorſus ſit, & vel talionis jure non immerito morti obnoxius, quam alii intentat, extra dubitationem eſt. Ergo ſi tunc ab eo, qui ſe aliter tueri non potuit, occidatur, ſervato, ut dicitur, inculpatæ tutelæ moderamine, nocens omnino occiditur, & conſequenter ceſſante iniquitate, ſeu malitia occiſionis, quia ſine injuria occiſi ſit, culpa etiam, pœnaque vacare occidentem, divino, humanoque jure mirum non eſt; & tamen aliud eſſet, ſi quis diræ famis adactus neceſſitate, & inedia, alioquin periturus, innocentem occideret, ut ejus carnibus veſceretur, & ferali pabulo viveret; id enim deteſtabile prorſus, neque ulla extremi vitæ periculi excuſatione licitum, cum maneat ſemper homicidii malitia, quia verum eſt, etiamſi urgente fame, innocentem occiſum. Adi, & audi, præter noviores, quorum initio hujus quæſtionis meminimus, Divum Thomam 2. 2. *Quæſt.* 64. *artic.* 7.

CAPUT XXII.

Satisfit objectionibus, contra Catholicam aſſertionem, de qua nuper, expenſis.

ARGUMENTUM.

Superadditur traditis de comparatione furti, & homicidii. cum mœchia, gravius in hac ſuo genere peccari, ex D. Thomæ *ſenſu, quia contraria eſt bono hominis naſcituri, utique excellentiori, quam externis, quæ dicuntur bonis, queis contrarium furtum: ſicut eadem conſideratione ſatendum, peccari gravius in homicidio, quam in mœchia, utpote contra bonum, ſeu vitam hominis jam nati; ſatisfit deinde objectioni ex regula, de eligendo, inter duo mala, minori; & diſtinguitur inter mala pœnæ ſolius, in queis regula certa; vel etiam culpæ alienæ, in queis licita ſuaſio conditionalis ad minus malum ei, qui obſtinatus ad gravius; vel denique in malis culpæ propriæ, in queis nunquam licita electio minoris culpæ, niſi ex perplexitate conſcientiæ erroneæ. Hæc ex* Theologiæ *diſciplina, &* Canonum, *qui elucidantur. Concluditur non poſſe dari inevitabilem culparum conflictum, niſi ex conſcientia erronea, & oſtenditur hoc ipſum in ſuppoſito conflictu extremæ neceſſitatis, & fornicationis, in quo non eſt culparum conflictus, qui ſupponitur.*

1 Certa jam, & Catholica ſententia noſtra circa præcipuam hujus analecti quæſtionem ſtabilita, reſtat, ut argumentis, quæ in contrarium eapendimus, reſpondeamus; inter quæ primum, & ſecundum fuit ex comparatione fornicationis ſimplicis, cum furto, & homicidio, quaſi ſcilicet, illa levior, hæc peccata graviora, & tamen licita fori, cœlique jure, ſi extrema urgeat neceſſitas vitæ, non aliter tuendæ. Huic tamen objectioni, quamvis ex his, quæ nuper ſcripſimus, de ratione diſcriminis inter præcepta non mœchandi, & non furandi, aut non occidendi, ſatisfactum jam, videatur, quatenus præſens diſputatio deſiderabat; ne quem tamen decipiat auctoritas Martini, & Durandi, quibuſcum inter diſputandum ſupra poſuimus, gravius in furto, quam in fornicatione ſimplici peccatum eſſe; monendum paucis eſt, inconſpecte eos in ea re falli, aut fallere; etiamſi eorum ſententiam valde probabilem vocent noviores aliquot, quos non recenſeo. Eſt enim pluſquam certum, mihique vel ſola D. Thomæ nominis præſcriptione probatiſſimum, eſſe fornicationem ſimplicem ſecundum ſe, & in ſuo genere longe gravius flagitium, quam furtum; quia peccatorum gravitas potiſſimum ex objecto æſtimanda, ſcilicet boni, cui opponuntur. Opponitur autem fornicatio bono hominis naſcituri, & naturali voto propagationis, pugnatque contra vitam, juſtamque inſtitutionem futuræ prolis, eaque conſideratione non tantum contra temperantiam, ſed & contra juſtitiam eſt, utpote iniqua, injuriaque in humanam ſobolem, cujus educationi rectæ non proſpicit; injuria item in corpus ipſum peccantis, quod indebite reſolvit, laxat, inquinat, dum alii commiſcetur, ut proinde ſic peccantes *contumeliis efficiant corpora ſua in ſemetipſis*, ex veriverbio Pauli *ad Roman.* 1. Denique & probroſa improbataque naturali jure, & divino, & in Decalogo ſub mœchiæ nomine, & perſæpe alibi in ſacris, de quibus ſingulis copioſe ſupra *c.* 21. Igitur cum majori bono, nimirum proprio, internoque hominis naſcituri, fornicatio repugnet, gravior utique, & flagitioſior furto eſt, quod contra bona externa dumtaxat, quæque ſecundum Stoïcos neque bona, neque mala ſimpliciter, diaphora neutraque.

2 Eodem autem reſpectu in homicidio (quamvis urgente neceſſitate defenſionis contra invadentem excuſabile ſit, ex ratione, de qua *capite proximo ad finem*) tamen regulariter, & ut inſinuat Tertullianus *lib. de Pudicitia cap.* 5. *Non mœchaberis, adjungit, non occides: oneravitque mœchiam, quam homicidio anteponit*, gravius delinquitur, quam in fornicatione, aut furto, utpote non modo contra bona externa hominis, aut educationem naſcituri, ſed contra vitam ipſam jam nati. Docent, deducuntque explicatius hæc ſingula, melioris Theologiæ columen Div. Thomas Aquinas 2. 2. *Quæſt.* 154. *art.* 3. ubi & pleniſſime Cajetanus; Hiſpaniæ, & Academiæ noſtræ in diſciplinis omnibus, præſertim ſacratioribus, duo lumina, antiquius alterum, & multitudine ſcriptorum, linguarum peritia, ſimulque varietate doctrinæ Theologicæ, Philoſophiæ, & Pontificii juris, Cæſareique nullo non ſæculo mirandum exemplum, Alphonſus Toſtatus, majoris Salmanticenſis Collegii, Divo Bartholomæo ſacri, Togatus, & ſacrorum Bibliorum Anteceſſor, deinde Academiæ Cancellarius, tandemque Abulenſis Epiſcopus, *in Matthæi Evangelium cap.* 5. *quæſt.* 196. & 234. inferius alterum ætate, ac fortuna, ſed omnibus judicii, ingenii, & litterarum dotibus inſignis, Joannes Alphonſus Curiel, Primarius Theologus, publico, & perpetuo ſtipendio Salmanticæ Doctor, *in Div. Thomæ* 1. 2 *quæſt.* 73. *art.* 4. §. 2.

Sed nec acriter magis urget tertium argumentum, ex circumlatoria illa regula, de minimo, ex duobus malis, eligendo, unde & effici videbatur, licere conſentire minori malo fornicationis ſimplicis, pro vitando majori, ſcilicet, homicidio ſui ipſius, cujus reus eſt, qui, cum poſſit, nonexcludit, & extremæ neceſſitati non ſubvenit. Non urget, inquam; inprimis namque deſultoria illa aſſertio de eligendo minori malo pro vitando majori, multa circumſcriptione diſtinctionum eget, ne fallax, falſave ſit. Obtinet enim vel in malis pœnæ ſolius, quorum ſi neceſſario alterutrum ſubeundum ſit, licet omnino, citra culpam, levius eligere; ut animadvertit, ſic Gratianum exponens *initio Diſtinctionis* 13. Anton. Auguſtinus *lib.* 1. *de Emendat. Gratian. dialogo* 17. vel etiam in malis culpæ alienæ, ſcilicet, quam quis alii ſuadet, vel conſulit non abſolute, ſed conditionaliter, pro amovendo graviori ſcelere, in quod alioquin decretorio, & præcipiti affectu agi eum, videt; quomodo proprie ſentit, & exponendus eſt D. Auguſtinus *in dict. cap. ſi quod verius* 9. 33. *qu.* 2. & dicemus infra copioſius: vel denique & in malis propriæ culpæ, ex quibus eſt conſilii, minimum præoptare, data tamen, ſive ſuppoſita inevitabili neceſſitate, alterutrius, ex duobus peccatis, committendi, quæ poteſt ex perplexitate invincibili erroneæ conſcientiæ contingere; quo poſtremo caſu loquuntur, & explicandi ſunt *Textus in dict. cap. duo mala* 1. *cum ſeq.* 13. *diſtinct. cap. non ſolum* 7. 22. *quæſt.* 4. ut præ cæteris optime animadvertit Joan. à Turrecremata *ibidem*. Cajetanus *in caput* 3. *epiſtolæ D. Pauli ad Romanos*, & alii laudandi infra opportunius. 3

Cæterum extra hos caſus (quos veluti digito ſignaſſe ſatis, ne ſi diutius morer, nimium quam analecti moles excreſcat) vix unquam eſt, ut, illæſa conſcientia, liceat minimum peccatum admittere, pro fugiendo majori. Obſtat enim præceptum Apoſtoli *ad Romanos cap.* 3. ubi docemur, non facienda eſſe mala, etiam ut eveniant bona; & conſequenter neque ut vitentur majora mala, quatenus evitatio ipſa bonum eſt: proinde nec licere, tantillum à boni rectitudine deviare, pro ſummo malo effugiendo, nec mentiri, vel leviter, ob totius mundi ſalutem, ut poſt Auguſtinum *libris de Mendacio*, & *contra Mendacium ad Conſentium*, eſt Pontificio jure deciſum, *in cap. ſuper eo* 4. *de uſuris cap. primum* 8. *verſic. neque ſeptimo. cap. ne quis* 14. *cum ſeq.* 22. *q.* 2. *cap. forte* 3. 14. *q.* 5. *cap. ſic non ſunt* 32. *q.* 4. *cap. ult.* 32. *q.* 8. 4

Obſtat etiam natura ipſa peccati ſecundum quam (non ſuppoſita erronea conſcientia, ex qua evenire, 5

re, nt diximus, poteſt, nt quis alterutrum, ex duobus peccatis, omnino neceſſarium ſibi putet, dum quid facere debeat, ignorat, ut in exemplis *d. cap. nervi* 2. 13. *diſt.*) per ſe quidem, & ſimpliciter, abſolute, ſine incidere non poteſt talis perplexitas, ſive inevitabilitas peccandi, ut nullus evadendi ſine peccato aditus pateat, ſive ut malum culpæ, aut peccati alterutrius, omnino neceſſarium ſit; ut & certo ponunt, probantque Alexander de Halis, & Div. Thomas *in* 2. *Diſt.* 31. & ſane plus, quam certum eſt.. Eo enim ipſo quis non peccaret, quod neceſſario peccaret, cum ex duobus culpæ malis, alterutrum vitare non poſſet, quia peccata ſunt voluntatis, non neceſſitatis, & ſi voluntaria non ſunt, utique nec peccata, nt ſæpiſſime Auguſtinus nos docuit, *de Vera Religione cap.* 14 *& de Duabus Animabus cap.* 11. *& libr.* 1. *Retractat. cap.* 13. Ambroſ. & Chryſoſt. apud Gratianum *in cap. illa cavenda* 5. *cap. non eſt.* 10. 15. *quæſt.* 1. *& cap. ſicut enim* 10. 32. *quæſt.* 5. quin & præcepti vis, ac vinculum, & tranſgreſſionis pœna ceſſaret in eum, qui ſic duabus culpis intercluderetur, ut in alterutram inevitabiliter incidere, ei neceſſe eſſet, & impoſſibile, ſine peccato evadere, quia impoſſibilium nulla obligatio. *l. ſi ſtipulor* 35. *l. ſi homo* 66. *D. de verbor obligat. l. impoſſibilium* 185. *D. de regul. jur. cap. erit autem* 2. 4. *Diſtinct.* nec injuſte quis punitur ob id, quod vitare omnino non potuit. *dict. cap. illa cavenda* 5. 15. *quæſt.* 1.

6 Secum itaque pugnat, & implicat contradictionem, dari unquam ob culparum conflictum, per ſe, & ſimpliciter ex parte rei inevitabilitatem peccandi, quia eo ipſo qund talis eſſet, tunc non peccaretur; & conſequenter in malis culpæ propriæ, cum liceat ſemper, ſine peccato, evadere, (deficiente ſcilicet perplexitate opinionis conſcientiæ erroneæ) nunquam licet, vel minimum peccatum, pro vitando majori, eligere. Idque ipſum, ut exemplo lucidius fiat, & quidem proprio, neque emendicato, cernere eſt, vel in quæſtionis noſtræ terminis, in quibus nulla proprie vel præceptorum, vel culparum conflictatio eſt, ita ut omnino alterutri vel repugnandum ſit, vel cedendum, ſive nulla inevitabilitas peccandi. Nam qui, vel ſummo urgente vitæ periculo, quod evadere aliter non poteſt, turpitudini, quæ in ſcortando, ſuccumbit, peccat utique in divina, & naturalia præcepta negativa fornicationis ſimplicis, cujus manet, vel in extrema neceſſitate, deformitas, ſeu malitia, ut aiunt, intrinſeca, quatenus eſt contra vitam naſcituri, & bonum propagationis humani generis, & conſequenter malum eligit propriæ culpæ, pro vitando malo ſolius pœnæ, mortis ſcilicet, extrinſecus imminentis, ni fornicetur, cum debuerit è contrario, quælibet mala pœnæ tolerare potius, quam malo culpæ conſentire, juxta *Textus*, ſic accipiendos, *in cap. ita ne* 3. 32. *quæſt.* 5. *cap. Lotharius* 4. 31. *quæſt.* 2. *cap. cum infirmitas* 13. *in fine, de pœnitent. & remiſſion.* Qui vero inter eaſdem anguſtias, ne vel ſimpliciter fornicetur, præſentaneo periculo vitam exponit, mavultque, malo mortis, quam fornicationis cedere, non peccat in præceptum non occidendi, quia nec directe, aut proprie, ſui homicida eſt, ſed vitam non tuetur. Aliud eſt autem, ſe non occidere, qund cum præcepti negativi ſit, obligat ſemper, & indiſtincte; aliud vero, vitam tueri, ſeu conſervare, qund cum dumtaxat affirmativo præcepto jubeatur, non urget omni tempore, & caſu, quin potius ceſſat in multis, quibus ex cauſa licitum, imo & laudabile prorſus eſt, vitam non conſervare, ſeu negligere, mortemque aliunde illatam pati, aut ſubire, veluti in teſtimonium, & profeſſionem veritatis fidei in ſe, aut in aliquo virtutis exercitamento eminentis, ut in Martyrio evenit, vel pro vitando peccato aliquo, ut in quæſtione noſtra. Ergo cum ſine noxa, ſeu peccato, imo & cum laude, liceat, pro bono continentiæ, & effugienda culpa fornicationis, vitam extremæ famis, ſive neceſſitatis periculo exponere, nec occurrit eo caſu ulla inevitabilitas peccandi, aut præceptorum conflictatio, neque vacare culpa poteſt, qui pro vitanda morte, in qua malum propriæ culpæ non eſt, conſenſerit fornicationi, in qua graviter, & aperte delinquit; præſertim cum periculo ex quantocumque, non tam omnino præſens, certaque mors, quin divina pietate ab eo, qui peccatum magis, quam mortem timet, vitandam, præcavendamve, & ſperari poſſit, & debeat; peccati autem, cui jam nunc incertæ, nec venturæ forſitan mortis metu conſentit, præſens omnino, certaque pernicies. *Quis autem* (Auguſtini verba, ut leviter mutem, *lib.* 1. *de Civitate Dei cap.* 25) *ita deſipit, ut dicat: jam nunc peccemus, ne poſtea forte peccemus*, vel pereamus.

7 Neque ad rem pertinet, quod ſupra objecimus ex Symmacho apud Gratianum *initio Diſtinct.* 83. nihil fere intereſſe, mortem inferas, an admittas, quia & mortem, probatur, infligere, qui eam, cum poſſit, non excludit. Hæc enim, & ſimilia juris effata, vera in eo ſunt, qui cum vitare mortem honeſte, & licite poſſit, eam tamen admittit, ſeu non excludit; non autem in eo; qui non poteſt, ſalva honeſtate, vel ſine gravi, certoque damno æternæ ſalutis, ut in præſenti. Is quippe neutiquam ſibi mortem infert, ſi temporalem hanc æternæ poſtponat, & non excludat, quia nec vitare eam poſſe, intelligitur, cum non poſſit ſine peccato, qund civili, & Chriſtianæ juriſprudentiæ pro impoſſibili eſt; *Nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe, credendum eſt*, ut Papinani hæc gemma ſubſignem, digna vel Eccleſiæ annulo, *in l. filius* 15. *D. de condit. inſtitut.* juncta *l. avus* 79. §. 1. *D. de jure dotium.*

C A P U T XXIII.

Satisfit deinde objectionibus, ab auctoritate, & in primis illi de Loth, ex Geneſis cap. 19.

A R G U M E N T U M.

Loth *in oblatione filiarum ad ſtuprum, pro vitanda Pæderaſtiæ neceſſitate, collaudant* Patres, *& inter eos* Tertullianus, *cujus carmen de* Sodoma *emundatur, & apud quem & alios. Fax de amoris œſtro. Et quidem laudabilem* Loth *zelum, eumque juſtum commendant fere* Epiſtolæ Petri, *&* Pauli, *quin & oblationem ipſam excuſabilem, ſi ſupponatur facta a credente, eam acceptandam non fuiſſe, quomodo* Cajetanus. *Cæteroquin reſpectu eo ſemota, neutiquam excuſabilis ea oblatia, ut neque illa* Judicum cap. 19. *& imputanda turbato, ac indiſcreta zelo potius, quam recta, ex cenſura recta* Auguſtini libro de mendacio, *& apud* Gratianum. *Exploſæ aliæ excuſationes* Loth, *& inter eas, illa ex regula, de eligendo ex duobus malis minimo, itemque illa de non inductis* Sodomitis *ad ſtuprum, ſed oblata eis materia illius, tamquam minoris culpæ; ſive de ſuaſione ad hanc ut minorem, ruentibus obſtinata ad graviſſimam: quæ ſingulæ, evaſiones ſunt, nec rei, nec* Textui Sacro *congruentes.*

1 Superſunt argumenta ab auctoritate, ex divinæ Scripturæ locis, & veterum Eccleſiæ Patrum ſententiis, quibus non modo fornicatio ſimplex, ſed & inceſtum, adulterium, ſtuprum, propter neceſſitatem gravioris mali excuſantur. Tale illud, quod expendimus, & exponemus nunc oblationis ad ſtuprum filiarum Loth, pro vitanda nefandi ſceleris erga hoſpites neceſſitate. Geneſ. *cap.* 19 quo quidem in facinore Loth non tantum excuſant, ſed etiam laudant Ambroſ. Chryſoſt. & Auguſt. quorum meminimus

nimus ſupra *cap.* 20. Mar. Victor. *lib.* 3. ἀληθιῶς, indigitans, Loth in ea ipſa oblatione filiarum, *quibus illibata manebat virginitas, quos plebs voluiſſet in uſus, per ſexum ſactura minus* (ſic enim loquitur) *auctorem fidei, morum, juſtique Magiſtrum.*. Tertullianus item, ſive quis alius *in Poematio de Sodoma*, ſapientem, juſtique colonum unum fuiſſe Loth, prædicans, & ſalutem juſtitiæ titulo meruiſſe. Adſcribam autem propria hujus rei carmina, ut vel emendem obiter.

Nunc ſi ſas juvenilis babet, vaſtare pudorem,
Sunt intus natæ bijuges mibi, nubilis ætos,
Virginitas in flore tumet, jam dedita meſſi,
Digna cupido viris: tulerit quam veſtra voluptas,
Cedo pater; proque boſpitibus penſabo dolorem.

Fas juvenilis, in primo verſu, monſtrum lectionis non ſerendæ. Itaque volens legerim: *Nunc ſi ſax juvenilis agit*, aut minori mutatione, *avet*; juvenilem facem appellat ignem, æſtumque juventutis, & œſtrum, ut ſic dicam, libidinis, quo velut perciti juvenes agi, & tamquam *corporis facibus inflammari ad cupiditates*, ſolent, ut Cicero loquitur 1. *Tuſculan.* Et vulgaris quidem eſt, ſicut inter arma cupidinis, ita & in tota Veneris ſuppellectile, facium uſus, & vox. Proprie tamen pro amoris ipſo igne. Petronius *in Satyrico: Nec ſine cauſa Poliænon Circe amat, ſemper inter hæc nomina, magna ſax ſurgit.* Horatius ſcitiſſime meretricem vetulam vocans, *dilapſam in cineres facem. lib.* 4. *Oda* 13. *in fine.*

Poſſent ut juvenes viſere fervidi,
Multo non ſine riſu,
Dilapſam in cineres facem.

2 Sed ad rem, & ſane ſi deterrimi, & execrandi flagitii ſummum, & juſtiſſimum odium, ſi pietatem, bumanitatemve erga peregrinos, fidei ſuæ creditos, ſtudiumque, illos ab impuriſſima, & intolerabili injuria tuendi, reſpiciemus, quibus ille conſiderationibus motus, propulſationem ſequioris concubitus, & hoſpitalem gratiam, verecundiæ domus ſuæ, ſeu filiarum pudori prætulit, ut ſcriptum quaſi eſt *in cap. afferebat* 12. 32. *quæſt.* 7. Laudabilem in eo facto zelum Loth fuiſſe, non immerito hi patres cenſent. Namque & eo forſan reſpectu Div. Petr. *Epiſtol.* 2. *cap.* 2. vel in hoc ipſo facto *juſtum* Loth vocat, oppreſſum à neſandorum injuria, ac luxurioſa converſatione: *Aſpectu enim*, inquit, *& auditu juſtus erat, babitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant.* Et hoſpitalitatem ejus, & Abraham, *per quam placuerunt, Angelis boſpitio receptis*, commendat Div. Paulus *ad Hæbræos cap.* 13.

3 Quod ſi & excuſationem facti ipſius quærimus, nulla idonecr inter multas occurrit, quam ſi dicamus, Loth non eo animo filias obtuliſſe, ut minori ſtupri illarum flagitio, majus illud, & neſarium repelleret, ſeu repenſaret, ſed quia probabiliter credidit, concives ſuos, vel ob id ipſum, oblationem illam minime admiſſuros, cum & ingenuæ, honeſtæque virgines, & primariis ejuſdem Urbis Civibus deſponſæ, ac deſtinatæ forent, ſimulque nimia illa, & hyperbolica ſui demiſſione, qua vel cariſſima domus ſuæ pignora eorum ſubſternere, videbatur, libidini, furentem turbam placandam adeo, ut in neutrum ſcelus incurreret: non ſecus ac ſi quis ei, quem læſit graviter, & infenſum valde habet, evaginatum gladium offerat, eoque, ut ſe ulciſcatur, roget, non ea utique animi deſtinatione, ut illo in ſuam necem abutatur, ſed ut, hac ſui depreſſione, eum deinceps mitigatum, & benevolentem habeat, quomodo Ruben ad Jacob, *Geneſ.* 42. *in fin.* & David ad Jonatham 7. *Regum cap.* 20. Ita Cajetanus *Commentar. in Geneſ. dict. cap.* 19. cui ſubſcribit Pat. Thomas Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *diſputat.* 11. *num.* 28.

4 Cæterum ſemota iſta conſideratione, & reſpectu illo odii in pæderaſtiam, & hoſpitalitatis Loth, ſi factum per ſe ipſum æqua judicii, & religionis noſtræ trutina expendimus, & æſtimamus, excuſabile prorſus non eſt, nedum laudabile (ſicut nec ſimile illud, & omnino gemellum, ſenis in Gabaa peregrini, circa uxorem Levitæ, quod eodem Loth exemplo, cujus quædam mimeſis fuit, defenditur, aut damnatur, Judic. *cap.* 19.) & defendere, ſive excuſare, nititur, eruditiſſimus Serarius *ibi Quæſt.* 10. potiuſque humanæ perturbationi mentis, tanto malo motæ, & confuſæ, quam recto, & inculpato conſilio tribuendum, ideoque nullo modo imitandum; quia periculoſiſſime, utpote contra Pauli præceptum *ad Romanos cap.* 3. de quo ſupra *cap.* 22. admittitur compenſatio peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius gravius malum faciat; quomodo ſentit, ſcribitque de re hacce Auguſtinus *Quæſt.* 42. *in Geneſim*, cujus verba apud Gratianum *in cap.* 1. 14. *diſtinct.* Plenius, planiuſque idem libro *contra Mendacium*, *cap.* 9. his verbis: *Quis dubitet eſſe grande peccatum, ſi pater filias ſuas proſtituat fornicationibus impiorum? Et tamen extitit cauſa, qua vir juſtus Lotb boc ſe debere facere, exiſtimaret: quando Sodomitis, neſario impetu in boſpites ſuos irruentibus, filias ſuas obtulit. Quid bic dicemus? nonne ita ſcelus Sodomitarum borremus, ut quicquid fieret, ne illud fieret, arbitremur, fuiſſe faciendum? movet etiam maxime perſona facientis, quæ merito juſtitiæ liberabatur à Sodomis; ut quoniam minus malum eſt, fæminas, quam viros perpeti ſtuprum, etiam boc ad juſtitiam Lotb pertinuiſſe, dicatur, quod in filiabus, boc maluit, fieri, quam in boſpitibus ſuis; non tantum id volens animo, verum & offerens verbo, & ſi illi aſſenſi fuiſſent, impleturus & facto. Sed ſi banc peccatis aperimus viam, ut committamus minora, ne alii majora committant, lato limite, imo nullo limite, ſed convulſis & remotis omnibus terminis, infinito ſpatio, cuncta intrabunt, atque regnabunt peccata. Si ergo peccare non debemus, ne gravius alii vel in nos, vel in quoſlibet peccent; conſiderandum eſt, in eo, quod fecit Lotb, utrum ſit exemplum, quod imitari, an potius quod evitare, debeamus. Putandum enim eſt, cum tam borrendum malum ſuis cerneret impendere boſpitibus, quod ipſe cuperet repellere, nec valeret, ſic ejus animum potuiſſe turbari, ut vellet facere, quod non bumani timoris nebuloſa tempeſtas, ſed divini juris tranquilla ſerenitas, ſi conſulatur, à nobis faciendum non eſſe, clamabit: & jubebit potius, ut ſic noſtra peccata caveamus, ne ullorum prorſus alienorum peccatorum timore peccemus. Aliena quippe ille vir juſtus timendo peccata, quæ niſi conſentientes inquinare non poſſunt, perturbatus non attendit ſuum, quo voluit ſubdere filias libidinibus impiorum. Hæc quando in Scripturis Sanctis legimus, non ideo, quia facta credimus, etiam facienda, credamus: ne violemus præcepta, dum paſſim ſectamur exempla. Itaque rectiſſime quiſpiam tunc dixiſſet ſancto viro Lotb: age quicquid potes, ne fiat quod merito times; ſed non te timor iſte compellat, ut facias, quod ſi filiæ tuæ in ſe fieri voluerint, facient cum Sodomitis, te auctore, nequitiam; ſin autem noluerint, patientur à Sodomitis, te auctore, violentiam. Noli facere magnum ſcelus tuum, dum magis borreſcis alienum; quantumlibet enim diſtet inter tuum, & alienum, boc tamen erit tuum, & illud alienum.* Hucuſque Auguſtinus, cujus integrum locum adſcripſi, ut ex eo appareat, Sanctiſſimum Patrem, etiamſi ſatis alibi non expreſſerit, re tamen ex profeſſo tractata, in eam propendere ſententiam, ut indiſcretæ caritatis Loth in hoc facto damnet potius, quam excuſet: quod & ſequuntur Nicolaus de Lyra, Alphonſus Toſtatus, Aloyſius Lippomanus in Catena, & ex novioribus pro multis unus, judicio, eruditioneque præſtans, Benedictus Pereyra *Commentar. in Geneſ. cap.* 19. *diſput.* 1. & ex eadem Societate Joannes Lorinus *Commentar. in* 2. *epiſtol. Petr. cap.* 2. *verſu* 7. & 8.

Illud ſerio monemus, ſi ſuperiorem illam excipias, cujus poſt Cajetanum *in Geneſim d. cap.* 19. ſupra meminimus, alias, quæ proferuntur, Loth in eo facinore excuſandi rationes, parum eſſe, ut 5

lenifſime

leniſſime dicam, idoneas. Nam quod celebratiſſima aſſertione dicitur, ex duobus malis, *minimum*, non pertinet, ut & ſupra docuimus, ad mala culpæ, & quidem propriæ, qualis erat in Lotb oblatio filiarum ad impudicitiam, quam pcohibere ab illis, & propulſare paterno jure inprimis debebat potius, quam eas objicere ſtupro, etiam pco avertenda deteſtabili erga hoſpites libidine, quam ſi impedire aliter non poſſet, nullum tamen ipſius culpæ, ſed alienæ dumtaxat piaculum futurum eſſet. Proinde nec excuſandus Loth ea aſſertione, niſi ſuppoſita parum dextra ejus intelligentia, nondum forſan eo tempore damnabili, & perplexitate conſcientiæ erroneæ, de qua nos ſupra *cap.* 22. ſive perturbatione mentis, quam in eo Auguſtinus agnoſcit, quæ tamen ſingula culpam illius in eo facto diminuent, extenuabuntque potius, quam tollent.

6 Quod autem ex noſtratibus D. Covarruv. in 4. *Decretal. cap.* 4. *num.* 9. *in fin.* poſt Cajetanum in 2. 2. *quæſt.* 78. *artic.* 4. ſcribit, non induxiſſe Loth Sodomitas, aut filias ad culpam etiam leviorem, ſed obtuliſſe eis materiam minoris culpæ, permittendo potius, quam conſulendo, quod ſane licitum, non ſatis congruit, quadratve ſacro textui, ex quo liquet, non tantum expoſuiſſe Loth, ſed & ſuaſiſſe, verbaque illius illa, *Educam eas ad vos, & abutamini eis, ſicut vobis placuerit*, non ſolum permittentis fuiſſe, ſed inducentis veluti, & provocantis, ut expendit ad rem Sotus *libr.* 6. *de Juſtit. quæſt.* 1. *art.* 5. *verſic. tertiò ad hominem.*

Denique quod ex eodem Soto alii tentant, licuiſſe Loth ſuadere violationem filiarum Sodomitis, in pæderaſtiam obſtinate ruentibus; quia & licet regulariter, pcomptos, paratoſve ad graviora flagitia, deducere conſilio ad minora, utcumque id generaliter ſit probabile, ut ex Chryſoſtom. *Homil.* 27. *ad populum Antiochenum*, Epiphanio *lib.* 2. *contra Hæreſes tom.* 1. *hæreſi* 61. Gregorio Magno, apud Gratianum *in dict. cap. Nervi* 13. *diſtinct.* Auguſtino *de Adulterin. Conjug. lib.* 2. *cap.* 15. *in cap. ſi quod verius* 9. 33. *quæſt.* 2. adſtruit pluribus, & poſt plures Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *diſput.* 11. *num.* 15. *& ſeq.* noviſſime Petrus Hurtado de Mendoza docte, & diſtincte de re iſta cenſens, *volum.* 2. *de Spe, & Carit. diſput.* 173. *ſect.* 10. *ſubſect.* 1. §. 90. *& ſeq.* Auguſtin. Carboſa, & Roderic. Acuña *in dict. cap. duo mala* 13. *diſtinct.* Antoninus Diana 2. *part. Reſolut. Moral. tractat.* 5. *miſcellan. reſolut.* 37. ad ſpeciem tamen, de qua agimus, non niſi inepte, aut imprudenter accommodatur. Quia pæderaſtia, quamvis ſuo genere gravius flagitium ſit, quam ſtuprum fœminæ, erat tamen levius, imo nullum in Loth, ſi eam ille ab hoſpitibus propulſare non poterat: & è contrario ſtuprum filiarum, patre offerente, faciebat eum tanto gravioris ſceleris reum, quanto urgebat ſtrictius præceptio, filias non proſtituendi, quam non patiendi, hoſpites injuria affici. Recte itaque concludimus, nihil ex eo facto Loth conſequenter inferri, quo probetur, licere, extrema neceſſitate urgente, mœchari. 7

C A P U T XXIV.

Satisfit denique aliis auctoramentis, in contrarium allatis.

A R G U M E N T U M.

THamar *cum ſocero* Juda *commixtio*, *quadantenus ex intentione*, *& fine excuſabilis viſa* Ambroſio, *& aliis*, *& quodammodo juſta ipſi* Judæ, Geneſis cap. 38. *quod illuſtratur: aſt per ſe inexcuſabilis*, *& prava*, *ut recto ſenſu* Auguſtini. *Hoc ipſum de excuſabili concubitu* Abrahæ *cum* Agar, *ſenſit*, *ſcripſitve* Ambroſius, *apud* Gratianum in cap. 3. 32. q. 4. *ſed eſt omnino certius*, *fuiſſe illic*, *&* Jacob *cum* Bala, *legitimum conjugium*, *ut ex* Geneſ. cap. 16. & 30. *idem* Ambroſius, *utcumque alibi non uxores*, *ſed concubinæ*, *vocentur*, *quia non ingenuæ*, *nec primariæ uxores. Plane eſt conſtans* Patrum *aſſertio*, *conjugia ea licuiſſe*, *ex divina revelatione*, *& circa polygamiam diſpenſatione*, *quæ & pertranſiit in morem*, *ut eſt* in cap. 7. 32. q. 4. *juncto* cap. 8. de divort. l. 7. Cod. de Judæis. *Diſpenſationis cauſa in propagatione humani generis*, *quæ tunc urgebat*, *& utique fidelis tunc populi*, *ut inter alios* Tertullianus, *&* Sareſberienſis. *Reſpondetur tamen objectioni*, *de filiarum* Loth *inceſto cum patre*, *& affirmatur*, *id*, *utcumque varie excuſare videantur*, *poſt* Joſephum, Patres, *& ex eis* Ambroſius, *fuiſſe tamen omnino*, *& graviter culpabile*, *ut diſerte* Auguſtinus, *&* Thomas, *& agnoſcit* Ambroſius *idem*, *cujus duo in* Gratiani Decreto fragmenta *expreſſa*, *& collata. Poſtreme ex* Auguſtini *teſtimonio* in Sermone Domini in monte; *deſcriptis* Auguſtini *verbis*, *liquide*, *& prompte fit ſatis.*

1 EJuſdem fere notæ, & numeri ſunt, & ſimiliter expedienda, quæ pro argumenti ſecundi mole nobis objecimus. In primis namque illud de inceſta commixtione Thamar cum ſocero Juda, Geneſ. *cap.* 38. tametſi inſpecta illius mulieris mente, &, ut ſic dicam, intentione, excuſari aliquatenus, aut extenuari ſaltem poſſit, quia *non vagam captavit libidinem*, *ſed diu ſoceri fraudata promiſſis*, *ex ea familia*, *quam delegerat*, *converſo dolo*, *fructum voluit ſucceſſionis adipiſci*, *& ob myſterium ipſum*, *quod copulæ illius fructus expreſſit*, ut loquitur, & ſentit Ambroſius, iſto reſpectu Thamar excuſans, & laudans 3. *Commentar. in Lucam cap.* 3. ad illud, *qui fuit Phares*, *qui fuit Juda*, & in eamdem ſententiam explicandi Chryſoſtom. *Homilia* 62. *in Geneſ.* Theodoretus *inibi qu.* 94. Unde & juſtior, quam Judas, vel ab eodem Juda pronunciatur, non quidem quaſi per ſe, & ſimpliciter juſta, ſed illius comparatione minus culpabilis, utpote quæ non, ut ille, ardore cæco vagi, & meretricii concubitus, ſed deſiderio diu ſperatæ ſobolis ex benedicta ſtirpe Abrahæ, peccavit, quomodo poſt Hieronymum *in Hæbraicis traditionibus in Geneſim.* Auguſtinum *lib.* 22. *contra Fauſtum*, *cap* 62. exponit S. Eucherius, ſive quis alius Comment. *in Geneſim lib.* 3. *in cap.* 38. *tom.* 5. *Bibliothecæ Patrum*, Lyranus, & conſtanter alii, quos non recenſeo: quomodo aut non diſſimili certe ſenſu ſcriptum eſt in *l. ſi Procurator* 9. *D. de doli except. Turpiter acceptam pecuniam juſtius penes eum eſſe, qui deceptus ſit, quam qui decepit*, hoc eſt injuſte, & turpiter minus. Si tamen factum per ſe ipſum Thamar in ſuo, ut ſic dicamus, genere, ſemotis aliis conſiderationibus, intueamur, fuit malum graviter, & culpabile, nempe ſollicitatio ſoceri ad peccandum meretriciis illecebris, & ſecuta inde cum eodem inceſta commixtio, quam certe nullo acumine à peccati labe emundaveris, etiamſi juſtæ ſobolis votum, & qualemcumque alium bonum finem accumules, quia conſtat bonum omne ex integra cauſa, nec licet mala facere, etiam ut eveniant bona, ut ex Paulo *ad Romanos cap.* 3. ſupra expoſuimus, docetque egregie, ut ſolet, & theologice omnino cenſens Auguſtinus *lib.* 22. *contra Fauſtum*, *cap.* 61. *& ſeq. & cap.* 83.

Deinde quod attulimus de excuſato concubitu Abrahæ, & aliorum cum ancillis, non utique excuſandæ ob extremam neceſſitatem fornicationi, argumento eſſe debet. Nam etſi illud Abrahæ cum Agar adulterium fuiſſe, videatur (prima ſcilicet fronte, & aſpectu) & tamen excuſabile, ſeu non culpandum, quia nondum, exteriori expreſſo præcepto ſcriptæ divinæ legis, damnatum adulterii crimen fuerat, ut B. Ambroſius ſcribit, diſputans ita potius, quam 2

quam decidens, & conſiderans magis, quam affirmans, nec ſimpliciter, & abſolute, ſed cum temperamento, quod judicavimus, accipiendus *in cap. dixit* 3. 32. *quæſt.* 4. Certius tamen, & receptius inter Eccleſiæ Patres eſt, fuiſſe Abrahæ cum Agar verum, legitimumque conjugium; ut vel Ambroſius ipſe vocat in ultima illius defenſione *lib.* 1. *de Abraham cap.* 4. & apertiſſime ſacer textos *Geneſ. cap.* 16. ibi: *Et dedit eam viro ſuo uxorem*; & de Bala ancilla Jacob, Geneſ. *cap.* 30. *Deditque illi Balam in conjugium.* quamvis & concubina eadem Bala dicatur, Geneſ. *cap.* 35. & Abrahæ cum Agar conjunctio concubinatus nomine, & contubernii magis, quam matrimonii jure cenſeri, videatur. Geneſ. *cap.* 25. & à Leone Magno *Epiſt.* 92. *cap.* 4. quod extat *in cap. non omnis* 12. 32. *quæſt.* 2. & quodammodo ab Ambroſio relato *in cap. dicat* 91 32. *quæſt.* 4. de queis jam ſupra *hoc libr. cap.* 3. Nimirum vel ob diſparem conjugum ſtatum, cum Abraham, & Jacob, ingenui, & domini; Bala autem, & Agar ancillæ eorum eſſent (quo reſpicere proprie videntur Leo, & Ambroſius) vel quia tametſi veræ uxores eſſent, non erant principales, ſed ſecundariæ, & minus ſolemnes, quales ex Hæbræorum more plerumque ducebantur, & promiſcue dicuntur *in Sacra pagina* uxores, & concubinæ, ut in Cethora Abraham, Geneſ. *cap.* 25. & in uxore illa Levitæ, Judic. *cap.* 19. de quo jure, ſeu more, plura nos, *in Analecto de concubinis.*

3 Illud interim componamus, fuiſſe ſcilicet Abrahæ cum Agar, & aliorum Patriarcharum cum ancillis, verum legitimumque conjugium, primariis uxoribus ſuperſtitibus: monemus inſuper, neceſſarioque, licuiſſe id divina revelatione, ſive interiori inſtinctu, & monitu Dei, pro præcipiente, Sara ancillam ſuam Agar Abrahæ collocavit, ut exprimit Joſephus *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 18. *Et ille accepit, credens id Dei nutu fieri*, ut ait Auguſtinus *lib.* 10. *contra Fauſtum*, *cap.* 32. Eaque diſpenſatio circa polygamiam, ſive tunc primum Abrahæ, ſive jam inde à Noë per revelationem prodita, abiit deinceps eorum traditione, & exemplo in morem veluti legitimum, & inculpabilem conſuetudinem, quomodo in Patriarcha Jacob, & aliis, ante, & poſt legem ſcriptam, excuſat polygamiam Auguſtinus *lib.* 16. *de Civitat. Dei*, *cap.* 38. & de *Bono Conjugali cap.* 15. *&* *lib.* 3. *de Doctrina Chriſtiana*, *cap.* 12. & *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 47. cujus fragmentum apud Gratianum *in dict. cap. Objiciuntur* 7. 32. *quæſt.* 4. Hieronymus *Epiſt.* 83. *ad Oceanum.* Ideoque & in lege Moſaïca, tamquam rei plane licitæ, & receptæ, mentio fit polygamiæ, Deuteronomii *cap.* 21. & vel ipſum Deum, certe non niſi boni auctorem, plures uxores, quas David habuit, ei in ſinum dediſſe, affirmatur 2. *Regum cap.* 12. & paterno id more permiſſum, teſtatur Joſeph *lib.* 17. *Antiquit. cap.* 2. denique morem cum in conjunctionibus, etiam ſub Chriſtianis Cæſaribus, veluti mordicus retinere, conatos Judæos, docet Theodoſius, ignotus vulgo adhuc, nec vulgariter ex his illuſtrandus, *in l. nemo* 7. *Cod. de Judæis. Nemo*, inquit, *Judæorum morem ſuum in conjunctionibus retineat; nec juxta legem ſuam nuptias ſortiatur; nec diverſa ſub uno tempore conjugia conveniat.*

4 Polygamiæ autem unius mariti cum pluribus uxoribus, generaliter recipiendæ ex divina revelatione in Abrahamo, & poſteris, propriam, juſtamque cauſam fuiſſe ob propagationem humani generis, cujus adhuc poſt diluvium raritas erat, præſertim vero fidelis populi, quo magis veri Dei cultus incrementum acciperet, docet præ cæteris aperte Chryſoſtom. *Homil.* 56. *in Geneſ.* his verbis: *Sed audiens, quod Jacob accepit majorem natu, & poſtea minorem, ne turberis; neque juxta ſtatum, qui nunc eſt, opera tunc facta judices. Tunc enim quia principia erant, permiſſum fuit cum duabus, vel tribus, vel etiam pluribus uxoribus miſceri, ut humanum genus propagaretur, & pietas incrementum acciperet. Adveniens autem Chriſtus, &c.* Et ante eum Juſtinus Martyr *in Dialogo cum Tryphone*, rectiſſime Septimius Tertull. tametſi ad ſcopum non rectum detorquens, *lib. de Exhortatione caſtitatis*, *cap.* 6. ibi: *Sed & benedicti*, *inquis*, *Patriarchæ, non modo pluribus uxoribus, verum etiam concubinis conjugia miſcuerunt. Ergo propterea nobis quoque licebit, innumerum nubere? Sane licebit, ſi qui adhuc typi futuri alicujus Sacramenti ſuperſunt, quod nuptiæ tuæ figurent, aut etiam ſi nunc locus eſt vocis illius: creſcite, & multiplicamini, id eſt, ſi nondum alia vox ſupervenit: tempus jam in collecto eſſe, reſtare ut & qui uxores habent, tamquam non habentes agant. Utique enim continentiam indicens, & compeſcens concubitum, ſeminarium generis abſoleſcit creſcite illud, & multiplicamini. Ut opinor autem unius, & ejuſdem Dei utraque pronunciatio, & diſpoſitio eſt, qui tunc quidem in primordio ſementem generis emiſit, indultis conjugiorum habenis, donec mundus repleretur, donec novæ diſciplinæ materia proficeret; nunc vero cum extremitatibus temporum compreſſit quod emiſerat, & revocavit quod indulſerat, non ſine ratione propagationis in primordio, & repaſtinationis in ultimo.* Similia idem *lib.* 1. *de Monogam. cap.* 6. *&* 7. & ex eo fere Hieronym. *Epiſtol. de Monogam. ad Ageruchiam.* Doctiſſime Joan. Sareſberienſis *lib.* 4. *Polycrat. cap.* 5. *Licitum quidem*, ait, *fuit quandoque in populo Dei, ut propagandæ ſobolis gratia, & fidelem populum dilatandi, plures quis ſortiretur uxores.* Innocentius III. *in cap. gaudemus* 8. *verſic. nec ulli de divortiis*, dum ſcribit: *Nulli unquam licuiſſe, plures inſimul uxores habere, niſi divina revelatione, quæ mos quandoque, interdum etiam fas cenſetur, & per quam Patriarchæ, & alii viri juſti, qui plures ſimul leguntur habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur.* Salvian. Maſſil. *lib.* 2. *ad Eccleſ. Cathol.* ubi inter alias legis, & Evangelii differentias, ita: *Tunc ad multas uxores recipiendas unius mariti liborum lex dilatabat, nunc etiam ad unam excludendam caſti affectus devotione conſtringit.* Et conſentiunt Scholaſtici Doctores fere omnes poſt Magiſtrum *in* 4. *Sentent. diſtinct.* 33. ubi D. Thom. *Quæſt.* 1. *art.* 1. *&* 2. Div. Bonaventura, & Scotus, novioreſque alii communiter, ſi perpaucos excipias; Præſentiunt vero, licet obſcurius, Auguſtinus *lib. de Virginibus*, & *lib.* 2. *contra Adverſarios legis*, *& Prophet. cap.* 9. aliiſque in locis jam indicatis. Ambroſius *lib.* 1. *de Abraham*, *cap.* 4. quatenus in duplici Abrahæ conjugio advertit, *eſſe myſterium*, ideoque illi, *non fuiſſe crimini, quia in figuram contingebant, & ſecundum allegoriam*, quam expreſſit nobilis Pauli locus *ad Galatas cap.* 4. quamvis & ipſe Ambroſius, & Theodoretus *quæſt.* 66. *in Geneſim*, præſertimque Auguſtinus, & alii, quorum meminimus, ut polygamiam illam Abrahæ, & aliorum Patriarcharum à calumniis Manichæorum aſſerant, aliis etiam excuſationibus, petitis ex amore prolis, & uxorum principalium ſuaſu, non ſemel utantur.

Poſtremum ſane exemplum, quod prodoximus, 5
ex Geneſ. *cap.* 19. *in fine*, de concubitu filiarum Loth cum inebriato patre, urgere acriter magis, videtur. Namque inter alia excuſationis earum argumenta, deducta ex auctoritate Sacræ Hiſtoriæ, quam in hanc rem expendunt Chryſoſt. *Homil.* 44. *in Geneſ.* Theodoretus *Quæſt.* 69. *ibidem*, & ex myſterio, quod eo facinore præfigurabatur, & exponit Irenæus *lib.* 4. *adverſus Hæreſes*, *cap.* 51. Auguſtinus *lib.* 22. *contra Fauſtum*, *cap.* 42. præcipuum eſt ex eo, quod cum putarent Sodomitico incendio omne genus humanum exterminatum, in ſe, & à patre ſolo manſiſſe, exiſtimarunt, licere ſibi vel cum patre miſceri, ut extremæ illi neceſſitati ſobolis humanæ ſuccurrerent, ut memorat Joſephus *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 19. & deſcribit graphice Origenes *Homil.* 5. *in Geneſim*; ubi ſic de filiabus Loth: *Audierant, in fine ſæculi omnia elementa ignis ardore decoquenda: videbant ignem, videbant ſulphureas flammas, videbant cuncta vaſtari, matrem quoque ſuam periiſſe: ſuſpicatæ ſunt igitur, tale aliquid eveniſſe, quale contigiſſe, audierant, in temporibus Noë: & ſimiliter ob reparandam poſteritatem, ſe ſolas cum patre eſſe relictas. Ergo recuperandi generis humani deſiderio inflammantur, atque*

inſtaurandi

inſtaurandi ex ſe ſæculi dandum eſſe, putant, exordium. Et quamvis eis grave crimen videretur, furari concubitum patris; gravior eis tamen videbatur impietas, ſi humanæ, ut putabant, poſteritatis ſpem, ſervata caſtitate, deleri paterentur. Aperte magis Div. Irenæus *dict. lib. 4. cap. 51. Filiæ Loth ſecundum ſimplicitatem & innocentiam, putantes, univerſos homines periiſſe, quemadmodum Sodomitas; & univerſæ terræ iracundiam Dei ſuperveniſſe, dicebant: Potemus patrem noſtrum vino, & dormiamus cum eo, & ſuſcitemus de patre noſtro ſemen. Quapropter & ipſæ excuſabiles ſunt, arbitrantes, ſe ſolas relictas cum patre ſuo, ad conſervationem generis humani.* Ita etiam, fere ad verbum, ex Origene Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus *lib. 2. in Geneſim, dict. cap. 19.* Denique accommodatius ad quæſtionis noſtræ ſtatum, Ambroſius *lib. 1. de Abraham, cap. 6.* dum ſignificat, poſito tali orbis excidio, cui ſolus pater, filiæque ſupereſſent, licitum fore, vel filiarum cum patre concubitum, eumque extrema illa neceſſitate excuſari: quomodo & ex novioribus ſentiunt, poſt alios, Lorinus *in Levitic. cap. 18. verſ. 7.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſp. 51. num. 10.*

6 Verum hæc Patrum aſſerta, ſi ſane, ſobrieque intelligantur, eo vel referuntur, vel referenda ſunt, ut peccatum filiarum Loth cum patre, attenta rectitudine intentionis earum, quæ non propriæ libidini, ſed communi orbis neceſſitati ſuccurſum ibat, minuant, vel elevent, non tamen ut omnino tollant, excuſent; quomodo vel ſenſiſſe Ambroſius, videtur, illo in loco, qui ex ejuſdem *lib. 1. de Abraham, cap. 4.* extat apud Gratianum in *extremo, cap. dixit 3. 32. quæſt. 4.* ibi: '*Denique & Loth ſancti filiæ hanc cauſam quærendæ poſteritatis habuerunt, ne genus deficeret humanum; & ideo publici muneris gratia privatam culpam prætexuit*, hoc eſt, prætextus publici boni, quod intendebant, culpam illam quaſi velavit obtendiculo quodam, & extenuavit, non autem extinxit, ut, poſt Gloſſam ibi, Claſſici interpretantur. Quin & eodem ſenſu Ambroſius idem *lib. de Elia, & Jejunio, cap. 4. & 5.* ſcribens itidem de filiarum Loth cum patre concubitu, ebrietatem indigitat: *Inceſti originem, peſſimæ regeneratricis partum deteriorem. cap. ſexto die 8. 35. diſtinct.*

7 Et ſane cum intentio, quantumvis recta, nunquam rem per ſe illicitam à culpa liberet, quia nullius boni prætextu licita mala fiunt, ut ex Apoſtolo *ad Romanos 3.* ſæpius jam diximus, non poſſunt, non damnari filiæ Loth gravis, lethiferique peccati, utpote fœdi inceſtus, cum patre admiſſi, etiamſi ipſæ non aliter, quam temerato patris cubicolo, neceſſitati humani generis ſervandi ſe conſulere poſſe, arbitrarentur; eam enim curam Deo, & patri relinquere, ad quos ſpectabat, potiuſque *nunquam eſſe matres, quam ſic uti patre debuerunt*, ut poſt multa concludit Auguſtinus ita, & ſpecialiter de flagitio filiarum Loth, & in commune de quocumque alio ejuſdem generis, & exempli diſſerens *lib. 22. contra Fauſtum, cap. 42. & ſeq.* ubi & diluit excuſationem petitam ex auctoritate Sacræ Hiſtoriæ Geneſ. *d. cap.* 19. (ibi enim factum illud proponitur, & narratur nude, ac ſimpliciter, non probatur) & illam alteram ex præfiguratione, ſeu myſterio, quia id non ſemel Deus elicit ex facto non bono. Adſtipulatur Auguſtino Div. Thomas *in 4. Sentent. diſt. 33. in fin.* Ut omittam, ignorantiam illam filiarum Loth, exiſtimantium deflagrationem Sodomiticam totius orbis fuiſſe communem, non uſquequaque fuiſſe probabilem, &, ut dicitur, invincibilem, auctore Cajetano in Geneſ. *d. cap. 19.* cum audiſſent excidio illi propria ejus gentis ſcelera cauſam dediſſe, & viderent, ſuperfuiſſe incendio urbem Segor, illiuſque incolas, quin & montem illum, in quem confugerant, ac quod præſertim conſcias eas flagitii, quod patrabant, manifeſte coarguit, inebriare patrem vellent, non utique facturæ, niſi diffiderent, eum ſcientem, intelligentemque turpitudini conſenſurum.

8 Tertium denique argumentum ex Auguſtini teſtimonio *lib. 1. de Sermone Domini in monte*, brevi, & perfacili explicatu eſt. Refert enim, non commendat Auguſtinus factum illud Antiochenæ mulieris, & judicio lectoris relinquit, non quidem quaſi dubitet, vel ſimplicem fornicationem eſſe illicitam, etiam pro ſummo vitæ periculo, aut neceſſitate vitanda, ſed quia adulterium illud, quatenus adulterium, ob injuriam alterius conjugis, turpe eſſe ſolet, excuſabile videbatur, cum pro mariti vita ſervanda, & eo conſentiente, admiſſum eſſet. Aſcribo autem Auguſtini locum, ut de re quivis facile cenſeat; *Sed tamen*, inquit, *utrum quod ait Apoſtolus, mulier non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir; ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, poſſit in tantum valere, ut permittente uxore, quæ maritalis corporis poteſtatem habet, poſſit vir cum altera, quæ nec aliena uxor ſit, nec à viro disjuncta, concumbere. Sed non ita eſt exiſtimandum, ne hoc etiam fœmina, viro permittente, facere poſſe videatur, quod omnium ſenſus excludit. Quamquam nonnullæ cauſæ poſſint exiſtere, ubi & uxor, mariti conſenſu, pro ipſo marito hoc facere debere, videatur, ſicut Antiochiæ factum fuiſſe, perhibetur; Nam Acyndinus tunc Præfectus, qui etiam Conſul fuit, cum quemdam libræ auri debitorem Fiſci exigeret, neſcio unde commotus, quod plerumque in iſtis poteſtatibus pernicioſum eſt, quibus quod libet licet, aut potius putatur licere, comminatus eſt jurans, & vehementer affirmans, quod, ſi certo die, quem conſtituerat, memoratum aurum non exſolveret, occideretur. Itaque cum ille teneretur immani cuſtodia, nec ſe poſſet debito illo expedire, dies metuendus imminere, & propinquare cœpit; & forte habebat uxorem pulcherrimam, ſed nullius pecuniæ, qua ſubvenire poſſet viro. Cujus mulieris pulchritudine, cum quidam dives eſſet accenſus, & cognoviſſet, maritum ejus in illo diſcrimine conſtitutum, miſit ad eam, pollicens, pro una nocte, ſi ei miſceri vellet, ſe auri libram daturum.' Tum illa, quæ ſe ſciret, non habere ſui corporis poteſtatem, ſed virum ſuum, pertulit ad eum, dicens, paratam ſe pro marito id facere, ſi tamen ipſe, conjugalis corporis dominus, cui tota illa caſtitas deberetur, tamquam de re ſua, pro vita ſua, vellet, id fieri: egit ille gratias, &, ut fieret, imperavit, nullo modo judicans, adulterium eſſe concubitum, quod & libido nulla, & magna mariti caritas, ſe jubente, & volente flagitaret. Venit mulier ad Villam illius divitis, fecit, quod voluit impudicus; ſed illa corpus non niſi marito dedit, non concumbere, ut ſolet, ſed vivere cupienti. Accepit aurum, ſed ille qui dedit, fraude ſubtraxit, quod dederat, & ſuppoſuit ſimile ligamentum cum terra; quod ubi mulier, jam domi ſuæ poſita, invenit, proſiluit in publicum, eadem mariti caritate clamatura, quod fecerat, quæ facere, coacta eſt. Interpellat Præfectum, fatetur omnia, quam fraudem paſſa eſſet, oſtendit. Tum vero Præfectus primo ſe reum, quod ſuis minis ad id ventum eſſet, pronunciat, tamquam in alium ſententiam diceret, de Acyndini bonis auri libram Fiſco inferendam, illam vero mulierem dominam in eam terram, unde pro auro terram accepiſſet, induci. Nihil hic in alteram partem diſputo; liceat cuique æſtimare, quod velit: non enim de Divinis auctoritatibus deprompta hiſtoria eſt, ſed tamen, narrato hoc facto, non ita reſpuit hoc ſenſus humanus, quod in illa muliere, viro jubente commiſſum eſt, quemadmodum antea, cum ſine ullo exemplo res ipſa poneretur, horruimus.*

 CAPUT

CAPUT XXV.

Ad prælaudatam legem palam 43. §. non ſolum 4. D. de ritu nuptiar. & l. 4. §. Pomponius l. Imperator 24. D. de his, qui notant. infamia.

ARGUMENTUM.

N*Otatur* Julia *lege*, *non ſolum quæſtum corpore faciens*, *ſed & quæ fecerit*, *quamvis deſierit*, *cujus ratio in* noſtra l. 43. §. 4. *Pænitudo in culpis levioribus*, *quin & gravioribus*, *quia pænituit*, *non conſummatis*, *excuſare à pæna*, *ſolet*, *etiam civilium legum cenſura*, *quæ exornantur*, *non autem à pænis*, *quæ ipſo jure incurruntur*. *Ejuſmodi eſt infamia*, *ex* lege Julia *in quæſtuariis*. *Quin & ſuapte natura*, *quia ſicut ſola legis poteſtate infligitur*, *ita ſemel incurſa hæret illius nota*, *nec ulla pænitentia aboletur*. *Illuſtrantur* l. 64. D. de furt. l. 17. §. 1. D. de Ædil. ed. *Fit gradus hinc ad* l. 4. §. Pomponius, D. de his, qui not. infam. *de lenone ſervo ignominioſo*, *quia in ſervitute leno fuit*, *tametſi poſt libertatem deſierit*: *cui tamen contra ſtat in. ancilla quæſtuaria* lex 24. eod. tit. *Rejecta*, *& reprehenſa* Fabri *incuria in* Rationalibus, *& aliorum conciliationes*, *& inter eas* Caſtrenſis, *&* Stephani ad Baſilica, *& trutinata ad juris rationem verba* Ulpiani, & poſt libertatem notari. *Obſervata diſtinctio inter lenonis notam*, *quæ ex* Prætorio edicto, *& quæſtuariæ fœminæ*, *quæ tota*, *& propria legum* Juliæ, & Papiæ. *Inde & tentata conciliatio*, *quia in lenone abſoluta*, *& lenocinii in ſervitute noxæ debita nota*, *ſive infamia hæret illi poſt libertatem*, *juxta juris regulam*. *Aliud in quæſtuaria fœmina*, *cujus non perinde abſoluta*, *quam reſpiciens ademptionem connubii cum ingenuis*, *atque ea ademptio*, *& illius reſpectu leges noſtræ non ſunt viſæ dignæ ampliatione*, *ut in exemplis aliis*, *& in hoc de ancilla quæſtuaria* Severus *Imperator*, *ad leges noſtras referendus in* d. l. 24.

1 SEd exorbitaſſe pro Ulpiano *in d. l. palam* 43. §. *non eſt ignoſcendum*, *D. de ritu nupt.* hactenus fortaſſe licuerit. Regrediamur ad Juliæ legis verba, de quæſtuariis fœminis. Plane reliqua ſunt in poſtrema hac cautione capitis noſtri verba illa, *faciat*, *fecerit*. Ea, tametſi nullibi ſic omnino concepta extent, expreſſimus tamen veriſimiliter, & effinximus ex alia lege Julia, qua teſtimonii dictio in reum adimitur ei, quæ palam quæſtum faciet, fecerit, ut ſcriptum eſt *in l.* 3. §. *lege*, *D. de teſtibus*. Ad eum enim utique modum, cautum etiam legibus noſtris fuiſſe de mulieribus, quæ palam corpore quæſtum facerent, vel feciſſent, ſuſpicari eſt, vel ex alio earumdem legum capite, cujus mentio *in l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt.* ſed præcipue ex Ulpiani teſtimonio *in d. l. palam* 43. §. *non ſolum* 4. dum pro certo ſupponit, & ſcribit, non ſolum eam, quæ facit, verum eam quoque, quæ fecit, etſi facere deſiit, lege notari, & perelegans ratio ſubjungitur, *nec enim aboletur turpitudo*, *quæ poſtea intermiſſa eſt*, ſive, ut alibi Ulpianus idem, *nemo tali peccato pænitentia ſua nocens eſſe*, *deſinit. l. quis ſit fugitivus* 17. §. 1. *D. de Ædilit. edict. l. qui ea mente* 65. *D. de furtis.*

2 Solet ſane in criminibus pœnitentia excuſare. Neque enim lapſis, & errantibus, quorum peccata correctio bona fide interveniens obliteravit, juſtæ pœnitudinis humanitas amputanda *l.* 3. *in fine Cod. de Apoſtat. l. ſi quis libellos* 28. *Cod. de appellation.* quippe, ut alibi Seneca, *quem pænitet*, *peccaſſe*, *pene eſt innocens*, præſertim vero in criminibus levioribus, aut extraordinariis, in quibus pœnitenti plerumque parcitur *l. quamvis* 11. *D. de in jus vocando. l. de ætate* 11. §. *ult. D. de interrogat. in jure faciend. l. ex hoc edicto* 8. §. *pen. D. de alienat. judicii l.* 1. *Cod. de crimine ſtellionatus l.* 1. *D. de fugitivis l.* 3. *D. de his*, *qui notant. infam. l. ſi in lege* 24. §. *colonus*, *D. locati. dict. l. ſi quis libellos* 28. *Cod. de appellat. Auth. contra qui propriam*, *Cod. de non numer. pec. Novella* 18. *de triente*, *& ſemiſſe cap.* 8. quin & in omnibus etiam gravioribus, ſi ea quis, quia pœnituit, non conſummavit *l. ſi adulterium* 38. §. *inceſtum cum* §. *ſeq. D. ad leg. Jul. de adulter. l. quæſitum* 5. *D. ad S. C. Turpil. l. ſine metu* 17. *Cod. ad leg. Jul. de adulter. l. alia cauſa* 8. *Cod. de his*, *quæ ut indign. l. ult. Cod. de plus petit. l. Papinianus* 8. §. *meminiſſe*, *D. de inoffic. teſtam. l. qui cum major* 14. §. *accuſaſſe* 8. *l. in ſervitutem* 16 §. *petiiſſe* 3. *D. de bonis libert. l. qui falſam* 19. *D. ad leg. Cornel. de falſis* juncta *l. ſi falſos* 8. *Cod. eod. tit.* Denique & in aliis pleriſque cauſis, ut *in l. Manichæos* 4. §. *ſed nec filios*, *Cod. de hæreticis l. item* 14. §. 1. *D. quod metus cauſa* cum aliis, quas utiliter ad praxim cumulant, poſt Bartolum *in l. qui ea mente* 65. *D. de furtis.* Tiraquell. *de Pœnis Temperand. cauſa* 28. & 60. Menoch. *de Arbitr. Caſu* 360. *ex num.* 9. Barboſa *in l.* 1. 4. *p. num.* 44. & 47. *D. ſolut. matrim.* & *in l. alia* 15. §. *eleganter*, *ex num.* 4. *D. eod. tit.* Heringius *de fidejuſſor. cap.* 27. *p.* 1. *num.* 224. Bajard. *ad Clarum in pract. quæſt.* 91. *num.* 2. 4. & 5. Narbona *in l.* 29. *gloſſ.* 3. *num.* 23. & *ſeq. tit.* 7. *lib.* 1. *Compilat.* Farinac. *in Praxi Crimin.* 4. *tom. q.* 124. *p.* 3. *per totam.* Tuſchus *in Pract. litt. P. concl.* 262.

Cæterum ex eorumdemmet ſententia, atque in- 3
primis Gloſſæ receptæ *in Clement.* 1. §. *quia vere ipſo facto*, *de ſtatu Monachorum*, jam pridem vulgo obtinuit, invaluit, non ſuffragari excuſationem pœnitentiæ ad eas pœnas vitandas, ſive eluendas, quæ ipſo jure, ſeu ſola legum auctoritate, irrogantur, & incurruntur ob flagitia ſemel perfecta. In his enim accedit pœnitentia, re jam non integra, utpote poſt inflictam jure ipſo pœnam, idcircoque nec proficit ad eam excludendam; argumento ex *l. apud Aufidium* 20. *D. de optione*, *vel elect. leg. l. qui ob rem* 35. *D. de condit. indebit. l. ſi is cui* 19. ubi Bartolus, *Dig. de leg.* 2. Ejuſce autem proprie generis eſt nota, ſive ignominia, quæſtuariis mulieribus irrogata legibus noſtris; hæc enim facto ipſo, ſeu jure, ſine ulla judicis condemnatione incurritur, quia & factum lex, non ſententiam notavit, ut ſcriptum eſt, de prehenſa in adulterio, *in dict. l. palam* 43. §. *quæ in adulterio in fine*, juncta *l. probrum* 41. *D. de ritu nupt.* Proinde quamvis capitis noſtri verbis non exprimeretur, eam etiam, quæ fecit turpem corpore quæſtum, notari, juris tamen ratio dictabat ei, quæ fuit quæſtuaria, etiamſi poſtea deſiit, officere quoad nuptias ingenuorum, notam ſemel contractam, *nec aboleri turpitudinem*, *quæ poſtea intermiſſa eſt*; hoc eſt, intermiſſione, ſeu pœnitentia, non elui turpitudinis labem, ſive, quod idem eſt, infamiæ pœnam, jam ipſo jure inuſtam.

Quamquam, ne quid diſſimulem, vel ex ſola in- 4
famiæ natura, qualiſcumque ea ſit, ſive ipſo jure, ſive per ſententiam inflicta, colligere recte Ulpianus videtur, eam, ſemel contractam ob turpem quæſtum, non aboleri illius intermiſſione. Quippe quemadmodum infamia, antequam incurratur, pendet ex ſola juris auctoritate, quæ ſine ullo externo judicis facto, notam illam exercet, exequitur, inurit *l.* 1. §. *quorum* 4. *D. ad S. C. Turpil. l. ordine* 15. *D. ad municip.* idcircoque nec poteſt judex facere, ut damnatum criminis, jure famoſi, infamia non ſequatur *l. non poteſt* 63. *D. de furtis l. divus* 40. *D. de injuriis*, diximus ſupra *cap.* 8. & 9. Ita è contrario poſtquam incurſa, & irrogata jure infamia eſt, *ſtat nexa*, ut Varro loquitur, in *vulgi pectore*, ideoque nec damnati pœnitentia, aut juris indulgentia ſic elui poteſt, quin *litura* ſaltem *extet*, ut ſcite Claudius Cæſar de illo, cui cenſoriam notam ademerat, teſte Suetonio *in Claudio cap.* 16. Et omnino, ut Plautina illa virgo *in Perſa*, *actu* 3. *ſcena* 1. *Hominum immortalis eſt infamia*: *etiam tum vivit*, *cum eſſe credas mortuam.*

Accommodatum

Digitized by Google

5 Accommodatum rei noſtræ exemplum in fugitivis, quos *ſi quando pœnitentia reduxit, ſævi quoque, implacabiliſque domini Crudelitatem ſuam impediunt:* Ut *in Satyrico* Petronius ſcribit, illiſque quoad alias fugæ pœnas, tamquam deditis hoſtibus merito parcitur, & tamen nota, labeſque fugæ hæret ſemper, nec pœnitentia obliteratur, ideoque & redhiberi, tamquam fugitivi poſſunt *d. l. quis ſit fugitivus* 17. §. 1. *D. de Ædilit. Edict. l. qui ea mente* 65. *D. de furtis*, quæ *ex eodem Ulpiani libro* ſunt ad edictum Ædilium Curulium, & referendæ omnino ad ſtipulationes illas Ædilitias, ſolemnes in mancipiis vendundis, *furem non eſſe, fugitivum non eſſe l. ſi ita quis* 31. *cum l. ſeq. D. de evictión. l. quod ſi nolit* 31. §. 1. *l. ſi furtum* 52. *D. de Ædilit. edict. l. aliud* 174. *D. de verbor. ſignif.* Hodie ſane in ſcenicis, quæ pœnituerunt, notam hanc juris, & ignominiam legum noſtrarum abſterſit Juſtiniani *Conſtitutio in l. Imperialis* 23. §. 1. *Cod. de nupt.* de qua, & an idem juris meretricibus, plenius nos ſupra *lib.* 2.

6 Sed hem, propria hujus loci, & ſuperiori proxima quæſtio eſt, an quæ in ſervitute peccavit, & inhoneſtum corpore quæſtum fecit, ſi poſtea manumiſſa deſiit, notetur noſtris legibus, & arceatur à connubio ingenuorum. Et quidem diſerte alibi Ulpianus monet *lib. 6. ad Edictum*, ex Reſcripto Severi Auguſti, non obfuiſſe famæ mulieris quæſtum ejus in ſervitute factum *l. Imperator* 24. *D. de his, qui notant. infam.* in contrarium autem propellunt, & verba noſtri capitis, de ea etiam, quæ fecit, ſeu quæſtuaris fuit, concepta, & conſentiens illis Ulpiani ſententia, in *dict. l. palam* 43. §. *non ſolum*; ac denique lenonis ſervi exemplum, quem & poſt libertatem notari, ſi in ſervitute peculiaria mancipia proſtituta habuit, docet *eodem libro* Ulpianus idem, ſive apud eum Pomponius *in l. Athletas* 4. §. *Pomponius, D. de his, qui notant. infam.*

7 Hæc in ſpeciem pugnantia, ut exponant, componant, nihil non tentant veteres, & noviores, ſed incaſſum. Nam quod Antonius Faber *in Rationali ad dict. l. Imperator* 24. ſcribit, melioris conditionis eſſe meretricem, quam lenonem, quia & infamia, cum non niſi ex edicto irrogetur lenoni, non meretrici, nec unquam ea jure famoſa eſt, quamvis non habeat honeſtatem matris familias, pene indignum referri eſt, nedum refelli, magnumque incogitantiæ, ſive incuriæ tanti interpretis in *Rationalibus* illis argumentum, cum ſcitiſſimum ſit, infamiæ cauſas non tantum ex Prætorio Edicto, ſed & ex variis juris partibus proficiſci, & meretrices ipſas jure famoſas eſſe, quia notantur legibus noſtris *dict. l. palam* 43. §. *non ſolum l. fœdiſſimam* 20. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* Ac niſi tales eſſent, quænam, obſecro, ratio dubitandi. an eorum famæ quæſtus in ſervitute factus obfuiſſet, qui nec poſt libertatem factus obeſſet? Dein quod poſt Eguinarium Baronem in *dict. l.* 4. §. *Pomponius*, placuiſſe magis aliis ſcio, obeſſe lenocinium ſervo, quia volens, ſponteque peculiaria mancipia proſtituit, dum ita negotiatur ex peculio, *d.* §. *Pomponius*; non obeſſe autem quæſtum ancillæ, quia coacta eum fecit *dict. l. Imperator* 24. inficiari eadem, qua ponitur, facilitate, licet. Eſſe enim poteſt in ancilla meretricius quæſtus non coactus, & in ſervo lenocinium juſſu Domini exercitum; & ut contrarium in utroque ſit verius, & ex Ulpiani tamen locis neutrum colligitur.

8 Denique quod Caſtrenſis, & cum eo alii apud Hilligerum 18. *ad Donell. cap. 7. litt. B.* poſt Accurſium *in dict. l. 4. §. Pomponius*, ſtatuunt, durare etiam poſt libertatem, infamiam, à lenone in ſervitute contractam, quamvis in meretrice contra ſit, quia gravius ſcilicet peccatum illius eſt, quam iſtius, cui præbet ille cauſam peccandi. Argumento *ex Novella* 8. *ut Judices ſine quoque ſuffrag cap* 8. *in princip.* nec nimis diſcrepans ante Caſtrenſem, Stephanus Græcus Scholiaſtes *ad eaſdem l.* 4. §. 1. *& l.* 24. *lib. Baſilic.* 21. *tit.* 2. ſcribens, ignoſci ancillæ meretrici, quia veluti naturali jure ducente, cujus eſt conjunctio maris, & fœminæ, in corpus ſuum peccavit, non item lenoni, peccanti in alienum corpus ſine naturæ ductu. Hæc enim, & extremum hoc, utrumque argutum, non omnino rem expediunt. Ulpianus certe noſter ſic lenocinium confert, & quaſi expendit cum meretricio quæſtu, ut id non levius eſſe affirmet, ſive ἢ χεῖρον, ut ſcriptum eſt *in Ecloga Baſilicon lib. 60. tit.* 38. gravius autem neutiquam ponat *dict. l. palam* 43. §. *lenocinium* 6. Et ut demus ad rem præſentem, nihil ex eo loco colligi poſſe, cujus ſententiam ſupra expoſuimus *cap.* 17. fateamurque, quod & rationi congruit, flagitioſius lenonem, quam meretricem, delinquere; adhuc tamen eſt falſum otrumque effatum illud, infamiam à lenone in ſervitnte contrahi, quæ poſt libertatem duret, & à meretrice ancilla contractam aboleri poſt libertatem. Namque in primis ſi proprie loquimur, ac ſecundum fundatam juris peritiam, ſervus, ancillave, quamdiu in ſervitute ſunt, contrahere infamiam non poſſunt, quis ſicut neque perſonam, nec caput, ita famam tunc nullam habent, aut exiſtimationem Jure Civili *l. penult. §. ultim. D. de extraord. cognit. l. nullo* 7. *D. ad leg. Cornel. de falſis.* Idcircoque, ut vel animadvertit Fulgoſius *in dict. l. Imperator* 24. illius, quæ in ſervitute meretrix fuit, non infamia aboletur, ſed fama incipit poſt libertatem; & è contrario lenonem ſervum non infamem poſt libertatem durare, ſed fieri tunc primum, *& notari poſt libertatem*, ait emphatice, & ſignanter Conſultus *in dict. l. 4. §. Pomponius*, cujus ſententiam exprimit, ad rem per quam appoſite, *Textus Baſilicus lib.* 21. *tit.* 2. *in d. l.* 4. §. 1. *in fin.* illic: ἀτιμᾶται μετὰ τὴν ἐλευθερίαν, *infamis fit poſt manumiſſionem.* Et eodem ſenſu Photius *in Nomocan. titul.* 13. *cap.* 21. *poſtquam liber factus eſt.* Alterum vero illud de infamia meretricis ancillæ poſt libertatem, ſive manumiſſionem abolenda, peræque abſurdum eſt; nam cum ea infamis ſit pœna flagitii, in ſervitute admiſſi, ſubjici ei ancilla poſt libertatem debet, cum pervulgatum ſit, noxam, notamve caput ſequi, & manumiſſum, ex his, quæ in ſervitute flagitioſe fecit, teneri, ſeu puniri poſt libertatem *l. 1. in fine, Digeſt. de privat. delict. l. ſed ſi unius* 17. §. *ſi juſſu* 7. *D. de injur. l. ſervi* 14. *D. de obligat. & act. l.* 1. §. *ſi apud ſervum* 18. *D. depoſiti. l.* 4. *Cod. an ſervus pro ſuo facto*, §. *omnis* 5. *Inſtitut. de noxalib. action.* Eaque juris ratio, ſeu regula, quemadmodum lenonem ſervum, & ancillam meretricem æque notari poſt libertatem evincit, ita & convincit fortiter quotquot fere afferuntur differentiæ inter eos rationes, ſive interpretamenta, & rem impeditiorem relinquit.

9 Age tamen, experiamur, an aliquo adminiculo obſervationis, ex veteris juriſprudentiæ ruderibus, & quaſi parietinis erutæ, conciliari iſta poſſint. Et ſane exiſtimaverim diſtinctionis, inter utrumque caſum ancillæ meretricis, & lenonis ſervi, rationem non ineleganter deduci ex varietate juris, & notæ, quibus puniuntur. Quippe quod ad jus attinet, quo leno notatur, conſtat, non eſſe ex legibus noſtris Julia, vel Papia, quarum nota, ſive ignominia pertinuit proprie ad lenas, à lenone, lenave manumiſſas, quas ab ingenuorum nuptiis, ſicut probroſas alias, arceri hoc capite, diximus late *ſupra*, non autem ad lenones maſculos, quorum nullibi leges noſtræ, quod ſciam, meminerunt, ſicut nec aliorum infamium, quia in his quoad jus connubii cum ingenuis, & honeſtis fœminis, manſit indelibata ſemper veteris juris nota, & inhibitio, juxta ea, quæ in re ſimili animadvertimus ſupra *lib.* 2. Proinde lenocinii in maſculis nota deſcendit prorſus ex Prætorio edicto, quo generaliter quoad juris effectus infamiæ pœna in eum ſtatuitur, qui lenocinium fecerit *l. 1. l. 4. §. ait Prætor, Digeſt. de his, qui notant infam. l. 4. D. de accuſation. l. marito* 24. *Digeſt. ad leg. Jul. de adulter.* è contrario meretricii quæſtus infamia, & legalis nota, non ex Prætorio edicto, quod meretricii quæſtus non meminit, *l. 1. D. de his, qui not. infamia*, ſed fere tota, & ſumma eſt ex iſto capite legum noſtrarum, quo quæſtuariis fœminis,

minis, tamquam probroſis, jus connubii cum ingenuis adimitur *dict. l. palam* 43. *§. non ſolum l. fœdiſſimam* 20. *Cod. ad l. Jul. de adulter.* quamvis adjuta ſit ea nota, atque exacerbata, quoad ſpeciales alios effectus, aliis etiam Romani juris conſtitutionibus *l.* 3. *§. lege D. de teſtib. l. ſi filiam* 19. *Cod. de inoffic. teſt. l. ſi ea* 22. *l. quæ adulterium* 29. *Cod. ad leg. Jul. de adulter. l. Mimæ* 4. *Cod. de Epiſcop. Audient.*

10 Plane his ſuppoſitis, conſequens fit, lenonem ſervum notari poſt libertatem infamia, quia ea utpote ſimplex, propriaque lenocinii ex Prætorio edicto pœna, & noxa, notaque delicti, ſequitur manumiſſi caput, juxta receptam regulam juris, *dict. l. Pomponius, Digeſt. de his, qui notant. infam.* At in ancilla meretrice, quamvis eadem juris regula notam noſtrarum legum inducere poſt libertatem, videatur, ſuffragantibus verbis noſtri capitis, conceptus de ea etiam, quæ fecit, ut ſupra expendimus ex *dict. l. palam* 43. *§. non ſolum*; in contrarium tamen præponderat ſingularis ratio, deducta ex conditione notæ, ſive ignominiæ, ad quæſtuarias fœminas pertinentis. Nam cum ea, ut diximus, prima, ſummaque ſit ex noſtris legibus (unde & ad eas referri Severi Reſcriptum, quod Ulpianus inter alias, de infamiæ cauſis, diſputationes ad Prætorium de his edictum recenſuit, *in dict. l. Imperator* 24. *D. de his, qui notant. infamia*, veriſimile eſt) verſeturque omnis in ademptione connubii cum ingenuis maſculis, non meram pœnam continet meretricii quæſtus; quippe adjuncta eſt ei pœnæ coarctatio libertatis nuptiarum, quarum frequentiæ officit, obſiſtitque hæc earum inhibitio cum fœminis, quæ probroſæ ſunt. Iſto autem reſpectu ademptiones connubii ex noſtris legibus, notæque illis adnexæ ſunt, & cenſentur juris auctoribus odioſæ omnino, & coërcentur interpretatione, non adjuvantur, *l. hæc modo* 64. *D. de condition & demonſtrat. l. cum quidam* 19. *Dig. de liber. & poſthum.* Sic etenim Ulpianus prohibitionem nuptiarum, cum damnata judicio publico, negat pertinere ad damnatam calumniæ, ex cauſa publici judicii *dict. l. palam* 43. *§. ſi qua etiam* ſi alioquin infamis ſit *l.* 1. *D. de his, qui notant. infam. l. infamem* 7. *D. de public. judic.* Et cautionem, notamque ſimilem noſtri capitis de quæſtuariis fœminis, removet ab eis, quæ cum uno, vel altero ſe, pecunia accepta, miſcuerunt, vel adulteria, aut ſtupratoribus commiſerunt, vel denique etiam palam proſtitutæ ſunt, dum tamen ſine quæſtu *dict. l. palam* 43. *§.* 1. *cum ſeq. & §. Octavenus* 3. quamvis & illæ ſingulæ alioquin probroſæ ſint *l. probrum* 41. *Digeſt. de ritu nuptiar.* de quibus ſupra ſuis locis uberius. Eodem itaque exemplo, & ratione juris ducente, Severus, quamvis agnoſceret ancillam, meretricio quæſtui deditam, & naturalia honeſtatis, & bene moratorum hominum cenſura probroſam eſſe, argumento ex *l. adoptivus* 14. *§. ſerviles* 2. *Dig. de ritu nuptiarum l. hæ demum* 38. *Digeſt. de oper. libertor.* quin & ex verbis *noſtri capitis* notari, vel quia fecit, debuiſſe, cum tamen nota hæc, & ademptio connubii proprie non ad ancillas, quæ quamdiu in ſervitute ſunt, nec infamiæ capaces ſunt, nec nuptiarum, *dict. l. cognitionum* 5. *§. ultim. Digeſt. de extraord. cognit. l. ſi neget* 7. *D. de agnoſc. liber. l. Proculus* 67. *D. de jure dot.* Sed ad liberas mulieres referretur, quæ palam quæſtum faciunt, fecerunt; noluit, odioſam ſuo genere inhibitionem, & repugnantem publico nuptiarum frequentiæ bono, ad ancillam meretricem, quæ poſtea manumiſſa deſiit, extendi: ideoque excluſa Papia lege in hoc caſu, (quod & in aliis fecit, Tertulliano Auctore *in Apologet. cap.* 4.) reſcripſit, non obeſſe famæ mulieris quæſtum ejus in ſervitute factum, nempe quoad nuptias cum ingenuis, ad quas obeſſe alioquin ſolebat, ex *lege Papia*, quomodo Ulpianum accipi *in dict. l. Imperator* 24. non eſt improbabile, cum tractet de ignominia meretricii quæſtus, quam vel ex noſtris legibus ſolis, vel ex illis potiſſimum deſcendere, jam obſervavimus.

CAPUT XXVI.

De infamia meretricii quæſtus in commune (quæ fuit ratio adempti connubii Julia lege) & ad leg. 15. D. de Curatore furioſ. enarratio.

ARGUMENTUM.

*De meretricia infamia, arcente à teſtimoniis, & à capione hæreditatum; notæ quædam ex libris Juris, & Do*mitiani *conſtituto, penes* Suetonium, *&* Dionem. *Quod tamen vix obtinuit, niſi in meretricibus profeſſis, aut quoad capiendum cum effectu ex teſtamento mœchi, certe non in aliis meretricibus, quas non fuiſſe incapaces ab inteſtato, aut ex teſtamento, quin & teſtari potuiſſe, obſervatur, juris, & aliorum locis luſtratis. Præferunt ex his lucem* Paulo in l. 15. D. de Curat. fur. *quem de meretrice ſubaudiunt vulgares* Interpretes, *& poſt eos* Cujacius, *peccatum peccans non ignoſcendum. Quippe* luxuriæ, *&* luxuriandi *nomina, quamvis vulgaria ſint pro libidine, ſeu ſcortatione* Eccleſiaſticis Scriptoribus, *& interdum* Juriſconſultis. *tamen proprie, & latine magis pro laxatione morum ad prava, & frequenter ad prodigalitatem. Fax hinc* Capitolino, *ubi de Curatore propter laſciviam.* Et Martiali, *ubi de* [illegible]; *jam & inde* ad dict. l. 15. *ut mulier, luxurioſe vivens, intelligatur non meretrix, ſed prodiga. Expenſi pro re* Juſtinianus, *&* Lucæ caput 15. *& Baſilica verſio. Dubitandi ratio non ſemper, & abſciſe quærenda in omnibus juris aſſertis, nec tamen deſuit* in dict. l. 15. *ducta forſitan ex ratione, non facile producendi ſtricta jura à maſculis ad fœminas.*

1 EXpletis paraphraſticæ, ſimulque plenæ commentationis muniis, circa poſtrema hujuſce capitis legum noſtrarum verba, jam de ſententia eorum, rationeque, & effectu, ex profeſſo diſpiciamus, oportet. Porro cum ſententia ſit eadem, quæ in aliis capitis hujus partibus, nimirum inhibitio nuptiarum inter ingenuos, & promercales fœminas, ſive quæ palam corpore quæſtum fecerunt, eſt etiam eadem, aut perſimilis ratio inhibitionis, nempe infamia, turpitudoque earum mulierum, quæ innuitur *in l. palam* 43. *§. non ſolum* 4. *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt.* ne ne, ſi tales uxores, quaſi uxores habere, ingenuis liceret, *jungerentur non tam connubia, quam vitia*, ut ſcriptum eſt *in Novella* Martiani *de Matrimon. Senator. juncta l.* 1. *Cod. de natural. liber.* Hujus autem notæ, & infamiæ, ob quam connubium cum ingenuis ademptum quæſtuariis fœminis dicimus, extant in variis juris quæſtionibus documenta non pauca, ex quibus illuſtriora nos illuſtrandæ rei noſtræ gratia enotabimus.

In primis itaque *lege Julia de* vi, mulieribus, quæ palam quæſtum faciunt, fecerunt, dicere in reum teſtimonium, non licet, ſive, ut Calliſtratus explicat, propter notam, & infamiam vitæ ſuæ, ad teſtimonii fidem non admittuntur. *l.* 3. *§. Lege, D. de teſtib. l.* 10. *tit.* 16. *p.* 3. nempe hac *lege*, ut loquitur Calliſtratus, ſive in crimine *legis Juliæ de vi*, ut apertius exprimit Ecloga Baſilicon *lib.* 21. *tit.* 1. *cap.* 4. ibi: περὶ βίας οὐ μαρτυρεῖ, id eſt, *de vi teſtimonium non dicit.* Et poſtea, *neque quæ palam quæſtum facit, aut fecit corpore.* 2

Eademque ratione, ſi à parente emancipatus, & manumiſſus meretricem hæredem fecerit, pollicetur Prætor parenti totorum bonorum contra tabulas poſſeſſionem, quam alioqui, niſi conſtitutæ partis non daret. *l.* 3. *D. ſi à parente quis fuer. manum.* 3

&

& ex conſtitutionibus, filiam turpiter, & cum flagitioſa fœditate viventem exhæredandi, liberum eſt arbitrium parenti. *l. ſi filiam* 10. *Cod. de inoffic. teſtam.* (quod etiam novo jure inter juſtas exhæredationis cauſas, & elogia certa receptum, ſi, ut propoſuimus, meretricata filia fuerit, non autem, ſi, ceſſante patre in ea nuptui collocanda, poſt vigeſimum quintum annum, ſemel, aut iterum in corpus ſuum peccaverit *Novella* 115. *ut cum de appellat. cognoſc. cap.* 3. §. *ſi alicui* 11. *Auth. ſed ſi poſt*, *Cod. de inoffic. teſtam. l.* 5. *tit.* 7. *part.* 6)

4 Jam quod eiſdem proxime accedit, à Domitiano jus capiendi legata, & hæreditates, ademptum eſt probroſis fœminis, teſte Suetonio in *ejus vita cap.* 8. Dione *lib.* 57. & 58. quamquam poſtremum hoc, ne diſſimulem, vel obtinuiſſe non videtur, vel pertinuiſſe tantum ad probroſas, ſive famoſas fœminas αἰτωνυματικῶς, quales proprie, quæ licentiam ſtupri vulgaverant apud Ædiles, veteri ex more, de quo ex Suetonio *in Tiberio cap.* 35. Tacito *libr.* 2. *Annal. ſupra* Nos *cap.* 12. Vel quæ convictæ probri ſunt, hoc eſt, ſtupri, adulterii, flagitii, quomodo Feſtus explicat in voce, *probrum*, quibus deprehenſis, damnatiſve, relictorum ex teſtamento amaſii, vel mœchi actiones denegari, & Fiſco deferri, conſtat. *l. Claudius* 13. *cum l. ſeq. l. cum tabulis* 16. §. *quoniam*, *D. de his*, *quæ ut indign. l. miles* 41. § *mulier*, *D. de teſtament. milit.* Juvenalis, quem ad Edictum Domitiani, de fœminis probroſis, reſpexiſſe vulgo volunt, *Satyr.* 1. ibi:

Cum leno accipiat mœchi bona, ſit capiendi
Jus nullum uxori.

5 Certe, jure Romano, potuiſſe ex teſtamento capere meretrices, aut ſcorta, vel ex eo ſat liquet, quod non niſi certis in cauſis excluduntur, in eiſque potius, tamquam indignæ, quam ut incapaces, ut *in dict. l.* 3 *D. ſi à parente quis fuer. manumiſſ. dict. l. ſi filiam* 19. *Cod. de inoffic. teſtam.* & admittuntur ad legitimam hæreditatem filiorum, *l.* 2. §. *ſi mulier.* 4. *D. ad S. C. Tertyll.* Div. Hieronym. *lib.* 2. *Epiſtol.* 12. *ad Nepotian. Mimi, aurigæ, & ſcorta hæreditates capiunt.* Denique, quod eſt amplius, teſtamenti factionem activam habent. *l ſed & qui* 5. *D. ad S. C. Trebell.* Livius *lib.* 39. ubi de ſcorto nobili, Hiſpala Fecennia, quæ eo uſque proceſſerat, conſuetudine Ebutii capta, *ut poſt patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore à Tribunis, & Prætore petita, cum teſtamentum faceret, unum Ebutium inſtitueret hæredem*; docet poſt plures ex Pragmaticis Card. Tuſchus *Pract. tom.* 5. *concluſ.* 211. *num.* 6 & *ſeq.* Ejuſce rei exemplum in Romana re nobile, illa Acca Larentia, ſeu Tarrutia, locuples, celebriſque inter meretrices, quæ teſtamento facto, Populum Romanum nuncupavit hæredem. Unde & Flora ipſa Dea dicta, & Floralia inſtituta, ut memorant: Plutarchus in *Romanis Quæſtionibus.* Auguſtinus *lib.* 6. *de Civitate Dei cap* 7. Lactant. *lib.* 1. *Divinar. Inſtit. cap.* 20. Agell. *lib.* 6. *Noct. Atticar.* 7. Tertullian. Arnobius, Minutius Felix, Cyprianus, aliique paſſim.

6 Uno tantum caſu, ſeu modo adimi meretrici teſtandi facultatem, interpretes noſtri notant, nempe ſi ei, tamquam prodigæ, bonis interdicatur; quod & fieri poſſe, contendunt ex Pauli aſſertione, *in l. & mulieri* 15. *D. de Curatore furioſ.* in qua mulieris mentionem, luxurioſe viventis, de meretrice exaudiunt, exponuntque, poſt Accurſium ibi, antiquiores, & ex novioribus, magnus Cujacius *ad eamdem Pauli ſententiam lib.* 3. *Receptar tit.* 4. §. 6. & *in l. is*, *cui* 6. *D. de verb. obligat.* ubi & ſic accipi, & ad forenſem uſum varie producit Ripa *ex num.* 16. Coſta *in cap, ſi pater*, 1. *part. verb. legavit*, *num.* 41. *de teſtam. lib.* 6. Tiraquell. *in l.* 9. *Connub. num.* 91 & 141. Petr. Greg. *lib.* 13. *Syntagm. cap.* 6. *num.* 6. quibus effectu fere conſentiunt Lara *in l. ſi quis à liberis*, §. *idem reſcripſit*, *num.* 122. *D. de agnoſc. liber.* Matienzo *in l.* 5. *gloſſ.* 8. *num.* 7. *tit.* 9. *lib.* 5. *Compilat.* Gutierrez *lib.* 2. *Practicar. quæſt.* 122. Gomez *in l.* 14. *Tauri*, *num.* 13. Ann. Robertus *lib.* 1. *Rer. judic. cap.* 9. plures apud Pinell. *in l.* 4. *ex n.* 20. *C. de bon matern.* Bæzam *de Decim. Tutor. cap.* 14. *n.* 1. Gutierr. *de Tutel,* 1. *p. cap.* 9. *n.* 23.

Peccant tamen in ea re peccatum, ſicut Accurſio, & Bartolo facile condonandum, ita in Cujacio, & aliis melioris genii, & ævi non ferendum. Quippe, quamvis *luxuriæ*, & *luxuriandi*, verba, hodie à Theologis Scholaſticis, & Eccleſiaſticis ætatis mediæ ſcriptoribus, referri ſoleant ad libidinem, intemperantiamque in voluptatibus venereis, quam inter capitalia vitia numerant, quomodo & uſurpavit olim Tertullianus *lib.* 2. *adverſ. Marcionem c.* 18. & uſurpari ab Auctoribus noſtris videtur, dum luxurioſum adoleſcentem nominant, ſcortationi deditum. *l. ſi vero* 12. §. *ſi adoleſcens* 11. *D. mandati. l. ſi quis cum ſciret* 8. *D. pro emptore*, præcipue autem in *l. illud* 16. *D. de manum. vindict.* ubi τὸ, *ex luxuria*, quo Ulpianus utitur, ſic exprimit vetus interpres Baſilicon *lib.* 48. *tit.* 2. ἀπὸ ἀσωτίας καὶ αἰσχρότητος, hoc eſt, ſi verbum verbo reddas, *ex prodigalitate, & turpitudine, ſive obſcœnitate*; & in *Novella* 115. *ut cum de appellat. cognoſcit. cap.* 3. §. *ſi alicui* 11. juxta vulgatam verſionem, de quo infra *cap.* 27. propria tamen, puriorque latinitas, raro, aut nunquam luxuriæ appellationem, ad libidinem ſolam, ſeu petulantiam in venerea ſignificandam contraxit, niſi quatenus eo vitio, ſicut & aliis, excludimur à recta vivendi via, quam deviationem, morumque ſolutionem generaliter, luxuriam, veteres vocant, ſicut luxum, luxatumve, quod loco ſuo emotum, Nonio Marcello teſte in voce, *luxum.* D. Iſidoro *lib.* 10. *Origin.* Frequenter vero, & proprie Latinis *luxuria* eſt ſupra modum profuſio, & largitio, ſive ἀσωτία, & luxurioſus jure familiari ſolutus, ſumptuoſuſque, unde, & producta longius translatione, luxuriem ſegetum, ſoliorum, ſtili, & ſimilium, pro immoderata earum ubertate, vatibus, oratoribuſque uſurpari, notum jam, vel ex Nonio in *luxuria:* teſtimonia non cumulo, quibus in propoſito utuntur poſt Anton. Auguſt. Forcatul. *Dialogo* 88. *n.* 3. Fornerius, & alii apud Hilliger. *ad Donell. lib* 3 *com. cap.* 18. *litt. D.* Joann. Garcia *de Conjugali Acquæſtu*, *num.* 48. Pereyra *in l. ſi Curatorem*, *verbo*, *cum non abſimilis*, *num.* 26. & *ſeq. Cod. de in integr. reſtit.* Videſis *de Dolo*, *l.* 2. *D. de ſervo corrupto*, § *penult. inſtit. quod cum eo*, in quibus *luxuriandi* verbis, immodicus deliciarum uſus, cura, ſumptuſque in ſupervacua ſignificatur. 7

Addimus Capitolini locum *in M. Antonio*, ubi dum ex lege Lætoria *propter laſciviam*, *vel dementiam*, Curatores dari ſolitos, ſcribit, *laſciviæ* verbo, luxuriæ in re hac ſimillimo, intelligit prodigalitatem, ut in confeſſo fere eſt apud eruditiores, quamvis ex eorum numero unus, elegansque *judicatarum rerum* Concinnator, foro, & cauſæ ſuæ ſerviens, detorquere ad libidinem conetur. Idemque cenſeo de Dionis Caſſii verbis *lib.* 57. ibi: *Senatori cuidam laſcive viventi*, *tutorem*, *quaſi pupillo*, *dedit.* Quin & trahi huc poteſt luxurioſi adoleſcentis mentio, de qua ſupra, ſcilicet, ut ita vocetur non tam qui ſcortis deditus, quam qui eiſdem ſupra finem, modumque donat. *dict. l. ſi vero* 12. §. *ſi adoleſcens* 11. *D. mandati. dict. l. ſi quis cum ſciret* 8. *D. pro emptore.* Sic enim & Martialis *lib.* 4. *Epigramm.* 9. *in Fabullam*, filiam Sotæ medici, quæ, deſerto marito, donabat mœcho, ludit in voce, ἀσωτία, cui latine prodigentia reſpondet, aitque, illam habere ſe *aſotos*, hoc eſt, non tamquam filiam Sotæ, ſed prodige, & perdite, idque non tam quia mœcha, quam quia prodiga in mœchum. 8

Sotæ filia Clinici Fabulla
Deſerto, ſequeris Clytum, marito,
Et donas, & amas, ἔχεις ἀσώτως.

Sed ut iſta varie exponi poſſint, quod ad Pauli 9

tamen ſententiam attinet, *in dict. l. & muheri* 15. *D. de curatore furioſ.* non poteſt non eſſe improbabilis interpretatio, quæ; repudiata proprie magis, & uſitata ſignificatione verborum, quibus Pauhs nititur, (nimirum ut mulieris, *luxurioſe viventis*, appellatione prodiga intelligatur) ad novam, nec frequentem ſine cauſa deflectit. Accedit tum tractatus ipſius, ſive tituli, ſub quo Pauli ſententia extat, argumentum (eſt quippe illius bona pars de prodigis, non de libidinoſis) tum etiam juris ratin, & præſumptio, ducta ex natura fœminarum, quæ ſemper avidæ, & avaræ. *l.* 4. *in fin. D. ad S. C. Velleian. l. ſi ſtipulata* 33. §. 1. *D. de donat. inter. l. ſi à ſponſa* 16. *Cod. de donat ante nupt.* præſertim vero meretrices, quarum ars potius eſt, lucrari, & rapere, quam perdere, & prodigere, unde & eas quæſtuoſas, corpus corpore alentes, Plautus indigitat *in milite glorioſo.* juncta *l.* 4 §. *penult. D. de condict. ob turp. cauſ.* cum notatis ſupra *cap.* 18. niſi fortaſſe aliqua, qualis piſtoris illa uxor apud Apuleium *lib.* 9. *in rapinis turpibus avara, in ſumptibus fœdis profuſa.* Nihil itaque eſt, cur in *d. l. & mulieri* 15. mulierem, *luxurioſe viventem*, interpretemur meretricem, cenſeamuſque, poſſe illi bonis interdici, & teſtandi facultatem adimi, tamquam prodigæ, cum ſit meretrix quidvis aliud potius, quam prodiga: & ut demus, eſſe aliquam, quæ prodigaliter largiatur, & donet, qualis Chloë illa, & Galla apud Martialem *libr.* 2. *Epigr.* 34. & *lib.* 4. *Epigr.* 28. interdicetur tamen ei tunc, tamquam prodigæ, non tamquam meretrici. Sic enim & accipimus, quod a quibuſdam pro ſuperiori interpretatione affertur, de adminiſtratione bonorum filii familias, neganda patri prodigo, libidinum omnium, vitiorumque ſervo, *in l. ult.* §. *minores* 2. *Cod. de ſentent. paſ.* nempe ut negetur ei, tamquam prodigo, & poteſtate patria ad corrumpendi, atque effundendi patrimonii licentiam abutenti, ut Conſtantinus ibi loquitur, non autem tamquam libidinoſo, aut aliis vitiis dedito, quamvis & talem eum per exaggerationem, ſive ἀσώτως affirmet.

10 Ergo ut concludam, prinr mihi, potiorque eſt ſecunda Accurſii expoſitio, quam & eruditiores ſequuntur, ſcilicet, ut mulieris, *luxurioſe viventis*, appellatione intelligatur prodiga, pereuntem cenſum non ſentiens, cui & interdici bonis poſſe, ſicut prodigo Pauhs docet in *d. l. & mulieri* 15. quia ſemper fere in maſculis recepta pertinent, & ad fœminas, vel ex proprietate ſermonis, vel interpretatione juſta *l.* 1. *l. pronunciatio* 195. *l. quiſquis* 116. *l. juſta* 201. *D. de verbor. ſign. l. cum in adoptivis* 10. §. *quæ in filio Cod. de adoption. l. penult. in fine, Cod. de præpoſitis ſacri cubicul. lib.* 12. Eam vero expoſitionem firmo duobus locis, perquam appoſitis; altero Juſtiniani *in* §. *in duplum* 23. *Inſtitut. de action.* ubi verba illa, *aut luxurioſe vivere, cœperit*, ſic Græce exprimit Theophilus, ἢ ἀσώτως ζῇ, hoc eſt, *aut prodigaliter vivit*, id enim proprie innuit vox, ἀσώτως. Altero ſacri Bibliorum textus Lucæ *cap.* 15. ubi ſic de prodigo adoleſcente: *Et ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivens profuſe*, ut vulgata verſio habet, *vivendo luxurioſe*. Concludimus auctoramento ex Baſilico jure *lib.* 38. *tit.* 10. *in d. l.* 15. in quo *luxurioſe viventi*, reſpondet Græca vox ἀσώτως. ſeu *prodige*, qua notione toto illo titulo ea vox uſurpatur.

11 Dices fortaſſe, admiſſa hac expoſitione nullam, Juriſconſulto dignam, dubitandi rationem ſupereſſe, in quæſtione *dict. l. & mulieri* 15. Quis enim, aut cur dubitet, an ſicut prodigo interdici bonis poteſt, poſſit & prodigæ? Ego autem vereor (qua fronte, aut ſtomacho ſciolum vulgus, quod ſum dicturus accipiat, & tamen ſemel, atque ex animi ſententia monitum velim) ſicut in juris articulis, de quibus veteres prudentes dubitaſſe, aut diſſenſiſſe interdum, video, aut quos, ut plerumque accidit, tractant, deciduntque illi ſub quæſtionis, ſive ſpeciei forma, ſemper quærendi, & dubitandi cauſam non levem, ex principiis artis petitam, adfuiſſe, genuſque interpretandi, quo extra dubitationis aleam quæſtio relinquitur, ineptum, & inelegans eſſe, ſcio. *l. in fin. D. ad municip. l. quod Labeo* 9. *D. de Carbon. edict.* ita è contrario in aliis juris pronunciatis, quæ tanquam prima, & explorata elementa, vel receptæ, & inconcuſſæ ſententiæ proponuntur in juris libris potius, quam diſputantur, dubitandi rationem deſiderare, eamque anxie, & operoſe nimis exquirere, arbitror, ut leniſſime dicam, non neceſſarium. Eſt vero hujus ſecundi generis aſſertio Pauli *in d. l. & mulieri* 15. quæ deducta ex ejuſdem *lib.* 3. *Receptarum Sententiarum*, ubi & nunc extat *inter fragmenta tit.* 4. §. 6. eſt juris definitio, & præceptio in eo tractatu certa, & perſpicua, quæque, ut doceamur potius, quam dubitemus, proponitur.

Neque ambigendi ratio omnino deficit, ſi eam 12
adhuc inquiris, quin potius eadem eſt in hac parte, quæ in ſimilibus juris locis, quibus tractatur de jure, in maſculis recepto, producendo ad fœminas. *l. ſi ita* 45. *D. de legat.* 2. *l. qui duos* 62. *D. de legat.* 3. *l. ſi quis ita* 16. *D. de teſtam. tutel. l. filio* 84. *l. quiſquis* 116. *l. Servius* 122. *l. pronunciatio* 195. *l. Juſta* 201. *D. de verb. ſign.* conſtat enim, legis dnodecim tabularum, quæ bonorum ſuorum adminiſtrationem prodigis interdici, & in curatione agnatorum eſſe, juſſit, relata fuiſſe verba ad prodigum, nempe maſculum. *l.* 1. *D. de Curator. fur.* §. *Furioſi* 3. *Inſtit. de Curator.* Ulpian. *tit.* 12. § 2. unde cum maſculini ſexus appellatio fœmininum non complectatur, ſi proprie, & ſtricte loquimur, ſive ſecundum figuram verborum, ut ſcriptum eſt *in l. quiſquis* 116. *D. de V. S.* ac præterea curatoris datio, & interdictio adminiſtrationis circa dominum, majorem viginti-quinque annis, ſit præter communes regulas juris. *l. In re mandata* 21. *Cod. mandati. l. nemo* 9. *Cod. de Judæis. l.* 2. *D. ſi à parente quis fuerit manum.* dubitari, non immerito potuit, an & mulieri prodigæ interdici bonis poſſet. Sic etenim, cum lex duodecim tabularum, liberti impuberis tutelam patrono deferat, *princip. Inſtitut. de legit. patron. tutel.* an & liberti appellatione, liberta contioeretur, dubitatum fortaſſe fuit, & ideo deciſum *in l. liberti* 272. *D. de verb. ſig.* juncta ex eodem Ulpiani *libro. l.* 3. *D. de legit. tutor.* Itemque *l. cum pater* 77. §. *cum inter* 28. *Dig. de legat.* 2. Sed quemadmodum in his, & aliis locis, dubitandi hac ratione neglecta, receptum jus maſculis ad fœminas porrigitur, ita & *in dict. l. & mulieri* 15. & quidem interpretatione juſta, ut proditum eſt *in dict. l. Juſta* 201. *D. de verb. ſign.* ſive, quod idem eſt, ex regula, jure admiſſa, tam in tractatu legum noſtrarum Juliæ, vel Papiæ. *l. hominis* 152. *D. de verb. ſign.* de qua ſuo loco plenius, quam in aliis cauſis, etiam ſtrictis, odioſis, & pœnalibus. *l. ſi quis id, quod* 7. §. 1. *D. de juriſdict. l. penult. C. ad legem Cornel. de Sicar.* juncta *l.* 1. *D. eodem tit.* cum ſimilibus, alibi explicandis.

CAPUT

C A P U T XXVII.

De Vidua, Luxurioſe vivente.

Ad Regiam leg. 5. tit. 9. lib. Compilat.

PRACTICA DISQUISITIO.

A R G U M E N T U M.

EX *vulgari intellectu* d. l. 15. D. de Curator. fur. *illatio ad* Regias leges, *de vidua* luxurioſe vivente. *Talem cenſendam eſſe viduam, vel ſemel impudicam, & idcirco excidere parte conjugalis acquaſtus, ſcripſere ex noſtratibus plures, & quidem argumento, & exemplo* legis Fori, *de inboneſta vidua, excidente relictis a marito. In contrarium non pauciores, & potiores, quia* luxurioſe vivens, *ſi ad libidinem referatur, non eſt ſemel, vel uno ſtupro inboneſta, ſed quæ luxurioſam vitam degis, ut eſt* in Juſtiniani Novella, *quam de meretricia vita velut exponit* Alphonſus *noſter* in ſeptempartita lege: *tum quia diverſum jus, & ratis relictorum à marito viduæ, quæ ab illo, & tanquam lucra, & pudicitiæ præmia capit, & vel ſemel impudica amittit, & conjugalis acquæſtus partis, quæ ſuo jure uxori, tanquam ſociæ, lege defertur. Explicatius hæc ſingula pro explanando argumento ex* lege Regii Fori, lib. 24. Cod. de donationib. inter.

1 ILlud ex ſupra traditis, circa interpretationem *dict. l. & mulieri* 15. propriæ, neque omittendæ, ad fori, & judiciorum uſum, diſquiſitionis eſt, quænam ſcilicet, & quatenus circumſcribenda definitio ſit viduæ, *luxurioſe viventis*, in *Regia l. ultim. tit. 14. lib. 5. ordinam. l. 5. tit. 9. lib. 5. Compilat.* quibus deciſum apud nos eſt, uxorem, quæ, ut præfatæ leges loquuntur, *fincare viuda, ſi ſiendo viuda viviere luxurioſamentr*, amittere bonorum partem, quæ ex conjugali quæſtu legibus noſtris ei deferri ſolet. Et ſane cum inter omnes conſtet *luxurioſe viventis* mulieris appellatione, in Regiis hiſce legibus, non prodigam, ſed inhoneſtam intelligi, controverſum tamen eſt valde, & valide, an ut *vivere luxurioſe* dicatur, vel ſemel ſtupro, intra, aut poſt annum luctus, ſuccubuiſſe, ſufficiat, an potius iterata, plurieſque repetita inhoneſtæ, ac meretriciæ vitæ ignominia deſideretur, ut ſuperiori pœnæ obnoxia ſit vidua. Et quidem primum illud ſufficere, nam ex aliis conſtitutionibus, quibus indiſtincte viduam inhoneſtam relictis à marito cadere, definitum eſt, ſine circumſcriptione temporis intra, aut poſt annum luctus, ut *in l. 9. tit. 12. lib. 3. fieri*, vel ſtupri ſemel, pluriesve commiſſi, ut *in Novella 39. de reſtitut cap. 2. per tot. Auth. riſdem, Cod. de ſecund. nupt. l. 3. verſic. Eſſa miſma, tit. 12. part.* 4. tum etiam ex ratione juris, quæ quicquid viduis datur, defertur, pudicitiæ præmio cedere, docet. *l. res uxoris* 24. *Cod. de donationib. inter. ult. C. quando mulier tutelæ offic.* Idque & eo indignam eſſe viduam, qualitercumque impudicam, ſive quæ viduitatem, vel unius ſtupri procacitate commaculat. *l. ſi mulier* 35. *Cod. ad l. Jul. de adulter. l. 2. C. Theodoſ. de repud.* non obſcure ſentiunt Gomeſius *in l. 51. Tauri, num.* 80. & in *l. 14. n.* 17. Joann. Lupus *in Rubr. de donat. inter*, §. 11. *n.* 6. & §. 67. Didac. Perez *in d. l. ult. tit. 4. lib. 5. Ordin. gloſſ. ult.* Covarruv. *in 4. p. cap. 7. §. 6. n. 12. in prima editione.* Mexia *in Regiam legem Toleti 10. fundam. 2. p. n.* 14. Avileſius *in proœmio, capit. Prætor. n.* 38. Molin. *de Hiſpan. primog. lib. 1. cap. 9. num.* 50. Menchaca *Illuſtr. cap. 104. n.* 6. Mieres *de Majorat. 1. p. q. 48. n.* 40. cum pluribus ex Romano jure Farinac. 4. *p. Praxis Crimin. titul. de delictis carnis, q. 141. n* 54. aperte magis, acriterque poſt alios, Joannes Garcia *de Conjug. acquæſtu, n.* 29. & 45. & quoad relicta à marito ex profeſſo Cyriacus 1. *tom. Contr.* 134. D. Valençuela *Dict. Conſil.* 80. *n. 30. & ſeq.*

2 Ex adverſo autem, non amittere viduam partem lucrorum, ſi ſemel, iterumve dumtaxat, intra, aut poſt annum luctus, in corpus ſuum peccaverit, niſi & pluries deliquerit, & meretriciis plane moribus, atque abjecta pudicitia fuerit, docuit ex noſtratibus primus, Primarius ille Anteceſſor, & Juriſconſultus Emanuel Coſta *in cap. ſi pater*, 1. *part. verb. legavit, n. 39. de teſtam. lib.* 6. quem ſequuntur magno aſſenſu noviores, cordatioreſque Covarr. ingenue priorem illam ſententientiam mutans, ſive explicans, *in ſecunda editione dict. part. 2. cap. 7. §. 6. n.* 12. Matienço *in d. l. 5. gloſſ. 8. num. 7. tit. 9. lib. 5. Compil.* Barboſa *in l. 2. p. 1. n. 67. & 69. D. ſolut. matr.* Padilla *in l. fideicommiſſum, num. 7. Cod. de fideicommiſſ.* P. Thomas Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſput. 90. num.* 8. Gutierrez *lib. 2. Practicar. quæſt.* 122. Cevallos *Commun. Contr. comm. qu.* 708. *num.* 16. Azeved. *in l. 4. n. 19. tit. 1. lib. 5. Compilat.* conducunt notata à Baeza *de Decima tutor. cap. 4. num.* 8. idque & hodie receptius, & benignius, veriuſque eſt. Primum, quia *Regiæ legis Henriciæ, Ordinamenti & Compilationis*, cujus meminimus, concepta verba ſunt, non de vidua, qualitercumque inhoneſta, ſed de *luxurioſo vivtate*, quo genere loquendi proprie meretricem intelligi, receptiſſima eſt Accurſii traditio *in d. l. & mulieri* 15. & perplurium, quos recenſuimus ſupra *cap.* 26. eaque traditio, tametſi, ut jam monuimus, interpretandæ *dict. l. & mulieri* 15. in qua juris, & latini ſermonis rigida ratio contra ſtat, non uſquequaque appoſita ſit, congruit tamen apprime Regiæ conſtitutioni, & idiomati patrio, cujus nemo vel mediocriter ſciens neſcit, *luxurioſe vivere* dici viduam, non quæ vel prodigaliter, vel inhoneſte ſemel, aut iterum peccavit, ſed quæ libidinoſam, turpemque vitam vivit, ejuſque, ut ita dicam, contraxit habitum, non uni, vel unius ſtupro aſſuefacta.

Argumentum rei nec leve, aut ludicrum præſto 3
ſit, quod verba illa ex *Novella Juſtiniani* 115. *ut cum de appellat. cap. 3. §. ſic alicui*, quæ in vulgata latina paraphraſi ſic habent: *luxurioſam degere vitam, elegerit*, ita in eadem re exprimit Alphonſus noſter *in l. 5. tit. 7. part. 6. E deſpues deſto ficiere vida de mala muger en puteria.* conducunt ex Romano jure textus in *dict. l. ſi vero 12. §. ſi adoleſcens, D mandati. l. ſi quis cum ſciret 8. D. pro emptore*, ubi adoleſcentis luxurioſi appellatio, ſi ad libidinem, intemperantiamque in venereis referatur, non ſemel inhoneſtum, ſed ſcortationi paſſim, & promiſcue deditum ſignat, ſicut ſimile huic nomen fornicatricis eam, cujus corpus publicum, ac vulgare eſt, ut ait D. Iſidorus *lib. 10. Etymol.* & ſi quæ aliæ ſunt officii, & conſuetudinis turpis appellationes.

Secundo, quia pœna hæc amiſſionis lucrorum ir- 4
rogatur Regia ſanctione, ſine præfinitione temporis intra, aut poſt annum luctus, quin aperte, & poſt annum, ſi luxurioſe vixerit mulier, quamdiu vidua eſt, ſive, ut leges loquuntur, *ſiendo viuda*, idque utriuſque ſententiæ auctores fere omnes agnoſcunt, &, poſt alios, Morquecho *de diviſione bonorum lib. 4. cap. 12. num.* 46. & tamen quoad donata, ſeu relicta pure, ac ſine conditione caſte vivendi, à marito, non excidere eis viduam propter ſtuprum, ſemel poſt annum luctus admiſſum, neque incidere in alias pœnas nubentium intra annum luctus, & expreſſum fere eſt civili, & Regio jure *dict. Novella 39. de reſtitution. cap. 2 l. 3. verſ. Eſſa miſma tit. 12. part.* 4. & obtinuit crebro, & com-

muniter apud eos, qui dextre, ſerioque rem perpendunt, ut Coſta, Matienço, Barboſa, Sanchez, & alii, jam laudati. Eademque, aut certe ita accipienda ſententia fuit Harmenopuli *in Promptuar. lib. 4. tit. 7.* ubi ſic de adultera ſcribit: *Lex dum ſecundo nubentes prohibet omni viri liberalitate frui, non item eas prohibuit, quæ ſeſe ſtupris macularent*, nempe poſt annum luctus; alioquin aperte in jure aperto cæcutiret Harmenopulus. Atqui nec dubitari poteſt, laxiorem, liberioremque mulctandæ viduæ inhoneſtæ cauſam, ſive materiam occurrere in relictis, donatiſve a marito, quam in parte lucrorum conjugalium; illa enim petere non poteſt niſi ex judicio, & munificentia mariti, quibus indigna eſt vidua, quæ genialem lectum, & defuncti conjugis memoriam, & manes ſtupro contaminavit, & læſit. Hæc autem, ſcilicet lucrorum pars, non liberalitate mariti, ſed Regii juris auctoritate, & prætextu mutuæ, tacitæ, ac veluti legitimæ ſocietatis bonorum, tamquam debita, & propria viduæ defertur. *l. 1. 2. & 3. tit. 3. lib. 3. fori. l. 14. Tauri.* juncta *l. ult. Cod. de bon matern.* ubi notat ad rem Pinellus *num. 3. & in l. 1. part. 1. num. 37. Cod. eod. tit.* Tellius *in l. 14. Tauri.* Covarruv. *dict. 2. part. de Sponſalib. cap. 7. §. 1. num. 8. in fine.* Matienço *in dict. l. 5. gloſſ. ultim. & in l. 6. gloſſ. 2. num. 2. & ſeq. titul. 9 lib. 5. Compilat.* Ergo cum nec relicta, vel donata a marito, quæ proprie lucra ſunt, & pudicitiæ veluti præmia, amittat vidua propter ſtuprum, ſemel commiſſum poſt annum luctus, multo minus ob id ipſum amittet conjugalis acquæſtus partem, quæ mutuæ ſocietatis, & induſtriæ titulo, potius quam tamquam lucrum ex mariti bonis, aut munere, jure ad eam pertinet. Numquam enim par, eademque ratio eſt, aut eſſe debet, debita amittere, & lucra non capere. *l. ultim. §. penult. Cod. de codicill. l. ultim. §. hæc autem, Cod. qui potior. in pign.* inſolenſque, & iniquum eſſet, non ignoſci viduæ, quæ de vitando damno ſatagit in ea ſpecie, in qua ei, vel ut lucrum captaret, ſubveniretur; argumento *ex l. error 8. D. de jur. & facti ignorantia. l. quamvis 11. Cod. eod. tit.*

5 Nec nos ab hac ſententia movent, quæ pro contraria expendimus, argumenta. Nam quod ad primum attinet, ex *Novella 39. de reſtitut. cap. 2. l. 3. verſic. Eſſa miſma, titul. 12. part. 4.* quibus proditum eſt, mulctandam eſſe viduam, relictis, donatiſve à marito, ſi vel ſemel intra annum luctus in corpus ſuum deliquerit, ſive, ut *lex Regia* loquitur, *ficiere maldad de ſu cuerpo*; in promptu ex ſupra traditis reſponſio eſt, multum intereſſe in propoſito inter relicta, vel donata à marito, & conjugalium lucrorum partem; priora quippe ſunt proprie lucra, ſive compendia ex liberalitate mariti, & pudicitiæ præmio cedunt. *l. res uxoris 24. Cod. de donat. inter.* indigna vero eſt lucro ex judicio mariti, indigna pudicitiæ præmiis, quæcumque intra annum luctus conjugis vix ſepulti cineres, familiam, & nomen, ſimulque pudicitiam vel unico ſtupro violavit, offendit, & contriſtavit, ut ſcriptum eſt *in Novella 22. de nuptiis cap. 43. §. quæ vero.* Poſteriora autem, cum legis potius, quam mariti beneficio, tamquam ſocietatis, & induſtriæ communis fructus vidua vindicet, neque amittuntur unico ſtupro, niſi ea perditis omnino, ac meretriciis moribus fuerit.

Nec ſane (ut proprie magis ſecundo illi argumento, quod ex ratione juris ſupra pro contraria ſententia attulimus, faciamus ſatis) novum, aut incivile eſt, pro varietate cauſæ, & bonorum, diſtingui etiam impudicitiæ, ac pœnarum gradus, atque ordines: namque, ut omittam quoad connubii ademptionem cum ingenuis et noſtris legibus, dumtaxat palam, publiceque quæſtuarias, ſive meretrices notari; quoad alias autem Juris notas, aut mulctas comprehendi qualeſcumque vulgares, & vel unius concubinas, manifeſte corpore turpes, ut *in l. probrum 41. D. de ritu nupt.* juncta *l. 62. Tauri*, de quibus ſupra *cap. 18.* Obſervare etiam propius ad rem præſentem licet, præmia, ſeu privilegia, quæcumque aut ex perſona judiciove mariti, aut pudicæ, & honeſtæ viduitatis intuitu deferuntur, auferri, ſive non deferri viduis, qualitercumque inhoneſtis; quia, utcumque luxurioſe vivere dici non poſſit, quæ cum uno, aut altero miſcuit, ut in noſtra *l. palam 43. §. 1. & 2. de ritu nupt.* non eſt tamen pudica, vel honeſta, non retinet matronæ dignitatem. *l. ſi uxor 13. D. ad leg. Jul. de adulter. d. l. probrum 41. l. item 49. §. parvi D. de legat. 3. l. cum tabulis 16. §. quoniam D. de his, quæ ut indign.* eamque quæ ſe in tantum fœdus deduxit, viduitatis honoribus, ut Tertullianus nominat *lib. 1. ad Uxorem cap. 8.* ſimulque matrimonii prioris ſpoliis veluti, & præda ovari, & exultare, exemplo grave, & invidioſum eſſet. *l. Senatoris 47. D. de ritu nuptiarum.* 6

CAPUT XXVIII.

Conſectanea ſignatæ nuper diſtinctioni inter præmia viduitatis pudicæ, & pœnas impudicæ.

ARGUMENTUM.

Viduæ olim immunes à capitatione plebeia, ſi tamen caſtæ. Elucidatæ ex Theodoſiano Codice, leges 4. & 6. de cenſu. & 27. de Epiſc. & Cleric. *ſimulque alia ex* SS. Patribus, *de viduali ſtatu in priſca Eccleſia. Tutela filiorum conſervatur matri viduæ, quamdiu vidua, nec binuba, nec polluta, vel uno ſtupro, quod vel unum ſufficit, tametſi aliter, & varie plures* ad leg. ult. Cod. quando mulier. tut. *Fruuntur viduæ fore, dignitate, & nobilitate maritorum, ſi in viduitate pudicæ ſint; & excidunt, vel ſemel impudicæ, juxta* Romanas, Regiaſque leges, *de queis noſtrates* Juriſperiti. *Ejuſdem notæ eſt, & cenſuræ privilegium viduarum, tamquam miſerabilium, evocandi in litium ſuarum prima inſtantia ad* Regias Curias, *dummodo honeſtæ ſint: non item ſi vel uno ſtupro impuræ, quamvis poſtea continuerint, & multo minus ſi meretricatæ. Expeduntur* Regiæ, *ad rem* litteræ, *expediri ſolitæ. Diverſa ratio eſt pœnarum in his, quæ ſuo jure viduæ ſunt, quale jus revocandæ donationis ob ingratitudinem, negatum viduæ binubæ, aut impudicæ contra filios donatarios; at non negandum, ſi ſemel incontinens, ſed ſi* abjectæ pudicitiæ fuerit, *ut exprimitur* in l. 7. Cod. de revocand. donat. *ſive* proſtituta, *ut habent* Baſilica, *id quod verius, benigniuſque. Sic exhæredandæ filiæ, turpiter flagitioſæ, jus intelligendum non de ſemel contaminata, ſed de meretricante, ſuffragantibus huic ſenſui verbis* l. 12. Cod. de inofficioſ. & Novella 115. & Regia Alphonſi lege *cum* Baſilicorum Synopſi, Balſamone, Harmenopulo, Juliano *anteceſſore, & inter* Latinos *potioribus, tametſi alii refragentur.*

1 FUit vero, ut & mantiſſam hanc largiamur, ultra relicta, donatave à marito; de queis *in dict. l. res uxoris 24.* tale olim privilegium immunitatis à capitatione plebeia, datum Conſtitutione Valentiniani, in perpetua virginitate viventibus, & viduis, ſive ei viduæ, *de qua ipſa maturitas pollicetur ætatis, nulli jam eſſe nupturam*, ut Cæſares loquuntur *in l. 4.* juncta & *l. 6. Cod. Theodoſ. de cenſu, ſive adſcriptione*, quibus verbis deſignari, arbitror, viduas, voto, habitu, & profeſſiune continentiæ mancipatas, & ex veteri Eccleſiæ more in viduatum, ſive vidualem ſtatum, & ſedem allectas, quas non minores ſexaginta annis deligi, & miniſterio, ſeu functioni viduali præfici debuiſſe, probat vel *ex eodem Cod. textus in l. nulla 27. de Epiſcop. & Cleric.* juncta *l. nulla 9. eodem tit. in Cod. Juſtiniani. Novella ejuſdem 6. cap. 6.*

Digitized by Google

6. & *Novella* 123. *cap.* 13. & *ex Epiſt.* 1. *Pauli ad Timoth. cap.* 5. Tertullian. *lib. de Virginibus veland. cap.* 9. nempe, *ut propter earum ætatem certum veluti eſſet, eas bigamiæ ſuſpicione carere*, ex ſententia Clementis Romani exponendis Valentiniani verbis *in d. l.* 4. appoſitiſſima *lib.* 3. *Conſtit. Apoſtol. cap.* 1. unde & presbyteræ, tamquam ſeniores, viduæ vocantur, ut indicat Epiphan. *lib* 3. *contra Hæreſes hæreſi* 79. *contra Collyridianos*, & proprie conferuntur viventibus in virginitate perpetua, *in dict. l.* 4. cujus privilegium, ſive capitationis immunitatem, non pertinuiſſe ad viduas, vel ſemel inhoneſtas, ſatis ex verbis, menteque Conſtitutionis probari poteſt; quia inhoneſtæ nec proprie viduæ ſunt: & ut graviter Paulus 1. *ad Timoth. cap.* 5. *Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt, quæ autem vere vidua eſt, & deſolata ſperat in Deo, & inſtat obſecrationibus, & orationibus nocte, & die. Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*; ad quem locum Clemens Romanus *lib.* 3. *Conſtitut. Apoſtolic. cap.* 3. *Veræ ſunt viduæ, quæ uni nuptæ fuerunt, plurimorum teſtimonio probatæ, bonis operibus intentæ, viduæ revera temperatæ, caſtæ, fideles, piæ.* Plura in eamdem ſententiam, & de priſca Eccleſiaſtica vidualis ſtatus, ſeu gradus diſciplina, Ambroſ. *lib. de Viduis*, & Auguſtin. *de ſancta Viduit. ſive de bono viduit.* Salvian. *lib.* 2. *ad Eccleſ. Catholic.* Tertull. *de Veland. Virgin. cap.* 9. & *lib.* 1. *ad Uxorem cap.* 7. ubi Cerda, & Pamel. *ad eumdem Tertull. de Exhortat. Caſtitat. cap.* 13. *annot.* 72. Cæſar Baron. *tom.* 1. *Annal. anno Chriſti* 34. *n.* 81. Creſpet. *in Summa Fidei Cathol. verb. Monialis vidua*, & *ſeq.* Claudius Spenzeus *de Continentia*, *cap.* 6. & *toto eo libro.* exacte Jacob. Gothofred. *ad d. l. nulla* 27. *Cod. Theodoſ. de Epiſc. & Cler.*

2 Eſt & hujus omnino generis tutela filiorum, etiam naturalium, quæ & naturali matri datur, dummodo poſtea *ad nuptias non perveniat, ſed pudicitiam ſuam intactam conſervet*, ut ſcriptum eſt *in leg. ult. Cod. quando mulier. tut. offic.* Quibus ex verbis, quamvis ſtricte, proprieque accepta, exaudire ſic forte poſſent, ut pudicitiam intactam ſervet à ſecundis nuptiis, quas & in eadem re Juſtinianus, ejus Conſtitutionis auctor, imputat pene effuſæ concupiſcentiæ *in Novella* 22. *de nuptiis cap.* 40. & ſecundas concupiſcentias vocat *in Novella* 94. *ut ſine prohibit. matres cap.* 2. in fine; invaluit tamen vulgo, & obtinuit, pudicitiam intactam, & continentiam etiam extra nuptias exigi in vidua, ſive matre, ut tutelam retineat. Idque nec ſine auctoritate defenditur, *l. ult. §. minores* 2. *Cod. de ſentent. paſſis l. lex quæ tutores* 22. *§. ſervi*, *Cod. de adminiſtr. tutor. dict. l.* & *mulieri* 15. juxta primam Accurii expoſitionem, *D. de curatore furioſo. cap. uxoratus* 8. *de converſ. conjugat. l.* 9. *tit.* 16. *part.* 6. ibi: *Que ſea buena muger, è de recabdo*, neque ſine rationis colore, ne ſcilicet plus habeat exlex impudicitia, quam caſtitas legitima ſecundarum nuptiarum, contra Juſtiniani ſententiam *in dict. Novella* 39. *de reſtitut. cap.* 2. docent, poſt Accurſ. *in Auth Sacramentum*, *verb. Contractis*, *C. quando mulier tutel.* Bartol. *in l. ſi quis ſub conditione*, *num.* 26. *D. de teſtam. tut.* Abbas Panormitan. *in dict. cap. uxoratus* 8. *num.* 2. *de converſ. conjug.* late poſt multos Joannes à Garronibus *in repetit. Authent. eiſdem*, *ex num.* 23. *Cod. de ſecund. nupt.* Pinell. *in l. ult. num.* 18. *C. de ſecund. nupt.* Gutierrez *de tutel.* 1. *part. cap.* 9. *num.* 19. P. Molina, Regiis ordinationibus Luſitanis hoc aperte cautum affirmans, *de Juſt. & Jure*, *tractat.* 2. *diſp.* 220. *num.* 17. Gomeſius *in l.* 14. *Tauri*, *num.* 13. & innumeri alii, quos non tranſcribo; unde & amitti à matre tutelam, ſi vel unico ſtupro ſe polluat, quia certe qualecumque ſufficit, ut pudicitia non intacta ſervetur, agnoſcit P. Sanchez *lib.* 7. *de Matrimon. diſp.* 90. *num.* 15. ſuperiori, quoad praxim, ſententia ſuppoſita, quamvis de tota ea in diſputando cauſatius dubitet, ſicut & ante illum Accurſius *in dict. Novella de reſtitut. cap.* 2. *verb. legitimas*, *in fine*, quem ſequitur Angelus *ibidem.*

3 Deinde & ejuſdem generis ſunt prærogativæ fori, dignitatis, nobilitatis, quibus ex perſona mariti mortui, cujus, ut dici ſolet, radiis viduæ coruſcant, *illuſtres pro ſorte viri*, ut Sidonius loquitur *in Carmine de Burgo Pontii.* & *lib.* 5. *Epiſt.* 16. & in cujus matrimonio permanere, videntur. *l. ultim. Cod. de bon. matern.* eaſdem potiri, plus quam manifeſtum eſt, *l. fœminæ* 8. *in fine*, *D. de Senatorib. l. exigere* 65. *D. de judic. l. filii* 22. *§.* 1. *D. ad municip. l. cum te* 10. *Cod. de nupt. l. ultim. Cod. de Incol. lib.* 10. *l. mulieres* 13. *Cod. de dignitat. lib.* 12. *l. unic. Cod. de mulierib. in quo loco lib.* 10. *Novella* 105. *de Conſulib. cap.* 2. *in princip. cap. is*, *qui* 3. *§. mulier de ſepultur. lib.* 6. *l.* 7. *tit.* 2. *part.* 4. quamdiu tamen aliis non nubunt, & in viduitate honeſta permanent, quod poſtremum, & receptum paſſim eſt à Pragmaticis, & inſinuatum fere in Aulæ, ſive Regiæ adminiſtris, ſeu militibus Palatinis, *in l.* 3. *Cod. de privileg. Scholar. lib.* 12. juncta *l.* 3. & 4. *Cod. de caſtrenſ. eodem lib. l. medicos* 6. *Cod. de profeſſor. & med. lib.* 10. *l. in ſacris* 12. *Cod. de proxim. ſacror. ſcrin. lib.* 12. *l.* 4. *de ſilentiar.* & *l. ultim. de præpoſit. agent. in reb.* junctis traditis à Gutierrez *lib.* 4. *Practicar. quæſt.* 6. *num.* 4. & tranſcriptum inde, atque expreſſum aperte magis circa eoſdem Aulicos, *in l.* 13. *tit.* 4. *lib.* 4. *ordinam. l.* 18. *tit.* 14. *lib.* 6. *Compilat.* & circa nobiles, quos, *fidalgos*, dicimus, eorumque uxores viduas, *in l.* 6. *verſ. E otro ſi*, *tit.* 2. *lib.* 4. *ordinam. l.* 6. *tit.* 11. *lib.* 2. *Compilat.*

Quibus noſtris in legibus illa, iam religioſe veluti repetita formula, *y mantuvieren deſpues caſtidad*, reſpondet plane illi alteri, *pudicitiam ſuam intactam conſervet*, quæ extat *in l. ult. Cod. quando mulier tutelæ.* Idcircoque nec dubito, quin privilegiis nobilitatis, vel immunitatis ex perſona mariti, excidat vidua, qualitercumque inhoneſta, quia vel unico ſtupro pudicitia violatur, ſive caſtitas non ſuſtinetur; quod ne primus notarim, ſciunt Lara, recte in hac re Pinellum notans, *in l. ſi quis à liberis*, *§. ſi quis ex his*, *num.* 145. *D. de agnoſc. lib.* Cevallos *Pract. Commun. quæſt.* 708. *num.* 8. Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *de impedim. diſput.* 91. *num.* 32. *verſ.* 9. Conducunt tradita à Tiraquello *de Nobilitat. cap.* 18. *num.* 13. & 14. Annæo Robert. *lib.* 1. *Rer. Judicat. cap.* 13. Petro Surd. *de Aliment. tit.* 7. *quæſt.* 24. *num.* 17. Gratian. *Regula* 497. *num.* 6. D. Anton. Pichardo *de Nobilit. Communicat. num.* 62. Fontanella *de Pact. Nupt.* 2. *tom. clauſ.* 7. *gloſſ.* 3. *part.* 15. *num.* 53. Souſa *in l. fœminæ*, 1. *part. num.* 148. *D. de regul. jur.* Cardin. Thuſco *Pract.* 8. *tom. litt. V. concluſ.* 202. *numer.* 2. & *tom.* 5. *litt. M. concl.* 212. 4

Denique ad eamdem notam, numerumve pertinet privilegium, viduis, ſimulque aliis miſerabilibus perſonis tributum, ut poſſint in civilibus ordinariis cauſis, primaque earum, ut loquuntur, inſtantia, ante litem conteſtatam eos, quibuſcumque ſint litigaturæ, ad Comitatum, Curiamve Principis evocare, ibique convenire, *l. unic. Cod. quando Imperator. int. pupill. l.* 2. *Cod. Theodoſ. de offic. omn. jud. l.* 41. *tit.* 18. & *l.* 20. *tit.* 23. *part.* 3. *l.* 1. *tit.* 1. *l.* 14. *tit.* 2. *lib.* 3. *ordinam. l.* 1. *tit.* 1. *l.* 8. *tit.* 3. *lib.* 4. *Compilat.* nempe juxta præceptum illud apud Iſaiam *cap.* 1. *Judicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus.* Quod ſubſecuta vetus Eccleſia, non ſolum in alendis viduis pauperibus, ſua cura, ſumptuque, ut, poſt D. Paulum 1. *ad Timoth. cap.* 5. præcipiunt *Canones Carthaginienſis* 4. *Synodi* 101. & *ſeq.* apud Gratiam. *cap. penult. & ult.* 81. *diſtinct.* Clemens Romanus *lib.* 2. *Conſtitut. Apoſtolicar. cap.* 1. Hieronym. *lib.* 1. *adverſ. Jovinian.* Auguſtin. *Serm.* 35. *ad fratres in Heremo.* Lactant. *lib.* 6. *cap.* 12. & paſſim alii Patres, ſed etiam in earum tutela, contra potentiorum injurias veluti ſuſcipienda, & commendanda Imperatoribus, poteſtatibuſque ſæcularibus, ut didici ex Concil. Sardicenſi *Can.* 8. Vernenſi *Can.* 23. Matiſconenſi 2. *Can.* 12. Chalcedonenſi *Can.* 3. Juſtino Martyre *Apol.* 2. junctis in eamdem ſententiam apud Gratianum *cap.* 1. & 2. 87. *diſtinct. cap. Regum.* 23. & *cap Adminiſtratores* 26. 23. *quæſt.* 5. interdumque ubi opus, ad forum Eccleſiaſticum revocanda. *cap. ſuper.* 26. 5

in fine, *de V. S. cap. ex tenore* 11. & *cap. ex parte* 15. *de foro competenti* (de quo tamen accenſenda hiſce, & conferenda, quæ tradidimus *de violentiæ recurſibus*) nimirum dummodo viduæ honeſtæ ſint, ſive honeſtam vitam agant, alioquin non habere eas jus revocandi, ſeu provocandi ad Auditorium Principis, docent fere in propoſito Felinus *in cap. ſignificantibus* 38. *num.* 8. *de offic. & poteſt. judic. de leg.* Lucas de Penna *in l.* 3. *Cod. de privileg. Scholar. lib.* 12. poſt alios proprie magis Covarruv. *in Practic. cap.* 7. *num.* 1. Didac. Perez in *l.* 1. *verſ. quod intelligendum*, *tit.* 1. *lib.* 3. *ordinament.* Vincent. de Franch. *Deciſ.* 232. Trentacinq. *Practic. Reſol. lib.* 2. *Reſol.* 2. *de citationib. numer.* 16. D. Joann. del Caſtillo *l.* 3. *Controverſ. cap.* 25. *num.* 15.

6 Ego autem ex ſupra traditæ diſtinctionis, & rationis filo, illud inſuper noto, ſufficere, ne vidua privilegio hoc fruatur, eam qualitercumque inhoneſtam eſſe, ac vel unico ſtupro contaminatam, tum quia viduitatis, ut diximus, privilegia, viduitatis pudicæ præmia ſunt *d. l. ult. Cod. quand. mulier tutel. d. l.* 9. *tit.* 11. *lib.* 2. & *l.* 18. *tit.* 14. *lib.* 6. *Compilat.* tum etiam, quia ſpecialiter Regiis litteris, quæ ad inferiores judices mitti, & expediri ſolent, pro deferendis ad ſuprema Prætoria viduarum cauſis, ut diximus, *por caſo de Corte*, ſolemnis hæc, ac veluti legitima conditio, ſive formula ſemper exprimitur, *ſi la dicha N. es viuda honeſta, y aſſi como tal ha vivido, y vive honeſta, y recogidamente.* Deficit autem hæc conditio, vel unius ſtupri probatione, quia utcumque vidua, quæ uni tantum, ſemelque conſenſit, meretrix non ſit, neque inhoneſte, aut luxurioſe vivat, certum eſt tamen, eam nec eſſe honeſtam, neque vivere honeſte. Unde & ex verbis illis, *ha vivido, y vive*, viduam, quæ olim inhoneſta, poſtea continuit, ad privilegium *dict. l. unicæ, Cod. quando Imperator.* non pertinera arbitror, *nec enim aboletur turpitudo, quæ poſtea intermiſſa eſt.* Ut in re noſtra, & ſimili ſcriptum eſt in *dict. l. palam* 43. §. *non ſolum* 4. juncta *l. Senatoris* 47. *D. de ritu nupt. l.* 3. §. *lege*, *D. de teſtibus*, & multo minus meretrices, quæ ſunt ſua culpa miſeræ potius, quam miſerabiles, fortunæ injuria, quamvis primum illud de vidua olim, non hodie inhoneſta, affirmet, poſt Caravitam, Trentacinquius *dict.* 2. *lib. Practicar. reſol.* 2. *de citat. num.* 16. poſterius autem hoc de meretricibus alii, merito notati ab Hillig. *ad Donell. lib.* 17. *Comment. cap.* 20. *litt. B.* Riccius *Collectan. Deciſ.* 163.

7 Jam vero in deſignandis illis impudicitiæ, atque pœnarum ordinibus, pro varietate cauſæ, & bonorum, juxta ſupra propoſitam diſtinctionem, *cap.* 27. *in fine*, & à præmiis ad pœnas, ut progrediamur, ſunt alterius, diverſique à præcedentibus, generis, quæcumque cum alioquin communi, & ordinario jure viduis, ſicut aliis perſonis competerent, adimuntur tamen pœnæ nomine, & cauſa propter viduitatem inhoneſtam; hæc etenim neque adimi, neque amitti regulariter, unico ſtupro, niſi aperte aliud legis mens, verbaque ſuadeant, rationis eſt, cum leniendæ ſint legum pœnæ interpretatione potius, quam aſperandæ, *l. penult. D. de pœnis l. cum quidam* 19. *D. de liber. & poſthum.* ſemperque diſpar ratio fuerit, debita amittere, & lucra non capere, *l. ultim.* § *penultim Cod de codicill. l. error* 8. *cum l. ſeq. D. de juris, & facti ignor.* Proinde quamvis quoad præmia, ſeu privilegia requiratur intacta pudicitia, caſtitas incorrupta, viduitas honeſta, quæ, quia vel uno ſtupro intacta, incorrupta, & honeſta eſſe deſinit, ideo & eo ſolo privilegia amittuntur, tamen è contrario quoad pœnas, & ut in eas incidat vidua, exigitur perſæpe legibus luxurioſa vita, inhoneſta viduitas, turpis, ac flagitioſa fœditas, ſive impudicitia poſitive, ut ſic dixerim, & θέτικως, quæ ſemel, iterumve dumtaxat ſtuprum paſſæ non niſi inhumane applicantur.

8 Exemplum ſit, ultra illud de parte conjugalium lucrorum, adempta noſtris legibus viduæ luxurioſe viventi, de quo ſupra *cap.* 27. jus revocandæ donationis, ex cauſa ingratitudinis donatarii, quod commune eſt quibuſcumque donatoribus, *l. ultim. Cod. de revocand. donation.* §. *ſciendum*, *Inſtit. de donationib. cap. ultim. de donat. l.* 10. *tit.* 4. *part.* 5. non tamen matribus, quæ ſecundo nupſerunt, ſi donationes, collatas in filios prioris matrimonii, revocare nitantur *l. bis ſolis* 7. *Cod. de revocand. donation. l.* 1. & 4. *Cod. Theod. eod. tit.* niſi ex cauſis propoſitis *in Novell.* 22. *de nupt. cap.* 35. *Authent. quod mater. Cod. de revocand. donation.* & multo minus matribus, ſive viduis portentoſæ vilitatis, abjectæque pudicitiæ, ut legimus *in dict. l. bis ſolis* 7. *in fine*, quibus verbis deſignari mulieres, propudioſe, & luxurioſe viventes, *forte quod ſint proſtitutæ*, ut exponunt Baſilica *lib.* 47. *tit.* 2. ſive, ut Accurſius loquitur, meretricio more, eiſque ſolis, non item aliis viduis, parum honeſtis, denegari jus revocandæ donationis ex cauſa ingratitudinis, cenſent, *poſt gloſſam in dict. l. bis ſolis* 7. Ripa in *l. ultim. num.* 98. *Cod. de revocand. donat.* Coſta *in cap ſi pater*, 1. *part. verb. legavit*, *numer.* 41. *de teſtament. lib.* 6. Donell. *lib.* 14. *Com. cap.* 27. & 28. Cujac. *ad tit. Cod. de revocand. donat.* Pinell. *in l. ultim. num.* 4. & 18. *Cod. de bonis matern.* laudat plures noviſſime doctus, diligenſque juris peritus, noſterque olim præceptor D. Joſeph Vela *controverſi juris in Senatu Hiſpalenſi*, *diſſert.* 7. *num.* 40. & 41. Idque tametſi obnixe reluctentur Lara *in l. ſi quis à liberis*, §. *ſi quis ex his*, *num.* 146. *D. de agnoſc. liber.* Garcia *de Conjug. acquæſtu*, *num.* 51. præterquamquod benignius eſt, congruit magis appellationibus illis portentoſæ vilitatis, abjectæque pudicitiæ, quæ ad viduas, uno, aut altero ſtupro notatas, nec manifeſte turpes, probroſaſque, non niſi improprie, & inclementer detorqueas, & ſupra traditæ rationi juris, quo quæ communia alioquin, omnibuſque delata, adimuntur pœnæ nomine inhoneſtis viduis, quale hoc eſt jus revocandæ donationis, ex cauſa ingratitudinis, donatoribus quibuslibet competens, poſt Juſtinianum *in l. ult. Cod. de revoc. donat.* non adimuntur, niſi ob viduitatem, prorſus inhoneſtam, ſeu luxurioſam.

9 Neque ad rem pertinet quod *in d. l. bis ſolis* 7. *in fine*, jus hoc revocandæ donationis ob ingratitudinem, potius privilegio, dum viduis matribus, honeſtiſque tribuitur, quam pœnæ, dum adimitur inhoneſtis, accenſeri videtur, ut proinde ad priorem illum ordinem privilegiorum viduitatis honeſtæ referri, debeat. Id enim proprie, recteque dicitur, ſi ad Conſtantini, ſive potius Conſtantii, Auctoris *d. l. bis ſolis* 7. tempora referas; & privilegium eſſe agnoſcas non viduitatis, ſeu viduarum, quatenus viduæ, ſed matrum, & pietatis, affectuſque materni, quia Romano jure ante Juſtinianum non facile, imo vix recepta revocatio donationis ob ingratitudinem inter extraneos, ſed ſolum inter liberos, & parentes, & inter libertos, & patronos *l. donationes* 31. §. *ſpecies D. de donat. l.* 1. *C. de revocand. donat.* ſed poſt Juſtinianum *in d. l. ult. Cod. de revocand.* non tam eſt privilegii conceſſa matri viduæ, & honeſtæ facultas revocandi ob ingratitudinem, quam odii, pœnæque ea adempta, idcircoque nec adimenda, niſi ob luxurioſam vitam.

10 Simile exemplum ſit, tametſi proprie ad viduam non pertinens, in exhæredationis nota, ſeu pœna, quam irrogari merito à parentibus filiæ, turpiter, & cum flagitioſa fæditate viventi, ſupra tradidimus *ex l. ſi filiam* 19. *Cod. de inoffic. teſtam.* utique ſi ante annum vigeſimum quintum, delata à parentibus conditione nuptiarum, luxurioſam degere vitam elegerit, ut expreſſum eſt *in Novella* 115. *ut cum de appellat. cap.* 3. §. *ſi alicui l.* 5. *tit.* 7. *part.* 6. & in Viſigothorum *legibus lib.* 3. *tit.* 4. *l.* 17. quo jure poſito, exhæredari poſſe filiam à patre, etiamſi ſemel, iterumve dumtaxat in corpus ſuum peccaverit, notant, ut receptum, Eman. Coſta *in repetit.* §. & *quid ſi tantum* 3. *part. num.* 192. Lara *in l. ſi quis à liberis*, §. *idem judex*, *num.* 61. *D. de agnoſcendis liber.* P. Barboſa *in l.* 1. *part.* 4. *num.* 18. *D. de ſoluto matrimon.* Petr. Surd. *de alimentis tit.* 7. *quæſt.* 4. *num.* 34.

Mihi

Google

11 Mihi autem certius omnino eſt, & receptius, non ſufficere, ut filia merito, aut juſte exhæredetur, unam, alteramve contaminatæ verecundiæ culpam, niſi ea prorſus turpem, & impudicam vitam vixerit; idque ſuperlationes illæ, *turpiter & cum flagitioſa fœditate vivendi, & luxurioſam vitam degere eligentis*, quibus utuntur *Textus in d. l. ſi filiam* 19. *& in d. Novella* 115. *§. ſi alicui*, tam manifeſte oſtendunt, ut mirer, viris doctis, ac præcipue Emmanueli Coſtæ ſuperioris diſtinctionis, cujus occaſione tam multa, & interpretationis verborum, *luxurioſe vivere*, primo aſſertori, tam perſpicuæ rei lucem in oculos non incurriſſe. Quidquod & Juſtiniani verba illa *in d. Novell.* 115. *cap.* 3. *§. ſi alicui*, juxta vulgarem verſionem, & Theodori Balſamonis apud Photium *in Nomocan. tit.* 13. *cap.* 9. *luxurioſam degere vitam elegerit*, reddit ita Harmenop. *lib.* 5. *Promptuarii tit.* 9. ubi de exhæredibus filiis *turpem, obſcœnamque vitam agere maluerit*, ſive, ut idem Harmenop. *lib.* 4. *tit.* 4. *ſe ſe proſtituere*, nec diſſimiliter *Synopſis*, ſive *Eclogn* Baſilicon *lib.* 35. *tit. de ingratis liberis*, αισχρω βιω ἐπιλέ ἔξηται, hoc eſt, *turpem vitam elegerit*. Et Julianus anteceſſor *Novell.* 373. *Turpiter vivere malit*; ſi verbum, *cum alio*, quod ex incuria deſcriptoris, gloſſave interpretis in contextum irrepſit, alioque caractere ex Aſteriſcis circumſcribitur, ut adulterinum ejicias, & omnino aperte, atque appoſite *Regia lex noſtra* 5. *tit.* 7. *part.* 6. *Ficiere vida de mala muger en puterin.* Quæ ut ad lupanaris locum non contrahas, non tamen niſi ad mores, vitamque meretriciam proprie pertinent. Quid denique quod & juris, æquitatiſque ratio, quæ docet exhæredationem eſſe pœnam, juſtæque indignationis paternæ fulmen, quo filii exterminantur a ſucceſſione, alioquin omni jure debita, boniſque, quorum vel domini quodammodo patre vivente *l. in ſuis* 11. *D. de liber. & poſthum. l.* 1. *§. largius, D. de ſucceſſ. edict. l. cum ratio* 7. *D. de bon. damnat.* non patitur pœnalem, odioſamque Conſtitutionem, & in famoſis tantum, ſeu meretricibus proſtratæ pudicitiæ vindicem produci, & ampliari ad eam, quæ ſemel, iterumve peccavit, circumventa nequiſſimi hominis inſidiis potius, quam volens; ut loquitur *lex unic. §. pœnas* 2. *Cod. de rapta virgin.* docent ita in his terminis, Juſtinianeo, & noſtrati Regio Caſtellæ jure inſpecto, poſt Joannem Fabr. *in §. ſoror, num.* 5. *Inſtitut. de inoffic. teſtament.* Covarruv. *in cap. Raynutius in princip. num.* 15. *de teſtament.* Baeza, perperam à Barboſa pro contraria ſententia laudatus, *in Tractatu de non meliorand. dot. rat. fil. cap.* 18. *num.* 11. ſignanter Menchaca *de Succeſſ. creat. lib.* 1. *§.* 10. *num.* 610. *& lib.* 2. *part.* 3. *§.* 20. *num.* 152. *& ſeq.* P. Molina, Luſitanis Ordinationibus contra cautum affirmans, *de Inſtit. tract.* 2. *diſput.* 176. *num.* 13. *&* 19. P. Sanchez *de Matrimon. lib.* 4. *diſp.* 24. *numer.* 6. Gregor. Lopez *in dict. l.* 5. *gloſſ.* 6. *titul.* 7. *part.* 6. Cujac. *in Novella* 18.

CAPUT XXIX

De nota meretricum in diſcretione à cultu, & ornamentis matronalibus, ex Romanis, Regiiſque noſtris legibus, liberi excurſus.

Ad leg. 2. §. 17. l. 3. §. 18. l. 4. §. 5. l. 13. §. 15. titul. 12. lib. 7. Compilat.

ARGUMENTUM.

Infamiæ meretricum fuit pridem nota, diſcrimen earum a matronis in habitu, & ornamentis. Quæ, & qualis hæc Romanis *matronis, & quæ meretricibus. In* Hiſpania legibus Regiis, *vetitus meretricibus uſus auri, gemmarum, & ſerici, qui tamen aliis fœminis, &* Romæ *matronis indultas, quin & purpura illic olim, & poſtea ſaltem blattea, & inferior. Illuſtrati juris aliquot loci. De* ſerici *nomine, latum, & uſu, pro adornanda* l. 23. §. 1. D. de auro, & arg. legat. *Improbatus iſte in virorum veſtibus, & probro habitus, de quo* Panægyriſtæ, *& alii. Improbatus & in* Clericis, *ut eſt* in cap. 1. 21. q. 4. *& in* Monialibus, *cujuſmodi fere* cendatum *apud* Gregorium Magnum, *nec abſimiles* phrygiatæ *veſtes, &* virgatæ, in Clement. 2. de vita, & honeſt. Cleric. *quæ, &* Canones *alii illuſtrantur. Improbatæ itidem, & poſtea permiſſæ* ſericæ *veſtes* in Hiſpania, *de cujus ſumptuariis* legibus *aliqua. Non tamen improbata* ſerica *in fœminis, atque inde animadverſio* ad l. 1. 2. & 4. Cod. de veſtib. holober. *De auri, & gemmarum uſu in matronis teſtimonia in* Juſtinianea Phapſodia, *& in priſcis* Romanis Scriptoribus; *unde & cenſura in* Tertullianum; *jam è contra, & ut ad rem, prohibitus auri, & purpuræ uſus meretricibus, etiam in calceis, qui à matronalibus diſtinguebantur, ut in electo* Tertulliani *loco, & aliis; ſicut & tandem diſtinguebantur in colore comæ, quæ flava meretricibus.*

1 Alterum ſit legitimæ meretriciæ notæ, & infamiæ ex Romano, noſtroque jure documentum in habitu, ornamentiſque matronalibus, à quibus coërcuiſſe veteres leges, & inſtituta, infeliciſſimas publicarum libidinum victimas, tametſi poſtea ſæculi improbitas quotidie inſurgens, honeſtiſſimis quibuſque fœminis coæquarit, ſcribit Tertullian. *de Cultu Fœmin. cap.* 12. idemque graviter alibi queritur, *inter matronas, & proſtibula nullum de habitu diſcrimen relictum*, ac deſueſeciſſe ſedulo illas, *indices, cuſtodeſque dignitatis habitus, ut lenocinii ſactitandi impedimenta, in Apolog. adv. gent. cap.* 6. & *lib. de Pallio, cap.* 4. Unde illuſtranda Ulpiani diſputatio de matronis, virginibuſve meretricia veſte veſtitis, quas quis de ſtupro appellaverit, aut alioquin injuria affecerit, eas libidinis cauſa affectatus *l. item* 15. *§. ſi quis virgines* 15. *D. de injur. cap. in audientia* 25. *de Sentent. excommunicat. l.* 18. *titul.* 9. *part.* 7.

2 Fuiſſe vero matronalis cultus propria, ſtolam, ſive talarem veſtem ad imos uſque pedes demiſſam, cujus infimam partem inſtita ambiebat, & circumdatam exterius ſtolæ pallam oblongam, itemque vittam, ſive tœniam, qua crines coërcebant, & religabant, iodicatur quodammodo, dum recenſentur inter veſtimenta, & ornamenta matris familiæ, *in l. veſtis* 23. *§. muliebria l. argumento* 25. *§. vittæ* 2. *& §. ornamentorum, D. de auro, & arg. leg.* docetque unus locupletiſſime Horat. *lib.* 1. *ſerm. Satyr.* 2. ad quem multa de ſtola, vitta, inſtita, palla, aliiſque matronalis pudicitiæ inſignibus veteres, & noviores Scholiaſtæ, ſicut & ad Virgilium, Tibullum, Martialem, Papinium, alii, quos non tranſcribo. At contra meretrices, vulgareſque fœminæ ſubductiore veſte, neque invidente pure rem apparere, atque oculo latus metiri, ut ille loquitur, ſive, ut alter Satyricus, crure tenus medio ſuccinctæ ſine ſtolis, & vittis, crinibuſque ſolutis ex more fuerunt, & togatæ plerumque, ſicut & matronæ, ſtupri damnatæ, aut alioquin famoſæ, quas, cum dignitate, ornamentiſque matronalibus cederent, meretriciam togam ſumpſiſſe, liquet ex Juven. *Satyr.* 2. Martiali *lib.* 10. *Epigramm.* 52. *& lib.* 2. *Epigramm.* 39.

Nobis in eadem re placitum potius divertere ad Regium jus noſtrum, quo non pauca de habitu, 3
ornamentiſque matronalibus, & meretricum in eiſdem nota, & diſcrimine, conſentanea Romanis legibus, moribuſque, probæque, & Sanctæ Chriſtianæ politiæ ſancita ſunt: Inter quæ primum illud *ex l.* 2. *§.* 17. *l.* 3. *§.* 18. *l.* 4. *§.* 5. *l.* 13. *§.* 15. *tit.* 12. *lib.* 7. *Compilat.* nempe: *Que las mugeres, que publicamente ſon malas de ſus perſonas, y ganan por ello, no puedan traer, ni traygan oro, ni perlas, ni ſeda fuera*

de ſus caſas. Laudantur hæc juxta editionem, quæ proſtabat ante annum 1640. & inſerta in noviori editione *in l.* 1. §. 13. *titul.* 12. *lib.* 7. *Compilat.* ſive de interdicto mulieribus publice, & palam corpore turpibus, & quæſtuariis, uſu auri, gemmarum, & ſerici in veſtibus, cum tamen eiſdem legibus, & præcipue *in dict. l.* 2. §. 12. & 13. & *in dict. l.* 3. §. 11. ſericæ veſtes fere promiſcue viris, fœminiſque honeſtioribus permittantur. Sunt autem pene hæc ſingula itidem comprehenſa Mediolanenſi Conſtitutione, cujus Menoch. meminit *de Arbitr. lib.* 2. *caſu* 535. *num.* 18. ex vetere Romana prudentia, qua docente jam olim, ob repulſum matrimoniali opera ab Urbis mœnibus Coriolanum, Senatus *confeſſus plus ſalutis Reipublicæ in ſtola, quam in armis fuiſſe, permiſit*, inter alia, *matronis purpurea veſte, & aureis uti ſegmentis*, ut Valerius memorat *lib.* 5. *cap.* 2. unde & ut idem ſcribit *lib.* 2. *cap.* 1. *Ut non triſtis, & horrida pudicitia, ſed honeſto comitatis genere temperata eſſet, indulgentibus maritis, & auro abundante, & multa purpura uſæ ſunt* (quomodo Palentinis matronis, ob propugnatam contra Anglos patriam, conceſſum à Joanne Rege I. ut deauratæ faſciæ veluti redimiculo capita ornarent, ut ex veteribus memorat Ægidius Davila *in Henric. III. Hiſtor. cap.* 2.) Idque quamvis & poſtea reſtrictum, ſeu coërcitum Oppia lege, cujus meminerunt Valer. *lib.* 9. *cap.* 1. Livius *lib.* 34. Tacitus *lib.* 3. *Annal.* ea tamen, breviter abrogata, fuit deinceps liberi juris, & moris uſque ad ætatem, & Imperium Julii Cæſaris, qui primus, deinde Nero, atque alii, purpuræ uſum privatis interdixerunt, ut docent Dio Caſſius *lib* 4. Sueton. *in Julio, cap.* 43. junctis ex libris noſtris *l.* 1. & 2. *Cod. quæ res ven. non poſſ. l. temperent* 4. *Cod. de veſtib holobes. lib.* 11. *Novell. Leonis* 80. etiam matronis, ut liquet *ex* Suetonii *Nerone cap.* 32. nec tamen, ut opinor, omne purpuræ genus *l. cum uxori* 58. *D. de legat.* 3. *l.* 4. *D. de auro, & argent. leg.* juncto argumento *ex l. nulla* 11. *Cod. Theodoſ. de ſcenicis*: ſed inferioris gradus matronis, & clariſſimam purpuram, quam vetitam ſignanter vocat Sueton. *dict. cap.* 32. & clariſſimam Lamprid. *in Alexandro*, illo loco: *Purpuræ clariſſimæ, non ad uſum ſuum, ſed matronarum, ſi quæ aut poſſent, aut vellent, certe ad vendendum graviſſimus exactor fuit.* Poſtea ſane Aurelianus matronis tunicas, & cæteras veſtes blatteas, ſive purpureas ut haberent, conceſſit, cum ante non licuiſſent promiſcue omnibus, aut omnes, quomodo Vopiſcum accipio *in Aureliano.*

4 Sed & ſeta, ſeu ſericum, ſive tale olim ſericum, quale hodie noſtrum ex capillamento vermium, ſeu bombycum, unde & bombycinum proprie dictum, ſive diverſum, ut Juriſconſulti noſtri ſignificant *in l. veſtis* 23. §. 1. *D. de auro, & argento leg.* Paulus *lib.* 3. *Sentent tit.* 6. §. *veſte*, junctis *l. emptor* 57. §. 1. *D. de evict. l.* 2. *Cod. quæ res ven. non poſſ.* & confectum ex frondibus, ſive lanicio arborum apud Seres Indiæ populos, de quo certant eruditiores (ut multis, & poſt multos oſtendit noſter Ludov. de la Cerda *in Virgil.* 2. *Georgic. verſ.* 121. & *in adverſar. ſacr. cap.* 102. *num.* 4. & *cap.* 106. *num.* 19. à quo laudatis adde Bernart. comment. *in Sylvas Statii lib.* 1. *in Epithalamio Stellæ, verſ.* 125. Dempſter. *in Paralipom. ad Roſin. lib.* 5. *cap.* 31. Salmaſium *in cap.* 3. *Tertulliani de pallio*, & *in Vopiſcum in Aureliano pag. notas* 388 & *ad Solinum pag.* 295. & *pag.* 987 & *ſeq.* Pancir. *lib.* 2. *Theſauri var. lect. cap.* 110. Bulenger. *lib.* 1. *de veſte Pontific. cap. ult.* Lævin. Torrent. *ad Horat. lib.* 1. *Satyr.* 2. *num.* 101. Henric. Salmuth A. D. *in memorabilia Pancirolæ* 1. *part.* Tiraquell. *in l.* 3. *Connub. num.* 18. & *in Alexand ab Alex lib.* 4. *genial. cap.* 9. Andreas Sauſaius *in Panoplia Cleric. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. & 6. quamvis improbatum in veſtibus, & prohibitum viris, fuit tamen in promiſcuo, & permiſſo legibus uſu quoad fœminas. Tacitus *lib.* 2. *Annal. Decretumque, ne veſtis ſerica viros fœdaret.* Vopiſcus in Tacito: *Holoſericam veſtem viris omnibus interdixit.* Dio *lib.* 57. *Tiberius prohibuit, veſte ſerica virum aliquem uti.* Xiphilin. *in Trajano*: graviter Solinus *in Polyhiſtore, cap.* 50. *Hoc illud eſt ſericum, in uſum publicum damno ſeveritatis admiſſum, & quo oſtendere potius corpora, quam veſtire primo fœminas, nunc etiam luxuriæ perſuaſit viros.* Et conſentiunt, dum veſtes ſericas, tamquam molles, & muliebres viris exprobant, idem Solin. *in Polyhiſtor. cap.* 53. Apuleius *lib.* 2. *Mileſiar.* Plinius *lib* 11. *Natur. Hiſtor. cap* 23. *in fine.* D. Hieronymus *lib.* 2. *adverſ. Jovin.* Claudian. *lib.* 2. *in Eutropium.*

- - - - - - - - - minime quæ viriles
Munditiæ, compti vultus, onerique vel ipſa
Serica.

Prudent. *in Hamartigenia verſu* 285. adde invulgatos forſitan locos Prudentii ejuſdem *in Pſicomachia*, ibi:

Sericaque infractis fluitent ut pallia membris.

Apulei *lib* 11. *Mileſ. alius, ſoccis obauratis, indutus ſerica veſte fœminam mentiebatur.* Anonymi Panœgyriſtæ ad Conſtantinum Conſtantii filium: *Facile eſt, vincere timidos, & imbelles, quales amœna Græcia, & deliciæ Orientis educant* (perperam in vulgatis, *educunt*) *vix leve pallium, & ſericos ſinus, vitando ſole, tolerantes*, quem imitatus elegans alter Panœgyriſta Pacatus Depranus ad Theodoſ. *Illos teneros perlucentes amictu, & vix leve Carbaſum, vitando ſole, tolerantes*: & τὸ *ſericos ſinus*, rectum eſt. Claudianus 2. *in Europ. Carbaſeos induta ſinus.* Virgil. 11. Æneid. *Sinuſque crepantes Carbaſeos.* Rectum itidem eſt utroque in loco Panœgyriſtæ, *vitando ſole*, neque commutandum in *ſoli*, aut *vitandis ſolis*, quomodo pro Grammatico imperio corrigit Petrus Colvius *ad Apuleium* 4. *Metamorphoſ. pag notar.* 68. ad illa verba: *Ille ſerico tegmine flagrantiæ ſolis obſiſtit inimici.* Referendi tandem huc, & ex his elucidandi Zonaras, & Balſamon *ad Canonem* 12. *Concilii Gangrenſis*, dum loquuntur de ſericis veſtibus (*beros* nominant) geſtandis non *ob mollitiem, cujus reſpectu improbabantur.*

Unde & vel obiter jam apparet, retinendæ Ecclesiaſticæ in habitu diſciplinæ proſpexiſſe merito Patres 7. Synodi œcumenicæ, ſeu Nicenæ 2. *in Can.* 16. improbantes in Clericis ſericas, phrygiſtas, & variegatas veſtes, ut eſt apud Gratianum *in cap.* 1. 21. *quæſt.* 4. quibus quoad ſericas adſtipulantur Concil. Lateran. ſub Alexandro 3. *cap.* 4. *part.* 27. Senonenſe *cap.* 23. 24. & 25. Gregor. 8 *Epiſt. ad univerſos Epiſcopos*, quæ exſtat *in Collect.* 1. *Decretal.* Bernardi Papienſis *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 9. ubi de ſerico *ſendato*, ſeu *cendato*, quod perinde Monachis, & Monialibus interdicitur cum aliis pannis, peplis, veliſque ſericis in Concil. Oxonienſi *cap.* 35. & *in Clement.* 1. *verſ. in veſtibus*, & 2. *verſ Viſitatores, de vita, & honeſt. Clericor.* & inter Hiſpanica Concilium Palentinum ſub Guillelmo Sabinenſi *cap.* 6. & Toletanum ſub Alphonſo Carrilio *cap.* 5. Quin & quoad purpureas veſtes, jam olim Narbonenſe Concilium I. ſub Recaredo *cap.* 1. quo illæ veſtes Clericis vetitæ, *quia ad jactantiam pertinent mundialem, & purpura laicorum poteſtate præditis debetur, non religioſis.* Quemadmodum eadem honeſtatis ratione ſericæ veſtes Scholaſticis interdicuntur, Pontificiis, Regiiſque legibus noſtræ Academiæ, quæ in Latinis ſunt *Conſtitutio* 24. & in Hiſpanis *titulus* 65. notatque ex Marinæo Siculo Petr. Gregor. *lib.* 4. *de Republic. cap.* 11. *num.* 6. Joann. Choquier. *lib.* 5. *Theſauri Politici, cap.* 19. Phrygiatæ autem, & variegatæ veſtes, quæ & virgatæ forſan dicuntur, & inhibentur Clericis, Monialibuſque, *dict. Clement.* 2. *verſ. Viſitatores, de vita, & honeſtat. Clericor.* ſunt veſtes acu, & arte phrygionum pictæ, & intextæ, & verſicoloribus virgis, tranſverſim ductis, variatæ, & diſtinctæ; unde & virgatæ, ut ad illud Virgil 8. Æneid. *Virgatis lucent ſagulis*, notant noviores, & ad Propertii illud *lib.* 4. *Eleg.* 11.

Illi virgatis jaculantis ab agmine bracchis.

Nos

Nos diceremus, *varetadas*, & quia interſtinctæ in ſcutulorum formam, quæ quadrata, & oblonga, teſte Cenſorino *cap.* 22. dicuntur, & ſcutulatæ. Juven. *Satyr.* 2. *Cærulea indutus ſcutulata & ſcutiatæ* in *l. aulla* 11. *Cod. Theodoſ. de ſcenicis*, ubi alia ad rem Jacobus Gothoſredus.

6 Denique inde illuſtrandus Juſtinianus, ſeu Tribonianus potius, qui in Conſtitutionibus Valentiniani, Gratiani, & Theodoſii, quæ extant *in l.* 1. 2. & 3. *Cod. Theodoſ. de veſtib. holob.* quibus auratæ, & ſericæ paragaudæ tam viriles, quam muliebres privatis omnibus interdicuntur, omiſſa mentione muliebrium, addidit, ſeu retinuit viriles, *in l.* 1. 2. & 4. *Cod. de veſtibus holob. lib.* 11. nimirum ut Cujacio, & aliis notatum, quas interdicit maſculis ſericas veſtes, fœminis indulgens, exceptis tamen blattoſericis, ſeu ſerico purpureis, quas utrique ſexui inhibet, *dict. l. temperent* 4. *Cod de veſtib. holob. l.* 1. *Cod. quæ res venire non poſſunt l. Locat* 10. *Cod. de murileg. lib.* 11. *l.* 13. & *l. ultim. Cod. Theodoſ. eod. tit.* & nec uxori Aurelianus Cæſar permiſit, Vopiſco auctore *in ejus vita.* Porro in Hiſpania jam inde à Philippo II. ad annum 1583. permiſſa legibus, & promiſcua viris, & fœminis ſerica, ſeribente Cabrera *in illius hiſtoria*, *lib.* 13. *cap.* 14. *in princip.* & aſfirmante, non permiſſa antea ſerica; in quo tamen non illi ratio hiſtoriæ conſtat, cum in contrarium ſint anteriores Philippi ejuſdem leges anni 1563. *l.* 1. §. 4. & *ſeq. tit.* 12. *lib.* 7. *Compilat.* & de antiquiori ſerici in Hiſpania uſu liqueat, vel ſub Joanne I. de quo Ægidius Gonſ. Davila *in Henrico III. lib.* 3. *cap.* 4. ſed nimirum in hiſce ſerici, & auri abuſibus validiores perſæpe mores, quam leges, atque illi eas ex Plautino ſcito, perducunt in poteſtatem ſuam, ſive imo leges ipſæ *ſecuriorem luxum fecere*, ut apud Tacitum Tiberius, quia legibus, ut ſancte Bernardus *lib.* 3. *de Conſiderat. cap.* 11. *Luxus veſtium interdictus, ſed non reſtrictus; pœna dictata, ſed minime ſecuta*, maxime in Hiſpania, poſt quam, Indis ſubactis, *turpi fregerunt ſæcula luxu divitiæ molles*, ut olim Juvenalis *Satyr.* 6. ſive acrior legibus *Luxuria incubuit, victumque ulciſcitur Orbem*, ut Lucanus noſter *lib.* 1. Aſt utcumque hæc nota, & experta, ne morbo huic luxuriæ in veſtibus, quam pro civitatis ægræ indicio habuit Seneca *Epiſt.* 115. ceſſiſſe, aut defuiſſe medicina videatur, occurſum ei noviſſime Regia contra luxum Pragmatica anni 1674. qua priores repetitæ, priſcamque reſumpſere canitiem leges, ut ſcite alibi.

7 Jam porro de auro, & gemmis, lapillis, & margaritis, in matronarum ornamentis, fuiſſe ea receptiſſimi, ac veluti legitimi uſus, vel Pandectæ noſtræ docendæ juventuti ſuffecerint. *l. heres* 100. §. *uxori*, *D. de legat.* 3. *l Seia* 6 *in princip.* & §. 1. *l. argumento* 25. § *ornamenta*, *cum ſeq. l. pediculis* 32. §. 1. & §. *idem cum quæreretur*, & *ſeq. l. ſcribis* 34. §. *item ſcribit* 1. *l. ult.* §. *ult D. de auro*, & *arg. legat. l. hoc legatum* 45. *cum ſeq D. de legat.* 3. quibus adde, ſi libet, Stat. Papin. *lib.* 1. *Sylvar. in Epithalam. Stellæ*, ubi de Violantillæ cultu, Tertullianum *de habitu muliebri*, *cap.* 9. & *in libello de cultu fœminar.* Cyprianum *libris de Habitu Virginum*, & *de Bono Pudicitiæ.* Gregor. Nazianzen. adverſus mulieres, ambitioſius ſeſe ornantes, & excolentes; ad quos plura ex noviorum Scholiaſtarum centonibus, ſi compilare eſſet noſtræ frontis, aut moris. Appoſitiſſime Apuleius 2. *Mileſ. Aurum in gemmis*, & *in tunicis ibi inflexum, hic intextum, matronam profecto confitebatur.*

8 Nutamus potius, monilia hæc, & ornamenta ex auro, & gemmis permiſſa in matronarum cultu, non tantum novis legibus, luxuque invaleſcente, quod vel Pragmaticis noſtris notum ex *l. unica*, *C. nulli licere in fræn. lib.* 11. *Novella Leonis* 81. ſed etiam vetere Roma, & Republica adhuc ſtante, ut indicant Valer. *lib.* 2. *cap.* 1. dum abundantis auri uſum in matronis inter vetera inſtituta memorat, & Livius *lib.* 5. ubi de aureis ornamentis à matronis ſponte ad votum ſolvendum, Urbemque redimendam collatis, aliaque in eamdem rem apud eumdem *lib.* 34. L. Valerius in *oratione contra legem Oppiam.* Plutarch. *in Camillo*, & *de virtutibus mulier.* Plinius *lib.* 33. *cap.* 1. Feſtus, in vocibus, *matronæ*, & *pilentum.* Cato *lib.* 7. *Origin. Mulieres opertas auro, purpuraque, arſinea, rete, diadema, coronas aureas.* Plautus, Cœciliuſque apud Feſtum in vocibus, *ſpinter*, & *ſtalagmium.* Itaque Tertulliani illud de priſcis Romanorum inſtitutis in ornatu fœminarum, *cum aurum* (ait ille *in Apologet. cap* 6.) *nulla norat, præter unico digito, quem ſponſus oppignoraſſet pronubo annulo;* niſi ex vetuſto nimis, & oblito tot aliis more excuſſes, eſt omnino, μνημονικὸν ἁμάρτημα, cenſorio illo ſanctioris, ſeverioriſque cultus, & diſciplinæ ſtudio commiſſum, neque animadverſum, quod miror, tot ejuſdem Novellis retractatoribus.

9 Sed ad rem, quæ ſingula de auro, purpura, ſerico, gemmis, & univerſo matronalis gloriæ inſtrumento ſuccenturiavimus, ſicut neque hodie ex Regiis legibus, ita olim ex Romanis ad meretrices non pertinuiſſe, præterquam quod in commune oſtendit ſatis Tertullian. *de Cultu Fœmin. cap.* 12. dum ſcribit, coërcitas eas fuiſſe legibus à matronalibus decoramentis, qualia hæc fuiſſe docuimus, ſunt etiam argumenta in ſingulis, quæ ſuadeant. Nam de auro ad pedum vincla, ſeu periſcelides, vetito fœminis è plebe, & conſequenter meretricibus, aperte Plinius *lib.* 33. *Natural. Hiſtor. cap.* 12. ibi: *Luxu fœminarum plebis, compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas mos triſtior vetat*, quæ explicanda ex *ejuſdem libri cap.* 3. ibi: *Etiam ne pedibus induatur* (aurum ſcilicet) *atque inter ſtolam, plebemque hunc medium fœminarum Equeſtrem ordinem facit?* De purpura ſignanter Martialis *lib.* 2. *Epigr.* 39.

Coccina famoſæ donas & ianthina mœchæ;
Vis dare quæ meruit munera? mitte Togam.

De gemmis in monilibus, & auratis, ſive Attalicis veſtibus, itemque ſigillatis, & cruſtis, interdicit earum uſum mimis, ſeu ſcenicis mulieribus, quas ejuſdem cum meretricibus notæ, atque infamiæ, *Theodoſiana lex* 11. *de ſcenicis*, cum tamen eiſdem ſerica, & aurum ſine gemmis eadem Conſtitutio indulgeat.

10 Poſtremo in univerſum fere de ſingulis, quæ memoravimus, uſurpari ea præter leges, aut mores à proſtibulis pudoris ſui interemptricibus, indignatur graviter Tertullianus *de Pallio cap.* 4. *Aſpice lupas popularium libidinum nundinas, ipſas quoque frictrices* (& *ſi præſtat oculos abducere ab ejuſmodi propudiis occiſæ in publico caſtitatis*) *aſpice tamen vel ſublimis, jam matronas videbis, cum latrinarum Antiſtes ſericum ventilat*, & *immundiorem loco cervicem monilibus conſolatur*, & *armillis, quas ex virorum fortium donis ipſæ quoque matronæ temere uſurpaſſent, omnium pudendorum conſcias manus inſerit, impuro cruri purum, aut mulleolum induit calceum.* Ubi quod ad rem, nec notum eruditorum volgo adhuc, interque alios, nupero rei ſutoriæ ſcriptori, Bened. Balduino *de Calceo Antiquo*, & *myſtico cap.* 8. Aloyſio Novarino *in Agno Euchariſtico cap.* 31. *num.* 338. diſcriminat exerte matronalem cultum à meretricio, etiam in calceis, quia matronales fuerunt puri, ſive albi, (ſic enim malumus exaudire, quam ex puro corio, ſive perones, ut poſt Rhævardum Henric Salmuth *in notis ad memorab. Pancir. part.* 1. *tit.* 44. *pag.* 172.) & mulleoli, ſive, quod idem eſt, puniceí, atque purpurei. Virgil. 1. *Æneid.*

Purpureoque alte ſuras vincire cothurno.

Vopiſcus *in Aureliano. Calceos mulleos*, & *cereos*; & *albos*, & *hederaceos, viris omnibus tulit, mulieribus reliquit.* Apuleius 7. *de Aſino: Calceis fœmininis, albis illis*, & *tenuibus indutus*, & *in ſequiorem ſexum inſertus.* Clemens Alexandrin. *lib* 2. *Pædagog cap.* 11. at contra meretricii ſocci, & ſoleæ diſſimiles, ut vel indicat Clemens Romanus *lib.* 1. *Conſtitut. Apoſtol.*

ſtol. cap. 8. ac diverſi omnino coloris, & ut opinor, flavi, ſeu rubri. Perſius *Satyra* 5. ubi de ſcorto illo:

. . . . . Sed cenſen? Plorabit Dave relicta?
Nugaris: ſolea puer objurgabere rubra.

Rubram ſoleam appellat, non auream, aut deauratam, quas induere fœminis è plebe, mos triſtior vetabat, ut ex Plinio notavimus, neque purpuream, quia & hanc, & illam, ſcilicet κατάχρυσον, καὶ πορφύρεον ὑπόδημα, fuiſſe nobiliorum dumtaxat, vel Epictetus noſter indicat *in Enchiridio cap.* 61. ſed ex aluta flava, ſeu fulva, ſive coloris rufo, viridique concreti, qui & rubri ſpecies eſt, teſte Agellio *lib.* 2. *Noct. Atticar. cap.* 26. quamquam & albos calceos ſæpiuſcule uſurpaſſe meretrices, ideoque & eſſe λευκὸν ὑπόδημα ἑταιρικὸν, ſcribit Jul. Pollux *lib.* 7. *Onomaſt. c.* 22. & conſentit Ovidius *lib.* 3. *de Arte amandi*, ubi inter alia de puellis Veneri militantibus:

Pes malus in nivea ſemper celetur aluta.

Sed pro flavis, ut dixi, calceis meretricum, earumque à matronis in cultu, diſcrimine, facit, quod & is color placitus meretricibus in veſte, qua lutea (hoc eſt, flava, ſeu rufa dilucidiore, ut Agellius jam laudatus explicat) uſas in ſcena fuiſſe, quæ meretrices agerent, ſcribit Donatus *in Terentium in initio*: placitus & is color meretricibus in coma, qua iſtæ flava, matronæ nigra, utebantur, ut notat Scholiaſtes vetus ad illud Juvenal. *Satyr.* 6. de Auguſta meretrice, & matrona:

Et nigrum flavo crinem abſcondente galero.

Servius ad illod Virgil. 4. *Æneid.* de Didone moriente parum pudica:

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem Abſtulerat.

Horat. *lib.* 1. *Od.* 5. de Pyrrha meritorio ſcorto:

Cui flavam religas comam
Simplex munditiis?

Martial. *lib.* 5. *Epigr.* 69. *ad Lesbiam*, quam ut putidulam ex flavo capillitio taxat, & pungit:

Arctoa de gente comam tibi Lesbia, miſi,
Ut ſcires, quanto ſit tua flava magis.

Quamquam nec lateat me, pleraque occurrere, quæ in contrarium ducant.

C A P U T XXX.

De eadem Diſcriminatione Matronarum, & meretricum in habitu, & prædagogio, ad leg. 7. tit. 19. lib. 8. Compilat.

A R G U M E N T U M.

I*Nterdicta quæſtuariis fœminis ſcapularia, & religioſa ſchemata. Illuſtratur* lex 4. Cod. de Epiſcop. Aud. *In matronali miniſterio, & comitatu fuere jam olim puellæ honeſtiores, quæ dictæ, comites,* Auctoribus juris, *& aliis, & pediſſequæ* in l. 59. D. de manum. teſt. *quæ illuſtrata ex* Baſilicis. *Et è contra illæ ipſa negatæ, & ademptæ meretricibus. Vetantur rurſus iſtæ* Regia lege, *habere in miniſterio laterones, ſive cuſtodes illos lateris, matronarum, noſtris* Romaniſque *moribus, pro cuſtodia, & veluti apparatu matronali, inde & illata fax* l. 1. §. ult. D. de extraord. crimin. *Eidem matronarum cultui accenſitæ olim comatæ puellæ, ſive ornatrices matronalis capillitii, de queis expoſitæ, & ornatæ* l. 49. & l. 65. §. 3. D. de leg. 3. *junctis ex amœniorum* Muſarum *penu non paucis. Multa & inde, & ex eodem* myrothecio *de acu comatoria, ſeu crinali, & diſcriminali, comis diſcriminandis uſitata, pro* Iſaïæ Sacro Textu, cap. 3. & Ulpiani in l. 25. §. ornamentorum, D. de auro, & arg. leg. l. 1. Cod. Theodoſ. de repud. *Accedit, quaſi pro corollario, adnotatio, de matronalis comæ orbe, & veluti turrita corona, ex ſæculi, &* Eccleſiæ Scriptoribus. *Elucidatur* Divi Petri Epiſtola, *& contra aliorum ſenſum,* ex libro Eſther, caput 14. *& vindicatus non ſemel contra criticos* Tertullianus.

1 SEd ut pergamus, extat ſecundum meretriciæ in veſtitu notæ veſtigium Regiis in legibus, quibus prohibentur mulieres publice quæſtuariæ, turpeſque, deferre ſcapularia, quæ dicimus, ſive exteriora monachalia indumenta, quæ, *Ependytis*, nomine ſignificat fortaſſe Hieronymus *in vita Hilarionis*, & *in vita Pauli* 1. *Heremitæ*, de quo varie ſubdubitans Nebridius *Antiquit. Monaſt. Epiſt.* 54. aut alios Religionis habitus, *l.* 7. *tit.* 19. *lib.* 8. *Compilat.* Ad quam notamus breviter, ſumptam videri ex *l. mimæ* 5. *Cod. de Epiſcop. Aud.* quæ pars eſt Conſtitutionis Theodoſii *in l. ſi qua* 12. *Cod. Theodoſ. de ſcenicis*, & utrobique verba illa, *& quæ ludibrio corporis ſui quæſtum faciunt*, referenda, ut & placuit Accurſianis, non ad mimas, quæ prius nominatæ, ſed ad proſtitutas mulieres, quæ ſcenicis infamia pares, ideoque & earum *corpora publico objecta ludibrio*, vocat Seneca *lib.* 1. *Natural. Quæſt. cap.* 16. quomodo & accipit, exprimitque Photius *in Nomocan. tit.* 13. *cap.* 10. *Mimi, & quæ corpore palam quæſtum faciunt.* Atque ejuſdem prorſus ſententiæ eſt, etſi ſeverior, contra ſcenicos, ſchemate, aut habitu monaſtico utentes, ut Religionis noſtræ myſteriis illudant (ſicut olim Geneſius, & Ardaleon, & Porphyrius ex mimis Chriſtiani, & Martyres, ut eſt *in Martyrologio Romano* 25. *Auguſti, & die* 15. *Septembris* & in *Græcorum Menolog.* 18. *Kal. Maii*, aliiſque, de queis Theodoretus *lib.* 8. *de Græcar. affect. curat. ad finem*, & inter alios Celaſinus ille Heliopolitanus apud Auctorem *Chronici Alexandrini*) ſimulque contra proſtitutas *Novella Juſtiniani* 123. *de ſanctiſſ. Epiſcop. cap. ultim.* quæ confirmatur *lib.* 4. *Synopſis Baſilicon, tit.* 1. §. 17. ſic & in Gallia vetus Caroli Capitulare *lib.* 5. 235. & Alphonſi noſtri in Hiſpania, *l.* 36. *tit.* 6. *part.* 1. de quibus multa magis, quam propria, P. Plaza *in Epitom. delictor. cap.* 5. pauca, eruditaque Theodorus Balſamo *in Canones* 5. *Synodi.*

Tertium ex *eadem Regia l.* 7. *tit.* 19. *lib.* 8. *Compilat.* ad matronalia itidem decoramenta, & meretricum in eiſdem diſcrimen, pertinens eſt, quod cavetur, ne meretrices habeant in miniſterio puellas, 40. annis minores. Proſpicitur nimirum & honeſtati matronalis cultus, & virginali inſtitutioni, & pudori. Queis de cauſis jam olim virgines, & teneriores puellæ fuerunt in pædagogio matronarum, quo ſenſu *in l. Titia* 59. *D. de manumiſſ. teſtam.* quæ illic pediſſequæ, ſcilicet matronales, deſignantur in verſione *ejuſdem Textus*, *libr.* 48. *Baſilicon*, *tit.* 3. ita μικροτέρας θεραπαίνας, ſeu *minores ancillæ*. Atque indubitandi ratio apud Scævolam, an quæ ut minor, & puella ancilla, fuit pediſſequa, & moriente matrona jam non puella, ſed mulier contubernali velut nupta, nec pediſſequa, comprehendatur diſpoſitione de pediſſequis. Juvenal. *Satyr.* 6. ubi de matronali apparatu: 2

Conducit comites, ſellam, cervical, amicas
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam,

Terent. *in Eunucho:*

Abducit

Abducit ſecum ancillas, paucæ, quæ circum illam eſſent, manent
Novitiæ puellæ.

Et ancillas à lenonibus etiam invitis, redimere, & manumittere, jus fuit. *l.* 2. *D. de his, qui ſui, vel alien. jur. l. fœdiſſimæ* 7. *Cod. de poſtliminn. reverſ. l. ſi lenones* 12. *Cod. de Epiſcop. Aud. l. penultim. & ultim. Cod. de ſpectac. lib.* 11. junctis notatis ſupra *cap.* 12. & 13.

3 Quin è contrario meretrices in miniſterio, aut comitatu habere, matronis, & virginibus honeſtioribus, fas non fuit. M. Seneca *lib.* 1. *Controv.* 2. de veſtali ancilla lenonis: *Fas Sacerdoti non eſſet, ancillam tibi ſimilem habere.* Et paulo poſt *in narratione Cæſtii Pii: Ancillæ ex lupanaribus Sacerdoti non emuntur*, & comites matronarum, virginumque, quorum in libris noſtris mentio, *l.* 1. §. *omnem* 2. *l. ſed eſt* 9. *l. item* 15. §. *ſi quis virgines, cum* §§. *ſeq. D. de injur. l.* 1. §. *ultim. D. de extraord crimin.* de quibus poſtea fuerunt, aut debuerunt ſemper graves, verecundæque fœminæ, namque *& mores, ac ſtudia dominarum, plerumque ex ancillarum, & comitum moribus judicantur.* ut ex Hieronymo *in Epiſtol. ad Demetriadem*, & ad Lætam, notarunt alii. Plura in in eamdem ſententiam idem *de Vit. ſuſpect. contub.* Claudian. *lib.* 3. *de Raptu Proſerpinæ*, ubi de Electra:

Hæc comes, hæc cuſtos, hæc proxima mater haberi.

Plini. *lib.* 7. *Epiſtol.* 19. *Nam virgines, cum vi morbi atrio Veſtæ coguntur excedere, matronarum curæ, cuſtodiæque mandantur.* Sed hæc utinam tam ſancte, ut præcipiuntur, cuſtodirentur; plane an, & quando peccent, an excuſentur meretricum ancillæ, & pediſſequæ, diſputant pluribus poſt alios Roderic. Acuña *in cap. Imperatores* 1. *numer.* 4. *& ſeq. diſtinct.* 9. Petr. Hurtado de Mendoza *de Trib. Virtutib. vol.* 2. *de ſpe & carit. diſp.* 173. *ſect.* 30. §. 390.

4 Quartum ejuſdem matronalis apparatus, & meretriciæ in eo notæ *ex eadem Regia noſtrati lege* 7. *titul* 19. *lib.* 8. documentum eſt, quod jubetur, ne ejuſmodi propudia habeant in miniſterio, ſeu comitatu, *Laterones*, quos vocant, ſive *honorarios Equites*, nos *Eſcuderos.* Conſentaneum id etiam Romanis legibus, moribus, quibus hi comites, ſive cuſtodes, cenſentur veluti in inſtrumento matronalis dignationis, & cultus. *dict. l.* 1. § *omnem* 2. *l. ſed eſt* 9. *l. item* 15. §. *ſi quis virgines cum* §§. *ſeq. D. de de injur.* ubi in §. *comitem* 16. comes definitur, qui frequentandi cujuſque cauſa, ut ſequatur, vel comitetur, ſit deſtinatus, quo in numero in primis ſunt pædagogi, ſive, ut Virgilius alibi, *Rectores, morumque magiſtri*, de queis *in l. ſi collactaneus* 13. *D. de manum. teſtam. l. Caii Caſſii* 35. *D. de fideicomm. lib.* quorum inter alia munus, alumnos comitari, ſequi, aut deducere. Virgilius *lib.* 5.

Cuſtodem ad ſe ſe, comitemque impubis Juli
Epytidem vocat.

Horat. *lib.* 1. *Satyr.* 6.

Ipſe mihi cuſtos incorruptiſſimus omnes
Circum doctores aderat.

Petron. *in Satyrico: Ego pædagogus, & cuſtos etiam quo non juſſeris, ſequar.* Alii non ſemel ſunt & in comitum numero cuſtodes, appoſiti plerumque matronis, virginibuſque, ut earum velut aſſideant, hæreantque lateri in publico, & privato dignitati, & pudicitiæ tuendæ: quorum de officio, & uſu pleraque ad Juvenalem *Satyr.* 6. Ovidium *lib.* 2. *Amor. Eleg.* 12. Propert. *lib.* 1. *Eleg.* 2. & *lib.* 2. *Eleg* 6. Tibull. *lib.* 2. *Eleg.* 3. Martial. *lib.* 1. *Epigr.* 41. & *lib.* 10. *Epigramm.* 70. novitii Interpretes. Nos inde illud dumtaxat colligimus, aut intelligimus, quam recte apud Ulpianum *in dict.* §. *ſi quis virgines cum* §§. *ſeq.* Paulum *in l.* 1. §. *ult. D. de extraord. criminib.* & *lib.* 5. *Sentent. recept. tit.* 4. §. *qui puero* & ex eis Gratianum *in cap. ſollicitatores* 15. *de pœnitent. diſtinct.* 1. appellare de ſtupro, proponatur, matronam, aut virginem is, qui ei comitem abducit, vel corrumpit, hoc eſt, amolitur cuſtodem illum moleſtum, quem Petronius ita vocat *in Satyrica*, aut corrumpit pecunia, *valido ejuſmodi ſuadelis aculeo*, ut de Myrmece cuſtode Apuleius *lib.* 9. *Mileſ.*

Deinde & in comitatu, ſeu pædagogio matronali, eſſe mancipia, & fortaſſis puellas, *quas ſibi comatas mulieres exornat*, ideoque & contineri legato eorum, quæ uxoris cauſa parata ſunt, licet colligere ex *l. item* 49. *D. de legat.* 3. ubi quæ verba adſcripſimus, perperam ita interpolant Cujacius, & alii: *Queis ſibi comas mulieres exornant*, acu enim coma exornatur, *puellis autem comam ſibi exornare*, quæ lectionis Cujacii forma, monſtrum locutionis, Ulpiano indignæ. Itaque placet potius quod ante alios Accurſius vidit, Ulpianum intelligi de ancillis, ſeu puellis comatulis, & cincinnatis, ſive quæ ſoluto, & cirrato crine, innuptarum more. Virgil. 1. *Æneid.* de Venere, virginem mentiente: 5

——— *Dederatque comas diffundere ventis.*

Optatus Milevitanus *lib.* 6. *adv. Parmen. Inveniſtis igitur hujuſmodi virgines, quæ jam ſpiritualiter nupſerant, & quaſi ſecundo coëgiſtis ad nuptias: ut crines iterum ſolverent, imperaſtis.* Claudianus *de raptu Proſerp. lib.* 2. ubi de Diana nupturiente.

Nec, qua Parthenium canibus ſcrutatur odoris
Aſpernata thoros; libertatemque comarum
Injecta voluit tandem frænare Corona.

Ammian. Marcellin. *lib.* 14. *Fœminas affatim multas ſpectare cirratas, quibus ſi nupſiſſent per ætatem, ter jam nixus poterat ſuppetere liberorum*, aliter atque nuptæ, quæ poſitu comæ vittis implexo, & diviſo. Tertulliam. *de Veland. Virgin. cap.* 12. *Vertunt capillum, & in acu laſciviore comam ſibi inferunt, crinibus à fronte diviſis apertam profeſſæ muliebritatem.* Tales ergo comatas puellas, ſive ut nos dicimus, *mozas en cabello* (qualis flava illa apud Juven. *Satyr.* 6. & Apuleiana Fotis, cujus crinium *non operoſus, ſed inordinatus ornatus*) in deliciis, & miniſterio nobiliores matronæ habuerunt, quemadmodum delicatiores patres familias pueros calamiſtratos, ſeu capillatos, qui pædagogiani dicuntur. *l. quæſitum* 12. §. *ſi inſtructum* 32. *D. de inſtructa, & inſtrum. leg.* de quibus multa, & pro multis unus Dorleanus *lib.* 4. *Annal. Taciti.* videſis & Turneb. *lib.* 8. *adverſ. cap.* 9. *in fin. & lib.* 23. *cap.* 19. Rhævard. *lib.* 4. *Variar. cap.* 10. Pancirol. *lib.* 2. *Theſaur. var. cap.* 88. Marcell. Donat. *dilucidat. in Sueton. in Nerone, cap.* 28. & *in Ammian. Marcell. lib.* 29. Bulenger. *de Imperat. lib.* 2. *cap.* 35. Lævin. Torrent. *ad Horat. lib* 4. *Ode* 10. Marcell. *ad Perſ. Satyr.* 1. Cerda *ad illud Virgil.* 1. *Æneidos: Totidemque pares ætate miniſtri.* Dempſter. *in Roſin. lib.* 10. *cap. ultim.* & *ad Martialem*, alioſque paſſim noviores.

Porro comatis illis puellis exornandis, ſimulque 6
in pædagogio matronali fuerunt & ornatrices ancillæ, quarum mentio *in l. Legatis* 65. §. *Ornatricibus, D. de legat.* 3. ubi & earum apud Magiſtros (quos, *coſmetas*, Juvenalis vocat *Satyr.* 6. & *periſſimos ſtructores capillaturæ*, Tertullianus *de Cultu Fœminar. cap.* 7. & κομμώτας Clemens Alex. 3. *Pædag. cap.* 4. & *concinnatores capillorum, & capitum* Columella *lib.* 1. *de Re Ruſtic. in præfatione*) eruditionis, atque artificii, quod varium, multiplexque pro numero ancillarum, eum, ut Clemens Alexandrin. ſcribit, *dict. cap.* 4. aliæ eſſent à pectine, nempe præpoſitæ pectendo, flectendoque capillitio; aliæ crinibus diſtinguendis, componendis, & ordine in orbes dirigendis, quales κομμώτριαι, quomodo Conſtantinum Magnum indigitat, perſtringitque impius Apoſtata Julianus *in Cæſaribus ad finem.* & de pulchra illa, & pudiciſſima Judith *Sa-*

cer Textus cap. 10. *Et diſcriminavit crinem capitis ſui.* Aliæ eiſdem crinibus aqua ſpargendis, ſive irrigandis, unde & *Pſecades*, dictæ, κατὰ τὸ ψεκάζειν, aliæ pexæ, diſcriminatæ, perſuſæque jam comæ, in annulos criſpandæ, & contorquendæ; denique aliæ aliis muniis, quæ Juvenali nemo melius expreſſit *Satyr.* 6.

Diſponit crinem laceratis ipſa capillis,
Nuda humero, Pſecas infelix, nudiſque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuo flexi crimen, facinuſque capilli.
Quid Pſecas admiſit? quænam eſt hic culpa puellæ,
Si tibi diſplicuit naſus tuus? altera lævum
Extendit, pectitque comas, & volvit in orbem.
Eſt in conſilio materna, admotaque lanis
Emerita quæ ceſſat acu: ſententia prima
Hujus erit; poſt hanc ætate, atque arte minores
Cenſebunt; tamquam famæ diſcrimen agatur,
Aut animæ.

Propria vero hiſce muniis inſtrumenta acus, qua-
7 rum vel varii uſus, vel variæ ipſæ; alia acutior, & tenuior comendis crinibus, & diſcernendis, ſeu diſcriminandis, quæ *Comatoria* Petronio *in Satyr.* & *diſcerniculum* Lucillio apud Nonium *in voce, diſcerniculum*; & *diſcrimen* Varroni *lib.* 4. *de lingua Latina*: & *diſcriminalis* acus Hieronymo *in Apolog. adverſus Ruffinum*, & *diſcriminale* Iſaïæ *cap.* 3. *in fine.* Cypriano *lib.* 6. *de Habitu Virgin.* Alia acus major, ſic dicta Servio *ad illud Virgilii* 12. *Æneid. Vibratos calido ferro*, criſpandis, contorquendiſque in annulos capillis, quæ καλαμίς, & calamiſtrum, ſeu calamiſtratorium, & fiſtula Nonio *in ea voce.* Iſidoro *lib.* 20. *Origin. cap.* 13. & ejus gloſſis; alia denique figendis, ſuſtinendiſque crinium annulis, ne vel violentur, vel laxius fluant, ſimulque ſcalpendo capiti. Tertull. *de Pœnit. cap.* 11. *Cedo acum crinibus diſtinguendis.* Dio *lib.* 41. ubi de Cleopatræ morte, *ex lib.* 47. ubi de Ciceronis cæde. Plutarchus *in Antonio.* Claudian. *de Nuptiis Honorii, & Mariæ: ipſa caput diſtinguit acu*, quæ *Cnaſon* proprie dicta Feſto *in voce*, *Cnaſonas*, & Gloſſario Iſidori, & uſu, ac dignitate diverſa ab acu majore, ſeu calamiſtro, quod plerumque ferro, & ad mundum muliebrem proprie pertinet, ut pecten, aut ſpeculum, quibus conjungitur Iſaïæ *cap.* 3. & a Julio Polluce *lib.* 10. *cap.* 28. At contra *Cnaſon*, & diſcriminalis, quæ fere eadem, plerumque aurea. Martialis *lib.* 14. *Lemmate* 21. *Acus Aurea*

Tenuia ne madidi violent bombycina crines,
Figat acus, tortas ſuſtineatque comas.

Hieronymus, ſive quis alius *in cap.* 3. Iſaïæ, & ex eo Iſidor. *lid.* 19. *Origin. cap.* 31. (quale fuit forſitan crinale illud Naſonis *lib.* 5. *Metamorphos.*

Et madidos myrrha curvum crinale capillos.

Et *lib.* 3. *Virgil.* 11. *Æneid.* tametſi id fuiſſe faſciam crinalem, & de ea Ulpianum loqui *in l. argumento.* 25. §. *faſciæ* 4. *D. de auro, & argent. legat.* perperam notet Cabreros *de Metu lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 93. deceptus vulgata lectione, quæ *in dict.* §. *faſciæ* habet: *faſciæ crinales*; cum legatur Florentiæ, ac legendum omnino ſit, *faſciæ crurales.*

8 Unde & inter ornamenta capitis, ſeu crinium, quibus diſtinguendis, ſuſtinendiſque implexa geſtabatur, recenſetur ab Iſaïa *dict. cap.* 3. ibi: *& mitras, & diſcriminalia.* Et ab Ulpiano noſtro, cui præter vulgi captum interpretando, obſervaſſe iſta non piguit, *in leg. argumento* 25. §. *ornamentorum D. de auro & argent. legat.* ibi: *Ornamentorum hæc, vittæ, mitræ, ſemimitræ, calautica, acus cum margarita, quam mulieres habere ſolent.* deſignat peculiarem hanc acum, cujus extremitati margarita, aut gemma addi ſolita; eaque proprie *crinalis acus* Apuleio *lib.* 8. ubi de Charite. *Acu crinali capite deprompta Thraſylli convulnerat nota lumina.* *Crinalis ſpica* Martiano Capellæ; *acula capitis* Conſtantino *in l.* 1. *Cod. Theodoſ. de repud.* ibi: *Oportet eam uſque ad aculam capitis in domo mariti deponere*; & *laſcivior acus* Tertulliano *de Veland. Virginib. cap.* 12. quoniam, ut recte ibi noſter Cerda, laſciviæ nota fuit id geſtamen. Clemens Alexandr. *lib.* 3. *Pædagog. cap.* 11. *Aliæ, quaſi digitos non haberent, acubus* (parum recte illi vertit *fibulis*, quia in Græco eſt περόναις, quod tamen & pro acu crinali uſurpat Pauſanias *in Atticis*) *quas ferunt ſcalpentes capita delicìantur.* Viderint hodie noſtrates fœminæ, quibus hæ ipſæ crinales acus aureæ, & argenteæ, gemmiſque ornatæ ſcalpendo capillitio, utque in ſtatione ſit, nec ſine lege, ſunt in deliciis. Sed de acu, & ornatricibus hæc liberiore, nec vulgari acu tetigiſſe, ſatis. Plura ſi vis, adi ageſis Tiraquell. *in l.* 3. *Connub. ex num.* 27. ubi de ornamentorum nominibus, *in voce*, *acus*, & ſimilibus, Pancir. *lib.* 2. *Theſ. var. cap.* 99. Rad. Forner. *lib.* 1. *Rer. Quotid. cap.* 22. Uvoveren. *ad Petron. cap.* 21. & 28. Hadrian. Jun. *de Coma, cap.* 7. Dempſter. *in Paralipom. Roſini lib.* 5. *cap.* 35. Rhævard. *lib.* 2. *Conjectan. cap.* 18. & 19. Cujac. *lib.* 11. *Obſervat. cap.* 16. Briſſon. *de Verbor. Sign.* in *Ornatrices*, Bernart. *in Papin. lib.* 1. *Sylvar. in Epithal. Stellæ.* Cerdam *in adverſ. Sacris, cap.* 106. *num.* 16. & *cap.* 141. *num.* 45. & *cap.* 109. *num.* 3. & *in Tertullian. de pœnit. cap.* 11. & *de Veland. Virginib. cap.* 12. Rader. Heraldum, alioſque *ad Martial. lib.* 14. *Epigr.* 21. & *lib.* 2. *Epigr.* 66. & *ad Juvenalem*, alioſque veterum jam laudatos ſæpe noviores. Videndus & Salmaſius *in Solinum, tom.* 1. *pag.* 761. P. Gaſpar Sanctius, Gabriel Alvarez, aliique *ad cap.* 3. *Iſaïæ*, quæ de diſcriminalis tamen, & acus differentia obſervavimus, parum obſervantes.

Superioribus de matronali coma, & ancillis, acu-
que comatoriis, non mihi tempero, quin adtexam 9
illud veluti matronalis cultus in coma corollarium, nempe præcipuam ornatricum artificii, ſeu miniſterii matronalis paraturam fuiſſe in crinibus in arcem, ſive verticem capitis convolvendis, & extruenda turri, ſeu meta in primore capitis parte, quod ſtructuræ, ſeu faſtigii genus, *tutulos*, vocabant, niſi quis iſtos, malit, orbes capillorum eſſe, quos *rodetes* dicimus. Varro *lib.* 6. *de Lingua Latina.* Feſtus in *Tutuli.* Tertull. *de Pallio, cap.* 4. *in fine.* Certe compagem illam totam, comæ ſuggeſtum eleganter vocat Statius Papin. *in Epithal. Stellæ, lib.* 1. *Sylvar.*

Celſæ procul aſpice frontis honores,
Suggeſtumque comæ.

Eodemque ſenſu *turritum caput*, ſive *verticem* Hieronym. *Epiſt.* 18. ad Demetriadem. Prudent. *in Hamartigen:*

Turritum tortis caput accumularat in altum
Crinibus, extructos augeret ut addita cirros
Congeries, celſumque apicem frons ardua ferret.

De matrona ſignate Lucanus *lib.* 2.

Turritaque premens frontem matrona corona.

Coronam vocat hoc capillitii genus, quia concumulatum in verticem, ambitu crinium ipſam capitis arcem contegit, & coronat, ut in re hacce loquitur Tertull. *de Corona Milit. cap.* 14. & *de Veland. Virgin. cap.* 7. *in fin.* ubi vulgatam, & Rhenani lectionem, quam ſine cauſa movent, mutantque Pamelius, & Cerda, corrigo, & firmo, ex D. Iſidoro, qui Tertulliani eum locum illaudatum recitat, *lib.* 19. *Orig. cap.* 23. *in extremo.* Ridet, ut ſolet, ſalſe, ſciteque Juvenalis in 6.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput: Andromachen à fronte videbis,
Poſt minor eſt; credas aliam.

Et

Et exagitant, increpantque paſſim veteres Patres Gregor. Nazianzen. *Carm.* 63. quod ſic jam olim vertebam:

Turrifica ne caput ſpurio matrona capillo.

Clemens Alexandrin. *lib.* 3. *Pædagog. cap.* 11. Hieronym. *Epiſt. ad Marcellam.* Iſidor. Peluſiota *Epiſt.* 461. Juſtinus Martyr *Epiſt. ad Zenam, & Serenum.* Syneſius *Epiſtol.* 3. ubi de illa, quam poſt ſeptimum diem circumferri debere, ait πυργοφόρω καθάπερ κυβέλην, *turritam, ſicut Cybelem.* Graphice, & graviter præ aliis Tertull. *de Cultu Fœminar. cap.* 7. *Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium, atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis; nunc in cervicem retro ſuggeſtum. Mirum, quod contra Domini præcepta contenditur. Ad menſuram neminem ſibi adjicere poſſe, pronunciatum eſt. Vos plane adjicitis ad pondus collyridas quaſdam, ſcutorum umbilicos cervicibus adſtruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti, ne exuvias alieni capitis, forſitan immundi, forſan nocentis, & gehennæ deſtinati, ſancto, & chriſtiano capiti ſuppares.* Expende, quæſo, magni Afri penicillo veluti delineatas corymbiorum muliebrium formas, proprias, & adſcititias, quibus noſtrates matronæ utuntur, ſive in acumen deſinentibus, & peregrino, vel pretioſo implexis paſſerculo (quale olim *Crobylus* Athenienſium, aurea ornatus cicada) quas nos Gallica voce, *pericos*, dicimus, Galli *perruque*, & *fauſſe perruque*, ſive rotundioribus, frontemque coronantibus, quales in Tertulliano *Collyridæ*, & *ſcutorum umbilici*, & idiotiſmo noſtro *monnos*, aut ſi quæ alia id genus ineptiarum.

10 Quibus & capillorum criſpationibus increpandis, memineris 1. *Epiſtolæ Petri cap.* 3. ibi: *Quarum non ſit extrinſecus implicationis capillorum ornatus*, ſive, ut in vulgata eſt, *capillatura* ἐμπλόκιον, &, *ſiſoen*, vocant ſeptuaginta ſeniores, Deuteron. *cap.* 21. χορυμβίον, Chryſoſtomus *Deuteron. d. cap.* 21. & *Levitici cap.* 19. nbi & ſiſoen interpretatur Suidas, & *Cirrum* Cyprian. *lib.* 3. *Teſtimon.* 83. Atque ex novioribus Lorinus, & Cornelius à Lapide *dict.* 1. *Epiſtol. Petri, cap.* 3. ad hanc capillaturam, ſeu corymbium referre, videntur, *ſignum illud ſuperbiæ, & gloriæ* in capite, cujus mentio Eſther *cap.* 14. *ad finem*, ibi: *Tu ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud, quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentii mei.* Ego autem nec dubito, quin potius de diademate Regio, quod impoſitum capiti Eſther, liquet *ex ejuſdem libri cap.* 2. locus ille accipiatur, ut & exaudit Cardinalis Hugo *ibidem:* & ex Hieronymo *in Iſaïam*, Nicolaus Serarius *ad Eſther cap.* 14. ndi & Paul. *ad Timoth.* 1. *Epiſt. cap.* 2. ubi ornari vult fœminas, *non intortis crinibus*, qui *cornuti*, dicuntur *in Clement.* 2. *de ſtatu Monachor.* junge & de toto illo comæ ſuggeſtu, frontiſque meta in conum, aut rotundum Janum Parrhas *Epiſt.* 57. Hadr. Juni. *de Coma cap.* 7. Carol. Paſchal. *de Coronis lib.* 1. *cap.* 5. Cerdam *in Adverſ. ſacr. cap.* 106. *num.* 18. Salmaſium *in Solinum pag.* 760. *editionis Pariſ anni* 1629. Joann. Uvover. *in Petron. cap.* 70. & *in Tertull.* Papinianum, alioſque paſſim novos Scholiaſtes.

Et de *crobylo*, quem ſimillimum fœminarum ho- 11
die corymbiis dixi, fuiſſe eum non dumtaxat Athenienſium, ſed etiam barbarorum, didici ex Xenophonte *lib.* 5. ἀναβασ, ubi Paphlagonibus tribuit, ſive, inquit, *qualia Paphlagonica, crobylum habentia;* ex Suida *in voce* κιτάριον, ubi Perſarum *cidarin* eſſe *crobylum*, ait, ex Plutarcho *in libello de Oraculorum defectu*, ubi Pythius, ſeu Delphicis vatibus dat crobylos, ut proinde appareat, quam ſcite ſcientiſſimus ille omnis veteris moris, Tertullianus *de Veland. Virgin. cap.* 10. inter inſignia gentium in capite, nominet *crobylos barbarorum, aut cicadas Athenienſium*, quibus ſcilicet cicadis aureis implexi crobyli Athenienſium à crobylis barbarorum diſtinguebantur; quomodo Tertullianum primus illuſtro, quamvis lectionem ejus ſciola criſi ſollicitet, *ſtrobulos* neſcio quos pro crobylis reponens, poſt Beatum Phenanum, noſter Cerda *ibidem*, aliter idem, aut ſub ejus nomine novi Scriptores *in Adverſar. ſacr. cap.* 138. *num.* 15. & *cap.* 169. *num.* 8. Joſeph Scaliger *Comment. in Cirin. Maronis pag.* 55.

C A P U T XXXI.

Ad Canonem 11. *Concilii Bracccharenſis I. & Canon.* 41. *Toletani Concilii IV.*

P A R E R G A.

A R G U M E N T U M.

COrollariis *de matronali coma, tametſi non connexum annexuiſſe, volupe fuit, animadverſionem* ad Can. 11. Braccharenſis Concil. I. de coma Clericali. Grani, *in eo* Canone, *primo fortaſſe obſervatore* Jo. Savaro, *& pro cincinnis ab aure pendulis, quales* Gotthis, *uſitati.* Granos *dimittere, pro deponere, & conſecrare, ex* Gentilium *more, exponebat olim* Salmanticæ *noſter* Garſias de Porres. *De eo more intellectum* caput 19. Levitici. *Non tamen ea ſuſpicio probatur, quoad* Braccharenſem Canonem, *& probari potius debuit ea conſecratio comæ ex ritu* Nazaræorum, Numer. cap. 6. *& ex Sanctæ* Eccleſiæ *diſciplina, quæ comæ, ſeu granorum attonſionem in* Clericatu *ſemper probavit, & in* Lectoribus *ipſis, de queis cum* Braccharenſi *collati alii loci. Nobis, niſi pro*, granos, *voce, legatur*, gradus, *placitum magis, referri illum* Gentilem *ritum, de quo* Braccharenſis, *non tam ad* Gotthos, *quam ad* Suevos, *queis* Gallæciæ *regnantibus, coacta illa* Synodus, *& quorum fuit inſigne oblonga coma, & capillitium, ſicut & fuit* Gentilium, *quo à* Chriſtianis *diſtincti, & detonſi, cum* Chriſtiani *fierent. Plura ad rem ex* Clemente Romano Apoſtol. Conſtit. 3. & 8. *& aliis, qui perluſtrantur. Suffulta hæc conjectatio* ex Can. 66. Bracchar. 2. *qui eſt* cap. 32. 23. diſt. *Et proprie magis ex* Toletano 4. cap. 41. *qui de* Lectorum *comis, & cincinnis in* Gallæcia. *At cur illic, hic ritus imputetur* hæreticis, *nec dictum adhuc, nec dubitatum. Nos conjectura ducta à* Maſſilianis hæreticis, *eiſdemque* Monachis *comatis, quos ex* Syria, *&* Aſiæ *Provinciis, irrepſiſſe in* Africam, *atque inde in* Hiſpaniam *vicinam, facile eſt creditu, & receptos in* Gallæcia *à* Priſcillianiſtis hæreticis, *eorumdem errorum cum illis, & cum* Manichæis *fere ſociis. Expenſi in eam rem* Gangrenſes, Braccharenſes, Toletani, Canones. *Explanati* Trullani 32. & 42. cum l. 7. & aliis, Cod. Theod. de hæretic. *Obſervatum mendum, & reſtituta vox*, ſaccophori, *apud* Balſamonem. *Laudati in propoſito* Patres, *& collati* Hieronymus, Auguſtinus, *& alii. Elucidatus* Canon. 6. Cæſarauguſtanæ Synodi I. *Addita denique obſervatio de* Marco Monacho, *&* Gnoſtico, *è* Gallia *in* Hiſpaniam *progreſſo, &* Priſcilliani *Magiſtro. Ducta ex his tandem interpretatio* ad Can. Tolet. & Braccharenſem.

1 ACcedat non ejuſdem generis, nec de matronali, ſed virili coma, Corollarium, non tamen injucundum fortaſſe Eccleſiaſticæ antiquitatis cultoribus, Parergon, pro explanando nondum vulgo intellecto, imo nec eruditis ſatis, & intellecto tamen digniſſimo *Canone* 11. Concilii Braccha-

renſis I. quo inter alia cautum, *ut lectores in Eccleſia in habitu ſæculari ornati non pſallant, neque granos gentili ritu demittant.* Ad quem locum Garſias Loayſa, *granos*, eſſe ariolatur, genus laïcæ veſtis oblongæ, ſed ſine auctore, vel notore, cui credi poſſit, ſcopum propius attingit flos ille, & gemma noviorum Scholiaſtarum Joannes Savaro *in Sidonium lib.* 1. *epiſt.* 2. & ex eo illaudato, ut ſolent, muſtei concinnatores ſacrorum adverſariorum, quæ erudito P. Joanni Ludovico de la Cerda adſcribitur, *cap.* 177. *numer.* 13. Landmeter *in Clerico Monacho*, *lib.* 2. *cap.* 65. Ludovic. Creſolius *in Myſtagoge*, *lib.* 4. *cap.* 12. *ſect.* 4. atque hæc ipſa, ſive ex eis præcipua, quæ in Academia communicata P. P. Sherlogo, ille idem quodam amicitiæ jure *ad Commentarios ſuos* transferens, *tom.* 3. *ad Cantica*, *cap.* 5. *veſtigat.* 32. *numer.* 12. & 13. Claudius Salmaſius, argute, ut ſolet, grammatiſſans *in Solinum tom.* 1. *pag.* 763. Dempſterus *ad Roſinum. lib.* 10. *cap.* 29. Et poſt hæc ſcripta viſus, atque editus, Franciſcus Florens *ad cap.* 4. *de vita, & honeſt. Cleric.* Noviſſime noſter Eman. Gonçal. *ad Illiberit. dict. Can.* 67. affirmatque *granos* vocari, ſparſos, & effuſos crines, ſive cincinnos, cirroſque, ab aure pendulos, quos, *antias*, vetus latium dixit, nos *guedejas*, & Gotthis velut gentilitium inſigne tribuit Iſidorus *lib.* 19. *Origin. cap.* 23. Neque abludit noſter Julianus Petri *in Adverſariis*, *numer.* 415. & 416. ibi: *Capillos incriſpant more Gotthico, & calamiſtrant*, & paulo ante: *Collum nudum eſt, tegitur capillis à parte poſteriore.*

2 Eaque expoſitione admiſſa, D. Garſias Martinez de Porres noſter Salmanticæ in Anteceſſura conſectaneus, ac demum in Supremo Caſtellano Senatu collega, hac de re inter ſcribendum conſultus, qua fuit dexteritate ingenii, & promptitudine, conjectabatur, granos gentili ritu demittere, nihil fortaſſe aliud eſſe, niſi cirros, cincinnoſque deponere, & ſacrare, more gentilibus ſolemni, quo adoleſcentes in viros tranſcribendi, capillorum primitias, votivamque cæſariem detonſam, variis Numinibus, & plerumque Apollini, κυροτρόφῳ donabant, dedicabantque, ut notatum, notumque vulgo, vel ex Plutarch. *in Theſeo.* Statio Papin. *lib.* 3. *Sylvar.* in coma Earini. Martiali *lib.* 1. *Epigr.* 32. & *lib.* 9. *Epig.* 17. & præ aliis Tertulliano *de Anima cap.* 40. Petronio *in Satyr. c.* 67. *Cui Deo crinem voviſti?* multa Scholiaſtæ.

3 Enim vero huic conjecturæ non leve ex eo momentum acceſſerit, quod ad præceptum illud, Sacerdotibus datum, Levitici *cap.* 19. *Neque in rotundum attondebitis comam*, notant inibi Theodoretus *Quæſt.* 28. Id attonſionis genus Hebræis Sacerdoribus vetari, quod & quia frequens erat ſacrificulis Gentilium Deorum, capillitii ſylvam in pueris ſtudioſe enutrientibus, ut dein certo tempore, rituque attonſam dæmonibus voverent, offerrentque, χρονικὸν ἀνάθημα, ut vocabant, ſeu *Saturni donarium*, quomodo Sarraceni, Iſmaëlitæ, aliique gentium, Hebræis vicinarum, miſterafi, ſeu circumtonſi deſcribuntur *in Epiſt. Jeremiæ* apud Baruch. *cap. ultim.* & apud Jeremiam ipſum *cap.* 25. & 9. ubi & Theodoretus; & Iſidis miniſtri fanatici raſo capite, apud Plutarchum *lib. de Iſide*, & *Oſiride.* Apulei. 11. *Miles.* Lamprid. *in Commodo*, & *in Peſcen. Nigro.* Artemidorum *lib.* 1. *Oneirocrit. cap.* 23. Sane cum vel iſto reſpectu diſtinctionis à ſacrificulis Iſidis, raſuram capitis ad cutem uſque in Chriſtianis Hierarchis, probent parum, Hieronymus *in Ezechiel. cap.* 44. Ambroſius *Epiſt.* 36. probabiliter dici videtur, eadem prorſus ratione, & reſpectu, gentilem ritum, granos, ſive cincinnos deponendi, & vovendi lectoribus inhiberi eo Canone Braccharenſis Concilii, de quo quærimus.

4 Verum me, quominus conjecturæ huic ſubſcribam, ut taceam phraſim illam, *granos dimittere*, pro deponere, vix alicubi extare, certe nunquam pro conſecrare, ſeu vovere, in quo propria gentilitii ritus alluſio, & prohibitionis ratio erat, duo non leviter morantur. Primum eſt, attonſionem, conſecrationemque comæ in Lectoribus probari potuiſſe, ac debuiſſe non ex gentili ritu, ſed ſacro, & laudatiſſimo Nazaræorum, qui capillos ponere, & adolere jubebantur, Numeror. *cap.* 6. non ut Gentilium conſuetudo fuit, ait in propoſito Cyrillus *lib.* 16. *de Adoratione*; ſed, *ut perfectionem devotionis ſuæ, domino conſecrarent; unde & tonſuræ Eccleſiaſticæ uſum exortum, & ab Apoſtolis introductum, ut hi, qui in divinis cultibus mancipati domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id eſt, Sancti Dei crine præciſo innoventur.* Ex Apoſtol. Act. *cap.* 18. & 21. docent his fere verbis D. Iſidorus *lib.* 2. *de Eccleſiaſt. offic. cap.* 4. laudatus in hac re Aquiſgranenſis Synodi *Can.* 1. tametſi aliud aliis placuerit.

Secundum eſt, eam ipſam comæ acciſionem, ſeu cincinnorum decuſſionem, tonſuramque, uſque adeo in Eccleſiaſticis non improbari, ut habeatur potius veluti Symbolum conſecrationis, ordiniſque, quibus & Deo vero, qui ſe initiabant, & devovebant ſacrorum adminiſtri, & Antiſtites, pompam capillitii, velut exuvias capitis, ſimul & ſæculi deponebant, ex vetere Eccleſiaſticæ politiæ inſtituto, de quo ut interim in Præsbyteris, aliiſque Clericis non dicam, quibus vel ideo comæ curam, & calamiſtri lenocinia exprobrant Clemens Alexandr. *lib.* 3. *Pædagog. cap.* 3. Ambroſ. *lib. de Noë*, & *Arca*, *cap.* 7. & *lib.* 3. *de Virginib.* Hieronym. *Epiſt.* 22. *ad Euſtoch.* atque alii alibi ſæpe; in Lectoribus ipſis, de quibus Braccharenſis Synodus, cum initiarentur, hunc attondendi granos, ſeu cirros, ritum tamquam canonicum, ſolemnemque agnoſcunt, præter Canones Toletanæ, & Trullanæ Synodi, de quibus poſtea, Cyrillus Monachus *Baronio anno Chriſti* 58. *num.* 128. laudatus in vita Sancti Euthymii, ubi de ordinatione Euthymii in Lectorem: *Cum eum baptizaſſet, & pilos, qui ex lege tondentur pueris, totondiſſet, in gradum Lectorum eum cooptat.* Hieronymus *Epiſtol.* 2. *ad Nepotianum, de vita Clericorum. Si Lector, ſi Acolytus, ſi Pſaltes te ſequitur, non ornentur veſte, ſed moribus, nec calamiſtro criſpent comas, ſed pudicitiam habitu profiteantur.* Proinde quamdiu aliunde non liquet, imitatione Gentilis ritus granos depoſuiſſe Lectores, & conſecraſſe, non inducor facile, ut credam, id Braccharenſi Canone improbari, quod ſacri, & Eccleſiaſtici potius, quam Gentilis ritus, & probatiſſimi, receptique in eiſdem uſus fuiſſe, videtur. 5

Nos autem, ſive ut Loayſa, Savaro, & alii volunt, *granos* legatur, ſive ut in aliis libris legi fatentur, *gradus*, & poſtremum hoc referatur ad comam in gradus flexam, fractam, atque digeſtam, quod Chryſoſtomus *Homil.* 12. *in Epiſtola Pauli ad Coloſſ.* vocat, διατιθέναι τὰς τρίχας, de quo artificio plura Durantius *lib.* 2. *Variar. cap.* 5. Salmaſius *in Capitolinum*, *in Pertinace pag. notarum* 131. tamen arbitramur, Patres Synodi Braccharenſis, quæ Suevica fuit (non Gotthica, ut perperam Savaro ponit) ſub Ariamiro nempe Rege Suevorum, & ex Gallæciæ Epiſcopis congregata, non tam appellatione Gentilis ritus, in granis demittendis, reſpexiſſe ad inſigne Gotthici capillitii, ut velle Savaro videtur, quam ad eumdem fere patrium, ethnicumque, & ideo utroque ſenſu Gentilem ritum Gallæcis, Luſitanis, & Suevis. De prioribus, nempe Gallæcis, ſive Callaicis, & Luſitanis, Aſturibuſque montanis Strabo *lib.* 3. *Geograph. Longam inferius demittunt comam.* De Suevis, ut omittam notiſſimos Germanorum omnium cirros, cincinnos, proprie Tacitus *lib. de Morib. Germanor. Inſigne gentis, obliquare crinem, nodoque ſubſtringere.* Et paulo poſt: *Apud Suevos uſque ad canitiem horrentem, capillum retro ſequuntur* (ſive, ut alii legunt) *capillitium retro ſequitur, ac ſæpe in ipſo ſolo vertice religant.* Claudianus *de* 4. *Honorii Conſulatu in fine:* 6

Crinituſque tuo ſudabit faſce Suevus.

De ethnicis denique omnibus, & idolorum pravo

culta

cultu implicatis, fuiſſe illis velut proprium inſigne, quo à Chriſtianis diſtinguerentur, demiſſos utrinque cirros, prolixamque cæſariem, præterquamquod indicat ſatis vetus Eccleſiæ diſciplina, quæ vel ideo Chriſtianis etiam laïcis comæ curam, & paraturam interdicit, & inter mali dæmonis aulicos cenſet calamiſtratos, capillatoſque, ut liquet ex Clemente Romano *lib* 1. *Conſtit. Apoſtolic. cap.* 3. *&* 8. Cypriano *de Jejun.* Hieronym. *Epiſt.* 22. *ad Euſtoch.* & *lib.* 1. *adverſ. Jovinianum*, juncto *Canone*, hinc illuſtrando, 96. Synodi 6. Conſtantinop. in Trullo, probant proprie ad rem magis clariſſimi Tiburtii Martyris acta, à quo inter alia, quibus impium Apoſtatam Torquatum ementiti Chriſtiani cultus, verique Gentiliſmi coarguit, hoc vel præcipuum eſt de crinium lenocinio, & ornatu. Conducit & Prudentii locus *in Periſtephano hymno* 5. dum inter prima converſionis B. Cypriani de idololatria ad Chriſtum auſpicia, & illud memorat:

Deſlua cæſaries compeſcitur ad breves capillos.

Sicut & B. Hilarii *in Panægyrico laudatiſſimo de vita Sancti Honorati*, ubi de converſione ejuſdem, ita: *Rediguntur ad breves capillos luxuriantes comæ.* Ammiani etiam, qui ab Alexandrinis Gentilibus Diodorum quemdam Chriſtianum injectis per crura funibus, exanimatum fuiſſe, ſcribit, *quod dum ædificandæ præeſſet Eccleſiæ, cirros puerorum licentius detondebat, id quoque ad Deorum cultum exiſtimans pertinere*, ut ille ipſe Gentilis loquitur *lib.* 22 Ergo cum conſtet jam, patrium Suevorum, Gallæcorumque, & ſimul ethnicum fuiſſe ritum comam, granoſque, ſeu cincinnos promittendi, non male, opinor, affirmatur, reſpexiſſe ad Gentilem hunc omni notione ritum Braccharenſis Synodi Canonem, ideoque eo prohiberi, Lectores granos dimittere, ne patriis inſtitutis abrepti, ſanctiſſimum Eccleſiaſticæ tonſuræ decus, indigna ethnici moris, & luxus participatione violarent.

7 Hæc cum primum ſcripſiſſem, ſoloque opinationis ſubſidio niteretur, incidi poſtea in alios veterum Conciliorum Canones, qui expoſitionem noſtram Braccharenſis Synodi firmant, foventque planius, & viciſſim inde explanantur. Primus eſt Braccharenſis Concilii 2. ſeu collectionis Martini Braccharenſis *Canon.* 66. qui apud Gratianum *in cap. non licent* 32. 23. *diſtinct.* ſic fere habet: *Non oportet, Clericos comam nutrire, & ſic miniſtrare, ſed attonſo capite, patentibus auribus, & ſecundum Aaron talarem veſtem induere, ut ſint in habitu ordinato.* Exprimit vero hic Canon, ſive ex Orientali aliqua Synodo, de quo poſtea, ſive, quod verius mihi, ex Latina Braccharenſi 2. collectus, duo illa de habitu, & tonſura Lectorum, quæ prior ille Braccharenſis Canon complectebatur, & ſignanter granorum demiſſionem reſpiciunt, inhibentque verba illa *patentibus auribus*, quæ dextre ſubaudita ſignificant, ſic attonderi caput ſacrorum miniſtrorum debere, ne granis, ſeu cincinnis prope auriculas dependentibus, *aurium ligulæ crinium ſuperjacentium flagellis operiantur*, ut Sidonius loquitur *lib* 1. *Epiſt.* 2. ſed pateant aures, nuſquam in eas immiſſis, vel fluitantibus comis capronis, ut Lucillius ſcribit *lib.* 7. *Satyr.* Ejuſdem diſciplinæ, & ſententiæ eſt, quoad illud de patentibus auribus, Concilium Salisburienſe ſub Gregorio X. *Can.* 11. & noviora, ac priſca alia in collectaneis Gaſtonis Chamillardi *de corona, tonſura, & habitu Clericor. cap.* 1. *& ſeq.*

8 Secundus, firmiorque conjectationis noſtræ tibicen eſt in Concilio Toletano 4. *Can.* 41. ubi ſic legimus: *Omnes Clerici, vel Lectores, ſicut, Levitæ, & Sacerdotes, detonſo ſuperius toto capite, inferius ſolam circuli coronam relinquent, non ſicut hucuſque in Galliciæ partibus facere Lectores, videntur, qui prolixis, ut laïci, comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpania hucuſque hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando Eccleſiæ ſcandalo, hoc ſignum dedecoris auferatur, & una ſit tonſura, vel habitus, ſicut totius Hiſpaniæ eſt uſus.* Vides his verbis, præ cæteris Eccleſiæ Miniſtris, Lectorum prolixiores comas proprie taxari, & improbari: vides deinceps præcipi, ut detonſo ſuperius toto capite, inferius ſolam circuli coronam relinquant (ſolam, inquam, coronam circuli, & modicorum pilorum ordinem, ambitumque, non granos, non concinnos, utraque ab aure pronos, pendulosque) & increpari eos, qui prolixis, ut laïci, comis, in ſolo capitis apice, modicum circulum tondent, reliquam ſcilicet cæſariem alentes, & capillorum fluentes jubas; vides denique improbatum hunc ritum, Lectorem adſcribi Galliciæ partibus, Gentili Gallæcorum, Suevorumque domicilio, quorum ritum in re hac ipſa damnaſſe prius Canonem illum Braccharenſis Synodi, jam docuimus. Hæc cum inter ſe tam ad numeros, mutuamque vicem concinant, & reſpondeant, illud tamen non leviter jam diu me pungit, quod ritum illum, quem ethnicorum fuiſſe oſtendimus, & Gentilem Braccharenſes nominant, Toletani patres hæreticorum eſſe, affirmant. Nec juvant in ænigmate hoc exponendo, magnus Baronius 1. *tom. Annal. anno Chriſti* 58. *num.* 129. & ex eo Creſolius *in Myſtagogo lib.* 4 *cap* 8. *ſect.* 3. *ad finem.* D. Roderic. Acuña *in cap. prohibeto* 21. *numer.* 5. *diſtinct.* 23. & noviores, laudati ſupra Florens, Cerda, Sherlogus, & ſi qui alii, recitantes nude, ac ſimpliciter aſſertionem illam de hæreticorum ritu *ex Toletano Canone.*

Ego autem, ut rem creperæ, dubiæque omnino 9 lucis, dubia etiam potius, quam liquida conjectura illuſtrem, obſervo, Maſſilianos Hæreticos, ſive Euchitas, & Enthouſiaſtas, hoc eſt peccatores, & ſpirituales, quorum mentio *in l. Arriani, C. de Hæreticis*, quique Saccophori nuncupantur *in l. ſi qui* 7. ubi Jacobus Gothofredus *l. quiſquis* 9. *l. omnes* 11. *Cod. Theodoſ. de Hæret.* inter alia ſectæ ſuæ delira dogmata, & inſtituta, illud inſuper habuiſſe, *quod muliebres comas producerent*, ut Epiphanius memorat *Panarii. ſive adverſus hæreſes lib.* 3. *tom.* 2. *hæreſi* 80. *& extrema.* Eam porro hæreſim, quam Monachis Meſopotamiæ Epiphanius tribuit, & per Pamphyliam, Lycaoniam, Syriam fuiſſe pervagatam, ſcribunt Theodoretus *lib.* 4. *Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.* 10. & ex eo Nicephor. *lib.* 11. *cap.* 14. conſtatque ex Synodo Generali 3. Epheſina, ubi Maſſiliani damnantur, in Armeniam etiam, ſuperioribus Provinciis finitimam perveniſſe, ibique graſſatam non leviter, didici *ex Bibliotheca Photii pag. mihi* 38. ubi dum Orientalis Synodi Sidetanæ, contra Maſſilianos habitæ meminit, utique & conſultationis Litoii Armeniæ Epiſcopi de Maſſilianis, miſſique ad eum Synodici decreti, & Epiſtolæ alterius à Flaviano Antiocheno, ad Armenium quemdam Epiſcopum, qua queritur *προστασίας τινὸς*, ſive præſidii, & patrocinii aliquid apud eum Maſſilianos invenire, fortaſſe ob conſonantiam eum Euſtachio, ſive Eutacto Armeno, cujus errores Maſſilianicis perſimiles, ut *in dict. l* 7 *Cod. Theod. de Hæret.* in Armenia invaluerant, damnanturque in Concilii Gangrenſis *Canonibus*, & in *Epiſtola ad Armenos ibidem.*

Unde & facem præferri poſſe, ſuſpicor, duobus 10 ſextæ Synodi in Trullo *Canonibus* 33. *&* 42. quorum priore proponitur in Armeniorum Regione *non attonſos Cantores, & divinæ legis Lectores conſtitui*: Id, quod deinceps fieri prohibetur; poſteriore autem improbantur *Eremitæ, qui nigris veſtibus induti, & capite comati urbes obeunt, & cum viris, ac mulieribus verſantur, & propriæ profeſſioni faciunt injuriam.* Utroque autem notantur Maſſilianorum reliquiæ, adhuc in Armenia graſſantes, & quia primum à Mane Perſa, & Manichæorum auctore, edoctæ, poſtea forſitan Manichæis in Armenia permixtæ, quorum Maſſilianorum Clericis, ac præcipue Monachis ex eremi mandris, ſive ſpeluncis urbes petentibus, hunc ipſum capitis comati luxum, & geſtationem nigri ſagi, ſeu ſacci, à quo ſaccophori nominati *in dict. l.* 7. *in fine*, 9. *&* 11. *Cod. Theod. de Hæreticis*, & D. Baſilio *Epiſt. ad Amphilochium, Can.* 47. (cujus

jus adnotator Theodorus Balſamo *ad cap.* 19. *Epiſt. Baſilii*, & *ad Canones* 5. Synodi Conſtantinopolitanæ 2. dum de Monaſtico habitu loquens uſurpat vocem ῥασοφορῆσαι, & Monachos appellat, ῥασοφορεῖς, emaculandus obiter eſt, ſubſtituta voce σακκοφορῆσαι, & σακκοφορεῖς, ſive *ſaccophoros*, cujus ignorata ſciolo alicui ſignificatio, & uſus, mendo anſam fortaſſe, præbuit, tametſi aliter de his, aliiſque locis cenſeat Petr. Fab. *lib.* 3. *Semeſtr. cap.* 21.) & promiſcuam virorum cum mulieribus in precibus, ſomno, victuque omni conſuetudinem, qua velut contumelia efficiebant honeſtam alioquin profeſſionem, objicit ſingula hæc, quæ propoſui, firmans Epiphan. *dict. Hæreſi* 80. atque aliquot poſt ſextam Synodum annis, Joannes Damaſcenus *Hæreſi* 80. & eorumdem hæreticorum tacito nomine, Hieronym. *dict. Epiſt.* 22. *ad Euſtoch.* ubi errore eos notat, qui ſub titulo ementitæ humilitatis cæſariem ſuam, ut Vulcanium rete obtendebant, ad captandas menſarum lautitias, *quibus fæminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nigrum pallium.* S. Paulinus, crinitos Monachos nominans, *Epiſt* 7. *ad Severum.* Vertente ſcilicet jam tum, vana & præpoſtera jactatione, nigro, vilique amictu, in oſtentationem, & gloriam, quem alioquin Monachis omnibus receptum fuiſſe, tamquam humilitatis Symbolum, conſtat ſatis vel *ex Canone* 45 Trullano, & aliis.

11 Hoc itaque ipſum hæreſis comatæ genus, cum ubique exturbatum, occulte ſerperet, ne detectum expelleretur, irrepſiſſe etiam ex Meſopotamia, & Syria in Africam, Hiſpaniæ vicinam, conjectari licet ex Auguſtino *libro de opere Monachorum*, & 2. *Retractationum cap* 21. dum utrobique refutat hæreſim, ſive errorem errantium Carthagine Monachorum, quos crinitos fratres vocat, quia & muliebribus capillis compti incedebant, *Venalem circumferentes hypocriſim, timentes veluti, ne vilior haberetur tonſa ſanctitas, quam comata*, & otioſi ipſi manibus operandum negabant: quæ duo præcipua Maſſilianorum hæreſis capita, recenſita Epiphanio, Theodoreto, Damaſceno, & Nicephoro damnantur non obſcure in Concilio Carthaginienſi 4. cui Auguſtinus ſubſcripſit. *Can.* 44. & 51. 52. & 53. hinc non vulgariter elucidandis.

12 Denique ex Africa eoſdem hæreticos non multo poſt Hiſpaniam penetraſſe, crediderim, reſediſſeque potiſſimum in Gallæcia, ſive ſub generali, incertoque primum Gentilium, deinde hæreticorum nomine, quod mihi probabilius eſt; ſive à Priſcilliano Gallæco, & ejus aſſeclis in conſortium receptos, ad quos tamquam in ſordium omnium ſentinam, univerſarum hæreſum ante exortarum ſecem confluxiſſe, ſic *ut nullus pene inveniretur error, de quo non traheret impietas illa contagium*, teſtatur hiſce verbis Leo Magnus *Epiſt.* 93. *ad Turibium in princip.* Auguſt. *de Hæreſibus cap.* 70. quibuſque, ſcilicet Priſcillianiſtis, communes cum Gnoſticis illis, tot hæreſeon propagatoribus, & cum Maſſilianis, & Manichæis errores fuerunt, damnatio nuptiarum, occulta, & execranda virorum cum mulieribus conventicula, ſimulata in Eccleſia acceptio Euchariſtiæ, quam poſtea non ſumerent, perjurandi, mentiendique licentia ſuis abominationibus tegendis: quæ ſingula Maſſilianis, Gnoſticis, & Manichæis imputant Epiphan. Theodoret. Damaſcen. & alii, eademque in Priſcillianiſtis damnant Auguſtin. *de Hæreſ. dict. cap.* 70. & 2. *Retractat. cap.* 11. Leo *dict. Epiſtol.* 93. *cap.* 7. & referendi huc *Canones* 1. & 3. Concilii Cæſarauguſt. 1. & Concil. Tolet. 1. *Can.* 14. & *regula* 16. *contra Priſcillianiſtas*, & Concil. Bracchar. 1. *cap.* 11. & 15. *contra Priſcillianiſtas.* Et præcipuus tragicæ eorum hiſtoriæ concinnator Sulpicius Severus *lib.* 2. apud quem dum Priſcillianus deſcribitur, *humilitatis ſpeciem ore, & habitu prætendens:* ſicut & quod in Concilio Cæſarauguſtano 1. ſub Damaſo *Canone* 6. *tom.* 1. *Concilior.* ſub Damaſo; & in Baronii *Annalib tom.* 3. *anno* 381. damnatur Clericus Priſcillianiſta, *qui velut obſervator legis, ſe Monachum videri voluerit magis, quam Clericum.* Reſpiciunt, me indicante, ad illos, qui ad inſtar Maſſilianorum, prolixis ad frontem comis, & humiliore, atque habitu, in Monachos ſe transformabant, ut Monachi illi criniti, comati, & ſaccophori, de queis ſupra *ex l.* 7. *Cod. Theodoſ. de Hæretic.* & ex Baſilio, Auguſtino, & Hieronymo, Paulino, & aliis. Enim vero neque his repugnat, ſi addideris, per Marcum Monachum Ægyptium, & Gnoſticorum, ac Manichæorum hæreſis in Gallia cerebroſum magiſtrum, tranſiiſſe inde in Hiſpaniam, & in Gallæcia reſediſſe eam hæreſim, receptam Priſcilliano, & ejus aſſeclis Priſcillianiſtis. Quæ ſingula non conjecturæ ſunt, ſed aſſertionis teſtatæ Hieronymo *in Iſaïam lib.* 17. *cap.* 64. & fortaſſe *lib.* 18. *cap.* 65. Sulpicio Severo *lib.* 2. *Sacr. Hiſtor. prope finem*, D. Iſidor. *de Viris Illuſtr. cap.* 15. *in Itatio Claro.*

Verum undecumque in Hiſpaniam irrepſerint hi 13
hæretici comati, cauſatius tamen prior illa Braccharenſis Synodus, comarum, ſeu granorum in Lectoribus abuſum Gentili, hoc eſt, patrio, ethnicoque ritui adſcripſit, non hæretico, vel quia comati hi hæretici, erant ex Maſſilianis orti, & cum Gentilibus Euphemitis originis, & profeſſionis ejuſdem, ut teſtatur Epiphanius ſupra, vel quia cum in Hiſpaniam primum migrarunt, comati, & palliolati ſub ſpecie, & habitu Gentilium Philoſophorum, Gentiles potius, quam hæretici, quales ſe eſſe diſſimulabant, habiti ſunt. Poſterior autem Toletana Synodus 4. ducentis, & amplius poſt Braccharenſem annis, merito ſectæ jam detectæ, & damnatæ inurit ſtigma hæritici ritus. De quo tamen, & re iſta tota, ut meliora cenſenti laudem, ita mihi in his tenebris allucinanti, veniam non defuturam, ſpero.

CAPUT XXXII.

De aliis decoramentis matronalibus, comitatu, carpentis, pulvinaribus, à queis remotæ meretrices.

Ad Reg. l. 6. §. ultim. tit. 19. lib. 6. l. 7. §. 1. 2. & 3. tit. 19. lib. 8. Compil. l. uxori 13. D. de auro, & arg. leg

ARGUMENTUM.

C*Omitatus Matronarum deſcriptio apud* Ammianum Marcellinum, *emendato illius loco, & laudatis aliis, de penſis familiæ. & virgis cuſtodum, & de ſcortis incomitatis, & incuſtoditis: prohibitus eiſdem ſcortis* Regia lege, *carrucarum, & ſellarum uſus, ſicut* Pontificiis edictis li Cocchi, & il lenzolo: *& è contra jam olim* Romæ *Matronarum inſignia fuere, carpenta, lecticæ, & ſellæ: illuſtrata* lex 49. D. de legat. 3. *ſed luſtratus vel maxime, & elucidatus* Scœvola in l. 3. D. de auro, & arg. leg. *De lecticariis ſervis (explanata obiter* l. 7. D. de ſervit. ruſt.) *& de lectica, aut ſella geſtatoria, ſeu ferculo, cui ſerviebant ſuccollantes, & ipſorum veſtibus. Carruca dormitoria, quæ ſit,* in d. l. 13. *exploſæ expoſitiones* Bauſſii, & Merilii: *fuit vehiculum opertum cum umbraculis, & lecto penſili, cujus mentio* Hieronymo in Iſaïam, dormitoriam, *vocanti:* λαμπτῆνα Suidas *vocat, & matronale, ſeu muliebre. Alia de his dormitoriis penſilibus, geſtationi, & ſomno aptis,* Juvenalis, Plinius, Tertullianus, *queis lux immiſſa, &* Dioni lib. 57. *Fuere etiam inter Matronales lecticas baſternæ,*

næ, quarum de etymo, notata Salmaſii *vanitas, & de uſu non pauca. Porro interdictum meretricibus omne id vehiculorum, & lecticarum genus; unde &* pedibus graſſari *dictæ: quin & vetitus ſellarum uſus, argumento* ex l. unica, Cod. Theod. de uſu ſellar. *quæ de ſcenicis, & tabernariis, queis ignominia pares meretrices. Emendata ea lex, & elucidata; emendatus item* Macrobrius. *Vetita tandem*, Hiſpana lege, *ſcortis delatio Pulvinarium, & Stratorum in* Eccleſiis. *Pulvinaria jam olim honoratiſſima, & matronalia. Aliqua ex* juris *libris, & aliis.*

1 SEd, nt ad comitatum matronalem, de quo dicere occœpi *cap.* 30. jam redeam, deſcribit cum univerſim, & conſpicue Horat. *lib.* 1. *Satyr.* a. ibi:

Cuſtodes, lectica, ciniflones, paraſitæ.

Juvenalis *Satyr.* 6. ubi de Ogulnia matrona:

Conducit comites, ſellam, cervical, amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam.

Propert. *lib.* 3. *Eleg.* 8.

Cuſtodum gregibus circum ſe ſtipat euntem.

Et *Eleg.* 14.

At noſtra ingenti vadit circumdata turba.

Plautus *in Aulularia actu* 3. *ſcena.* 5.

Enim mihi quidem æquum eſt, purpuram, atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pediſſequas,
Salutigerulos pueros, vehicula qui vehar.
Eu. *Ut matronarum hic factu pernovit probe.*

Unde illuſtrare in facili eſt, pediſſequarum ancillarum mentionem in matronali cultu, apud Scævolam *in l. Titia* 59. *D. de manum. teſtam* juncta *l. peculiam* 65. *D. de legat.* 2. *l. ſervos* 17. *D. de alim. & cibar. leg.* Sed & audiendus Apuleius *lib.* 2. *Metamorphoſ.* ubi de Byrrhena opulenta matrona: *Et ecce mulierem quampiam frequenti ſtipatam famulatione, ibidem gradientem accelerato comprehendo. Hujus adhærebat lateri ſenex, jam gravis annis.*

2 Inſigniter, præ aliis, Ammian. Marcellin. *lib.* 14. cujus prolixiorem locum adſcribo, ut emaculem; *Familiarum agmina, tamquam prædatorios globos poſt terga trahentes, ne Sannione quidem, ut ait Comicus, domi relicto; quo comitatu matronæ complures opertis capitibus, & baſternis per latera civitatis cuncta diſcurrunt, atque præliorum periti rectores primo catervas denſas opponunt, & fortes, deinde leves armaturas, poſt jaculatores, ultimaſque ſubſidiales acies, ſi fors adegerit, invaſuras: ita præpoſitis urbanæ familiæ penſa digerentibus ſollicite, quos inſignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut teſſera data caſtrenſi, juxta vehiculi frontem omne textrinum incedit: huic atratum coquinæ adjungitur miniſterium; deinde totum promiſcue ſervitium, cum otioſæ plebis de vicinitate conjunctis; poſtrema multitudo ſpadonum, à ſenibus in pueros deſinens, coloris obluridi, diſtortaque lineamentorum compage deformis.* Quo loci pro eo, quod in vulgatis, quos vidi, & in Lindembrogii editione, eſt *ſuſpenſæ*, ibi: *Urbanæ familiæ ſuſpenſæ digerentibus*, nullius plane rei ad rem verbo repoſui, *penſa*, quomodo per tranſlationem nominat Ammianus miniſteria pediſſequorum, quæ inter eos digerebant, ſive diſtribuebant ſollicite, præpoſiti urbanæ familiæ, nt inter famulas ſua penſa matronæ; ſive, ſicut juvenis ille apud Hieronymum *Epiſtol.* 47. de vitando ſuſpecto contubernio, *qui ipſe ſacculum ſignet, textrinum teneat, penſa diſtribuat. regat familiam:* ideoque & ſtatim inter penſa, ſive ordines comitum ſequitur apud Ammianum, *omne textrinum* (ſic enim jam emendatiores libri præferunt, tametſi antiqua editio Mariangeli Accurſii, *omnem & extremum*) id eſt, ſervi textores, & ancillæ lanificæ, ſeu lanipendiæ, quorum mentio *in l. Titia* 36. *D. de legat* 1. *l. textoribus* 61. *l. legatis* 65. §. *ſi unus*, *D. de legat.* 3. *l. quæſitum* 12. §. *Trebatius. enm* §. *ſeq. l. villæ* 16. §. *ultim. D. de inſtructo, & inſtrum. leg.* Et præpoſitis illis familiæ dat virgarum inſigne Ammianus, ſicut curæ palatii Caſſiodor. *lib.* 7. *Variar form.* 5. *in fine.* & oſtiariis Seneca *de Conſtantia Sapientis, cap.* 14. & lictoribus, viatoribuſque veteres paſſim. Denique ipſis cuſtodibus matronarum Propertius *lib.* 4. *Eleg.* 7. ubi de Cynthiæ cuſtode; quamvis alii alio trahant:

Nec crepuit, fiſſa me propter arundine, cuſtos.

3 Sed abſtineo. Talis itaque, & frequens adeo cum fuerit matronarum in publico comitatus, quem & ideo gregem, agmen, exercitum vocari ſcio, eoque accidere, *ut majores expenſas flagitet matronalis ornatus*; appoſite ad hodiernum luxum, ait Valentinianus *Novell* 1. *de fructib. inter marit.* E contra meretrices incomitatæ, incuſtoditæ in publico incedebant, ſeu potius vagabantur, *garrulæ, & quietis impatientes nec valentes in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos inſidiantes*, ut ſcriptum fere eſt *Proverb. cap.* 7. & 5. & quidem plerumque ſolæ, aut comite ancilla non amplius una, ut de Meſſalina ſcortante Juvenalis *in* 6. ac de Quartilla, & Circe Petronius *Satyr. cap.* 17. & 86. Prupertius *lib.* 2. *Eleg.* 23.

Contra rejecto quæ libera vadit amictu,
Cuſtodum & nullo ſepta tumore, placet.

Queis conſequenter, & appoſite conſtitutum *Regis noſtri Philippi II. lege* 7. §. 1. & 2. *tit.* 19. *lib.* 8. *Compil.* ne mulieres, palam corpore turpes, habeant in miniſterio pediſſequas, quadraginta annis minores, n̥que in comitatu cuſtodes, ſeu laterones.

4 Quintum ea eadem matronalis, & meretricii cultus ſupellectile eſt, quod cautum occurrit *Regia lege* 14 § 12. *tit.* 12. *lib.* 7. *Compilat.* & repetitum *ex l.* 9. § *ult. tit.* 19. *lib.* 6. *Compil.* ne ſcilicet mulieres, publice, palamque quæſtuariæ, ſeu meritoria ſcorta, velu poſſint curru, aut carruca, ſive, ut lex loquitur, *coche, h carroça.* Quæ prohibitio, quoad Romana proſtibula, extlat in Pontificiis Conſtitutionibus, quas, *motus proprios*, dicimus, Julii 3. Pauli 4. Pii 4. cujus 8. *Conſtitutio* meretricibus, aliiſque fœminis, impudice, & inhoneſte viventibus, interdicit uſum rhedarum (*detti li cocchi*) ſimulque & luxuriantibus *inoperto capite*, ut loquitur Seneca *de Vita Beata cap.* 13. vetat matronalem ornatum, ſive amictum, quem Italiciſmus vocat, *Il lenzolo*, qualibus fortaſſe jam olim *linteolis modice, ne caput premant, nec ad aures uſque demiſſis, cerebru tenus operiri* fœminas, Tertullianus ſcripſit *de Veland. Virginib.*

5 Eſt vero tota hæc, quoad rhedas, interdictio ex viſceribus Romani juris, quo jam olim ob collationem auri ex ornamentis ad votum ſolvendum, fuit matronis Senatuſconſulto conceſſum, ut *pilento ad ſacra, ludoſque, carpentis feſto, profeſtoque uterentur*, ut Livius memorat *lib.* 5. idemque inde illuſtrandus *lib* 34. Pompeius Feſtus *in voce. pilentum.* Servius *ad illud* 8. *Æneid. caſtæ ducebant ſacra per urbem pilentis matres in mollibus*, & ex eo D. Iſidorus *lib.* 20. *Origin. cap.* 12. Ovidius 1. *Faſtor.*

Nam prius Auſonias matres carpenta vehebant.

Eoque reſpectu Artemidorus *lib* 1. *Oneirocrit. cap.* 58. ita de ſomniante, ſe curru vehi, conjectatur: *Cæterum aio, bonum eſſe ingenuis mulieribus, ſimulque virginibus opulentis, currum per urbem agitare, bona enim Sacerdotia ipſis diſponit.* Tacitus 12. *Annal.* ubi de Agrippina. Dicti à carpento *carpentarii*, nempe carpentorum ſtructores, vel ſtratores *l. ult. D. de jure immunit. l.* 1. *Cod. de excuſat. artific. lib.* 10. *l. nec mulionibus* 31. *Cod. Theodoſ. de curſu publ.* & apud nos, producto latius ejus vocis uſu, fabri lignarii, *carpinteros*, Italis *carpentieri*, Gallis *charpentiers.*

6 Sed carpentis, ut dixi, vectæ prius Matronæ, poſtea lecticis, & ſellis, quarum de jure, & uſu multa poſſem: nunc illud proprie, fuiſſe eas ſemper

inter decoramenta matronalis dignationis, & cultus, Ulpianum primum auctorem do, à quo legato eorum, quæ uxoris cauſa parata ſunt, accenſentur, inter alia, *lecticarii, qui ſolam matrem familias portabant; item jumenta, vel lectica, vel ſella, vel burdones*, *l. item* 49. *D. de legat.* 3. cui illuſtrando præter Suetonium, Senecam, Apuleium, Tertullianum *de Pallio cap.* 4. Dionem, quorum ex Briſſonio meminit Gothofredus, adde, ſi placet, laudatos ſupra, Horat. *lib.* 1. *Satyr.* 2. Juvenal. *in* 6. Plautum *in Aulularia*, qui in inſtrumento matronali *plus plauſtrorum videri*, ait, *quam ruri, quando ad villam venitur.* Tertull. *lib.* 2. *ad Uxorem cap.* 8. ubi de Matronis lautioribus ita: *Unde niſi à diabolo maritum petant, bonum exhibendæ ſellæ, & mulabus, & cinerariis peregrinæ proceritatis?* Lamprid. *in Heliogab. Sed ſemiamirica facta ſunt. Senatuſconſulta ridicula, de legibus matronalibus, quæ quo veſtitu incederet, quæ cui cederet, quæ ad cujus oſculum veniret; quæ pilento, quæ equo ſagmaris, quæ aſino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum, quæ ſella veheretur: & utrum pellicea, an oſſea, an eburata, an argentata: & quæ aurum, vel gemmas in calceamentis haberent.* Div. Hieronym. *lib.* 1. *adverſus Jovinian: Multa eſſe, quæ matronarum uſui neceſſaria ſint, pretioſæ veſtes, aurum, gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſupellex varia, lecticæ, & eſſeda aurata.* Div. Gregor. Nazianz. *adverſus mulieres ambit. ſeſe ornantes.* Joannes Saresberienſis *in Polycratico, lib.* 8. *cap.* 11. à quo, inter alia, matronalibus uſibus neceſſaria, recenſentur *lecticæ, & exedræ deauratæ.*

7 Conſpirat in eamdem ſententiam ex noſtris libris Scævolæ locus *in l. uxori* 13. *D. de auro, & arg. legat.* ubi legato eorum, quæ maritus uxoris cauſa fecit, paravit, ſcriptum eſt, contineri veſtem uxoris, ejuſdem lecticariis comparatam, & carrucam dormitoriam cum mulis, queis ſemper uſa uxor eſt. Lecticarios hîc, ut & *in d. l. item* 49. *l. ſervis* 99. §. *penult. D. de legat* 3. *l ſi ex toto* 8. §. *ultim. D. de legat.* 1. *l ſcire* 29. *D. de verbor. oblig.* accipio ſervos, lecticæ gerulos, ſive bajulos, quibus ſuccollantibus matronæ circumferri ſolitæ; & quidem ſex plerumque, aut octo ad lecticam hominibus; unde & *hexaphori*, & *octophori* ducta appellatio, frequens Martiali, & aliis, & quia hominibus, ut dixi, non jumentis lecticæ, aut ſellæ portabantur, ire, non agere dicitur, & ſervitute itineris uti qui lectica, aut ſella vehitur *l. qui ſella* 7. *D. de ſervitut. ruſtic.* quam perperam de curru exaudit Accurſius, nec felicius de curuli ſella Budæus, aliterque in re aperta cœcutientes Faber, & alii, cum ſit omnino de geſtatoria ſella, aut lectica, quomodo & appellatur 2. *Machab. cap.* 3. atque alibi ſæpe, de qua multa, docens ex medicis *fertoriam*, & *portatoriam* vocari, Hieronym. Mercur. *lib.* 3. *de Arte Gymnaſt. cap.* 11. & *lib.* 6. *cap.* 10. Joann. Savaro *in Sidon lib.* 1. *Epiſt.* 11. Ferculum nuncupatur hæc eadem, Canticor. *cap.* 3. ibi: *Ferculum ſibi fecit Rex Salomon*; ad quem locum eruditiſſimus, amiciſſimuſque noſter P. Paulus Sherlogus *in commentariis*, qui prope diem videbunt locem, & dabunt, affert ex Sacris Libris, de ſervis ſuccollantibus, illud *Pſalmi* 65. *Poſuit tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* ἐπεβίβασας ἀνθρώπους ἐπὶ τὰς κεφαλὰς ἡμῶν, ut ait textus Græcanicus ſeniorum 72. ſive ut ex Hebraïco Sanct. Pagninus: *Poſuiſti anguſtiam in lumbis noſtris, equitare feciſti hominem ſuper caput noſtrum.*

8 Jam quod de veſte, eiſdem lecticariis comparata, apud Scævolam legitur, ſcio in ea anxie lautioribus accuratum, ut ſplendida, & inſignis eſſet, quales vernaculo ſermone, *libreas*. vocamus, & plerumque ruſa, & canuſinata, ſicut penula militum. Seneca *lib.* 3. *de Benefic. cap.* 28. ubi ſic de gerulis: *Quo te pænulati iſti, in militum, & quidem non vulgarem cultum ſubornati? quo, inquam, te iſti efferunt?* Sueton. *in Nerone cap.* 30. Martial. *lib.* 9. *Epigr.* 23.

Ut canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet,
Et mea ſit culto ſella cliente frequens.

Idem in lemmate Canuſinæ Ruſæ *lib.* 14. *Epigr.* 129.

Roma magis fuſcis, veſtitur Gallia ruſis,
Et placet hic pueris, militibuſque color.

Inde Tertulliano *de Corona Milit. cap.* 1. Chriſtianus miles, martyrio proximus, eleganter deſcribitur, *ruſſatus ſanguinis ſui ſpe.*

9 Sed carruca dormitoria quæ ſit, *in dict. l. uxori* 13. non cuivis expoſuiſſe, datum. Nos, quia ad inſtitutam de ferculis matronalibus diſputationem pertinet, paucis dicemus. Tentarunt ſane id ante Lazarus Baiſſius *libello de Vaſculis*, ubi dormitorias carrucas eſſe, ait, ἁρμάξας, ſive tentoria, quibus Perſicas fœminas uti, Plutarchus ſcribit *in Themiſtocle*. Diodorus Sicul. *lib.* 11. *Biblioth.* ubi de vehiculo, quo ille ad Xerxem delatus; *camerata vehicula*, vocat Herodotus *lib.* 1. ubi de Babyloniis fœminis ſcortantibus; ſed aliena hæc a Romano more, & jure. Tentavit & Edmundus Meril 2. *Obſerv. cap.* 35. qui de carruca dormitoria intelligit *Martialis* illud *lib.* 4. *Epigr.* 64.

Illic Flaminiæ, Salariæque
Geſtator patet, eſſedo tacente,
Ne blando rota ſit moleſta ſomno,
Quem nec rumpere nauticum celeuſma,
Nec clamor valet helciariorum:
Cum ſit tam prope Milvius, ſacrumque
Lapſæ per Tyberim volent carinæ.

Sed alia omnino eſt Epigrammatarii ſententia, villam Martialis vel ex eo laudantis, quod ex ea paterent deſpectui eſſeda, & geſtatores, nec tamen eorum ſtrepitus audiretur, aut rota ſomnum rumperet, vel interpellaret, ſicut neque celeuſma nautarum, aut helciariorum clamor, quamvis vicinus eſſet Milvius, & Tyberis, ubi helciarii, & nautæ.

10 Ergo ut alios, & alia ineptiora mittam, carrucam dormitoriam eſſe, aio, vehiculum opertum cum umbraculis & lecto penſili, cum pulvinari roſeo, ſeu plumeo, interius ita vincto, ut penderet, quod Aſclepiadis medici inventum, veteres, Græca voce, Scimpodium dixere, fuitque tali lecticæ ſimillimum, niſi quod iſta à ſervis, carruca autem jumentis agitur: auctor, ſubſcriptorque ſententiæ hujus Hieronymus *in Iſaïam lib.* 18. *cap.* 66. quin ad verba illa vulgati Biblici Textus, *& in mulis, & in carrucis*, quæ 70. Interpretes ſic exprimunt: *in lampenis mulorum cum umbraculis*, ita ſcribit: *Et ubi poſuere* 70. *cum umbraculis, quæ nos dormitoria interpretari poſſumus, vel baſternas, alii voce conſona tranſtulerunt*, Φορεῖα. Cui conſentiens Suidas λαμπήνην vocat, matronale vehiculum, ſive τὸ Φορεῖον γυναικεῖον. Dormitoria hæc carruca nuncupatur, quia vela, umbracula, aliaque integumenta, quibus operiebatur, ſimulque ipſa geſtatio mollis, & ſine ſucceſſu, utpote in lecto penſili, ſeu gravato faciebant, ut dormiri intus poſſet: quod de lecticis non ſemel veteres. Sueton. *in Auguſto, cap.* 78. Juvenal. *Satir.* 3.

Atque obiter leget, aut ſcribet, vel dormiet intus;
Namque facit ſomnum clauſa lectica feneſtra.

Idem *in* 1. ubi ſic de Scimpodio.

Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Penſilibus plumis, atque inde deſpiciat nos.

Plinius *lib.* 26. *Natur. Hiſtor. cap.* 3. ubi de Aſclepiade: *Alia quoque blandimenta excogitabat, jam ſuſpendendo lectulos, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut ſomnos alliceret.* Plura de penſilibus in geſtationes lectis, ſive, ut nos dicimus, *catres*, ex priſcis Medicis Mercurialis *lib.* 3. *de Arte Gymnaſt. cap.* 12. & *lib.* 6. *cap.* 11. Cœlius Rhodigin. *lib.* 14. *Lect. Antiqu. cap.* 58. Inde & grabatum in re lecticaria Catullus nominat *Epigr.* 10. & Interpres Ariſtophanis apud Lipſium 1. *Electorum cap.* 19. & in Gloſſis veteribus verborum juris, collectis ex Baſilicis, occurrunt

currunt tria hæc, tamquam Synonima, λεκτίκιον, βασέρνιον, κράβατον.

11 Matronales autem iſtas, ſive lecticas, ſive carrucas tectas, & Scimpodia fuiſſe, proclive mihi eſt docere vel ex Juvenali *Satyr.* 4. ibi:

> —— *Magnæ ſi miſit amicæ,*
> *Quæ vebitur clauſo latis ſpecularibus antro.*

Tertulliano *de Pallio cap.* 4. *Ipſas quoque lecticas, & ſellas, queis in publico quoque domeſtice, ac ſecreto bajulabantur*; hoc eſt lecticas, ſellaſque opertas, quas ſua ætate Matronas, quo planitus, ſeu de plano adirentur, ejuraſſe, Tertullianus indignatur. Unde & Dio illuſtrandus, qnem non modo Xylandrum, ſed nec Lipſium, aut alios, niſi per nebulam vidiſſe opinor, dum ſuo ævo, boc eſt, Alexandri Severt, & paulo anteriori, atque ipſo Tertullianico ſcribit, uxores Senatorum uſas lecticis opertis, *lib.* 57. *& lib.* 60. *in princ.* Matronas alias vehi ſuo tempore ſolitas lecticis apertis, ſcilicet ejuratis illis tectis lecticis, & ſellis, de queis Tertullianus, & Dio ipſe *lib.* 56. ubi de Athenodoro, Auguſti amico: *Operta ſella* (ita malo, quam curru, vel lectica) *vectis in domum Auguſti, ut mulier aliqua*, nempe illo tempore.

12 Quin & baſterna, quam fere eamdem eum dormitoriis confert Hieronym. ſupra laudatis *dict. lib.* 18. *cap.* 60. fuit vehiculi, ſive eſſedi genus clauſum ſpecularibus, & umbraculis, ſive velis, ſtratumque lecto penſili, qualia matronalia pilenta, quæ mollia iſto reſpectu appellari à Marone *lib.* 8. *Æneid.* ſicut & à Prudentio *poſteriore libro contra Simmachum*, *Pilento reſidens molli*, adſignificat Servius *ibidem*, baſternas ſucceſſiſſe pilentis notans: fueruntque omnino ad inſtar lecticarum clauſarum, niſi quod lecticis plerumque ſervi, baſternis autem jungi ſolebant muli, manni, burdones, quorum in geſtatorio matronali inſtrumento mentio, *in dict. l. item* 49. *D. de legat.* 3. *& lib.* 4. *Regum cap.* 5. Cæterum baſternam Iſidori gloſſarium, *mannalem tectam* definit, quomodo eruditiores legunt, quia clauſa, ut dixi, & à mannis, ſeu burdonibus portata: atque Iſidorus idem *lib.* 20. *Origin cap.* 12. mollibus ſtramentis poſitam docet, & baſternam dictam, quaſi *viæ ſternam*, quamquam aliunde vocis etymon derivet vetus Juvenalis interpres *Satyr.* 4. nempe à Baſternis Scythiæ populis, *quorum lati currus*, ut proinde appareat, quam recte animoſus ille ſui jactator, alieni cenſor, Claudius Salmaſius *in notis ad Lampridii Heliogabalum*, affirmet de baſternæ etymo, neminem hactenus quæſiiſſe, dixiſſe, & à baſto Græcanico ingenioſe, ſi Diis placet, deducat, cui illaudato, ut ſolent, ſubſcribunt, *ſacrorum adverſariorum* nuperi Exſcriptores *cap.* 137. *num.* 7. *& cap.* 141. *numer.* 22. & ante eos monuerunt Pancir. *lib.* 2. *Theſ. var. lect. cap.* 57. Marcellus Donatus *dilucidat. in Ammianum libr.* 14. qui & à baſto, & βαστάζω, deducunt *baſtagarios*, hoc eſt, *bajulatores*, tranſvectoreſque publicarum rerum, aut Principis, quorum non ſemel in notitia Imperii ſub diſpoſitione Comitis ſacrarum largitionum, & rerum privatarum, & in libris noſtris nomen, monuſque occurrit. *l.* 4. *& l. æternam* 8. *Cod. de murileg. lib.* 20. *l.* 3. *Cod. de cohortal. lib.* 12. *l. ſolita* 11. *Cod. Theod. eodem tit.*

13 Plane & baſternas, quarum meminerunt, præter eos, quos jam dedi, Symmachus *lib* 6. *Epiſt.* 16. Palladius *de Re Ruſtica.* Gregor. Turonenſis *lib.* 3. *cap.* 16. *&* 24. fuiſſe proprium matronarum geſtamen, ſeu Φορεῖον, quibus non niſi caſtæ utebantur, docent poſt Servium, jam laudatum, Div. Hieronymus *ad Euſtochium, de virginit. ſero* dum *matronarum caveas* vocat, *baſternas.* Ammianus *lib.* 14. illo loco: *Matronæ opertis capitibus, & baſternis*, elegans Epigramma vetus, à Salmaſio datum, quod vel deſcribendis lecticis noſtris, quales in uſu hodie, libens ſubjicio:

> *Aurea matronas claudit baſterna pudicas,*
> *Quæ radians latum geſtat utrumque latus.*
> *Hanc geminus portat duplici ſub robore burdo,*
> *Provehit & modico pendula ſepta gradu.*
> *Proviſum eſt caute, ne per loca publica pergens,*
> *Fucetur viſis caſta marita viris.*

14 Sed jam cum matronale fuerit totum id vectationis genus, *carpento*, *pilento*, *lectica*, *ſella*; *carruca dormitoria*, ſive *baſterna*; è contra meretrices, probroſaſque fœminas ex more, & jure, his ſingulis caruiſſe, & pedarias vagari, ſive, ut Titinnius loquitur in voce, *graſſari*, apud Noninm, *pedibus graſſari* ſolitas, in coque à Matronis diſtinctas, præter Suetonii vulgatum locum *in Domitiano cap.* 8. abunde mihi probant Propert. *lib.* 2. *Eleg.* 23. ubi ita de vulgari ſcorto:

> *Cui ſæpe immundo ſacra conteritur via ſocco,*
> *Nec ſinit eſſe moram, ſi quis adire velit.*

Juvenalis *in* 6.

> *Nec melior pedibus ſilicem quæ conterit atrum,*
> *Quam quæ longorum vebitur cervice Syrorum.*

Et ſi quando ſcortilla lecticis uſa, apertas eas fuiſſe, non tectas, ut matronales, & improperatum video. Cicero *ad Atticum lib.* 10. *epiſt.* 11. *Cytheridem ſecum lectica aperta portat, altera uxorem.* Idem de Cytheride eadem, *libri illius epiſt.* 16. *Inter quos aperta lectica, mima portabatur.* Artemidor. ſupra laudatus, *lib.* 1. *Oneirocris. cap.* 58.

15 Pertinet huc fortaſſe Arcadii conſtitutio *in l. unica, Cod. Theodoſ. de uſu ſellarum*, cujus verba hæc: *Exceptis plebeiis, ſcenicis, & qui ſpectaculo ſuo præbuit populo materiam voluptatis, & tabernariis, cæteris omnibus uſum ſellarum, & ſedendi, ac conveniendi in publicum tribuimus facultatem.* ubi ut hoc primum notem, volens legerim, *ſpectaculo ſui præb. pop. mat. vol.* Nam magiſtratus, ſpectaculorumque editores, curatores, præbent ſpectaculum populo. *l.* 2. *in fin. Cod. Theodoſ. de ſpectacul.* & quidem ſua impenſa, ideoque & ſuo ſpectaculo materiam voluptatis, ſed alieniſſima ab editoribus prohibitio uſus ſellæ, quibus potius ea data, ſimul cum jure edendi ſpectacula, ut Harpochræ liberto, apud Sueton. *in Claudio, cap.* 28. ſcenici autem, eiſque ſimiles infames alii ludiones præbent ſui ſpectaculum populo. *l.* 2. *§. ultim. D. de his, qui notant. infam.* ibi: *Spectaculum ſui præbiturus.* Concilium Senonenſe *Can.* 25. ibi: *Non ſpectaculum corporis ſui faciant in publico, privatove loco.* Ambroſ. *lib.* 1. *Offic. Ne deforme ſui præberent ſpectaculum.*

16 Eſt autem proprie Arcadii Conſtitutio (ne diſſimulem) de jure ſellarum, & ſedendi in ſpectaculis, de quibus anteriores tituli multa, nempe in cavea, circo, theatro, quæ loca publici nomine ſignificantur, *in dict. l. un.* ibi: *Conveniendi in publicum*; quippe & publica ſunt. *l.* 3. *D. de operib. public.* & *publici* vox propria bujus rei. Plinius in *Panægyrico*, ubi de Circo: *Dabitur non cubiculum Principis, ſed ipſum Principem cernere in publico, in populo ſedentem.* Xiphilinus *in Commodo*: *In publico nequaquam currus agitabat.*

17 Plebeiis porro, ſcenicis, & mimis ſellarum uſus adimitur, *in dict. l. unic.* ſicut vetere more, aut lege jus ſedendi in quatuordecim ordinibus, aut, quod idem eſt, in Equeſtribus, interdictum his, qui ex Equeſtri ordine ſcenæ ſe dediſſent. Unde declamatoribus ficta, aut accepta lex: *Qui autem ludicram exercuerit, in quatuordecim primis ordinibus ne ſedeat.* M. Fab. Quintil. *lib.* 3. *Inſtit. Orator. cap.* 6. alter Quintilianus *Declamat.* 302. qui ad Gladiatores legem contrahit, atque ita concipit: *Gladiator in quatuordecim gradibus ne ſedeat.* Tertull. *de Spectaculis, c.* 22. ubi ſcenicos arceri, ait, *Curia, Roſtris, Senatu, Equite*, hoc eſt, orcheſtra, & Equeſtribus, ut viri docti exponunt. Itaque in Laberio illo, qui Romanus Eques egreſſus, domum reverſus

mimus eſt, juſſuſque à Cæſare poſt ludum, ire ſenſum in Equeſtria (ſicut & Guditanus hiſtrio, de quo Aſinius Pollio *lib.* 10. *Epiſtol.* 32. *in famil. Cicer.*) non immerito id reprebenſum, memorant Sueton. *in Julio cap.* 39. Seneca *lib.* 3. *Controv.* 18. *in fine.* Macrobius *lib.* 7. *Saturn. cap.* 3. ibi: *Violato ordine, & cum detractus eſt Eques Romanus, & cum mimus remiſſus*, ſic enim lego, pro eo, quod vulgo *tetrectatus*, & *detractum* explico abductum & labefactum loco, ut Laberius idem, in carmine de ea re, loquitur, & productum à Cæſare in ſcenam ab Equeſtribus, quibus remiſſus poſtea fuit. Plane vetitus ſcenicis, & tabernariis ſellarum uſus, quin & ad meretrices pertineat, illis infamia pares ſaltem, ne potiores dicam, nullus dubito.

18 Sextum, poſtremumque matronalis, & meretricii in cultu diſcriminis, ex noſtrati Regio jure eſt, quod cavetur *in l.* 7. *§. ultim. tit.* 4. *lib.* 8. *Compilat.* ne ſcilicet meritoria ſcorta in Eccleſiis, locisve ſacris, utantur pulviniaribus, ſtratis, tapetibus, aliiſve id genus integumentis, quæ ſterni ſolent, & à Juriſconſultis noſtris hæc ſubſelliorum pavimentorumve integumenta, & ſtrata, ſicut & cervicalia, culcitæque, & impilia, interdum veſti accenſentur. *l. veſtis* 23. *l. argumento* 25. *§. tapetia cum ſeq. D. de aur. & arg. leg. l. in ſtratum* 45. *D. de verb. ſign.* Interdum ſupellectili. *l.* 3. *l.* 5. *D. de ſupellect. leg.* Paulus 3. *Sentent. tit.* 6. *§. inſtructa*, & *§. ſupellectile.* In quo ne invicem, certoque pugnent, ut Cujacius fatetur, adhibendâ diſtinctio Servii eſt, tradita *in l. Labeo* 7. *verſic. Servius D. de ſupellect. leg.*

19 Sed & ad Regiam legem, ut taceam interim, fuiſſe jam olim pulvinarium uſum honoratiſſimum, ideoque & Diis tributum, quorum pulvinaria, & lectiſternia crebro Romanis hiſtoricis memorantur, ad quæ, aliis etiam gentibus uſitata, reſpicere, videtur, Ezechielis locus *cap.* 13. & Principibus, Senatoribus, Equitibuſque in ludis, Dio Caſſius *lib.* 59. Juvenal. *Satyr.* 3. ibi:

> —— *Et de pulvino ſurgat Equeſtri.*
> *Cujus res legi non ſufficit.*

Et illuſtrandus hinc Corippus African. *lib.* 2. ubi de Juſtino in Circenſibus:

> *Auratum ſcandens ſolium, ſedemque paternam,*
> *Conſtructam plumis, pulchriſque tapetibus altam.*

Moneo ſaltem ad rem, & breviter, pulvinaria, & ſtrata habita etiam veteribus inter decoramenta matronalia. Ovid. *lib.* 2. *de Ponto Eleg.* 2. ubi de Livia Auguſti:

> *Incolumis conjux ſua pulvinaria ſervat.*

Juvenalis *in* 6. de Meſſalina:

> *Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.*

Catullus, de nuptiis Pelei, & Thetidis, apud quem geniale pulvinar pro matronali nuptarum lecto, ſeu potius lecti ſponda, quali ſeſe Virgiliana Dido 1. *Æneidos* componit & locat:

> *Pulvinar vero Divæ geniale locatur.*

At de cultu, ornamentiſque matronalibus, & 20 meretricia in eiſdem nota, & diſcrimine, illuſtrandis legibus Regiis ex Romans antiqua politia, his interim exerraſſe ſatis, fortaſſe pluribus, quam pro re, quæ tamen cuicuimodi ſint, ne magni apud noſtrates Pragmaticos pretii, quibus pretioſum fere nihil, niſi quod pretii in foro, & lucelli, ſpero tamen, veteris juris, prudentiæque amatoribus, non omnino ingratiis futura. Eaque ut voto ſignem, maneat utinam inſtitutis ſanctiſſimis par obſervantia, ſitque ut Pius IV. loquitur *Conſtitut.* 8. *inter pudicarum, & impudicarum habitus apparens differentia*; quamquam id, verſis moribus, & in luxum ruentibus optare magis licet, quam experiri.

CAPUT XXXIII.

De ſtupro, adulterio, raptu, vi, erga Meretrices quando, & quatenus extra pœnam.

Ad l. 29. Cod. ad leg. Jul. de adulter. l. 13. §. ſed & in ea, D. eod. tit.

ARGUMENTUM.

INfamiæ Meretricum veluti effectus eſt, impunitas ſtupri, & adulterii in eis, tam in viris, quam in eiſdem, etiam nuptis, ſi meretricantes nupſerunt. Sic intellectæ lex 22. & 29. C. ad leg. Jul. de adult. *excepto caſu illo* l. 10. §. ult. D. eod. tit. *Auctoramenta de ea re intra, & extra juris libros. Objectio* ex l. 13. §. ſed & in ea, D. ad l. Jul. de adult. *Repudiata* Accurſii, *ac plurium ſolutio, & conjecta temeritas* Pacii Conciliatoris, *& aliorum alia cogitata. De vulgari fœmina, diverſa à Meretrice. Admiſſa potius diſtinctio inter eam, quæ cum nuberet, adhuc meretricabatur, nec poſtea deſiit, de qua in* d. l. 29. *& eam quæ vulgaris, ſeu Meretrix fuerit, & nubendo, matrimonii legibus ſubdita, quas poſtea violavit, de qua in* d. §. ſed in ea. *Jam de vi, & raptu in Meretrice verum, vetuſque* Axioma *eſt, non puniri, adeo ut nec furtum, plagiumve cenſeatur, ſi Meretrix ancilla fuerit, quamvis aliud in raptu ancillæ, non Meretricis. Exponuntur, componunturque, inter alias,* lex 39. cum l. 82. §. qui ancillam, D. de furt. *& aſſerta ex* Baſilicis *correctio* Pauli 2. ſent. tit. 31. §. 1. *Adjicitur* Regia lex 2. tit. 13. lib. 8. Comp. *ex qua, & ex* l. 2. in fin. tit. 19. p. 7. *adnotatur, non eſſe locum pœnæ raptus legitimæ in vi, aut raptu Meretricis, quamvis contra bonos mores ſit, & extra ordinem coerceri dignum, ut agnoſcit, reprebenſo* Decio, *forenſis* Schola.

1 PRæterea ad eumdem illum meretriciæ ex Romanis legibus infamiæ cenſum, refertur non incommode impunitas, aut certe levior pœna ſtupri, vis, atque raptus in Meretricibus, cum tamen in Matronis, pudiciſque fœminis hæc eadem admiſſa graviter coërceantur. Ergo ut de ſtupro, in primis moneo breviter, id quidem in virginibus, viduiſque honeſtis, liberiſque proprie committi, & coërceri, *lege Julia. l. inter* 6. *§.* 1. *l. ſtuprum* 34. *D. ad leg. Jul. de adult. l. inter* 101. *D. de verb. ſign. §. item lex Julia, Inſtitut. de public. judic.* in Meretricibus autem, palam, ac promiſcue profeſſis, quin & in quibuſcumque vulgaribus, ac propudioſis ſtuprum nec fieri, nec puniri. *l. ſi ea* 22. *l. quæ adulterium* 29. *Cod. ad leg. Jul. de adult. l.* 1. *Cod. Theodoſ. eod. tit l. cum tabulis* 15. *§. quoniam, D. de his, quæ ut indign. l.* 1 *§. cum Attilicino. l.* 3. *D. de concubin.* Notum, opinor, omnibus Terentianum illud *in Eunucho actu* 5. *ſcena* 5.

> *Quis homo pro mœcho unquam vidit in domo meretricia*
> *Deprehendi quemquam.* Py *Neſcio.*

Et conceſſa gaudia, Quintilianus *Declamat.* 14. pro juvene contra Meretricem. *Habuit tamen*, inquit, *unde ad vitæ neceſſitates conceſſa gaudia, parca mediocritate ſufficerent; ideoque Meretrix tantum, quæ certiſſima eſt in voluptate frugalitas, una fui ſemper, eademque contentus.* Salvian. *lib.* 7. *de Vero judic. & provid. Minoris*, inquit, *etiam criminis, lupanar puto; Meretrices enim, quæ illic ſunt, fœdus connubiale non norunt, ac per hoc non maculant quod ignorant; impudicitiæ enim piaculo ſunt obnoxiæ, ſed reatu tamen adulterii*

terii non tenentur. Multa in eamdem ſententiam Cicero *in Orat. pro M. Cœlio.* Quintilian. *d. Declamat.* 14. & 15.

2 Porro ea juris regula, de impunitate ſtupri cum quæſtuariis fœminis, generalis eſt, nec dumtaxat quoad viros ipſos, qui ſtupri, ſive adulterii cum Meretricibus crimine non tenentur. *dict. l. ſi ea* 22. *Cod. ad l. Jul. de adult.* quam ita ad violatorem ipſum referunt Baſilica *lib.* 60. *tit.* 37. Harmenopulus *lib.* 6. *Promptuarii tit.* 2. Alphonſus noſter *in l.* 2. *in fin. tit.* 10. *part.* 7. Sed etiam quoad Meretrices ipſas, ſive cœlibes, ſive nuptas, ut immunes omnino ſint à pœna ſtupri, vel adulterii, quomodo exprimuntur hæc ſingula *in dict. l. quæ adulterium* 29. *in fine.* Ex qua & ita docent, deducuntque ſignanter Harmenopulus, Baſilica, & eorum in Scholiis Talæleus, ejuſque ipſius rei argumentum eſt, quod & jure Romano in mulieres nuptas, vel innuptas, probri ſemel damnatas, aut notatas, vel quæ licentiam ſtupri, aut lenocinii apud Ædiles vulgaſſent, aut operas ſuas ſcenæ locaſſent, non exercentur pœnæ legis Juliæ, niſi quo caſu in ejus fraudem, & impendenti jam ſupplicio ſtupri, vel adulterii ante commiſſi evitando, lenocinium, meretriciumve profiteri, aut artem ludicram facere, cœpiſſent, cui rei occurſum Senatuſconſulto, quod refertur *in l. mater* 10. §. *ultim. D. ad l. Jul. de adult.* & ex Tacito, Suetonio, Tertulliano diximus *ſupra cap.* 12.

3 Poſt quod etiam Senatuſconſultum, atque extra illius caſum, manſit utique vetus jus inconcuſſum, de impunitate ſtupri, vel adulterii tanquam ſtupri, vel adulterii in ea muliere, quæ in meretricio quæſtu, ante, aut poſt nuptias cœpto, cum nuberet, & nupta perſeverabat, quo tempore adulterium commiſſum, dicitur; idque ſic & quoad nuptas meretricantes, ne ipſæ ſcilicet adulterii crimine teneantur, docent in diſputando, & ad praxim, Bartolus *in l. ſi uxor* 13. *n* 3. *D. ad l. Jul. de adulter.* & *in dict. l. quæ adulterium* 29. docte Salycetus *in dict. l. ſi ea* 22. *num.* 2. *Cod. ad leg. Juliam de adulter.* Angelus *in dict. l. mater* 10. §. *ultim.* ubi & Cujacius *lib.* 2. *Papiniani, de adulter.* Ægidius Boſſius *in Praxi Crimin. tit. de coitu damn. & punit. numer.* 24. atque ita & judicatum ſæpius, & ſe judicaturos teſtantes, poſt Bernardum Diaz, Ignat. Salzedo *in Additionib. ad illius praxim Can. crim. cap.* 85. *verb. Adulterii, litt. C.* Petr. Caball. *Reſol. Crim. caſu* 133. *num.* 1. & 3. plures apud Farinac. 4. *tom. Prax. Crimin. tit. de delictis carnis, quæſt.* 141. *num.* 82. & 86. Bajardum *ad Clarum lib.* 5. *Sentent.* §. *adulterium, num.* 27. Barboſam *ad Ordinat. Luſitan. lib.* 5. *titul.* 25 *num.* 7.

4 Nec in contrarium me propellit, aut pertrahit Ulpiani locus *in dict. l. ſi uxor* 13. §. *ſed & in ea, D. ad l. Jul. de adulter.* ubi ſcriptum ſic eſt: *Sed & in ea uxore poteſt maritus adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit, quamvis ſi vidua eſſet, impune in ea ſtuprum committeretur.* Quibus ex verbis, ſtuprum ab adulterio diſtingui, illudque in Meretricibus ceſſare, hoc autem in eiſdem nuptis puniri, ac proinde adulterii nomen, *in dict. l. ſi ea* 22. & *in d. l. quæ adulterium* 29. pro ſtupro accipi oportere, ex promiſcuo verbi utriuſque apud Juriſconſultos uſu *l. inter* 6. §. *Lex, D. ad leg. Jul. de adulter. l. inter* 101. *D. de verbor. ſignif.* contendit Accurſius *in dict.* §. *ſed & in ea, verb. vulgaris,* & *in dict. l. ſi ea* 22. *dict. l. quæ adulterium* 29. quem & ſequuntur Alberic. *in dict. l. ſi ea* 22. Joann. de Anania *in cap.* 1. *num* 7. & 8. *de adulter.* Briſſonius *lib. ſingulari ad leg. Jul. de adulter. pag. mihi* 97. & 118. & ex Practicis Gomez *in l.* 80. *Tauri, numer.* 46. *in fine* Gregor. Lopez *in l.* 16. *gloſſ. ultim. tit.* 1. *part.* 1. multis, & poſt multos Farinac. *d. q.* 141. *n.* 84. & *ſeq.*

5 Sed repugnant huic ſententiæ, ut expendi, & juris ratio, & Baſilicorum auctoritas, & adulterii, ſtuprique nomina, ſic conjuncta, aut disjuncta *in dict. l. quæ adulterium* 29. *in fine,* ut pro ſtupro ſolo accipi, ſalva recti ſermonis ratione, non poſſint. Nec audiendus Antinomiarum ille, quas vocant, ſive pugnantium legum pacificator, & juventutis male feriatæ in tricis potius juris, quam principiis ductor, qui affirmat, delenda eſſe verba illa, & *ſtupri, & adulterii,* in *dict. l. quæ adulterium* 29. quoniam ſcilicet abſunt à Theodoſiano Codice *in l.* 1. *eodem tit.* nec videt ſciolus cenſor, præferendam in dubio fidem, lectionemque receptam Juſtinianei Codicis Theodoſiano, heri invento & producto, præſertim cum & Anianus, Alarici Gotthici Italiæ Regis Conſiliarius, & ante Juſtinianum, vel in illius Conſtitutionis textu agnoſcat, vel ex ſententia ſupponat, tractari de adulterio, ſic proprie dicto, dum ita ſcribit in interpretatione *dict. leg.* 1. *Cod. Theodoſ. ad leg Juliam de adulter. Tabernæ domina, hoc eſt, uxor tabernarii, ſi inventa fuerit in adulterio, accuſari poteſt; ſi vero ejus ancilla, vel quæ miniſterium tabernæ præbuit, in adulterio fuerit deprehenſa, pro vilitate dimittetur. Sed & ſi ipſa tabernarii uxor tam vilis miniſterii officium egerit, in adulterio fuerit deprehenſa, accuſari non poteſt à marito.*

6 Ergo Ulpiano exponendo *in dicto* §. *ſed & in ea,* ut interim Alciatum, Budæum, Carellianum Cottam, & alios taceam, vulgarem ibi uxorem explanantes de plebeia, & ignobili, nec tamen proſtituta; queis non magis feliciter Cujacius, vulgarem interpretatur, vulgati corporis, & meritorii, non tamen proſtituti ſolemniter apud Ædiles, quomodo devia ſcorta diſtinximus à famoſis, profeſſiſque, ſupra *cap.* 19. ex *l. probrum* 41. *D. de ritu nupt.* affirmo potius, quod & poſt Didacum Covarr. *in* 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 7. §. 6. *num.* 11. placuiſſe aliis, ſcio, interque alios, eo illaudato, Onnezio Pancorvino *Obſervat. lib.* 1. *cap.* 13. vulgarem uxorem ab Ulpiano appellari eam, quæ proſtitutam meretricio more vulgo ſe præbuit, ut loquitur *dict. l. ſi ea* 22. quæ ut vulgaris Naſonis Muſæ dicitur 4. *Faſtorum.* Valerio *lib.* 6. *cap.* 3. Sueton. *in Vitellio cap.* 2. ſed tamen, *quæ vulgaris fuerit,* ut ſcriptum eſt *in dict.* §. *Sed & in ea,* hoc eſt, quæ antequam uxor duceretur, fuit vulgaris, & poſtea ducta uxor, matrimonii, & matronalis pudicitiæ legibus ſe ſe ſubdidit, & meretriciæ vitæ veluti renunciavit: quomodo hæc ſpecies diſtinguenda ab illa, de qua nuper *ex l. quæ adulterium* 29. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* Quippe in hac, vel ex eo ipſo jus moſque ſuadent, adulterium, cui primo in anteacti, & deliti meretricii labem relabens ſuccubuerit, acriter vindicari à marito, cui datam veluti, nubendo, fidem, & genialem thorum violavit, quamvis ſi vidua eſſet, vel manſiſſet, impune in eam ſtuprum committeretur, quia nonniſi in vivente honeſte vidua committitur. §. *item lex Julia Inſtitut. de public. judic.* Eam vero ſententiam *d.* §. *ſed & in ea,* exprimunt clarius, confirmantque Baſilica *lib.* 60. *tit.* 37. ubi ſic ex verſione Cujacii legimus: *Et qui Meretricem duxit, agit, quamvis, ſi vidua eſſet, impune in eam peccaretur.*

7 Cæterum de adulterio, ſtuprove meretricio hactenus. Jam autem de vi, & raptu, quorum adnexa, & veluti cohærens ſuperiori inſpectio, non novitii, aut ambigui juris eſt, utriuſque admiſſi in Meretrices, libidinis cauſâ, quamvis bonis moribus improbatam, legibus tamen impunitam rationem eſſe. In eamque ſententiam Ulpianus, eum, qui Meretricem, alienam ancillam, rapuerit, cœlaverit, ſuppreſſerit, aut ejuſdem fores effregerit, libidinis cauſâ, nec furti, nec legis Fabiæ pœna teneri. *l. verum* 39. *D. de furt.* ubi & hæc ejus pronunciati ratio peregregie illuſtrata Theodoreto *libr.* 60. *Baſilicon tit.* 12. redditur. *Nec enim factum quæritur, ſed cauſa faciendi; cauſa autem faciendi libido fuit, non furtum.* Aliud porro in ancilla non meretrice, quam ſi quis libidinis cauſâ ſurripuerit, & ſuppreſſerit, tenetur furti, & lege Fabia. *l. Fullo* 82. §. *qui ancillam, D. de furt. l. ſi ſtuprum* 25. *D. de injur.* nimirum quamvis & hic, ut ſupponimus, dici poſſit, libidinem, non furtum, plagiumve fuiſſe cauſam faciendi, qua diſtingui potiſſimum maleficia ſolent.

ſolent. *l. qui injuriæ* 53. *D. de furt. l. Divus* 14. *D. de lege Cornelia de Sicar.* neque ſurtum ſine affectu furandi committatur. *l. furtum* 33. *D. de uſucap. l. ſi quis teſtamentum* 41. *in fine, D. ad leg. Aquil.* in meretrice tamen ancilla, promiſcuus, impunituſque libidinis uſus, cui & eam à domino, vel connivente, vel conſentiente deſtinatam eſſe, creditur. Argumento *ex l. hæ demum* 38. *Dig. de oper. libert. l. & ancillarum* 27. *§. ultim. D. de hæred. petit.* & ad quem rapitur, vel cœlatur, non patitur aliam faciendi, & ſupprimendi cauſam apparere, quam ut libidinoſe comprimatur, certe non animo lucrifaciendi, ſine quo ſurtum non eſt. *l.* 1. *§. ultim. D. de furtis l. non ſtatim* 6. *§. ultim. D. de lege Fabia de plagiar.* è contrario in ancilla non meretrice, tametſi vere ex animo delinquentis ad libidinis uſum rapiatur, cum tamen cum animum, uſumque præſumere non liceat, nec ex conditione ancillæ, quæ Meretrix non eſt, nec ex auctoritate juris, quo etiam ancillarum ſtupra, & devirginationes varie coërcentur. *l. inter* 6. *D. ad leg. Jul. de adulter. dict. l. ſi ſtuprum* 25. *D. de injur.* cum aliis, de quibus poſtea, interpretamur potius ex qualitate facti, interverſionis, & occultationis, fieri lucri faciendi animo, ideoque & ſurtum, plagiumque committi.

8 Unde & aſſentior facile Cujacio, & aliis, affirmantibus apud Paulum *lib.* 2. *Sentent. tit.* 31. *§.* 11. ubi ſic vulgo legitur: *Qui Meretricem, libidinis cauſa, rapuit, & cœlavit, eum quoque furti actione teneri, placuit*; legendum potius eſſe, *qui non Meretricem*, quomodo & ad oram ejus loci ex manuſcriptis forſitan, notatum video; ſic enim ea ſententia congruet, ac ſere eadem erit cum illa, quæ ex ejuſdem Pauli 2. *Sententiarum libro*, extat *in dict. l. Fullo* 82. *§. qui ancillam, D. de furt.* quam & confirmat *dict. l. ſi ſtuprum* 25. & agnoſcunt ita conceptam, tranſcribuntque Baſilica *lib.* 60. *tit.* 12. Theodorus Balſamo, & Photius ipſe *in Nomocanone tit.* 9. *cap.* 30. & *titul* 13. *cap.* 5. ſecus vero, atque ut hodie vulgo habet, accepta Pauli ſententia pugnaret cum ratione juris, & *dict. l. verum* 39. *D. de furtis.*

9. Accedit, quod & moribus noſtris à judicibus, quos vocamus *de la Hermandad*, quorum munus, latrocinia, graſſaturas, aliaque id genus ſcelera, per agros, viaſve admiſſa, compeſcere, & quietis, publicæque pacis tutelam per ſingula curare, ſimiles ſere omnino Romanis Irenarchis, quorum mentio *in l. ultim. §. Irenarchæ* 7. *D. de muner. & honor. l. unica, Cod. de Irenarchis lib.* 10. coërceri jubentur fœminarum raptus, & ſtupra, præterquam ſi publicæ fornicariæ ſint, ſive, ut lex noſtra loquitur, *mundarias publicas l.* 2. *titul.* 13. *lib.* 8. *Compilat.*

10 Plane ex ea *Regia lege* recte intelligitur, quod & Juſtinianeo jure receptum eſt, nempe pœnam raptus legitimam, virginum, viduarumque raptoribus propoſitam, non pertinere ad eos, qui ſcortilla, aut alioquin probroſas mulieres rapiunt, aut ſupprimunt. Eſt enim Juſtiniani Conſtitutio de honeſtis fœminis. *l. unica, Cod. de raptu virgin.* & *Hiſpana lex* 3. *tit.* 20. *p.* 7. de mulieribus bonæ famæ, à queis nimis quam diſtant probroſæ, & proſtitutæ. Conducit generalis illa regula, qua ab his fœminis pudicitiæ ratio exigitur, quæ juris nexibus detinentur, & matris familias nomen obtinent, non autem ab eis, quas vitæ vilitas dignas legum obſervatione non credidit, ideoque & earum vinculis, & cenſura fecit immunes. *dict. l. quæ adulterium* 29. *Cod. ad leg. Jul. de adulter.* Idque ipſum in muliere, nupta eo tempore, quo rapitur, ſecius vivente, aut palam, vulgove meretricante (ſint licet, qui diſſentiant) verius crediderim tum argumento eorum, quæ circa impunitatem adulterii cum eiſdem ſupra monuimus, tum etiam quia vix eſt, ut intelligatur, turpitudini connivere, aut conſentire ſciens prudens maritus, quo præſente uxor meretricium exercet.

11 Sane extra ordinem pro arbitrio, religioneque Magiſtratuum, & leviore pœna, quam ordinaria coërceri debere ſtupra, per vim illata, Meretricibus, itemque raptus, ſuppreſſiones, forium effracturas, aliaque id genus flagitia in his, qui ea libidinis, laſciviæve œſtro perciti, admittunt, nec dubitandum eſt. *dict. l.* 3. *in fin. tit.* 20. *part.* 7. Cato apud Nonium *cap.* 2. inſuſpicioſus. *Sed ſi qui* (ſic enim malo legere cum Nonio, quam *niſi qui*, cum Agellio 9. *Noct. Atticar. cap.* 12.) *palam corpore pecuniam quæreret, aut ſe lenoni locaviſſet, etſi famoſus, & ſuſpicioſus eſſet, vim in corpus liberum, non æquum cenſuere, adferri.* Quia nec licitum unquam, etiam famoſa ſcorta, & profeſſa, ad impudicitiam, turpemque violationem compellere, contra quam Decius, merito aliis reprehenſus, ſcripſit, quem & coarguunt *Text. in l. hæ demum* 38. *D. de oper. libert. dict. l.* 3. *tit.* 19. *part.* 7. *in fine*, ibi: *Mas ſi fueſſe alguna otra muger vil, eſtonce decimos, que le non deven dar pena pro ende ſolamente que no le faga fuerça.* Agell. *lib.* 4. *Noct. Attic. cap.* 14. Adeundus & Socrates *lib.* 5. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 18. Niceph. *lib.* 12. *cap.* 22. docent hæc ſere ſingula, quæ de vi, & raptu meretricio, ex ratione, & locis juris oſtendimus, ad praxim firmantes, poſt Accurſium *in dict. l. unica, gloſſ.* 1. *Cod. de rapt. virg.* cum Salyceto, & aliis late Hippolit. de Marſil. *in repet. d. l. unica, ex num.* 26. Dom. Covarruv. *libr.* 3. *Var. cap.* 14. *num.* 2. & ex eo fere ad verbum, ut ſolet, & præceptoris quem tranſcribit, tacito nomine, Petrus Plaza *lib.* 1. *Epitom. delict. cap.* 34. *num.* 9. Menoch. *de Arbitrar. Caſu* 291. *&* 535. *ex num.* 28. Gomez *in l.* 80. *Tauri*, *n.* 45. Baiard. *ad Clarum lib.* 5. *Sentent. §. raptus, num.* 5. Petr. Caball. *Reſolut. Crim. caſu* 125. *num.* 6. *& caſu* 179. Tiber. Decian. *Tract. Criminal. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 9. *& ſeq.* Farinac. 4. *tom. Praxis Crimin. quæſt.* 144. *n.* 163. *& ſeq.* & *conſil.* 33. *num.* 10. *&* 30. ubi & *Addit. litt. R.* P. Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *diſp.* 12. *ex num.* 22. Narbona *in l.* 20. *gloſſ.* 13. *tit.* 1. *lib.* 4. *Compilat. num.* 9. Azeved. *in l.* 2. *num.* 103. *& ſeq. tit.* 13. *lib.* 8. *Compilat.* Vela *de Pœnis Delictor. cap.* 29. *verſ. Quarta.* Janus Langlæus *lib.* 8. *cap.* 7. *ſemeſtr.* *& in ejuſdem Scholiis*, Autumnus; plures apud Thuſcum *Pract. concl. litt. M. concluſ.* 212. *ex num.* 2. *& litt. R. concl.* 5. *ex numer.* 10. *& concl.* 6. *num.* 8. *& ſeq.* Cabreros *de Metu, lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 39. *& ſeq.*

CAPUT XXXIV.

De injuriarum actione, ob attentatum decus Matronæ, repertæ in meretricia veſte, aut ancillari.

Ad leg. item 15. §. ſi quis virginis 15. D. de injur. cap. in Audientia 25. de ſentent. excommunicat.

ARGUMENTUM.

Aſſertio, ſumpta ex civili lege, quæ in cap. 25. de ſentent. excomm. *ſic habet:* Non agi injuriarum ob attentatam pudicitiam Matronæ, deprehenſæ in veſte meretricali; *ad examen redigitur, ſive incudem. Concinit ei* vulgata lectio l. 15. §. 15. de injur. *& vetus manu exarata, &* Regia lex ſeptempartita, *& cum eis* Doctorum *vulgus. At contraria eſt* Florentini Textus lectio in d. l. 15. §. 15. *& illius verſio* in Baſilicis, *&* illius Synopſi. *Contraria tamen ratio juris, quia, utcumque in Meretricibus ceſſent pœnæ ſtupri, adulterii, vis, & raptus, tamen vis eis non jure fit, & proinde injuria committitur, quod in ancillis expeditum, quoad actionem* Aquiliæ *furti, plagii, raptus ob vim eis illatam, imo & injuriarum.* l. 6. l. 9. §. ult.

ult. l. 25. D. de injur. *cum aliis, quæ illuſtrantur. Quin & in Meretricibus, ſi incivilior eis vis inferatur, ut vel elicitur ex* d. §. 15. *juncta* Reg. a l. 3. tit. 19. part. 7. Heraldi *audax emendatio exploſa. Nobis placita magis hæc pars, & detecta fortaſſe mendi vulgati occaſio. Jam & pro exploranda, & tuenda utraque lectione, diſtinguitur inter actionem atrocioris injuriæ, & levioris, de queis breviter.*

1 SEd an queis caſibus, ut diximus, ob meretriciam notam, & infamiam ſtupri, adulterii, vis, atque raptus, ordinaria pœna ceſſat, ſit ſaltem ex Romanis legibus, injuriarum actio Meretricibus in violatores, dubiæ apud me, nec exaſciatæ vulgo adhuc diſquiſitionis eſt; nec ignoro Clementis, aut Cœleſtini III. Romani Papæ decretum, quo affirmatur: *Lege ſæcularium Principum manifeſte cautum haberi, Matronam, cujus pudicitia attentata fuerit, non poſſe injuriarum agere, ſi in veſte meretricali fuerit deprehenſa. cap. in audientia 25. de ſentent. excommunic.* ſcio etiam, ſæcularem eam legem, ſi quæ eſt, non utique aliam eſſe, aut intelligi, quam quæ de ea ipſa re hodie extat in Juſtiniani Principis Pandectis, ex Ulpiano *in l. item apud* 15. §. *ſi quis virgines* 15. *D. de injur.* ubi de virginibus, Matronis, honeſtioribuſque fœminis, meretricia veſte veſtitis, ſive, ut generaliter tandem proponitur, ſi non matronali habitu fuerint, & quis eas de ſtupro appellavit, vel comitem abduxit, non teneri injuriarum, ſcriptum conſtanter habent vulgati codices antiquiores. Quin & ex manuſcriptis, quos vidi, unus ex Bibliotheca veteris majoris Collegii Salmanticenſis, Divo Bartholomæo ſacri, illuſtriſque omni ævo virtutis, nobilitatis, & doctrinæ ſani, in quo, ut & in vulgatis libris legitur, *injuriarum non tenetur.* Eamque lectionem, ſententiam *ex dicto* §. *ſi quis virgines*, pro explorata ſequuntur, ſupponuntque Accurſius, Bartholus, Alberic. paſſimque Interpretes veteres, & noviores, & *Regia lex* 18. *tit.* 9. *part.* 7. ſtant tamen ex adverſo Florentini, emendatoreſque libri, qui in extremo *dict.* §. *ſi quis virgines*, affirmativam lectionem præferunt ita: *Si igitur non matronali habitu fœmina fuerit, & quis eam appellavit, vel ei comitem abduxit, injuriarum tenetur.* Stat & Baſilicorum auctoritas *lib.* 60. *tit.* 21. ubi ſententia *dict.* §. *ſi quis virgines* ſic à concinnatoribus exprimitur: *Qui appellat mulierem, ancillæ habitu veſtitam, vel meretricis minus peccat, tenetur tamen injuriarum*; ſive, ut habet Græcanicus contextus *ejuſdem* §. & eidem conſonans *Ecloga* Baſilicon *lib.* 60. *tit.* 21. *cap.* 29. ἀποκαλαιδητῇ ὑβρεως ἀγωγῇ.

2 Stat denique, quoad ancillas, & Meretrices, & Matronas earum habitu indutas, certa, perſpicuaque juris ratio, ſecundum quam, tametſi in eis ſtupri, adulteriique, quin & plagii, raptus, viſque atrocioris in Meretricibus ordinaria pœna ceſſat, vis tamen eis non jure fit, & conſequenter ſi inferatur, injuriarum actioni locus eſt. Idque in ancillis prompte, proprieque magis eſt expeditum, quia quamvis ancillarum violatores ſtupri, vel adulterii crimine *ex lege Julia* non teneantur, *l. ſervi* 23. *cum duabus legib. ſeq. l. quæ adulterium* 29. *Cod. ad l. Jul. de adulter. l. inter* 6. *D. eod. tit.* nec enim ſtuprum eſt, niſi mulieris liberæ. *l. ſtuprum* 34. *D. ad leg. Jul. de adult.* nec adulterium niſi nuptæ, non contubernalis, quaſi dumtaxat eſſe ancilla poteſt. *l.* 3. *Cod. de inceſt. nupt.* tenentur tamen & *lege Aquilia*, ſi ancillam virginem immaturam (ſive ut Baſilica, & eorum Interpretes loquuntur *lib.* 60. *tit.* 21. & 37. *Synopſis dict. lib.* 60. *titul.* 21. *de injur. cap.* 43. ἄηβον, & ἄωρον, ideſt, nondum viripotentem, aut ejus ætatis, *ut muliebris patientiæ legem poſſit accipere*, ut Pannychis illa apud Petronium) ſtupraverint, *d. l. inter* 6. *l. ſi ſtuprum* 25. *D. de injur.* Jul. Paulus *lib.* 1. *Sentent. tit.* 13. §. *qui ancillam*, & actione ſervi corrupti, quatenus, & quanti ex ſtupro ancillam deteriorem fecerint. *d. l. inter* 6. *l. ſi quis* 9. §. 1. *D. de ſerv. corrupt.* vel etiam *ſi flagitaverit*, ut ſcriptum eſt Florentiæ *in l.* 2. §. *penult. D. de privat. delict.* quod Baſilica exprimunt *lib.* 6. *tit.* 11. διαφθείρῃ τοὺς τρόπους αὐτῆς, hoc eſt, corruperit mores ejus, ſcilicet ſtupro, aut inſtanti de eo appellatione, tametſi ad ſtuprum ſolum referre conentur Rævardi conjectanea *lib.* 1. *cap.* 5. & aliorum; & tenentur furti, plagii, raptuſque crimine, ſi libidinis cauſa abduxerint, ſuppreſſerint, rapuerint. *dict. l. ſi ſtuprum* 25. *l. Fullo* 82. §. *qui ancillam D. de furt. l. unica Cod. de raptu virgin. dict. l.* 2. §. *pen. D. de privat. delict.* & puniuntur varie extra ordinem antiquo, novoque jure. *l. ult.* 3. *de offic. Præſid.* Paul. *lib.* 1. *Sentent. tit.* 12. §. 1. Harmenop. *lib.* 6. *Promptuar. tit.* 3.

3 Denique & tenetur actione injuriarum, *dict. l. inter* 6. *dict. l. ſi ſtuprum* 35. *l.* 9. *part.* 7. Nec ea dumtaxat competit in ſtupratores ancillarum, ſive ut Laberii verbo utar, apud Agell. *lib.* 16. *cap.* 7. *depudicatores*, ſed omnino, & in alios, qui honeſtiores ancillas adverſus bonos mores de ſtupro appellant, aut alioqui earum pudicitiam qualitercumque attentant, quamvis imperfecto flagitio, *l. ſed eſt quæſtionis* 9. §. *ultim. cum l. ſeq. D. de injur.* illo loco: *Sed & ſi ſervi pudicitia attentata ſit, injuriarum locum habet*; ubi appellatio ſervi, quin perinde pertineat ad fœminas, & maſculos, atque ita etiam ad ancillas, ſicut in principio ejus textus libertini, & ingenui maſculi à fœminis non diſtinguntur, & orationis continentia ſuadent, & confirmant Imperiales Conſtitutiones, ſive Baſilica, in queis *lib.* 60. *tit.* 25. hæc ſuperioris loci ſumma extat: *Qui mulieri, vel mari indecens quid facere tentaverit, quamquam libertino, vel ſervo, tenetur injuriarum.*

4 Sed & in Meretricibus etiamſi ſimplicem earum appellationem de ſtupro, vel abductionem comitis, affectatione, turpiloquio, aut amatorio ſcripto, vel blandimentis factam, impunitam omnino fore, non negem; (qua enim fronte, aut colore inter meretricias illecebras erit de attentatione pudicitiæ querelæ locus?) ſi tamen vis inferatur, & inciviliter, atque impotenter attentatio, appellatio, aut affectatio fiat, injuriarum actionem competituram verius eſt, quod & omnino firmant *in dict. l.* 3. *tit.* 19. *p.* 7. verba illa: *Solamente que non le faga fuerça*; & ſignificat Atteius Capito Juriſconſultus *lib.* 9. *Collect. de judic. public.* apud Agell. 4. *Noct. Atticar. cap.* 14. dum ſcribit: *Diem dicentem apud populum Mancino Ædile Mamiliæ meretrici, quod de ambulacro ejus noctu lapide jactus eſſet, eaque ſe excuſante, quod cum ille in ejus ædes vi irrumperet, lapidibus depulſus eſſet, Tribunos decreviſſe, Ædilem ex eo loco jure dejectum, quo eum venire cum coronario non decuiſſet.* Simile quid de Sexviro Athenienſi Demoſthenes adverſus Midiam.

5 Accedit, nec levi apud me adminiculo, quod & Ulpianus *in dict.* §. *ſi quis virgines*, ita loquitur, ut affirmet, eum, qui virgines appellaverit, ancillari veſte veſtitas, minus peccare videri, & multo minus, ſi meretricia veſte fuerint, quoniam ſcilicet in mancipiis non quævis, ſed atrocior injuria, eaque ipſa leviori pœna, quam in ingenuis, coërcetur. §. *ſervi*, & §. *pœna* 7. *in fine, Inſtitut. de injur. l. qui ſervum* 34. *D. de obligat. & action. dict. l. item* 15. §. *Prætor* 34. *cum ſeq. l. ſi ſervum* 29. *D. de injur. l.* 1. *Cod. eod. titul. l.* 9. *titul.* 9. *part.* 7. in Meretricibus autem nonniſi violenta, & incivilis, ut jam docuimus; non autem àit Ulpianus, omnino non peccare, ſeu, nullo modo, ut perperam Accurſius detorquet; quin potius eo ipſo loquendi genere ſatis innuit, injuriarum actioni, & pœnæ, tametſi non graviori, locum eſſe. Proinde nec ferenda Deſiderii Heraldi *libr. unic. Emendat. cap.* 12. muſtea correctio, dum pro eo, quod apud Ulpianum eſt, *injuriarum tenetur*, reponit *vix tenetur*, detorquens affirmantem ſenſum in negantem, lævo intellectu aſſertionis, quæ præceſſerat, de minus, aut multo minus

minus peccante, quæ tamen ipſa exprimebat peccare, utcumque minus, non autem omnino peccare.

6 His argumentis præponderantibus, propendeo & magis, ut credam, quod ad Ulpianum, & civile jus attinet *in dict. §. ſi quis virgines*, præferendam prorſus lectionem, quæ in Florentinis libris, & Baſilicis affirmative concepta docet, injuriarum teneri eum, qui virgines, Matronaſve, quæ non matronali habitu fuerunt, ſed ancillari, aut meretricio, appellaverit. Mendo autem abnutivæ lectionis, quam vulgati Codices repræſentant, & cum Pontifice vulgus Interpretum, anſam fortaſſe præbuit negario, quæ ex illis verbis: *Si igitur non matronali habitu*, exſcriptorum incuria, & oſcitantia, translata, aut repetita eſt in fine ejus loci, factaque inde, aut nata lectio, *injuriarum non tenetur*; ſic enim & Anonymus Scholiaſtes Baſilicon *lib.* 60. *tit.* 21. dum ſententiam *dict. §. ſi quis virgines*, ἐκ τῦ πλατέος, ſive ex latiori Pandectarum Juſtiniani contextu exhibet, omittit negationem in prioribus verbis illis, *non matronali*, & affirmativam, atque indubiam deciſionem, ita proponit (juxta verſionem Cujacii in ea re, cujus ex fine, & manu Latina hæc damus, quia in Baſilicis editis à Fabrotto non eſt id Scholium reperire) *Qui hanc appellat*, inquit, nempe virginem, aut Matronam, veſtitam ancillariter, aut meretricie, *minus peccat; ſed ſi matronali habitu mulier fuerit, & quis eam appellavit, vel comitem abduxit, injuriarum tenetur.*

7 Atque hæc quidem pro noſtro guſtu, & ſenſu. At ſi quæ tam conciliandæ Florentinæ, vulgatæque lectionis ratio quærenda eſt (quod ſuperciliofis quibuſdam, aut ſuperſtitioſis receptarum ſententiarum propugnatoribus neceſſarium viſum iri, non dubito) conſtabit facile rectiſſimus utriuſque lectionis ſenſus, diſtinctione adhibita inter actionem, pœnamque gravioris injuriæ, & levioris. Quippe ſi de graviori injuria quærimus, qualis eſt quæ Matronæ, virginive honeſtæ, aut prætextatis, attentatione pudicitiæ, vel abductione comitis infertur. *l.* 1. *§. omnem* 2. *D. de injuriis l.* 1. *in princip. & §. ultim. D. de extraord. crimin.* Paulus *lib.* 5. *Sententiarum, titul.* 4. *§. ſollicitatores, & §. qui puers.* Licinnius Ruffinus in *collect. leg. Moſaic. & Roman. tit.* 2. Juſtinianus *in §. injuria* 1. *Inſtitut. de injur.* rectiſſime dicetur, non fieri graviorem, ſive atrociorem injuriam ſimplici appellatione de ſtupro ejus, quæ, matronali habitu ejurato, cuſtode, atque indice dignitatis, & adulterii, lenociniique impedimento, ipſa ſe publico in meretricia, aut ancillari veſte commiſit, tantumque non illecebram objecit, quo planitus adiretur, ut Tertullianus loquitur *de Pallio cap.* 4. qualis illa Thamar Geneſ. *cap.* 38. de quo plura ſupra *cap.* 25. Idcircoque nec ea, tamquam in ſemetipſam lenocinata, poteſt agere injuriæ, tamquam Matrona, hoc eſt, injuriæ gravioris, quomodo Cœleſtinum accipio in *dict. cap.* in *audientia* 25. *de ſentent. excommunicat.* ſicut nec injuriæ itidem acerbioris tenetur, qui appellavit, vel comitem abduxit, ut vulgo in hanc ſententiam ſcriptum eſt in extremo *dict. §. ſi quis virgines*, neque adulterii pœna legitima, qui deprehenſus cum aliena uxore in lupanari, de quo non ſemel Quintilianus *lib.* 7. *Inſtit. Orat. cap.* 3. nec canonica cenſura, propter violentam manus injectionem in Clericum, quiſquis eum talem ignorans, in ſæculari habitu deprehenderit, violaverit, percuſſerit. *dict. cap.* in *audientia* 25. *cap. ſi vero* 4. *cap. contingit* 45. *de ſent. excommunicat. cap. ſi judex* 12. *eodem tit. lib.* 6. at contra ſi vel inciviliter vi illata, aut à ſciente Matronam eſſe, ejus etiam, quæ non matronali habitu fuit, pudicitia attentetur, levioris ſaltem injuriæ eum, qui appellaverit, reum eſſe; & teneri ordinaria actione injuriarum, quia quamvis minus peccat, utique peccat, & juris ratio, & Florentinus Textus, *in dict. § ſi quis virgines*, ſatis oſtendunt: eaque ipſiſſima ſententia eſt, & diſtinctio *dict. l.* 18. *titul.* 9. *part.* 7.

CAPUT XXXV.

Meretricum, & lupanarium uſus an legibus Romanis tollatur, vel toleretur.

ARGUMENTUM.

PRo explorata ſupponitur, ex Romano jure, *tolerantia lupanarium privatorum, & publicorum. Auctoramenta ex* libris legum, *& meretriciæ rei veluti ritibus, ac demum notis locis lupanarium, & mercatus ſcortorum. Fuit in* Thuſco *vico hic mercatus, eoque reſpicit* Senecæ *locus* (*quamquam alio detorqueat* Rævardus) *Alia item, & aliena* Ulpiani *mentio* in l. 17. §. 12. D. de ædil. edict. de ſervis, qui ſe venales poſtulant, *& referenda non ad cataſtas, ſed ad locos perfugii ſervorum, & veluti aſyla, de queis pauca carptim. Rurſus auctoramenta ex* Seneca, *&* Patribus, *&* Eccleſiæ, *ac ſæculi* Hiſtoricis, *quibus evincitur, & convincuntur contra ſtantes, nunquam abſciſſum penitus* Romæ *lupanarium uſum, tametſi in quibuſdam coërcitum. Evincitur id ipſum ex* Eccleſiæ *ſenſu, quem ſecuti* Auguſtinus, *&* Angelicus Thomas, *& enunciat.* cap. 21. de Sponſal. *Secutæ & priſcæ* Hiſpanæ leges, *donec abolitæ noviſſima* Philippi IV. *cujus piis Manibus, & memoriæ æterna pax.*

1 SUccedanea propoſitis, circa infamiam, notamque Meretricum ex noſtris legibus Julia, & Papia, & delibanda paucis eſt Nomica, Ethica, Politica diſputatio, de meretricii quæſtus, & publicorum lupanarium uſu tollendo, aut tolerando. Qua in re, ſi ante omnia quærimus, ut & ordinis recti, & profeſſionis noſtræ ratio poſtulant, quid jure liceat, & Romanis antiquis, noviſque legibus, mihi expeditum ſatis, & exploratum eſt, permitti, ac tolerari eo jure proſtibula, lupanariaque, tam privata, quam publica. De privatis aperti Textus ſunt *in l. ancillarum* 27. *§. ultim. D. de hæred. petit. l. hæ demum* 38 *D. de oper. libert. l. verum* 39. *l. Fullo* 82. *§. qui ancillam, D. de furt.* junctis *l.* 4. *§. ait Prætor, eum ſeq. D. de his, qui notant. infam. l. palam* 43. *§. ſi qua cauponam, D. de ritu nupt. l. ultim. Cod. ſi mancip. ita vener. ne proſtit. l. quæ adulterium* 29. *C. ad leg. Jul. de adulter.*

2 De publicis, ut taceam, referri ad ea proprie debere mentionem lupanarii *in dict. l. palam* 43. *in princip. D. de ritu nupt.* juncta *l. quid tamen* 21. *§. ſed ſi in aliquem, D. de recept. & qui arbitr.* argumento præterea ſunt, fuiſſe hæc publica diverſoria libidinum in promiſcuo & permiſſo legibus uſu, ſolemnes profeſſiones impudicitiæ, apud Ædiles, damnationes, deductioneſque Matronarum, & virginum, præſertim chriſtianarum ad lupanaria, & fornices, atque in eiſdem ſcortorum nomina, & tituli, fronti, & cellis inſcripti capturæ, ſtipeſque lenonum, & Meretricum, & ex eis tributa, aut vectigalia publice exacta, de quibus poſtea; poſtremo loca hæc ipſa notiſſima in circo, in theatro, in ſtadio, in Capitolino, & Palatino clivo, ad montem Cœlium, ſeu Cœlimontium, & adjacentia, ſed præcipue in ſaburra, ſeu ſuburra, majore, & minori vico, ad hanc rem percelebri, ad forum tranſitorium in 2. & 4. Urbis Regione, ubi, & in via ſacra, & ad Veneris ædem, quas in eadem 4. Urbis Regione collocant Victor, & Rufus, & veluti conjungit Varro *lib.* 4. *de Lingua Latina.* Prudent. *contra Symmach. libro priore*, fuerunt ſcortorum nundinæ, mercatuſque meretricius, ut ſobindicant Plautus *in Pœnulo*,

actu

actu 1. *ſcena* 2. apud quem Adelphaſium Meretrix, eademque lenoni ſervitutem ſerviens, ſic loquitur:

Quia apud ædem Veneris hodie eſt mercatus meretricius,
Eo conveniunt mercatores, ibi ego me oſtendi volo.

Martialis *libr.* 2. *Epigramm.* 63. ubi de Læda ſcorto, cujus & meminit *lib.* 3. *Epigr.* 82. & *lib.* 4. *Epig.* 4. forſitan & *lib.* 11. *Epigr.* 72. ita ſcribit:

Sola tibi fuerant ſeſtertia, Miliche, centum,
Quæ tulit è ſacra Læda redempta via.

3 Fuit & idem mercatus ſcortorum pariter, aliorumque mancipiorum in ſeptis, 9. Urbis Regione ad campum Martium, ubi mancipiorum cataſtas Martialis collocat *lib.* 10. *Epigr.* 60. & in Thuſco vico, non longe ab æde Caſtoris, 8. Urbis Regione, ubi utrumque ſcilicet vicum Thuſcum, ædemque Caſtoris deſcribunt Aurelius Victor, Rufus, & alii, & mercatum ipſum fuiſſe, firmant. Horat. *lib.* 2. *Satyr.* 3. Plautus *in Curculione actu* 4. *ſcena* 1. quos perperam ad promiſcuas nundinas liberorum hominum retorquet Rævardus *lib.* 2. *Conjectan. cap.* 8. ſuggillatus Hilligero *ad Donell.* 2. *cap.* 9. niſi contrahas, quod in Plauti loco non improbem, ad liberos homines, qui ſe ſe ipſi ad ludos venditabant, auctorabant; cæterum de mancipiis improbioribus, aut impudicis vænalibus ad ædem Caſtoris, quod propoſui, docuit me Seneca *lib. de Conſtant. ſap. cap.* 13. *Nam moleſte feram, ſi mihi non reddiderit nomen aliquis ex his, qui ad Caſtoris negotiantur, nequam mancipia ementes, vendenteſque, quorum tabernæ peſſimorum ſervorum turba refertæ ſunt.* Et illuſtranda inde fortaſſe apud Ulpianum mentio loci, *quo ſolent venire qui ſe venales poſtulant. in l. quid ſit* 17. §. *apud Labeonem* 12. *D. de Ædil. edicto.*

4 Quamquam, ut vel obiter dicam, tota illa Ulpiani ex ratione juris diſputatio, & deciſio, conjuncta illius loci in Urbe mentio cum aſylo, & ſtatuis, ad quas jure fugere ſolitos ſervos inhumane, aut atrociter à dominis tractatos, ut ſe ſe aliis vendi, impetrarent, ſcimus *ex l.* 2. *D. de his, qui ſui, vel alieni juris l. in eum* 5. *D. de extraord. criminib. l. capitalium* 28. §. *ad ſtatuas, D. de pœnis l. unic. Cod. de his, qui ad ſtatuas confug. l.* 1. §. 1. & §. *quod autem D. de offic. Præf. urbi.* Suadet mihi omnino, appellatione loci, quo venire, & ſe venales poſtulare ſervi ſolent, præter aſylum Romæ, & ſtatuas Cæſarum, intelligi debere templa, fana, ædes ſacras, aras, & pulvinaria Deorum, quibus id jus perfugii, & aſyli datum, ut eorum tutela ſervi, inhumane, aut crudeliter tractati, venditionem ſui à dominis extorqueant §. *ult. Inſtit. de his, qui ſui, vel alien. jur.* Tale olim Romæ templum D. Julii, & Dianæ Aventinæ, de queis Dio *lib.* 47. Dionyſ. Halicarn. *lib.* 4. Tale & apud Hæbræos ultra Urbes refugii, de queis Numer. *cap.* 35. Deuteron. *cap.* 4. & 19. Joſuë *cap.* 20. Sacroſanctum Templum Jeruſalem 1. *Machab. cap.* 10. & de ſervis eo perfugis Philo Judæus *libello, quod omnis probus liber ſit.* Talia denique in provinciis templum Dianæ Epheſiæ, & alia pleraque, de quibus 2. *Machab. cap.* 1. & 4. Cicero 3. *Verrina.* Strabo *lib.* 14. *Geograph.* Plautus *in Rudente*, & in *Moſtellaria*, & inſigniter præ aliis Tacitus *lib.* 3. *Annal.* ad quem plura, ſicut & *ad Virgil.* 2. & 8. *Æneid.* poſt Servium, Scholiaſtæ noviores. Noviſſime poſt hæc ſcripta, Theodor. Hopping. *cap.* 20. *ex num.* 198. *cum ſeq.* Conrad. Ritherus *tract. integre de Aſylorum Jure.* Sane quod Gothofredus ad Ulpianum locum illum exaudit de cataſtis ſervorum, quibus venales hi exponebantur, & alienum eſt ab Ulpiani mente, juriſque ratione, qua utitur, & commentitium prorſus. Cataſta enim, nuſquam quod legerim, locus certus Romæ, ut ille loquitur, ſed lignea, mobilis, & ſublimis machina, & manſio, qua, veluti cavea, & ergaſtulo, claudi, & ſervari, ſimulque tamquam pegmate, & ſuggeſtu, quod tabulatum dicimus, à mangone venum exponi, & produci mancipia ſolebant. Id, quod firmare, ſi vacaret, liceret pluribus.

Sed ut ex diverticulo ad viam, licitum illum, & 5
veluti legitimum, quem propoſui, publicorum lupanarium uſum, jure Romano agnoſcunt, & perſpicue M. Seneca *lib.* 4. *Controverſ.* 25. ibi: *Licet ire in lupanar; ſi præcedentibus faſcibus Prætor deduceretur in lupanar, majeſtatem lædet, atqui, quod licet, fecerit.* Auguſtin. *lib.* 14. *de Civitat. Dei, cap.* 18. ibi: *Verum etiam in uſu ſcortorum, quam terrena Civitas licitam turpitudinem fecit, quamvis id agatur, quod ejus Civitatis nulla lex vindicat, devitat tamen publicum, etiam permiſſa, atque impunita libido, conſpectum, & verecundia naturali habent proviſum lupanaria ipſa ſecretum, faciliuſque potuit impudicitia non habere vincula prohibitionis, quam impudentia removere latibula illius fœditatis.* Salvianus Maſſil. *lib.* 7. *de Provid.* ubi Vandalorum leges Romanis comparat, ita: *Leges autem illorum nequaquam ſunt illis legibus conſentaneæ, quæ ita partem improbitatis removent, ut partem obſcœnitatis admittant, ut Romana illa decreta, quæ ſcortatores quidem ab alienis uxoribus removerunt, ad omnes autem ſolitarias paſſim admiſerunt, adulteria vetantes, lupanaria ædificantes.* Hieron. *in Epitaph. Fabiolæ ad Oceanum.* Lactant. *lib.* 6. *Divin. Inſtit. cap.* 23. aliique aperte minus.

Sed qui tamen vel ſatis in aperto deinceps eſſe 6
debeant, refellendis Jano Langlæo, Menochio, & ex Theologis Joanne Lorino 2. *tom. in Deuteronom. cap.* 23. *verſu* 17. ac ſi qui alii tentant, contenduntve, nec ex Juriſconſultis probari permiſſionem lupanarium, eaque ipſa novioribus Romanorum Cæſarum legibus tolli, & vetari, quod poſtremum neque à Tacito Auguſto factum, qui *meritoria*, hoc eſt, vel Meretrices ipſas, vel lupanaria earum, & fornices, *intra Urbem ſtare vetuit*, non tamen extra Urbem inhibuit, ac nec id quidem *diu tenere potuit*, ut Vopiſcus *in ejus vita* ſcribit, nec à Conſtantino, ſub quo impuriſſimas proſtibulorum utriuſque ſexus fornices, & cloacas in ſpectaculorum locis obſtructas, eamque turpitudinem deletam, ſcribit Hieronymus 2. *tom. in Iſaiam, cap.* 2. neque à Theodoſio Magno, quem luſtra, latebraſque mancipum intra Urbem in annonariis ædibus, & Matronarum, in adulterio deprehenſarum, coactiones in lupanaria, turpemque ritum tintinnabulorum, quæ ſiſtra vocabant, ſuſtuliſſe in Urbe, ſcimus, ex Socrate Scholiaſtico *lib.* 5 *cap.* 18. Nicephoro *lib.* 2. *cap.* 22. ex Caſſiodoro in *Tripartita*, *lib.* 9. *cap.* 24. non tamen Romæ extra ſpectacula, & loca illa deſignata, aut in provinciis abſciſſe, aut univerſim lupanaria evertiſſe; neque à Theodoſio alio Juniore, qui lenonum vectigal, & pudoris corrumpendi commercium, ſive, ut breviter dicam, lenocinii ipſius negotiationem abrogavit *Novella* 18. *de lenonibus*: non autem infelicium mulierum, nullo cogente, meretricantium, ſcortationem, & luſtra; neque ab Anaſtaſio, à quo luſtrale aurum, ſive tributum auri, atque argenti ex quæſtu Meretricum, quod, *Chryſargyrum*, vocabant, exciſum penitus, & ſublatum fuiſſe, memorant Evagr. *lib.* 3. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 39. & ex eo ad verbum Nicephorus *lib.* 16. *cap.* 40. Zonaras *tom.* 3. & Cedrenus *in Anaſtaſio*, cujus vel Theodoſii hæc ipſa Conſtitutio eſt, quæ ex Baſilicis *lib.* 60. *tit.* 38. reſtituta, hodie exſtat in *l. ultim. Cod. de ſpectacul. lib.* 11. ubi & in univerſum lenocinii exercitio interdicitur, ſicut & poſtea à Juſtiniano, addita ſeveriori pœna in lenones, *Novella ejus* 14. *de lenonibus*, quam ita accipit Theodorus Balſamo *in Photii Nomocan. tit.* 13. *cap.* 22. in fine, quamvis paulo aliter Procopius *lib.* 1. *de Ædific. Juſtin.* A neutro tamen, vel Anaſtaſio, vel Juſtiniano, neque ab alio, quem ſciam, meretricatio ipſa, & ejus conſiſtoria, ſeu lupanaria, omnino vetita, dummodo lenocinium abſit, & lupanar non comparetur ad aliarum ædium ignominiam, ut, ex Juliano Aſcalonita, monet Harmenopul. *in Promptuar. jur. lib.* 2. *tit.* 4. §. *de lupanari.*

7 Eſt itaque, argumentis ſuperioribus, queis in contrarium alii abutuntur, breviter profligatis, certum, perſpicuumque quod poſuimus, jure Romano Cæſarum vetere, & novo, lupanaria, & proſtibula non inhiberi. Addimus nunc, & ſacris Eccleſiaſticis legibos, tametſi lenocinia, & lenones ſevere coërceantur, ut *ex Synodo 6.* in Trullo *Can.* 86. ad quem notant Theodorus Balſamo, & Zonaras, & ex Concilio Illiberitano *Can.* 11. *& Conſtitut.* 9. *Pauli IV. P. M. in lenones* diximus ſupra *cap.* 13. quin & Eccleſiæ Patres eam turpitudinem graviter deteſtentur, ac præ cæteris late Joann. Chryſoſt. *tom.* 1. *Homil.* 3. *de David, & Saule.* Ambroſius *lib. de Bono Mortis cap.* 9. Salvian. *lib.* 7. *de Provid. per tot.* tolerari tamen eiſdem legibus potios, quam tolli publicas Meretrices, & lupanaria, ut ex Auguſtino *lib.* 2. *de Ordine cap.* 4. D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 11. *& lib.* 4. *de Regim. Princip. cap.* 14. Lyrano *ad caput Geneſ.* 19. Itemque *ex capite inter opera* 21. *de ſponſalib.* adnotatum Neotericis, quos non tranſcribo. Adi tamen, ſi in re notiſſima notorem quæris, poſt Panorm. & alios ex Pontificiis *in dict. cap. inter opera* 21. D. Covar. *in* 4. *decret.* 1. *p. cap* 4. *num.* 7. *&* 9. ex eoque Matienç. *in l.* 6. *Gloſſ.* 1. *num.* 13. *tit.* 8. *lib.* 5 *Compilat.* Rojam *in Succeſſ. Epit. cap.* 10 *num.* 27. Menoch. *de Arbitr. Caſu* 535. *ex num.* 12. Maſcard. *de Probat. Concl.* 1067. *in princip.* Vaſq. Menchac. *Controv. illuſtr. lib.* 1. *cap.* 48. Gregor. Lopem *in Proæm. tit.* 12. *part.* 4. Çaldam Pereyr. *in l. ſi curatorem, verbo, cum non abſimiles num.* 12. *Cod. de in integr. reſtitut.* plures apud Cænedum *Collectan. in Decretal.* 140. *num.* 2. & ex novioribus Auguſt. Barboſam *in c. omnis num.* 4. *diſtinct.* 3. Roderic. Acuña *in cap. erit autem, num.* 7. *diſtinct.* 4. Ferd. Otero *in cap. ult. de conſuetud. num.* 61. Cabreros *de Metu lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 1. P. Hieronym. Salcedo, in quem, multis poſt hæc Salmanticæ ſcripta annis, incidimus *ad D. Thom. de Regim. Princ.* 4. *cap.* 14. *diſſert.* 49.

Apud nos autem, tametſi prioribus Hiſpanis legibus, moribus tolerarentur lupanaria (quæ à putidis, puticiiſve mulierculis *puterias*, & non mundiore voce, *mancebias*, dicuntur, ſicut Græcis, Latiniſque *Ephebiæ*, de queis 2. *Machab. cap.* 4.) ut colligere eſt *ex l.* 1. *tit.* 22. *part.* 7. *l.* 5. *tit.* 7. *part.* 6. *dict. l.* 1. *tit.* 15. *part.* 4. *l.* 20. *tit.* 23. *lib.* 4. *l.* 4. *tit.* 6. *lib.* 6. *Compilat.* tandem noviſſima Optimi, Maximique Regis noſtri conſtitutione, quæ ſub titulo capitum Generalis Reformationis lata *anno* 1623. magiſterium, & cenſuram morum ſuſcepit, ſanctiſſime proſpectum eſt decori, & diſciplinæ publicæ, interdictis deinceps, ſublatiſque ſi quæ permanſerant, lupanaribus, & Ephebiis in Hiſpania. 8

C A P U T XXXVI.

Lupanarium tolerantia an expediens Rebuſpublicis. Diſſertatio Politica.

A R G U M E N T U M.

IN eos, qui tolerantiam lupanarium non eſſe licitam, aſſeruere, & è contraris, qui utiliſſima illa eſſe Reipublicæ, *cenſura. Sed an ea tolerantia politice expediens, ſi quæras, ſunt, quæ ſuadeant, rationes. In primis illa de vitandis, ea tolerantia, malis majoribus, ſtupris, adulteriis, & aliis, in quæ juventus eruptura, ſi à meretriciis luſtris arceatur. Pro ratione hac fulcbra, & exempla* Athenienſium *cum* Solone *ſuo*, & Corinthiorum, *& inter* Latinos Catone, & Seneca, Alexandro Severo, Salviano, *& politica cenſura* Auguſtino, & Aquinate. *At contra tolerantiam ſtant plura, & potiora: & inter prima illud, quod lupanarium uſus non tam eſt præcautio à gravioribus flagitiis, quam Schola veluti, & irritamentum ad ea ipſa: id, quod experimentis compertum,* Regia *noſtra* lege *atteſtante, & jam olim* Arnobio, *&* Artemidoro. *Accedit politica obligatio arcendi inter* Chriſtianos *ex contagione lupanarium, mille adſcitas eis noxas, & pericula. Subſequuntur & auctoramenta, & exempla, quorum non immemor* Regia lex. *Primum ex* lege Moïſis, Deuteron. cap. 23. *& apud* Gratianum Auguſtino in cap. 1. l. 32. q. 4. Philone, *& aliis de vetits meretricio inter* Hæbræos, *utcumque apud eoſdem, ante, & poſt eam legem, negari nequeat, irrepſiſſe Meretrices, & lupanaria etiam publica, vel ex* Ezechielis cap. 16. & Oſeæ 1. *ad quæ* Hieronymus. *Jam & antiquioribus miſſis, inſignia exempla damnationis lupanarium præbuere* Gotthi, *&* Vandali *apud* Salvianum, *qui emendatus, ſimulque & obiter* Auguſtinus. *Expenſa, & in tranſcurſu adſcripta* Boniſacio Martyri *gnome* cap. ſi gens 56. diſtinct. *Tandem & Sancti* Reges *laudati in* Regia lege, *poſt* Conſtantinum, *&* Theodoſios, *qui præivere: fuit vel præcipuus* S. Ludovicos Hiſpano-francus, *&* Alphonſus Aragonius. *Concluditur auctoramentis* Patrum, *adſcribentium lupanarium originem Diabolo, & idololatriæ.*

1 HÆc ita ex legibus Romanis, Civilibus, Eccleſiaſticis, & Hiſpanis cum ſint, apparet jam, neque affirmari, niſi præſidenter in univerſum, & abſolute poſſe, tolerantiam lupanarium non eſſe per ſe licitam, quod ab erudito noſtrati Theologo ſcriptum nuper, & aſſertum comperio (cur enim, quæſo, licitam non faciant, ultra graves, neque ſpernendas tolerantiæ cauſas, de quibus poſtea, tot Chriſtianorum Cæſarum, Pontificum, & veterum Eccleſiæ Patrum, Doctorumque noviorum conſentiens conniventia, & permiſſio, quæ ſingula nedum conjuncta, peccati, & indulgentiæ illicitæ damnare, contractæ, & tuberoſæ nimis frontis eſſet?) neque è contrario item, quod apud nos à novo Pragmatico, poſt ſanctiſſimam illam de lupanaribus tollendis Philippi noſtri legem forſitan nato, certe decem, aut amplius annis, poſt eam latam in Hiſpania, ſcribente, ejuſque ignaro, vel immemore, pronunciatum video magis, quam miror, *utiliſſimum Reipublicæ exiſtere, Meretrices adeſſe.* Quid enim aliud hoc eſt, niſi honeſtiſſimam Regiam ſanctionem, Hiſpanæ pudicitiæ, & diſciplinæ vindicem, incogitantiæ, & impolitiæ notare?

2 Sed quando in hacce re, quid jure liceat Romano, & Regio ſatis expreſſimus; ageſis jam, & quid expediat, ſepoſita interim legum auctoritate, ex proba, puraque Reipublicæ tractandæ ratione, cujus cognitio ſemper apud veteres cum profeſſione juris conjuncta, breviter diſpiciamus, atque æſtimemus in utramque partem. Et ſane publicorum luſtrorum, ſeu lupanarium uſum, rem eſſe ex earum numero, in queis Reges, & leges connivere quadantenus, civium moribus flacceſcentibus, & humanæ imbecillitati, publice expediat, non levia vel rationis, vel auctoritatis argumenta ſunt, quæ ſuadeant. Eſt enim, ſuitque ſemper inter præſcripta providentiæ, & prudentiæ, ex duobus impendentibus malis, ſive periculis, minimum præoptare, & eligere, pro vitando majori. *cap. duo mala* 1. *cum ſeq.* 13. *diſtinct. cap. non ſolum* 7. 22. *quæſt.* 4. *cap. ſi quod verius* 9. 33. *quæſt.* 2. Idque in malis alienæ culpæ, quoties promptos, paratoſve ad graviorem, non tam conſilio inducimus, aut deducimus ad minorem, quam ejuſdem, minoris ſcilicet, materiam damus, permittendo magis, quam conſulendo, eſſe non modo utile, ſed & licitum, extra controverſiam docuimus *cap.* 25. At vero in lupanarium tolerantia hunc ipſum publici boni reſpectum habuiſſe, & agnoviſſe, videntur, veteres legumlatores, ſcilicet condonandi, atque indulgendi leviora, ut à

gravioribus

gravioribus temperetur. Nam cum ea, vel in Chriſtiana Republica, morum, hominumque colluvies in luxum & libidinem non propendens modo, ſed præcipitans ſit, ut revocare à lapſu eam, & ab omni labe præſtare immunem, altioris, quam humanæ ſit poteſtatis, viſum eſt è Republica, licentiam ſcortationi ſimplici facere, in lupanaribus & luſtris, ubi leviore culpa, damno, ac dedecore civitatis peccatur, ne his deliniimentis juventus prohibita, in adulteria, ſtupra, inceſtus, & pejora interdum flagitia erumpat. Quid enim agat juventutis calor, atque impetus, ni meretriciis blandimentis, & illecebris à ſequiorum cogitatione, & cura abducatur? Laceſſet adulteriis geniales thoros, ſtupris nobilium fœminarum famam, expugnabit prece, aut pretio cuſtodes, & comites, irrumpet ſacratiora clauſtra, & ſeceſſus, ſuccedent denique vulgaribus ſcortis Matronæ, & virgines honeſtiores. Cloacas, & aliarum ſordium latebras à palatio ſi tollas, aut ex navi ſentinam, patieris ubique diffluentes, quæ confluebant ante in unum, & latebant ſecem, fœtorem, faciesque ex univerſo palatio cloacam, ex navi ſentinam. Namque, ut de Aquitanis Salvianus *lib.* 7. *de Vero Judic. Damnavere Meretrices apud Aquitanos: at ubi ea civitas in locupletiſſima, ac nobiliſſima ſui parte non quaſi lupanar fuit? Quis potentum, ac divitum, non in luto libidinis vixit? Quis non ſe barathro ſordidiſſimæ colluvionis immerſit?* Cedendum itaque torrenti incontinentiæ in levioribus, ut enatare inter graviora caſtitas poſſit, & leniendi ſaltem morbi fomentis, quos curare recta non licet.

3 Porro hanc eamdem tolerantiæ cauſam in lupanarium uſu, ut & auctoritate, & exemplis jam utamur, agnoſcunt, exprimuntque paſſim veteres legum, urbiumque conditores. Iſto enim reſpectu Solon jam olim coëmptas meretriculas, Athenis proſtituit, ſeu permiſit, ut effuſo illic, egeſtoque libidinis impetu, ab adulteriis, ſtupriſque abſtineretur, ut memorant Nicander, & Philemon, apud Athenæum *libr.* 3. *Deipnoſoph cap.* 9. Plutarch. *in Solone.* Eademque ex cauſa Corinthiis frequens, celebriſque adeo meretricatio, ut ſupra mille ſcorta in Veneris Templo proſtarent, fano, & libidini miniſtrantes, & in parœmiam abierit, *κορινθιάζεσθαι*, pro, *ſcortari*, ut apud Stephanum *de Urbibus*, & vel vulgatum magis illud, quod Horatius Latine expreſſit *lib.* 1. *Epiſt.* 17. hoc eſt, *non cujuſvis hominis eſt, Corinthum appellere*, ubi tam graviter pudicitia, & opes penditantur, ob libidinem, luxumque meretricium, ut exponunt Strabo *lib.* 8. *Geograph.* Agell. *lib.* 1. *Noct. Atticar. cap.* 8. Athenæus *lib.* 13. *Deipnoſ. cap.* 11. Ariſtophanes *in Pluto.* Plato *lib.* 3. *de Republ.* tametſi & alio trahant adagiorum Concinnatores. Conſpirant in hanc etiam ſententiam, ex Græcis Crates, & Ariſtippus Philoſophus, apud Diog. Laërt. *lib.* 2. *cap.* 6. & 8. & *lib.* 6. *cap.* 5. ex Latinis, Cato Horatianus *lib.* 1. *Satyr.* 2. ibi:

Quidam notus homo cum exiret fornice, macte
Virtute eſto, inquit, ſententia Dia Catonis,
Nam ſimul, ac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes æquum eſt, deſcendere, non alienas
Permolere uxores.

Tacitus *lib.* 13. *Annal.* ubi de liberta Acte, quæ in amorem Neronis irrepſerat, *Ne ſeverioribus quidem* (inter quos primus Seneca, & Burrbus) inquit, *Principis amicis adverſantibus muliercula, nulla cujuſquam injuria, cupidines Principis explente, & quia metuebatur, ne in ſtupra fœminarum illuſtrium prorumperet, ſi illa libidine prohiberetur.* Alexander Severus, de quo Lampridius *in ejus vita*, habuiſſe eum in animo, ſcribit, exoletos vetare, ſed veritum, *ne prohibens, publicum dedecus in privatas cupiditates converteret, cum homines illicita magis poſcant, prohibitaque furore perſequantur.* Ita & de eadem re Aurelius Victor *in Philippo. Uſum virilis ſcorti removendum, honeſtiſſime conſultavit; verumtamen manet. Quippe conditione loci mutata, pejoribus flagitiis agitatur, dum avidius periculoſa, quibuſque mortales prohibentur, petunt.* Exerte, proprieque Maſſilienſis Epiſcopus *lib.* 7. *de Vero Judic. ad finem*, ubi ſic de Romanis, lupanaria ſancientibus. *Timuerunt videlicet, ne nimis caſti homines, ac puri eſſent, ſi ab omni eos penitus impuritate prohiberent.* Quo loci niſi per irriſionem, & ἰρωνικῶς, accipiatur, cenſuerim legendum, *ne minus caſti*, levi inverſione ordinis litterarum, & alluſione ad ſuperiorem ſententiam. Cui & addo præter D. Thom. 1. 2. *q.* 10. *art.* 11. Nicol. Lyranum *ad Geneſis cap.* 19. & alios laudatos *ſuperiore capite ad finem*, Auguſtini calculum nemini in hac re non laudatum *lib.* 2. *de Ordine, cap.* 3. *Quid ſordidius*, inquit, *quid inanius dedecoris, & turpitudinis plenius, Meretricibus, lenonibus, cæteriſque hoc genus peſtibus dici poteſt? Aufer Meretrices de rebus humanis, & turbaveris omnia libidinibus.* Auguſtinus idem, & ex illius ſenſu, aut verbis Divus Thomas *de Regim. Princip. lib.* 4. *cap.* 14. quamquam alibi idem Auguſtinus ſcortorum licentiam Romanis exprobret, & ſerio improbet *lib.* 14. *de Civis. Dei, cap* 18.

Sed contra lupanarium uſum, tolerantiamque, 4
plura, & potiora ſunt rationum, & auctoritatis momenta, quæ perpenſa, expreſſaque graviter, Pragmatica illa Regis noſtri, cujus meminimus, *de tollendis ephebiis*, *cap.* 23. Nos inde accepta plenius illuſtrantes jam proponemus. Atque in primis prætextus ille publici boni, quo infamia hæc luſtra ſe tuentur, ſcilicet, ut leviorum permiſſu à gravioribus temperetur, eſt prætextus dumtaxat, obtendiculumque turpitudinis, non recta, aut certa tolerantiæ ratio, cui credi debeat. Namque uſus, & Chriſtiana inſtitutio docet, ignem, impetumque libidinis, non copia, aut indulgentia ejuſdem ſedari, quin potius concitari acrius flammam, atque in arcem ipſam, tectaque erumpere, niſi initio, ſeveris legibus, & coërcitionis aqua veluti injecta reſtinguatur; multoque implacabilius, ſi veluti materiam igni, & alimenta morbo ſuppeditemus. Unde & experimentis, ſive ſæculi hujus miſeria, progeniem, ex Horatii vaticinio, dantis vitioſiorem, ſive innata ipſi rei, eademque omni ævo imbecillitate naturæ, comparatum, compertumque eſt, tantum abeſſe lupanarium licentiam à præcautione deteriorum, ut potius ea ipſa ſint irritamenta, & illecebræ graviorum ſcelerum, quibus tamquam in ſcholis Veneris, aut caſtris Cupidinis, tyrocinium, & rudimenta facit juventus, & ad ſtupra, adulteria, inceſtus flagitioſe eruditur; atque è contrario quibus in oppidis nulli, aut pauciores fornices, & ſcorta, majore continentia, & modeſtia adoleſcentes agere, nec facile, aut frequenter impurioribus flagitiis adſtum eſſe.

Accedit, quod, ut Regia lex exprimit, & in 5
ipſis fornicibus vix unquam ſola, aut ſimplex ſcortatio eſt, ſed ultra civitatis ſcandala, lenonum rixas, lenarum artes mille nocendi, meretricum captiones, & capturas; adjuncta Impudicitiæ profeſſioni neſanda ſcelera præpoſteræ, & promiſcuæ Veneris, quibus infelices mulierculæ, addictæque libidini, & venales hoſtiæ, animas corporaque ſubſternunt, *in lupanaribus promptæ, in fornicibus obvictæ, nihil pati renuentes*, ut graviter ad rem Arnob. *lib.* 2. *Adverſ. gent.* ſive ut eadem mente Artemidor. *lib.* 1. *Oneirocrit. cap.* 80. ubi de ſomniante, ſe ſcorto commiſceri, & de ſcortis ipſis ita: *Ad omnem congreſſionem ſunt aptæ* (ſcilicet Meretrices) *unde, & à quibuſdam verſatiles dicuntur, & nihil recuſaturæ præbent ſe ipſas.* Omnino vere.

Quid quod, in luſtra illa deformia non temere de- 6
ſcendit quiſquam, niſi è vili plebecula, cujus probroſa minus Reipublicæ intemperantia, nec tam periculoſæ honeſtioribus thoris inſidiæ? Et ut ille apud Quintilianum *Declamat.* 14. contra Meretrices: *inventas, credo, Meretrices, ut eſſet, quod liceret amare pauperibus*; at contra nobiliores, ditioreſque, quorum libido ſemper gravioris publice dedecoris, & diſpendii, deſpectis lupanarii ſordibus, eo licentiæ exemplo ad ſollicitandas Matronas, & virgines

abutuntur? Quid denique, quod nec fœminis puellis, quarum ſæpe ad libidinem acres ſtimuli, ſpecie, ut putant, boni inexperti, & imbecillitate ſexus, neque viduis, quarum ob ſenſum voluptatis præteritæ, opéroſior eſt caſtitas, & laborioſior continentia; ut Tertullianus loquitur *lib.* 1. *ad Uxorem*, *cap.* 8. nuſquam ſimili remedio ephebiarum maſculorum ſuccurritur?

7 Sed nec ſilenda, vel diſſimulanda legibus, & Principibus morum, & pudicitiæ in juventute utriuſque ſexus, præſertim Matronis, & virginibus, ex contagione lupanarium, vitio, & vicinitate exempli pericula, quæ expendemus uberius infra. Neque quod celebrioribus oppidis, in quibus fere ſolis publica hæc gymnaſia libidinum eſſe ſolent, nunquam vel eis ſublatis improbitati, & petulantiæ deſunt plura, quam expediret, privata ſcorta, ubi minore civium decoris, & diſciplinæ nota peccetur.

8 Et ſane quo colore, aut fronte inficiemur, Reipublicæ Chriſtianæ, & Eccleſiæ *odorem* bonum *eſſe debere*, *ſuper omnia aromata*, ut ſcriptum eſt Cantic. *cap.* 4. & legum, Principum, Magiſtratuum muneris cum primis eſſe, pravas artes, malaſque, earumque incitamenta a juventute prohibere, ut Salluſtius loquitur *Orat.* 1. *ad Caium Cæſarem*? Veneni mali publica licitatio, & commercium impune non eſt; illicita collegia, & conventus leges non ferunt; graſſaturas, & latrocinia in urbibus, atque extra urbes coërcent: eiſdem, caſtitatis peſtes, & toxica, & earum nundinæ, quaſi legitimæ, collegia, aut conſiſtoria turpitudinis, animarum plagia, & rapinæ, Republica quodammodo auctionante, & auctorante, cur permittantur? Stant itaque pro hac parte, contra uſum lupanarium, & tolerantiam, validiora rationum ſulcbra, quæ & firmant, & diffundunt, its politice cenſentes, Martinus Navarrus *in Manuali Latino cap.* 17. *num.* 195. *verſic. quinto.* Plane Claudius Spencæus *lib.* 3. *de Continentia Sacerdotum*, *cap.* 4. erudite P. Joann. Mariana *Opuſc.* 3. *de Spectacul. cap.* 16. & ex eo Joann. Lorinus *in Deuteron. cap.* 23. *verſ.* 17. *tom.* 2. P. Adam Contzen. *lib.* 3. *Politicor. cap.* 12. §. 14. & 17. Janus Langlæus *lib.* 8. *Semeſtr. cap.* 8. Nicol. Bellus *Rer. Public. diſcurſ.* 13. P. Petr. Hurtado de Mendoça *de Tribus Virtutib. volum.* 2. *de Spe*, & *Carit. diſp.* 173. *sect.* 30. §. 390. Audiendi & ex noſtratibus duæ, veluti idiomatis Hiſpani ſuadæ, aut ſirenes; M. Joann. Marquez, illuſtre annis prioribus Auguſtiniani ordinis, & Academiæ noſtræ decus, in *Chriſtiano Gubernatore*, *lib.* 1. *cap.* 29. §. 3. D. Anton. de Fuenmayor, egregius inter noſtros Hiſtoricos *in vita Pii V. P. M. lib.* 2. Videndus &, quamvis diſſentiat, Petr. Gregor. *lib.* 14. *de Republica*, *cap.* 1. *num.* 5. Addendus noviſſime, & pluribus differens Hieronym. Salcedo *ad D. Thom. de Regim.* 4. *cap.* 14. Alii denique, quorum vellem, ſubſcriptorem fuiſſe noſtrum Eman. Gonſalium *ad cap. inter* 20. *num.* 4. *de Sponſalibus.*

9 Jam vero auctoritatem ſi quærimus, & exempla improbatæ, atque prohibitæ publicæ lupanarium exercitationis, monet apposite illa eadem Regia Pragmatica, *Reges Sanctos*, & *Reſpublicas*, *bene inſtitutas*, *obviam huic malo iviſſe ſine ullo in commune damno*, *imo certiſſimo divini cultus*, & *politiæ bono.* Namque in primis ſacra lex Moſis, cujus auctoritate, & exemplo, Chriſtianam tolerantiam urget graviter Claudius Spencæus *de Contin. Sacerd. lib.* 31. ita præcipit Deuteron. *cap.* 23. *Non erit meretrix de filiabus Iſraël*, *nec ſcortator de filiis Iſraël*, quem locum ex vulgatæ verſionis fide, itemque 70. Seniorum, apud quos pro meretrice, πόρνη, & pro ſcortatore πορνεύων, de meretricio quæſtu, & concubitu, fœminis, æque ac viris prohibito, accipiunt Auguſtinus *in id Deuteron. caput Quæſt.* 37. apud Gratianum *in cap. Meretrices* 11. 32. *quæſt.* 4. Lyranus, & Abulenſis *quæſt.* 5. & paſſim *dict. cap.* 23. *Deuteron.* fere omnes, quamvis aliter pauci alii. Unde & in Judæorum Republica, non fuiſſe Meretrices, teſtantur Origenes *lib.* 4. & 5. *contra Celſum.* Clemens Alexandr. 3. *Stromat.* Philo *Tractatu de mercede Meretricis non accipienda in ſacrarium.* & *lib. de Joſeph.* & *lib. de Plantatione Noë.* & *lib. de Specialib. legib.* ubi inter alia egregie ita: *Scortum lex ejicit è Republica*, *ut honeſtate*, *pudore*, *ſobrietate*, *ac cæteris virtutibus vacuum*, & *replens viros*, *fæminaſque impudicitia*, *deturpanſque immortalem mentis pulchritudinem*, *ſolam vero corporis venuſtatem*, *brevi perituram*, *excolens*, *proſtituens ſe prætereuntibus*, & *florem ætatis venditans*, *ad illiciendos juvenes omnia tum dicens*, *tum faciens. Eadem committit amatores ſuos*, *inhoneſtum præmium*, *ſe ipſam preponens*, *ei*, *qui plura dederit. Ergo ut peſtis*, *labeſque publica ſaxis obruetur*, *quod naturæ donis abutatur*, *quæ virtutibus exornaſſe debuerat.*

10 Enim vero irrepſiſſe Meretrices in Rempublicam Hebræorum, vitio, & væcordia gentis, & ſæculi, & ſocordia Magiſtratuum, & Regum, diffiteri non poſſumus, neque id dumtaxat ante Moſis legem, ut ex Tamar facinore liquet, *Geneſ. cap.* 38. ſed & poſt eam non ſemel, ut colligere eſt *ex lib.* 3. Regum *cap.* 3. de mulieribus illis meretricibus, ut vulgata verſio vocat, quas tamen cauponarias, Hebraïcus, & Chaldeus textus nominat, & nos in Hiſpano ſyntagmate *de Regnatoribus minoris ætatis*, nuper edito, *in Salomone*, *vendederas*, nominavimus, & Ezechielis *cap.* 16. *per totum.* Micheæ *cap.* 21. Lucæ *cap.* 15. *in fin.* Pauli 1. *ad Corinth. cap.* 6. Nec privata dumtaxat, aut in privatis domibus ſcorta, ſed quod eſt amplius, publica etiam Veneris emporia, & uno verbo, lupanaria, agnoſcit apud Hebræos Hieronymus *Proœmia Commentar. in Oſeam*, his verbis: *Accipe uxorem fornicariam. Non frontem rugat*, *non mærorem pallore teſtatur*, *non verecundiam mutata genarum rubore demonſtrat*, *ſed pergit ad lupanar*, & *ſcortum ducit ad lectulum*, & *non initiat illam pudicitiæ matronali*, *ſed ſe luxurioſum*, *ac nepotem probat.* Idem Hieronymus *ad illud Ezechiel. cap.* 16. *Ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ*, quod ſic exprimit: *Ædificaſti tibi lupanar*; ubi & 70. *Habitaculum fornicationis.* Hæc tamen, & ſi quæ alia ejus licentiæ in ſacris libris teſtimonia occurrunt, non permiſſioni legum, ſed morum corruptelæ, legibus prævalenti ferri accepto debere, non dubito; ſicut & mentionem ephebiarum maſculorum, quæ prope Templum Domini cum eſſent, everſæ ſunt à pio Rege Joſia, ut ſcriptum eſt 4. *Reg. cap.* 23. & innovatæ, inventæque iterum ab impio Jaſone 1. *Machab. cap.* 4.

11 Nec dubitari ea propter poteſt, aut debet de prohibitione meretricii ex lege Moſis, ſicut conſpecte parum dubitat clariſſimus Baronius *Annal.* 1. *tom. anno Chriſti* 32. *num.* 22. Quin potius eo illegitimo abuſu ſuppoſito, defenduntur, exponunturque recte duo alia capita legumlationis Moſis, de mercede proſtibuli non admitteoda in ſacrarium, *dict. cap.* 23. *Deuteron.* & de improbatis nuptiis Meretricis cum Sacerdotibus, Levitici *cap.* 21. utrumque enim otioſe cavetur, ni præſens, vel prævifa morum labes oſtenderet, Meretrices ex Hebræis jam eſſe, aut poſtea futuras.

12 Sed & aliarum gentium leges, & inſtituta Hebræis in hac re conſentanea, ut ne taceam, qualis Corinthiorum vetus, quorum Rex Periander, τὰς προαγωγοὺς πάσας κατεπόντισε, id eſt, *quæ ſe proſtituiſſent*, *omnes mari demerſit*, ut Heraclides ſcribit in *Politiis*, ubi de Corinthiis, itemque ſimile aliud Ciorum, de queis Phylarchus, apud Athenæum *lib.* 13. *Deipnoſoph. cap.* 32. & Bohemorum, de queis Æneas Silvius, ſeu Pius, 2. *Hiſtor. Bohemicæ*, *cap.* 50. inſigne, & laudatiſſimum præ cæteris in ea re eſt ſtudium, ſcitumque Vandalorum, & Gotthorum, quos non tantum caruiſſe luſtris, & lupanaribus, & ſcortationem, ſcortaque damnaſſe, & idcirco vaſtandis, ſimulque caſtigandis Aquitanis, Hiſpanis, Afris, atque inter eos Romanis, luxu tunc, & libidine vel maxime flagrantibus, tamquam cœleſtis iræ, & caſtitatis exactores, & vindices, pudicos barbaros ſuperpoſitos, ſed, quod eſt amplius, etiam inter Romanos domitos,

nomen,

nomen, uſumque lupanarium, & ſcortatonis Vandalos ademiſſe, memorat graviter, ut ſolet, Salvianus, Maſſilienſis Epiſcopus, qui Romani Imperii molem ſuis ſedibus convulſam, & præcipitantem pene vidit, & luxit, integro *lib. 7. de Vero Judicio, & Providentia Dei.* Ex quo pauca, illuſtrioraque his, quæ poſui, firmandis adſcribam. Namque in primis de Gotthis, ita: *Inter pudicos barbaros impudici ſumus: plus adhuc dico; offenduntur barbari ipſi impuritatibus noſtris. Eſſe inter Gotthos, non licet, ſcortaterem Gotthum* (ſic locum, vulgo mendoſiſſimum ſuppleo) *ſoli inter eos, præ judicio nationis, & nominis permittuntur, impuri eſſe Romani. Et quæ nobis, rogo, ſpes ante Deum eſt? impudicitiam nos diligimus, Gotthi execrantur; puritatem nos fugimus, illi amant; fornicatio apud illos crimen, atque diſcrimen eſt, apud nos decus. Et putamus, nos ante Deum poſſe conſiſtere? Putamus, nos poſſe ſalvos eſſe, quando omne impuritatis ſcelus, omnis impudicitiæ turpitudo à Romanis admittitur, & à barbaris vindicatur?* De Vandalis poſtea idem: *Quid Hiſpanias?* inquit, *nonne vel majora forſitan vitia prodiderunt? Quas quidem cæleſtis ira, etiamſi aliis quibuſlibet barbaris tradidiſſet, digna tamen flagitiorum tormenta toleraverant puritatis inimici. Sed acceſſit hoc ad manifeſtandam illic impudentiæ damnationem, ut Vandalis potiſſimum, id eſt, pudicis barbaris traderentur. Pudicis*, inquam, ita enim poſtulante ſententia corrigo, pro eo, quod perperam vulgo eſt, *publicis*, ſicut ſimili mendo, apud Auguſtinum *lib. 2. de Adulterin. Conjug. ad Pollent.* ubi Antonini reſcriptum profert, legitur vulgo, *an cum tu publice viveres*, cum legendum omnino ſit, *pudice viveres. l. ſi uxor 13. §. judex, D. ad leg. Jul. de adulter.* Ergo, ut pergit Salvianus: *Dupliciter in illa Hiſpanorum captivitate Deus oſtendere voluit, quantum & odiſſet acrius libidinem, & diligeret caſtitatem, cum & Vandalos ob ſolam maxime pudicitiam illis ſuperponeret, & Hiſpanos ob ſolam, vel maxime impudicitiam ſubjugaret.* Denique de Meretricibus, & meritoriis, ſublatis à Vandalis, proprie idem magis ad finem libri: *Horruerunt* (Vandali) *luſtra, ac lupanaria, horruerunt concubitus, contactuſque Meretricum.* Ita ſcribendum, non *contractus*, quomodo & poſtea idem loquitur in eadem re: *Contagiones etiam horruere Meretricum, nec horruerunt, tantum, aut temporarie ſubmoverunt, ſed penitus jam non eſſe fecerunt, ac deinceps. Quod iſti utique ſcientes, ſic impudicitiam ſubmoverunt, quod impudicas conſervaverunt, non interficientes mulierculas infelices, ne vitiorum curam crudelitate reſpergerent, & dum peccata auferre cuperent, ipſi in peccatorum reſecatione peccarent. Sed ita errantes emendaverunt, ut factum eorum medicina eſſet, pœna non eſſet: juſſerunt ſiquidem, & compulerunt, omnes ad maritalem thorum tranſire Meretrices. Scorta in connubia verterunt.* Simile quid de ſcortis ejectis lupanari, eoque in Xenonem peregrinorum verſo, à Theophilo, Byzantino Cæſare, eximioque in politicis juſtitiæ cultore, commemorat Cedrenus *in ejus vita.*

13 Succedat potius Maſſilienſis Salviani ſententiæ, de Gotthis, Vandaliſque flagellandæ Hiſpanorum impudicitiæ, divinitus immiſſis, gemella pene auctoritas Bonifacii Martyris *in Epiſtola ad Anglorum Regem*, quæ apud Gratianum *in cap. ſi gens Anglorum, 56. diſtinct.* dum ſcribit gentibus Hiſpaniæ, ipſiſque Gotho-Hiſpanis in luxum, meretriciamque libidinem degenerantibus, omnipotentem Judicem Deum, ultrices talium criminum pœnas per ignorantes legem Dei Sarracenos venire, ſævireque permiſiſſe. Adſtipulatur ex noſtratibus hiſtoricis Lucas Tudenſis, venerandæ fidei, & antiquitatis ſcriptor, qui recenſitis Witizæ Regis flagitiis, & ejuſdem exemplo, Gotthorum gentis ad libidinem, & execrandam a Romana Eccleſia apoſtaſiam converſæ, probris, ſubjungit: *Iſtud quidem pereundi cauſa Hiſpaniæ fuit, ſicut ſcriptum eſt: abundavit iniquitas, refrigeſcit caritas multorum;* novioribus Ambroſ. Morales *lib. 12. Chron. cap. 65.* Joann. Mariana *lib. 6. cap. 19.*

Quin & *Sanctorum Regum*, ut conſtitutio Regia 14 loquitur, in lupanarium, & luparum uſu exturbando, ne interim Conſtantini Magni meminerim, atque utriuſque Theodoſii, ex Hiſpania, aut Hiſpana gente Cæſarum, quos foveas illas, & libidinum quaſi retia, quatenus per mores, temporaque potuerunt, obſtruxiſſe, excidiſſeque, ſupra oſtendimus, *cap.* 35. illuſtria exempla ſunt, vel in duobus clariſſimis. Alter eſt Ludovicus Sanctus, Francorum Rex, qui præterquamquod hiſtriones, & paraſitos aula exegit, auctore Paulo Æmilio *in ejus vita*, Meretrices etiam & lupanaria, omni Regno ſuo pepulit, & evertit, ut ex Annalibus Gallorum monent Genebrardus *lib. 4. Chron. anno Chriſti* 1261. Joann. Chokier *in Theſaur. Aphoriſm. Polit. lib. 5. cap. 19. in exemplis, §. 2. num.* 2. aut ab Urbibus ſaltem ſegregavit, ut poſt Guillelmum Benedictum, monet Petr. Rebuſ. *de Privileg. Scholar Privileg.* 10. *n. 6.* Alter Alphonſus Aragoniæ, & utriuſque Siciliæ Rex, cognomento Magnanimus, à quo vetita lupanaria, & ſcorta, teſtatur Anton. Panormit. *l. de Geſt. & fact. Alphonſi cap. 61.* Æneas Silvius *in dicta, & facta Alphonſ. Arag. Reg. lib. 1. d. cap. 61.*

Quibus adjungo volens vetuſtiorum Eccleſiæ Pa- 15 trum auctoramenta, contra eaſdem libidinis officinas, earumque damnatum uſum, & originem. Quippe Diabolo adverſario noſtro, originem adſcribit Lactantius *lib. 6. de Vero Cultu, cap.* 23. Veneri idem Lactantius *lib. 1. Divin. Inſtit. cap.* 17. & Deorum cultoribus, dilectoribuſque, ipſorumque in ſceleribus, & flagitiis imitatoribus, Auguſtin. *lib. 2. de Civit. Dei, cap.* 20. & Cæſari, Papinianoque, non Chriſto, aut Paulo Apoſtolo, Hieronym. *ad Oceanum in Epitaph. Fabiolæ.* De uſu vero damnato idem Hieronym. *lib. 1. adverſ. Jovin. Non hic lupanaria condemnantur, de quorum damnatione nulla dubitatio.* Tertull. *lib. de Anima, cap. 27. Concubitum libido, non conditio fœdavit. Exceſſus, non ſtatus eſt impudicus. Siquidem benedictus ſtatus apud Deum: creſcite, & in multitudinem proficite. Exceſſus vero maledictus, adulteria, & ſtupra, & lupanaria.* Ut proinde appareat, quam ſancte, & politice Auguſtiſſimus Philippus noſter, Gothorum, Vandalorumque Imperii, Conſtantini, & Theodoſii utriuſque pietatis, Ludovici, & Alphonſi morum, & ſanguinis juſtus hæres, & Chriſtianæ purioris diſciplinæ deſtina, publicas has ephebias in Hiſpania, pragmatica ſanctione ſubſtulerit. Vivat ô, & habeat ſæculum, quem moribus opponat.

C A P U T   X X X V I I.

De Lupanaribus, ſicubi tolerentur, eliminandis extra Urbium muros: & de oblationibus ex Meretricum quæſtu, aut earum, lenonumve tributis, aliiſque id genus ignominiæ notis.

A R G U M E N T U M.

ROmæ *olim vix præcautum, ut lupanaria extra* Urbem *ſtarent. Summænianæ Meretrices, quæ? Præcautum tamen, & proſpectum, ut Matronæ, virgineſque abſtinerent à viſu Meretricum, quæ vel à viſu Magiſtratuum arcebantur per lictores. Illuſtratæ* Ezechielis S. *querelæ de lupanaribus in plateis. Morales ſimilitudines de vitando contagio. Emendatus ex* Cicerone Ambroſii *textus.* S. Pii Quinti, *in re, ſancta cautio. Meretriculas, honeſtioribus vicinis petentibus, pelli è vicinia, vulgatæ praxis eſt. Non diſſimilis documenti fuit præceptio* Moſis Deutoron. cap. 23. *de non admittenda in ſacrario oblatione ex mercede Meretricis, ſicut nec ex pretio*

 canis,

canis. Utriuſque ratio, & ſenſus ex Patribus; *& quoad Meretrices, propria illa, ne in* Hebræos *irreperet* Gentilium *ſcortorum mos, offerendi* Idolis *ſuis ſtipes ex meretricio, de quo non pauca electa, & intellecti* Prophetarum *loci*, Michæi cap. 1. Baruch cap. 6. *Scortatio frequens in templis illis, & in lucis, habitis pro ſacris, eoque relata* Ieremiæ *verba* cap. 1. *Quin & relata ad* Deuter. illud cap. 23. Eccleſiæ *lex apud* Clementem Romanum, *cujus de uſu*, Angelicus Thomas, *& noviores. Deinde nec diſſimilis improbatio vectigalis ex meretricio, & lenocinio. Exactum id jam inde à* Caligula Romæ, *& illatum in ærarium exterius ſub* Alexandro Severo, *atque ita expoſita, & contra* Salmaſium *defenſa* Lampridii *lectio. Non diſpar ab eo vectigali*, Chryſargyrum, *ſive auri, argentique collatio, quæ & luſtralis à luſtro, ſeu quadriennio*, (*quod idem eſt, prænotante* Nebriſſenſi *noſtro, & cæcutiente* ad Evagrium Pancirola) *eique luſtrali collationi, indita, & quæ ex meretricio, ſeu lenocinio. Aſt, ut præindicavimus, improbata hæc, & ſubluta* Theodoſii Novella de lenonibus; *quæ, & alia* Anaſtaſii, *illuſtrantur ex ſimili* lege Hebræorum, *de tributo non colligendo ex meretricio*, Deuteron. cap. 23. *& reprobata fere in univerſum, apud* Chriſtianos. *Conſectaneum infamiæ Meretricum eſt illud* ex d. cap. 23. Deuteron. *ne* Manzer *ingrediatur in* Eccleſiam. Manzer, *qui, & unde dictus. Probibitio, ducta ex infamia matris Meretricis, ſicut illa apud* Græcos, *ne concionetur. Famoſæ, ſive non bonæ famæ appellatio, veluti antonomaſtice propria Meretricis*, ut in l. 2. §. 4. D. ad S. C. Tertyl. & alibi ſæpe.

1 Superioris diſputationis de lupanarium uſu, & tolerantia, & meretricii quæſtus infamia, & turpitudine, veluti corollaria ſunt, quæ ſequuntur. Primum eſt, publica lupanaria, quibus locis, & quatenus tolerantur, vel privata etiam ſcorta, famoſa vulgo, & quæſtuaria, vel extra urbium muros ejici, & collocari debere, vel intra urbes, nonniſi certis locis, ab honeſtiorum fœminarum convictu, & cohabitatione ſeparatis, permitti. Neutrum quidem ſatis caviſſe vetus Romana eunomia, videtur, cum vel Breviarium perantiquum urbis Romæ, in ea, recenſeat lupanaria 45. nec modo intra pomerii metas, aut extra urbis muros, ubi quæ proſtabant ſcorta, extramurana dicuntur Lampridio in *Heliogab.* nec dumtaxat ſecreti in littoris acta, & alibi Prudentius 1. *contra Symmachum*; ſed vel in ipſo urbis meditullio, celebrioribuſque ejus Regionibus, & locis, veluti circo, theatro, ſtadio, biviis, & angiportis, conſtet proſtibulorum mercatum, & eorum cellas, januas, titulos paſſim fuiſſe. Nam quod ſummœni fornix pro lupanari, & Meretrices ipſæ nominantur uxores ſummœnianæ Martiali *lib.* 1. *Epigr.* 35. *lib.* 3. *Epigr.* 81. *lib.* 11. *Epigr.* 62. *lib.* 12. *Epigr.* 32. (ne ut Domitio, & alius Martialis Scholiaſtis juventuti etiam imponat) moneo, referri proprie magis debere, non ad certum aliquem locum lupanaribus in pomerio, & ſub urbis mœnibus deſignatum, ſed ad ſaburram illam in prioribus urbis regionibus celebrem ſtationem libidinis, & Meretricum, ut notavimus ſupra *cap.* 36. quæ quis nec procul ab urbis mœnibus, & ſuberat ea ipſa terreo muro, ut M. Varro ſcribit 4. *de lingua Latina*, ſubmœni, & ſummœniarum nominibus anſam fortaſſe præbuit.

2 Sed quamvis, ut propoſui, morum corruptione, & contagio, ſubmotis extra mœnia ſcortis, & lupanaribus, non uſquequaque occurſum priſcis Romanis legibus, quas ſcilicet in re iſta, ut in aliis mali mores in poteſtatem ſuam perduxerant, agnoverunt tamen hoc ipſum contagii, & corruptionis, ex convictu Meretricum, periculum, eique obviam iri oportere, cenſuerunt, vel ex ipſis Romanis graviores, honeſtioreſque. Idque, ne interim memorem, quantopere vulgarium, famoſarumque fœminarum colloquio, conſortio, viſu abſtinuerint Matronæ; virgineſque Romanæ, ut colligere eſt ex Cicerone *lib.* 2. *de Oratore.* & 2. *de finib. bon. & mal. & Orat.* 5. in *Verrem.* Valer. Max. *lib.* 6. *cap.* 3. *de ſeverit.* §. 11. præſertim vero ex more ſubmovendæ à lictore Meretricis ante Veſtales virgines, ut obſervarunt alii jam ex controverſia Senecæ 2. *&* 25. *lib* 4. & ante Imperatores, & Magiſtratus, ut ex Ambroſio didici in *Pſalm.* 118. ibi: *Turpes lenonum, meretricumque perſonæ, à conſpectu, vel judicis, vel Imperatoris arcentur, ne turpiſſimorum viſus offendat vultus Regii claritatem.* Firmat eximie, præ aliis, Vitruvius Pollio *lib.* 1. *de Architect. cap. ult.* ibi: *Id autem etiam Hetruſcis aruſpicibus, diſciplinarum ſcriptis, ita eſt dedicatum, extra murum Veneris, Vulcani, Martis ſana ideo collocari, uti non inſueſcat in Urbe, adoleſcentibus, ſeu matribus ſamiliarum, venerea libido, Vulcanique*; & deinceps. Senex ille, apud Plautum *in Epidico, actu* 3. *ſcena* 3. ubi de meretricula, ita:

> ------ *Cave ſiris cum filia*
> *Mea copulari hanc, neque conſpicere, jam tenes?*
> *In ædiculam iſtum ſeorſim concludi, volo.*
> *Divertunt mores virgini longe, ac lupæ.*

Nec abſimilis exclamatio illa, apud Terentium *in Adelphis*:

> -----*Prob Divum Fidem!*
> *Meretrix, & mater familias erit una in domo.*

Quintilian. *Declamat.* 3. 34. de redempta Meretrice, & in domum ducta. *Utrum igitur dicis, non eſſe deforme, non eſſe inutile, Meretricem domi habere? Cuicumque mortalium grave erat, domi habere Meretricem. Hoc nomen ſuo loco tantum fortaſſe deforme eſt: tranſlatum in domum etiam periculoſum.*

Atque illuſtrandus proprie ex his ſacer vates Ezechiel. *cap.* 16. dum ultra lupanarium extructionem, proſtitutionemque, exprobrat Iſraëliticæ Synagogæ, tamquam auctarium ſceleris, ut agnoſcit D. Hieron. *lib.* 4. *in Ezechielem* ibi, extructa ea lupanaria in plateis, & viarum capitibus. *Et accidit*, inquit, *poſt omnem malitiam tuam* (*væ væ tibi, ait Dominus Deus*) *& ædificaſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis. Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ*; & paulo poſtea. *Quia fabricaſti lupanar tuum in capite omnis viæ, & excelſum tuum feciſti in omni platea*, præter jus ſcilicet, moremque honeſtiorem, quem vel Hebraïca dialectos exprimit, dum 4. *Regum cap.* 23. & alibi ſæpe ſcorta ipſa vocat, *cadeſchim*, hoc eſt, ſeparata, ſeu ſegreganda in abditiores urbium locos, teſte Hieronymo Oleaſtro *ad Deuteron. cap.* 23. *& Geneſ.* 38. 3

Accedunt, confirmandæ ſeparationi huic luparum, lupanariumque, gravia, propriaque exempla. Nempe & magiſter pecoris, ne unius pecudis totus grex cadat ſcabie, & porrigine, ſegregatione morbidi capitis, contagio præcavet; ſic & ex diſciplina vinaria vetere, *intervalla doliis dantur, ne inter ſe vitia ſerpant, contagione vini ſemper ocyſſima*, ut omniſcius ille Plinius prodidit *lib.* 14. *Nat. Hiſt. cap.* 21. *& ut in ædificiis architecti avertunt ab oculis, & naribus dominorum ea, quæ profluentia neceſſario tetri eſſent aliquid habitura, ſic natura res ſimiles* (in humani corporis fabrica) *procul amandavit à ſenſibus*, ut eleganter Cicero 2. *de Natura Deorum, & tamquam in ipſa amandavit, & abſcondit corpore*, ſic enim lego, non *emendavit*, apud Ambroſium Ciceronis illud ſubæmulantem, *lib.* 1. *Offic. c.* 18. Quidni & in urbibus Gubernator, vilia illa, & vitioſa ſcortorum capita, infecta, & fœculenta Veneris dolia, cloacas veluti, & latrinas publicarum libidinum, & ut Plautus indigitat *actu* 3. *ſcena* 1. in Bacchio, *lutulentum cœnum*, ſive ut Catullus *Epigr.* 3. *Lutum lupanar*, ne teterrimi nidoris labes ſanis ſobriiſque noceat, procul eliminet? An ignoramus, ſancte olim ſacra lege Moſaïca, munditiæ, & honeſtati caſtrorum proſpectum, dum præcipitur, leproſos, aut alioquin nocturno ſomno immundos, & pollutos de caſtris ejici, donec mundentur, ne ea cohabitantes contaminent, *ſed ſancta coram Domino ſint, & nihil in eis appareat fœditatis*, ut ſcriptum eſt Numeror. 4

cap.

cap. 5. Deuter. *cap.* 23. An quod, ut Chriſtus Dominus docet, Matth. *cap.* 6. *Si oculus fuerit nequam, totum corpus tenebroſum erit?* An denique neſcimus, *quia*, ut Apoſtolus loquitur 1. *ad Corinth. cap.* 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Quamvis & ut Salvianus his in eamdem rem teſtimoniis utens *lib.* 7. *Non modicum de hoc malo, ſed nimis bene dicam, non quia molles plurimi fuerint, ſed quia mollities paucorum labes eſt plurimorum. Nam etſi pauci ſint, qui dedecoroſa ſuſtineant, multi tamen ſunt, qui paucorum ſordibus polluantur.* Cur itaque Militantis Eccleſiæ caſtra, Reipublicæ oculos, & conſpectum, ſinceritatis, veritatiſque azyma, confinio turpitudinis fœdari, pollui, & veluti offuſcari, patiamur? Ac non potius expurgetur vetus fermentum, ut ſit fidelium nova conſperſio, ſicut & azymi ſunt, ex Apoſtoli verbo *d* 1. *ad Corinth. cap.* 5.

5 Prudenter igitur, politiceque Tacitus Cæſar *meritoria* (hoc eſt vel Meretrices, vel loca ubi mererent) *intra Urbem ſtare vetuit, quod quidem diu tenere non potuit*, Vopiſco in *ejus vita* auctore. Idque poſtea ſecutus, executuſque eſt ſancte, & honeſte curato ulcere, quod recruduerat, illuſtre illud Romanorum Antiſtitum decus, Sanctus Pius V. P. M. qui publica omnia ſcorta ad certas Romæ ſedes, & vicos compulit, & coëgit, eiſdem etiam per Urbem vagari vetitis, ut memorant noviores hiſtorici *in ejus vita*, & ex noſtris Anton. Fuenmayor. *lib.* 2. atque ita, quatenus per tempora licuit, repreſſit, fecitque ſatis pluſquam cenſoriæ in Romam, in ea re, objurgationi Claudii Spencæi *lib.* 3. *de Continent. cap.* 4.

6 Sane, & inter noſtrates juris interpretes, & doctores ſatis obtinuit, & lupanaria, ſi quæ fuerint, extra oppidorum muros ædificari, & meretriculas, aliaſque fœminas vulgati corporis, honeſtioribus vicinis petentibus, ejici è vicinia poſſe, & debere, argumento *ex Novella* Juſtiniani 14. *de lenonibus*, *l.* 2. *tit.* 22. *part.* 7. ac ne *in illo honeſto liceat, inhoneſtos adnotare perſonas*, contra *l. ſi qua* 14. *Cod. de ſpectac. lib.* 11. ſive ne immundo fimo ſorditatis fluentis publici inceſtentur oculi, ut loquitur *militaris Romana*, *l. cum ſupra* 12. *Cod. de re milit. lib.* 12. cui concinit Moſaïca ſimilis Deuteron. *cap.* 23. Notant ex Claſſicis Baldus, Caſtrenſis, & alii *in l.* 2. *Cod. de ſumma Trinit. & in l. Mimæ* 4. *Cod. de Epiſcop. & Cler.* Pennenſis, & Jacob. Rebuf. *in d. l. ſi qua* 4. *Cod. de ſpectac. lib.* 11. Platea *in dict. l. cum ſupra* 12. *Cod. de re milit. lib.* 12. Ripa *de Peſte tit. de remed. præſervat. num.* 164. Greg. Lopez *in l.* 14. *gloſ.* 2. *tit.* 10. *part.* 5. Pichard. *in §. Juris præcepta, num.* 20. *Inſtit. de juſtitia, & jure*, poſt plures, Petr. Plaza in *Epitome delict. cap.* 34. *n.* 10. Avendano *de Exeq. mand. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 3. & 7. Menoch. *de Arbitr. Caſu* 78. *n.* 11. & *caſu* 328. *num.* 14. & *caſu* 535. *ex num.* 15. Maſcard. *de Probat. concluſ.* 1067. *num.* 8. Cened. *Collectan. ad Decretales* 140. *num.* 4. Rebuffus *de Privileg. Scholar. privileg.* 20. *num.* 6. Bobadill. *lib.* 2. *Politicæ, cap.* 13. *num.* 40. Gratianus *Diſcept. for. cap.* 131. *numer.* 20. & *cap.* 962. *n.* 19. Plura & ex pluribus deſcribens Garonius *ad Conſtit. Mediol. lib.* 4. *tit.* 15. *art.* 15. Joann. M. Novarius *ad Pragm.* 3. *Neapol. de Meretricib.* Petr. Greg. *lib.* 10. *Syntagm. cap.* 2. *num.* 37. Langlæus *lib.* 8. *Semeſtr. cap.* 8. Joann. Marquez *in Gubernatore*, *lib.* 1. *cap.* 29. §. 3. *ad finem.* Petr. Hurtado de Mendoza *de Spe, & Carit. diſput.* 173. *ſect.* 30. §. 392. Henricus Salmuth, Auctor Damnatus, *in Comment. ad memorab. Pancirolæ*, 1. *part. tit.* 45. *pag. mihi* 204.

7 Secundum notæ ejuſdem, & exoſi, improbatique lupanarium quæſtus, & uſus corollarium, ſive argumentum eſt, in participatione, & ſocietate meretricii lucri, à qua abſtinuerunt abhorrueruntque ſemper ſanctiores mores, & jura, id, quod cernere in duobus licet, oblatione ex mercede proſtibulorum in ſacrarium, & tributo, vectigalive meretricio in publicum, repudiſtis. Atque ut de priore prius, ſacræ legumlationis Moſis, præceptio ſiſit jam olim illa, Deuteronomii *cap.* 23. *Non offeret mercedem proſtibuli, nec pretium canis, in domo Domini Dei tui, quidquid illud eſt, quod voveris, quia abominatio eſt utrumque apud Dominum Deum tuum.* Quo præcepto eſt proſpectum ſacrorum reverentiæ, & decori. Nam ſi, ut Tertul. ſcribit *de Habit. Mul. cap.* 2. *Mercedes pro libidine; nullius rei turpis merces decora eſt*, & ut Joſephus 4. *Antiquit. cap.* 6. *Nunquam ex his, quæ de contumelia procedunt, divinitas delectatur*, quanto minus *ſi manus, quæ Diis datura erat ſacra, capturas tulit*, ut eleganter Pius, apud Senecam plura in ſimili re, & in eamdem ſententiam, ex aliis conſerentem, *lib.* 1. *Controv.* 2. quin imo pollueretur, & contaminaretur quodammodo, flagitioſi, & obſcœni quæſtus communicatione, aut partitione *pretii canis*, animalis præ cæteris impuri, & impudentis (unde & canes impudicis junguntur, Apocalypſis *cap.* 22. & ſcorta ipſa, ſuburranæ canes vocantur Horatio *Epodon od.* 5.) quamvis alii alio trahant; plura tamen ea de re Tiraquel. *in l.* 9. *Connub. num.* 183. & *in l.* 15. *num.* 159. P. Joann. de Torres *de Philoſoph. Mor. Princip. lib.* 15. *cap.* 2. Martinus Roa *lib.* 3. *Singular. locor. cap.* 13. *ad finem.* Simulque, ne meretricis ars, & profeſſio, tantopere improbata, & prohibita eodem Deuteron. *cap.* 23. oblatione, donariiſve expiari, aut à Sacerdotibus eo prætextu tolerari poſſe, videretur, docent veteres Eccleſiæ Patres Auguſtin. *quæſt.* 38. *in Deuteron.* Hieronym. *ad illud Iſaiæ, cap.* 66. *Qui mactat pecus, quaſi qui excerebrat canem.* Nazianzenus *Orat.* 3. Thomas Aquinaſ. 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 3. *ad* 7. & 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 7. *ad* 2. Bonaventura *in* 4. *diſtinct.* 15. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *ad argument.* ex Hebræis Joſephus *lib.* 4. *Antiquit. cap.* 6. Philo 2. *de Monar.* & egregie, ex profeſſoque, *libello*, quem inſcripſit, *de Capturis Meretricum in ſacrarium non admittendis*; & poſt Lyranum, Abulenſemque ex novioribus pro multis, unus P. Joannes Lorinus 2. *tom Comment. in Deuteron. cap.* 32. *verſu.* 18.

8 Illud non prætermiſerim, reſpexiſſe ſacram eam legem, & improbaſſe ſimul, ne in Hebræos contagio ſerperet, morem ſpurciſſimum finitimarum gentium, apud quos, virgines, fœminæve innuptæ, in fanis Veneris, aut juxta ea proſtare, ſtipemque, ex meretricio quæſitam, idolis ipſis, deſubriſque conferre ſolitæ, digna numinum talium donaris, ut de Babyloniis, Cypriis, Phœnicibus, Libani montis accolis, ex Herodoto *lib.* 1. Clemente Alexandrino *in Parœneſi*, Arnobio *lib.* 5. & 6. *adverſ. gent.* Auguſtino *lib.* 4. *de Civitat. Dei, cap.* 10. probat, magnum Cordubæ ſuæ, maxime in eloquentia Hiſpana ornamentum, P. Martinus de Roa *lib.* 3. *Singular. Locor. cap.* 12. & 13. & ex aliis etiam gentibus, Ludovicus Vives *ad Auguſtin. d. lib.* 4. *de Civitat. cap.* 10. Tiraquel. *ad Alexand. ab Alex. lib.* 1. *dier. genial. cap.* 24. Thomas Bozius *de Signis Eccleſ. l.* 2. *cap.* 10. *num.* 4. docte noſter Sherlogus in 2. quem parat, *Commentariorum tomo in Cantica, veſtig.* 8. *num.* 25.

9 Quibus utique, ne addam interim Corinthiorum ſimilia exempla, de queis laudati ſupra *cap.* 32. & Bybliorum in Phœnicia ad Libanum, quorum fœminæ quotannis, *die una, quæſtui corporis proſtant, merceſque inde Veneris ſacris datur*, ut Lucianus ſcribit *in Dea Syria*, non poſſum, non adjicere Gregorium Nazianz. *Orat.* 1. *in Julianum.* Sozomenum *lib.* 5. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 9. & *lib.* 1. *cap.* 8. Nicephor. Callixtum *lib.* 7. *cap.* 46. & *lib.* 10. *cap.* 9. ubi de impuro hoc more Heliopolitanorum in Phœnicia ad Libanum, à Conſtantino Magno lege ſublato, qui tamen poſtea ſub Juliano recruduit, cum contumelia ſacratarum Deo Virginum. Certe ad hunc ipſum ritum proſtitutionis virginum, capturæque inde ad fana redeuntis, ejuſque execrationem, præter Deuteronomii *Canonem, dict. cap.* 23. ſcite ab eruditioribus referuntur, & illuſtrantur inde loci Michææ *cap.* 1. ibi: *Et omnia idola ejus ponam in perditionem, quia de mercedibus Meretricis congregata ſunt, & uſque ad mercedem Meretricis revertentur.* Jeremiæ

miæ in *Epiſtola*, quæ apud Baruch. *cap.* 6. ubi de auro ex coronis Idolorum, ita: *Dant autem ex ipſo proſtitutis, & Meretrices ornant, & iterum, cum receperint illud à Meretricibus, ornant Deos ſuos.*

10 Rurſuſque hoc reſpectu, aut eo ſaltem communi libidinis frequentis in templis, luciſque religioſis, ſic apud Tertul. *de Pudicit. cap.* 5. Idololatria loquitur: *Ego quidem ſæpiſſime mœchiæ occaſionem ſubminiſtro: ſciunt luci mei, montes, & vivæ aquæ, ipſaque in urbibus templa, quantum evertendæ pudicitiæ procuremus.* Diſerte Tertul. idem *in Apologet. cap.* 15. *Cæterum ſi adjiciam, quæ non minus conſcientiæ omnium recognoſcunt, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipſis plerumque Ædituorum, & Sacerdotum tabernaculis, ſub iiſdem vittis, & apicibus, & purpuris thure flagrante libidinem expungi; neſcio plus ne de vobis Dii veſtri, quam de Chriſtianis querantur.* Eadem fere Minut. Felix *in Octavio*: *Ubi autem magis à Sacerdotibus, quam inter aras, & delubra, conducuntur ſtupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? Frequentius denique in Ædituorum cellulis, quam in ipſis lupanaribus flagrans libido defungitur.* Jeremias cui vel ab iſto ritu proſtitutionis in lucis lux fœneranda, *cap.* 3. & 2. ibi: *In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo, tu proſternebaris Meretrix.*

11 Sed & illud idem Deuteronomii præceptum, de repudiata oblatione mercedis proſtibuli in domo Domini, repetitum, tranſlatumque eſt in Apoſtolicas Conſtitutiones, quibus Epiſcopi vetantur, oblationes Meretricum recipere, ut docet Clemens Romanus, ſive quis alius Auctor *Conſtitution. Apoſtol. lib.* 3. *cap.* 8. *lib.* 5. *cap.* 6. *vel* 8. *lib.* 6. *cap.* 27. Idque ſaltem quoad oblationem publicam in Eccleſia, rectiſſimo uſu, & jure deſendi, teſtantur Div. Thomas 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 3. *ad* 7. & 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 7. *ad* 2. Abulenſis *in Deuteronom. dict. cap.* 23. *quæſt.* 7. nec diſſentiunt Pontificii interpretes, poſt gloſſam *in cap. ex tranſmiſſa, verb. Liciti, de decimis, & in cap. oblationis*, 90. *diſt.* Gregor. Lopez per textum ibi *in l.* 10. *tit.* 19. *part.* 1. Domin. Soto *lib.* 9. *de Juſt. quæſt.* 3. *art.* 3. Paulus Fuſcus *de Viſit. lib.* 3. *cap.* 30. *num.* 17.

12 De altero vero illo, nempe tributo, aut vectigali ex meretricio quæſtu, monemus paucis, fuiſſe id Romano jure receptum, ac veluti legitimum, jam inde à Caligula, qui vectigal exegit, & collegit *ex capturis proſtitutarum, quantum quæque uno concubitu mereret, additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, quæ meretricium, quæve lenocinium feciſſent.* Suetonio Auctore *in ejus vita cap.* 40. idque deinceps in uſu fuiſſe, indicant ſatis Juſtinus Martyr, & Chriſtianus Philoſophus *in Apologet.* ubi inter alia Romanis exprobrat ſcortorum utriuſque ſexus multitudinem, unde, inquit, *mercedes, & tributa accipitis.* Tertul. *lib. de Fuga in perſecut. cap.* 18. ubi in matricibus tributariorum *inter aleones, & lenones, Chriſtianos quoque vectigales contineri*, ſcribit.

13 Propria hujus rei, & ſimul illuſtranda verba Lampridii *in Alexandro*, dum memorat, vetuiſſe Alexandrum, lenonum, & meretricum vectigal in ſacrum ærarium inſerri, & deputaſſe *ſumptibus publicis, ad inſtaurationem theatri, circi, amphitheatri, & ærarii.* Qui locus vapulat immerenter à ferula Salmaſii, reponentis, *Stadii*, pro, *ærarii*, quaſi ſcilicet commune nihil habeat ærarium cum theatro, & circo. Ego autem ſcio, & poſt Alexandrum, vectigal lenonum ab eo ſumptibus publicis ærarii deputatum, eiſdem utique, & ærario ſerviiſſe. Auctor Theodoſius *Novella ſua* 18. *de lenonibus*. ubi de vectigali iſto, ita: *Aut eorum turpiſſimo quæſtu ærarium videretur augeri*; & poſtea: *Tamen ne ullum ad ærarium incommodum perveniret.* Concinit ſimilis, eademve conſtitutio, quæ in Baſilicis extat *lib.* 60. *tit.* 38. concepta itidem de vectigali lenocinii ibi: *Nulluſque reditus inde largitionibus inferatur.* Largitiones dicuntur theſauri publici, ex tributis, vectigalibuſve collecti, & in publicam imperii arcam, ſive ærarium illati, deſtinatique publicis imperii ſumptibus, ſeu largitionibus, ut vel liquet *ex titulo Cod. de canone largit. titul. cum aliis.* Quin & *Chryſargyrum*, ſive auri, argentique collatio luſtralis a vectigali lenonum in hac parte effectu non diſpar, de qua poſtea, inſerebatur ærario, non tamen, ut conjector, publico, ſed privato, & fiſcali Cæſaris, ut indicatur *in Novella Theodoſii* 17. *de negotiator. l. à negotiatoribus* 17. *Cod Theodoſ. de luſtrali collat. & ſcriniis propriis, ſive privatis*, ἰδικοῖς σκρινίοις, ut Evagrius loquitur *lib.* 3. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 39. Conſtantinus Manaſſes in *Politic. de Zenone*, ubi de *Chryſargyro* ſic: *Unum ex argento numum præbebat ærario.* Ergo, quod ad Lampridii locum attinet, cum ærarii, etiam publici, non unus locus fuerit, ſed alterum ſecretius, ſanctiuſque ærarium (ſic vocabant) in imo, & penitiori Saturnii templi receſſu, ubi viceſimarium aurum, aliaque id genus, ad extremos Reipublicæ caſus, aſſervabantur, ut notatum aliis jam, ex Livio *lib.* 27. Cicerone *act.* 6. *in Verrem*, & *lib.* 7. *ad Atticum. epiſt.* 20. Cæſare *lib.* 1. *Bell. Civil.* L. Floro *lib.* 4. *cap.* 2. Lucano *lib.* 3. *Pharſal.* alterum vulgare, & exterius, in quo ordinaria tributa, & opes publicis, ordinariiſque imperii ſumptibus reponebantur; ea Alexandri ſententia fuit, ut lenonum, ſcortorumque vectigal in ſacrum illud ſanctiuſque ærarium inferri nollet, ſed deputaret ſumptibus publicis ærarii vulgaris, exterioriſque, quales inter cæteros fuerunt inſtauratio circi, theatri, & ſimilium locorum, & munera, ſive ſpectacula, ut vel ex eodem Lampridio *in Alexandro* licet colligere, & ex aliis, quos non moramur.

Porro ut inſinuare jam cœpi, fuit à tributo meretricii, & lenocinii, effectu, quoad hanc partem, 14
non diſpar *Chryſargyrum* illud, ſic dictum, quia χρυσοῦ καὶ ἀργύρου, hoc eſt, auri, & argenti erat penſitatio, unde & auraria functio, ſeu penſitatio vocatur *in l. ſinguli* 13. *l. omnes* 19. *Cod. Theodoſ. de luſtrali collat.* & negotiatorium aurum, quia negotiatorum, & negotiationis erat tributum, de quo proprie accipiendi ſunt (ſi Cujacio, & aliis credimus) & conjungendi *textus in l.* 1. *Cod. de commerc. & mercator. l.* 1. *Cod. de Epiſcop. Aud. l. negotiatores* 5. *Cod. Theodoſ. de luſtrali collat.* Denique & nuncupatur luſtralis auri collatio, *in l.* 11. & 18. *& paſſim, Cod. Theodoſ. de luſtral. collat.* quia ſolvebatur quadrienniis ſingulis, quod proprie tempus Latinis luſtrum dicitur (ut ante Cujacium, & Scaligerum, Nebriſſenſis noſter in *Quinquagena* 3. *cap.* 24. contra eruditorum plebem, monuit) Græcis, τετραετηρὶς, ſive τετραετία, qua voce in re hac utuntur, pro quadriennio, *lex* 2. *Cod. de navicular. lib.* 11. quam inibi *ſub titulo de luſtralis auri collatione*, ſupplet Cujacius, ex Baſilicis *lib.* 56. *tit.* 12. & Gregorius Cedrenus *in Anaſtaſio.* Zoſimus *lib.* 2. Nicephor. *libr.* 16. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 40. Evagr. *lib.* 3. *cap.* 39. *& ſequentibus*, apud quem in Latina verſione, contra Interpretis, & Græcanici textus fidem pro voce, *quadrienniis*, ſubſtituendum putat, *quinquenniis*, Guido Pancirola *lib.* 2. *Theſaur. var. lect. cap.* 172. quam recte, ſciteque, facile cuivis ex propoſitis cenſere eſt.

Jam vero hoc *Chryſargyrum*, ex varia mixtum tribu- 15
torum fece, veluti urinarii, plebeiæ, & animalium capitationis, auri negotiatorii, & ſimilium, ſucceſſiſſe etiam in locum veteris, ſpecialiſque tributi ex meretricio, & lenocinio, exactumque, non tantum à Meretricibus, quod perſpicue affirmant Zoſimus, Evagrius, Nicephorus, Cedrenus, Conſtantinus Manaſſes jam laudati, & Zonaras 3. *tom. Annal. in Anaſtaſio*, ſed etiam à lenonibus, tanquam negotiatoribus peſſimis, & corrumpendi pudoris commercium exercentibus, obſervo, firmoque, ne deinceps dubitetur, quaſi *Scriptorum nemo memoret*, & *Novella Theodoſii* 18. *de lenonibus*; ubi ſic de lenonum luſtrali collatione, quam fuiſſe eamdem cum *Chryſargyro*, ſupra docuimus: *Nam cum lenonum calliditate damnabili, circumventam veterum videret incuriam, ut ſub cujuſdam luſtralis præſtationis obtentu, corrumpen-*

di

di pudoris liceret exercere commercium. Plura alia de *Chryſargyri* origine, jure, & uſu, electe, & eleganter noſter D. Nicolaus de Caſtro, *Salmanticenſium Exercitationum*, *Prælect.* 1. *n.* 16. & 17. Diximus & nos obiter *de auro negotiatorio*, *ſive luſtrali*, in *Extemporanea Commentat. ad leg.* 2. *Cod. de excuſat. muner. lib.* 10. *n.* 14.

16 Nunc, ut in propoſito illo, de improbatione vectigalis ex meretricio, aut lenocinio, pergamus, monemus inſuper, *Chryſargyrum* illud, ſeu luſtrale tributum lenonum, ſublatum fuiſſe, quoad lenones, nobiliſſima Theodoſii *Novella*, cujus ſæpius meminimus, 18. *de lenonibus*, quæ fere eadem Conſtitutio, tametſi varie aucta, ex Baſilicon *lib.* 60. *tit.* 38. ſuppletur à Cujacio, & aliis, ad calcem *tituli de Spectaculis*, *lib.* 11. eſtque de vectigali lenocinii, non meretricii, ut ex Græco Aucthographo liquet, ſi verbum verbo reddas: *Nemo lenocinetur de reliquo*, *neque quæſtus inde largitionibus inferatur.* Aliæ vero *Chryſargyri* illationes, & tituli inter meretricium vectigal induruerunt, duraruntque uſque ad Anaſtaſium, quem, ut abolitorem impuri, & exitioſi vectigalis laudant juſto veluti panægyrico, poſt Evagrium, *d. lib.* 3. *cap.* 39. & *ſeq.* Conſtantinus Manaſſes, Nicephorus, Cedrenus, Zonaras ſupra; extantque ea de re in Baſilicis *lib.* 56. *titul.* 12. duæ Anaſtaſii ejuſdem, ut ſuſpicantur docti, Conſtitutiones, quas *ad titulum* 1. *libri.* 11. *Codicis*, ſupplendas eſſe, eum vulgo deſint, ſuadet ſatis poſterior illa pars *Rubricæ*: *Et de tollenda luſtralis auri collatione.*

17 Quin & novi hujus juris, maxime quoad abolitionem *Chryſargyri* ex meretricio, aut lenocinio, ſanctæ, ſeriæque cauſæ proponuntur. *dict. Novella* 18. Theodoſii *de lenonibus*, ne ſcilicet *ſub tributi obtentu*, *corrumpendi pudoris licere videretur exercere commercium*, & *injuriam ſui*, *ipſam quodammodo ignaram cohibere Rempublicam*, *aut lenonum turpiſſimo quæſtu ærarium augeri.* Quæ ſingula, præterquam quod expendunt itidem Evagrius, & Nicephorus, firmat egregie exemplum Reipublicæ Hebræorum, apud quos improbatum, ex meretricio, aut lenocinio tributum demonſtrant non obſcure Cyrillus Alexandrinus 15. *de Adorat.* Theodoretus *quæſt.* 28. *in Deuteron. cap* 23. dum ex eo caput hoc recitant: *Non erit vectigal colligens de filiabus Iſraël*, & *non erit vectigal pendens de filiis Iſraël.* Teleſphori enim, & Teluſcomeni, ſi non à Teletis, ſive conſecrationibus theurgicis, de queis Auguſtin. *lib.* 4. *de Civit. cap.* 32. & *lib.* 10. *cap.* 9. ſed ἀπὸ τῦ τέλους, ſeu vectigali derivemus, ſunt qui tributa, mercedeſve, ex impudicitia colligunt, penduntve, ut interpretatur Cyrillus *ubi proxime*; quomodo, & Tertul. *de Pudicitia cap.* 9. *Legat*, inquit, *Deuteronomium*: *Non erit vectigal pendens ex filiis Iſraël.*

18 Maneat itaque, quod & ſupra poſuimus, abſtinuiſſe, & abhorruiſſe ſemper ſanctiores mores, & jura, à partitione, ſeu participatione turpis quæſtus, idcircoque & à vectigali ex meretricio, aut lenocinio, quale Athenis, πορνικὸν τέλος, de quo Æſchines *Orat. contra Timarchum*, quale & ætate noſtra Neapolitanæ Meretrices pendunt, pendebant, (& noviſſime abolitum, referente Joanne Bapt. Thoro *in Supplement. deciſ. compendii*, *verbo*, *Gabella*) deſignatum, Alexandri Severi exemplo, inſtaurationi, ſumptibuſque publicarum Triremium; quale denique, aut ſpecies ejus quædam in Hiſpania fuit, eum lupanarium mancipes, & magiſtri, eas impudicitiæ officinas, duplo, aut triplo amplius, quam valerent, conducerent, lucrumque inde redactum, vel civitatum ſumptibus publicis, vel privato alicui cederet, cui jus id indultum.

19 Utrumque ſit, tale utique vectigal, tributumve meretricium, improbari in univerſum jure Juſtinianeo, *ex dict. l. ult. Cod. de ſpectac. lib.* 11. *dict. Novell.* Theodoſii 18 *de lenon.* quin & Chriſtianis moribus turpe, inhoneſtumque eſſe, prænotavit, neſandum vocans, Angelus *in Authent de lenonib. in princ.* Martin. Navar. in *Enchiridio Latino*, *cap.* 17. *num.* 195. *in fine*, Greg. Lopez *in l.* 2. *gloſ.* a. *tit.* 22. *part.* 7. Octavian. Veſtr. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 3. & *ibi* Gravat. *in Addition. num.* 6. diſerte P. Joan: Marianus *Opuſc. cap.* 3. *de ſpectacul. cap.* 17. Petr. Gregor. *de Republ. lib.* 3. *cap.* 5. P. Hurtado de Mendoça *de Spe*, & *Carit. diſp.* 173. *ſect.* 30. *cap.* 391. & *ſeq.* Clariſſimus Baronius *in Annalibus*, *anno Chriſti*. 330. & 491. Lipſius *lib.* 2. *de Magnitud. Rom. cap.* 6. Briſſon. *de Jure Connubior. pag. mihi* 30: Pancirola *lib.* 2. *Theſ. var. lect. cap.* 172. & *lib.* 3. *cap.* 31. §. *De quadrageſima litium.* Ludov. Dorleans *in Tacitum* 2. *Annal. pag.* 318. Guillelm. Forner. *lib.* 3. *Selection. cap.* 21. Bulenger. *lib.* 9. *de Imperio Romano cap.* 38. & 49. & 45. ubi *de Chryſargyro*, de quo &, præter adductos, Jacob. Guther. *de Offic. Domus Auguſtæ lib.* 3. *cap.* 18. & 23.

20 Sint & veluti corollaria, & præcedentibus accedant, leviores quædam ejuſdem meretriciæ ignominiæ apud veteres, volæ, & veſtigia. Tale in primis illud, de infamia meretriciæ ſobolis, Deuteronomii *cap.* 23. *Non ingredietur Mamzer*, *hoc eſt*, *de ſcorto natus*, *in Eccleſiam Domini*, *uſque ad decimam generationem*, ubi *Mamzerem*, ut vulgatus interpres, ἐκ πορνῆς, ſive ἐκ πορνείας, *de ſcorto*, *aut ſcortatione* ſuſceptum exponit Thodoretus *quæſt.* 25. Origo vocis, quamvis ex Latinis, *Manes*, & *ſcelus*, derivare eam, nitantur Concinnatores veteres ſeptempartiti juris Regii *in l.* 1. *tit.* 15. *part.* 4. (& ſane argute magis, quam erudite, aut vere, quod ætatis vitium fuit, non hominum) eſt tamen tota Hebraica, à verbo *Zara*, vel *Zur*, quod eſt, *alienare*, *diſpergere*, aut *ſeparare*, ut probat pluribus P. Lorinus *in Deuteron. dict. cap.* 23. *verſ.* 2. Gaſpar Sanctius, & alii *ad Zachariam cap.* 9. *verſu* 6. Covarruv. *in Hiſpanæ linguæ Theſ. verbo Mamzer.* Cerda *in Adverſar. Sacr. cap.* 77. *num.* 6. Noviſſime poſt alios de ejuſdem vocis etymo, Hiſpanæ hiſtoriæ, antiquitatiſque bene ſciens, D. Thomas Tamayo de Vargas *in Chronicon Luitprandi*, ſive *Eutrandi*, *pag. notarum mihi* 123. &, laudato Præſide noſtro Covarr. Joannes Seldenus *de Succeſſ. Hebr. cap.* 3.

21 Prohibitionis autem, relatæ ab Innocentio III. nobili illa *Decretali*. *Per venerabilem* 13. *in finem*, *qui filii ſint legit.* juncto *cap. niſi* 10. §. *inde patet*, *de renunc.* queis, & aliis ornandis, quæ præceſſere, & quæ ſequuntur, ſervient & tuendis contra audentem cenſuram Connani 2. *Commentar. cap.* 16. ingrediendi in Eccleſiam ratio, tametſi propria quædam Hebræis, eſſe potuit odium, periculumque idololatriæ, in quam non ſemel eos meretricia blandimenta, & complexus præcipites egerant, & egerunt, ut liquet ex Numer. *c.* 25. & Machabæor. 2. *cap.* 6. Unde & Meretrix eſſe dicitur, quæ Deos fecit, Ambroſio *lib.* 1. *de Virginibus*; & Civitatem infamatam *lupanaribus*, *id eſt*, *idolorum templis*, indigitat Eccleſiam gentium ante Chriſtum; Petrus Chryſolog. *Serm.* 95. & idololatras, quia verum Deum neſcientes, inter multos falſos cæcutiunt, figurate appellari, ex ſcorto natos, neque eſſe abſimiles Mamzeribus, qui ſine certo patre, inter incertos multos vacillant, docet eximie in hanc ſententiam, Philo Judæus *libro de victimas offerentibus*, & *libro de confuſione linguarum.*

22 Fuit tamen & communis alia aliis gentibus, nempe nota, ignominiaque meretriciæ ſobolis, ob quam, & apud Græcos ſimilis lex, de Meretricum filiis non admittendis ad Rempublicam, vel concionem (*concio* autem Latinis ejuſdem fere cum Eccleſia Græcis ſignificationis vox) *Ex Meretrice natus ne concionetur*, ait noſter Quintilianus *lib.* 7. *Inſtitut. Orator. cap.* 6. & generaliter de meretriciis, lex apud Athenienſes, ἑταιρικὸς μὴ πολιτεύεσθαι, ut ait Demoſthenes *Orat. contra Androt.* ubi & Libanius *in Argumento.* Æſchines *Orat. contra Timarch.* declamatores ſic exprimunt apud M. Senecam *lib.* 5. *Controv.* 6. *in Epitomis.* *Impudicus concione prohibeatur.* Et alluſit Catullus forſitan *in Epithalamio Juliæ*, & *Mallii*, dum inter alias Hymenæi, & Nuptiarum laudes, ita:

Quæ tuis careat ſacris
Non queat dare præſides
Terra finibus; at queat
Te volente: quis huic Deo
Compararier auſit?

Eleganter de Meretricis filio, Calpurn. Flaccus *Declamat.* 30. *in quo puero, neſcio, quid ſit indignius, utrum patris origo, quod eſt dubia; an matris origo, quod certa eſt.* Quibus utique quoad jus concionandi, meretriciæ ſoboli ademptum, conjuogi, ut vel illuſtrent, vel illuſtrentur, poſſunt, *Canones* 1. *&* 2. Synodi Ancyranæ, dum Presbyteris, Diaconiſque lapſis in idololatriam (cujus quam frequens cum meretricio nomine, & nota conjunctio, ſæpius jam diximus, vel ex Tertulliano *de Pudicit. cap.* 5. & electe poſt alios, noſter Sherlogus *tomo* 2. *in Cantica, veſtig.* 8. *num.* 31.) tametſi poſtea pœnitentibus probibetur in Eccleſia, *ὁμιλεῖν, κηρύσσειν*, hoc eſt, *ſermocinari, & concionari.*

23 Denique eadem illa prohibitio ingrediendi in Eccleſiam, qooad Mamzeres (ut ſpurios, nothos, aliosque illegitimos taceam) firmatur Eccleſiaſtico noſtro jure *in cap. niſi cum pridem* 10. §. *perſonæ, de renunciat. cap. ult. de filiis Presbyteror.*

24 Ejuſdem generis, & meretriciæ notæ ex declamatorum legibus exempla ſunt indicanda, leviter tantum, quia leviora, illud ex Cicerone 2. *de Invent. Meretrix coronam auream ne habeto; ſi habuerit, publicæ eſto.* Cui ſimillima apud Hermogenem, *περὶ γασιῶν*, lex illa, *Meretrix ſi geſtet aurea* (coronam, ſcilicet, aut catenam) *publica eſto.*

25 Claudit jam opportune has legitimæ meretriciæ infamiæ reliquias, vetus noſtra obſervatio, qua ducente dicimus, ſamoſas proprie, & quaſi antonomaſtice, probis latii auctoribus, vocari fœminas meritorii corporis, aut alioquin probri, & impudicitiæ notas, &, ut Martialis loquitor *lib.* 6. *Epigr.* 66. *Famæ non nimium bonæ puellas, quales in media ſedent ſuburra.* Ita jam olim ille apud Ciceronem *lib.* 2. *de Oratore:*

Quid tu Egilia mea?
Quando ad me venis cum tua colu, & lana?
Non pol, inquit, audeo:
Nam me, ad famoſas, vetuit mater, accedere.

Ovid. *lib.* 3. *Eleg.* 13.

Non peccat, quæcumque poteſt, peccaſſe, negare:
Solaque famoſam culpa profeſſa facit.

Martialis *lib.* 2. *Epigr.* 39.

Coccina famoſæ donas, & ianthina mœchæ,
Vis dare, quæ meruit, munera? mitte togam.

Et *Epigr.* 47. *ejuſdem libri:*

Subdola famoſæ, moneo, fuge retia mœchæ.

Sueton. *in Tiberio, cap.* 35. Firmic. Maternus *lib.* 6. *Aſtronom. cap.* 27. *&* 31. Lampridius *in Alexandro: A mulieribus famoſis matrem, & uxorem ſuam ſalutari, vetuit*; & poſtea idem: *Mulieres infames, quarum infinitum numerum deprebenderat* (in palatio ſcilicet) *publicari, juſſit.* ita *in l.* 2. §. *ſi mulier* 4. *D. ad S. C. Tertyll. Si mulier ſit famoſa, ad legitimam bæreditatem liberorum admittetur*, ſamoſam exaudio vulgati corporis, quæ ſoboli, vulgo quæſitæ, ex Tertylliano ſuccedit. §. *ultim. Inſtit. de S. C. Tertyll. l.* 2. *D. unde cognati.* Paulus *lib.* 4. *Sentent. titul.* 10. §. 1. Plura ex noſtris adverſariis ſuppeterent, niſi ea læva manu, aut forte periiſſent. Sed cui non, quæ attulimus, ſatis?

CAPUT XXXVIII.

Juliæ legis, de Matrimonio ingenuorum cum famoſis fœminis reliqua, & Appendices: Ad Canonem 67. Conc. Illiberitani, cum Can. 86. Carthagin. 4. Scholia.

ARGUMENTUM.

P*Rohibitio conjugii* ingenuorum *cum* ſcenicis, *ſtetit ad* Juſtinianum *uſque* in l. 23. C. de nupt. *quæ explanatur, & ab eo tandem ſublata*, Novell. 117. c. 6. §. illo. *Probibitioni veluti conſonat*, Canon 67. Illiberitanus de Chriſtianis fœminis, ne habeant viros comicos, aut ſcenicos. *Ratio, præter illam infamiæ, cui leges noſtræ intentæ, devitatio contagii* idololatriæ, *cui ſcena ſerviebat. Hinc* Chriſtianorum Cæſarum leges. *de non cogendis* ſcenicis Chriſtianis *ad ſcenam, & præ aliis*, l. 15. C. de Epiſc. aud. *Hinc abrenunciatio ſpectaculorum in* Baptiſmo, *ad quam relatæ, illaudata adhuc*, Juſtiniani l. ult. Cod. de Epiſc. aud. *Detectus ex his ipſis aculeus* in Can. 86. Carthag. 4. *qui eſt* 12. *apud* Gratianum de Conſecr. diſt. 5. *dum* Neophytis, *ut abſtineant à ſpectaculis aliquando, præcipitur, non ut ſemper. Expenduntur contrarii* Africani Canones. *Tentatur fuiſſe propriam fortaſſe cauſam, connivendi cum* Neophytis, *imperata eis non perpetua, ſed temporaria abſtinentia à ſcena, ut fere* in Decreto Nicolai I. de Bulgaris. *Producta* Illiberitani Canonis *lectio alia, quæ pro*, comicis, & ſcenicis, *babet*, comatos, & cinerarios. *Qui iſti fuerint ex* Loayſa: *duo additamenta* Albaſpini, *quorum primo acquieſcitur. Secundum autem, de* Hiſpanis *fœminis*, Gallos *comotos in turpi miniſterio babentibus, rejectum ut turpe commentum, & ſcriptore* Epiſcopo *indignum.* Cinerarii *in Matronali miniſterio fuere lecticarii, & quidem peregrinæ proceritatis, exprobrante* Tertulliano. *Ei, & calamiſtri miniſterio inſerviere frequenter, utpote proceri, & comati*, Galli, *ſeu* Celtæ, *ut nominantur* Græco *in* textu Clementis Alexandrini, *aut* Gallici muli, *ut in* Tertulliano *legit, & exponit de* Gallis *lecticariis*, Gallus Dorleanus, *quam miniſterii vanitatem, ſicut exprobravere olim Matronis* Tertullianus, *& alii* Patres, *ita improbarunt, probibueruntque* Patres Illiberitani. *Tandem pro aſſertis* ad Can. Illiberit. *aſſertoria manus.*

1 PErvagata eſt liberius, latiuſque, quam initio exiſtimavimus, oratio noſtra, per inſigniores meretriciæ infamiæ titulos, cauſas, effectus, ut vel inde eliceremus, decidendi, ut aiunt, rationem ejuſce legum noſtrarum capitis, quo ingenuorum connubia cum quæſtuariis fœminis, ſeu Meretricibus improbantur. Poſtrema, & propria omnino commentationis noſtræ opera futura eſt nunc, ut diſpiciamus, quando, & quatenus retenta, vel ſublata ſit novioribus civilibus, vel eccleſiaſticis Conſtitutionibus, tam quoad connubium cum mulieribus corpore quæſtuariis, quam cum ſcenicis, aliiſque, capite noſtro notatis, tota hæc Juliæ, Papiæque legum prohibitio, ejuſdemque veſtigia, & imagines, vel in aliarum gentium moribus obſervemus. In primis autem jure Romano Cæſarum (ne interim admiſceam connubii Senatoriis adempti cum probroſis fœminis, cautionem legum noſtrarum, firmatam varie, & repetitam novis Conſtitutionibus, *l.* 1. *Cod. de natural. liber. l. orat.* 16. *l. palam* 43. §. *Senatus, D. de ritu nuptiarum l. oratio* 16. *D. de ſponſalib. l. bumilem* 7. *Cod. de inceſt. nupt. cum aliis, de quibus ſupra lib.* 2. *cap.* 34.) animadverto, prohibitionem capitis noſtri, quoad nuptias ingenuorum cum ſcenicis fœminis, vixiſſe, & viguiſſe adhuc ſub Juſtiniano, quo tempore lata ab eo eſt *lex Imperialis* 23. *Cod. de nupt.* Ibi enim dum pollicetur ſcenicis mulieribus quamdam veluti natalium, & famæ reſtitutionem, impetrato Cæſaris reſcripto, quo poſſint, ſcilicet legitime, nubere, ſubjungit, & eos,

eos, qui uxores tales ducturi ſunt, non deinceps formidare, *ne ſcitis præteritarum legum* (nempe noſtrarum Juliæ, vel Papiæ) *infirmum eſſe videatur tale conjugium, ſive dignitate præditi ſint, ſive alio modo Scenicas* in *matrimonium ducere, prohibeantur.* Queis poſtremis in verbis Accurſius ſignificari putat, Senatores, qui propter dignitatem, & Senatorum filios, qui dumtaxat, quia filii Senatorum, arceantur a connubio Scenicarum. Ego & in Senatorum liberis, dignitatem paternam, tamquam eiſdem communicatam, ſeu quæſitam, & cauſam prohibitionis nuptiarum nominari, & expendi à Juriſconſultis, video *l. generali* 34. *§. ultim. D. de ritu nupt. l. Senatoris* 6. *§.* 5. *l. fœminæ* 8. *cum l. ſeq. D. de Senatoribus*; & verbis illis, *alio modo*, quæ apud Juſtinianum *in dict. l. Imperialis* 23. inſinuari ſignanter ſcio, cauſam aliam, præter dignitatem, modumque diſſimilem juris, quo, etiam dignitate non prædíti, in matrimonium Scenicas ducere prohibentur; quod reperire proprie eſt in ingenuis, *ex iſto capite noſtrarum legum.*

2 Poſtea ſane idem Juſtinianus prohibitionem hanc ſuſtulit, antiquavitque iſtam legum noſtrarum partem, permiſſo connubio, omnibus etiam ingenuis, cum ignominioſis fœminis, ſive ſcriptis dotalibus inſtrumentis, ſive ex affectu ſolo, dummodo dignitate prædíti non ſint, quo caſu requiruntur inſtrumenta nuptialia. *Novell.* 117. *ut liceat matri, & aviæ. cap.* 6. *§. illo, in fin. authent. Sed novo jure, Cod. de Naturalib. liber.* quæ proponuntur *lib.* 28. *Synopſis* Baſilicon *tit. de legitimis nupt. cap.* 55. *pag.* 271. *in editione Leunclavii*, & in Baſilicis *lib.* 28. *tit.* 2. & apud Harmenop. *in Prompt. lib.* 4. *tit.* 4. *§. de his, qui in dignitate.* juncta *l.* 7. *in fin. tit.* 2. *part.* 4. quorum de ratione, & ſententia opportunius *ſupra lib.* 2.

3 Eſt & inter reliquias ſacrorum Canonum, & monumenta veteris Politiæ Eccleſiaſticæ, quod prohibitioni legum Juliæ, Papiæque in noſtro capite veluti concinat, & reſpondeat. Namque de matrimonio cum Scenicis, quod non Senatoriis dumtaxat, ſed & ingenuis omnibus inhiberi legibus noſtris, tam ſæpe diximus, in eamdem fere ſententiam Illiberitani Concilii Patres ſanxiſſe olim videntur, *canone* 67. ejuſdem Synodi: ita: *Prohibendum, ne qua fidelis, vel catechumena, aut comicos, aut viros ſcenicos habeat: Quæcumque hoc fecerit, à communione arceatur.* Comicos hic intelligo, comœdiarum auctores, pronunciatores; ſcenicorum autem appellatio latius patet, complectiturque eos omnes, qui ludicræ artis cauſa in ſcenam prodirent, ſive, in proſcenium, orcheſtram, pulpitum, quales thymelici, ludii, planipedes, mimi, pantomimi, archimimi, aliique hiſtriones, & theatralis muſicæ, ſaltationis, geſticulationis, artifices. Prohibentur autem fideles, ſive Chriſtianæ fœminæ, & Catechumenæ, comicos, ſcenicoſque viros (hoc eſt, maritos, ſive conjuges, ut inſcriptio Canonis indicat, & mox dicemus) in matrimonio habere, tum ob communem illam legum noſtrarum cauſam, infamiæ ſcilicet, & turpitudinis harum perſonarum, quæ & exprimitur in *Novella* Martiani *de Matrimon. Senator. l.* 1. *Cod. de Natural. liber. l.* 3. *tit.* 14. *part.* 4. tum vel maxime ob propriam aliam Chriſtiani cultus, & diſciplinæ, quorum ſcilicet, ut Tertullianus loquitur *de Spectacul. cap.* 10. periculum ingens de idololatria, & impudicitia matrimonii talis providebatur. Namque, ut graviter Tertullianus idem *de Matrimonio Chriſtianæ cum Gentili*, inter cætera, ut vocat, pericula, & vulnera fidei, expendit *lib.* 2. *ad Uxorem cap.* 3. *Quis dubitet, oblitterari quotidie fidem commercio infideli? Bonos corrumpunt mores confabulationes malæ: quanto magis conjunctus, & individuus uſus?* ubi & plura in eamdem ſententiam, cui & adſtipulantur in re ſimili, Deuteronomii *cap.* 7. & 3. Regum *cap.* 11. & Apoſtoli 2. *ad Corinthios, cap.* 6. Porro theatra, & theatrales artes, ſeu profeſſionem, ſicut & cætera ſpectacula, & ludicra conſecrata fuiſſe Diis gentium, eorumque cultui, ſimulque impudicitatis, & libidinis fuiſſe veluti publica gymnaſia, & babylonicam fornacem, & idcirco tam ſæpe, & acriter, antiquæ Eccleſiæ Patres in id genus ludicra, & artem invectos, tam in conſpicuo eſt, ut pluribus probari non egeat, de quo plura nos in *Syntagmate de Comœdiis lib. præcedente ad extremum*

Illud interim adnotamus, ob eamdem periculi idololatriæ, & proſtitutionis cauſam, conſtitutum jam olim Eccleſiæ, & Chriſtianorum Principum legibus, ne fœminæ, virive ſcenici ad fidem converſi, quamvis alioquin jure originis, aut ſponſionis, vel juramenti, ludicris ſpectaculis debiti, revocari ad eadem, ſeu pertrahi poſſint. *l.* 1. & 2. *l.* 4. *l.* 8. *cum l. ſeq. Cod. Theodoſ. de Scenicis l.* 33. *Cod. de Epiſcop. aud. l. ult. Cod. de nupt. Novell.* 51. *ſcenicas non ſolum, cap.* 1. juncto *Can.* 30. Concilii Africani ſub Bonifacio, & Cæleſtino; quin & quod proprie magis prohibitioni Illiberitani Canonis aptari poteſt, ne Epiſcopi, vel Magiſtratus patiantur, invitam mulierem liberam, aut ancillam, mimis, aut choris συντεθῆναι, ſive conjungi, ſcilicet, matrimonio *l.* 15. *Cod. de Epiſcop. aud.* Denique uſque adeo viſu, & conſortio ſcenæ, ſeu ſcenicorum abhorruiſſe Chriſtianos veteres, ut inter alia noſtræ profeſſionis, & ſignaculi in Baptiſmo ſolemnia verba, abrenunciarent *Diabolo, pompis, ſpectaculis, & operibus ejus.* ut exerte ponit Salvianus *lib.* 5. *de Provid.* ſive implicite magis, *Diabolo, & pompis ejus*, cum tamen, pompæ nomine, præter ea quæ recenſentur in Concilio Turonenſi 3. ſub Carolo *cap.* 18. & Moguntino 2. ſub Rabano *cap.* 3. & à Nicolao Papa *ad conſulta Bulgar. cap.* 35. intelligerent proprie ſpectacula, ut ex Tertulliano *lib. de Spectaculis cap.* 4. & 24. Cypriano *Ep.* 2. *ad Rogatianum*, & *lib. de Spectaculis, cap.* 3. Iſidoro *lib.* 18. *Origin. cap.* 59. notat ad rem egregius Illiberitani Concilii illuſtrator, D. Ferdin. Mendoça *lib.* 3. *cap.* 51. & 62. cui vel ex noſtra penu præter Cyrillum *Catech.* 1. *Myſtag.* Chryſoſtomum *Hom.* 21. *ad Populum Antiochenum*, addas, licet, Auguſtinum *de Symbolo ad Cathecumenos, lib.* 4 *cap.* 1. *Deprehenderis enim, & detegeris, Chriſtiane, quando aliud agis, & aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonſtrans in opere, non tenens promiſſionis tuæ fidem, modo ingrediens Eccleſiam, orationes fundere; poſt modicum in ſpectaculis cum hiſtrionibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis Diaboli, quibus renunciaſti?* Addo & libens teſtem domeſticum, nobilemque, & quod mirere, noſtris in hac re ignotum, Juſtinianum in *l. ultim. Cod. de Epiſc. audient.*

Sed ex propoſitis, antequam progrediamur, non levem nodum nectere licet, in Carthaginenſi Concilio 4. *Can.* 86. qui apud Gratianum exſtat *in cap. Neophyti* 12. *de Conſecrat. diſt.* 5. *Neophyti*, inquit, *aliquando à lautioribus epulis, & ſpectaculis, vel conjugibus abſtineant.* Ubi, quod abſtinere à ſpectaculis, jubentur, *aliquandiu*, ac proinde non ſemper, novum, obſcurumque eſt. Cur enim aliquandiu, quæſo, & non ſemper, in perpetuumque, contra ſpectaculorum ejerationem ſolemnem in lavacro Baptiſmi factam? Contra ſacrorum Patrum, Canonumque ſacratam de execrabili ludicrorum uſu ſententiam? Denique contra apertam, gravemque damnationem Eccleſiæ legum, quæ non modo theatrales ipſas artes, & artifices deteſtantur, & Eccleſiaſticis ludorum profanorum viſum, proſpectumque interdicunt, ſed in univerſum Laicis omnibus Chriſtianis: nec tantum ne cogantur inviti, quod ab Ethnicis olim factum, & improbatum, *Can.* 28. Concilii Africani ſub Bonifacio, & Cœleſtino, ſed etiam ne vel ſponte ad ſpectacula ſpectatores accedant, ut nominatim didici ex Concilio Carthagin. 3. *Can.* 11. ibi: *Sed nec ſpectent, quandoquidem à ſpectaculo & omnes Laici prohibeantur. Semper enim Chriſtianis omnibus hoc interdictum eſt, ut ubi blaſphemi ſunt, non accedant.* Conducit ex Trullanis *Canon.* 51. Cyricius *Epiſt.* 1. *ad Himer. Tarracon. cap.* 5. exſtat *in cap. de his* 12. 33. *quæſt.* 2. Itaque perexiguo intervallo circiter anni unius, qui utramque Synodum Carthaginenſem

3. & 4. interceſſit, mirum omnino eſt, prohibitionem illam accedendi ad ſpectacula tantopere laxari, aut ſolvi.

6 Cæterum, quandiu alii meliora, quod attinet ad Canonem propoſitum *in dict.° cap. Neophyti*, exiſtimaverim coarctari eum debere proprie ad Neophytos, de quibus loquitur. In illis enim infirmioris initio fidei, & virtutis, utpote recens converſis, & à ſpectaculorum luxu ad Chriſtianam diſciplinam tranſlatis, temperandam putarunt Africanæ Eccleſiæ Patres, ſtrictam illam, & ſeveriorem acceſſus ad ſpectacula prohibitionem, quam præcedente anno, & Synodo ſanxerant, dandumque aliquid imbecillitati incipientium, & conſuetudini, ne ſi perpetuum ſpectacalorum repudium eis indicerent, averterent fortaſſe aliquos, ſeu deterrerent à profeſſione melioris cultus. Eoque, ut opinor, conſilio, abſtinentiam à ſpectaculis temporariam, ſive *aliquandiu*, pro arbitrio ſcilicet Epiſcoporum, & Præſulum Eccleſiæ, denunciarunt Neophytis, non quaſi aliquo tempore proſpectum rei turpiſſimæ probarent, aut permitterent, ſed quia poſt eos in fide jam firmatos, & veteranos, majore cum diſpendio morum diſciplinæ toleraretur, ſimulque ſperari debuit, eoſdem ſacris myſteriis aſſuetos, & exercitatione virtutum ad meliora traductos, voluptati ſpectaculorum, à qua tantiſper ex præcepto abſtinuerant, ultro renunciaturos. Sic enim, iſto prorſus reſpectu, Nicolaus I. *in providentiſſimis illis Decretis ad Bulgarorum in fide recentium conſulta, cap.* 47. jocorum, ludorumque uſum, quem nullo tempore Chriſtianis licitum eſſe ſcribit, inhibet eis dumtaxat tempore quadrageſimæ, & jejunii, non prohibens aperte extra ea tempora: *Quia vobis*, inquit, *qui in mentem nondum aſcendere, tamquam infirmi, poteſtis, ut inde ſublimia mandata Dei percipiatis, ſed in campeſtribus, quemadmodum filii quondam Iſrael poſiti eſtis, ut ſaltem ibi plana, & minora quæque præcepta ſumatis, necdum poſſimus ſuadere, ut omni tempore jocis abſtineatis.*

7 Subſiſtamus tamen parumper. Quippe à ſententia, & interpretatione, quam Illiberitano Canoni appinximus, deviare omnino videtur alia ejuſdem Canonis lectio, quam *ex Lucenſi Regio Codice* proponit, probatque Garſias Loayſa in *Collectione Conciliorum Hiſpaniæ*. Roder. Acuña *in cap. Probibete* 21. *num.* 4. *in fine*, 23. *diſtinct.* & noviſſime Gabriel Albaſpin. *in notis ad Canones Concilii*, ut ille vocat, *Elberini*. Ea lectio ſic habet: *Probibendum, ne qua fidelis, vel catbecumena, aut comatos, aut viros cinerarios babeat. Cinerarios*, Garſias recte notat, vocari *ſervos, famuloſve à calamiſtris*, queis Matronæ capillos in annulos criſpabant, & contorquebant, ut & à miniſterio calefaciendi, perflato cinere, calamiſtri, ſive majoris acus, de qua nos ſupra *cap.* 31. *cinerarii*, dicti Varroni *lib.* 4. *de Lingua Latina*, Catullo *Epigram.* 62. *in Epbithalam.* aliiſque, *& ciniflones*, Plauto *in Aulular. ſcen.* 5. *actu* 3. Horatio *lib.* 1. *Satyr.* 2. ubi plura Porphirion, & Acron. Tales vero comatos, & cinerarios fuiſſe ditioribus, delicatioribuſque Matronis in miniſterio, & votis, indicat ſatis Tertullianus, à Garſia laudatus, & Chriſtianarum fœminarum vanitatem in ea re perſtringens, *lib.* 2. *ad Uxorem*, *cap.* 8.

8 Duo hiſce, à Garſia prænotatis, addit Albaſpinus; alterum eſt, non recte Canonem hunc accipi de conjugio fidelis, aut catechumenæ cum comato, aut cinerario; alterum eſt, Hiſpanas fœminas, aliarumque regionum, quæ Solis æſtu, ardoreque torrentur, evocare ad ſe ſolitas, aut inter ſervos habere, Germanos, Galloſque, quibus natura ipſa elegantiorem formam, ſpeciemque Cœli, & Solis clementia indulſerat, & habuiſſe in miniſterio vel maxime, ut ad explendas libidines eorum opera abuterentur; ob eamque cauſam vetitum, ne Chriſtianæ, vel Catechumenæ, ſervos comatos, cinerarioſve haberent, qui exprobrarent veluti impudicitiam dominarum.

Ego autem, quamvis, lectione hac retenta, prius 9
illud utcumque condonarim Albaſpino, nempe non eſſe hunc Canonem de conjugio fidelis, aut catechumenæ, cum comato, aut cinerario, tamen vel inde intelligo rectiorem eſſe illam lectionem, quæ pro *comatis, & cinerariis*, habet, *comicos*, *aut ſcenicos*, quæque expoſita, ut ſupra diximus, & reſpondet Canonis inſcriptioni conceptæ nominatim, *de conjugio catechumenæ fœminæ*, & gravibus, ſeriiſque cauſis, quas improbandis ſcenicorum conjugiis fuiſſe docuimus.

Alterum vero illud, quod de libidine, & intem- 10
perantia Hiſpanarum mulierum de ſuo adjicit Albaſpinus, infamem, injuſtamque notam puritati nobiliſſimæ gentis inurens, præterquam quod demiror, non ei viſum, cum ſcriberet, indigniſſimum gravitate Epiſcopali, & modeſtia, qua eſſe debuit; nollemque à novitiolis compilatoribus ſacrorum adverſariorum, improvide, & inepte in ea relatum *cap.* 136. *num.* 18. *& cap.* 146. *num.* 8. (pretioſam ſcilicet obſervationis gemmam, dignamque, quam Hiſpani Gallis inviderent, & erudito alioquin Patri Joanni Ludovico de la Cerda adſcriberent) eſt omnino inane commentum, ſuſpicioque ſequioris ingenii, & affectus. Namque, ut breviter nunc, fœdam, falſamque labem, qua te, O magna patria, aſperſum eunt, non regeram in Galliæ fœminas, ſed à noſtratibus removeam, & purgem, non dat, non dabit Albaſpinus, aut alius, veterem ſcriptorem, quo intemperantia hæc Hiſpaniæ fœminarum cum comatis, cinerariiſque Gallis, vel leviter indicetur. Quin imo Tertullianus, atque alii veteres agnoſcunt cinerarios, & quidem Gallos in matronali miniſterio, & comitatu, ſic tamen, ut non tam calamiſtris, cinere calefaciendis, quam lecticæ affectandæ, & bajulandæ, ſive utrique functioni eos adſuiſſe, luxumque in eo, & vanitatem Chriſtianarum mulierum, non libidinem, aut laſciviam accuſent. Horat. *lib.* 1. *Satyr.* 2. ubi de pompa matronalis inceſſus:

Cuſtodes, lectica, ciniflones, paraſitæ.

Seneca *de Conſtant. ſap. cap.* 14. ubi & de cultu, & comitatu mulierum, ita: *Quid refert, quantum habeat, quot lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam ſellam?* Et paulo poſt: *Quidam ſe à cinerario impulſos moleſte ferunt, & contumeliam vocant oſtiarii difficultatem, nomenclatoris ſuperbiam, cubicularii ſupercilium.* Tertull. 2. *ad Uxor. dict. cap.* 8. *Unde niſi à Diabolo petant maritum bonum exbibendæ ſellæ, & mulabus, & cinerariis peregrinæ proceritatis?* Sane peregrina hæc proceritas, quam exoptaſſe in cinerariis fœminas Tertullianus indicat, fruſtra atque inepte requireretur calamiſtro, ſive aciculæ comatoriæ bajulandæ, propria autem, neceſſariaque tuendæ, bajulandæque lecticæ, cui & adhiberi ſolitos olim longos, ingentes, forteſque ſervos, vel unus Juvenalis docuerit, *Satyr.* 3 *&* 9. ibi:

——— Et duo fortes
De grege Mæſorum, qui me cervice locata.

Et *Satyr.* 6.

Quam quæ longorum vebitur cervice Syrorum.

Catullus *Epigram.* 10. ubi de lecticariis ad Octaphoron:

Non poſſem octo homines parare rectos.

Notat ex aliis Lipſius *lib.* 1. *Elector. cap.* 19.

Quamquam, ut & quod res fuit, fortaſſe dicam, 11
utrique miniſterio calamiſtri, & lecticæ commodiſſimi Galli fuiſſe videntur, qui & *celſioris ſtaturæ pene ſunt omnes*, ut Ammianus Marcell. loquitur *lib* 15. & comæ ſtudio, ac lenocinio dediti, unde & *comatæ Galliæ* nomen. Certe inter lecticarios, ut dixi, ſive bajulatores lecticæ, aut ſellæ, agnoſcit

Gallos

Gallos Clemens Alexandr. Albaſpino laudatus, *libr.* 3. *Pædagog. cap.* 4. οὗτοι φορεῖα εἰς ὕψος ἀίροντες τῶν γυναικῶν, καὶ φοδὴν βαστάζοντες κελτοὶ πολλοί: ubi neſcio, cur Lipſius verterit Germanos, cum ſententia ſit: *Qui lecticas in altum tollant mulierum, pertinaciter bajulantes, Celtæ* (ſive, ſi mavis, *Galli,* ut vulgata verſio exprimit) *multi ſunt*; neque abludit Tertullianus *lib.* 1. *ad Uxorem, cap.* 4. recenſens inter ea, *quæ nuptarum gloriam accendunt, veſtium tædia, Gallicos vultus, Germanicos bajulos*; quibus verbis, niſi deſignari intelligas famulos è Gallia, ſpecioſos vultu, & calamiſtratos, ſive candidulos rubicundoſque aſſeclas lecticarum, quales in ſatellitio Matronarum reprehendit Hieronymus *lib.* 1 *adverſus Jovinian.* & *in Epiſtol. ad Furiam, & ad Demetriadem.* Martialis *lib.* 5. *Epigramm.* 63. Verior utique lectio eſt, & illi alteri Tertulliani, quem ſupra adſcripſimus, loco reſpondens, quæ in editionibus aliis extat, nempe, *Gallicos mulos*, quamque probant magis Pamelius ibi: Valens Acidalius *Divinat. in Plauti Truculentum, cap. ultim.* Ludovicus Dorleanus *in Tacitum* 2. *Annal pag. mihi* 224. qui & Gallus ipſe lecticarios Gallos vocari à Tertulliano, *mulos*, ſcribit, *quod à Gallis quaſi mulis, portarentur, ſicut Mariani muli, milites Marii onera portantes.*

12 Ergo, ut concludam, fuiſſe inter ſervos Matronarum, comatos Gallos, & cinerarios ab officio calamiſtri, & lecticæ ferendæ, aut affectandæ, idcircoque fortaſſe, nimirum ob utilitatem, vanitatemque miniſterii, ſeu famulitii, quam in ciniſlonibus agnoſcit, eos nanis, aliiſque nebulonibus comparans Joannes Salisberienſis *lib.* 3. *cap* 12. & inæqualitatem conditionis ſervilis, quam in ſimilibus conjugiis expendunt, increpantque Tertull. 2. *ad Uxor. cap* 8. Hieronym. *in Epiſtol. ad Lætam.* prohiberi Hiſpanas fideles, & cathecumenas habere cinerarios, aut comatos maritos, ſi lectionem Albaſpini retineas, volens concesſerim; notam vero incontinentiæ, & libidinis, quam nuſquam in hac re Chriſtianis fœminis objicit Tertullianus, aut Clemens, ſed gloriam, cupiditatem, ambitionem, pernegabit mecum, opinor, quiſquis non modo Hiſpaniæ amans, ſed & veteris morum diſciplinæ, & Chriſtianarum mulierum modeſtiæ, & pudoris. Illud tandem non monemus gloriolæ, ex muſtaceo quærendæ, ſed vere, & ingenue, ac ne quis ſchediaſma hoc, pro Canone Illiberitano, ſuſpicetur collectum *ex Commentariis* Sherlogi noſtri, *ad Cantica, tomo* 2. *veſtig.* 32. *hiſt. num.* 13. deſumpta potius illa ex his noſtris, quæ Salmanticæ, ante annos quadraginta commentabamur, & amice tunc communicata, tranſire in illam veſtigationem, eo jure, quo amicorum communia ſunt omnia, & poſtquam prælo data, tamquam propria eidem Sherlogo adſcribit noſter Eman. Gonzalus *ad eumdem Can. Illiberit.* 67. At ſint hæc non tam præfiſcine, quam ingenue dicta; quomodo, & ſupra *cap.* 31. *ad Can. Braccharenſem de gran.* 15.

C A P U T XXXIX.

Appendices aliæ, ſive acceſſiones, ex Canone 18. *Apoſtol. & Neocæſarienſi Can. qui, & alii apud Gratianum* in cap. 11. & cap. 15. 34. diſtinct. & cap. 2. 33. diſt.

A R G U M E N T U M.

APoſtolorum Canone, & conſequentibus, Trullano, Toletano, *& aliis cautum, ne in ſacro ordine ſit, qui meretricem, ſcenicamve, aut ejectam uxorem habuerit. Cautionis, & impedimenti hujus* Canonici, *ſive irregularitatis, ut & vocatur, ratio accenſetur fere bigamiæ interpretativæ, ex defectu ſignificationis* ſacramenti matrimonii, *in contractu cum fœmina, ab alio corrupta; at poſita vel maxime in infamia ejuſmodi mulierum, quæ dedecet ſacros* Miniſtros, *quin & derivata ab* Hebræorum Sacerdotibus, *in queis ſimilis prohibitio,* Levitici cap. 21. *quod illuſtratur. Similis, aut eadem eſt cautio Neocæſarienſis, de marito adulteræ arcendo à ſacro ordine, & deducta ex* d. Can. 18. Apoſt. *in quo* ejectæ, *nomen exaudiendum de repudiata, & quidem ob adulterium, & ratio eadem illa præſignata, quæ explanatur, ſimul cum* Novella Juſtiniani 134. *Adjicitur, etiam adulterii inſcium, aut alioquin innoxium maritum ſubmoveri à ſacris, ex recepta ſententia. Adjicitur poſtremo ad* Ferdinandi Mendozæ *aſſertionem, ex* Joſepho, *de conjugio inhibito* Hebræis, *etiam non* Sacerdotibus, *cum ſcortis, cenſoria nota.*

1 EST & aliud, quamvis non proprium adeo, conſentaneum tamen legibus noſtris in Eccleſiaſtico Jure veſtigium, ſcilicet improbati conjugii cum ignominioſis fœminis, notæque, inde legitimæ, & receptæ, ex *Apoſtolorum Canone* 18. qui latine, & ad verbum, ex Græcanico Clementis textu, ſic habet: *Qui viduam accepit, vel ejectam, vel Meretricem, vel ancillam, vel aliquam de ſcenicis, non poteſt eſſe Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali.* Extat is Canon apud Gratianum *in cap. ſi quis viduam* 15. 34. *diſt:* confirmaturque *Canone* 3. Synodi 6. generalis, In Trullo. Concinit, quoad Meretricem ex *libello de Eccleſiaſticis dogmat. cap.* 72. *textus* apud Gratianum *in cap. maritum* 2. 33. *diſt.* Clemens Romanus *lib.* 6. *Conſtitut. Apoſtol. cap.* 17. *in fine.* Cyricius Papa *Ep.* 1. *ad Himerium Tarracon. cap.* 8. ignotus vulgo locus Concilii Toletani 4. ſub Siſenando *Can.* 43. quem fruſtra cum Loayſa *in Gratiani collectione* requiras; conceptus autem ita: *Clerici, qui ſine conſultu Epiſcopi ſui, aut viduam, vel Meretricem in conjugio acceperint, ſeparari eos à proprio Epiſcopo, oportebit.* Sed & generaliter quoad corruptas, ſive non virgines, adſtipulantur *cap. curandum* 9. 34. *diſt. cap. qui in aliquo* 5. 51. *diſt.* cum ſexcentis aliis.

2 Porro hujus prohibitionis, ſeu canonici impedimenti, (quod irregularitatem vocamus) quoad Eccleſiaſticos ordines, eorumque uſum in his, qui Scenicas, aut Meretricem duxerunt, bipertita ratio reddi poteſt. Prima eſt, quia ejuſmodi contractis nuptiis incurrit, inciditve maritus in ſpeciem bigamiæ, ut loquuntur, interpretativæ, ex defectu ſignificationis Sacramenti matrimonii, quod, cum ſymbolum ſit unionis, conjunctioniſque ſpiritualis, inter Chriſtum, & Eccleſiam, unicam, incorruptamque ſponſam, ut notatur ex *Ep. Pauli ad Epheſios cap.* 5. minus recte, aut perfecte præfigurationi myſterii reſpondet, ſimulque & argumentum incontinentiæ eſt, & hortamento continentiæ parum idoneum. *cap. debitum* 5. *de bigamis. cap. una* 26. *diſt. cap. propoſuiſti*, 82. *diſt.* quoties contrahitur cum muliere ab alio corrupta, qualem cenſeri non tantum Meretricem, ſed etiam Scenicam ex vitæ, & artis proſtitutione, indicat ſatis exæquatio utriuſque, quoad ignominiam, ex noſtro capite Juliæ, Papiæque legum, itemque *in l. Mimæ*, 5. *Cod. de Epiſcop. aud.* præſertim moribus Romanis, ad quos Apoſtolorum Canon, cujus meminimus, reſpexit, quibuſque inſpectis, Scenicæ fere omnes pudori ſuis interemptrices, & meritorii corporis, ſcenaque ipſa Veneris ſacrarium, & caſtitatis ſpoliarium erat. Proinde magni illi ſcriptores, P. Franc. Suarius *de Cenſuris*; *diſp.* 49. *ſect.* 3. *num.* 1. P. Thomas Sanctius *de Matrim. lib.* 7. *de impedimentis*, *diſp.* 84. *num.* 9. Card. Bellarmin. *lib* 1. *de Clericis cap.* 24. *in fine.* dum poſt alios docent, irregularitatem, quæ contrahitur matrimonio cum Scenica, ſeu Mima, non tam proprie referri, aut pertinere ad bigamiam, quam ad infamiam, de qua poſtea, niſi accipiantur ex hodiernis moribus, ſe-

cundum quos non adeo profeſſa, & certa Scenicarum impudicitia, & quo caſu, ut prior ſubindicat, Mimam illam, aut Scenicam fuiſſe uſque ad nuptias virginem, aliunde conſtat, ſubſcriptorem me non habent. Certe ex ſententia *Apoſtolorum Canonis*, & veteris Eccleſiæ diſciplinæ, etiam in Scenicis, ſpeciem bigamiæ, cauſam prohibitioni dediſſe, non dubitarim.

3 Secunda ejuſdem irregularitatis ratio poſita eſt in infamia Scenicarum, & Meretricum, quibus quemadmodum Julia, Papiaque leges ob eamdem cauſam, eum ingenuis connubium ademerunt, quin & Scenici ipſi, Eccleſiaſticis legibus, ſacris arcentur, teſte Innocentio 1. *Epiſt.* 24. *ad Patres in Toletana Synodo coactos*, *cap.* 2. junctis apud Gratianum *dict. cap. maritum* 2. 33. *diſtinct. cap. pro dilectione* 95. *de conſecrat. diſt.* 2. & quod invulgatum magis fortaſſe, nullum lenonem, per pœnitentiam receptum, in ſacerdotii dignitatem cooptatum, nullam itidem Meretricem, tametſi converſam, & continentem, inter diaconiſſas relatam, ſcribit, firmatque exemplo Mariæ Ægyptiacæ, primum meretricis, poſteaque pœnitentia, & ſanctitate admirandæ, Taraſius Conſtantinopolitanus Epiſcopus *in Ep. ad Joan. Presbyterum*, *circa medium*, quæ extat ante ſeptimam Synodum, ſeu Nicænam 2. Ita ſimiliter maritis Scenicarum, & Meretricum, ob infamiam, notamque contubernii degeneris, tanquam vilibus, & indignis, aditum ad ordines ſacros Canones interdicunt. Notant, promoventque ad ſimilium quæſtionum uſum, hanc irregularitatis hujuſce cauſam, poſt Archidiaconum, & alios *in dict. cap. maritum* 33. *diſtinct.* Navarr. *in Manuali*, *cap.* 27. *num.* 196. P. Suarius *dict. Diſput.* 49. *ſect.* 3. *num.* 1. Majolus *de Irregularit. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 5. & *lib.* 7. *cap* 5. *num.* 17. Coſmus Philiarch. *de Offic. Sacerd. pars.* 1. *lib.* 4. *cap.* 7. Sayrus *de Cenſur. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 14. & *lib.* 7. *cap.* 10. *in fine.*

4 Sed & conſtituti hujus juris origo, exemplumque, ut præmonuit Joann. Turrecrem. *in cap. Curandum* 34. *diſt.* ſumpta fuiſſe videntur, ex legumlatione Moſis, cujus auctoritate in hac re utuntur Clemens Romanus *dict. l.* 6. *Apoſtol. Conſtitut. cap.* 17. *in fine.* Cyricius *dict. Epiſt.* 1. *ad Himerium*, *cap.* 8. ſic enim de minoribus Sacerdotibus Deus per Moſem Levitici *cap.* 21. *ſcortum*, & *vile proſtibulum*, *non ducent uxorem*, cui adſtipulatur Ezechiel, *cap.* 44. *verſ.* 22. de Pontifice, ſeu Sacerdote Summo: *Virginem ducet uxorem*; *viduam autem*, & *repudiatam*, & *ſordidam*, *atque Meretricem*, *non accipiet*; qua prohibitione conſultum vel maxime dignationi Sacerdotalis muneris, quod tam in ipſis, uxores tales ducentibus, quam in filiis, Sacerdotio ſucceſſuris, vileſceret, fœda, infamique conjunctione, docet utique, poſt Hieronymum *Epiſt.* 128. *ad Fabiolam.* D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 6. *ad* 11. Abulenſis *quæſt.* 11. & 23. *ad Levit. cap.* 21. ubi & noviores. Graviter, oratorieque, ut ſolet, Philo Judæus *lib.* 2. *de Monarch*, his verbis: *Verum, quoniam nemo, niſi vir, cooptatur in Sacerdotium, non cariturus amplexuum cupidine, quæruntur ei caſtæ virginis nuptiæ, ſanctis prognatæ parentibus, ac honeſtis, generoſiſque majoribus. Etenim meretricem, pariter animo impuram, atque corpore, ne aſpicere quidem ei licet*, (Sacerdoti) *etiamſi, quæſtu relicto, ad frugem redit, eo quod olim pollutum vitæ inſtitutum ſecuta ſit. Ipſa vero de cætero quidem eximatur ignominiæ, propter propoſitum mutatum in melius: laudanda eſt enim nequitiæ pœnitentia, nec vetandus, quominus eam ducat quiſque alius: Sacerdotem vero ne accedat quidem propius; hujus enim eſt eximium privilegium, quod requirit conſenſum mutuum actionum ejus omnium inculpabilium, ab initio vitæ, uſque ad exitum. Videtur enim à ratione, boniſque moribus alieniſſimum, cicatricoſos arceri Sacerdotio, propter notas infelicitatis, non malitiæ; eas vero, quæ non ſolum coactæ, verum etiam interdum ſponte, formam venditarant, poſtquam vix tandem reſipuerint, ab amatoribus divulſas, jungi mox Sacerdotibus, & è lupanaribus migrare in ſacra domicilia. Manent enim nihilominus in animis pœnitentium cicatrices quædam, & veſtigia nequitiæ priſtinæ. Proinde recte, honeſteque vetitum eſt alicubi, ne merces meretricis inferatur in ſacrarium. Atque nummi per ſe carent crimine; ſed quæ hos accepit, una cum ſuo quæſtu, eſt abominabilis. Quomodo igitur admittetur in Sacerdotis conſortium mulier, cujus etiam pecunia profana habetur, adulterinaque, quantumvis probatæ notæ, ac materiæ?*

Ejuſdem irregularitatis, ſimulque notæ ex nuptiis cum ignominioſis fœminis, juxta Juliam, Papiamque leges, appendix veluti, & acceſſio eſt *Canon ille* 8. Neocæſarienſis Synodi, qui ex recepta verſione, ſic habet apud Gratianum in *cap. ſi cujus* 11. 34. *diſt. Si cujus uxorem adulterium commiſiſſe, cum eſſet laicus, evidenter fuerit comprobatum, hic ad miniſterium Eccleſiaſticum admitti non poteſt. Quod ſi, in Clericatu jam eo conſtituto, adulteravit, dato repudio, dimittere eam debet. Si vero retinere ejus conſortium velit, non poteſt ſuſcepto miniſterio perfrui.* Exprimitur in eamdem ſententiam in *Collectione* Martini Bracharenſis, & ex eo in *cap. ſi laici* 12. *diſtinct.* 34. & apud Theodorum Balſamonem *Scholiis ad Nomocan. Photii*, *tit.* 1. *cap.* 32. *in fin.* confirmaturque in Illiberitano Concilio *Can.* 65. & in Tarracon. *Can.* 9. Adde ex *noſtrati Regio jure*, *l.* 35. *tit.* 5. *part.* 1. 5

Cæterum prohibitio hæc ſacrorum Canonum, quibus nec Laicus, mulieris in adulterio deprehenſæ, vel damnatæ, maritus, ad Eccleſiaſticos ordines admittitur, nec Clericus in eorumdem miniſterio retinetur, niſi adulteram uxorem dimittat, ſumpta eſt, ſi conjectari licet, aut per interpretationem, deducta ex ſententia *Apoſtolici Canonis* 18. quo inter eas, quarum mariti ad Clericatum promoveri non poſſunt, recenſetur etiam, *ejecta*, ſive, ut alia verſio habet, *divortio ſeparata à marito*, & uno verbo *repudiata. cap. ſi quis viduam* 15. *cum ſeq.* 34. *diſt. cap. maritum* 2. 23. *diſt. cap. ſi quis viduam* 8. 5. *diſt. cap. qui in aliquo* 51. *diſt. cap.* 1. *de Bigamis*, *cap. ex pœnitentibus* 55. *cap. Non confidat* 59. *diſtinct.* 50. *cap. ſi quis* 8. 77. *diſtinct.* & ex Levitic. *cap.* 21. Cyricius *Epiſt.* 1. *ad Himer*, *cap.* 8. Innocent. *Epiſtol.* 2. *cap.* 4. & *Epiſtol.* 4. *cap.* 2. & *Epiſt.* 22. *cap.* 1. Leo *Epiſt.* 1. *cap.* 2. *ad Epiſcopos per Campan.* in quibus & non ſemel vidua, ſeu repudiata vocatur *relicta*, quomodo Idacius Lamecenſis *in Chronico* ſæpius nominat, Eudoxiam viduam Valentiniani III. Cæſaris, relictam Valentiniani, & in actis Sebaſtiani Martyris, Irene, vidua Caſtuli Zetarii martyris, Vocatur relicta Caſtuli Zetarii. Cum autem repudiari, dimitti, projici, ſive divortio perpetuo, & proprio ſeparari, & quidem à vivente marito, ut exprimit in re hac Hieronymus *dict. Epiſtol.* 128. *ad Fabiolam.* Auguſtinus *quæſt.* 78. *in Leviticum*, uxor non poſſit, Evangelica lege, niſi ex cauſa mœchiæ, ſive adulterii, Matthæi *cap.* 5. & 19. ac nec tunc quidem, quoad ſolutionem nuptialis vinculi, ſed ſeparationem thori, ut in confeſſo eſt apud Catholicos; intelligimus facile hinc, & colligimus, repudiatæ uxoris appellatione *in Apoſtolorum Canone*, & ſimilibus, ſignificari proprie adulteram, *ab alio contaminatam viro*, ut colligere, licet, *ex cap. quod autem* 7. 32. *quæſt.* 1. & conſequenter, nuptias ejuſdem, cum alio poſtea contractas, tametſi jure invalidas, irritaſque, obſiſtere ademptioni, aut retentioni ſacrorum ordinum miniſterii. Inde itaque παραπλησίως, ſive per extenſionem exempli, & rationis, fluit ea irregularitas, quam à marito contrahi dicimus, qui uxorem adulterii convictam retinet. 6

Ratio autem irregularitatis ejuſce, ſicut & ſuperioris illius, ex nuptiis cum Meretrice, & Scenica, de quibus ſupra *hoc capite*, ducitur tum ex capite bigamiæ interpretativæ, quæ contrahitur nuptiis, aut retentione acceſſuque uxoris adulteræ, ac proinde ab alio corruptæ, utcumque in hoc abſciſſe obnitatur Giballinus, atque ei ſubſcribens, noſter Eman. *ad cap. debitum* 5. *num.* 8. qui & videndus *ad cap.* 1. *in notis*, *de Bigamis*; tum etiam ex capite infamiæ, cui jure, & moribus obnoxius eſt, quia adulterii notatam ducit, aut retinet. Quam ob cau- 7

ſam

ſam legibus noſtris Julia, & Papia, ſacrorum Canonum judicio in hac re conſentaneis, ingenui omnes, adulterii damnatas, vel convictas, uxores ducere vetantur, teſte Ulpiano *in Fragm. tit.* 13. §. *ult.* juncta *leg. palam* 43. §. *quæ in adulterio*, *D. de ritu nupt. l. fœdiſſimam* 20. *Cod. ad leg. Jul de adulter.* & qui damnatam adulterii uxorem ducit, reducit, aut retinet, tenetur *leg. Jul. de adulter. l. auxilium* 37. *in fin. D. de minorib. l. caſtitati* 9. *C. ad leg. Jul. de adult. l. mariti* 29. §. 1. *D. eodem tit.* de quibus ſupra *cap.* 15. *&* 16. Quin & Eccleſiæ legibus, quamvis licitum, liberumque ſit innocenti conjugi, uxorem adulteram retinere, ceſſante ſcandali, & lenocinii ſuſpicione, & periculo, ſive poſt pœnitentiam peractam, ut liquet ex Concilio Nannetenſi *Can.* 12. junctis ex collectione Gratiani *cap. de Benedicto* 5. *cum ſeq.* 32. *quæſt.* 1. *cap. placuit* 10. 33. *quæſt.* 2. vel intra biennium pœnitentiæ, *ex Novella* Juſtiniani 134. *ut nulli judicum*, *cap.* 10. in Baſilicis *lib.* 28. *tit.* 7. *poſt princ.* (atque ita quidem, ut in ea Novella ſcriptum eſt, *nullum inde periculum marito verente*, quæ *Novellæ* adjectio eſt ex civili lege, & accipienda de Laïcis, cum Eccleſiaſtica lex Neocæſarienſis reconciliatos adulteræ arceat à clericatu, ut ad rem notat Balſamo *ad Photii Nomocan. d. tit.* 1. *cap.* 32. *& in Scholiis ad Can.* 8. *Neocæſar.*) Regulariter tamen retentio, ſive reconciliatio adulteræ, maritique cum ea cohabitatio mutua, ante peractam pœnitentiam, nec probe, nec impune fit *cap.* 1 *cum ſeq.* 32. *q.* 1. propter lenocinii ſuſpicionem, à qua cavere, ſeu carere Chriſtiani omnes, & potiſſimum Eccleſiaſtici, qui ſunt, debent, *ne ab his, qui exemplum bonæ converſationis eſſe debent, ab eis videantur ſcelerum magiſteria procedere*, ut eleganter monent Patres Illiberitanæ Synodi *Can.* 65. queis ſimilia Philo Judæus *lib. de Special. Legib.*

8 Illud ex poſteriori illa hujus irregularitatis ratione deduxerim, eum etiam maritum, qui vel invitus, & coactus præcepto Judicis Eccleſiaſtici, vel ignarus adulterii uxoris, eidem poſt adulterium cohabitat, promoveri ad ordines ſacros non poſſe, quia, utcumque culpa vacet, qui invitus, vel ignarus cohabitat, ſupereſt tamen cauſa ignominiæ, ſive notæ, ſaltem opinione hominum, ex uxoris adulterio contractæ, quæ indignum eum, ſicut dignitatibus aliis, ita & Sacerdotali honore facit, argumento *ex cap. infames* 17. 6. *q.* 1. *cap. qui in aliquo* 5. 51. *diſt. l.* 2. *Cod. de dignit. lib.* 12. *l.* 2. *D. de obſeq. parent. vel patr.* Idque ipſum & de Laïco, cujus uxorem adulterium commiſiſſe conſtat, tametſi eidem poſtea non concubuerit, tentari poſſe opinor, contra receptiſſimam quidem omnium, quos viderim, Doctorum ſententiam, ex eadem tamen ratione notæ, quæ vel bigamia ceſſante ſupereſt, ſufficitque, & conſequenter verbis, & menti Neocæſarienſis Synodi, *in dict. cap. ſi cujus* 11. *cum ſeq.* 34. *diſtinct.* de quo tamen docti cenſento. Certe priora illa duo de marito ignorante, vel invito, cohabitante adulteræ, non ordinando, probant, firmantque aliis argumentis D. Thomas *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 3. *art.* 1. *quæſtiunc.* 1. *ad* 3. *&* 4. ubi & alii, Durandus *in* 4. *diſt.* 35. *q.* 1. *art.* 2. *n.* 7. Abulenſis *in cap.* 19. *Matthæi q.* 72. *ad* 4. D. Antoninus 3. *p. tit.* 28. *cap.* 3. Ex Pontificiis Claſſici communiter *in d. cap. ſi cujus* 11. & *in cap.* 1. *de Bigamis.* Covarr. *in Clement. ſi furioſus*, *de homic.* 1. *p.* § 2. *n.* 3. Gutierrez *lib.* 1. *Canonic. q.* 25. *n.* 15. Majolus *de Irregularitate lib.* 1. *cap.* 33. *n.* 6. *& lib.* 5. *cap.* 41. *ex n.* 2. *cum pluribus.* P. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *de impedim. diſput.* 84. *n.* 15. *& ſeq.* Sayrus *de Cenſuris lib* 6. *cap.* 4. *n.* 19. *& in Clavi Regia lib* 2. *cap.* 9. *n.* 29. Suarez *de Cenſuris*, *diſp.* 49. *ſect.* 3. *ex n.* 14. poſt alios D. Rod. Acuña, & A. Barboſa *in d. cap. ſi cujus* 11. noſter Baſilius Legionenſ. *lib.* 9. *de Matrim. cap.* 17. *n.* 2.

Jam denique ex aliarum gentium moribus ſi origi- 9
nem, exemplumve quærimus, prohibitionis legum noſtrarum quoad connubium Meretricibus, & probroſis mulieribus, nec ea quidem in difficili eſt reperire. Namque in primis Flavius Joſephus *lib.* 4. *Antiquit. cap. ult.* ſcribit in hanc ſententiam: *Sed nec fornicariæ ſequendæ ſunt nuptiæ, pro quibus corporis injuriis nuptiales hoſtias non ſuſcipit ſumma divinitas; ſic itaque prudentia filiorum erit libera, & ad rectitudinis virtutem præparata, ſi non fuerint de turpibus nuptiis, neque de concupiſcentia non legitime convenientium procreati.* Quo ex loco Ferdin. Mendoça *lib.* 3. *de Confirm. Concil. Illiber. cap.* 18. negatum fuiſſe à Moſe generaliter jus connubii Meretricibus in Republica Hebræorum, velut pro explorato ſupponit. Ego autem ſcio, & monui jam ſupra, prohiberi Sacerdotes, ſummumque Puntificem, ducere uxorem Meretricem, Levit. *cap.* 21. Ezechielis *cap.* 44. *verſ.* 22. quod & in eiſdem Sacerdotibus agnoſcit idem Joſephus *lib.* 3. *Antiquit. cap.* 14 *& lib.* 1. *contra Appionem.* Cæterum, vel ex eo intelligo, non negatum fuiſſe indiſtincte Meretricibus jus nuptiarum cum aliis non Sacerdotibus; quippe ſupervacua in his prohibitio, ineptaque ejus ratio illa, *quia conſecrati ſunt Deo ſuo*, *dict. Levit. cap.* 21. ſi eadem pronibitio eſſet in non conſecratis. Quid quod auctoritati, fideique Joſephi, quæ vacillare apud doctidres ſolet, præſertim ubi ſacris libris parum conſentit, præponderat omnino teſtimonium Philonis Judæi, gravis alioquin, veraciſque ſcriptoris, *lib.* 2. *de Monarch.* dum docet, non vetari, quominus Meretricem uxorem ducat, & ad frugem pœnitentiæ revocet quiſquam alius, præter Sacerdotem, ut apparet ex contextu ejus loci, quem dedimus ſupra *iſto capite.* Eſt autem noſtris legibus, quoad Meretrices, magis appoſitum, &, ut ſic dicam, parallelum inſtitutum veterum Germanorum, de queis diſerte Tacitus *lib. de Morib. Germ. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia; non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet; nec corrumpere, & corrumpi ſæculum vocatur. Melius quidem adhuc eæ civitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum ſpe, votoque uxoris ſemel tranſigitur.* Simile quid de Utopienſibus Inſulanis, Thomas Morus *lib.* 2. *Utopiæ.*

C A P U T XL.

Juliæ, Papiæque Legibus in hoc capite Colophon potius.

Ad cap. inter, 20. de Sponſal.

A R G U M E N T U M.

P*Rohibitionis connubii cum Meretricibus derogatio, aut exceptio, in his, qui illas à meretricia ad conjugalem, caſtamque vitam reducunt, quibus & ſpiritalis indulgentia conceſſa* in cap. 20. de Sponſal. *Dubitandi ad id caput rationes: Sed & decidendi, & in primis* Oſeæ Prophetæ *exemplum, &* Salmon *cum* Rahab *Meretrice, de queis* Patres. *Meretrices, meretricio renuntiantes, recepit ad* Baptiſmum *vetus* Eccleſia *ſicut & Scenicas. Expenſa in re, & ſignata* Cyricii Papæ Epiſtola, & Illiberitanus Can. 44. *Damnato ad mortem, & Meretricem lupanari extractam, ducere uxorem parato, remittendam mortis pœnam, placuit non paucis, argumenta* ex d. cap. 20. *juncta conſimili alia* Epiſtola Innocentii III. *in contrarium potiores, & plures, quibus ſubſcribitur.*

1 HÆc ex Juliæ, Papiæque legum obſervatione, & ſententia, circa inhibitionem nuptiarum cum probroſis fœminis, retinuiſſe vetus Eccleſiæ diſciplina videtur; ſupereſt explicanda ejuſdem prohibitionis, quoad matrimonium cum Meretrice, veluti abrogatio quædam ſolemnis, quam obſerva-

re licet, *ex cap. inter opera 20. de Sponſ.* ubi à Clemente III. proponitur ſtatutum, *ut omnibus, qui publicas mulieres de lupanari extraxerint, & duxerint in uxores, quod agunt, in remiſſionem proficiat peccatorum.* Probat itaque hæc Conſtitutio, & quod eſt amplius, præmio, indulgentiaque velut provocat nuptias cum Meretricibus, in quo, ut illius diſſenſum à ſententia noſtrarum Juliæ, Papiæque legum diſſimulemus, tamen diſſimulare vix licet diſcrepantiam à *Canone illo 67.* Illiberitanæ Synodi, quo, ut docuimus ſupra *cap.* 35. prohibetur conjugium cum Comicis, Scenicisve, ſub pœna repulſionis à communione. Quid enim an non eadem, aut par ſaltem infamia ſcenæ, & meretricii, vel ex cenſura *Canonis* 18. *Apoſtolorum*, de quo ſupra *cap.* 39. cur ergo turpis æque conjunctio cum Scenicis, probro, atque pœna, cum Meretricibus præmio, & indulgentia ſit digna? An quia Illiberitanus Canon de conjugio cum ſcenico fidelis fœminæ, à qua in hac parte, ſicut & generaliter à fœminis in aliis juris articulis, ſtrictior, ſanctiorque, quam a viris honeſtatis, & decoris ratio exigitur, ex notatis ſupra *cap.* 15. an & quia certius, graviuſque periculum pudicitiæ, morumque fœminæ, ex conſortio cum Scenico marito, cujus imperio, exemploque, & legibus connubii, & fragilitate ſexus obnoxia, quam viri ex matrimonio cum Meretrice, cui potius maritali jure, & affectu, deinceps continentiæ auctor futurus creditur, quam lenocinio proſtitutionis? An denique quia ex conjugio cum Scenicis, periculum ingens de idololatria, cui ſcena, & ſcenici veluti addicti, olim providebatur, ut docuimus *dict. cap.* 35. non item ex conjugio Meretricis, tametſi alioquin parum honeſto, & ob bigamiam, notamque irregularitati merito obnoxio?

2 Utrumcumque ex his ſit, aut ea omnia ſimul, graves certe, ſeriæque cauſæ Pontificii juris auctoribus fuiſſe videntur, ob quas conjugia cum Meretricibus non permitterent modo, aut probarent, ſed & proſequerentur indulgentiis, & remiſſionibus. Namque, ut ſcriptum eſt in latiori contextu, *dict. cap. inter opera 20. Inter opera caritatis. quæ imitanda nobis auctoritate ſacræ paginæ proponuntur, ſicut Evangelica teſtatur auctoritas, non minimum eſt, errantes ab erroris ſui ſemita revocare, ac præſertim mulieres, voluptuoſe viventes, & admittentes indifferenter quoslibet ad commercium carnis, ut caſte vivant, ad legitimum thori conſortium invitare.* Tale in primis, aotiſſimumque ex auctoritate *ſacræ paginæ*, ad quam Clementis textus reſpicit, exemplum Oſeæ, duodecim Prophetarum primi, qui præcipienti domino, ita: *vade, ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationis*; paruit, & fornicariam, ſeu Meretricem uxorem duxit, & ex ea filios ſuſcepit fornicationum, quia ex fornicaria quondam, quamvis jam tunc uxore; in quo adeo non culpandus Oſeas, præſertim, cum Sacerdotem cum fuiſſe non liqueat, & conſequenter nec pertinuiſſe ad prohibitionem, *cap.* 21. Levitici, ut laudandus potius ſit, quia divino præcepto, vel cum jactura proprii honoris obediens, Meretricem ad pudicitiam convertit, ut ex Hieronymo *lib. 1. in Oſeam, cap.* 1. legimus *in cap. ultim. 32. quæſt. 1. Sic enim ad vitam corrigendam conſultum mulieri, & figuræ ſacramentum expreſſum,* ait Auguſtinus *lib. 22. contra Fauſt. cap.* 80. Thomas 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. plures apud Riberam *in Oſeam, cap. 1. verſ.* 2.

3 Simile & exemplum Salmon, qui duxit uxorem Rahab Meretricem Hiericuntinam, ſed converſam ad veri Dei cultum, & pœnitentem, ut *ad cap. 2. & 6.* Joſuë, probant, poſt Abulenſem, & alios, Serarius, & *ad Pauli Epiſtol. ad Hebræos, cap. 11. Jacob. Epiſtol. Cathol cap.* 2. alii Expoſitores. Claudius Eſpenzæus *de Continentia Sacerdot. lib. 3. cap.* 3. & laudabiliter uterque in catalogum progenitorum Chriſti adſcribi meruerit. Matthæi *cap.* 1. juncto *cap. Dominus 8. 56. diſtinction.*

4 His autem, ſive exemplis, ſive anctoramentis, ſicut Scenicos, aliosque ſcelerum magiſtros, vel ante Baptiſmum peccantes, vel poſtea lapſos, recepit ad Baptiſmum, & Pœnitentiam vetus Eccleſia, contra Novati, aliorumque errores, ſi modo anteactæ vitæ flagitia, profeſſionemque impuram, ſerio, & ſolemniter ejurarent, ut præter ſupra adducta *cap.* 35. liquet ex Africani Concilii *Can.* 12. qui exſtat *in cap. Scenicis 96. de Conſecrat. diſt.* 2. juncto *cap. de his 12. 33. quæſt.* 2. ita & Meretrices, ex Ethniciſmo ad fidem, aut ex proſtitutione ad pœnitentiam converſas, ſeu reverſas admiſit eadem Eccleſia, dummodo meretricio quæſtui, ſeu vitæ, & re ipſa, & ſtata, atque ſymbolica teſtatione renuntiarent, ut docet Auguſtinus *de octo Dulcitii quæſtionibus, quæſt. 1. in princip. Hoc ſi ita eſt*, inquit, *fateamur, iſtos laudabili caritate conari, ut omnes indiſcrete admittantur ad Baptiſmum, non ſolum adulteri, & adulteræ, contra ſententiam Domini falſas nuptias prætendentes; verum etiam publicæ Meretrices, in turpiſſima profeſſione perſeverantes; quas certe nulla etiam negligentiſſima Eccleſia conſuevit admittere, niſi ab illa primitus proſtitutione liberatas.* Idem Auguſtinus *lib. de Fide, & Operibus, cap.* 21 *Similiter*, inquit, *dici poteſt, publicas Meretrices, quas utique ad Baptiſmum, niſi ab illa turpitudine liberatas, nulla admittit Eccleſia.* Alludit huc, atque hinc illuſtranda Cyricii *Epiſtola* 1. *ad Himer. cap.* 5. quæ *dicto cap de his* 12. dum inter lapſus poſt Baptiſmum, aut Pœnitentiam, numerat *ludicras voluptates, & inhibitos denuo appetiviſſe concubitus*, hoc eſt, ſcenam, ſive ſpectacula, & ſcortationem, ſeu Meretricem, quæ ſingula in Baptiſmo, aut Pœnitentia ejurando ſibi inhibuerant. Alludit proprie magis ad rem Illiberitani Concilii *Canon.* 44. dum ſtatuit, *Meretricem, quæ aliquando fuerit, & poſtea habuerit maritum, ſi poſtmodum ad credulitatem venerit, incunctanter eſſe recipiendam. Incunctanter*, inquit, hoc eſt, non expectato experimento continentiæ, aut exacto ſtrictiori abjuramento turpitudinis, cui ſerio ſatis renuntiaſſe creditur, cum honeſtatem, pudicitiamque conjugalem meretriciæ licentiæ prætulit, & ſub matrimonii (non quidem ſacramento, ut conſpecte parum in re hac ſupponit Mendoza *libr. 3. de Confirm. Concil. Illiberit. cap. 18. ad finem.* Sacramenti enim, ante credulitatem, ut pote infidelis, Meretrix particeps non eſt) nexu tamen, & legibus, anteactæ vitæ ſordes eluit; qua utique & ratione nituntur ejuſdem Synodi *Canon. 14. 31. & 72.*

5 Denique elucidanda hinc ratio Pontificii Decreti *in dict. cap. inter opera 20. de Sponſalib.* cujus argumento, ut hoc noſtris largiamur Pragmaticis, adnotatum vulgo eſt, damnatum ad mortem, ſi Meretricem lupanari extractam, uxorem ducere paratus ſit, dimitti immunem pœna debere, quaſi ſcilicet dignus ſit indulgentia criminis in exteriori, atque interiori hoc ſoro, cui ſtrictiore, ſanctioreque illo conſcientiæ indulget peccatorum ſummus judex, vindexque Deus, & qua ratione, exemplove ſervus, qui periculo infamiæ dominum liberavit, juſtam utique cauſam habet manumiſſionis expetendæ, per quam civilem mortem ſervitutis effugiat *l. juſta 9. D. de manum. vind.* eadem & damnatus, deſtinatuſve morti uti poſſit, ut dimitti ſe poſtulet, cum Meretricem, quam uxorem dicit, liberet non periculo futuræ ignominiæ, ſed præſentiſſima lupanaris injuria, infamiaque, eamdemque ipſe talibus nuptiis ſubeat, cujus non levior pœna, quam mortis *l. iſti quidem 8. §. penult. D. quod metus cauſa.*

6 Hæc, & ſi quæ ejus generis alia, ſimulque judiciorum uſus Hiſpaniæ, aut Galliæ, quamvis pro hac parte expendi poſſint, & ſoleant, certius tamen omnino, & inter cordatiores interpretes receptius eſt, non eſſe locum dimiſſioni noxii damnati, ex cauſa Meretricii conjugii. Nullo enim juris loco, certove auctoramento, hæc evadendæ pœnæ ratio prodita, nec producenda, aut adjuvanda facile, contra vigorem publicæ diſciplinæ. Nam quod aſſertur *ex dict. cap. inter opera* 20. id proprie ad remiſſionem, indulgentiamve peccati apud Deum, ob ſpirituale opus miſericordiæ, exercitæ in dedu-

ctione

ctione Meretricis ex lupanari ad nuptias, pertinere, ſatis vel ex perpenſis ſupra apparet, & indicavit perexiguo intervallo, poſt Clementis deciſionem *in dict. cap. inter opera* 20. perinde conſulens converſioni infelicium fœminarum, eamdemque indulgentiam eas ducentibus firmans Innocentius III. *in Epiſtol.* 113. *in extremis*, magni Baronii *Annalium ſchedis*, apud Spondanum, *anno Chriſti* 1198. *numer.* 13. Odoricus Rainaldus *ad eumdem annum*, *num.* 38. *tom.* 1. *poſt Baronium.* Enim vero ſi eo indulgentiæ divinæ exemplo, ad vitandas civiles in furo pœnas, abuti liceret, magna peccandi illecebra, & impunitatis ſpes, cum magna publici ex delictorum pœnis exempli, jactura offerretur ſceleratis quibuſque damnatæ vitæ, & famæ, eluſuris paſſim, Meretricii conjugii velamento, ultorem legum gladium, aut fuſtem. Aliaque itidem ratio eſt ſervi, cui nec nocenti, nec damnato, ſed infelicitate natalium, aut fortunæ, ut plerumque accidit, in ſervitutem detruſo, juſta cauſa ſubeſt libertatis impetrandæ à domino, minore viginti annis, nec tamen eo invito, ſed volente, & eam cauſam allegante apud Prætorem, ſi eum, ſcilicet dominum periculo infamiæ liberaverit, *dict. l. juſta* 9. *D. de liber. cauſa.* Alia vero conditio nocentis, meritoque ex delicto damnati, cui licere non debet, invitis legibus, & Republica, indulgentiam pœnæ extorquere, ſive prætextu converſionis Meretricis, quam fortaſſe poſtea ad eadem, vel deteriora proſtituet, ſive ex tali connubio infamiæ, cujus ut apud probos gravior pœna, quam mortis, ita apud improbos noviſſima voluptas eſt, ut eleganter alibi Tacitus. Ergo niſi ſi quando delicti, & damnationis genus, locum aliquem veniæ, ejuſque ex hac cauſa impetrandæ, Principe conſulto, dare videbitur, regulariter quidem nuptias cum Meretrice non ſufficere, ut dimitti damnatus debeat, verius eſt; in idque inclinant, magis de uſu etiam, ſeu praxi aſſertionis contrariæ dubitantes, Pariſ. de Puteo *de Syndicatu*, §. *an ſi judex*, *circa finem num.* 20. Covarruv. *in* 4. *Decretal.* 2. *part. cap.* 3. §. 4. *numer.* 17. & *cap.* 8. §. 11. *num.* 3. & ex eo Petr. Plaza in *Epitom. delict. cap.* 34. *num.* 6. Julius Clarus *libr.* 5. *Sentent.* §. *fin. quæſt.* 98. *num.* 6. ac præter congeſtos a Cænedo *in Collect. ad Decretal.* 140. *num.* 10. & *practicar. Canonicar. lib.* 1. *quæſt* 9. *num.* 19. Gomez 3. *tom. Variar. cap.* 13. *num.* 37. *caſu* 5. diſputans late Gamma *de Sacram. præſt. ultimo ſuppl. damn. quæſt.* 4. *num.* 10. Bobadilla *in Politic. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 142. Farinac. *Fragmentor. crimin. litt. C. num.* 642. *part.* 1. Barboſa *in Collectan. dict. cap. inter opera* 10. *num.* 5.

Hæc jam olim Salmanticæ occurrebant, quæ cenſeremus propria, & in re *ad cap.* 20. *de ſponſalibus*, multa poſtinde illic, circa rem, annexuit noſter Emanuel Gonſalius *in Notis*, & *Commentariis.*

C A P U T XLI.

In quo, & ſequentibus Syntagma, huc uſque traditis conſectaneum, Juſto-Theologicum, & Hiſtoricum, de auctoritate Politica in matrimoniis, & de illius, & Eccleſiaſticæ poteſtatis fontibus, concurſu, & confiniis, ac demum de recurſibus per viam violentiæ Theorico-practica meditamenta.

A R G U M E N T U M.

D*Iſquiritur, an, & qua auctoritate ſteterint prohibitiones Matrimoniorum* Juliæ, Papiæque legum; Cujacii *ſententia, ſtetiſſe ex auctoritate* Pontificatus Maximi, *qua* Auguſtus, *& ſecuti* Cæſares, *tamquam* Pontifices Maximi, *de Matrimoniis ſtatuebant, ſicut de Religione, & Sacris, & quidem politica in eo ipſo circumſpectione. Rejecta correctio, tentata* in l. 20 §. 6. D. de hær. pet. Chriſtiani Cæſares Pontificatus Maximi *titulum ſaltem retinuere, uſque ad* Concilium Chalcedonenſe. *Aſt verius* Julias, & Papiam leges, & *latas ante* Auguſti Pontificatum, & *ſubnixas auctoritate ſuprema Politica, quomodo & ſubſtitere* Republica *libera, & poſtea, alia de Matrimoniis* Decreta, & leges, *quarum documenta expenduntur. Ex hac, veluti hiſtorica narratione, gradus fuit ad diſceptationem* Juſto-Theologicam, *an licuerit, liceatve nunc* Chriſtianis Principibus, *jure ſuo ſupremæ auctoritatis Politicæ, de Matrimoniorum nexu, irritatione, aut diſpenſatione ſtatuere. Relata* Sectariorum *aſſertio, & damnata, quæ licere eis, ait, &* Eccleſiæ *non licere: relata & alia* Catholicorum, *quæ licuiſſe eis, & licitum nunc futurum, etſi* Eccleſia *ſibi hanc auctoritatem reſervaſſet. Relata tandem tertia ſententia, quæ nec licuiſſe, nec licere* Principibus, *aſſerit, idque non tam ex reſervatione, facta ab* Eccleſia, *quam ex defectu poteſtatis civilis ad hunc finem. Subſcribitur huic tertiæ aſſertioni, quæ & fulcitur ex* cap. ad ſedem 2. 35. q. 2. *juncta* l. ult. in fin. tit. 10. p. 4. *De Matrimoniis ſtatuere, jam inde à* Chriſto Domino, & Apoſtolorum, *ac ſecutis* Ethnicorum Cæſarum *ſæculis, fuit* Eccleſiæ *quoad* Chriſtianos. *Exercita ea auctoritas, & exerte magis, poſt* Conſtantinum *uſque ad* Juſtinianum, & *fere ſextum* Eccleſiæ *ſæculum, & prolati in re* Canones, *queis firmatur. Deinde ab eo ſæculo, &* S. Gregorii Magni Decretis, *non modo exeruit ſe* Eccleſiæ *auctoritas, ſed & obtinuit, ut deinceps ex illius ſola cenſura regerentur Matrimonia, & ſtarent, in quo* Gratiani *notæ laudantur. E contra in* Byzantino Imperio, Græcia *blandiente ſuis* Cæſaribus, *retentæ priſcæ Matrimoniorum ex* Cæſareis legibus *prohibitiones, & adducta de his ſtatuendi uſurpatio. Nec diſſimiliter, tametſi reverentiore licentia, in* Occidentali, & Caroli, & Ludovici Capitularis, & *in* Gothicis, *aliiſque* legibus. *Jam antilogiæ huic conciliandæ, obſervatur,* Juſtiniani, & *aliorum* leges *de Matrimoniis ſubſtitiſſe, quoad infideles, ſuo jure, & quoad fideles, ex aſſenſu, aut approbatione* Eccleſiæ, *in quem ſenſum expenſæ, & expoſitæ* Evariſti, & Callixti Epiſtolæ, & Matiſconenſes, *ac* Turonenſes Canones, & *exemplum impedimenti cognationis legalis. Stetere item, quando, & quatenus auxiliatrices* Canonum, *de quo* Canon Milevitanus 17. *ſive* Carthaginenſis 105. & Auguſtini *egregius locus. Illuſtrati ſimiliter, poſt* Zonaram, *alii* Canones. *Poſtremo & toleratæ tantiſper eædem* leges, *donec tandem exciſæ à* Gregorio VII. & Alexandro II. *cum inceſtuoſorum hæreſi:* Clauſum os retractariis, & ſectariis obloquentibus.

1 PErductæ hucuſque duobus libris, & exaſciatæ potius, quam expolitæ commentationi ad leges Juliam, & Papiam de maritandis ordinibus, ſive de connubiorum jure, permiſſione, ac prohibitione ex Romanis illis legibus, ſepoſuimus in extremum hunc locum, commune veluti claudendo univerſæ commentationi ſyntagma, & fortaſſe pro hodierno Eccleſiaſtico, & civili regimine ſæpius uſui futurum, de auctoritate politica in matrimoniis: in quo neque exerramus via, atque inſtituto; nam cum toties ex legibus Julia, & Papia, leges interdictionem, pœnas matrimoniis impoſitas, eaſque ad Juſtinianum uſque, ſub Chriſtianis Cæſaribus, & earum partes ſaltem ac reliquias, etiam poſt Juſtinianum, in Eccleſiæ, & Imperiorum legibus remanſiſſe, meminerimus; videtur & affinis, & non inconſequens diſquiſitio de auctoritate, qua ſteterint, & an politica ſuffecerit illi, ac ſimilibus, de connubiorum jure Statutis.

Præmittimus pro Romanis legibus, non defuiſſe qui cenſeant, præeunte obſervatore magno Cujacio 6. *cap.* 32. ac ſecuto Gutherio 2. *de Vet. Jure Pont. cap.* 7. Cæſares, atque in primis Auguſtum, ſtatuiſſe de matrimoniis, & quæ jungere fas, aut ne- 2

fas eſſet, tanquam Pontifices Maximos, ad quos & ideo cum ſacrorum cura, de ritu, cæremoniiſque nuptiarum, quibus innexa communicatio divini juris. *l.* 1. *cum inſcriptione tituli D. de ritu nupt. l.* 4. *C de crim. expil. hær.* ſimulque an rite, & recte nuberetur, & an juſta ſoboles eſſet, notio ſpectaret, juxta illud nemini non notum Taciti 1. *Annal. Conſulti per ludibrium Pontifices.* juncta *l.* 3. §. *ult. D. de ſuis, & legit.* quomodo & nemo neſcit, Pontificatum Maximum, jam inde ab Auguſto, unitum Imperio, politica cautione, & fine, ut qui Imperator *ſummus Hominum, ſummus etiam Pontificum eſſet*, ut fere Tacitus 11. *Annal.* ſive ut de Hæbræis idem 5. *Hiſtor. cap.* 8. *Honor Sacerdotii firmamentum potentiæ aſſumeretur*: atque idem *Judex, atque arbiter haberetur rerum divinarum, & humanarum.* Ut de Pontifice Maximo Textus *in voce, Ordo Sacerdotum*; & inde Imperatores ſimul dictos Pontifices Maximos. *cap. Cleros* 1. *verſ. Pontifex* 21. *diſt. cap. cum ad verum* 6. junctis ex integro textu additis *in verſ. fuerunt* 96. *diſt.* (quamquam non ideo aſſentiar, quoad *l. item* 20. §. *præter* 6. *D. hær. pet.* pro verbis illis, *Adrianus Auguſtus Imperator, Maximuſque Princeps*, reponenti, *Pontifex Maximus*, cum ſciam, Adrianum, utcumque eſſet, & inſcriberetur Pontifex Maximus, ſolemni Cæſaribus titulo, qui & fortaſſe à Triboniano ſublatus, in S. C. verbis, quæ *in dict.* §. *præter* 6. indigitari etiam optimum, maximumque Principem, in inſcriptionibus Theanenſi, & Tiburenſi apud Gruterum *p.* 249. *num.* 2. & 5. quomodo & alii Cæſares *in l. in honoribus* 8. *D. de vacat. mun. l. Extrario* 17. *D. de quæſt.*) eoque jure, & titulo Pontificatus Maximi in Imperatoribus, non pauca in ſacris, & religioſis promiſcue à Juriſconſultis tribui Pontificali, vel Principali auctoritati, ſcilicet Cæſaris, ſimulque Pontificis, vel Collegii minorum Pontificum. *l. hereditas* 50. §. *alt. D. de hær. pet. l. oſſa* 8. juncta *l. Divi* 39. *D. de relig. l. ult. cum l.* 1. *& l. ſi nec dum* 10. *l. mortuorum* 12. *Cod. de relig. l.* 3. §. *non perpetuæ* 4. *cum ſeq. D. de ſep. viol. l. ult.* §. 10. *de mortuo infer. l. ult. in fine D. ut in poſſeſſ. leg. l.* 2. *verſ. qui vero, Cod. Theod. de ſep. viol. l. ſacra* 9. ubi ſupra ſæculi ſui captum Magnus Accurſius *verbo, dedicavit, D. de diviſ. rer.* juncto §. *ſacræ* 8. *Inſtit. de rer. diviſ.* Lampridio *in Commodo* ad *extremum.* Paulo 2. *Sent. tit.* 21.

3 Denique & poſt Auguſtum, Ethnicoſque, retinuiſſe adhuc Chriſtianos Cæſares, Conſtantinum, & qui ſecuti, ſaltem Gratianum uſque, Pontificatus Maximi titulum, ut vel ex Zoſimo *lib* 4. *Hiſt.* Symmacho *lib.* 9. *Epiſt.* 118. & *lib.* 1. *Epiſt.* 46. Auſonio in gratiarum actione pro Conſulatu, & priſcis marmoribus, Baronius ſui *in Martyrologio* Cenſor, correctorque *tom.* 3. *Annal. ad ann.* 312. & *tom.* 4. *ad ann.* 382. Joannes Morinus *Eccleſiæ liberatæ* 2. *parte cap.* 14. Joannes Fileſaccus *de Sacra Epiſcop. Auctor. cap.* 7. § 7. & Honorium pro Gratiano nominans, Jo. Marian. *de Reg. inſt. lib.* 1. *cap.* 10. & quod ulterius enotes, delegaſſe, ac permiſiſſe Conſtantium, ſeu Conſtantem munia veluti ſua Collegio Pontificum, *l.* 2. *Cod. Theod. de ſep. viol.* ſicut Conſtantinum Magnum Aruſpicibus. *l.* 1. *&* 2. *Cod. Theodoſ. de malefic.* cum *l.* 1. *de paganis, & l. quoniam* 5. *de Epiſc. & Cleric. eod. Cod.* Tandemque & poſt Gratianum Chriſtianos Imperatores uſos adhuc Pontificatus Maximi non quidem munere, aut ſtola, ſed tamen titulo, & titulo tenus, præmonuimus in *libella de Epiſcop. Portug. propoſit.* 3. *num.* 164. ex Concilii Chalcedonenſis actis, & Epiſtola Anaſtaſii Imperatoris, quam ex Vaticanis Cimeliis edidere Pontificiarum Epiſtolarum Collectores *tom.* 1. *pag.* 447. tametſi illam abſque Pontificis titulo exhibeat Baronius *tom.* 6. *ad ann.* 516. ſuppoſititium eum fortaſſe cenſens, ut & de eodem cenſuit, quoad Chalcedonenſem actionem, & eum eo acriter renitens, Jac. Gothofr. *Opuſc. de interdicta Chriſtianis cum Gentilibus communione, prope finem.*

4 At ut ad rem, legeſque noſtras Juliam, & Papiam, quatenus de connubiis ſtatuere, Auguſtum in illis ferendis uſum non fuiſſe jure, aut munere Pontificis Maximi, liquere diſcentibus debet, nec tam ex novitiis Chronologis, ad quos recurrit noſter Arias Meſa 3. *Var. cap.* 32. *num.* 10. quam ex veteribus Seneca 1. *de Clementia cap.* 10. nuncupante *Pontificatum Maximum, ornamenta Principis, quem non niſi poſt mortem Lepidi transferri ad ſe Auguſtus paſſus fuit.* Suetonio *in Auguſto cap.* 31. Dione Caſſio *lib.* 54. qui mortuo demum Lepido, creatum Auguſtum fuiſſe Pontificem Maximum ad annum 741. ab U. C. pridie Nonas Martii, quæ & dies Veſtæ ſacra, teſtantur, quibus concinit ex Ovidii *Faſtis*, in *Martis* illud:

Cæſaris innumeris, quos maluit ille mereri,
Acceſſit titulis, Pontificalis honor:
Ignibus æternis æterni Numina præſunt
Cæſaris: Imperii pignora juncta vides.

Cum tamen è contrario liqueat, leges Julias anterius latas, earumque extremam anno Urbis 736. ut jam ſupra *lib.* 1.

5 Deinde & liquere debet, & præmonuit Rouſellius ille, hiſtoriæ Pontificiæ Juriſdictionis Collector 1. *cap.* 5. *num.* 11. & *lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 14. ante, & poſt Cæſarum Pontificatum, ſtatuiſſe de matrimoniis, & connubiorum jure, ac nexu prohibendo, permittendo, aut indulgendo, Senatum Romanum (& quidem conſultis ſæpe Pontificibus ethnicis, ut in illo Taciti 1. *Annal.* de quo & eſt in Dione *lib.* 48. & relicta Pontificibus de ritu, ac cæremoniis nuptiarum, & de familiæ ſacris notione) ſed de matrimoniis, ut diximus, politica, & ſuprema auctoritate, cujus documentum vetus eſt illud S. C. de connubio Hiſpallæ Feceniæ apud Livium *lib.* 39. & alia in eodem de Campanis *lib.* 38. *&* 31. in eodem Livio, & militibus Romanis cum Hiſpanis mulieribus *lib.* 42. & de Octavia intra annum luctus cum Antonio, apud Plutarchum *in Antonio*, juncta *l. decreto* 15. *Cod. ex quib. cauſ. inf. irrog.* & de nuptiis conſobrinarum in eodem Plutarcho *in Romanis, Problem.* 6. & notiſſimum Claudii cum Agrippina ex decreto Senatus, *quo juſtæ inter Patruos, fratrumque filias nuptiæ, etiam in poſterum, ſtatuerentur*, ut ſcripſit Tacitus 12. *Annal.* & ex juris noſtri libris in hoc ipſo argumento illud *l. oratione* 16. *D. de ritu nupt. l.* 3. §. 1. *D. de donat. inter l. oratio* 16. *D. de ſponſal.* itemque illud *l. Senatuſconſulto* 59. *D. de ritu nupt. l. ult. cum aliis D. de legat.* 1. Demumque eadem auctoritate politica, & ſuprema ſtetiſſe Julias, Papiamque leges, de connubiis, ſeu maritandis ordinibus, & connubii jus dediſſe Cæſares, potius tamquam αὐτοκράτορες, ſeu ſupremos Principes, quam ut Pontifices, ut *in l. ſi Senatori* 31. *D. de ritu nupt.* ad quam jam ſupra quædam; nec modo ethnicos Imperatores, de queis *in l. ſolet* 10. *D. de his, qui not. inf. l. pen. Cod. de interd. matr. inter tut. l.* 2. §. 1. *D. de his, quæ ut indign. l. & ſi contra* 6. *cum ſimilibus Cod. de nupt. l. adoptivus* 14. §. *ult. D. de ritu nupt.* illic, *non poſſe me uxorem ducere, Auguſtus interpretatus eſt*, ubi veſtigium legis Juliæ ſubodoratur Cujacius *ad tit. D. de gradibus.* juncta *l. qui in Provincia* 57. §. 1. *D. de ritu nupt. l. ſi adulterium* 38. §. *fratres* 4 *&* §. *iidem Pollioni* 6. *D. ad leg. Jul. de adult.* Ulpiano *tit.* 5. §. *connubium* 4. *& inſcriptionibus Gruterianis pag.* 573. de connubio dato à Veſpaſiano Claſſiariis Ravennatibus, & ab Adriano Miſenenſibus, cum uxoribus, quas tunc habuiſſent. Sed etiam Cæſares Chriſtianos, Juſtinianum uſque, *l.* 1. illic: *Aut noſtri prærogativa Reſcripti, Cod de natur. lib. l.* 3. *cum ſeq. Cod. de inceſt. nupt.* cum aliis *eodem titul. in Theod. & l.* 2. *inibi de nupt. & l.* 2. *de nupt. Gentil. & l. nulli* 21. *in Theod. de piſtor. l. celebrandis* 19. *l.* 21. *&* 23. *&* 25. *cum ſeq. Cod. de nupt. l. ult. Cod. de interd. matr. int. tut. l.* 1. *&* 2. *Cod. ſi nuptiæ ex reſcr. pet. l. conſenſu* 8. *cum legib. ſeq. C. de repud. Novell.* 22. *de nupt. cap.* 3. *& ſeq. & Novell.* 117. *ut liceat matri*, ex *cap.* 8. *cum ſeq.* & ex Juſtino 1. *Novell.* 140. *Ut*

conſenſu

conſenſu matrim. §. *duorum* 4. *Inſtit. de nupt.* extatque eonſueta formula confirmationis matrimonii, & juſtæ uaoris faciendæ reſcripto Principis, in Caſſiodori *lib.* 7. *form.* 40. & diſpenſationis, ut loquimur, matrimonii cum conſobrina, *eodem libro*, *form.* 46.

6 Hæc, nt poſuimns, ad Juſtinianum uſque, & ex Romana, & Juſtinianea legumlatione; jam ſi, ut rationis eſt, diſquiramus, an, & quatenus, quandove inter Chriſtianos licuerit, liceatve auctoritate politica, de matrimoniis leges ſtatuere, quibus aliqui ad es impotes, & irrita eadem fiant, ſive impedimenta, ut loquimur, impedientia, & dirimentia inducantur, & ſi quæ alia, his conſectanea, prælibandum paucis eſt, tres fere in hoe quæſito ſententias occurrere. Prima, fuiſſe olim, atqun hodie eſſe legis, & poteſtatis Politicæ, de matrimoniis, in univerſum ſancire, prohibendis, dirimendis, permittendis, utpote de contractu, ad politicum ſtatutum, & curam cum primis pertinente, cujus cenſuram ſibi vindicare, & Principibus adimere, non licuiſſe Pontificibus, ſcribunt, & Sectariorum ſenſu, & Schola poſt Kemnitium Marloratum, & alios, Albericus Gcotilis *lib.* 1. *de Nupt. cap.* 7. & 17. & *lib.* 3. *cap.* 12. Balduinus Hotmannus, Vulteius Harprectus, & ex eadem fece alii *ad titul. Inſtitut. de nuptiis.* Et ex Catholicis, Gallica, ut ſolet, licentia, & auſu, factum id *nimio ſtudio Pontificum*, & *conniventibus Principibus*, accuſat fere Cujacius *ad tit. de conſanguinit. & affinitat.* & 4. *differ.* Modeſt. *ad l. in ſponſalibus* 14. *D. de ſponſal.* quæ tamen, nè moremur, Sectariorum aſſertio, quatenus Eccleſiæ negat poteſtatem conſtituendi impedimenta dirimentia matrimonium, & judicium de cauſis matrimonialibus, damnatur anathemate Tridentinæ Synodi *ſeſſ.* 24. *de matr. Can.* 4. & 12. de queis poſtea, & reſellitur à Bellarmino *tom* 3. *lib.* 1. *de Matrim. c.* 32. Franciſeo Turriano *pro Can. Apoſt. adv. Magdeb. lib.* 5. *cap.* 11. *ad finem.*

7 Secunda ſententia eſt, licuiſſe, & hodie licitum futurum Principibus ſupremis, ſuo jure, & ex natura, & vi Politicæ auctoritatis, de matrimoniis, & eorum nexu, irritatione, aut diſpenſatione leges eondere, ſive per eas impedimenta, nuptias dirimentia ſtabilire, idque, quia matrimonia quatenus contractus civiles ſunt, ſubſunt, ſicut alii contractus, civilibus legibus, & politicis multo magis, quatenus nuptiarum contractus, pertinentes, ac neceſſarii ad politicum ſtatum, de quo pluribus *ſupra lib.* 1. *cap.* 4. & 5. Et quamvis matrimonium inter Chriſtianos, & ex Chriſti inſtitutione ſit Sacramentum, tamen adhuc Sacramenti fundamentum eſt contractus civilis, ſuo genere, & natura ſubditus impedimentis, & irritationi legis civilis politicæ; quod & ipſum hodie futurum, hæc ſententia aſſerit, niſi Eccleſia ex ſupereminentibus poteſtati civili cauſis, & auctoritate, hanc de matrimoniorum jure, & ſubſtantia ſtatuendi, ſibi reſervaſſet: quam reſervationem ſupponunt, & ex ea ademptam Principibus de matrimoniis νομοθετεῖν, quæ alioquin ſuæ poteſtatis eſſet, cenſent ſententiæ hujus aſſertores, poſt D. Thomam *in* 4. *diſtinct.* 34. *quæſt. unic. art.* 1. *ad* 4. quem pro ea ſententia laudat Fr. Victoria *Relect.* 7. *de Matrimon. part.* 2. *ſect.* 1. poſt otrumque Sotum, & alios, Henriquius *in Summa lib.* 12. *cap.* 1. *num.* 4. & ex aliis Sanctius *de Matrimon. lib.* 7. *diſp.* 3. *num.* 2. & 3. Greg. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 1. & ex eo fere ad verbum Joannes Petit. *in Theologia univerſali*, *part. Sacram. tract.* 8. *lect.* 3. Becan. *de Sacram. cap.* 49. *quæſt.* 3. plures apud Anton. Dianam *part.* 5. *tract.* 1. *de Immunit. reſol.* 15. §. *notandum*, & *part.* 7. *tract.* 1. *reſol.* 23. §. 6. Auguſtin. Barboſ. *in cap.* 1. *num.* 6. *de ſponſal.* & redigendus ad hunc ſenſum, ut ſane ſentiat, Archiepiſcopus Villarœlius *in Gubern. Eccleſ. & Pacific. part.* 2. *quæſt.* 16. *art.* 2. *ex num.* 10. & 23.

8 Tertia ſententia eſt, nec licere, nec licuiſſe Chriſtianis Principibus, de matrimoniis Chriſtianorum, valide contrahendis diſſolvendiſve leges ferre, ſive impedimenta, quibus irritentur, aut dirimantur, inducere, atque id non tam ex reſervatione facta ab Eccleſia, quam præcedens ſententia ſupponit, quam ex defectu poteſtatis civilis ad hunc effectum; nam cum matrimonii contractus, Chriſti inſtitutione, elevatus ſit ad rationem Sacramenti (& quidem adeo inſeparabiliter, nt non poſſit matrimonii contractus ſtare, aut ſubſiſtere inter fideles, abſque eo quod ſit Sacramentum, niſi intentio contrahentium deficeret, de quo & videſis contendentes Sanctium *de Matrim. lib.* 2. *diſput.* 10. *num.* 6. Baſil. Pont. *eodem Tractatu*, *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. Vaſquium, & alios apud Dianam 3. *part. tractat.* 4. *Reſol.* 255.) exiit eo ipſo, tanquam res ſacramentalis, aut Sacramenti fundamentum, à judicio, & poteſtate profana Principis politici, cui fas eſſe non poteſt, de Sacramentis, aut ſacramentalibus, judicare, aut ſtatuere; quomodo utentes etiam D. Thomæ ſuffragio in 4. *diſtinct.* 42. *quæſt.* 2. *art.* 2. *ad* 4. & ex Canoniſtis, ut vocant, Panormitano *in cap.* 1. *num.* 9. *de ſponſal.* & *in cap. Eccleſia S. Mariæ* 10. *num.* 19. *de conſtitut.* aliiſque laudatis à Sanctio *dict. Diſput.* 3. *num.* 1. aſſeruere Bellarmin. 3. *tom. lib.* 1. *de Matrim. cap.* 21. *verſ. dices.* & *cap.* 32. *verſ. potiſſima*, *cum ſeq.* Gabr. Vaſquius *in* 3. *D. Thomæ*, *tom.* 4. *diſp.* 3. *de matrim. cap.* 5. *num.* 65. & 67. & implicite magis noſter Baſil. Legion. *lib.* 6. *de Matrim cap.* 2. *num.* 3. poſt alios Antoninus Diana 1. *part. Tract.* 2. *de immunit. reſol.* 127. & *part.* 5. *tract.* 1. *reſol.* 15. & *part.* 7. *tract* 1. *reſol.* 23. *num.* 4. Franc. Zypæus *de Juriſd. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 2. fuſe, & acriter Franciſcus Salernus *Diſput. pro valore matrimonii contra Francos*, §. 9. *num.* 64. & *ſeq.* & ex aliis deſcribens Hermoſinus *ad cap. Eccleſia* 10. *de conſtitut. q.* 21.

9 Ex duabus his, ſecunda, tertiaque ſententiis, quamvis eam parum diſtinguant, ac fere miſceant, poſt alios, Ar. Meſa 3. *Variar. cap.* 36. *num.* 27. nobis potior, & expeditior tertia hæc videtur, pro qua & conducit ratio, & auctoritas *noſtræ l. ult. in fin. tit.* 10. *part.* 4. & inter alia apud nos illud, tum quod de Conſtitutione Canonica, quæ, & quo ſæculo abdicaverit à Principibus poteſtatem politicam, de matrimoniis ſtatuendi, cum ante habuiſſent, & reſervaverit exinde Eccleſiæ, ut ſecunda ſententia ſupponit, non ſatis conſtat; tum etiam, quis error ille inceſtuoſorum, qui contendebant, computandos gradus parentelæ, quoad matrimonia, juxta computationem legalem, non damnaretur, tamquam hæreſis, in Conciliis Romanis ſub Alexandro II. de queis *in cap. ad ſedem* 2. 35. *quæſt.* 2. ſi pugnaret tantum cum reſervatione canonica, ac non potius cum Chriſti inſtitutione, qua exaltatus matrimonii contractus ad Sacramentum, atque eo ipſo exemtus ſæculi legibus; Et tamen huic tertiæ ſententiæ inter non pauca primo aſpectu obſtantia, firmandæ, & expediendæ, obſervamus quæ ſequuntur.

10 Primum eſt, jam inde à Chriſto Domino, & illius inſtitutione, qui quæſtionem de matrimonii indiſſolubilitate, ſive de divortio, ac repudio, non rejecit, ut illam de poſſeſſionibus ad Magiſtratum politicum, ſed per ſe, ac directe definiit, ut eſt Matthæi *cap.* 5. *verſu* 31. & *cap.* 19. *verſ.* 3. & illius exemplo Paulus 1. *ad Corinth. cap.* 7. & *ad Epheſ. cap.* 5. *verſ.* 23. Eccleſiam Sanctam de matrimonii jure, impedimentis, atque uſu, Canones edidiſſe, ut liquet *ex Canone Apoſtolorum* 6. 18. & 25. qui ſunt de uxoribus Clericorum, & quatenus illæ retinendæ, aut quibus ducere liceat & *Can.* 48. & 66. qui de matrimoniis Laïcorum; & ſimiles apud Clementem *lib.* 6. *Conſtit. Apoſtol. cap.* 17. & *lib.* 7. *cap.* 3. Deinde è Romanis Pontificibus Evariſtus *Epiſt.* 1. *cap.* 2. primo fere Eccleſiæ ſæculo, de legitimi conjugii requiſitis, & quidem *ex traditione Apoſtolorum*, & *Patrum*, ac poſtea Callixtus Papa 1. *Epiſt.* 2. *ad Galliarum Epiſcopos cap.* 4. ſecutus, ut affirmat, leges divinas, & Patres noſtros, eorumque

rumque veſtigiis inhærens (quanquam & leges ſæculi memorat, de queis poſtea) de conjugus conſanguineorum, auctoritate Apoſtolica reſcindendis; ac demum Fabianus I. cujus in hac re memor Petr. Blæſenſis *Epiſt.* 83. de ſeparandis matrimoniis conſanguineorum, & affinium, *ex judicio Synodi*, & de impedimentorum gradibus, illic computandis, ſtatuerunt, atque hi omnes, ſervente adhuc ethnicorum Cæſarum perſecutione. Extant in Gratiani compilatione *cap.* 1. 30. *quæſt.* 5. *cap. conjunctiones* 2. *cum ſeq.* 35. *quæſt.* 2. *cap. conſanguineos* 35. *quæſt.* 6. ſicut eodem ſæculo, & Eccleſia ſub Ethnicis gemente, cautum de indiſſolubilitate matrimonii fidelium, & de impedimentis, ac ſeparatione in Hiſpania, Concilio Illiberit. *Can.* 8. *ac* 11. *&* *Can.* 61. *ac* 66.

11 Jam vero ſub Chriſtianis Cæſaribus, Conſtantino, & qui ei ſucceſſere, exercitam poteſtatem Eccleſiæ, ſtatuendi de jure, & impedimentis matrimoniorum, cernere eſt in Conciliis Arelatenſi 1. *Can.* 10. *&* 19. & ſpeciatim de inceſtis conjugiis, ſive eorum impedimentis, & prohibitione inter conſanguineos, & affines, in Concil. Nicæno *Can.* 21. *&* 23. *& ſeq.* Neocæſarienſi *Can.* 2. *& ſeq.* Laodicæno *can.* 31. *&* 52. Milevitano *Can.* 17. Toletano 1. cui adſcribitur *caput Statutum* 34. 27. *quæſt.* 2. Epaunenſi *can.* 30. (ex quo ſumptus, & additus Agathenſis *Canon* 61.) Arvernenſi can. 12. Aurelian. 3. *can.* 10. Aurel. 4. *can.* 27. Pariſ. 3. *can.* 4. Turonenſi 2. *can.* 21. & in Pontificiis Epiſtolis Innocentii 1. ad *Exuperium cap.* 6. & Leonis Magni *ad Ruſticum quæſt.* 4. Cyricii *Epiſt.* 1. *ad Himerium cap.* 4. Julii 1. ex quo apud Gratianum eſt *cap. nullum* 7. 35. *quæſt.* 2. quæ, & ſimilia de matrimoniis decreta a Conſtantino Magno ad Juſtinianum, & ſæculum Eccleſiæ ſextum excurrunt.

12 Porro ab eo ſæculo in poſterum, ac præſertim ſub Gregorio Magno, & ſecutis Pontificibus, exeruit ſe eo uſque, & prævaluit Eccleſiæ auctoritas in matrimoniis, ut deinceps illa, & eorum prohibitiones, & impedimenta ex ſola, aut potiſſima Sacrorum Canonum cenſura pendere, & ſtare, agnoſceretur, laudatis in rem divina lege, & Apoſtolorum, ac Sanctorum Patrum ſtatutis, ut præter Evariſti, & Callixti epiſtolas, & Epaunenſem, Turonenſem, alioſque Canones, de queis nuper, apparet ex Gregorii Magni decreto, utcumque imminuto, apud Gratianum *in cap. nec eam* 10. *in fine* 35. *quæſt.* 2. (quanquam & ſæpe ſæculi leges, tanquam concinentes Canonibus, aut auxiliatrices laudarentur, de quo & poſtmodum) at ſi quando illæ ſacris contrariæ, ſtandum omnino iſtis, circa matrimonii jus, atque nexum, decerneretur, ut Juſtiniano fere coævus, decrevit Gregorius *lib.* 9. *Regiſtri*, *Epiſt.* 44. *ad Adrianum.* & ſimiliter *Epiſt.* 39. *ad Theodiſten*, de queis & infra, & in univerſum in interrogationibus *de affinitate propinquitatum, & gradibus, quibus matrimonia jungenda ſint, ad Canones recurrere*, præcipiatur in Concilio Cabilonenſi 2. ſub Leone III. & Carolo Magno *cap.* 28. ut proinde, nec immerito, Gratianus poſt *cap. Euphemium* 7. 2. *quæſt.* 3. inter alia adnotaverit, *matrimonia hodie regi jure poli, non jure fori.* Et eodem ſenſu idem, poſt *cap. ſane* 4. *verſ. non autem, & verſ. ſicut* 15. *quæſt.* 3. de diſcrepantia, quam ſupponit, Canonum, & Legum, quoad matrimonia, notat, dumtaxat utendum eſſe legibus Imperatorum, quoties ſacris Canonibus obviare non inveniantur: Et obtinuerit tandem, de matrimoniis ſtatui oportere, Eccleſiæ, & Synodorum judicio. *cap.* 1. *de ſponſalib. cap. multorum* 10. 35. *quæſt.* 6. *& ex Capitular.* Caroli, & Ludov. *cap.* 314. *lib.* 6. & matrimoniales cauſas, tamquam ſpirituales, eiſque annexas de legitimitate ſobolis, eſſe Eccleſiaſticæ juriſdictionis, & fori, non ſæcularis. *cap. lator* 5. *cap. cauſam* 7. *qui filii ſint legit. cap. tuam* 3. *de ord. cognit. cap. accedentibus* 12. *de exceſſ. Prælat.* Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *&* 12. *l. ult. tit.* 10. *part.* 4. *l.* 56. *tit.* 6. *p.* 1.

13 Secundum & è contra obſervamus, non modo Juſtinianum uſque, de quo jam ſupra, ſed & poſt illum permanſiſſe ſæculis aliquot, & in Byzantino Imperio viguiſſe Romanas leges non paucas, prohibentes, impedienteſve matrimonia, cujuſmodi illa noſtra de nuptiis filiæ, neptiſve Senatoris cum libertino, aut ſcenico, de qua ex Baſilicis, Photio, & Balſamone ſupra *hoc libro.* Itemque illæ de matrimonio viduæ intra annum luctus, & Rectoris provinciæ cum provinciali fœmina, & tutoris, aut ejus filii cum pupilla, quas ut vigentes adhuc commemorat Theodorus Balſamon *ad Photii Nomocan. tit.* 13. *cap.* 2. & in ſpecie de matrimonio tutoris, tanquam nefario, & legibus contrario diſſolvendo, idem *ad Can.* 27. *S. Baſilii ad Amphylochium.* & de Rectore provinciæ Leo Philoſophus *Novell.* 23. & ex profeſſo in Baſilicis *libr.* 28. *tit.* 4. *&* 5. & in *Promptuario* Harmenopuli *lib.* 4. *tit.* 6. ſunt iidem in promptu de jure, & vinculo matrimoniorum, ſive de impedimentis ex conſanguinitate, & affinitate, & de divortiis Conſtituta Græcorum Cæſarum, poſt Juſtinianum, veluti Leonis Philoſophi *Novell.* 23. 24. 98. 100. *&* 111. *& ſeq.* quarum memores, & fere ſubſcriptores Balſamon, & Zonaras *ad Can.* 53. *&* 54. Synodi 6. in Trullo, ac deinde Theophili de connubio Perſarum, Nicephori Botoniatæ de ſolutione matrimonii ob furorem, Alexii, & Emanuelis Comneni, & Iſaaci Angeli de nuptiis ſeptimi gradus, & cum fratris filia, aut inter conſobrinos, quas videre eſt in collectione juris Græco-Romani, ſive Orientalis *lib.* 2. & apud Harmenopulum *dict. tit.* 6. & ex ea gente alios, qui in ea re Byzantinis ſuis Imperatoribus, profana in ſacris licentia bacchantibus, græcula aſſentatione blandiuntur.

14 Nec diſſimiles, quanquam erga Eccleſiam reverentiores, in exercenda legumlatione connubiali, in Occidentali Imperio Carolus Magnus, & Ludovicus, ut liquet ex *eorum Capitularibus lib.* 5. *cap.* 99. *& ſeq.* & 158. *& lib.* 6. *cap.* 128. *&* 188 *&* 206. *& lib.* 7. *cap.* 127. *&* 335. *cum ſeq. & in addit.* 4. *Ludovici cap.* 1. *&* 52. extant & connubiales leges Viſigothorum de nuptiis patronæ cum liberto, à quocumque Regio judice ſeparandis, ac de vidua intra annum luctus, & inceſtis conjugiis ad ſextum uſque gradum dirimendis, præterquam ſi Regia diſpenſatio præceſſerit, ut in *Codice legum Viſigoth. lib.* 3. *tit.* 2. *de nuptiis illicitis. cap.* 1. *&* 2. *& tit.* 4. *de conjugiis inceſtis cap.* 1. *l.* 13. illic: *Sin mandado del Rey*, *tit.* 1. *lib.* 3. *fori legum l.* 3. ibi: *Con otorgamiento del Rey*, *tit.* 12. *part.* 4. *l.* 3. ibi: *Por mandado del Rey*, *tit.* 6. *part.* 7. quibus concinunt *Salicæ leges tit.* 14. §. 16. *Alamannorum tit.* 39.

15 Tertio, ne duo hæc obſervata inter ſe pugnent, ac ne Chriſtianorum Principum leges, & conſuetudo ſtatuendi politicâ auctoritate de jure, nexu, & impedimentis nuptiarum, repugnare videantur Catholicæ aſſertioni, & ſententiæ, cui ſubſcripſimus, de auctoritate hac, non pertinente ad Principes ſæculi inter Chriſtianos ex defectu poteſtatis, ſed ad Eccleſiam, ut de re ſpiritali, & Sacramento innexa; obſervandum paucis eſt, in primis, Juſtinianum uſque, leges Cæſarum, de matrimoniis illicitis, & inceſtis, cum permixti adhuc eſſent ſub eiſdem Cæſaribus fideles, & infideles, & utriſque leges poſitæ, nec diſcreta ſatis adhuc, aut propalata Eccleſiæ, Imperiique jura, & pleræque ex his legibus forent divinis, & naturæ, & gentium conſentaneæ, aut non aperte diſſentaneæ, habuiſſe & pleraſque approbationem Eccleſiæ quoad fideles, ex qua & conſtitere potius, quam ex civili auctoritate, ut apparet epiſtolis illis Evariſti, & Callixti, qui & ex eo ſenſu leges ſæculi, & Imperatorum poſt divinas commemorat, *cap. conjunctiones* 35. *quæſt.* 2. & eodem reſpectu Leo Magnus de conjugio inter ingenuos legitimo, & coæquali ſcribit: *Multo prius hoc ipſum Dominum conſtituiſſe, quam initium Romani juris exiſteret. cap. non omnis* 12. *in princip.* 32. *quæſt.* 2. quomodo & exponendum ex eodem

illud,

Digitized by Google

illud, *ſecundum legem, & Evangelium. in cap. qualis* 4. 30. *quæſt.* 5. & in Matiſconenſi Concilio 2. *cap.* 18. illa: *Inceſtam copulationem, in qua nec conjux, nec nuptiæ recte appellari, leges ſanxerunt.* (*§. ſi adverſus* 12. *Inſtit. de nupt.*) *Catholica omnino deteſtatur, atque abominatur Eccleſia.* & ſimilia ex Concilio Turonenſi 2. *cap.* 20. *verſ. Quia & lex Romana*, & *cap.* 21. illic: *Itemque ait ſacra ſententia legum.* & ex Nicolao I. *ad Conſulta Bulgarorum, cap.* 2. & 39. Atque eſt ejuſce obſervationis nobile documentum in impedimento cognationis legalis, ex adoptione, quod inductum Romanis legibus ſubſiſtit inter fideles, ex approbatione Canonica earum legum, quæ venerandæ in ea re dicuntur, in *cap. ita diligere* 30. *quæſt.* 3. *cap. unic. de cognat. leg.* alioquin per ſe non ſubſtiturum, ut Catholici omnes, poſt D. Thomam *in* 4. *diſt.* 42. *q.* 2. *art.* 2. *in corpore, & ad.* 4.

16 Præterea & obſervandum eſt, laudari leges Cæſarum non ſemel, & auctoritatem politicam, tanquam auxiliatrices pro tuitione, & executione Canonum, in matrimoniis impediendis, aut dirimendis, quibus alioquin Eccleſiæ gladius vix ſufficiebat; in quam ſententiam verba illa: *In qua cauſam legem Imperialem petendam promulgari*, quæ ſunt Milevitani *Canonis* 17. in definitione, *non licere, dimiſſo conjuge, alii jungi.* Quæ omiſſa à Gratiano *in cap. placuit* 5. 32. *quæſt.* 7. (tribuitur Carthaginenſi Concilio *Can.* 105. à Balſamone, qui & Græco errore exoleviſſe eum Canonem, notat, ex Trullanis ibidem) explicuere de lege petenda pro tuitione Canonis, & punitione delinquentium Bellarminus, & Binius, & ex his noſter Meſa 3. *Variar.* 1. 35. *num.* 3. quibus addimus Auguſtini locum *ad Pſalmum* 149. ubi de *potenti*, ut loquitur, *homine de ſæculo*, qui quamvis audiat, ab Epiſcopo, non licere ei dimittere uxorem (quomodo ea ætate jam Epiſcopi de divortiis cenſebant, & ſpiritualiter coërcebant, ut liquet ex *Epiſt. Hieronymi ad Oceanum de Fabiola*) non tamen audit, neque timet, niſi audierit *ab eo, in cujus manibus eſt framea bis acuta, compedes; & vincula ferrea*, id eſt, à Magiſtrato Imperiali.

17 Addimus cum eodem explicatu Scholium Zonaræ *ad Can.* 26. *Synodi* 6. *in Trullo*, ubi de illicitis nuptiis ad finem, ita: *Quin ab Eccleſia uterque conjux ejicietur, & male contractæ nuptiæ δι ἐγκοσμικῆς ἐξουσίας, ſæculari poteſtate diſſolventur.* Concil. Turon. 2. *cap.* 15. inibi: *Etiam Judicis auxilio.* & Remenſe *cap.* 8. *Regi, vel Judicibus*, & aperte in Longobardorum legibus *lib.* 2. tit. 8. §. 4. 9. & 14.

18 Poſtremum, quod obſerves, eſt, ſi neque conſonantes, neque auxiliatrices ſacris Canonibus leges Cæſarum eſſent, quamvis interdum, & tantiſper pro ratione rerum, & temporum eas Eccleſia toleraverit, ut de nuptiis conſobrinorum apud Anglos, proponitur ex Gregorio Magno *in cap. quædam* 20. 35. *quæſt.* 2. *cap. ad ſedem* 2. 35. *quæſt.* 5. quia illas *nec divina lex prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana*, ſcilicet Theodoſii Magni, de qua ita Auguſtinus 15. *de Civitat. Dei, cap.* 16. & eadem tolerantia Ambroſius *lib.* 6. *Epiſtol.* 48. *ad Paternum.* Tandem tamen eumdem Gregorium decretoria auctoritate illas improbaſſe, & damnaſſe, & ulteriores uſque ad ſeptimum gradum, ut liquet ex illius *Epiſtol.* 31. *lib.* 12. *ad Felicem.* cujus ſectio eſt *in cap. progeniem* 16. 35. *quæſt.* 2. ſicut & matrimonii, per Monachatum diſſolvendi, legem illam *mundanam*, quæ Juſtiniani fuit *in Novell.* 123. *cap.* 40. *quia divina non permittit*, ut Gregorius idem definit *in cap. Agathoſa* 21. *in fin.* juncto *cap. ſunt qui* 19. *in princ.* 27. *q.* 2.

Sic & tandem Alexander ſecundus damnavit, 19
tamquam hæreſim inceſtuoſorum dictam, errorem contendentium, computandos eſſe gradus parentelæ, quoad matrimonia, juxta computationem legalem quoad ſucceſſiones, ac non potius juxta Canonicam, ut in re ſpirituali, & ſacra. *cap. ad ſedem* 2. *per tot.* 25. *quæſt.* 5. de quo ex Petro Damiano Baron. *tom.* 11. *anno* 1065. quanquam adhuc fere refractarius, ac plane irreverens, accuſet nimii ſtudii, nec ſatis idoneæ cauſæ in hac differentia Pontifices, Jacob. Cujacius *ad titul. de conſanguin. & affinit.* & ante eum fere Baldus *in l.* 2. *num.* 4. *Cod. de ſucceſſ. ed.* Guil. Bened. *in cap. Raynutius, verb. uxorem nomine Adelaſiam num.* 86. *de teſtament.* & ex Sectariis, poſt Calvinum, & Bezam, Hotman. *Diſputat. de gradib. cognat. cap.* 3. & *de Nuptiis, cap.* 6. Alberic Gentil. *de Nupt.* 5. *cap.* 6. & 7. quibus occurrit Bellarmin. *lib. de Matrimon. cap.* 24. & 26. Deinque ſicut & poſt Alexandrum Benedictus XII. & Clemens VI. Romani Papæ, Ludovicum Bavarum, Germaniæ Imperantem, ſibique auctoritatem de matrimoniis ſtatuendi, dirimendo, ac diſpenſando uſurpantem; ut liquet ex illius diplomate apud Goldaſtum in collectione, ſeu ſentina conſuetudinum, & legum Imperii, Pontificali damnatione, & anathemate perculere. De quo ex illius ævi hiſtoricis, & Pontificum epiſtolis Spondanus *tom.* 1. poſt Baronium *ad annum* 1340. *numer.* 5. Odoricus Rainald. *tom.* 16. *Annal. ad* 1341. *num.* 15. Abr. Bzovius. Plura ad rem, & Catholico ſenſu Rouſellins *de Juriſdict. Pontif. lib.* 1. *cap.* 5. *ex num.* 8. *cum ſeq. & lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 23.

Maneat itaque pro explorato, auctoritati politi- 20
cæ inter Chriſtianos, nec licuiſſe olim per ſe, neque hodie licere, ſtatuere de jure, & ſubſtantia matrimonii, ſive impedimenta illius inducere; ac proinde leges noſtras de maritandis ordinibus, eiſque ſuccedaneas Conſtantini, Theodoſii, Juſtiniani, & aliorum quoad jus, nexumque matrimonii, non ſubſtitiſſe in Eccleſia, ut pote ſine illius approbatione, & ex defectu poteſtatis; ideoque & merito exoleviſſe. Nam quæ approbatio duci videbitur, quoad prohibitionem conjugii cum Comicis, aut Scenicis ex Illiberitano *Canone* 67. non tam ſubnixa ea fuit in ratione, & auctoritate noſtrarum legum, quam in periculo, quod tunc ſuberat, idololatriæ, ut diſſeruimus ſupra *hoc libro.*

C A P U T   X L I I.

Ex Eccleſiaſticæ, & Politicæ Auctoritatis Fontibus veluti, aut fundis, ad poteſtatem in matrimoniis libamenta, & præfata.

A R G U M E N T U M.

IN *re, quam capitis inſcriptio pollicetur, effatum primum eſt,* Chriſtum Dominum *legibus ſuis non evertiſſe politias, & Regna, nec poteſtatem Regum, quæ, & quatenus à* Deo *eſt. Advocata pro re teſtimonia* Chryſoſtomi, & Auguſtini, & Sedulii *recitatum in* Eccleſia *carmen,* & Angelici Doctoris *ratio, & auctoritas. Pro ſecundo effato ponitur, non inductas à* Chriſto Domino *duas Reſpublicas, inter ſe diſcretas, & independentes, fidelium, & infidelium; ſicut neque unam Clericorum, & aliam Laicorum, ſed unam, ex utriſque conſtantem, pro quo laudantur* Pauli Apoſtoli, & Conciliorum *loci; & expenditur, exponiturque* Optati *aſſertio de* Eccleſia, *quæ in Republica eſt, non autem Reſpublica in* Eccleſia. *Expenditur item in alio ſenſu, & elucidatur* Conſtantini Magni *aſſertio, de ſe extra* Eccleſiam *Epiſcopo. Quin & alio, nec tamen contrario reſpectu locus* Ambroſii, *de* Imperatore *intra* Eccleſiam *non ſupra* Eccleſiam. *Tertium effatum eſt, poſt* Chriſtum Dominum *diſtingui oportere in* Chriſtiana *Republica duas poteſtates, ſeu* Principatus *ſupremos, inter ſe ordinarie, & directe independentes, unum, qui præeſt Religioni, & ſacris, & alium, qui temporalibus. Diſtinctionis fulcbra*

ex lecis juris, & extra id Pontificum, & Patrum Latinorum, & Græcorum. *Expreſſa autem hujus independentiæ nota illa, ordinarie, & directe, quia extra ordinem, & indirecte licitum ſpirituali poteſtati, ex ſupereminenti ſuo fine progredi ad temporalia. Quartum effatum eſt, utramque hanc poteſtatem, ſeu* Principatum *eſſe per ſe, & pro ſuo fine perfectum, ac ſibi ſufficientem, idque ex* Ariſtotelis *theoria, & gravium* Theologorum *cenſura. Proinde in ſpiritualibus, & ſacris ſtandum* Principatus Eccleſiaſtici *legibus, & in temporalibus Politici, niſi ſi quando ille neceſſario, indirecte, & in ordine ad excellentiorem ſuum finem, legem Politicam, tanquam noxiam animarum ſaluti, reprobarit.*

1 ENim vero quoniam ſunt, & cenſentur, aſſertionis, ſuperiori capite ſtabilitæ, de defectu poteſtatis politicæ circa matrimonia inter Chriſtianos, pleræque conſequentes illationes, in queis tamen ſunt diſſidentes, nec fere impares auctoritate, & numero pro utraque parte ſententiæ, conſultum duximus, ſepoſita tantiſper ſcribentium nomenclatura, ponderare potius, quam numerare, & de poteſtate politica ad rem prælibare pauca è fontibus, ſed quos præmonſtraſſe, & probationis veluti fundos indicaſſe, ſatis fuerit, & ſuppoſuiſſe, non propugnaſſe. Præſamur ergo in primis, Chriſtum Dominum legibus ſuis non evertiſſe Politias, & Regna, gentium jure introducta, nec poteſtatem Regum, quæ & quatenus à Deo eſt, & per quem Reges, regnant. Ut eſt Proverb. 8. Sap. 6. tantumque abſuiſſe, ut illis quidquam de jure ſuo ademerit, ut potius præceptionibus ſuis ad melius inſtruxerit, ſimulque honorem, obedientiam, ſubjectionem, & quidem ex debito, Evangelicis, & Apoſtolicis documentis ſtabilierit, ut ex Matthæi *cap.* 22. *verſ.* 21. Lucæ 20. *verſ.* 23. Pauli 1. *ad Roman. cap.* 13. & ad Timoth. 1. *cap.* 2. & ad Titum *cap.* 3. Petri *Epiſt.* 1. *cap.* 2. *verſ.* 13. diximus fuſe ex Conciliis & Patribus *in libello de Epiſcop. Portug. in præludiis, n.* 81. *& ſeq.*

2 At nunc pro re, & exerte Chryſoſtomus *Homil.* 23 *ad illud Pauli: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, ad Roman. cap.* 13. *Hoc ideo*, ait Chryſoſtomus, *ut oſtendat, Chriſtum leges ſuas non ad hoc induxiſſe, ut Politias evertat, ſed ut ad melius inſtruat.* Eodem ſenſu, & planius Auguſtinus *Tract.* 115. *in Joann. Evangel. cap.* 18. ex illo Chriſti Domini, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, deducit, & clamat: *Audite ergo Judæi, & gentes, audi circumciſio, audi præputium, audite omnia Regna; non impedio dominationem veſtram in hoc mundo; Regnum meum non eſt de hoc mundo: nolite timere metu vaniſſimo, quo Herodes ille major, cum Chriſtus natus nunciaretur, expavit, & tot infantes, ut ad eum mors perveniret, excidit, timendo magis, quam iraſcendo crudelior. Regnum meum, inquit, non eſt de hoc mundo. Quid vultis amplius?* Sic de Chriſtianis Auguſtinus idem *ad eum verſum: Principes perſecuti ſunt me gratis.* Pſalmi 118. *Concione* 31. *Quid enim*, ait, *Chriſtiani læſerunt Regna terrena, quamvis eis Regna Cœlorum promiſerit Rex eorum? Numquid eorum Rex milites ſuos prohibuit, impendere, exhibere, quæ debentur Regibus terræ? Nonne unus militum ejus, & dilectiſſimus comes ejus Commilitonibus ſuis, & quodammodo Chriſti Provincialibus, dixit: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit?* Denique Eccleſia Sancta, dum inter Hymnos, & Canonicas Horas recitat *Carmen illud* Sedulii: *Hoſtis Herodes impie, Chriſtum venire, quid times? Non eripit mortalia, qui Regna dat cœleſtia.*

3 Accedit,, ne Driedonem, Victoriam, Navarrum, Bellarminum, Suarium, Barclaium, hoc ipſum agnoſcentes magis, quam firmantes, moremur, ratio, & auctoritas D. Thomæ, de dominio Regum infidelium, præexiſtente ſupra fideles, ante illorum converſionem ad fidem, non ſine gravi cauſa tollendo, 2. 2. *q.* 10. *art.* 10. *in corpore: Quoniam*, inquit, *conſiderandum eſt, quod dominium, vel prælatio introducta ſunt ex jure humano; diſtinctio autem fidelium, & infidelium eſt ex jure divino: jus autem divinum, quod eſt gratia, non tollit jus humanum, quod eſt ex naturali ratione: ideo diſtinctio fidelium, & infidelium, ſecundum ſe conſiderata, non tollit dominium, & prælatione infidelium ſupra fideles.* Nec diſſimiliter Auguſtinus *de Civitat. Dei, lib.* 19. *cap.* 17. ubi de Civitate cœleſti, nihil eorum deſtruente, aut reſcindente, imo etiam ſervante, ac ſequente, quod in legibus, moribus, inſtitutiſque eſt, quibus pax terrena conquiritur, vel tenetur. Proinde & multo minus admittendum, inductam fuiſſe divinis Chriſti legibus everſionem poteſtatis politicæ, humano, & divino jure ſubnixæ, & Chriſtianorum Regum dominii privationem, quæ nec per ſe, & ſine gravis cauſæ momento juſta foret, neque neceſſaria ad propagationem fidei, quin imo ad eam ipſam ſcandalo, & obice nocitura

4 Secundum, primo conſequens, effatum ſit, Chriſtum Dominum legibus ſuis non induxiſſe duas Reſpublicas inter ſe diſcretas, & independentes, neque ſegregaſſe fideles, qui convertebantur à corpore Reipublicæ, & poteſtate Regum infidelium (id enim fuiſſet, privare iſtos ſuo jure ſine juſta, neceſſaria, aut expediente cauſa, ut nuper diximus) & eadem ratione neque inter fideles induxiſſe duas Reſpublicas diſcretas, & independentes, unam Clericorum, & aliam Laïcorum, ſed Rempublicam unam Chriſtianam, ſive Congregationem fidelium, quam Eccleſiam dicimus, & unum corpus myſticum, ex unitis membris fidelium Clericorum, & Laicorum. In quam ſententiam multus eſt Paulus 1. *ad Romanos cap.* 12. *verſ.* 5. *& ad Corinth. cap.* 12. *verſ.* 12. *& ſeq.* & ex Pauli ſententia, ad rem expenſa, Concilium Pariſienſe 6. ſub Ludovico, & Lothario *lib.* 1. *cap.* 2. *&* 3. (neque audiendi, qui, poſt Oldradum *Conſ.* 83. *num.* 1. velut ex Chriſti inſtitutione, in eadem Civitate duos populos, Clericorum, & Laïcorum, comminiſcuntur, vulgari errore ex Hieronymi verbis, diſtinguentibus duo genera Chriſtianorum, non duos populos, *in cap. Duo ſunt* 7. 12. *q.* 1.)

5 Secundum quæ & exponimus illud Optati Milevitani 4. *adv. Parmen.* ubi cum recenſuiſſet Donati Schiſmatici, de rejiciendis Imperatoris Conſtantis eleemoſynis, pro uniendis Africanis Eccleſiis, ſuperbum reſponſum: *Quid eſt Imperatori cum Eccleſia?* ſubjungit Optatus, jam tum cœpiſſe meditari Donatum, contra præcepta Apoſtoli, inobedientiam erga Reges, & poteſtates, pro queis potius orare, & ſubjici debuit: *Non enim*, inquit, *Reſpublica eſt in Eccleſia, ſed Eccleſia in Republica eſt, id eſt, in Imperio Romano.* Ejus autem propoſitionis, qua paſſim Sectarii abutuntur, & cujus ſenſum captant magis, quam capiunt, Balduinus, Albaſpinus, & ad Optatum alii; ſanus, ſobriuſque ſenſus eſt, Rempublicam Romanam, quæ Optati ſæculo ex infidelibus magna, aut majore ex parte conſtabat, non eſſe intra Eccleſiam, ſeu fidelium congregationem, quin potius hanc eſſe, & contineri in Republica, tanquam partem, ſeu membrum corporis illius Reipublicæ, & Imperii, à quo Chriſtus fideles non ſegregaverat: ac proinde quam immerito refractarium fuiſſe Donatum Imperatori, illius univerſi corporis capiti, cujus pars Eccleſia erat, ſatagenti de unione, & eleemoſinis Eccleſiarum.

6 Sane è contra & diverſo, non adverſo ſenſu exponendum, quod Conſtantinus Magnus, apud Euſebium *in illius vita, lib.* 4. *cap.* 24. ad Epiſcopos dixiſſe, fertur: *ἀλλὰ ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος Ἐπίσκοπος ἂν εἴην. Sed vos intra Eccleſiam, ego autem extra Eccleſiam à Deo inſtitutus ſum Epiſcopus.* Fuit nimirum mens Conſtantini, intra Eccleſiam, ſive in Eccleſia de Eccleſiaſticis rebus ſacris, & Religione, qui cenſeant, & decernant, Epiſcopos eſſe conſtitutos; ſe vero extra Eccleſiam, ſive extra Eccleſiarum

rum confeſſus, & cenſuram, Epiſcopum, qui pro Eccleſiæ tuitione curet, & ſupra intendat, &, ut Bernardus *Selečt. Epiſt.* 222. Epiſcopetur; quanquam aliter contra Euſebii mentem, & quidem tetrice magis, quam dextre Petrus Marca *de Concordia Sacerd. & Imper. libr.* 2. *cap.* 10. *num.* 7. At plane ad Euſebii mentem Concilium Aquiſgranenſe 2. ſub Ludovico, 4. *part. cap.* 25. Eccleſiam auctoritate Epiſcopali, & Imperiali cenſura circumſeptam eſſe intrinſecus, & extrinſecus. Concilium Meldenſe inter decreta Holonæ, ſeu Coloniæ, *cap.* 8.

7 Neque rarſus diverſo ſenſu Ambroſius *in Oratione de non tradend. Baſilic. ad fin.* ſcripſit: *Imperator bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt*; & Iſidor. *de Summo Bono ſentent. cap.* 53. qui apud Gratian. *in cap. Principes* 20. 23. *q.* 5. & ex Iſidoro Concilium Pariſienſe 6. ſub Ludovico, & Lothario *lib.* 2. *cap.* 2. *in fine.* Aquiſgranenſe 2. *cap.* 2. definiunt, *Reges intra Eccleſiam poteſtatis culmina tenere*, ſcilicet, ut in ſacris, & Eccleſiaſticis rebus Eccleſiæ obtemperet, eamque exterius protegat, non ſupra Eccleſiam, ἐγκύψαι εἰς τὰς ἐκκλησίας, ſive introſpiciendum, ut Gregorius II. expreſſit *Epiſtol.* 2. *ad Leonem Iſauricum*, quæ extat ante acta Synodi ſeptimæ, & multo minus, ut *Eccleſiæ* præſit, eique in ſacris præcipiat: quomodo fere idem Ambroſius *Epiſt.* 13. *ad Marcellinam*, *lib.* 2. Atque ita non adverſæ, ſed diverſæ ſunt, & ex diverſis reſpectibus ex homonymia vocis Eccleſiæ exponi, componique faciles aſſertiones relatæ, Rempublicam non eſſe in Eccleſia, ſed Eccleſiam intra corpus Reipublicæ, & Imperii, & è contra Imperatorem eſſe Epiſcopum extra Eccleſiam, ut illam exterius tueatur, non interius judicet; & eumdem eſſe intra Eccleſiam, non ſupra illam, ut eidem in ſacris obediat, non imperet.

8 Tertium ſit, in una, eademquè Republica, poſt Chriſtum Dominum, diſtingui cœpiſſe, & debere duas poteſtates, ſeu Principatus ſupremos, inter ſe invicem ordinarie, & directe independentes; unum Eccleſiaſticum qui quoad Religionem, & ſacra à Chriſto inſtituta, præſit omnibus, &, ut media ætas loquitur, principetur: (in quo nihil detractum poteſtati politicæ, cui nihil ante Chriſtum juris in ea ſacra, neque poſt Chriſtum eſſe debuit, in re Dei, ſeu Religione, cujus ratio reddenda Deo, ſicut Cæſaris Cæſari) alterum Principatum politicum, ſeu civilem, qualis & ante Chriſtum fuit, & poſt Chriſtum manſit, ut quoad humana, ſeu temporalia omnibus præſideret.

9 Hujus aſſertionis, de diſtinctione eccleſiaſtici, & civilis Principatus, nota, atque luculenta documenta ſunt in Canonum libris, apud Gratianum ex Gelaſio I. ad Anaſtaſium Imperatorem. *cap. duo ſunt* 10. 96. *diſtinct.* (cujus auctoritate, & verbis utuntur Gregorius VII. *lib.* 8. *Regiſtr. Epiſt.* 21. *ad Hermanum Metenſem Epiſcopum.* Concilium Pariſienſe 6. ſub Ludovico, & Lothario *cap.* 6. Troſleianum ſub Sergio III. Papa, & Carolo Simplici *cap.* 2. Aquiſgranenſe 2. ſub Ludovico *in præfatione.* Capitularia Caroli *lib.* 5. *c.* 167. & alii paſſim. Carolus Calvus ad Adrianum II. *inter Hincmari Epiſtolas.* Ivo Carnotenſis 4. *parte Decreti*, *c.* 188. & cum eo alii Canonum Collectores. Deinde ex Nicolao I. *celebri Epiſtola* 8. *ad Michaëlem Imperatorem*, *circa finem*, cujus pars *in cap. cum ad verum* 6. 96. *diſtinct. cap. quoniam* 6. 10. *diſt.* Innocentio III. *in cap. ſolitæ verſ. quod autem. & verſ. præterea de majorit. & obed.* junctis pro comparatione illa Luminarium, Concilio 8. Conſtantinop. *act.* 6. & Urbano IV. *Epiſtola ad Richardum Regem Romanorum electum*, quam *inter Indices rer. Arag.* exhibuit Zurita *lib.* 6. & ex Cæſaribus Juſtiniano *Novella* 6. *in princip. quomodo oport. Epiſc.* quæ & laudatur *in* 7. *Synodo Conſtantinopolitan.*

10 Atque extra utriuſque juris libros ex Pontificibus, Symmachus Gelaſii ſucceſſor, *in Apologet. ad Anaſtaſ.* Gregorius I. & II. *Epiſt. ad Leonem Iſauricum*, præinſerta Actis ſeptimæ Synodi. Et ex Patribus, jam olim Magnus Oſius Cordubenſis, & ex ejus verbis Athanaſius *Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes.* Oratorie Nazianzenus *Orat.* 1. *num.* 9. & *Orat.* 17. *ac.* 19. Chryſoſtom. *lib.* 3. *de Sacerd. cap.* 5. & præclare *Homil.* 15. *ad* 2. *Pauli ad Corinth.* in comparatione Imperii ſpiritualis, & temporalis. Joannes Damaſcenus *lib.* 2. *de Imaginibus.* Syneſius Epiſcopus Cyrenes *Epiſt.* 57. *adv. Andronic. circa finem.*

Ex Latinis, Ambroſius *Epiſt.* 13. *ad Marcellinam* 11
lib. 2. Petrus Damian. *lib.* 7. *Epiſt.* 3. *ad Henricum*, *Henrici* 2. *filium.* Bernardus *lib.* 1. *de Conſid. ad Eugen. cap.* 6. & *lib.* 2. *cap.* 6. & *lib.* 4. *cap.* 3. & *Epiſt.* 256. *ad eumdem Eugenium.* Eodem ſæculo Petr. Blæſenſis *Ep.* 73. *ad tres Epiſcopos*, *in extremo*; &, poſt Hincmarum Rhemenſem, ex Gallicanæ Eccleſiæ ſenſu perplures; & ex noſtris, Recaredus Rex Sanctus *in confeſſione ſua ad finem Concilii Toletani* 3. Alphonſus Sapiens *in l.* 1. *verſ. E non es temudo*, *tit.* 1. *p.* 2. Sane & conſulto expreſſimus, eſſe duas has poteſtates independentes ordinarie, & directe, ut agnoſceremus, ſpiritualem poteſtatem indirecte, & extraordinarie, quatenus opus fuerit fini ſupereminenti, quem intendit, extendi poſſe ad temporalia, de quo fundate, neque fuſe, diximus *in libello de Epiſcopatibus Portug. propoſit.* 4. *ex num.* 13.

Quartum, itidem conſequens eſt, utrumque hunc 12
Principatum, eccleſiaſticum, & politicum, ſive duas has poteſtates eſſe per ſe perfectas, liberaſque, & ſibi ad ſingula, ſuo fini congruentia, ſufficientes, idque ex ratiocinatione, & Theoriis Ariſtotelicis, 1. *Magnorum Moral. cap.* 1. & *lib.* 2. *Phyſicor. cap.* 8. D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 2. *ad* 3. quia quemadmodum natura, in ſe perfecta, & propter finem operans, præbet ſingulis corporibus, & membris facultates neceſſarias, & ſufficientes ad ſuum finem conſequendum, ſic & ars, & multo potius Deus, eccleſiaſtici, & politici Regiminis auctor, perfecit utrumque, & inſtruxit ad ſuum finem neceſſariis, & conſequentibus mediis. Ut agnoſcunt Victoria *de Poteſt. Eccleſ. relect.* 1. *propoſ.* 2. & 3. Bellarminus 5. *de Rom. Pont. cap.* 6. & 7. & *adverſ. Barclaium cap.* 13. 17. & 18. Suarius *adv. Reg. Angl.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. & 5.

Quibus & tandem proximum eſt, & ex diſtin- 13
ctione, ac ſufficientia perfecta utriuſque poteſtatis profluens, nempe in rebus ſpiritualibus, & eccleſiaſticis ſtandum omnino eſſe poteſtati, & legi eccleſiaſticæ; & è converſo in profanis, & temporalibus ſtandum auctoritati, & legi politicæ, & ſi in re temporali, & profana contrariæ extent lex eccleſiaſtica, & politica, ſtandum politicæ, utpote directe, & per ſe ſufficienti ad ſuum finem, & independenti, *cap. novit* 13. *verſ. non enim*, *de judic. cap. cauſam* 7. *cap. per venerabilem* 10. *qui filii ſint legit. cap. ſi duobus* 7. §. *ult. de appellat. cap. tuam* 3. *de ordine cogn. cap. cum ad verum* 6. *cap. duo ſunt* 10. *cum ſeq.* 96. *diſt. cap. communior* 23. *in princip.* 23. *quæſt.* 8. niſi ſi quando lex eccleſiaſtica in ordine ad excellentiorem illum finem ſupernaturalis beatitudinis, cui fini inferior eſt, & ſubordinatus finis felicitatis temporalis, quem politica lex intendit, abrogaret legem politicam, tanquam noxiam ſaluti animarum, & indirecte, ac ſpiritualiter extenderet ſe ad temporalia, cui tunc potius ſtandum, quam politicæ, juxta illud exemplum nobile in *cap. ult. de præſcript.* & in *regula poſſeſſor. de regul. jur. in* 6. ubi *gloſſa ordinaria*, & ex ea, & Claſſicis D. Covarruv. illic 2. *part.* § 11. *num.* 3. *verſ. hinc ſane*, & in commune docent, ac diſtingunt Navarrus *in cap. novit*, *notabili* 3. *num.* 32. *de judic.* Victoria *Relect.* 1. *de Eccleſ. propoſit.* 8. *num.* 13. & *ſeq.* Bellarm. *dict. lib.* 5. *cap.* 6. §. *quantum ad leges* & *cap.* 7. §. *ſecundo Reges.* Suarius *de Legib.* 3. *cap.* 6. *ex num.* 6. Molina *de juſt. diſp.* 29. *num.* 34. & ante hos, & noviores alios Innocentius in *cap. Inquiſitionis* 44. *num.* 3. & 4. *de ſent. excommunicationis.*

CAPUT XLIII.

De defectu poteſtatis politicæ, ex jure divino, quoad Clericos, & erga ſacra, non item ex jure divino, quoad temporalia; & extra ſacra.

ARGUMENTUM

Conſectanea præfatis clementaribus, de queis proximo Capite, *ſubteximus veluti* corollaria, *eaque non tam aſſerimus, quam recenſemus. Primùm eſt, exemtionem* Clericalis *ſtatus, quoad ſacra, eſſe ex* jure divino, *& extra ſacra, quoad perſonas* Clericorum, *ex humano* jure canonico, *condecentiam* divini *ſecuta, & quoad temporalia, accedente* Principum *placito. Diſtinctionis hujus ratio, & fulcbra, & quoad poſtremum de* Principum *placito, ex* Div. Thoma; Innocentio IV. *&* Gratiaño, *& ſeptempartita noſtra* lege, *juncto* Canonum, *&* Theologorum *ſuffragio. Secundum eſt, non eſſe auctoritatis* Politicæ *cenſere, aut ſtatuere de* Religione, *& ſacris, ſive ſpiritualibus; pro quo expenſi* Oſius Cordubcnſis, Ambroſius, *&* Facundus Hermianenſis, *& cum aliis* l. 1. C. Theod. de relig. *Inde & infertur, neque eſſe ejuſdem poteſtatis, præcipere, aut inducere aliquid in ſacrorum cultu, aut cæremoniis, & de feſte* Purificationis, *non inducto à* Juſtiniano, *ſed recepte poſt* Gelaſium Papam. *De damnatis* Henotico Zenonis, *&* Juſtiniani libello *contra tria* Capitula, *&* Heraclii *typo, ac* Conſtantis *ecthesi, utcumque pacis, & unionis obtentu editis.* Juſtinianus in Novell. 137. cap. 6. *de pronunciandis in* Liturgia *conſecrationis verbis elata voce, ut à populo exaudiente reſpondeatur,* Amen, *defenſus contra* Petri Marcæ *ſciolam cenſuram. Priſcus ille in* Eccleſia *ritus, qui & firmatur* veterum locis, *& de quo* Juſtinianus *non ſtatuit, ſed ſubſequi ſe profitetur. De* libello interim Caroli V. *& in eum malignis ſuggillationibus, poſt* Sleidanum, *&* Suavem, Spondani, *&* Stradæ. *Nihil in eo* Carolum *de* Religione *ex ſe ſtatuiſſe, neque inconſulto* Romano Pontifice, *& ſtetiſſe intra tolerantiam interinariam duorum capitum ad ſexquiannum, ac denique eum libellum intra eos fines habuiſſe approbationem* Conciliorum Auguſtani, Trevirenſis, *&* Colonienſis, *poſt gravium* Theologorum *cenſuram.*

1 EX his quatuor præfatis, veluti elementaribus, deducimus corollaria, quæ ſequuntur, quorum tamen enarratores potius, quam aſſertores erimus, profitentes jam nunc, & in hoc aditu ſemel, & ſerio, inter pugnantia pene factioſe, de poteſtate eccleſiaſtica, & civili, noviorum ſcriptorum opinamenta (ex queis Itali, ut plurimum, Theologaſtri, ac Vicarioli, quales Marta, Diana, & ſimiles, uſque adeo omnia, immunitatis prætextu, Eccleſiæ vindicant, ut à Regibus exauctorandis parum abſint; & è contrario Francogalli ſub libertatum Gallicanæ Eccleſiæ larva, & appellationum ab abuſu, & Regaliarum, quas vocant, obtentu, laceſſunt paſſim, læduntque libertatem, & jura Eccleſiæ univerſalis, Clericos vix à Laïcis diſtinguentes in judiciis de poſſeſſionibus, criminibus, & tributis; ut pridem Carolus de Graſſaliis, & nuper Petrus Marca, *concordiæ Sacerdotii, & Imperii*, non tam æquus, quam eruditus auctor, & arbiter) Nobis interim in animo eſſe, erciſcundos agere, & ſine ullo partium ſtudio mediam viam ire, ac ſequi, præmonſtratam veteribus, & gravioribus poli, forique ducibus, & ſubjectam catholico voto, & obſequio Apoſtolicæ Sedis cenſuræ.

2 Primum eſt itaque corollarium, clericalis ſtatus, ſeu Cleri exemtionem à poteſtate temporali, & profana, quoad ſacra, & ſpiritualia, ſive eccleſiaſtica miniſteria, eſſe, ac deſcendere ex divino jure Evangelico, quo Chriſtus Dominus, eorumdem ſacrorum Auctor, ſicut pro illis inſtituit poteſtatem, & Principatum eccleſiaſticum, quem Petro, ut Principi, & Apoſtolis, ac Petri ſucceſſoribus commiſit, juxta Matthæi dictata, *cap.* 16. 18. & 21. Pauli 2. *ad Corinth. cap.* 10. & Acta Apoſtol. *cap.* 20, ſic ſacra ipſa, & perſonas, ac cauſas illis innexas eidem poteſtati ſubjecit, reddens quæ Dei ſunt Deo, & relinquens Cæſaribus temporalia, quæ erant Cæſarum, juxta illud item Matthæi *cap.* 22. neque eo ipſo quidquam adimens Principatui politico, ſed eum, quoad ſacra, non augens, utpote cui nullum ante Chriſtum jus erat in ſacra, à Chriſto inſtituta.

3 E contra extra ſacra, & quoad temporalia, non eſſe exemtionem clericalem ex jure divino, ſed ex humano jure canonico, & quidem, quoad perſonas, veluti rationem, & condecentiam divini juris ſecuto, & quoad res temporales, & bona, accedentibus Principum Chriſtianorum auctoritate, & conſenſu, quibus temporalia Chriſtus reliquerat. Porro hujus diſtinctionis potiſſimum deductæ ex præfatis, primo, & tertio, quam alterius auctoritate, & ratione fulcire, & contra adverſantes firmare, otii noſtri non eſt, laudamus ſaltem in ea parte, quæ ſingularior Canoniſtis noſtris videbitur, de exemtione Clericorum, quoad tributa ex privilegio Principum, veluti Anteſignanum Div. Thomam *ad Epiſtol. Pauli ad Roman. cap.* 13. *lectione* 1. *ad finem*, ubi ſic de tributis, debitis Principi: *Ab hoc tamen debito liberi ſunt Clerici ex privilegio Principum, quod quidem æquitatem naturalem habet*; & ante Thomam, ne leges Cæſarum, ſed Patrum, Conciliorumque illarum permiſſionem, & aſſenſum pro clericali immunitate, & Epiſcopali audientia advocantium, teſtimonia cieamus, ſic Leo I. *Epiſtol.* 96. *ad Epiſcopos Thraciæ.* Ambroſius *lib.* 2. *Epiſtol.* 13. *in princip. ad Valentinianum.* Concilium Matiſconenſe 2. *Can.* 9. Denique Honorius III. Papa, Conſtitutionem illam Friderici Cæſaris, de libertatibus, & foro Eccleſiæ, cujus partes extant *in Authent. caſſa, Cod. de ſacroſanct. Eccleſ.* & *Authent. item*, & *Authent. ſtatuimus, C. de Epiſcop. & Cler.* & integra *ad extremum libri* 2. *feudorum*, in qua pro libertate Eccleſiæ expenduntur canonicæ, & imperiales Sanctiones, non faſtidite rejiciens, ſed laudans, approbans, & confirmans, quos, & alios canonicos textus, veluti *cap. ſi quiſquam* 16. *in fine* 11. *q.* 1. *cap. ult. de rebus Eccleſ. alien.* & reſpondentem Friderici Conſtitutioni, Decretalem Honorii *in cap. noverit* 49. *de ſentent. excomm.* ſequi in re potuit Innocentius IV. tametſi tentans magis, quam perſiſtens, *in cap.* 2. *de Majorit. & Obed.* at exerte, & diſerte idem Innocent. *in cap. novit* 49. *n.* 2. *verſ. in temporali, de ſent. excomm.* Gratianus poſt *cap. ſi in morte* 20. *§. ecce* 23. *q.* 8. illic: *Et prædia, & Villas, & Caſtella, & Civitates poſſident, ex quibus Cæſari debent tributa, niſi Imperiali benignitate immunitatem ab hujuſmodi promeruerint*; ſed in commune, ut poſuimus, docent, diſtingunt, atque ad alia deducunt, poſt multos, Covarruv. *Practic. cap.* 31. *numer.* 2. *§. prima concluſio, & ſeq.* Victoria *Relect.* 1. *de poteſtat. Eccleſ. ſection.* 7. *per totam.* Molina *de Juſtit. diſp.* 31. *n.* 2. & 10. Sotus *in* 4. *Sent. diſt.* 25. *quæſt.* 2. *art.* 2. Plene, & explicite Suarius *contr. Reg. Angl.* 4. *cap.* 3. & *cap.* 8. *n.* 6. & 2. ubi plures laudat, & *cap.* 9. & 11. *ac* 12. Bellarm. fere conſentiens *lib.* 1. *de Cleric. cap.* 28. *§. quinta propoſitio, & cap. ſeq.* queis noviores non numeramus.

Subſignamus hæc ſingula Alphonſi noſtri *legibus* 56. 4
& 50. *tit.* 6. *p.* 1. cujus poſtremæ verba hæc ad rem D. Thomæ verbis jungenda: *Franquezas muchas han los Clerigos, mas que otros homes, tambien en las perſonas, como en ſus coſas, è eſto les dieron los Emperadores, è los Reyes, è los otros Sennores de las tierras, por honra, è por reverencia de la Santa Igleſia, è es grand derecho, que las ayan,*

Secundum,

5 Secundum, & propoſito proximum eſt, non eſſe poteſtatis politicæ, de ſacris, & Religione judicare, & ſtatuere, nec de ſpiritualibus, & eccleſiaſticis mere cauſis, id quod & loci illi de diſtinctione eccleſiaſticæ, & politicæ poteſtatis *in Præfato* 2. adducti, oſtendunt, & qui apud Gratianum *in cap. legem* 10 *cum ſeq.* 10. *diſtinct. cap. inter hæc* 6. 33. *quæſt.* 2. Concilium Meldenſe ſub Carolo Calvo *Can.* 22. *verſ. præcepta.* Et conſentiunt nobiles ſententiæ, & paræmiæ Sanctorum Patrum, ad ſacra hæc, & ſpiritualia referendæ, veluti Oſii Cordubenſis, apud Athanaſium *Epiſt. ad Solitarios*, qui inter alia Conſtantio Cæſari, ſe controverſiis de Religione immiſcenti, dixiſſe, fertur: *Neque fas eſt nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum, & ſacrorum poteſtatem habes, ô Imperator,* ὔτε αὖ τῶ θυμιατίῳ ἐξουσίαν ἔχεις βασιλεῦς. Eodem ſenſu Chryſoſtom. *Homil.* 71. *ad cap.* 22. *Matthæi*, & *Hom.* 4. *ad* 2. *Paralipom. cap.* 26. ubi de Ozia Rege: *Mane intra terminos tuos: alii ſunt termini Regis; alii termini Sacerdotii.* Ambroſius 2. *Epiſt.* 13. *ad Valentinianum. In cauſa fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare.* Et paulo poſtea: *Sed dum volunt quidam de fide intra Palatium judicare, id egerunt, ut circumſcriptionibus illa Epiſcoporum judicia mutarentur.* Et ex Ambroſio illud Cedreni *in Compend. Hiſt.* ubi de Theodoſio; purpuram non Pontifices facere, ſed Imperatores, ἁλουργὶς βασιλεῖς ὐχ ἱερεῖς ποιεῖ. Et *Epiſtol.* 14. *ad Marcellinam*; & *Epiſt.* 32. *ad Valentin.* Joannes Damaſcenus *Orat.* 1. & 2. *pro Imaginibus*, & de Valentiniano Auguſto Sozomenus *lib.* 6. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 21. Facundus Hermianenſis *lib.* 12. *de tribus Capitibus* ad Juſtinianum, ubi ſic de Martiano Cæſare: *Cognovit Martianus, quibus in cauſis uteretur Principis poteſtate, & in quibus exhiberet obedientiam Chriſto, & ideo ne impius, atque ſacrilegus videretur, poſt Sacerdotium ſententiam opinioni ſuæ nihil reliquit.* Ubi & poſt alia: *Eccleſiaſticorum Canonum executor eſſe, voluit. non conditor, non exactor.* Et *ibidem* de Leone Auguſto: *Idcirco piæ memoriæ Leo quietem non conturbavit Eccleſiæ, quia non ſuo arbitrio, ac poteſtate præſumpſit, doctrinæ Dominicæ decreta ſtatuere, nec quidquam, ſolis creditum Sacerdotibus, uſurpavit; neque ſolum non extorquere, ſed nec præire tentavit ſententiam Sacerdotum.* Inſigniter contra Michaëlem Balbum Imperatorem S. Theodorus Studita *lib.* 2. *Epiſtol.* 129. *apud Baron. tom.* 9. *ad annum.* 823. Et agnoſcunt Cæſares ipſi *in l.* 5. *Cod. Theodoſ. de relig. l. ultim. de Epiſc. Jud.* & *l. qui mos* 23. *de Epiſcop. & Cleric.* in *eodem Cod.* Novella Valentiniani 12. *de Epiſcop. Jud.* Et poſt Conſtantinum Magnum alii Orthodoxi, quorum, & Conciliorum, ac Patrum ad rem meminere Bellarminus *lib.* 3. *de verbi Dei interpretat. cap.* 7. & 8. & *lib.* 3. *de laïcis, cap.* 17. & *lib.* 1. *de Rom. Pont. cap.* 7. Fr. Suar. 3. *adv. Reg. Angl. cap.* 7. *ex n.* 8. Petr. Creſpetius *in Summa Cathol.* §. *Imperator non ſe ſacris immiſceat.* Petr. Marca *de Concord. Sacerd. & Imperii, lib.* 2. *cap.* 4. & 6. *ac ſeq.* eximius ſenſu, & ſtilo Nicolaus Cauſinus *de Regno Dei, diſſert.* 26.

6 Secundum quæ & monuerim, non eſſe fas auctoritati politicæ, qualicumque pietatis reſpectu, aut pacificationis turbulentiarum, orientium ex controverſia aliqua de Religione (queis tamen turbulentiis ſedandis ſuo jure, & temporali gladio præcidendis, incumbere debet) non eſſe, inquam, illi fas, procedere ad cenſendum, ſtatuendumve aliquid in Religione, & ſacris ultra Eccleſiæ, & Chriſti Vicarii Decreta, neque, extra ea, præcipere, aut inducere obſervantias aliquas in cultu, cæremoniis, precibus, & eccleſiaſticis functionibus, quarum ſcilicet, & ſacrorum miniſteriorum, ac cultus forma, præceptio, & cenſura, eccleſiaſticæ poteſtatis eſt, non politicæ, ut de thymiamate olim Oſius nuper laudatus, & de cultu, feſtiſque ſacris ex ſeptentia *cap.* 1. & 2. *de Reliquiis, & vener. Sanctor.* Tridentino *ſeſſ.* 7. *de Sacram. in genere Can.* 13. poſt Panormitan. *in cap.* 2. *num.* 2. *de feriis*, quibus concinit *Regia lex noſtra* 1. *tit.* 23. *part.* 1. illic: *Fieſta es la que manda guardar el Apoſtolico, ò el Obiſpo.* Ex profeſſo Suarius *de Religione* 1. *tom. Tract.* 2. *lib.* 2. *de Dieb. Feſt. cap.* 12. Bellarmin. *tom.* 2. *Controv. lib.* 1. *de Beatit. Sanct. cap.* 8. & 10. & *lib.* 3. *de Cultu Sanct. cap.* 16. ubi de feſto Purificationis B. Mariæ, non tam inſtituto, aut inducto à Juſtiniano Cæſare, ut Diaconus, & Nicephorus ſcripſere, quam recepto obſecundanter eo, quod Gelaſius Pontifex ante Juſtinianum inſtituerat; ut obſervat Baronius *in Martyrol. die* 2. *Februar.* Nicol. Serarius *tom.* 2. *opuſc. de Proceſſionibus cap.* 3.

7 Quo circa & quam merito damnatum in Concilio Romano ſub Felice III. *Edictum* Zenonis Cæſaris, quo inter alia ſtatuebat, de addendis Hymno Triſagio verbis, *qui paſſus eſt pro nobis*, quantumcumque id edictum intuitu pacis editum, ideoque Henoticon, ſive unitivum diceretur, ut ex Evagrio, & aliis memorat Baronius 6. *tomo Annal. ann.* 483. & in id edictum probandum fere pronus, aut præceps Renatus Choppinus *libris de Sacra Polit. in præfat. num.* 6.

8 Et ſimiliter improbatum *Edictum* Juſtiniani, ſive libellus contra tria Capitula, nec tam ex ſenſu, quem Eccleſia demum non improbavit, quam quia ſub velamento pacis cum Acephalis, de dogmatibus fidei auctoritate politica ſanciebat, & ſubſcriptores habere Epiſcopos conabatur, *gaudens*, ut ait Liberatus Diaconus *in Breviario cap.* 23. *ſe de talibus cauſis judicium ferre*, ut ex Liberato, & Facundo Hermianenſi, atque aliis Nicolaus Alamannus *ad Procopii anecdota pag. notarum* 86. Baronius *tom.* 7. *ad ann.* 546. & *ſeq.* Quomodo denique, & multo juſtius damnata olim Ecthesis, ſive expoſitio Heraclii, & Typus, ſive forma Conſtantis Imperatorum, ut pote hæreſi Monothelitarum, ſub pacificationis ſpecie, faventes, de queis itidem ſatis Baronius *tom.* 8. *ad ann.* 639. & 648.

9 Quamquam quoad Juſtinianum, ut eum interim in pleriſque legibus ſatis de ſacris, & eccleſiaſticis, non tam auctoritate ſua uſum, quam ex Epiſcoporum conſultu, & conſenſu tutorem, & executorem ſacrorum Canonum ſe profiteri, didicerimus ex *Novella ejuſdem* 6. *quomodo oport. Epiſc. cap.* 1. & *Novell.* 137. *de ordin. Epiſc. cap.* 1. juncta *Epiſtola* Joannis Papæ, quæ exſtat *in l. inter claros* 8. *in fin. princip. Cod. de Epiſcop. & Cleric.* non patitur, vel obiter, percelli eum parum juſta cenſura nuperi, & eruditi alioquin Scriptoris, Petri Marcæ *lib.* 2. *de Concordia Sacerd. & Imper. cap.* 6. *num.* 6. dum de *Novella Juſtiniani* 137. *cap.* 6. quo cavet, divinam oblationem, & precationem, &, ut poſtea intelligit, gratiarum actionem, ſive Euchariſtiam, ejuſque conſecrandæ verba, pronunciari in Liturgia non ſecreto, ſed ea voce elata, quæ à Populo exaudiatur, & ab Idiota reſponderi poſſit, *Amen*; dum, ut aiebam, damnat Marca, in ea re, Juſtinianum, quia & de ſacris ultra quam ei fas erat, ſtatuat, & contra ſolemnem ritum Eccleſiæ, utendi demiſſa voce in conſecratione, ſicut in aliis myſticis, de queis ille ex Baſilio, & Alcuino; non patimur, inquam, damnari Juſtinianum, qui neque ex ſe id ſtatuit, ſed tuetur, & ſequitur præceptionem Apoſtoli, quam & recitat, ex 1. *ad Corinth. cap.* 14. *verſ.* 16. & ritum, in Eccleſia Orientali pridem receptum, & Marcæ, quod mirere, inſcitum, proferendi conſecrationis verba clara, & elata voce (tametſi in aliis myſticis ejuſdem Miſſæ varia obſervatio eſſet, juxta Tridentinum *ſeſſ.* 22. *de Sacrif. Miſſ. cap.* 5. ſic ut exaudirentur, & reſponderetur *Amen*, ut ex Liturgiis S. Marci, & aliorum Patrum prænotavit Beſſarion Cardinalis, & poſt eum ex Juſtino Martyre *Apolog.* 2. Dionyſio Alexandrino apud Nicephorum 6. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 9. docent, deducuntque Petr. Arcadius *de Concord. Eccleſ. Occid. & Orient. lib.* 3. *cap.* 26. Durant. *de Ritib. Eccleſ.* 2. *cap.* 39. *num.* 2. Joſ. Vicecomes *de Miſſæ Ritib.* 3. *cap.* 23. Salmeronius *tom.* 9. *in Evangel. tract.* 12. *pag.* 98. & *tract.* 14. *pag.* 114. & *tract.* 32. *pag.* 319. Et cum eo, &

Martinonio noviſſime, & electe P. Gabriel Henao *de Miſſæ Sacrif. 1. part. diſput. 14. ſection. 2. num. 17.* Hugo Menardus *ad Sacramentarium Div. Gregor. pag. notarum* 389. Et pro Juſtiniano eeoſentes, Bellarmious *tom. 3. lib. 2. de Miſſa, cap. 12. §. quarto cum ſeq.* Jacob. Ooar *ad rituale Græcorum, & Miſſam.* S. Jo. Chryſoſtom. *Annotat.* 131. ad quem, & ritum in Latina Eccleſia alluſit Tertullianos, Pamelio, ac Cerdæ parum expenſus, *cap. de Spectaculis* 25. expoſitus tamen ſcite Durantio, jam laudato, & Albaſpino *in notis ad Tertullianum*, & poſt bunc tandem Cerdæ *ia adv. ſacr. cap. 136. num. 1.* dum inter alia Chriſtiano exprobrat, *ex eo ore, quo Amen ia Sanctum protuleris, gladiatori teſtimonium reddere.* Et de Ambroſiana Eccleſia Ambroſius *lib. 3. de Sacramnt. cap. 5. in fine, & libro de initiandis, cap. 9.* dooec, & demum in Eccleſia obtinuit, tam ſecretas, quæ vocantur preces, quam poſt præfationem ſacri Canonis partes ſecreto pronunciari, auctore, inter alios, Innocentio III. *lib. 3. Myſteriorum Miſſæ, cap. 1.*

10 Jam & qui, Juſtinianum immerentem damnari, non patimur, quanto indignius feremus, quanto minus pati æquum erit, inuri injuſtam notam piiſſimæ memoriæ Caroli Quioti, Optimi, Maximi, & Catholiciſſimi Cæſaris, ob edictum illud, ſive libellum, dictum *Interim*, pro concordia in controverſiis Religionis, donec Concilio deciderenrur, quem libellum illis henotico, ecthesi, ac typo, de queis ſupra, comparat impius, & verſipellis Paulus Servita, ſub nomine Petri Suavis Pollani *lib. 2. & 3. Hiſtor. Concil. Trident.* Et ex eo, quo ſolet cenſorio aculeo, Carolum incuſat Famianus Strada *Dec. 1. lib. 1. Belli Belgici*, & gallica ſimultate Spoodanus, connivens tot gallicæ politiæ edictis, hæreſes intra Eccleſias, & palatia foventibus, & abutens oon melioribus in Carolum teſtibus, quam Sleidano, & aliis ſectariis *ad annum* 1548. *num. 4. & ſeq.* poſt Baroolum; cum tamen excuſando Carolo ſatis, ſuperque ſit, in primis eum libellum a Catholicis Theologis, & duobus, inter eos, Epiſcopis compoſitum Romam ad Pontificem præmiſiſſe, neque, eo inconſulto, publicaſſe, ac deinde nihil in eo pro auctoritate politica, de Religione ſtatuiſſe, neque contra catholicam Religionem, quin imo pro ea, quoad poterat, reſtituenda, hæreticis contra frementibus, & refragantibus, & urgentibus hinc illorum in Apoſtolicam Sedem contumacia, atque inde parum tempeſtiva tranſlatione Concilii è Tridento Bononiam, ut prore expendit noſter Sandovalius *in Carolo V. libr. 30. §. 1. & 2.* Sed temporarias, ac fere ſeſquiannales indocias Germaniæ indulſiſſe impunitatis, duobus in capitibus, ſcilicet conjugiorum, quæ Sacerdotes quidam contraxerant, & communionis Laicorum ſub utraque ſpecie, &; ut diximus, impunitatis, & tolerantiæ interinariæ uſque ad ſexquiannum Concilii, non autem approbationis illorum capitum; quomodo & liquet ex *libello* ipſo apud Goldaſtum, *tom. 2.* Et enarrant illius ſæculi, & integræ fidei ſcriptores, Joannes Coclcus *Opuſculo pro interim contra Triganthn.* Pontus Heuterus *lib. 12. Rer. Auſtr. cap 16.* Franciſc. Haræus *tom. 3. Hiſtor. Brabont. in Carolo V.* Laureotius Surius, & Hieronymus Bardus *in Commentar. ad annum* 1548. Natalis Comes *libr. 3. Hiſt.* & ex Gallis Florimundus Remundus *de Orig & Progr. Hæreſ. lib. 3. cap. 17. num. 4.* ac noper contra Paulum Suavem Carthoalis Sfortia Paravicinus *lib. 10. Hiſtor. Trid. cap. 17. & ſeq. & lib. 11. cap. 1.* & electe, eruditeque, quiſquis ille ſit, Ayora Valmiſotus, Auctor *Arbitri Martem inter, & vindicias Gallicas, cap. 10. ex num.* 295.

Addimus, non tam pro illius libelli, quam pro 11
Caroli in eo edendo pietate, ac zelo, acceptatam fuiſſe eam, ut vocatur, *Conſtitutionem de interreligione*, quoad ſtatus catholicos, non ſolum in Concilio Auguſtano illius anni 1548. *cap. 2.* Sed & eodem anoo in Trevirenſi provinciali *in princip. §. nemiaem*, ubi & alia Caroli forma pro diſciplina, dicitur *ad amuſſim conſentanea Scripturis, & cælitus inſpiratis Canonibus.* Et in Colonienſi *anni* 1549. *in initio, §. quæ ſpes*, affirmatur de eadem interreligionis forma, duobus tantum articulis, ad Concilii definitionem rejectis, contineri io ea *doctrinam Evangelicam, & teſtimonium Carolo redditur, tamquam fortiſſimo Orthodoxæ Religionis propugnatori.*

C A P U T XLIV.

De abſtinentia auctoritatis politicæ à Decretis de Religione, niſi tamquam auxiliatrici.

A R G U M E N T U M.

IN Decretis Apoſtolicæ Sedis *de* Religione, *eſſet damnabilis abuſus* Neapolitani, Exequatur, *aut placiti aliarum ditionum* Italiæ, *imo &* Hiſpaoæ *in aliis* Bullis *ſupplicationis, & damnabiles qui contra cenſuerio. At ſi non definitorie è* Cathedra, *aſſertio aliqua à* Pontifice *reprobetur, fas fuit, atque eſt, obnoxie, & reverenter ſupplicare, & defenſorium, nondum decretorie damnati dogmatis*, Sanctitati *ſuæ offerre. Exemplum* in libello de tribus ſubſtantiis S. Juliani *ex* Coocilio Toletano 15. *& in* Abulenſi, *ſeu* Toſtato, in Decretis Apoſtolicis, de moribus, *ſi eos tamquam neceſſarios ad ſalutem, generaliter definiant, ac præſcribant, ſtandum illis omnino ſine ulla ſuſpenſione, aut ſupplicatione: aliter atque ſi* Decreta *ſint tantum directiva pro nova, & meliore aliqua diſciplina morum, ia queis permiſſa ſupplicatio, & ſuſpenſio, ſi provinciæ alicujus ſtatui ſit ea diſciplina pro tempore incongruens.* Juris, Doctorumque *pro traditione iſta auctoramenta; quin & exempla apud nos in* ſupplicatione à Motu proprio *Pii V.* de cenſibus, *& à* Bulla Gregoriana de immunitate, *& aliis, & ia* Gallia Decretis de Reformatione Tridentinæ Synodi, atque ea quando, & quatenus illic recepta. *Statuitur deinde, non tantum licere, ſed & incumbere pro ſuo munere catholicæ politicæ auctoritati, auxiliari* Eccleſiæ Decretis *temporali gladio, & legibus. Tales & accipiendæ* Regiæ *aliquæ noſtrates, quæ recenſentur. Refertur ad huac ordinem vetus, de* Monaſteriis *non fundandis ſine* Regia *licentia, noſtra obſervantia, cujus publica atteſtatio in* Caſtellæ Comitiis, *eſt veluti approbatio, aut exemplum in* Concilio Moguntino 1. cap. 1. *& apud* Gratianum cap. 37. de Conſecr. diſt. 1. *Illuſtratur is* Canon, *ſimul* cum l. 14. C. de Religioſ. & l. ult. C. Theod. de ſep. viol. *Obſervantiæ noſtræ priſca monumenta, vel à* Sanctorum Bernardi, Dominici, *&* Franciſci *ætate, ſub* Alphonſo VI. *&* Ferdinando VI. Regibus, *& ex eis immemoriale, & proinde firmum jus, ac differens à novo illo, & odioſo tentamento ſtatuti* Veneti *damnati à* Paulo V. *De eadem obſervantia in* Indiarum Eccleſiis, *ſubnixa* Pontificiis Bullis. *Signantur & pro ea obſervantia rationes, tum ex* Hebræorum Regum *exemplo, & politia, tum etiam, quia, ut profanus locus,* Monaſterii *extructione, fiat Sacer, ſimulque ille, & perſonæ, ac bona ei acceſſura, exeant è poteſtate ſupremi Principis, & creſcente exemtorum numero, Laïcorum ſtatus, atque opes deficiant, æquabile videtur, requiri illius aſſenſum, cui præjudicatur, quamdiu de* Decretorio Pontificio *juſſu non liquet. Tum denique ex* Eccleſiæ *ipſius mente, ne novis, pluribuſque* Monaſteriis *præjudicetur aliis, aut ipſi regulari diſciplinæ. Tandem de* Prætorio jure Regum *erga* Regulares, *atque ex eo jure, & politica cura, & conſuetudine, deſignandi interdum* Prælatum, *aut* Regium *Miniſtrum, qui* Capitulis *circa electiones* Regularium *pro pace interſit.*

1 AT ut pergamus ſupra traditis de defectu poteſtatis politicæ quoad ſacra, & religionem, ſuccedaneum, & conſequens eſt in decretis Romanæ ſedis, de religione, ſive fide ex Cathedra definientibus, de quorum tamen Romæ promulgatione ſatis conſtet, nec præcedere, neque adhiberi oportere

tere in provinciis, Regii, ut Neapoli dicitur, *Exequatur*, vel politici placiti in aliis regionibus uſum, quin potius, ſi his decretis applicaretur, abuſum damnabilem fore poteſtatis politicæ, immiſcentis ſe ſacris, & uſurpantis quæ ſolius Eccleſiæ ſunt, contra tot ſupra expenſa, nec repetenda, ut & in ſpecie notant Franc. Zypæus *de Juriſd. Eccleſ. cap.* 63. *num.* 16. *& lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 4. Petr. Marca *de Concord. Sacerd. & Imp. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 8. *& in prolegom. pag.* 75.

2 Et hoc amplius ſupplicationem à decretis Fidei, & ea præcedente ſuſpenſionem eorum receptionis alieniſſimam ſemper fuiſſe, & futuram à catholica religione noſtrorum Regum, & aſſidentium illis Senatuum ſenſu. Cujus illuſtre experimentum noſtra ætas vidit in damnatione Janſeniani erroris ex Apoſtolicis Bullis, quæ ſtatim, & obſequentiſſime in Catholici Imperii provinciis promulgari, & exequi juſſæ, utcumque ſuſpenſionem aliquam, ſeu tolerantiam, politici reſpectus non leves ſuaderent, quibus ſupra fas deſerunt in hac re alii, ut de Inquiſitione Veneta memorat libello de ea ſcripto, Paulus Servita, & ea eo vix diſſentiens Thuanus *lib.* 5. *Hiſtor. pag.* 152. Rouſell. *lib.* 4. *de Juriſd. Pontif. cap.* 4. *num.* 19.

3 Quanquam ſi non è Cathedra definiendo, ſed ſuppoſitive aſſertio aliqua, extra ordinem, cenſorio ſtilo Pontificiis litteris reprobetur, fuerit pridem, ſitque licitum, aſſertionis auctori, & multo magis provinciæ, ad quam pertinet, Patribus, obſequio ſalvo, & obnoxio aſſenſu ad eamdem Apoſtolicam Sedem ſupplicare, & aſſerti, ac nondum decretorie damnati dogmatis, fundamenta referre, ut exemplo nobili apparet ex Concilio Toletano 15. in quo propoſitiones quædam S. Juliani, ſanctitate, & doctrina celeberrimi, ut indigitatur *in Martyrologio Romano die Martii* 8. in libello de tribus ſubſtantiis à Benedicto Papa cenſorie prænotatæ, deinde in Concilio illo examinatæ, & præmunitæ, & Romam tranſmiſſæ, illic tandem Apoſtolicam approbationem meruere, ut ſcribunt, poſt Iſidorum Epiſcopum Pacenſem, *in Chronico Era* 726. Roderic. Archiepiſc. *lib.* 3. *de Reb. Hiſp. cap.* 14. Ambr. Moralius *lib.* 12. *cap.* 58. Mariana *lib.* 6. *cap.* 18. Baronius *tom.* 8. *ad ann.* 685. *num.* 4. *&* 688. *num.* 3. Luitprandus, ſeu quis alius, *in Chronico ad ann.* 688. & illis, ac ſimilibus ſchedis bene creduli, noſtri pridem affectu, & ſtudiorum commilitio, D. Laurentius Ramireſius Prado, & Tamaius de Vargas *in Notis illius Chronici.* Plene ex aliis alter Tamaius Salazarius *in Martyrol. Hiſp. tom.* 2. *ad* 8. *Martii diem in S. Juliano.* Nec diſſimile Abulenſis Toſtati exemplum *in Defenſorio pro Theſibus ſuis ad Eugenium Papam*, cujus meminere Mariana *lib.* 21. *Hiſt. cap. ult.* Spondanus poſt Baronium, *tom.* 1. *ad ann.* 1443. *n.* 10.

4 Diſtant enim vero in propoſito à Decretis Apoſtolicæ Sedis de fide, ſive dogmaticis, & ex Cathedra definitoriis, Decreta alia de moribus, quæquamvis generalia ſint, & erga mores verſentur, neceſſarios ad ſalutem, & quos per ſe bonos, aut malos definiant, & circa eos univerſæ Eccleſiæ, præcipiant, ac præſcribant, ſtandum omnino ſit, & ſine ulla vel ſupplici executionis ſuſpenſione parendum Apoſtolicæ, de ejuſmodi moribus, infallibili definitioni, & præcepto, ut, vel ne in re Catholicis perſpicua alios laudemus, liquet ex traditis à Bellarmino 4. *de Rom. Pontif. cap.* 5. *&* 16. in quo licenter pleraque, & parum diſtinguens auctoritatem à defenſione, & decreta fidei ab his, quæ de moribus, ac diſciplina, Petr. Marca *de Concordant. Sacerd. & Imp.* 2. *cap.* 15. *&* 17.

5 Si tamen ſint Decreta, aut leges non generales, nec definitoriæ morum neceſſariorum ad ſalutem, ſed directoriæ, & novæ pro majore, aut meliore aliqua diſciplina, aut correctione, ex cujus receptione, executione, & obſervantia, juxta temporum, ſeu provinciarum ſtatum, aut conſuetudines, gravia publice incommoda ſequi poſſint, quæ, utpote facti, & procul à Romanæ Curiæ finibus, ſibi ut plurimum incomperta, aut non præviſa Sancti Pontifices profitentur. *cap.* 1. *de Conſtit. lib.* 6. *cap. bonæ* 4. §. *intelleximus, de poſtul. prælat.* juncto *cap.* 1. *& ſeq.* 29. *diſt. cap. cum olim* 6. *de Cleric. conjug.* Ad rem de S. Damaſo S. Baſilius *Epiſt. ad Terentium*, apud Baronium *in Martyrologio die* 12. *Februarii*, ubi de Melecio. Anaſtaſius Bibliothecarius in *notatis ad Oram ſexti Canonis ſeptimæ Synodi*; licitum erit, publico nomine, ab eis decretis ſupplicare, & ad Apoſtolicam Sedem referre, ſuſpenſa interim executione, ut argumento ex *cap. ſi quando* 5. *de reſcr. cap. certificari* 9. *de ſepultur.* docent, poſt Panormit. *in cap.* 1. *de tregua, & pace*, explicite Fr. Suarius *lib.* 4. *de Legib. cap.* 16. *n.* 7. *&* 8. Henriquius *de Pontificis Clave, lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 5. Azorius 1. *tom. Inſtit. Moral. lib.* 5. *cap.* 4. *verſ. tertia.* Salas *de Legib. tract.* 14. *diſp.* 13. *ſect.* 4. Ex alíis Antonin. Diana *tom.* 1. *Tract.* 10. *reſ.* 6. Salgado *de Supplicat ad Sanctiſſim.* 1. *part. cap.* 2. *ſect.* 4. *ex num.* 151. *& cap.* 6. *num.* 19. & ante alios Innocentius in *cap. Inquiſitionis* 44. *num.* 3. *verſ. quid ſi Papa, de ſent. excomm.* & ex eo Guil. Barclaius *de Pot. Papæ cap.* 30. condncit *gloſſa notabilis in cap. in iſtis* 4. *verb. Judicent* 4. *diſt.* & in vim defenſionis naturalis moderatæ, ac reverentis, ut poſt Sylveſtrum in *ſumma, verb. obedientia num.* 5. & Cajetanum *opuſc. de Auctorit. Papæ, & Concil. cap.* 27. §. *ad ſecundum.* Bellarminus *de Rom. Pont.* 2. *cap.* 29. §. *argumentum ſeptimum. & lib.* 2. *de Concil. cap. ult.* §. *reſpondeo, non mirum.* Franciſc. Marcus *Deciſ. Delphin.* 455. *ex num.* 33. *cum ſeq.* & perplures, quorum meminimus *in libello de Epiſcop. Portug. propoſ.* 3. *numer.* 26.

Quo defenſionis per ſupplicationem jure (præter ſupplicationes, apud nos receptas, à Pontificiis Bullis in privatis cauſis, utcumque eccleſiaſticis, ſi præjudicent Patronatui Regio, vel Laïcorum, aut aboquin publico bono, de queis alii, & *alias*) nituntur, & exempla ſunt quoad Decreta Pontificia de moribus, ſive pro his corrigendis editorum, quorum executio ſuſpenſa per ſupplicationem in Hiſpania, *motus proprius* Pii Quinti, *de Cenſibus. l.* 10. *tit.* 15. *lib.* 5. *Compil.* & *Bulla*, ut vocant, *Gregoriana, de immunitate Eccleſiarum*, ſive Gregorii XIV. quam in Hiſpania non receptam, prævia Philippi III. ſupplicatione, prænotatur *ad oram l.* 6. *tit.* 4. *lib.* 1. *Compil.* & memorant, poſt DD. Salgadum, Barboſam, Cutellum, Fontanellam, Dianam, & alios, accurate, ut ſolet, D. Creſpi 2. *part. Obſerv.* 63. *ex num.* 8. Faria *ad D. Covarruv.* 2. *variar. cap.* 20. *num.* 33. Portus *in faſcic. Rerum Crimin.* §. *captura, in reſponſo incip. cum ſupponatur pag.* 442. Noſter Nicol. Anton. *de Exilio, lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 26. Noſter item, & eruditione æque, ac dignitate ſuſpiciendus D. Joſephus Exea Talayerus, in Supremo Aragoniæ Senatu Regens, *in Allegat. de cadaveribus punitorum pag.* 25. & Concilii Tridentini *Canon.* 24. *ſeſſ.* 17. *de prohibita plurium Beneficiorum ſimplicium retentione.* De Quo Nicol. Garſia *de Benef. part.* 11. *cap.* 5. *num.* 149. *&* 158. & alii *Tridentini Canones de reformatione*, in queis provinciis non recepti, juxta traditionem Navarri *lib.* 1. *Concil. de Conſtitut. quæſt.* 8. *in fine.* 6

Denique in Gallia Tridentinum totum, ſaltem in Decretis de reformatione, utcumque urgentibus pro receptione duobus ſtatibus Cleri, & Nobilitatis, & Clero tandem admittente, ſalvis juribus Regiæ coronæ, & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, quæ fuerat ſententia, & præcautio Cardinalium Oſſati, & Perronii, e contra tamen renitente populari ſtatu, & cum eo Parlamentis, ut Hiſtorici Galliæ memorant, & fuſe Thuanus *lib.* 105. *& lib.* 107. Spondanus, poſt Baronium, *tom.* 2. *ad annum* 1579. *numer.* 3. *&* 4. *& ann.* 1582. *num.* 22. *&* 1589. *num.* 2. *&* 1593. *n.* 20. *&* 1596. *num.* 18. *&* 1598. *num.* 8. *&* 1600. *num.* 25. ac demum *anno* 1615. *num.* 7. Bulenger. *lib.* 9. *Hiſtor. & lib.* 12. Bartholom. Gramondus *in Ludov.* XIII. *lib.* 1. Petr. Mathæus *in Henrico IV. lib.* 1. *narrat.* 5. Scipio Duplaixius *tom.* 7

4. *Hiſtor. ad annum* 1593. Diſerte ſuo ſenſu Petr. Marca *de Concord. Sacerd. & Imp. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 6. & 7. ne interim in re laudemus, illaudatæ, imo damnatæ fidei ſcriptorem, Petrum Suavem Polanum, ſeu Paulum Servitam, in *Hiſtor. Trident. Concil. tit.* 8. *prope finem*, cujus larvatum nomen, impoſturas, præſtigiaque detexit, & disjecit, bene, & graviter de Eccleſia merens, Eminentiſſimus Sfortia Pallavicinus *Hiſto. Trident. libr.* 24. *cap.* 21.

8 Poſtremo corollarii ejuſce, & aſſertionis, de cohibita, & cohibenda auctoritate politica, ne ſtatuat, cenſeatve de ſacris, & eccleſiaſticis, ſit veluti expoſitivum temperamentum, & quidem pro exploratu habitum, habendumque, licere adhuc auctoritati politicæ, atque imo ſui muneris, & juris eſſe, utcumque per ſe non ſtatuat, aut cenſeat, tamen ſtatutis ab Eccleſia, de Religione, & ſacris, & eccleſiaſticis perſonis, ac rebus obſecundare, & auxiliari ſuis legibus, & quidem pœnis temporalibus additis, & politicis ſtabilimentis, pro executione, & obſervantia legum eccleſiaſticarum; ſic enim ſuadet ratio de eccleſiaſtico, & temporali gladio ſibi invicem ſuffragantibus, & in juvamen mutua ſubventione exercendis. Ut verba fere ſunt *cap. dilecto*, §. *in fine, de ſentent. excomm. cap. cum ſecundum* 10. *de hæret.* juncto *cap. ultim. de except. lib.* 6. *cap.* 1. *de offic. Ordinarii.* Et antiquæ Eccleſiæ cenſura, ac ſenſus. *cap. Princeps* 20. *cum duobus ſeq. cap. De Liguribus* 43. *in fin. cum ſeq.* 23. *q.* 5. juncto *Canone Milevitano*, de quo, & aliis pro auxiliatrice poteſtate politica in ſacro jure connubiali, & dicturi ſuo loco inferius, & diximus *ſupra cap.* 41.

9 Suadet denique obſervantia, & auctoritas (ne nunc illa egeamus gloſſæ, quantumvis receptiſſimæ in *Clementina Ne Romani*, *c.* 2. *in princip. verb. Tolni, de elect.*) Regiarum, apud nos, legum, non ſemel de Eccleſiaſticis ſtatuentium, prohibitione, ac pœnis additis, in re tamen pridem Canonibus improbata, ac prohibita. *l. ult. verſ. unde nos, tit.* 3. *part.* 4. Cujuſmodi, ſepoſitis interim, quæ de re connubiali, exemplum eſt illud, de armorum, & laicorum veſtium uſu, clericis vetito, ex *l.* 5. *tit.* 4. *cum l.* 9. *tit.* 3. *lib.* 1. *Compil.* juncta prohibitione canonica ex *cap.* 1. & *ſeq. cap. Clericis* 5. *cum ſeq.* 23. *quæſt.* 8. *Clement.* 1. & 2. *de vita, & honeſt. Cleric.* & in ſimili vetito officiorum ſæcularium, *l.* 3. *tit.* 4, & *l.* 10. *tit.* 3. *lib.* 1. & *l.* 14. *tit.* 5. *lib.* 3. *Compil.* & præeuntibus ei vetito ſacris Canonibus, de queis exacte ſupra *lib.* 2. *cap.* 25.

10 Poteſt autem accenſeri bis exemplis, & ſuſtineri eadem ratione, & auctoramento, recepta, apud nos, obſervantia, ne monaſteria, aut novæ Eccleſiæ fundentur, ſine prævia licentia Regia, petita, & impetrata in ſupremo noſtro Senatu; cujus obſervantiæ meminere, ſola tamen, & ſicca ſuppoſitione, patrii ſcriptores, D. Larrea *Deciſ. Granat.* 97. *num.* 18. Navarretus *Diſcurſ. Polit.* 42. explicite magis Eſcobarius *de Foro Studioſ. cap.* 21. *num.* 317. & *ſeq.* D. Solorçan. 2. *tom. de Indiar. Gubern. lib.* 3. *cap.* 23. *numer.* 32. & 34. ubi in eam rem laudat *Epiſtolam* D. Bernardi 301. *ad Sanctiam, ſororem Imperatoris Hiſpaniæ*, pro Regia auctoritate in erectione, & reunione monaſterii Toldanenſis (cui jungendum *Diploma ex annalibus Ciſtercienſibus*, apud noſtrum pridem amicitia, & cultu M. Angelum Manriquium, Salmanticæ Primarium, & Pacis Auguſtæ Epiſcopum *tom.* 2. *ad annum* 1149. *cap.* 8.) Et in *Politic. Ind. lib.* 4. *cap.* 23. ubi & quoad Monaſteria in diſtrictu militarium Ordinum, ex Pereira *de Manu Regia* 2. *part. cap.* 58. *num.* 20. Andreas Mendo *de Ordin. Milit. quæſt.* 13. *n.* 232. *diſquiſ.* 1. & *diſquiſ.* 17. *quæſt.* 4. *num.* 37. & extra Hiſpaniam, de Hiſpanis Mich. Rouſel. *lib.* 3. *Hiſtor. Juriſd. Pontif. cap.* 4. *num.* 15. & tacite Mar. Cutell. *de Immunit. Eccleſ. lib.* 2. *quæſt.* 62. *num.* 9. At ne ſolis his aſſertis nitamur, præterquam quod veluti ad inſtar obſervantiæ hujus, eſt prohibitio illa Confratriarum, utcumque piarum, ſine Regia licentia, ex *Henricia lege* 3. *verſic.* Y *precediendo*, *tit.* 14. *lib.* 8. *Compil.* ſupponitur hæc ipſa obſervantia in Curiatis Caſtellæ Comitiis, eorumque, ut vocamus, *millionum* conceſſionibus, ſub quioto genere *conditione* 45. qua ſupplicatum Regibus noſtris, ne durantibus annis illius conceſſionis expediantur à Senatu Regio licentiæ, pro novis monaſteriis qualibuſcumque fundandis.

Sed & ulterius habet hæc obſervantia veluti adſtipulatorem, veterem Canonem Concilii Moguntini 1. ſub Leone III. *cap.* 51. qui in Gratiani Decreto eſt *cap. corpora* 37. *de conſecrat. diſt.* 1. eoque cautum, ut *corpora Sanctorum de loco ad locum nullus transferre præſumat, ſine Conſilio Principis* (ſic enim in Archetypo Concilii legitur) *vel Epiſcoporum, ſanctæque Synodi licentia.* Quod conſtitutum, variantibus illic Gloſſographis, vix intellectum, & ſiniſtre ad Imperatores Pontifices relatum à Germonio 1. *de Sacror. Imm. cap.* 8. *num.* 7. fere conſonat Conſtitutioni Valentiniani, & Theodoſii, de non transferendis corporibus, *ſine Auguſtis affatibus*, ut ſcriptum eſt, Accurſio licet allucinante, *in l. nemo* 14. *Cod. de Religioſ.* (quæ Conſtitutio excerpta, ut videtur, ex *l. ultim. Cod. Theod. de ſepulchr. viol.* ubi & hoc amplius, Imperiali auctoritate fit poteſtas ei, qui voluerit, fabricandi in loco, in quo Sanctorum aliquis conditus eſt, pro ejus veneratione *Martyrii, quod vocandum eſt*, ut lex ait, ſive Eccleſiæ, & Martyris memoriæ, quæ ſynonima tunc, ut liquet vel *ex libris noſtris*, *l. generali* 13. *l. decernimus* 16. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* cum *l.* 5. ubi ex *Synopſi* Gothofredus *eodem tit.*) 11

Habet item (ne jam traditum illud ex *Epiſtola D. Bernardi* 301. repetamus) in Hiſpaniæ noſtræ ruderibus conſentaneam atteſtationem ex hiſtoria, ante annos quingentos ſcripta, tranſlationis Beati Felicis ex Sacello Bilibienſi ad monaſterium Sancti Æmiliani ſub Alphonſo VI. *Quam non potuiſſe juſte, & ſine inquietudine omni compleri, abſque auctoritate, & permiſſu Regali*, prodidit hiſtoriæ illius auctor, apud Sandovalium *in fundat. Monaſter. S. Bened.* 1. *parte pag.* 31. *in Monaſt. S. Æmil.* Habet præterea inſigne documentum in Sancto Ferdinando Rege, & ſanctis Dominico, & Franciſco, quos pro inducendis in Hiſpania ſuorum ordinum monaſteriis, præſentaſſe Apoſtolicas Bullas Ferdinando Regi, ab eoque reverenter licentiam expetiiſſe, repræſentat vetus è lapide iconiſmus pro valvis ſanctæ Eccleſiæ Burgenſis, & Annales noſtri memorant, & ex eis Mariana *lib.* 12. *Hiſt. cap.* 8. Garibaius *lib.* 12. *cap.* 44. Colmenares *Hiſt. Segov. cap.* 20. §. 6. & ex vetere hiſtorico Enchiridio Ferdin. Caſtillo *in Hiſt. S. Dominici lib.* 1. *cap.* 40. tametſi idem huic traditioni, quoad chronicos calculos, repugnet. Aſt ea ſimul, & ſingula ſatis, ſuperque nobis pro ſuſtinenda Hiſpaniæ obſervantia de impetrando Regio aſſenſu pro extruendis Eccleſiis, juxta Theodoſii leges, & Moguntinum Canonem de tranſlatione, à qua ad extructionem argumentum rectum fit. *cap. unic. de exceſſ. Prælator. cap. ſi quis vult* 41. 16. *quæſt.* 7. *l. oſſa* 8. *l. Divi* 39. *D. de Religioſ. l.* 9. *verſ. O acaeciendo*, *tit.* 10. *part.* 1. junctis pro pari jure tranſlationis, & extructionis, poſt alios, ad rem ex noviorum Practicorum grege, congeſtis à Barboſa *de Pot. Epiſc.* 2. *part. alleg.* 26. *num.* 8. Carolo Maranta 4. *parte Controv.* 73. *num.* 45. 12

Si præterea animadvertas, obſervantiæ noſtræ jus 13 immemoriali ſæculorum uſu niti, quo & ipſo Apoſtolicus titulus, & approbatio ſupponitur, ex Regula *l.* 3. §. *ductus D. de aqua quotid.* ac deinde requirit præcedentem Epiſcopi Diœceſani licentiam, juxta Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 3. *cap. quicumque* 44. *in fine* 16. *quæſt.* 1. *cap. quidam* 10. *cap. de monachis* 12. 18. *quæſt.* 2. ſine qua prævia licentia, non eſt aditus ad Regium; agnoſces & diſtingui eo ipſo non ſolum ab antiquo illo, & impio edicto Phocæ Imperatoris, ſed etiam à novo illo Venetorum decreto, de non ædificandis Eccleſiis

ſine

ſine ipſorum permiſſu, quod tanquam novum, atque editum cum recenti odio, atque injuria eccleſiaſticæ libertatis, impugnarunt merito quotquot pro *Monitorio* Pauli V. *in Venetos anni milleſimi ſexcenteſimi ſexti* ſcripſère, quorum nomenclator, & aſſecla Anton. Diana 1. *tom. part.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 61. & 129. Nicolaus Hermoſious *ad cap. Eccleſia* 10 *quæſt.* 20. *n.* 4. & in contrarium pro Venetis plerique Apologiſtæ, apud Melchiorem Goldaſtum *tom.* 3. *Monarchiæ Imperii pag.* 282. & *ſeq. uſque ad* 564. ſane quoad novi Orbis provincias, quas, *Indias*, dicimus, expeditior omnino eſt, petendæ, & impetrandæ Regiæ licentiæ pro novis monaſteriis neceſſitas, & obſervantia, cujus Nos, cum Supremo Indiarum Conſilio præſideremus, fuimus pro munere non ſemel aſſertores, & ſignatores; idque ex Pontificiis Bullis, quæ prædicationis Evangelicæ, & Eccleſiarum fundationis, ac patronatus curam, & jura Catholicis Regibus ſolis indulſere, ut in propoſito noſter Solorzan. *dict. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 39. & *in Polit. lib.* 4. *cap.* 23.

14 Accedunt pro obſervantia noſtra politici reſpectus graves, & vel Eccleſiæ ſenſui congruentes, vel ab Eccleſia non improbandi. Cujuſmodi ille ante alios, quod Templorum pro ſacris ædificatio, & cura, utcumque inter Chriſtianos ſit primarie, & potiſſime Pontificis Summi, *cap. auctoritate* 4. *de privil.* & *cap. ult. de exceſſ. Prælat.* & *cap. un. §. confirmatos, de Religioſ. dom. in* 6. eſt etiam, fuitque pridem inter partes, & munia politicæ auctoritatis, ut de Hebræorum Templo Nicolaus Lyranus *ad Deuteron. cap.* 17. *verſ.* 8. ubi, & inſignite ad rem ita: *Et hoc erat in cauſis, quæ non poterant terminari ab uno, ſine alis* (ſcilicet Sacerdote Summo, & Rege) *utpote in ædificatione Templi, quæ non poterat fieri, ſine poteſtate Regia, nec diſponi abſque Sacerdotali ordinatione.* Et ex noſtris D. Thomas *opuſc. de Regim. Princ. lib.* 1. *cap.* 13. inter politicas curas inſtituendæ civitatis recenſet, *providere, quis locus ſit ſacris.*

15 Poſt inde quia cum Eccleſiæ, ſeu Monaſterii fundati locus è profano fiat ſacer, & bona illius dotationi cedentia, & ceſſura, è temporalibus tranſeant in eccleſiaſtica, ac demum Laïci, monaſterio adſcribendi, deinde pro Laïcis Monachi futuri, atque eo ipſo locus, bona, ac perſonæ exitura è poteſtate, & imperio ſupremi Principis, videtur, eſſe & rationis, & æquitatis, cujus Eccleſia cultrix eſt, explorari, & exquiri aſſenſum ejuſdem Principis, argumento ex *l. ult. D. ut in poſſeſſ. leg. l. in tantum* 6. *§. ſacræ. l. ſacra* 9. *§.* 1. *D. de diviſ. rer.* juncta Regula *l.* 2. *Cod. de Religioſ.* & quia quamvis in dubio ſumma ratio, quæ pro Religione eſt, ſuadeat, ſi urgentia animarum ſalutis, ac Pontificis ſuprema in ſacris auctoritas, pro fundatione ſtent, ut ſemper ea potiora eſſe debeant, *l. ſunt perſonæ* 43. *in fine, D. de Religioſ.* Tamen quamdiu de urgentia, & decretorio Pontificio juſſu non liquet, rationabile videri debet, exaudiri, & adhiberi Catholici Regis aſſenſum, cujus Imperio, & territorio præjudicatur, *ne reverentia Religionis dominum ſuo jure fraudet.* ut ad *caput conſtituit* 31. in addito Scholio Gratianus 17. *quæſt.* 4. junctis notatis, de non deſtructa per Evangelium, ſed inſtructa in melius auctoritate politica *ſupra.* Et ne quidem contra Eccleſiæ ipſius ſenſum novis fundationibus præjudicetur aliis, intereſſe habentibus. *cap. quicumque* 44. *in fine* 16. *q.* 1. cum noviſſima Clementis Octavi Conſtitutione, de qua, & aliis poſt Gratianum, & alios A. Barboſa *d. alleg.* 46. *n.* 7. & *ad Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *in fin.* Novarius *in Lucerna Regularium, verbo, monaſteria.* Car. Maranta 3. *tom. Contr.* 86. *num.* 78. & *ſeq.* Quanto magis ne præjudicetur ſine illius aſſenſu Regibus, argumento ex Trident. *cap.* 9. *verſ. exceptis ſeſſ.* 25. *de reform.* ac denique ne multiplicentur monaſteria cum detrimento illorum congruæ dotationis, & regularis diſciplinæ, & non ſemel ſcandalorum, & turbationis, quod item contra Eccleſiæ ſenſum eſſet. *cap. un. de exceſſ. Prælat.* & *cap. un. de Religioſ. dom. in* 6. *cap. ult. eodem tit. in Decreta l.*

Cui etiam ſenſui Eccleſiæ, & curæ, auxiliari, 16
& incumbere, Chriſtiani Principis eſt, tanquam Protectoris Regularium, ut in *Extravagante* 2. *in princ. de tregua, & pace*, inter communes. *l.* 40. *tit.* 5. *lib.* 2. *comp.* (eoque jure licitum, & ſuetum Regibus noſtris, ſi in Regularium electionibus turbæ, & ſcandala timeantur, deſignare Prælatum, aut Regium Adminiſtrum, qui Regio nomine, & politica, ac protectrici auctoritate, capitulo electuro adſit pro pace, ut exprimitur in *Auctario tit.* 6. *lib.* 1. *comp.* de quo plene, & cum laude noſter Salzedo *lib.* 2. *de Lege Polit. cap.* 12. *§. unico.* D. Solorzan. 3. *de Ind. Gub. cap.* 26. *num.* 21. & *ſeq.* & *in Polit.* 4. *cap.* 26. noviſſime & reverendiſſimus munere, ac moribus Joannes Martinius, Optimi Regis noſtri Confeſſarius, *Diſcurſu Morali* 4. *num.* 115. eiſque addendi Ludov. Cabrera *in Philippo II. lib.* 7. *cap.* 11. Joan. Fileſaccus *de Sacra Epiſc. Auct. cap.* 7. *§.* 4.) Tandemque ne ſupra modum exereſcente, & multiplicato monaſteriorum numero, nec ſufficientibus ei ſuſtinendo Regnorum civibus, atque opibus, Reſpublicæ deſtituantur, pietatis prætextu, viris, & viribus, quod ſane Regii juris, ac muneris, & politicæ providentiæ eſt. *l.* 3. *§. Præſes* 15. *in fin. D. de muner.* & *honor. l. ult. Cod. de annon.* & *trib.* de queis, & ſimilibus *jam proximo, quod ſequitur, capite.*

C A P U T X L V.

De auctoritate legum politicarum erga Eccleſiaſticos.

A R G U M E N T U M.

P*Ro tertio, duobus ſuperioris Capitis proximo, corollario ſupponitur*, Eccleſiaſticos *in temporalibus ſubditos eſſe* Principatui *politico, proinde obligari, & ſubdi legibus* Politicis, *de re temporali, & pro* Reipublicæ *bono latis. Laudantur auctoramenta* Pauli Apoſtoli; *item* Chryſoſtomi, Bernardi, & Gregorii Magni, *ac* Gelaſii Papæ, *cum claſſicis* Theologis, & Juriſperitis. Valentiniani I. & II. leges 20. & 27. cum ſeq. C. Theod. de Epiſc. & Cler. *De* Clericis, *ac* Monachis *hæredipetis expenduntur. Frequentes id temporis ſimilium hæredipetarum exceſſus, & captatoriæ manus, atque artes, quarum occaſione latæ illæ leges. Comparabiles illis aliæ* Canonicæ, *ne* Religioſi, & *ſignate* Franciſcani, *ſint executores, aut commiſſarii teſtamentorum, aut tutores eſſent* Epiſcopi, *aut* Clerici. *Similes etiam, & ſubnixæ* Politico *intuitu, ne temporalis ſtatus, religioſo prætextu, lædatur,* Hiſpanæ leges, *contra quæſtorum, & aliorum in re teſtamentaria, & eleemoſynis abuſus: tandemque non diſſimiles* leges, *quas vocant*, amortizationis, *varie exagitatæ, & aſſertæ, &, ut improbandæ, ſi abſolute probibeant alienationes in* Eccleſias, *ita non temere damnandæ, ſi antiquæ ſint, & alienationibus non prohibitis, provideant in earum cauſam aliqua temperamento indemnitati temporalis ſtatus, & Fiſci. Sane* Valentiniani *illa* lex, *recepta à S.* Damaſo Papa, & *lecta in* Eccleſiis, *nec improbata* Ambroſio, *aut* Hieronymo, & *ea, & aliæ ex auctoritatis defectu, imo nec fortaſſe improbabiles tunc recto ſenſu, uſu, & fine* (*in quo ultimo exerrat* Gothofredus) *quamvis poſtea, pietate ſuffragante, eis* Martiani Novella *derogatum, quomodo & apud nos* Regia lex 7. tit. 9. lib. 5. Ordin *exolevit. Expenditur politica alia lex* Mauritii Cæſaris, *de* Militibus *arcendis à* Monachatu; *ea quam obſequenter accepta, & promulgata à* Sancto Gregorio Magno, *tametſi idem contra eam, quæ pie debuit,* Mauritio *ſuggeſſerit. Ejuſdem notæ illud vetus, apud* Francogallos, de

de non admittendis ad Clerum, *vel* Monachatum *ſine* Regia *licentia: & de* Aurelianenſis Concilii Canone 1. *Supponitur deinde, obligari* Eccleſiaſticos *lege* Politica, *& vi directiva, atque ea, non modo ad conſcientiam, ſed & ad pœnam, ſic tamen, ut ea in* Clerici *perſonam non exerceatur, niſi à ſuo* Judice; *aliter atque in illis, in quibus directiva vis ipſo jure operatur, ut in nullitate actus, & in pœna commiſſi, de qua cum Practicis. Poſtremo ſatisfit vulgari* axiomati, *ex cap.* Eccleſiæ S. Mariæ, de Conſtit. *& affirmatur, non eſſe id ampliandum extra ſignatos illic limites, qui ſunt de ſtatutis Laïcorum, diſponentibus de* Eccleſiaſticis, *tamquam eccleſiaſticis; nec producendum ad* Politicas leges *ſupremi* Principis, *ſtatuentes de re, & pro bono*, Laïcis, Clericiſque *communi.*

1 TErtium è converſo, ut progrediamur, & elementaribus illis præfatis conſectaneum eſt, Eccleſiaſticos in temporalibus, & politicis ſubjectos eſſe Principatui politico, & teneri illius legibus politicis, utpote quos nec Chriſtus Dominus, Monarchiarum, ut cum Chryſoſtomo diximus, non everſor, ſed inſtructor, exemit, ſed intra corpus illud Reipublicæ, & Imperii, eoque comprehenſos, tanquam illius membra, reliquit, ut cum Optato diximus ſupra, *effato* 2. quin imo, ſubditi ut illis eſſent, præcepit, neque Eccleſia exemtos voluit, quoad temporalia, quæ immunitatem, & libertatem Eccleſiæ non læderent *cap. cum ad verum 6. in fine*, 96. *diſtinct. cap. communior* 23. *cum ſeq.* 23. *quæſt.* 8. Neque Imperatores ipſi exemere, aut exemtioni conſenſere, quoad temporalia, niſi ſine præjudicio publici ſtatus, & Imperii ſui in politicis, & ut ſcriptum reliquit Hugo de S. Victore, inſignis Theologus, & Angelico Thomæ, ac Bonaventuræ ſæpe laudatus, *de Sacr. fid. lib. 2. part. 2. cap. 7. Eccleſiis devotione fidelium conceſſa ſunt poſſidenda, ſalvo tamen jure terrenæ poteſtatis.* Ubi & alia uſque ad finem. Et ut alibi Gratianus poſt *cap. conſtituit* 17. *quæſt.* 4. ita: *Ne reverentia Religionis dominos ſuos jure fraudaret.* Unde & omnino conſequens, obligari Eccleſiaſticos legibus civilibus, de re temporali, illis, & Laïcis communi, & pro Reipublicæ, cujus membra ſunt, bono latis. Et quidem ex debito illo ſubjectionis, & propter conſcientiam, quo, ut ad Paulum *ad Romanos, cap.* 13. Chryſoſtomus *Homil.* 23. *in princip. Imperatur omnibus & Sacerdotibus, & Monachis, non ſolum ſæcularibus, etiamſi Apoſtolus ſis, ſi Evangeliſta, ſi Propheta, ſive quiſquis tandem fueris: neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio.* His congruenter Bernardus *Ep. 42. ad Henricum, Archiepiſcopum Senonenſem, prope finem: Omnis anima, inquit, poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Si omnis, & veſtra. Qui vos excepit ab univerſitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere.* Gregorius Magnus *lib.* 2. *Epiſt.* 65 *indict.* 12. ubi de Mauritio Cæſare, Deum ei conceſſiſſe, *dominari non ſolum militibus, ſed etiam Sacerdotibus.* Unde etiam olim Gelaſius Papa I. *Epiſt.* 10. *ad Anaſtaſium Imperatorem*, ſic inter alia: *Legibus tuis*, ait, *quantum ad ordinem pertinet publicæ diſciplinæ, ipſi quoque parent Religionis Antiſtites.*

2 Quibus rationum, & auctoritatis momentis, utcumque vix perpenſis, docent tamen ex aliis, veluti ex *cap.* 1. *& 2. de oper. novi nunciat. cap. innotuit* 12. *de arbitris cap.* 1. *in princ. & in fine. cap. quoniam* 8. *cum ſeq.* 10. *diſt. cap.* 1. *de Sentent. & re jud. cap.* 1. *de Juram. calumn.* de directiva, ut vocant, vi legum civilium politicarum in obliganda Eccleſiaſticorum conſcientia. Ita communiter cenſentes Panormitanus, *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ num.* 13. ubi Decius *num.* 27. *de Conſtit.* Bartol. *num.* 18. & Legiſtæ Claſſici *in l. cunctos, Cod. de ſumma Trinit.* Ancharranus *in cap. non minus, de immunit. Eccleſ.* quem verbatim deſcribit, poſt multos, Menoch. *in Manuſcriptis de Juriſd. lib.* 2. *cap.* 3. & ex Theologis poſt Div. Thomam 2. 2. *quæſt.* 96. *artic.* 5. *ad* 2. *in fin.* Sylveſter *in Summa, verbo Lex, quæſt.* 15. Victoria *Relect.* 1. *de pot. Eccleſ. ſect.* 7. *§. quarta.* Molina *de Juſtitia diſp.* 31. *num.* 15. Sotus *de Juſtit. lib.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 7. *concl.* 1. Bellarmin. *lib.* 1. *de Cler. cap.* 28. *§. ſecunda propoſitio.* Ex profeſſo Suarius ex communi ſenſu, quamvis præter communem expoſito, *de Legib. lib.* 3. *cap.* 34. *ex numer.* 6. ubi perplures laudat, quos, & noviores alios non moramur, *& num.* 12. *&* 13. *& cap.* 5. Addimus inſignitam in re *legem Regiam* 5. *tit.* 1. *libr.* 2. *& l.* 29. *tit.* 4. *lib.* 2. *Compil.*

3 Sunt autem hujus auctoritatis directivæ, & obligatoriæ legum politicarum, quoad Eccleſiaſticos, documenta, peræque nota, ac nobilia, & veluti à fortiore argumenta, duo præ aliis. Unum ex Conſtitutione Valentiniani Primi, & Valentis, ac Gratiani ad Damaſum Papam, qua cautum, ne Eccleſiaſtici, aut Monachi capiant ex teſtamento viduæ, aut alioquin Religioſæ fœminæ, quod & Valentiniani Secundi, ac Theodoſii, & Arcadii lege extenſum, ut neque ulli Eccleſiæ capere liceat, relictum a vidua, aut Diaconiſſa; ut apparet *ex l. Eccleſiaſtici* 20. *l. nulla* 27. *Cod. Theod. de Epiſcop. & Cler.*

4 Fuit vero, ut apparet, ferendarum legum cauſa, & occaſio, ne quis ex Clericis, Monachiſve hæredipeta, quales eo ſæculo multos deſcribit, ex Hieronymo, & Ambroſio, Baronius *tom* 4. *ad ann.* 370. *& ad ann.* 390. *Ex viduis, vel Diaconiſſis prædam, velut infirmi ſexus diſpoliator invaderet, & remotis affinibus, ac propinquis, ipſe, ſub prætextu catholicæ diſciplinæ, ſe ageret viventis hæredem.* Ut ſcriptum eſt *in l. legem* 28. *eodem Cod. Theod. de Epiſcop. & Cleric.* Cujuſmodi Dioſcorus ille Patriarcha, cui, inter alia, objiciebatur, *quod Periſteriæ, clariſſimæ fœminæ, quæ ad eleemoſynas pro anima teſtata fuerat, pecunias dederat ſcortis, & thymelicis, ita ut neque incenſum ex oblatione, pro memoria Periſteriæ, Deo afferretur.* Ut legitur in Concilio Chalcedonenſi *actione* 2. *in libello Schirionis.*

5 Quo & intuitu, ſcilicet præcidendi materiam delinquendi, inhibitum Religioſis, ſine licentia ſuperioris, officium executoris, ſeu commiſſarii teſtamentorum *cap.* 2. *de Teſtament. in* 6. *Clementin. unic. eodem titul.* & abſolute Franciſcanis. *Clementin. Exivit de paradiſo, verſ. item quod. & verſ. verum, de verb. ſignific.* & jam olim Epiſcopis, & Clericis tuitio teſtamentorum, & tutelæ, ex *Canone* Carthaginenſi apud Gratianum in *cap. Epiſcopus* 5. *& cap. ult.* 88. *diſt. cap. Cyprianus* 4. 21. *quæſt.* 2. juncta *l. generaliter* 52. cum *Auth. Presbyteros Cod. de Epiſcop. & Cler.*

6 Quanquam & eſſe potuit ratio alia politica, cavendi, & præcavendi, ne, pietatis motu, ac prætextu, &, ut Ambroſius de Clericis ſcribit, *lib.* 3. *de Offic. cap* 9. *aucupiis hæreditatum continentiæ, atque gravitatis ſimulatione captatarum*, ſtatus temporalis politicus detrimentum capiat; ſive, ne *Eccleſiaſtici nominis abuſione Reſpublica lædatur.* Ut Theodoſius ſcripſit in *l. ult. in fine Cod. de annon. & trib. l. Sacroſancta* 8. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Qua ratione nituntur leges noſtræ, coarctantes quæſtorum Regularium, & Cruciatæ in re teſtamentaria abuſus, & de eleemoſynis, non corrogandis ſine permiſſu Regii Conſilii, niſi per fratres S. Franſcici. *l.* 1. *cum ſeq tit.* 9. *& l.* 1. *uſque ad* 4. *l.* 11. *§.* 7. *tit.* 10. *lib.* 1. *Comp.* juncta vetere, & inſigniore *l.* 21. *tit.* 18. *part.* 3. & quæ monaſteriorum exædificationes inhibent, ſine aſſenſu Principis, de queis inferius, & quibus irritantur donationes, & tranſlationes ſimulatæ in Eccleſiaſticos, in fraudem tributorum. Ut in *l.* 212. *ſtili. l.* 59. *tit.* 5. *part.* 5. *l.* 11. *tit.* 10. *lib.* 5. *Compil.* de qua in ſpecie Gabr. Vaſquius opus *cap. de reſt. cap.* 6. *dubio* 2. *§.* 1. *num.* 34. & quæ decimam venditionis, factæ à Laïco Eccleſiæ, ſi Laïcus ſolvendo non ſit, jubet, exigi è re vendita *l.* 8. *tit.* 18. *lib.* 5. *Compilat.* de qua pluribus noſter Amaia in *l.* 2. *ex num.* 27. *C. de annon. & trib.* cui conferenda, ex Cajetano, & Navarro, tradita à Petro Barboſa *in l.* 1. *part.* 4. *num.* 37. *D. ſolut. matrimon.*

7 Denique in aliis regnis, & provinciis leges, de non alienandis immobilibus in Eccleſias, ſine permiſ-

ſu Principis, & jure, ut vocant, amortizationis, ut apud Luſitanos, Valentinos, Mediolanenſes, Belgas, Gallos, & Germanos, de queis ſingulis notores dare, ignoti hominis eſſet, ut Seneca aiebat, & onerare paginas nomenclatura, pro illis, & contra eas leges cenſentium, non otii noſtri nunc, fueritque ſatis, præſignaſſe, & expendendum relinquere, utcumque leges prohibitorias alienationum in Eccleſiam, ſi abſolute, & abſciſſe prohibeant, quales olim Nicephori Phocæ, Emmanuelis Comneni, & Henrici in Græcanico Imperio, improbari omnino debeant, utpote contra libertatem Eccleſiæ; eoque referendæ canonicæ Conſtitutiones, *cap. 1. & ultim. de immunit. Eccleſ. lib. 6. cap. quæ in Eccleſiarum 6. & cap. Eccleſia 10. de Conſtitut. cap. ult. de reb. Eccleſ. alien.* & Innocentii III. *lib. 1. Regeſt. Epiſtol.* 98. & 174. *ac* 110. Et ex Concilio Conſtantienſi. Ita è converſo leges politicas, quæ ſine Eccleſiarum odio, aut injuria, & ſalvo eis acquirendi, & in eas alienandi jure, provident, inalienationis caſum, indemnitati publici ſtatus, & Fiſci, & de temporalibus bonis, pro ſufficiente ſibi ad ſuum finem auctoritate, decernunt, certis temperamentis, pro quibus ſtat tum Regum, & regnorum catholicorum auctoritas, tum ſæculorum obſervantia, tum denique gravium Theologorum, & Juriſprudentum cenſura, non temere damnari poſſe, aut debere.

8 Sane quoad memoratam legem Valentiniani pro re, & ex facto diſſimulare non licet, maximum Pontificem Damaſum uſque adeo non damnaſſe auctoritatem politicam illius Conſtitutionis, ut ea potius ad illum directa ſit, & eamdem idem promulgari in Eccleſiis, & legi juſſerit, ut liquet ex *Epigraphe ejuſdem legis*, inſcriptæ *ad Damaſum Epiſcopum Urbis Romæ*, & ex ſubſcriptione, quæ ſic habet: *Lecta in Eccleſiis Rom. dict. l. Eccleſiaſtici* 20. *Cod. Theod. de Epiſc. & Cler.* lectam eam, quia edita ex ſuaſu Damaſi, ſuſpicatur Baron. 4. *tom. ann.* 370. quem vide, & Jacob. Gothofr. *in Theodoſ. Cod.* vide & Petr. Marcam *de Concord. Sacerd. & Imperii* 2. Nec diſſimili agnitione Hieronymum *Epiſt. 2. ad Nepotianum* ſcripſiſſe, *non conqueri ſe de ea lege*, cujus providam, & ſeveram cautionem vocat, *ſed dolere, quod hanc legem meruerint Clerici, ac Monachi, & quidem non à Perſecutoribus, ſed à Principibus Chriſtianis.* Quomodo & Ambroſius *Epiſt. 12. ad Valentinianum*, contra Symmachi relationem, ſcripſit: *Nobis etiam privatæ ſucceſſionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur. Quod Sacerdotibus fani legaverit Chriſtiana vidua, valet: quod Miniſtris Dei non valet: quod ego non, ut querar, ſed ut ſciam, quid non querar, comprehendi.* Cum tamen è converſo credi debeat, Sanctiſſimum Papam Damaſum, & Hieronymum, atque egregium illum Eccleſiæ jurium vindicem Ambroſium, qui Valentinianum eumdem, tanquam abſtinentiſſimum à judicando de ſacris, & eccleſiaſticis, collaudat proxima, poſt citatam, *Epiſt.* 13. & qui Valentiniano eidem, ac Theodoſio, & Valentiniano ſecundo toties pro Eccleſia reſtitit, *Epiſt. 11. & 13. & 17. ejuſdem libri* 2. non acquieturos fuiſſe ei legi, non tantum ſine querela, ſed etiam cum ſubſcriptione, ſi eam, tanquam excedentem fines poteſtatis politicæ, & contrariam libertati eccleſiaſticæ, damnari debere cenſerent, aut ſaltem niſi eamdem pro tempore, & ex auctoritate politica, & juſto fine, ob quem ferebatur, tolerabilem exiſtimarent: quantumcumque eadem poſtea lex, ſimul cum illa, triginta circiter exinde annis, eam conſecuta, Valentiniani II. & Theodoſii, quæ eſt 27. *nulli Cod. Theod. de Epiſcop. & Cler.* revocatæ tandem fuerint eorumdem Cæſarum *lege* 28. *ejuſdem tituli, & Codicis.*

9 Ac poſtremo, cum adhuc, cui ex illis ſtandum, dubitaretur, abrogatæ à Martiano Imperatore, *ſecuritati, & fiduciæ morientium providente, & juſta, ac rationabili pœnitentia* (eas enim cauſas exprimit, non defectum auctoritatis) *Novella* Martiani *de Teſtamentis Cleric.* atque ideo non inſerta Juſtinianeo Codici lex Valentiniani, ſed Conſtantini Magni illa prior, & piiſſima. *l. 1. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* quæ *in Theodoſiano eſt 4. de Epiſc. & Cleric.* & ex Martiani *Novella, l. generali* 13. *Cod. Juſtin. de Sacroſ. Eccleſ.* Quomodo & vetus patria lex Regis Joannis II. qua Laïci vendentes immobilia Eccleſiaſticis mulctabantur quinta parte pretii, ac ſub eo onere immobilia tranſibant. Ut eſt *in l. 7. tit. 9. lib. 5. Ordinament.* exolevit apud nos, conſultiſſima illa pietate Philippi II. à quo tranſlata ea lex non eſt in compilationis ſuæ Codicem, & negata illius confirmatio à Carolo V. donec à Pontifice approbaretur, quamvis pro ea ſatagentibus Matritenſibus Comitiis *anni* 1534. *petit.* 9. Quippe fuit ſemper, ut ſemel moneamus, eritque prudentis, & Chriſtiani Principis, ſicut auctoritatis ſuæ politicæ terminos, qua maxime ſe extendunt, ſcire, & tueri, ſic quoad Eccleſiam, etiam in temporalibus, vix eos pertingere, niſi ſi quando juſta, & neceſſaria cauſa urgeat, ac tunc etiam illos non tranſilire, ſed & regulariter intra eoſdem reverenter ſe continere, ut appareat, eccleſiaſtica jura, immunitatem, libertatem nunquam ab eo premi, ſed protegi, & ei majorem eſſe Eccleſiæ curam, quam Regni, ut aiebant S. Symmachus Papa *Epiſt. ad Theodoricum.*

10 Plane ita pridem nos, de Conſtitutionibus illis Valentiniani, & Theodoſii cenſebamus ſcilicet tolerari illas eo tempore, & ſuſtineri potuiſſe ſano, ſobrioque ſenſu, uſu, & fine auctoritatis politicæ, de temporalibus ſuis ſtatuentis, eaque ſatagentis, tueri politicis legibus, contra improbatas illas hæredipetarum Clericorum, & Monachorum artes, & aucupia: utcumque illarum legum argumento effrænate abutantur libertatis Eccleſiæ oſores, & nuperrime viſus, Jacobus Gothoſredus *ad l. 20. Cod. Theod. de Epiſc.* ſcribat (Gallicana an, & Cebennenſi licentia) Imperatorem provida, ac ſevera illius legis ſanctione, mores Eccleſiaſticorum compoſuiſſe. Quod utique Imperatoriæ poteſtatis non erat, & in quo Gothoſredus exorbitat, tametſi alia plura temperate, & erudite. Alia item pie, & docte Theophilus Rainaudus *de Malis & Bonis Eccl. lib. 1. ſect. 1. cap. 8. ex num. 7. & 8.*

11 Aliud, ac perſimilis notæ documentum, ducitur *ex lege* illa Mauritii Cæſaris, de militibus arcendis à monachatu, niſi poſt expleta ſtipendia, quam directam ad Sanctiſſimum Gregorium Magnum, non eam ille ex auctoritatis politicæ defectu damnat, utpote latam, de militibus laïcis ante monachatum, ſed tanquam Deo, & pietati minime concordantem expavet, & temperat, ac proinde illam promulgandam ad Epiſcopos tranſmittit, addito temperamento ex pietate ſua, & præſumpta Mauritii mente, quem adhuc piiſſimum, & Chriſtianiſſimum vocat, ſimulque eidem, quam contraria pietati lex fuerat, ſancte, & modeſte ſuggerit; ut liquet ex ejuſdem Gregorii *Epiſtol.* 62. & 65. *lib.* 2. & *Epiſtol.* 11. *lib.* 7. junctis apud Ivonem Carnotenſ. *cap.* 123. & *ſeq.* & 129. *part.* 10. Et in Gratiani *diſtinct.* 53. *cap. legem* 1. quæ ſingula eaaudit paulo aliter pro Gregorio, & in Mauritium Baronius *tom.* 8. *ad ann.* 592. *num.* 21. aliter, nec improbabiliter Pariſienſis Epiſcopus Marca *libr. 2. de Concord. Sacerd. & Imper. cap. 11. num. 8. & ſeq.* Nobis neque Sanctiſſimus Gregorius excuſatione eget, neque Mauritius accuſatore (quem, & quam merito in hac re habes Joannem Diaconum *lib. 3. vitæ Gregorii, cap.* 50.) & expendimus interim id ſolum, pro auctoritate legis politicæ, de Laïcis latæ, etiam quatenus Eccleſiaſtica, & pietatem perſtringebat, à Gregorio promulgatæ, teſtari, eum id feciſſe ex debito, *in extremo dict. Epiſtol. 62. libr.* 2. Sic enim de promulgatione legis, quam fecerat, ſimulque ſuggeſtione contra illam Mauritio facta, concludit: *Utrobique ergo quæ debui, exſolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod ſenſi, minime tacui.*

12 Subjungimus, neque meliorem apud Francogallos conſuetudinem fuiſſe, ſeu politicam legem de non admittendis in Clerum, aut Monachatum, ſive ut loquebantur, *ad Dei ſervitium*, laïcis homini-

bus, ſine Regia licentia, Ut eſt *in Capitularibus* Caroli *lib.* 1. *cap.* 120. & in additis à Carolo *legibus Saxon*, *cap.* 9. & illius licentiæ formula apud Marculſum *lib.* 1. *cap.* 19. &, quod magis eſt, approbatam in Concilio Aurelian. 1. *cap.* 4. illic: *Ut nullus ſæcularium ad Clericatus officium præſumatur, niſi aut cum Regis juſſione, aut cum judicis voluntate* (qui certe Canon interprete, aut vindice eget, niſi ſi temperetur ex Concilio Remenſi 1. *Canon.* 6. de quo Franciſc. Hallier. *de Sacr. Elect.* 1. §. 3. & ex eo Sauſaius, & alii; quanquam ea poſtea obſervantia merito antiquata ſit, jam neque huc referenda Conſtitutio illa Valentiniani, *de Pſeudomonachis*, quæ *in l. quidam* 26. *Cod. de Decurionibus*, de qua ſcioter noſter Amaia *ad eam ipſam*, *num.* 6. *& ſeq.*

13 Porro quod in tertio hoc corollario expreſſimus, de obligatione ex vi directiva legis politicæ, quoad Eccleſiaſticos, ſic intelligimus, ut obligatio ſit non ex ſola honeſtatis, & exempli ratione, ſed ex vi, & poteſtate legis, & Regis, queis, quoad politica, ſubjectionem Eccleſiaſtici debent, Ut ex Pauli *ad Romanos cap.* 13. & Petri 1. *Epiſt. cap.* 2. corollario iſto adſtruximus, & proinde obligatio ſit, non modo ad conſcientiam, ſed etiam ad pœnam, idque vel ex eo, quia directivæ vi in legibus, quoad legibus ſubjectos, neceſſario conſequens eſt vis coactiva, ut poſt Ariſtotelem 10. *Ethicorum ad Nicomach. cap.* 10. Angelicus Thomas 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 5. *in corpore*. *& ad* 2. *&* 2. *quæſt.* 67. *art.* 1. *& ad cap.* 2. *epiſt. ad Rom. lect.* 3. ſive virtus puniendi, ut Modeſtinus noſter loquitur *l. Legis* 7. *de legibus*.

14 Adjicimus, (hæc, ut & alia non tam decretorie affirmantes, quam probabiliter ſupponentes) circa vim coactivam, ſeu punitivam legis politicæ, quoad Eccleſiaſticos, non eſſe eam contentioſe exercendam, niſi per ſuos Judices, ſuadente reverentia, Eccleſiæ debita, ut non eo uſque executioſe extendat, quo poteſtas pertingebat, ut ſupra non ſemel monuimus. Et tamen, quoad effectus illos, in queis virtus, ſeu vis directiva legis per ſe, & ipſo jure operatur, aut operatur extra ordinem, & in rem, ſine contentioſa juriſdictione in perſonam Clerici, poſſe expediri, & exequi vim, ac pœnam legis politicæ per Magiſtratum politicum, veluti quoad irritationem actus, contra legem geſti. *cap. innotuit* 12. *de arbitris*, ex quo id omnes fateri, ſcribit Suarius *lib.* 3. *de Legib. cap.* 34. *num.* 9. & agnoſcit idem, utcumque ſuo ſenſu, poſt Gabriel. Vaſquium, diſtinguens *lib.* 4. *adv. Reg. Angl. cap.* 16. *n.* 23. *&* 24.

15 Vel quoad declarationem incurſæ pœnæ commiſſi, reique ipſo jure amiſſæ, ob contraventionem legis politicæ in exportatione, Juxta *l. commiſſa* 14. *D. de publican. & vect.* quo caſu lex, & pœna, illiuſque executio, non tam juriſdictionaliter in perſonam Clerici, quam extra ordinem operatur, adhibita veluti facti notione, & proceſſu, juxta notata *in l. Titia* 35. *D. ſoluto matrim.* juncta *l. ait Prætor* 10. §. *ſi debitorem* 16. *D. quæ in fraud. cred.* & in rem argumento ex *d. l. commiſſa* 14. *l. Imperatores* 7 *D. de publican. & vect. l. liberto* 41. §. *ult. D. de negot. geſt. l. & ſi forte* 6. §. *etiam*, *verſ. Labeo*, *D. ſi ſerv. vind. l.* 4. §. *ſi alter*, *verſ. quoniam*, *D. de fin. regund. l.* 2. illic: *Juxta legem ſaltui datam*, *C. de noxal. act.* ac proinde obligari commiſſi pœna, etiam Eccleſiaſticos, expreſſum eſt *in l. jubemus* 10. *Cod. de ſacroſ. Eccleſ. l.* 2. *C. de navib. non excuſ. lib.* 11. Et apud nos legibus Regiis Catholicorum Regum Ferdinandi, & Eliſabethæ l. *in fin. tit.* 18. *lib.* 6. *Compil.* juncta *l.* 12. *tit.* 3. *libr.* 1. & Philippi II. *l.* 1. *&* 4. *tit.* 25. *lib.* 5. & executionem commiſſi fieri à Magiſtratu Politico, exprimitur etiam in caſu ſimili Caroli V. *lege* 5. *in fin. tit.* 4. juncta *l.* 9. *tit.* 3. *lib.* 1. *Compil.* atque ita cenſuere ex Canoniſtis, poſt Petrum Ancharranum *in Clementina Præſenti*, *num.* 2. *de cenſibus*, & egregie Oldradum *conſ.* 17. *num.* 14. ex Epiſcopis D. Covarruv. *in Practicis*, *cap.* 33. *num.* 7. §. *utcumque*, *& lib.* 2. *Variar. cap.* 20. *num.* 18. *verſ.* 36. Redinus *de Majeſt. Princip. verb. non armis*, 2. *part. num.* 166. Sarmiento *libr.* 7. *Selectar. cap.* 13. *num.* 2. ex Theologis, & Juriſperitis Navarrus *Conſil.* 44. *num.* 4. *&* 6. *lib.* 5. Caſtrus Palaus 1. *tom. tract.* 3. *diſp.* 1. *puncto* 14. §. 6. *num.* 9. & poſt Bellugam, ad quem Borrellus, & Bobadillam, alioſque ab eo laudatos, ex novioribus Mar. Cutell. pluribus, & poſt plures, *in Cod. ad leges Friderici*, *nota* 2. *&* 105. *& lib.* 2. *de immun. Eccleſ. quæſt.* 16. *&* 69. *& q.* 10. *ex num.* 76. ex aliis Carleval. *de Judic. diſp.* 2. *num.* 159. Carolus Cala *de Contrabandis Cler. num.* 34. *& ſeq.* & ſpecialiter *num.* 175. & noviſſime noſter Petr. Salcedo *eod. Tract. cap.* 32. Quorum ſententiæ, & potiſſimum Catholicorum Regum, ac legum cenſuræ refractarios, Dianam, atque alios nec moramur, nec numeramus.

Subjungimus in gratiam diſcentium, ne fortaſſe 16
eos turbet vulgare axioma, quo Diana, & aſſeclæ large abutuntur, de defectu poteſtatis legum civilium, quoad eccleſiaſtica; ex *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ* 10. *de Conſtitut*, (cujus in commentariis acervatim multa non tam ex Canonum juſto intellectu, & Theologiæ cenſura, quam ex noviorum Marthæ, Dianæ, Delbenæ, & ſimilium factioſo grege, tranſcribunt Epiſcopus Hermoſinus *Quæſt.* 1. *& ſeq.* Auguſtinus Barboſa *in Collectan.*) *cap. quæ in Eccleſiarum* 7. *de Conſtit. cap. ultim. de rebus Eccleſ. cap.* 1. *in princip. & verſic. cumque lata*, *cum ſeq.* 96. *diſtinct.* axioma id, & Textus, ex queis elicitur, ne à veteris Eccleſiæ ſancto ſenſu, atque uſu, pro obligatione, & vi directiva legum politicarum, etiam quoad Eccleſiaſticos (de quo ſatis, ſuperque ſupra ex Sacræ Paginæ, Pontificumque, & Patrum auctoritate, & exemplis) nimiſquam diſcrepent, exaudiri, & contineri debere intra eos terminos, quos laudati Textus ſignant, ſcilicet cum de eccleclesiaſticis perſonis, aut rebus, tamquam de eccleſiaſticis, in queis Laïcorum poteſtas nulla, & eorum in illis, eſt obſequi, non imperare) ſtatuitur lege civili, quod ei non licitum, juxta tradita corollaria 1. *&* 2. & multo minus ſi non lege ſupremi Principis, ſed inferiore ordinatione ſtatuatur, cujuſmodi illa Baſilii Præfecti, & ſimiles, de queis, & intra terminos ſignatos ſunt, *dict. cap.* 6. *&* 10. *de Conſtit.* juncto *cap.* 3. *&* 4. *ut lite pendente*, ubi electe Cujacius, *cap. ult. de reb. Eccl. cap.* 1. *verſ. quorum*, 96. *diſt.*

Cæterum extra eos fines obligari Eccleſiaſticos le- 17
ge politica, pro bono publico lata, & de re temporali, Clericis, Laïciſque communi, etiamſi lex Clericos ſimul cum Laïcis exprimat, nec dubitandum eſt, nec producendum ad has leges, & extra ſuos cancellos axioma illud ex *dict. cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ*, quin potius ita interpretandum, ut poſt Fortunium Garſiam, & Driedonium Theologum, cenſet Magnus Præſul, & Præſes *in* 4. *de Sponſal.* 2. *part. cap.* 6. *num.* 20. & ex eo Vaſquius Menchaca *de Succeſſ. creat. lib.* 3. §. 26. *numer.* 58. *& ſeq.* (ubi & meminit Regiarum legum, de ſolis Clericis nominatim latarum, in re temporali, quarum tamen alia, & propria ratio eſt, ac de ea alibi.) At exempla propria hujus loci legum politicarum de temporali re in commune, & expreſſim de Clericis, Laïciſque latarum, extant *in memoratis legibus* 1. *in fine*, *tit.* 18. *lib.* 6. *Compil. l.* 1. *&* 4. *tit.* 25. *lib.* 5. *l.* 11. *&* 12. *tit.* 3. *lib.* 1. *l.* 16. §. *prohibemus*, *cum §§. ſeq. tit.* 1. *lib.* 4.

CAPUT

C A P U T XLVI.

De obſequio, ab Eccleſiaſticis, tanquam ſubditis in temporalibus debito Regibus.

A R G U M E N T U M.

P*Ro quarta corollario ſuccedit, obedientiæ, ab* Eccleſiaſticis *debitæ præceptionibus* Regiis *in politicis aſſertio, & ratio. Ex ea eſt, ut evocati à* Rege *ad* Curiam *debeant obtemperare, & ſiſtere, idque juxta antiquiores, & anviores* Canones; *atque etiamſi eodem tempore* Epiſcopum Metropolitanus *vocet (de quo notatus, & expoſitus* Canon. 1. Concilii Turonenſis 2.) *non tamen ſi* Romanus Pontifex, *cui potius ab* Epiſcopo *parendum in ſpiritualibus, ſalvo utique* Regibus *protectorio jure ex rationabili cauſa, & per ſupplicationem ad* Sanctiſſimum, *pro* Epiſcopo *excuſando, & interim diſtinendo. Compoſiti in re* Textus in cap. 13. 18. diſt. cap. 19. verſ. cum militum 23 q. 8. cap. 24. verſ. qui contempto 63. diſt. *Ex eodem fonte eſt, ut* Hiſpani Epiſcopi *fidelitatem, tanquam ſubditi,* Regibus *jurent: de qua obſervantia ſunt* Regiæ leges, *& priſci* Toletani Canones, *&* Comitiorum Caſtellæ Tabulæ, *ſimul cum monumentis* Hiſtoricis, *jam inde à* Ferdinandis, Magno, *&* Sancto, Regibus. *Juratur item* legibus, *ab* Epiſcopis *recens nominatis, pro cautione* Regalium, *& tanquam à vaſſallis pro temporalibus, quæ poſſident (non extra ea, aut pro ſpiritualibus, de queis* textus canonici, *& veteres, ac vetitæ* inveſtituræ) *fit homagium fidelitatis per oſculationem manus in* Hiſpania. *Ejuſdem fontis, & rationis eſt, ut de* feudis, *quæ à* Rege Eccleſiaſtici *accepere,* Regis *judicium fit, juxta notos* Canones; *& quod notatu dignius, ut pro eiſdem, tanquam* vaſſalli, Hiſpani Epiſcopi, Regem *ſequerentur in bella. De ea obſervantia præter* Regias leges *inſignia* Hiſtoriarum *noſtrarum documenta, jam inde à* Sampyro, *&* Raguelo, *&* Prælio de Clavijo. *Sane agnoſcitur, non licere* Epiſcopis, *per ſe bellare ex,* Can. 83. Apoſt. *cum aliis curſim enodatis. At licitum, honeſtumque, maxime in bello contra infideles, non modo comitari* Regem *ſuum ſacris, & precibus, ſed & tanquam* vaſſallos, *&* Regni Proceres, *ſubſidiis militum.* cap. 9. §. ult. de voto. *Hinc origo* militaris, *dicti apud nos,* ſervitii de lanças, *in* Prælatis, *&* Proceribus.

1 QUartum, jam tertio proximum, & conſequens, eſt, Eccleſiaſticos, non tantum legibus politicis, juxta nuper notata, ſed etiam ſpecialibus præceptionibus, ſeu juſſionibus ſupremi Principis, in re temporali, eccleſiaſticæ immunitati non contraria, reverentiam, & obedientiam debere: idque præterquam quod exprimitur ſacri Textus locis illis, Pauli *ad Rom.* 13. & Petri 1. *cap.* 2. de queis tam multa ſupra, congruit omnino elementaribus illis præfatis, de Chriſto Domino, non privante Reges, neque præjudicante eis in ſuo jure, neque inductis ab eo duabus Rebuſpublicis, ſed una, ex Eccleſiaſticis, Laicíſque conſtante, atque eadem ſubdita in ſacris poteſtati Eccleſiæ, & in temporalibus politicæ, ac denique utraque poteſtate perfecta, & ſufficiente ſibi ad ſuum finem: quæ ſingula non ſtarent, ſed ruerent, ſi Eccleſiaſtici in temporalibus obedientiam Regibus non deberent, & urgeri ad eadem ſufficientibus mediis non poſſent.

2 Secundum quæ & ex hoc corollario in primis profluit, Eccleſiaſticos præcepto, ſeu litteris Regiis evocari, ſive invitari ad Regiam Curiam poſſe, & parere, ac ſiſtere debere, ut ex Concilio Sardicenſi, & in eo Hiſpani Oſii ſententia, ſupponitur in *cap. ſi vobis* 28. *verſ. niſi* 23. *quæſt.* 8. & ex Emeritenſi noſtro *Can.* 5. illic: *Aut per Regiam juſſionem injunctum acceperit aliquid agere, ut ſit, per quod non poſſit ad Concilium venire.* Quibus adſtipulantur *Agathenſis Canon in cap. ſi Epiſcopus* 13. *verſ. excepta* 18. *diſtinct. cap. Paſtoralis* 28. §. *alt. de offic. deleg. cap. cum parati* 19. *de appell.* Synodus Romana, apud Antonium Auguſtinum *in Epiſt. Jur. Pontif. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 78. *cap.* 1. & in Juſtiniani *Rhapſodia. Novell.* 6. *quomodo aport. Epiſc. cap.* 2. *& Novell.* 123. *de Sanctiſſ. Epiſc. cap.* 9. *Authent. nullus Epiſcopus Cod. de Epiſc. & Cler. & noſtrates Regiæ leges* 65. *verſ. Fueras ende tit.* 5. *part.* 1. *l.* 8. *tit.* 7. *part.* 3. *l.* 29. *in fine tit.* 4. *lib.* x. *l.* 14. ibi: *Los qualeſcunque Prelados, tit.* 3. *lib.* 1. *& l.* 13. *tit.* 3. *lib.* 4. *Compil.* qua & exprimitur, Eccleſiaſticos, accerſitos Regiis litteris, nec ſiſtentes in Curia, privandos eſſe temporalitatibus, de quo poſtea. Expeditur autem apud nos ea evocatio, proviſionalibus litteris Regii Conſilii, quas & ideo, proviſiones, vocamus, quibus obtemperare etiam Epiſcopi jubentur. *dict. l.* 29. *tit.* 4. *lib.* 2. *Comp.*

3 Plane evocante ſub idem tempus Pontifice Epiſcopum pro re Eccleſiæ, & Rege pro politica, utri in primis ſe ſiſtere debeat, diſceptant Pragmatici, & ex eis noviſſime noſter *Solorzanus de ind. Jure tom* 2. *lib* 3. *cap.* 6. *num.* 58. & accurate Salcedo *de Lege Polit.* 2. *cap.* 12. *num.* 10. *& ſeq.* Nobis pridem pro indubio fuit, regulariter ſtari, ac ſiſti debere potius Pontifici, pro quo & illius & auctoritas ſanctior, & ſtrictior obediendi obligatio in Epiſcopo, & prælatio ſpiritualium negotiorum politicis præpollent merito, ut & deciditur in *cap. Reprehenſible* 19. *verſ. cum militum* 23. *quæſt.* 8. utcumque aliud in evocatione Metropolitani, vel alterius, infra Papam, ut in *Emeritenſi Canone* laudato, & in *dict. cap. cum parari* 19. *de appell.* ubi & ſic docent, ac diſtingunt, Innocentius, & Panormitanus, atque alii incaſſum alio detorquendi (niſi forte affectato impedimento Regiæ ordinationis Epiſcopus ſe excuſet, quominus Concilio adſit, &, ut ſcriptum eſt, illius occaſione, & velamine, quomodo intelligendus, alioquin obſcurus, Concilii Turonenſis 2. *Canon* 1. de quo ita fere Petr. Marca *de Concord. Sacerd. & Imper. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 4.) Accedit *cap. ſi Epiſcopus* 13. 18. *diſt.* (in quo nomen, *Summi Pontificis*, exaudiendum, non de Papa Romano, ſed de quovis alio Epiſcopo, cum Gloſſa inibi, & Antiſtite Cathedrali, qui, *ſummus*, dictus, ut diſtinguatur à Chorepiſcopis, & aliis Antiſtitibus ordinis ſecundi, ut apud Sidonium *lib.* 4. *Epiſt.* 11. *&* 24. *& ad eum* plura Savaro.)

4 Et utcumque etiam in Pontifice Maximo, Romæ Epiſcopum ſiſtere in pœnam jubente, licitum Regi ex rationabili, & urgente cauſa, non ex vi propriæ evocationis, neque auctoritative, neque ex antiqua illa conſuetudine, ne Epiſcopi ſine licentia ſui Regis Romam pergant, de qua erudite Boſquettus *ad Innocentii epiſt.* 8. *lib.* 3. *Regeſti*, quæ eſt ad Sanctium Portugalliæ Regem. Michaël Rouſelius *lib.* 3. *Hiſt. Pontif. Juriſd. cap.* 2. *num.* 7. ſed ex protectione, Epiſcopo debita, eum tantiſper diſtinere, dum pro eo reverenter refert, ac ſupplicat Pontifici Maximo, à quo & ut plurimum Regiæ ſuffragationi indulgeri expediet, juxta exemplum nobile illud Apoſtolicæ indulgentiæ, & prudentiæ Gregorii Magni *lib.* 2 *Regeſt. epiſt.* 34. *in extremo*, cujus pars extat *in cap. Salonitanæ* 24. *verſ. qui contempto* 63. *diſt.* cui ſimilia apud nos in Melchiore Cano, & Gaſparo Quiroga, Romæ ſiſtere juſſis, & de Philippi II. ſuffragatione, non tantum protectis, ſed promotis, illo ad Canarienſes infulas, & Quiroga ad Toletanas & Cardinalitias, ut memorat Ludovic. Cabrera *in Philippo II. lib.* 7. *cap.* 22. *& lib.* 11. *cap* 11. D. Præſes Caſtejonius *de Primatu Tolet. tom* 2. *cap* 37. *pag.* 1132. Ægid. Gonſ. Davila *tom.* 1. *Theatri Eccleſ. in Eccleſia Conchenſi, pag* 418.

5 Deinde & conſentanea eidem corollario, & finitima eſt, vetus Hiſpaniæ obſervantia, juxta quam Eccleſiaſtici, ac, præ cæteris Eccleſiarum Prælati jurant Regibus fidelitatem, ſcilicet illam, quam, ut Reipublicæ unius membra, ſuo capiti, atque eidem

dem in politicis ſubditi, debent, atque exhibent, ut exprimitur *in l. 5. verſ. E deſto*, *tit.* 15. *part.* 2. in qua, vocem, *Omenage*, accipio tam de juramento fidelitatis, & ſubjectionis politicæ, *l.* 20. *in princip. cum l.* 19. *verſ. E por ende*, *tit.* 13. *part* 2. quam de homagio ob feuda, & Regalia, quæ à Catholicis noſtris Regibus Eccleſiæ, & Epiſcopi obtinuere. *dict. l.* 5. *tit.* 15. ubi Gregor. *verb. Prelados dict. l.* 20. *verſ. de Fecho*, *tit.* 13. *part.* 2. *l.* 52. *circa finem*, *tit.* 6. *part.* 1. juncta *l.* 4. *tit.* 25. *part.* 4. idque in Hiſpania, quoad fidelitatis Sacramentum, ab Epiſcopis exhibitum Regibus, jam inde à Toletanis Conciliis 4. *Can.* 75. & Tolet. 6. *Can.* 17. Tolet. 7. *Can.* 1. Tolet. 8. *in Orat. Receſuinthi*, §. *itaque revolutis.* & Toletan. 16. *Can.* 2. & Tolet. 16. *Can.* 9. *&* 10. Ex queis ſumptum, compactumve apud Ivonem, & Gratianum, *cap. ſi quis laicus* 19. *in fine* 16. *quæſt.* 5. ac ex his de Hiſpanis noſtris, ex Baronio Spondanus 2. *tom. Continuat. anno* 693. *num.* 1. & ex Nebriſſenſi Rouſellius 2. *Hiſtor. Juriſd. Pontif. cap.* 5. *num.* 27. Petr. Marca *de Concord. Sacerd. & Imp. lib.* 8. *cap.* 21. *num.* 8. & quoad homagium fortaſſe ex inde ab illis, quæ prima creduntur Caſtellæ pro exaltando Rege Comitia, ſub Ferdinando Magno ex Alveldenſi & aliis Chronicis, ac deinde ſub Ferdinando Sancto, de quo & juramento fidelitatis, atque hominii, ei à Prælatis exhibito, ſignanter Rodericus Archiepiſcopus *lib.* 9. *Hiſt. cap.* 5. *&* 14. *&* 15. ac de utroque, fidelitate ſcilicet, ſubjectione, & obedientia, ab Epiſcopis jurata Regibus, ac Principibus inaugurandis, tacta Cruce, & Evangeliis apud Antiſtitem, ei functioni ſuperſtantem, & homagio, ſive humana fide, ab eiſdem, tanquam Regni Proceribus, ſolemni ſymbolo, nexuque manuum Proceris, ei rei præfecti, & poſt hæc ad Regiæ dextræ oſculum admiſſione, teſtes ſunt Comitiorum publicæ tabulæ, in memorabilibus, quæ vocantur, cameræ ſcriniis.

6 Addimus conſequenter propoſitis, eſſe itidem apud nos moris, Majeſtati Regiæ congruentis, ut Epiſcopi, recens nominati, ac electi, Regi in primis ſe ſiſtant, & reverenter gratias agant, ut memorat poſt alios Cabrera *in Philippo* 2. *lib.* 11. *cap.* 11. queis jungendi, ex noſtratibus, Palatius Rubeus *in introd. repetit. cap. Per veſtras num.* 25. Nicol. Garcia *de Benefic.* Rotalem deciſionem commemorans, *parte* 10. *cap.* 2. *num.* 24. &, ut ante transmiſſas Romam pro nominato Epiſcopo Regias preces, juret idem de non præjudicando Regiis juribus. *l.* 13. *tit.* 3. *lib.* 1. juncta *l.* 15. *tit.* 8. *lib.* 9. *comp.*

7 Quin nec diſſimulamus, ſed ſcimus, de homagio Epiſcoporum, erga Reges, fuiſſe valide, & valde certatum pridem, occaſione inveſtiturarum Epiſcopatuum per baculum, & annulum, quas Imperatores, & Reges ſimul cum homagio ſibi uſurpabant, prohibentibus, ac demum pervincentibus Pontificibus, ut expendimus *libello ſupplici*, *de Epiſcop. Portug. propoſ.* 4. *num.* 237. *& ſeq.*

8 At nunc pro re abunde ſit, ad certamina illa de inveſtituris, eo tandem receſſiſſe, ut illis abolitis improbaretur etiam homagium pro ſpiritualibus, quin & fidelitas ab Eccleſiaſticis, temporalia non obtinentibus, erga Laïcos quoſdam, de queis, & intra fines præmonſtratos, explanandi *Textus in cap. nimis* 30. *de jurejur. cap. ultim. de reg. jur. cap. ſolitæ* 6. *verſ. quod autem ſequitur* 1. *de major. & obed. cap. ex diligenti* 17. *de ſimonia. cap.* 1. *Sacramentum* 2. *quæſt.* 4. toleraretur tamen, & ſtaret utraque fidelitas pro temporalibus erga Reges ab Epiſcopis *per Sacramentum, & manum*, ut ſcribebat Ivo Carnotenſ. *Epiſt.* 190. ſive, ut in priſca formula apud continuatorem Aimoini 5. *cap.* 24. *ſicuti homo ſuo Seniori, & Epiſcopus per rectum Regi ſuo eſſe debet.* Et utique ex inveterata obſervantia in Regibus inaugurandis in Hiſpania, extra quam de hac re, cum plura poſſem, abſtineo.

9 Accedit, & deſcendit ex ejuſdem corollarii, & propoſitorum veluti fonte, quod moribus noſtris obtinuit, Epiſcopos, & Clericos pro feudis, quæ a Regibus obtinent, non tantum reſpondere debere in civilibus coram Dominis feudi, *cap. verum* 7. juncto *cap ex tranſmiſſa* 6. *de for. compet. cap. cæterum* 5. *de judiciis cap. unic.* §. *privilegia*, *verſ. in civitate*, ubi Gloſſa, *de pace Conſtantiæ*; ſed & pro eiſdem feudis, & Regalibus acceptis, veluti oppidis, propugnaculis, & ſimilibus, quæ terræ, aut honores vocabantur, & obnoxios eſſe Regibus, tanquam vaſſallos.

Porro ex eo vaſſallatico jure fluxit, ut quanquam Clericis per ſe bellare, & militare, inhibitum, ut 10
in Can. 83. *Apoſtol. cap. eos, qui ſemel* 3. 20. *quæſt.* 3. *cap. Clericum* 50. & paſſim. *cap. ſi quis vult* 3. *verſ. eſt & aliud* 36. *diſt. cap. quicumque* 6. 23 *quæſt.* 8. *cap. ultim. de Cleric. conjug. cap. quod in dubiis* 5. *de pœnis cap. penult. de homicid.* Zonaras *ad dict. cap.* 83. *Apoſtol.* & ad *Chalcedonenſem*, *cap.* 7. & utrobique Balſamon; & notanter ad *cap.* 13. *Baſilii ad Amphyloc. & in Feudor. lib.* 2. *tit.* 109. *Clericatu feudum amitti*. *& tit.* 21. *de vaſſallo milite.* Nicetas Choniates 6. *Hiſt. Byzant.* (ſcilicet extra caſum illum *l.* 3. ibi; *Ni por ſer de Orden*, *tit.* 19. *part.* 2. Epiſcopi tamen in bello contra infideles ſequi Reges, ſoliti, *l* 52. *verſ. E otroſi*, *tit.* 6. *part.* 1. juncta *l.* 1. *& toto tit.* 4 *lib.* 6. *Compil.* queis locupletis, & priſcæ fidei teſtem addimus Raguelum Presbyterum Cordubenſem *in Actis S. Martyris Pelagii*, editis à Moralio *cum Opuſculis S. Eulogii*, ubi ſic inter alia Raguelus: *Mos autem eſt Regis fidelium Chriſtianorum, ut ſua ſimul ſecum in expeditione Epiſcopos habeat.* Et obſervant in glorioſis illis præliis Toloſæ, Tariſæ, Higueræ, & ſimilibus, Rodericus Archiepiſcopus *lib.* 8. *de Rebus Hiſp. cap.* 9. *&* 5. *ac* 10. *& lib.* 9. *cap.* 12. Hieron. Villaiſanus *in Chronic. Alphonſi XI. cap.* 254. Ferdinand. Pereſius Guſmanus *in Joanne II. anno* 31. *cap.* 207. *& ſeq.* Baccalaureus de Ciudad Real, Regis Joannis II. Phyſicus, *Epiſtol.* 51. Marian. *lib.* 29. *cap.* 18. Alvar. Gomez Tolet. *in Cardin. Ximenio lib.* 4. Et ante alios Sampyrus Epiſcopus Aſtoricenſis *in Chronico*, ubi de Ordono II. ac de Dulcidio Epiſcopo Salmanticenſi; & Ermogio Tudenſi, in prælio captis; ac de nobiliſſimo illo de Clavijo, interfuiſſe eidem, quotquot tunc erant, Hiſpaniæ Epiſcopos, liquet ex privilegio, mox edito apud Ambroſ. Moralium *libr.* 9. *Hiſtor. cap.* 7. Ac de conflictu ſub Alphonſo Sexto, prope Cauriam, & Petro, Epiſcopo Legionenſi, Roqueto bene cruentato, militari veluti adorea inſignito, refert, ex eodem Petro, Sandovalius *in Alphonſo VI. ad annum* 1106 ac de Guterrio Toletano, tunc Palentiæ Epiſcopo, in nobili ad Ficariam prælio militariter altius præcincto, duplicique armatura, alterum Joſuam referente, falſe Phyſicus noſter, dictus Baccalaureus de Ciudad Real *Epiſt.* 51.

Ac deinde, ut poſuimus, contra infideles, in quo 11
non Epiſcopos Hiſpanos accuſat Baronius *tomo* 11. *ad ann.* 1010. ſed illos, pro Arabibus contra Arabes, de queis Mariana 8. *Hiſtor. cap.* 10. utcumque hæc parum capiat Antoninus Diana, plene alioquin de re differens, *tom.* 10. *tractat.* 2. *Reſol.* 5.

Et quidem nec ſine ratione, ſi Epiſcopi Reges 12
ſequantur, non pugnaturi, ſed adſtituri ſacris, & precibus, ut Epiſcopi, juxta *dict. cap. ſi quis vult.* 3. *verſic. eſt & aliud* 36. *diſtinct.* Divum Thomam 2. 2. *quæſt.* 40. *artic.* 2. *ad* 1. & ſubſidiis militum, atque expenſis, ut vaſſalli, & Regnorum Proceres. *cap. ex multa* 9. §. *ultim. de voto.* juncto *cap. reprehenſibile* 19. illic: *Cum aliis fidelibus tuis. & cap. ſeq.* ad quod Gratianus §. *ecce*, *verſic. porro* 23. *quæſt.* 3.

Sed & fluxit inde, & obtinuit origo *militaris ſub-* 13
ſidii, apud nos dicti, *de Lanças*, quod ab Epiſcopis, jure, manuque Regia exigitur, ſicut ab aliis Regni Proceribus, redactum novioribus ordinationibus ad certam quantitatem ſubſidii, pro manutenendis limitaneis Præſidiis; prænotarunt ex ſententia,

Digitized by Google

tentia, & ratione *l. 52. verſic. Otro ſi los Obiſpos*, *titul. 6. partita* 1. proprie quoad Prælatos Acevedo *in l. 8. num. 9. titul. 4. lib. 6. Compilat.* Amaia *in l. 1. & 2. numer.* 89. *de annon. & tribut.* & quoad alios Magnates ex noſtris alii. D. Larrea *Allegat. Fiſcal.* 63. *num.* 16.

C A P U T XLVII.

De poteſtate Regum œconomica, politica, & tuitiva, ad arcendos è Regno Eccleſiaſticos tumultuoſos.

A R G U M E N T U M.

P*Roxima antecedenti corollario eſt vetus obſervantia, arcendi* Regio Jure à Regno Eccleſiaſticos *turbatores, ſeu mulctandi in temporalitatibus, de queis noſtræ* leges. *Diſcriminatur ea obſervantia à pœna banniendi juriſdictionali, de qua* in cap. 7. de injur. *cum aliis, curſim elucidatis. Prima obſervantiæ noſtræ ratio, deducta ex poteſtate œconomica* Regum in Regnis. *Iſtorum, ſeu* Rerumpublicarum *origo & imago in ſingulis familiis. Patrisfamilias in familia ſua poteſtas eſt quaſi* Regia Ariſtoteli; *& familia ipſa, ſeu domus,* Senecæ *puſilla* Reſpublica; *& poteſtas patria, comparabilis cum* Magiſtratu, Senecæ, *&* Paulo, *& qui familiæ imperat,* Princeps *familiæ, apud* Caium. *E converſo* Rex Regni, *tanquam magnæ familiæ, ſeu patriæ pater eidem* Senecæ, Calliſtrato, *&* Alphonſo *noſtro. Eſt tamen œconomica hæc, ut vocatur, poteſtas patrisfamilias, diverſa à juriſdictionali, quia illa privata, & hæc publica, atque illa modicæ coercitionis, hæc acrioris. Illuſtratur* lex unica, Cod. de emend. prop. *adjuncto inſigni* D. Thomæ *loco. Suffecit ſemper œconomicum jus patrisfamilias, ad ſubmovendos domeſticos turbulentes, etiam* Eccleſiaſticos, *è domo ſua, & patrium jus ad ablegandos filios, ſeu relegandos, & quod plus fuit, abdicandos, de quo notata curſim* lex 6. C. de patr. pot. *Proinde & ſufficiens eadem œconomica poteſtas, ſine juriſdictione, in* Regibus, *ad arcendos è magna familia* Regni *ſui* Eccleſiaſticos *tumultuoſos, namque & eorum in temporalibus patres ſunt, quamvis in ſpiritualibus filii, ut* Sidonius *alibi. Secunda obſervantiæ ratio fundata in jure* Regum *in territorio* Regni *ſui, & in temporalibus; territorium, & terra* Regni *ex gentium jure eſt* Regum (*in quo notabiles* l. 1. tit. 11. p. 2. *&* l. 4. verſ. ſalvo, tit. 7. lib. 7. Comp.) *quamvis* Eccleſiæ, *pro diviſione ſuæ inter* Epiſcopos *juriſdictionis, ſint ſuæ* Diœceſes, *quæ interdum territoria dictæ, ſeu diſtrictus: ſed & temporalia ſunt* Regum, *& quæ temporalium poſſeſſiones penes* Eccleſiaſticos *ſunt, poſſidentur per jura* Regum. *Expenduntur* Auguſtinus, Ambroſius, Hilarius, *& ſuccinentes eis* Ivo Carnotenſis, Gratianus, *& alii, ſecundum quos* Eccleſiaſtici, *qui* Reipublicæ Cives, *& territorii,* Regni *incolæ, & temporalium poſſeſſores ſunt, ſi Regi territorii, & temporalium domino irreverentes, & inobſequentes ſint in politicis, & temporalibus, arcentur* Regio Supremo Politico Imperio *ab incolatu* Regni. *& temporalibus. Tertia ratio fulcitur jure defenſionis, quam* Rex Regno *ſuo debet.* Reges *ſunt caput, anima, ſpiritus, ſalus, & vitæ myſtici* Regnorum *corporis. Idcirco & tueri id debent, nec modo contra extraneos, ſed & contra alia ejuſdem corporis membra, ei nocitura contagio turbulentiæ, & inobedientiæ, quis nihil* Regnis *nocentius, & quæ, ne noceant, merito à corpore ſegregantur. Advocata in eam rem præclara* Partitarum lex, *&* Auguſtini *auctoritas, apud* Gratianum, *&* Angelici Thomæ: *& quidem etiam contra* Eccleſiaſticos, *utpote ex naturali jure defenſionis, quæ & contra extraneos ſine juriſdictione exercetur: ac proinde inoffenſa immunitate* Eccleſiæ, *& ſine cenſurarum incurſu.*

1 COnſequens eſt, & ex eiſdem elementis profluens, obſervantia alia, & uſus politicæ auctoritatis erga Eccleſiaſticos, inobedienter refractarios in politicis, aut alioquin tumultuoſos quos in temporalibus mulctari, minui, & extra ordinem coerceri, & interdum arceri ab eiſdem temporalibus, & domicilio regni, ſive, ut leges noſtræ loquuntur, temporalitatibus, & naturalitate regnorum, è queis exire jubentur, conſtat ex *eiſdem legibus* 4. *&* 15. *tit.* 1. *lib.* 4. *Compil. l.* 1. *in fine tit.* 8. *l.* 21. *&* 25. *tit.* 3. *l.* 7. *tit.* 4. *lib.* 1. *Compil.* juncta Pragmatica Vormatienſi Caroli V. apud Sandovalium, in *illius Hiſtor. lib.* 9. §. 2. Molinam *de Primogen. lib.* 4. *cap. ult. num.* 58. de qua obſervantia, & in queis caſibus, & qua cautione, & gradibus, forma, & mediis in Regiis Tribunalibus recepta ſit, ac de illius frequentibus in Hiſpana vetere, ac recenti Hiſtoria exemplis, & de eadem in aliis chriſtiani orbis provinciis, & principatibus æque uſitata, liceret, ſi vacaret, plura ex noſtratibus, & exteris ſcriptoribus, quanquam ſint ex Eccleſiaſticis multi, qui contra cenſeant. At nobis ſaltem placitum, momenta ejuſdem obſervantiæ, & rationes, ex penetralibus naturæ, & gentium petitas, fortaſſe explicite, & diſtincte magis, quam eatenus expoſitæ ſint, ſignare, & ſubjungere. Præmonemus autem, ne quem homonymia vocis, *exilii*, turbet, longe abeſſe obſervantiam noſtram à pœna exilii, per ſententiam inflicta, ſive à juriſdictionali relegatione, quæ procul dubio non permiſſa ſæculari juriſdictioni in Eccleſiaſticos. Cujuſmodi fuit exilium illud, ſive bannitio Epiſcopi Feſſulani de quo in *cap. olim* 7. *de injur.* & quidem irrogata ei à Florentinis, cum occupatione bonorum, non modo temporalium, ſed etiam *Epiſcopi ſui, & Eccleſiarum.* Ut in *Regeſto illius textus* legitur, cui jungendus Cyronius, ad *quintam compilationem decretal. Honorii ibidem.* Cujuſmodi etiam & ſimiliter accipiendæ prohibitiones banniendi in *Clementina* 1. *de pœnis*, & in *cap. Felicis* 5. *eod. tit. in* 6. nempe de bannitione cum confiſcatione, & diffidatione, eo ſæculo uſitata, ut in *Authent. Gazaros Cod. de hæretic. & in Conſtitutione* Honorii III. *anni* 1225. apud Odoricum Rainaldum *tom.* 13. ad eum annum, ad quam illa *cap. Felicis* 5. in *principio*, ſive quod idem eſt, *de banno, quod lingua latina proſcriptio, aut confiſcatio vocatur.* (Verbis utor Hincmari *in Epiſtol. ad Carolum Regem*) & omnino fuit pœna, non tantum juriſdictionalis, ſed meri, & ſummi Imperii: ac denique cujuſmodi, & in eumdem ſenſum eſt Clauſula *Bullæ Cœnæ cap.* 16. *de non banniendis Eccleſiaſticis*, nempe eo banno, in quo Laïci, tanquam judices, ſe interponunt, ut in *cap.* 12. *ejuſdem Bullæ.*

2 Prima ratio deſcendit, duciturque ex origine principatus politici, & comparatione illius, & poteſtatis regiæ in regno cum familia, & poteſtate patrisfamiliæ erga filios, & alios familia ſua comprehenſos. Nam cum nihil aliud notius ſit, quam ab unius familiæ, ſeu domus, eique imperantis, patrisfamiliæ poteſtate, & exemplo, derivatas fuiſſe ex pluribus familiis conſtantes Civitates, ſeu Reſpublicas, eiſdemque imperantium Regum, ſeu Principum imperium. Quo ſenſu, & notione Ariſtoteles *lib.* 1. *Politic. cap.* 1. *& lib.* 8. & hic *ad Nicomac. cap.* 10. Homerico ad rem verſu utens, ſcripſit, omnem domum regio imperio adminiſtrari, & patrum in liberos imperium, eſſe regium, ſeu regii imperii imaginem, & utrumque comparabile. Quomodo & Seneca *Epiſt.* 41. *Domum* eſſe *puſillam Rempublicam.* Quomodo & denique fere comparantur poteſtas patria, & dominica cum imperio Magiſtratus, in *l. poteſtatis* 215. *D. verbor. ſignif.* & apud Senecam, qui de parentibus erga filios ait, impoſitos eis regendis eſſe, *quaſi domeſticos magiſtratus*, *lib.* 3. *de Benef. cap.* 11. & ſicut paterfamilias appellatur, *familiæ Princeps* in *l. familiæ* 196. juncta

 l. 195.

l. 195. §. *familiæ verſ. jure proprio D. de verbor. ſignif.* ita Rex, ſive Princeps, pater patriæ. *l. ult. D. de interd. & releg.* ſive publicus parens, cum Caſſiodoro *lib.* 4. *Var. c.* 47. & poſt Deum, communis omnibus pater, ut in *Novella* 98. *cap.* 2. *in fin.* Seneca *lib.* 1. *de Clement. cap.* 14. *Hoc, quod parenti, etiam Principi faciendum eſt, quem appellavimus patrem patriæ; ut ſciret* (ita enim poſt pauca) *datam ſibi poteſtatem patriam, quæ eſt temperatiſſima.* Alphonſ. noſter in *l.* 2. *tit.* 10. *part.* 2. ubi de Rege erga regnum, ita: *Serles ha como padre, que cria ſus hijos con amor, è los caſtiga con piedad, aſi como dixeron los ſabios.* Conſequens prorſus videtur, id, quod domeſticæ, & privatæ poteſtati patrisfamilias, erga filios, & domeſticos in familia ſua liceat, debere multo magis, licere publicæ poteſtati Regis in regno ſuo, tanquam illius, & familiarum, ex queis conſtat, univerſali parenti.

3 Juxta hæc & præmuniendum eſt, poteſtatem illam domeſticam patrumſamilias (quam œconomicam, ſive domus gubernatricem potius ex Xenophontis, quam ex Ariſtotelis mente vocari obtinuit) diſtinctam eſſe genere, & gradu à poteſtate juriſdictionali; ſic enim & diſtinguitur *in l. ſervi, & filii* 17. *D. de ſurt. l.* 3. *C. de patr. pot. l. unica, verſ. ſed jure patrio, Cod. de patr. poteſt.* & genere quidem, quia illa patrisſamilias privata eſt, ut vocatur *in dict. l.* 3. *Cod. de emend. prop.* & à publico jure diſcreta. *l. nam quod* 14. *D. ad SC. Trebell.* At juriſdictionalis omnino publica, & ex publico jure pendens. *l.* 1. §. *bujus, verſ. publicum jus, D. de juſtit. & jure.* Quo circa nec diſſimiliter, quoad Eccleſiam, & illius fideles, ae poteſtatem, diſtinxit, & prænotavit Div. Thomas *ad illud Pauli, Cives Sanctorum, & domeſtici Dei, in Epiſtol. ad Epheſios* 1. 2. *in fine.* Domeſticos vocari fideles, conſiderata Eccleſia, tanquam domo, & juxta œconomicam in ea poteſtatem, & vocari etiam cives, relative ad civitatem ſanctam Eccleſiæ, & imperium illius politicum, ſive publicum, & juriſdictionale; de qua diſtinctione quoad Eccleſiam, multa operoſe Franciſcus Hallierus *de Eccleſ. Hierarch. lib.* 4. *cap.* 2. *art.* 1. *& ſeq.* ſed & diſtinctam maxime gradu, quia œconomica poteſtas, vel etiam patria in filios (antiquato illo jure vitæ, & necis, de quo *in l. in ſuis* 11. *in fine, D. de liber. & poſth l. ultim. Cod. de patr. poteſt.*) excedere non debet moderatam caſtigationem. *l.* 3. *Cod. de patr. poteſt. l. unica, Cod. de emend. propinquor. l.* 2. *D. ad leg. Cornel. de Sicar. l. Divus* 5. *D. ad l. Pompei. de parric. Novella* Leonis 105. &, ut appoſite græca verſio exprimit *lib.* 60. *Baſilic. in dict. l. unic. de emend. propinq.* caſtigationem, *πατρὶ πρέποντα, patri congruentem.* Et ſi acriore ſupplicio opus ſit, erit id poteſtatis juriſdictionalis, & imperii, cujus, ut publici, altiores gradus, & jura ſunt. *l.* 3. *de Juriſdiction.* cum nuper laudatis.

4 Hinc, & pro indubitato eſt, licere patrifamilias, domeſticum quemque familiæ ſuæ, illam turbantem, arcere à domo ſua, & ſubmovere, idque jure œconomicæ poteſtatis, quæ alioquin imperfecta eſſet, & ad ſuum finem gubernandæ familiæ inſufficiens, niſi ad hoc ſufficeret, quod non dicendum, juxta tradita jam in quarto illo præfato elementari ſupra *cap.* 42. & licere multo magis patri erga liberos, patrio jure eos domo ablegare, ac veluti domeſtico exilio corrigere; cujus exempla apud Ciceronem 3. *de Offic. & in Orat. pro Roſcio Amer. & pro Manlio.* Valerium *lib.* 6. *tit.* 9. Senecam 3. *de Beneſ. cap.* 37. *&* 1. *de Clement. cap.* 15. *cum ſimilibus, infra hoc capite,* pro graviore quæſtione expendendis: & hoc amplius, licuiſſe parentibus, filios inofficioſos, & contumaces, non ſolum domo ſua ejicere, ſed & abdicare bonis, abalienare, & extraneos facere, ſive non filios, extremo illo inter vivos patriæ poteſtatis fulmine, ut abdicationis jus vocatur à Quintiliano *Declamat.* 259. de quo paſſim plura idem, & Seneca *in Declamat. & Controverſiis,* & ex Romanis moribus Cicero, Livius, Valerius, Suetonius, Plinius, & alii veteres, & ex Græcis Lucianus, & Libanius in *abdicato*: quamvis Diocletiani ſæculo uſurpatam potius, quam Romanis legibus comprobatam eſſe abdicationem, ſcribatur *in l. abdicatio* 6. ſic exaudienda, *Cod. de patr. poteſt.* juncta *l. quidam* 132. §. *ſed videamus, D. de verbor. oblig.* At pro re ſatis eſt, potuiſſe ſemper patremfamilias, & poſſe, jure œconomicæ poteſtatis, eliminare è domo ſua filios, aut domeſticos alios, irreverentes, aut turbulentos, idque etiamſi Eccleſiaſtici ſint, quia eos, quatenus domo, & familia comprehenduntur, non eximit ſacra militia à reverentia, & œconomica, ſeu domeſtica poteſtate, & correctione patrisfamilias; argumento *ex l. ult. Cod. de libertis, & eor. lib. l.* 1. *D. de obſeq. par. & patr. præſt.* Proprii ad rem canonici *textus in cap.* 1. §. 1. *c. cum voluntate* 54. *in fine de Sent. excom. cap. ult. de jud. in* 6. de queis alia *ſequenti capite.* Quapropter & eiſdem principiis conſectaneum eſt, Reges, & Principes ſupremos, qui regni ſui, & reipublicæ, tanquam amplæ familiæ, aut domus, parentes ſunt, ſeu patriæ, ut vocantur, patres, poſſe ab eadem regni domo arcere, & ſubmovere Eccleſiaſticos, eiſdem in politicis refractarios, aut tumultuoſos, eadem illa œconomica poteſtate, abſque juriſdictionali imperio.

Addimus, neque alienum cenſendum à ſupremo Principe, patris, & patrii juris nomen, & munus in politicis, erga Eccleſiaſticos, etiam Epiſcopos, tametſi eorumdem in ſpiritualibus filius ſit. Namque & ita pridem Sidonius Epiſcopus *lib.* 7. *Epiſt.* 17. de Victorio Arverniæ Principe, *quem*, ait, *jure eccleſiaſtico filium, excolo ut cliens, ut pater diligo.* Neque aliter ex Theologis Thomas Waldenſis, patrem extraordinarium etiam Clericorum vocans Regem, *tom.* 1. *Doctrinæ Fidei, libr.* 2. *cap.* 80. Henricus Henriquius *libr.* 2. *de Clavibus Eccleſ. cap.* 15. *litt. H. & I.* 5

Secunda ratio nititur auctoritate politica ſupremi Principis in territorio imperii ſui, & temporalibus, quæ ſingula ſubjecta illi eſſe, atque in Eccleſiaſticos, quatenus ſunt territorii incolæ, Reipublicæ cives, & temporalium poſſeſſores, ſatis ex elementaribus illis præfatis, & potiſſime 2. & 3. deducitur. At nunc paucis, & pro re adjicimus, territorium (ſeu terram, à qua territorium dictum, voluere Siculus Flaccus, & Julius Frontinus *de Agrorum Conditionibus*) ex gentium jure proprium eſſe ſupremæ poteſtatis politicæ *l. ex hoc* 5. *D. de juſt. & jure l. deprecatio* 9. *in fine, D. ad leg. Rhod. de jact. l.* 1. illic: *La tierra, de que es ſennor, tit.* 11. *part.* 2. *l.* 1. *tit.* 15. *lib.* 4. *l.* 1. *tit.* 10. *lib.* 5. *l.* 14. *tit.* 3. *& l.* 3. *tit.* 6. *libr.* 1. *Compil.* non autem eccleſiaſticæ, ut notatur communiore aſſertione, *in l. ſi quis in hoc genus* 10. *Cod. de Epiſcop. & Cleric. cap.* 1. *de Offic. Ord.* & elicitur ex *cap. ad audientiam* 3. *in fin. de crim. falſi. cap.* 2. *in fin. de Clerico excommun. cap. cum non ab homine* 10. *de jud.* & juxta ea explanando *Concil. Tolet.* 11. *Can.* 7. (cæteroquin contra notata ſupra præfato 1. privaſſet Chriſtus Dominus Reges territorii dominio, ſi Eccleſiæ tribuiſſet, quod Regum, & Eccleſiæ in ſolidum eſſe non poteſt *l.* 5. §. *ultim. D. commod. l.* 3. §. *ex contrario, D. de acquir. poſſeſſ.*) utcumque habeat Eccleſia Diœceſes non tam ratione territorii, & temporalium, quam pro circumſcriptione, & diſtinctione finium, inter Epiſcopos, pro eccleſiaſtica juriſdictione, quæ & eo ſenſu dicuntur, territoria, & diſtrictus *Clement. ne Romani, §. ſane, de Elect. cap. omnes Baſilicæ* 10. 16. *qu.* 7. *cap. ult. de Conſtit. lib.* 6. 6

Adjicimus deinde, Eccleſiaſticos non modo eſſe, & cenſeri inter territorii incolas (*cap. accedens* 4. *verſ. & omnes ſub diſtrictu, ut lite non conteſt. cap. ultim. verſ. nec aliquis, de offic. deleg. in* 6. juncta, digna obſervatu ad rem, atque hinc elucidanda, *l.* 4. *in princip. & verſ. ſalvo, cum l.* 3. *tit.* 7. *lib.* 7. *Compilat.* de qua ex aliis alis Amaia *in l.* 1. *num.* 37. *Cod. de Jure Fiſci*) & Reipublicæ cives, Regumque in politicis ſubditos, de quo ſatis, ſuperque jam *iſto capite,* & præfato illo 3. *cap.* 42. ſed hoc amplius, 7

temporalia,

Digitized by Google

temporalia, quibus fruuntur, à Regibus accepiſſe, & per jura Regum poſſidere, & in eis obnoxios eſſe Regibus, ut ex Auguſtino, ad verbum Gratianus in §. *ſecunda pars*, *poſt cap. ſi quæ cauſæ* 26. 11. *q.* 1. Ivo Carnotenſis *Epiſt.* 60. & *in Decreti* 3. *p. cap.* 194. &, quod ex Auguſtino, in propoſito expendi dignum, ſtabiliri ab eo aſſertionem illam, de poſſeſſionibus, per jura Regum poſſeſſis ab Eccleſia, & proinde dici non poſſe ab Eccleſiaſticis, *Quid mihi, & Regi?* Cum ſcriberet contra Epiſcopos Donatiſtas, conquerentes de ademptis ab Imperatore poſſeſſionibus, quia turbulento ſchiſmate pacem turbabant, ut liquet ex latiore contextu *cap. quo jure* 1. 8. *diſt.* apud Auguſtinum *tract.* 6. *in fine ad Joannis cap.* 1. Quo & ſenſu Hilarius *ad Matthæi cap.* 23. de Epiſcopis, ſi *rebus* Cæſaris (ſcilicet temporalibus) *incumbant*, *& jure poteſtatis ejus utuntur*, *extra querelam injuriæ eſſe*, *Cæſari reddi quod Cæſaris eſt.* Ambroſius *ad Lucam lib.* 9. *ad caput* 20. Hugo de S. Victore *de Sacram. fid. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 27. ac denique eo exemplo Fridericus Imperator, in controverſia illa, de homagio Epiſcoporum, aiebat: Si libenter illi jactarent; *quid Epiſcopo cum Rege*, ſe quoque interrogaturum, *quid Epiſcopo cum poſſeſſione?* Ut poſt Radevicum 2. *de Geſtis Frider. cap.* 30. ex aliis Carolus Sigonius *lib.* 12. *de Regno Ital. prope finem*; & ſimilia de Philippo Pulcbro Rob. Gaguinus *in eodem*, *lib.* 7. Quamobrem ot neque ultra evagemur, conſentaneum propoſitis eſt, à Rege territorii, ſive terræ regni ſui domino, & auctoritate politica, ac jure, quo temporalia per jura Regum poſſidentur, Eccleſiaſticos regni incolas, cives, & temporalium poſſeſſores, ac in politicis ſubditos, ſi juſtis regiis præceptionibus inobedientes ſint, arceri poſſe à domicilio regni, quod turbant, & temporalibus à Rege acceptis, quem non tanquam Regem obſervant, ut fere ad rem ratiocinatur, præter laudatos ſupra, Oldradus *Conſ.* 17. *num.* 14.

8 Tertia ratio profluit ex naturali defenſionis jure, & politicæ poteſtatis elementis, ſecundum quæ Supremus Princeps non modo caput eſt, ſed & cor, & anima myſtici corporis Reipublicæ, &, ut Seneca toties laudatus exprimit 1. *de Clemen. cap.* 4. *& 5. Spiritus vitalis, quem tot millia trahunt, mens Imperii, animus Reipublicæ, & hæc illius corpus*, & eodem ſenſu Lucanus *lib.* 5.

Cum tot, in hac anima, populorum vita, ſaluſque
Pendeat, & tantus caput hoc ſibi fecerit orbis.

Queis reſpondet illud ad Conſtantinum: *Veſtra ſalus noſtra ſalus l.* 1. *Cod. de Veteran. lib.* 12. præclare Alphonſus noſter *in l.* 2. *tit.* 10. *part.* 2. ubi de Rege: *Ca es alma, è vida del pueblo.* & *in l.* 5. *tit.* 1. *eadem p.* 2. *Con razon è alma del pueblo, è cabeça, è los* (ſubditos) *miembros.* Et à Gregorio laudatus illic D. Thomas 1. *de Regim. Princip. cap.* 12.

9 Quo circa & juxta eadem elementa, Regi, tanquam animæ corporis Reipublicæ, & regio juri, ac muneri convenit, non tantum regere, ſed tueri ſalutem illius corporis, ut fere ſcribitur in *l.* 3. *D. de Offic. Præſ. vig.* cui ſimiliter, *nihil aliud eſſe imperium, niſi curam ſalutis alienæ*, ex ſapientibus Ammianus *lib.* 29. & Regem ipſum, *ſalutem ſtatus Reipublicæ*, Eonodius *Panægyr. ad Theodoricum.* Ac proinde ſubditos, tanquam membra corporis, cujus eſt caput, cor, atque anima, protegere, ac defendere, propulſata vi, ac turbulentiis, quibus per ipſos, aut extraneos, ſaluti politici corporis, facto, aut exemplo nocetur *l.* 12. *tit.* 10. *part.* 2. illic: *La ſegunda manera, en que los debe guardar, es del damno de ellos miſmos, quando fizieſſen los unos à los otros fuerça, ò tuerto.* junctis vulgatis pro re locis, *in cap. tributum* 22. inibi: *Pro pace, & quiete, qua nos tueri, & defenſare debent, Imperatoribus perſolvendum eſt* 23. *qu.* 8. *cap. Regum* 23. *in princip.* & præ cæteris illo ſacerdotis ſummi Oniæ 2. Machab. *cap* 4. *verſ.* 5. *&* 6.

10 Unde cum nullo malo Reſpublica velocius lædatur, quam inobedientia, ut à Platone proditum *lib.* 4. *de Legib.* & ex Imperantium contemptu, plurimæ fiaot everſiones imperiorum, juxta Ariſtotelis effatum 5. *Politic. cap.* 1. poteſt, debetque Rex, Reipublicæ caput, & anima, ſegregare ab eo myſtico corpore membra, inobedientiæ, & turbulentiæ contagio nocitura, & eadem ratione etiam Eccleſiaſticos turbatores, vel, tanquam Reipublicæ corporis membra, vel etiam, tanquam extraneos, ex ratione *l.* 3. §. 1. *D. de Offic. Procurat. Cæſar. l.* 3. *D. de Offic. Præſ.* & omnino non juriſdictionaliter, ſed velnti œconomica, aut politica auctoritate, juxta ſingularem in propoſito noſtram *l.* 7. *verſ. ſalvo tit.* 12. *lib.* 8. *Compil.* & in vim tuitionis, & defenſionis politici corporis, quomodo de imperiali poteſtate, implorata contra violentias Epiſcoporum Donatiſtarum, ſenſit Auguſtinus, tuitionem vocans, qua ſe Catholici defenderent, *Epiſt.* 164 *ad Emeritum, circa finem*, quæ decurtata apud Gratianum in *cap. noſtri* 3 *in fine* 23. *quæſt.* 3. & explicite, ut ſolet, Div. Thomas 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 1. in *corp.* illis verbis: *Cum autem cura Reipublicæ commiſſa ſit Principibus, ad eos pertinet, Rempublicam civitatis, vel regni, ſeu provinciæ, ſibi ſubditæ, tueri. Et ſicut licite defendunt eam materiali gladio, contra interiores perturbatores, &c.* Nec diſſimiliter Bellarmin. *lib.* 8. *de Laïcis, cap.* 13. *verſ. ultimo probatur.* Ex queis & tandem ſequitur, ea ſegregatione, quæ in territorio, & temporalibus, politico imperio ſubjectis, exercetur, & non juriſdictionali, ſed œconomica auctoritate, &, quod vel potiſſimum eſt, jure defenſionis, à Principe Reipublicæ debitæ, licere Regibus territorii, & temporalium dominis, regnorum parentibus, & eorumdem defenſoribus oti ea ſegregatione contra Eccleſiaſticos tumultuoſos, neque ea ſegregatione lædi Eccleſiæ immunitatem, ſeu libertatem, nec incurri ſacras cenſuras, utpote quæ nec ſint, nec debeant contra juſtum uſum naturalis defenſionis, & politicæ, atque œconomicæ auctoritatis, ſed contra illius exceſſus, & abuſus juriſdictionales *cap perpendimus* 23. *verſ. & non propulſando, de Sent. excom. c. de Liguribus* 41. *infin.* 23. *q.* 5. ut agnoſcunt in ſimili Suarius 4. *adv. Reg. Angl. c.* 34. *n.* 15. Souſa *ad Bullam Cœnæ*, *c.* 16. *diſp.* 82. ex aliis noſter Solorz. *de Ind. Gub. lib.* 3. *c.* 27. *n.* 54. Salgado *de Prot.* 1. *p. cap.* 2. *n.* 281. Salcedo *de Lege Polit. lib.* 1. *c.* 10. *n* 33. Cutellius *ad Leges Freder. c.* 22. *nota* 24. *ex n.* 5. *& de Immun. Eccl. lib.* 2. *cap.* 18.

C A P U T XLVIII.

P R O B L E M A.

An ſicut Eccleſiaſticos arcere à domicilio regni, liceat etiam eiſdem præcipere, ne è certa regni urbe excedant.

A R G U M E N T U M.

P*Ro negante ſententiam, ſcilicet, non licere, conſideratur in primis, præceptionem, non exeundi è certo loco, eſſe ſpeciem carcerationis juriſdictionalis, & contrariam libertati, ac proinde impermiſſam* Laicis in Clericos. *Expenditur* cap. 29. de ſent. excomm. & Gregorii Magni, *ac* Nicolai I. Epiſtolæ. *Deinde quia præceptio exeundi è* regno, *exercetur in Eccleſiaſticos ſine juriſdictione*, *ut* proximo capite *dictum*, *& ut in exemplis* l. 3. §. 1. D de offic. Proc. Cæſ. l. 3. D. de offic. Præſ. l. 39. D. ad leg. Aquil. *At coarctatio ad certam urbem, eſt carceratio juriſdictionalis: ac præterea urget magis, minuitque libertatem, ſicut olim deportatio*

in inſulam, ſive inſulæ vinculum, magis quam relegatio, aut lata fuga. In contrarium, pro affirmantibus, licere eam præceptionem in Eccleſiaſticos, *argumentum primum eſt, poſſe eam exerceri ſine juriſdictione, & œconomice, ut in* Abbate *in* Monachum; *patrono in libertum; patre, aut domino in filium, aut ſervum. Allati in eam rem juris, & aliorum loci. Secundum argumentum ab auctoritate politica, perpenſo, & explanato* ſacro Textu, *de* Abiathar lib. 3. Reg. cap. 2. *Tertium ex jure defenſionis, pro qua non ſemel neceſſaria eſt coarctatio* Eccleſiaſtici *ad certam urbem, & cuſtodia, ut legitur* in cap. 43. in fin. 23. q. 5. *Quartum ex obſervantia* Regii Senatus, *& legum, juxta quas frequens,* Eccleſiaſticos *turbatores in urbem regiam vocari, atque in ea ſub libera cuſtodia agere, donec obedientiæ fiat ſatis. Memorata* Gallæciæ decreta, *& ſingularis* lex 3. io fin. tit. 8. lib. 8. Comp. *Memorati etiam* Theologi *ad rem* Scriptores. *Nobis inter utramque ſententiam ampliare placitum, non judicare. Peroratio ad* Reges, *&* Principes, *pro attemperando, ac non niſi in ſubſidium, & urgente cauſa, applicando œconomicæ politicæ, & erga temporalia poteſtatis uſu in* Eccleſiaſticos.

1 EX his & fuiſſe, vidimus non ſemel quæſtionis diſputandæ potius, quam decidendæ, an ſcilicet, quemadmodum licitum, Eccleſiaſticos inobedientes arcere à domicilio regni, liceat etiam eoſdem intra regni urbem, aut oppidum politico imperio cootinere, & præcipere, ne inde excedant. Io qua, pro aſſertione negaote, expendi in primis poteſt, præceptionem, ſe continendi intra certum locum, eſſe ſpeciem carceratioois, & cuſtodiæ, quæ libera dicebatur. *l. 2. verſ. vel certe Cod. de exactor. trib. l. 1. D. de cuſtod reorum*; ſic enim *carcer à coercendo, quod exire prohibet*, ait Varro 4. *de Lingua Latina:* at incarcerando exerceri actum juriſdictionis, & imperii, *l. ea quæ 26. D. ad municip.* juncta *Novella 15. de defenſoribus civit. cap. 6. §. audient. l. 1. & ult. Cod. de curioſis, & l. 1. Cod. de Cohortal. lib. 12.* ex queis, ne alios moremur, Bartolus in *l. 3. num. 8. D. de juriſdict.* Quæ juriſdictionis exercitio, noo eſt conceſſa Laïcis io Eccleſiaſticos. *cap. ſi judex laïcus 12. de ſent. excomm.* ia 6. proprior in propoſito *Textus in cap. nuper 29.* illic: *In cuſtodia detinent publica, vel privata, de ſent. excomm.* & jam olim Gregorius Magnus de Epiſcopo, apud Ravennam *diutius detento* ab Exarcho Romano *lib. 1. Epiſt. 32.* & ſevero anathemate in laïcos Magiſtratus, tradentes in cuſtodiam Epiſcopos, Concilium Conſtantinopol. habitum in S. Sophiæ templo, *Can. 3.* ad quem Balſamon. Concil. Cabilonenſe ſub Clodoveo *c. 11.*

2 Secundo, quia prohibitio, noo recedendi à loco certo, eſt contraria libertati. *l. Titio 17. §. Titio centum 2. de cond. & demonſtr. l. 2. D. de hom. lib. exhib. l. nec non 28. §. 1. D. ex quib. cauſ. maj. l. ſolutum 48. D. de verbor. ſign. Alioquin liber non eſt, ſi de patria ſua quis non audet egredi.* Ut Nicolaus Papa reſcripſit ad *conſulta Bulgar. cap. 20.* & conſequenter præceptio, facta Eccleſiaſtico, ne è certa urbe, aut oppido exeat, contraria eſt libertati eccleſiaſticæ, quia adimit facultatem, commorandi, ubi velint, quæ liberis hominibus competit, jure communi *l. penult. Cod. de oper. lib.* juncto *cap. ultim. de immunit. Eccl. lib. 6.*

3 Tertio, quia quamvis gravior videatur & pœnalior præceptio, exeundi è regno toto, quam continendi ſe iotra unam urbem Regni, *l. relegatorum 7. §. 1. & §. item 8. §. ſolent 19. l. poteſt. 9. de interd. & releg.* illa tamen exercetur in Eccleſiaſticos, potiſſime in vim defenſionis, & ſine juriſdictione, ut ſupra adnotavimus, ſicut à procuratore Cæſaris, dum arcet à prædiis Cæſaris *l. 3. §. 1. D. de offic. Proc. Cæſ.* vel à domino, alienum pecus noxium expellente è prædio ſuo, privata auctoritate. *l. Quintus Mutius 39. D. ad leg. Aquil.* hæc autem, nempe coarctatio eccleſiaſticæ perſonæ intra certam urbem, eſt carcerationis ſpecies, & proinde actus imperii, & juriſdictionis, juxta nuper ſuppoſita, ideoque ooo permiſſa Laïcis, quemadmodum Cæſaris procuratori non licet, deportare in inſulam, ſive ad eam coarctare. *d. l. 3. in princ. D. de offic. Proc. Cæſ.* juncta *l. 3. D. de offic. Præſid.* neque agri domino, includere noxium pecus, *d. l. Quintus 39. §. 1. Digeſt. ad l. Aquil.*

4 Accedit tandem, quod coarctatio ad certum locum, urget magis, coarctatque libertatem, quia, ut eſt in Ciceronis *Paradoxo 9. Exilium terribile eſt, quibus eſt quaſi circumſcriptus habitandi locus*, ad inſtar deportationis, ſive relegatioois in inſulam, atque io ea incluſionis, quæ & ideo vocabatur inſulæ vinculum, etiamſi intra ejuſdem imperii, aut provinciæ fines inſula eſſet. *l. 4. & 5. l. relegatorum 7. §. 1. & §. item 8. D. de interd. & releg.* & introducta Auguſti ævo, ſimul cum libertatis Reipublicæ oppreſſione, ut de deportatiooe obſervatum jam eruditis, ex Dione *lib. 56. Hiſtor.* Et è contrario ejectio à regno relinquit ſaltem, extra illud libertatem evagandi, unde & vocatur, *lata fuga, in dict. l. 5. D. de interd. & releg.* & *liberum exilium*, Capitolino *in Marco*, & uſitata ſub nomioe, & jure interdictionis aquæ, & ignis, ante Cæſares, & libera Republica, atque ævo, quo ſanctior, & integrior libertas, ut ſcitum itidem ex Cicerone *in Orat. pro Cæcinna*, & Saluſtio *in illa Cæſaris in Catilinam*; ex queis & ducere, ſi vacaret, liceret ignotas forte adhuc differentias aliquot inter deportationem, & aquæ, atque ignis ioterdictionem.

5 In contrarium, pro affirmante ſenſu non deſunt argumenta, quæ moveant, aut morari diſſenſum poſſiot. Primum, quod præceptio non excedeodi è certa urbe, aut oppido, poteſt eſſe ooo juriſdictionalis, ſed œconomicæ poteſtatis, ut in Abbate, qui œcooomico Abbatiali imperio Monachum, utcumque liberum hominem, poteſt dare in obſidium, ſive obſtagium, atque ita coarctare, ut tanquam obſes, ab eo, cui datus, non diſcedat. *cap. ex reſcripto 9. de jurejur.* juncta *l. Divus 31. cum l. ſeq. D. de jure Fiſci.* Et in Patrono, à quo impoſitum gravamen liberto, noo recedendi à monumento, ſuſtinetur ex patronali jure. *l. Titio 71. §. Titio centum, verſ. ſed in defuncti libertis. D. de condit. & demonſtr. l. libertis 18. §. ultim.* illic: *ibi eos morari jubeo, D. de aliment. & cib. leg.* junctis *l. Mevia 44. D. de manum. teſtam. l. neque 36. D. de fideicommiſſ. lib. l. 2. verſ. neque eum, qui propter, D. de jus voc.* Et relegatio liberti in oram Campaniæ, ut eſt in nobili Tatici loco 13. *Annal. l. ex facto 35. §. rerum 3. verſ. proinde, D. de hæred. inſt.* juncta *l. 2. D. qui, & à quibus.* Ambroſius *lib. de David.* Denique in patre eadem relegatio filii in agrum, cujus in Sexto Roſcio meminit Cicero *Orat. pro Roſcio Amerino*, & *in Manlio* idem Cicero 3. *de Offic.* Valer. *lib. 6. tit. 9.* Seneca 3. *de Benef. cap. 37. cum ſimilibus.* quos prælaudarunt poſt Cujacium, & Petrum Fabrum, eruditi altelli noſtri, D. Joannes Suarius *lib. 2. ad leg. Aquil. cap. 2. ſect. 2. num. 8.* D. Nicol. Antonio de exilio *lib. 1. cap. 3. num. 7. & 8.* & quem, ſcilicet filium, ſicut pater domo ablegare poteſt, de quo jam ſupra, ita intra domum coarctare, & continere *ſuo jure*, ut ad rem ſignanter Ulpianus in *l. 3. §. is tamen 2. cum §§. ſeq. D. de hom. lib. exhib.* & ex eo Bartolus in *l. capite 25. num. 3. D. ad leg. Jul. de adult.* & nominatim de filio Clerico, poſt Cynum *in l. un. Cod. de privat. carcer.* Joſeph Seſſe *tom. 2. Deciſ. Arag.* 113. *num.* 186. & poſt gloſſam Panormit. *in cap. cum voluntate 54. num. 2. de ſent. excommun.* coodncent noti *Textus in cap. ult. de judic. in 6.* & ſpecialiter *cap. 1. §. 1. cap. cum voluntate 54. §. ult. de ſentent excommun.* junctis, poſt alios, traditis à Franc. Zypæo *lib. 2. de Juriſdict. Eccleſiaſt. cap. 42. & lib. 1. cap. 11.*

6 Secundum argumentum eſt, poſſe etiam fieri præceptionem, noo egrediendi è loco certo, auctoritate politica, ooo juriſdictionali, idque exemplo Abiathari,

Abiathari, ſummi Hebræorum Sacerdotis, cum à Salomone Rege non modo eliminatum Templo, ſed etiam coarctatum præcepto, abeundi in agrum ſuum, atque eo non egrediendi, liquet ex *Sacro Textu* Regum 3. *cap.* 2. *verſ.* 20. quin & ibi uſque ad mortem commorandi, ſic enim, καὶ τῦτον ἄχρι τελευτῆς ἔχε τὸν βίον: ait Joſephus 8. *Antiquit. cap.* 1. idque, ut poſuimus, politica auctoritate, *defenſioni ſuæ, & conſervationi pacis, & regni conſulendo*; quæ Suarii in re verba ſunt 3. *adv. Reg. Angl. cap.* 26. *num.* 7. cum alioquin juriſdictioni Regum, non fuiſſe ſubditos Hebræorum ſummos Sacerdotes, quin imo eos dignitate, & poteſtate ſuperiores ſupponant late, poſt Chryſoſtomum, idem Suarius *dict. cap.* 26. & Bellarminus, quamvis Abiathari ejectionem alio referat *lib.* 2. *de Rom. Pont. cap.* 29. *§. argumentum quartum*, & in Barclaium *cap.* 15. de quo tamen in contrarium cenſent ex receptiore ſententia, poſt D. Thomam, Bonaventuram, & Abulenſem, Barclaius pater *de Poteſtat. Papæ, cap.* 15. Petr. Marca ex Maimonide, & aliis, *lib.* 2. *de Concord. Sac. & Imper. cap.* 4. *ex num.* 4. *& in prolegom. p.* 72. Rouſell. *Tract. Pontif. Jur.* 1. *cap.* 1. *& lib.* 7. *cap.* 21. *& lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 13. & in *pro Patre Vindiciis*, Barclaius filius, *d. cap.* 15.

7 Tertium eſt, quia ſicut defenſionis jure ſuſtinetur ejectio Eccleſiaſtici refractarii à regno, ne inobedientia, aut turbulentia ſua Reipublicæ noceat, ut ſupra monuimus; ita & ex eadem defenſione, & jure coarctatio ejuſdem ad certam urbem, ſi extra regnum nocentior futurus. *cap. ut famæ* 35. *in fin. de ſentent. excomm.* Pro quo & expendi poſſunt Pelagii I. verba, *Epiſt.* 3. *ad Narſetem*, de Eccleſiaſticis reſiſtentibus, queis ſubjecti ſunt, aut *facientibus ſciſſuras, per publicas poteſtates coercendis non ſolum exilii, ſed etiam proſcriptione* (ſic enim legendum) *rerum, & dura cuſtodia. cap. de Liguribus* 43. *in fin.* 23. *q.* 5. & exemplom Theodoſii Magni de Iræneo Epiſcopo, *in ſua patria degere* juſſo, & quieſcere. *l.* 3. *in fine, Cod. de Summ. Trinit.* Denique, ut & conſulto aliis exemplis abſtineamus, ratio, & regula juris illa, cui plus licet, ut ſane eſt, è regno ejicere, non debere quod minus eſt, videtur, nempe coarctatio intra regnum ad certam urbem, non licere. *l. non debet* 21. *D. de reg. jur.* juncta *l.* 5. *l. relegatorum* 7. *§. item* 8. *& §. ſolent* 19. *l. poteſt* 9. *D. de interd. & relegat.*

8 Tandem & accedit obſervantia ſupremi Caſtellani Senatus, juxta quam Eccleſiaſtici, regiis decretis, ſeu præceptis refractarii, aut alioquin turbatores, jubentur regia in urbe, ſeu Curia ſiſtere, & hoc amplius, in ea diſtinentur, ſub libera tamen cuſtodia, donec politicæ obedientiæ ſatisfiat, aut temporalitatum privatione conſulatur: quo reſpiciunt noſtrates *l.* 29. *tit* 4. *lib.* 2. & *l.* 13. *tit.* 3. *lib.* 4. *Compil.* queis reſpondet, & ſignanter magis decretum illud ordinarium, ut vocant, Gallæciæ Audientia, de evocandis Eccleſiaſticis in cauſis poſſeſſoriis beneficiariis, ut in ea Curia perſonaliter ſiſtant, & detineantur, donec à turbatione ceſſent, ut memorant Gallæci juriſperiti, Gaſp. Roderic. 1. *de Ann. Redd. cap.* 17. *num.* 55. & 59. Joannes Garcia *de Nobilit. gloſſ.* 9. *num.* 46. Quin & digna, præ aliis expendi *lex* 3. *in fine tit.* 4. *lib.* 8. *Comp.* quæ eſt de Eccleſiaſticis, *in* Reges blaſphemis (ſic enim lex eos nuncupat) ideſt, contumelioſis, carcerandis, atque ita ad Regiam Curiam mittendis.

Conducunt auctoramenta, excuſantia à cenſura Canonis, *Si quis ſuadente*, ejectiones, aut præceptiones continendi ſe intra aliqua confinia, factas œconomica auctoritate veluti patris, aut præceptoris, ex *cap.* 1. *§.* 1. *cap. cum voluntate* 54. *§. ult. de ſent. excomm.* aut jure defenſionis. *cap. veniens* 16. junctis *cap. perpendimus* 23. *cap. ut famæ* 50. *in fine de ſent. excomm.* ad rem poſt Cajetanum *in Summa cap.* 10. *verb. excommunicatio.* Suarius *de Cenſuris diſp.* 22. *ſect.* 1. *n* 31. & 48. Sairus *eod. Tract. lib.* 3. *cap.* 27. *n.* 13. & 16. & *cap.* 26. *n.* 16. & de præceptione non exeundi è Palatio, Alphonſ. Leonius *Commun. Concluſ. recollect.* 5. *n.* 157. quos, & alios coacervat, & de quæſtione hac, ex aliorum ſcriptis, in contrarium ſcribit Epiſcopus Hermoſinus, quem, ut eum hiſce conferas, nominamus, *ad cap. Eccleſia* 10. *q.* 35. *de conſtit.* 9

Sed de his pro utraque parte diſſeruimus magis cum Academicis, quam cum Stoicis definimus. Illud pro extrema veluti periodo excurſionis noſtræ, de auctoritate politica erga Eccleſiaſticos, ſerio, & non ſemel monitum volumus, quantumvis ea in huc uſque deductis, elementari quadam ſaltem probabilitate ſubniti videatur, uſum tamen ejuſdem auctoritatis, præſertim in Eccleſiaſticis eliminandis, parciſſime, ac non niſi defecta, aut deſperata Eccleſiaſtici Magiſtratus correctione, quæ tamen ut plurimum deficit. *Clementina un. verſ. potiſſime de offic. ordin.* & urgente Reipublicæ bono, aſſumi, & exeri oportere, quia & œconomica poteſtas patris temperatiſſima, & quæ *niſi magnæ, ac multæ injuriæ patientiam evicerint, niſi plus eſt quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium ſtilum*, ut eleganter Seneca, idem Principi faciendum monens 1. *de Clem. c.* 14. nec diſſimili ſenſu Tertullianus *lib. de Oratione, cap.* 2. appellationem patris in Deo, eſſe *pietatis, & poteſtatis*, & in *Apologet. cap.* 34. de Imperatoribus patriæ patribus, *gratius in illis eſſe nomen pietatis, quam poteſtatis; etiam familiæ magis patres, quam dominos vocari.* Et defenſio ea demum juſta, & inculpata, quæ moderata, & quatenus neceſſaria. *d. cap. ut famæ* 35. *in fin. de ſentent. excommun.* & politicum jus territorii, & temporalium tanto ſecurius, ſanctiuſque, quanto erga Eccleſiam reverentius, & illius jura, immunitatem, libertatem tuetur, promovet. 10

C A P U T XLIX.

Regreſſus ad ſyntagma, de auctoritate politica in matrimoniis, atque ea quando, & quatenus in eis operetur.

A R G U M E N T U M.

DE jure, ac nexu matrimonii ſtatuere, non eſt poteſtatis politicæ, *imo nec* eccleſiaſticæ *ſtatuere, ut matrimonium ſtet ſine conſenſu contrahentium. At* politicis *dominis compellere ad conſenſum in matrimoniis, atque ita eorum libertatem violare inhibetur, tanquam neſarium* Tridentino decreto ſeſſ. 25. cap. 9. *Ei explanande ſimul cum aſſertione, ex utriuſque juris locis de libertate in matrimoniis, diſtinguitur inter libertatem juſtam, & injuſtam, & affirmatur,* decretum, *de libertate non coarctanda, intelligendum de libertate juſta, & rationabili, non autem de abſoluta, & exlege, quæ non libertas, ſed licentia. Quomodo & libertas* chriſtiana *non* de Anarchia, *nec libertas* eccleſiaſtica *intelligenda, de abſoluta in omnibus exemtione à* politicis legibus, *ſed de rationabili, & juſta. Quomodo item* canonicis legibus *coarctata non ſemel libertas, & adacta ad matrimonium juſtis ex cauſis, atque itidem civilibus, non modo arrharum ſponſionibus, ſed interdum pœnis. De quo tamen ſubdubie, & remiſſive.* Tridentinum *anathema* ex dict. ſeſſ. 25. cap. 9. *non pertinet niſi ad* Magiſtratus, *& dominos,* Regibus *inferiores. Expenſum* Tridentinum *aliud* Decretum, *ac de improbata compulſione* politica *ad matrimonia,* Canones *alii, cum* cap. ult. qui Clerici, vel vov. *Jam autem contra irrationabilem licentiam, repugnantem matrimonio, ſi rationabiles cauſæ ad cogendum adſint, non improbatur moderata coactio, quin & probata*

bata olim, *exemplo* Juliæ, Papiæque legum *contra cœlibes* (*ad quas appenſi notabiles loci* Div. Thomæ *&* Novellæ Majoriani *cum* Baronio) *& in coarctatione libertæ ad matrimonium cum patrono*, *ad* l. 28. & 29. D. de ritu nupt. *Exemplum aliud in matrimonio filiifamilias*, *patre rationabiliter agente*, *& præceptione reverentiali*, *quæ conſenſum non excludat*, *ut* in l. 22. *ita vulgo intellecta*, D. de ritu nupt. *non autem ſi per vim præciſam*, *ut in* cap. 11. de ſponſal. l. 21. D. de ritu nupt. *Notata ad rem egregia* lex Partitæ, *& auctoritas* Div. Thomæ. *At quoad* d. l. 21 *non aſſentiendum* Balduino, *&* Gothofredo *ex ea conjectantibus*, *fuiſſe immunes filiosfamilias à pœnis cœlibatus*, *ex* legibus Julia, *&* Papia. *Concluditur cum diſtinctione jam ſignata*, *inter coactionem injurioſam*, *quæ vetita contra libertatem juſtam*, *& coactionem rationabilem*, *quæ permiſſa contra repugnantiam injuſtam*. *Rurſuſque & tandem pro* d. cap. ult. qui Cler. vel vov. *obſervatur frequens abuſus auctoritatis* Politicæ *in coactione ad matrimonia*, *cujus veſtigia* in l. 8. tit. 10. lib. 4. fori leg. & in l. 10. tit. 1. lib. 5. Comp. *& in* Concilio Toletano Can. 10. *& ſimilia apud* Francogallos, *& in* Byzantino Imperio.

1 EX ſuperioribus præfatis elementaribus referimus gradum, & oculos ad aſſertionem illam, de defectu poteſtatis politicæ inter Chriſtianos in matrimoniis, de qua ſupra *cap.* 41. diſtinguimus autem, ſignamuſque duo, veluti primaria capita, ad quæ & ſpeciales illationes redigendæ. Primum de auctoritate politica, quoad jus, ſubſtantiamque, & nexum matrimonii, ſecundum de eadem, quoad abuſus, exceſſuſve contra politicum regimen, in matrimoniis commiſſos. Ergo ut ad primum caput, ſi de jure, nexu, & ſubſtantia matrimonii quæratur, ut id auctoritate, & prohibitione legis politicæ impediatur, vel impedimento dirimenti irritum, ſeu nullum fiat, ſive, ut eadem auctoritate, contra impedimenta canonica diſpenſante, matrimonium ſtet, ac teneat, affirmamus, nequaquam fieri id poſſe lege politica, de quo ex profeſſo, & pluribus ſupra *cap.* 41. Addimus nunc rationis, ex præfato elementari 3. & corollario 1. *cap.* 42. 43. *&* 44. firmamentum catholicum, quia de ſacris, & Sacramentis, quale eſt matrimonium, non eſt fas auctoritati politicæ cenſere, aut ſtatuere: pro quo, ne actum agamus, ſunt in re ſatis *Tridentini Canones* 4. *&* 12. *ſeſſ.* 2. §. *de Sacrament. Matrimon.*

2 Conſequenter his ipſis ſtatuimus, decreta politica, compellentia aliquos invitos ad contrahenda matrimonia, ſi compulſio abſoluta, & præciſa ſit, & ejuſmodi, quæ conſenſum contrahentium excludat, atque etiam eo excluſo ad matrimonium compellat, eſſe omnino nullius momenti, & omnino nefaria, quia ſtatuunt de nexu, & ſubſtantia matrimonii, quod nefas eſt auctoritati politicæ, ut nuper traditum, & hoc amplius, quia ut matrimonium ſit, & ſtet, ſine conſenſu contrahentium, nec ſuprema eccleſiaſtica auctoritate decerni poteſt, ut, poſt Victoriam *Relect.* 7. *de matrim. part.* 1. *num.* 7. ex aliis D. Covarruv. *de Sponſal.* 1. *part. cap.* 4 *num.* 4. *& part.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. Matienzus *in Rubr. num.* 28. *& in l.* 1. *gloſſ.* 2. *tit.* 1. *lib.* 5. *Compil.* ex laudato etiam *Tridentini Canone* 12. *ſeſſ.* 25. *de Matr.* Sanctius *lib.* 2. *Diſput.* 27. *num.* 2. Baſil. *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 8. Greg. Valent. *tom.* 4. *Diſp.* 10. *quæſt.* 3. *puncto.* 1.

3 Sed ſi compulſio non ſit præciſa, ſed, ut vocamus, cauſativa, quo ſenſu fere inter vim, & vim diſtinguitur *in cap. de muliere 6. de ſponſalibus*, ſed vis, per quam tametſi coacti matrimonio conſentiant, juxta vulgares *Textus*, *l. ſi mulier* 21. §. *penult. in fine*, *D. quod metus cauſa. cap. majores* 3. §. *ultim. verſ. propter quod*, *de Baptiſmo*, juncta *l. ſi patre* 22. *D. de ritu nuptiar.* (de cujus tamen recto intellectu opportunius nos infra *hoc capite*) eſſe etiam compulſionem illicitam, & interdictam dominis, ac Magiſtratibus temporalibus, ſub pœna anathematis, & quidem ea ratione, *quia maxime nefarium ſit*, *matrimonii libertatem violare*, decernitur his ipſis verbis in prælaudato *Can.* 9. *ſeſſ.* 25. *Trident. de Reform. matr.* ex quo & intra illos terminos, novi Theologi, & Juriſperiti, inferius laudandi.

4 Enim vero, ut generalis illa regula, & ratio, non violandæ libertatis matrimonii, & Tridentinus ipſe Canon, intelligantur ſobrie, & ſcienter, ut & intelligi neceſſe eſt, pro ſecundo capite diſtinctionis initio ſignatæ, & illationum, quæ ſuperſunt, animadvertiſſe oportebit, aſſertionem de matrimoniis libere contrahendis, ſive de libertate in his, de qua quoties de eccleſiaſticis & civilibus legibus, exaudiendam eſſe de libertate juſta, & rationabili, quam vel violari, vel coarctari injurium, & nefarium eſſet, ut *Tridentinus Canon* ait, & cui potius faveri, Canones, & leges volunt. *cap. requiſivit* 17. *cap. cum locum* 14. *de ſponſal. cap. pen. & ult. de ſec. nupt. l. ult. in fine Cod. de ſponſal. l. neque ab initio* 14. *l. nec filium.* 12. *Cod. de nupt. l.* 2. *Cod. de inutil. ſtipul. l. non cogitur* 21. *l. invitam* 28. *D. de ritu nupt. l. Titia* 134. *cum l. ſi ſtipulatio* 19. *D. de verb. oblig. l Titio* 71. §. *Titio* 1. *D. de condit. & dem. l. ſed quæ* 12. §. 1. *D. de ſponſal. l. unica Cod. ſi Rector provinc. l. un. Cod. ſi quacumque præd. pot. l. Præfectus* 63. *D. de ritu nupt. l.* 39. *tit.* 11. *part.* 5. *l.* 1. *tit.* 11. *part.* 4. quippe *nuſquam libertas tam neceſſaria*, *quam in matrimonio eſt*, ut Quintilianus olim *Declam.* 257. & liberum debet eſſe ejus rei arbitrium, ut Latro apud Senecam 1. *Controv.* 6. Et apud Livium in 4. Canuleius, *privatorum conſiliorum ubique ſemper fuit*, *ut in quam cuique fœminæ conveniſſet domum*, *nuberet*: *ex qua pactus vir eſſet domo*, *in matrimonium duceret*.

Non autem de libertate abſoluta, irrationabili, & exlege ad quæcumque matrimonia, quia ea non libertas, juxta definitionem libertatis, *l.* 4. *D. de ſtatu hom.* ſed effrænis licentia eſſet, *quam ſtulti libertatem vocant*, ut alibi auctor *Dialogi de Oratoribus*. Sicut libertas chriſtiana, ſi intelligeretur de exemtione à jugo legum, cum excluſione imperii politici, non eſſet libertas, ſed Anarchia enormis, & damnabilis, ut olim Judæ Galilæi, & hodie Anabaptiſtarum: in quos nunc ſatis D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 6. *ad* 1. & libertas Eccleſiaſticorum intelligitur, ne eis quidquam adimatur, quod ſpeciali, aut communi jure competit. *cap. ult. de Immun. Eccl. in* 6. non autem de irrationabili exemtione ab omnibus politicis legibus, quæ non libertas eſſet, ſed velamentum malitiæ, ut ſupra jam, ex ſacro Textu Petri *Epiſt.* 1. *cap.* 2. *verſ.* 16. & ut tandem pronunciem, libertas illa, per quam, ut Epictetus apud Arrianum 4. *Diſſert.* 1. *quis vivit*, *ut vult*, *qui nec cogi*, *nec prohiberi*, *nec vim pati poteſt*, ſtoïca, & paradoxa, aut paraloga libertas eſt, non juſto-politica, utpote non excipiens Perſianum illud, quod *Maſſuri rubrica vetavit*. 5

Proinde & ſic exlegem licentiam in matrimoniis jus non concedit, ſed coërcet, *princ. Inſtit. de nuptiis*: ut conſtat ex tot legibus connubialibus, impedientibus libertatem ineundi matrimonia eiſdem prohibita, unde & edictum de matrimoniis, dicitur prohibitorium. *cap. cum apud* 23. *de ſponſal.* Conſtat item ex aliis Eccleſiæ Canonibus conſtringentibus libertatem, & compellentibus ad aliqua matrimonia contrahenda juſtis ex cauſis eos, qui irrationabili libertatis abuſu illa detrectant; ut in exemplis *cap. ex litteris* 10. *in fine*, *de ſponſal. cap.* 1. *&* 2. *de adulter.* Tametſi compulſione non abſoluta, ſed temperata, quo magis præcaveantur difficiles exitus coactarum nuptiarum, ut eſt *in cap. requiſivit* 17. juncto *cap. cum locum* 14. *& cap.* 2. *de ſponſalib.* quibus componendis, judicioſe ita in re diſtinguit noſter Baſilius Legionenſis, *de Matrimon. lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. *num.* 30. *& lib.* 4. *cap.* 19. *numer.* 7. & ex aliis Ramon, *Conſ.* 95. *numer.* 84. P. Gregorius *in cap.* 1. *num.* 84. *de ſponſalibus*. Sanctius *de Matrimon.* 1. *diſp.* 29. *& lib.* 4. *diſp.* 13. & ante eos in ſpecie, 6

Panormitanus *de compulſione per Magiſtratum civilem, in dict. cap. ex litteris 4. de ſponſalibus.*

7 Quemadmodum eadem ratione, quamvis fuerit antiquæ obſervantiæ, & morum civilium, libertatem matrimonii non adſtringi metu pœnæ conventionalis. *l. 2.* illic: *antiquitus placuit. Cod. de inutil. ſtip. l. Titia 134. D. de verb. oblig.* tamen ad matrimonia deſponſa implenda, coarctabatur libertas pœnis legum dupli, aut quadrupli Arrharum. *l. patri 6. Cod. Theod. de ſponſal.* juncta *l. pen. verſ. quæ omnia Cod. Juſt. eodem tit.* & quod præter communem ſenſum eſt, pœna etiam conventionali, ſi deſpondentibus placuiſſet, in caſum injuſtæ detrectationis. *dict. l. pen. verſ. quæ omnia*, illic: *Niſi ſpecialiter, aut teſtamentarie*, ut cum ſelecto ad rem textu, ad hunc caſum referendo, *in §. ult. Inſtit. de legat.* de quo alibi, & aliter. Eman. Coſta *in §. ſi arbitratu ampliat. ultim. num. 45.* Non antem ſi irrationabilis coarctatio libertatis, & pœna ſit, ut in ſponſalibus initis ante ſeptennium, quæ ſpecies eſt *cap. Gemma 29. de ſponſal.* ubi Oſtienſis, juncta *l. in ſponſalibus 14. D. eod.* vel contra eum, per quem non ſtetit, quominus ſponſalia implerentur, ut *in d. l. Titia 134.* quam ita exsudio, *D. de verb. obl.* ubi & obſerves, velim, pœnam mero jure ſubſtitiſſe, ſed excludi doli exceptione, ne exerceatur injuſte, ex ratione *l. patri 4. in fine, l. patri 6. in princip. Cod. Theodoſ. de ſponſ. l. 2. & 3. Cod. Juſtin. eod. tit.* De queis, præter vulgarem ſenſum, & in tranſcurſu motis, nec deciſis, ſimul cum *dict. l. Titio 71. §. 1. l. hæres 79. §. ultim. D. de cond. & demonſtr. l. 2. Cod. de contr. inſt. l. reprehendenda 5. Cod. de inſtit. & ſubſt. Novella 18.* Leonis Philoſophi, Servio Sulpicio apud Agell. 4. *Noct. Attic. cap. 4.* Plauto *in Pſeudolo*, cum ſimilibus, poſſem ex juris arte pluribus. Aſt non vacat, & tantiſper ſit ſatis collaudaſſe pro inſinuata diſtinctione, Franc. Suarium *tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 23 num. 5.* & poſt eum, & Vaſquium, atque alios, explicite noſtrum Baſilium *de Matrim. lib. 12. cap. 19. num. 6. & ſeq.* pro multis noſtrum item Emanuel. Gonzalium ad *cap. Gemma 29. de ſponſal.*

8 His ſuppoſitis, ut regrediamur ad Tridentinum Canonem, ſubinferimus, non licere auctoritati politicæ, etiam ſupremæ, adigere pœnis, & minis ad matrimonium ſine juſta cauſa, quia id eſſet contra libertatem juſtam, & rationabilem matrimonialis conſenſus, quam injuſte violari, & coarctari, nefarium, & injurium eſt, idque ex ratione huc referenda, *dict. Can 9. verſ. quare, ſeſſ. 25. Trident.* quæ ſane ratio ſic expoſita, de injurioſa compulſione, congruit ſimilibus Tridentini verbis *ſeſſ. 24. cap. 1.* ibi: *Matrimonium malitioſe impediri*, referri, & aptari poteſt etiam, ad ſupremam auctoritatem politicam, quia nec ei fas eſt, per injuriam violare libertatem matrimonii: & improbata pridem ſunt eccleſiaſticis, & politicis legibus decreta, reſcriptave Principum, quibus abſque juſta, gravique cauſa nuptiæ invitæ petuntur, præcipiunturque, ut eſt in Concilio Pariſienſi 3. ſub Childeberto *Can. 6.* (ubi & *Can. 5.* & in Aurelian. 4. *Can. 22.* poſtulationes iſtæ nuptiarum citra voluntatem, vocantur *competitiones*) ut in ſimili *Novella* Theodoſii *de competitionibus*; & in Concilio Aurelianenſi 4. ſub Vigilio *Can. 22.* ex quo Gratianus *in cap. nullus 6.* illic: *Aut Regis beneficio*, 36. *quæſt.* 2. & Honoriana inſigni *l. un. in princip. Cod. ſi nupt. ex reſcr. pet.* cujus priorem hanc partem Jac. Gothofredi commentatio indotatam reliquit. Juncto Hiſpanis noſtris notabili, *cap. ultim. qui Clerici, vel voventes*, illic: *Obteſtatione Regia.* Et poſtea: *Quod ſequens conjunctio iniqua fuit, & violenter extorta.* De quo ad rem conſulendi, quo tempore hæc relegimus, in lucem dati, & hiſtorica nova luce eum textum donantes, inſignes commentarii noſtratis D. Emanuelis Gonzalii *ad Decretales in dict. cap. ultim.*

9 At in propoſito, de improbata ejuſmodi compulſione injurioſa, & abuſu regiæ poteſtatis, vel Procerum in matrimoniis, ſunt *regiæ leges noſtræ 9. & 10.* ubi Matienzo, & Acevedo, *tit 1. lib. 5. Comp.* &, quoad Neapolitanos, pragmatica ſanctio Caroli V. quæ eſt 9. *de Baronibus*, ad quam plura Rovitus, Novarius, & Capiblancus, *tract. de Gratam. Vaſſallor.* Taſſon. *ad Pragm. de antefato verſ. 3. obſerv. 4. num. 112. & verſ. 8. obſ. 2, num. 123.* & de ſimili Galliæ lege in Comitiis Blæſenſibus, Petr. Gregor. *lib. 9. cap. 1. num. 46. & 50.* & ex eo Sixtinus *de Regalibus lib. 2. cap. 11. num. 83.* Maſtrill. *de Magiſtr. 5. cap. 6. num. 119.* Baſilius Legion. *de Matrim. 4. cap. 19. num. 16.*

Ultra quæ, utcumque in commune certa ſint, tamen pro explorato habendum eſt, proprie Decretum illud Tridentinum, & anathematis pœnam, non pertinuiſſe niſi ad Magiſtratus, & temporales dominos, regia majeſtate inferiores, abutentes juriſdictione ſua, contra eidem ſubditos, in compellendis eis invitis ad matrimonia cum perſonis, quas Magiſtratus illi, aut domini præſcribunt. ut liquet ex contextu illius Canonis, & prænotaront, poſt Guterrium 1. *Canonic. quæſt. 20. num. 31.* Sanctius *d. lib. 2. Diſp. 27. num. 3. & lib. 4. diſp. 22. num. 9. & 10.* Baſil. *dict. lib. 4. cap. 9. num. 16.* Molina *de Juſt. Diſp. 176. num. 30. in fine.* 10

E contrario ex eiſdem ſuppoſitis cenſemus, ſi compulſio ad matrimonium fiat ex juſta cauſa, & moderatus imperio, ac mediis, non improbari, nec interdici eam, ſupraſcripto Canone Tridentino, neque illicitam eſſe, ſaltem ſupremæ auctoritati politicæ: quomodo & cenſent nuper laudati Sanctius, & Baſilius, & ante eos Henriquius *in Summa lib. 11. cap. 6. & 7.* Joannes Lorinus *ad lib. Numer. 2. tom. cap. 36. verſ. 6.* & ex Juriſperitis, Gloſſa, & Panormitan. *in dict. cap. ult. qui Clerici, vel vovent.* Gutierrez *de Matr. cap. 79. num. 5. & ſeq* Marta *de Succeſſ. Legali, 1. part. quæſt. 26. art. 5. num. 9. & 32.* 11

Quam aſſertionem, præter tradita nuper, de inoffenſa libertate matrimoniorum, quoties ex rationabili cauſa, & rationabili modo conſtringuntur, communire licet, in primis exemplo, & argumento ex *legibus noſtris Julia, & Papia*, quibus ad matrimonia omnes compellebantur, & cœlibes eſſe prohibebantur, additis caducorum pœnis, & quidem adeo ſine injuria libertatis illius Romanæ, & antiquæ matrimoniorum, de qua *in dict. l. 2. Cod. de inutil. ſtip.* ut potius haberentur noſtræ leges inter fundamenta Reipublicæ, ut ex Panægyriſta, & aliis præmonuimus ſupra *lib. 1. cap. 3. & 6.* & quanquam poſtea eædem, quoad pœnas cœlibum, & coactionem ad matrimonia, correctæ ſint à Conſtantino *in l. unic. Cod. Theodoſ. de infirm. pœn. cœlib. lib. 1. Cod. Juſtin. eodem*, in favorem chriſtiani cœlibatus, & virginitatis, quam cauſam memorant Euſebius 4. *de Vita Conſt. cap. 26.* Sozomen. 1. *Eccleſ. Hiſtor. cap. 9.* Nicephorus 7. *cap. 46.* non tamen quaſi injuſtæ, & injuriæ contra libertatem cœlibum, affectato, neque pudico cœlibatu matrimonia detrectantium, ut agnoſcit fere magnus Baronius *tom. 3. ad annum 320. num. 5. & ſeq.* 12

Conducit, & accedit ignota vulgo, & vel poſt Conſtantinum, & Honorium, noſtrarum *legum Juliæ, Papiæque* in cœlibes, veluti appendix, *Novella* Majoriani 8. *de Sanctimonialibus*, qua inter alia ſtatutum, viduam minorem quadragenaria, & prole deſtitutam, debere intra quinquennium nubere, nec poſſe in viduitate affectata permanere, alioquin teneri, poſt quinquennium, pœna cedendi dimidiæ partis patrimonii fratribus, aut eorum propinquis, & eis deficientibus Fiſco: quam Conſtitutionem, perlatam ſuadente Leone Magno, Pontifice Sancto, & Summo prænotavit aliud agens Baronius optimam, & Chriſtiano Cæſare dignam cenſens, *tom. 6. ad ann. 458.* Tandemque, & quem ad rem obſerves merito, & expendas, Div. Thomas, fere ad leges noſtras reſpiciens, nec tamen eas abſolute improbans *2. 2. qu. 152. art. 2. arg. 3. & ad 3.* 13

Deinde & hanc aſſertionem, de auctoritate poli- 14

tica ad rationabilem, moderatamque compulſionem ad matrimonia, communimus exemplis aliis, ex noſtris legibus, quale illud, ut quamvis libertam invitam non poſſit patronus abſciſe, & abſolute ad matrimonium ſuum cogere. *l. invitam* 28. *cum l. ſeq. D. de ritu nuptiar.* poteſt tamen ex juſta cauſa, nempe eam libertam, quam patronus ideo manumiſit, ut uxorem duceret, urgere patronali jure, ut ipſi, neque alii nubat, ut ſubjungitur, ex Ulpiano *libr.* 3. *ad Juliam, & Papiam, in l. quod & Atteius* 29. *l. proxime* 50. *cum l. ſeq. D. de ritu nuptiar.* quo item ſenſu, ex eiſdem legibus, liberta invita in matrimonio patroni retinetur. *l. ultim. D. de divort. l. unic. §.* 1. *D. unde vir, & uxor. l. in eo* 45. *§. ultim. cum ll. ſeq. Dig. de ritu nuptiar. l.* 1. *&* 2. *Dig. de concub. l. & ideo* 62. *§.* 1. *D. de donation. inter. l.* 1. *Cod. de inceſt. nupt.*

15 Quale item exemplum filiifamilias eſt, quem poſſe à patre cogi ad matrimonium, & quidem certum, ex juſta cauſa, & paterna præceptione, ac increpatione inductiva, quæ tamen non ſit abſolute coactio, neque inſerat metum, cadentem in conſtantem virum, exprimitur pereleganter, *Regia noſtra l.* 50. *titul.* 1. *part.* 4. illic: *Non las puede apremiar, que lo fagan, de todo en todo, como quier que les pueda dezir palabras de caſtigo, que lo otorguen.* Nec diſſimiliter, & Angelico, ut ſemper, Magiſterio, Divus Thomas *in Addit. ad* 3. *partem, quæſt.* 47. *artic.* 6. illic: *Pater non poteſt cogere filium ad matrimonium per præceptum, cum ſit liberæ conditionis, ſed poteſt eum inducere ex rationabili cauſa, & tunc ſicut ſe habet filius ad cauſam illam, ita ſe habet ad præceptum patris, ut ſi cauſa illa cogat de neceſſitate, vel de honeſtate, & præceptum ſimiliter cogat, alias non.* Queis conſequenter noviores Theologi, & poſſe à patre filios (qui alioquin virginalem ſtatum non præeligant) cogi auctoritate paterna ex juſta, ac neceſſaria cauſa, ad matrimonium; & filios patribus debere in eo obtemperare, ſaltem ex vi honeſtatis, ut *in cap.* 1. *in fine*, juxta communem intellectum *de Deſponſat. impub. cap. tua Sanctitas* 2. *in fine* 31. *quæſt.* 2. & niſi tunc obtemperent, peccare docent, deducuntque diſtincte Bellarminus *libr.* 1. *de Matrimon. cap.* 19. *§. ultim.* & ex eo, & Soto, Sanctius 4. *Diſputat.* 22. *numer.* 4. *& diſputat.* 23. *num.* 2. *&* 4. *cum ſeq.* poſt alios Henriq. *dict. libr.* 11. *cap.* 6. *num.* 6. *&* 5. *litter. F.* Sairus *in Clavi Regia, lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 12. Gutierr. *de Matrim. cap.* 79. *num.* 16.

16 Secundum quæ & ex his accipiendum eſt, quod elicitur ex *l. ſi patre* 22. *Digeſt. de ritu nuptiar.* filium, qui, patre cogente, uxorem duxit, quam ſuo arbitrio non duceret, tamen matrimonium contrahere, quod alioquin inter invitos non contrahitur, quia non omnino invitus fuit, ſed coactioni patris cedens, maluiſſe matrimonium videtur, nempe ubi coactio fuit dumtaxat præceptiva, & reverentialis, voluntatem filii inducens, quæ neque conſenſum excludit neque libertatem coarctat irrationabiliter, quomodo eum textum explicat vulgus veterum, & noviorum, poſt Covarruv. Cujac. & alios, apud Hillig. *ad Donell.* 13. *Com. cap.* 20. *litt. K. & A.* Sanctius *de Matrimon.* 4. *Diſputat.* 6. *numer.* 7. *& ſeq.* Auguſt. Barboſ. *in Collectan. ad cap. ex litteris* 11. *numer.* 2. *de deſponſ. imp.* Alberic. Gentil. 3. *de Nupt. cap.* 11. Petr. Faber *ad l.* 4. *Dig. de Regul. Jur.* Pacius *Cent.* 2. *quæſt.* 67. Henric. Caniſ. *in cap. Veniens* 14. *numer.* 11. *de ſponſal.* ubi & noviſſime *num.* 9. noſter Eman. Gonzalius, quamvis aliter, & implicite Baſil. Legion. *de Matrimon.* 2. *cap.* 5. *num.* 11.

17 Non tamen ſi coactio fuerit per minas, & metum cadentem in conſtantem virum *cap. ex litteris* 11. *de Deſponſat. impub.* juncta *l. penultim. in fine, Digeſt. de furtis.* Et multo minus per vim præciſam, ſive abſolutam, per quas compelli ad matrimonium filios invitos, eſſet contra libertatem juſtam matrimoniorum, & contra diſciplinam legum *l. nec filium* 12. *l. neque* 14. *Cod. de Nupt. l. non cogitur* 21. *D. de Ritu nuptiar.* quæ eſt ex *libr.* 3. Terentii Clementis *ad leges Juliam, & Papiam*, atque eo referendum, ut non teneretur filiusfamilias, nec cogatur ad matrimonium legibus illis, & pœnis cœlibatus, tentavit dubitanter Balduinus in *Commentario* [illegible] *leges noſtras*, & poſt eum Jac. Gothofredus *ad eaſdem leges, in Julia de maritandis pag.* 277. queis favere videbitur, ex eodem *lib.* 3. Terentii Clementis, ad pœnas cœlibatus pertinens *lex non oportet* 52. *D. de legat.* 2. quanquam nec minus commode referri poſſit ad connubialem tractatum, de quo Terentius idem *eodem libro, in l. ſive* 61. *D. de Jure dot.* & in aſſini ſpecie, Ulpianus *libro itidem* 3. *in l. quod & Atteius* 29. *D. de Ritu nupt.* ſitque omnino vel verius, vel vero ſimilius, non fuiſſe exemtos filiosfamilias à legibus, cogentibus ad matrimonia, & pœnis cœlibatus, ut conjectari, licet, *ex l. ſæpe* 17. illic: *Vel mortes parentum, Dig. de Sponſal. l. dotem* 16. inibi: *Nam hæreditas adventitio jure quæritur, D. de caſtr. pec. Princip. Inſtitut. de nupt.* de quibus ſingulis, & aliis alibi.

18 Illud utique ex duobus hiſce exemplis licitæ ex juſta cauſa paternæ, aut patronalis coactionis, reverentialis, & moderatæ erga filium, libertamve ad matrimonium, inferimus, licere ex juſta cauſa hoc ipſum ſupremæ auctoritati politicæ, erga ſubditos, quæ vel gravior eſt patronali, & paterna, vel par & ſimilis, quatenus œconomica *l.* 3. *&* 4. *Cod. de patr. pot. l. un. Cod. de Emend. prop.* de queis abunde ſupra *cap.* 47. & concludimus pro primo hoc capite diſtinctionis initio poſitæ, quantumvis nefas ſit auctoritati politicæ, de jure, & ſubſtantia matrimonii ſtatuere, & ad illud præciſe cogere, ſit injurium libertati illius, quæ duo decreta ſunt Trid. Canonis 4. *&* 12. & *cap.* 1. *de Reformat. Matrimon. ſeſſ.* 25. tamen licere eidem ſupremæ auctoritati, ex juſta, & gravi cauſa, & moderata coactione, & mediis ad matrimonium inducere: in quem ſenſum explicabilis eſt obteſtatio illa regia prima, cujus meminimus ex *cap. ultim. qui Clerici, vel vovent.* utpote à qua deinde Regem Legionenſem, certioratum de repugnantia mulieris, deſtitiſſe, & vetuiſſe, ne cogeretur, liquet ex integro contextu illius Decretalis in 3. *Compilat. libr.* 4. *titul.* 5. apud Antonin. Auguſtinum, & inter Innocentii Decretales, editionis Colonienſis *lib.* 4. *Conſtitut.* 11. tametſi rurſus poſtea elicita, per ſubreptionem, à curiali quodam, & repetita regia juſſio, unde & iniqua, & violenter extorta, ſequens conjunctio dicitur, *in dict. cap. ultim. in fine*, ubi & *fieri hoc nimis ſæpe, nec faciendum eſſe*, Oſtienſis prænotavit.

19 Et ſane in hiſce injurioſis coactionibus vetus, frequensque abuſus fuit, & flagitium regiæ dominationis, & aulicæ paraturæ. Ut indicat *lex* Viſigothorum 11. *titul.* 3. *libr.* 2. *in Codice leg. antiq.* illis verbis: *Qui puellam ingenuam, vel viduam, abſque regia juſſione, marito violenter præſumpſerit tradere.* Quibus concinit, atque inde illuſtrandum Aſyndethon illud *l.* 8. *titul.* 10. *libr.* 4. *fori legum*, ubi, poſt indictam mulctam, adigentibus fœminas violenter ad nuptias, ſubjungitur: *Pero ſi alguno lo fizieſſe por mandado del Rey, no peche la calonna.* Cui addenda *lex* 10. *titul.* 1. *libr.* 5. *Compilat.* Eodemque reſpiciens *Canon* 10. Concilii Toletani 3. illic: *Annuente Domino noſtro glorioſiſſimo Reccaredo Rege*; atque ex eo Textus *in cap. hoc Sanctum* 16. apud Gratianum 16. *quæſt.* 3. Et inferiore ſæculo præcautio decima Comitiorum Matritenſium ſub Henrico III. ne Regii tunc Tutores, Rectoreſque regnorum commendatitias litteras darent pro matrimoniis aliquot ineundis, ut memorat Gonzalius Davila *in Hiſtor. Henr. III. cap.* 7. Indicat item apud Francogallos ſceleſtum illud Audarchii, de quo Gregorius Turon. *libr.* 4. *Hiſtor. cap.* 47. & ad rem pertinentes, ex Concil. Pariſ. 3. *Can.* 6. Aurelian. 4. *Can.* 22. Turon. 2. *Can.* 20.

20 Denique in Græcanico Imperio, ex arcana Hiſtoria Procopii, illud, de Juſtiniani Theodora, *pag.* 77.

77. *Connubiale jus totum penes ſe eſſe voluit: Nullus ante nuptias ſponſus voluntarius; ſubito cuique conjux hæc erat, non quæ (ut vel barbaris uſu venit) cuique placeret, ſed quæ Theodoræ. Hæc & puellis erat ſubeunda fortuna, ut in matrimonium invitæ viros acciperent.*

CAPUT L.

De auctoritate politica, contra abuſus, exceſſuſve in matrimoniis, publicæ rei noxios.

ARGUMENTUM.

L*Icuit, licetque hodie politico imperio, ſalva, & ſervata* Eccleſiæ, *de jure, & nexu matrimoniorum, cenſura, abuſus ea contrahentium publice noxios cohibere, & corrigere. Stant pro ea aſſertione graves* Theologi, & Juriſperiti, *& ratio illa, quia niſi id liceret poteſtati politicæ, quoad abuſus diſcretos à ſubſtantia matrimonii, manſiſſet inſufficiens poteſtas ad ſuum finem, & diminuta in eo per* Chriſtum Dominum, *contra præfata* cap. 42. *Illatio inde ad nuptias viduæ, intra annum luctus, quarum prohibitio, & pœna ſubſtitit, utpote ex honeſtis, juſtiſque cauſis, & ſine irritatione ſubſtantiæ nuptiarum, ſolo immaturitatis earum, & libertatis abuſu coërcito politica lege, eique ſtandum etiam, poſt* Pontificias leges Urbani, *&* Innocentii, *ſcripſit* Baldus, *& cum eo alii, non* heterodoxi: *id ſaltem liquet, prohibitionem illam, & pœnas viguiſſe ex legibus* Chriſtianorum Cæſarum, *utriuſque* Imperii, *& in* Hiſpania Wiſigothorum, *uſque ad* Henrici III. *legem, non repugnante* Italiæ *obſervantia, ſi* Odofredo *fides; an &* Gratiano*? Advocata pro re, & perpenſa* Epiſtola Pauli 1. ad Corinth. cap. 7. *&* Græcæ Eccleſiæ *ſeveritas, contra tertias, & ulteriores nuptias. At rurſus pro* Urbano, *&* Innocentio, *expenſa* Pauli Epiſtola, *&* Gratiani *locus, & ratio præferendæ* legis canonicæ, *ob excelſiorem finem vitandi peccati. Conſequens illatio eſt ad nuptias* Præfecti *cum provinciali fœmina; & tutoris cum pupilla; & famuli cum filia patroni, quarum prohibitiones, & pœnæ tenuere ex civilibus legibus, coërcentibus mali exempli abuſus, inoffenſo matrimonii nexu, & libertate juſta. Et eaſdem ſuſtineri hodie licite, cenſetur probabiliter, utcumque aliter aliud cenſentibus. Proxima illatio eſt, & ſimilis cenſura, de nuptiis filiorumfamilias, invitis patribus, quæ tametſi validæ ſint, & ſemper fuerint, tamen & improbabilis ſemper fuit veteri, & novæ* Eccleſiæ, *&* Tridentinæ Synodo, *abuſio libertatis in eis contrahendis cum inobedientia patrum: quam abuſionem juſte plecti temporalibus pœnis, per leges politicas, plurium, & cordatiorum ſenſus eſt, quamvis & in contrarium plures: ſunt & ſequelæ veluti illationes, ad prohibitiones connubiorum ex noſtris* legibus Julia, *&* Papia, *& ex cauſis politicis, quæ aliquatenus permanſere, & aliquot ſæculis non improbatæ* Eccleſiæ legibus, *donec tandem deſitæ magis, quam eis derogatum: item ad prohibitiones politicas* Romani *connubii cum peregrinis, & poſtea cum barbaris, & in quibuſdam* Italiæ *urbibus cum exteris, ſive extra territorium; &* Neapolitanorum Baronum *ſine regio aſſenſu; & apud nos militarium* Equitum, *ſine venia magni Magiſtri; & in* Luſitania, *mulierum* Regiæ Coronæ *terras poſſidentium. De queis ſingulis patrii* ſcriptores. *Eſt denique veluti ſequela ejuſdem politicæ auctoritatis, interventus illius, & uſus in ſequeſtrandis nobilibus, atque orbatis fœminis, ne indigne nubant: Juxta* l. 1. 18. & 20. Cod. de Nupt. *Praxis in eo re, mandatorum* Regii *noſtri* Senatus, *mulctandi, puniendique politico imperio, ſi eo ſpreto, &* Senatu *inconſulto, inconſultæ nuptiæ ineantur.*

1 PErgimus ad ſecundum veluti quæſitum diſtinctionis, propoſitæ initio ſuperioris Capitis, an ſcilicet, & quid, & quando liceat auctoritati politicæ, circa abuſus, exceſſuſve, contra politicum regimen in contrahendis matrimoniis commiſſos; prænoſcemus, & affirmamus in primis, quantumcumque illicitum ſit, & nefarium de ſubſtantia, jureque matrimonii, ſive an valuerit, aut non, judicare, aut ſtatuere, vel libertatem illius impedire, politico imperio, tamen licere eidem, ſalva, & cenſuræ Eccleſiæ relicta matrimoniorum ſacra ſubſtantia, abuſus, & culpas in eis contrahendis, publice exemplo, aut re nocituras, politicis legibus prohibere, & punire. Quam aſſertionem in univerſum, & quoad ſpeciales, præcipuaſque illationes, de queis poſtea, agnoſcunt, præ aliis, Domin. Sotus in 4. *Sentent. diſt.* 29. *quæſt.* 1. *art.* 4. *ad* 4. expedite, & diſerte P. Molina *de Juſt. Diſp.* 176. *ex num.* 20. & 26. Legion. *de Matr. lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. *num.* 9. Petr. Gregor. in *cap.* 1. *num.* 73. & 78. *de Sponſal.* Franciſcus Salern. *Conſil.* 15. §. 3. *lib.* 1. Rebellus de *Oblig. Juſt.* 2. *part. quæſt.* 14. *ſect.* 29. & ante eos, politice, & eximie ex Juriſperitis, Baldus in *l. omnem num.* 15. *Cod. ad S. C. Tertyll.* & in *l.* 1. §. *jus naturale num.* 4. *D. de juſt. & jure.* Gregorius Lopez, Baldum in aliis locis, & alios laudans, quamvis ipſe in extremo, ut ſolet, cavens, & cogitans in *l.* 1. *gloſſ.* 5. *tit.* 5. *part.* 1. Petrus Barboſ. in *l.* 1. *part.* 4. *num.* 36. & 37. *D ſoluto matr.* atque inferius ſigillatim laudandi, de matrimonio filiorum ſine aſſenſu patrum, utcumque alii aliter cenſeant.

2 Nobis, ut in commune ſtemus pro aſſertione propoſita, ſuadent ſatis præfata illa elementaria; tum quia, quamvis poſt Chriſtum Dominum ſacris, & Sacramentis, Eccleſiaſtico Principatui reſervatis, & matrimonii contractu ad Sacramentum elevato, non potuit de illius ſacro jure, valide contrahendo, aut diſtrahendo, auctoritate politica decerni, ut docuimus ſupra, non fuit tamen præjudicatum eidem auctoritati, quoad prohibitionem, punitionemve abuſuum, á contrahentibus commiſſorum in re connubiali, contra Reipublicæ bonum, & regimen, quorum, utpote à Sacramento diſcretorum, & temporalium cognitio, & coërcitio eſt Principatus politici, cui ſi ea negaretur, poſſet videri ei ademtum per Chriſtum Dominum, de ſuo jure temporali, & maneret inſufficiens poteſtas politica ad ſuum finem, prohibendi, & puniendi publico ſtatui nocentia, quorum utrumque abſurdum eſſet, & contra primum, tertium, quartumque præfatum, de queis ſupra *cap.* 42. tum etiam quia circumlatorium illud, de liberis matrimoniis, eſt accipiendum de libertate juſta, & rationabili, non de enormi, & exlege, ut diſſeruimus proximo *Capite*; tum denique quia Eccleſia, dum matrimonia quædam valida eſſe decernit, non eo ipſo approbat contrahentium abuſus Reipublicæ noxios, quin potius illos, aut per ſe prohibet, & punit, ut in matrimoniis clandeſtinis, validis ante Tridentinum *cap.* 3. §. *ultim. de Clandeſt. deſponſ.* vel deteſtatur, & impune eſſe non vult, ſaltem poteſtati politicæ, de quo jam ſpecialiter magis.

Cui aſſertioni tanquam firmamenta, & appendices ſunt, illationes quæ ſequuntur. Prima, civiles politicas leges, quibus viduæ, intra annum luctus nubentes, coërcebantur infamia, aliiſque pœnis, ſtetiſſe ſuo jure, & aliquot ſæculis, etiam ſub Chriſtianis Principibus, ſaltem ante Urbani, & Innocentii *Decretales in cap. penult. & ultim. de ſec. nupt.* Idque ex elementaribus jam præmiſſis, nempe quoniam civiles leges non de jure, & ſubſtantia nuptiarum viduæ intra annum luctus ſtatuebant, neque eas irritas, aut diremtas volucre, quas imo validas ſupponebant, ut *in l.* 1. *Cod. de ſec. nupt.* neque libertatem nubendi abſolute, & irrationabiliter coarctabant (quod & hactenus, ut prædiximus, illicitum) ſed intra breve tempus anni, & ex honeſta, & rationabili cauſa. Ut in *l. ſed ſi hoc* 62. §. *ult. D. de cond. & dem. l. quæſitum* 31 *D. qui, & à quibus*, cum traditis ex communi à Sanctio 1. *de Matrim. diſp.* 3

diſp. 34. *num.* 35. *& ſeq.* juſtto, & digno qui in re expendatur, & obſervetur, *Can.* 44. *verſ. & ab hac* Concil. Pariſ. 6. quales cauſæ illæ erant, præcavendæ turbationis ſanguinis, & incertitudinis prolis, & obſervantiæ luctus debiti defuncto marito *l. liberorum* 11. *§.* 1. *& ſeq. D. de his, qui not. inſ. l. ſancimus* 53. *§. ult. verſ. non audente, Cod. de Epiſc. & Cler. l. conſenſu* 8. *§. hæc niſi, in fine Cod. de repud. l.* 1. *in princip. Cod. de ſec. nupt. l. ſi qua* 4. *in princip. Cod. ad S. C. Tertyll.* Sed, ſalva nuptiarum ſubſtantia, &, ut ſic dixerim, conſiſtentia, immaturam earum feſtinationem, & libertatis abuſum, contra honeſtatem, bonoſque mores, memoratis cauſis nitentes, coërcebat auctoritate politica, quod ei licuiſſe, & licere, etiam poſt Decretales Pontificias, ratiocinatur, & affirmat Baldus *in l.* 1. *num.* 17. *& ſeq. Cod. de ſecund. nupt.* & ſtandum adhuc poſt canonicas, civilibus in hac re legibus, cenſuerunt, poſt Gloſſam *in l. decreto* 15. *verb. contrahere, Cod. ex quib. cauſ. infam. irreg.* Jacob. Curtius *lib.* 3. *Conject. cap.* 9. Connan. *cap.* 7. *n.* 4. Mornacius *ad l. liberorum* 11. *§.* 1. *D. de his, qui not. infam.* & *in l. decreto* 15. *Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog.* & ex ſectariorum Schula, ac ſenſu Hillig. *ad Donell.* 13. *comm. cap.* 19. *litt. Z.* Mainardus *Deciſ. Tholoſ.* 92. & 93. Alber. Gentil. 6. *de Nuptiis, cap.* 22. Scipio Gentilis *de Secundis Nupt. cap.* 18. Arniſæus *de Jure Connub. cap.* 5. *ſect.* 4.

4 Plane ablegatis in cimmerios ſuos ſectariis, ſi inter Catholicos ſolos quæratur, argumenta ſunt, quæ ſuadeant, non fuiſſe aperte, & explicite improbatas pœnas, & prohibitiones politicas nubentium intra annum luctus eccleſiaſticis legibus priſcis, tum primum, quod hæ pœnæ ſtabilitæ à Chriſtianis Cæſaribus, & quidem laudatiſſimis Gratiano, & Theodoſio *in l.* 1. *&* 2. *Cod. de ſecund. nupt. l. ſi qua* 4. *Cod. ad S. C. Tertyll.* Majoriano *in illa*, ut *ſuperiori capite* monuimus, ex conſilio, ac ſuaſu S. Leonis Papæ, *edita Novella de Sanctimonialibus, §. viduarum.* Juſtiniano *Novella* 22. *de Nuptiis, cap.* 22. *& Novella* 39. *de Reſtit. cap. ultim.* & inter Byzantinos Cæſares, Leone Philoſopho, & Conſtantino Porphyrogeneta, piis, & orthodoxis, ſub queis pœnæ nubentium intra annum luctus, relatæ in Baſilica *lib.* 28. *tit.* 5. *cap.* 12. *& in Synopſiu, eodem libro, & titul. cap.* 17. *& tit.* 13. *cap.* 1. *ad finem, & in Nomocanonem* Photii, & Balſamonis *Scholia, tit.* 13. *de Laicis, cap.* 2. & in *Promptuarium* Harmenopuli *lib.* 4. *titul.* 6. & apud nos, poſt *legem* Wiſigothorum *lib.* 3. *tit.* 2. *de Nupt.* illic, *cap.* 1, cui reſpondet 1. *tit.* 2. *lib* 3. *patrii fori*, ſub Alphonſo Bono, & Alphonſo Sapiente, Catholicis Regibus, *in l.* 13. *tit.* 1. *lib.* 3. *fori legum l.* 3. *tit.* 13. *part.* 4. *l.* 5. *tit.* 3. *part.* 6. *l.* 3. *tit.* 7 *part* 7. & permanſere duobus integris, poſt Urbani III. *Decretales*, ſæculis, ad annum circiter milleſimum quadringenteſimum, quo ſub Henrico III. in Segovienſibus, & Pincianis Caſtellæ Comitiis reparandæ ſoboli peſte amiſſæ, remiſſa viduis obſervatio annui luctus, & permiſſum deinceps fuit impune nubere, ut ex Comitiis illis memorat *in Hiſpanica Hiſtor.* Joann. Mariana *lib.* 19. *cap.* 10. unde & fluxere, & illuſtrandæ, inter *Pragmaticas* Catholicorum Regum, 98. *& l.* 5. *tit.* 1. *lib.* 5. *Ordin. l.* 3. *titul.* 1. *lib.* 5. *Compilat.*

5 Tum deinde, quia permanſiſſe eamdem obſervantiam, & nondum eccleſiaſtica decretoria lege antiquatam, ſub Gratiano decretorum collectore, indicio eſt relatus ab eo civilis *Textus in ſuam collectionem, cap. infames* 2. *in fine* 3. *quæſt.* 7. (quanquam nihili ad rem id indicium, cum Gratianus vixerit, devixeritque aliquot annis ante Urbanum III. auctorem *Decretalis de ſecund. nupt.*) at poſt Urbanum, & integro fere poſt Gratianum ſæculo Odofredus, qui de obſervantia Italiæ teſtatur, apud Baldum *in dict. l.* 1. *num.* 18. *Cod. de ſecund. nuptiis.*

6 Tum denique, quia traditio illa Apoſtoli Pauli, de licentia viduæ nubendi *cui velit, tantum in domino*, ut eſt in 1. *ad Corinth. cap.* 7. *verſ.* 39. cum in verbis, *cui velit*, ſupponat nubendum non cuivis, ſed cui nubere honeſte poſſit, & in domino, de quo ex Patribus, poſt Tertullianum 2. *ad Uxorem cap.* 1. Bellarmin. 1. *de Matrimon. cap.* 23. *§. deinde*; ac præterea non exprimat, ut, & quandu velit, & quoties velit, nubat, potuit fortaſſe, littera ſola Apoſtolici Textus attenta, dubitari (ut & dubitat eo fere argumento, & magno certe malo ſublatam illam nuptiarum retardationem ſcribit Claudius Spencæus *lib.* 3. *de Continentia cap.* 15.) an etiam eo pertineret, ut non tantum cui vellet, ſed etiam quando vellet, quamvis intra annum luctus nuberet, contra politicam prohibitionem, ſicut & an nuberet, quoties vellet, etiam poſt primas, & ſecundas nuptias, de quo ſaltem in Græca Eccleſia dubitatum, & tertias nuptias, quas trigamiam vocabant, & multo magis quartas, ulterioreſque, utcumque tolerarentur, nec diſſolverentur, fuiſſe tamen, tanquam exleges, ſubditas Canonum improbationi, & cenſuræ, diſcimus ex Concilio Laodiceno *Can.* 1. Neocæſar. *Can.* 3. *&* 7. & ex S. Baſilii *ad Amphyloc. cap.* 4. *&* 41. *&* 50. *&* 90. ad quos multa Zonaras, & Balſamon, atque hic item in *Nomocan. tit.* 13. & jungendi Clemens Rom. III. *Conſtit. Apoſt. cap.* 2. *cap. de his* 3. *cum ſeq.* 31. *quæſt.* 1. (de quo tamen, ac ſimilibus locis, ſine offendiculo ut legas, lege, & perlege, poſt Spencæum, Bellarminum, Baſilium, Baronium, Turrianum, & alios, noſtrum Gonzalium ad *cap. ult. num.* 6. *&* 12. *ac* 13. *de ſec. nupt.* & quod præ cæteris expendas, licet, in Hiſpania noſtra Reginis viduis fuerit olim vetitum ſecundum conjugium, ac veluti indicta abſoluta, nec temporalis viduitas, plene ex cauſis politicis, ut in Concil. Toletano 13. *Can.* 1. & Cæſarauguſt. 3. *Can.* 5. de queis poſtea.

At vero, ut jam verum ſubtilitati prævaleat, poſt Urbani, & Innocentii *Decretales, in dict. cap. penult. & ultim. de Secund. Nupt.* merito obtinuit, ut infamiæ pœna ceſſet in vidua intra annum luctus nubente, quia Apoſtolici Textus non tam littera expendenda, quam ſpiritus, & ratio, expreſſa *eodem cap.* 7. *Epiſt.* 1. *ad Corinth. verſ.* 10. illic: *Quod ſi non ſe continent, nubant; melius eſt enim nubere, quam uri.* Quæ ratio evincit, ut ex licentia Apoſtoli non tantum cui, & quoties, ſed & quando volent, nubere liceat, ut interpretari in ſimili ſpecie videntur Toletani Patres *in cap. de iis* 5. *in fine* 28. *diſt.* cujus in propoſito meminit Oſtienſis *in dict. cap. pen. de ſecund. nupt.* & ad rem jam olim Gelaſius *in cap. de viduis* 42. *verſ. ſicut* 27. *quæſt.* 1. ſcilicet ob vitandum periculum incontinentiæ, quod utique gravius in vidua, ſicut in illa & caſtitas operoſior, laborioſiorque, ex Tertulliani verbis 1. *ad Uxorem, cap.* 8. & tamen, quod obſerves, temperate adeo de re decernunt Urbanus, & Innocentius, ut ille quidem aboleri infamiam dicat, quaſi ſcilicet mero jure incurſa ſit, & apoſtolica licentia aboleatur, juxta notata *in l. ult. Cod. de Nupt.* & Innocentius, quoad legem politicam, ſubnitatur, tanquam præcipua, modeſtiſſima illa ratione, *quod in his præſertim ſæculares leges non dedignentur ſacros Canones imitari.* ut in *cap. Clerici* 8. *de judic.* nimirum quia agebatur de politica lege, & pœna, quæ ad id fere tempus ſteterat ex honeſta, & rationabili cauſa, & peccatum non fovebat, & ideo neque obnoxia videbatur correctioni eccleſiaſticæ legis, quamvis, quia excelſior cauſa, & finis evitandi peccati, & periculi incontinentiæ, quem eccleſiaſtica lex intendit, ſit huic potius ſtandum deinceps, juxta tradita ſupra, *elementari præfato* 4. *cap.* 42. quomodo & eodem circiter ſæculo, & ſenſu Gratianus, poſt *cap. Euphemium* 7. 2. *quæſt.* 6. *in §. hinc colligitur*, ſcribit, fateri ſe cogi debere, pronunciari infamem mulierem, quæ intra tempus luctus nubit, *cum matrimonia hodie regantur jure poli, non jure fori*; & ut ſignanter ait, *hodie*, quia ante id tempus obtinebat forenſis lex, & pœna infamiæ annui luctus, juxta ejuſdem Gratiani Emblema, de quo ſupra, *ex cap. infames* 2. *in fine* 3. *quæſt.* 7. quæ ceſſare in poſterum debet in ea, quæ ex

ex licentia Apoſtoli non illicite nubit, ut Gratianos ipſe concludit, *in d. §. hinc colligitur, in fine.* Videſis de re tota, & pro fori uſu pluribus, Sanctium *de Matrim. lib. 7. diſp. 87. num. 21. & ſeq.* noſtrum Gonzalum *in cap. penult. & ultim. de ſec. nupt.* quem, ſi cum ſcriptis hiſce conferas, comperies diſſimilia hæc magis, quam diſſentanea.

8 Secunda ex aſſertione, initio poſita, illatio eſt, ſubſtitiſſe ſuo jure pridem civiles prohibitiones, & pœnas matrimoniorum Rectoris provinciæ cum provinciali fœmina, ex ratione potentatus, contrarii libertati conjugum in contrahendo *l. præfectus 63. D. de ritu nuptiar. l. unic. Cod. ſi Rector Prov. l. un. Cod. ſi quac. præd. pot. Novella* Leonis Philoſ. 22. quibus veluti concinunt *Canones* 22. illic: *Per imperium poteſtatis.* Concil. 4. Aurelian. & *cap. ultim. in princ. & fine, qui Clerici, vel vov.* & græcanicæ leges Leonis Philoſ. *Novell.* 23. atque in *Baſilicis*, & *Synopſi lib. 28. tit. 4. & 5.* & apud Francos, ordinatio Sancti Ludovici Regis, ne Ballivi, ut vocabant, ſui intra Balliviæ terminos, matrimonia ſibi, vel ſuis copularent, abſque ſpeciali regio aſſenſu; ut fere his verbis memorat Guillelmus *de Geſtis S. Ludovici*, in *Collectaneis* Ducheſnii *tom. 5. pag. 363.* Dominus de Joinvilla *in Hiſtoria ejuſdem S. Regis, cap. 81.* quin & noſtri mores, & leges, de regiis Conſiliariis, ſeu Miniſtris, non ſine regia venia matrimonia inituris; & tutoris cum pupilla, ex eadem potentatus ratione, & ne in fraudem rationum tutelæ vergat. *dict. l. præfectus 63. cum ll. ſeq. D. de ritu nupt. l. 1. & pen. Cod. de interd. matrim. int. tut.* cui etiam prohibitioni adhæſiſſe diu videntur Græci Canones, ut colligere eſt ex Balſamone *ad Can. 27. S. Baſilii*, juncto ex Synopſi Baſilic. *lib. 28. tit. 5.* & domeſtici, ſeu mercenarii famuli cum filia patroni, ex *regia noſtra l. 2. tit. 1. lib. 5. Compil. l. 2. tit. 1. lib. 5. Ordin.* quæ fluxiſſe videntur ex legibus Wiſigothorum *lib. 5. tit. 7. cap. 17. & libr. 3. tit. 2. cap. 2.* & ex Romanis, quarum cenſura ſimiles nuptiæ, veluti liberti cum patrona, ingenua, aut patroni filia improbantur, puniunturque, tanquam odioſæ, & malæ rationis *l. quanquam 62. §. 1. l. libertum 64. §. 1. l. non eſt 66. §. ultim. D. de ritu nupt. l. 3. Cod. de nupt.* Paulo *lib. 2. Sentent. tit. 19. §. ultim. Novella 1.* Anthemii *de Mulier. quæ ſe ſervis, §. ultim.* de queis infra ad amuſſim, & ſupra *hoc libro cap.* 3x. pro qua item prohibitione, & cenſura conducit *Canon 13. §. igitur*, ex Concil. Tolet. 9. ſubſtitiſſe, ut diximus, ſuo jure, & ſæculo has prohibitiones, & pœnas, non ſane quoad diſſolutionem matrimoniorum, ſive irritationem eorum nexus, & ſubſtantiæ, de quibus tres relatæ politicæ leges ſanciebant, ut apparet ex *l. ſi patris 6. l. ultim. Cod. de interd. matrim. int. tut. l. ſi concubina 17. Dig. rer. amot.* junctis notatis pro Ulpiani *texta, titul. 16. §. ultim. libr. 2. cap. 14.* ſed ſaltem quatenus, politica auctoritate, coërcebant contrahentium ea matrimonia abuſus publicæ diſciplinæ, & moribus noxios, &, ut eſt *in laudata Novella* Anthemii, *execrabiles*, & Canonibus, quorum meminimus, improbatos, quod politicæ legi licitum aſſeruimus.

9 Quo circa & prohibitiones præfatas, quoad pœnas temporales, abuſive contrahentium, & ſalvo, atque inoffenſo matrimonii contracti jure, &, ut loquimur, valore, ſuſtineri hodie poſſe, & ſubſiſtere. conſentaneum ſuppoſitæ aſſertioni eſt, & regiis legibus, illas priſcas ſecutis, *l. 2. titul. 14 part. 4. l. 6. titul. 17. part. 7. l. 25. titul. 4. lib. 2. & l. 2. titul. 1. libr. 5. Compil.* quia neque matrimonii vinculum, & ſubſtantiam impediunt, dirimuntve, neque libertatem juſtam, & rationabilem contrahentium directe, aut indirecte, de qua exaudiendus *Canon Tridentinus 9. ſeſſ. 25.* ut præmonuimus *cap. antecedente*; ſed ſalvo matrimonii vinculo, & libertate contrahendi, cui potius favet ratio prohibitionis matrimonii Rectoris cum ſubdita, & tutoris cum pupilla, *dict. l. præfectus 63. D. de ritu nuptiar.* coërcent contrahentium licentiam abuſivam, & Eccleſiæ ipſi improbatam, & noxii Reipublicæ exempli, ſuo politico jure, & pœnis; quomodo præter ſupra *initio hujus capitis* in commune laudatos, Baldum, Sotum, Molinam, atque alios, ſentiunt, cenſentque in ſpecie de matrimonio magiſtratus cum ſubdita, ſaltem ne contrahat ſine permiſſu Principis, ut *in l. 25. tit. 4. lib. 2. Compilat.* Dom. Solorzan. *de Indiar. gubern. libr. 4. cap. 4. num. 58. & in Polit. Ind. 5. cap. 9.* Tapia *ad Jus Regni Neap. lib. 2. Rubric. de Contract. Jud. ad cap. 1.* Anguian. *de Legib. lib. 2. Contr. 13. num. 16. & 30.* & pridem Salycetus *in l. & ſi contra numer. 4. Cod. de Nupt.* Id quod ex eiſdem principiis probabile eſt, in matrimonio famuli cum filia patroni, de quo P. Molina *de Juſtit. diſput. 176. num. 18. & 26.* & in tutoris cum pupilla, de quo & fere olim Cynus *in l. 1. Cod. de Interd. Matrim. int. tut.* & Petr. Gregor. *ad cap. 1. num. 77. & 78. de Sponſal.* & de ſimili *Neapolitana Pragmatica*, Joann. Domin. Taſſon. *ad Pragmat. de antefato, verſu 8. obſ. 2. num. 143.* tametſi de his ſingulis aliter, & correctas canonico jure, aut uſu deſitas has prohibitiones adnotarint perplures, & ſignate quoad leges noſtras, poſt Gloſſam *in cap. 1. verbo quandoquidem 30. quæſt. 3.* Joan. Andr. & alios *in cap. ultim. de ſecund. nupt.* Gregor. Lopez *in dict. l. 2. verbo, Muger legitima, titul. 14. part. 4. & in l. 6. gloſſ. 1. tit. 17. part. 7.* Matienzus *ad l. 2. gloſſ. 2. & 4 titul. 1. lib. 5. Compilat.* Gutirrezius 2. *Practicar. quæſt. 5. & de tutelis 2. part. cap. 12. numer. 8.* Franc. Molinus *de Ritu Nupt. lib. 2. differ. 7. ex num. 38.* Joan. Vela *Diſſertat. Hiſpal. 1. num. 62.* Jul. Chartar. *Deciſ. Crim. 36. num. 38.* Meſa *libr. 3. Variar. cap 36. num. 28.* parum ſibi conveniens, cum traditis *eodem libr. cap. 35. n. 9. & 10.*

Tertia, præcedentibus conſequens, illatio eſt, 10
politicas civiles leges, quibus filiifamilias, & potiſſimum filiæ, invitis patribus matrimonia ineuntes, ſubjiciuntur paternæ exhæredationi, aliiſve temporalibus pœnis, cujuſmodi apud nos cenſentur, *l. 2. & 5. titul. 1. lib. 3. fori. l. 10. in fine, cum l. ſeq. in fine, titul. 1. part. 4. l. 5. tit. 7. part. 6.* juncta *l. 49. Tauri*, quæ eſt *l. 1. libr. 5. Compil.* Et quæ ſimiles in aliis regnis leges ſunt, ſtare, & ſubſiſtere ſuo jure; quia nec impediunt, dirimuntve ea matrimonia, quæ potius rata, validaque ſupponunt, juxta Tridentinum *ſeſſ. 24. de Reformat. Matrimon. cap. 1. in princip.* neque violant, directe, aut indirecte libertatem rationabilem contrahendi, contra juſtum intellectum *Canonis 9. ejuſdem ſeſſionis Tridentinæ*, ſed coërcent politica auctoritate abuſum libertatis illius, & erga patres inobedientiam re, & exemplo publice noxiam, & regulariter cum peccato mortali commiſſam, quam & proinde *Sancta Dei Eccleſia, ex juſtiſſimis cauſis ſemper deteſtata eſt*, ut exprimit *Tridentinus Canon 1. dict. ſeſſ. 24.* & veteres Eccleſiæ Canones improbabant, coërcebantque eo etiam ſæculo, & ſenſu, quo talia matrimonia non diſſolvebant, ut colligere licet, ex Evariſti *cap. 1. in fine 30. quæſt. 5.* juncto *cap. penult. de Raptor. & S. Baſilii ad Amphyloc. cap. 38. & 41.* ubi Balſamon.

Queis, & aliis rationibus illationem hanc fovent, 11
& firmant, poſt Gloſſam, in *cap. de Raptoribus, verbo excaſata 36. quæſt.* Baldus in *dict. l. omnem, num. 15. Cod. ad SC. Tertyll.* & ex noſtratibus, Palatius Rub. Montalvus, Menchaca, Molina, & ex Theologis, Sotus, alter Molina, Ledeſma, & alii, apud Sanctium, qui & probabiliſſimam vocat, *lib. 4. de Matr. diſp. 25. num. 1.* &, poſt Rebellum, Baſilius Pontius *lib. 2. de Matr. cap. 1. §. 3. num. 29.* Nicol. Serarius ad *lib. Judicum cap. 14. quæſt. 4. §. ult.* Joannes Lorinus *in Deuteronomii cap. 7. verſ. 3.* Stephan. Baunius *in Theol. Mor. part. 1. tract. 12. quæſt. ult. aſſert. 3.* ex Juriſperitis, Gaſpar Theſaur. *lib. 1. Forenſ. Quæſt. 70. num. 7.* Paſchalius *de Virib. patr. pot. 2. part. cap. 5. num. 15. & ſeq.* & ad eum Pratus in *notatis.* Carol. Tapia *ad Jus Regni Neap. lib. 4. ad Rubr. 12. de Matrim. ex num. 3. &*

30. Cancerius 1. *Part. Var. cap.* 24. *de filiis matrim. ex num.* 1. *& part.* 3. *cap.* 11. *de ſponſal. num.* 3. Anguianus 2. *de Legib. Contr.* 13. *num.* 15. *&* 30. late, & acriter Marta, & quod mirere, pro politicis in hac re legibus, 1. *tom. de Succeſſ. Legali quæſt.* 26. *art.* 5. *num.* 4. *& ſeq.* Joſephus Ramon. *Conſil.* 95. *num.* 81. *& ſeq.* Pereira *Deciſ.* 10. *num.* 2. Franc. Salernus *lib.* 1. *Conſ.* 15. §. 3. *ex num.* 82. Cutell. *de Donat. tom.* 2. *tract.* 2. *diſc.* 2. *ſpec.* 6. *num.* 51. Fr. Zypæus *de Juriſd. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 4. *& lib.* 4. *Conſult. Canonic. cap.* 12.

12 Et ſane hæc ſunt conſentanea jam traditis, quamvis non diffiteamur, in contrarium ſtare, ſi ſuffragia non tam expendas, quam numeres, communiorem ſententiam, cui ſubſcribunt, poſt Covarruv. Victoriam, & plures alios, Sanctius *dict. Diſput.* 25. *num.* 2. &, præter ab eo aggeſtos, Fontanella *de Pact. Nupt. tom.* 1. *clauſ.* 4. *gloſſ.* 2. *ex num.* 26. Fachin. Germon. Zevallos, Matrill. & alii apud Ar. Meſam 3. *Variar. cap.* 35. *num.* 8. Carol. Graſſis *de Effect. Cleric. effectu* 2. *ex num.* 81. Cæſar Barzius *Deciſ. Bonon.* 29. Marta ſibi contrarius, *de Juriſd* 4. *centur. cap.* 70. & poſt Maſcardum, Surdum, & alios, copioſe Jul. Chartarius *Deciſ. Crimin.* 36. *num.* 12. *&* 16. *&* 31. *cum ſeq.* noviſſime Joann. Baptiſt. Ciarlinus 1. *Contr. cap.* 104. *num.* 28. *& ſeq.* ex aliis Antonin. Diana 1. *tom. Part.* 1. *Tractat.* 1. *reſolut.* 74. *&* 104. *& Part.* 7. *Tractat.* 1. *reſol.* 26. *num.* 12. Plures pro utraque parte, apud Eman. Barboſam *ad Ordinat. Luſit. lib.* 4. *titul.* 88. §. 1. Velaſcum *de Privil. Pauper.* 1. *part. qu.* 17. Fragoſum *de Regim. Reip. Chriſtian. part.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 4. §. 2. *num.* 293. *& ſeq.*

13 Quarta, & poſtrema illatio eſt, leges politicas, prohibitorias conjugiorum inter Senatorios, & libertinos, & ingenuorum cum ignominioſis fœminis, quando, & quatenus de jure, & ſubſtantia nuptiarum non ſtatuebant, neque eas dirimebant, aut irritabant, ſed ex politicis, & honeſtis cauſis, contrahentium abuſus coërcebant, & inæqualium connubiorum damna, ac dedecora, juxta S. Leonis illud, *in cap. non omnis* 12. *in princ.* 32. *quæſt.* 2. cujuſmodi leges noſtræ *Juliæ*, & *Papia* fuerunt, ſtetiſſe ſuo jure, etiam chriſtianis aliquot ſæculis, & quidem accedentibus, aut non improbantibus eccleſiaſticis legibus, ut oſtendimus *lib.* 2. *ex cap* 35. ac potiſſimum quoad nuptias fœminæ Patriciæ, aut Senatoriæ cum libertino, aut ſcenico, de queis ſpeciatim *eodem libro cap.* 2. donec tandem prævalente libertatis nuptiarum bono, atque voto, tanquam excellentiore, abiere in deſuetudinem, argumento ex *cap. pen. & ult. de ſec. nupt.* diximus, coacervatis ſcriptorum calculis, ſupra *lib.* 2. *cap.* 40.

14 Sunt porro ejuſdem generis, & cenſuræ, atque ideo redigendæ in hunc veluti illationis faſcem, prohibitiones aliæ matrimoniorum, politicis cauſis ſubnixæ, qualis vulgata illa, & vetus Romana, connubii cum peregrino, de qua *in princ. Inſtitut. de nupt.* Caius 1. *Inſtit. tit.* 4. Ulpianus *tit.* 5. §. *connubium* 4. *&* §. *connubio* 8. Boëtius *ad Ciceronis Topica.* Et ex Valentiniani ſimili Conſtitutione connubii cum barbaris, non Romanis, quales tunc Gothi, & alii *l. unic. Cod. Theod. de nupt. Gent.* juncta ex legibus Wiſigoth. *l.* 1. *titul.* 1. *libr.* 3 *fori juzgo*, de queis ſatis, poſt Mendozam ſuum ex aliis, noſter Gonſalius *ad Illiberit. lib.* 2. *cap.* 33. & ante eos, vel ex Pragmaticis, Villadiego *ad memoratam fori juzgo legem*, *n.* 1.

15 Ejuſmodi eſt, inferiore ſæculo, ex quarumdam Italiæ urbium ſtatutis Romana illa ſubæmulantibus prohibitio conjugii cum exteris, ſive extra territorium, pro queis ſtatutis (præterquam quod expendi poſſunt, *l. cum ita* 63. *in princ. l. hoc modo* 64. §. 1. *Dig. de cond. & dem.* & ſpeciale Iſidori auctoramentum 5. *Origin. cap.* 6. qui inter jura gentium recenſet, *matrimonia inter alienigenas prohibita cap. Jus gentium* 9. *in fine* 1. *diſt.*) ſalvo matrimonii jure, & quoad pœnas temporales contravenientium, ſtant Bartolus *in l. edicimus*, *num.* 2. *C. de ſacrileg. lib.* 11. Baldus *in l.* 1. §. *jus naturale*, *n.* 10. *D. de juſt. & jure.* Regens Ponte *de Pot. Proreg. tit.* 6. *de aſſenſ. in dotib. in princip. num.* 6. poſt alios Mar Cutell. *de Donat. tom.* 2. *tract.* 2. *diſcurſ.* 1. *ſpeciali* 6. *n.* 51. *& de Immun. Eccl. lib.* 2. *cap.* 57. alii apud Paſchalium *de Virib. patr. pot.* 3. *part. cap.* 2. *num.* 30. tametſi ille, poſt multos, contra ſentiat, & cum eo Graſſis *de Effectib. Cleric. effect.* 2. *n.* 83. Chartar. *Deciſ. Crim.* 36. *num.* 37. ex aliis Diana *p.* 1. *Tract.* 1. *Reſol.* 56.

Eſt & ejuſdem generis denique prohibitio illa, 16 ex Conſtitutione Frederici Cæſaris, & Caroli I. inter Neapolitanas, ne Comites, Barones, & feudatarii matrimonia contrahant, ſine regio aſſenſu, quam ſuſtinere nititur Carolus Tapia *ad Jus Regni*, *lib.* 4. *rubric.* 12. *in rubr. n.* 14. & ſuſtineri potuiſſe, ducto etiam argumento ex Honorii Papæ *Capitibus*, ſaltem quoad matrimonia cum exteris, docet Ponte *d. tit.* 6. *num.* 6. conſtatque ex *autographo Capitum* Honorii IV. quo taxative cautum de matrimoniis liberis Regnicolarum *inter ſe*, ſeu cum aliis ejuſdem regni, & contraria hactenus Conſtitutio abrogata, ut cernere eſt apud Odoricum Rainald. *tom.* 14. *Annal. ad ann.* 1285. *n.* 42. quamvis abſolute illam exoletam cenſeant, poſt Iſerniam, & Afflictum, communiter Neapolitani Regnicolæ, Horat. Montanus *in repetit. l. Imperialem*, *n.* 154. *de prohib. feudi alien.* ac demum noſtris moribus, ne militarium ordinum Equites ineant matrimonia, abſque venia magni Magiſtri, de quo ex Pontificiis Bullis, ac de praxi mulctandi ex ea inobſervantia Equites, in Regio Ordinum Senatu, Baſil. Legion. 5. *de Matr. cap.* 19. *n.* 18. Ejuſmodi & in Portugallia ordinatio, ne fœminæ, prædia regiæ coronæ poſſidentes, nubant extero, abſque aſſenſu regio, ut *in tit.* 37. *lib.* 2. *ordinat.* de qua propriè Emanuel Coſta *in* §. *ſi arbitratu*, 2. *p. limit.* 2. *n.* 6. *&* 7. Cabedo *p.* 2. *Deciſ.* 31. & eidem ordinationi non inconcinne conferenda ſacra lex, ne filiæ, ad ſortes in promiſſionis terra admiſſæ, nuberent extra Tribum, ut habetur Numeror. *c.* 36. *verſ.* 6. cujus legis *cautelam* debitam, vocat Angelicus Thomas 1. 2. *quæſt.* 105. *art.* 2. *ad* 2. & de ea alii apud nos *in Reſponſ. ad tractatum Gall* §. 15. *num.* 162. *& ſeq.*

Illud tandem conſequenter propoſitis monemus, 17 licitum omnino eſſe politicæ ſupremæ auctoritatis interventum, atque uſum, quo fœminæ, præſertim nobiliores, & orbatæ patribus, præcavendo earum damna, de quo ad rem ſcite ſcriptum in *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de nupt. ut nuptias nobiles nemo redimat*, *nemo ſollicitet*, *ſed publice conſulatur affinitas*, *adhibeatur frequentia Procerum*, præcipiuntur, honeſta ſub cuſtodia, & loco deponi, expeditis in id mandatis Regii Senatus, ac ne, eo inconſulto, nuptui collocentur. Juxta ſententiam *l.* 1. *l. viduæ* 18. *l. in conjunctione* 20. *Cod. de nupt.* juncta *l.* 1. *Cod. Theod. eod. tit.* ex tractatu Juliæ, & Papiæ *l. ſive* 61. *D. de jure dot. l. non tantum* 7. *D. de tutor. datis ab his.* Ulpiano *tit.* 11. *de tutel.* §. *ex lege* 20.

Quippe his mandatis providetur politica auctoritate juſtæ, & honeſtæ libertati matrimonii eligendi 18 juxta canonicam etiam cenſuram, *cap. cum locum* 14. *de ſponſal.* Quapropter ſi mandatis ſpretis, inconſulte, & inconſulto Senatu nuptiæ poſtea initæ ſint, coërceentur, ratis illis manentibus, inobedientia, abuſuſque contrahentium extraordinario, & œconomico arbitrio Senatus: idque ex ratione *l.* 10. *&* 11. *tit.* 1. *lib.* 5. *Comp.* firmant, poſt Gloſſam *verb. Arbitrium*, & Joannem Fabr. *in l.* 1. *C. de nupt.* ex profeſſo Acevedus *conſ.* 37. *n.* 11. *& ſeq.* graviter, ut ſolet, R. Ponte *d. tit.* 6. *n.* 48. *& ſeq.* ubi Thoro *in additis.* Scipio Rovitus *ad Pragm* 9. *de Baron. ex n.* 1. Taſſonus *de antefato*, *verſ.* 8. *obſ.* 2. *num.* 3. Ar. Meſa 3. *Var. c.* 3. *n.* 11. alii apud Franc. de Petris *conſ.* 58. *n.* 11. (tametſi idem cauſæ ſuæ ſerviens, contra pertendat.) Atque ejuſmodi in Regio Senatu noſtro crebra, & recentia exempla ſunt,

coërcitionis

coërcitionis politicæ ſimilia matrimonia incuntium, per mulctas pecuniarias, & interdum prout exceſſus, & exempli ratio ſuadet, per temporariam relegationem, quæ utcumque ad tempus ſeparet conjugalem convictum, tamen ex conſuetudine, & in pœnam ſeparatio ea licita, ut, poſt Gloſſam finalem *in cap. 1. de cognat. ſpiritual.* eſt in confeſſo apud laudatos à Sanctio 7. *de Matrimonio, diſputatione 4. num. 10.*

C A P U T LI.

De matrimonio Aurelianenſis Ducis cum Margarita, Lotharingiæ Principe. Adjacens præcedentibus Canonica, Theologica, & Politico-Hiſtorica excurſio.

A R G U M E N T U M.

D*E memorato matrimonio, memorantur* Gallicani Cleri *cenſura, & aſſertiones. Quæ ſupponitur* Galliæ *conſuetudo, de non ineundis matrimoniis à* Principibus, Regum *agnatis, ſine* Regio *aſſenſu, ſuſtinetur probabiliter, in id ſaltem, ut contravenientes, ſalvo matrimonii nexu, & ſubſtantia, poſſint propter irreverentiam* regii imperii *temporaliter coerceri. Profertur, & confertur* Conſtantino Magno *adſcripta lex à* Porphyrogeneta, *de non ineunda affinitate cum exteris, præter quam cum* Francis, *ſed refellitur ejus legis commentum ex hiſtoria* Conſtantiniani *ævi, & ex* Franciæ *ipſius criſi. Profertur item ex* Hiſpania, Canon Toletanus, & Cæſaraugustanus, *de vetite* Reginæ *viduæ conjugio. Inter alias eorum* Canonum *cauſas, illa politica, ne per* Reginæ *viduæ nuptias regnum impeteretur, juxta* Taciti, *& aliorum ſuſpicaces ſtricturas. Fuit eadem cauſa* Salomoni, *neganti* Adoniæ *conjugium* Sunamitidis; & Davidi, *urgenti ad viduitatem concubinas* Abſalonis, *ut* in 3. Regum cap. 2. & ex 2. Reg. cap. 20. *quæ illuſtrantur. Accedit, & quidem prope magis, vetus* Hiſpaniæ *mos, ne filiæ* Regum *abſque aſſenſu* Regum, & Procerum *conſultu nuberent: de quo in* Eliſabetha Regina Catholica Palentinus, *& ex eo* Galindus Carvaxalius. *Suſpecta pridem fuere politiæ conjugia potentiorum inter ſe, aut cum exteris.* Ariſtotelis *ea de re judicium, &* Magni Theologi Dominici Soto. *Coliimavit fortaſſe & huc prohibitio unionis majoratuum potentiorum per matrimonia ex lege* Caroli V. *& connubiales tabulæ* Regiarum Infantium Annæ, & Mariæ Thereſiæ. *Jam de* Gallicana *aſſertione, quatenus ex ſuppoſita conſuetudine habet, damnatque pro nullis, matrimonia agnatorum* regii *ſanguinis, abſque* regio *aſſenſu. Nos ex adverſo eam aſſertionem damnabilem, & damnoſam* Eccleſiæ, *& regnis cenſemus: impedimenta dirimentia matrimoniorum non induci conſuetudine, niſi legitime præſcripta, & approbata ab* Eccleſia, *eſt receptæ, & certæ aſſertionis. Pro ea expenditur, & exponitur* Triburienſis Canon in cap. 1. de ſponſalib. Bainvariorum *prapriti olim mores, ſeu leges, in ducendis, & dimittendis uxoribus; ſic &* Francorum *in eiſdem coëmendis, ſeu dotandis per ſolidum, & denarium. Obſervata mentio, & ratio apud* Burchardum, & Ivonem *hypotheſis, de conjugio nobilis* Franci *cum nobili* Saxonica. *Deinde & in commune ſtatuimus, exempla, quantacumque ſint, aſſertæ* Gallicanæ *conſuetudinis, nunquam eo pertigiſſe, ut matrimonia irrita fuerint, ſed ut contrahentes obnoxii* Regum *iris, ac motibus. In id laudati* Galliæ ſcriptores, *& in ſimili, de aliis regnis alii. Rurſus inter exempla, quibus* Gallica *aſſertio abutitur, rejicitur primum illud, de matrimonio* Judithæ, *filiæ* Caroli Calvi, *cum* Balduino, Flandriæ Comite; *quippe & extra rem, utpote non de agnato* Regio: *nec rejectum id conjugium ex aſſerta conſuetudine, ſed tanquam raptoris cum rapta, juxta* Canones, *qui tunc vigebant, & expenduntur, & juxta veteres* hiſtoricos Belgas, & Francos, *qui & de ſimilibus exemplis. Secundum, de conjugia* Ludovici Balbi *cum* Anſgarde, *eſt itidem contra* Hiſtoriæ *fidem, apud* Aimoinum, & Flodoardum, *quia utcumque exagitatum id matrimonium, tanquam impar, & initum patre inconſulto, non tamen irritatum, aut diremtum jure, aut judicio, quin imo ex eo filii in regno ſucceſſores fuere. Tertium, de* Maximiliano I. Cæſare *cum* Britanniæ Duciſſa, *præterquam quod & extra rem, &* Maximiliani *non tam matrimonium, quam ſponſalia præceſſerant, non accenſendam juri, ſed facto, & injurioſo facinori dominationis, ut agnoſcit* Cominius, *& ſinceriores* Galli. *Eorumdem de* Aurelianenſis, & Lotharingiæ Principis *nuptiis, & injuſta earum damnatione integrior, & juſta cenſura, atque eadem* Ludovici Regis *in extremis:* Pariſienſis Arreſti, *attentatum præceps, & execratio.*

1 EX alto jam in Portum, & tamen vel dum anchoræ, & rudentes jaciuntur, non gravamur, ſubnectere tot traditis, de auctoritate politica in matrimoniis, conſequentem plane cenſuram, de conſultatione illa, & aſſertionibus, adſcriptis Gallicano Clero, & pluribus Galliæ Antiſtitibus, an & ſubſcriptis, ſane ſub eorum nomine publicatis, occaſione matrimonii, contracti à Gaſtone Aurelianenſi Duce, Ludovici XIII. Galliarum Regis fratre, & primo regii ſanguinis tunc agnato, cum Margarita Caroli Lotharingiæ Ducis ſorore, inconſulto, & invito Ludovico Rege. Qua ſuppoſito ſactæ, nec enim rei recentis, notiſſimæque orbi, & ſæculi annalibus, teſtes ciere, opus (quanquam ne eos quis vel in hoc aditu diſſertationis requirat, dedimus illos, & aliorum, qui de univerſa re ſcripſere, *Collectaneam in Reſponſione ad Galliæ tractatum, de juribus Reginæ Chriſtianiſſimæ* §. 10. *num.* 10. & 11. ex qua & nuper noſter Gonſalius *ad caput 1. de ſponſal. num.* 8.) & delata, introductaque, regio nomine, quæſtione ad Gallicani Cleri conventum, habitum Lutetiæ *anno* 1635. an ſcilicet matrimonia Principum regii ſanguinis, & ſpeciatim eorum, qui proximiores, &, ut loquuntur, præſumptivi ſucceſſores ſunt Regiæ Coronæ, ſint valida, & legitima, ſi ineantur non modo ſine aſſenſu Regis, ſed etiam eo invito, & prohibente. Circumfertur Gallicani Cleri reſponſum, præhabita conſultatione Theologorum Sorbonici Collegii, & aliorum ex regularibus primariis ordinibus, & ſubſcribentibus multis, numero, ac nomine Galliæ Præſulibus, quos conſuluiſſe, & cenſuiſſe ſupponitur, matrimonia, de queis quærebatur, eſſe illegitima, invalida, & nulla, idque præmiſſis duabus aſſertionibus, quarum fuit prima: conſuetudines regnorum operari poſſe, ut matrimonia quæpiam ſint nulla, & invalida, prout ſunt contractus, dummodo conſuetudines ſint rationabiles, antiquæ, legitima præſcriptione ſubnixæ, & ab Eccleſia approbatæ. Secunda autem fuit, conſuetudine Galliæ nullatenus permitti, ut Principes, ſucceſſioni regiæ proximiores, ac qui ſe tales eſſe præſument, matrimonia ineant abſque aſſenſu Regis, ac multo minus eo invito, & obnitente. Quibus & tertia, tanquam conſequens, ſubſcripta aſſertio illa fuit, matrimonia ejuſmodi eſſe invalida, & nulla ex defectu conditionis, ſine qua nequierunt contrahentes valide, legitimeque contrahere; & ſuppoſitam conſuetudinem Galliæ eſſe antiquam, rationabilem, legitima præſcriptione ſuffultam, & ab Eccleſia approbatam.

Hæc rei, & aſſertionum ſeries, quæ cum vel tunc, & intra Galliam, atque extra Ludovici Aulam à gravioris, & indeſecatæ cenſuræ Theologis damnatæ, & extra Galliam, veluti apologeticis libellis, ſeveris ſcriptionibus, & quod fatendum, non ſine aliquo partium ſtudio editis, accuſatæ fuerint, nos nunc, procul ab eis ſtudiis, & incorruptam veritatem profeſſi, cenſebimus de re pacate, & 2

paucis, juxta regulam, diſtinctionemque jam firmatam, de auctoritate politica in matrimoniis.

3 Cenſemus autem in primis, aſſertam Galliæ conſuetudinem (quam tantiſper ſupponimus, poſtea qualis, & quatenus extet & diſcuſſuri) de matrimoniis, non incundis ab agnatis, ſive Principibus regii ſanguinis, ſine regio aſſenſu, ſufficere in id ſaltem, & ſuſtineri probabiliter poſſe ſua vi, & jure auctoritatis politicæ, ut rato, validoque manente nexu, & ſubſtantia matrimonii, contra eam conſuetudinem ſine regio aſſenſu contracti, poſſint tamen, qui contraxere, propter irreverentiam regii ſupremi imperii, & abuſum exemplo noxium, contra rationabilem politicam conſuetudinem, temporalibus moderatis mulctis coërceri. Id quod firmaſſe plene licebit, tranſlatis in hunc locum Theologorum, ac Juriſprudentum ſuffragiis, & rationum momentis, ac demum exemplis matrimoniorum Magiſtratuum, ſine permiſſu Regis; filiorumfamilias ſine patrio; feudatariorum apud Neapolitanos ſaltem cum exteris, & apud nos militarium Equitum ſine regio aſſenſu, & nubilium fœminarum, a Senatu ſequeſtratarum, atque eo inconſulto nubentium, de queis affatim *proximo nuper capite.*

4 Ultra quæ & elargimur pro fulchro conſuetudinis Gallicanæ ſimilia exempla: & in primis illud memoriæ proditum à Conſtantino Porphyrogeneta Byzantino Cæſare, quod *ex libello* illius *ad Romanum filium, de adminiſtr. Imper.* ſive *de Thematibus, & Chorographia Imperii* laudant neoterici, Bulengerus 3. *de Imper. cap.* 17. Petr. Marca 2. *de Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 2. *num.* 5. & ex fragmento, ut cenſet, ejuſdem libelli, exhibet integre Baronius *tom.* 10. *Annal. ad ann.* 960. *prope finem*, nempe fuiſſe Conſtitutionem Φοβερὰν, ſeu formidabilem, & indiſpenſabilem Conſtantini Magni, & ut Græcis indigitatur, Sancti, deſcriptam ſacra in menſa Templi Sanctæ Sophiæ, ne Romanus Imperator affinitatem nuptiarum contrahat cum peregrinis, ſive exteris, & multo minus cum ethnicis, præterquam cum Francis. Quam Conſtitutionem, in gentis ſuæ gloriam, expendunt Francogalli ſcriptores, cum tamen Franci ſub Conſtantino, ethnici adhuc, & ab eo ſæpius debellati, & Reges eorum triumphati, & poſt, Romano more, morte puniti, ut ſcripſere Eumenius Nazarius, atque alii Panægyriſtæ, & Franciſcus, dictus Conſtantinus. Ut proinde alieniſſima ſit à Conſtantini Magni ſæculo, & ſenſu lex ei adſcripta à Porphyrogeneta, quam & merito ut fabuloſam, ac falſo, & ridicule confictam explodunt eruditi, inter Francos, Ariſtarchi, Adrianus Valeſius *lib.* 1. *Rerum Francic.* Jac. Gothofredus *in Comment. ad l. unic. de nuptiis Gentil. in C. Theod.* Sed ut ut fuiſſet Conſtitutio illa Conſtantini Magni, ſtaretque ex fide Porphyrogenetæ, junctis ad rem Valentiniani *lege in Cod. Theodoſ. de nupt. Gentil.* & Theophili Cæſaris *Novella, de connubiis Perſarum cum Romanis*, quæ eſt 3. *in lib.* 1. *juris Orientalis*, habuit plane illa prohibitio politicas rationabiles cauſas, quæ in *Fragmento Baroniano* exprimuntur, & quæ ſaltem ſufficerent, ut ſalvo nuptiarum, quæ contraherentur cum exteris baptizatis, jure, & vinculo, obnoxii contrahentes eſſent ſæculi illius probro, & cenſuræ.

5 Habuit & noſtra Hiſpania non abſimile exemplum in Reginis viduis, &, ut vocabant, relictis Regum, quarum conjugia, ne vel Regi ſubſecuto, & multo minus cuiuis alii ex privatis licerent, decretum in Concilio Toletano 13. *Can.* 5. ſub Ervigio, & hoc amplius, ut viduæ eædem, mutata veſte, addicerentur cœnobio virginum, & quidem, ſub comminatione diri anathematis, cautum poſtea in Concil. Cæſarauguſt. 3. ſub Egica *Can.* 5. Queis Decretis, Conciliiſque regia, ut tunc temporis, evocatione, & Regni Procerum interventu, coactis, pro relata prohibitione conjugii præferuntur politicæ cauſæ præſidii, incolumitatis, & decoris ipſarum viduarum, ut ex illis agnoſcunt noſtrates Hiſtorici, Mariana 6. *cap.* 17. & 18. Joannes Vaſæus *in Hiſp. Chronico ad ann.* 684. noviſſime & ex aliis, noſter Gonſalius *ad Canonem* 72. Concilii Illiberit. & *ad cap. ult. de ſecund. nupt. num.* 10. Scite Savedra *Coronæ Goth.* in *Ervigio, & Egica.*

6 Suſpicari etiam licet, fuiſſe eam politicam cauſam, ne per viduæ Reginæ nuptias, regnum ipſum Gothicum, quod alioquin liberæ electionis erat, peteretur, quomodo de Agrippina vidua, expoſcente à Tiberio maritum, ſubveritus olim Tiberius, *non ignarus*, ut ait Tacitus 4. *Annal. quantum ex Republica peteretur*, ac de Sejano ambiente nuptias Liviæ viduæ Druſi Cæſaris, idem Tiberius *eodem* Taciti *libro*, ac demum idem *libro* 1. de Aſinio Gallo, qui *Tiberio pridem invíſus, tanquam ducta in matrimonium Vipſania, M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii uxor fuerat, pluſquam civilia agitaret.* Nimirum fuere ut plurimum nuptiæ cum Regiis fœminis, ſuſpectæ Regibus, tanquam *majora patefacturæ*, ut de Octavia cum Nerone, ille ipſe Tacitus 12. *Annal.* & Seneca in *Octavia*; nempe regalibus nuptiis regnum, ut de Dario cum Cyri filia, Juſtinus *lib.* 1. *ad finem*, & de Tarquinio cum Tullia, Livius *lib.* 1. ex queis nos ipſi *eadem in Reſponſ. ad tract. Franc. de juribus Reginæ Chriſtianiſſimæ* §. 10. *ex n.* 4. de quo politicio reſpectu mox alia.

7 At quoad viduas Reginas proprie jam olim Sapiens Salomon, dum matri pro Adonia petenti ei in uxorem Abiſagam Sunamithidem, Davidis viduam, reſpondit, amara increpatione; *Poſtula ei & regnum*, ut legimus 13. Regum *cap.* 2. *verſ.* 22. quaſi ſcilicet affectatio conjugii cum vidua Regis eſſet affectatio regni, ſaltem præſcientia illa, & cautione, *quæ convenit Regibus*, ut fere loquitur, & ad illum locum expendit Theodoretus *quæſt.* 7. Abulenſis *quæſt.* 24. Cajetanus, & noviores alii. Sic & Salomonis patrem Davidem tradidiſſe in cuſtodiam decem concubinas, quæ fuerant filii Abſalonis, & manſiſſe eas *clauſas, uſque in diem mortis ſuæ in viduitate viventes*, memorat *ſacer textus* 2. Reg. *cap.* 20. *verſ.* 3. nempe inter alias cauſas, vitandæ occaſioni, & prætextui Tyrannidis, ſi Regiæ quaſi viduæ aliis nuptiis collocarentur, ut in ſpecie Theodoretus *Quæſt.* 39. *ad dict. cap.* 20. quod ſane aptabile eſt Toletano, & Cæſarauguſtano Canonibus; junge de relictæ Presbyteri, ſive viduæ matrimonio, alii prohibito, tanquam reprehenſibili, dignum notatu *Canonem* 3. Concilii Wermerienſis 1. *tom. Concil. Gall.* apud Sirmondum.

8 Addimus ex noviore poſt Gothos Hiſpania, veterem morem, ſeu legem obtinuiſſe, ne filiæ Regum nuberent, abſque aſſenſu Regum, & adhibito Procerum regni conſilio. Unde & pridem Eliſabetha Catholica, tunc Caſtellæ Infans, ac dein Ferdinando Aragonio nupta, ſine aſſenſu Henrici fratris, excuſabat feſtinatas nuptias, inſcio fratre, præter ætatem jam plus quam nubilem, quod à fratre ad nuptias extra regnum cum Alphonſo Portugalliæ Rege invita, indotataque, imo quo magis ſucceſſionis regni ſpe ſpoliaretur, adigebatur per vim, injuriaſque repetitas; nec tamen apud fratrem pervicit, quin ream ille ageret violatæ Hiſpanæ legis, ſimulque regiæ reverentiæ, & quoad potuit, exhæredaret, abdicaretque, ut memorant Anton. Nebriſſenſis, ex patrio Ferdinandi Pulgarii textu *dec.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. & 7. *cum ſeq.* & *lib.* 2. *cap.* 1. & 3. Marinæus Siculus *libr.* 19. *de Reb. Hiſpan. cap.* 7. Mariana *libr.* 23. *cap.* 13. & 14. *cum ſeq.* Zurita *tom.* 4. *Annal. lib.* 18. *cap.* 26. & 21. & plene *lib.* 17. *Compendii Hiſtor. ex cap.* 23. & 28. *cum ſeq.* at præ cæteris, & ex queis cæteri, Laurentius Galindus Carvaxalius, Primarius Anteceſſor Salmanticenſis, ac dein Catholicorum Regum Juſtitiæ, Gratiæque Conſiliarius, & recenſendæ, ſcribendæque Hiſpanæ Hiſtoriæ ab eiſdem præfectus in *Annalium Summariis*, quæ manuſcripta, in regia Bibliotheca Scurialenſi legimus, ad *annum* 1478. & ante alios Alphonſus Palentinus illius ævi Hiſtoricus, quem & puræ aquæ fontem, Carvaxalius vocat, *eoque ornatiorem Hiſtoriographum habere Hiſpaniam aliquando*

Digitized by Google

aliquando potuiſſe ſcribit, *ſed veraciorem neminem.* Quanquam de Palentini livore in Henricum, & licenti ultra modum animo, ac ſtilo, aliter, neque immerito Zurita in *Præfatione* 3. *tomi Annal. & tom.* 4. *lib.* 10. *cap.* 10. Mariana *lib.* 23. *cap.* 10 *in fine.* Ille itaque de Hiſpana lege, ne Regiæ Infantes nubant, ſine aſſenſu Regum, ac Procerum, ſic in *manu exarata Hiſpanienſi Hiſtoria Henrici*, *parte* 1. *anno* 11. *cap.* 58. *& parte* 2. *folio nobis* 138. *&* 142. & in *Latina Decade* 2. *lib.* 13. *cap.* 7. ubi de objectis per Henricum Regem, conjugio Eliſabethæ cum Ferdinando, ſic inter alia: *Præſertim quod nupſerat Ferdinando Siciliæ Regi, contra leges regni, quibus cavetur, ne præter genitoris, vel fratris conſenſum, filia Regis, cuiquam nubat, ante ætatem quinque, & viginti annorum.* Et in eumdem ſenſum idem *cap.* 6. *& lib.* 11. *cap.* 7. *& ſeq.* conducunt quæ de ſimili conſuetudine Comitiorum regni, in nuptiis Vaſconiæ Regum, memorat Mariana 25. *Hiſtor. cap.* 5. ſicut de Scotis, occaſione ſecundarum nuptiarum Mariæ Stuardæ, illorum Reginæ, alia Thuanus *lib.* 37.

9 Sed & pro ratione politica Gallici moris, licebit, expendas politicum axioma, de ſuſpectis merito conjugiis, & ut plurimum publico ſtatui noxiis, periculoſiſve inter potentiores cives in Democratia, aut Ariſtocratia, & conſanguineos Regios in Monarchia, cum exteris æqualis potentiæ, majoriſve, & maxime inconſultis, aut invitis Reipublicæ ſuæ Rege, aut Rectoribus. De quo jampridem ſcientiſſime Politicorum magiſter, Ariſtoteles 5. *de Republ. cap.* 7. *ad finem*, ubi Locrenſium, ac Lacædemoniorum Principum vituperat matrimoniorum cum externis licentiam, *eamque non contigiſſe in Democratia, aut Ariſtocratia bene temperatis*; memoranturque exempla punitorum ejuſmodi matrimoniorum, ex Plutarcho in *Dione*, Joſepho *lib.* 16. *Antiquit. cap.* 11. nobis nunc ſatis, ſimile illud ex noſtrate Theologo magni nominis, & Aulæ, atque arcanorum conſcientiæ Philippi II. compote, Dominico Soto ad 4. *Sent. diſt.* 29. *quæſt.* 1. *art.* 3. ubi ſic inter alia: *Si enim duo Illuſtriſſimi Magnates vellent ſuos liberos conjungere, qua ratione duæ eorum ampliſſimæ primogenituræ in unam domum coaleſcentes, periculum Regi, & Reipublicæ crearent, profecto poſſet tunc Rex, & deberet, tale matrimonium ſub graviſſimis pœnis inhibere.*

10 Et ſane huic politico arcano, & reſpectui reſpondiſſe non temere videtur, tametſi cauſas alias exprimat, regia Caroli V. prohibitio, unionis majoratuum potentiorum, per matrimonia inter potentiores, juxta *l.* 7. juncta *l.* 12. illic: *por lo que importa al eſtado publico. tit.* 7. *lib.* 5. *Compil.* & ex regiis connubialibus tabulis Annæ Hiſpaniarum Infantis, cum Ludovico XIII. Galliarum Rege, & Mariæ Thereſiæ cum Ludovico XIV. *caput illud* 6. quo utraque Infans fit expers, impoſque ſucceſſionis Hiſpani Imperii, niſi quo caſu aut vidua in Hiſpaniam redierit, *aut ſecundo nupſerit*, *cum aſſenſu Catholici Regis.* De queis conventis plura, bis connexa, Nos in *Reſponſione ad tractatum Galliæ de juribus Reginæ Chriſtianiſſimæ* §. 10. *num.* 10. & §. 13. *ex num.* 177. & Hiſtorica cenſura, ac ſtilo de Conventis illis Annæ, & Ludovici, nos ipſi in *ea*, quam ex Decreto Regis heu optimi, ac piiſſimi Philippi Quarti, ſcribere aggreſſi ſumus, *hiſtoria*, atque utinam daretur perſcribere.

11 At hæc, ut præmonuimus, pro ratione, & exemplorum fulchris Gallicæ conſuetudinis, prohibentis matrimonia regii ſanguinis Principum, abſque aſſenſu regio, & ſine eo, ſi contrahant, coërcentis, tamen ſalvo, & rato manente matrimonio, quæ fuit præmonitionis noſtræ primaria cautio: Qua poſita, ut pergamus ad extremam, præcipuamque partem aſſertionum Cleri Gallici, qua, tanquam conſequenter duabus aliis, quas præmittunt, concluditur, matrimonia agnatorum Principum, abſque aſſenſu regio contracta, eſſe nulla, & invalida ex defectu conditionis, ſine qua nequierunt valide contrahi, nempe aſſenſus regii, juxta memoratam conſuetudinem, quam antiquam, legitimam, rationabilem, & ab Eccleſia approbatam, in extremo aſſertionis ſupponitur. Nos plane, ac decretorie, aſſertionem iſtam in hac parte ſuſpectam, ſeductivamque ſimplicium mentium, & in ſpecie periculoſam regnis, ſeditioſamque, atque omnino cenſorio obelo dignam, arbitramur, & oſtendimus, ut paucis agamus, vel ex eo, quia cum non liceat, nec licuerit chriſtiano-politicæ auctoritati de matrimoniis inter Chriſtianos valide contrahendis ſtatuere, & impedimenta, quibus irritentur, ſeu dirimantur, inducere, idque ſive ex reſervatione facta ab Eccleſia, ſive ex defectu poteſtatis politicæ quoad ſacramenta, quod, ut verius, firmavimus ſupra *toto cap.* 41. (ubi inter alia meminimus Cabilonenſis Concilii 2. ſub Carolo Magno *Can.* 28. quo & in Gallia, & ab Eccleſiæ Gallicanæ Patribus expreſſum, ut, quoad impedimenta matrimoniorum, *ad Canones recurratur*) non magis licuit, licebitve hoc ipſum regnorum conſuetudini, niſi ab Eccleſia approbata ſit, quod & agnoſcunt Gallicæ aſſertiones prima ac tertia, & conſuetudinem, de qua loquuntur, approbatam ab Eccleſia ſupponunt.

Enim vero inter Canonum, ac Theologiæ peritos, in diſputatione de poteſtate conſuetudinis ad inducenda impedimenta dirimentia, plurium, & purgatioris cenſuræ aſſertio eſt, non poſſe induci, niſi conſuetudo ab Eccleſia approbetur, & Eccleſiæ Præſule Summo, Papa, & quidem expreſſim, ut ſenſit Oſtienſis *in Summa titul. de ſecund. nupt.* & in *cap.* 1. *de ſponſal.* vel ſaltem tacita permiſſione cum ſcientia, ut poſt Panormitanum, & Oſtienſem *in cap. ſuper eo, de cognat. ſpiritual.* Sylveſter *in Summ. verb. matrimonium* 2. *quæſt.* 3. *num.* 3. Pontius Legionenſis, Vaſquium, & Suarium laudans, *lib.* 6. *de Matrim. cap.* 6. *ex numer.* 5. D. Covarruv. *in* 4. *de Sponſal.* 2. *part. cap.* 6. §. 10. *num.* 18. Gaſpar Hurtadus *de Matrim. diſput.* 12. *diffic.* 2. *num.* 8. Rebellus *de Obligat. Juſt. libr.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 3. ex aliis Aug. Barboſa *in Collect. cap.* 1. *num.* 3. *de Sponſal.* alii apud Sanctium *lib.* 7. *diſput.* 4. *num.* 3. & 9. (tametſi ille in contrarium nitatur *num.* 9.) Et ex his, quæ de Gallica hypotheſi, & theſibus proprie cenſuerunt, poſt multos, Antonin. Diana *part.* 7. *tractat.* 1. *reſol.* 23. *num.* 8. *cum ſeq. & reſp.* 27. *num.* 9. Franc. Salern. *Diſcept. de Valore Matrim. contr. Francos.* §. 5. *num.* 16. & 26. & 30. Noſter affectu, atque conſeſſu Regii Senatus, ad quem, poſt primarias inter Curiæ Advocatos vices, pridem, meritoque tranſlatus, juxta vetus notumque illud, *quorum cum finiuntur actiones, tunc incipiunt dignitates*, D. Hieronymus Camargus *in Reſponſione Hiſpanica ad Gallicani Cleri aſſertiones præſuppoſito* 2. *num.* 27. *& ſeq.* Pro queis proprie expenduntur verba illa *Textus*, in re notiſſimi, *cap. ſuper eo* 3. illic: *Nec tuum, videaris, præſtare aſſenſum de cognat. ſpirit.* junctis, & eorum, quos memoravimus, explanationi relictis, ne feſtinantes nos morentur *cap. quod ſuper* 5. *de conſanguinit. cap.* 1. *de cognat. ſpirit. cap. cum olim* 6. *de Cleric. Conjug. cap. placuit* 13. *in fin.* 32. *diſt.* 12

Prætermittere tamen non licet nobilem textum (qui & fundus veluti eſt, & habetur, aſſertionis, contra Gallicam poſitæ) *in cap.* 1. *de Sponſal.* cujus ſpecies eſt, de Franco *nobili*, qui nobilem item mulierem de Saxonia duxit uxorem, Saxonum lege, *quam & multis annis tenuit*, *& ex ea filios procreavit* (quomodo hæc ſingula integriora leguntur in Burchardi *Decreto*, *lib.* 9. *cap.* 76. & in Ivonis *part.* 8. *cap.* 213. & in antiqua collectione 2. *Decretalium* Bernardi Papienſis *libr.* 4. *tit.* 1. *cap.* 1.) ac poſtea idem Francigena, *quia non eiſdem legibus utuntur Saxones*, *& Franci*, & cauſatus, ſeu cauſam prætexens, quod non ſua, id eſt, Francorum lege *deſponſaverat*, *vel acceperat*, *vel dotaverat*, dimiſſa illa, duxit alteram. At ſpeciei deciſio eſt, ſumpta ex Concilio Triburienſi, de quo poſtea, ut Francus ille, tanquam tranſgreſſor Evan- 13

gelicæ legis, ſubjiciatur pœnitentiæ, & à ſecunda conjuge ſeparetur, & ad priorem redire cogatur. Unde & præciſe infertur, matrimonium illud Francigenæ cum Saxonica tenuiſſe, nec diſſolvi potuiſſe, quamvis contractum contra conſuetudinem Franciæ; ſic enim *in dict. cap.* 1. *legis* nomen pro conſuetudine exaudiere poſt gloſſam omnes, ſicque itidem ex illa deciſione docent, deducuntque Innocentius, Oſtienſis, Panormitanus, & reliqui apud Sanctium *dict. Diſput.* 4. *num.* 9. (tametſi idem *num.* 9. *in fin.* à via hac recta, & regia declinet) & præter laudatos nuper, inter Gallos, Joannes Brunellus *tractat. de Sponſal. concl.* 19. Cujacius *in recitat. dict. cap.* 1. *de Sponſal.* explicite, & exacte Petr. Gregorius *in Prælect. d. cap.* 1. *num.* 10. & 76. *cum ſeq.* & *numer.* 106.

14 Porro expendimus pro firmanda aſſertione noſtra, ſimulque in juventutis gratiam, illuſtrando *Textu in d. cap.* 1. *de ſponſal.* Canonem Triburienſis Concilii, cui adſcribitur, & eſt *cap.* 39. in quo & duo proprie obſervanda. Primum eſt, non fuiſſe priorem, ac præcipuam ſententiam Canonis ſpecialiter de matrimonio Franci cum Saxonica, ſed de quocumque cum alienigena, ſive alienæ gentis fœmina, *verbi gratia*, ait *Canon*, *ſi Francus mulierem Baioricam, utrorumque conſultu propinquorum, legitime vel ſua, vel mulieris lege in conjugium duxerit:* eaque ſub theſi, & hypotheſi diſquiſitum fuiſſe, an ſeparari, ſeu dimitti talis uxor poſſet, quia quamvis utrique *Nationi unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, legem tamen habent diverſam, & quantum ad ſæculum interdum longe disjunctam, quare & videri poſſe unum ex duobus, non ſecundum gentis ſuæ legem, jura matrimonii contraxiſſe, & idcirco ſeparari poſſe.* Quæ verba *Triburienſis Canonis* ſunt, quæſtionem, & quærendi, ſeu dubitandi cauſam exprimentia: quibus elucidandis addimus, Baioricos, ſeu Baiovarios, qui hodie Bavari, habuiſſe proprias leges, ſeu conſuetudines in matrimoniis, tam quoad dotes ſecundum genealogiam, & ſucceſſionem uxorum, mortuis maritis, ut eſt *in legibus Baiovariorum*, *titul.* 14. §. 6. & *ſeq.* & *tit.* 7. *cap.* 14. quam quoad dimiſſionem uxoris per invidiam (id eſt in odium, injuriam, & infamiam uxoris, utcumque innocentis, aut parentum ejus, *objiciens ei nomen peſſimum*, ut in ſimili *Sacer Textus* Deuteronomii *cap.* 22. *verſ.* 13. Eo enim ſenſu nomen invidiæ, *in l. item* 15. §. *generaliter* 28. *verſ. hæc autem*, §. *de injur. l. ad invidiam* 6. *Cod. de his, quæ vi. l capitalium* 28. §. *ad ſtatuas* 7. *in fine*, *D. de pœnis l. ne quidquam* 9. §. *penult. D. de offic. Proconſ.* & apud Tertullianum *adv. Pſychicos*, ſeu *de jejuniis*, *cap.* 16. Juvenalem *Satyra* 15. & alios) quo caſu vir mulcta quadam, ſeu compoſitione ſoluta, & juramento præſtito, reducere dimiſſam non cogebatur, & ea à parentibus collocari aliis nuptiis poterat, juxta *dict. tit.* 7. *cap.* 14. & 15. *leg. Baiov.*

15 E contra Franci propriis legibus utebantur in conjugiis, quæ & contrahebant per æs, & libram, & ad inſtar Romani matrimonii priſci, per coëmtionem, coëmebant ſibi uxores per ſolidum, & denarium, ut liquet ex *vetere Chronico* Thoromachi Epiſcopi *lib.* 4. *cap.* 18. apud Henricum Caniſium *tom.* 2. *lect. antiq. pag.* 680. illic: *Legatus afferens ſolidum, & denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Clodovei deſponſat.* Et ex *formula* 5. inter veteres alias incerti auctoris, cum Marculfo editas, inibi: *Ego te per ſolidum, & denarium, ſecundum legem Salicam, viſus fui deſponſare.* ubi in notis ex Fredegario Vignonius, & ſic veluti legibus uxores acquirebant, ut in verbis, fortaſſe huc referendis, *Triburienſis Canonis* illis: *mulierem legitime, vel ſua, vel mulieris lege acquiſitam*, ut in *præcedente Can.* 38. *in fine: uxor legibus acquiſita*; junctis etiam ex *legibus Salicis tit.* 46. & de ſimili more ex Wiſigothorum *legibus lib.* 3. *tit.* 4. *cap.* 2. & 7. & Saxonum *tit.* 6. & 7. §. 3. ac præterea mariti Franci uxores dotabant, ut in *formula* 15. *lib.* 2. Marculfi, more Francorum, & Germanorum veterum, de quo Nos ſupra *lib.* 2. *cap.* 18. *ad cap.* 5. *de donat. inter:* ſimulque eiſdem in permiſſione erat ſeparatio ex mutuo conſenſu, ob diſcordiam, & tranſitus ad aliud matrimonium, juxta ejuſdem Marculfi *Formulam* 30. *de Libello Repudii lib.* 2. quanquam id tandem vetitum *Capitularibus* Caroli, & Ludovici *lib.* 1. *cap.* 43. *ex lib.* 5. *cap.* 149. & *lib.* 7. *cap.* 226. quæ promulgata, & obſervari juſſa, longe ante Arnulfum, ſub quo coacta Synodus Triburienſis.

Jam, his præmiſſis, cum conſtet, quare dubita- 16
tum de disjunctione conjugii Franci cum Baiorica, ſive quia ducta juxta legem Baiovariam, & ideo obnoxia dimiſſioni, ſive quia non emta, & dotata juxta legem Francorum, tamen definit Sancta Synodus, ſtatuitque, *ut quod legis imperfectum ſit, perficiatur*, ſcilicet in dotis ſumma, & pactis, quæ diverſa apud Francos, & Baioricos, ut præmonuimus, & *jus matrimonii nequaquam reſolvatur* Atque hoc ex Apoſtolicis, & Canonicis Decretis, quæ mox ſequuntur. Proinde, ut ad rem, quamvis leges, conſuetudineſque Francorum, & ſimilium, de matrimoniis, *quantum ad ſæculum*, approbentur, & *perficiendæ* ſint, non tamen ad *reſolvendum jus matrimonii*; atque ita *Triburienſis Canon*, utramque partem diſtinctionis, & aſſertionis noſtræ plane confirmat.

Secundum, breviuſque eſt, quod, poſt expoſi- 17
ta, *in Triburienſi Canone* legitur: *Nos autem cognita referimus, qui, quemdam Francum, & mulierem Saxonicam talia egiſſe cognovimus. Si quis poſt hæc, hujus Sancti Concilii inſtitutionem parvi pendens, aliam duxerit, cujuſcumque gentis, canonice arceatur, ut priori cum pœnitentia copuletur.* Conſlata ex hiſce verbis, & ſententia *Canonis Triburienſis*, tametſi interpolato varie Textu, & ſuppleto, ſpecies, deciſioque apud Burchardum, Ivonem, & Papienſem collectorem, quorum ſupra meminimus, atque ex eis tranſlata a Raymundo, *ad cap.* 1. *de ſponſal.* Porro expreſſa Burchardo, & Ivone hypotheſis, nobilis Franci cum nobili Saxonica, fortaſſis ideo, quia ſi Saxonica ignobilis eſſet, matrimonium, utpote inter impares non præſumeretur, niſi accepta ea, deſponſa, & dotata, juxta Francorum legem, ut elicitur ex *præcedente Canone Triburienſi* 38. junctis quæ ad rem tradidimus ſupra *lib.* 2. *cap.* 39. & hoc amplius, quia conjugium nobilis viri debuit eſſe cum nobili uxore, ut in vetere Saxonum lege, cujus memor, ex aliis, Frider. Lindem Brugius *in Theſ. leg. Antiq. in prolegomenis*, & Nos *inferius*. Denique & poſita ſpecies in Saxonica, ut in facto, ex Triburienſi, & quia diverſæ item Saxonum, & Francorum leges, quoad dotes, & lucra uxorum, de quo ſatis Petrus Gregorius *ad dict. cap.* 1. *num.* 4. & *ſeq.* ubi & de Oſtienſis, & Joannis Andreæ commentis: & erudite præ aliis noſter Gonzalus, poſt hæc ſcripta recens editus, viſuſque, ad *cap.* 1. *de Sponſal.*

Atque hæc de aſſertionibus Gallicis, ex Canoni- 18
cæ Theologiæ cenſura. Enim vero, quia veluti ex facto indubitato, & tanquam conſequenter prioribus, tertia aſſertio ſupponit, extare in Francia eam conſuetudinem, reddendi nulla agnatorum Principum, contracta abſque aſſenſu regio conjugia, & eſſe eam antiquam, rationabilem, legitime præſcriptam, & ab Eccleſia approbatam; quæ duo tamen neque indubitati facti ſunt, neque præciſe conſequuntur ex prioribus, in queis nihil ſpecialiter de facto conſuetudinis, quoad nullitatem matrimoniorum, neque de approbatione ejus per Eccleſiam, expreſſum fuerat, quæ in extremo tertiæ aſſertionis captioſe, & ſenſim, tanquam indubitata, & conſequentia ſubjunguntur; ſubjungemus etiam de hia hiſtoricam cenſionem noſtram. Et ſane in aditu, & ex facto præmonemus, juris, moriſque Gallici ſcientes, ſicubi conſuetudinis matrimoniorum, non contrahendorum ab agnatis Principibus ſine aſſenſu regio, meminere, nuſquam tamen exprimere, eſſe ea nulla, & irrita, quamvis obnoxia fuiſſe pœnis exiliorum, atque aliis regiæ dominationis, &

iræ

iræ commemorent: quomodo in ſpecie poſt memorabiles D. Bern. *Epiſtola* 222. & 224. Joinvilla *in Hiſt. S. Ludovici*, *cap.* 8. & 15. Franciſcus Marcus *Deciſ. Delphin.* 306. a. 5. & 6. ex Freſſarto Renatus Choppinus *libr.* 3. *de Dominio Franciæ*, *tit.* 19. *n.* 11. & ex Falchetio Ant. Mornatius *ad l. ſi Senatori* 31. *D. de ritu nupt.* & ex Joanne Tilio Michaël Rouſellius in *Hiſtor. Pontif. Juriſd. lib* 7. *cap.* 4. *n.* 36. *verſ. Fortior.* Petr. Ærodius *lib.* 4. *Rer. Judic. tit.* 15. *cap.* 8. Et hi quidem ante annum 1635. & controverſiam de matrimonio Aurelianenſis Ducis cum Margarita Lotharinga, ſed & poſt inde, ex Gallia, Antonius Dadinus Alteſerra multa de nuptiis Principum, ſine aſſenſu regio, vix toleratis à Regibus Francogallis, eorumque indignationis exempla recenſens erudite, non tamen de illis, tanquam nullis, jure, judicioque reſciſſis, *lib.* 3. *de Ducibus Galliæ*, *cap.* 1. Ubi & de regnis aliis; de queis & in commune Antonius Thyſius in *Memorab. Rer pub. cap.* 18. Didac. Lequilius *de Matr. Auſtriac. tom.* 2. *p.* 3. *excurſ.* 1. *ſect.* 3. Franc. Zypæus *libr.* 4. *Conſult. Canon. cap* 11. ex noſtratibus Mariana *lib.* 18. *Hiſt. cap.* 8. Ant. Herrera *in Philippi* 2. *Hiſtor. lib.* 4. *cap.* 13. Lud. Cabrera *ejuſdem Hiſt. lib.* 6. *cap.* 1. & ſub ipſum annum conjugii Aurelianenſis cum Lotharinga, Carolus le Bret *lib.* 1. *de la Souveraineté du Roy*, *cap.* 8. qui & concludere auſus, *Potentiorum tunc demum legitima eſſe matrimonia, ſi ſint è Republica.*

19 Jam ut de Hiſtoricis exemplis pauca, & ea ſaltem, de quibus, tanquam ſtatis, & decretoriis Gallicæ aſſertiones nituntur, & abutuntur, in primis quoad illud vetus de Judithæ viduæ Caroli Calvi Galliæ Regis filiæ, matrimonio cum Balduino Ferreo Flandriæ Comite, quod irritatum fuiſſe, aſſertio Gallica ſupponit, quia contractum ſine aſſenſu Caroli Regis; reſpondetur proprie, & perſpicue, non aptari id exemplum aſſertæ conſuetudini, quia neque eſt de agnato Principe, & regni ſucceſſioni proximo, ſed de filia Francogallici ſceptri experte, ut iidem contendunt, ac præterea non fuit matrimonium Judithæ, & Balduini accuſatum, quia initum ſine aſſenſu regio, contra conſuetudinem, de qua nec verbum in hiſtoricis rei monumentis, ſed quia contractum à raptore cum rapta, invitis Carolo patre, & matre Hermentruda Regina: ac proinde ut Nicolaus I. Papa ſcripſit, *Epiſt.* 21. *ad Hermentrudam*, *contra divinarum legum ſanctiones*, ſive, ut antiquus Belgii Chroniſta, Joannes Gerbrandus Leidenſis *lib.* 6. *cap.* 8. *Decreta Gregorii Papæ contra raptores mulierum*, quibus ſcilicet anathematizantur, ut in *Canone* 66. *Apoſtol.* & ex Chalcedonenſi, & aliis, in *cap.* 1. & *ſeq.* 36. *quæſt.* 3. Queis Canonibus conſequenter, ob raptum Judithæ, anathematizatus fuit Balduinus in Synodo Silvanectenſi, ut memorat Flodoardus Canonicus *Hiſt. Rhem. lib.* 3. *cap.* 12. junctis *Epiſt.* 30. & 32. Nicolai Papæ, ac præterea, ut Hincmarus Rhemenſis aiebat apud Flodoardum *dict. cap.* 12. *contra mundanas etiam leges*, ſeu *ſæculi*, de ejuſmodi raptoribus puniendis *l. unica Cod. de Raptu virg.* & *tit.* 14. *legis Salicæ:* quo poſito, & ſepoſita, ut aliena diſquiſitione, quando, & quatenus impediretur, aut dirimeretur matrimonium raptoris cum rapta, eo ævo, ante *capus ult. de raptor.* illud ſaltem pro re, & ex facto ſubjungimus, intercedente Nicolao Pontifice pro Balduino apud Carolum, ut *quod in leges mundi peccatum erat*, *perdonaretur*. (eo enim, *perdonandi*, verbo, jam inde in Hiſpaniſmum noſtrum recepto Hincmarus utitur) fuiſſe tandem Juditham *paternis*, & *maternis obtutibus præſentatam*, & Carolo, tametſi abſente, per miniſtros ſuos permittente, dimiſſam *Balduino in uxorem legaliter*, ut Nicolaus apprecabatur, *dict. Epiſt.* 30. & 32. ſive, ut eſt in extremo *Epiſtolæ* Hincmari: *Secundum leges ſæculi, copulari permiſſos ad invicem, uxoria conjunctione*, nempe reddita rapta patribus, & eis quaſi denuo deſponſantibus cum dotalitio, ut non ſemel obtinuiſſe ſæculi illius legibus, moribus, fortaſſe exemplo ducto ex *cap.* 22. Deuteron. *verſu* 28. junctis Hieronymo, & Ambroſio in *cap. Tria* 8. *cum ſeq.* 36. *quæſt.* 2. indicio ſunt, poſt S. Baſilium *ad Amphylochium*, *Can.* 22. *Capitularia* Caroli *lib.* 7. *Can.* 311. & Meldenſe Concilium *Can.* 64. & *ſeq.* quamvis eo Concilio in poſterum, & aliis, ea conſuetudo improbetur, *cap. ſi autem* 10. *cum ſeq.* 36. *quæſt.* 2.

20 Oſtendit vero hæc exempli, de Balduino, & Juditha, ratio, & recenſio, alieniſſimum id eſſe, ut liquet, à theſi de conjugio agnatorum Principum, ſine aſſenſu regio; de qua tamen hiſtorica ſerie, poſt *Epiſtolas* Nicolai, 20. & 21. 30. 32. & 52. atque Hincmarum, & ex eo Flodoardum, plura ex veteribus rei actis Card. Baronius *tom.* 10. *ad ann.* 862. & 863. & Gallici ſcriptores noviores, Paulus Æmilius, Robertus Gaguinus, Papirius Maſſonius, Franc. Belleforeſtus, Scipio Duplaiſius, Haillantius, & ſi qui alii in *Carolo Calvo*, & ex Belgis, ſeu Flandrogallis antiquis, à Suertio editis, Joannes Gerbrandus Leidenſis *lib.* 6. *Chronici Belgici*, *cap.* 8 Ægidius de Roya *in Annal. Belg. ad ann.* 862. Nicolaus Ægidius, & Jacobus Meierus *ad eumdem annum.* Queis tamen nec mutire contigit, de lege, aut conſuetudine aſſenſus regii, aut matrimonio illo inde improbato, nedum irrito, ſed quia à raptore cum rapta. Ac proinde alieniſſimum a propoſito, exemplum Balduini, & Judithæ, ſicut & anterior illa de Meroveo cum Brunichilde, de quo Gregorius Turonenſis *lib.* 5. *Hiſtor. cap.* 18. Aimoinus Monachus 3. *de Geſtis Franc. cap.* 2. & *ſeq.* Concilium Pariſienſe ſub Chilperico in *princ.* & ex eis, poſt alios, Adrianus Valeſius *lib.* 10. *Rer. Francic.* & Chramni cum Calte Aquitana, apud eoſdem Gregor. 4. *cap.* 20. Aimoin. 2. *cap.* 30.

21 Secundum Gallicanis aſſertionibus proditum exemplum eſt de conjugio Ludovici Balbi, Francogallicæ Coronæ Principis, cum Anſgarde mitellata, &, ut Galli vocant, *Damiſella*, quod, quia inconſulto patre Carolo Calvo initum, fuiſſe diremtum, repudiata Anſgarde, & coacto Ludovico ducere uxorem Adelaidem, ſeu Alicem, filioſque ex Anſgarde ſuceptos, Ludovicum, & Carolomanum, habitos pro illegitimis, notant ex Falchetto Mornatius ad *l. ſi Senatori* 31. *D. de ritu nupt.* Carol. Le Bret. *lib.* 1. *de la Souveraineté*, *cap.* 8. *in fine.* Aſt omnino alia rei veritas, quippe, ut non inficiemur, coactum Ludovicum repudiare Anſgardem, & ducere Adelaidem, regis vi, ac motu Caroli patris indignantis, non tam quod eo inconſulto, quam quod ignobilis, & impar uxor ducta, unde & filiis ex Anſgarde Ludovico, & Carolomano objecta nota, tanquam ſuſceptorum ex Scorto, aut pellice, apud Gaguinum, & Paulum Æmilium, Bernardum Girardum, Haillantium in *Ludovico*, & *Carolomano Regibus*; nullibi tamen ſcriptum, aut proditum, fuiſſe conjugium cum Anſgarde jure, aut legitimo judicio diremtum, tanquam irritum (ſicut neque fas erat) quia impar, & multo minus, quia contractum ſine aſſenſu Caroli: atque imo potius liquet, teſtamento Ludovici Balbi patris, filio ſuo, ex Anſgarde, Ludovico tranſmiſſam, per Albuinum Comitem, *Coronam*, & *ſpatham*, *ac reliquum Regium apparatum*, juſſis Proceribus ſuis, *at eum in Regem ſacrari*, & *coronari facerent*; quæ Aimoini verba ſunt *libr.* 5. *cap.* 39. ubi & *cap.* 40. de conſecratis Regibus, ex Anſgarde filiis, Ludovico, & Carolomano, & quidem conſecrato Ludovico ab Hincmaro, Galliæ, & illius ævi primario Antiſtite, quem ipſum de legitimo conjugio cum Anſgarde non dubitaſſe, ſat ex ejuſdem Epiſtolarum notis intelligitur, apud Flodoardum *lib.* 3. *cap.* 19. & ex novioribus Galliæ Hiſtoricis, excerte, & veridice, ut ſolet, Papirius Maſſonius in *Ludovico Balbo*, & *filiis.* Scipio Duplaiſius *in eodem Balbo*, *ad annum* 879. §. 7. Scævolæ Sammarthani fratres *tom.* 1. *Hiſtor. Franc. lib.* 4. *cap.* 2. & 3. Baronius *tomo* 10. *ad ann.* 879. *in princip.*

22 Tertium denique exemplum profertur, ex matrimonio Maximiliani I. Romanorum Regis, atque Annæ Britanniæ Duciſſæ, quam, eo non obſtante,

nuptam Carolo VIII. Galliæ Regi conſtat, & matrimonium cum Maximiliano diremtum, quia ſine aſſenſu Caroli, à Duciſſa Gallicæ Coronæ obnoxia, initum fuerat, Francogalli aſſertores volunt. Sed utcumque de re, & de facto diremtionis, & conjunctionis eorum connubiorum conſtet, de quo jam, eſt plane exemplum extra rem; quia non de agnato Principe, Galliæ præſumptivo hærede, ſed de fœmina Britanniæ Duciſſa, quam Gallicæ Coronæ capacem aſſertores iidem pernegabunt: ultra quod, ſi non levis notæ Hiſtoricis credas, Maximiliani, & Annæ non matrimonium, ſed ſola ſpes, & repromiſſio fuerat futurarum nuptiarum, uti memorant Joannes Tilius *in Comment. Rer. Gallic. lib.* 1. in *Carolo VIII.* Paulus Jovius itidem *lib.* 1. aut, ſi alios, & quidem rei, ac fidei teſtes exploratiores ſequare, matrimonium inter Maximilianum, & Annam ſane præceſſerat, ſed per procuratorem, & ſolo verbo, &, ut loquimur, dumtaxat ratum, quod diremtum à Carolo VIII. *eo jure* (ait Spondanus 2. *tom. Annalium*, poſt Baronium *ad ann.* 1491. *n.* 2. *injuriam* debuit dicere) quo prohibetur, ne Magnatum liberi extraneis matrimonio jungantur abſque permiſſu Regis (quod plane jus, aut conſuetudo, ad diremtionem vinculi matrimonialis, nunquam ſuffecit, ut ſæpe monuimus) & diremtum facto, & flagitio dominationis Caroli, quo ſcilicet per nuptias cum Carolo, Britanniæ Armoricæ Ducatus Galliæ uniretur, agnoſcunt ſæculi illius, & & geſtorum Chroniſtæ, Philippus Cominius, de illorum conjugiorum jure ſerio dubitans, & infelices eorum exitus perpendens, *Hiſtor. Caroli* 8. *cap.* 146. & poſt Gaguinum Arnoldus Ferronus, Franciſcus Belcarius, ex Pontano Papirius Maſſonius, Fr. Belleforeſtus, ac Scipio Duplaiſius (utcumque iſte præcedentem Pontificiam diſpenſationem comminiſcens, cujus nulla in nuptialibus, quas deſcribit, Tabulis, mentio) Bertrandus Argentreus *Hiſt. Britann. lib.* 12. *cap.* 56. *&* *lib.* 13. *cap* 58. *& ſeq.* ac demum, poſt Sabellicum, Polydor. Virgilium, Nauclerum, & alios, Abrahamus Bzovius *tom* 18. poſt Baron. *ad ann.* 1493. qui, & poſt cum recens ſcriptor Joannes Buſſierus *Hiſt. Franc.* 3. *parte libr.* 14. tandem teſtantur acceſſiſſe poſt factum conjugii Caroli, & diremtionis cum Maximiliano, Pontificiam Alexandri VI. veniam, ſeu diſpenſationem, qua ſcilicet matrimonium dumtaxat ratum Maximiliani, deinceps pro diſſoluto, & illud Caroli novo conſenſu pro valido haberi poſſet; adde îis ex noſtratibus Hieronym. Zuritam *tom.* 5. *lib.* 1. *cap.* 5. *&* 22.

23 Ergo, ut exemplis aliis Gallicæ conſuetudinis, à quibus Gallicani aſſertores abſtinent, abſtineamus & nos, quia tametſi adſtruantur pro conſuetudine prohibitionis politicæ, matrimoniorum Galliæ Procerum, abſque regio aſſenſu, non eam probant, aut firmant quoad nullitatem, aut legitimam ex ea cauſa diremtionem nuptiarum, ſed quoad alias civiles pœnas regiæ indignationis, ac motus, aliis etiam regnis ſuetas, & interdum incivilis, ac deſpotici Imperii, & dominatus, ut diſtinguimus, & expendere licet, in congeſtis à Renato Choppino, Carolo Lebretio, & Dadino Alteſerra, de queis ſupra; adjicimus pro hiſtorica geſtorum face, quoad connubium Aurelianenſis Ducis cum Margarita Lotharinga Principe, fuiſſe illud in primis Nancæi coram in id deſignato Parocho à Tullenſi Antiſtite, & teſtibus contractum, juxta Eccleſiæ ritum, ac poſtea ſolemniore pompa ratum habitum Bruxellis, coram Mechlinienſi Archiepiſcopo, & vel in Gallia, atquè inter Gallos integros conſcientiæ, & cenſuræ, nec Richeliano prædominio ſervientes, ſemper habitum pro legitimo, juſto, & ſacro, ut vel nolens agnoſcit Spondanus, *de multis omnis generis hominum, contra aſſertiones Gallicani Cleri, murmurantibus*, non ſilens *ad ann.* 1635. *n.* 9. *in fin.* & vel dum ſilent alii Galliæ ſcriptores, ſub idem tempus, aut poſt Richelii deceſſum, memoriam hujus rei, tanquam infamem ſcopulum devitantes, Lebretius, Dadinus, Buſſierus, Carolus Bernard. in *Ludovico XIII. lib.* 16. *&* 17. & vel ex factionariis Richelii, Auberius *in illius Hiſtoria, lib.* 4. *cap.* 37. *& ſeq. & lib.* 5. *cap.* 46. & in memoriis Richelianæ Hiſtoriæ *tom.* 1. *in articulis Concordiæ Aurelianenſis cum Ludovico ad ann.* 1634. uſque adeo, ut Ludovicus idem XIII. Rex Chriſtianiſſimus, cujus regia auctoritate, & nomine abuſus, & graſſatus in Aurelianenſes nuptias Richelius, cum extremum ſpiritum ageret, illa in eas attentata inter potiſſimas conſcientiæ ſuæ noxas horruerit, & expiaverit, exploſis, teſtatione noviſſima, decretis Parlamenti, & Gallicani Cleri contra Margaritæ Principis nuptias, eaque regie in Regiam advocari juſſa, tanquam Aurelianenſis Ducis uxore juſta, ut memorat Scipio Duplaiſius *in Ludovico XIII. ad annum* 1643. ubi de Ludovici obitu, §. 16.

Adjicimus poſtremo (& quo magis Gallicana hæc 24 decreta deteſtere, ſintque poſteritati exempla, quibus deterreatur, non quæ imitetur) ante Gallicani Cleri conventum, & aſſertiones, anno ſcilicet qui præceſſit, 1634. ad ſeptembris nonas, Pariſienſem Senatum, ſeu Parlamentum ſolemni Arreſto, ut vocant, Pyramidi marmoreæ, ad Barum urbem incidi juſſo, certe edicto, cui, ut alias Tertullianus, *adſcribi non debeat bonum factum*, declaraſſe, ac decreviſſe, aſſertum matrimonium Ducis Aurelianenſis cum Margarita Lotharinga, invalidum, ac omnino irritum fuiſſe, expreſſa, ultra conſuetudinem regni, inter alias, cauſa ſane perlepida (raptus ſcilicet Aurelianenſis per Margaritam, digna omnino, & veroſimillima in viro Principe, Regii Gallici ſanguinis agnato) deſcripta Arreſti verba à Duplaiſio in *Ludovico* 13. *ad annum* 1634. ubi de Mothæ obſidione §. 13. & ſententia à Spondano Epiſcopo in *Proluſione*, ſive *Actuario ſæculi* 17. ad *annum* 1634. *num.* 9. ex queis rei meminere alter Epiſcopus, fortaſſe Annalium, quam Theologiæ peritior, Paulus Piaſeccius Sarmata, in *Europæ Chronicis ad annum* 1633. *&* 1634. & ex Germanis, Joannes Petr. Lotychius, *tom.* 2. *Rerum Germanic. lib.* 9. *cap.* 1. §. 7. Adolphus Bracchelius *lib.* 4. *Hiſtor. ſui temp. in fine.* Ex Italia Gallicano ſpiritu, Horatius Turſellinus in *continuat. Epit. Hiſtor. ad extremum anni* 1634. & quamvis perſonate rem cenſoria acu attingens, Notonianus Vadinus in *meliore Lilio*, ſive in *S. Ludovico pag.* 44. temperanter magis Baptiſta Nanius, hiſtorico criterio, & ſtilo plane Patritius, liberque, an & ab effectibus? *Venetæ Hiſt. lib.* 9. Nobis jam de execrabili hoc attentato Gallici Parlamenti in ſacroſanctum jus matrimonii, expendiſſe ſat fuerit, ſolis inter Chriſtianos Gallis non licere, ſed uſurpari potuiſſe, inconſulta Theologia Sorbonæ ſuæ, irrequiſito Galliæ Eccleſiarum ſenſu, & conventu, ante omne, nedum Pontificium, ſed vel ullius Eccleſiaſtici Judicis decretum, Parlamentaria laica manu, nefarioque Arreſto, non Aurelianenſem, & Margaritam, quos Deus conjunxerat, tantummodo ſeparaſſe quoad thorum, ſed & diſſolvere attentaſſe ſacrum jus, atque vinculum matrimonii, & pronunciato ſuo, ac magiſterio præiviſſe Senatum illum ſæculi, Eccleſiarum Galliæ Senatui, proximo anno illum ſecuto. Et ſane impudentiore licentia, & ludibrio, quam quo, vel inter ethnicos olim, an rite nuberetur, Pontifices ante nuptias, vel poſt ludibrium conſulebantur. Quanquam neque ideo excuſatiores Gallicani Eccleſiaſtæ, & Theologi, Aulici, qui palatinis Parlamenti aſſertionibus poſtea ſubſcripſere.

CAPUT

C A P U T LII.

Præſatorum de politica auctoritate extrema, & conſentanea Appendix.

De Recurſibus, quos vocamus, per viam violentiæ; & in primis de Decretis Laïcorum.

A R G U M E N T U M.

DE vulgari, apud nos, recurſuum, & decretorum violentiæ *uſu, non vulgares, nec ex fori tritura obſervationes. Decretorum, quæ dicimus,* Laïcorum, *in reo, & cauſa profana ex* legibus *noſtris, forma, ſed & ratio ex præfatis, de auctoritate politica, ſufficienti ad ſe tuendam, nec per* Chriſtum Dominum *diminuta in temporalibus, aut mutata. Objectio de pari ſaltem jure, aut majore,* Eccleſiaſtici Principatus *ad ſe tuendum, contra laïcam uſurpationem, ſi* Eccleſiaſtici *fori cauſam eſſe, intendat; idque ex præſcripto* Canonum, *&* legum. *Quo circa & improbatis decretis laïcalibus recurrendum ad arbitros, aut* Eccleſiaſticæ *juriſdictioni, tanquam potiori ſtandum, non defuere, qui cenſuere. At, contra objectionem expenditur, Principatum politicum, exceptis perſonis, & cauſis, quas* Chriſtus Dominus *ab eo excepit, & quæ poſtea humano poſitivo jure exceptæ ſunt, habere quoad alias omnes regulam juriſdictionis pro ſe, & ut practica phraſis eſt, fundare de jure, ex præſumptione regulæ, & poſſeſſione territorii ex gentium jure, contra quæ, niſi excepta perſona, & cauſa probetur, ſtatur politico Principatui. Expenditur deinde, proprium munus eſſe politici Principatus, ex primævo ejus fine, curam tuendæ pacis, & quietis publici ſtatus, juxta ſacra, & juſto-politica auctoramenta, quæ laudantur. Proinde & proprium eſſe ejuſdem Principatus, ſe, & politicam quietem tueri, per decreta laïcalia, contra turbamenta violentiæ, & uſurpationis* Eccleſiaſticæ. *Additur, nec poſſibile eſſe, tot turbamentis, & juriſdictionum conflictibus, in* Chriſtianis *provinciis in dies occurrentibus, ſuccurri per recurſum ſupremi Principatus* Apoſtolicæ *Sedis, qui & remotior, & utcumque ampliabilis ad temporalia indirecte, & pro* Eccleſiæ *bono, non tamen ampliandus, niſi in arduis, & ex ardua cauſa.*

1 TOt de auctoritate politica, ex capite, & ejuſdem veluti elementari fonte accerſitis, nondum foro, & tribunalibus noſtris feciſſe ſatis videbimus, niſi & addiderimus aliqua, de recurſibus *per viam*, ut loquimur, *violentiæ*, a judicibus eccleſiaſticis ad regias Curias; de queis ſunt apud nos, proſtantque in forenſi tritura tractatus famoſi, quoad recurſuum jus, ſeu juſtitiam, rationum, Canonumque centonibus, ut ingenue profiteamur, refecti magis, quam inſtructi, quanquam ad incidentes, ſuppoſita recurſuum juſtitia, quæſtiones, ſin utiles, neceſſariique. Nobis, intra hos cancellos quatuor præfatorum, de auctoritate politica, de queis ſupra *cap.* 42. ſatis nunc ſit, ex illis ipſis pro jure, & inculpato uſu eorum recurſuum, pauca, & ſemper obnoxia ſupremæ Apoſtolicæ cenſuræ, & inoffenſa ſuprema itidem Regia auctoritate, adnotaſſe, ac deduxiſſe.

2 Primum eſt, quoad recurſus à judice eccleſiaſtico cognoſcente, & procedente contra reum laïcum in cauſa profana, in queis frequens querela eſt, per viam violentiæ, ad Regia Prætoria, expeditius cæteris recurſibus eſſe, ſecuriuſque jus, atque uſum decretorum, quæ vocamus Laïcorum, per quæ, ſi de reo laïco, & cauſa profana liqueat, decernitur, vim fieri ab eccleſiaſtico judice, & acta illius nulla eſſe, ſimulque lis, ſeu cauſa remittitur judici laïco competenti, & interdum in Regio Prætorio retinetur. Atque eo decreto utimur, etiamſi aut non inſtructa formaliter violentiæ querela deferatur, aut Laïcus juriſdictioni eccleſiaſticæ acquieviſſe, eamve non explicite declinaſſe videatur; ſi tamen de reo laïco, & profana cauſa conſtet, ut exprimitur *Cancellariæ Granatenſis Ordinationibus, libr.* 1. *tit.* 1. & teſtantur poſt D. Covarr. Gaſpar Roder. *de Ann. Reddit.* 1. *qu.* 17. *n.* 7. & paſſim noviores.

3 Eſt vero hujus decreti, atque uſus, conſentanea præfatis noſtris ratio, & auctoritas, nimirum quia cum Chriſtus Dominus principatui politico, quoad profana, ſeu temporalia, nihil detraxerit, neque quoad hæc eccleſiaſticum principatum inſtituerit; ſed pro ſacris, & eccleſiaſticis, & utrumque invicem reliquerit directe, & ordinarie independentem, & politicum principatum inſtructum ſuis mediis neceſſariis, ſufficientibuſque ad ſe tuendum in temporalibus, conſequens eis ſingulis eſt, licere principatui politico, ſi de reo, ac re non eccleſiaſtica, ſed temporali, aut profana agatur, de qua eccleſiaſtici principatus miniſter, violenta uſurpatione juriſdictionis non ſuæ, ſpoliet ſine judicio, *cap. conquerente* 7. *de reſtitution. ſpoliat. l. extat* 13. *D. quod metus cauſa*, & cognoſcat, aut procedat (ſicut ante, & poſt Chriſtum, cujus principatui politico licitum, contra invaſionem alterius principatus politici, tueri ſui imperii fines, & jura, & vi judiciaria, aut etiam armata, vim propulſare) ita & poſt Chriſtum licet contra eccleſiaſtici principatus uſurpationem, jus ſuum tueri ſuis, neceſſariiſque mediis, & decretoria auctoritate, & imperio: cujuſmodi eſt pronunciatum illud, de vi facta, & nullitate actorum eccleſiaſtici miniſtri, & remiſſione cauſæ ad Laïcum competentem; exſtatque ejus decreti Laïcorum ſumma, non aliunde diſertior elicienda, *in l.* 14. *titul.* 3. *lib* 3. *Compilat.* Ratio autem illuſtrari facilis, tot illis veterum locis, quorum in præfatis 1. 3. & 4. meminimus, *d. cap.* 42. ac præterea regiis legibus noſtris 5. *verſ. tanto, titul.* 3. *l.* 1. 2. & 3. *titul.* 8. *l.* 6. *in princip. tit.* 4. *lib.* 1. *l.* 3. 4. 5. & 6. *l.* 11. *cum ſeq. titul.* 1. *l.* 23. *titul.* 25. *lib.* 4. *l.* 16. *titul.* 6. *l.* 17. *titul.* 5. *lib.* 3. *Compilat.*

4 Neque ignoramus, inficiamurve, æquale ſaltem jus eccleſiaſtici principatus eſſe, aut videri, ſi contendat, reum, cauſamve, de qua cognoſcit, proceditque, eſſe eccleſiaſticæ juriſdictionis, non laïcæ, & injuſte ad Regia Prætoria recurſum fieri, atque imo injuſta decreta eſſe, quibus, tanquam laïcæ cauſæ, cognitio ei inhibetur, acta irritantur, & judici laïco lis remittitur. Proinde & data hac, ſeu ſuppoſita eccleſiaſtici judicis perſuaſione, licere eidem, contra uſurpationem politici Magiſtratus, tueri ſuum jus, & juriſdictionem propria auctoritate, & mediis, & ſpirituali gladio, & cenſuris: id quod evincit utriuſque principatus par invicem independentia, & ſupremitas, & in tuendo jure ad unumquemque pertinente, æque ſibi ſufficiens, & mediis neceſſariis inſtructa poteſtas, juxta eadem præfata noſtra: denique juncta utrique pariter cura, & præceptio, ut abſtineant invicem ab uſurpationibus, & ſuum quiſque jus defendat: quomodo, quoad utrumque, præcipitur *in l. conſulta* 23. *verſ. abſurdum, Cod. de teſtament. cap. dilecto* 6. *de Sentent. excommunicat. in* 6. *cap. novit, de judic. cap. cum ad verum* 6. 96. *diſt. cap. quoniam* 6. 10. *diſt.* & Concilii Lateranenſis, ſub Innocentio III. *Can.* 42. verbis illis: *Sicut volumus, ut jura Clericorum non uſurpent Laïci, ita velle debemus, ne Clerici jura ſibi vindicent Laïcorum*, cui fere concinit *regia lex noſtra* 5. *tit.* 3. *lib.* 1. *Compilat.* & jam pridem, quoad Eccleſiaſticos, *ne propter prohibitionem Laïcorum, eccleſiaſticam dimittant juſtitiam exercere*, cautum fere ad rem eſt in *notiſſimo cap. decernimus* 2. *in fine, de judic.*

5 Qua ratiocinatione, tametſi non itidem explicita, non defuere, qui improbato decretorum laïcalium uſu, ſimiles inter eccleſiaſticam, & regiam juriſdictionem controverſias decidi potius, oportuiſſe, per arbitros utrinque electos, cenſuerint: ſicut

ad inſtar illius Concordiæ Aragonicæ inter juriſdictionem eccleſiaſticam ordinariam, & ſæcularem, conſuluit, quoad eccleſiaſticam delegatam, Petrus Fontanella *de Pactis Nuptialibus clauſul.* 4. *gloſſa* 13. *part.* 3. *num.* 18. *& ſeq.*

6 Quin & fortaſſe non defuturi ſint, qui cenſeant, in contentione pari, & quæſtione de reo, & cauſa, an ſcilicet eccleſiaſtici fori ſint, an ſæcularis, potius eſſe, ut ſtetur eccleſiaſticæ juriſdictioni, tanquam ob ſui finis excellentiam ſupereminenti, & quæ indirecte ad temporalia extendi poſſit, quam ſæculari, & ejus decretis, utpote inferioris gradus, & finis, nunquamque ad eccleſiaſtica porrigendis.

7 Sed pro receptis apud nos recurſibus, & Laïcorum decretis, eorumque obſervantia, & ſuppoſita, quam objecimus, ſaltem paritate inter principatum eccleſiaſticum, & politicum, & æquali utriuſque jure æſtimandi, an ſua ſit juriſdictio, eamque defendendi, & relicto intra ſuam Galliam Pariſienſi Antiſtite Marca, qui objectionem movet magis, quam ſubmovet, *lib.* 4. *de Concord. Sacer. & Imper. cap.* 21. *num.* 2. & 5. expendimus ſummatim ea, quæ in dubio, & controverſia, an eccleſiaſtici, vel politici principatus cauſa ſit, ſuadent, ſtandum tantiſper, tanquam potiori, juri politici principatus. Tale in primis eſt, politicum principatum, ſicut ante Chriſtum Dominum, perſonas omnes, & cauſas ſuo jure complectebatur, ita & poſt Chriſtum retinuiſſe, ſuo illo indelibato, ac veluti univerſali jure, ea ipſa ſingula, & omnia, exceptis ſolis, quæ eccleſiaſtico principatui attributa eſſe conſtiterit, ſive quoad ſacra, & ſpiritualia, & perſonas eis miniſtrantes ex Chriſti inſtitutione, ſive quoad res, & bona, ex humano jure canonico, & Chriſtianorum Principum placitis, juxta tradita ſupra præfato 1. & 3. *cap.* 42. & ſecuto inde *cap.* 43. *in principio.*

8 Quapropter, & quamdiu non conſtat, ſed contenditur, an eccleſiaſtica, vel profana perſona, & cauſa ſit, ſive quamdiu de exceptione perſonæ, & cauſæ à politico principatu non liquet, habet pro ſe politicus principatus veluti regulam, juriſdictionis, omnes cauſas, perſonaſque non exceptas comprehendentis: habet item rationem, tam quoad perſonas, quia Laïci omnes naſcuntur, neque Clerici, niſi poſtea fiant, quam & quoad cauſas, quia ſæculares omnes ſunt, niſi quas exceptas, & Eccleſiæ attributas conſtiterit; denique, ut cum Pragmaticis noſtris loquar, fundat de jure, ut & in re, & in ſpecie de regia juriſdictione ſcriptum eſt in *l.* 2. & 3. *tit.* 1. *lib.* 4. *Comp.* juncta eidem compilationi inſerta inſtructione in extremo, *tit.* 4. *lib.* 1. *cap. ult.* pro obſervantia Tridentini, & nititur regula, ac præſumptione juris, & poſſeſſione territorii, quod eſt principatus politici, ex jure gentium, quoad omnes. *l. ex hoc jure* 5. *D. de juſt. & jure. cap accedens* 4. illic: *& omnes ſub diſtrictu, ut lite non conteſt.* ut adſtruximus ſupra, *cap.* 48. quibus ſtandum, niſi contrarium probetur. *l. generaliter* 24. *§. ſed & ſi ita* 8. *verſ. ſed cum ex præſumptione, Dig. de fideicommiſſ. lib. l. cum de lege* 17. *Dig. de probat. l. ſive poſſidetis* 16. *Cod. eodem titul.* & exceptio ab ea regula, ſive qualitas perſonæ, & cauſæ eccleſiaſticæ, attributiva juriſdictionis, debet ab eccleſiaſtico Judice probari, ac oſtendi, ex vulgatis in foro aſſertis, *l.* 2. *§. ſed ſi dubitetur* 6. *D. de judic. l.* 4. *§. docere* 12. *D. vi bonorum rapt.* Idque, quia non oſtenditur, dum ex æquo de qualitate cauſæ contentio eſt, ſtatur in eo dubio politicæ auctoritati, quæ pro ſe habet regulam in non exceptis, & proinde præſumptionem juris cum poſſeſſione territorii.

9 Expendimus præterea illud, pro eiſdem Laïcorum decretis, nempe pertinere ad politicum principatum, proprio, & primævo jure, deducto ex fine ad quem inſtitutus, pacem, quietemque publicam curare, & tueri, quippe ad eum primitus finem inſtitutæ Reſpublicæ, Principatus, & regna, ſaltem illa heroica, de queis Ariſtoteles 3. *Politicor. cap.* 10. ſcilicet, procurandæ *terrenæ pacis, & concordiæ, quam terrena civitas appetit;* ut egregie de hoc fine Auguſtinus *libr.* 19. *de Civitat. Dei, cap.* 17. & ad eum ipſum finem, *juſtitiæ fruendæ cauſa, bene moratos reges conſtitutos*, ut pridem Cicero 3. *de Offic. &* 3. *de Legib.* Idque inſtitutum, ſive munus, & jus, adeo non diminutum, detractumve principatui politico à Chriſto Domino, ut potius per Apoſtolum doceat 1. *ad Timotheum, cap.* 2. *verſ.* 2. & quidem de Eccleſiæ ſuæ Miniſtris, *orandum eſſe pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam vivamus.* Cui conſequenter legimus, apud Gratianum *in cap. tributum* 23. *in fine* 23. *quæſt.* 8. tributa de exterioribus Eccleſiæ ſolvi Imperatoribus, *pro pace, & quietæ, qua nos tueri, & defenſare debent.* & apud Angelicum Thomam 2. 2. *quæſt.* 40. *artic.* 1. *in reſp.* de quo poſtea, & ex eodem, aut illius ſenſu, *libr.* 1. *de Regimin. Princip. cap.* 15. *juxta finem*, Principatus politici eſt primo illud, *ut multitudo in unitate pacis conſtituatur.* Adſtipulantur *leges noſtræ* 1. *&* 5. *titul.* 1. *part.* 2. quæ primariam inſtituti regii imperii cauſam memorat, *por toller deſacuerdo entre las gentes l.* 2. *verſ. La ſegunda, tit.* 10. *part.* 2. *l.* 5. *in fine, titul.* 2. *lib.* 2. *Compilat.*

10 Quo circa contendentibus de reo, & cauſa, eccleſiaſtico, & ſæculari judice, ne, ſi uterque ſuo jure, & gladio, ille ſpirituali excommunicationum, & interdictorum, atque hic temporali exiliorum, & ſimilium, veluti confligerent, pax, & quies Reipublicæ turbaretur, conſentaneum cum primis fuit principatui politico, & quidem chriſtiano, inhibere judici ſæculari inferiori, exercitionem temporalis gladii, contra eccleſiaſticum judicem, & quod plus eſt, jubere, ut apud eum, & ab eo, declinato illius foro, per libellum remitti ſibi reum, & litem petat, & à remiſſione denegata, & excommunicatione inflicta, imploret, proteſteturque violentiæ auxilium, ac demum regia proviſione, quam ordinariam, & rogatoriam, dicimus, exoretur eccleſiaſticus judex, ut ſæcularem excommunicatum abſolvat, eique litem remittat, aut acta ad Regiam Curiam à Notario tranſmittantur (in queis ſingulis publicæ quieti, & paci conſulitur, & eccleſiaſticæ juriſdictioni, tanquam excellentiori, utcumque in inferiore judice, reverenter defertur) ac demum, his non ſufficientibus, ſedando juriſdictionum conflictui, conſentaneum eidem regio muneri pacis, & quietis curandæ, & neceſſe fuit, delatis actis ad Suprema regia Prætoria (quibus illius regii juris participata exercitio) contentionem componere, & finire, habita extra ordinem cognitione, qua, ſi eccleſiaſtica lis ſit, decernatur, vim non fieri ab eccleſiaſtico, eique remittatur: & è contra ſi ſæcularis fori ſit, procedatur ad decreta, quæ jam deſcripſimus, Laïcorum, & conſequenter ad turbamenta cenſurarum tollenda, ne deinceps paci, & quieti publicæ noceant.

11 Addimus, nec potuiſſe huic quieti, & paci ſatis conſultum iri, habito, & expectato recurſu ſupremi eccleſiaſtici principatus Apoſtolicæ Sedis, utpote quæ & remotior, tot in dies contentionibus expediendis, & quæ ad hæc temporalia, quamvis porrigi indirecte poſſit, non tamen debeat, niſi in arduis, & ex magna, gravique cauſa, pro directione ſpiritualium, & Eccleſiæ bono, ex notatis in *cap. novit* 13. *de judic.* admonuimus, cum Oſtienſi, & aliis, *in libello de Epiſcopatibus Portug. propoſit.* 4. *num.* 5. proinde non ad ſingulas in chriſtianis provinciis ejuſmodi contentiones, quibus finiendis promta, proximaque, & ſuo jure, ac munere deſtinata, ſupremi principatus politici, ſive Regum auctoritas ſufficit.

CAPUT

C A P U T LIII.

De decretis violentiæ, in recurſibus, à non deferendo appellationi.

A R G U M E N T U M.

DEcretorum laïcalium *expeditior juſtitia, & ratio, quam eorum, quæ, à non deferendo appellationi, quia in illis juriſdictio* laica *ſe defendit: at in iſtis velut ſubintrat, & impedit* eccleſiaſticam. *Et tamen vel in iſtis ſubnituntur* decreta *potiſſime jure defenſionis ſubditis debitæ, ei juri applicitæ, quo vulgantur aliæ rationes, &* Regiæ leges. *Adjicitur, & obſervatur,* Chriſtum Dominum *non detraxiſſe* principatui politico, *neque* Principes *à ſe abdicaſſe jus defenſionis ſubditorum, etiam* Eccleſiaſticorum. *tanquam membrorum* politici *corporis, atque ei, contra vim, defenſioni fuiſſe neceſſariam extrinſecus ſpeculationem* eccleſiaſticorum recurſuum. *Argumentum* Suarii, Vaſquii, *& aliorum (queis cedere coacti,* Roa, Davila, Saura, *& fere noſter* Reteſius) *de pari, aut potiore defenſionis jure* eccleſiaſticarum curiarum, *quoad* recurſus Laïcorum, *à ſuis judicibus vi oppreſſorum, & præſertim viduarum: ſed ei argumento contra ponitur, eſſe id defenſionis membrorum* politici *corporis, jus, & munus, innexum fini, & inſtituto* principatus politici, *curandæ juſtitiæ, & felicitatis temporalis. Advocati pro re,* Eccleſiæ, *& ſæculi* ſcriptores, *& præ aliis* Thomas Angelicus, *&* Alphonſi Sapientis leges. Jeremiæ, *& aliorum* Sacri Textus, *de tuendis vi oppreſſis, directi ſignanter ad* Reges, *&* Principes. *E converſo* principatus eccleſiaſtici *finis, non eſt Reipublicæ, aut felicitatis terrenæ tuitio, ſed ſpiritualis, & æternæ. Proinde & tuitio vi oppreſſorum, quæ in* politico principatu *eſt ex fine, & debito offici, nec par, nec propria in* eccleſiaſtico, *niſi & quando (quod nec frequens, nec facile) neceſſaria ad ſuum finem ſupereminentem, indirecte ampliabilem ad terrena: jam & protectio illa viduarum, & ſimilium, commendata* Eccleſiæ à Chriſto Domino, *non fuit intellecta olim, aut intelligenda de juriſdictionali contra* laicos Magiſtratus, *ſed de ſuffragatione* Eccleſiæ Præſulum, *apud illos deprecatoria, & monitoria, juxta* Canonem Toletanum, *& alios,* noſtramque leg. 48. tit. 6. part. 1. *& agnitionem* Auguſtini, *&* Ambroſii, *quæ, & aliæ priſci* Eccleſiæ *moris notæ illuſtratæ. Quin & ut non negandum, tractas fuiſſe non ſemel, medio* Eccleſiæ *ævo, ad illius forum lites viduarum quarumdam, quibuſdam caſibus, & cauſis, id tamen hodie, ſi ordinarii* Eccleſiæ *judicet tentarent, non tolerarec* Magiſtratus politicus, *quomodo in ſimili de* Indorum *protectione,* Indici ſcriptores *ſenſere. Rurſus argumenta alia duo* Fr. Suarii, Azorii, *& noviorum, contra hos* Clericorum recurſus. *Primum, quia in eis* eccleſiaſtico principatui *ſubditis, ſuſceptio protectionis, & defenſionis in* principatu politico, *non eſt, cur videatur licere, ſicut eidem non licet, contra ſubditos alterius* politici Principis, *ne imperia turbentur, ut electe alibi* Ambroſius. *Secundum, quia patente, & ſæpe proximiore* Clericis, *ad ſuperiores ſuos* Eccleſiaſticos, recurſu, *nec eſt eis neceſſarius ad* Laicos, *nec neceſſaria in* Laicis Clericorum *defenſio, & proinde, nec licita, atque imo illicitum utrumque, & inhibitum ſacris* Canonibus. *Aſt, quoad primum, facilis reſponſio, & diſcretio, inter ſubditos alterius* Principis politici, *neutiquam ſubditos, protectionem eorum attentanti, quod non ferendum, &* Clericos Eccleſiæ *ſubditos, & tamen comprehenſos in* Republica, *& corpore* Principatus politici, *eique ſubditos in* politicis, *& cujus protectorio juri nec detractum à* Chriſto Domino, *nec à* Clericis, *aut* Principibus *renunciatum. Quoad ſecundum, quia data etiam facultate, & facilitate* recurſus Clericorum *ad ſuperiores* Eccleſiaſticos, *non eſt tamen eiſdem negabile, naturale, & primævum illud jus in illis, tanquam membris* politici *corporis, ante, & poſt* Clericatum *permanens, recurrendi ad* Principem *illius corporis caput, ſicut neque negabile* Principi *jus, & munus eorum defenſionis, quin imo utrumque poſt* Clericatum *permanens, ut de* Principatu *infidelium, erga fideles converſos permanente,* Angelicus Doctor, *& de civitate terrena, & cæleſti* Auguſtinus. *Hoc amplius, quod defenſio ſubditorum in* Principe *non eſt, ut in privato erga proximum, ex ſola lege caritatis, nec niſi neceſſario exhibenda, ſed eſt ex debito juſtitiæ, & officii, & implorantibus non negabilis. Tandem quoad* Canones *vetantes* recurſum, *reſpondetur, referri eos ad juriſdictionalem, non item ad extrajudicialem ſolam, contra vim negatæ appellationis.* Magni Athanaſii *exemplum expenſum, & elucidatum, exploſa* Petri Marcæ *nota, eo abutentis pro appellationibus ſuis ab abuſu*

1 SEcundum in violentiæ recurſibus obſervaſſe, pretium operæ erit, non peræque expedita videri, aut ſemper ſecura jura, & rationem recurſuum, per viam violentiæ, ad Regias Curias, à judice eccleſiaſtico, non deferente appellationi in cauſa eccleſiaſtica, & maxime ſi tam actor, quam reus, aut ad Regiam Curiam recurrens, eccleſiaſtici ſint. Namque in his recurſibus, principatus politicus, quamvis defenſorio jure, & extra ordinem, violentiam paſſis ſuccurrat, neque uſurpet ſibi eccleſiaſticam juriſdictionem; ſubintrat tamen illius fines, & clauſtra, impeditque, ſaltem facto, exercitionem miniſtrorum eccleſiaſtici principatus (& quidem inter perſonas eccleſiaſticas, aut in cauſis, quæ eccleſiaſtici fori, & judicii ſunt, & quas ei diſcretas & independentes a politica poteſtate Chriſtus Dominus ſubjecit, aut ſacri Canones, & Chriſtiani Principes reſervavere) idque dum per violentiæ factæ decreta, in his recurſibus, præcipitur eccleſiaſtico judici, ut appellationi deferat, & contra appellationem attentata reponat; eſt porro in eo diverſum, & ut prænotavimus, expeditius, ſecuriuſque jus, & ratio recurſuum, & decretorum de reo, & cauſa laïca; quippe in his principatus politicus non perrumpit, ſubintratve terminos principatus eccleſiæ, ſed ſuos tuetur in eo reo, & lite, quæ ſui principatus ſunt, neque per violentiæ factæ decreta, formam præſcribit alienæ juriſdictioni, ſed illam ſuo jure arcet a propriæ juriſdictionis finibus, ne eos pervadat, & uſurpet, quod utique, & indubie ei licitum, & ſui juris, etiam ſine juriſdictione; ex ratione proprii ad rem *textus in l. 3. in princ. & §. 1. D. de offic. Præf. Cæſ.*

2 Agnoſcimus, & agnoviſſe æqui, & ingenui animi erit, in his ipſis recurſibus, à judice eccleſiaſtico, non deferente appellationi in cauſis eccleſiaſticis, jus, & rationem recurrendi ad regium auxilium, ultra privilegia Apoſtolica, quæ memorantur, & canonicos textus (quos cumulaſſe promtius ſit, quam ex illis juſtitiam recurſuum proprie firmaſſe) deinde & protectionis, & œconomicæ poteſtatis ſubſidia (quæ ſimul advocantur, ac de queis poſtea) ſubniti, & ſuſtineri potiſſime fundamento illo defenſionis, quam ex ratione naturalis, gentiumque juris, & ex inſtitutione politici principatus, Reges, & ſupremæ Reipublicæ ſubditis ſuis debent, atque inter eos Eccleſiaſticis, contra qualemcumque vim injuſtam (cujuſmodi eſt ea, quæ infertur denegatione provocationis legitimæ. *l. lege 7. D. ad l. Jul. de vi publ. l. 4. tit. 10. part. 7.* juncta *l. Imperator 25. D. de appellat.* Paulo *lib. 5. Sentent. tit. 26. in princip.*) & conſuetudine immemoriali, jus illud defenſionis interpretata, & ſubſecuta; atque in hunc ſenſum explanandæ *Regiæ noſtræ*, de recurſibus his, quæ extant, *leges 36. tit. 5. lib. 2. & l. 18. §. 1. tit. 7. lib. 1. & l. 14. tit. 3. lib. 3. Compil.* ac præ cæteris, *l. 2. tit. 6. lib. 1. Compil.* in qua, ne inſcriptio deſideretur, ſupplenda ex *l. 5.* quæ Joanni I. adſcribitur, in Comitiis Segovienſibus, *tit. 1. lib. 2. Ordinam.*

3 Adjicimus, non obſtare huic recurſui, quod expendimus,

pendimus, eccleſiaſticam cauſam eſſe, & diſcretam, independentemque a politico principatu, propriamque, & reſervatam Eccleſiæ; quoniam, & proprie, juxta elementaria illa præfata noſtra, reſpondetur, de queis tam ſæpe, neque Chriſtum Dominum, politiarum, ut diximus, directorem, non everſorem, detraxiſſe principatui politico jus illud naturale defenſionis membrorum politici corporis, cujus caput, ſeu cor, & anima Principes ſunt, neque ſacros Eccleſiæ Canones ei juri præjudicaſſe, & multo minus Principes, ſive Imperatores, aſſenſu ſuo, clericali exemtioni, quoad temporalia, nec potuiſſe, nec debuiſſe à ſe abdicare jus illud, munuſque ſupremum, ſibi cum principatu politico injunctum, & naturali ratione ſubnixum, tuendi à vi, & injuria, ac defendendi eccleſiaſticos homines, tanquam membra, & quidem digniora politici corporis, ſive tanquam eos, qui cum Eccleſia ipſa ſunt intra Rempublicam, ex Optati Milevitani ſenſu, de quo in præfato ſecundo: proinde, & conſequenter etiam, poſt inſtitutum eccleſiaſticum principatum, remanſiſſe adhuc chriſtiano principatui politico integrum jus, & munus, defendendi in eccleſiaſtico ſuo corpore contentos, & Reipublicæ ſuæ cives, conquerentes de vi illata ab eccleſiaſtico judice, & pro eo jure, & munere extrinſecus inſpiciendi etiam, & ſpeculandi, non perrumpendi clauſtra eccleſiaſtici principatus (juxta Conſtantini illud vetus, qui aiebat, Epiſcopum, ſive ſpeculatorem ſe extra Eccleſiam conſtitutum, de quo ex Euſebio *ſupra* præfato ſecundo) ſive, ut diximus, extrajudicialiter cognoſcendi, an vis fiat, & tollendi, ſi facta ſit, quoniam id defenſionis jus, & munus, nec detractum, nec abdicabile à politico principatu: nec rurſus detractivum, aut injurium principatui eccleſiaſtico, cui non ad vim, & deſtructionem data poteſtas, ſed ad ædificationem, ut *ad Corinthios* Paulus 2. *cap.* 10.

4 Ex his, quæ allegationum manipulis ſtipare, in proclivi eſſet, niſi electa, non collectanea ſcriberemus, eſt item ſatisfactio in promtu, ei argumento, quo, poſt Franciſcum Suarium 4. *Contr. Angl. Reg. cap.* 34. *num.* 35. & ſignate Gabrielem Vaſquium *in Apologia pro juriſdictione eccleſiaſtica, contra violentiæ decreta* 2. *Diſputat. cap.* 4. quam calamo exaratam, videre nuper licuit, ex novioribus Theologis, Antoninus Diana 5. *part. Tract.* 1. *reſol.* 13. Thomas del Bene *de Parlam. Dubitat.* 4. *de immunit. Eccl. ſubſect.* 2. *num.* 5. Epiſc. Araujo *ad* 1. 2. *quæſt.* 97. *diſp.* 3. *ſect.* 5. *diffic.* 4. & ſi qui alii contra memoratos recurſus utuntur, contendentes, ſi hi Clericis ad laïcas Curias ex defenſionis contra vim jure, & ratione liciti ſint, futuros etiam licitos Laïcorum à judicum ſuorum violentia recurſus ad Eccleſiæ Curias, & quidem tanto potiore jure, quanto & potior, eminentiorque eccleſiaſtici principatus auctoritas in quoſvis laïcos, ex peccati cauſa *cap. novit* 13. *verſ. non enim, & verſ. nullus, de judic.* & defenſio innocentium, vi oppreſſorum, injungitur Eccleſiæ Antiſtitibus, integra fere 87. *diſtinct.* apud Gratianum, *& cap. ſi quis de potentibus* 21. 24. *quæſt.* 3. & ſpecialiter viduarum, quæ accenſetur juriſdictioni, ac foro eccleſiaſtico. *cap. ex tenore* 10. *cum cap. ſeq. cap. ex parte* 15. *de foro compet. cap. nuper* 6. *de donat. inter. cap. ſuper* 26. *§. ultim. de verbor. ſign.* cui argumento ſuccumbere, & eſſe pari jure licitos, Laïcorum, à ſuis judicibus vi oppreſſorum, recurſus ad Eccleſiæ Curias, fateri cogitur, non ineruditus regiorum recurſuum enarrator, Antonius Saura *in Platonis voto, cap. de primis inſtantiis*, ubi de controverſiæ judicio, *§. ſecundo certum, & §. item in hac materia.* Et ante eum Eccleſiæ, & Principum poteſtatis, veluti finium regundorum arbitrum ſe profeſſus, Joannes Roa Davila, *in Apolog. de jurib. Princip. quæſt.* 2. *de cavendo exceſſu in vi tollenda, num.* 67. innixus vel potiſſima Anacleti *Epiſtola, in cap. omnis oppreſſus, in princip.* 2. *quæſt.* 6. Noviſſime fere eis conſentiens, & data pari recurrendi, & ſuccurrendi neceſſitate (quæ tamen ratio dabitur) concedens Laïcis recurſum ad eccleſiaſticas Curias, contra laïcos judices inferiores, vim facientes, noſter, etiam cum illi non aſſentimur, Reteſius *in prælaudata Reſponſione ad Apologiam P. Vaſquii diſp.* 2. *cap.* 4.

Sed, ut præmonuimus, promta, & perſpicua ſatisfactio eſt, ſi obſervetur, defenſionis membrorum politici corporis jus, in principatu politico eſſe, & ad eum pertinere, ex munere, & fine, ad quem proprie inſtitutus, qui fuit *terrenæ civitatis terrena felicitas*, ut præcedente *cap.* 52. ex Auguſtino prædiximus 19 *de Civitate Dei, cap.* 17. *pro curſa temporalium rerum*, ut ſcriptum eſt *in cap. cum ad verum* 6. 96. *diſtinct.* per media, ei fini pro communi civitatis bono congruentia, ſcilicet, pacem, juſtitiam, & propulſationem vis, atque injuriæ. Ut exerte D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 40. *artic.* 2. *in reſp. &* 1. 2. *quæſt.* 99. *art.* 3. *& quæſt.* 96. *art.* 3. idque ipſum eſt quod olim Heſiodus in *Theogonia*, creatos Reges hoc uno fine fuiſſe, 5

Dicere jus populis, injuſtaque tollere facta.

Et exinde 2. *de Offic.* Cicero, conſtitutos eos, ut eſſent, qui ſummos cum infimis pari jure retinerent; & idcirco *judiciorum vigorem, juriſque publici tutelam, videri in medio conſtitutam, ut nemo, cum ſit innocens, obteratur.* Ut aiunt Cæſares *in l. nullus* 14. *Cod. de Judæis.* Et ex Latinis vatibus, vel unus Lucretius 5. *de Natura Rer.*

Inde magiſtratum partim docuere creare,
Juraque conſtituere, ut vellent legibus uti;
Nam genus humanum defeſſum vi colere ævum,

Ex inimicitiis languebat:

Quo magis ipſum
Sponte ſua cecidit ſub leges, arctaque jura,
Acrius ex ira, quod enim ſe quiſque parabat,
Ulciſci, quam nunc conceſſum eſt legibus æquis,
Hanc ob rem eſt homines pertæſum vi colere ævum.

Denique Alphonſus noſter Sapiens, *para quebrantar los ſobervios, è los tortizeros, è los malfechores que por ſu maldad, ò por ſu poderio, ſe atreven à fazer mal, è tuerto à los menores. l.* 1. *verſ. La tercera tit.* 1. *part.* 2. & ut brevius *in l.* 2. *ſeq. Para ampararlos de fuerça, è para mantenerlos en juſticia.* & ex ſacris libris Hieronymus: *Regum officium proprium eſſe, liberare de manu calumniantium vi oppreſſos, & peregrino, pupillo, ac viduæ, qui facilius à potentibus opprimuntur, præbere auxilium*, ut eſt apud Gratianum, in notiſſimo *cap. Regum* 23. *quæſt.* 5. & in partes ſæpe vocandus, Div. Thomas *dict.* 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 2. *in corpore*, ubi ita conſpicue: *Cum autem cura Reipublicæ commiſſa ſit Principibus, ad eos pertinet Rempublicam civitatis, vel regni, ſeu provinciæ ſibi ſubditæ tueri: & ſicut licite defendunt eam materiali gladio, contra interiores quidem perturbatores.* Et deinceps: *Ita etiam gladio bellico ad eos pertinet, Rempublicam tueri ab exterioribus hoſtibus. Unde Principibus dicitur in Pſalmo* 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*; juxta quem Hieronymi, & Thomæ ſenſum obſervare licet, hæc tuitionis, & liberationis oppreſſorum, & miſerabilium præcepta, dirigi proprie, & tanquam ex jure, & debito officii, ad principatum politicum, ut ad Reges Juda Jeremiæ *cap.* 21. *&* 22. & de Job, Principe Idumæorum, Job *cap.* 29. *verſ.* 17. *&* 12. & de Moſe, præſignato Principe, ac Judice Iſraël, Exodi *cap.* 2. *verſ.* 14. & de Davide, Rege futuro, 1. Regum *cap.* 17. *verſ.* 35. *& ſeq.* ac de Salomone, & ſub ejus typo, Chriſto Rege, Pſalmo 71. *verſ.* 1. *&* 4. demumque de Principibus in commune, Eccleſiaſtici *cap.* 4. *verſ.* 9. & Pſalmo 81. *verſ.* 4. & quoad viduas, & oppreſſos in Concilio Pariſienſi 6. ſub Ludovico, & Lothario *lib.* 2. *c.* 1. ubi de officio Regis, ita: *Advenis, pupillis, & viduis defenſorem eſſe.* & *cap.* 2. illic: *Ne pauperum oppreſſiones fieri permittant.*

Ex

6 Ex diverſo, in principatu eccleſiaſtico finis proprius, primariuſque non eſt hœc terrenæ Reipublicæ felicitas, & tuitio, ſed æterna vitæ felicitas, & beatitudo. *dict. cap. cum ad verum 6. ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, & in ædificationem corporis Chriſti.* Ut eſt apud Paulum *ad Epheſios cap.* 4. *verſ.* 12. Angelice Angelicus Doctor, ita fines utriuſque Principatus Eccleſiæ, & ſæculi, & legis divinæ, atque humanæ diſtinguens, 1. 2. *quæſt.* 99. *art.* 3. *verſ. reſpondetur. & de Regim. Princ.* 1. *cap.* 14. & 15. unde etiam liquet, defenſionem eccleſiaſtici hominis vi oppreſſi, quæ in principatu politico eſt, ex jure, & debito officii, juxta ſuum finem, non peræque urgere, aut vigere, quoad Laicos in principatu eccleſiaſtico, cujus finis non hæc defenſio in temporalibus, ſed ad ſpiritualia directio eſt: & quanquam, ſi neceſſe ad ſuum finem, & ex illius ſupereminentia, extendi poſſit, & ampliari ad temporalia, & ob peccati correctionem. *dict. cap. novit* 13. *de judic.* Id tamen nonniſi indirecte à ſupremo Eccleſiæ Principe, & in arduis, & ardua ex cauſa. *cap. per venerabilem* 13. *verſ. rationibus, qui filii ſint legitimi;* ne alioquin turbata à Chriſto Domino, & confuſa principatus politici jura videantur, ut ſæpe, & paulo ante expendimus.

7 Et ad rem, quanquam exemplo Chriſti Domini, cujus *pauperes, viduas, pupillos conſolantis, aſſerentis, vindicantis, veluti propria benedictio, & privata benignitas eſt*, ut Tertullianus ſcribit, & multis probat 4. *contra Marcionem cap.* 14. commendetur itidem Chriſti Vicario, & Eccleſiæ Præſulibus eorumdem protectio, ut *in Canonibus dict. diſtinct.* 87. non tamen ita, ut protegantur contentioſa juriſdictione, & officio, quæ temporalibus his non miſcenda, cum præjudicio muneris principatus politici, ſed ut in ordine ad ſpiritualia, ut ſignanter Leſſius *de Juſtit. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 94. ex debito caritatis, & miſericordiæ, adjuventur eccleſiaſtica ſuffragatione, interceſſione, & monitis apud Principes, & Magiſtratus politicos: idque ita expreſſum apud nos, & expoſitum *nobili Canone* 32. Concilii Toletani 4. cujus ea verba: *Epiſcopi in protegendis populis, ac defendendis, impoſitam à Deo ſibi curam non ambigant: ideoque dum conſpiciunt, judices, & poteſtates pauperum oppreſſores exiſtere, prius eos Sacerdotali admonitione redarguant, & ſi contempſerint emendare, eorum inſolentiam Regis auribus intiment*, & ante Toletanum Canonem, Sardicenſi, & Chalcedonenſi 3. quibus congruunt Cæſarum *leges, judices* 9. *l. ſi Lenones* 12. *l.* 14. & 22. *cum aliis, Cod. de Epiſcop. aud.* & præ aliis inſignis *Regia lex* 48. *verſ. Otro ſi, tit.* 6. *part.* 1. & ſcite in re, Caſſiodorus 11. *Variar. cap.* 3. ad univerſos Epiſcopos: *Orphanis, viduiſque contra ſævos impetus debent placide præſtare ſolatia. Ita tamen ne (quod accidit per nimiam pietatem) dum miſeris ſubvenire quæratis, locum legibus auferatis; nam ſi aliquid offendit forte diſtrictum, talia date cunctis monita, ut jura poſſitis reddere feriata.* Cujuſmodi & fuere conſueta Epiſcoporum pro reis, ac miſerabilibus apud Magiſtratus officia, ſicut Auguſtini illa ad Macedonium, & Marcellinum, nempe deprecatoria, & monitoria, non juriſdictionalia, ut liquet ex illius *Epiſtolis* 51. & 54. quæ diſertiſſima in rem eſt, & *Epiſt.* 159. *cum ſeq.* juncto Ambroſio 2. *Offic. cap.* 21. & 29. & ex Codice Theodoſiano *l. ultim. de pœnis*, juncta in eodem Cod. *l.* 16. ubi ex Baronio Gothofredus, cujus para eſt *l. his, qui* 25. *Cod. Juſtinian. de pœnis*, quo de more noſtrates, Nicol. Anton. *de Exilio, lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 22. Emanuel Gonzalez *ad caput inter alia, num.* 6. *de immunit. Eccl.* & perinde exaudiendæ Gelaſii *Epiſtolæ, dict. diſtinct.* 87. *cap. ultim.* 86. *diſtinct. cap. ſi vobis* 28. 23. *quæſt.* 8. *cap.* 1. *verſ. in plateis, ae clerici, vel monachi*; cum Matiſconenſi, & Cabilonenſi *Canonibus*, apud Claudium Spencæum *lib.* 3. *de Continentia*, ubi *de ſtatu viduit. cap.* 15. & *cum Capitularibus* Caroli *lib.* 1. *cap.* 31. & 33. & *libr.* 4. *cap.* 36. & ſimilibus, apud Anton. Auguſtin. *Epitom. jur. Pontif. lib.* 14. *titul.* 13.

8 Jam neque diſſitemur, potectionis illius, & pietatis motu interdum proceſſum fuiſſe ad anathemata, ut in *dict. cap. ſi quis de potentibus* 21. 24. *quæſt.* 3. *cap. Adminiſtratores* 26. 23. *q.* 5. juncto Matiſconenſi Concil. 2. *Can.* 14. & *ex Capitularibus lib.* 6. *c.* 313. Quin & pertractas fuiſſe medio Eccleſiæ ſæculo ad Eccleſiæ forum cauſas aliquas viduarum, nec modo earum, quæ ſub velamine Epiſcopi degebant, de queis Matiſconenſi Concilio 2. *Can.* 12. ſed & aliarum, circumſtantiis aliquot concurrentibus, ac præſertim delegatione Apoſtolicæ Sedis. Ut *in cap. licet* 10. *cum ſeq. cap. ex parte* 15. *de foro compet. cap. ſignificantibus* 38. *de offic. deleg. cap. ſuper* 26. §. *ultim. de verbor. ſiga. cap. de prudentia* 3. *cap. nuper* 6. *de donat. iater. cap. ex litteris* 5. *de pignoribus.* quibus Canoniſtarum fora, & vulgus nimiſquam ſtrepunt apud Velaſcum, *de privil. miſerab. perſ.* Cevallos *de Cognit. Viol.* 2. *part. quæſt.* 13. Verum iſtam in eccleſiaſticis ordinariis judicibus, officii, & principatus politici uſurpationem, noviſſimæ leges, & mores non tolerabunt, quin, ut illæ olim, *ſolventur riſu tabulæ.* Graviter noſter Covarruv. *in Practic. cap.* 6. *numer* 1. *in fine;* & eodem judicio in ſimili, D. Molin. 2. *de primog. cap.* 15. *num.* 76. Nec diverſum cenſuerim, quoad viduas, & miſerabiles Indos in remoto illo orbe, utcumque eos Epiſcopali juridictioni adſcripſerit, pietatis intuitu, Gregorius Lopez *in l.* 48. *gloſſ.* 8. in *fin. tit.* 6. *p.* 1. & poſt eum alii, at ſatis fuerit, protectioni adſcripſiſſe deprecatoriæ, & monitoriæ, non juriſdictionali, ut non ſemel, ſerioque cenſet noſter Solorzanus 2. *de Ind. Gubern. cap.* 7. *num.* 55. & *ſeq.* & agnoſcit tandem, poſt Archiepiſcopum Limenſem Vegam, alter Archiepiſcopus Villarroelius in *Gub. Eccl.* 2. *tom. part.* 2. *qu.* 14. *art.* 3. *num.* 73.

9 Deinde ex illis ipſis præmiſſis ſubmovenda objectio eſt, & quidem præcipua, qua ſimiles exagitari, & impugnari recurſus ſolent, nempe ex eo, tum quia, cum regulariter non liceat Principi uni politico auxiliari auctoritativa defenſione imperii, aut judicii ſubdito alterius Principis politici, utcumque ab eo injuriam patienti, ne, ut Ambroſius de diviſione illa orbis, inter Jovem, Neptunum, & Plutonem ſcite philoſophatur, *uſurpata alterum partium ſollicitudine bellum inter ſe concitent;* multo minus licere debet eidem Principi Politico, uſurpare ſibi auctoritatem defenſionis Clerici, ſubditi eccleſiaſtico principatui: tum etiam quia ea ipſa uſurpatio injurioſior, injuſtiorque videtur, cum pateat Clerico, à Judice ſuo, negata appellatione, violenter oppreſſo, liberque ſit, & fortaſſe expeditior, promtiorque aditus, & querela ad ſuperiorem eccleſiaſticum Judicem, vel ad Metropolitanum ſuum, vel Apoſtolicæ Sedis Legatum, qui vim arceat, & juſtæ appellationi deferri cogat: ac proinde appareat, relicto eo canonico, & parato contra vim, auxilio, recurſum Clerici ad laïcos Magiſtratus, ſeu Curias, non eſſe neceſſarium, & conſequenter neque inculpatum, utpote contra leges canonicas, ejuſmodi recurſus prohibentes. *cap. placuit* 11. *cum ſeq. cap. petimus* 19 *in fine* 11. *quæſt.* 1. *cap. ſi diligenti* 12. *de foro compet. cap. gravem* 15. *de exceſſ. Prælat. cap. qualiter* 17. *de judic.* & eadem ratione decreta in his recurſibus à Regiis Curiis, ſuſtineri non poſſe, ex jure defenſionis, quia nec defenſio licita cenſenda eſt, quæ exhibetur alieno ſubdito, & habenti proprium auxilium, atque ita neceſſitate non exigente; ut in re, & ſignanter expreſſum *in cap. dilecto* 6. *in fine, de verbor. ſignific.* & omnino non inculpati moderaminis, & tutelæ, ſine queis defenſio juſta non eſt. *l. ſcientiam* 45. §. *qui cum aliter, D. ad leg. Aquil. l.* 1. *Cod. unde vi. cap. ſignificaſti* 18. *in fine, de homicid.* Atque ita fere in hos recurſus incurrunt, invehunturque Suarius, *dict. libr.* 4. *contr. Angl. Reg. cap.* 34. *num.* 7. & 33. *ac* 36. Azorius 1. *part. Inſtitut. Mor. libr.*

5. *cap.* 14. *quæſt.* 2. & ex eis Baldellus, Diana, Bonacina, & noviores alii, apud Auguſtin. Barboſ. *in Collectan. cap. Eccleſia* 13. *num.* 7. & *ſeq. de conſtitut.* & *de jure eccleſ. libr.* 1. *cap.* 39. §. 2. *ex numer.* 185.

10 Sed, ut poſuimus, ſubmoveri non magna opera ex præmiſſis objectio poteſt; nam quoad primum illud, de non uſurpanda auctoritativa defenſione ſubditorum alterius Principis politici, & conſequenter nec Clerici ſubjecti principatui eccleſiaſtico, reſponſio perſpicua eſt, diſcretis ſemel gentium jure, dominiis, gentibus, Regnis, Principatibus, & ſingulis, ſpeciali imperio, ab aliis independente, in ſuos ſubditos attributo, futurum fuiſſe contra id jus, & cum publica imperiorum turbatione, ſi fas eſſet Principi uni, prætextu defendendi, auxiliandive alieno ſubdito vim patienti, qui tamen nullo ei jure, aut reſpectu ſubditus eſt, ſibi in alieno principatu auctoritatem veluti judicii, & imperii uſurpare, contra Ambroſianum illud, cujus meminimus, & rationem, regulamque *l. nam Magiſtratus* 4. *D. de recept.* & *qui arbitr. recip. l. conſulta* 20. *verſ. abſurdum, Cod. de teſtament.* in quo diſpar omnino cenſura eſt, quoad Clericos, ſubditos principatui eccleſiaſtico, quoniam etiam poſt diſcretos Eccleſiæ, & ſæculi principatus, ſicut Eccleſia intra Rempublicam, ita illi ipſi Clerici Reipublicæ cives, & politici corporis membra, & eo reſpectu principatui politico politice ſubditi permanſere, & proinde manſit & illis ipſis, vim paſſis, ſubimplorandæ, & Regibus jus, & obligatio exhibendæ defenſionis, tanquam ſubditis, & politico principatu comprehenſis, eique naturali juri, neque per diſcretionem eccleſiaſtici principatus, & politici renunciatum à Clericis, aut Principibus, neque præjudicatum à Chriſto Domino, ut ſæpius ſupra.

11 Unde etiam, quoad ſecundam objectionis partem, liquido reſpondetur, manente in Clericis, tanquam politici corporis membris, & eo reſpectu ſubditis, naturali jure recurſus extrajudicialis, pro ſui tuitione, ad caput politici corporis, non poſſe id eis negari, aut impediri ex eo, quod & habent, tanquam Clerici, juriſdictionalem recurſum appellationis ad Superiores Eccleſiaſticos; namque, ut non expendamus eccleſiaſticorum tribunalium, litiumque moras, & Romanæ Curiæ diſtantiam, nec parem, promtamve itidem, pro tollenda vi efficaciam, queis, & aliis incommodis expenſis, eludit objectionem magis, quam elidit judicioſus cæteroquin ſcriptor, Joannes Roa Davila *in Apolog. de Jurib. Princip. quæſt.* 1. *numer.* 50. Nobis, ut directe occurramus, ſatis eſt vel ex noſtris libris illud, quod naturalia jura poſitivis non mutantur, aut minuantur. *l. eas* 8. *Dig. de capite min.* & ut appoſite Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 10. *artic.* 10. de principatu infidelium, præexiſtente ante converſionem fidelium, & poſt illam in eoſdem manente: *Jus divinum, quod eſt ex gratia, non tollit jus humanum, quod eſt naturali ratione*, quomodo & apud Auguſtinum 19. *de Civitat. Dei, cap.* 17. deſcribitur cœleſtis civitas, *quod in legibus, moribuſque, inſtitutiſque eſt, quibus pax terrena conquiritur, vel tenetur, nihil eorum reſcindens, vel deſtruens, imo etiam ſervans, ac ſequens, ſi Religionem veri Dei non impediat.* Quapropter & eadem ratione manſit in principatu politico jus, atque munus, defenſionis exhibendæ Clericis, ad eum recurrentibus, tanquam membris politici corporis, & ab eo per legem Evangelicam, quoad naturalia, & politica non ſeparatis, quantumvis pateat illis recurſus, tanquam Clericis, ad ſuos Judices. Quia ſi illis, ſuo jure ad principatum politicum recurrentes, & de vi querentes, iſte non tueretur, aut tueri non poſſet, fruſtra eſſet dicere, non eſſe eis ſublatum per clericatum naturale jus implorandæ politicæ defenſionis; & hoc amplius, cum iſtam implorant, omiſſo recurſu ad eccleſiaſticum principatum, ſi à politico non defenderentur, neceſſe eſſet, ſaltem interim, per vim quam paterentur, opprimi, atque ita eo ſaltem ſtatu neceſſaria, & inculpata defenſio eſt, neque extra normam, & notata, *in cap. dilecta* 6. *in fine, de ſentent. excommunic.* in 6. cum ſupra laudatis.

12 Accedit, quod & poſitis conſequens, & præcipuum eſt, defenſionis exhibitionem, in politico principatu, non eſſe dumtaxat licitam, ſed & debitam ex fine ad quem inſtitutus, & munere ſuo, & proinde ex lege juſtitiæ, idcircoque negari non poſſe ſubditis politicis, illam ſuo jure implorantibus, quamvis & aliunde eam, tanquam Clerici implorare poſſent, atque omnino urgentioris obligationis eſſe defenſionem hanc ex officio, & debito juſtitiæ, neque circumſcribendam ad caſum, quo aliter, qui vim patitur, defendi nequit, ſed diſtinguendam à defenſione, quæ à privato erga privatum exercetur, ex lege caritatis, & intra cancellos præſcriptos in *cap.* 2. *de homicid.* ſicut & diſtinguunt, poſt Divum Thomam 2. 2. *quæſt.* 64. *artic.* 7. *in corpore.* explicite Molina *de Juſtit. tom.* 4. *tractat.* 3. *diſputat.* 18. *numer.* 4. Navarrus *in Manuali* novioris editionis, *cap.* 24. *numer.* 17. & 18. Leonard. Leſſius *de Juſtit. libr.* 2. *cap.* 9. *numer.* 91. & 94. Rebellus *de Obligat. Juſt. part.* 1. *libr.* 2. *quæſt.* 2. *num.* 2. & ex Juriſperitis alii.

13 Tandem quod objecimus, de prohibito Clericorum recurſu ad ſæculares Judices, delata illis juriſdictionali cognitione cauſarum Clericorum, quod utique eis vetitum, Milevitano, ſeu Carthaginenſi & Toletano Conciliis, quorum mentio in *cap. ſi diligenti* 12. *de foro compet. dict. cap. gravem* 15. *de exceſſ. Prælat.* non item recurſus pro auxiliari, & extrajudiciali defenſione Principum, & Magiſtratuum, contra vim injuſtam, non ut ipſi jus dicant, aut judicent, ſed ut Eccleſiaſticis oppreſſis, & eorum appellationibus opem, recurſumque præbeant. Ut liquet ex eiſdem Canonibus, *cap. placuit* 11. *cap. petimus* 19. *cap. inſolita* 42. *cum ſeq. cap. ſi Clericus* 46. *cum aliis* 11. *quæſt.* 1. extatque hujus recurſus illuſtre exemplum in Magno Athanaſio, poſt damnationem Tyriæ Synodi, aut Synagogæ, recurrente ad Conſtantinum Auguſtum pro ſui tuitione, ſive, ut eſt in Conſtantini Reſcripto, apud eumdem Athanaſium, *Apologia pro ſe* 2. *ut quæ per vim paſſus eſſet, conqueri poſſet.* (quanquam infortunato, ob inimicorum calumnias, exitu) nec tamen appellante, ut ex *Sardicenſis Pſeudoſynodicæ epiſtolæ* locutione, & detortis in eum ſenſum Græcis, textu Theodoreti *lib* 1. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 31. Socratis *lib.* 1. *cap.* 32. quo magis ſuis ab abuſu appellationibus rem accommodet, contendit Epiſcopus Marca *lib.* 4. *de Concord. Sacerdot.* & *Imp. cap.* 4. *numer.* 4. & 7. ſane perquam immerito, cum Conſtantinus non adiretur, tanquam judex appellationis de Athanaſio cogniturus, quod ille Donatiſtis *ad ſe* appellantibus, *rabida furoris audacia, tanquam in cauſis Gentilium*, exprobraſſe legitur apud Optatum 1. *adv. Parmen.* Auguſtin. *Epiſt.* 68. & 162. ſed vi ſublata, cognitionem juſto Epiſcopali judicio relicturus, juxta Milevitanum, ſeu Carthaginenſem Canonem. *dict. cap. placuit* 11. *quæſt.* 1. extant & ejuſdem recurſus exempla ad Marcianum Imperatorem, in Euſebio, & Baſſiano Epiſcopis, in Chalcedonenſis Concilii *actione* 1. 11. & 13. & quidem ea, inter alias, ad Cæſares obteſtatione: *Omnis ſalus violentiam patientium τὴν βίαν παχόντων, poſt Deum veſtra tranquillitas eſt*, præcipue autem Sacerdotum Chriſti.

CAPUT

C A P U T LIV.

De Recurſibus per viam violentiæ, in cauſis de immunitate Templorum.

A R G U M E N T U M.

RECurſuum, decretorumque violentiæ in controverſiis, de immunitate templorum, vulgaris forma, & praxis, de qua vulgares Practici: ſtatæ obſervantiæ eſt apud Nos (tametſi aliter alibi obſervetur) cognoſcere, ac decernere de immunitate templorum, eſſe eccleſiaſtici judicii. Noſtræ obſervantiæ ratio conſentanea ſacris Canonibus. Ea theſi poſita, ſi (quæ prima hypotheſis eſt) de vi, facta ab eccleſiaſtico judice, in pronunciando pro immunitate, in crimine jure ab ea excluſo, recurratur ad Regios Senatus, & in eis indubie liqueat, non agi de crimine excluſo, ſive excepto, regulare decretum eſt, vim non fieri. Et è contra ſi jure dubitetur, & controvertatur, an crimen exceptum ſit, decernitur, vim fieri in non deferendo appellationi, & ut attentata reponantur. Relata ad hanc hypotheſim regia Schedu, directa à Senatu Indico ad Limenſe Prætorium. Referendi etiam, & exaudiendi ſic noſtrates Pragmatici, & inter eos quorumdam lapſus. Secunda hypotheſis eſt, in controverſia, de facto extractionis ab Eccleſia, pronunciante Eccleſiaſtico, ſuppoſita ea extractione, pro immunitate, & Laïco contra intendente, captum in loco profano, & recurrente de vi facta in cognoſcendo, & procedendo, quæ & propria forma eſt recurſus in hac hypotheſi; in qua ſi vel liqueat, vel potiores probationes ſint, de captura in profano, eſt item proprium decretum, fieri vim ab Eccleſiaſtico, in cognoſcendo, & procedendo, quomodo cognoſcit, proceditque, ſimulque actis nullis pronunciatis, remiſſio Laïco ſit. Auguſtini, Barboſæ carpentis, quæ non cepit, & obloquentis ſciola inſcitia. Tertia hypotheſis, & primæ veluti ſubjectio eſt, ubi Laïco contendente, crimen indubitato jure eſſe ex exceptis, ſive excluſis ab immunitate, tamen Eccleſiaſticus pro ea, non ſine aliquo opinantium fulcro judicavit, in qua ſi certior, ac receptior ſententia contra immunitatem ſtet, audivimus non ſemel, nec paucos in Senatu conſentes, locum eſſe recurſui, & decreto de cognoſcendo, & procedendo. Plures contra perſtabant, locum non eſſe, niſi decreto, à non deferendo appellationi. Queis & nos accenſemur, niſi quando extra opinionum juſtum conflictum notoria res contra immunitatem ſit. Decretorum quoad expreſſas hypotheſes ratio, & cenſura, & quidem expeditior, & quæ ſumma non egeat, quoad primam. At in ſecunda, quæ eſt de facto extractionis ex loco ſacro, aut profano, impeditior, & primo aſpectu ratio, & applicatio decreti Laïcorum, cum Eccleſiaſticus, non de Laïca, ſed de Eccleſiaſtica immunitatis cauſa, ſuo jure cognoſcat: & tamen conſtat ratio, tum quia de facto cauſæ, etiam eccleſiaſticæ, non incompetens cognitio laïci, & dum de extractione ex ſacro non liquet, regia juriſdictio fundat de jure, & præſumptionem, regulamque habet pro ſe, quoad capturam in profano. Quæ ſingula, niſi eccleſiaſtica juriſdictio de captura in ſacro liquide probet, potiora ſunt: tum etiam, quia templorum immunitas, inducta eccleſiaſtico jure, cum aſſenſu Principum, quos credibile non eſt aſſenſiſſe, ut ſub obtentu extractionis è templo, quando de ea non liquet, impediretur juſtitiæ, & gladii politici executio. Firmata ex his, & fundata ratio decreti Laïcorum in hac hypotheſi, ſimulque adjectionis illius. quomodo cognoſcit, proceditque, qua dignoſcitur decretum illud à ſimplicibus aliis Laïcorum, & afformatur in Regio Senatu; & expenſa l. 36. tit. 5. lib. 2. Comp. Jam & pro tertia hypotheſi, in qua, ſuppoſito facto extractionis è templo, controverſia ſola eſt de jure, an ſcilicet crimen ab immunitate excluſum ſit, fluit ex eiſdem principiis aſſertio, ne locus ſit decreto Laïcorum, ſed duntaxat de vi, non deferendo appellationi. Tandem pro ſubjectione ejuſdem hypotheſis, ubi extra controverſiam notorium eſt, crimen ab immunitate jure excludi, locus ſit decreto Laïcorum, ne velamento immunitatis, quæ eo caſu nulla eſt, & proinde nec eccleſiaſtica cauſa eſt, impediatur laïca juriſdictio. Perpenſi pro re Textus cap. 6. de immun. Eccl. l. 4. tit. 4. lib. 1. Comp. & receptæ Doctorum ſententiæ. Perpenduntur & in ſpecie noſtrates leges, de non permittenda Eccleſiaſticis regiæ juriſdictionis turbatione, neque exceſſu terminorum ſuæ juriſdictionis, aut per illam intromiſſione ad Regiam, l. 2. tit. lib. 1. Comp. & Regem, de turbatione ſuæ juriſdictionis ſolum cognitorem, & Judicem fore. l. 3. tit. lib. 4. Comp. Quibus congruentia primaria illa fundamenta, & rationes, quia cum à Chriſto Domino, & Eccleſia, nihil detractum principatui politico, niſi in cauſis exceptis, quin potius conſervatus cum auctoritate ſufficienti ad ſe tuendum, debet utique, & poteſt ſe tueri contra Eccleſiaſticum turbantem prætextu immunitatis, ubi notorium jure eſt ei locum non eſſe, nec eludenda ea auctoritas eſt, relicto delinquente, & delicto, eccleſiaſtici fori inſtantiis, per decretum, de non deferendo appellationi. Reſpondetur dubitantibus, aut diſſentientibus, & argumento illi, de privativa cognitione Eccleſiaſtici, de immunitate, apud nos (utcumque in aliis regnis contra eſſe obſervetur.) Quippe id argumentum nihil eſt, ubi liquet, immunitati locum non eſſe, ſicut neque cognitio Eccleſiaſtici de Clericatu, ſi de Clericatus requiſitis non liqueat, non impedit decretum Laïcorum: Nec Rex patitur aut prætextu immunitatis Clericatus, qui non eſt, juriſdictionem ſuam turbari. Reſpondetur & obſervantiæ contrariæ, quæ ſupponitur, Regiarum Cancellariarum, & in primis, utcumque illa ſit, ſtari potius debere Regii Senatus cenſuræ. Ea occaſione animadvertitur, Regias Cancellarias eſſe Supremas Curias, & Tribunalia juſtitiæ in ſuis diſtrictibus, neque ultra juriſdictionis fines protendi. Aſt Regium Conſilium, & Juſtitiæ univerſim, & regnorum gubernationi præpoſitum, ut Reipublicæ in arduis provideat, legibus ferendis, diſpenſandis, pacis, bellorumque deliberationibus, regalium jurium tuitioni, S. Synodi Tridentinæ obſervantiæ, quæ, & alia propria Regii Conſilii, ſicut de vi recurſus in cauſis Regularium; & in attinentibus ad Tridentinum, aut Patronatum Regium, aut millionum ſervitia. Concluditur pro decretis Laïcorum, quoties immunitati Eccleſiæ locum non eſſe, notorio jure liquet, & pro obſervantia Regii Conſilii, ex ſuprema illius auctoritate, regendi, & Reipublicæ providendi. Superadditur ex recepta item ſententia, adhuc pendente controverſia de immunitate, poſſe à Laïco judice in cauſa procedi, uſque ad damnationem, modo non capitalem, & quod pro paradoxo habitum in magna cauſa, etiam ad damnationem capitalem, ſuſpenſa tamen executione. Paradoxi ratio in eo, quia inter Eccleſiaſticum, & Laïcum, quoad principalem cauſam delicti, & delinquentis, cujus ſolus Laïcus judex competens eſt, nulla eſt competentia juriſdictionis, quæ impediat procedi, immunitate pendente, uſque ad damnationem, ſed ſola immunitatis quæſtio, veluti præjudicialis, quæ ſalva manet, ſuſpenſa damnationis executione: ad quam rurſus relata verba d. cap. 6. de immun. Eccl. & applicitum ex Romano jure, non inappoſitum exemplum ſtatus liberi. Eſt & auctarium relatorum caſuum, & extra illos, ſi de facto commiſſi criminis, ab immunitate excluſi, quæſtio ſit, extante, præter probationem corporis delicti, ſemiplena quoad delinquentem, prævaluiſſe fori uſu, & plurium ſenſu, ut ea ſufficiat, contra immunitatem. De quo tantiſper nobis dubitaſſe, magis vacabat, quam diſquiſiiſſe

1 TErtium, ut progrediamur, nondum fortaſſe ſatis expenſum, & expeditum eſt, circa formam, rationem, juſtamque cenſuram recurſuum, & decretorum violentiæ, in controverſiis de immunitate templorum, in queis reo ad illa confugiente, & eccleſiaſtico judice pronunciante, illum immunitate Eccleſiæ frui debere, eſt apud nos recepti moris, & juris, poſſe à laïco Judice, appellatione interpoſita

ad ſuperiores eccleſiaſticos judices, & implorato regio auxilio, recurri ad ſuprema regia Prætoria, petique, ut decernatur, eccleſiaſticum judicem vim facere, in cognoſcendo, & procedendo, vel ſaltem in non deferendo appellationi; de quo recurſuum, decretorumque genere, & eorum uſu, & formulis, pauca, & parum diſtincte, ex vulgari Cauſidicina, Monteroſus, Pazius, Villadiegus, Curia Philippica, Bobadilla, Acevedius, Guterrius, & alii, & poſt eos Hieronym. Cevallos *Commun. Contr. comm. quæſt.* 817. *num.* 16. & *de cognit. viol.* 2. *part. quæſt.* 5. *ex numer.* 19. & *gloſſ.* 18. *in fine*, cique acriter renitens Auguſt. Barboſa *in praxi penſionum cap.* 8. *num.* 32. & *ſeq.* & curſim, nec perſpicue, D. Salgado *de Regia prot.* 2. *part. cap.* 4. *num.* 116.

2 Nos, ut ex ſenſu, & obſervantia Supremi Regii Senatus cenſeamus, quam non calluiſſe municipales illos Pragmaticos, quorum meminimus, non miramur: præmittimus in contruverſia, an reus immunitate Eccleſiæ fruatur, ſive controvertatur de jure criminis excepti, ſive de facto extractionis ab eccleſia, quamvis alioquin quæſtiones iſtæ juris, & facti diſtingui ſoleant *l*. 2. §. *ultim. D. ſi ſervit. vind. l. ordine* 15. *D. ad municip. l.* 1. § *quorum* 4. *D. ad S. C. Turpil.* & aliquatenus in propoſito, ut poſtea dicemus, diſtinguendæ ſint, tamen ex Caſtellanæ Hiſpaniæ conſuetudine, controverſiæ qualiſcumque de immunitate cognitionem, pronunciationemque deferri eccleſiaſtico judici. Idque hodie apud nos adeo notum, ut teſtibus non egeat, tametſi & olim dubitatum, & diverſæ in aliis provinciis, ut in Aragonia, Luſitania, & Vaſconia, & extra Hiſpaniam, obſervantiæ ſint, & dubitari, ac diſputari potuerit, ex Juriſperitorum ſuffragiis, quæ non recenſemus.

3 Illud item pro obſervantiæ noſtræ ratione præmittimus, ſubniti eam, & pendere potiſſimum ex præfato illo elementari tertio, de quo tot ſupra *cap.* 42. 43. & 44. quod ubi de jure, aut re eccleſiaſtica agitur, cujuſmodi jus, & res eſt Eccleſiæ immunitas, cognoſcere, ac decernere, eccleſiaſtici judicii eſſe debet, non profani, *cap.* 2. *de Judic. cap. ſi judex* 12. *in princip. verſ. quia, de Sentent. excommun. in* 6. ſubmititur & in ſpecie canonicis auctoramentis, ex *cap. ad Epiſcopus* 11. 17. *quæſt.* 4. *cap. ultim. de immun. Eccleſ.* & apud nos, regio reſcripto, expedito à ſupremo Indiarum Senatu ad Limenſe Prætorium, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo vigeſimo, de quo & inferius.

4 Sub quo præmiſſo, & ut de re diſtincte liqueat, quoad recurſus, & decreta violentiæ in cauſis immunitatis templorum, tres caſus ſeparandi ſunt. Primus, cum de jure ſolo quæſtio eſt, quia conſtat, reum ab Eccleſia extractum eſſe, & ſæcularis judex prætendit, eum immunitate potiri non debere, ob commiſſum crimen exceptum, ſive ab immunitate jure excluſum, & tamen eccleſiaſticus judex pronunciat pro immunitate, ſive pro reo, ut illa potiatur. Quo caſu licitum ſæculari judici, imo injunctum legibus regiis, pro tuitione regiæ juriſdictionis, & juſtitiæ punitivæ, ſi eis ab eccleſiaſtico judice præjudicari, injuſto pro immunitate pronunciato, perſuaſus ſit, appellatione legitime interpoſita, & ſub obteſtatione violentiæ auxilii, ad Suprema Prætoria Regia recurrere. In queis ſi conſtet, agi de crimine non excepto, nec excluſivo immunitatis, regulare eſt, ut decernatur, eccleſiaſticum judicem vim non facere, ut diſerte de Prætorii Pinciani praxi Parladorius *diff.* 76. §. 1. *ex n.* 4.

5 E contra ſi dubitaretur, an crimen jure exceptum ſit, & excluſum ab immunitate, ſicut perſæpe id genus quæſtiones, ob auctorum, & rationum momenta, & partes, in controverſia, & dubitatione eſſe ſolent, eſt etiam regulare decerni, vim ab eccleſiaſtico fieri in non deferendo appellationi, & ut attentata reponat; qua decreti forma edita, deferendum appellationi, reponendumque ab eccleſiaſtico, & nihil novandum à ſæculari, ſed appellationis inſtantiæ proſequendæ, donec tribus eccleſiaſticis ſententiis immunitatis lis terminetur, ut expreſſum eſt regia illa Schedula ad Limenſe Prætorium, quæ pertinuit proprie ad hos caſus, de controverſia immunitatis, ob crimen jure exceptum, & ad decreta, de vi facta, in non deferendo appellationi, ut liquet ex illius contextu, apud Meſſiam Cabreram in *Praxi Immunitat. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 3. Sic & ad hanc ſecundam theſim controverſiæ immunitatis, ob crimen exceptum (quæ ſana, aut fere ſola, aut frequentior venire in controverſiam ſolebat) referendi ſunt noſtrates Pragmatici, dum in hac immunitatis templorum materia loquuntur, de recurſibus violentiæ, à non deferendo appellationi, & decretis de vi non facta, ſcilicet cum non liquido conſtat, agi de crimine excepto, aut de vi facta in non deferendo, & reponendo, quando ſcilicet non liquet, ſed merito controvertitur, an crimen jure exceptum ſit. Atque ita exaudiendi, poſt ſcitum illum, ut quondam de Leguleio Cicero, *formularum præconem*, Monteroſum *in Praxi, tractat.* 1. *proceſſu* 3. *cap.* 1. *ad finem.* Bobadill. *lib.* 2. *Polit. cap.* 14. *n.* 68. Acevedo in *l.* 3. *n.* 20. *tit.* 2. *lib.* 1. *Comp.* Parlad. *d. diff.* 76. §. 1. *n.* 4. & rurſus non audiendi Pacius in *Praxi* 1. *tom.* 5. *p. cap.* 3. §. 3. *n.* 182. Villadieg. *in Polit. c.* 3. *n.* 247. & *ſeq.* Bolañ. *in Curia Philipp.* 3. *part.* §. 12. *n.* 62. & ſi qui alii ſcripſere, poſt decretum, de vi facta in non deferendo appellationi, licere ſæculari judici, reum punire, non expectatis appellationis inſtantiis, & exitu, contra decreti de vi formam, & deciſionem indici illius reſcripti, de quo ſupra. Quin & audiendus multo minus Cevallos *dict. quæſt.* 5. *ex num.* 19. & *gloſſ.* 18. *de cogn. viol.* & *dict. quæſt.* 817. *num.* 16. diſtinguens, comminiſcenſque formulas decretorum de vi facta, ut deferat tantum, vel ut etiam reponat, notatus merito, in hoc ſaltem, à Barboſa *dict. cap.* 8. *de penſion. ex n.* 53. & 58.

6 Secundus, priori oppoſitus, & formulariis, quorum meminimus, ſcriptoribus, immemoratus caſus, eſt, quoties de facto ſolo controverſia immunitatis eſt, nec movetur ob crimen, jure exceptum, ſed quia Laicus judex, juxta proceſſus ſui acta, contendit, reum ab Eccleſia extractum non eſſe, ſed extra eam captum à ſatellitibus, & è contra eccleſiaſticus judex, actis itidem ſuis innixus, tanquam ab Eccleſia extractum, ac proinde jure immunitatis retrahit, repetitque. Quo etiam caſu, ex conſuetudine noſtrate, ut præmonuimus, tametſi ex pura juris cenſura cauſatior dubitatio eſſe poſſet, cognitio, & pronunciatio de immunitate eſt eccleſiaſtici judicis. Ergo eo pronunciante, reum immunitate Eccleſiæ frui debere, ſi judex Laicus pro comperto, certove habeat, illum non intra Eccleſiam, ſed extra eam in profano loco captum fuiſſe, licita, & conſueta judici Laico appellatio eſt ad ſuperiores Eccleſiaſticos, & obteſtatio regii auxilii violentiæ, & recurſus ad Regales Curias, non modo à non delata appellatione, ſed etiam à cognoſcendo, & procedendo eccleſiaſtici judicis, ſicut, aut quomodo in ea controverſia cognovit, proceſſitque. Jam vero actis, ſeu proceſſu eccleſiaſtico, ad Regium Senatum tranſmiſſo, ſi vel liquido conſtet, vel ſaltem probationes potiores ſint, reum non in Eccleſia, ſed in profano ſolo captum, expeditur violentiæ decretum, ſub ea formula, quaſi per manus tradita, eccleſiaſticum judicem in cognoſcendo, & procedendo, quomodo in ea cauſa cognovit, proceſſitque, vim feciſſe, & proinde acta illius nulla, & Laico judici cauſam remitti. Qua decreti ſignata formula, neque de immunitate controverſiæ, aut appellationi locus, inſtantiave ulterior eſt, ſed ea penitus ſublata, liberum, licitumque laico judici competenti, de reo, & cauſa cognoſcere, pronunciare, & ſtatuere, prout de jure. Atque ad hos recurſus, & decreti terminos ſi referretur, aſſertio illa Cevalli, & eorum, quos nuper

Digitized by Google

per notavimus, non mereretur cenſoriam notam; & è converſo illam meretur, impingitque in elementaria hæc dictata Regiorum Senatuum, Barboſæ ex Hoxeda aſſertio, *d. cap. 8. de penſion. n. 56. & 59.* & ſi qui alii, eidem bene creduli, & penitiorum juris rationum, quibus in Tribunalium receſſu decreta violentiæ nituntur, ſcioli magis, quam ſcientes, Barboſæ indiſtincte ſubſcripſere.

7 Eſt & tertius caſus, ac veluti ſubſectio primi illius de controverſia immunitatis, ob crimen exceptum, tametſi infrequentior, ac vix deciſus, nempe quoties nec conſtat liquido, agi de crimine non excepto, ut decernatur vim non fieri; nec dubitatur ob opinionum varietatem, an crimen exceptum ſit, ut decernatur, vim fieri in non deferendo, & reponendo, quæ duæ ſectiones fuerunt primi caſus, de queis ſupra, ſed ex adverſo laïcos judex contendit, liquere extra dubitationem, & controverſiam omnem, crimen eſſe ex exceptis, excluſiſque jure ab immunitate, ut quia unum ex illis, deſignatis *in cap. inter alia 6. cap. ultim. de immunit. Eccleſ.* & tamen eccleſiaſticus judex, cenſens non eſſe exceptum crimen, pro immunitate, & reo pronunciavit. Juxta quam poſitionem, recurrente laico judice, & conquerente de vi in cognoſcendo, & procedendo, & tranſmiſſis ad Senatum actis, audivimus non ſemel variantes Senatorum voces, & vota, non paucis ſentientibus, quoties certior, communiorque opinio eſt, crimen eſſe ex exceptis (quamvis non deſint, qui & contra ſcripſerint) tamen cum receptiore, & certiore decernendum eſſe, vim fieri ab eccleſiaſtico in cognoſcendo, & procedendo, eo modo, quo cognovit, & pronunciavit, & acta pro nullis habenda, cauſamque remittendam judici laïco, ut ſenſiſſe fere videntur, quamvis non ſat perſpicue, & practice de re ſcribentes, Roa Davila *de Jurib. Princip. quæſt. 1. numer. 36. & 42.* Luna Arellano *Singular. Lect. cap. 5. §. 5. num. 56. & 57.* Aſt ex adverſo aliis cenſentibus, quando, & quatenus non eſt pro indubitato, & extra opinionum ſciſſuram, crimen, de quo agitur, eſſe exceptum, excluſumve ab immunitate, etiamſi, ut ſupponitur, ſit rationum, & auctoritatis pondere potior opinio, quæ exceptum, excluſumque affirmat, cum tamen alia ſit, neque improbabilis opinio, quæ contra ſtet, non eſſe locum decreto violentiæ in cognoſcendo, & procedendo, & remiſſioni cauſæ ad laïcum judicem: ſed decernendum dumtaxat eſſe, vim fieri in non deferendo appellationi, relictis ſalvis Eccleſiæ judiciorum inſtantiis, & pronunciatis ulterioribus, de immunitate; atque poſteriori huic cenſentium parti, quia & Eccleſiæ, & immunitatis reverentior, & manens intra veterem illam in hac re, & vulgarem praxim, de qua Monteroſus, & alii ſupra, ſcilicet decretorum de vi, in non deferendo, aſſenſiſſe pleroſque vidimus, & accenſeri velle nos profitemur, niſi ſi quando, extra opinionum juſtum conflictum, conſtaret, ſeu notorium, ut loquimur, de jure eſſet, crimen commiſſum fuiſſe exceptum; quo poſito, locus utique foret decreto de vi facta in cognoſcendo, & procedendo, & remiſſioni ad laïcum judicem.

8 Jam præterea, ut pergamus, in ſingulis relatis caſibus recurſuum, decretorumque, quæ velati ex albo dictaſſe, & actuarii vice fungi nos hucoſque, non piguit, ratio, & cenſura illa juſta ſuppetit: in primis, quoad ſectionem primam primi caſus, ſcilicet quoties conſtitit, non agi de crimine excepto, & idcirco decretum fuit, vim non fieri, eſt & ratio decreti evidens, quia neque in cognoſcendo, & procedendo vis fit ab eccleſiaſtico, cujus eſt de immunitatis jure cognoſcere, & procedere; neque in non deferendo appellationi judicis laïci, qui reum, indubitato immunitatis jure, ut Senatus decreto agnoſcitur, ſubnixum ab Eccleſia abſtraxit violenta, ac manifeſta ſpoliatione, ut *in cap. conquerente 7. de reſtit. ſpoliat.* ac proinde appellatio laïci judicis, tamquam frivola, aut fruſtratoria, juxta regulam *cap. qualiter 17. de jud. cap. cum appellationibus 4. de appell. in 6. l. ult. verſ. item, D. de appellat. recip.* non ſuſpendit poſt id decretum, nec impedit quominus Eccleſia ſpoliata, & reus extractus ei reſtituatur; argumento *cap. miror 8. verſ. Eccleſia igitur 17. quæſt. 4.* & fatentur Practici noſtri Pariadorius, Bobadilla, & alii ſæpius laudati.

9 Deinde pro ſecunda ſectione ejuſdem primi caſus, & pro decreto illo, vim fieri in non deferendo appellationi, quando ſcilicet in controverſia juſta eſt, ob opinionum, utrinque probabilium, momenta, an crimen jure exceptum ſit, ſubeſt etiam conſpicua ratio relati decreti: quoniam, quamvis eo caſu eccleſiaſticus judex vim non faciat, neque in cognoſcendo; quia illius de immunitatis jure cognitio eſt, neque in procedendo, & pronunciando pro immunitate, quia probabili, ut ponimus, opinione nititur, tamen vim facit in non deferendo appellationi, quia in ea ipſa pro immunitate, & contra immunitatem controverſia juſta, & probabili, appellatio à pronunciato eccleſiaſtici, legitima cenſenda eſt; & proinde, quæ regulariter ſuſpendat *l. 1. D. nihil novari appellat. pend. l. ſciendum 6. de appellat. recip.* & quidem etiam quoad remedia poſſeſſoria, & reſtitutoria jurium Eccleſiæ, ut notatur *in cap. cum ad Sedem 15. de reſtit. ſpol.* exoleta pridem, niſi quoad *ſummariiſſimum*, quod, *interim*, vocant, ſanctione *l. unic. Cod. ſi de moment. poſſ.* Ideoque & deferendum appellationi ab Eccleſiaſtico, & attentata reponenda, & reo extracto interim non reſtituto, expectandæ appellationis, ut diximus, inſtantiæ, & exitus.

10 Impeditior ſane ratio eſt, & ignotior ſecundi caſus, & decreti, vim fieri in cognoſcendo, & procedendo, ſimulque nullitatis actorum, & remiſſionis cauſæ ad judicem laïcum: quippe cum pro confeſſo apud nos ſit, cognitionem, proceſſumque, de immunitate Eccleſiæ, eſſe eccleſiaſticæ juriſdictionis, pugnat cum eo ipſo, & implicat, decerni vim fieri ab Eccleſiaſtico in cognoſcendo, & procedendo, & acta illius nulla, & cauſam Laïco deferri: quæ ſingula propria illius ſunt decreti, quod vocamus, Laïcorum, nimirum, cum de laïca perſona, & cauſa, eccleſiaſticus judex, violenta uſurpatione cognovit, proceſſitque, non autem vel aptanda, vel aptabilia eccleſiaſticæ de Eccleſiæ immunitate cauſæ, de qua Eccleſiaſticus ſuo jure cognovit, pronunciavitque, & in qua, ſi vim fecerit, locus dumtaxat eſt, licituſque recurſus pro decreto, ut in aliis eccleſiaſticis cauſis, de vi facta in non deferendo appellationi, juxta terminos, nuper poſitos, quod fuit fere argumentum, aſſertioque illa, cui ſubſcriptor Barboſa *d. cap. 8. ex num. 54. & 58.*

11 Sed ne deinceps cum eo alii argumentur, aut hæſitent, meminiſſe oportebit, decreti hujus caſum, quem ſecundum poſuimus, & hypotheſim eſſe de reo, quem in profano ſolo captum, & ab Eccleſia extractum non eſſe, Regius Judex contendit, & in contrarium Eccleſiaſticus ceptum in Eccleſia eſſe, & eo ſuppoſito pro immunitate pronunciavit: jam autem eo in ſtatu quæſtionis, cum illa ſit non de jure, ſive an crimen, jure eccleſiaſtico ab immunitate excluſum, exceptumve ſit, ſed de facto extractionis, & capturæ, an ſcilicet ea facta in Eccleſia, aut in loco profano; ſunt notatu ad rem digna. Primum quoties de mero facto controverſia eſt, circa ſpiritualia, aut eccleſiaſtica, ut in propoſito an in Eccleſia, vel extra eam reus captus ſit, poſſe de illo facto à laïco judice cognoſci, & decerni, juxta receptam Bartoli traditionem *in l. Titia 35. num. 6. D. ſol. matrimon.* pro qua laudaſſe, & adiiſſe ſuffecerit Petrum Barboſam *inibi num. 2. & ſeq.* & illaudatum vulgo Baldum *in l. filium 6. num. 20. D. de his, qui ſui, vel alien. jur.* Menochium *in Manuſcript. de juriſd. lib. 2. cap. 13.* & noviores alios, quorum nomenclatores non ſumus;

12 Secundum eſt, in controverſia de facto capturæ

 in

in loco ſacro, aut profano, & dum dubitatur, neque liquet, extractum ab Eccleſia eſſe, regiam juriſdictionem, & judicem, vel fundare, ut loquimur, de jure, vel omnino potiore jure niti, quia præterquam quod reus, & delicti cauſa fori laici ſunt, locum etiam, ſeu ſolum, in quo captus, quandiu ſacrum fuiſſe non liquet, præſumendum eſt fuiſſe profanum, & regii territorii, & juriſdictionis, utpote intra illius fines, & diſtrictum, à Chriſto Domino, ut præfati ſupra ſæpius, niſi quoad ſacra, non diminutum, ex regula, ac notatis *in l. ex hoc jure 5. D. de juſtit. & jure. l. 1. §. initio 4. D. de offic. Præf. Urb. cap. accedens 4. verſ. & omnes de diſtrictu, ut lite non conteſt. l. 2. titul. 1. lib. 4. l. 4. tit. 7. lib. 7. Compilat.* juncta inſtructione, inſerta *in extremo tit. 4. lib. 1. ejuſdem Compil. §. ultim.*

13 Tertium & ſit, quemadmodum regia juriſdictio, ut facta credatur captura in ſuo territorio, habet, ut diximus, juris præſumptionem, & fundatam veluti regulam, ita è contrario eccleſiaſticum judicem, ut ab ea regula excipiat reum, quem in Eccleſia tractum, & extractum affirmat, debere eam exceptionem capturæ, & extractionis ab Eccleſia liquido probare, & oſtendere, tanquam fundamentum, & qualitatem juriſdictionis ſuæ attributivam, ſine qua nulla ei de reo, & delicto laico juriſdictio ſit, juxta vulgaria etiam notata, *ex l. 4. §. docere 12. D. vi bonor. rapt. l. 2. §. ſed ſi dubitetur 6. D. de judic. cap. cum perſona 7. de privil. in 6.*

14 Quartum denique ſit, ſtantibus, ut dicimus, pro juriſdictione laïci judicis (qui & ſolus competens eſt rei, & delicti) quoad capturam in loco profano, juris præſumptione, & regula præferendas etiam eſſe in controverſia, ſeu concurſu probationum parium de captura in loco ſacro, aut profano, illas, quibus juris præſumptio, & regula ſuffragatur, ex ratione *l. generaliter 24. §. ſed & ſi 8. verſ. ſed cum ab herede, D. de fideicommiſſ. lib. l. ſive poſſidetis 16. Cod. de probat. l. ob carmen 21. §. ultim. D. de teſtib cap. licet 9. verſ. ex præmiſſis. de probat. cap. in noſtra 32. de teſtibus.* Et è converſo eccleſiaſticum judicem, cui probatio qualitatis capturæ in Eccleſia, tanquam fundamenti ſuæ juriſdictionis, incumbit, niſi juris præſumptionem, & regulam, & probationes de captura in profano, vincat non paribus, ſed potioribus probationibus, deſtitui fundamento juriſdictionis, & conſequenter impedire videri, injuſta uſurpatione, & vi, juriſdictionem ſæcularem; quod ſane illicitum, & prohibitum omni jure, *cap. novit. 13. in princip. de judic. cap. cauſam 7. qui filii ſint legit.*

15 Ex queis notatis, eſt in facili ratio decreti Laïcorum, quo utimur in ſecundo caſu propoſito. Quoniam utcumque eo etiam caſu, quo de facto extractionis ab Eccleſia quæſtio eſt, deferatur eccleſiaſtico judici cognitio, & pronunciatio de immunitate, ſane id fit magis moribus noſtris, quam juris cenſura, juxta quam de facto extractionis capax, competenſque laïcus judex eſt, ut notato primo diximus nuper. Quocirca, quoties de captura in profano certior, potiorque ſimul cum juris præſumptione probatio eſt, & tamen judex eccleſiaſticus, inferiori probationi de captura in Eccleſia innixus, pro immunitate pronunciat, quamvis in aſſumenda cognitione, & proceſſu de immunitate, juxta mores noſtros, vim non fecerit, facit tamen vim in cognoſcendo, & procedendo, ſaltem eo modo, quo cognoſcit, proceditque, nempe pronunciando pro immunitate Eccleſiæ eo caſu, quo non conſtat, reum ab Eccleſia extractum eſſe; & conſequenter de eccleſiaſtico jure, & cauſa non agi, & remitti eam oportere judici laico, competenti rei, & delicti. Atque in eo diſtat plane hoc genus cauſarum ab aliis eccleſiaſticis cauſis, quæ initio, & ſemper eccleſiaſticæ cognitionis ſolius fuere, & manent, ac proinde in eis, quamvis Eccleſiaſticus vim faciat, non eſt locus recurſui, aut decreto Laïcorum, de vi in cognoſcendo, & procedendo, ſed dumtaxat de vi in non deferendo appellationi ad ſuos judices: cujus ignoratione diſcriminis argumenta Barboſæ conſpuant, *d. cap. 8. ex n. 54.*

16 Illud tandem monemus, decretum Laicorum in caſu propoſito, videri olim concipi ſolitum ad inſtar ſimplicis, & rotundi, ut ſic loquar, decreti Laïcorum, de perſona, & cauſa laïca, ſcilicet, *vim fieri*, & ſine adjectione illa, quam expreſſimus, *in cognoſcendo, & procedendo, quomodo cognoſcit, procediteque*: ſine qua decreti ejus formulam exhibet Cevallos *1. tom. de Cogn. Viol. gloſſ. 18. & 2. tom. quæſt. 5. num. 22. & comm. contra commun. quæſt. 817. num. 14.* & in eumdem fere ſenſum Villadiego *cap. 2. Polit. num. 248.* Curia Philippica *9. part. §. 12. n. 61.* Carraſcus *ad ll. Recop. cap. 3. §. 1. num. 10.* Præceptor noſter D. Pichard. *in Manud. ad praxim, part. 3. in Criminal. §. 3. num. 9.* Vela *de Pœnis Delict. 2. part. cap. 6. numer. 34.* Michaël Luna *Singul Lection. jur. cap. 5. §. 5. num. 56. & 57.* & ſi qui alii ex noſtratibus rei meminere. Aſt deinde elimante has veluti legis actiones, ſeu legitimas formulas fori, & Juriſprudentum interpretatione, ut *in l. 2. §. his legibus 5. cum §. ſeq. Dig. de orig. jur.* & præcipua auctoritate ſupremi Regii Senatus, quæ tanquam norma regiis aliis Prætoriis in hac re præſcribitur. *l. 96. illic: En la forma acoſtumbrada en nueſtro Conſejo. tit 5. lib. 2. Comp.* efformatum id decretum, & auctum verbis illis: *In cognoſcendo, & procedendo, quomodo cognoſcit, proceditque*; quorum ſignata veluti mens eſt, ut non negata eccleſiaſtico judici, de immunitate cognoſcendi, procedendique conſuetudine, ſive jure, decernant tamen, vim fieri in modo, & exceſſu, quo cognoſcit, proceditque in ea cauſa, in qua de immunitatis jure, cognitioni locus non eſt, quia ex facto conſtat, reum ab Eccleſia extractum non eſſe. Proinde & ſic expoſita ea decreti formula, quamvis ſubſtantia, effectuve non diſcrepet à decreto ſimplici Laïcorum, dum cauſam ab eccleſiaſtico judice ad laicum remittit: diſtinguitur tamen juriſdictionis bene fundatæ ratione, & diſciplina; quia non ut in aliis Laïcorum decretis de perſona, & cauſa mere laica, negatur abſolute cognitio, & proceſſus eccleſiaſtico judici, ſed illius potius agnito de immunitate cognoſcendi jure, improbatur dumtaxat modus, ſive exceſſus, & vis procedendi in ea cauſa, quæ de immunitate non eſt. Atque eo ſenſu formula hæc reverentior eſt eccleſiaſticæ cognitionis, quam agnoſcit, & extra eam cauſam in aliis de immunitate indelibatam relinquit, & dexterior omnino, & temperatior ſaltem verbis, quam illa abſoluta, vim fieri, quam Cevallos, & alii exhibuere.

17 Rurſus vel ex his ipſis, nuper diſcuſſis, quoad tertium caſum ſupra expreſſum, in quo non de facto extractionis ab Eccleſia, ſed eo ſuppoſito de jure, an ſcilicet crimen jure exceptum, & excluſum ab immunitate ſit, controvertitur, eſt & lucidior ratio aſſertionis, cui ſubſcripſimus, nempe non eſſe locum decreto Laïcorum, & remiſſioni ad laïcum judicem (ſed dumtaxat in controverſis de immunitatis jure opinionibus, decreto vis factæ in non deferendo appellationi) niſi quo caſu extra controverſiam, notoriumque, ut dicitur, ſive indubitatum jure cenſeretur, eſſe crimen ab immunitate excluſum de quo jam poſtea plene. Quippe pro priore parte hujus aſſertionis, juxta poſitam phraſim, ne ſit locus decreto Laïcorum, ſtant non dumtaxat conſuetudo noſtra, quæ cognitionem de immunitate defert eccleſiaſtico judici, ſed etiam juris diſciplina, ac regula, quæ cum de eccleſiaſtica re agatur, nempe immunitate, & quidem non de facto, ſed de illius jure, decernit, eccleſiaſtici judicii eſſe, & negat laico. *cap. 2. de judic.* ſtant & verſa in contrarium pro immunitate hoc caſu, præmiſſa illa, quæ quoad ſecundum caſum in quæſtione de facto extractionis expendebamus: quoniam cum de extractione ab Eccleſia liquet, & de jure ſolo quæritur, an nempe crimen ab immunitate exceptum ſit,

Eccleſia-

Eccleſia fundat, ut forum loquitur, de jure, quia habet pro ſe regulam, quæ, reos ab Eccleſia extrahi vetat, & tuetur immunitatis jure indefinite, præterquam in criminibus exceptis, *cap. inter alia*, *§. de immunitat. Eccleſ.* At è contra laïca juriſdictio, ut decretum Laïcorum, & remiſſionem ad ſuum forum conſequatur, contra juriſdictionem eccleſiaſticam jure fundatam, & immunitatis regulam, debet indubitate oſtendere exceptionem criminis ab ea regula, & jure. *l. ab ea 6. l. quoties* 18. *cum l. ſeq. D. de probat. l. generaliter* 24. *§. ſed & ſi* 8. *verſ. ſed tum, D. de fideicomm. lib.* & ut diximus, indubitate, nempe bis rationum, & auctoritatis momentis, quæ rem juſta æſtimatione, & cenſura indubitatam, & extra controverſiæ aleam conſtituant. Cæteroquin pari in cauſa opinionum, vel ubi ſaltem pro immunitatis jure, quamvis non potior, tamen probabilis ſententia eſt, verendum eſt, ne temere decernatur, vim fieri ab eccleſiaſtico judice in cognoſcendo, & procedendo, quomodo cognoſcit, proceditque, cum & cognitio de immunitate, in controverſia non de facto, ſed de jure, ſit eccleſiaſtici judicii ſolius, non autem laici; & dum pro immunitate, innixus probabili ſententia pronunciat, non puſſit dici impedire, aut fraudare injuſta uſurpatione, aut vi, regiam juriſdictionem. Quanquam & è converſo intra hanc ipſam partem, & terminos aſſertionis, & theſis de controverſo, neque indubitato immunitatis jure, decernendum ſit, ut prædiximus, & decerni ſolet, vim fieri in non deferendo appellationi, quia quamvis eccleſiaſticus judex probabili opinione pro immunitate nitatur, & pronunciaverit, non habet tamen juris probabilitatem, pro non deferendo appellationi, ſive pro ea non recipienda, & neganda, quæ & regulariter recipienda, extra caſus jure exceptos, cujuſmodi iſte non eſt, & multo magis in controverſia, ut ponimus, pari de immunitatis jure, quæ ſi primo, & ſolo eccleſiaſtici judicis pro immunitate pronunciato, negata appellatione finiretur, præterquam quod periclitaretur ſæpe juſtum de immunitate judicium, auferretur etiam, injuſta vi, laicæ juriſdictioni, quæ delinquentis, & delicti competens eſt regulare jus ſui tuendi ſaltem per appellationum ad Eccleſiaſticos ſuperiores recurſum: quod utique ferendum non eſſet, ut prænotavimus *laudata Regia*, in rem, *Schedula ad Limenſe Prætorium*, & noſtratium Cauſidicorum placitis ſupra, *ad finem tertii caſus.*

18 Denique quoad extremam partem tertii hujus caſus, nempe ubi pro indubitato, & extra controverſiam, jure habetur, crimen eſſe ex exceptis, & excluſis ab immunitate, qualia ſunt, quæ excipiuntur *in cap. inter alia 6. cap. ultim. de immun. Eccleſ.* ideo decreto laïcorum locum facimus, quia quamvis quæſtio initio de immunitatis jure eccleſiaſtico, & proinde eccleſiaſtici judicii fuerit, tamen poſtquam jam liquet, crimen indubitate excludi ab immunitate, liquet etiam, eccleſiaſticum judicem, dum pro immunitate, cujus nullum jus eſt, pronunciat, vim facit in cognoſcendo, & procedendo, ſicut cognoſcit, proceditque, & impedit juſta uſurpatione laïcam juriſdictionem, ad quam & idcirco, habita pro nulla de immunitatis jure quæſtione, remittitur principalis cauſa rei, & delicti, utpote profana, cum tamen ſi eccleſiaſtica quæſtio maneret, etiam vi facta, non remitteretur ad laïcum, nec decerneretur de illa in cognoſcendo, ſed in non deferendo appellationi, juxta notata ſupra pro priore hujus caſus parte.

19 Porro hujus aſſertionis in proſtrema hac theſi, auctoramento veluti ſunt *in dict. cap. inter alia* 6. illa verba, ubi de excluſis ab immunitate criminibus, ita: *Extrahi ab Eccleſia poteſt, impunitate non præſtita, ſecundum canonicas ſanctiones*; & in Hiſpana *l. 4. circa finem, tit. 4. lib.* 1. *Compil.* illic: *Ni para reſiſtir, que las Juſticias no los ſaquen de las Igleſias. en los caſos, que no deben gozar de la immunidad de ellas, ni para impedir la execucion de las nueſtras Juſticias.* Quibus ex verbis (ſepoſita noviore Gregoriana, de immunitate Eccleſiæ Conſtitutione, quam in Hiſpania non eſſe receptam, *ad oram dict. l.* 6. adnotatum legitur, de quo jam ſupra *cap.* 44.) in exceptis, ſive ab immunitate excluſis indubitato jure criminibus, qualia relata in *d. cap. inter alia*, cum ſimilibus, & de queis exaudienda *dict. lex 6.* licere laïco judici propria auctoritate, & jure, ſine Eccleſiaſtici Prælati licentia, & ſine ulla non puniendi cautione, extrahere ab Eccleſia reos, & juxta legum normam punire, docent, deducuntque ex communi ſententia, atque uſu, poſt Panormitanum *in dict. cap. inter 6. num. 1. verſ. ulterius.* Dom. Covarr. 2. *Var. cap.* 20. *n.* 18. *verſ.* 34. Julius Clarus *§. fin. queſt.* 30. *n.* 20. Gregor. Lopez in *l.* 12. *gloſſ.* 7. *tit.* 14. *part.* 3. P. Suarius *de Relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 1. P. Sanctius *tom.* 2. *Conſil. Mor. lib.* 6. *cap.* 1. *dubio* 13. *num.* 3. Et vel poſt Gregorianam, Petr. Gambacurta *de Immun.* 6. *cap.* 14. *num.* 19. & agnoſcit ex Hiſpana praxi, A. Barboſa *de Penſion.* 1. *p. cap.* 8. *n.* 47. Thomas del Bene *de Immun. tom.* 2. *cap.* 16. *dub.* 40. *ſect.* 2. *n.* 8. Fontanella *Deciſ.* 256. *ex num.* 2. & 21. Quibus ſubſcribentes ex novioribus plures, & ex eiſdem alios, contra ſcribentes, accenſeremus, niſi non tam numerare ſuffragia, quam expendere, noſtrum eſſet. At pro re deduxiſſe ex propoſitis ſatis ſit, multo magis licere ſupremis regiis Curiis, in crimine indubitate ab immunitate excluſo (in quo & proinde inferiori laïco judici extractio licita) cauſam eidem laïco remittere per decretum Laïcorum: in quo ſi contra ſenſit, neque tam ſcriptoris, quam typographi negatio illa eſt, *vim non fieri*, aberravit prorſus Salgado *de Reg. protect. part.* 2. *cap.* 4. *numer.* 116. & 117.

Secundum, & traditis conſequens rei momentum 20
ducitur ex nobiliſſima Alphonſi Regis *in Valliſoletanis comitiis, ſanctione*, relata *in l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 4. *Compilat.* qua prohibentur eccleſiaſtici judices, *impedire*, Regiam juriſdictionem, per viam querelæ, vel appellationis, *vel quocumque alio modo*; & adjicitur, de impedimento, aut occupatione regiæ juriſdictionis, ſolum regem poſſe cognoſcere; hiſpana verba ſunt: *Del impedimento, y occupacion de la nueſtra juriſdicion, y ſennoria, ninguno puede conocer ſino Nos.* Conſpirant in eumdem ſenſum regiæ aliæ leges, quibus & eccleſiaſtici conſervatores, & judices prohibentur, impedire, turbare, uſurpare regiam juriſdictionem, pœna, ut loquimur, temporalitatum. *l.* 4. *tit.* 1. *lib.* 4. *l.* 5. *verſ. tanto. tit.* 3. *lib.* 1. *Compil.* & quod in propoſito, dignum expendi, *ne in ſuis juriſdictionibus exercendis excedant terminos poteſtatis illis jure permiſſæ, ac ſi exceſſerint*, & in regiam juriſdictionem ſe intromittere, aut illam attentarint, uſurpaverintve, ſint temporalitatum pœnis obnoxii, ut exprimitur *in l.* 2. *tit.* 8. *lib.* 1. *Compil.* & viciſſim regiis judicibus injungitur, ut invigilent, ne à Prælatis, aut judicibus eccleſiaſticis regia juriſdictio uſurpetur. *l.* 17. *in fin. titul.* 5. *lib.* 3. *Compil.* Quin & conſpirant in eamdem rem Canones, de non turbandis regiis juribus neque uſurpandis ab Eccleſia. *cap. novit* 13. *in fin. princip. de judic. cap. cauſam* 7. *qui filii ſint legit.* Quibus ſuppoſitis conſentaneum eſt, eo caſu, quo, propter crimen indubitate ab immunitate Eccleſiæ excluſum, non debere illa frui delinquentem, pro notorio in jure habetur, eccleſiaſticum pro immunitate decernentem, excedere terminos poteſtatis ſibi jure conceſſæ, ut ſcriptum eſt in *dict. l.* 2. *tit.* 8. *lib.* 1. *Compil.* atque eo ipſo impedire, turbare, & uſurpare regiam juriſdictionem, ne exerceatur erga delinquentem Laïcum, in cauſa profana, cujuſmodi eſt delictum, idque prætextu immunitatis, quæ nulla eſt in delicto notorie ab illa excluſo, & proinde adaptari rationem, & terminos decreti Laïcorum, & aſſertionem illam *dict. l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 4. *Compil.* nempe de impedimento regiæ juriſdictionis per eccleſiaſticos, ſolum regem cognoſcere debere.

Et ſane communire hæc eadem in promtu eſ- 21
ſet,

ſet, ex traditis *ſuperiore Capite*, pro recurſibus, & decretis Laïcorum, de auctoritate politica, ſufficiente ſibi ad ſe tuendam, nec diminuta à Chriſto Domino in temporalibus, atque imo habenre pro ſe regulam, ex gentium jure, & ratione territorii, exceptis ſolis perſonis, & cauſis, divino, aut eccleſiaſtico Eccleſiæ tributis, quæ ſingula luſoria eſſent, ſi in caſu immunitatis Eccleſiæ, notorie à jure excluſæ, liceret eccleſiaſtico judici, pro immunitate decernenti, reum Laïcum, & profanam delicti cauſam, à juriſdictione, & auctoritate politica in præſens eripere; neque e contra liceret auctoritati regiæ, & politicæ, contra injuſtam vim, & uſurpationem eccleſiaſtici judicis, ſe tueri, & defendere per decretum Laïcorum. Nam quod hactenus, qui aliter cenſendo, aut dubitando ſcripſere, decretum illud (cui ſoli locum eſſe volunt) de vi facta ab Eccleſiaſtico, in non deferendo appellationi Laïci judicis, à pronunciato Eccleſiaſtici pro immunitate, adeo non ſufficit, pro tuenda, & farcienda regia auctoritate politica, ut potius illam indefenſam, & eccleſiaſtico pronunciato impeditam, turbatamque relinquat, quoad delinquentem laïcum, & delicti cauſam profanam, & ab immunitate notorie excluſam, donec per tres ſententias, & appellationum, atque inſtantiatum eccleſiaſtici fori moras, quas in ſimili expendimus *capite, quod ſequitur, proximo*, pro decretis violentiæ in cauſis millionum, contra immunitatem judicetur in eccleſiaſticis tribunalibus, quod vix hactenus viſum, vel auditum, nec ſperari facile, & quibus moris nec ſperabile, ut vel delinquens, vel judices ipſi ſuper vivant, ſed potius ut per illas & regia juriſdictio eluſa, & delictum maneat impunitum.

22 Hæc cum fortaſſe ex bene fundata juris peritia, & noſtratium legum ſcitis cenſeantur, ſcimus tamen, non defuiſſe, qui ſecus ſenſerint, & quidem illo, tanquam potiſſimo, argumento, quod de immunitate Eccleſiæ, utpote re, & cauſa eccleſiaſtica, privativum, ut loquuntur, judicium, & cognitio eſt Eccleſiæ, ex regula *cap. 2. de judic.* quo circa, nec poteſt dici, Eccleſiaſticum in cognoſcendo de cauſa eccleſiaſtica vim facere, nec locum fieri decreto Laïcorum, & remiſſioni ad Laïcum Judicem, cum non ſit laica, aut profana cauſa, quo argumento obnixum in hac re, poſt Hojedam, Barboſam, & alios, ſupra jam ſcripſimus; & cui nollem acquieviſſe noſtrum ſemper, vel cum diſſentit, D. Gonſalium *ad cap. inter alia, in primis Scholiis.* At pro anteceſſu, & priuſquam directo reſpondeamus, monemus, utcumque Caſtellanis moribus obtinuerit, ut eccleſiaſticus judex de immunitate judicet, non eſſe id uſque adeo privativum, ut non alibi, & intra Hiſpaniam contra obſervetur, ut in Luſitania, de qua Pereira *de Manu-Regia, lib. 2. cap. 50. num.* 12. & in Aragoniæ, Cataloniæ, & Valentiæ regnis, de queis, poſt Bellugam, Peguearam, & alios, Fontanella *Deciſ.* 583. *n.* 3. poſt multos noſter D. Laurentius Matheu *de Regim. Valent. tom. 2. cap. 7. §. 1. num. 7. & ſeq.* qui & inibi *num.* 164. reſtrictam eſſe apud Valentinos immunitatem ad certas Eccleſias, neque extra eas in aliis ei locum eſſe; ſicut de Vaſconia, Gallia, & Germania, & ceſſante illic immunitatis Eccleſiarum uſu, teſtes, ex Catholicis, ſunt Anton. Faber *in ſuo Cod. ad tit. de his, qui ad Eccleſ. confug.* ubi & Mornacius. Petr. Gregor. *libr. 33. Syntagm. cap.* 21. *n.* 21.

23 Sed hæc in anteceſſum dicta, & gratuito; nam pro argumento, recta reſponſio eſt, non ex eo, quod ſit cognitio de immunitate privative judicis eccleſiaſtici, præcludi locum decreto Laïcorum, ſi notorium jure ſit, immunitati locum non eſſe, ob delictum ab ea excluſum. Quid enim, an non de clericatu illius, qui ſe ob illum, eccleſiaſtici fori eſſe contendit, cognitio, & judicium eſt eccleſiaſtici judicis, apud nos. *cap. ſi judex 12. de ſentent. excommun. in 6. toto tit. 4. lib. 1. Compil.* & tametſi eccleſiaſticus judex pro clericatu, & Clerico, non habente qualitates, ſancto Concilio, & regiis legibus expreſſas, frui illum foro Eccleſiæ, pronunciet, nihil notius eſt, quam fieri locum recurſui, de vi facta in cognoſcendo, & decreto Laïcorum, quia pronunciat de clericatu, qui non eſt, & uſurpat, turbatque juriſdictionem jure fundatam, ut exprimitur *Inſtructione, ad hanc rem, inſerta ad finem dict. tit. 4. lib. 1. poſt §. Paraque, in extremo. & §. Guardandoſe. & in Inſtructionibus Cancellariarum Pincianæ, & Granatenſis*, inibi laudatis. Id quod ipſum cernere eſt in recurſibus violentiæ, in cauſis millionum, in queis frequenter Regius Senatus decernit, vim fieri ab Eccleſiaſtico in cognoſcendo, & procedendo, quomodo procedit, quoties injuſta cognitione, & proceſſu impedit, turbatque regiorum vectigalium contributionem, quamvis alioquin cognitio, quoad Clericos, ut contribuant, ſit privativa eccleſiaſtici judicis, ex Pontificiis Bullis, ut jam *cap. ſeq.* dicemus.

Gravius utique apud me foret, auctoritate, & 24
pondere, argumentum ex obſervantia Valliſoletani, & Granatenſis Prætorii, de queis non paucos audio, atteſtantes, non patere in eis recurſum, de vi facta, in cognoſcendo, neque Laïcorum decreto, in cauſis de immunitate Eccleſiæ, nec alio, quod audiam, argumento, quam illo ſane futili, aut ficulneo, quod privativa eſt cognitio Eccleſiaſtici, de immunitate Eccleſiarum. At enim, ne de facto obſervantiæ dubitemus, de quo non indubitate liquere, ſuadet quoad Pincianum Prætorium, illius Advocatus Regius Fiſcalis, noſter Reteſius, accurata commentatione, *de Praxi decretorum violentiæ circa immunitatem templorum, §. 3. num. 57. & ſeq.* enixe firmans, decreto Laïcorum locum eſſe, ſi notorium jure ſit, immunitate reum excludi, idque, quia eo caſu eſt carentia juriſdictionis in Eccleſiaſtico, quo ille medio, aut modo ſenſum ſuum aperit, & cui nos, qui effectu idem ſentimus, addimus de illa carentia juriſdictionis, per quam regia juriſdictio turbatur, ſolius Regis eſſe cognoſcere, ex *dict. l. 3. tit. 1. libr. 4. Compil.* At enim, utcumque ea obſervantia ſit, affirmamus præponderari illi debere ſenſum, cenſuramque regii Senatus, à quo violentiarum Regalia participata Regiis Cancellariis, & in ſpecie eis injunctum, ut in violentiarum recurſibus ſequantur formam ſolitam, ſeu receptam in Regio Conſilio, & expreſſum eſt *in l. 36. tit. 5. lib. 2. Compil.*

Nos ultra neque alienum, neque obſervatu indi- 25
gnum credimus, Regias Cancellarias, (quantumvis ſint ſuprema, regio nomine, & vice, in ſuis diſtrictibus judicantia juſtitiæ Tribunalia,) eſſe proprie, & taxatim Tribunalia juſtitiæ, & Auditoria, unde & Auditorium nomen, litibus audiendis, & judicandis, intra cujuſque Cancellariæ limites, ſtabilita potiſſimum à Catholicis Regibus, *l. 1. & 2. titul. 5. lib. 2. Compil.* At vero, Regium Conſilium, & ut per excellentiam, aliorum Conſiliorum reſpectu, vocari obtinuit, *Conſilium*, ſeu *Conſilium Regis*, ut *in tit. 4. del Conſejo del Rey, lib. 2. Compilat.* & qui ex eo Conſilio ſunt, *Regii* antonomaſtice *Conſiliarii*, jam inde à Sancto Ferdinando Rege, de quo Ambroſius Moralius *Chron. 4. part. lib.* 13. *cap.* 40. inſtituti, ut eſſent, quorum auctoritate, & conſiliis, *Reipublicæ provideretur*, quomodo, ex mente Ven. Cardinalis Ximenii, Alv. Gomez Tolet. *in illius vita lib.* 3. tandemque non ſoli Juſtitiæ, ſed vel præcipue *Regnorum gubernationi* præpoſiti, ut exprimitur in *l.* 1. *in fine, l.* 21. *in princip. l.* 62. *§. 1. & ſeq. tit. 4. lib. 1. Compil.* Ea propter, ut de Senatu Romano Tacitus, *lib. 3. Publica Provinciarum negotia, & privatorum maxima tractari ſolita, datumque primoribus diſſerere*; ſic apud nos, inter alia ardua, & magna negotia, Regii Conſilii propria, ut dicuntur *in l. 2. tit. 2. & in l. 8. tit. 4. lib. 2. Compil.* concredita Conſilio Regio novarum ferendarum legum cura, & conſultatio. *l. 8. tit. 1. lib. 2.* & antiquarum diſpenſatio; *l. 62. §.* 10.

10. *dict. tit.* 4. Pacis, Bellorum, Legationum, deliberationes. *dict. l.* 8. junctis, inter Conſilii, quæ vocantur decreta, 139. & 147. & 275. Majorum Regaliarum, & gratiarum, ac Patronatus regii expeditiones, tranſlatæ poſtea ad propriam ejuſdem Conſilii Aulam, quæ *Cameræ Conſilium*, dicitur, (in quo & illis reſpectibus viget adhuc Secretariæ Status, & Cameræ titulus) *l.* 10. *tit.* 4. *lib.* 2. *l.* 2. *tit.* 25. *libr.* 8. *Compil.* Protectio Sancti Tridentini Concilii. *l.* 54. *l.* 59. & *l.* 62. §. 2. *d. tit.* 4. *lib.* 2. & pleraque ſimilia ſupremæ gubernationis munia, Regiis Cancellariis non competentia. Quin & quoad violentiarum recurſus, reſervantur regio Senatui, ut provideat, qui non ſemel venire uſu ſolent in cauſis Regularium, & Cancellariis negantur. *l.* 40. *tit.* 5. *lib.* 2. *Comp.* Violentiarum recurſus, in cauſis attinentibus Tridentinum Concilium. *dict. l.* 62. §. 25. *tit.* 4. *lib.* 2. ſicut & in cauſis Patronatus regii, ex Philippi II. & III. memoratis, *in Appendice tit.* 6. *lib.* 1. *Compil.* § *Los articulos*; & in cauſis Millionum, regia itidem reſervatione, de queis infra, *duobus, quæ ſequuntur, capitibus.*

26 Ergo, ut concludamus, quantumvis in regiis Cancellariis (quibus ſine univerſali Regnorum regimine, injuncta ſola cura juſtitiæ, & juridicinæ, in judicandis ſui diſtrictus cauſis, & quas, ut olim Seneca 3. *de Benef. cap.* 7. ſingularum litium formula includit, & certos, quos non excedant, terminos ponit) dubitatum ſit, de Laïcorum decreto, in recurſibus de immunitate Eccleſiarum; tamen in Supremo Regio Conſilio, cujus libera, & ampla Regnorum gubernatio, & providentia, non ſolam ſpeciem cauſæ immunitatis per recurſum delatæ reſpicit, ſed & in univerſum, ne, illius cauſæ obtentu, & exemplo, regiæ jurisdictioni, & regimini præjudicetur, atque ita, juxta veterum Senatuſconſultorum formulam, *provide, ne quid Reſpublica detrimenti capiat*, providetur eis præjudiciis, quoties notorio jure immunitati locus non eſt, per decretum Laïcorum; nec patiuntur Regii Conſiliarii, qui & regii corporis partes ſunt. *l. quiſquis* 6. *Cod. ad leg. Jul. Majeſt.* & qui regia vice cognoſcunt, judicantque (non aliter, ac ſi Rex ipſe foret judicaturus, ut ſignate ad rem ſcribitur *in l. un.* §. 1. *D. de offic. Præf. Prætor.*) de turbatione regiæ juriſdictionis, ut in *dict. l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 4. *Compil.* non patiuntur, inquam, præcludi viam decreti Laïcorum in cauſa immunitaria Eccleſiæ, & ſic delicta, & delinquentes impunitati, & moris eccleſiaſtici fori relinqui, & turbari, eludi, & elangueſcere primam, Supremamque Regaliam juſtitiæ (per quam Solia firmantur, ut eſt in Proverb. *cap.* 12. & cujus fruendæ cauſa reges conſtituti) & detrahi ſuo regi è capite, dimidium veluti coronæ, impedita juſtitia punitiva, & jure gladii illius, quem non ſine cauſa reges portant, vindices in iram eis, qui male agunt, ex Apoſtoli Pauli effato, 1. *ad Romanos cap.* 13. *v.* 4.

27 Illud tot traditis proximum ſaltem expendimus, eo etiam caſu, quo illicita extractio ab Eccleſia, quia juſta immunitatis controverſia pendet, poſſe laïcum judicem interim in delicti cauſa procedere, & acta perducere ad ſententiam uſque, damnationemque, dummodo ea non ſit mortis, aut alioquin corporalis, ut expreſſit Panormitanus in *dict. cap. inter alia* 6. *num.* 8. & 9. & ex eo exacte Valaſcus *Conſult.* 81. *ex num* 4. *tom.* 2. poſt Pegueram, Cancerius 3. *tom. Var. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 63. Boërius *Deciſ.* 109. *num.* 2. & 8. Gambacurta *de Immunit.* 4. *cap.* 29. *num.* 3. & 10. D. Larrea *Deciſ. Granat.* 29. *num.* 15. & fere Greg. Lopez *in l.* 2. *Verb. Por auer derecho*, *titul.* 11. *part.* 1. Sanfelicius *Deciſ.* 141. Deeianus *tom.* 2. *Crimin. lib.* 6. *cap.* 36. *n.* 10. Donat. Anton. Marinis *tom.* 1. *Quotid. Reſol.* 44.

28 Quin & quod Paradoxum videri poſſit, procedere ad damnationem capitalem, dummodo illam non exequatur, ut conſuetudine receptum, ex Claro, & Farinacio, notat Delbene *dict. cap.* 16. *dub.* 3. *num.* 11. & 16. Id, quod in graviſſima de immunitate Eccleſiæ controverſia, quoad occiſores Legati, ut vocabatur, à Parlamento Anglicano huc tranſmiſſi, injunctum Prætoribus Curiæ, regio extra ordinem decreto, nempe ut ad damnationis pronunciationem interim, & prout juris, procederent; & meminimus, & pro paradoxo politico, & juridico tunc habitum, teſtari poſſumus.

29 At vero ſi extra vulgarem captum, & praxim res ex juris ratione æſtimetur, non ſit, cur habeatur pro paradoxo juridico; quippe inter eccleſiaſticum, & laïcum judicem, etiam dum controverſia immunitatis pendet, non eſt contentio, &, ut loquimur, competentia alia juriſdictionis, quoad principalem cauſam delinquentis, & delicti, cujus ſolus laïcus Judex competens eſt, non eccleſiaſticus, etiamſi pro immunitate decernatur, & multo minus interim, utcumque in eo exerret Anton. Diana *part.* 1. *tract.* 1. *reſolut.* 12. Farinacio credulus, & notatus uterque merito à Cutelho *de Immunitate Eccl. quæſt.* 12. *num.* 21. & proinde neque impeditur Laïcus competentia aliqua juriſdictionis, ne immunitate pendente innovet, & in principali cauſa procedat, ac pronunciet; neque aptantur huic controverſiæ ſcita competentiarum dictata, de non innovando, ſed conquieſcente principali proceſſu, dum pendet competentia inter Laïcum, & Eccleſiaſticum, de clericatu delinquentis, cujus de principali cauſa uterque judicem ſe contendit, ut *in cap. ſi judex laïcus* 12. *in fine de ſent. excomm. in* 6. quoad hanc rem abutuntur vulgares, ut vocant, Canoniſtæ, ſed impeditur tanquam præjudiciali quæſtione, ne pendente illa de immunitate, in qua, ſi pro Eccleſia obtineatur, futura etiam reo, quamdiu immunitatis jus ſteterit, corporis impunitas eſt, infligat ei damnationem mortis, aut corporis, perempta ſpe, & cauſa immunitatis, & impunitatis pendentis, quæ utique perimeretur, ſi damnatio cum executione foret, ad quam executionem & ideo referenda verba *dict. cap. inter alia* 6. ibi: *Neque inde damnari debet ad mortem, vel pœnam, ſed Rectores Eccleſiarum ſibi obtinere debent membra, & vitam.* Et quæ ſimilia *in cap. reum* 9. *cap. id conſtituimus* 36. *in princip.* 17. *quæſt.* 4. non autem ſi damnatio dumtaxat pronuncietur, ſuſpenſa, donec de immunitate decernatur, executione.

30 Quemadmodum, ut exemplo longius petito, ſed non inappoſito utamur, libertatis controverſia, & ſpes impedit, ne, ea pendente, tanquam ſervus quis torqueatur, aut puniatur. *l.* 3 *D. de ordine cognit. l. ultim. D. ſi ex noxali cauſa agatur*, non autem ne puniatur, tanquam liber. *l. ſtatu liber* 14. *D. de quæſt. l. moris* 9. § *ultim. D. de pœnis*, juncta *l. ſtatu liberi* 29. *in princip. D. de ſtatu lib.* (queis conciliandis digladiantur theorici noſtri) & multo minus, ne interim noxæ dedatur, aut ſubjiciatur alii mutationi, quæ ſpem libertatis non perimat. *l. ſtatu liberum* 9. *l. ſtatu liberos* 25. *D. de ſtatu liber. l. Prætor* 15. *D. de noxal. act. l. ſi debitor* 45. §. *ultim. D. de fidec. lib. l. grege* 13. §. 1. *D. de pignoribus.*

31 Subnectimus pro appendice veluti relatorum caſuum, ſi neque de facto extractionis, neque de jure, an ſcilicet indubitato, vel controverſo jure crimen ab immunitate excludatur, quæſtio ſit, ſed de facto commiſſi criminis qualitatis excluſæ, atque de eo facto non ſint utrinque probationes contrariæ, ſed dumtaxat ex parte judicis laïci, quibus commiſſum fuiſſe exceptum crimen, contendatur; eſſe eum caſum extra terminos eorum, quos hactenus expreſſimus, & obtinuiſſe fere eo caſu, ut contra immunitatem ſatis ſit, præter probationem corporis delicti, probatio ſemiplena, quoad delinquentem, ſive quæ ad torturam ſufficiat: idque ex circumlatoria in juriſdictionum contentionibus aſſertione Panormitani *in cap. ſi clericus laïcum num.* 9. *de foro compet.* cum ſylveſcentibus in Foro Antonii Gamæ deciſionibus 179. & 283. Giurbæ *Conſil.* 50.

et num. 10. & conſ. 100. num. 28. San-Felicii Deciſ. 137. num. 2. noſtrique olim in Italico ſupremo Senatu diſerti Collegæ, Fr. Merlini 1. Contr cap. 64. num. 10. ac demum Peregrini, Cutelli, Cancerii, Gratiani, & aliorum apud Parexam, quem nominaſſe ſemel liceat, de Inſtrum. edit. 1. tom. tit. 2. reſol. 6. ex num. 54. cum ſeq. & potiſſimo ſulchro Pontificii reſcripti, Clementis VIII. ad Archiepiſcopum Panormitanum, quo ad rem utitur Gambacurta 6. de Immunitat. cap. 14. num. 23. & cap. 15. num. 6. ſimul cum ratione tuendæ, contra aſylorum abuſus, publicæ diſciplinæ, argumento ex l. 2. in fin. Cod. de privil. Scholar lib. 12. l. per omnes, Cod. de defenſor. Civitat. & vulgato Taciti loco 4. Annal.

32 Et tamen nos pro ea, quam ſequimur, ex animi ſententia, cenſendi profeſſione, non diffitemur, aſſertionem hanc, de ſemiplena delicti excepti contra delinquentem probatione, ſufficiente pro immunitate excludenda, nec congruere omnino ſtrictæ diſputandi rationi, & regulis, quibus in prioribus caſibus uſi ſumus, & extare in contrarium aliam, quæ non levioribus momentis ſubſiſtat, cujus item, poſt gloſſam in cap. aot inter de purg. Can. noſtratemque Avendan. de Exeq. mand. 1. cap. 22. num. 9. Gregor. Lop. in l. 4. gloſſ. 3 in fin. tit. 11. part. 1. memorat, ſequiturque aſſertores, noviſſimus Delbene 2. tom. de Immunitat. cap. 16. dub. 42. & acriter diſcutiens, Ciarlinus 1. Controv. cap. 10. ex numer. 61. & cap. ex num. 2. At nobis properantibus abire liceat, relicto aculeo, quem alii eximant.

C A P U T LV.

De recurſibus, & decretis violentiæ, in cauſis vectigalium, quæ Millionum Siſæ dicuntur.

A R G U M E N T U M.

Hiſtoricorum, *qui id genus vectigalium meminere, nomenclatura: item eorum, qui pro juſtitia, aut contra juſtitiam contributionis* Siſarum *ſcripſere. Ex his, quoad* recurſus *violentiæ, præmittitur, primo, exactionem* Siſarum Millionum *ab* Eccleſiaſticis, *ex noviſſimis* Pontificiis Bullis, *fieri debere per* Eccleſiaſticos *Judicet. Secundo,* recurſus *in cauſis violentiæ* Millionum *reſervatos eſſe Supremo* Regio Senatui. *Tertio, eaſdem* Siſas *recidi ex ſpeciebus Annonarii, vini, olei, & carnium, quarum ex menſura, vel pondera, & interdum ex pretio, penes venditores pro depoſito manent. Secundum hæc, ſi contra* Clericum, *venditorem ſpecierum ſubjectarum* Siſis, *quas ab ementibus retinuit, procedat* Regius, *ut loquimur,* Millionum *adminiſtrator, aut ille ipſe pro eiſdem* Siſis *conveniat* Clericum *coram* Eccleſiaſtico *judice, atque iſte vel abſolvat* Clericum, *vel aliter* Siſarum *redditionem fruſtretur, eſt receptus violentiæ* recurſus *ad* Regium Senatum, *& quidem à cognoſcendo, & procedendo, tum quia non agitur de exigendis* Siſis, *quas* Clericus, *tanquam tributarius debeat (ad quem caſum* Pontificiæ Bullæ *pertinent) ſed ut reſtituat illas, quas ab emptoribus retinuit: tum etiam, quia iſtæ apud eum, tanquam depoſitarium Fiſcali nomine, & jure manſere; ac proinde applicabilis* Patria ſtyli lex 118. *de* Clerico *Fiſcalium ſuſceptore, urgendo per* Regium *Magiſtratum. In contrarium non immerito expenduntur* Pontificiæ Bullæ, *præcipientes* Siſarum *exactionem, quoad* Clericos, *nonniſi per* Eccleſiaſticos *fieri; quæ & neceſſario referendæ, ne ſine effectu ſint, ad hunc caſum* Clerici *venditoris pro* Siſis, *quas retinuit; quia in* Clerico *emtore, & eo ipſo penes venditorem* Siſas *relinquente, non relinquitur caſus exactioni. Expenditur &* Bullarum *ratio, ne contra* Eccleſiaſtici *ſtatus decorem,* Clerici à Laïcis *urgerentur: & adjicitur,* Clericum *venditorem in* Siſis, *quas retinet, neque habendum pro negotiatore, neque pro depoſitario, ſe offerente; inter pugnantia hæc non defuit, qui ſtaret pro abſoluto decreto* Laïcorum, *quoniam de* Siſis, *ſeu* Regiis *vectigalibus cognitio, non niſi* Regia *eſſe, debeat. Ex adverſo alii perſtitere, ut ad ſummum non ſit locus, niſi decreto de vi in non deferendo appellationi, quia ex* Pontificiis Bullis *cognitio de* Siſis, *quoad* Clericos, *non* Laïci, *ſed* Eccleſiaſtici *judicis eſt; Sed quoad primum, repugnant* Bullæ, *&* Siſarum *qualitas, quæ non ſunt ordinarii, & perpetui* Regii *reditus, ſed ſexennes, & per ſexennia prorogabilet: Et quoad ſecundum itidem* Bullæ, *& earum mens, & ratio, quæ fuit, ut pro* Siſis *procederetur executive, & appellatione remota, nec per appellationes, aliaſve moras fieret mora vectigali, Reipublicæ tam neceſſario. His repugnantibus componendis, obtinuit diſtinctio, ut adminiſtratore, directe in* Clericum *procedente, & à cenſuris* Eccleſiaſtici *recurrente, in primis poſt eum abſolutum decernatur, vim non fieri interim ab* Eccleſiaſtico, *eique cognitio remittatur. At ſi poſt inde* Eccleſiaſticus *directis, aut obliquis pronunciationibus exactionem* Siſarum *fruſtretur, aut impediat, & adminiſtrator denuo recurrat, decernitur, vim fieri, non abſolute in cognoſcendo, ſed in eo modo, quo cognoſcit, & procedit. Idque ad inſtar decreti, in* recurſibus *de immunitate templorum, & ex perſimili rationum filo, & publicis cauſis cogentibus, quæ inſinuantur. Adducuntur etiam exempla ſimilium decretorum de vi, in* Eccleſiaſticos, *impedientes pro* Regiis *vectigalibus, & præ aliis, quoad tertias, nobilis* l. 8. tit. 5. lib. 1. Comp. *quæ confertur cum* l. 40. tit. 5. lib. 2. ejuſdem Comp. *Subnectitur alter de vi, pro* Millionibus, recurſus, *quoties* Eccleſiaſticus *judex profeſſiones, & manifeſtationes,* Hiſpanice, Aforos, & Regiſtros, *ſpecierum* Siſis *ſubjectarum, aut evectorias, ſive* Guias, *& vendendi licentias, ab adminiſtratore expediri vetat, aut ſibi uſurpat. Pro his* recurſibus *ſupponitur, ad eas profeſſiones pro vectigalibus, arctari etiam immunes, & illarum, ac evectionum, & venalitiorum licentiam, & pretia eſſe auctoritatis politicæ. Memorabilis ad rem* Cardinalis Ruſticutii Epiſtola, *& apud nos,* Decretum, *quod,* Præſidum, *dicitur pro* Gabellis.

1 PRoxima, & conſentanea propoſitis, de violentiæ in controverſiis pro templorum immunitate, recurſibus, & decretis, ſunt & ejuſdem fere formæ, & cenſuræ, recurſus, & decreta violentiæ, in quæſtionibus, contributionis eccleſiaſticæ, quoad vectigalia, quæ vocamus Milliones, quorum de origine, atque uſu apud nos promta eſſent, ſi vacaret, quam multa: ſed amandaſſe juventutem, aut quibus hæc non nimis nota, aut notata, ſatis ſit, ex Hiſtoricis, ad Dom. Caſtejonium *in Primatu Toletano, tom. 2. cap. 37. in fin. ad annum* 1590. Marianam *in Auctario*, ſive *Hiſtoriæ ſuæ Summario, ad annum* 1607. Sandovalium *in Carolo V. tom. 2. cap. 24. §. 8.* Gaſp. Klochium *de Contribut. cap. 1. num. 338.* & *de ærario 1. cap. 6. numer. 107.* ac de ejuſce generis, ante Milliones, vectigalibus, ſeu patrio verbo, *Siſis*, Marianam 25. *Hiſtor. cap. 1.* Garibaium 13. *cap. 25.* & quoad Aragoniam, Zuritam 3. *tom. libr. 13. cap. 55. & tom. 4. lib. 16. cap. 4. & 6.* & quoad Luſitaniam, quæ vocavit, *Empoſizam*, P. Molin. *de Juſt. Diſput. 665.* (cum tamen illic, *Siſæ*, ſeu *Sizæ*, nomen, pro ea, quæ apud nos, *Alcabala*, ut idem Molina *Diſput. 663.* Eman. Barboſa *in Remiſſ. ad Ordinat. Luſitan. lib. 1. tit. 75. §. 14.* Gabr. Pereira *de Manu Reg. 2. part. cap. 38. num. 3.* Maximil. Fauſt. *de Ærario, ordin.* 1443. & ex Fragoſo Klochius *de Ærario 2. cap. 78. num. 22.*) quomodo & diſſimiles ſunt Siſæ municipales Valentinæ, de queis Hieronymus Leonius 2. *tom. Deciſ. Valent.* 147. & de Franco-gallicis Bulenger.

ger. 9 *de Imperio Rom. cap.* 96. Beſold. *tom.* 2. *Politic. Diſſert. de Ærariis, cap.* 4. *in princip. num.* 2. *in notis.*

2 Deinde ex Theologiæ, juriſque, ac politicæ ſcientibus, de juſtitia, & congruentia ejuſmodi vectigalium, ſeu Siſarum, tanquam inæqualium, dubitantes, Alphonſum Caſtrum *de Poteſt. leg. pœn.* 1. *cap.* 5. *documento* 2. §. *ex eadem ratione*, Cajetanum, Sotum, Sairum, Bonacinam, & alios, apud Dianam *part.* 2. *tract.* 17. *Miſcell. reſol.* 28. & *part.* 1. *tract.* 11. *reſol.* 38. at pro ea cenſentes, poſt Molinam, Suarium, Vaſquium, & alios, quos Diana idem laudat, ſequiturque Sylveſtrum *in Summa*, *verbo*, *Gabella*, 3. *quæſt.* 5. Sanctium *lib.* 2. *Conſil. Moral. cap.* 4. *dub.* 44. Card. de Lugo *tom.* 2. *de Juſt. Diſput.* 36. *ſect.* 2. *num.* 25. & argumento juſto-politico, ex *Novella* Juſtiniani 43. *de officinis*, §. 2. *verſ. Porro*, Beſold. *dict. diſſert. de Ærariis, cap.* 4. §. 20. *num.* 2. & de Belgicis, & Germanicis Siſis, quas, *acciſas*, vocant, Klokius *de Ærariis* 2. *cap.* 78. Maximil. *eodem Tractat. ord.* 386. & in commune de hiſce millionum Siſis alia plura Guterr. *de Gabellis*, *quæſt.* 92. Avendan. *de Juſta Impoſit. trib. propoſit.* 1. *fundament.* 7. *num.* 4. Bobad. 2. *Polit. cap.* 18. *numer.* 226. Cevallos *in Arte Regia*, *documento* 20. & *commun quæſt.* 578. *numer.* 2. 16. & 27. & *quæſt.* 906. *numer.* 73. & 337. & *ſeq.* & *de cognit. viol.* 2. *part. quæſt.* 23. *num.* 16. Flores de Mena *Var.* 1. *quæſt.* 21. *num.* 219. & *quæſt.* 6. *art.* 3. *num.* 19. late Caſtillo *de Tertiis*, *cap.* 9. *ex numer.* 31. & 45. & 50. *cum ſeq.* & *cap.* 41. *num.* 79. Rodrig. *de Concurſu Credit. art.* 5. *n.* 16. Acoſta *de Privil. Cred. reg* 2. *ampl.* 7. *numer.* 16. Hermoſin. *Allegat. Jurid.* 14. *num* 10. *part.* 2. Aug. Barboſa *in l.* 1. *num.* 14. *Cod. ſi propter publ. penſit.* & Pontificiis, circa Milliones, Bullis commemoratis, *de Offic. Epiſc.* 3. *p. allegat.* 87. *ex num.* 65. & *ſeq.* & *integro ad Innocentii de millionibus Bullam tractatu.* Anton. Quintana Duennas *Singular. Moral tractat.* 13. & de re, tametſi nomine non expreſſo, Henriquius *in Summa lib* 10. *cap.* 15. *num.* 5 *gloſſa E. in fin.* Garſia *de Nobilitat. gloſſ.* 9. *num.* 10. *verſ.* & *an Siſa.* Sanctius *Conſil. Mor. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 55. *num* 37. & *ſeq.* Petrus Tapia *in Summa*, 1. *tom. lib.* 4. *quæſt.* 11. *art.* 21. & *ſeq.* Araujo *ad D. Thomæ* 1. 2. *quæſt* 97. *diſp.* 3. *diffic.* 4. *pag* 688. Cutell. *de Immunit. Eccleſ.* 2. *cap.* 46. & magis in ſpecie *quæſt.* 42. *n.* 5. & 7. *cum ſeq.* Thom. Delbene *de Parlamentis dubit.* 30. *ſect.* 1. & *ſeq.* & *de Immun. tom.* 1. *cap.* 5. *dub.* 7. *ſect.* 1. & 12. Diana *part.* 1. *tractat.* 2. *de Immunitat. reſolut.* 44. & 87.

3 Sed pro decretis violentiæ, quoad Milliones, præmunienda ſaltem ſunt, quæ ſequuntur. Primum eſt, noviſſimis Pontificiis Bullis, quibus quoad Eccleſiaſticos prorogari ſolita per ſexennium, millionum, ut vocamus, ſervitia, & Siſæ, expreſſum eſſe, ut ad earum ſolutionem Eccleſiaſtici, ſolvere recuſantes, opportunis juris, & facti remediis, per ordinarios eccleſiaſticos tantum, cogantur, ſeu compellantur, quantumvis olim Gregorii XIII. & Clementis VIII. *Bullis*, *anni* 1601. officialibus regiis exactio hæc, etiam quoad Eccleſiaſticos, committeretur, ut ex eis ipſis Bullis liquet, *in earum*, quæ ad Hiſpaniæ Eccleſias pertinent, *Codice*, *Matritenſibus typis excuſſo.* Secundum eſt, regia auctoritate, & providentia præcautum fuiſſe, ut recurſus violentiæ in controverſiis millionum, à judicibus eccleſiaſticis deferantur dumtaxat ad ſupremum Regium Senatum, non etiam, ut in aliis eccleſiaſticis cauſis, ad Cancellarias, regiaſve alias Audientias, fortaſſe ad inſtar *l.* 1. *tit.* 5. *lib.* 1. *l.* 40 *tit.* 5. *lib.* 2. *Compil.* Tertium, & quidem facti, ſed ex quo jus oritur, & ideo præmuniendum eſt, memoratas millionum Siſas, Bullis comprehenſas, conſiſtere vel maxime in octava parte vini, olei, aceti, quod minutim venditur, aliiſque ſupra carnis libras, & pecudum capita, impoſitis pecuniariis, quæ ut plurimum ex menſura, aut pondere detrahuntur, & aliquando ex pretio ementibus conſumpturis, & apud venditores veluti depoſita interim manent; quanquam & detrahuntur, & apud eos itidem manent, ultra Bullis expreſſas, annonariæ aliæ Siſæ, eiſdem ſpeciebus pro Laïcis impoſitæ, à queis Eccleſiaſtici jure immunes ſunt: ac rurſus pro explorandis, & ad aliquidum redigendis ſpecierum vini, olei, & aceti quantitatibus, ex queis poſtea Siſæ exigendæ, & pro earum provida adminiſtratione, ne fraudentur, neceſſarias, atque uſu receptas eſſe earumdem ſpecierum, quantitatumque, ut jus Romanum vocat, profeſſiones, ſeu manifeſtationes, & Hiſpaniſmus noſter, *Aforos, y Regiſtros*, ac poſtea cum vel minutim vendendæ, vel alibi conſumendæ extrahuntur, judiciales permiſſus, & evectiones, ſive, ut loquimur, *licencias, y guias, b alvalas*, res publicanis noſtris notiſſimas.

Unde & ex his, quando in hæc deſcendimus, ut 4
frequentiores aliquot recurſuum violentiæ, pro millionibus, caſus perſtringamus; uſu venire in primis ſolet, in Clerico, ſpecierum Siſis ſubjectarum, & ex prædiis ſuis collectarum venditore minutario, atque eodem relictas ab ementibus in menſura, aut pretio, Siſarum portiones retinente, contra quem ſi pro earum ſumma, ut Fiſco, ad quem pertinent, reddat, experiendum ſit, & vel regius, ut loquimur, millionum adminiſtrator, regia, judiciariaque in Clericum auctoritate directo utatur, & contra adminiſtratorem viciſſim eccleſiaſticus judex Clericum inhibitione, & cenſuris defendat; vel è contra, quod & frequentius eſt, adminiſtrator, tanquam actor, regio nomine, & jure, Clericum, pro reddendis Siſis, quas ab ementibus retinuit, conveniat apud Eccleſiæ Judicem, atque iſte vel directa pronunciatione Clericum abſolvat, vel aliis interlocutionibus redditionem fruſtretur, aut impediat, fit utique locus, ſive aditus recurſui, per violentiæ viam, ad ſupremum Regium Senatum: & quidem à cognoſcendo, & procedendo, ut mox exponemus; Pro quo recurſu, & pro adminiſtratore, ſive judex, ſive actor, juxta theſim ſignatam, fuerit, expenditur, tum quod Clericus non urgetur, impetiturve pro ſolvendis Siſis, quas ipſe, tanquam tributo obnoxius, dependat, & proinde caſus eſt extra offenſam immunitatis, & extra terminos Pontificiarum Bullarum, quæ per eccleſiaſticos judices tantum cogi permiſere Clericos ad ſolutionem Siſarum, nempe earum, quas ipſi, tanquam tributarii, ſolverent, & in queis neceſſaria compulſio (cujuſmodi pro millionibus hiſce, præter annonarias Siſas, fuiſſe indictiones aliquas extra ordinem, quæ per contributionem, & compulſionem exigerentur, ſupponunt Gutterius *dict. quæſt.* 92. *de Gab. num.* 39. Bobad. 2. *cap.* 18. *num.* 296. & juxta recentiores Bullas, ſunt, nummaria ſuperindicta in ſingula veſtalium pecudum capita) ſed impetitur pro reſtituendis Siſis, quas tributarii emtores apud Clericum venditorem reliquere: inter quæ ſolvendi ſcilicet, aut reſtituendi onera, non parum intereſt, ut inter dare, & reddere, cum partite loquimur *l.* 1. §. *eleganter* 33. *in fin. D. depoſiti. l.* 3. §. *ſed* & *ſi* 9. *l. ſtichum* 39. §. *ſi hæres* 2. *D. de ſtatu lib.* tum etiam quia Clericus, minutarius venditor ſpecierum, Siſis ſubjectarum, retinet earum ſummas ab emtoribus, quas iſti penes venditorem pro tributo ſuo relinquunt, atque ita tanquam depoſitas, & fiſcali nomine, & jure, ut in re agnoſcit, & expendit, Card. Lugo *de Juſt.* & *Jure*, *tom.* 2. *diſp.* 36. *ſect.* 4. *n.* 49. & ex Pragmaticis accurate Octavius Gloritius *Reſponſo* 5. *ex n.* 6. 70. & 88.

Quamobrem & ſuccedit *vetus lex noſtra* inter eas, 5
quæ *ſtyli* nominantur, 118. definiens, Clericum regiorum redituum receptorem, ſi reliquetur, urgeri, & carcerari à regio Magiſtratu poſſe: quo argumento, & præcipuo illo ex *cap. ſacerdotibus* 2. *ne Clerici, vel Monachi* (juncta in ſimili, & inſigni alias *l.* 5. ubi Gregorius *verb. El Juez Ordinario tit.* 10. *part.* 6. *l. nulli* 28. *cum Authent. ſeq. Cod. de Epiſcopis*, & *Cleric.*) de Clerico, depoſiti apud laïcum

judicem ſuſceptore, apud eumdem ad reſtitutionem cogendo extraordinaria executione, & ſine carceratione, vulgares ſunt traditiones noſtratium, poſt Gregor. Lop. *in l.* 3. *verb. Clerigo*, *tit.* 3. *part.* 5. Bobadill. 2. *Polit. cap.* 18. *num.* 126. *&* 130. *&* 138. D. Larrea *Alleg. Fiſc.* 27. Mar. Cutell. *de Immun. Eccl. num.* 18. 2. *quæſt.* & poſt multos, ac pro multis Vela *Diſſert. Hiſpal.* 45. *ex num.* 85. *& Diſſert.* 44. *num.* 58. Quibus conſequens prorſus videtur, eccleſiaſticum judicem, ſi adminiſtratorem, ne in Clericum pro Siſarum depoſito procedat, cenſuris inhibeat, aut apud ſe de illis agentem, abſoluto Clerico, impediat, vim facere in cognoſcendo, & procedendo.

6 Ex diverſo contra adminiſtratorem, & ne recurſui, ac decreto de vi in cognoſcendo, locus ſit, expenditur cum primis, quod cum compulſio ad ſolutionem Siſarum, quoad Clericos, ex Pontificiis Bullis, nonniſi eccleſiaſticis judicibus permittatur, ejuſque compulſionis caſus, & neceſſitas non alias contingat, quam pro Siſis, quas ab emtoribus depenſas Clerici, minutarii venditores, retinent, (quippe extra eum caſum Clerici emtores, dum annonarias ſpecies, Siſis obnoxias, & oneratas, minutatim emunt, Siſas perinde, ut Laïci, pretio, aut menſuræ impoſitas, ſolutas relinquunt apud vendentes, & indicta pro capitibus pecudum ſolvunt etiam, dum emunt conſumpturi; neque ulla judiciaria compulſione pro exactione opus eſt) ſequitur item præciſe, ut Bullarum clauſula, de cogendis Clericis ad Siſas ſolvendas, dumtaxat per Eccleſiaſticos, referri omnino debeat ad eum caſum, quo compulſio neceſſaria eſſe poteſt, qui non contingit, niſi in Siſis, quas ab emtoribus retinuere, ne alioquin ſine effectu clauſula ſit, contra dictata *l.* 5. *§. docere* 2. *D. ne quis eum, qui in jus voc. l.* 1. *§ ult. D. quod quiſque jur. l. ſi quando* 109. *D. de legat.* 1.

7 Deinde expenditur ratio, præcipiendæ per Eccleſias tantum compulſionis, quæ ſane ea fuit, ne compulſio per Laïcos, cederet aliquatenus contra eccleſiaſtici ſtatus decorem, ut ex Clementis VIII. *Bulla anni* 1604. inſert Quintana Dueñ. *Singul. Moral. tractat.* 13. *ſing.* 11. *num.* 2. Cevall. *de Cognit. Viol.* 2. *part. quæſt.* 23. *num.* 16. Guterr. *de Gabell. dict. quæſt.* 92. *num.* 65. juncta ad rem *noſtra l.* 8. *tit.* 10. *lib.* 9. *Compil.* Hæc autem ratio viget peræque in compulſione ad redditionem Siſarum, quas Clerici vendentes retinuere.

8 Poſtremo accedit, & conducit, Clericum, venditorem ſpecierum, Siſis ſubjectarum, quas ſcilicet ex decimis, prædiiſve ſuis collegere, neque negotiatorem contra Canones ſacros cenſeri, ut extra controverſiam eſt, neque dum ab emtoribus, impoſitas menſuræ, aut pretio ſiſas retinet, ſuſceptorem eſſe voluntarii depoſiti à laïco judice, & proinde quanquam ex neceſſitate minutariæ venditionis, Siſis oneratæ, eas fiſcali nomine, & jure veluti depoſitas, & reddendas recipiat, diſtare tamen valde a Clerico prohibito, & ultroneo depoſiti apud judicem laïcum ſuſceptore, ad quem coarctandæ, & coactione perſonali excluſa, referendæ aſſertiones illæ, de laïco judicio ex, *c. ſacerdotibus* 2. *cap. ſecundum* 6. *ne Clerici, vel Monach. l.* 118. *ſtyli*, de queis laudati ſupra, ac præ cæteris Vela *d. Diſſert.* 45. *n.* 85. & conſequenter nihil cauſæ eſſe, cur recurſui, & decreto de vi eccleſiaſtica in cognoſcendo locus fiat.

9 Hos inter confligentes rationum motus, non defuere qui tentaverint, locum dandum recurſui, & decreto, quod vocamus, Laïcorum, ſeu de vi in cognoſcendo, & remiſſioni ad laïcum judicem, quia cognitio eſt de Siſis, ſeu regiis vectigalibus, de queis contra Eccleſiaſticos impedientes, propria, & ut dicitur, *privativa* juriſdictio regia eſt *l.* 6. *tit.* 1. *lib.* 4. *l.* 10. *tit* 7. *lib.* 1. *§.* 9. *& §.* 3. *in fine tit.* 2. *lib.* 9. *Comp.* cum ſimilibus, de queis ſupra in deductis ex præfatis elementaribus, quomodo & ſenſiſſe videtur, tametſi milliones non nominet, poſt Cevallum, Salgadumque, noſter Amaia *in l.* 2. *n.* 33. *Cod. de Annon. & tribut.*

Et è converſo, alios non ſemel tentaſſe, meminimus, non eſſe locum recurſui, & decreto, de vi in cognoſcendo, & remiſſioni ad laïcum judicem, ſed dumtaxat de vi in non deferendo appellationi; quia cum judiciaria cognitio ad compellendos Clericos, pro Siſis ſolvendis, pertineat ex Pontificiis Bullis ad ſolos eccleſiaſticos judices, non poſſunt videri vim facere in cognoſcendo de ic juriſdictioni ſuæ commiſſa, ſed ad ſummum in non deferendo appellationi, ſi injuſto pronunciato juſtam exactionem Siſarum impediant, & ab eo pronunciato appelletur, & de vi, in denegata appellatione, recurratur ad Regium Senatum. 10

Sed utique huic tentamento repugnant Bullæ, & juris rationes. Primo, quoniam ex Bullis regia ſupplicatione impetratis, ſuſceptiſque, cognitio, & coactio pro Siſis, quoad Clericos, non eſt regiæ, ſed eccleſiaſticæ juriſdictionis; ac præterea cum millionum Siſæ pendeant ex prorogatione, & aſſenſu Comitiorum Regni ſingulis ſexenniis, & Pontificiis per eadem ſexennia, quoad Clericos, Bullis, non poſſunt accenſeri inter ordinaria vectigalia, perpetuo Regiæ Coronæ unita, ut puta, *alcavalas*, & ſimiles, de quibus proprie *in dict. l.* 1. *§.* 9. *titul.* 2. *libr.* 4. *Compilat.* Neque inter alios reditus regios incorporatos, & qui, utcumque eccleſiaſtici, in Regaliam tranſiere, cujuſmodi apud nos decimarum Tertiæ *l.* 2. *§.* 25. *titul.* 2. *l.* 1. *titul.* 21. *lib.* 9. *l.* 8. *tit.* 5. *lib.* 1. *Compil.* juncto *c. generali* 13. *in princ. de elect. in* 6. 11

Quin & ſecundo tentamento obſtant Bullæ, & illarum, juriſque ratio, quia per Bullas injungitur eccleſiaſticis judicibus, *ut ad ſimplicem exactorum requiſitionem*, procedant contra Clericos pro Siſis, *etiam executive, ac quacumque appellatione remota*, & Bullarum conceſſionis ratio, ſimulque juris, cum ſit, ut hæc Siſarum ſubſidia ſerviant bellorum ſumptibus, pro defenſione Catholicæ fidei, & communi Laïcorum, & Cleri (unde & primipilari cauſæ à noſtratibus comparantur, Flores de Mena 1. *Variar. quæſt.* 21. *num.* 219. Rodrig. *de Concurſu Cred. reg.* 2. *ampl.* 7. *num.* 16.) reſpuit, repudiatque dilationes appellationum proſequendarum *l. ultim. in princip. ibi: ne frumentum D. de appellat. recip.* ſicut & eaſdem reſpuit juſta tributorum exactio *l. abſtinendum* 4. *Cod. quorum appellat. non recip. l. cum poſſeſſor.* 5. *§. ultim. D. de cenſib.* Quibus appellationibus proſequendis, & dilationibus inſtantiarum, uſque ad tres ſententias conformes, in eccleſiaſticis tribunalibus per recurſus, & decreta, vi in non deferendo locus fieret, ceſſante interim Siſarum ſubſidio, cum regiæ, & publicæ rei ruina *l.* 1. *§. in cauſa* 20. *Digeſt. de quæſtionibus.* 12

Fecit hæc utrinque rationum pugna, & colliſio, & quodammodo coëgit, ut repudiatis, quoad milliones, ordinariis Laïcorum decretis, de vi abſoluta in cognoſcendo, & è converſo non receptis illis, de vi in non deferendo, poſt accuratam Regii Senatus deliberationem, obtinuerit tandem, diſtingui oportere, juxta hypoteſis, initio expreſſæ, partes. Quippe in priore, ſi millionum adminiſtrator propria juriſdictionali, ſeu judiciaria auctoritate in Clericos pro Siſis utatur (quod tamen hodie adminiſtrator vix, niſi temere tentaverit) & adminiſtratorem ideo eccleſiaſticus judex excommunicet, & injungat, ut in Eccleſiæ foro in Clericos pro Siſis experiatur, ac de vi regius Senatus adeatur, decernetur, vim non fieri interim ab Eccleſiaſtico in cognoſcendo, & procedendo, utpote ad quem cognitio, & proceſſus in Clericos, pro Siſis ex Pontificiis Bullis pertinet, & adminiſtratori, à cenſuris abſoluto (quod plerumque præcedentibus regiis deprecatoriis, ut vocamus, proviſionibus, ab eccleſiaſticis judicibus, & interdum poſtea per decreta, de vi obtineri ſolet, ex ratione *cap. Apoſtolicæ* 9. *de except. cap. per tuas* 40. *de Sentent. excommun. cap. ſo-* 13

let

let 2. illie: *Petenti abſolutio non negetur. cap venerabilibus* 7. *eodem tit. in* 6. juncta *noſtra l.* 36. *tit.* 5. *lib.* 2. *Compil*) neceſſe erit deinceps, coram eccleſiaſtico judice, in Clericos pro Siſis executive experiri.

14 Jam quoad ſecundam partem hypotheſis, ſi ab initio, vel poſtea, ut diximus, adminiſtratore in Clericos pro Siſis agente apud eccleſiaſticum judicem, iſte directis, aut obliquis pronunciationibus, executionem fruſtretur, & exactionem impediat, obtinuit, ut recurratur ad Senatum, de vi in cognoſcendo, & procedendo, & ut decernatur, vim fieri, non abſolute in cognoſcendo, ſed in cognoſcendo, & procedendo eo modo, quo cognoſcit, proceditque. Id quod decreti genus à Primariis Senatoribus noſtris, veluti per manus, accepimus, efformatum, & effictum fuiſſe, ad typum veluti, & amuſſim decreti ſimilis in recurſibus de Templorum immunitate, in quæſtione de facto extractionis, aut indubitato jnre excluſivo immunitatis, & ſuſtineri, ac niti eadem juris ratione, & cenſura; de qua, ne actum agamus, diſtincte ſupra *cap.* 54. unde & recurſum hunc, quoad milliones, tanquam illis de immunitate conſequentem, ſubnexuimus.

15 Illud ſaltem, utcumque repetita aſſertione, monemus, ventum fuiſſe ad ejuſmodi decreta de vi, in recurſibus pro millionibus, urgente, & flagitante publicæ rei, & boni cauſa, & juxta ipſam Pontificiarum Bullarum mentem, ne ſi abutentes cognitione de Siſis in Clericos, eccleſiaſtici judices, earum ſolutionem impedirent, & pro tollendo impedimento ſufferendæ eſſent moræ appellationum, & inſtantiarum eccleſiaſtici fori, periclitaretur interim regia, & publica res, ejuſmodi ſubſidiorum defectu, ac dilatione, contra ipſas Pontificias Bullas, quæ executive, & appellatione remota Clericos ad Siſas cogi voluere, retinentibus ipſis Clericis venditoribus minutariis Siſas, à tributariis emtoribus apud eos depoſitas, quarum, nt fere ad rem Auguſtinus, *procurationem* accepere, non proprietatem, & ſibi *uſurpatione damnabili vindicantibus*, ut eſt *in cap. ultim.* 12. *quæſt.* 1. Secundum quæ & viget proprie in his terminis, èlementare illud præſatum *ſupra*, de poteſtate Politica, ſufficiente ad ſe, ſuumque finem tuendum, ac proinde ſufficiente contra Eccleſiaſticos, injuſte impedientes, aut renuentes (ne inter moras Reſpublica periclitetur) ad tuendam juſtorum vectigalium exactionem regia auctoritate, & auxilio, & defenſionis jure, quam Princeps Reipublicæ debet; ut fere in ſimili pridem ſenſere ex forenſibus noſtris, Mexia *in Pragmat. taxæ panis, concluſ.* 5. *num.* 64. Avileſius *in capitibus Prætor. cap.* 23. *gloſſ. den orden*, *num.* 11. & poſt eos, P. Sanctius *Conſil. Mor. lib.* 2. *cap.* 4. *dubit.* 55. *n.* 33. P. Molina *de Juſt. diſp.* 672. *n.* 5. & quoad millionum Siſas, Cutellius *de Immun. Eccl.* 2. *q.* 42. *n.* 5. *&* 7. *&* 25. & memorato regio violentiæ decreto, Luna Arellanius *Singul. Lect. cap.* 5. §. 5. *n.* 56.

16 Acceſſit generalis ratio illa, ex elementis politicæ auctoritatis deducta, de non toleranda læſione Reipublicæ per abuſionem eccleſiaſticæ poteſtatis *l. ſacroſancta, Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. l. ultim. Cod. de annon. & trib. l.* 5. *verſ. tanto*, *tit.* 3. *lib.* 1. *& l.* 3. *ibi, Sennorio*, *tit.* 1. *lib.* 4. *Compilat.* & removendis regiorum tributornm impedimentis, contra Eccleſiaſticos impedientes, vel per mandata illa Regii Patrimonialis Conſilii, de queis *in l.* 1. §. 9. *titul.* 2. *lib.* 9. *Compil.* vel per recurſus de vi ad ſupremum Regium Senatum, & abſoluta Laïcorum decreta, quorum de uſu, quoad *alcavalas*, & ſimilia ordinaria tributa, ex *dict. l.* 1. §. 9. Gironda *de Gabell.* 7. *part. num.* 26. *& ſeq.* & ex eo Bobadill. 2. *Polit. cap.* 18. *num.* 138. *&* 171. Amaia *in l.* 2. *num.* 33. *Cod. de Annon. & Tribut.* Torreblanca *Spiritual. Practicab. lib.* 15. *cap.* 14. *num.* 24. Pareja *de Inſtrum. Edit. tom.* 2. *titul.* 6. *reſolut.* 9. *num.* 77. & ante alios Cevallos *de Cognit. Violent. part.* 2. *quæſt.* 23. *num.* 2. & utcumque parum ſcite mandata Patrimonialis Conſilii cum articulo violentiæ confundens, *quæſt.* 64. *n.* 14. vel denique per media hæc decreta de vi, in modo cognoſcendi, & procedendi.

17 Quibus pro exemplo, vel ratione, fortaſſe fuit ſingularis alioquin Philippi II. lex, quæ, ne Tertiarum Regiarum exactio ſimili impedimento, per eccleſiaſticos aliquot judices frandaretur, edixit, ut ad regium Senatum (non autem ad regia Prætoria, aut Audientias) acta deferrentur, ubi & provideretur, prout expediret, ſcilicet per decreta de vi, cauſis aptanda, ut fere poſtea obtinuit, quoad millionum Siſas *lex* eſt 8. *titul.* 5. *libr.* 1. *Compilat.* Cujus & millionum recurſus ſpecies eſt ejuſdem providentiæ cum illa, *l.* 40. *tit.* 5. *lib.* 2. *Compil.* & addendæ illis, regio Senatui reſervatis, de queis noſter Salgadus 1. *part. de Reg. prot. cap.* 2. §. 5. *num.* 10. Porro quamvis millionum Siſæ non ſint, perpetuo incorporati regiæ Coronæ reditus, ut *alcavalæ*, & *Tertiæ*, ideoque Siſis non aptetur, nec privativa juriſdictio regia in Eccleſiaſticos, nec ſimplicia Laïcorum decreta de vi, ut ſupra expendebamus, tamen pro tempore prorogationis Siſarum ſunt, exiguntur que, tanquam regii reditus; eaque ratio ſufficit, ut regiæ auctoritati contra Eccleſiaſticos impedientes ſit locus, & decretis temperatis de vi, ſaltem in mndo cognoſcendi, & procedendi.

18 Eſt & alter de vi pro millionibus frequens recurſus, quoties eccleſiaſticus judex in Clericorum cellis vinariis, aut oleariis fieri non patitur, ſpecierum, Siſis ſubjectarum, profeſſiones illas, & manifeſtationes, ſive *aforos*, & *regiſtros*, ab adminiſtratore regio, aut cum ejus interventu, vel eidem, illarum ſaltem copiam petenti, negat, vel eaſdem ſpecies publice, & minutatim venum exponi, inobſervato pretio, aut menſura Magiſtratus politici, aut ſine ejuſdem licentia, vel ſine adminiſtratoria evectoria Scheda (quam, *guiam*, dicimus, ſive, *alvalam*) exportari jubet: in queis ſingulis caſibus, recurrente, de vi in cognoſcendo, ad Senatum regio Adminiſtratore, ſi ex ſtricta diſputandi ratione cenſeatur, fit locus abſoluto Laïcorum decreto de vi in cognoſcendo. Quippe eſt certi, & recepti juris, ad profeſſiones mercium, & evectorias pro eiſdem litteras, ne juſta vectigalia fraudentur, teneri etiam eos, qui alioquin immunes ſunt, nt notatur *in l. ult.* §. *Divus* 9. *D. de publican. & vect.* & poſt Roſentalium *de Feudis cap.* 5. *concluſ.* 38. proprie quoad Clericos, *in l. Regia* 1. *tit.* 18. *lib.* 6. *Compil.* ex Baldo, & aliis Joſephus Graſſis *de Effect. Cleric. eff.* 3. *num.* 257. Alex. Trentacinq. 1. *Variar tit.* 5. *reſolut.* 5. *num.* 8. *&* 9. P. Molina *de Juſtit. diſp.* 672. *n.* 2. & laudati de commiſſo, quoad Clericos, ſupra *cap.* 45. Ac præterea profeſſionum ejuſmodi, & exportationum curam, & præfecturam eſſe proprie, & privative, ut loquimur, Magiſtratus, & poteſtatis politicæ, & multo magis pretia, & menſuras annonariis ſpeciebus ſtatuere, & licentiam, modumque earum venalitiariis apothecis præbere. *l.* 1. §. *cura* 11. *D. de offic. Præf. Urbi. l.* 1. *Cod. eodem l.* 3. §. *cura. l. ultim.* §. *cura* 5. *D de muner. l.* 2. §. *poſt deinde* 17. *&* §. *capta* 32. *verſ. deinde Caius*, *D. de orig. jur. l. ſemper* 5. §. *Negotiatores* 3. *D. de jure immun. l.* 1. *Cod. ut nemini liceat in emt. ſpecier. libr.* 10. *l. ultim.* §. *ultim. Digeſt. ad leg. Jul. de annona. Novella* Theodoſii 43. *de Pentapolis ad Urb. Rom. revoc. l. modios* 9. *& l. ultim. Cod. de ſuſceptor. lib.* 11.

19 Quibus, ne paginas tritis allegationibus oneremus, ſatis, ſuperque eſt, adjeciſſe Cardinalis Ruſticutii *Epiſtolam* ad Gaſparum Vicecomitem, Mediolani Archiepiſcopum, ex Sixti V. P. M. ſententia, & juſſu tranſmiſſam, & poſtea à Pio V. approbatam, cujus fuit ſumma, de annonaria re, etiam quoad Clericos, publice edicere, & decernere, ut puta de frumentorum deſcriptione, non eſſe eccleſiaſticæ poteſtatis, ſed politicæ, ut memorat Antonius Herrera *in relatione Controverſiarum Mediolanenſium ſub Comeſtabili*, *cap.* 10. *pag.* 53. *& cap.* 25. *p.* 124.

124. cui jungendus Cabrera *in Philippo II. lib. 9. cap. 22. pag. 677. ad finem.*

20 Et ſatis itidem, adjeciſſe famigeratum, Plautino verbo, apud nos decretum, quod, *Præſidum*, dicitur, qui à Primariis tribus Præſidibus Caſtellæ, Indiarum, & Patrimonii regii, extraordinario cum aliis Conſiliariis conſeſſu, editum, & ſubſcriptum, quo inter alia cautum, Clericis, pro vendendis vinis, aut muſtis, quæ ex patrimonialibus, aut beneficiariis reditibus, ſua eſſe præjuraverint, dandas eſſe evectorias litteras à regio adminiſtratore. Et in his immunes eos fore à gabella, ſive *alcavala*, aliter atque in præcedentibus ex negotiatione: de quo ſi dubitetur, acta ad regem tranſmitti, ſuſpenſa interim evectione, nec permittendum eccleſiaſticis judicibus, de re cognoſcere, aut qualitercumque impedire. Deſcripſere ejus decreti verba, poſt alios, Gutertius *de Gabellis, quæſt.* 94. *num.* 14. Cevallos *de Cogn. Viol. 2 part. quæſt.* 64. *num.* 10. Nec perpenſis, pro Laicorum abſoluto decreto, contrariæ ſunt Pontificiæ Bullæ, quibus, ut præmonuimus, cognitio, & compulſio Clericorum, quoad Siſas, defertur Eccleſiæ Judicibus. Unde & quoad profeſſiones ſpecierum, & vendendi, evebendique licentias, tanquam annexas, aut præparatorias pro Siſis in Clericis deferri eas Eccleſiæ Judicibus, ſupponit Quintana Duenn. *Singular. tract.* 13. *cap.* 12. *num.* 4.

CAPUT LVI.

De recurſibus violentiæ in cauſis Regii Patronatus.

De origine, & progreſſu Conſilii Cameræ Hiſtorico legales obſervationes.

ARGUMENTUM

PRimaria in re aſſertio eſt, expreſſa in Appendicibus tit. 6. lib. 1. Compil. *ſumpta ex* Regiis Schedolis Philippi II. & III. *in cauſis* Regii *Patronatus, aut eum qualitercumque attinentibus,* recurſus *violentiæ expediri in* Regio Cameræ Conſilio. *Ei aſſertioni, quæ hucuſque noſtris pro explorata, objiciatur ejuſdem* Compilationis *leges* Regiæ, *& decreta* Supremi Caſtellæ Senatus, *quibus exprimitur, in cauſis præjudicii* Regii *Patronatus, recurri oportere ad* Regium Senatum, *vel* Cancellarias, *ut & ſupponunt eis congruenter noſtrates, & exteri. Sed expedita res, ſi obſervetur, leges haſce, & decreta eſſe anterioris temporis, ſive illius, quo nondum editæ* Regiæ Schedulæ, *deferentes ejuſmodi cauſas ad* Conſilium Cameræ; *id quod ex eis legibus liquet, quæ elucidantur. Acrior, & impeditior objectio eſt ex ipſa noviſſima* Schedula Philippi III. anni 1603. *cujus verbis, in verſiculo,* quedando, *reſervatur, in cauſis Patronatus,* recurſus *violentiæ ad* Regium Conſilium, *neque expeditur in* Conſilio Cameræ, *ut* Appendices tit. 6. *ſupponunt. Sed & perinde facilis expoſitio eſt, perlecta* Schedula Philippi II. anni 1593. *ad quam illa* Philippi III. *refertur, & ex qua liquet, ejuſmodi* recurſus *expediri in* Regio Conſilio *per tres* Conſiliarios, *illic aſſidentes, & ad* Regiam Cameram *promotos, juxta formam, quæ tunc vigebat, intra ipſius* Conſilii *ſubſellia, & Aulas, & ſine interventu Præſidis: id, quod obtinuit ſub initiis* Caroli V. *ut diſcere eſt ex illius lege* Compilata, *& vix dum expenſa, donec tandem à* Philippo II. *quæ nunc obtinet forma, data* Conſilio Cameræ, *& inſtructio, qua expreſſum, ut ei Præſes* Regii Conſilii *præſit cum jure ſuffragii, & pauliſper inductum, ut* Camera *habeatur in Domo Præſidis. Data hæc forma, & inſtructio* ſub annum 1588. *neque ante, ut vel gloriatur privata epiſtola* Præſes Comes Barajenſis *ad* Oſorni Comitem. *Fuere utique & ante eum annum ſub* Carolo, Conſiliarii Cameræ, *de queis in* Regiis, *quæ laudantur, legibus, &* Camerales Secretarii *nominatiſſimi, ſed ſine Præſide, aut Aula propria, diſtincta à* Regio Conſilio, *ac ne deſignatis quidem diebus, ut ex* Matritenſibus Comitiis *ſub* Carolo, *& illorum querela illa de gratiis noxiis, & ex legibus domi ſui, vel ab uno* Cameræ Conſiliario *expeditis, quo referenda* l. 3. ad fin. tit. 2. Comp. *& memorabilis arcana inſtructio* Caroli II. *ad* Eliſabetham Imperatricem: *quo itidem referendæ* Comitiorum *aliæ ſupplicationes, laudatæ* ad marginem l. 11. lib. 2. Comp. *ne juſtitiæ negotia expedirentur per* Cameram, *donec partibus ſupplicantibus de his in* Conſilio Juſtitiæ *provideretur, juxta celebratiſſimam* l. 11. *ac demum eo pertineas, vel ante eas leges ſub* Joanne II. *querimonia* Petri Velaſci, *de* Caſtanedæ Comitatu, *apud* Phyſicum Civita Regium, & Poreſium Guſmanum: *ſed ut jam ultra, fuit pridem curæ* Regibus *noſtris, juſtitiæ, & gratiæ expeditiones diſtinguere, & cavere, ut illæ à* Conſiliariis, *gratiæ autem* Regia *manu ſignarentur, ex politico* Xenophontis *documentis, & ſeptempartitis noſtratibus, compilatiſque legibus; & quod rei proprium magis, ut juſtitiæ negotia publice à* Conſiliariis, *gratiæ autem expedirentur privato magis conſeſſu, ut ſub primordiis* Joannis II. *memorat* in illius Chronico Guſmanus, *& inſignite* Regia lex 3. tit. 2. lib. 2. Comp. *Anacttitur jam traditis de* Conſilio Cameræ, *& expeditionibus gratiæ, ante* Philippum II. *intra* Regii Conſilii *Aulas veluti comprehenſis, & pro utriſque* Regia *ſella illic præparata, de qua in* l. 3. tit. 2. lib. 2. Comp. Catholicorum Regum *præclara* l. 10. tit. 4. lib. 2. *quæ elucidatur. Porro ante* Carolum, *&* Catholicos Reges, *quo titulo dignoſcerentur gratiarum* Conſiliarii, *non eſt obviæ conjectationis. Certe* Conſiliariorum Cameræ *nomen vix legas, ante teſtamentum* Ferdinandi Catholici, *in quo ſic nominantur* Zapata, & Galindius Carvajalius (*ut hic ipſe ſe indigitat* in manuſcripto illius temporis Regeſto, *& ex eo alii*) *ſcilicet* Conſiliarii Cameræ, & Regii Conſilii, & Referendarii, *ſeu*, Relatores. *Unde & jam ſuſpicamur*, Conſiliarios Cameræ *ſucceſſiſſe in idipſum munus, quo, ante illos, functi* Conſiliarii Referendarii, *ſeu* Relatores, *qui nimirum ſupplicationes gratiæ* Regibus *referebant, ut per eos expedirentur, quomodo ſub* Romanis Cæſaribus *novioribus, per* Referendarios, *de queis pauca, &* Juriſconſultorum *ſæclo per* Magiſtros libellorum, *quales* Papinianus, *& alii. Fuerunt autem, apud nos, illi* Referendarii, *ex corpore* Regii Conſilii, *& profeſſione* Juriſconſulti, *ut* Zapata, Galindius, *& notiſſimus* Relatoris *titulo,* Ferdinandus Diazius Toleto, *quanquam tunc non intra* Conſilium, *ſed in cubiculo, ſeu* Camera *interiore Principis, gratias expediebant; atque inde orta* Conſilii Cameræ *appellatio, & fortaſſe illa prærogativa, ut in conſultationibus dierum* Veneris, *ſolis* Cameræ Conſiliariis *cum* Præſide *ad interiorem* Regis *Aulam pateat ingreſſus. Signantur hæc egregis* Conneſtagii *elogis, de* Hiſpano Regio Cameræ Conſilio.

1 POſtremi ſunt, & de queis, quia vulgati minus, & extricati, diſpicere cum cura, utcumque breviter, oporteat, recurſus, & decreta in cauſis Regii Patronatus. Eſt autem prima rei veluti ſumma, atque aditus, quod *in Appendicibus Regiæ Compilationis* novæ recognitionis, poſt *titulum ſextum libri* 1. legimus *in* §. *los articulos: deferri, & expediri debere in Regiæ Cameræ Conſilio recurſus violentiæ Judicum Eccleſiaſticorum, in omnibus, Regium Patronatum attinentibus cauſis, & negotiis, de queis Cameræ cognitio eſt.* Ea porro aſſertio, & ſumma cenſetur ſumpta, ſeu redacta *ex duabus Regiis Schedulis*; una Regis Philippi II. *anni* 1588. *& alia* Regis Philippi III. *anni* 1603. quæ in eiſdem appendicibus memorantur, & quibus cavetur, cognitionem cauſarum Regii Patronatus, in Caſtellæ, & Navarræ regnis,

&

Digitized by Google

& Canariis Inſulis proprie, & privative ſpectare ad regiæ Cameræ Conſilium, inhibitis aliis quibuſcumque Conſilus, Cancellariis, & Audientiis, & qualicumque ad ea recurſu. Idque etiam in incidentibus, & qualitercumque de eo dubitetur, & ad inſtantiam regii Fiſcalis, vel alterius privati. Atque ita ſecure ſupponunt ex noſtratibus noviores, & ante alios, explicite deſcriptis etiam Regiis Schedulis, Salgadus *de Reg. Protect.* 3. *part. cap.* 10. *ex n.* 198. & ex eo Salcedus *de Leg. Politic. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 45.

2 Aſt quantumvis ſecura, fortaſſe nondum ſatis expedita res. Conſtat quippe & in primis, regiis ex legibus Compilatis, Patronatus regii cauſas, & in quibus de illius præjudicio quæritur, deferendas eſſe ad regium Conſilium, ut cavetur *in l.* 25. *tit.* 3. *lib.* 1. *Compil.* juncta *l.* 5. *tit.* 6. *eodem libro.* Etſi ad regias Cancellarias deferantur, juxta formam *l.* 21. *tit.* 4. *lib.* 2. viſionem, & expeditionem ejuſmodi cauſarum præponendam eſſe aliis quibuſcumque, in regia Cancellaria pendentibus. *l.* 34. *tit.* 5. *lib.* 2. *Compil.* & conſonant eiſdem legibus decreta regii Caſtellæ Senatus, qualia, inter edicta, ſunt 4. & 5. & 85. queis congruenter hoc ipſum firmant, in commune de Conſilio regio, & Cancellariis, noſter Solorzanus *de Ind. Gub. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 29. & ex eo noſter item Gonſalius *ad cap. quanto* 3. *de jud. num.* 10. *in fine.* Et regiis noſtris legibus laudatis, Mich. Rouſellius *in Hiſt. Pontif. juriſd. lib.* 2. *cap. ult. num.* 7. & ſpeciatim de Cancellaria Granatenſi, Bobadilla *lib.* 2. *Polit. cap.* 18. *num.* 141. & 213. Mieres *de Majorat.* 3. *part. quæſt.* 11. *num.* 28.

3 Sed & perinde promta objectionis propoſitæ expeditio eſt, ſi obſervetur, *Compilatas leges illas* 25. *tit.* 3. & *l.* 5. *tit.* 6. *lib.* 1. & *l.* 34. *tit.* 5. *cum l.* 21. *tit.* 4. *lib.* 2. *Comp.* quæ ſunt Caroli V. ex Comitiis Toletanis *anni* 1525. *petit.* 53. ubi & annexa in priſca editione Comitiorum, regia Pragmatica ejuſdem anni, & ſenſus; Et ex Comitiis Matritenſibus *anni* 1528. *petit.* 5. & prælaudata Senatus regii Decreta 4. & 5. & 85. eſſe ea ſingula anteriora regiis Schedulis Philippi II. & III. quarum meminimus, & proinde eſſe illius temporis, & juris, quod ante regiam Schedulam Philippi II. in uſu erat, quo tempore Pontificiæ Bullæ, regio Patronatui præjudicantes, deferebantur ad regium Conſilium, ut exprimitur ex Toletanis Comitiis *in dict. l.* 25. illic: *Ante los del nueſtro Conſejo, tit.* 3. *lib.* 1. & *in decretis* 5. & 85. regii Senatus, idque, ut vel illic provideretur, vel remitteretur cognitio regiis Cancellariis, ut poſtea ex Matritenſibus Comitiis proviſum, *dict. l.* 34. *tit.* 5. *lib.* 2. *Compil.* atque ei incerto tunc juri cognitionis, vel in Conſilio regio, vel in Cancellariis, reſpondent *in dict. l.* 5. *tit.* 6. *lib.* 1. de Fiſcalibus regiis, proſecuturis cauſas Bullarum contra regium Patronatum, verba illa, *ante quien, y como devan.* Quemadmodum & ad vetus id jus, ante Schedulam Philippi II. (quæ in Cameræ ſcriniis repoſita, & ignota diu) referendi, qui illius non meminere, noviores, & ad obſervantiam Granatenſis Prætorii cognitionis, de poſſeſſoriis Patronatus, Bobadilla, & Mieres, & ſi qui alii.

4 Jam vero ignotius, & impeditius primo aſpectu, quod exprimitur in illa regia Schedula Philippi III. *anni* 1603. deferendas eſſe ad regiam Cameram omnes cauſas, qualitercumque regium Patronatum attinentes, inhibitis regio Conſilio, & aliis Tribunalibus; manente, ſive ſalvo, & ut Hiſpanice ſcribitur, *Quedando à las partes ſolo el recurſo de la fuerça, para el dicho mi Conſejo Real, en el caſo, y en la forma, que ſe contiene en la dicha Cedula de* 17. *de Março de* 593. Quæ ſane verba ex adverſo veluti opponuntur illis, quorum hujus capitis initio meminimus, ex *Appendice tit.* 6. *lib.* 1. *Compilat.* ubi ſic legimus: *Los articulos de fuerça, de qualeſquier Juezes Eccleſiaſticos, ſe traen, y determinan en la Camara, en todo lo que es, ò fuere tocante al Patronazgo, y negocios, de que en ella ſe conoce*; ſunt enim contraria, ut videtur, violentiæ recurſus expediri debere in regia Camera, ut eſt in Appendice, & eoſdem ſalvos manere, ut expediantur in regio Conſilio, ut in Schedula *anni* 1603.

5 Eſt tamen non difficilis res explicatu, perlecta priore Schedula illa Philippi II. *anni* 1593. ad quam refertur poſterior Philippi III. *anni* 1603. quippe in priore, quamvis ſtatuatur, recurſus violentiæ in cauſis Patronatus deferri oportere ad regium Conſilium, in quo, ut ait: *En el qual ſe vean, y determinan, l. articulo, de ſi ay la dicha fuerça*, exprimitur tamen continenter, ut viſio, & expeditio ſit per tres ejuſdem regii Conſilii Conſiliarios, proviſos, ſeu promotos ad regiam Cameram, cum aſſiſtentia Secretarii regii Patronatus; & in defectum unius ex Conſiliariis tribus, ut ſubintret Conſilii Regii Præſes, aut Conſiliarius, ab eo nominandus. Ex his & ſtatim liquet, hos violentiæ recurſus & pertinere ad regiam Cameram, ſive illius Conſiliarios, ut eſt in Appendice, & expediri per eoſdem Conſiliarios in regio Conſilio, ut expreſſum *in Schedula anni* 1593. atque ita hæc, quæ contraria videbantur, conciliari oportere.

6 Plane ne quis adhuc ſcrupulus maneat, & rei penitus extricandæ, obſervaſſe pretium operæ erit, quo anno emiſſa *prior Schedula* 1593. & quo *anterior alia*, Patronatus cauſas regiæ Cameræ adſcribens, nempe 1588. & hoc amplius *anno* 1525. ſub initiis Caroli V. cujus eſt *lex* 5. *tit.* 6. *lib.* 1. *Compil.* regiæ Cameræ Conſiliarios aſſediſſe, expediendis negotiis Cameralibus, intra ipſius Conſilii aulas, & ſubſellia, & nondum eo tempore deſignatam fuiſſe domum Præſidis, in quam convenirent, & aſſiderent; & quod magis eſt, necdum Præſidem ipſum interveniſſe Cameralibus expeditionibus, niſi in defectum unius ex tribus Conſiliariis. Id quod liquet ſatis ex eadem Schedula *anni* 1593. ac præterea liquet *ex inſtructione, data à Philippo II. anno* 1588. pro regiæ Cameræ expeditionibus; cujus *primarium caput* eſt, *ut Conſilii Regii Præſes præſit etiam Cameræ cum jure ſuffragii*, in omnibus negotiis: & *tertium caput*, ut Cameræ conſeſſus habeatur, *in eô loco, aut aula, quam Rex deſignaſſet:* & deſignata tandem fuit domus Præſidis, quanquam vacante Præſidatu, habetur adhuc Cameræ conſeſſus in majore aula Conſilii.

7 Firmamus hæc eadem, ne diutius novi ſcripturientes cæcutiant, & obſervamus, Conſilium Cameræ ea forma, & a Conſilio regio diſtinctione, quale hodie eſt, cum Præſide, & conſeſſu proprio, non fuiſſe *ante initium anni* 1588. *die* 6. *Januarii*, ſub Philippo II. a quo tunc efformata inſtructio illa, cujus meminimus; atque in eam rem privatum documentum laudare licet (ex Bibliotheca amiciſſimi noſtri D. Joannis Suarii Mendoza, regii Conſiliarii) *Epiſtolam* D. Franciſci Zapatæ, Comitis de Barajas, & Caſtellæ, ut vocamus, Præſidis, ad Oſorni Comitem ſuum generum, qua epiſtola ſubſcripta *eodem anno* 1588. *die* 19. *Januarii*, gratulatur veluti ſibi, & genero, & familiariter gloriatur, electum ſe à Rege Præſidem novi Conſilii Cameræ, cum ſuffragii illic jure, & retento Caſtellæ Præſidatu (quod nulli ante eum Præſidi conceſſum ſcribit) & inſtructionem, à Rege datam Cameræ memorat; & illius ſumma capita ejuſdem ſubſtantiæ cum his, quæ hodie *in laudata Inſtructione* leguntur.

8 Fuerunt quidem ante eum annum 1588. & ſub Carolo V. Conſiliarii Cameræ, expediendis Cameralibus negotiis deputati, ut præmonuimus *ex l.* 5. *tit.* 6. *lib.* 1. *Comp.* & exprimitur *in l.* 11. illic: *A los del nueſtro Conſejo, que entienden en las coſas de la nueſtra Camara. titul.* 4. *libr.* 2. & in Curiarum, ſeu Comitiorum regni Comitiis, quorum in eiſdem legibus ad marginem mentio, junctis itidem titulis Secretariorum Conſilii Cameræ, in queis ita cognominantur, ſub Carolo V. Commendatarius Major D. Franciſcus Cobos, & Petrus Cobos, ei in eo munere

nere ſuffectus, *anno* 1543. & ſub Philippo II. Joannes Vaſquius Molina, & alii, ante *annum* 1588. ſed ſere ante eum annum Conſiliarii, & Conſilium Cameræ ſine Præſide, & aula propria, & vix diſtincta à Conſilio regio, & ſine deſignatis diebus, pro conſultatione gratiarum, & præmiorum convenirent, adeo ut *in Matritenſibus Comitiis anni* 1528. *petit.* 101. ſupplicatum fuerit Carolo V. à Procuratoribus regni, ut gratiarum Conſtitutiones ſaltem ſemel in menſe fierent, queis reſponſum à Carolo, proviſurum ſe rei, ut expedit, & cum expedierit; ſicut ex eiſdem Comitiis fere habetur, *in l.* 3. *ad finem, titul.* 2. *libr.* 2. *Compilat.* imo ſoluta eo uſque licentia, & abſque ulla legum circumſcriptione, in diſpenſationibus, & aliis gratiis, ut quo tempore ante primum Caroli V. è Flandria adventum, regna hæc ſub Gubernatoribus ſtetere, multa ab eiſdem juſtitiæ, & regio Patrimonio nonia Cameraliter expedita fuiſſe domi, & interdum ſine ſubſcriptione Referendarii, aut Secretarii, aut Conſiliarii litterati, atque adeo eoſdem Conſiliarios, & nocuiſſe tunc, & nocituros publicæ rei (niſi intra regulas ſteterint) ſub gubernatione, quam Carolus V. in Italiam profecturus, *anno* 1529. relinquebat, uxori ſuæ Eliſabethæ Imperatrici, teſtatum ſit, & legatur adhuc *in arcana inſtructione*, ſcripta eo tempore, & occaſione, quæ Antonio Perenotto Granvellæ tribuitur in Bibliotheca manuſcripta Eſcurialenſi.

9 Ex his & obſervare licet, qua occaſione, & quam juſto motu excitatæ fuerint querelæ illæ, & ſupplicationes repetitæ Comitiorum regni Valliſoleti, Matriti, & Segoviæ, *ab anno* 1523. *uſque ad* 1532. quæ laudantur *ad oram dict. l.* 11. *tit.* 4. *lib.* 2. *Comp.* ne juſtitiæ negotia, aut partibus præjudicialia, expedirentur per Cameram, & ut, partibus ſupplicantibus, ſuperſedeatur in Camera, donec de re in Conſilio juſtitiæ videatur, & provideatur; quæ regula, & deciſio, eſt *celebratiſſimæ apud nos illius legis* 11. cujus ſumma *in Appendice tit.* 14. *lib.* 4. *Compil.* & cujus apud nos pridem meminit Burgenſis Pacius *in proœmio legum Tauri*, *num.* 446. Provida ſane, & ſancta legis cautio, ne gratiæ, & Cameræ expeditiones, non ſemel exleges, & aulicæ, ut tunc contingebat, prævalerent juſtitiæ, & publicis legibus, quarum tuendarum cauſa bene morati Reges conſtituti. Sic & ante eam *legem* 11. ut proprio illam, neque obvio exemplo illuſtremus, cum Rex Joannes II. de Dynaſtia, ſeu Comitatu Caſtanedæ, Garſiæ Fernando Manrico gratiam feciſſet, & conquereretur Petrus Velaſquius, ſibi ea gratia injuriam fieri, & præjudicari in eo jure, quo ad ſe Dynaſtiam Caſtanedæ pertinere aſſerebat, ſimulque obteſtaretur, *ne Rex in ea cauſa cum Conſilio Procerum Aulæ, & ſtatus decerneret, ſed cum Conſiliariis Doctoribus, ſeu Juriſperitis, quandoquidem Velaſquius non gratiam, ſed juſtitiam à Rege expeteret*, Rex, adhibitis Conſiliariis, Archiepiſcopo Toletano, & Ferdinando Diazio Toletano, Relatore, ac Ferdinando Gonſalio Davila, ne gratiam ſemel factam Manrico retractaret, contentum eſſe, voluit Velaſquium, ut & fuit, penſatione perpetui annui reditus in regiis vectigalibus, ſexaginta mille marspetinorum, ut memoriæ proditum legitur, *in Epiſtola* 24. *Phyſici Civita-Regii*, Aulæ illo tempore non ignari, neque inurbani, & apud Ferdinand. Perez Guſmanum *in Chronico Joannis II. anno* 29. *cap.* 130. ſic itidem & ante illam *legem* 11. præcautum Comitiorum conſultis, ſub Joanne I. & II. & Henrico IV. tandemque ſub Catholicis Regibus *in l.* 10. *tit.* 4. *libr.* 4. *Compilat.* de qua jam prope.

10 Enim vero, ut pergamus, fuit jam olim Regum noſtrorum curæ, & expediciones juſtitiæ, & gratiæ diſtinguere, non modo in eo, ut quæ gratiæ, & munificentiæ regiæ forent, à Rege ſolo fierent, & regia manu ſignarentur, ut Alphonſus Sapiens providit *in l.* 26. *titul.* 18. *part.* 3. & *in l.* 13. *titul.* 18. *part.* 4. *l.* 24. *titul.* 3. *libr.* 2. *Ordinam. l.* 10. *tit.* 4. *libr.* 2. *Compilat.* & è contra expeditiones juſtitiæ, etiam punitivæ, ſubſcribantur à Conſiliariis regiis, eiſque omnino, & omnes obtemperent, etiam ſine ſubſcriptione regia, ut eſt *in dict. l.* 26. *partitæ*, cum jam laudatis, & *l.* 29. *tit.* 4. *lib.* 2. *Compilat.* utrumque ex vetere illa, & politica præceptione Xenophontis *in Hierone, de pœnarum*, ſive, ut ſcripſit, [illegible], *re per Principem aliis deleganda, at donorum, præmiorumque per ſe exercenda.*

11 Sed & quod propoſiti noſtri præcipuum eſt, ut diverſis Miniſtrorum conſeſſibus, ſeu Conſiliis juſtitiæ, & gratiæ expeditiones fierent, cujus rei illuſtre teſtimonium eſt in Hiſtoria Regis Joannis II. in cujus regnandi primordiis provida ordinatione juſſum, ut juſtitiæ negotia expedirentur publice à Conſiliariis regiis, tunc confirmatis, diverſa autem, quæ ad gratias, largitioneſque regias, & pecuniæ regiæ diſpenſationem ſpectarent, expedirentur diverſo, & privato magis conſeſſu. Ut commemorat Fern. Perez Guſmanus *in Chronic. Joannis II. anno* 19. *cap.* 285. & *ſeq.* Aſt illuſtrius, propriumque magis, pro eadem diſcriminatione expeditionum gratiæ, & juſtitiæ, quod legumlatio noſtra exhibet *in l.* 3. *titul.* 2. *libr.* 2. *Compilat.* ex Matritenſibus Comitiis, de quibus ſupra.

12 Illud præterea obſervationis eſt, non fuiſſe adhuc ſub Catholicis Regibus, & multo magis in turbatis illis Joannis II. & Henrici IV. regimentis, ſtatam, conſtantemve diſtinctionem conſeſſuum, ſeu Conſiliorum pro expeditionibus gratiæ, & juſtitiæ, ſed de utriſque in Conſilio regio proviſum (tametſi ſeparatis ſeſſionibus, ſive diebus, pro conſultationibus ordinariis juſtitiæ, & pro conſultationibus gratiarum, & pro utriſque ſella regia in Conſilio præparata, quomodo expreſſum eſt, & explanandum, quod legitur, *in dict. l.* 3. *titul.* 2. *lib.* 2 *Compilat.* junctis *l.* 1. & 2. *ejuſdem tituli*, & *l.* 1. *titul.* 1. *l.* 31. *tit.* 3. *lib.* 3. *Ordinam.*) ſed, ut prædiximus, in eodem regio Conſilio.

13 Ejus rei luculenta teſtatio extat *in l.* 10. *titul.* 4. *lib.* 2. *Compilat.* cujus Auctores ſunt Ferdinandus, & Eliſabeth, & Joannes I. & II. & Henricus III. atque in ea ſupponitur, expediri in regio Conſilio proviſiones officiorum, largitionum, Prælatorum, & id genus præſentationum regii Patronatus, ſimul cum indultis, ſeu veniis delictorum (de queis eſt itidem Joannis II. *lex* 2. *tit.* 25. *libr.* 8. *Compilat.*) Idque ita, ut ſi antequam gratiæ relatæ providentur in regio Conſilio, præſentetur in eo querimonia, aut petitio aliqua contradictionis, aut gratia ipſa negetur ſupplicanti à Conſiliariis, aut ſi expedire aliter videbitur, fiat Regi conſultatio, quæ eſt ſententia *dict. l.* 10. *verſ. Pero bien*, ea qua, ut id curſim notemus, tentatum aliquando meminimus, ſed non obtentum, etiam ante gratiam in Cameræ Conſilio impetratam, poſſe, ne impetretur, ad regium Conſilium recurri, ſupplicatione in eo interpoſita, & præjudicio gratiæ petitæ propoſito, ut decernatur, ei locum non eſſe; atque in eo diſtingui deciſionem *d. l.* 10. *à l.* 11. *ſequenti ejuſdem tituli*, ſed ut diximus, tentatum hoc, non obtentum.

14 Reſtat, ut per quos Conſiliarios ante Carolum V. gratiæ expedirentur, ſaltem conjectemur. Et quidem fortaſſe non temere, conjectari licet, vix Conſiliariorum Cameræ nomen lectum, aut ſcriptum ante extremos annos regnantis Ferdinandi Catholici, cujus pro teſtamento, ad Madrilexum conſulti leguntur, Licentiatus Zapata, & Laurentius Galindius Carvajalius, cum nominatione, ſeu titulo Conſiliariorum Cameræ, ſimulque Conſilii regii, & Referendariorum, ſeu Relatorum, quomodo ſe ſe & Zapatam indigitat idem Galindius Carvajalius *in Manuſcripto illo Regeſto annorum*, ſive *Hiſtoriæ Catholicorum Regum*, ubi de teſtamento Ferdinandi; & ex Galindio, Zurita *tom.* 6. *Annal. lib.* 10. *cap.* 99. Barth. Leon. Argenſola 1. *Annal. cap.* 2. Sandovalius *in Carolo V. libr.* 1. §. 59. quem & videſis

deſis *libr.* 3. §. 2.ͥ Garibaius *libr.* 20. *Compend. Hiſtor. cap. ultim.* & ex Bibliotheca manuſcripta amiciſſimi noſtri Suarii Mendoſæ, Alphonſus Eſtanquius, Philippi Regis Coſmographus, *in Chronico Ferdinandi Catholici*, *cap.* 29.

15 Sit etiam noſtræ conjectationis Referendariorum, ſeu Relatorum nomen illud, & munus, quo Zapata, & Carvajalius inſigniuntur, apud memoratos Hiſtoricos (& quidem Carvajalius à ſe ipſo *in præfatione Chronici Regis Joannis II.* ſcripti à Ferd. Pereſio Guſmano) fuiſſe fere illud ipſum munus, quod tandem ſub Carolo V. adminiſtratum, cum titulo Conſiliariorum Cameræ, atque hos in eo munere Conſiliariis, Referendariis, ſeu Relatoribus ſucceſſiſſe. Pro qua conjectatione, præterquam quod expendi poſſunt laudati hiſtorici, favent & ſignate Zurita, qui Zapatam, & Carvajalium, primum ſcribit, fuiſſe ex Conſilio regio, & illius, ut ſcribit, *quod vocant de la Camera*, & poſtea eos ipſos nominat Referendarios, ſeu Relatores, conducit nominatio ipſa Referendariorum. Sic etiam nominatos fuiſſe eos in Cæſarum noviorum Palatio, qui ſupplicantium vota Principibus exponerent, ſeu referrent, ſcitum vel diſcentibus eſt ex Caſſiodoro *lib.* 6. *Form.* 17. juncta *Novella* Juſtiniani 10. *de Referendariis.* Procopio *in Hiſtoria Arcana*, & 2. *de Bello Perſico*, juncta Synodo 5. Conſtantinop. *Actione* 1. quibus ſuccenturiabit facile juventus multa, ex vulgaribus onomaſticis, & Panciroli, Bulengero, Gutherio, aliiſque id genus Scriptoribus; ac de Referendariis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, poſt Codinum, Meurſio *in Gloſſario*, *verbo*, *Ῥεφερενδάριος*, ſicut de Romanis hodiernis.

16 Nobis id unum addidiſſe reſtat, fuiſſe hos Referendarios, ſub noſtris Regibus, ex corpore regii Conſilii, & quidem Conſiliarios Juriſprudentes, quales illi Zapata, & Carvajalius, qualis & ante eos nominatiſſimus ille Ferdinandus Diazius Toleto Referendarius, &, ut vulgo tunc, & poſtea dictus, Relator, regiuſque Conſiliarius, cujus ſupra ex Phyſico Civita-Regio meminimus, & cujas crebra, celebriſque memoria, apud Pereſium Guſmanum *in Chronico Joannis II. anno* 30. *cap.* 163. *&* *anno* 31. *cap.* 191. & cum ſpeciali integritatis, & exiſtimationis in conſulendo, & exequendo, & privatim apud Regem laude, *in eodem* Guſmani *Chronico ann.* 28. *cap* 86. & apud Zuritam *libr.* 13. *Annal. Aragon. cap.* 55. (ubi & Regiam Epiſtolam ſubſcribit cum titulo Auditoris, Referendarii, & Secretarii) & quales ſub Romanis Cæſaribus libellorum Magiſtri, Papinianus, Ulpianus, Paulus, Archadius, Cariſius, iidem Conſiliarii, & Juriſconſulti. *l. Reſcriptum* 12. *Digeſt. de diſtract. pign. l. unic. cum inſcriptione*, *Digeſt. de offic. Præfect Prætor.* Spartianus *in Peſcennio Nigro*, juncta Regia Alphonſi *l.* 10. *titul.* 18. *part.* 4. At noſtri proprie libellis gratiarum expendendis, extra Conſilium Juſtitiæ, juxta notatum ſupra illud de primordiis Joannis II. ex Guſmano *in Chronico anno* 19. *cap.* 285. ſimul & ad rem fortaſſe ſpectantibus, *l.* 13. §. *Otroſi* 2. *titul* 3. *libr. Ordinament. l.* 2. illic: *Dos de nueſtro Conſejo*, *titul.* 25. *lib.* 8. *Compilat.* & in cubiculo interiore Principis: unde & tandem Conſiliarii Cameræ dicti à ſecretiore illa regia Camera, quam ingrediebantur, quemadmodum & inde derivata, & retenta adhuc prærogativa, ut, poſt conſultationes ordinarias, cum Rege habitas, ſingulis Veneris diebus, à Regio Juſtitiæ Conſilio, ſolis Cameræ Conſiliariis pateat ingreſſus cum Præſide ad interiorem Regis aulam.

Jam porro hæc, qualiacumque ſint, vel fuerint, 17
ſignamus nobili Hiſpanæ politiæ, & Regum noſtrorum elogio Hieronymi Conneſtagii *libr.* 8. *Unionis Portugal.* & ex eo, Chriſtoph. Beſoldi 1. *tom politic diſſertat. de Jurib. Majeſtat. cap.* 4. *numer.* 4. ſcribentium, laudatiſſimum eſſe, & aliis Regibus imitandum, noſtrorum Regum inſtitutum, habentium pro gratiarum diſpenſatione proprium Tribunal, quod Conſilium Cameræ vocant, conſtans ex tribus, quatuorve ſelectis Doctoribus cum Rege deliberantibus: ne ſcilicet, ut ſæpe in Aulis fit, & ubi ab Aulicis, joris, & juſtitiæ inſcientibus, aut incurioſis, gratiæ diſpenſantor, gratia juſtitiæ dominetur, atque hæc ad vim dominationis, ſive Imperii jus convertatur, ut alibi Tacitus 15. *Annal.* *&* 1. *Hiſtor.*

C A P U T L V I I.

Pro intellectu cap. quanto de judiciis, quo, velut obice, cognitio Cameræ in cauſis Patronatus impeditur, nova cogitatio.

A R G U M E N T U M.

R*Egreſſio ad cognitionem* Cameræ, de Regio Patronatu. *Ei ex diametro opponitur* cap. 3. de Judic. *quo decernitur*, Patronatus *cauſas*, Eccleſiaſticis *annexas*, *non niſi* Eccleſiaſtico *judicio terminandas: cui & ſeptempartita lex congruit*, *&* Luſitanica *obſervantia*, *&* Luſitani, *ac noſtri* Scriptores. *Nec devitant obicem*, *qui ſupponunt*, *in* Cameræ Conſilio, *non de jure* Eccleſiaſtico Patronatus, *ſed de ſolo facto*, *& poſſeſſorio* Patronatus *diſquiri.* *Namque & de jure ipſo*, *& proprietate* Regii Patronatus, *ſi controverſia ſit*, *cognitio eſt* Regiæ Cameræ, *ex laudatis* Schedulis, *quarum de obſervantia teſtamur.* *Plane congruentius alii*, *qui affirmant*, Eccleſiarum Patronatus, Regibus *juſte quæſitos*, *tranſire eo ipſo in* Regaliam, *argumenta ex* cap. 13. de Elect. in 6. *& jura Coronæ*, *ac proinde de illis cognitionem*, Regiorum *Tribunalium eſſe*, *ut de feudalibus*, *& Fiſcalibus*, *& à* Regibus *in* Eccleſias *collatis*, *de queis curſim legum*, *&* Practicorum *tacti loci.* *Et præ aliis illuſtria exempla Tertiarum decimalium*, *itemque* Patronatus Eccleſiarum *Novi Orbis.* *At ne eludi magis*, *quam eludi videatur regula* d. cap. quanto 3. *obſervatur*, *quod nondum alii*, *eam decretalem*, *utcumque inſcriptam* Angliæ Regi. *non pertinuiſſe ad* Patronatus Regios, *ſed ad abuſum quemdam*, *cognoſcendi in* Curia Regis, *de advocatiis*, *ſeu præſentationibus* Eccleſiarum, *cujus itidem abuſus mentio illuſtrata* in cap. relatum 21. de Jure Patronatus. *Adjicitur*, *quod* Cujacio, *& aliis indictum*, *fuiſſe eum abuſum*, *ſeu conſuetudinem reprobatam decretis* Alexandri III. *quorum ex* Vaticano *memor* Baronius, *& inter* Anglicanos Hiſtoricos Matthæus Pariſius. *Sed*, *ut diximus*, *abuſus ille de advocatiis inter Clericos*, *& Laïcos*, *non autem de* Regiis Patronatibus, *& juribus.* *Quo circa quamvis* Decretalis *illa* d. cap. quanto 3. *relata tamen ad Archetypum*, *ex quo efficta*, *eſt exaudienda de* Patronatibus, *ſeu advocatiis inter privatos Clericos*, *& Laïcos*, *neque amplianda ad* Patronatus Regios. *Expenditur tandem ad id regula*, *de generalibus decretis prohibitionum non extendendis* ad Reges, *&* Regia *jura*, *niſi in ſpecie exprimantur.* *Item* Tridentini Canones ſeſſ. 25. cap. 9. §. Reliqui. & ſeſſ. 22. cap. 8.

1 REdimus jam in viam, ab eo flexu ad obſervationem de Conſilio Cameræ; offert enim ſe adhuc, contra notata, de cognitione Cameræ in cauſis regii Patronatus, notus obex, & quem evitatum hactenus magis, quam ſubmotum credimus: proſtat ille *in cap. quanto* 3. *de judic.* quo expreſſum eſt, *cauſas Patronatus Eccleſiarum ita junctas*, *& connexas eſſe eccleſiaſticis cauſis*, *ut non niſi eccleſiaſtico judicio*, *& apud eccleſiaſticos judices poſſint definiri*, *& terminari*, proinde non apud laicos regiæ Cameræ judices.

judices. Adſtipulatur *regia lex noſtra* 56. illic: *E ſobre razon de derecho de Patronazgo*, & *in fine, tit.* 6. *part.* 1. Queis conſentanea eſt aſſertio Hieronym. Cevallos *de Cognit. Violent.* 2. *part. quæſt.* 94. non eſſe locum recurſui per viam violentiæ, ad regias Cancellarias, in cauſis Patronatus, cui ſubſcribit Felic. Vega *ad cap. quanto* 3. *num.* 12. *de judic.* & conſentanea magis in ſpecie eſt, Portugalliæ obſervantia, juxta quam in controverſiis de jure Regii Patronatus cum ordinario eccleſiaſtico illum negante, non eſt cognitio regiorum judicum ſæcularium, ſed eccleſiaſtici Capellani Majoris Regii, & ejus Auditoris, idque ex Bulla Leonis X. quam exhibet Cabedus, *de Jure Patron. cap.* 45. *numer.* 3. & 15. Pereira *de Manu Reg. lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 2. & *ſeq.*

2 Jam vere evitat magis, quam ſubmovet obicem, ut præmonuimus, noſter Salgadus *de Reg. Protection.* 3. *part. cap.* 10. *num.* 193. & ſi qui eum ſecuti, dum ſupponunt, cognitionem regiæ Cameræ in his cauſis, non eſſe de regio jure Patronatus, de quo non dubitatur, ſed de qualitate, & facto, cum ſcilicet Beneficium ſit Conſiſtoriale, ſive de poſſeſſorio beneficiali, de queis non ſunt incompetentes laïci judices. Namque ut de hiſce nunc, & an congrue rei applicentur, non diſquiramus, ſatis fuerit, de obſervantia regiæ Cameræ, juxta ſupra laudatas regias Schedulas, ut poſſumus, atteſtari, non modo de qualitate, aut nudo facto, vel poſſeſſorio, ſed etiam in petitorio, ſi de proprietate juris Patronatus regii, ſi de illo controverſia ſit, cognitionem, & judicium eſſe Regiæ Cameræ.

3 Et ſane dexteriore rota devitat obicem noſter Solorzanus, *de Indiar. Jure, libr.* 3. *cap.* 3. *ex num.* 25. atque ei ſubſcribens, D. Salcedo *de Lege Polit. lib* 2. *cap.* 13. *numer.* 38. dum affirmant, Patronatus Eccleſiarum Regibus legitime quæſitos, tranſire eo ipſo in regaliam, ut ſere elicitur *ex cap. generali* 13. *de Election. in* 6. & cenſeri inter jura, ſeu bona regiæ Coronæ, ut de Luſitania, ex Velaſco, Cabedo, & aliis, Pereira de Caſtro *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 2. *prope finem*, & apud nos inter jura privative, ac perpetuo regiæ Coronæ incorporata, ut *in l.* 1. 3. & 5. *tit.* 6. & *in l.* 25. *tit.* 3. *libr.* 1. *Compilat.* eſſe autem juris certi, & explorati, ut de regalibus cognitio ſit Regis, & ejus tribunalium, etiam inter Eccleſiaſticos, ſive reos, ſive actores, ut, quoad feudalia, laudatis Canonicis auctoramentis, præmonuimus ſupra *cap.* 46. & in commune de regiis, & Fiſcalibus juribus, expreſſum *noſtris legibus*, 1. §. 9. *titul.* 2. & *l.* 10 *titul.* 7. *lib.* 9. *Compilat. l.* 6. *tit.* 1. *libr.* 4. *ejuſdem Comp.* ubi & in Appendice ſit mentio Schedulæ Caroli V quam exhibent *Ordinationes Regii Prætorii Valliſoletani*, *lib.* 1. *tit.* 1. §. *que los pleytos*, junctis eiſdem *lib.* 5. *tit.* 8. & *ex Granatenſibus lib.* 1. *tit.* 7. *reſcripto* 6. §. 1. & hoc amplius de donatis à Rege Eccleſiis ſi controvertatur, judicium Regis eſt, non Eccleſiæ *l.* 56. *verſ. Fueras ende*, *tit.* 6. *p.* 1. *d. l.* 6. *tit.* 1. *libr.* 4. *Comp.* Eaque ipſa communis ex communi jure, & argumento *ex l. proxime* 3. *D. de his, quæ in teſtam. del. c. ſacerdotibus* 3. *ne Clerici, vel Monachi.* & receptiſſima in Chriſtianis Regnis traditio, atque obſervantia eſt, quam firmare liceret pluribus, ſi expilare Solorzani loculos, *dict. cap.* 3. *ex num.* 25. & Larreæ *allegat. Fiſcal.* 27. *ex num.* 3. aut gloriolam ex addendis aliorum ſuffragiis quærere, noſtrum eſſet.

4 Sunt tamen promta, & ſuffragiis aliis potiora exempla duo. Primum, Tertiarum decimalium, de queis, etiamſi ex Apoſtolica conceſſione ad Reges noſtros ſpectent, atque etiamſi decimæ ipſæ ſuapte natura eccleſiaſticæ, & ſpirituales fuerint, & eccleſiaſtici judicii, & cognitionis, *cap. ſua* 25. *verſicul. porro de decim. Clement. diſpendioſam de judic. l.* 56. *titul.* 6. *part.* 1. at poſtquam regiæ Coronæ perpetuo unitæ fuerunt, tranſiere in regaliam, argumento *ex dict. cap. generali* 13. *de Elect. in* 6. & regiorum Tribunalium de illis juriſdictio eſt *l.* 2. §. 25. illic: *T tercias*, *titul.* 2. *l.* 1. *tit.* 21. *lib.* 9. *Compilat. l.* 1. & 8. *titul.* 5. *lib.* 1. *Compilat.*

Secundum, & omnino rei proprium exemplum eſt, in Patronatu regio eccleſiarum novi Orbis, ſive Indiarum, quod quamvis Pontificiis Bullis nitatur, ſubſecutis, & exprimentibus juſtiſſimos illos Patronatus acquirendi titulos fundationis, & dotationis Eccleſiarum, tamen, quia incorporatum id jus in perpetuum regiæ Coronæ, eſt regii juris, & juriſdictionis, & qualeſcumque de eo controverſiæ à regiis Tribunalibus deciduntur, ut plene, & pro pluribus unus noſter Solorzanus 2. *tom. lib.* 3. *cap.* 2. & 3. ejuſque inconcuſſæ obſervantiæ teſtes nos ipſos ciere poſſumus illis annis, quibus ſupremi Indiarum Senatus Præſidem egimus. Eſt autem proprium, ut prædiximus, id exemplum, pro Patronatu Eccleſiarum Regni Granatenſis (de quo ubi controvertitur, regiæ Caſtellæ Cameræ juriſdictio eſt.) Quia regii Indici Patronatus Bullæ, ad inſtar Granatenſis Patronatus Bullarum petitæ, & impetratæ, ut ex Antonio Herrera Hiſtorico memorat Solorzanus *d. cap.* 3. *n.* 3. 5

Suppetunt denique, & expendi digni, Tridentini Canones, de queis jam infra. Verum quoniam fortaſſe hæc eludere magis videntur, quam elidere objectionem illam generalis, & ſine exceptione regulæ, de cauſis Patronatus eccleſiaſtico judicio terminandis, *ex dict. cap. quanto* 3. *de judic.* obſervamus, forſitan primi, eam ipſam Decretalem, unde, & quo tempore edita, & effecta eſt, non pertinuiſſe ad regios Patronatus: quippe quamvis inſcripta ad Illuſtrem Regem Angliæ, ſcilicet Henricum Secundum, & quidem occaſione abuſus, ſeu reprobatæ conſuetudinis Anglicanæ, de controverſiis ſuper advocatiis, & præſentationibus Eccleſiarum, tractandis, & terminandis in Curia Regis, ut præeunte Otheuſi adnotarunt Cujacius, & Gonſalius noſter, *in dict. cap.* 3. ejuſque conſuetudinis ſignatum veluti teſtimonium eſt *in cap. relatum* 21. illic: *Occaſione laïcæ recognitionis in ſæculari foro*, junctis *cap.* 4. & 5. & *cap. cura* 11. *de Jure Patronatus*, cum epigraphe illa *dict. cap. relatum*: *Archiepiſcopis*, & *Epiſcopis*, *per Angliam conſtitutis* (niſi tamen ſincerior lectio eſt, *per Galliam*, quam præfert Concilium Lateranenſe ſub Alex. III. *part.* 1. *Appendic. cap.* 23. & alii Codices apud Ant. Auguſt. *in Notis ad* 1. *collect. Decret. in lib.* 3. *cap.* 27.) At non illud notarunt (& notatu ad rem dignum) fuiſſe eam reprobatam conſuetudinem cognitionis de controverſiis ſuper advocatione, & præſentatione Eccleſiarum, *inter Laïcos*, & *Laïcos*; *vel inter Clericos*, & *Laïcos*; *vel inter Clericos*, & *Clericos*; & quidem ſubjuncto Alexandri III. Papæ decreto illo, *Hoc reprobavit*, ut ex Archetypo Vaticano Decretorum Alexandri, de illis conſuetudinibus, deſcribit Card. Baronius *tom.* 12. *Annal. ad ann.* 1164. & eiſdem fere verbis de ea conſuetudine Matthæus Pariſ. *in Hiſtor. Anglic. ad annum* 1164. ſub Henrico II. & in commune magis de ea conſuetudine, & aliis, Gervaſius Monachus *in Chronica Angl.* ſub Henrico II. *anno* 1164. Matthæus Weſtmonaſterienſis *in Floribus Hiſtor. ad illum annum.* Rogerius de Hoveden *in poſteriore parte Annal.* ſub Henrico II. Guil. Neubrigenſis *lib.* 2. *Hiſtor. Angl. cap.* 16. 6

At enim non ſunt expreſſæ conſuetudinis relatis verbis, controverſiæ de regiis advocatis, ſeu præſentationibus cum Clericis, vel Laïcis. Quin potius in eiſdem conſuetudinibus videre eſt, & in ſecunda, quæ immediate ſequitur, præſervari regia jura, *in Eccleſiis de feudo Regis*, *ne poſſint dari abſque aſſenſu*, & *conceſſione Regis*: & ſubſequitur ex decreto Alexandri, *Hoc toleravit.* Quocirca quamvis *in dict. cap. quanto* 3. & inter Alexandri III. *Epiſtolas*, quæ ſubduntur pro *Appendice Concilii* 3. *Lateranenſis*, *part.* 47. *cap.* 4. extantque *tomo* 3 *Conciliorum*, *parte* 2. *Editionis anni* 1618. *Epiſtola illa* ad Illuſtrem Regem Angliæ, efformata ſit generaliter, de cauſis Patronatus eccleſiaſtico judicio terminandis, ſicut *in dict. cap. quanto* 3. cum tamen efformata, & ſumpta ſit ex decreto damnationis illius conſuetudinis, 7

Digitized by Google

ſuetudinis, cognoſcendi de controverſiis ſuper advocatiis, ſeu præſentationibus Eccleſiarum inter Clericos, & Laicos, referenda, & coarctanda eſt ad illud Decretum, nec amplianda ad Patronatus regios, qui neque conſuetudine, neque damnatione exprimuntur.

8 Adjicimus pro fulchro noſtræ obſervationis Canonicam, decantatamque Regulam, juxta quam generalia decreta prohibitionum, aut reſervationum, ac ſimilia non comprehendunt Reges, & regia jura, propter eorum excellentiam, niſi ſpeciatim exprimant; *cap. ult. verſ. Regibus*, *de offic. delegat. in 6. cap. ne reliqui*, *verſ. illis*, *de privileg. eodem libro. Clement unica de Baptiſmo. extravag. 4. execrabilis*, *§. nos itaque*, *de præbend.* Et in ſpecie de Patronatu regio, non comprehendi eum generali qualicumque derogatione Patronatus laicalis, noſter Covarruvias, quem laudaſſe ſatis ſit, *in Practicis cap.* 36. *numer.* 3. *&* 4. Subſignamus Tridentinos Canones, cujuſmodi eſt *Seſſ.* 25. *cap.* 9. *§. reliqui*: ubi in abrogatione generali Patronatuum, de queis non conſtat ex authenticis inſtrumentis fundationis, ſeu dotationis, vel immemoriali præſcriptione, ad formam illic expreſſam, excipiuntur Patronatus pertinentes ad Imperatorem, aut Reges, ſeu regna poſſidentes. Quemadmodum & alio *Canone* 8. *Seſſ.* 22. *de Reformat.* à generali regula, de viſitatione Hoſpitalium, ad Epiſcopos pertinente, exceptio additur in Hoſpitalibus, *quæ ſub immediata Regum protectione ſunt*, ne ſcilicet viſitentur, *ſine eorum licentia.* Maneat itaque pro explorato, deciſionem *cap. quanto* 3. *de judic.* nec juxta archetypum illius textus pertinuiſſe ad regios Patronatus, nec pertinere, ex ratione, regulis, & exemplis juris.

9 Nec tamen intra hos fines, quando eo uſque progreſſa, diſſertatio noſtra maneret, aut ſiſteret; quia & ſubnecteremus electa aliqua, de protectione regia in Hoſpitalibus, quæ ſub illa ſunt, *pro Canone* 8. *Seſſ.* 22. *Tridentini*, & electiora, de advocatiis illis Eccleſiarum, in Germania, & Gallia frequentibus, quibus ſimiles, quæ regiis noſtris legibus *Commendæ* dictæ, & ante Eccleſiæ illæ in Cantabria, & montanis. At abrumpimus hæc, & definimus, juſſi inſperato ex Aula cedere, & exulare, ob cauſam, in qua nos Deo, Regi, & Reipublicæ obſequium præbuiſſe, & pro munere regii Magiſtri, doctrinæ, & morum, quæ expediebant, ſuaſiſſe arbitrabamur; Aſt aliud Aulæ, & aliis, penes quos rerum ſumma, viſum, & placitum, (id quod conſultius fuiſſe, facile auctoritati eorum, qui conſuluere, conceſſerim, an felicius alii cenſebunt) nobis pro animi tranquillitate, & ſolatio ſat eſt, extra ullam conſcientiæ noxam cenſuiſſe, & conſuluiſſe, & cum Rutilio illo Romano, Juriſconſulto, Senatore, & exule, aut cum melioris fidei viro, Boëtio Severino, itidem exule, qui, ut de ſe ipſo *lib. de Conſolatione*, *tutior eſſe debuit*, *quia amore Juſtitiæ*, *nihil apud Aulicos*, *quo tutior eſſet*, *reſervaverat*, in exilio placide vitam agere. &, ſi Deus volet, finire, inter præſentium, & poſterorum de rebus noſtris judiciis, & ut Paulus ſcribit 2. *ad Corinthios cap.* 6. *Per infamiam*, *& bonam famam*, *ut ſeductores*, *& veraces*, *quaſi morientes*, *& ecce vivimus*, *ut caſtigati*, *& non mortificati*, *quaſi triſtes*, *ſemper autem gaudentes.* Suum cuique decus poſteritas rependet.

D. ANTONIUS RONQUILLUS BRIZENNUS,

IN MAJORI OVETENSI COLLEGIO SALMANTICÆ COLLEGA, ET PRIMARIUS CIVILIS JURIS ANTECESSOR, NUNC IN REGIO SUPREMO INDIARUM SENATU CONSILIARIUS.

RELIQUATIONES has proprium antecloquium præcedere, nobiſque id curæ eſſe, fuit amantiſſimi Parentis noſtri voluntatis, ac voti, cui & obſequimur. Pars eſt tam magni operis extrema, & mole minor, at dignitate, & argumento non ſecunda, & ſine qua priores tres Libri defecti, & Commentarii ad leges Juliam, & Papiam non juſti forent. Illuſtrata prioribus Libris priora Legum capita (non potiora) atque ea, tot adſcititiis ex omnigena litteratura, ultra Legalem, Theoricam, & Practicam, Sacro-Eccleſiaſticis, Theologicis, Canonicis, Politicis, Hiſtoricis, Philologicis, & quæ fere Encyclopædiam exhibeat, Analectis, Parergis, & Syntagmatibus aucta (ut tunc Parentis otium, & ætas ferebat) in non mediocre volumen excrevere. At reſtabant potiora dignitate, & difficultate, ſi ea Romano jure æſtimentur, & numero, etiam plura legum capita, quæ omittere indiſcuſſa, Commentario ad eas leges pollicito, & aggreſſo, eſſet pollicitis, & argumento ſatis non facere: & è contra ad reſidua hæc capita, Commentarios aggredi, & ſcribere, digreſſionibus, & moli priorum reſpondentes, non inclinati anni, & curæ Parentis noſtri ſufferrent. His in utramque partem momentis, eo decurſum, ut tribus illis Commentariorum, quartus iſte Reliquationum liber accederet, proprio ex eiſdem legibus Julia, & Papia, & juris elementis cultu conſtans, & nullo extrinſecus ornamento, aut paratura. Et ſane ea eſt argumenti, ſimulque theoricæ Juriſprudentiæ dignitas, ut apud juſtos rerum æſtimatores lenociniis non egeat: Quippe inter Romanas leges, fuiſſe Romanis Juriſconſultis nullas Julia, & Papia celebriores, tot ad eas illorum libri inſcripti, quales, & quot ad nullas Romanorum alias extant, ſatis, ſuperque monumento ſunt, & ex eis potiorem partem eſſe, quæ Reliquationibus his comprehenditur, liquet vel ex numero fragmentorum, quæ ultra centum, & quinquaginta, huc pertinentia, in Pandectis occurrunt, vel ex nobilitate, & obſcuritate materiarum; cujuſmodi præcipua ſunt, de Jure Patronatus libertorum, eorumque operis, & ſucceſſione, cum aliis liberorum præmiis; item de pœnis cælibatus, & orbitatis, ac decimaria lege, caducis, & in cauſa caduci, queis intermixtum jus accreſcendi, & ereptitia, & tot affinia in corpore juris longe, ac late diffuſa. Acceſſit his Reliquationibus, & eas ſcribenti cura, & labor colligendi, & ad capita legum, & Juriſconſultorum libros referendi, aut redigendi non pauca, ab eis veluti exerrantia, aut fugitiva fragmenta, queis indagandis, & aptandis, non Delius natator ſuffecerit, non juriſperitus Apollo, ut Juvenalis (a) *pridem ſcribebat. Papinianum ſuum indigitabat Parentem noſtrum Salmanticæ noſtræ genius* (b). *Et vero quidni fuerit, aut fuiſſe Papiniani ingenii cenſeatur, in ipſam interiorem juris artem, & illius adyta, & myſteria tam dextre, & feliciter penetraſſe, toties arcana, & abdita juris auctorum ſenſa, præter vulgarem ſenſum, novis interpretationibus elucidaſſe; tot denique ſingulares, ſeu paradoxas, non paralogas, in jure aſſertiones, non innovandi inſtituto, ut Labeo ille apud Pomponium* (c), *& poſtea in Gallia Magnus obſervator Cujacius, ſed meliora inveniendi ſtudio, ex pura, & penitiore juris ratione deduxiſſe, & firmaſſe, & ſuo exemplo aſſeruiſſe illud Senecæ* (d): Patere omnibus veritatem, & nondum ex toto occupatam.

Illud noſtræ adhuc curæ, & operæ fuiſſe atteſtamur, & quidem ſine auctoris aſſenſu, ut accederent his Reliquationibus duæ Diſſertationes extemporales, quæ ſequuntur, Salmanticæ, in profeſſorii muneris primordiis, & primore illa ætate habitæ, atque editæ, ante annos circiter quinquaginta, & nunc eadem illa ſerie, & verbis recuſæ, & ſine ullo additamento, vel librorum, qui poſtea in lucem prodiere, vel novarum cogitationum, quas tot annorum lectio, & obſervatio auctori ſuggeſſit, & in illius Schedis extabant, ſed, ut teſtamur, quales Salmanticæ olim prælo datæ, ut ſpecimen veluti ſint, potuiſſe vel ab illa ætatis flore ſperari, maturam hanc, atque uberem eruditionis ſegetem, quæ nunc metitur. Scribebam Matriti 5. *Kalend. Julii anno* 1678.

(a) Juvenalis *Satyr.* 2.

(b) D. Joannes Suarius Mendoza *ad leg. Aquil. lib.* 1. *c.* 5. *ſect.* 2. *n.* 52. D. Eman. Gonzalez *ad Concil. Illiberit. Canon.* 61.

(c) *L.* 2. §. *poſt hos. Dig. de orig. juris.*

(d) Seneca *de brevit. vitæ, c.* 18. *& ult.*

AD

AD LEGES
JULIAM, ET PAPIAM,
COMMENTARIORUM
LIBER QUARTUS.
DE NUPTIIS PROHIBITIS,
EX LEGIBUS JULIA, ET PAPIA, INTER AFFINES, QUI SUNT PATRUM, AUT LIBERORUM LOCO.

RELIQUATIO I.

Ad l. 4. & 5. D. de teſtib. l. Labeo 6. D. de gradib. l. generi 136. *D. de verb. ſignific.*

ARGUMENTUM.

JAcobi Gothofredi, *referentis ſupraſcriptos* Pandectarum *locos*, *ad* Caput legis Juliæ, *de quo* in l. 19. D. de ritu nupt. *idque ipſum interpolantis*, *improbatus auſus. Sic &* Cujacii *inconſpecta aſſertio*, ad l. 136. D. de V. S. *Probabilior conjectura ejuſdem*, *ſcribentis*, Auguſtum, Julia lege de maritandis, *inter alia*, *prohibuiſſe conjugia inter affines*, *qui ſunt patrum*, *liberorumve loco: idque*, *argumento* ex l. 14. §. ult. in fin. D. de ritu nupt. *cum inſcriptionibus*, l. 4. & 5. D. de teſtib. l. 6. D. de gradib. l. 136. D. de V. S. *Pro conjectura eadem expenditur* Paulus in l. 35. §. 1. D. de V. O. *apud quem appellatio legum*, *relata ad* Juliam, *&* Papiam, *ficus* in l. 4. C. de inceſt. nupt. *& jus antiquum* in l. 17. Cod. de nupt. *quæ propriæ hujus loci ſunt: ſic & apud* Cæſares *noviores*, *habitæ leges noſtræ pro antiquis.* l. 6. C. de inceſt. nupt. l. un. C. de infim. pœn. cœlib. *non tamen apud priſcos* Juriſconſultos. l. ult. D. de reg. Caton. *Refellitur* Hotmanni *aſſertio*, *cenſentis*, *non fuiſſe* legum Romanarum, *ſtatuere de connubiis*, *ſed juris* Pontificii. *Redditur ratio mentionis*, *in hac re*, legis Juliæ, *publicorum judiciorum*, *ac de ejus auctore*, *&* Servio Sulpicio, in l. 8. D. de gradib.

1 JUngere conatur Gothofredus *ad leges noſtras pag.* 290. Capiti 35. legis *Juliæ* relato in *l. Capite* 19. *D. de ritu nupt.* fragmenta, *ex libris ad leges Juliam*, *& Papiam* Juriſconſultorum, Pauli *lib.* 2. & Caii 4. quæ extant *in l.* 4. *&* 5. *D. de teſtibus*; & Ulpiani *lib.* 6. *&* 5. *in l.* 6. *D. de gradibus. & l. generi* 136. *D. de V. S.* quæ ſunt de generi, nurus, & ſoceri appellationibus: eaſque ut adaptet huic capiti, infarcit illud iſta adjectione: *genero*, *nuruive*, *collocare*, cum ſit generi, & nurus mentio nulla, apud Marcianum *in dict. l. capite* 19. *Digeſt. de ritu nuptiar.* & ea notula relicta, tanquam ſi rem abſolviſſet, pergit ad alia. Sed ſi verum amamus, & farcimentum inſulſum eſt, & adjectio, ſive junctura, ut alibi Paulus ſcribebat, per plumbaturam, non per ferruminationem. *l. in rem* 23. §. *item* 5. *D. de rei vind.* quia præterquam quod neutiquam egebat Marciani textus mentione illa generi, & nurus, neque eſt fulchrum aliquod, cui cogitatio Gothofredi innitatur, phraſis illa, *collocandi nurui*, filio applicita, eſt inconcinna, & vix latina, & eſt propria dumtaxat filiæ, quæ collocari nuptiis, ſive in matrimonium, dicitur. *l. qui in Provincia* 57. §. 1. *l. libertum* 64. §. 1. *l. non ſolum* 67. §. *ſi puellæ* 5. *D. de ritu nupt. l. liberorum* 11. *D. de his*, *qui notant. infam.* & alibi paſſim.

2 Sed quando in hæc incidimus, agnoſcendum ingenue eſt, in difficili eſſe ſtatuere, cuinam capiti, aut parti legum noſtrarum aptari poſſint loci laudati, de generi, aut nurus nominibus: in queis & oſcitavit cum primis Cujacius *ad l. generi* 136. *D. de verbor. ſignif.* dum ſcripſit, pertinuiſſe ad caput legum *Juliæ*, & *Papiæ*, quo cautum, ne gener, aut ſocer invitus teſtimonium diceret, ut *in dict. l.* 5. *D. de teſt. l. Labeo* 6. *D. de gradib. & affin.* Qua tamen oſcitantia inconſpectior, & indignior Cujacio nulla eſſe potuit, cum liqueat, caput illud, quod ille legibus *Juliæ*. & *Papiæ* adſcribit, deceptus inſcriptione *dict. l.* 5. *D. de teſtib.* non fuiſſe niſi legis *Juliæ* publicorum judiciorum, qua conſtitutum, ne gener, ſocerve, & alii affines, contra affines, inviti teſtimonium dicerent, ut ad leges *Juliam*, & *Papiam* Paulus memorat *in l.* 4. *D. de teſtib.* conſtatque item *ex l. Juriſconſultus* 10. *D. de gradib. l.* 2. *D. de accuſat.*

3 Aſt probabiliore conjectura idem Cujacius (cujus inter variantes lectiones accenſere hanc potuit Merilius) *ad tit. de gradib. & lib.* 35. *Pauli ad edictum*, *in l. adoptivus* 14. §. *ultim. D. de ritu nupt.* ſuſpicatur, Auguſtum, inter alia, quæ legibus *Juliis*, & poſtea *Papia* de jure connubiorum, ſive de nuptiis, ſponſalibus, divortiis, & ſimilibus conſtituit, caviſſe etiam de matrimoniis inter eos, qui liberorum, aut parentum loco eſſent, veluti ſocer cum nuru, aut ſocrus cum genero, ut deinceps prohiberentur, de quibus fortaſſe ante Auguſtum prohibitoriæ Romanæ leges non extabant, quamvis alioquin honeſtis moribus improbarentur (quo referenda Ciceronis, de ſocru genero nubente, exclamatio *in Oratione pro Cluentio*) tamen ut irritæ non eſſent ejuſmodi nuptiæ jure naturæ, ſed dumtaxat jure politico eccleſiaſtico, probabilis ſententia ſit, pro qua, poſt D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 134. *artic.* 9. *in ſolut. ad* 3. Abulenſem, & ſexdecim alios, numerat P. Sanctius *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 66. *n.* 7. & nos, poſt Joannem veterem gloſſographum, apud Accurſium *in l. ult.* §. *ult. D. de condict. ſine cauſa*, dedimus alios, *in diſſertatione*, *de diſpenſatione in nuptiis primi gradus affinitatis tranſverſalis*, *num.* 13. ſuſpicionis momentum profert Cujacius, id, quod in *dict. l. adoptivus* 14. §. *ultimo in fine*, ſcriptum eſt, de matre illius, quæ quis ſponſam habuit, non poſſe eam ab illo poſtea uxorem duci, quoniam fuiſſe eam veluti ſocrum, *Auguſtus interpretatus eſt*, ſcilicet

Sſſſs 2 cum

cum de interpretatione ſuarum legum *Juliæ*, & *Papiæ*, nuptias inter generum, & ſocrum prohibentium, dubitaretur, quarum ille optimus interpres, *l. ult. Cod. de legib.* Accedunt ſuſpicioni argumenta inſcriptionum, *ad leges Juliam, & Papiam*, & ex eis libris, in quibus connubialem illarum partem exponebant, *in d. l. 4. & 5. D. de teſtib. l. Labeo 6. D. de grad. l. generi 136. D. de V. S.* & Juſtiniani notum illud *in prin. Inſtit. de nup.* de juſtis nuptiis *ſecundum præcepta legum:* ubi ea appellatione *Juliam, Papiamque* intelligi, vulgatum eſt, & notavimus *lib. 1. cap.* 3. & cui poſtea ſubjungitur, prohibitas eſſe nuptias inter ſocrum, & generum. *§. ſocrum. 7. Inſtit. de nuptiis.*

4 Adjicimus denique, nondum ad rem expenſum, Pauli locum, *in l. ſi ſtipuler.* 35. *§. 1. D. de V. O.* dum exemplum nuptiarum, *quas leges fieri prohibent*, non tamen ex perpetua cauſa, proponit in ſorore adoptiva, quam, durante adoptione, uxorem ducere non licet, quamvis ea diſſoluta liceat. *l. per adoptionem 17. D. de ritu nupt. §. inter 2. Inſtit. de nupt.* legum autem appellatione, exaudiri *Juliam*, & *Papiam*, in re connubiali vel maximas, non poteſt inauditum videri, ut *in dict. princ. Inſtit. de nuptiis. l. qui contra 4.* illic: *Qui contra legum præcepta. cap. de inceſt. nupt.* & aliis congeſtis *dict. lib. 1. cap.* 3. idque ipſum appellari *jus antiquum*, *quo*, *ex affinibus*, *nuptiæ cum privigna*, *noverca*, *ſocru*, *nuru*, *cæteriſque prohibentur*, cenſuerim in Diocletiani *l. neminem* 17. *Cod. de nupt.* quam apud Licinium *tit. 6. collat. leg. Moſaic.* ſic enim & jus antiquum ad leges noſtras, caducæ dotis pœnam nuptiis illicitis, & inceſtis imponentes, ut apud Ulpianum *tit.* 16. *§. ult. l. inceſtæ 52. l. dote 61. D. de ritu nupt.* refero in Arcadii conſtitutione, *l. ſi quis inceſti 6. verſic. dos ſi qua. Cod. de inceſt. nupt.* de qua ex profeſſo alia *lib. 2. Comment. cap.* 16. cenſebantur enim leges noſtræ inter antiquas apud novos Cæſares, quomodo & de illis *vetus jus*, *& priſca legum auctoritas* exaudienda *in* Conſtantini *l. unic. in princ. & fin. Cod. Theodoſ. de infirm. pœnis cœlib. & in dict. l. Juſtiniani 1. eodem titulo*, & apud Thalelæum (ſi tamen illi, Cujacio repugnante, credimus, de quo alibi) *ad l. unic. Cod. unde vir, & uxor.* quamvis apud veteres Juriſconſultos vocarentur leges novæ. *l. ultim. D. de reg. Cat.* ut diſtinguerentur ab eo jure, quod ante eas obtinebat, & dicebatur jus antiquum in caducis. *l. pater 29. §. ultim. D. de legat. 2. l. unic. §. ſed & ipſis in fin. Cod. de caduc. tollend.*

5 Nec nos ab hac, quoad *dict. l. ſi ſtipuler.* 35. cogitatione movet, aut mutat, Hotmanni adnotatio, *in diſput. de Rit. Nupt. cap.* 5. tribuentis illam prohibitionem moribus, ut *in l. ſororis 39. §. 1. D. de rit. nupt.* & affirmantis, ſtatuere de jure connubiorum, non fuiſſe proprium legum, ſed juris Pontificii, ut in vulgatis locis Taciti 1. *Annal.* & Dionis 48. nam quoad primum, ſtat utrumque, rectumque eſt, & prohibitionem deſcendere ex legibus *Julia*, & *Papia*, & ſi contra fiat, contra mores fieri ſicut de libertini cum matre nuptiis, ſcriptum eſt *in l. libertinus 8. D. de rit. nupt.* prohibitionem illius inceſti conjugii eſſe, ex moribus, non ex legibus, cum tamen ſit ex legibus naturæ, *l. ult. D. rit. nupt.* & quoad ſecundum ſit item certum, & quod neſcire Hotmannus non debuit, ſtatuere de jure connubiorum, apud Romanos, fuiſſe auctoritatis politicæ legum, & Senatus, aut populi, quamvis quoad ſacra, quæ vocabant, & ritus nuptiarum, ſæpe Pontifices conſulerentur, ut docuimus *lib. 3. Comment. cap.* 41.

Jam ergo Cujacii conjecturæ allubeſcentes, quanquam in Academicis aſſertionibus noſtris, ab hoc capite, inter alia legum *Juliæ*, & *Papiæ*, excudendo, tanquam conjectura ſola nixi, abſtinuimus, nunc tamen Reliquationibus his complectimur, & opinamur, prohibitionem nuptiarum, inter eos, qui patris, liberorumve loco ſunt, nempe ſocerum, nurum, generum ſtabilitam legibus noſtris, eoque referendas commentationes *dict. l. 4. & 5. de teſtib. l. Labeo 6. Digeſt. de gradib. l. generi 136. Digeſt. de verbor. ſignific.* Opinamur præterea, ideo *in dict. l. 4. & 5. Digeſt. de teſtib.* quamvis inſcriptio ad leges noſtras ſit, exprimi tamen jus legis *Juliæ* publicorum judiciorum, ne invitus ſocer, generve teſtimonium diceret, quoniam ex ea lege, ut antiquiore (fuit enim Julii Cæſaris, ante Auguſtum, & illius *Julias*, & *Papiam* leges, ut poſt Antonium Auguſtinum, alii ſcripſere, aliis utcumque diſſentientibus) & Juriſconſultorum ad illam ſententiis, conſtabat, generi, nurus, & ſoceri nominibus, comprehendi etiam, progenerum, pronurum, & proſocerum, eaſque affinitates, etiam ex ſponſalibus, acquiri, quomodo adnotaſſe comperio Servium Sulpicium, illum Juriſconſultorum Principem Ciceroni dictum, *in l. Serviat 8. Digeſt. de gradib.* Quæ tamen Servium adnotaſſe, *ad legem Juliam judiciorum*, credi debet, (vel *Pompeiam de parricidiis*, argument. *ex l. 34. Digeſt. de lege Pompeia, de parricidiis*) non autem ad *Julias*, & *Papiam*, ante quas periit, cum ad M. Antonium legatus iret, ut ex Cicerone *Philipp.* 9. & aliis, noſter Pomponius, *in l. 2. §. Servius 43. in fine. Digeſt. de origin. jur.* Eo itaque fortaſſe exemplo legis *Juliæ* judiciorum, & Servii auctoritate utebantur noſter Caius, Ulpianus, & Paulus, *ad leges noſtras*, dum ſcriberent, & prohibitionem nuptiarum, inter generum, ſocrum, nurum, ex noſtris legibus producerent etiam ad eos, qui per ſponſalia illorum loco fuerunt, ut *in dict. l. 4. & 5. Digeſt. de teſtibus. l. 6. Digeſt. de gradibus*, ſicut & ad illorum neptes, pronepres, & ſimiles, *l. generi 136. Digeſt. de verbor. ſignificat. l. ſi qua 12. §. 1. & ſeq. l. adoptivus 14. § nunc videamus l. Ariſto 40. l. quin etiam 155. Digeſt. de ritu nuptiar.* in queis urendi, & ſecandi partes Fabro relinquimus, *in juriſpr. titul. 9. princip. 6. illat. 5. & ſeq.* Nobis tanti non ſunt, ſive non adeo obſcuræ illorum textuum theſes, ut egeant interprete, aut aſſertore: & quod attinet ad regulam, ut prohibitio abſoluta, ſeu perpetua nuptiarum, complectatur ſponſalia in noſtris legibus, luculenta aſſertio eſt, *in l. oratio 16. Digeſt. de ſponſal.* de qua & affatim *in Commentariis, lib. 2. cap. 11. & 12.* 6

AD LEGEM PRIMAM, SECUNDAM, ET TERTIAM,

D. de Concubinis, l. Libro, ſive l. Maſſurius 144. D. de V. S.

RELIQUATIO II.

ET SCHOLIA.

ARGUMENTUM.

LEgibus Julia, & Papia, *ſi* Cujacio *creditur*, *cauta aliqua*, *de* concubinis, *& præſcriptæ veluti leges* concubinatus. *Non tamen eis inductus, aut legitimus factus. Illius cum uxora uſus, improbatus jam olim*, lege Numæ de pellice, *& probroſus* Romanis legibus, *ut* l. Maſſurius 144. D. de V. S. *& aliis ante* Conſtantinum; *quin & cum cœlibe. non promiſcue probatas* concubinatus legibus Julia, & Papia, *ſi earum fini*, *&* Dioni *fides. Noſtræ jam pridem conjecturæ fuit, permiſſum fuiſſe legibus noſtris* concubinatum *cœlibibus*, *cum illius fœminis, quibuſcum nuptiæ eiſdem legibus prohibebantur, & è contra improbatum, niſi cum teſtatione,*

cum

tum eis, quæ juſtæ uxores eſſe poſſent; conjecturæ hujus, ſive aſſertionis, argumenta ſunt, in l. 1. §. 1. & ſeq. & l. 3. D. de concub. *in qua poſtrema, quod in primis* Marcianus *ſtatuit, eſſe in* concubinatu *poſſe alienam libertam (ſupponens ſcilicet, patroni cum propria liberta licitum* concubitum) *eam rationem habet, quod libertæ connubium inhibitum eiſdem legibus cum* Senatoriis, *unde & ipſæ plerumque* concubinæ, *& dubitandi inde ratio* ad l. 56. D. de ritu nupt. *Argumentum ſecundum* in d. l. 3. *in ingenua obſcuro loco nata, cujuſmodi ſcenica, & in quæſtuaria, ſeu meretrice, & aliis ignominioſis, ad quas referenda vox*, maxime, in d. l. 3. *cum queis nuptiæ inhibitæ* Senatoriis, *& ingenuis, & ideo* concubinatus *permiſſus. Expenſus pro re* Ulpianus, in l. 1. §. 1. D. de concub. *& expoſitus de ignominioſis fœminis illis, quæ quamvis verbis* legum Juliæ, & Papiæ *non notentur, perinde tamen ignominioſæ, & ſubmotæ à nuptiis, atque ideo non ſubmovendæ à* concubinatu, *ex ſententia* Attillicini, *&* Ulpiani. *Tertium argumentum* ex l. 1. §. ult. D. de concub. *ubi proditum eſt, haberi* concubinam *poſſe cujuſcumque ætatis, atque ita etiam majorem quinquagenaria, cum qua tamen nuptiæ eſſe non poterant*, ex lege Papia, *ad quam verbis illis reſpicitur, & addi differentia voti in nuptiis, &* concubinatu. *Reſtat pro extrema aſſertionis parte*, in d. l. 3. D. de concub. *illud de ingenua, & honeſta fœmina*, in concubinatu *non habenda, ſine teſtatione, aut ſtupri pœna, quo pertinent, & inde explanandæ* Modeſtini *regulæ*, in l. 24. D. de ritu nupt. l. 34. D. ad l. Jul. de adult. *&* Papiniani in l. 31. D. de dona *Notati, qui* concubinas *non diſtingunt ab uxoribus uſu ductis. Teſtatio* in d. l. 3. *referenda ad teſtatam profeſſionem de ducta, & habenda pro* concubina, *non pro uxore: illuſtratur inde formula* l. Titiæ 35. D. de aur. & arg. legat. *item* lex Maſſurius 144. D. de V. S. *cujus abſciſſus, & interpolatus textus in* Baſilicis, *& in eis vertendis* Fabrottus, *inconcinne pro*, concubina, *reddidit*, amicam. *Explanatum dogma illud, quod* concubinatus *per leges nomen aſſumpſerit, ſimul* cum l. 1. §. qui autem, D. de concub. *Advocata eſt, appoſita legibus noſtris, regula* Modeſtini, in l. Legis 7. D. de legibus.

1 INter reliquationes, ſive adjacentia huic parti *legum, de maritandis ordinibus*, primum locum damus diſſertationi de concubinis, de queis fuiſſe aliqua cauta, *legibus Julia, & Papia*, ſcripſit Cujacius *ad l. libre*, ſive *Maſſurius* 144. *D. de verb. ſignif.* argumento inſcriptionis illius loci, & *l.* 1. *&* 2. *D. de concub.* & Cujacii ductum ſecuti, tametſi deviantes non pauci, concubinatum legibus *Julia*, & *Papia* inductum tradidere, & fuiſſe licitam, ac legitimam conjunctionem, *l.* 3. *in fine*, ubi Gothofredus, *D. de concubin. l. ſi quas, Cod. ad S. C. Orſitianum*, & ante alios Theodorus Balſamon *ad Photii Nomocan. tit.* 13. *cap.* 5. & de Juſtinianei ſæculi moribus Paganinus Gaudentius, *cap.* 21. Mihi jam pridem, cum Salmanticæ profiterer, ſatis cauſæ eſſe viſum, cur in re conjecturis indaganda, Cujacii auctoritati, & argumentis accederem: non tamen eo uſque, ut crederem, quod licenter ſupponitur, concubinatum, *legibus Julia, & Papia* inductum, aut legitimum factum. Conſtat enim, longe ante eas leges, & vel ab Urbis Romæ cunabulis, de concubinatus uſu, & quidem cum uxore, improbato, ut *ex lege Numæ de pellice*, cujus, ex Servio Sulpicio, memor Agellius 4. *Noct. Attic. cap.* 3. Feſtus *in verb. Pellices*, juncta *dict. l. Maſſurius* 144. & Catoniano illo carmine:

Cum conjux tibi ſit, ne res, & fama laboret,
Vitandum ducas inimicum nomen amicæ.

Et Ciceronis loco 1. *de Oratore*: conſtat item improbatum, & probroſum habitum, poſt leges noſtras, concubinæ cum uxore uſum. *dict. l. Maſſurius* 164. *D. de verb. ſign. l. ultim. in fine, C. communia, de manumiſſ.*, cum diſerto fragmento Pauli *lib.* 2. *Recept. Sent. tit.* 20. & omnino ante Conſtantinum *in l. unic. Cod. de concubin.* à quo ſeverior, ſtrictiorque probibitio inducta concubinatus in maritis Chriſtiano pudicitiæ zelo, de qua Sozomenus, ad hæc redigendus, 1. *Hiſtor. Eccl. cap.* 8. cum tamen & ante eum improbaretur, ut probroſus, quamvis non adeo ſtricte, & ſevere: in eoque aſſentior magis Cujacio, *ad tit. Cod. de concub. & in d. l. ex ea* 121. §. 1. *D. de verb. obligat.* & alibi. Merilio 3. *Obſerv. cap.* 16. Seldeno *de Jure Natur. cap.* 4. Ranaduſo Fornerio *lib.* 1. *Rer. Quotid. cap.* 8. & Guil. Fornerio *ad d. l. Maſſurius*, & ex claſſicis Bart. *in l.* 1. *D. de Ritu Nupt.* quam diſſentientibus, poſt Hotmannum, Donello *ad dict. l. ex ea, part.* 121. § 1. Schifordegero *ad Fabr. lib* 3. *tract.* 25. *quæſt.* 2. & non pauca contra canonicum, pro civili jure peccanti, Alberico Gentili *de Nupt. lib.* 1. *cap.* 4. *& lib.* 7. *cap.* 2. Arniſeo *de Jure Connub. cap.* 4. *ſect.* 5. *num.* 3. *&* 6. Jam & ut de concubinatu cum viro cœlibe, noſtris legibus improbato, non perinde conſtet, conſentaneum tamen fuit earum fini procurandæ frequentiæ nuptiarum, non fuiſſe illis inductum, aut promiſcue permiſſum cœlibibus concubinatum, utpote cujus permiſſione, nuptiæ legitimæ ſpernerentur, ut graviter expendebat Auguſtus *Oratione illa pro lege Papia*, apud Dionem *libr.* 56. ubi inter alia ſic ad cœlibes: *Neque enim adeo ſolitudo vivendi vos capit, ut abſque mulieribus vivatis, ac non quilibet veſtrum menſæ, ac lecti ſociam habeat, ſed licentiam libidini, ac laſciviæ veſtræ exercendæ quæratis.*

2 Ergo, ut jam quænam illa fuerint cauta legibus noſtris, de concubinis, ſaltem conjectemur, ſilentibus alte Cujacio, Ant. Auguſtino, Balduino, Lipſio, Torrentio, & noviſſimo Gothofredo, nobis pridem placebat, neque omnino, & uſquequaque improbatum concubinatum *legibus Julia, & Papia*, neque paſſim, & promiſcue permiſſum, ſed improbatum, quatenus legitimæ ſobolis procreationi per nuptias, concubinarum permiſſio noceret, & è contra permiſſum, quando in defectum nuptiarum, juſtæque prolis, liberos ſaltem ex concubinatu, & nota, tametſi inæquali conjunctione potius, quam nullos, ut ex ancillis, aut incertos, veluti ex meretricibus, naſci, Reipublicæ expedire videbatur. Queis conſequenter maritis, qui ex juſtis nuptiis juſta etiam, ac legitima ſobole juvare, ſeu replere Civitatem poterant, non permiſſum legibus noſtris, concubinam habere, exiſtimabam, de quo jam *ſupra*, & quod amplius eſt, nec cœlibibus eas concubinas habere, quibuſcum juſtas nuptias contrahere poſſent, niſi interdum cum teſtatione, de qua poſtea. E converſo eas mulieres, quibus honeſtioris connubii jus ademtum legibus noſtris, ſive cum maſculis ingenuis omnibus, ſive cum Senatoriis dumtaxat, potuiſſe ſaltem in concubinatu haberi cœlibum (pœnis nihilominus cœlibatus in eos manentibus, quandiu cœlibes manerent) fuiſſe ſignanter permiſſum, ſeu probatum legibus noſtris, conjectabamur.

3 Hujus noſtræ aſſertionis, ſeu conjecturæ, circa cauta legibus *Julia*, & *Papia* de concubinis, præterquam quod fecit eam nobis non improbabilem, conſonantia ipſius, & veluti concentus cum primario fine, & propoſito noſtrarum legum, dedimus quoad priorem partem, de improbato concubinatu cum maritis, argumenta *ſupra*. At quoad ſecundam, de permiſſo cœlibibus concubinatu, non paſſim, & promiſcue omnium fœminarum, ſed earum dumtaxat, quibuſcum, ex eiſdem legibus, jus connubii non haberent, aut aliarum cum teſtatione, ſint argumenta non obſcura, quæ ſequuntur. Nam cum ſcitiſſimum ſit legibus noſtris connubium adimi, vel propter ætatem procreationi inutilem, ut inter minorem ſexagenario cum muliere quinquagenaria. *l. ſancimus* 27. *Cod. de nupt. l. ſi major* 12. *in fine, Cod. de legit. hær.* Ulpian. *tit.* 16 § *ult.* vel propter utilitatem ſtatus, aut vitæ, ut inter Senatorios, & libertinas, ſcenicaſve. *l. Lege* 44. *D. de ritu nupt.* de qua ex profeſſo *libro* 2. Et inter ingenuos, & ignominioſas, ut quæſtuarias, & adulterii damnatas, & alias, de queis *integro lib.* 3. earum omnium

omnium concubinatum permitti, & quidem, non quaſi ex opinione alicujus Juriſconſulti, ſed tanquam ex conſtante, exploratoque jure, ſupponitur *in l. 1. §. qui autem & §. ultim. & in l. 3. D. de concub.* in qua in primis Martianus *lib. 12. Inſtitutionum.* cum explanaret forſitan *caput Papiæ legis de ereptitiis*, ſive his, quæ ut indignis erepta, fiſco deferuntur, teſte Ulpiano *titul. 19. de dominiis, §. lege.* juncta *l. in fraudem 10. D. de his, quæ ut indignis*, de quibus, & tractaſſe Martianum *præcedente libro 11. Inſtitutionum*, liquet *ex l. 3. D. de his, quæ pro non ſcriptis hab. l. 2. D. de his, quæ ut indign.* ſuppoſuit inter alia *in §. 1. & ſeq. dict. l. 2.* relictum mulieri, contra leges ductæ, vel ſtupro cognitæ, tanquam indignæ auferri, & Fiſco vindicari. *l. Claudius 13. cum l. ſeq. D. de his, quæ ut indign. l. 3. §. 1. l. cum hic ſtatus 32. §. ultim. D. de donat. inter:* non autem concubinæ relictum. *l. cum tabulis 16. §. quoniam, D. de his, quæ ut indign. dict. l. 3. §. 1. in fine, D. de donat. inter. l. qui concubinam 29. l. uxorem 41. §. concubinæ l. item 29. §. parvi, D. de legat. 3. l. affectionis 15. donationes 31. D. de donat.* & ea occaſione diſſeruit, quando, & quales haberi recte juxta leges noſtras in concubinatu poſſent.

4 Porro de eo ſic ſtatuit Martianus *in d. l. 3. D. de Concub. In concubinatu haberi poteſt, & aliena liberta, & ingenua, & maxime ea, quæ obſcuro loco nata eſt, vel quæſtum corpore fecit.* Expendamus breviter ſingula: *& aliena liberta*, inquit, hoc eſt, non tantum propria liberta, quam in concubinatu eſſe poſſe patroni ſui, & quidem ita, ut matronæ nomen non amittat, Romanis moribus certum eſt. *l. probrum 41. §. 1. D. de ritu nupt. d. l. cum tabulis 16. § quoniam, D. de his, quæ ut indig. l. ſi uxor 13. D. ad leg. Juliam, de adult.* & agnoſcunt *ad leg. Juliam, & Papiam*, ſcribentes, *l. ult. in fine princ. D. de divort. & in l. 1. D. de concub.* & Paulus *in l. 2. eodem tit.* ſed etiam aliena liberta in alterius, quam patroni, concubinatu, *dict. l. probrum 41. §. 1. cum jam laudatis.* Et generaliter libertinæ omnes, ut Ulpianus quaſi ſupponit, *in l. etiam 56. D. de ritu nupt.* ubi dubitandi ratio fuit, an ſororis filiam in concubinatu habere liceret, quia ex libertinis erat, quibuſcum licitus concubinatus, & interdictæ ſolis Senatoriis nuptiæ, *legibus Julia, & Papia.* Decidendi autem, non licere, fuit, quia quamvis libertina, erat tamen ſororis filia, cum qua inceſtum committitur, & illicitæ nuptiæ, non modo jure civili, ſed etiam naturali, & proinde etiam concubinatus. *l. 1. ſi qua, D. de concubin. l. adoptivus 14. §. ſerviles, D. de rit. nupt. dict. l. etiam 56.* quam ita accipiunt gloſſographi Baſilicon *lib. 60. titul. 37. in princip.* Photius *in Nomocan. tit. 13. cap. 5.* Libertinis itaque fœminis, ut diximus, quibus ademtum noſtris legibus cum Senatoriis connubium, permiſſus eiſdem legibus concubinatus cum Senatoriis, & quidem ſine ſtupri crimine, & pœna; unde & ipſæ, & cum illis alii, militiæ huic venereæ, tanquam legitimæ nomen dabant, & tutiorem in claſſe libertinarum, quam matronarum mercem eſſe inſanientibus, ſcite Horatius ſcripſit *lib. 1. Satyr. 2.* cujus, cum ad rem aliis, meminimus *lib. 3. cap. 3.*

5 Ait deinde Martianus: *Et ingenua, & maxime ea, quæ obſcuro loco nata eſt, vel quæſtum corpore fecit:* qua ſectione, per *obſcuro loco natam* primum, proprieque deſignari videtur ea, cujus pater, materve artem ludicram fecit, cujus & ideo nuptiæ cum Senatoriis, *lege Julia*, vetitæ. *l. lege 44. D. de ritu nupt.* hæc enim, vel præcipue obſcuro loco natæ, & ut ſcriptum eſt *in l. quæcumque 9. Cod. Theodoſ. de ſcenicis, ex ejuſmodi fece progeniæ*; tametſi & aliæ ſimiliter humiles, abjectæque circumſcribantur *in l. humilem 7. Cod. de inceſt. nupt. l. 1. Cod. de natur. lib. Novella* Martiani *de Matrim. Sen.* Quæſtum autem corpore feciſſe dicitur meretrix, cujus itidem nuptiæ *legibus noſtris* tam Senatoriis, quam ingenuis interdictæ, ut ex Ulpiano *tit. 13. §. ultim. l. palam 43. Digeſt. de ritu nupt.* copioſe diximus *lib. 3. cap. 17. & ſeq. maxime* autem has ingenuas in concubinatu eſſe poſſe, ait Martianus, non quaſi & omnes aliæ poſſint, quod poſtea idem negat, nec pro *utique*, & *dumtaxat* utitur voce, *maxime*, ut Briſſonius in voce, *maxime*, & alii voluere, ſed quia præter ſcenicas, & meretrices, poſſunt & aliæ ingenuæ in concubinatu haberi, quæ matronarum honeſtatem non habent, ut puta deprehenſæ, aut damnatæ adulterii, & ſimiles, quarum nuptiæ cum ingenuis, improbatæ *legibus noſtris*, concubinatus autem permiſſus. *l. 1. §. qui autem, D. de concub. l. palam 43. §. quæ in adulterio 12. & §. Lenas 7. D. de ritu nupt.* Quarum collatio conjecturam noſtram firmat.

Firmat deinde hæc ſingula, innuitque quod ſtatuimus, permiſſum concubinatum Senatoriis cum 6
libertinis, & probroſis fœminis, *ex noſtris legibus* deſcendere, Ulpianus recte expenſus *in dict. l. 1. §. 1. D. de concub.* dum ſcribit: *Cum Attilicino ſentio, & puto, ſolas eas haberi in concubinatu poſſe, ſine metu criminis, in quas ſtuprum non committitur.* Quanquam, ne diſſimulare videamur, repugnare primo aſpectu videtur, quod *ſentire* ſe, & *putare* hoc ipſum ait, cum Attilicino, cur enim opinioni, & privati Juriſconſulti auctoritati hoc adſcriberet, ſi hoc ipſum deſcendere, aut defendi poſſit ex noſtris legibus, quas illic interpretabatur, ut ex inſcriptione apparet, *d. l. 1.* Sed ut diximus, firmat potius hic locus, & fovet quæ poſuimus, ſi animadvertatur, ultra libertinas, & probroſas, quarum in noſtris legibus mentio, eſſe & alias fere æque viles, & inhoneſtas, in queis ſtuprum non vindicatur, ex ratione *l. quæ adulterium 27. Cod. ad leg. Jul. de adult.* juncta *l. ſi ea 22. illo tit. l. probrum 41. D. de ritu nupt. l. cum tabulis 16. §. quoniam, D. de his, quæ ut indign.* Quales recenſentur *in dict. l. quæ adulterium 29. l. 1. Cod de natur. lib. l. humilem 7. Cod. de inceſt. nupt.* Iſtarum itaque cum ſpecialiter legibus noſtris nuptiæ non prohiberentur, ideoque nec ſpecialiter earum concubinatus permitteretur, ſenſit tamen Ulpianus cum Attilicino, poſſe haberi in concubinatu, & quidem juxta mentem legum noſtrarum, quamvis deficientibus earum verbis, nimirum quoniam, etiamſi non vetitæ illarum nuptiæ, ſunt tamen moribus perinde turpes cum eis nuptiæ, atque cum illis, quarum *leges Julia, & Papia* meminere, ac non magis in iſtas, quam in illas ſtuprum committitur. Porro cum Ulpianus initio *dict. l. 1.* ſcripſiſſet libertam, ſeu patroni concubinam non poſſe, eo invito, in alterius concubinatum ſe dare, nempe quia eo pacto ſtuprum committeretur, *dict. l. probrum 41. §. 1. dict. l. cum tabulis 16. §. quoniam. l. ſi uxor 13. Dig. ad leg. Jul. de adult. l. liberta 46. D. de oper. libert.* appoſite, ut & illam exciperet, & alias, quarum concubinatus permiſſus, comprehenderet, ſubjunxit *in dict. §.* putare ſe cum Attilicino, eas ſolas in concubinatu eſſe poſſe, in quas ſtuprum non committitur. Pertinere autem proprie Ulpiani, & Attilicini opinionem, ad eas ſolas ignominioſas, quarum *leges Julia, & Papia* non meminerunt, vel illud indicat, quod de adulterii damnata, cujus nuptias, ſub appellatione damnatæ, publico judicio *leges noſtræ* inhibuere, *l. palam 43. §. quæ in adulterio 12. D. de ritu nupt.* & nominatim *Julia lex, de adulteriis. l. caſtitatis 9. l. fœdiſſimam 20. Cod. ad leg. Jul. de adult. l. mariti 29. §. 1. D eodem tit. l. auxilium 37. in fine, D. de minor.* ſtatim Ulpianus idem, diverſa tamen oratione, ac ἀσυνδέτως, *autem*, interpoſito, ſcribit: *Qui autem damnatam adulterii*, & deinceps, ubi & quod ſe *putare* dicit, non eo pertinet, ut opinionis ſuæ eſſe indicet, *damnatam adulterii* poſſe haberi in concubinatu, quod imo certum, deſcendenſque *ex ipſis legibus Julia, & Papia*, ut jam dicemus, *ex l. 3. §. 1. D. de concub.* ſed ut inde recte inferens opinetur, non teneri *Julia lege de adulteriis*, qui adulterii damnatam in concubinatu habeat, ſicut nec tenetur ſtupri, qui in concubinatu habuerit alias, quarum nuptiæ legibus noſtris inhibitæ, de quo poſtea *ad d. l. 3. §. ult.*

7 Firmat tandem, & fulcit hæc ipſa, quod extat *in dict. l. 1. §. ult. D. de concub.* cujuſcumque ætatis concubinam haberi poſſe, ſi non ſit minor duodecim annis: id quod Ulpianus non opinans, aut dubitans, ſed velut ex aperto, & certo jure ſcribit, *palam eſſe*, ſignificans nimirum, poſt duodecim annos, quamvis non permittatur legibus noſtris concubinatus, niſi Senatoriis cum libertinis, aut ingenuis cum probroſis illis, in quas ſtuprum non committitur, de queis dixerat *in* §. 1. & 2. permitti tamen, ſi concubina major quinquagenaria ſit (quo reſpicit Tò illud, *cujuſcumque ætatis*) utpote, quia per eamdem legem *Papiam*, non poteſt ea haberi in matrimonio, *l. ſancimus* 27. *Cod. de nup. l. ſi major.* 12. *Cod. de legit. hæred.* Monuit, poſt Connanum 8. *Comm. cap* 13. *num.* 1. utcumque eum alias contemnat Cujacius *ad l. ſi ſterilis* 21. *D. de act. emti*, ſub *libro* 33. *Pauli ad edictum.* Ratio autem, neque obſcura illa, quia votum prolis, cujus intuitu lex *Papia* nuptias quinquagenariæ, tanquam ſterilis, improbavit, non proprium concubinatus, in eoque à matrimonio diſtinguitur. *l. 1. in fine* 30. *quæſt.* 5. *cap.* 1. 32. *quæſt.* 2. *l. ſi vicinis* 9. *Cod. de nupt. l. ſi is, qui te* 13. *Cod. de poſtli. rev. l. liberorum* 220. §. *ult. D. de V. S.* de queis nos plenius alibi. Demoſthenes *in Oratione* κατὰ Νεαίρας, ſive quis alius ejus auctor: D. Auguſtinus *lib.* 4. *Confeſſionum*, *cap.* 2. Uſque adeo ſaltem ſimile vero eſt, quod conjectamur, permiſſum fuiſſe, noſtris legibus, concubinatum earum mulierum, quarum nuptiæ inhibebantur.

8 Ex his, ut extremum illud quod poſuimus explanemus, non licuiſſe legibus noſtris, ingenuas, & fœminas, quibuſcum juſtæ nuptiæ eſſe poſſent, habere in concubinatu, niſi cum teſtatione, exprimit id Martianus *in dict. l.* 3 *D de concub.* illis verbis: *Alioquin ſi honeſtæ vitæ, & ingenuam mulierem, in concubinatum habere maluerit, ſine teſtatione hoc manifeſtum faciente, non conceditur; ſed neceſſe eſt ei, vel uxorem eam habere, vel hoc recuſantem, ſtuprum cum ea committere.* Nec diffiteor, viſum mihi jam olim, extare in his verbis Triboniani emblema, ſuadente in primis locutione illa; *ſine teſtatione hoc manifeſtum faciente*, quin & totius orationis juncturæ, quæ phraſis Tribonianicæ lineamenta, colorem, & quaſi characterem refert. Sed nolo ex ſola ſuſpicione ſtili cenſere. Ergo, ut Martianum explicem, in primis ſtatuo, permiſſo noſtris legibus concubinatu Senatoriis cum libertinis, eiſdemque, & ingenuis cum probroſis fœminis, quibuſcum nuptiæ prohibebantur, conſequens fuiſſe, & conſentaneum earumdem legum fini frequentiæ nuptiarum, prohibere concubinatum cum ingenuis, honeſtiſque, quia cum his nuptiæ eſſe poterant. Eoque pertinet, & *ad leges noſtras* referenda regula illa Modeſtini, quæ ponit, ut in conſuetudine liberæ mulieris, ſi non corpore quæſtum fecerit, id eſt, ingenuæ, honeſtæque, non concubinatus, ſed nuptiæ intelligantur, *l. in liberæ* 24. *D. de ritu nupt.* ſcilicet, quia, ut nuptiæ intelligantur, congruit *legibus noſtris*, quæ tales nuptias probant, & præcipiunt; at ut concubinatus ſit, pugnat *cum eiſdem legibus*, quæ illum cum ingenua, & honeſta improbant, utpote in qua ſtuprum committitur, quomodo idem Modeſtinus *eodem lib.* 1. *regul.* ſcribit *in l. ſtuprum* 34. *D. ad leg. Jul. de adult.* regula ducta *ex noſtris legibus*, & conveniente illis Martiani & Ulpiani *in dict. l.* 1. §. 1. & *l.* 3. *D. de concub.* Quomodo & referendum, & exaudiendum Papiniani illud de matrimonio, aut concubinatu præſumendo inter alia *perſonis comparatis*, nempe, ut cum ingenua, & honeſta matrimonium, at cum probroſa concubinatus præſumatur. *l. donationes* 31. *D. de donat.* juncta *l. cum tabulis* 16. § *quoniam*, *D. de his, quæ ut indign.*

9 At fuit, ut finiamus, ejuſce regulæ veluti exceptio, in ingenua habita pro concubina *cum teſtatione*, ut eſt apud Martianum *in dict. l.* 3. pro quo elucidando cæcutiunt, qui teſtationem eam, cum alia nuptiali, uxores duci liberorum procreandorum cauſa, & tales concubinas, cum uxoribus uſu ductis, confundunt, aut conferunt. in queis fere Rævardus 4. *Var. cap.* 16. Sed eſt verius omnino, teſtationem ejuſmodi eſſe debuiſſe, per quam, qui ingenuam ſibi concubinam vellet, profiteretur, illa coram, & teſtibus, ſe non eam uxorem ducere, ſed concubinam, & conſuetudinis, non matrimonii cauſa retenturum: eaque prorſus mens illorum verborum, *teſtatione hoc manifeſtum faciente*; Ut exponit incertus Paraphraſtres Baſilicorum *lib.* 20. *tit.* 37. *ad dict. l.* 1 §. 3. *D. de concub.* & ex Latinis ante noviores, ſenſit Accurſius, quamvis alia non ſatis explicet *ad d. l.* 3. §. 1. & poſt Angelum, Caccialupus *ad l. ſi qua* 5. *num.* 32. *Cod. ad S. C. Orſit.* Atque eo fortaſſe primus, & pridem Salmanticæ, referebam formulam illam (tametſi aliter Cujacio, & aliis expoſitam) quæ *in l. Titiæ* 35. *D. de aur. & arg. leg. Titiæ amicæ meæ, cum qua ſine mendacio vixi:* hoc eſt, quam concubinam duxi, & habui, non falſa ſpe, aut mendaci matrimonii prætextu deceptam, ſed ſub teſtatione concubinatus, ac proinde licite, & ſine ſtupri crimine, quamvis ingenuam, ideoque & ei legare poſſum *l. mulierem* 14. *l. cum tabulis* 16. §. *quoniam*, *D de his, quæ ut indign. l. qui concubinam* 29. *l. uxorem* 41. §. *concubinæ l. item* 49. § *parui*, *D. de legat.* 3. Conſentaneum, & ſimiliter explicandum Maſſurii illud, *in dict. l.* 144. *D. de verb. ſignif.* quæ olim *pellex* vocabatur, *nunc vero nomine amicam, & paulo honeſtiore concubinam appellari.* Et ſane, *amicæ*, nomen minus honeſtum, & vel Martialis locus indicat, apud Cujacium *in d l.* 144 & ejuſdem *lib.* 11. *epigr.* 24. in Sillam, & alibi paſſim; & honeſtius, *concubinæ*, quamvis non pleni honoris *l. cum tabulis* 16. §. *quoniam*, *D. de his, quæ ut indign. d. l.* 144. cujus textum decurtarunt, & interpolarunt Baſilica *lib.* 2. *tit.* 2. & in eo vertendo Annibal Fabrottus, dum pro latinis verbis quæ dedimus, reddit; *Paulo honeſtior, amica, dicitur:* cum debuiſſet latine magis, & ad mentem Maſſurii apte vertere, *concubinam*: nam & ei convenit nomen, Φίλη, quo Græci utuntur.

10 Porro exceptionis hujus (ad quam itidem coaptanda extrema verba *d. l. ſtuprum* 34. *D. ad leg. Jul. de adult.*) ratio non ea, quaſi publica hæc concubinatus profeſſio, faciat honeſtam concubinam, ut abſurde ſcripſit Hotmanus *diſp. de Nothis, & Spur. c.* 2. Sed illa potius, quia ingenua mulier teſtationi concubinatus conſentiens, & impellente nullo, ac ſua tantum libidine præceps acta, deprehenditur eo ipſo inhoneſta, & in qua nec vindicari ſtuprum, nec permitti nuptiæ cum Senatorio, & ingenuo, nec prohiberi concubinatus debeat, ex ratione *dict. l.* 1. §. 1. *D. de Concub.* fortaſſe ad illarum inſtar, quæ depoſito matronali cultu licentiam ſtupri apud Ædiles vulgabant, in quas ſtupri pœna ceſſabat, quia ſatis pœnarum adverſus impudicas, in ipſa profeſſione flagitii, creditum, ut in ſimili Tacitus *Annal. lib.* 2. de quo ſimul *cum l. mater* 10. §. *ultim. Digeſt. ad leg. Jul. de adulter.* Alia, & plura nos *lib.* 3. *cap.* 12.

11 Poſtremo & ex his lucem accipit, ac viciſſim eidem præbet, quod Martianus ſcribit *in dict. l.* 3. §. *ultim.* ubi continenter poſt tradita, de concubinatu ingenuæ permiſſo cum teſtatione, ſubjungit, nec ab ipſo, qui talem concubinam habet, committi eo concubinatu adulterium, ſive ſtuprum (eſt enim exaudienda, *adulterii*, vox, de ſtupro, quod in juris libris perſæpe occurrit, *l. inter* 101. *D. de verb. ſignif. l. inter* 6. §. 1. *D. ad leg. Jul. de adulter.*) ideo autem non committi, ac nec puniri, *nam quia concubinatus per leges nomen aſſumpſit, extra legis pœnam eſt*, id eſt, quoniam cum talis concubinatus ingenuæ, cum teſtatione, ſicut & aliarum probroſarum mulierum, de queis Martianus *in dict. l.* 3. formam, ſineſque ſuos, ideoque & quodammodo nomen aſſumpſerit, *per leges*, quibus permittitur, ſcilicet *Juliam, & Papiam*, quæ frequenter apud auctores Romani juris, & alios, appellatione legum intelliguntur, ut præmonuimus *lib.* 1. *cap.* 3. debet etiam

eſſe extra pœnam *legis Juliæ de adulteriis*, ſive ſtupri; quippe abſurdum eſſet, per hanc puniri, quod leges noſtræ, tanquam legitimum concubinatum, probarent. & proinde à pœna immunem, (argument. *ex l. Graecbus 4. Cod. ad leg. Jul. de adulter.*) Unde & perſpicua jam, & conſequens ratio, *§. qui autem 2. D. de Concub.* ubi dum Ulpianus *ad leges noſtras* ſcribit putare ſe, non teneri adulterii, qui adulterii damnatam in concubinatu habeat, quamvis ſi uxorem eam duxiſſet, teneretur, nimirum, ut & *ſupra* indicavimus, quia concubinatus cum damnata adulterii, cum permittatur legibus noſtris, debet eſſe extra pœnam *legis Juliæ de adult.* ex ratione *d. l. 3. §. ult.* & è contrario nuptiæ cum damnata adulterii, quæ etiam *legibus Julia*, *&* *Papia* improbantur *l. palam 43. §. quæ in adulterio 12. D. rit. de nup.* prohibentur, & puniuntur quam merito *Julia de adulteriis dict. §. qui autem 2. in fine.*

12 Secundum quæ, vix mihi tempero, quin vel tranſiens animadvertam, commodiſſime hinc peti poſſe exemplum legis permittentis, ad Modeſtinum *in l. legis 1. D. de legib.* Ubi quas nobiliores legis virtutes recenſet, cernere eſt, & agnoſcere, ut in aliis legibus, ita *in noſtris Julia*, *&* *Papia*, quatenus vel omnibus nuptias *imperant*, ſeu præcipiunt, vel Senatoriis, & ingenuis cum probroſis fœminis *vetant*, vel cœlibes, & orbos *puniunt*; eminet autem proprie in eo capite, cujus hæ Reliquationes ſunt, illa ignotior virtus permittendi, dum ſobolis favore, & ingenuorum nuptias cum libertinis *permittunt*, & concubinatum cœlibum cum ignominioſis fœminis, cumque certa forma, & legibus permittendo, quodammodo legitimum faciunt *dict. l. 3. §. ultim. D. de Concub.* Huc autem referendam regulam Modeſtini *in dict. l. legis 7.* argumento eſſe poſſint excerptæ *ex eodem libro 1. regularum*, & ad legum noſtrarum partem, de permiſſo concubinatu cum probroſis fœminis, pertinentes *l. in liberæ 24. D. de ritu nuptiar. l. ſtuprum 34. D. ad leg. Jul. de adult.* juncta *l. pen. D. de divort.*

Verum fuerit hæc, ut cum Thucydide Cicero loquitur, ἐκϐολὴ λόγου, non injucunda, maneatque non pro explorato, quod in his tenebris priſci juris, quis ſperes? pro probabili tamen [illegible], quod conjectamur, legibus noſtris, non probatum concubinatum in uxores habentibus, nec permiſſum promiſcue cœlibibus, ſed Senatoriis cum libertinis, & eiſdem, ac ingenuis, cum probroſis fœminis, vel ingenuis cum teſtatione. Sequebantur ſub eodem titulo *de concubinis l. penult. & ult.* queis duæ ſignantur differentiæ, inter uxores, & concubinas, & quibus adornandis, non pauca, nec protrita circa eas differentias, & comparationes nuptiarum, & concubinatus, Salmantina adverſaria noſtra ſuggerent, niſi ea, quodam amicitiæ jure, tranſlata à noſtrate olim Meſa *lib. 3. Var. cap. 38. 39. & 40.* ut jam monuimus *lib. 2. cap. 40.* 13

RELIQUATIO III.

ET SCHOLIA.

Ad l. 8. D. de agnoſcend. lib. l. 130. D. de verb. ſignif. l. 79. D. de acquir. hæred. l. 62. D. ad leg. Falcid.

ARGUMENTUM.

MArcellus in l. 8. de agnoſc. *relatus recte* Gothofredo, ad caput de nuptiis filiæ Senatoris in lege Julia, *de qua* eodem libro 1. *idem* Marcellus; *non item recte ad* caput Juliæ, de liberis elocandis. *Deviat ſimiliter* Gædeus *in referenda* l. 130. D. de V. S. *ad* tractatum, de pœnis cœlibum, & orborum: *& apte magis* Gothofredus *jungit* tractatui, de matrimoniis imparibus (*de queis tamen proprium caput noſtrarum legum comminiſcitur.*) *At relata ad eum* tractatum ad l. 130. *ſententia illius eſt, ut perinde, ac ex injuſto conjugio, conjuges non capiunt hæreditatem legitimam, ita nec teſtamentariam, quia & hæc lege obvenit. Poteſt & jungi eidem* tractatui, de non capiendo ex injuſtis nuptiis, Ulpianus in l. 79. D. de acquir. hæred. *& bifariam explanari. Poſtremo quoad* Paulum in l. 62. D. ad l. Falc. *ſuſpicari licet, diſputationem illam, de æſtimatione bonorum, quamvis, ut verba textus ſunt, propria* legis Falcidiæ, *videatur tamen & pertinuiſſe ad* legem Papiam, *& caput* de capiooc decimæ bonorum, inter conjuges: *ſive ad* caput de manumiſſione ſervi dotalis, *argumento* ex l. 63. D. ſol. matrim.

2 PErvagata eſt commentatio noſtra ad hanc partem legum, integris libris præcedentibus 2. & 3. libere adeo & fere licenter, advocatis tot ex Eccleſiæ, & fori, ac bumaniorum diſciplinarum uſu ornamentis, ut vix reſiduum aliquid ſit ad hæc Scholia, niſi quæ, ut remotiora, & minus explorata, illic ſepoſuimus, & jam ſequuntur. Primum eſt, ex Marcello *lib. 1. ad legem Juliam, & Papiam*, in *l. non quemadmodum 8. D. de agnoſcend. lib.* quam ad caput de Senatoriis, prohibitis ducere uxorem libertinam, & in eum ſenſum, ne prohibeatur nepos ex filia Senatoris, ex ratione *dict. l. 8.* refert Jacob. Gothofr. *in Fontibus legum, ad Juliam de maritandis, pag. 270.* Quanquam ille idem poſtea *pag. 290.* referat ad *caput de liberis elocandis*, de quo *in l. capite 19. D. de rita nupt.* ſed in iſta parum recte; quia de poſtremo hoc, quod ſuit trigeſimum quintum caput legis *Juliæ*, ut *in dict. l. 19.* non niſi temere divinemus, tractaſſe Marcellum *lib. 1. ad eas leges*, ex quo, & ad *caput 1. de matrimoniis Senatoriis*, *& ordinibus maritandis*, pertinent fere quæ Marcelli fragmenta extant *in l. ſciendum 32.* cum *l. ſeq. l. obſervandum 49.* cum *l. ſeq. D. de ritu nupt.* Jam vero & ſic accepta, & relata *dict. l. 8.* in ſuppoſito illo, quod Gothofredus adſtruit, ne Senatoris ex filia nepos prohibeatur ducere libertinam, jungenda ſunt verba *Juliæ* legis *in l. lege 44.* illic: *Nepoſve ex filio, D. de rita nupt. cum l. liberos 10. §. ult. D. de Senator. l. filii 22. §. Senatores 5. D. ad municip.* de queis non pauca ſupra *lib. 2. cap. 7. & 32.* accerſita jam illic ad eam legum partem, *d l. non quemadmodum 8.* Aſt de illius aſſertione, quoad onus alendi, non pertinente ad avum, in nepote ex filia (quam occaſione verborum *Juliæ* legis interſernit *lib. 1. ad Juliam*, Marcellus, & inde Tribooianus ad *tractatum, de alendis liberis* accommodavit, quomodo & Baſilica *lib. 31. tit. 6.*) non eſt Scholiorum brevitatis, differere.

Secundum eſt, referri itidem poſſe ad hanc partem legum noſtrarum, quod ex Ulpiani *lib. 2.* exſtat *in l. lege 130. D. de verbor. ſign.* & quidem non improbabili conjectura, utcumque magni illius Cujacii, in adſuendo fragmento illo legibus noſtris, induſtria deſideretur, *in Recitationibus ad dict. l. 130. ſub l. 120. de verbor. ſignific.* Nec ſuffragatur magis Joannes Gædeus, *ad tractatum de pœnis cœlibum, & orborum*, (de queis non io prioribus, ſed in extremis ad leges noſtras libris, Juriſconſulti ſcripſere,) referens *dict. l. 130.* ſed plane audientior Gothofredus *pag. 276.* effingit, ſignatqoe proprium caput, & *quartum*, ut vult, ex *lege Julia, de pœnis matrimoniorum imparium*, ſeu contra legem illam contractorum, & in eo exprimit, ne conjuges *hæreditatem, quæ eis lege obvenerit*, legatumve, neque inter ſe quidquam capiant, & ut mortua muliere dos caduca fiat: & adjungit huic capiti ſententiam *dict. l.* 3

l. lege 130. ſcilicet, ut nec capiant inter ſe hæreditatem ex teſtamento, quia & ea ex lege obvenire, non improprie dicatur.

3 Nos, quamvis inter capita *Juliæ*, *Papiæque* legum, pro Academicis aſſertionibus efformata, non expreſſerimus tanquam ſpeciale legum caput, id, quod Gothofredus effingit, de conjugibus ex illicitis nuptiis, inter ſe hæreditatis, & legatorum incapacibus (quia neque expreſſum id *lege Julia*, certo aliquo teſtimonio liquet) agnuvimus tamen veluti appendicem, effectumque prohibitarum legibus noſtris nuptiarum, firmavimuſque ex Ulpian. *tit.* 16 §. *aliquando*, *& in l. un. in princ. D. unde vir & uxor*, de queis, & aliis plene ſupra *libr.* 2. *cap.* 14. *& ſeq.* Nunc pro Scholio *d. l. lege* 130. indicaſſe ſatis ſit, relata ea ad hanc partem, ſeu caput pœnæ, non capiendi hæreditatem lege obvenientem, inter injuſtos conjuges, & noſtris legibus ſententiam eam eſſe, ut, quamvis in aliis juris partibus hæreditas lege obveniens, ſive legitima, opponatur tanquam diverſa teſtamentariæ *l.* 3. §. *de illo* 2. *D. pro ſocio.* cum integris titulis *de teſtam. tut. & de legit. tut.* tamen quoad hanc pœnam comprehendatur, tanquam lege obveniens, etiam teſtamentaria, ne ſcilicet injuſtus conjux, ex teſtamento conjugis capiat, ut expreſſum eſt *in dict. l. un. D. unde vir, & uxor*; quia *nihil*, ut illic ſcribitur, & apud Ulpianum *dict. tit.* 16. §. *aliquando*, ex injuſto matrimonio capi poteſt, hoc eſt, nec decima, quam alioquin, propter matrimonium, *ex lege decimaria*, caperet, ut Ulpianus idem ſcripſerat *tit.* 15. Idque, ne, matrimonio contra legem facto, capiat ex lege, contra rationem, regulamque *l. filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt. l. qui libertinus* 37. §. *poſthumus* 7. *verſ. ex lege*, *D. de oper. libert. l. adigere* 6. §. *ultim. in fin. D. de Jure Patr. l. auxilium* 37. *in fin. D. de minor.* Simulque ne, ſi hæreditatem ex teſtamento, tanquam lege obvenientem, capere liceret, fraus legi fieret, quodammodo ex eadem cauſa in legibus noſtris, hæreditatis ad bonorum poſſeſſionem, & legati ad fideicommiſſum facta extenſio *l. hæreditatis* 138. *D. de verbor. ſignif. l. & fideicommiſſum* 87. *D. de legat.* 3. *l. non eſt* 12. §. 1. *D. de bonor. poſſeſſ.* & ad, mortis cauſa, donationes *l. illud* 37. *Digeſt. de mort. cauſ. donat.* Atque hæc interim pro *dict. l.* 130 quandiu aliter, vel alia *Reliquat.* 37.

4 Tertium ſit, jungi etiam, & conſarcinari nuper traditis poſſe Ulpiani locum, ex *libro* 2. *ad leges noſtras*, in *l. placet* 79. *D. de acquir. hæred.* in eum ſenſum, præeunte Gothofredo, ut injuſtus conjux nec per eum, quem in poteſtate habet, ſi huic hæreditas, legatumve obvenerit, capiat, vel acquirat, quoniam ſic fraus legibus fieret; quod *in Commentationibus ad eaſdem Juliam, & Papiam*, Juriſconſultis noſtris præcautum *l. quæritur* 38. *D. de bonis lib. l. ſi ſervus* 82. *D. de acquir. hæred. l. ſi Titio* 55. §. 1. *D. de legat.* 2. *l. inter* 38. *D. de mort. cauſa donat.* juncta *l. ult. in princ. &* §. 1. *cum ſeq. D. de bon. lib.* Quanquam, ſi malis, aptior, ſive appoſita magis rationi, & verbis *dict. l. placet* 79. ſpecies futura ſit, ſi ponas, filio, qui in poteſtate erat, eidemque injuſto conjugi, à conjuge hæreditatem, vel quid aliud relictum, quod quamvis ille, acquirendi incapax, tamen per eum patri capaci acquiratur confeſtim, quia nec momento aliquo ſubſiſtit, in perſona incapacis, per quem acquiritur, & ſic acquiritur ei, cum acquiritur, pro qua theſi ſunt etiam juris ratio, & regulæ *l. non videtur* 51. *Digeſt. de reg. jur. l. aliud* 71. *D. de V. S. l. ſi pars* 10. §. *ult. D. de inoff. l. cogi* 16. §. *hi* 15. *D. ad S. C. Trebell. l. cum ei* 42. *D. de legat.* 2. *l. ſi fidei* 28. *D. de leg.* 3. *l.* 1. §. 1. *D. ſi quis aliq. teſt. probib. l. legatarius* 27. *D. de excuſ. tut. l. cum dotem* 57. *in fine*, *D. ad leg. Falcid.* cum ſexcentis aliis, queis non contraria eſt, tametſi primo aſpectu, veluti ex diametro, theſi *dict. l.* 79. oppoſita aſſertio *l. cepiſſe* 140. *D. de V. S.* ſi jungatur, & exandiatur, juxta ſpeciem *l. ſi is, qui* 29. *D. de liber. leg.* Vide Petr. Fabr. *ad l.* 50. *pag.* 241. *D. de reg. jur.* eſt enim utraque *ex eodem libro Pauli ad leges Juliam, & Papiam*, & aliorum pertinens, ut & alibi enotabimus.

Quartum, nec omnino improbabile, diſputationem illam Ulpiani *lib.* 1. *ad legem Juliam, & Papiam*, & Pauli *lib.* 2. *in l. lege* 62. *cum l. ſeq. D. ad leg. Falcid.* de æſtimatione bonorum, pretiiſque rerum, quamvis, ut verba ſunt, ad *legem Falcidiam* pertineat, pertinuiſſe etiam forſitan ad *legem Papiam*, ejuſque cautionem, de capione decimæ bonorum inter conjuges, & proinde neceſſariam illorum æſtimationem; cum ſit veriſimile, de hac decimæ capione, ſicut & de incapacite illius, inter injuſtos conjuges, tractaſſe, in prioribus ad leges noſtras libris, Conſultos *l. anniculus* 132. *l. anniculus* 134. *l. quæret* 135. *l. ter enixa* 137. *D. de V. S. l. ſed ſi hoc* 62. *D. de condit. & demonſtr. l. apud* 2. *D. de captivis.* Quanquam, quoad *dict. l. pretia* 63. jungendam illam *l. & definit* 63. *D. ſolut. matrim.* (utraque enim eſt *ex eodem libro* 2. Pauli *ad leges noſtras*) & referendam ad caput earum illud, de reſtituendo à marito, quod ad eum pervenerit ex manumiſſione ſervi dotalis, ſcripſerit pridem noſter, cum honorifica noſtri memoria, D. Joannes Suarius Mendoza *lib.* 1. *ad leg. Aquil. cap.* 4. *ſect.* 1. *n.* 16. 5

R E L I Q U A T I O IV.

Ad caput poſterioris legis Juliæ, de Sponſalibus.

E T S C H O L I A.

Ad l. ſæpe 17. *D. de Sponſalibus, cum l. qui ultimo* 29. *D. de pœnis.*

A R G U M E N T U M.

FUit *poſterioris* legis Juliæ *caput*, de Sponſalibus, *& eo cautum*, *non ut decenni minor ſponſa*, *ne haberetur* (*in quo notatus* Gothofredus) *ſed ut ſi minor decenni ſponderetur*, *ſive ut* Sponſalia, *poſt quæ*, *biennio exacto*, *nuptiæ ſequi non poſſent*, *non proficerent ad præmia*, *pœnaſve legum*, *ne his per illa fraus fieret.* *Proinde neque huic conſtituto contrarius*, *neque inter ſe diſcrepans* Modeſtinus in l. 14. D. de Sponſal. *cui data lux*, Cyrillo, *&* Cujacio *præeuntibus*, *& explosis aliis.* *Exponitur ad hoc caput pertinens*, Caïus in l. 17. D. de Sponſalib. *& retenta apud eum*, *contra* Cujacium, *mentio anni*, *ac relata à nobis jam olim* Salmanticæ *ad caput* legis Juliæ, *de vacatione*, *data viduis ad nuptias.* *Deſignata* in d. l. 17. *inter cauſas juſtas nuptiarum*, *poſt* Sponſalia, *mors*, *& luctus parentum*, *de quo aliqua pro componendis* l. 11. & 23. & ult. de his, qui not. inf. *deſignatur & cauſa capitalis criminis*, *ad quam referenda*, *ex eodem* Caïo, l. 29. D. de pœnis, *ejuſque paraphraſtica explanatio.* *Diſcretæ ab iſto capite* l. 8. Cod. de Sponſalib. & l. 4. Cod. Theodoſ. eodem tit. *diſcreta itidem*, *& alio referenda* lex 13. D. de probat. *utcumque aliter* Jacob. Gothofredus.

1 ADſcripſimus hoc caput poſteriori *legi Juliæ*, ſive eidem ſeverius retractatæ, & emendatæ ab Auguſto *anno U. C.* 736. præeunte Suetonio *in Auguſto*, *cap.* 34. Dione *lib.* 54. & ex eo, Zonara *lib.*

2. Nec expreſſimus abſolutam illam clauſulam, quam Jacobus Gothofredus, cui nollem in hac adjectione ſubſcripſiſſe noſtrum Gonſalium, *ad cap.* 5. *numer.* 8. *de deſponſ. impub.* exprimit ad leges noſtras, &

& hoc caput *pag.* 275. *Decenni minorem ſponſam ne habeto;* quia non neceſſaria ea abſciſſa prohibitio ad finem noſtrarum legum, de quo jam, contraria eſſet regulæ, de ætate, ad ſponſalia ſufficiente, ſaltem ſeptem annorum, & proinde etiam ante decem annos *l. in ſponſalibus* 14. *de ſponſalib.* Fuit ergo finis, & ſententia *legis Juliæ*, in hoc capite, ne immaturis ſponſalibus, contractis cum ea ſponſa, quæ propter immaturam ætatem, non niſi poſt longum tempus uxor fieri poſſet, eluderetur *lex Julia*, ſive fraus ei fieret, nec ejuſmodi ſponſalium prætextus, ad pœnas cœlibum vitandas, aut præmia maritorum, cuiquam proficeret: & ea propter conſtitutum, ne ad eos effectus proficerent ſponſalia, niſi poſt quæ biennio exacto, nuptiæ ſequerentur; atque ita non niſi contracta cum puella, jam decenni, & quæ biennio poſt jam duodecennis duci uxor poſſet. At, ut fere prædiximus, deſignata hæc ætas decennis ad finem noſtrarum legum, ſive illarum præmia, & pœnas, non autem extra illas, & abſolute, ſufficit quippe ætas ſeptennii ad ſponſalia, & ſponſa haberi poteſt, etiam minor decenni *dict. l. in ſponſalibus* 14. *D. de ſponſalib.* juncto Paulo *lib.* 2. *Sentent. tit.* 19. *Novella* Leonis 109. *cap. litteras* 4. *cum ſeq. de deſponſat. impub.* Atque ita ſi diſtinguas, non ſubſcribes Balduino *de lege Papia*, *pag.* 78. & Hotmano *diſput. de Sponſal. cap.* 2. divinantibus, hoc caput *Juliæ legis* non fuiſſe obſervatum, ſeu diſplicuiſſe Juriſconſultis *dict. l. in ſponſalibus* 14. de qua nec plura nos, quia argumenti noſtri non ſunt, utcumque in extremo illius legis accuſet Tribonianum Faber *in Juriſprud. titul.* 12. *princip.* 6. *illat* 8. accuſatus ille ipſe ab Hilligero *ad Donell. lib.* 7. *cap.* 9. *lit. D.* & excuſante, ſive exponente *dict. l.* 14. Cujacio *ad tit. Cod. de ſponſal.* & ante Cujacium, Cyrillo, Græco Scholiaſte *ad lib.* 28. *Baſilic. titul.* 1. *in dict. l.* 14.

2 Eſt vero propria hujus capitis, & ad id referenda diſputatio *l. ſæpe* 17. *D. de ſponſal.* ex Caïo *lib.* 1. *ad leges Juliam, & Papiam*, dum ſcribitur ſæpe juſtas, & neceſſarias cauſas intervenire, quæ non ſolum annum, vel biennium, ſed etiam triennium, & quadriennium, & ulterius trahant ſponſalia, veluti valetudo ſponſi, ſponſæve, vel mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quæ ex neceſſitate fiunt. Hæc autem eo pertinuit, ut qui ex his cauſis, aut earum aliqua, etiam poſt biennium ſponſalium, diſtulit nuptias, perinde tamen habeantur, ac ſi contraxiſſet, quoad præmia, & pœnas legum noſtrarum, ut ad eas prœnotavit Balduinus, Briſſonius *de Ritu Nupt. pag.* 153. Lipſius *ad Tacitum* 3. *Annal. annot.* 45. & præ aliis Cujacius 16. *Obſerv. cap.* 35. quem tamen, quod pupugit *in l.* 17. anni mentio, quia annus huic rei præſcriptus legibus noſtris nuſquam legatur, atque ideo verba illa, *annum*, vel tanquam ſuſpecta, ſive quæ abundent, expungit *in dict. l.* 17. Nos è contra, ut eam mentionem tueremur, ſuſpicabamur in Salmantinis Recitationibus ad hoc caput, referri probabiliter poſſe, ad aliam legum noſtrarum partem, de anno à morte mariti, viduis tributo ad vacationem nuptiarum, *ex lege Julia*, ſicut biennii, *ex lege Papia*, ne ſcilicet, ſi intra eum annum, vel biennium nuptias non contrahant, pœnis legum teneantur, juxta Ulpianum in *Fragm. tit.* 14. de quo poſtea ad id caput; proinde cum fieri poſſet, ut mulier ſtatim à morte viri, etiam intra annum luctus ali deſponſaretur, quod ſine infamiæ pœna licuit *l. ſolet* 10. *in fine*, *D. de his, qui not. infam.* ad quam, & pro qua late nos ſupra *lib.* 2. *cap.* 11. accommodate Caius, *ad dict. legum caput*, ſimulque noſtrum *de Sponſalibus* reſpiciens, anni, vel biennii meminit *in dict. l.* 17. idque ipſum & fortaſſe poſtea in mentem veniſſe Gothofredo *ad leges noſtras*, *pag.* 27. non diſplicet, & ex Academicis noſtris ſcriptis, noſtri tunc Gymnaſii ſtudioſus, at nunc ſtudiorum, & Togæ conſors in Regio Senatu, ſemperque noſter, & apprime doctus, D. Eman. Gonſal. *ad cap.* 1. *de ſecund. nupt. n.* 4.

3 Enim vero inter alias cauſas juſtas differendarum nuptiarum, deſignantur mortes parentum ſponſi, vel ſponſæ, quos uno anno lugere, moris fuit, ita ut qui contra fecerit, pro infami haberetur, *l. ultim. D. de his, qui not. infam.* juncto *Sententiarum* Pauli *Fragmento*, apud Cujacium *lib.* 21. *Obſ. cap.* 12. & proinde excuſari a celebritate, & pompa nuptiarum, ut Cæſares loquuntur *in l. ſi donationum* 22. *Cod. de nupt.* Quanquam alioquin, quoad infamiam ex Prætorio edicto, non apprehendatur illa, parentes non elugens, neque eorum luctus impedimento nuptiis ſit *l. liberorum* 11. *l. parentes* 23. *D. de his, qui notant. infam.* Quomodo hæc diſtinguenda, & concilianda potius, quam ſubſcribendum Cujacio 1. *quæſt. Papin. ad d. l. ult. &* 8. *Pauli ad edictum*, in *dict. l. ſolet* 10. *&* 21. *obſer. cap.* 12. ſcribenti, interpolatum à Triboniano contextum *d. l. parentes* 23.

4 Deſignantur & pro alia cauſa differendarum nuptiarum, capitalia crimina, ſcilicet ſponſæ; quæ deſignatio ſuſpicari permiſit, conjungendum eſſe huic *l. ſæpe* 17. quod ex eodem Caïo, & *libro* illius *ad leges noſtras*, exſtat *in l. qui ultimo* 29. *D. de pœnis.* Ubi de his, qui ultimo ſupplicio damnantur, nempe quia capitalis criminis reos eſſe conſtituit, *l.* 4. *D. ſi quis caution. l. capitalium* 28. *D. de pœnis*, ſcriptum eſt, eos ſtatim & Civitatem, & libertatem amittere, ſive, quod idem eſt, fieri pœnæ ſervos, confeſtim ac ſententia lata eſt ab eo, qui jus damnandi habuit *l. in ſervorum* 10. §. *qui ex cauſa l. quod ad ſtatum* 12. *D. de pœnis l.* 1. §. *à Præfectis*, *D. de legat.* 3. *l. ſi quis filio* 6. §. *irritum*, *verſ. ſed & ſi quis D. de injuſto rupto*; nec ab illa fuit provocatum *l.* 2. §. *ult. D. de pœnis dict. l. ſi quis* 6. §. *hi autem*; ex quo fit, ut hic caſus, amittendæ Civitatis, & libertatis, præoccupet mortem, utpote quia ante illam amittitur, & nonnunquam longum tempus ante mortem occupat, ut in damnatis ad beſtias, qui quamvis ſtatim ſervi pœnæ fiant, *l. ejus* 8. §. *ult. D. qui teſtament fac. poſſ. l. ſi quis mihi* 2. §. *ſi quis plane*, *D. de acquir. hæred.* ſervari tamen, & ſupplicium differri, moris fuit, donec dies muneris, ſeu editionis, & ſpectaculi veniret *l.* 1. *Cod. Theodoſ. ad leg. Fab.* vel ex cauſa *l. ad beſtias* 31. *D. de pœnis.* Subjungit tandem Caïus, ſæpe etiam ſervari poſt damnationem reos, ut ex his in alios quæſtio habeatur; quod in quibuſdam criminibus licet *l.* 1. *Cod. de falſa moneta l. ult. Cod. de malefic. l. provinciarum* 9. *Cod. de feriis*; regulariter autem prohibitum *l. repeti* 16. *D. de quæſtionib. l. ult. in fine*, *Cod. de accuſat.* Plane ea ex Caïo ſententia, in *dict. l.* 29. cujus non niſi paraphraſtem egimus, referri eo poteſt, ut quod ſcriptum eſt *in dict. l. ſæpe* 17. differri ultra biennium *legis Juliæ*, poſt ſponſalia, nuptias poſſe, ob capitalia crimina, intelligatur de capitali crimine, ex quo nondum damnatio ſecuta: nam ſi ſecuta ſit, cum ſtatim ſervus pœnæ fiat, & impos nuptiarum *l. Proculus* 61. *D. de jure dot. l.* 3. *Cod. de inceſt. nupt.* nihil cauſæ eſt, cur ſponſa expectet damnationis executionem, quæ ſæpe longo tempore differtur *d. l.* 29. quanquam aliter de ea Balduinus, *ad Papiam de caducis* referens, *pag.* 165.

5 Enim vero affinia magis ſunt, quam cohærentia, neque propria hujus capitis *Juliæ legum*, nam illa conſtituta, quæ de biennio poſt ſponſalia exſtant in *l.* 2. *Cod. de ſponſalib. l.* 4. *& l. patri* 6. *eod. tit.* in *C. Theod.* ut Gothofredus bene vidit, *ad leges noſtras*, & *in Commentariis Theodoſiani Codicis ad ea conſtituta*, & jungenda illis, inter Wiſigothorum leges, laudata nondum *l.* 4. *lib.* 3. *tit.* 1. *verſ. à die vero.* Illud non bene, neque ſubſcriptorem me habet, quod & referre vult ad hoc caput, locum Celſi, de probatione ætatis, *in l. cum de ætate* 13. *D. de probat.* eo prætextu, quem ſumpſit, de prohibitis *lege Julia* ſponſalibus, ante decem annos, & proinde neceſſariæ ætatis probatione, quam tamen prohibitionem, non factam *lege Julia*, ſed præcautum dumtaxat, ne proficerent ad præmia, aut pœnas ſponſalia, niſi poſt quæ biennio nuptiæ ſequi poſſent, jam *ſupra* in principio monuimus.

AD

AD CAPUT LEGIS JULIÆ SEPTIMUM.

De Antelatione Conſulis patris, aut mariti, in Faſcibus.

RELIQUATIO V.

ET SCHOLIA.

Ad l. Proconſules 20. *D. de offic. Proconſ. l. bello* 18. *D. de excuſat. tutor.*

ARGUMENTUM.

P*Ertinuit caput hoc ad eam partem* legum Juliæ, & Papiæ, *quæ de præmiis maritorum, & patrum. Propoſita, ante eas leges, præmia aliqua ei rei à* Julio Ceſare, *non tamen lata ab eo, aut dicta* Julia lex, *ut inſcite non nemo cenſuit, ſed ab* Auguſto. *Propoſita item à* Magno Philippo *noſtro τῷ μακαρίτῃ. Sententia hujus capitis, ex* Agellio, *deſcripta, & illuſtrata, referenda ad id* l. 20. D. de offic. Proconſ. Faſces, *&* Lictores *inter inſignia* Proconſulum: *quin & municipalium Magiſtratuum; ſed* Proconſulibus *ſex tantum* Faſces: *id, quod ex* Plutarcho, *&* Rutilio *diſcitur, & indictum* Lipſio. *Deſignatio* Conſulis *patris in hoc capite, reſtricta ad liberos, qui in poteſtate, ut in alio* Juliæ *capite, de quo* in l. 37. D. de oper. libert. *non ut emancipatos, ſed ut excludat eos, qui ex nuptiis contra leges quæſiti, ut* in d. l. 37. §. poſthumus 6. in fin. *Et tamen eo capite non exprimuntur bello amiſſi, ſed etiam extra bellum amiſſi, qui in poteſtate fuerunt, proſunt patri, quia libertini liberatio ob liberos, ab operis, favorabilis, utpote contra eas, quibus ſæpe onerabatur libertas, aliter, atque prælatio* Conſulis *ob liberos, quæ fuit contra priſcum morem, & cum præjudicio Collegæ, ſicut excuſatio à tutelis, & muneribus, contra favorem pupillorum, &* Reipublicæ, *& merito reſtricta ad liberos, bello amiſſos. Ex his anſa fortaſſe data quæſtioni* l. 18. D. de excuſ. tut. *Nec facilè adlubeſcendum* Gothofredis, *alio trahentibus: atque etiam obnitendum cum* Baſilicis Hotmano, *verba,* qualiſcumque ætatis, aut ſexus, *ad calcem* d. l. 17. *transferenti: pueri, & fœminæ non militabant apud* Romanos, *at ſæpe in acie, & caſtris; difficile magis eſt, cur in obſidione amiſſi non proſint. An quia non proprie in bello? & bellum à prælio, ſeu ſingulari congreſſu latine diſtinctum? Nos potius conjectamur, ſeveriori* Romæ *diſciplinæ habitum fuiſſe fere pro dedecore, obſideri ab hoſte, ac non ſtatim erumpere in aciem: illuſtratum id* Valerii, Virgilii, Syliique *locis. Additum pro eadem ſeveritate vetus illud, de non redimendis bello captis, & expenſi in re* Ulpiani *de* Appio Claudio, *&* Pomponii, *de* Attilio Regulo, *atque aliorum loci. Junguntur huic capiti à* Gothofredo l. 30. D. de rit. nupt. l. 16. D. de probat. *De queis Nos alibi forte opportunius.*

1 NEc plura jam aut Capita, aut reliqua *legis Juliæ*, quæ proprie ſint *de maritandis ordinibus*, & illarum veluti appendicibus, Senatusconſultis, & Conſtitutionibus Principum, Commentatione noſtra comprehenſis, quanquam ſint alia, pertinentia non tam ad maritandos, quam ad matrimonia, & eis accedentia divortia, & dotes, de queis poſtea opportunius; nunc enim nos, aut hoc loci ſiſtere veluti cogit Caput, cujus ſententiam proſcripſimus de prælatione Conſulis, patris, aut mariti in faſcibus, quod fuiſſe ſeptimum *in lege Julia*, Agellius teſtatur *lib.* 2. *Noct. Atticar. cap.* 15. & proinde immediate proximum ſexto, de quo & proxime diximus, *de ſponſalibus.*

2 Præfamur autem parvis, poſt primam illam, & primariam legum noſtrarum curam, de maritandis ordinibus, & matrimoniorum frequentia, fuiſſe ſecundam, & fere æque nobilem ei frequentiæ procurandæ, de præmiis maritorum, & patrum, & ut dicimus, adeo nobilem, ut ab hac cura, veluti præcipua, nominetur *Papia Poppæa lex*, continens, *patrum præmia pro ſuſcipiendis liberis*, *apud* D. Iſidorum *lib.* 5. *Etymolog. cap.* 15. & ex eo Gratianum *in cap. Quædam* 7. 2. *diſt.* id quod ipſum *de lege Julia* affirmare licet, ex Dione Caſſio *lib.* 56. Tacito *lib.* 15. *Annal. l. aſſiduis* 12. *verſ. ad hæc, Cod. qui potiores. l.* 2. *D. de minorib. l. hoc modo* 64. *D. de condit. & demonſtr.* Quippe ex utraque lege ad tollendos liberos, nuptiaſque jure contrahendas, ingentia præmia cohortabantur, ut Plinius loquitur *in Panægyrico ad Trajanum*, atque imo ante eaſdem leges, à Julio Cæſare, teſte Dione *lib.* 43. Appiano 2. *Bellor. Civil.* Suetonio *in Julio cap.* 20. quorum verbis, deceptus non defuit Salmanticæ aliquis ſtudioſus Cujacii, & ſciolus magis, quam Romani juris, & hiſtoriæ ſciens, qui ſcriberet, *legem Juliam de maritandis Ordinibus*, latam fuiſſe à Julio Cæſare, cum tamen hic non niſi præmia quædam liberos habentibus propoſuerit, & poſt eum *lex Julia de maritandis*, ac de præmiis maritorum, & patrum, & pœnis cœlibum, lata, & repetita ab Auguſto, qui & Julius, ut monuimus *lib.* 1. *cap.* 1. & 2. Ne nunc Lycurgi apud Lacædemonios, & aliarum gentium inſtituta, & propoſita patribus præmia memorem, de queis *eodem lib.* 1. *cap.* 4. & 5. nec tamen immemor, quod abſit, unquam ſim, Optimi, & Maximi Philippi IV. noſtri Regis, à quo *in capitibus*, ut tunc nuncupata, *Reformationis Generalis*, *edictis anno* 1623. *num.* 19. Cives ad nuptias, ſobolemque curandam, præmiis, & privilegiis invitati. Videſis *in l.* 14. *tit.* 1. *libr.* 5. *Compilat.*

3 Sed jam, ut de iſto capite, inſeruimus in Academicis noſtris aſſertionibus, & effinximus ex verbis Gellii *d. lib.* 2. *cap.* 15. neque hic recudimus. Summa autem, ſeu ſententia fuit, ut quoniam erat priſci moris, jam inde à primis Conſulibus, ut alternis menſibus uterentur duodecim faſcibus, neque uterque ſimul eos præferret, ſed unus ſolus, qui prior, potiorque eſſet, & qui major natu, & alter eo menſe non uteretur, niſi accenſo, & pone lictores ſequerentur, ut poſt Livium *lib.* 2. & Halicarnaſſeum *lib.* 5. Suetonius *in Julio cap.* 20. Gellius *dict. lib.* 2. *cap.* 15. atque is honor, & prælatio in ſumendis faſcibus Conſulatus (qui ſemper honorum portus erat, ut alibi Claudianus) & quem Kalendis Januariis Conſules ingrediebantur, atque ita annum aperiebant, ut vel liquet *ex l. Publius* 36. *D. de cond. & demonſtrat. l. unic. Cod. de oblat. votor. lib.* 12. *l. ſi calvitur.* 233. §. 1. *D. de verbor. ſign.* & Conſulatus faſces erigebant, ut ſcriptum eſt *in Novella* Majoriani, & apud Sidonium *in Panægyr. ad Anthemium*, magni æſtimaretur. *l.* 1. *Cod. de Conſulibus*, *lib.* 12. voluit Auguſtus, quo magis hoc honoris illicio ad matrimonia, & prolem omnes excitaret, ſanxitque *hoc capite Juliæ legis*, ut deinceps in ſumendis primis faſcibus præferretur Conſul, pater plurium liberorum, aut ſi par eorum utrique numerus, qui maritus, aut in mariti numero tunc eſſet; & ubi omnia utrinque paria, ſtaretur veteri mori, de prælatione majoris natu, ex regula *l. ſemper* 5. *D. de jure immunit.* ad quam plura, quæ rei noſtræ non ſunt, Gothofredus, & alii.

4 Pertinere ad hoc caput, poſt Antonium Auguſtinum, Gothofredus, & alii cenſuere Ulpiani locum, *in l. Proconſules* 20. *D. de offic. Proconſ.* ubi ex libro illius *vigeſimo, ad leges Juliam, & Papiam* ſic legitur: *Proconſules non amplius, quam ſex faſcibus utuntur*, & ſane vix eſt, ut referri ad aliud caput poſſit commode magis; nam cum in enarratione hujus capitis, de prælatione Conſulis patris, aut mariti, in faſcibus ſumendis, non pauca Ulpianum prænotaſſe, credi poſſit, de honore, atque uſu duodecim

faſcium in Conſulibus, creditu facile eſt, ſubjeciſſe etiam notatum illud, de faſcibus Proconſulum, quorum plerique, proximo poſt Conſulatum anno, in Provincias Proconſulares proficiſcebantur, ut eas gubernarent, cum poteſtate, & inſignibus Proconſularibus, ut vocantur *in l. 1. D. de offic. Proconſ. l. 1. Cod. de Comitib. rei milit. lib. 12.* cujuſmodi, inter alia inſignia, fuere faſces, & lictores, qui cum eis apparebant Proconſuli. *l. in honoribus 7. in princ. Cod. Theodoſ. de honorar. Codicill.* Seneca 1. *de Ira*, *cap.* 16. *Quid ſi ille vidiſſet deſilientem de Tribunali Proconſulem, & faſces lictori auferentem?* Nec id mirum, cum vel Duumviri & municipales Magiſtratus Romanorum Magiſtratuum, quaſi mimi, faſcibus uterentur, & lictoribus, ut eſt *Actorum Apoſtol. cap.* 16. *verſ.* 35. Cicero 1. *in Rullum* Petronius *in Satyr. cap.* 30. ubi de Trimalcione Seviro. Apuleius *lib.* 1. *&* 10 *Miles.* Appianus 1. *Civil.* tandemque ex libris noſtris, *l. Duumvirum 53. Cod. de Decurionib.* pro qua ad rem alia, ſupra *libr.* 3. *cap.* 11. *& libr.* 2. *cap.* 36.

5 At Proconſulibus, ut Ulpianus notat, non permiſſi amplius, quam ſex faſces, ut eo ipſo à Conſulibus, ut inferiores, diſtarent, dimidia veluti parte dignitatis ut Appianus *de Prætoribus* ſcribit, *in Syriacis.* Joſephus *de Bello Judaico*, *lib.* 2. *cap.* 28 de Græcis, & Achaïæ, ut videtur, Proconſule; *Græci*, ait, *Romanorum ſex faſcibus*, [illegible] *parent.* Rutilius *in Itinerario* de Conſulari, ſeu Proconſule:

Namque pater quondam Thyrrenis præfuit arvis,
Faſcibus & ſenis credita jura dedit

Plutarchus *in Paulo Æmilio*, cujus tamen locus, non de Proconſule, ut Briſſonius accepit 3. *Antiq. cap.* 16. ſed eſt de Paulo Æmilio, extra ordinem miſſo Prætore [illegible] cum duodecim faſcibus, ſeu ſecuribus, non enim ſex, ut habere ſolent Prætores, qui exercitibus præſunt, unde & [illegible] nominantur *lib.* 1. *&* 3. *Hiſtor.* à Polybio, & qui Romæ itidem ſex faſcibus uſi, nempe Prætores. Atque hæc ſatis pro Ulpiano *in dict. l.* 20. cujus & ſex faſcium Proconſulum, non meminiſſe Lipſium in accurata illa collectanea, de lictoribus, & eorum faſcibus, *lib.* 1. *Elector. cap.* 23. non miramur, ut ſunt hominum, etiam magnorum [illegible]

6 At prius quam ultra, expendi digna eſt in hoc capite deſignatio illa Conſulis, qui plures *liberos in poteſtate habet aut bello amiſit*; ſcilicet, ut non alii, neque aliter antelatio in faſcibus ſit, extat prima eius deſignationis pars, de liberis, qui in poteſtate, ut libertino patri proſint, ad liberationem ab operis, alio in capite ejuſdem *legis Juliæ*, apud Paulum *in l. qui libertinus* 37. *D. de oper. lib.* nec tamen ibi exprimitur pars altera, de bello amiſſis; an idcirco, quia libertini, *legis Juliæ*, & Auguſti ſæculo, vix militabant, niſi inter Vigiles, vel ad nauticum uſum, ut animadvertimus aliud agentes, *lib.* 3. *cap.* 1. Id ſaltem liquet, amiſſos qualiſcumque filios, prodeſſe patri, ad liberationem operarum, & quos etiam diverſis temporibus in poteſtate habuit. *dict. l.* 37. *§ amiſſi* 1. *& ſeq. l. nec patronis 6. Cod. de oper. lib.* & vice verſa, quoad honores, prodeſſe etiam patri filium, qui proprie in poteſtate illius non eſt, elicere ex Ulpiano licet, *in l.* 2. *D. de muner. & honorib.* & emancipatum filium ad excuſationem patris a tutela, & aliis muneribus *l. amiciſſimos* 36. *§.* 1. *verſ. reſpondi*, *D. de excuſat. tut. l.* 2. *§. incolumes* 5. *D. de vacat. muner.* Quid ergo eſt, aut quo pertinet expreſſio illa liberorum, *qui in poteſtate*, in *lege Julia?* & plane cenſuerim, pertinuiſſe, non ut emancipatos, ſed ut excludat liberos, & non juſtis nuptiis ſuſceptos, qui in poteſtate non ſunt. *§. ſi adverſus* 12. *Inſtit. de nupt.* proficere ad præmia legum, debent. *l. filio* 48. *§.* 1. *D. de ritu nupt. l. un. D. unde vir. & uxor. l. ult. D. de ſtatu lib. l. adigere* 6 *§. ult. D. de jure patron.* Ulpian. *in Fragm. tit.* 16. *§. aliquando.* Licinnius Ruffin *in Collat. leg. tit.* 16. *§. Paulus*, *verſ. fui* Id, quod ipſum *in dict. l.* 37. *§. Poſthumus* 7. *in extremo*, docuit Paulus, adjectione illa, quam Accurſius recte intellexit, *ex lege autem nati liberi proſint.*

Jam quod in eo capite *l.* 37. non exprimitur illud, 7
de bello amiſſis, & etiam extra bellum amiſſi liberi proſunt, *dict. l.* 37. *§. amiſſi*, *cum ſeq.* aliter atque in hoc de prælatione Conſulis in faſcibus, & quoad excuſationem à tutelis, & muneribus, ad quam non computantur liberi amiſſi, niſi in bello. *l.* 2. *§ incolumes* 5. *l. ult. D. de vacat. mun. l.* 3 *§.* 4. *& l. in bello* 18. *D. de excuſat. tut. princip. Inſtit. eodem tit.* utrumque propria, nec vulgari adhuc ratione, quia liberatio ab operis, & aliis impoſitis, libertatis cauſa, fuit favorabilis, & amplianda, ſicut ea impoſitio perſæpe odioſa, & coarctanda, & in qua patroni libertatem onerare, ſoliti, *l.* 2. *l. is, qui* 32. *D. de oper. liber. l.* 1. *D. de bonis lib. l.* 1 *§. quæ onerandæ* 5. *De quar. rer. actio non detur.* & è contra excuſatio à tutelis, & publicis muneribus, reſtringi debuit, utpote contra publicum favorem pupilli, aut Reipublicæ, ut bene *ad dict. l.* 37. prænotavit Albericus illic, utcumque in his, & aliis parum videant Vertranius Maurus *de Jure liber. cap.* 44. Anton. Faber *in Juriſpr. tit.* 24. *princip.* 1. *illat.* 2. Enim vero quoad honorem antelationis in faſcibus, noluit *lex Julia*, proficere Conſuli patri filios amiſſos, niſi in bello amiſſi, idque, ne facile præjudicaretur Collegæ alteri Conſuli, & fortaſſe majori natu, pro quo vetus mos ſtabat.

Porro ea occaſione, ut creditum Antonio Auguſ- 8
tino, Balduino, Gothofredo, & aliis, diſputaſſe Ulpianus videtur, de bello amiſſis, quoad tutelæ excuſationem, *in l. in bello* 18. *D. de excuſat. tut. lib.* 20. *ad leges Juliam, & Papiam*; ex quo & eſt *lex Proconſules* 14. *D. de offic. Proconſ.* relata jam ad hoc ipſum caput, & expoſita. Non enim aſſentior Jacobo Gothofredo in *Recitat. & notis ad leges noſtras*, retro trahentem utrumque hunc Ulpiani locum *dict. l.* 18. *& dict. l.* 14. ad ſecundum Ulpiani librum *ad leges noſtras*, emendata utriuſque inſcriptione, & ita ante Gothofredum Cujacio, quem non laudat, laudato tamen à Gothofredi patre Dionyſio *ad l.* 14. & fortaſſe eo motu, quod & caput hoc ex prioribus *legis Juliæ* fuerit, ac de eo, & ſimilibus, ad jus liberorum pertinentibus, ex primis libris Juriſconſultorum extent fragmenta, ut Pauli *in l. qui libertinus* 37. *D. de oper. libert. l. ter enixa* 137. *D. de verb. ſign.* Mihi, ne huic emendationi accedam, ſatis eſt, quod ex eodem Ulpiano *lib.* 19. extat, ad jus liberorum, quoad honores, pertinens, *l.* 2. *D. de minorib.* cui non male junguntur *ex ſequenti lib.* 20. *d. l.* 14. *de offic. Proconſ. & d. l. in bello* 18.

Ergo ut ad iſtam *l.* 18. cum diſputatio Ulpiani ſit, 9
an bello amiſſi, intelligendi ſint hi ſoli, qui in acie ceciderunt, an vero & omnes, qui ob cauſam belli, veluti in obſidione? Decidit Ulpianus pro his ſolis, qui in acie (& quidem cujuſcumque ſexus, vel ætatis ſint) quia hi pro Republica ceciderunt. Quid itaque, an qui pro patriæ, & urbis Romano Imperio incluſæ, vel ipſius Romæ muris tuendis in obſidione cadunt, non pro Republica moriuntur? Dices, non mori eos, ſive non proprie amitti in bello, quia bellum non unius pugnæ, aut obſidionis congreſſio, ſed continuata variis prælis in hoſtes expeditio, dicitur. Tacitus de Arminio 2. *Annal. in fine: Præliis ambiguus, bello non victus*: idem de Oſtorio *lib.* 12. *Etſi non prælium, at certe bellum abſumpſiſſet.* Suetonius *in Auguſto cap.* 10 *Bellum confecit duobus præliis.* & *cap.* 13 *Bellum duplici prælio tranſegit.* Et poſt Livium alii, latine locuti, quanquam poſterior, & ſequior ætas bellum à prælio vix diſtinguat, ut Capitolinus *in Maximinis.* Aſt ne verbis ſtricte adeo hæreamus, urget Ulpianus ipſe, qui etiam infantes, fœminaſve, & ut loquitur, qualiſcumque ætatis, & ſexus, in acie interemtos computat inter bello amiſſos. Quid enim an hi magis pro Republica ceciderunt, quam qui pugnantes in obſeſſæ urbis propugnaculis? Reminiſcor, Hotomanum *libr.* 7. *Obſerv. cap.* 7. cum abſurdum ei videretur ſupponi pueros, aut mulieres, in aciem admiſſos, & in ea occiſos, transferre verba illa, *qualiſcumque ætatis, aut ſexus*, ad extremum *dict. l.* 18. & exaudire de eis,
in

in nbſidione morbo amiſſis. Aſt vix digna refelli emendatio, quam & refellit textus Baſilicus eodem loco, quo in Latinis verba illa exhibens, nbi & in illis hæſitat Calocyrus Scholiaſtes *lib.* 38. *tit.* 1. quia quamvis conſtet, non adſcriptos fuiſſe inter milites Romæ pueros, niſi, ut Vegetius ſcripſit, ab incipiente pubertate, & olim à ſeptem decimu anno, ut *ad l. ultim. Cod. de teſtam. milit.* notatum Cujacio, Ræverdo, Lipſio, & aliis, ac perinde ſcitiſſimum ſit, non patuiſſe Romana caſtra puellis, ſeu fœminis, ut illa querebatur, & inde caſtra dicta, quaſi caſta, docuit poſt Servium nos D. Iſidorus *lib.* 9. *Etymolog. cap.* 3. ac de re, ne nos alia, multis, & pro multis unus, Dempſterus *ad Roſinum lib.* 10. *cap.* 12. certum tamen eſt, ſæpe interfuiſſe caſtris fœminas, & earum filios infantes, & quidem publico veluti permiſſu, ex S. C. cujus mentio *in l.* 4. *§. proficiſci* 2. *D. de Offic. Proconſ.* & apud Tacitum 3. *Annal.* cujuſmodi uxores ducum, & illarum pueros, & comitatum, ut Agrippina uxor Germanici, de qua Tacitus *lib.* 1. & proinde potuiſſe in acie cadere, cujuſcumque ætatis, & ſexus, quamvis non militarent.

10 Fluctuat in re Vertranius Maurus *libello de Jure Liber. cap.* 44. & quid, ut & quare ita Ulpianus ſenſerit, diſpiciendum aliis relinquit. Nobis, quandiu alii meliora, differentiæ inter aciem, & obſidionem, petenda viſa ex ſeveritate Romanæ diſciplinæ, quæ habuit pro militari dedecore, obſideri, maxime in caſtris, ab hoſte, ac non potius erumpere, & in aperto, & acie pugnare. Valerius *de Militari Diſciplina*, *libr.* 2 *tit.* 8. ubi de Cincinnato, & Minutio: *Indignum maximo Imperio credidit, quem non ſua virtus, ſed foſſa, vallumque tutum præſtiterant*, cuique verecundiæ non fuerat, arma Romana, metu trepida, clauſis portis contineri. Silius Italicus *lib.* 4. ubi de Graccho Conſule:

Nec Latius vallo miles debere ſalutem
Fas putat, aut clauſas pulſari cuſpide portas;
Erumpunt.

Et ante eum Virgilius 9. *Æneid.*

Non pudet obſidione iterum, valloque teneri,
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?

11 Fuit itaque hoc fortaſſe, inter alia ſeveritatis Romanæ in re militari, documentum, quale illud vetus, de non redimendis captivis bello captis, ex ſeveriſſima ſententia Appii Claudii, ut vocatur, *in l.* 1. *§. caſum, verſ. extat. D. de poſtulat.* juncta *l.* 2. *§. poſt hunc Appius, D. de orig. jur.* & nobili Senatuſconſulto, apud Livium *lib.* 22. cujus & meminere Valerius *lib.* 2. *cap* 7. *num.* 15. Eutropius 2. *Hiſt.* Macrob. 1. *Saturn. cap.* 11. & in tranſcurſu Cicero 3. *de Offic. ad finem.* Seneca *lib.* 5. *Controv.* 7. & in exemplo Attilii Reguli ex noſtris, Pomponius *in l.* 5. *§. ult. D. de captiv.* ex hiſtoricis, Polybius *libr.* 1. Appianus *in Lybic.* Valerius *dict. lib.* 2. *cap.* 9. L. Florus *lib.* 2. *cap.* 2. Epitome Livii *lib.* 17. Aurelius Victor *de Viris Illuſtr. in Attilio Regulo.* Agellius 6. *Noct. Atticar. cap.* 4. Silius Italicus *lib.* 6. & præ aliis, eleganti *Ode* 5. Horatius *lib.* 4. conducit & Platonis lex, de captivis non redimendis, *lib.* 5. *de Legibus*, & quæ in Livio leguntur *lib.* 38. ubi de pace Romanorum cum Ætolis. Diodoro Siculo *lib.* 12. *Bibliothecæ.* Tertulliano *de Fuga in perſeq. cap.* 12. Idque totum ſevera illa ratione, quia, ut egregio epiphonemate, Silius *libr.* 10.

Cuncta adeo ſcelera, & noxam ſuperaverat omnem,
Armatum potuiſſe capi.

Unde & fluxit, & inde illuſtranda Pauli aſſertio, *in l. Poſtliminio* 17. *D. de captiv.* juncta *l.* 2. *§. non idem, eod. tit.* & Concilio Arelatenſi 1. ſub Sylveſtro *Can.* 3. ſimul *cum Regia lege noſtra* 32. *verſ. E aun, tit.* 18. *part.* 2. & ſimiliter huc referenda ſententia, & ratio *l. in bello* 12. *in princip. & verſ. quia ſpem. D. de captiv.* Si tamen exponatur per ellipſin illam, de qua Cujacius *lib.* 24. *Obſ. cap.* 31. & *lib.* 19. *cap.* 7. & *ad l. unic §.* 1. *verſ. veluti*, in qua ellipſis compar *dict. l. unic. D. ſi quis jus dic. non obtemp.* ſed abſtinemus. Hæc quippe, & alia in re pridem ſcripſimus, *in Academicis Recitationibus ad l. lex Cornelia* 28. *D. de vulg.* ex queis poſtea, & quidem laudatis, & auctis, noſter, heu nuper cum magno regiæ, & publicæ rei, imo & litterariæ damno denatus, D. Joſephus Fernand. Retes *tom.* 2. *Opuſcul. lib* 6. *cap.* 5. *numer.* 4. & *ſeq.*

Sit ergo, tantis penſatis pro noſtra *l. in libello* 18. 12
diſtingui in ea, & pro *amiſſis in bello*, haberi, *amiſſos in acie*, tanquam digniore, & ſavorabiliore procinctu; etiamſi milites non ſint, ut Paganus ille, de quo ad leges noſtras Paulus *in l. qui mittuntur* 35. *§. item* 6. *D. ex quib. cauſ. minor.* & illi, qui in hoſtico, *l. unic. verſ. omnes, D. de bonor. poſſeſſ. ex teſt. mil. l. ultim. D. de teſtam. mil.* & è contra, non computari inter amiſſos bello eos, qui in obſidione utique caſtrorum, & valli, aut urbis, quam juſtus exercitus tuebatur, cum quo in aciem erumpere potuiſſent (ſic enim ſobrie, & ſtricte Ulpianum exaudio) tanquam ſegniores, & ignobiliores.

Refert & ad hoc caput Gothofredus, quod ex 13
Caïo legitur, *in l. ſimulatæ* 30. *D. de rit. nupt.* de ſimulatis nuptiis. Mihi placet magis, adjungere Senatuſconſulto, *de ſimulatis adoptionibus*, de quo jam proxime dicemus.

Refert itidem, jungitque huic capiti ille idem *in* 14
Notis, Terentium Clementem, ubi de profeſſione filiorum per matrem, *in l. etiam* 16. *D. de probat.* nec male, quamvis jungi in commune poſſit tractatui, de præmiis patrum, & pœnis orborum, de quo ſuis locis.

AD CAPUT LEGIS JULIÆ OCTAVUM.

De prælatione patrum, & maritorum in honoribus.

RELIQUATIO VI.

ET SCHOLIA.

Ad l. 2. *D. de minorib. cum l.* 6. *§. ult. D. de Decurion. l. in albo* 9. *Cod. eod. tit.*

ARGUMENTUM.

Conſentaneum ſeptimo hoc caput: quoad honores prælatio data patribus plurium liberorum, & poſt patres maritis. Spectant huc l. 2. D. de minorib. cum l. 2. D. de muner. & hon. *&* Taciti, Dioniſque *loci, & ante leges noſtras, ſub* Scipione, Agellius. *Fuere & veluti appendices, prælationes patrum in albo* Decurionum, *& ſententiis dicendis, in municipiis, de queis* in l. 8. §. ult. D. de Decur. l. 9. Cod. eod. tit. *quæ illuſtrantur; & eorum, ac maritorum in ſubſelliis theatralibus, de queis* Suetonius, *&* Martialis: *&* Auguſtæi *ſæcli inſcriptio.*

1 Superioris capitis ſeptimi, de prælatione Conſulis patris, aut mariti in honore faſcium, fuit veluti pars, aut appendix, quod nunc proſcribimus, ex Tacito *lib.* 2. & 15. *Annal.* Dione *lib.* 53. & 56. ſumma autem hæc, ut in honoribus petendis, ſortiendis, ſive, ut Tacitus ſcribit, in candidatis, numerus liberorum præpolleret, & qui plures haberet, præferretur, & poſt patres, mariti, ſupponitur hoc ipſum *in l.* 2. *D. de minorib.* quæ Ulpiani eſt, ex libris *ad leges noſtras*, & de qua poſtea in ſpecie,

& in *l.* 2. *D. de muner. & honor.* de qua jam quædam ſupra ad illa verba capitis 7. *in poteſtate habebit:* & apud Plinium *lib.* 7. *Epiſt.* 16. ad Fabatum; & obtinuiſſe hoc inſtitutum, vel ante *legem Juliam*, & ſub Scipione, liquet ex illius oratione, conquerentis, quod adoptivi filii ad præmia patrum prodeſſent adoptatori, ut ex ea recitat Agellius 5. *Noct. Attic. cap.* 19.

2 Sunt & hujus antelationis patrum propter liberos, veluti rivuli, qui in Provincias fluxere, *in l. Spurii* 6. *§. ultim. D. de Decurion.* ubi ex Papiniano legimus, eum, *qui plures liberos habet, primum in ſuo Collegio ſententiam rogari, cæteroſque honoris ordine præcellere. & l. in albo* 9. *Cod. de Decurion. lib.* 10. *In albo Decurionum, patrem, non habenti filios anteferri*; conſtat vero, utramque hanc prælationem fuiſſe, inter honores magni æſtimatos in municipiis, *dict. l. Spurii* 6. *§. privilegiis* 5. *D. de Decur. l* 1. *&* 2. *D. de albo ſcrib.* ad exemplum Romani Senatus, in quo illuſtriores illi Senatores dicti primæ ſententiæ. Agell. *lib.* 4. *Noct. Atticar. cap.* 10. Sueton. *in Julio, cap.* 22. *& in Claudio, cap.* 9. Tacitus *lib.* 3. *&* 4. Spartianus *in Adriano*, alludens, & Senatui Deorum merito illudens Lactantius *lib.* 1. *cap.* 10. & alii plures; ſicut & alia nos *lib.* 2. *cap.* 1. pro *l. ult. §. ult. D. de Senat. Novell.* 62. *de ordine Senat.*

3 Fuit item vel a prælatione hac in honoribus profluens, vel eodem tempore inductum, quod de Auguſto Suetonius *in illius vita, cap* 44. eum in ſubſelliis theatralibus, aſſignaſſe *maritis è plebe* (nam Senatoriis ſua orcheſtra, ſicut equeſtria Equitibus) proprium ordinem, quo ab aliis diſcreti, & honoratius ſederent. Eoque reſpicit vulgatum illud Martialis *lib.* 5. *Epigr.* 42.

Sedere in Equitum, ne tibi liceat, ſcamnis,
Videbo, Didyme: non licet, maritorum.

Fortaſſe & ad rem eſt vetus inſcriptio, quam ex Fulvio Urſino exhibet Grutterus *pag.* 328. *num.* 1. de jure ſpectandi in ludis ſæcularibus, & queis, & quatenus liceat, *ex lege marita*, ſeu maritali, aut de maritandis ordinibus.

AD CAPUT NONUM LEGIS JULIÆ, SEU PAPIÆ.

De remittendis ad honores patribus per ſingulos liberos ſingulis annis.

RELIQUATIO VII.

ET SCHOLIA.

Ad leg. 2. *D. de minorib. l. etiam* 16. *D. de probation.*

ARGUMENTUM.

P*Ræmiſſis* Villia, *& aliis* annariis legibus, *quibus ætas ad honores præſcripta, acceſſere* Julia, Papiaque, *quæ in favorem patrum eis ſingulos annos per ſingulos liberos ſupplevere Hæc ſumma* l. 2. D. de minor. *cujus epigraphes non emendanda, ſicut nec noſtri propoſiti eſt, pars illa, de non indulgenda adminiſtratione minori, propter liberos. Jungitur proprie huic capiti.* l. 16. D. de probat. *ex* 3. Terentii ad leges noſtras, *cui & annectitur bene* ex eodem libro, l. qui in continentibus 147. D. de V. S. *de natis in continentibus* Romæ, *ut patri proſint, quoad* leges *noſtras. Porro aſſertio* d. l. 16. *exaudienda, de profeſſione filiorum* Romæ *apud ærarium* Saturni *inducta à* M. Antonino, *ſive ſolemniter magis firmata, cum tamen & ante illum, ex* lege Papia, *in uſu eſſet. Laudati, elucidandæ res,* juris auctorum loci.

1 SUbſecutum continenter, videtur, & præcedenti capiti annexum hoc, quod ſubnectimus, eo fine, & ſenſu, ut quoniam Romæ pridem per legem Villiam, ſeu Plebiſcitum, à L. Villio, Tribuno plebis rogatum, de quo Livius *lib.* 39. ad petendos ſingulos Magiſtratus, & quidem à Quæſtura ad Conſulatum, præſcripta erat ætas, atque anni, ante quos petere non licebat, & ut Ovidius 5. *Faſtorum:*

Finitaque certis
Legibus eſt ætas, unde petatur honos.

Quæ annales, ſive annariæ leges, dictæ Arnobio 2. *Adverſ. Gent.* niſi ſi quando his legibus quis ſolveretur, ut *in l. unic. in fin. D. de offic. Conſ. l. quidam* 57. *in fine, D. de re judic. l. penult. §.* 1. *D. de Decurion.* tamen per *legem Juliam*, ac deinde *Papiam* (ſic in enim commune de legibus Ulpianus loquitur in *l.* 2. *D. de minorib.* & *in* ejuſdem *ſumma lib.* 10. Baſilic. *tit.* 4. *κεκανο.. ..*, ſive, *pro regula ſtatutum fuit*, generali in favorem patrum, & ſobolis indulgentia, ad honores adipiſcendos, propter ſingulos liberos, ſinguli anni, ex his, quos annales leges requirebant, remittebantur; eaque ſincera ſententia eſt Ulpiani *in d. l.* 2. *D. de minorib.* ex libro illius 19. *ad leges Juliam, & Papiam*, qui & *lib.* 20. *ſequenti*, de prælatione patrum, propter liberos, quoad honores faſcium, locutus; *l. bello* 18. *Digeſt. de excuſat. tutor. l. Proconſules* 20. *D. de Offic. Proconſ.* in quarum inſcriptionibus proinde nihil muto; jam vero quod Ulpianus ſcribit *in dict. l.* 2. pertinere eam indulgentiam, remittendorum annorum per ſingulos annos, ad honores, non autem ut maturius à curatoribus res ſuas adminiſtrandas recipiant, idque ita à Severo Cæſare reſcriptum, habet rationem non difficilem explicatu, ſed quæ extra rem, & modulum iſtorum Scholiorum ſit. Vide infra, *Reliquatione ad cap.* 14. *ad finem* primæ illius partis.

2 Refertur & ad caput hoc, & ſequentia, quam commodiſſime Terentii Clementis locus *in l etiam* 16. *D. de probationib ex libro* 3. *ad leges noſtras*, in quo & alia, de præmiis patrum ſcripſit, & de pœnis cœlibum, ſeu, non maritorum. *l. qui in continentibus* 147. *D. de verbor. ſignif. l. non oportet* 52. *D. de legat.* 2. *l. non cogitur* 21. *D de ritu nupt.* & eſt utrique ei parti applicabilis aſſertio *dict. l. etiam* 16. quæ ſic habet: *Etiam matris profeſſio filiorum recipitur, ſed & avi recipienda eſt.* Sed applicabilis vel maxime, & jungenda *cum dict. l. qui in continentibus* 147. quæ Guil. Fornerio, & Cujacio illic, & poſt eos, Jac. Gothofredo, cenſentibus, reſpicit partem illam, ſive acceſſionem legum noſtrarum, per quam tres liberi, Romæ nati, proſunt parentibus, ad excuſationem munerum perſonalium, de quo opportunius ſuo loco, & proſunt etiam matri. *l. de perſonalibus* 5. *Cod. de his, qui num lib.* 10. atque eo reſpectu ſcribit Terentius Clemens, natos in continentibus Urbis, intelligi natos Romæ, ut *in l.* 2. *l. ædificio* 139. *D. de V. S.* & proinde ad eum finem, matris etiam, atque avi profeſſio recipitur, ut *in dict. l. etiam* 16.

3 Petinet porro ea profeſſio, ne cum Accurſianis, & Baſilicis Scholiaſtis cæcutias, non ad privatam teſtationem parentum, quæ non reciperetur. *l. parentes* 6. *Cod. de teſtibus*, ſed ad publicam, & legitimam, ut vocabant, profeſſionem, qua natos ſibi liberos Romæ, apud ærarium Saturni, & illius Præfectos, & in Provinciis apud Præſides, publica fide, & actis, parentes conteſtabantur, ex inſtituto Marci Antonini Cæſaris, à quo primo hoc inductum, ſcribit *in ejus vita* Capitolinus; idque ut de ſtatu, natalibus, ætate, & ingenuitate cujuſque probatio inde peteretur, cui & ſtaretur, utpote grandis, graviſque præjudicii. *l.* 1. *§. Julianus* 12. *D. de agnoſcend. lib.* 1. *§. ad quæſtionem* 3. *D. de quæſtion.* ſic tamen ut veritati locus ſuperforet *l. penult. §.* 1. *D. de*

de probat. l. 5. Cod. de teſtam. l. non nudis 14. Cod. de probat. Quo referaoda in libris noſtris profeſſionum ejuſmodi mentio, *in l. Imperatores 29. §. 1. l. cum de ætate 13. D. de probat. l. 1. Cod. ſi minor ſe major. l. neque profeſſio 5. Cod. de teſtam. l. non nudis 14. Cod. de probat. l. nec omiſſa 15. Cod. de liber. cauſa. l. ſi vicinis, 9. Cod. de nupt. l. 2. §. 1.* ubi hæc profeſſio dicitur, *παιδογραφία*, *D. de excuſat. tut.* de quo more, ut alios non citeamus, ſcite, ex Apuleïo, & aliis, Briſſonius 1. *Select. Antiq. cap. 5.* & ante illum, & bonum Pancirolam, qui ante ſe interpretes hoc non aſſecutos, *ad dict. l. 16.* gloriatur, *lib. 2. Theſ. Var. cap. 49.* Guil. Budæus, Cujacio laudatus, in *l. cum de ætate 13. Digeſt. de probat.* Enim vero fuiſſe & ante Marcum Antoninum, in uſu ejuſmodi profeſſionem filiorum in actis, & inductam fortaſſe, *lege Papia*, ſcripſit, ne ſibi adſcribat Gothofredus *in Notis pag. 322.* ante illum, Merilius *lib. 3. Obſerv. cap. 33.* (& proinde à Marco non tam inductam, quam firmatam præſcripta forma, ut fieret apud Præfectos ærarii, & ampliatam ad Provincias) liquet vel ex notiſſimo Juvenalis loco, *Satyra 9.* illic:

Tollis enim, & libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri.

Nempe ut profeſſio illa filiorum in actis, eſſet argumentum, ſeu teſtatio publica mariti, & patris, & proficeret ad præmia, ſeu commoda, *ex legibus Julia, & Papia*, & ad vitandas earum pœnas. Proinde, & merito in commune, ut prædiximus, ad utraſque refertur Terentii Clementis aſſertio, *in dict. l. 16.* de qua nec plura ſunt, quæ ſint rei noſtræ.

AD SENATUSCONSULTUM NERONIANUM.

De fictis adoptionibus, ne proſint, quoad leges Juliam, & Papiam.

RELIQUATIO VIII.

ET SCHOLIA.

Ad l. ſi ita 51. §. ult. D. de legat. 2. l. ſimulatæ 30. D. de ritu nupt. juncta *l. unic. verſ. quoniam, Cod. Theod. de his, qui num. liberor.*

ARGUMENTUM.

SEnatuſconſulti, *ſub* Nerone, *& noſtrarum* legum *appendicis decretum fuit, ne ſimulata adoptio prodeſſet adoptanti, tanquam patri, ad honores, aut munera. Ratio, ne fraus* legibus *noſtris fieret, adoptionis commento, qua de fraude jam olim* Scipio, *& poſtea noſtri* Juriſprudentes *expendantur. Diverſum jus, & ratio in adoptivis, ut pro filiis habeantur, quoad* leges noſtras, de connubiis, *& ut tanquam filii, ſint patri hæredes, ut apud auctorem* collationis legum Moſaïc. *Pertinet ad hoc S. C.* Ulpiani *locus*, in l. 51. §. ult. D. de legat. 2. *Explanata illius mens, & relata ad* leges noſtras, de capione inter conjuges, propter liberos, *& deducta ratio ex hoc S. C. de adoptionibus fictis, juncta* l. 76. D. de condit. & demonſtr. *Adjicitur* Caio, ad leges noſtras, l. 30. D. de ritu nupt. *de ſimulatis nuptiis, ſcilicet ne proſint ad præmia, aut pœnas, ex noſtris* legibus: *in quem ſenſum adducta ſimilia, ex eodem tractatu; & ſpeciatim* l. 2. §. 2. D. de vacat. mun. l. unic. verſ. quoniam, Cod. Theodoſ. de his, qui num. lib. *ne adoptivi filii proſint patribus ad vacationem à muneribus; queis jungit* Gothofredus Taciti *verba, nobis nondum ſuffragantibus.*

1 SEnatuſconſulti hujus (quod Neronianum vocamus, quia Neronis ætate editum, non Claudii, ut oſcitanter Gothofredus) ſeriem, verbaque exſcripſimus, ex Tacito 15. *Annal. cap. 19.* ſententia & fuit, ne ſimulata adoptio filiorum, quos ſtatim emanciparent, prodeſſet adoptantibus, ut tanquam jam patres præferrentur, aut æquarentur aliis in Comitiis, pro petitione honorum, aut ſortitione Provinciarum, & hoc amplius, neque prodeſſet in ulla parte muneris publici, aut in hæreditatibus capiendis. Ratio luculenter Tacito expreſſa, ne veris, & naturalibus patribus verterentur in ludibrium *promiſſa legum*, ſcilicet *Juliæ, & Papiæ*, in antelatione ad honores, ſi eiſdem æquarentur adoptivi, & ſimulati patres, atque ita fraus fieret (ut & fiebat olim, ante id Senatuſcunſultum, conquerente ea de re Scipione Cenſore, *in Oratione, de moribus*, illis verbis: *Filium adoptivum tam prodeſſe, quam ſi ex ſe natum habeat*, apud Agellium 5. *Noct. Atticar. cap. 19. in fine*) legibus, quæ veræ, & naturalis ſobolis procreationi in his præmiis proſpexerant? nec eludi, obumbrarive debuere commento, ſive imagine adoptionis, ut alibi Papinianus, *l. filio, quem 23. D. de liber. & poſthum. l. fideicommiſſum 87. D. de condit. & dem. l. ſi filius 42. verſ. quoniam D. de bon. lib* junctis & ad rem expendendis *l. cum ratio 7. §. ex bonis damnat. l. libertus 17. §. in adoptiva 9. D. ad municip.* quamvis alioquin vel in eiſdem *noſtris Julia, & Papia legibus*, & earum parte illa, quæ non tam prolis, & nuptiarum frequentiam, quam dignitatem, & civile jus filiorum reſpexit, in Senatoriis filiis, ut digne maritarentur, cenſeantur inter filios etiam adoptivi. *l. 5. & 6. D. de Senator.* juncta *l. liberos 10. eo tit. l. 4. Cod. de Decurion. lib. 10.* diximus fuſe *lib. 2. cap. 2.* ſicut &, ut tanquam ſui hæredes, patri ab inteſtato ſuccederent adoptivi filii, qui eo moriente, in poteſtate eſſent, cenſebantur inter filios, nihilque interſuit, an adoptivi ſint, *an naturales*, & ſecundum *legem Juliam, Papiamve* quæſiti, ut his ipſis verbis, ex Paulo *lib. 7. Sentent.* legitur in auctore *Collationis leg. Moſ. & Rom. tit. 16. l. 1. §. ſuos 2. D. de ſuis, & legit. §. ſui 2. inſtit. de hæred. quæ ab inteſt.*

2 Ex his & promte liquet, referendum eſſe ad hoc jus Senatuſconſulti *ad leges Juliam, & Papiam* facti, Ulpiani locum, *ex lib. Octavo ad eaſdem leges*, in *l. ſi ita quis 51. §. ult. D. de legat. 2.* quo in libro, ſcripſiſſe eumdem alia, de liberorum jure, intelligitur *ex l. ſi vir 61. D. de condit. & demonſtr. l. 3. D. de caſtr. pecul.* & conſueviſſe veteres Juriſconſultos, ea, quæ poſt *leges Juliam, & Papiam*, Senatuſconſultis, aut conſtitutionibus, ad earum materiam pertinentibus, inducta fuere, eiſdem legibus adſcribere, aut illarum commentatione complecti, animadvertimus *lib. 2. cap. 8.* Scribit ergo eo loci Ulpianus, eum, cui in tempus liberorum pars tertia relicta eſt, nempe maritum, vel uxorem, quibus inter ſe, præter decimam, capere ex teſtamento, licebat, uſumfructum tertiæ partis bonorum, & cum liberos habuiſſeot, proprietatem ejuſdem partis, ut ex Ulpiano *titul. 15. & 16.* junctis *l. penult. D. de uſuris l. Lucius 78. §. maritus 14. D. ad S. C. Trebell. l. cum uxori 4. Cod. quando dies legat. ced.* adnotavit pridem, & *pro dict. l. ſi ita 52. §. ultim.* exaudiit Cujacius illic, & *lib. 1. Obſerv. cap. 17. & libr. 18. cap. 16.* & ex eo noviores, non poſſe eam tertiam partem conſequi adoptando. Id vero promta, & prupria illa ratione, quoniam hoc ipſum jus, capiendæ tertiæ partis, ultra decimam, præmium, ſeu privilegium fuit promiſſum patribus, dum legibus noſtris proſpicitur procreationi ſobolis naturalis, & veræ, nec debuit in ludibrium verti, adoptionis commento. *dict. l. fideicommiſſum 76. D. de condit. & demonſtrat.* atque huc ſignate referenda

illa Senatuſconſulti Neroniani pars, apud Tacitum: *Ac ne uſurpandis quidem hæreditatibus prodeſſet.* Sed hæc, de ſimulata adoptione, ſive in fraudem facta, qualis ea cenſetur, quæ in conſpectu, ſeu propinqua ſpe præmii fit, ut poſt inde emancipatione extinguatur. *l. in omni* 13. *D. de adopt.* cæteroquin fraude ceſſante, & manente adoptione, prodeſt filin ipſi ad hæreditatem, perinde ac ſi naturalis filius eſſet, ut ex collatinne legum prænotavimus. *l. cum ratio* 7. *§. ex bonis* 2. *Dig. de bon. damnator.*

3 Annectimus huic parti, & Senatuſconſultn, & fortaſſe apte magis, quam alii, quod ex Caïn proditum, *lib.* 2. *ad leges noſtras*, in *l. ſimulotæ* 3n. *D. de ritu nupt.* ita: *Simulatæ nuptiæ nullius momenti ſunt.* Cnjus aſſertionis ratio in commune aperta; quippe nuptias conſenſus facit. *l. nuptias* 30. *D. de regul. jur.* ſimulationi autem nuptiarum deeſt conſenſus. *l. neque* 13. *Cod. de nupt.* juncta regula *l. contractus* 54. *D. de oblig. & act.* titulo *Cod. plus valere, quod agitur, quam quod ſimulate concipitur.* At relata ea aſſertio *ad leges Julium, & Papiam*, juxta inſcriptionem ponit, demnuſtratque, ſimulatas nuptias nullius mnmenti eſſe, quoad eas leges, proinde nec proficere ad præmia maritorum, aut devitandas pœnas cœlibatus, ſicut nec proficit ſimulata adoptiu, ad præmia patrum, vel hæreditates, nec ementita, ant ſimulata profeſſin natalium. *l. neque* 5. *Cod. de teſtament. l. non nudis* 14. *Cod. de probat. l. nec omiſſa* 15. *Cod. de liber. cauſa*; nec ſponſalia, poſt quæ, biennio exacto, nuptiæ non ſequuntur, ne eorum prætextu, quæ ficta, aut fraudulenta cenſentur, *vis legum eluderetur*, ut Suetonius loquitur *in Auguſto cap.* 34. & monuimus *Reliquatione* 4. *ad leg. ſæpe* 17. *D. de ſponſalib.* cui junge nunc, & in propoſitn, *l.* 3. *Cod. de repud.* ſicut & denique in eiſdem legibus quæcumque in earum fraudem ſimulate aguntur, nullius momenti ſunt. *l. ſi libertus* 16. *D. de jure patron. l. in fraudem* 1n. *Dig. de bis, quæ ut indign. l. hoc modo* 64. *§.* 1. *Dig. de condit. & demonſtrat. l. toties* 81. *cum l. ſeq. D. de acquir. hæredit. l. ſive* 61. *§.* 1. *D. de jure dot.* quæ tntidem, & continentia exempla ſunt, *ex libris* Juriſconſultorum, *ad leges Juliam, & Papiam.*

Annecti etiam traditis poſſet Ulpiani ſententia 4
in l. 2. *§. adoptivi* 2. *Dig. de vacat. mun.* quæ eſt de adoptivis filiis, non proficientibus ad excuſationem patrum à muneribus; & in eumdem ſenſum *lex unica, verſ. quoniam, de bis, qui numero liber. in Cod. Theodoſ.* qua occurſum fraudi eorum, qni alienos, prn ſuis, liberos Imperatori offercbant, ad impetrandam vacationem à muneribus perſonalibus: & quidem, ut annecterentur huic S. C. non modo illius mens, & ratio, ſed & ſuadent fere illa verba, ex Tacitn *dict. lib.* 15. ne ſimulata *adoptio in ulla parte muneris publici juvaret.* Atque ita Gothoſredn viſum *in Netis ad leg. noſtras pag.* 325. Nos quoad verba ſubſiſtimus; illa cnim reſpexere, non perſonalia munera, & ab eis vacatinnem in municipiis, de queis Senatus vix curabat, aut cenſebat, ſed ad honores Magiſtratuum Romæ, aut Prætorum in Provinciis, ad quos ſortiendos in Comitiis admitti orbos, tanquam patres, per ſimulatas adoptiones, cnnquerebantur veri patres. Atque hi honnres, utpote majnres, & publici, proprie apppellatione munerum publicorum ſignantur à Tacito. Seponimus itaque nunc hanc partem, de adoptione, ad excuſatinnem à muneribus perſonalibus, npportunius de ea dicturi in Reliquationibus poſtremis, juris liberorum.

AD CAP. DECIMUM EX LEGE JULIA.

De libertini liberatione ab operis, propter liberos.

RELIQUATIO IX.

CUM COMMENTARIO.

Ad l. qui libertinus 37. *D. de oper. libert. & cum Scholiis ad l. qui mortui* 129. *l. intelligendus* 153. *D. de verbor. ſignif. l. nec patronis, Cod. de operis libert.*

ARGUMENTUM

L*ibertinus in hoc capite pro liberto, ex ſervitute manumiſſo, ut &* in l. 44. D. de ritu nnpt. *Applicita verbis illis*, genitus, nataſve, l. 129. D. de V. S. *quæ eſt* ex Pauli lib. 2. ad leges Juliam, & Papiam, *& de illis, qui mortui naſcuntur, quanquam aliter* Cujacius, & Balduinus. *Elucidata aſſertio* nuſtræ l. 37. §. 6. *de poſthumo, ne proſit patri liberto ad liberationem, & elucidata ſimul ratio* d. §. 6. verſ. ex lege. *Reſpondetur objectioni* ex l. 133. D. de V. S. *ex* Tesentio Clemente lib. 11. ad leges noſtras, *ſimul cum* l. 61. & ſeq. D. de condit. & dem. l. 7. §. item, D. de Senator. *in queis quoad* leges Juliam, & Papiam, *poſthumus habetur pro nato. Et reſpondetur, id obtinere, quoad ipſius commoda, & jura, non item, ut patri, aut aliis proſit: ſed excipitur caſus pœnarum*, ex legibus Julia, & Papia, *ad quas vitandas ſatis eſt patri, poſthumum reliquiſſe: ad quem caſum proprie refertur* d. l. 153. *utcumque aliter* Gothoſredus. *Excipiendi hujus caſus ratio promta, & petenda, ex odio caducorum, & à* l. 135. D. de V. S. *juncta* l. 14. D. de ſtatu hom. *de queis alibi. Pro verbis*, in poteſtate habebit. d. l. 37. *adnotatur ſufficere, ut habuerit juxta poſtrema verba legis, & amiſſos filios prodeſſe patri*, ut in §. amiſſi 1. & ſeq. *atque etiamſi non bello amiſſi, de quo jam ſupra* Reliquatione 5. *Proponitur, probaturque* Accurſii *nota*, ad d. §. amiſſi; *obligari libertum de operis, jurantem etiam ex intervallo poſt manumiſſionem*, ut in l. 7. §. jurare 2. D. de oper. lib. *ad quam exploſum* Fabrianum Tribonianiſmi *commentum, & alia ipſius, aliorumque cogitata. Submotus, explanatuſque obex, qui ex* l. ult. v. dummodo D. de liber. cauſ. *in eum ſenſum, ut non cogatur libertus jurare, niſi in continenti poſt manumiſſionem: cæterum ſi ſponte juraverit, obligetur; id quod aliis juris locis fulcitur. Ad verba, de his, qui arti ludricæ, aut beſtiis ſe dederit, remiſſivæ notæ, & ratio, & ad inſequentia, de operis, dono, munere, præmittuntur operarum officialium, & artificialium diſcretio, & differentiæ inſigniores, ac de utriſque electa non pauca: inter quæ illud ſuſpicionis noſtræ, & nondum notatum*, legem Juliam, *hoc capite reſpexiſſe non ad officiales operas, ſed ad fabriles, ſive artificiales. Argumenta ſuſpicionis elicita* ex d. l. 37. §. nihil 3. & §. ſed ſi creditori 4. & §. ult. *& ex conjunctione operarum cum dono, & munere, in verbis legis* Juliæ, d. l. 37. *& quia facilior, proniorque eſſe debuit, liberatio liberti ob operis fabrilibus, quam ab officialibus: Quæ ſingula varie expenduntur, & illuſtrantur. Jungitur his verbis de operis diſtinctio*, §. 6. d. l. 37. *inter operas præteritas, aut etiam petitas, de queis tamen nondum libertus condemnatus eſt, & ad quos, prodeſt ei liberatio ex* lege Julia, *& eas, de queis jam condemnatus, ad quas non prodeſt, quia non operas, ſed pecuniam debet. Jungitur etiam* eidem §. 6. *& ex illius ratione exponitur (quamvis non de fabrilibus, ſed de officialibus operis ſint)* l. ſi operarum 29. & l. 6. & 22. §. 1. atque aliis, D. de oper. lib. *quæ componuntur. Jam ad ea verba, de quibus juraverit, & deinceps, obſervatur, ultra vulgarem captum, in primis, juramento liberti de operis, contrahi verborum obligationem efficacem; cujus origo non tam ex noſtris* legibus, *quam ante illas ex* Prætorum *editis, & cu-*

ju-

jus poſt Caſum Juriſconſultum (*ſi tamen illius locus eſt, ac non potius* Aniani) *indicantur ignotæ hactenus vitæ, & veſtigia*, in l. 13. D. de acceptilat l. 6. §. ſi quis abſente, D. de cunſeſſis, l. 36. D. de manum. teſt. l. 24. D. de ſtatu lib l. ult. D. de lib. cauſ. l .6. D. de fidejuſſ. *quæ ſingulæ, & præ aiis hæ poſtremæ lucem accipiunt. Ex verbis*, dare, facere, præſtare, *quæ in rem ſcripta, & in eum ſenſum, ut libertus, propter liberos, liberetur ab operis tam à patrono, quam ab alio; accenſa, & prælata fax* §. ſed ſi creditori 4. d. l. 37. *& diſcreta ea liberatio ab illa exceptione, non onerandæ libertatis*, in l. 1. §. 10. D. quarum rer. actio. *Producitur eadem fax, & præfertur* § ult. d. l. 37. *ubi de fidejuſſore liberti, cui etiam prodeſt liberatio, utpote in rem ſcripta, non autem expromiſſori, liberti, qui prius non promiſerat; de filio quinquenni ſuſpicioni* Cujacii, *cui non ſubſcribitur.*

1 DEſcripſimus hoc caput, ex Paulo *lib. 2. ad leges Juliam & Papiam* in *l. 37. D. de oper. lib.* & in Academicis ſcriptis, fere juſto commentarin illuſtravimus, ex quo pauca, & potiora nunc, & quidem ad ſingula verba, & in primis illa: *qui libertinus duos, pluresve, à ſe genitos, natasve, in poteſtate habebit.* Libertini appellationem accipimus, de liberto, ex ſervitute manumiſſo, & cui, ut deinde ex contextu capitis liquet, operæ donum, munus in manumittendo impoſita, quomodo & libertini nomen alio in capite *legis Juliæ*, de quo *ad eamdem* idem Paulus *in l. lega 44. D de ritu nupt.* ubi ad rem alia *lib. 2. cap. 21. num. 3.*

2 Jam pro verbis illis, *genitos, natasve*, non accedo corrigenti Cujacio ad Papinianum *5. reſponſ in l. libertus 41. D. de oper. lib.* prænoto potius, adaptari proprie his verbis, & capiti, notatum Pauli, ex *lib. 1.* (an. 2.) *ad Juliam, & Papiam*, in *l. qui mortui* 129. *D. de verb. ſign.* quo definitur, eos qui mortui naſcuntur, neque natos, neque procreatos, ſeu genitos videri, quia nunquam liberi appellari potuerunt, qui naſcendi tempore in rerum natura non ſunt, utpote jam mortui. *l. liber homo* 59. §. *ſi ita 6. in fin. D. de hæred. inſtit.* & conſequenter nec computari inter liberos patri, ad liberationem ab operis, ut dextre applicuit Albericus *in dict. l.* 37. quanquam aliter ex Cujacio Pornerius *in dict l.* 129. aliorſum Balduinus, *de lege Papia pag* 104. ſicut nec computantur, ut rumpant teſtamentum. *l. 2. & 3. Cod. de poſthum hær inſt.* juncta Pauli ſententia *lib. 4. tit. 9. in princip.* illic: *dummodo vivos*; in eoque diverſum jus eſt natorum, excepto matris utero, de queis ſuo loco, *ad l. anniculus* 132. §. *ult. l. etiam* 141. *D de V. S.*

3 Proxima eiſdem verbis, nec perinde perſpicua quæſtio eſt, de poſthumo, ſcilicet, nato poſt mortem patris liberti, de quo Paulus reſpondet *in dict. l. 37.* §. *poſthumus* 6. non proficere hæredi patris, ut liberetur ab obligatione operarum: idque ea expreſſa ratione, quia *proficiſci liberatio à liberta debet*, nempe ut ab eo incipiens, ad hæredem proficiſcatur, juxta regulam antiqui juris, quam Paulus reſpicit, & de qua *l. unica Cod. ut actionis ab hæred. l. ſcrupuloſam* 11. *Cod de contr. ſtip.* §. *poſt mortem* 13. *inſtit. de inutil. ſtip.* (quippe de libertu ipſu, non de hærede *lex Julia* locuta) nec quiſquam, poſt mortem ſcilicet, eo tempore, quo jam nec obligatua, nec liberatus, & eo tempore, quo poſthumus naſcitur, & ut Paulus continenter ſubjungit (quanquam & diſcrete, ac per ſe accipi poteſt, ut accepimus *ad cap. de prælatione patris Conſulis in faſcibus ſupra Reliquat.* 4.) *ex lege nati liberi proſunt*, nimirum quos libertus in poteſtate habuit, ut *in dict. l. 37. in princ. l. nec patronis 6. Cod. de oper. libert.* Non fuit autem in poteſtate liberti, qui poſt mortem ejus naſcitur. *l. ult. D. de collat. bonor. l. non eſt* 162. juncta *l. pupillus* 239. *D. de V. S. l. in Falcidia 9 D ad leg. Falc.* atque ita explananda eſt mens Pauli *in dict.* §. *poſthumus* 6. nondum extricata Vetranio *de jure lib. cap. 12.* A. Fabro *in juriſprud. tit. 6. princ. 2. illat.* 18.

4 Illud adhuc extricandum, cur non habeatur poſthumus pro nato, & intelligatur mortis tempore fuiſſe, quomodo *ad leges noſtras lib.* 11. Terentius Clemens ſtatuit, *in l. intelligendus* 153. *D. de V. S.* & *ad eaſdem leges* idem, & Ulpianus *in l. ſi vir* 61. *cum leg. ſeq. D de condit. & demonſtr.* & *in l. emancipatum 7.* §. *item labeo, D. de Senator.* & in omni jure civili, ut eſt regula *l. qui in utero 26. D. de ſtatu hom. l. ubicumque 7. l. ult. D. de ventre in poſſeſſ. mitt.* at promte reſpondetur regulam obtinere, quoad ipſius poſthumi commoda, & jura, de queis *in dict. l. qui in utero 26. l. cum quidam* 30. §. 1. *D. de acquir. hæred.* cujuſmodi cenſetur dignitas filii Senatoris in poſthumo, quoad connubium ex noſtris legibus, *dict. l. emancipatum* 7. §. *item*, *ut* prædocuimus *lib. 2. cap.* 5. non autem ut patri, aut matri, vel ali proſit ad executionem à tutela, aut hæreditate, ex Tertylliano *l. quod dicimus* 231. *D. de V. S. l. qui in utero 7. D de ſtatu hom. l. 2* §. *qui autem 6. D. de excuſat. tut.* vel hæredi liberti ad liberationem ab operis, *ex lege Julia*, ut *in noſtra l. 37.* §. *poſthumus* 6. cujus, ultra illic expreſſam, hæc altera ratio.

Eſt tamen ab ea diſtinctione, & regula excipiendus caſus pœnarum, non capiendi ſolidi in orbia, ex noſtris legibus, ad quas pœnas vitandas, & ut ſolidum capi poſſit, relictum orbo, & ad hæredem ſuum tranſmittat, proficit, ſive ſatis eſt poſthumum reliquiſſe *l. ſi quis prægnantem* 187. *de regul jur. l. is, cui ita* 18. *D. quando dies leg. ced. l. ſed & ſi* 20. *D. ad S. C. Trebell.* in quarum conciliatione, cum aliis adſtruenda, fluctuat Enantiophanes *lib. 46. Baſilic. tit. 1. ad l. 7.* ad quem caſum, & noſtrarum legum partem, referenda omnino eſt (quanquam aliter Gothofredus *ad leges noſtras pag.* 198. ut & dicemus infra *ad cap* 14. ſententia *dict. l. intelligendus* 153. ex Terentio Clemente *lib. 11. ad Juliam, & Papiam*, in quo jam ille, & deinceps ſequentibus, de pœnis caducorum tractare cæperat *l. ſi id, quod 21.* §. *ult. D. de libert. leg. l. ſi ſervus* 82. *D. de acquir. hæred.* exceptionis autem ratio non obſcura, quippe ad vitandas pœnas caducorum, quæ odiuſæ ſemper viſæ, & coarctandæ Juriſconſultis *l. unic. in princ.* §. *ſed & ipſis Cod. de caduc. tollend l. 2.* §. *quintus in fine, Cod de vetere jure enucl.* favetur merito parenti, qui legibus obtemperavit, filium, utcumque poſthumum, relinquendo, ut in ſimili *ad leges noſtras* Ulpianus expendit, *in l. quæret* 135. *D. de V. S.* non itidem ad præmia legum, veluti liberationem ab operis, de qua *in noſtra* §. *poſthumus* 6. aut ſucceſſionem ex Tertylliano, in queis ſtatur regulæ, & diſtinctioni, ut poſthumus pro nato ſit, ut proſit ſibi, non ali *dict. l. quod dicimus* 231. *D. de V S* juncta *l. qui in utero 7. l. non ſunt* 14. *D. de ſtatu hom.* cujus hæc item eſt, recepta jam inter eruditos, & à nobis ſuo loco enucleanda, conciliatio cum *dict. l. quæret.* 135. *D de V. S.* 5

Plane antequam ex his verbis, *in poteſtate habebit*, ad alia, id ſaltem nunc notandum, quamvis τὸ illud, *habebit*, relatum in futurum tempus, innuat, debere libertum in poteſtate habere liberos, eo tempore, quo per eos liberari ab operis velit, contrarium tamen verius eſſe, ex poſtremis *legis Juliæ*, verbis, quibus exprimitur, *& ſi non eodem tempore duos filios in poteſtate habuerit, liberari operarum obligatione*, ut *in noſtra l. 37. in fin. princip.* utcumque poſtrema ea verba non tam *legis Juliæ*, quam aliunde ei aſſuta cenſuerit Balduinus *de lege Papia pag.* 118. cui refellendo ſatis ſit *l. nec patronis 6.* §. *1. Cod. de oper. lib.* unde & eadem ratione ſubjungitur, *in* §. *amiſſi 1. cum* §. *ſeq. dict. l.* 37 amiſſos antea liberos prodeſſe ad eas operas, quæ poſtea imponuntur, & ſi uno filio amiſſo libertus ſe pro operis obligaverit, deinde alter naſcatur, conjungendum eſſe amiſſum ſuperſtiti, & tanquam duo patri proſint ad liberationem, quamvis quoad alias cauſas, veluti excuſationem tutelarum, aut publicorum munerum, propter liberos, non proſint patri liberi amiſſi, niſi bel- 6

lo amiſſi *l.* 2. *§. oportet* 4. *D. de excuſ. tutor. l.* 2. *§. qui ad munera* 3. cum *§. incolumes* 5. *l. ultim. D. de vacat. mun.* imo neque ex eadem noſtra *lege Julia*, quoad prælationem Conſulis in faſcibus, ut prædocuimus ad illud caput, *Reliquatione* 4. ex qua, quæ hujus propria, ſumenda.

7 Nec tamen præterire, aut diſſimulare licet ſingulare illud, quod ex *dict. §. amiſſi* 1. Accurſius illic probat, poſſe operas liberto imponi, & eum pro illis efficaciter obligari, etiam ex intervallo poſt manumiſſionem, niſi liberetur, propter liberos, *ex lege Julia*, etiam amiſſos, & proinde ſuſceptos, & in poteſtate habitos à liberto jam manumiſſo (quia nec aliter in poteſtate eſſent, *princip. Inſtitut. de nupt.* nec *quoad legem Juliam* prodeſſent *dict. l.* 37. *§. poſthumus* 6. *verſ. ex lege*) uno, aut duobus annis, ante operas impoſitas, & conſequenter ſupponitur, poſſe operas imponi intervallo poſt manumiſſionem; quomodo & dilucide exprimitur *in l. ut juris* 7. *§. jurare* 2. *D. de oper. lib.* cujus ſententiam, tanquam Triboniani, impugnat Faber *lib.* 20. *Conjectur. cap.* 18. nec felicius exponit ille ipſe, aut alii, poſt Petr. Barboſam *in l. ſi conſtante* 25. *num.* 85. *D. ſolut. matrim.* Nobis pro Ulpiano ſtare placitum, conſentientibus Accurſio, & Alberico in *dict. §. jurare.* Caſtrenſi *num.* 3. & aliis *in l.* 1. *Dig. de oper. lib.* Donello *lib.* 2. *Com. cap.* 18. Vertranio *de Jure lib. cap.* 11. Nec moventur à Fabro *expenſa l. ultim. verſ. dummodo, de liber. cauſ.* cujus ea ſincera mens, ut ſervus, qui ante manumiſſionem juravit de operis, promiſitve, non aliter obligetur, niſi poſt manumiſſionem juret, vel promittat *l. ſervum* 36. *D. de manum. teſt. l. Stichus* 24. *l. penult. D. de ſtatu lib.* nec tunc jurandi, aut promittendi neceſſitatem habeat, ſive non aliter jurare, aut promittere cogatur, niſi in continenti poſt manumiſſionem *dict. l. ultim. verſ. ideo, & v. dummodo*, ubi Alberic. *l. operis* 31. *D. de oper. lib.* Cæterum ſi ſponte ſciens ſe cogi non poſſe, juraverit, promiſeritve etiam ex intervallo poſt manumiſſionem, obligabitur omnino *dict. §. jurare* 2. *l. Campanus* 47. *D. de oper. lib. l.* 1 *§ in ſumma* 6. *Digeſt. quar. rer. actio. l. ſi vero* 64 *§. ſed ſi poſt* 3. *D. ſolut. matrim.* Namque, etiam ex intervallo poſt manumiſſionem, libertis conſentientibus, modos aliquos, & gravamina à patronis imponi ſolita, libertatis cauſa, ſive quod idem eſt, in penſationem libertatis acceptæ *l. quæ liberti* 8. *D. de donat.* didicimus ex *l. Titio* 71. *§ Titio centum* 2. *in fine. D. de condit. & demonſtr. l. Mævia* 13. *§. ultim. D. de ann. leg. l. libertis* 18. *§. ultim. D. de aliment. & cib. leg.* modo non eſſent, quæ imminerent, tanquam pœnæ, & onerarent libertatem *l.* 1. *§. quæ onerandæ cum ſeq. l.* 2. *§. ult. D. quar. rer. actio.*

8 Subſequitur *in lege Julia*, & *l. d.* 37. illud, *præter eum, qui artem ludicram fecerit, quive operas ſuas, ut cum beſtiis pugnaret, locaverit.* Summa eſt, excipi, & ſeparari à cæteris liberti liberis, eos, qui ſcenici, aut beſtiarii fuerint, quos noluit *lex Julia*, proficere patri, ad liberationem ab operis, idque recta, & aperta ratione, quo magis pater eos honeſte educaret, quam pateretur, dare ſe infamiæ miniſterio, & quæſtui, neque iſte præmio patris cedere videretur. Porro, de ſcenicorum infamia, ex noſtris legibus, & aliis, diximus plene *ad caput illud*, de quo in *l. lege* 44. *D. de ritu nupt.* ſupra *lib.* 2. *cap.* 27. & 29. ubi & de beſtiariis, ac de iſtis proprie magis alia, *cap.* 41. *num.* 2. *& ſeq. ad leg.* 1. *Cod. de natur. lib.* quæ nec recoquere, neque ampliare, nunc ſit opus.

9 Enim vero jam opus, & pretium operæ erit, diſpicere, de quibus operis exaudienda ſint, quæ ſequuntur: *Ne quis eorum operas doni, muneris, aliudve quicquam, libertatis cauſa, patrono, patronave, liberiſve eorum.* Quibus explanandis præmittimus, operarum, de queis nunc, duas ſpecies eſſe, alias officiales, quæ in officio liberti erga Patronum conſiſtunt, non in certo artificii genere *l. ſi non fortem* 26. *§. libertus* 12. *in princip.* & *verſ. ſed ſi operas, uſque ad finem, D. de condict. indeb. l. cum patronus* 22. *D. oper. lib.* veluti, ut cum patrono moretur, aut cum eo proficiſcatur, aut negotium ejus exerceat *l. hæ demum* 38. *§. in fin. D. de oper lib.* Alias artificiales, quæ in certo artificii genere conſiſtunt, ut fabriles, aut pictoriæ *l. operæ* 9. *§.* 1. *l. hæ operæ* 23. cum *l. ſeq. D. de oper. lib.* In officialibus operis præſtationem metimur ex uſu, commodoque patroni, cui præſtantur. *l. cum patronus* 22. *l. quoties* 24. *D. de oper. lib.* In artificialibus autem inſpicimus certam præſtationem pecuniæ, quia ex artificii genere, ſine reſpectu perſonæ patroni, poſſunt eſtimari *l. fabriles* 6. *Dig. de oper. lib.* officialium præſtandarum obligatio, non prius cedit, quam à patrono indictæ ſint, aut petitæ, cujus commodo edendæ ſunt *l. cum patronus* 22. *l. quoties* 24. *l. operæ* 9. *l. ſi quis* 13. *§. judicium* 2. *D. de oper. lib.* Artificiales autem, ſive fabriles, cedunt ex die interpoſitæ ſtipulationis, quia non tam ex patroni proprio commodo, quam pecunia æſtimantur *d. l. quoties* 24.

Deinde officiales patrono debentur naturaliter, & 10
ideo, etiamſi neque juratæ, neque promiſſæ ſolvantur, non repetuntur; at in fabrilibus contra eſt, quia non ſicut libertus patrono officium, ita artificium debet, & quamvis patrono promittantur, non tamen, ut patrono, ſed ut cuilibet, ut ſignate monuit Cujacius *lib.* 17. *Obſerv. cap.* 14. & poſt eum Faber *in Juriſprud. tit.* 5. *princip.* 2. *illat.* 13. Donellus *libr.* 2. *Commun. cap.* 18. Eaque eſt ſignata mens inſignis *§. libertus* 12. *dict. l. ſi non fortem* 26. *D. de condict. indeb.* Nec tamen ſemper officiales debitæ omnibus patronis, quia non ei, qui emit, ut manumitteret, & quo ceſſante ſervus ad libertatem pervenit, ex Conſtitutione Marci *l. ſi quis* 13. *D. de oper. lib. l.* 2. *Cod. eodem*, nec ei, cui libertatis cauſa bona addicta *dict. l. ſi quis* 13. *§.* 1. nec ei, qui acceptis nummis manumiſit *l.* 3. *l. ſi tuis* 7. *Cod. de oper lib.* excepto ſingulari caſu, *l. ſi eum* 9. *§.* 1. *D. de donat. inter*; neque manumittenti ex fideicommiſſi cauſa *l. ut jurisjurandi* 7. *§. reſcriptum* 4. *l. Cerdonem* 42. *D. de oper. lib. l. mater* 5. *eodem tit. l. videndum* 95. *D. de legat.* 1. niſi filius defuncti ſit, qui manumittit *l. ſi filius* 33. *D. de fideicomm. libert. l. qui ex cauſa* 29. *§.* 1. *D. de bonis lib.* vel niſi libertus, ſciens ſe non teneri, ſponte promiſerit *l. campanus* 47. *D. de oper. libert.*

Rurſus neque omnes operæ ſolis patronis deben- 11
tur, ſed officiales quidem, non ali, quam patrono, quia conſiſtunt in officio, quod ſoli patrono, & ex illius uſu, & commodo proprie à liberto debitum, præſtandumque *l. operæ* 9. *D. de oper lib. dict. l. ſi non fortem* 26. *§. libertus* 12. *verſ. ſed ſi delegatus.* Ideoque nec deberi extraneo, poſſunt, per delegationem *dict. verſ. ſed ſi delegatus*, nec marito patronæ *l. liberti* 10. *Cod. de oper. libert.* juncta *l. ſi vero* 64. *§. plane* 2. *D. ſolut. matrim.* neque ei, à quo patronus arrogatus eſt *princ. Inſtit. de acquiſit. per arrogat.* & in officialium ſtipulatione, non poteſt adjici alterius perſona, ſolutionis gratia *l. ſervus* 10. *§.* 1. *cum legib. ſeq. D. de oper. lib.* neque patroni ſervus ſibi eas ſtipulari *dict. l. ſervus* 10. *l. ſi ſervus* 38. *D. de ſtipulat. ſerv.* & hoc amplius, nec filius, ſi ſibi ſtipuletur *l. nihil* 11. *D. de oper. lib. dict. l. ſi ſervus* 38. non autem ſi imperſonaliter, argumento *ex l. ſi ſervus* 18. *§.* 1. ubi Cujacius 27. *quæſt. Papin. D. de ſtipulat. ſerv.* nec in fideicommiſſarium hæreditatis transferuntur *l. ſi patroni* 55. *D. ad S. C. Trebell.* nec ad hæredem extraneum *l. pro hærede* 20. *§. ſi quod tamen* 2. *D. de acquir. hær. l. fabriles* 6. *D. de oper. libert. l. liberti* 10. *Cod. eodem tit.* è contrario fabriles operæ, cum non tam ex patroni reſpectu, & commodo, quam ex artificii æſtimatione cenſeantur, & patrono, tanquam extraneo, præſtantur, & poſſunt aliis præſtari, & ſolvi *dict. §. libertus* 12. *dict. l. operæ* 9. *l. quia* 12. *§.* 1. *l. ſi libertus* 27. *D. de oper. libert.* nec ſolum præſtari, ſed etiam promitti ſtipulatione, tam à liberto, quam ab ingenuo, ſi artificiales operæ ſint *l.* 3. *D. de uſufr. leg. ubi*, ex Pauli ſententiis, Cujacius *l. ſi veſtram* 11. *Cod. de ingenuis manum. l.* 5. *D. de duobus reis l. inter* 31. *D. de ſolution.*

Digitized by Google

lution. in quæ, & alia juris elementa impingit Ant. Faber in juriſpr. tit. 2. princ. 2. illat. 12. & 13. & lib. 20. Conjecturar. cap. 18. & ad extraneos hæredes tranſeunt. l. Fabriles 6. D. de oper. lib. & admittunt adjectum, ſolutionis cauſa, vel extraneum, vel uxorem patroni. l. quia 12. §. 1. l. hæ operæ 23. D. de oper. lib. juncta, & huc referenda, l. ult. §. 1. D. de liberali cauſa.

12 Hiſce poſitis, quæ fortaſſe ante Academica dictata noſtra, non facile, alibi diſtincte poſita, juventus legeret, aut intelligeret, ut jam quæſito reſpondeamus, non præeuntibus, Balduino, Cujacio, Vertranio, Donello, Fabro, Gothoſredo, aut, quos ſciamus, aliis, ſuſpicamur magis, quam ſtatuimus, legem Juliam in hac liberatione ob operis reſpexiſſe non ad officiales, ſed fabriles, idque argumentis, quæ ſubjungimus. Primo, quia in dict. l. 37. §. nihil 3. ſcriptum eſt nihil intereſſe, utrum operæ patrono ipſi promiſſæ ſint, an eis, qui in poteſtate ejus ſunt, quod in fabrilibus certum eſt, l. operæ 9. §. 1. l. ſi quando 8. l. libertus 15. §. ult. in fine D. de oper. lib. & tamen in officialibus contra eſſet, quia ſi non patrono ipſi, ſed filio, aut ſervo ejus promiſſæ, non obligaretur libertus, ac proinde non egeret liberatione, ex lege Julia. l. ſervus 10. cum leg. ſeq. l. hæ operæ 23. v. quare, D. de oper. libert. l. ſi ſervus 38. D. de ſtip. ſerv. Secundo, quia in eadem l. 37. §. ſed ſi creditori 4. ſupponitur, patronum, quoad operas, ſibi promiſſas à liberto, poſſe eum delegare creditori ſuo, quod ſuppoſitum non ſubſiſteret, niſi fabriles, non autem ſi officiales operæ eſſent. l. ſi non ſortem 26. §. libertus 12. verſ. ſed ſi delegatus. D. de condit. indebiti. Tertio, quia in §. ult. verſ. quod ſi, d. l. 37. perinde ſupponitur, poſſe à liberto pro operis ſuis dari patrono expromiſſorem, qui ſcilicet de eiſdem operis, rogatu liberti, principaliter reus debendi fiat, eas expromittendo, ut in l. 1. § exceptionem 8. D. quarum rer. actio non detur. Quod itidem ſuppoſitum in fabrilibus procedit recte, quæ à quocumque, & cuicumque expromitti poſſunt, non in officialibus, quas non niſi libertus patrono, neque ali promittit, aut jurat. dict. §. libertus 12. verſ. ſed ſi delegatus. l. ſi quis pro eo 56. D. de fidejuſſor. l. ſervum 36. D. de manumiſſ. teſt. l. in liberto 77. D. de ſolut. l. nullum 10. D. de obſequiis. dict. l. operæ 9. §. 1. juncta l. ut jurisjurandi 7. D. de oper. lib. l. ult. D. de lib. cauſa. l. & per jusjurandum 13. D. de accept. Quarto, quia locuta lex Julia de operis, ſive dono, aut munere, libertatis cauſa impoſitis, ſive promiſſis patrono, patronæ, liberiſve eorum. dict. l. 37. in princ. Quæ deſcriptio convenit proprie, & indiſtincte fabrilibus operis, quæ non, niſi imponantur, debentur, & imponi ſimul cum dono, & munere, & enunciari conjunctim, tanquam ex formula, ut in noſtra l. 37. l. ut juris 7. §. Jurare 3. l. Campanus 47. D. de oper. lib. l. ſæpe 53. §. cum vero D de verbor. ſignif. l. ult. §. 1. D. de lib cauſa. l. Julianus 37. D. de bonis lib. l. 2. Cod. de bon. poſſeſſ. contr. tab. liberti, & promitti poſſunt, non tantum patrono, aut patronæ, ſed etiam liberis ſeparatim, & uxori patroni, & cuivis extraneo. dict. l. operæ 9. §. 1. cum ll. ſeq. l. libertus 15. §. ult. in fine. l. hæ operæ 23. verſ. quare D. de oper. libert. l. ult. §. 1. D. de liberal. cauſ. juncta regula l. nemo 5. de duobus reis; non item indiſtincte convenit officialibus operis, quæ, etiamſi non imponantur, debentur ſaltem natura. dict. l. ſi non ſortem 26. §. libertus, nec deberi, aut promitti poſſunt, niſi patrono, non autem liberis ejus ſeparatim, ſed ſi ſimpliciter, tanquam ſervus domino, ſtipulentur, dict. l. ſervus 10. l. nihil 11. l. libertus 15. §. ult. D. de oper. libert. l. ſi ſervus 38. D. de ſtipul. ſerv. aut ſi patronus ſimul ſibi, & liberis ſtipuletur. l. ſi quis 5. l. cum patronus 22. §. 1. D. de oper. lib. Accedit tandem illa ratio expendi digna, quod in officialibus, utpote patrono natura debitis, in libertatis grandis beneficii remunerationem. l. 1. verſ. ſcilicet D. de bonis lib. juncta l. ſed & ſi 25. §. conſuluit 11. D. de hæred. pet. & obſequio fere proximis. l. illis 84. D. de condit. & demonſtr. juncta l. quod niſi 20. in fin. l. hæ demum 38. in fin. D. de oper. lib. adeo ut inobſequioſus libertus, dicatur inofficioſus. l. 1. D. de jure patron. l. ultim. D. de in jus voc. & officii, vox in liberto fuerit, veluti teſſera qualiſcumque, vel inhoneſtæ ſubjectionis patrono, ut apud Senecam declamator ille; haud perinde in facili, æquumve fuit, propter liberti liberos, patronalis verecundiæ jura minui, lege Julia, aut Papia, quibus potius ea jura adaucta, & firmata. §. poſtea 2. Inſtit. de ſucceſſ. lib. l. ſi patronus 20. in fin. D. de donat. §. licet 3. & §. contra 5. cum §. 6. & 7. apud Ulpianum tit. 29. ubi & dicemus ad cap. 14. cum ſeq. Diverſum in fabrilibus, & donis, ac muneribus, quæ nec natura patronis debitæ, nec patronalia proprie jura, ſed in queis imponendis, libertatis cauſa, ſæpe patroni abutebantur, & libertos onerabant eo uſque, ut coarctanda res fuerit ex Prætorio edicto. l. 2. D. de oper. lib. l. 1. D. de bonis lib. l. 2. §. quæ onerandæ, cum ſeq. D. quar. rer. actio non det. l. penult. D. ſi à parente quis fuer. manum. l. nullum 10. D. de obſequiis.

Proprie autem, his verbis, & mentioni operarum 13
in lege Julia, annectitur quod ſcriptum eſt in dict. l. 37. §. Julianus 6. etiamſi jam petitæ ſint operæ, ſcilicet à patrono in judicio, libertum tamen, ſublatis, ſeu ſuſceptis poſtea liberis, abſolvendum fore, nempe quia liberatio propter liberos, proficit etiam ad præteritas operas, ut in §. non ſolum 5. & judicio non petuntur, niſi præteritæ operæ. l. ſi quis 13. §. judicium 2. l. 4. in fin. l. ſi quando 8. D. de oper. lib. At ſi jam operarum nomine libertus condemnatus ſit, non liberari eum propter liberos, quoniam, ut ait Paulus, jam pecuniam debere cœpit: id eſt, non operas, de quibus legis Juliæ verba fuere, ſed pecuniam debet, ſive ſummam, qua operæ æſtimatæ, & in quam pro illis non præſtitis condemnatus eſt, ut in l. medicus 26. §. 1. l. ſi ita 39. §. 1. D. de oper. lib. juncta regula l. ſi quis ab alio 13. §. in fin. D. de re judic. l. ſtipulationes 72. D. de verb. obligat. Quamvis aliud, ut diximus, ante condemnationem, etiamſi in judicio petitum, & lis conteſtata ſit, quoniam adhuc ſunt operæ, quæ principaliter petuntur, debenturque, nec transfunditur obligatio in æſtimationem, niſi poſt condemnationem, & judicatum l. ſi fundus 16. §. ſi pluris 6. D. de pignor. l. 3. §. idem ſcribit 11. D. de peculio.

Secundum quæ, & vel curſim explanandus Ulpia 14
nus in l. ſi operarum 29. D. de oper. liber. dum definit, ſi de operis (nempe officialibus, de queis eum loqui, textus ipſe, & Gloſſæ omnes ſupponunt) judicio actum fuerit cum liberto, & patronus deceſſerit, non eſſe dandam hæredi extraneo translationem, ſcilicet judicii accepti, ſeu litis conteſtatæ, quomodo ea locutio uſurpatur in l. tam ex contractibus 57. D. de judic. l. ſed ſi unius 17. §. ſi pater. 14. D. de injur. ſive, quod idem eſt, non eſſe continuandam litem, de operis contra libertum per hæredem extraneum, quia officiales, de quibus lis conteſtata, in eum non tranſeunt. l. pro hærede 20. §. ſi quid tamen 2. D. de acquir. hær. l. fabriles 6. D. de oper. libert. l. liberti 10. Cod. eod. tit. aliter atque ſi non tantum lis, ſed etiam condemnatio in æſtimationem ſecuta eſſet, quia jam non operæ, ſed pecunia deberetur, ut in noſtra l. 37. §. Julianus 6. junctis alioquin difficillimis, & ad hunc fortaſſe caſum referendis verbis dict. § ſi quid tamen 2. verſ. cum petitio, cui reſpondent Baſilica lib. 35. tit. 14. & in queis explorandis nutat valde, poſt Accurſium illic, verbo, maxime, Albericus. Diverſum porro; ait Ulpianus in dict. l. ſi operarum 29. in filio, cui etſi hæres non extet, ſeu non perſeveret, quia ſe abſtinuit, ſi tamen exhæredatus non ſit, atque etiamſi lis conteſtata non fuerit, datur petitio, de operis officialibus, magis ut patroni filio, quam ut hæredi. d. §. ſi quid tamen in princ. l. ſi patroni 55. D. ad S. C. Trebell. d. l. cum fine 11. in fin. D. de Carbon. edict. electus in re textus l. ult. D. de oper. lib. l. fabriles 6. l. ut juris 7. §. ſi liberi 6. l. cum patronus 22. §. 1. D. de oper. libert. cujus hæc eſt cum dict. l. ſi operarum 29. recta, & certa expoſitio, & compoſitio, utcumque temere emendet Cujacius lib. 17. Obſerv. cap. 14. & lib. 20. quæſt. Pap. in d. l. ſi patroni 55.

15 Succedunt illa verba: *de quibus juraverit, vel promiſerit, obligatuſve erit.* In queis ſignantur tres operarum imponendarum modi; Primus: promiſſio, ſive ſtipulatio, cujus notiſſimus, & communis, tam in ſpondendis operis, quam aliis rebus uſus. Secundus, qui ſupponitur verbis illis, *obligatuſve erit*, & eſt conventio, ſub qua data eſt libertas, & conventio tunc facta, de operis præſtandis, quo etiam caſu obligatur poſtea libertus. *l. in liberto* 77. *D. de ſolut. l.* 3. *Cod. an ſervus pro ſuo facto. l. & eleganter* 7. §. *ſervus* 8. *D. de dolo*: ex queis ita contra Donellum Faber *in juriſpr. tit.* 5. *princip.* 2. *illat.* 15. Tertius, præcipuuſque, jusjurandum, quia quamvis ex eo, ut vocant, promiſſorio, non detur actio civili jure, non magis, quam ex pacto nudo. *l. Juris gentium* 7. §. *ſed cum nulla* 4. *D. de pactis*, juncta *l. Stichum* 95. §. *naturalis* 4. *D. de ſolut. l. ult. de jurejur.* Si tamen jusjurandum ſit liberti, de dono, munere, operis, patrono præſtandis, contrahi obligationem efficacem, & quidem verborum, & ſine interrogatione, utcumque ratio ejus ſubnitatur, non tam ſolemnitate verborum, quam religione, ſcribit Caïus ſic exaudiendus, *lib.* 3. *Inſtit. tit.* 9. §. *Item* 5. junctis, & conferendis *l.* 2. illic: *Veluti ſtipulatione, D. de reb. credit. l. ult. de lib. cauſa* (niſi quis malit, quod nobis jam olim Salmanticæ, *in Recitationibus ad tit. de verb. obl.* magis placebat, adjectionem illam, quæ extat *in d.* §. *item* 5. *verſ. exponendum hic*, non eſſe ex Caïo, vetere Juriſconſulto, ſed ex Aniano Gotho, à quo illius inſtitutiones in epitomen redactæ, & pleraque interpolata, & addita, ſicut illud, de manumiſſionibus in Eccleſia, *lib.* 1. *tit.* 1. §. 1. & ſimilia, de queis, poſt Cujacium, & alios, Hilligerus *ad Donell. lib.* 4. *cap.* 36. *litt. B.* & inter alia hoc de obligatione ex juramenti religione, *non ex verborum ſolemnitate*, quod poſtremum adſutum ab Aniano, reſpiciente ad jus novum, quo verborum ſolemnia, & formulæ in commune ſublatæ. *l.* 1. *Cod. de formulis. l. ult. Cod. qui admitti. l. quoniam* 15. *Cod. de teſtament. l. omnes* 10. *Cod. de contr. ſtipul.*) Ea autem obligatio, firmata, non tam *legibus Julia, & Papia*, ut dubitanter, poſt Cujacium, Briſſonius tentavit, *de verb. jur.* in voce, *donum* Cujacius *lib.* 15. *quæſt. Pauli in l. ſi quis pro eo* 56. *D. de fidejuſſor.* quam ante illas, & fortaſſe jam inde à magno illo Juriſconſulto, & exule, Rutilio Prætore (*Juliis legibus* antiquiore, ut vel liquet *ex l.* 2. §. *ab his profecti* 40. *D. de orig. jur.*) & aliis Prætorum edictis. *l.* 1. *D. de bon. lib. l. ſæpe* 53. *verſ. cum vero dicit Prætor, D. de verb. ſign. l. Campanus* 47. *D. de oper. lib. l. nullum* 10. *D. de obſequiis. l.* 4. *D. ſi à parente quis fuer. manumiſſ.* Porro hæc verborum obligatio ex jurejurando liberti, de operis, vel inducta, vel efficta, ut diximus, verbis, conceptis, ſive ſolemnibus, quæ indicantur *in l. ut juriſjurandi* 7. §. *jurare* 3. *l. Campanus* 47. *D. de oper. lib. l. ult.* §. 1. *D. de liber. cauſa* & *in noſtra l.* 37. *in princip.*

16 Ex qua animadverſione Salmanticæ exponebamus, quod Ulpianus ſcribit *in l. & per juſjurandum* 13. *D. de acceptil.* de obligatione jurisjurandi liberti de operis, tollenda per acceptilationem, ut intelligatur, non præcedente ſtipulatione Aquiliana, ut voluit Hilligerus *ad Donell. lib.* 14. *cap.* 36. *litt. H.* ſed, ut ſcite Briſſonius *lib.* 2. *de Solutionib.* ſive ea, & directo per acceptilationem, quia quamvis intervenerit religio juramenti, quæ dubitandi ratio fuit, inſinuato verbo, *verius*, *in dict. l.* 13. juncta *l. ult. de liber. cauſa*; fuit tamen proprie obligatio verborum, & quæ proinde verbis tolli potuit, ex regula *l. an inutilis* 8. §. *acceptum* 3. *D. de acceptilat. l. nihil* 35. *l. fere* 153. *D. de reg. jur.*

17 Exponebamus itidem, quod elicitur *ex l. certum* 6. §. *ſi quis abſente verſ. nam &, D. de confeſſis*, libertum, jurantem de operis, non obligari abſenti patrono: nempe idcirco, quia quamvis alioquin ex jurejurando procuratoris obligetur abſens dominus, eique exceptio acquiratur, & actio ſaltem utilis. *l. nam poſtea* 9. §. *penult. l. Jusjurandum* 17. §. *ult. l. ult.* §. *pen. D. de jurejur.* juncta *l. non ſolum* 39. §. 1. *D. de procurat.* non item ex jurejurando liberti, quia obligatio non tam ex religione juramenti eſt, quam verborum, quæ abſens non exaudit, nec contrahitur, niſi utroque præſente, ſicut ſtipulatio, utroque loquente. Ut apud Caïum *dict. lib.* 3. *tit.* 9. §. 3. & 5. juncta *l.* 1. *in princip.* & §. 1. *D. de verb. oblig.*

Tandem nec diſſimiliter exponebamus, quod traditur *in l. ſervum* 36. *D. de manum. teſt. l. ult. D. de liber. cauſ. l. Stichus* 24. *D. de ſtatu lib.* ſervum, ante manumiſſionem, jurantem de operis, non obligari, ſive quod idem eſt, debere jurare poſt manumiſſionem, ut obligetur. *l. ut jurisjurandi* 7. §. *jurare* 2. *de oper. lib.* cui conſequenter, & *eodem libro* 28. *ad Sabinum*, Ulpianus idem *in l. in perſonam* 22. ubi Rævardus, *D. de reg. jur.* definit, in perſonam ſervilem nullam cadere obligationem, id eſt, neque civilem, neque naturalem, nempe ex illo jurejurando de operis, de quo *in dict. l. ut juris* 7. Ulpianus tractabat, quia quamvis regulariter nihil tam ſcitum, quam obligari ſervum, ſaltem naturaliter, ex contractibus juris gentium. *l. ſervi* 14. *D. de oblig. & act. l. naturaliter* 13. *D. de condit. indeb.* & ſervus capax ſit obligationis, & religionis juramenti, utpote juris gentium. *l. ſi quis* 12. *D. de manum. teſt. l. ſi quis ita* 13. §. *qui ita* 4. *D. de ſtatu lib. dict. l. ultim. D. de liber. cauſa.* juncta *l. quod attinet* 32. *D. de reg. jur.* & ex juramento ſervi actio, & exceptio domino detur. *l. ſervus* 20 *l. ſi ſervus* 23. *cum legib. ſeq. D. de jurejur.* quin & quod proprie, & magis urget, obligetur naturaliter ſervus, promittens domino per ſtipulationem *l. ſi quis. pro eo* 56. §. 1. *v. ex diverſo.* juncta *l. ſed & ſi* 20. *de fidejuſſorib.* accepta ſcilicet capacitate ex perſona domini. *princip. Inſtit. de ſtipul. ſerv.* §. *ſi quis alii* 4. *verſ. ei vero, de inutil. ſtip.* non tamen obligatur, ex juramento de operis, quia eſt verborum obligatio tota civilis, & ita inducta, & efficta; ut libertum eſſe oporteat, qui juret. *dict. l. ut juris* 7. *l. ſi quis pro eo* 56. *D. de fidejuſſor. l. ultim. D. de lib. cauſ. ſervus* 36. *D. de manum. teſtam.* & proinde ſi ſervus domino juret, non poſſit fieri capax, ex perſona domini, quia non eſt libertus, qui jurat. *dict. l. ſi quis pro eo* 56. in quo hæc verborum obligatio differt à ſtipulatione, quæ reſtricta non eſt ad res certas, perſonaſve, ut fere indicatur *in l. Stichus* 24. *de ſtatu lib.* Sed in jurejurando inductum, ut non niſi jam libertus juret, ne ſi ante juraſſet, vel poſtea, religione veluti adſtrictus, ad aliqua enormia implenda adigatur, aut ſi non impleat, perjurio locus fiat, quorum utrumque eſſet contra Prætoris mentem. *l.* 2. *l. ut juris* 7. *in princ.* & §. *Jurare* 2. & 3. *D. de oper. lib. dict. l. ult. D. de lib. cauſa. l. quæ ſub conditione* 8. *D. de condit. inſtit.* 18

Reliqua ſunt in *legis Juliæ* verbis illa: *dare, facere, præſtare debeto*, quæ & fere ſolemnia in juris uſu. *l. Julianus* 13. §. *idem Julianus* 6. *D. de action. emti.* At quod notatu dignum magis eſſe ea verba in rem ſcripta, non in perſonam, quomodo hæc inter juris auctores diſtingui ſolent. *l.* 1. §. *plane* 2. *l.* 4. §. *metus* 33. *D. de doli except. l.* 1. §. *ſi fidejuſſor. D. quar. rerum actio. l. ſi à ſe* 10. *cum l.* 5. *D. ut legator. l. exceptiones* 7. *in princip.* & §. 1. *D. de except. l. qui in futurum* 57. §. 1. *D. de pactis.* ſive eſſe indefinita, & generalia, & proinde libertum ab operis, quas patrono promiſit, juravit, obligatuſve fuit, liberari, propter liberos, ut eas dare, facere, præſtare non debeat, indefinite neque patrono ipſi, neque ali; ne ſcilicet à liberis ſuſceptis alendis avocetur. Eſt autem ex his verbis, & eorum ſenſu, inferenda lux loco, alioquin tenebricoſo, *ejuſdem l.* 37. §. *ſed ſi creditori* 4. quem Faber *in juriſprud. tit.* 2. *princ.* 2. *illat.* 8. ne Paulum accuſet, Triboniano ſcribit, *ex verſ. poteſt tamen*; ſed immerito, ſi obſervetur, Paulum, quod in principio *dict.* §. *ſed ſi creditori*, ſubdubitans poſuerat, nempe ſi patronus libertum in operas fabriles, quas ei promiſerat, delegaverit creditori ſuo, non liberari libertum, *ex lege Julia*; quia per delegationem ipſam ſolviſſe operas patrono creditur. *l.* 3. *in fin. Cod. de novat.* nec poteſt libertus, qui delegatio- 19

Digitized by Google

gatione, velnti ſolutione à patrono liberatus eſt, amplius liberari, *ex lege Julia*; qui ſenſus eſt prioris partis *dict.* §. *ſed ſi creditori*; ſubjungere eumdem Paulum poſteriore, & firmiore aſſertione, poſſe adhuc dici, libertum liberari, non quidem à patrono, à quo per delegationem liberatus eſt, ſed à creditore, cui delegatus eſt, quia quamvis regulariter exceptio, quæ poterat deleganti opponi, non obſtet ei, cui quis delegatus ſit. *l. doli* 19. *D. de donat.* & quidem in ſimillima ſpecie, *l.* 1. §. *quod ſi patronus* 10. *D. quarum rer. actio*; id tamen ceſſat, quoties in rem, & generaliter debitor, qui delegatur, liberatus jure eſt, ut libertus propter liberos, ne operas, quas patrono promiſit, ei, alive præſtare debeat, quia tunc ſufficit, quod & verum eſt, duos, pluresve liberos habere (quorum favore liberatio hæc ſubnititur) & patrono eum promiſiſſe, quamvis potrono nunc poſt delegationem non debeat, ut ſcriptum eſt *in dict. verſic. poteſt tamen*, in quo diverſa ſpecies eſt. *dict.* §. *quod ſi patronus* 10. *dict. l.* 1. *D. quar. rer. actio*, quia exceptio illa, de impoſitis, onerandæ libertatis cauſa, non fuit in rem, & indefinite concepta, ne exigerentur, ſed ne patronus exigeret, in pœnam oneratæ à patrono libertatis. *l.* 1. §. *quæ onerandæ* 5. *l.* 2. *l. bis, qui* 32. *D. de oper. lib. l.* 1. *de bon. lib.* cæterum ſi, ut tandem Paulus ſubjungit, ab initio, delegante patrono, libertus creditori promiſerit ſabriles operas, quas patrono non promiſerat, non liberatur *lege Julia*, quia patrono nunquam promiſit, juravit, obligatuſve fuit, queis caſibus *lex Julia* locuta, nec extra eos producenda. *l. quod vero* 14. *D. de legib.* ſicut neque ab operis, ad pecuniam, ut *in* §. *Julianus* 6. *dict. l.* 37.

20 Neque alterius rationis eſt explicatio §. *ult. dict. l.* 37. quo loci proditur, etiamſi de perſona liberti, verba *legis Juliæ* fuerint, prodeſſe tamen liberationem etiam illius fidejuſſori, ea ſententia ejuſdem legis, quæ generalis fuit, ne libertus, qui patrono promiſit, præſtare debeat illi, vel ali, & proinde nec fidejuſſori, cui alioquin, ſi pro eo ſolviſſet, præſtare deberet. *l.* 1. § *exceptionem* 8. *D. quarum rer. actio.* juncta regula *l. in omnibus* 43. *D. de ſolut.* Quod ſi pro operis libertus expromiſſorem patrono dederit, nihil ei profuturum hoc caput *legis Juliæ*, Paulus concludit, cujus mentem, rationemque in hac parte captant varie potius, quam capiunt, Balduinus *de lege Papia pag.* 120. Faber *dict. tit.* 2. *princ.* 2. *ill.* 18. Vertranius Maurus *de Jure Liber. cap.* 12. (quem *eo capite* & 11. quod præceſſit, operam perdidiſſe, libere fortaſſe dicetur, at non citra verum) At ut vere, breviterque, animadvertimus, non infrequens eſſe, ut reus debendi, & principaliter obligatus, ſive expromiſſor quis fiat pro liberto, qui ipſe non promiſerit. *l. eleganter.* 7. §. *ſervus pactionis* 8. *de dolo l. aliquando* 13. *D. ad S. C. Vellei.* quo ſane caſu, neque expromiſſori contra patronum, neque liberto contra expromiſſorem, proderit liberatio, ex *lege Julia*, quia verum eſt, libertum patrono non promiſiſſe. *dict.* §. *ſed ſi creditori* 4. *verſ. nam verum*; cum tamen ſi prius libertus promiſiſſet, & ipſi, & expromiſſori prodeſſet, ſicut fidejuſſori. *d. l.* 1. §. *exceptionem* 8. *verſ. nec ei quidem*, *D. quar. rer. actio.*

Supererat dumtaxat in *legis Juliæ* verbis, & illa 21 adjectio, *verſ. etſi non eodem tempore*; de qua diximus ſupra, *ad verba*, *in poteſtate habebit.* Et quod in ea exprimitur, de filio uno quinquenni, ne ſine exemplo ſit, facit Livii locus *lib.* 45. & ne primus Gothofredus notarit, prænotarunt, Cujacius *ad titul. de jure patronatus*, & alii.

Tandem pro corollario eſſe poſſet Cujacii con- 22 jectatio, *lib.* 9. *Obſervat. cap.* 38. ſcribentis, ſumpto argumento, ex deſignatione filii quinquennis, *in noſtra l.* 37. definitam eſſe, *Julia lege*, ætatem quinque annorum, ut ab ea, ſive exinde æſtimari incipiant operæ infantis ſervi ſive pueri, ut *in l. ultim* §. 1. *D. de oper. ſerv. l. cæterum* 31. *cum l. ſeq.* quam ex hac conjectura corrigit, *D. de rei vind. l. ultim.* §. *ult. D. de liber. cauſa.* Nos conjectatio hæc, ſolo Cujacii auctoritatis (quanquam ea magna eſt) tibicine nitens, non eſt, cur moretur.

AD CAP. XI. EX LEGE JULIA.

RELIQUATIO X.

Ad l. plane 14. *l. liberta* 46. *D. de oper. libert. l. libertæ* 8. *Cod. eodem tit.*

ARGUMENTUM.

ADſcripſimus hoc caput, *poſt* Cujacium, legi Juliæ, *conjectura ducta* ex l. 14. D. de oper. lib. *quæ adſcribitur* Terentio Clementi ad leges noſtras; & *quia ſententia*, & *ratio*, *conſentanea* legi Juliæ *viſa*, *nempe*, *ut ab operis*, *tanquam libertæ*, *liberetur ea*, *quæ patrono nupſit*, *ſicut* & *ea*, *quæ patroni aſſenſu ali nupta*, *de qua* in dict. l. 14. & *hoc amplius*, *patroni concubina*. l. 46. D. de oper. lib. *Ratio autem fere expreſſa* in l. 8. Cod. eodem titulo.

1 LEvioris operæ eſt, neque alia ope, niſi conjecturæ, adſcribit *hoc caput*, & quod proxime ſequitur, Cujacius, *ad tit. Cod. de oper. lib.* cui tamen Gothofredus ſubſcripſit, *ad leges noſtras*, & nos jam olim *in Academicis aſſertionibus.* Sententia ea fuit, ne patronus, qui libertam ſuam duxit uxorem, operarum petitionem in eam exerceat, *l. libertæ* 8. *Cod. de oper. lib. l. liberta* 46. *D. eodem tit.* qua hoc ipſum jus producitur ad libertam, quæ in concubinatu patroni ſit, argumento *ex l.* 1. *in princip.* & *l.* 2. *D. de concubin. l. ultim. D. de divort. l. ſi uxor* 13. *D. ad leg. Jul. de adulter.* Conjecturæ ratio ducitur ex eo, quoniam proximo, & de quo jam dicturi, capite cautum, ut in libertam, quæ cum patroni aſſenſu nupſit, non ſit operarum petitio patrono, niſi poſtquam nupta eſſe deſiit, quo pertinet *l. plane* 14. *D. de oper. lib.* ex *lib.* 8. Terentii Clementis *ad leges Juliam*, & *Papiam*; ſicut eiſdem legibus, de matrimonio patroni cum liberta, ac ne, eo invito ali nubat, cautio edita, de qua ex *eodem lib.* 8. Terentii Clementis eſt *l. filio* 48. *D. de ritu nupt.* & ex aliis conſultis. *l. in eo* 45. *cum l. ſeq. l. proxime* 50. *D. eod. tit. dict. l. ultim. D. de divort. l. unic.* §. 1. *Dig. unde vir*, & *uxor.* Jam hujus capitis propria ratio, expreſſa ſatis *in d. l. libertæ* 8. *C. de oper. lib.* ſcilicet quia patronus libertam ſuam uxorem ducens, dignitatem illius duxit, & ſuæ veluti æquavit. *l.* 1. *D. de rit. nupt. l.* 4. *C. de crim. expil. hæred.* nec debet jam ab ea, tanquam liberta, exigere operas, ex ratione *l. interdum* 34. *in fin. D. de oper. lib.* quin potius debet contentus eſſe beneficio *legis Juliæ* illo, quod eo invito ali nubere non poteſt. *d. l. libertæ* 8.

AD CAPUT XII.

RELIQUATIO XI.

Ad l. 48. cum l. 14. D. de oper. lib. l. 11. Cod. eodem titul. l. 2. Cod. de obſequiis.

ARGUMENTUM.

A*Dſcriptum itidem hoc caput* legi Juliæ, *ex conjectura* dict. l. 14. *& quia nuptiis, & ſoboli indulgens; quanquam & alia ratio, prodita* in l. 48. D. de oper. lib. *quæ, & aliæ illius tituli ad rem ſunt, nec* Scholiaſtem *deſiderant. Aſt notatur* in l. 2. Cod. de obſeq. *vocem*, aut, *accipiendam pro conjuncta, ſive prò, & Notatur etiam* in eadem l. 2. *officii, nomen, referendum ad officiales operas, non ad obſequium. Atque ex his alii loci expoſiti.*

1 EST & hoc caput, quod adſcribatur *legi Juliæ* à Cujacio, quem nos ſecuti, ac poſtea Gothofredo, ex eadem conjectura illa *l. plane* 14. *D. de oper. lib.* de qua nuper, & quia matrimonii, & ſobolis cauſa, queis *lex Julia* proſpexit. *l. hoc modo* 64. *in fine, D. de condit. & demonſtr.* fuiſſe illius hanc providentiam in favorem libertarum nubentium, & illarum prolis, facile ſuadent; non enim æque promta, aut juſta coactio ad operas, in liberta jam nupta, juxta illud Martiani Capellæ *lib.* 1. *de Nupt. Phil. Stimulabat paululum Jovem, ne uxoris Cyllenius fotibus repigratus, ſomnolento repente marcore torperet, & veluti maritali vacatione feriatus, diſcurſare ſub præceptis Jovialibus, denegaret.* Acceſſit ſpecialis ratio (quæ tamen ſola non ſufficiat, ut mox dicemus) quod æquius melius ſit, libertam nuptam operas, & officium marito exlubere, quam patrono, *l. ſicut* 48. *D. de oper. lib.* qua & illud exprimitur, patronæ, & filiæ, nepti, pronepti patroni, etiamſi libertæ nuptiis conſenſerint, non negari petitionem operarum, quia illis etiam à liberta nupta non præbentur indecore. Pertinent ad hoc caput, & illius ſunt appendices, *l. ſi quis hac* 3. *§ pen. & ultim. dict. l. plane* 14. *l. ſi duorum* 28. *l. ſi libertus* 30. *in fine. D. de oper. lib. l. quod ex liberta* 11. *Cod. eodem titul. l.* 2. *Cod. de obſeq.* quæ interprete non egent, & enarratorem habent Donellum 2. *Comm. cap.* 28. Fabr. *in Juriſpr. tit.* 5. *princip.* 3. *illat.* 18. Connanum 2. *Comm. cap.* 8. Schifordeg. *lib.* 3. *tract.* 2. *q.* 12.

Duo ſaltem non ſilenda, pro *l.* 2. *Cod. de obſeq.* 2
Primum eſt, in verbis illis, *aut jure nupſit*, vocem *aut*, accipiendam pro conjunctiva. *l. ſæpe* 53. *D. de verb. ſign.* ſive pro, *&*, ut proinde ſermo ſit de liberta, voluntate patroni, & jure nupta, de qua Terentius Clemens *eodem lib.* 8. *in l. filio* 48. *D. de ritu nupt.* quæ conferenda *cum dict. l. plane* 14. Id, quod utrumque, & conjunctim requiritur; quippe ſi non jure nupſiſſent, etiamſi patronus conſenſiſſet, poſſet operas exigere. *dict. l. ſicut* 48. *§. ſi autem, D. de oper. lib.* junctis in eamdem ſententiam, *l. adigere* 6. *§. ultim. D. de jure patron. l.* 3. *§. ſi quis libertam* 5. *D. de ſuis, & legit.* & è contrario, quamvis jure nupſiſſet, tamen ſine aſſenſu patroni, non proliberetur patronus ab operis exigendis. *l. ſi duorum* 28. *D. de oper. lib.* atque in hunc ſenſum, demta particula, *aut*, Græcos intellexiſſe *dict. l.* 2. cum hæc ſcripta relegerem, video apud Cujacium, *ad tit. Cod. de oper. lib.* ſecundum eſt *in eadem l.* 2. dum ſcribitur, non cogendam libertam, præſtare officium, vocem, *officii*, exaudiendam eſſe de officio, ſive officialibus operis, non de obſequio, quanquam eo trahere videatur Rubrica *de obſequiis*, ſub qua à Triboniano collocata ea lex; namque obſequium, &, exceptis operis, alia patronatus jura retinet patronus in libertam, etiam ſuo aſſenſu, & jure nuptam. *l. quod ex liberta* 11. *§.* 1. *Cod. de oper. lib.* &, quoad obſequium, non ptotritus locus Ulpiani *in l. non ſolum* 11. *§. quanquam* 7. *D. de injur.*

AD CAPUT XIII.

RELIQUATIO XII.

Ad leg. libera 35. *D. de oper. lib. Explanatio; & ad leg.* 5. *D. de oper. ſerv. conjectanea.*

ARGUMENTUM.

T*Ribuitur etiam hoc caput* legibus *noſtris, argumento ex inſcriptione* l. 35. D. de oper. lib. *quæ tribuitur* Paulo lib. 1. ad leges noſtras, *à quo tamen, & à fine* legum *noſtrarum, & alio* capite, *de nuptiis quinquagenariæ, diſſentaneum videtur, dum libertam quinquagenariam nuptam excuſat ab operis patronalibus. Sed exaudiendum pridem cenſuimus, de nupta ante annum quinquageſimum, quæ deinde uſque ad eum annum nupta perſtitit, & poſt inde liberatur pœnis legum, ut ex* Auguſtino, *&* Ulpiano *conſicimus. Aſſuitur huic* capiti, *&* l. 14. D. de oper. lib. *à* Gothofredo, Terentii ad leges noſtras *locus*, in l. 5. D. de oper. ſervorum, *quæ* Terentii Clementis *eſt*, ad leges Juliam, & Papiam, *ſed emendata à* Gothofredo *epigraphe. Nobis ſi corrigendæ, & jungendæ forent*, d. l. 14. & l. 5. *transferre, & conſerre aliter liceret, operas libertorum, & ſervorum. Aſt ſedet magis animo, jungere, & conferre* dict l. 5. cum l. ult. §. 1. & 2. D. qui, & à quib. *quæ ex eodem* Terentio Clemente *eſt, & pertinens ad caput* legis Æliæ Sentiæ, *de non obligandis libertis ad mercedem pro operis. Qua occaſione, facibs tranſitus ad collationem, & differentias inter libertorum operas, & ſervorum, de queis aliqua.*

1 FUiſſe & hoc caput, ſeu cantionem, *ex noſtris legibus Julia, & Papia* cenſuit Cujacius *lib.* 40. *Pauli ad edictum, in l. ſi ſervi* 10. *D. uſusfruct. quemadm. cau.* & *ad tit. Cod. de oper. lib.* cui noviores alii adhæſere, ex conjectura epigraphes noſtræ, *l. liberta* 35. *D. de oper. lib.* quæ eſt, *ex libro* 2. *Pauli ad leges Juliam, & Papiam.* Nec tamen id ſuaſu facile primo aſpectu, quia cum eiſdem legibus, & maxime *Papia*, nuptiæ cum muliere quinquagenaria improbentur, tanquam inutiles ſobolis procreationi. *l. ſancimus* 27. *Cod. de nupt. l. ſi major* 12. *Cod. de legit. hær.* juncto Ulpiano *tit* 16 *§. ult.* & Reliquatione noſtra ad id *cap.* 26. abſurdum, & ab ipſarum legum fine abſonum videtur, præmium liberationis ab operis, tribui libertæ quinquagenariæ, quæ ſi quinquagenaria nupſit, potius obnoxia eſſe debuit pœnis earum legum, & ſin unquam ante eam ætatem nupſit, perpetuis pœnis ex S. C. Perniciano, de quo Ulpianus *dict. tit.* 16. *§. qui intra.* ſed expediendæ breviter rei, cenſuimus pridem Salmanticæ, accipi Paulum debere *in dict. l.* 35. de liberta ante quinquageſimum annum nupta, ſine conſenſu patroni, quæ quamvis tunc ab operis patrono præſtandis, non liberetur, ut docuimus *præcedente capite*, ex *l. ſi quis* 13. *§. penultim. l. ſi duorum* 28. *Digeſt. de oper. libert.* ſi tamen uſque ad quinquageſimum annum in matrimonio perſtiterit,

Google

ſtiterit, liberatur poſt inde pœnis legum, Ulpiano auctore, dict. titul. 16. in princip. verſic. item ſi utrique (ex quo in hunc ſenſum in aſſertionibus Academicis effinximus caput, deductum ex dict. l. 35. an recte, eruditi cenſento) & poſt eam ætatem jus liberorum conſequitur, ut ſcripſit, ſenſitve D. Auguſtinus lib. 3. contra Julianum, idcircoque & liberatur, poſt eum annum quinquageſimum ab operis præſtandis, ad inſtar libertini, duos, pluresve liberos in poteſtate habentis. l. qui libertinus 37. D. de oper. lib. quæ ex eodem lib. 2. Pauli eſt, ad legem Juliam, & Papiam, cum noſtra l. liberta 35. & hæc illius veluti appendix, & acceſſio.

2 At enim, ne pergamus, huic conſtituto, & his, quæ proximis Reliquationibus præceſſere, de operis libertorum, annectit Jacobus Gothofredus ad leges noſtras pag. 280. Terentii Clementis locum, in l. operis 5. D. de oper. ſerv. cumque ex libro 18. in quo illum exhibent Everlini, & aliorum indices, transfert in octavum, jungitque cum l. plane 14. quæ ex eodem libro 8. Clementis, Digeſt. de oper. libert. Nos correctioni huic mendorum, quæ in hiſce numeris librorum, inſcriptionumque frequentia ſunt, haud gravate aſſentientes, adjicimus, ſi jungendæ ſint, dict. l. 5. de oper. ſerv. cum dict. l. plane 14. non defuiſſe occaſionem, tranſeundi ab operis libertæ, de queis in dict. l. 14. ad operas ſervi, de queis in dict. l. 5. ſi animadvertatur in dict. l. 14. neceſſario incidere debuiſſe inſpectionem, de diviſione, ſive parte operarum ejus anni, quo liberta nupta eſſe deſiit, quomodo ſcilicet ea pars æſtimanda, aut patrono ſolvenda ſit, cum operarum pars proprie non ſit, ſed individuæ operæ libertorum. l. 3. §. 1. l. ſi quando 8. D. de oper. lib. ſicut operæ ſervorum. l. 1. §. ſi uſusfructus, verſic. ſed operis Digeſt. ad leg. Falcid. quia operæ in uſu conſiſtunt, quia individuus. l. uſus 19. Digeſt. de uſu, & habit. l. viæ 17. D. de ſervit. l. ſtipulationes 72. D. de verb. obl. & operis ſervi legatis, uſus datus intelligitur, ut Terentius definit, in dict. l. 5. D. de oper. ſerv. cui veluti aſſuendæ cum dict. l. 14. tentari hæc poſſent, & ſatis eſſe; cæteroquin definitio illa de uſu, contento in operis, cum qua non convenit alia Pauli, in dict. l. 1. §. ſi uſusfructus, verſ. ſed operis, D. ad leg. Falcid. juncta l. 5. §. ultim. D. uſufr. quemadm. cau. & à Terentio in dict. l. 5. cum non tam quia ad leges noſtras pertineat, quam obiter poſita, habet etiam expoſitores perplures, quos adire juventus poteſt.

3 Nobis interim, ductum illum Gothofredi ſequentibus, & tranſlato ad librum octavum loco illo Clementis in d. l. 5. placet magis jungi eum poſſe cum eo, qui ex eodem Clemente, & libro 8. extat in l. ult. D. qui, & à quibus in § 1, & 2. qui pertinent ad illut caput legis Æliæ Sentiæ, quo patroni prohibebantur, obligare libertos, ut mercedem pro operis præſtarent; idque, quia ea obligatio onerare libertatem videtur. l. ſi ita 39. l. is, qui 81. D. de oper. lib. ſicut revenditio operarum. l. Julianus 37. D. de bon. lib. l. ſi quam 4. Cod. de oper. lib. Pertinent ad idem caput legis Æliæ Sentiæ, lex adigere 6. §. 1. D. de jure patron. l. patronus 25. D. de oper. lib. l. nec patronis in princ. Cod. eod. tit. Eſt autem fere ſumma, dict. l. ult. §. 1. & 2. & dict. l. 6. §. 1. prohiberi patronum, obligare ſibi libertum pro mercede operarum, non tamen prohiberi, eam mercedem accipere à liberto, ſponte dante, aut promittente alternative operas, aut pro illis certam ſummam, quia nec tunc præciſe obligatur pro mercede. l. ſi ita 39. D de oper. lib. ſicut nec prohibetur patronus, locare liberti operas, quando eis aliter uti non poteſt. l. patronus 25. D. de oper. lib. Jam hiſce poſitis, fuit in proximo, & facili tranſitus ad operas ſervi (quemadmodum de utriuſque operis liberti, & ſervi tractaſſe Ulpianum libr. 26. ad edictum, & eas veluti comparaſſe, licet colligere, ex l. ſi non ſortem 26. §. libertus, Digeſt. de condict. indebit. l. operæ 7. ubi Cujacius Digeſt. de uſufruct. leg.) ita & in propoſito ſeparaſſe in eo, quod, quamvis operas ſervi & locare, & pro eis mercedem exigere poſſit legatarius operarum ſervi. l. 2. Dig. de uſufruct. legat. juncta l. 3. Dig. de oper. ſerv. ille, cui uſus ſervi legatus eſt, non poſſit locare. l. plenum 12. §. operas 6. cum ll. ſeq. Dig. de uſu, & habit. & operis ſervi legatis, uſus datus intelligitur, ut ſcriptum eſt in dict. l 5. Dig. de oper. ſerv. ubi Clementis illa aſſertio, forſitan pro ratione dubitandi, interjecta fuit, & applicata illi ejuſdem Clementis, & ejuſdem libri 8. de locatione, ſeu mercede operarum libertini, in dict. l. ultim. §. 1. & 2. Dig. qui, & à quibus, differunt tamen valde operæ ſervi, ſpecialiter legatæ, ab uſu ſervi. l. 5. § ultim. Digeſt uſusfruct. quemadmod. cau. l. 1. § ſi uſusfructus 9. verſic. ſed operis, Digeſt. ad leg. Falcid. ſicut & multo magis differunt ab operis liberti, in queis ſpecialis illa ratio eſt, ne libertas oneretur, quæ in operis ſervorum non eſt. l. is, qui 31. l. ſi ita 39. Digeſt. de oper. libert. & rurſus in eo conveniunt, quod perinde ac patrono ex operis liberti mercedem capere, ſi eis aliter uti non poſſit, locare permittitur. dict. l. patronus 25. Digeſt. de oper. libert. ita & uſurario ex operis ſervi, ſi alioquin inutilis futurus ſit uſus. l. ſed ipſi 13. quam ad hunc caſum refero, Digeſt. de uſu, & habit.

AD CAP. XIV. EX LEGE PAPIA.

De liberatione ingenuæ, & libertæ, propter liberos, à tutela muliebri, & ſucceſſione patroni in bonis ejus libertæ.

RELIQUATIO XIII.

Ad Ulpianum titul. 29. §. licet 3.

ARGUMENTUM.

SEntentiæ legis Papiæ ex Ulpiano *prima pars, ut liberta quatuor liberorum mater, & ingenua trium, liberarentur à tutela muliebri, id, quod fuit, inter alia, præmium liberorum. Supponitur tutela perpetua fœminarum, nec potuiſſe eas, etiam poſt duodecim annos teſtari, ſine tutore auctore, niſi certis caſibus: ac proinde præmium in eo, ut propter liberos teſtari poſſent. Quin & ut adminiſtrare, & alia gerere ſine tutore, ut* Plutarchus in Numa *expreſſit: quamvis maſculis propter liberos, utcumque ad honores anni remittantur. non adminiſtrent ſine curatore, ante annum 25. quia ante finitur cura* l. 2. D. de minor. *in fœminis tamen finitur tutela, ex lege noſtra. Secunda pars fuit, ut in ſucceſſione libertæ, propter liberos tutela liberatæ, virilis patrono debeatur, ſine diſtinctione libertæ centenariæ, aut non centenariæ; idque, veluti in penſationem tutelæ, quæ eidem ceſſabat, & aucto eatenus patroni* jure, *quod ex* Prætorio edicto *contra libertæ tabulas, nullum erat, quamvis ab inteſtato ei ſuccederet: diſtincta in eo, & compoſita* fragmenta Ulpiani, *&* l. 3. §. 6. D. de ſuis, & legit. l. unic. D. de libert. unico. l. 3. Cod. de fideicomm *diſtinctum item jus patris manumiſſoris in ſucceſſione filiæ; & patroni in libertæ* l. 3. §. ult. D. ſi à parente quis ſuer. manum. *Rejectus* Gothofredi *conatus, aptantis huic capiti l. 153. D. de V. S. Donatur novo interpretamento* Caïus lib. 10. ad leges noſtras in l. nulla 13. D. de ſuis, & legit. hær.

1 EXpreſſimus ſupraſcriptis verbis, ex Academica aſſertione ſumptis, Ulpiani ſententiam, qualem ex laudato fragmento *dict. §. licet*, eo ipſo emaculato, Cujacius collegit, & ei ſubſcribentes Vertranius, Balduinus, & uterque Gothoſredus, & adjecimus ex Plutarcho *in Numa*, id ipſum jus, liberationis à tutela muliebri in ingenuis, trium liberorum matribus, ſententia explananda per partes, quæ & duæ potiſſimæ. Prima, libertam quatuor liberorum matrem, liberari à patroni tutela, & ingenuam trium, à tutela muliebri, & teſtandi compotes fieri. Fuiſſe hoc *lege Papia Poppæa* ſtatutum, quoad libertam, exprimitur *in dict. §. licet*, & quoad ingenuam ex eadem lege, aut alia, illius appendice, deſcendere, ſnadet proportio, quæ inter ingenuas, & libertas in hac re eernitur, apud eumdem Ulpianum *dict. tit.* 29. *§. pen. & ult.* & communis ratio, quam *Julia, & Papia lex* in conſpectu habuere, ſavendi ſoboli, & liberorum procreationi, cujus hoc in ſœminis ingenuis, & libertis præmium fuit, atque ideo à nobis hoc loco poſitum, poſt alia, de queis *in præcedentibus Reliquationibus*.

2 Jam pro explanatione hujus partis, & diſcentium uſu præmittimus, mulieres, Romano jure, finita pupillari ætate, & tutela, poſt duodecim annos *l. ſi impuberi* 13. *§. ult. D. de tutor. dat. l. ſi filiæ* 52. *D. de legat.* 3. tranſiiſſe etiam adultas, & puberes in tutelam muliebrem, ſeu perpetuam, quæ & legitima proprie dicta *l.* 2. *Cod. Theodoſ. de Tutor. & Curator.* ſub qua & perpetuo erant, propter infirmitatem ſexus, & forenſium rerum ignorantiam, ut Ulpianus docet *tit.* 11. *de tutelis in princip.* & ſupponit in *noſtro §. licet;* & ex Cicerone, Livio, Plutarcho, Apuleïo, Macrobio, Boëtio, & aliis, ſcitum doctioribus, quorum nomenclatores ſint alii. Illud ſaltem rei proprium, non potuiſſe teſtari mulieres, poſt duodecimum annum, niſi tutore auctore, teſte eodem Ulpiano *tit.* 20. *§. fœminæ* 15. ut in exemplo Hiſpallæ illius apud Livium *lib.* 49. niſi aut in manum conventione à tutela liberarentur, de quo multa ex Boëtio multi; & ea his noſter Retelius *tom.* 1. *Opuſc. lib.* 1. *cap.* 5. aut in Sacerdotium Veſtæ allegerentur, ex Plutarcho jam laudato *in Numa*, de quo & alia nos *ad caput* 22. *&* 23. inferius, aut denique ſi libertina, quatuor liberorum, aut ingenua trium jus haberet; tune enim & à muliebri tutela deinceps liberæ, & ſine tutore teſtari poterant. Atque hæc ſatis pro prima parte hujus capitis; nam quod Plutarchus adjicit, potuiſſe etiam matres trium liberorum, gerere alia negotia, ἀλλαπράττειν, ſive *adminiſtrare*, & ut ex Doſithei fragmento, quanquam ſubdubitans, & nutans Gothoſredus, etiam manumittere, cum tamen minores, quibus pro numero liberorum anni ad honores remittuntur legibus noſtris, non ideo rerum ſuarum adminiſtrationem à curatoribus recipiant *l.* 2. *D. de minor.* de qua ſupra *Reliquatione* 6. expeditam rationem habet, illam, quia ſœminæ puberes, etiamſi ſub tutela muliebri eſſent, per ſe gerebant & adminiſtrabant, exceptis certis in cauſis, in queis tutore auctore indigebant, ut eſt apud Ulpianum *tit.* 11. *§. pupillorum* 25. *& §. tutoris* 27. & proinde liberatis his per jus liberorum ab ea tutela, cum jam illa finita, deficiat & tutor, non eſt cur per ſe non adminiſtrent, ſicut antea poterant. At in minoribus, quibus anni ad honores remittuntur, non finitur cura, nec illi ea liberantur, *dict. l.* 2. *D. de minor.*

3 Secunda pars omiſſa à Gothoſredo, & ad capita ultima de patronorum jure, quoad ſucceſſionem in libertorum bonis tranſlata, ad quam & pertinet; & tamen ab Ulpiano continenter poſt primam expreſſa, *in verſ. & cum intulerit. dict. §. licet*, à nobis etiam hic exponetur. Subjungit autem eam Ulpianus, tanquam illationem ex prima, de libertæ, quatuor filiorum matris liberatione à tutela, & proinde teſtandi compote facta, ſine auctoritate patroni tutoris; inde, ut dicimus, veluti infert, quod cum *lex Papia* illud induxerit, de liberta, deinceps teſtatura ſine patrono, proſpexit viciſſim patrono in eo, ut pro numero liberorum ſuperſtitum libertæ quatuor matris, virilis pars patrono in ejus ſucceſſione deberetur, & conſequenter relinquenda ei eſſet, aut non relicta vindicanda *l. liberto* 26. *D. de bon. lib. l. ſi patronus* 20. *D. de donat. l. ita tamen* 27. *§. ſi patronus* 13. *l. patronus* 60. *D. ad S. C. Trebel. l.* 1. *§. penult. D. ſi cui plus, quam per leg. Falc. l. cum patronus* 28. *D. de leg.* 2. Porro inſinuat Ulpianus, verbis, *intulerit*, & *proſpexit*, fuiſſe *Papiæ legis* in hac parte rationem, nempe, ut quemadmodum in tutela libertæ, jus patroni minuerat, ita è converſo augeret in ſucceſſione, idque data ei, tanquam debita parte virili in bonis libertæ, etiam contra illius teſtamentum, & ſine diſtinctione libertæ centenariæ, & non centenariæ: quæ ſingula, niſi *lege Papia* proſpiceretur, contra futura erant, quia ea Prætorio edicto, patrono in libertæ bonis nihil juris fuit, teſte eodem Ulpiano *dict. tit.* 29. *§. in bonis* 2. ſcilicet contra teſtamentum, ſeu per contra tabulas, (quomodo Ulpianum exaudio, ne ſecum pugnet, *in l.* 3. *§. ſi municipes* 6. *D. de ſuis, & legit. l. un. in princip. D. de libert. univ.* & in *eodem §. in bonis* 2. *in fin. cum §. licet. ſeq.*) ex queis conſtat, dari ab inteſtato bonorum poſſeſſionem patrono, etiam in bonis libertæ, etiamſi liberta liberos relinquat, quoniam hi, cum ſui hæredes matri non ſint, patronum non excludunt illo jure, *princ. Inſtit. de legit. patr. tut. l.* 3. *Cod. de fideicommiſſ.* quod tamen temperatum S. C. Orfitiano, poſt quod libertæ filius patrono præfertur *l.* 1. *§. ſi nemo* 9. *in fin. D. ad S. C. Tertyll.*) & hoc amplius in liberto centenario, ſi tres liberos reliquiſſet, excludebatur patronus *§. poſtea* 2. *Inſtit. de ſucceſſ. lib.* In quo rurſus, quod nondum obſervatum, melius fuit jus, ex eodem Prætorio edicto, patris manumiſſoris filiæ, tanquam libertæ, quam patroni in liberta, quoniam patri præterito dat Prætor contra tabulas filiæ manumiſſæ bonorum poſſeſſionem, ea edicto, *ſi à parente quis fuer. manumiſſ.* ut *in l.* 3. *§. ult. verſ. ſed & ſi filia*, illius *tit.* quam tamen patroni contra libertæ tabulas non dabat, ut ex Ulpiano *dict. tit.* 29. *§. in bonis* 2. atque hinc fortaſſe dubitandi ratio, *in dict. §. ult. verſ. ſed & ſi filia:* ſed decidendi illa, quia non per omnia exæquandi patres manumiſſores & patroni *l.* 2. *l.* 4. *D. ſi à parente quis fuer. manum. l. penult. D. de obſeq. par.* At, ut pergamus, ex hac parte *legis Papiæ*, in liberta, etiamſi centenaria eſſet, & tres liberos ſuperſtites reliquiſſet, patrono virilis etiam contra teſtamentum debita, & *Papia lex*, quæ in hoc adauxit jus patronale, eo intuitu, quod in tutela minuebat, ſicut & alibi eam adauxiſſe, monuimus ſupra *Religuatione ad caput* 10. in extremo aſſertionis, de illo capite non producendo ad officiales operas.

Accommodat huic capiti, & mentioni liberorum libertæ ſuperſtitum, ſcilicet, mortis tempore, Gothoſredus *pag.* 298. *ad leges noſtras*, Terentii Clementis locum, *in l. intelligendus* 153. *D. de verb. ſignif.* ſane inconcinne, quia Terentius loquitur de poſthumo, qui moriente patre in utero relictus eſt; quod libertæ matri via applicabile, niſi referatur ad natum, exciſo utero *l. etiam* 141. juncta *l. anniculus* 132. *§.* 1. *D. de verb. ſignif.* ut ille etiam tanquam ſuperſtes, admittatur ad virilem cum patrono. Nobis aliter explicuiſſe viſum ſupra *ad caput* 10. *Reliquatione* 9. pro interpretatione *§ poſthumus* 6. *l. qui libertinus* 37. *D. de oper. lib.* & ſi argutari diutius liberet, poſſet etiam aſſertio *d. l.* 153. jungi, & exponi cum ſpecie *l.* 2. *§.* 1. *D. de bonis lib.* 4

Nos è contra obſervamus, & fortaſſe primi, annecti debere huic parti legum noſtrarum, neque ali, aut aliter proprie magis poſſe, aſſertionem illam, quæ ex Caïo *libro* 10. *ad leges Juliam, & Papiam*, ſic habet, *in l. nulla* 13. *D. de ſuis, & legit. hæred. nulla fœmina, aut habet ſuos hæredes, aut deſinere habere poteſt, propter capitis diminutionem*; cujus ſenſus, relatus *ad legem Papiam*, ille opportunus, ut quamvis in fœmina liberta, quia ſuos hæredes non habet, etiamſi liberos reliquerit, admittatur patronus ad legitimam hæreditatem ex XII. Tabulis, ut 5

Ulpianus

Ulpianus docuit *dict. tit.* 29. §. *in bonis*, *cum* §. *licet*, at admittebatur ad virilem *ex lege Papia*, ſi quatuor liberos reliquiſſet, ut *in dict.* §. *licet*; & viciſſim patrona fœmina, aut patroni filia, ſi jus trium liberorum habeat, quamvis capite minuta ſit, ut ideo excludatur ab hæreditate legitima liberti, ex XII. Tabulis, ex regula Ulpiani *tit.* 27. §. *ult. l.* 1. § *ultim. l.* 3. §. *emancipatos* 5. *D. de aſſign. lib. l. tutelas* 7. *D. de cap. min.* admittatur tamen, propter tres liberos, *ex lege Papia*, & ab inteſtato, & per contra tabulas, ut Ulpianus exprimit *dict. tit.* 29. §. *contra* 5. *cum ſeq.* quia nec deſinit, habere ſuos hæredes, per capitis minutionem, quæ nunquam habuit, neque eis indiget, & ſuccedat *ex l. Papin l. capitis* 11. quæ jungenda eſt illic: *quoniam deſinit*, *ſuus hæres eſſe*, cum *dict. l. nullæ* 13. *l. patroni* 39. *D. de bon. lib.* de qua, & aliis in Reliquationibus, quæ ſequuntur.

AD CAPUT XV.

RELIQUATIO XIV.

Ad Ulpianum titul. 29. §. *contra* 5. junctis *l.* 39. & *l.* 42. *D. de bonis lib.*

ARGUMENTUM.

CApiti *huic elucidando*, *præmittitur jus filiæ patroni in ſucceſſione liberti inteſtati ex* XII. Tabulis, & *negatum eidem in* contra tabulas, Prætorio edicto: *ut* Ulpianus *ſcribit*, dict. §. contra 5. *Ea negatione poſita*, *ſubventum filiæ*, & *fœminini ſexus liberis*, lege Papia, *ſi jure trium liberorum nitantur*; *cautumque*, *ut habeant idem juris*, *quod maſculi filii patroni ex* Prætorio edicto, *per* contra tabulas: *quomodo exaudiendæ* leges 47. §. 1. & l. 6. §. 1. D. de bon. lib. *proprie referendum ad hoc caput*, ex Terentio *ad* leges *noſtras* fragmentum in l. 39. D. de bon. lib. & *accipiendum de filiæ*, *in adoptionem datæ*, *ſucceſſione per jus trium liberorum*, ex lege Papia, & Prætorio edicto, *non autem de ſucceſſione*, *ex* lege XII. tabularum, *quæ capitis diminutione periiſſet. Ejuſdem explanationis eſt* Papiniani *aſſertio*, & *ad illum* Pauli nota in l. 42. D. de bon. lib. *de patroni filio exhæredato*, & *adoptato à fratre*, *cui etiam non exhæredato nocituram*, *quoad liberti bona* per *adoptionem*, Papinianus *ſupponit indiſtincte*: *id quod verum*, *quoad ſucceſſionem ex* XII. tabulis, *quod capitis minutione per adoptionem amittit*, *non autem*, *ſi alio jure veniat ad ſucceſſionem*, *nempe* ex lege Papia, & Prætorio edicto: *quæ fuit* Pauli *nota*, *recte* in verſ. ſic dictum, *expoſita à* Cujacio, *tametſi in aliis*, *vix intellecta*, & Papiniani textus *temere correctus*.

1 SEquuntur alia capita *legis Papiæ*, ad ſucceſſionem libertorum pertinentia, quæ & nos perſequimur curſim, ſed quia ignotiora, magis cum cura. Ex his eſt, *in Academicis aſſertionibus*, quintum decimum, deſcriptum ex Ulpiano *tit.* 29. §. *contra* 5. *in fine*, cui elucidando, ſimul *cum præcedente* §. *liberi* 4. præſciendum eſt, filiam patroni, ex lege XII. Tabularum ſuccedere inteſtato liberto, ſcilicet ſuis hæredibus deficientibus *l.* 6. §. 1. *l. filius* 42. §. *ultim. D. de bonis lib. l.* 1. §. 1. *verſ. tantumdem*, *Dig. de legit. tut.* Ulpianus *tit.* 27. *in princip.* At ex Prætorio edicto, neque contra teſtamentum liberti, per bonorum poſſeſſionem contra tabulas, neque ab inteſtato bonorum poſſeſſionem competere filiæ patroni, contra ſuos hæredes, non naturales, id eſt adoptivos liberti filios, ut Ulpianus ſtatuit, *in dict.* §. *contra in princip.* in quo omnino plus juris erat filio patroni maſculo, ex eodem Prætorio edicto § 1. *Inſtit. de ſucceſ. lib.* Ergo, hiſce poſitis, ea Ulpiani ſententia eſt *in dict.* §. *contra*, ut *ex lege Papia* patroni filia, & reliqui liberi, fœminini ſexus, ſi jus trium liberorum habuerint, tantumdem juris habeant, quantum liberi maſculi ex Prætorio edicto tam in bonorum poſſeſſione, contra tabulas liberti, quam ab inteſtato, ut *ſupponitur* de filia patroni, nempe poſt *legem Papiam*, & quæ habeat jus trium liberorum, *in l. Paulus* 47. §. 1. *ſic exaudienda*, *D. de bonis lib.* juncta *l. ſi filius* 42. §. *ult. eodem tit.* Secundum hæc & referendus ad hoc caput *legis Papiæ*, & juxta illud exponendus Terentii Clementis *textus ex libro* 10. *ad leges noſtras*, *in l. patroni filia* 39. *D. de bonis lib.* dum docet patroni filiam, ſi in adoptiva familia ſit, ad hæreditatem libertorum paternorum admitti; non quidem ex lege XII. tabularum, quia legitima hæreditas liberti, ex XII. tabulis, amittitur minima capitis diminutione, quæ per adoptionem, vel emancipationem contingit, Ulpiano auctore *tit* 27. §. *ult.* & *in l.* 1. §. *ult. l.* 3. §. *emancipatos* 3. *D. de aſſign. lib.* ſed ex hoc capite *legis Papiæ* (ſuppoſito jure trium liberorum) & Prætorio edicto, ex queis delatæ hæreditates, & bonorum poſſeſſiones, & in ſpecie illæ, quæ patronis competunt, non pereant minima capitis minutione *l. ſi libertus* 23. *l. penult.* §. *longe* 5. *l.* 2. §. *ult. D. de bonis lib.* juncta regula *l. tutelas* 7. *verſ. ſed legitimæ D. de capite min. l. capitis* 11. *D. de ſuis*, & *legit. hær.*

2 Secundum quæ itidem exponendus Papiniani ſenſus, & ad illum Pauli nota, *in l. filius* 42. *D. de bon. lib.* ubi in primis Papinianus cenſuit, filium à patre exhæredatum, & à fratre patris hærede adrogatum, & hæredem relictum, non poſſe admitti ad bonorum poſſeſſionem contra tabulas liberti paterni; nam eui etiam non exhæredato talis adoptio noceret, ne ſcilicet admitteretur ad hæreditatem liberti, ex XII. tabulis, propter capitis minutionem, quæ adoptione contingit, ut jam diximus, ex Ulpiano *tit.* 27. §. *ult. l.* 1. §. *ult. l.* 3. §. *emancipatos* 4. *D. de aſſign. lib.* multo magis nocere debet exhæredato, &, ut Papinianus ſubjungit, pœna remotionis filii exhæredati à ſucceſſione liberti, quæ illi irrogabatur, tam ex Prætorio edicto *l. ſi ex patronis* 10. §. 1. *cum legib. ſeq. D. de bonis lib.* §. 1. *verſ. prodeſſe in fin. Inſtit. de ſucceſ. lib.* quam *ex legibus Julia*, & *Papia*, ad quas pertinent *l. quæritur* 38. *l. ſi pater* 40. *D. de bonis lib.* non eſt oblitteranda, adoptionis eommento, ut Papinianus idem alibi ſenſit *in l. filio* 23. *D. de injuſto rupto l. fideicommiſſum* 76. *D. de cond.* & *dem.*

Jam ſubjungitur Papiniani textui Pauli nota, ne- 3
que infirmanda, aut explodenda, juxta Valentiniani *legem unic. verſ. notas*, *Cod. Theod. de reſp. prud.* ſed amplectenda, ut aliæ, quas Juſtinianus retineri voluit, *in l.* 1. §. *ſed neque* 6. *Cod. de vetere jure enucl.* Notæ aſſertio eſt, ei, qui alio jure venit, quam eo, quod amiſit, non debere nocere id quod perdidit, ſed prodeſſe quod habet: quæ aſſertio, ſi explanetur, & applicetur, eo pertinet, ut, patroni filio exhæredato, & adrogato, quamvis adrogatio, ſive adoptio, & per eam eontingens capitis minutio noceat, quoad jus ſucceſſionis liberti ex XII. tabulis, quod per capitis minutionem perdit, ut notatum jam, ex Ulpiano *d. tit.* 27. §. *ultim.* non tamen nocere ei debere, ſed potius prodeſſe, jus quod habet, tanquam filius adoptivus fratris patroni, ad jus ſucceſſionis in bonis liberti, *ex lege Papia*, & Prætorio edicto, quod jus non perditur adoptione, & capitis minutione *dict. l. patroni* 39. *l. ſi libertus* 23. *l. penult.* § *longe* 5. *D. de bon. lib. l. tutelas* 7. *D. de cap. minut.* ſubditur autem in Pauli nota & ſimile exemplum *in verſic. ſic dictum*, expoſitum recte à Cujacio *libr.* 13. *quæſt. Papin. in dict. l. filius* 42. qui & aliud adjicit, ex eodem Paulo *in l. ſi filius* 33. §. 1. *verſ. quamvis D. de fideicomm. lib.* de quo accurate nos *in Academica ſelectione*, *de S. C. Rubriano.* Id ſaltem liqueat jam, & Papinianum notatum merito à Paulo,

lo, dum quod de adoptione, nocitura filio patroni, quoad ſucceſſionem liberti, ex XII. tabulis, ſupponit, ſtatuitque indiſtincte, ut ei noceat, non diſtinguens, aut immemos alterius juris ſucceſſionis *ex lege Papia*, & Prætorio edicto, in quo ei non nociturum: & quod exerte magis firmamus, magnum illum Cujacium, in Papiniani ſecitatione, & in illius textus correctione *lib. 1. Obſerv. cap.* 38. non vidiſſe viam, qua ad verum iret.

AD CAP. XVI. EX LEGE PAPIA.

RELIQUATIO XV.

Ad Ulpianum tit. 29. §. patronæ 6. & l. Julianus 37. §. ultim. in fine. D. de bon. lib.

ARGUMENTUM.

P*Rælibatur, probaturque jus patronæ in ſucceſſione liberti inteſtati*, *ex* XII. tabulis, *ac de eo* textus: *& à contra excluſio patronæ à* Prætore in contra tabulas, *ex* Ulpiano in noſtro §. 6. *cujus forſitan veſtigium eſt* in l. 1. C. de bon. poſſ. contra tab. liberti. *Ei* Prætoriæ *excluſioni occurſum* lege Papia, *in patrona ingenua duorum, & libertina trium matre, quibus indultum idem jus in* contra tabulas *liberti, quod patrono erat* ex edicto. *Aptabile huic* capiti Ulpiani ad leges noſtras lib. 12. *aſſertum in* l. 37. § ult. D. de bon. lib. *cujus theſis de patrono non admittendo ad* contra tabulas *liberti, quia illius necem non vindicavit, producitur in extremo* d. l. 37. §. ult. *ad patronam, ſcilicet, ut perinde non admittatur, ſi non vindicaverit; atque ita ſupponitur eam, ſi vindicaſſet, admittendam, cui ſuppoſito locus non futurus, niſi in patrona, liberorum jure ſubnixa*, ut in hoc capite.

1 SExtumdecimum caput, cujus ſummam ex Ulpiano proſcripſimus, eget etiam, ut ſine captione intelligatur, prælibatione illius juris, quod ante *legem Papiam* vigebat. Id vero erat ejuſmodi, ut ex lege XII. tabularum, patrona ad legitimam hæreditatem ab inteſtato, & bonorum poſſeſſionem, *unde legitimi*, liberti inteſtati, ſine ſuo hærede morientis admitteretur, perinde ac patronus *l. liberto* 17. quæ ita vulgo exauditur, *D. de bonis lib. l. 2. §. 1. in fine D. unde legit. l. 1. §. 1. verſ. item, D. de legit. tut. §. ult. Inſtit. de legit. patron. tut. l. 3. §. ſi plures 4. D. ſi quid in fraud. patr.* Ulpianus *tit.* 27. *in princ.* At Prætorio edicto patrona ad contra tabulas bonorum poſſeſſionem liberti non vocabatur, ut Ulpianus affirmat *in noſtro §. patronæ 6.* ejuſque rei veluti indicium, aut veſtigium fortaſſe, exſtat *in l. 1. Cod. de bonor. poſſeſſ. contr. tab. liberti*, ubi cum eſſent patronus, & patrona, qui liberti manumiſſores fuerant, reſpondetur, dandam patrono bonorum poſſeſſionem partis legitimæ, contra tabulas liberti: nec tamen id de patrona reſcribitur. Porro *lege Papia* ſtatutum, ut ſi patrona ingenua duobus liberis, aut libertina tribus honorata ſit, habeat idem jus, quod patronus ex edicto in bonorum poſſeſſione contra tabulas liberti.

2 Vix autem eſt, quod proprie ad hoc caput referri poſſit, niſi quod ex Ulpiano *lib. 12. ad leges noſtras*, proponitur *in l. Julianus* 37. § *ultim. D. de bon. liber.* ſi libertus, qui à familia occiſus credebatur, hæredem extraneum reliquerit, & is ante quæſtionem, de familia habitam, adierit hæreditatem, non admitti patronum ad contra tabulas bonorum poſſeſſionem, quoniam, ut ex Juliano Ulpianus ait, debuit etiam patronus liberti necem vindicare: id, quod ipſum traditum eſt *in l. ſi ſequens 15. §. ultim. D. de S. C. Sillan. l. portiones 21. Dig. de his, quæ ut indign. l. ſi filius 23. D. de jure patron. l. 3. §. qui ſi necem, D. de ſuis, & legit.* & indignus eſt, defuncti reſpectu, & juris cenſura *l. 3. & 5. l. minoribus 6. Cod. de his, quibus, ut indignis*, de queis, quia proprie ad tractatum indignorum pertinent, dicemus propriis quædam ad illam partem, & *noſtrarum legum caput* 43. Illud ſpeciale hujus loci, quod in extremo *dict. l. Julianus 37. §. ultim.* ſubjungitur, *idem in patrona dicendum*, nempe ut non admittatur ad bonorum poſſeſſionem contra tabulas liberti, cujus necem non vindicavit. Namque eo ipſo ſupponitur, admittendum, ſi vindicaverit, quod ſuppoſitum non obtineret, niſi per *legem Papiam* in patrona, duobus, aut tribus liberis honorata, & habente idem juris, quod patronus ex edicto.

AD CAP. XVII. EX LEGE PAPIA.

RELIQUATIO XVI.

Ad Ulpianum titul. 29. §. ultim. juncta *l. 42. verſic. ſic dictum D. de bon. lib.*

ARGUMENTUM.

F*Uit cautio ejuſce* capitis, *ut patronæ filii, qui ex* XII. tabulis *liberto inteſtato, & improli ſucceſſores, non autem ex* Prætorio edicto, *per* contra tabulas, *tamen habeant id ipſum juris, quod patroni filii, ſi mater liberorum jure honoretur. Petitum, & exponendum ex hoc* capite, *exemplum* ad l. 42. verſ. ſic dictum, D. de bon. lib. *Exquiritur ratio excluſionis in* contra tabulas Prætorio *jure patroni, quoad libertam, & patronæ, atque ejus filiorum, etiam marium, itemque patroni liberorum fœminini ſexus, in queis ſingulis excluſio viſa contra* XII. tabulas *in ſucceſſione ab inteſtato, & præter communes regulas. Ex abire juſſo* Vertranio, *ducitur ratio ex eo, quia in* contra tabulas *elargienda patrono, contra teſtamentum liberti*, Prætores *deviabant à* XII. tabulis; *& idcirco cunctanter, atque ei ſoli, & limitato jure (de quo ſignata alia) largiebantur, quod diverſum in ſucceſſione ab inteſtato, per* unde legitimi, *in quo* XII. tabulas *ſubſequebantur.*

1 EXpreſſimus ſententiam hujus capitis, juxta volgarem Ulpiani textus lectionem, quanquam nec obnitamur Cujacio, & Dionyſio Gothofredo, in calce illius fragmenti, pro voce, *Patrono*, reponentibus, *Patronæ*. Sententia capitis eſt, ut patronæ filii, qui ex lege XII. tabularum ſuccedunt inteſtato liberto, in defectum ſuorum hæredum *l. ſatis 22. D. de jure Patron. l. patronæ 18. D. de bonis lib.* ſed ex Prætorio edicto nihil juris habent per contra tabulas (quod licet *in hoc §.* non exprimatur) ſupponendum eſt, (ut Ulpianus ſupponit *ex præcedente §. contra 5.*) tamen habeant eadem jura, ſcilicet ex edicto, quæ *lege Papia* tribuuntur patrono, aut patronæ, *dict. §. contra §. & §. patronæ 6.* (ut ſic lectioni utrique ſenſus reſpondeat) modo ſint liberi patronæ, tribus liberis honoratæ.

Poteſt ad hoc caput referri, & ex eo exponi, illud apud Paulum in ejus nota ad Papinianum in *l. filius* 2

lius 42. §. *Paulus verſ. ſic dictum D. de bon. lib.* de patrono, atque eodem patronæ filio, ne noceat ei, quod quaſi patronua deliquit, ſi ut patronæ filius venire poſſit, veluti ſi adegit jurejurando libertum, ue uxorem ducat, quod ipſi, & liberis patroni nocet, quoad ſucceſſionem liberti. *l. qui contra* 15. *D. de jure patron.* nec tamen nocebit, ſi venire poſſit, ut filius patronæ, quæ ſimul cum patrono manumiſerat, quomodo hanc theſim, aliaſque rei explicandæ fingit Cujacius *in dict. l.* 42. *ad Papinianum.* At ſufficit, pro re præſenti, obſervaſſe, aſſertum illud, de patrono, qui, ut patronæ filius, venire poſſit ad contra tabulas liberti, exaudiendum eſſe de eo, cujus patrona mater habeat jus trium liberorum; tunc enim veniret filius per *legem Papiam*, & hoc illius caput, nec aliter poſſet.

3 Tandem quod quatuor hiſce capitibus, pro complemento veluti ſit, non immerito juventus quæſierit, qua ratione olim niteretur Prætorium edictum, non admittens ad bonorum poſſeſſionem contra tabulas libertæ patronum, ut ſupra *ad caput* 14. neque patroni liberos fœminini ſexus, & multo minus patronæ filios, etiam maſculos, de queis ſupra *cap.* 15. denique nec patronam ipſam, ut iſto capite, ex Ulpiano poſuimus; cum tamen contra ſtaret juris regula, quæ, liberti appellatione, libertam, & patroni patronam contineri docet. *l. patroni* 52. *l. liberti* 172 *D. de V. S.* & quod magis eſt, contra ſtarent ipſius Prætorii edicti regulæ, quibus patronus ad bonorum poſſeſſionem libertæ, & patronus, patronaque, & eorum liberti utriuſque ſexus, & eamdem bonorum poſſeſſionem, *unde legitimi* vocabantur, ut proximis capitibus oſtendimus, ac præterea ad bonorum poſſeſſionem, tanquam ex familia, cujus inter bonorum poſſeſſiones, quinto loco Juſtinianus meminit, *in §. ſunt autem* 3. *verſ. quinto, Inſtit. de bonor. poſſeſſ.* Ulpianus apud Licinium Ruffinum *in collat. leg. Moſaic. tit. ult. §. ult. & in l. pronunciatio* 195. *§. familiæ* 1. *verſ. ad perſonas, Digeſt. de verb. ſign.* junctis *ex libris ad leges noſtras*, *l. Julianus* 37. *verſ. plane, D. de bon. lib. l. Divi* 17. *Digeſt. de jure patron.*

4 Caligat, aut non videt, niſi per nebulam, in hoc quæſito Vertranius Maurus *de jure lib. cap.* 14. & ut Prætores excuſet, accuſat eorum aſſeſſores improbos, aut imperitos, & forenſem uſum abſurdum, & utique ſi Vertranio ſuffragaremur, expenderemus pro eo verba *Novellæ* Theodoſii *de libertis, in verſ. ne quid*, vocantis *ſævas* (ſeu *ſcævas*) *interpretationes, & inſidias calumniantium, & molentium, quæ in liberto ſtatuta, non eſſe extendenda ad libertam.* Aſt nobis illud pro re, ſufficere, & obſervatu dignum occurrit, parciores, & diu cunctatos fuiſſe Prætores in bonorum poſſeſſione contra tabulas, patronis, & eorum filiis elargienda, quam in aliis bonorum poſſeſſionibus ab inteſtato, ut vel apparet *ex l.* 1. *verſ. & quidem, & §. ultim. D. de bon. lib. § qua de cauſa* 1. *Inſtit. de ſucceſſ. lib.* Idque cauſate, quia per contra tabulas admittebant patronum, contra teſtamentum liberti, lege XII. tabularum confirmatum *l. verbis* 120. *D. de verb. ſignific.* & contra, aut præter eamdem legem 12. quæ non niſi inteſtato liberto mortuo, patronum vocabat, ut ait Ulpianus *tit.* 29. *in princip.* Juſtinianus *in princip. Inſtit. de ſucceſſ. lib.* Quocirca & ſtrictiora, ac veluti limitata fuere jura bonorum poſſeſſionis contra tabulas in patronis, quia nec illis concedebatur, niſi ad certam partem, *dict. l* 1. *§. ultim. D. de bon. liber. dict. § qua de cauſa. l.* 1. *§. interdum* 14. *D. ſi cui plus, quam per leg. Falc.* neque ea pars augebatur jure accreſcendi, ſed nova bonorum poſſeſſione *l. ſed cum patrono* 6. *D. de bon. poſſeſſ.* neque peti poterat niſi poſt aditam hæreditatem. *l. illud* 4. *D. de bon. poſſ. contr. tab. l.* 3. *§. ut patronus* 11. *cum §. ſeq. D. de bon. lib.* Neque per contra tabulas patroni, reſcindebatur teſtamentum liberti, ſed pars debita evincebatur. *l. filio* 16. *§.* 1. *D. de inoffic. teſt.* Quæ ſingula in contra tabulas, quæ liberis datur, diverſa ſunt. *dict. l. illud.* 4. *l. quod vulgo* 11. *D. de bon. poſſ. contr. tabul.* ſed diverſa magis, & potiore ratione eo jure in bonorum poſſeſſionibus inteſtati liberti, veluti *unde legitimi*, & tum quem ex familia, in queis Prætores legem duodecim tabularum firmabant, & ſubſequebantur. *princip. Inſtitut. & §. ſunt autem* 3. *de bonor. poſſeſſ. l.* 1. *& l.* 2. *§.* 1. *D. unde legit. d. l. pronunciatio* 195. *§* 1. *D. de V. S.*

Atque hæc ex Academicis noſtris dictatis *ad caput* 5
Papiæ legis, de ſucceſſione libertorum, illic ſummatim indicata, diffudiſſe, nunc non piguit, quatuor his Reliquationibus, quarum nec pœnitet, poſtquam incidi *in librum* 3. *variar. cap.* 2. *& ſeq.* noſtratis Meſſæ, & cum noſtris conferre licuit.

AD CAP. XVIII. EX LEGE PAPIA.

RELIQUATIO. XVII.

Ad §. poſtea, Inſtit. de ſucceſſ. lib. & l. ſi libertus 16. de jure patron. elucidationes, ſimulque ad alios textus Scholia.

ARGUMENTUM.

CAput hoc legi Papiæ *proprie adſcribitur, & forte in eam ex* Julia *translatum. Summa illius eſt, ut in liberti centenarii bonis, pauciores, quam tres liberos relinquentis, virilis pars patrono debeatur; & ſi tres, juri antiquo ſtetur: quod ſi ſe in fraudem, centenario minorem fecerit, id ratum non ſit: centenarius libertus dictus, qui centum millia ſeſtertiûm reliquit*, ut in noſtro §. poſtea, *qui & idem dictus cenſus* legi Voconiæ. *At* Juſtiniano *pro mille ſeſtertiis unus aureus, ut in §.* ſed noſtra, Inſtit. de ſucceſſ. lib. *juncta* l. 25. D. de S. C. Sillan. l. 49. D. de manum. teſtam. *cui aureo* Juſtinianico, *reſpondent apud Nos, centum aurei marapetini.* l. 10. tit. 22. p. 4 *In ſucceſſione liberti, quale fuerit patroni jus, ante* legem Papiam, *& quatenus per eam adauctum? & cur adauctum in liberto centenario, & duos liberos habente, cui magis propter liberos favendum, & perſonale jus minuendum videbatur, ut in illo* legis Juliæ *capite, de quo* in l. 37. D. de oper. lib. *Nobis ea ratio, aliis potior viſa, quia libertorum opibus infenſa, pridem publica cenſora, de qua ex* Horatio, Tacito, *& aliis aliqua; ac proinde in centenariis filiis, tanquam divitibus, viſum, ſufficere virilem cum patrono, niſi tres liberi eſſent. Incurritur in obicem* §. poſtea, verb. inteſtatus: *& refertur, nec refellitur* Cujacii *emendatio; ſed adjicitur una, atque altera noſtra expoſitio. Tranſitus ſit* ad l. 16. D. de jur. patr. *cujus aſſertio biceps (ex qua velut à capite aliæ profluunt) eſt, ut ſi libertus alienando, minorem ſe centenario, in fraudem legis, faciat, ſit nullius momenti alienatum. At ſi non minor centenario maneat, revocentur alienata, non ipſo jure, ſed per* Favianam, *vel* Calviſianam. *Differentiæ ratio, quia priore caſu fraus legi, & poſteriore, ſoli patrono, firmata ex aliis elementis juris, & proprie ex* l. 62. D. de jur. dot. *Proponitur ex* d. l. 16. *diſtinctio plurium alienationum ſimul, aut ſeparatim: de queis non plura. Illud pro primaria aſſertione,* d. l. 16. *obſervatur, fuiſſe in hoc capite* Papiam legem *perfectam, utpote reſciſſoriam contra geſti ipſo jure, ſicut & in capitibus, de queis* in l. 6a. D. de jure dot. l. 64. § 1. verſ. ipſo jure D. de cond. & dem. l. ult. D. de divort. l. un. §. 1. D. unde vir, & uxor: *aliter atque in illis de connubio, de queis ſupra* lib. 2. cap. 8 *Obſervatur inſuper, ideo alienata, in fraudem* Papiæ, *reſcindi ipſo jure, quia legis poteſtatis proprium eſt, de dominiis ſtatuere, & proinde patrono contra alienata vindicationem tribuere; id, quod non poteſt,* Prætor *circa dominium in alienatis in fraudem patroni, & ideo ſubvenit per actiones* Favianam. *&* Calviſianam. *Conſectaneæ ſunt* d. l. 16. *differentiæ inter ſucceſſionem patroni*, ex lege Papia, *in liberto centenario, &*

in eo, qui non centenarius, ex Prætorio jure. *Ex his prima illa, patronum* lege Papia *fieri jure civili hæredem, & dominum; & directa hæreditatis petitione uti poſſe*. l. 16. §. 6. D. de hær. pet. *Quæ ſingula diverſa ſunt in ſucceſſione* Prætoria *liberti non centenarii; deductum hinc interpretamentum* l. 26. D. de bon. lib. *ad quam prolata in primis, noſtra vetus* Salmantina *cogitatio, aitens verbis*, poſt diem legati cedentem. *In ea nunc non conquieſcimus, & ſubſcribimus potius* Bartoli, *& aliorum placito; & tamen illud pro re expendimus, vindicationem partis debitæ, & accuratum illud* Africani *molimen, ut libertum centenarium ſupponat*, in d. l. 26. *ſignate referri ad differentiam ſucceſſionis*, ex lege Papia, & Prætorio jure. *Exponitur pro eadem differentia* Papinianus in l. 40. §. 1. D. de pignor. act. *& ſemotis* Accurſio, & Cujacio, *occurritur ſcrupulo mentionis contra* tabulas, *in ſucceſſione ex* Papia, *atque animadvertitur, poſſe ea uti patronum liberti centenarii, advocata in rem, inter alias*, l. 1. §. ultim. Digeſt. ſi à par. quis fuer. manum. *Secunda differentia eſt, gravamen patronalis portionis in liberto centenario, fuiſſe nullius momenti ipſo jure*, ex lege Papia, *quia in illius fraudem, & ex ratione, & regula* d. l. 16. D. de jur. patr. *Fundus rei, & inde illuſtrandus* Marcellus in l. 20. D. de Donat. *Quænam illic verecundiæ patronalis, & non coarctandi patroni, etiamſi promiſerit, ſpecialis ratio, & collatus* Marcello Papinianus in l. 41. D. de bon. lib. *Confertur etiam, ſed refertur ad portionem* Prætoriam *patronalem*, Julianns in l. 27. §. ſi patronus 13. D. ad S. C. Trebel. *ubi expenſa vox*, rectius, *& ſpeciale illud pænitentiæ patroni, qui coactus adiit, ſicut &* Tripboninus in l. pen. §. 4. D. de bon. lib. *juncta* l. 9. §. 2. D. de reb. dub. l. 21. §. 2. D. de jure patr. *de queis curſim ſingularia quædam. Confertur deinde, & diſtinguitur à patrono hæres, qui ſe* Falcidia *non uſurum ſpopondit, mortuo teſtatore*, dict. l. 20. D. de Donat. *diſtinguitur item à patrono filius, cui ſupra legitimam gravamen impoſitum, valuit mero jure, ante* l. 32. Cod. de inoffic. *niſi per querolam reſcinderetur, & ſi mortuo patre promiſit, ſe querola non uſurum cogitur, ſtare promiſſo* l. 35. §. & generaliter in fine, Cod. de inoffi. *& fuit diſpar, deteriuſque jus filii, quam patroni (cujus quaſi paradoxi ratio quæſita, & reperta) utcumque contra, & fortiter* Cujacius. *Additur paradoxo aliud, de legitima filii, minuta ipſo jure per libertates*. l. 8. §. quarta 9. D. de inoffic. *etiam poſt* Juſtinianum, *ut innuunt* Baſilica, *non autem legitima patroni, cujus in fraudem libertates nullæ ſunt*, ex lege Ælia Sentia. *Teſtes, vel eruditis ignoti*, Ulpianus, & Caïus. l. 9. §. 2. D. de liber. cauſ. *Additur denique pro alienatis in fraudem legitimæ filii, non dari ei* Favianam, *aut* Calviſianam, *aliter, atque pro alienatis in fraudem patroni*. l. 2. Dig. ſi à parente quis fuer. manum. *Expenditur rurſus, pro aſſertione, de gravamine in legitima patronali nullo*, ex lege Papia *ipſo jure*, Paulus in l. 60. D. ad S. C. Treb. *Cujus ex verbis, & ratione juris evincitur, pertinere ad ſucceſſionem* ex Papia, *ſicut ex diverſo ad* Prætoriam, l. 28. D. de legat. 2. *cum aliis ita conciliandis, & adnotatur, poſt* Juſtinianum in fragmentis Juriſconſultorum, *de ſucceſſione libertorum, ſupplendum neceſſario eſſe, aut divinandum genus ſucceſſionis. Explanatur ſimul, cur non tranſeant actiones, ex* Trebelliano in dict. l. 60. *& cur repetatur, ut indebitum, ſi patronus ſolvit per errorem, non autem ſi ſciens: & referuntur ſimul ad* Prætoriam *patronalem portionem*. l. 27. §. Si patronus 13. ad S. C. Trebel. l. pen. §. 4. D. de bon. lib. *de* Marcelli *ſecla, & an* Severi, *de repetitione legatorum reſcriptum agnoverit, ſcrupulus, & ſuſpicio, cui non acquieſcitur; & propoſita alia explanatio* dict. l. 28. D. de legat. 2. *Tertia, & nondum notata differentia eſt, patronum in portione ei debita ex* lege Papia, *non teneri ad fideicommiſſa, etiam exceptis perſonis, veluti liberto filio. Ratio elicita ex eadem* Papia, *quæ patrono virilem cum uno, aut duobus liberti filiis detulit, cui delationi fraus fieret, fideicommiſſis filio relictis, ex ea virili. Rationi addita auctoritas* Africani, in l. 52. D. ad leg. Falc. *Ei interpretandæ, præmittitur* Ulpiani *theſis* in l. 1. §. pen. D. ſi cui plus, quam per l. Falc. *& exponitur de concurſu* legis Papiæ, & Falcidiæ. *Subjungitur ex* Cujacio, & Gothofredo *conjectura, eo referentium* Caïum ad leges noſtras libro 9. in l. 130. D. de V. S. *Nobis non diſplicitum*, Caïum *referri ad cautionem*, ſi cui plus, quam per leg. Falc. *in legatis annuis, de queis idem* Caïus ad leges noſtras in l. 8. D. de ann. leg. *ſicut & ea forte occaſione* Paulus ad leges nnſtras in 7. D. ſi cui plus, quam per leg. *ſcripſit de cautione, non exigenda in annuis alimentis, præcipi juſſis ad diſtribuendum. Jam his curſim, ſubnectitur ſpecies* dict. l. 52. D. ad leg. Falc. *eaque dextre efficta, de patrono, qui uſus* lege Falcidia, *non* Papia, *elucidatur* Marcelli *aſſertio* in verſ. Profici, *& firmatur ex eo, ac deducitur, quod ſupponit, ſi non* lege Falcidia, *ſed* Papia, *patronus illic uſus foret, non præſtiturum cum filio ſolidum legatum; deinde pro alia differentiæ parte ſtatuitur, Patronum ex portione* Prætoria, *præſtare legata exceptis perſonis*. l. 4. D. de condit. & dem. l. 64. §. ult. l. 27. §. 13. D. ad S. C. Treb. *& differentiæ ratio conſpicua, quia* Prætor, *non niſi poſt eas perſonas, patronum vocat. Tandem quæ ſint exceptæ perſonæ, utcumque varie varii, nos, cum noſtrate* Coſta, *cenſuimus, fuiſſe ſolos liberti liberos.*

1 FUit hoc caput præ aliis, de queis hactenus, ad ſucceſſionem libertorum pertinentibus, primarium veluti, & notiſſimum *ex lege Papia*, *cui* ut proprium abſcribitur *in §. poſtea Inſtit. de ſucceſ. lib.* an & ante *ex lege Julia*, & ab illa in *Papiam* translatum, ut indicat pluralis mentio legum, *in l. ſi patronus 20. D. de donat. l. ſi filius 42. D. de bonis lib.* & præindicavimus ſupra *lib. 1. cap. 3. ad finem*. Ejus ſententia *in Academicis noſtris aſſertionibus*, redacta ad eam ſummam, ut in liberti centenarii bonis, qui pauciores, quam tres liberos reliquiſſet, virilis pars patrono deberetur; at ſi tres reliquiſſet, jus antiquum eſſet: ſed ſi minorem ſe centenario in fraudem legis feciſſet, id ratum ne eſſet. Jacobus Gothofredus, quæ nos capite uno complexi ſumus, in duo diſcrevit, ſed eadem ſubſtantia. Nos, ut effinximus, perſequemur, ſimulque Ulpiani, Pauli, & Terentii Clementis commentationes, quæ ad patronams jus ſpectantes in Pandectis extant, ex eorum *libris* 5. & 9. ac deinceps *ad leges Juliam, & Papiam*.

2 Prima pars, & præcipua, propriaque *legis Papiæ* in hoc capite cautin eſt, de liberto centenario, qua appellatione eum intelligi, qui ſeſtertiorum centum millium patrimonium reliquiſſet, Juſtinianus noſter expreſſit, *in dict. §. poſtea*, & eruditi omnes expoſuere, atque inter eos exacta eruditione Cujacius 19. *Obſerv. cap.* 31. Atque ita centenarius dictus noſtris Juriſconſultis, *legis Papiæ* interpretibus. *l. ſi libertus. 16. D. de jure patron. l. liberto 26. D. de bonis lib.* ille ipſe, quem vocavit cenſum *lex Voconia*, qui ſcilicet centum millia ſeſterriornm in bonis haberet, nt ex Aſconio Prædiano notatum aliis, de quo & nos tempeſtivius infra *ad caput 21. legum noſtrarum*. Porro Juſtinianus ſic eam ſummam æſtimari in poſterum conſtituit, ut pro mille ſeſtertiis unus aureus computaretur, & intelligeretur libertus centenarius, qui centum aureos in bonis haberet. *§. ſed noſtra Inſtit. de ſucceſ. lib.* junctis in eumdem ſenſum, *lege 25. D. de S. C. Sillan.* Paulo *lib. 3. ſent. tit. 6. §. hæreditas. l. Mævia. 49. D. ſoluto matr.* Apud nos autem centum aureis Juſtinianicis, ſive ſolidis reſpondent, centum marapetini aurei, ut diſcere eſt *ex l. 10. tit. 22. part.* 4. Quibus ſucceſſiſſe deinde *los Caſtellanos de oro*, ſive hodie *Eſcudos*, aliorum curæ fuit, & fuerit, & præ cæteris Magni Præſidis noſtri Covarruviæ *in Collat. veter. Numiſm. cap. 3. & 6. num. 3. & ſeq.* & ad forenſem uſum noviorum.

Ergo in liberto centenario, ſtatutum prima hac parte *Papiæ legis*, ut ſi is pauciores, quam tres liberos reliquiſſet, ſive teſtatus, ſive inteſtatus moreretur, virilis pars patrono deberetur, nempe ſemis, filio uno relictn, aut triens, ſi duobns; atque ita inductum novum jus *lege Papia*, & patronorum jura adaucta, affirmat perquam vere Juſtinianus *in dict. §. poſtea*; nam ex lege duodecim tabularum, ſive 3

teſtatus

teſtatus moreretur, ſive inteſtatus, ſuo hærede relicto, etiam ſilio uno adoptivo, aut uxore, quæ in manum convenerat, nihil juris futurum erat patrono. *princip. Inſtitut. de ſucceſſ. libert.* Ulpianus *tit.* 29. *in princip. l. filiusfamilias* 114. §. 1. *D. de leg.* 1. *l.* 3. *D. de ſuis, & legit. hær. l. liberto* 17. *D. de bonis lib.* Ex edicto autem Prætoris, decedente liberto, relictis naturalibus liberis, vel uno ſolo, niſi exhæredatus eſſet, excludebatur patronus. §. *qua de cauſa, verſ. prodeſſe, Inſtit. de ſucceſſ. lib.* Ulpianus *dict. tit.* 29. *in fin. princ.* At, *ex lege Papia*, in ſucceſſione centenarii liberti, cum liberis illius, ſi pauciores tribus ſint, concurrit patronus in virilem partem. *d.* §. *poſtea.*

4 Jam eo jure poſito, ſi quæras, cur liberto duos liberos relinquente, adauctum jus patroni, *lege Papia*, cum ante eam, vel unus eum excluderet, & videatur potius ex mente, & fine *Papiæ*, & *Juliæ legum*, adaucto numero liberorum liberti, ei veluti pro præmio, jus patronatus remittere, aut ſaltem minuere in eo, qui duos liberos reliquiſſet, ut in exemplo *l. qui libertinus* 37. *D. de oper. lib.* Nos faceſſere juſſis Vertranio *cap.* 21. & Gothofredo *in notis pag.* 339. quos refellere non vacat, opinamur potius, quod & Juſtinianus inſinuat, in libertis locupleribus, infenſam fuiſſe publicam cenſuram, & leges eorum divitiis, qui heri ſervi, hodie liberi, ut proverbiali convicio deſcribuntur, *in l. Prætor* 7. §. *præterea* 2. *D. de injur.* locupletes facti credebantur, non niſi malis artibus, & quarum Rempublicam puderet, *libertina indignatione*, ſive liberrima, ut Horatius de Mæna præpotente liberto ſcripſit. *lib. Epodon.* 4. & ad Senecam Nero *libr.* 14. *Annal. Taciti.* Et eodem ſenſu idem 12. *Annal. cap.* 53. ubi de Pallante, Narciſſo, & Callixto. Martialis *lib.* 5. *Epigr.* 13. *Et libertinas arca flagellat opes.* Plinius *lib.* 33. *Natur. Hiſtor. cap.* 10. & alii. Merito itaque *lex Papia*, in liberto locuplete adauxit patronalia jura, voluitque, ſufficere duobus liberis, virilem cum patrono, neque hunc excludi niſi tribus filiis, & tunc pro præmio, & jure liberorum.

5 Sed, vel in hoc aditu, progredi nos non patitur, quod Juſtinianus ſcribit, *in dict.* §. *poſtea*, relictis filio uno, vel filia à liberto, perinde *ex lege Papiæ*, partem dimidiam patrono deberi, ac ſi libertus, *ſine ullo filio, filiave inteſtatus deceſſiſſet*, quod falſum prorſus videtur, quia inteſtato liberto mortuo, ſine ullo filio, filiave, non dimidia, ſed tota hæreditas patrono deferretur, ex lege XII. tabularum. *princip. Inſtit. de ſucceſſ. lib. l.* 3. *D. de ſuis, & legit. l. liberto* 17. *Dig. de bon. lib.* Idque ipſum eo caſu per *legem Papiam*, quippe nec per eam dici poſſet, adaucta fuiſſe patronorum jura, ſi inteſtato liberto centenario, mortuo ſine ullo filio, non niſi dimidia para deferretur patronis, quibus ante illam tota hæreditas deferebatur. Cujus aſſertionis luculentum argumentum eſt, apud Ulpianum *in l. virilis* 145. *D. de verb. ſign.* ubi ex libro illius decimo, quo, & ſequenti, de ſucceſſione libertorum *ex lege Papia*, tractavit *l. is autem* 11. *l. libertus* 16. *Dig. de jure patron. l. Julianus* 37. *D. de bonis lib.* Definitur, virilis partis appellatione, interdum totam hæreditatem contineri, nempe *in lege Papia*, ex qua liberto centenario, ſine liberis inteſtato mortuo, ſub nomine virilis portionis tota hæreditas patrono defertur, ut exponit illic Cujacius. Quibus argumentis coactus idem 3. *Obſerv. cap.* 13. & *lib.* 17. *cap.* 13. exploſa à divinatione Roberti 3. *Animadv. cap.* 21. quam & ſub nomine mercatoris refellit *in Notatis* 3. *cap.* 25. affirmat, pro verbo *inteſtatus*, legendum eſſe, *teſtatus*, ſubſcribente Balduino *de lege Pap. pag.* 129. Mihi, quamvis probabilis Cujacii emendatio viſa, à qua & Græca Theophili paraphraſis non diſcrepat, tamen aliquando placebat, referri Juſtiniani verba poſſe ad eum caſum, quo libertus ſine ſilio, filiave naturali inteſtatus deceſſiſſet, relicto filio adoptivo, ſuo hærede, aut uxore, quæ in mariti manum convenit; tunc enim jure Prætorio, bonorum poſſeſſio partis dimidiæ patrono datur ab inteſtato. *dict.* §. *qui cauſa, Inſtit. de ſucceſſ. lib.* Ulpianus *in Fragmentis tit* 29. *in princip.* perinde atque *ex lege Papia*, quoties centenarius libertus filium unum, filiamve reliquit. Poſtea tamen, re maturius perpenſa, ſic explanandum Juſtinianum cenſui, ut affirmet, liberto inteſtato ſine filiis mortuo, dimidiam partem patrono deberi, quia quamvis eo caſu tota hæreditas deferatur, ex lege XII. tabularum, tamen dimidia pars eſt, quæ proprie debetur, & quæ ideo ſignate, & quaſi emphatice, pars debita vocari ſolet, ſeu portio legitima, quia, neque teſtamento facto, & extraneo hærede inſtituto poteſt patrono auferri. *dict.* §. *qua de cauſa l.* 1. §. *ultim. D. de bon. lib. l. debitor* 40. §. 1. *D. de pignorat. act.* neque ab inteſtato onerari, aut minui, fideicommiſſis relictis ſupra debitam eam partem. *l. filiusfamilias* 114. §. *ultim. D. de legat.* 1. *l.* 2. §. *ultim. l. filius* 42. §. *ultim. D. de bon. lib. l. quia autem* 6. §. *ſi patronus l. præterea* 19. *D. ſi quis omiſſa cauſa teſt. l. dotalem* 61. *D. ſol. matrim. l.* 3. §. *ſi inteſtatus &* §. *ultim. D. ſi quid in fraud. patr.* Quibus locis cum ſupponatur, totam hæreditatem patrono deferri, exprimitur tamen aperte, partem dumtaxat ei debitam eſſe, ſicut *in dict.* §. *poſtea.* & quoad partem *ex lege Papia*, electus *textus in l.* 1. §. *interdum* 14. *D. ſi cui plus, quam per leg. Falcid.* de quo poſtea opportunius.

6 Eſt autem, quoad hoc caput, inter alios locos inſignis, & aliis explanandis veluti fons, & fundus, Ulpiani *textus in l. ſi libertus* 16. *Dig. de jure patron. ea lib.* 10. *ad leges noſtras.* Cujus ſententia perſpicua id continet: ſi libertus minorem ſe centenario, in fraudem *legis*, ſcilicet *Papiæ*, fecerit, factis alienationibus, per quas deſinit centum habere in bonis, cum moritur, non valere ipſo jure, quod factum eſt, & patronum ſucceſſurum, tanquam in bonis liberti centenarii; aliud autem futurum, ſi per alienationes non fuerit factus minor centenario, tunc enim alienationes mero jure valere, & patronum, ſi revocare velit, uſurum *Faviana*, & *Calviſiana* actionibus Prætoriis, in eam rem proditis. *l.* 1. & 2. *l. alt. D. ſi quid in fraudem patr.* diverſitatis autem ratio ab Ulpiano expreſſa eſt, quia priore caſu cum libertus ſit centenario minor, ut patronus in totum excludatur, committitur in fraudem *legis Papiæ*, quæ illum admittit, & ea ipſo jure reſcindit alienationes; poſteriore autem, liberto adhuc centenario manente, non tam in fraudem legis fit, quam patroni, qui utcumque ſucceſſurus ſit, tanquam centenario, habebit tamen minorem portionem per alienata, quibus revocandis, ſufficit ei Faviana, & Calviſiana. Multumque intereſt, vel in aliis partibus juris, an in leges, vel an in jus privati peccetur. *l.* 1. §. *item cum contra D. quæ ſent. ſine appell. reſc. l. cum probatis* 32. juncta *l. Præſes* 27. *D. de re judic. l. ſi expreſſim.* 19. *D. de appellat. l.* 2. *Cod. quando provocare non eſt nec.* ac præterea, exploratum eſt, in hoc ipſo tractatu *Juliæ, Papiæque legum*, id ſolum reſcindi, quod adverſus leges factum, & reliquum non infirmari. *l. ſive generales* 62. *D. de jure dot.* juncta regula *l. uſuras* 20. *l. placuit* 29. *D. de uſuris.* Adjicit *in* §. 1. *dict. l.* 16. Ulpianus, ſi pluribus rebus ſimul alienatis, libertus ſe minorem centenario fecerit, eſſe nullius momenti alienationem omnium rerum: neque admittit, pro rata ex ſingulis rebus reſciſſionem, donec centenarius fiat, quia una ſimul facta alienatio fuit, qua in legem peccatum; neque eſt, cur pro ſingulis rebus ſcindatur, argumento *ex l. cum ejuſdem* 34. *D. de Ædil. ed. l. ſcire* 29. *l. cum ex cauſa* 139. *verſ. quia. D. de V. O. l. ſi ex toto* 8. §. *ult. D. de legat.* 1. Aliud ſi non ſimul res alienatæ, ſed priores aliquæ, quibus minor centenario factus, & poſtea aliæ in fraudem; tunc enim ſola priorum alienatio, revocabitur ipſo jure, *ex lege Papia*; & in poſterioribus *Faviana* utendum, ut exprimitur *in dict. l* 16. §. *ult.* Porro diverſa magis, quam adverſa eſt, & quæ nos non moretur, objectio, de revocatione inofficioſarum donationum, ex *l.* 1. *Cod. de inoffic. donat.*

l. Titia 87. §. *Imperator*. 3. *D. de legat*. 3. de qua poſt alios Donellus *lib.* 19. *Comm. cap.* 11. *litt. P.* & hæſitans illic Hilligerus.

7 Sed hæc, ut diximus, perſpicua, & facile explananda *in dict. l.* 16. Nos ultra pergimus, & obſervamus, *legem Papiam* fuiſſe in hoc capite legem perfectam, utpote quæ non tantum imperaret, ſed & contra factum reſcinderet ipſo jure, juxta regulam illam Ulpiani in *Fragm. tit.* 1. *in princ.* ſicut & perfecta fuit *lex Julia* in illo capite, de dote conſtituenda nubenti. *l. ſive* 62. *in princ. verſ. quia lege*, *D. de jure dot.* & in illo *Juliæ* ſive *Miſcellæ legis* capite, de indicta viduitate, ſeu conditione, ſi non nupſerit. *l. hoc modo* 64. §. 1. *verſ. ipſo jure*, *l. hæres* 79. §. *ult. D. de condit. & dem.* quamvis alioquin leges ipſæ *Julia*, & *Papia*, in prohibitione Senatorii connubii cum libertinis, imperfectæ fuiſſent, ut animadvertimus, *lib.* 2. *cap.* 8. & in illo, de divortio libertæ cum patrono, de quo jam infra *Reliquatione* 28. jam & ex hoc ipſo deducimus, pro elucidanda magis *dict. l.* 16. in alienationibus, factis contra *legem Papiam*, per quas libertus minor factus centenario, ideo potiorem vim, & poteſtatem legis eſſe, ut ipſo jure reſcindat, quia & ſolius legis auctoritatis eſt, prohibendo impedire dominii tranſlationem, ut *lex Julia* in fundo dotali. *l. cum lex* 23. *l. cum vir* 12. *D. de uſucap. princ. Inſtit. quibus alien. non lic.* & ut *Ælia Sentia* manumiſſionem in fraudem. *princ. Inſtit. quibus ex cauſ. manum.* ſicut ipſius legis eſt, dominium ipſo jure auferre, & transferre. *l. commiſſa* 14. *D. de publicanis*, & acquirendi dominii modos approbare, aut inducere veluti, ut ipſo jure acquiratur legatum, ex lege XII. tabularum, & caducum, & ereptitium, *ex Papia Poppæa*, apud Ulpianum *titul.* 19. §. *lege* 11. Quocirca reſciſſa ipſo jure alienatione, & impedita tranſlatione dominii in eum, in quem facta alienatio fuerat, poteſt patronus, liberto tanquam centenario ſuccedens, & proinde hæres, dominuſque *ex lege Papia*, vindicare portionem patronalem in bonis, contra legem alienatis, & *vindicare*, ut dicimus, actione in rem, tanquam dominus, juxta ſenſum Africani, de quo poſtea *in l. liberto* 26. *verſ. reſpondit*, *D. de bon. lib.* diverſum autem in alienatis non contra legem, quia libertus centenarius manet, ſed in fraudem patroni, quia minorem portionem habiturus eſt. Quippe in his Prætor, cujus non ea auctoritas eſt, ut dominii tranſlationem impediat ipſo jure, ſicut neque, ut hæredem, ſive herum, aut dominum faciat. §. *quos autem* 2. *Inſtit. de bonor. poſſeſſ.* ſuccurrit patrono, per actionem perſonalem, *Favianam*, ſeu *Calviſianam*, & cauſa cognita pro revocandis alienationibus. *l.* 1. *in princ.* & §. *hæc actio*, *D. ſi quid in fraud. patr.*

8 Ex his & deducendæ ſunt inſignes differentiæ, inter ſucceſſionem patroni, & patronalem ejus portionem *ex lege Papia*, & in liberto centenario ſucceſſionem in non centenario, & partem debitam patrono, ex Prætorio edicto. Prima, & jam fere explicita eſt, patronum in portione patronali *ex lege Papia*, eſſe hæredem jure civili §. *quos autem*, *Inſtit. de bonor. poſſ.* & adeundo, aut pro hærede gerendo, fieri ipſo jure dominum rerum hæreditariarum. *l. cum hæredes* 23. *D. de acquir. poſſ. l. legatum* 80 *D. de leg.* 2. & vindicare eas poſſe, tanquam dominum, ex jure Quiritium. *l.* 1. §. *per hanc* 2. *in fin. l. in rem* 23. *D. de rei vind.* aut perſequi directa hæreditatis petitione. *l.* 1. & 3. *in fin. l. quod ſi in diem* 16 §. *idem Julianus* 6. quæ ſingularis ad rem eſt, & explanata ſcite in Baſilicis *lib.* 42. *tit.* 1. *D. de hæred. pet.* Quanquam & poſſit poſſeſſionem petere, vel contra tabulas, ſi præteritus ſit, vel ab inteſtato, *unde legitimi. l. Julianus* 37. *cum l. ſeq. l. ſi libertus* 23. *D. de bon. lib. l.* 1. §. *ult. D unde legit.* juncta *l.* 1. *in princ.* & §. *ult. D. ſi à parente quis fuer. man.* è converſo Patronus in portione illa *certa*, (ut in Juſtiniani Pandectis nominatur,) ad quam Prætor eum vocat, liberto ſine filiis mortuo, teſtato, aut inteſtato quæ dimidia pars fuit. §. *qua de cauſa. Inſt. de ſucceſſ. lib. l.* 1. §. *ult. D. de bon. lib. l. ſed cum patrono*, 6. *D. de bon. poſſ.* non eſt hæres. *d.* §. *quos autem.* neque dominus, niſi bonitarius, ſeu poſſeſſionis, *l.* 1. *D. de bon. poſſ.* ſed bonorum poſſeſſor futurus, per contra tabulas contra ſcriptum hæredem, & poſtquam ille adierit. *l.* 3. §. *ut patronus* 5. *D. de bon. lib. l. illud* 4. *D. de bon. poſſ. contr. tab.* nec poteſt adire, aut vindicare, aut directo hæreditatem petere, ſed ad ſummum, Prætoria utili hæreditatis petitione uti *l.* 1. *D. de poſſeſſoria hær. pet.*

9 Connexa his ipſis eſt elucidatio Africani *in d. l. liberto* 26. *D. de bon. lib.* in qua, repudiato Cujacii illic criterio, Tribonianum accuſantis, nos Salmanticæ pridem conjectabamur, & nunc brevius exprimimus (dato etiam, quod libertus ſine ullo filio deceſſiſſet) idcirco Africanum præmittere, libertum, cui octoginta in bonis habenti, fundus quadraginta legatus, & deceſſit, poſt diem legati cedentem, (ac proinde poſt dominium illius, ei vivo ſaltem revocabiliter ipſo jure quæſitum. *l. cum pater* 77. §. *ſurdo. l. legatum* 80. *D. de leg.* 2 *l. quia retro* 35. *D. ad leg. Aquil. l.* 5. §. *ſi fundum*, *D. de reb. cor. l.* 1. §. *aurum* 5. *ſi quid in fraud. patroni. l. à Titio* 6. *in fin. D. de furtis*) videri eo ipſo, ſive habendum fore pro centenario, ut inde inferat, affirmetque, ut affirmat, poſſe patronum partem debitam vindicare, & hæredem liberti centenarii, *ex lege Papia*, juxta nuper deducta *ex d. l. ſi libertus* 16. quoniam aliud eſſet, ſi libertus pro centenario non haberetur, tunc enim patronus, non vindicare, ſed bonorum contra tabulas poſſeſſionem poſſet petere, contra extraneum inſtitutum, poſtquam adiiſſet. *l.* 4. *D. de bonor. poſſ. contr. tab. l.* 3. § *ut patronus* 3. *D. de bon. lib.* Quod ſane minus eſt, & regulariter utilius, poſſe vindicare, & in rem agere, quam in perſonam.

10 At nunc agnoſcimus, ſinceriorem eſſe, & fortaſſe veriorem Bartoli, aliorumque traditionem, apud Jaſonem *in l. ſi mihi* 12. *n.* 17. & *ſeq. D. de legat.* 1. queis ſubſcripſit noſter Præſes Covarr. *in cap. Rainaldus*, §. 3. *n.* 12. *de teſtam.* & ex Pragmaticis non pauci, affirmantes, ſupponendum neceſſario eſſe *in d. l.* 26. libertum habuiſſe filium emancipatum præteritum, contra quem patronus non admitteretur. *d.* §. *qua de cauſa. Inſtit. de ſucceſſ. lib.* niſi libertus centenarius eſſet, & idcirco Africanum tam operoſe contendere, libertum propter ceſſionem legati quadraginta, habendum pro centenario, ut patronus partem ſuam vindicet, *ex lege Papia*, quam in non centenario habiturus non erat Prætorio jure contra filium, cujus exiſtentiam, quamvis *in d. l.* 26. non exprimatur, tamen coacta juris ratio ſupponit, & evincit.

11 Ejuſdem expenſionis, & explanationis eſt, Papiniani reſponſum *in l. debitor* 40. §. *debitoris* 1. *D. de pignor. act.* ubi Cujacius, poſt Accurſium, cujus gloſſam vocat rectiſſimam, multa movet, moliturque, ne difficultati cedat, admiſſi illic patroni ad contra tabulas liberti, exiſtente liberti filio in poteſtate, quem vel exhæredatum, vel abſtinentem, vel patri præmortuum divinat. Et tamen nihil expeditius, & Papiniani verbis aptius, quam cum accipere, de patrono, ſucceſſore futuro cum filio liberti in virili portione, *ex lege Papia*, idque ita pridem placuiſſe magno præceptori noſtro, D. Alphonſo Guillenio Carreræ, dum poſt hæc ſcripta audio, & lego apud noſtrum etiam Arium Meſam, id, qua debuit, ingenuitate profitentem, *lib.* 2. *Var. cap.* 34. *num.* 24. lætor ſimul, & ſecurius probo: & adjicio, hoc ipſum innuere verba illa, *dominii partem obtinebit*; ſicut *in dict. l.* 26. *partem debitam vindicare. dict. l. ſi libertus* 16. *D. de jure patron.* Nec movere in contrarium debuit, laudatum Meſam, *dominii*, nomen, tanquam alienum à patrono, petente contra tabulas, neque ipſa petitio poſſeſſionis contra tabulas, tanquam aliena à patrono ſucceſſore *ex lege Papia*, quibus ille ſcrupulis agitatur, & æſtuat; nam quoad primum, imo propria ea vox *dominii*, in ſucceſſore, *ex Papia*; & quoad ſecundum,

dum, eſt etiam certum, poſſe patronum, etiamſi *ex lege Papia* ſucceſſor ſit, contra tabulas petere, ut præmonuimus, *ex l. Julianus* 37. *cum l. ſeq.* juncta *l. ſi libertus* 23. *D. de bon. lib. l.* 1. *§. ult. D. unde legit. l. Divi* 17. *in princ. & in fine princ. D. de jure patron.* junguntur ſæpe, ac mutuo ſe juvant, *lex Papia*, *& Julia*, ac edictum Prætoris, ut apud Ulpianum *tit.* 29. *§. in bonis* 2. *& ſeq. dict. l. Divi* 17. illic; *legis, aut edicti Prætorii l. filius* 42. illic; *legibus, aut edicto, D. de bonis lib.* ſicut pater manumiſſor filii emancipati, cui ad exemplum patroni contra tabulas à Prætore datur, non ideo amittit jus antiquum, quod ſine manumiſſione habuit, ſive id ſit, querela inofficioſi. *l.* 1. *in princ. & §. ult.* juxta certam, receptamque expoſitionem, *D. ſi à parente quis fuer. manum.* juncta *l.* 2. *§. objicitur* 15. *cum §. undecumque ſeq. D. ad S. C. Tertyl.* & juxta regulam *l. quoties* 91. *D. de reg. jur.* qua regula, pro explicanda *dict. l.* 1. *§. ult.* utitur illic Gloſſator Baſilicus *lib.* 40. *tit.* 6. juncta *l.* 1. *§. ſed videndum* 11. *D. de ſucceſſ. edict.* Idque interdum patrono utile, ſi filius liberti inſtitutus, per ſecundum tabulas, in poſſeſſione boonrum ſit, & velit patronus præteritus, cum illo apud Prætorem concurrere per contra tabulas.

12 Secunda, & ſane ignotior differentia eſt, legati, ſeu fideicommiſſi gravamen, à liberto centenario impoſitum ſupra patronalem portionem, delatam *lege Papia*, eſſe nullius momenti ipſo jure, ex eadem lege, utpote in fraudem ejus relictum, & proinde comprehenſum deciſione, & ratione *dict. l. ſi libertus* 16. *D. de jure patron.* quæ quamvis pro auctoramento ſufficeret. adjicimus tamen, & expendimus nobilem Marcelli locum, in *l. ſi patronus* 20. *D. de donat.* ubi patrono ex debita parte inſtituto, ſi fidei ejus commiſſum ſit, ut quid det, & ille id ipſum fideicommiſſario ſtipulanti promiſerit (ſcilicet poſt mortem teſtatoris; nam ſi vivo eo ſpopondiſſet, indubium erat, eum non teneri. *l. quod bonis* 15. *D. ad leg. Falcid.*) ſcriptum eſt, non eſſe cogendum patronum ſolvere, ea ratione reddita, *Ne pars ex legibus verecundiæ patronali debita minuatur*, quæ ratio oſtendit, ſpeciem eſſe, de patrono hærede, *ex legibus Julia, & Papia*; & ſimul eadem ratio ſuadet, ſicut fideicommiſſum ſupra patronalem portionem fuit nullius momenti, ita & promiſſionem, ſive cautionem, illius firmandi gratia, interpoſitam, argumento *ex l.* 1. *§. ſi quis* 14. *verſ. huic Stipulationi D. ut legator. nom. cau.* & quia ea ipſa in fraudem *legis Papiæ*, ut *in dict. l. ſi libertus* 16. quanquam quod rectius cenſeo, & Marcelli verbis magis congruit, non inutilis ipſo jure ſtipulatio, ſed inefficax ad cogendum patronum, ut ſolvat, quia fraudem, dolumve reipſa habet, contra patronalem verecundiam, & portionem legibus debitam, atque ideo poteſt idem patronus promiſſor, ſi ſtipulatione conveniatur, exceptione doli ſe tueri, ex regula *l. ſi quis cum aliter* 36. *in fine D. de verb. oblig. l.* 1. *§. circa D. de doli except.*

13 Jam ſi & ultra ſciſciteris, propria, & ſpecialis ratio, indicata *in dict. l.* 20. *verſ. ne pars ex legibus*, ea fuit, quia cum *Papia, & Julia leges*, adauxerint patronalia jura *dict. § poſtea. Inſtit. de ſucceſſ. lib.* juncto Ulpiano *tit.* 29. *§. in bonis* 2. *cum ſeq.* & quidem intuitu reverentiæ patronalis (quæ verecundia ſcite vocatur *in dict. l.* 20. ut *in l. libertus* 41. *D. de oper. lib. l. ſi quis* 91. *in fine D. de furtis*) & quo magis ea augeatur erga patronum in libertis centenariis, & locupletibus, qui ſæpius in eam peccare ſolebant, fuit eiſdem legibus congruens, ne ea portio minuatur, coacto patrono, ex ſtipulatione, ſubrogata in locum fideicommiſſi, quo à liberto contra eas leges oneratus erat, eſt enim ea coactio, maxime à liberti fideicommiſſo profecta, contra verecundiam patronalem, ut ſenſiſſe Papinianus videtur, *in l. ſi libertus* 41. illic: *invito tamen aliquid extorquere conetur*; & poſtea *in verſic. ſed parte debita D. de bon. lib.* in qua ſingulare illud jus, ut patronus poſſit partem debitam retinere, & legatum repudiare, ſubniti favore patroni, & decretis extraordinariis Prætoris, mediis inter favorem patroni, & libertatis, contra regulare ſenſit Cujacius 12. *quæſt. Papia. in dict. l. ſi libertus* 42. Neque abludent Valentia *Illuſtr. tom.* 3. *tract.* 1. *cap. ult. num.* 12. & nos *ſupra lib.* 1. *cap.* 3. *ad extremum.* Nec addimus ſingulari ei juri rationem, ne ex cauſa fideicommiſſi, quo libertus à patrono invito aliquid extorquere voluit, cogatur iſte contra verecundiam patronalem.

Nec abſtineo, quin pro eodem ſenſu, non urgen- 14
dæ verecundiæ patronalis, expendam Juliani fragmentum, *in l. ita tamen* 27. *§. ſi patronus* 13. *D. ad S. C. Trebell.* ubi patrono ex parte debita inſtituto, eum onere reſtituendæ hæreditatis, ſi ſuſpectam ſibi eſſe dicat, ſcribit in primis Julianus, *rectius* facturum Prætorem, ſi cogat adire, & reſtituere; & utitur verbo, *rectius* (quo non ſemel res dubitabilis innuitur *l. prætor* 7. *§.* 1. *D. de injur. l. legatum* 17. *D. de ann. legat. l. procurator* 23. *D. ratam rem hab.*) quia in patrono, propter coactionem, ob fideicommiſſum à liberto, dubia eſſe poterat, cum in quovis alio, etiam filio, aut Magiſtratu ſummo, coactio indubitata, & regularis eſſet *l.* 5. *l. recuſare* 6. *§. ſed &* 2. *cum ſeq. l. ille, à quo* 13. *§. tempeſtivum* 6. *D. ad S. C. Trebell.* & tamen ſcribit, ſtatuitque Julianus *in dict. §. ſi patronus*, rectius facturum Prætorem, ſi cogat; ſed addit, (quod omnino ſpeciale, & obſervatu dignum) poſſe patronum, poſtquam coactus adiit, retinere partem debitam, mutata voluntate; id, quod paradoxum, & pugnans cum regula, ne is, qui compulſus adiit, pœnitere poſſit, aut quidquam retinere ex ea hæreditate *l. nam quod* 14 *§. qui compulſus* 4. *D. ad S. C. Trebell. l.* 4. *in fine Cod. eod. tit.* Sed in patrono, nititur ſingulari illa verecundiæ patronalis ratione, ut etiam poſt compulſionem pœnitere poſſit, & retinere, ſicut in eodem etiam, poſtquam promiſit, *in dict. l. ſi patronus* 20. *D. de donat.* Addo, & ſimiliter expendo, & expono Tryphoninum, vulgo inobſervatum *in l. penult. §. ſi patronus* 4. illic: *cum retinere poſſet*, *D. de bonis lib.* Nec tamen ideo Julianum, & Tryphoninum accipio, de patroni legitima, *ex lege Papia*; namque, eo poſito, fideicommiſſum foret ipſo jure nullum: ac proinde ex eo neque patronus cogeretur *l. ille* 13. *§. quid ergo* 3. *dict. l. ita tamen* 27. *§. quoties* 6. *D. ad S. C. Trebell.* neque ex Trebelliano, ſi reſtituiſſet, actiones tranſirent, ut in ſpecie, poſtea explicanda, Paulus in *l. patronus* 60. *D. ad S. C. Trebell.* Sed accipio, de legitima debita Prætorio jure, quippe & in ea patronus non onerandus, nec temere cogendus ex fideicommiſſo liberti, propter reverentiam patronalem (cujus etiam extra *legem Papiam* ratio habetur, ut in electo *textu l. qui duos* 9. *§. ſi cum filio* 2. *D. de reb. dub.* quem, ſilentibus Cujacio, & aliis, moneo, accipiendum, de ſucceſſione liberti non centenarii, quia ſi de centenario, & *Papia* accipiatur, non eſſet neceſſe comminiſci, filium patri præmortuum, quippe etiam filio ſupervivente, patronus cum eo ſuccederet pro virili. *§. poſtea Inſtit. de ſucceſſ. lib.*) ſed relinquenda ei, *ſine conditione, & dilatione*, ut repetite exprimitur *in l. ſive* 21. *§.* 1. *&* 2. *D. de jure patron.* juncta *l.* 3. *§. ſed patronus* 11. *cum aliis D. de bon. lib.* ut vel obiter liqueat, temere illa verba Triboniano imputare Cujacium *ad Novellam* 18. quamvis fideicommiſſum mero jure valeat *l. cum patronus* 28. *D. de legat.* 2. de qua poſtea.

Diſtat autem valde à patrono, & à patronali le- 15
gitima, *ex lege Papia* in hypotheſi *dict. l. ſi patronus* 20. (ne vel hoc prætereamus) non ſolum hæres, qui ſi mortuo teſtatore (non autem ſi vivo *l. quod bonis* 15. *§.* 1. *D. ad leg. Falcid.* quomodo componendum diſſidium juris auctorum, quod in hac re agnovit, poſt Cujacium, Merilius *lib.* 2. *Variar. Lect. cap.* 9.) ſpoponderit, ſe *Falcidia* non uſurum, cogitur, ſponſioni ſtare, ut in *dict. l.* 20. *§.* 1. *l. qui quod* 46. *D. ad leg. Falcid. l. ult. Cod. eodem tit.* juncta *l. fideicommiſſum* 62. *D. de condict. indeb.* quamvis ſi non ſpopondiſſet, poſſet *Falcidia* uti, etiam con-

tra voluntatem teſtantis *l. ſe jus* 27. juncta *l. quod bonis* 13. §. 1. *D. ad leg. Falc.* ſed quod ad rem notatu dignius, etiam filius, ſupra cujus legitimam portionem, ſeu quadrantem, gravamen à patre impoſitum, non fuit nullius momenti ipſo jure, imo validum, niſi & donec judicato in querela (mero jure ante *l. quoniam* 32. *Cod. de inoffic. teſt.*) inofficioſi reſcinderetur *l. Papinianus* 8. *§. ult. & §. unde* 11. *D. de inoffic. l. ſi pater* 12. *Cod. eodem tit.* & ſi poſt patris mortem filius, ſe de inofficioſo non acturum, caverit, cogitur ſtare cautioni *l. ſi quando* 35. *§. & generaliter, in fine Cod. de inoffic.* Idque, ſive quia *Glitia lex*, cui Cujacius, eruditis non ſubſcribentibus, originem querelæ adſcribit, imperfecta fuit, nec contra illam geſta reſcindens, aut imperfectum antiquum jus illud, à quo profecta querela, creditur. *l.* 1. *§. ult. D. ſi a parente quis fuer. manum.* ſive quia ratio illa reverentiæ, a liberto debitæ patrono, ne oneretur, vel compellatur, non viget in patribus erga filios, ſive tandem quia viſum fuit, liberiorem patribus eſſe debere, de rebus ſuis ſtatuendi, cum præjudicio aliquo filiorum, ex ratione *l. in ſuis* 11. *in fine D. de liber. & poſthum.* quam libertis, contra patronos, atque imo neque in ſucceſſionibus exæquandi liberti ingenuis, ut ad rem ſcriptum eſt *in l.* 2. *D. ſi à parente quis fuer. manum.* de qua mox; ſicut & viſum fuit, poſſe libertos onerari in pleriſque, quibus ingenui non adſtringantur *l. Titio* 71. *§. Titio centum* 2. *D. de cond. & dem. l. penult. D. de obſequ. par.* & proinde quamvis Cujacius *ad Novellam* 18. & *ad l. cum patronus* 28. *D. de legat.* 2. fortiter, ut ille ſcribit, defendat, exemplo patroni, neque filium cogendum fuiſſe, etiamſi ita caverit, ad fideicommiſſum legitimæ impoſitum, & æquale omnino jus eſſe patroni, & filii, fuit tamen ſane diſpar, priſco jure (quoad patronalem legitimam *ex lege Papia*) & ante *dict. l. quoniam* 32. *Cod. de inoffic.* & novam Juſtiniani conſtitutionem, quæ ſuppletur in *extremo tit. Cod. de bonis lib.* imo & novo, in ſpecie *dict. l. ſi quando* 35. *§. & generaliter, in fine Cod. de inoffic.*

16 Superaddimus, & quo magis de differentia vetere, inter patronalem legitimam, *ex lege Papia*, & filiorum conſtet, duo ſubjungimus. Primum eſt, legitimam filiorum minui ipſo jure per libertatis, etiamſi in fraudem illorum à patre data videantur, nec pro illis revocandis actionem eſſe, nec aliud, quam ſubſidium illud, de quo in *l. Papinianus* 8. *§. quarta* 9. *D. de inoffic. teſt.* & viguiſſe ejus textus gnomen, etiam poſt Juſtinianum, in *Novella* 18. *de triente, & ſem. cap.* 3. (quamvis aliud cum Joanne gloſſographo, cenſeat Chifletius *de Portion. Legit. cap.* 12.) argumento eſt, relatum illum *§. quarta*, in Baſilica *lib.* 39. *tit.* 1. è contrario autem ſi libertates à liberto in fraudem legitimæ patronalis datæ ſint, ipſo jure nullæ ſunt, idque *ex lege Ælia Sentia*, ut Ulpianus notat *in Fragment. tit.* 1. *§. eodem* 15. Caius *lib.* 1. *Inſtit. tit.* 1. *§. aut ſi libertus* 7. eoque pertinens ex eodem Caïo, *textus in l. ſi pariter* 9. *§. inde* 2. *verſ. ſicut, D. de liber. cauſ.* quem reconditum, & ſingularem cenſet Cujacius *ad dict. l. Papinianus* 8. *§. quarta* 9. *D. de inoffic.* nec immerito, cum nec ipſe illius meminerit, *in notis ad Ulpianum dict. tit.* 1. *§.* 11. & idipſum caput *legis Æliæ Sentiæ* non reciset, inter illius alia, Antonius Auguſtinus, & quod mirere magis, neque eum textum *dict. l. ſi pariter* 9. *§. unde* 2. vel collaudet Antonius Faber, in accurata illa *legis Sentiæ, de manumiſſionibus in fraudem*, commentatione, quam juriſprudentiæ ſuæ appinxit, *ex tit.* 5. *princ.* 1. *& ſeq.*

17 Secundum, & brevioris notæ, eſt, ad revocanda alienata à patre vivo in fraudem legitimæ filiorum, non concedi eis *Favianam*, ſeu *Calviſianam* (nec fere aliud remedium; niſi ſuis caſibus, querelam inofficioſæ donationis, aut dotis) & tamen illas actiones dari patronis, contra alienata in eorum fraudem à libertis, quomodo differentia hæc ſignanter exprimitur à Caïo *in dict. l.* 2. *D. ſi à parente quis fuer. manum.*

18 Plane ut ab his excurſibus regrediamur ad aſſertionem illam, principaliter ſupra ſtabilitam, de gravamine fideicommiſſi, ſupra legitimam patronalem, *ex lege Papia*, ipſo jure per eam reſciſſo, expendimus ulterius pro ea aſſertione, ſententiam Pauli in *l. patronus* 60. *D. ad S. C. Treb.* ubi in patrono, ex debita parte inſtituto, & rogato, ſextam partem reſtituere, ſi reſtituerit, docet Paulus, non tranſire ex Trebelliano actiones, ratione ea reddita, quoniam non fuit debitum, quod reſtituit. Eiſe autem accipiendum Paulum, de patrono, onerato liberto centenario in portione debita, *ex lege Papia*, evincit juris ratio, quia ſi accipiatur, de onerato à liberto non centenario, in parte ei delata jure Prætorio, non poſſet dici, non tranſire actiones ex Trebelliano, quin imo tranſirent, & poſſet cogi adire, ac niſi pœniteret, reſtituere *l. ita tamen* 27. *§. ſi patronus* 13. *D. ad S. C. Trebell. l. penult. §. ſi patronus* 4. *D. de bonis libert.* de queis jam *ſupra*. Ac præterea nec poſſet dici, non fuiſſe debitum, quod reſtituit, quia fideicommiſſum, quo oneratur patronus a liberto non centenario, in parte ei delata à Prætore, non eſt indebitum, aut nullum ipſo jure, quamvis patronus id præſtare non cogatur *l. cum patronus* 28. ad quam poſtea hoc ipſum firmabimus, *D. de legat.* 2. Qui loci ſine pace pugnarent, niſi, ut proponimus, diſtinguerentur, & conciliarentur. Monemus autem ſemel, quod & ſæpe in tractatu hoc, *de ſucceſſione libertorum*, repetitum volumus: in *juriſconſultorum fragmentis*, quamvis non exprimatur, ſupplendum eſſe ſucceſſionis liberti genus, & exaudiendum, *ex lege XII. Tabularum*, vel ex *lege Papia*, vel ex *Prætorio edicto*, prout epigraphe, & aut verba, & juris ratio ſuaſerint, idque niſi dexterrime fiat, difficilem, & inacceſſam juriſconſultorum intelligentiam futuram, cum poſt noviſſimam nobilemque illam Juſtiniani conſtitutionem, de jure patronatus, quæ in extremo extat *tituli Cod. de bon. libert.* confuſa, & veluti ex compacto, obſcura relicta ſit, triplicis illius priſcæ ſucceſſionis libertorum in Pandectis mentio, & memoria: id, quod perinde agnoviſſe, & monuiſſe, video, Cujacium.

19 Ergo, relata, ut diximus, ſententia Pauli in *dict. l. patronus* 60. ad fideicommiſſum, impoſitum patronali portioni, *lege Papia*, debitæ, recte ſtatuitur, non transferri actiones ex Trebelliano, quia ex fideicommiſſo nullo, cujuſmodi illud eſt, non tranſferuntur *l. ita tamen* 27. *§. quoties* 6. *D. ad S. C. Trebell.* ſicut & proprie dicitur, non fuiſſe id debitum, quia cum *lex Papia* faciat, ut illud ſit nullius momenti, ipſo jure *l. ſi libertus* 16. *D. de jure patron.* facit utique, ut non debeatur, ex regula *l. cum lex* 45. *D. de fidejuſſ.* & proinde ut, ſi per errorem ſit reſtitutum, repeti poſſit, ut indebitum, ut Paulus concludit *l. de ſi ſponſus* 5. *§. ſi quis rogatus in fin. donation. inter. l. fideicommiſſum* 7. *Cod. de condict. indeb. l. error* 9. *Cod. ad leg. Falc. l.* 2. *cum ſeq. D. de condict. indeb. l. Papinianus* 8. *§. ult. D. de inoffic.* aliter atque ſi à ſciente patrono, non deberi, reſtitutum ſit, ut Paulus idem reſpondit *in l. eum, qui* 21. *§.* 1. *D. de inoffic. & lib.* 4. *Sentent. tit.* 3. *§. qui totum* 4. *l.* 1. *& l. ult. Cod. ad leg. Falcid.* juncta regula *l. non videtur* 11. *Digeſt. ſi quid in fraud. patr. l. cujus* 53. *Digeſt. de reg. jur.*

20 Affine prope eſt, & quod adhuc expendi poſſit, Pauli fragmentum *in l. ita fidei* 40. *§. ult. D. de jure Fiſci*, ubi legimus: ſi patronus tacite in fidem ſuam recipiat, ut ex portione ſua præſtet, ſcilicet ei, qui alioquin capere non poteſt; finge, uxori, quæ non niſi decimam ex bonis liberti mariti capere poterat, cum ex aliis poſſet, ut apud Ulpianum *tit.* 15. *& in l. unica, Cod. de his, qui ſe deferunt*, ceſſare fraudem, *quia de ſuo largitur.* Quod fragmentum Cujacius illic, *in Recitationibus ad eum titulum*, exaudit, de portione, patrono debita, ex *lege Papia*, & ſubjudicat ratio illa, quia de ſuo largitur; cum ſuum proprie dicatur, quod jure dominii noſtrum eſt, & vindicari poteſt *l. quintus* 27. *§. argento* 2. *l. ſcribis* 34. *D.*

D. de auro, & arg. leg. qualem eſſe portionem patronalem, *ex lege Papia*, ſupra oſtendimus, *ex l. liberto* 26. *D. de bonis lib. l. debitor.* 40. §. 1. *D. de pignor. act.* Eo itaque poſito, ſententia Pauli eſt, etiamſi patronus, fideicommiſſi reſtituendi incapaci, ex portione ſua ſuſceperit tacitam fidem, cautione arcana, aut chirographo, quamvis alioquin eo modo fraus *legibus Juliæ, & Papiæ* fiat, & ea tacita relicta Fiſco vindicentur, *ex eiſdem legibus*, atque ereptitia dicantur, ut apud Ulpianum *tit.* 19. §. *lege* 17. junctis *l. in fraudem* 10. *D. de his, quæ ut indign. l.* 3. *in princip.* & §. *tacita* 3. *D. de jure Fiſci. l. in tacitis* 103. *D. de legat.* 1. tamen in ſpecie poſita, ceſſare fraudem, quia cum fideicommiſſum in portione patronali, *ex lege Papia*, nullius momenti ſit, adeo ut quamvis, poſt mortem liberti, ſe id præſtiturum, caviſſet, cogi non poſſet *l. ſi patronus* 20. *D. de donat.* etiamſi fidem tacitam dederit, & præſtet, fraudem non facit, quis largitur ex ſuo, ſive ex ſuis bonis, ex queis uxor, ut finximus, capere poteſt, quamvis ex liberti non poſſet; in quo tamen diverſum jus eſt hæredis, qui tacitam fidem ſuſcepit, reſtituendi incapaci quartam *Falcidiam*, quam alioquin retinere poterat, & ad eum ſuo jure pertinebat; namque ei, ut indigno, eripitur *l. ſi quilibet* 23. §. *hæres* 11. *D. de his, quæ ut indign. l. beneficio* 59. §. 1. *D. ad leg. Falcid.* ſicut & diverſa jura patronalis portionis, & *Falcidiæ in d. l. ſi patronus* 20. *in princip.* & §. 1. *D. de donat.* de qua ſuo loco ſupra.

21 Tranſimus jam à patronali portione, *ex lege Papia* ad alteram partem differentiæ, & aſſertionis, ſupra propoſitæ, de portione, patrono delata à Prætore in liberto, etiam non centenario, & affirmamus non temere, quamvis præter vulgarem ſenſum, & captum, ſi ea portio fideicommiſſo onerata ſit à liberto, fideicommiſſum mero jure valere, ſive non reſcindi ipſo jure, quamvis patronus non cogatur, id præſtare, ſed poſſit retinere. Hæc aſſertio, cujus veluti prora, & puppis eſt, *lex cum patronus* 28. *D. de legat.* 2. de qua poſtea, probatur in primis juris ratione. Primo ex comparatione, & argumento *dict. l. ſi libertus* 16. *D. de jure patron.* quia ſi alienata à liberto centenario inter vivos, & ſuo facto, quibus non fit centenario minor, atque ideo non directo committitur in *legem Papiam*, ſed tamen fit minor portio patroni, & ei fraus, & præjudicium fit per alienata, non reſcinduntur ipſo jure, ſed ſubſiſtunt, donec revocentur à patrono, actione ex edicto, *ſi quid in fraudem patroni*, quanto magis ſubſiſtere debent, mero jure, gravamina legatorum, impoſita teſtamento liberti non centenarii, ſupra portionem, patrono à Prætore delatam, ubi nulla lex eſt, quæ reſcindat, cum è contra, lege XII. tabularum, teſtamento relicta confirmentur *l. verbis* 120. *D. de verbor. ſign.* Secundo, quia pro ea Prætoria patronali portione, ſi à liberto non ſit relicta patrono, aut legatis exhauſta, pollicetur ei Prætor bonorum poſſeſſionem contra tabulas, qua tamen teſtamentum non reſcinditur, quin imo legata, in eo relicta, debentur, & ſolvuntur. à cohærede patroni, qui contra tabulas accepit *l. ſi fundum* 81. §. *ſi libertus* 4. *l. ſi hæreſi* 25. *D. de leg.* 1. *l.* 4. *l. in conditionibus* 19. §. *ſi patronus* 2. *l. Plautius* 43. *D. de cond. & dem.* neque contra teſtamentum, ſed contra hæredem, poſtquam adiit, exercetur, & avocatur pars debita patrono *l. illud* 4. *D. de bonor. poſſeſſ. contr. tab. l.* 3. §. *ut patronus* 5. *Dig. de bonis lib.* Proinde & multo minus reſcindendum ipſo jure, fideicommiſſum, teſtamento liberti relictum à patrono, quanquam, ne id cogatur præſtare, adjuvandus ſit patronus à Prætore, aut denegata actione fideicommiſſaria, aut exceptione, contra illum data patrono, juxta regulam *l. nam poſt* 9. *D. de jurejur.* Tertio, nam gravamen impoſitum legitimæ debitæ filiis, ante *l. quoniam in prioribus* 32. *Cod. de inoffic. teſt.* non erat nullius momenti ipſo jure, nec reſcindebatur, niſi poſt centumvirale judicium, & judicatum de inofficioſo *l. Papinianus* 8. §. *ult. cum ſeq. D. de inoffic. l. ſi pater* 12. *Cod. eodem*, ut prænotavimus ſignata, quoad hoc, differentia patronalis legitimæ, *ex lege Papia*, ſupra, pro *l. ſi patronus* 20. *D. de donat.* Eſſet autem abſurdum, immunem magis eſſe à gravamine, adeo ut & ipſo jure impoſitum ſupra reſcinderetur, portionem à Prætore delatam patrono, quam ſupra legitimam filiorum liberti, cum non niſi in eorum defectum, patrono deferatur § *qua de cauſa* 1. *Inſtit. de ſucceſſ. lib.* juncta *l.* 2. *in princ.* & §. 1. *D. ſi tab. teſt. null. extab.*

22 Poſſet adjici, &, ſi vacaret, pluribus poſſet, Prætores, & Prætorium jus, quamvis habeant auctoritatem juris *non modicam*, (ut ſcite ſcriptum eſt *in* §. *Prætorum* 7. ubi Theophilus *Inſtit. de jure natur.*) non tamen parem legibus, ſive non ut tanquam leges, ipſo jure reſcindant §. *quos autem, Inſtit. de bon. poſſ.* aut jus civile directo corrigant, quod potius ſubſequi debent *l. ſcio* 13. *D. de teſtib. l. non eſt* 12. §. 1. *de bonor. poſſ.* ſed ut per officium juris reddendi (cui exercendo Prætores inſtituti *l.* 2. §. *cumque Conſules* 27. *D. de orig. jur.*) ſive juriſdictione ſua ſuppleant, & oblique veluti corrigant jus civile, ut perite Juſtianus *in* §. *cæterum. verſic. donec Prætores. Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ.* ut in bonorum poſſeſſione contra tabulas, promiſſa emancipato filio, & ab inteſtato, *unde liberi*, & *unde cognati*, quos tamen lex XII. tabularum, non excluſerat, ſed omiſerat *l. cum vocaverat* §. *emancipatus* 3. *Inſtit de exhæred. lib.* § *emancipatus* 9. *de hæred. quæ ab inteſt. princip. Inſtitut. Dig. de ſucceſſ. cogn. l.* 1. *Dig. unde cognati.* juncto *princ. Inſtit. de bonor. poſſ.* & in actionibus, & exceptionibus, inductis à Prætore ſuis edictis *l. quia actionum* 11. *D. de Prætor. Urb. princ. Inſtit. de perpet. & temp. act.* §. *ſed iſtæ* 3. *verſ. aliæ. Inſt. de action.* juncto elementari veluti textu, atque ex his illuſtrando Papiniani *in l. jus civile.* 7. §. 1. *D. de juſt. & jure*: & in ſumma, ut finiamus, lex ſuapte auctoritate, & *imperative*, ut de lege Ulpianus loquitur *titul.* 24. *de legat. in princip.* neque alterius facto, egens operatur, & ſi perfecta lex eſt, reſcindit ipſo jure; Prætor autem nonniſi miniſterio juriſdictionis, & petente eo, cujus intereſt, excepto ſingulari caſu, & cauſa *l. quæ ſub conditione* 8. §. 1. *D. de cond. inſt.* bonorum poſſeſſionem, vel actionem, aut exceptionem: atque eo ſenſu opponuntur, fieri per legem ipſo jure, aut per Prætorem *l.* 1. §. *ad eos* 1. *D. ad leg. Falc. l. cum fine* 11. *D. de Carbon. ed. l.* 1. §. *ult. D. de ſuperfic. l. ſi tibi* 17. §. 1. & 2. *D. de pactis. l. in cauſæ* 16. *D. de minor. l.* 3. *Cod. ſi adverſ. libert. l.* 2. & 4. *Cod. in quib. cauſ. in integr. reſtit. neceſ. non eſt.* Sicut opponuntur, fieri ipſo jure, aut per exceptionem *l.* 1. §. *qui minorem* 19. *D. ut legat. nom. cau. l. ubicumque* 60. *D. de fidejuſſ. l. cum quis* 38. §. 1. *de ſolut. l.* 1. § *ſi libertatis* 7. *D. quarum rer. actio non detur.* Sit denique argumentum, & exemplum rei, in libertatibus, datis in fraudem creditorum, vel patroni, quas neceſſe fuit, per legem *Æliam Sentiam* impediri, ſive ipſo jure, antequam competerent, reſcindi *princ. Inſtit. quibus ex cauſ. manum. l. ſi pariter* 9. §. 2. *D. de liber. cauſa.* juncto Ulpiano *tit.* 1. §. *eadem* 15. Caïo 1. *Inſtitut. tit.* 1. §. *aut ſi libertus* 7. *Digeſt. ſi quid in fraud. patr.* quia ex edictis Prætoriis, quæ in fraudem creditorum, non poſſent ipſo jure reſcindi, cum edictorum, & Prætorum auctoritas, & uſus ſiſtat ſe in revocatoriis actionibus, ex poſt facto exercendis, *Pauliana*, aut *Faviana*, quæ ad libertates non ſufficerent, quia cum ſemel competierint, non revocantur §. *ſemel* 6. *Inſtit. quib. ex cauſ. manum.*

23 Hiſce juris rationibus accedit teſtimonium *l. cum patronus* 28. *D. de legat.* 2. ubi Marcellus *lib.* 29. *Digeſt.* (niſi tamen mendoſa inſcriptio eſt, & retrahenda *ad librum* 22. ex quo eſt, & huic conjungenda Marcelli ejuſdem ſententia, *in l. ſi patronus* 20. *D. de donat.*) Marcellus, inquam, proponit, ſi à patrono, ex debita parte inſtituto fideicommiſſum relictum ſit, quod tamen ille præſtare non cogitur, & patronus repudiaverit, an illi, qui patroni partem vindicant, ſive quibus accreſcit, debeant eo-

dem modo, non cogi, ad præſtandum fideicommiſſum, ſeu poſſint retinere, & reſpondet, magis eſſe, ut debeant cum effectu, ſeu cogantur præſtare, quia qood patroni perſonæ indulgeretur, aliis indulgendum non ſit. Eſſe autem Marcelli theſim, de portione patrono debita Prætorio jure, à liberto non centenario, evincitur in primis, quia ſi eſſet de debita, *ex lege Papia*, nec dici, nec ſupponi poſſet, fideicommiſſum deberi, non ſolum à patrono, ſed neque ab eo, cui portio accreſceret, cum ipſo jure nullius momenti eſſet, adeo ut ſolutum poſſet, ut indebitum, repeti *l. ſi patronus* 20. *D. de donat. l. patronus* 60. *D. ad S. C. Trebell.* & proinde portio accreſceret, ſine onere fideicommiſſi, tanquam habiti pro nullo, ſeu pro non ſcripto, juxta regulam *l. quidam* 14. *D. de jure Codicill. l. unic.* §. *in primo* 3. *Cod. de caduc. toll.* Deinde, quia Marcellus diſquirit, an fideicommiſſum ipſo jure debeatur (quod imo ſupponit deberi) quam utrum, ſicut patronus non cogitur præſtare, ita nec cogantur illi, quibus portio accreſcit, vel an poſſint retinere. Quæ ſingula non conveniunt fideicommiſſo, impoſito portioni, *ex lege Papia*, quia in eo, utpote nullo, & indebito, nullus coactioni locus, etiamſi patronus ſpopondiſſet. *dict. l. ſi patronus* 20. *D. donat.* Rurſus, quoniam & ratio Marcelli, *in dict. l.* 28. non refertur ad portionem, legibus debitam, ut illa ejuſdem *in dict. l.* 20. ſed ad prærogativam veluti perſonalem patroni, ob quam ei præbetur, ne cogatur a Prætore, ad quem pertinet cogere, aut tueri patronum in portione debita *l.* 4. *D. de cond. & dem. l. ſi libertus* 41. *in fine. D. de bon. lib.* 3. §. *ſi filius D. ſi à parente quis fuer. manum. l. aliene* 31. §. *ſi patronus D. de fideicomm. lib.* & ut poſſit retinere *l. ita tamen* 27. §. *ſi patronus* 13. *D. ad Senat. Conſul. Trebell. l. penultim.* §. *ſi patronus* 4. *Digeſt. de bonis lib.* Stat itaque, non poſſe referri Marcellum *in dict. l.* 28. ad portionem patronalem, *ex legibus Julia, & Papia*, ſed neceſſario, ac proprie pertinere ad debitam, jure Prætorio, & conſequenter probari, & ſupponi *in dict. l.* 28. *fideicommiſſum* ex ea portione deberi, ipſo, meroque jure, quamvis patronus id præſtare non cogatur, cujus hæc perſonalis prærogativa, non amplianda ad eos, quibus portio accreverit.

24 Fovent eamdem aſſertionem *textus in dict. l. ita tamen* 27. §. *ſi patronus* 13. *ad S. C. Trebell. dict. l. pen.* §. *ſi patronus* 4. *de bonis lib.* in queis, ſi de portione patronali, *ex lege Papia*, intelligerentur, neque patronus cogi, neque actiones ex Trebelliano tranſire poſſent, utpote ex fideicommiſſo nullo *l. patronus* 60. juncta *l. ita tamen* 27. §. *quoties*, *D. ad S. C. Trebell.* & tamen patronus, ſuſpectam hæreditatem dicens, cogitur, & actiones, ſi reſtituerit, tranſibunt, (quamvis poſſit, mutata voluntate, retinere, ob prærogativam perſonæ) quia fideicommiſſum non fuit nullum, ſed mero jure validum, utpote impoſitum portioni Prætoriæ patroni, ut expendimus ſupra, pro *dict. l.* 27. §. 13. *& dict. l. penult.* §. 4. conciliandis *cum l.* 60. *ad S. C. Trebell. & l.* 20. *D. de donat.*

25 At ne, prius quam à Marcello abeamus, pungat fortaſſe aliquem, quomodo ille *in dict. l.* 2. de quo ſcitum dumtaxat eſt, floruiſſe ſub Antonino Pio, ut *in eo* Capitolinus teſtatur, & ſcripſiſſe ad Marcellum notas Scævolam, eodem Cæſare, & ſæculo florentem, liqueat *ex l. ſed interim* 11. §. *conſequenter* 6. *D. de donat. inter*; atque ita ante reſcriptum Severi *in l. licet* 914. *D. de legat.* 1. *l. ſi Titio* 61. §. 1. *D. de legat.* 2. *l.* 4. *Cod. ad S. C. Trebell.* pro explorato veluti ſupponat, *in dict. l. cum patronus* 28. fideicommiſſum à patrono (ſcilicet nominatim, ſeu proprie) relictum, præſtari debere à cohærede, tanquam repetitum, contra quam ſtatui, videtur, *in l.* 1. §. *ultim. D. de legat.* 3. Nec ſane promta, vel in facili ſatisfactio eſt, quia nec promta nobis in hoc receſſu, neque ad manum, *dictata de repetitione legatorum* quæ Salmanticæ dedimus *ad l.* 4. *Cod. ad S. C. Trebell.* Interim, relicto aliis excutiendo aculeo, *ex dict. l.* 1. §. *ultim. D. de legat.* 3. reſpondere, & tentare, non temere licet, perveniſſe Marcellum uſque ad Imperium, & Reſcriptum Severi, cum legamus eum ſcribentem *lib.* 10. *Digeſt.* poſt deceſſum Marci, & eum inter Divos relatum *l. de illo* 23. §. *idem*, *verſ. nam & Marcellus*, *in fine*, *D. pro ſocis*; & proinde ſub Commodo, quoad Severum, vix annus unus interjectus, & ad Antoninum eum patre Cæſarem anni quatuor. Sed hæc de Marcelli ævo ſunt creperæ, & dubiæ lucis, & affirmandum potius eſt, *in dict. l. cum patronus* 28. ſupponi debere, vulgarem formulam, *quiſquis mihi hæres erit*, quæ teſtamentis adjici ſolita, & ideo vulgaris vocatur, eaque expreſſa, legata repetita à cohærede cenſebantur, etiam ante Reſcriptum Severi, ut apud Julianum, Marcellum, Scævolam, *l.* 3. *D. de jure Codicill. l. ſi in teſtamento* 22. §. *ult. D. ſi quis omiſ. cauſ. teſt. l. ab omnibus* 104. *D. de legat.* 1. *l. Titia* 34. §. *Lucia* 2. *l. Lucius* 88. §. *quiſquis* 3. *D. de leg.* 2. *l. poſt emancipationem* 40. §. *ult. D. de leg.* 3. *l. filiam* 16. *D. de auro, & arg. leg. l. Publius* 36. *D. de cond. & dem.* Quod ſuppoſitum, quoad *dict. l. cum patronus* 28. admittere, non divinantis eſt, ſed explicantis, quamvis illic non exprimatur, quia non de eo quærebatur, ſed an cohæres poſſit uti privilegio illo patroni, ne cogatur.

26 Tertia, & ignotior, nec tamen ignobilior differentia, inter patronalem portionem, *ex lege Papia*, & delatam patrono à Prætore, eſt: in illa non teneri patronum, legata præſtare, etiam exceptis perſonis, atque etiamſi legatarius ſit filius defuncti liberti, id, quod ne ſicut novum, ita & non verum videatur, fulcio in primis ratione juris, fortaſſe maſcula; quippe eum *Papia, & Julia lex*, ad virilem portionem cum duobus, vel uno filio liberti centenarii patronum concurrere, conſtituerit, ut §. *poſtea*, *Inſtit. de ſucceſſ. lib. l. virilis* 145. *D. de verbor. ſign.* & patronalem illam portionem à liberto fideicommiſſis, vel eorum occaſione, à patrono ipſo ſpondente, non patiantur minui *l. ſi patronus* 20. *D. de donat.* utique neque pati potuere, aut debuere, ut per legata, liberti filio relicta patroni portio minueretur, vel exhauriretur, ut contingeret, ſi ea patronus præſtare teneretur, quoniam ea via aperta fieret contra leges, quæ patronum cum filio ad virilem concurrere voluerunt, contra *l. ſi libertus* 18. *D. de jure patron.*

27 Jam & pro auctoramento nobili ejuſdem ſententiæ, & rationis Marcelli locum nobilem producimus, *in l. ex aſſe* 52. *Digeſt. ad leg. Falcid.* de cujus intellectu varie, & valide certant, Coſta, & poſt eum noſter Pichardus, Goveanus, Cujacius, Faber, Hotmanus, quos laudat, noſtris etiam Academicis ſcriptis laudatis, noſter ſemper Reteſius *in Adverſariis ad tit. D. de legatis præſt. cap.* 8. *num.* 13. Nunc præmittimus, & præmunimus, interdum evenire, ut quæratur patrono, inſtituto à liberto centenario, & legatis relictis, quæ non ſolum ejus portionem, ſed etiam dodrantem excedant, an pro ratione, ſeu computatione, facienda ad recidenda legata, utendum ſit *lege Falcidia*, vel *lege Papia*, idque eſt quod Ulpianus *in l.* 1. §. *penult. D. ſi cui plus, quam per leg. Falcid.* proponit de patrono, inſtituto ex aſſe, & ſimul quincunce ali legato, ac præterea alio relicto, ſub conditione, quæ juncta excedant, ſive ſint ſupra debitam patrono partem; quo ita poſito, decidit, debere in hunc caſum rationem haberi, ſeu fieri, illius *legis*, *quæ patronos vocat* (ſcilicet, *legis Papiæ*, non enim alia eſt lex, quæ contra teſtamentum liberti, patronos ad debitam portionem vocet) non autem *legis Falcidiæ*: cum & alias potentius ſit, & favorabilius jus patronalis portionis, *ex lege Papia*, quam hæredis in quadrante, *ex lege Falcidia. l. ſi patronus* 20. *in princ. &* §. 1. *D. de donat.* Quibus conſequens eſt, ut in Ulpiani poſitione recidantur legata, & ratio, ſeu computatio ponatur, non ut quadrans Falcidianus, ſed ut ſemis, *ex lege Papia*, indelibatus patrono maneat, ut *in l. ſi libertus* 44. *D. de bonis lib.*

Conſequens

28 Conſequens etiam fuit, eidem Ulpiani ſententiæ, ut ſi in illa ſpecie, aut ſimilibus, propter incertum legati conditionalis, pro indemnitate patronalis portionis, cautio à legatario præſtanda ſit, non ea concipiatur, ut ſi plus, quam per *legem Falcidiam* potuit, ceperit, juxta *dict. l. 1. in princip. & §. ſi legata 7. cum §. ſeq. l. 3. §. quoties 3. D. ſi cui plus, quam per leg. Falcid.* ſed ut ſi plus ceperit, quam per *legem Papiam* licebat, reſtituat *dict. l. 1 §. penult.* Eoque referendum eſſe voluit Cujacius *ad l. creditores 10. in fine, D. de verb. ſign.* ſubſequente Gothofredo, *ad leges noſtras pag.* 193, quod ex Caïo *libro 9. ad legem Juliam, & Papiam*, proditum eſt *in l. ſi ita. 150. D. eodem tit.* in ſtipulatione illa quanto minus à Titio conſecutus ſuero, totum deberi ab eo, qui ſpoponderit, juxta *l. verbum amplius 82. D. eodem tit.* nempe, ut quemadmodum in ſtipulatione, *ſi cui plus, quam per legem Falcid.* ſi legatarius nihil capere debuit, reddere totum cogitur *l. 1. §. hæc verba 11. D. ſi cui plus, quam per leg. Falc.* ita etiam in ſtipulatione concepta. *ſi plus quam per legem Papiam, d. l. 1. §. pen. D. ſi cui plus.*

29 Hæc Cujacii conjectura, ducta ex epigraphe *dict. l. ſi ita* 150. cui non repugnamus; quanquam, ſi conjectari aliter libeat, referri poſſit Caïus ad ipſam cautionem, *ſi plus, quam per Falcidiam*, in legatis annuis, quorum idem Caïus jus, & conditionem definit, *lib. 5. ad leges Juliam, & Papiam, in l. in ſingulos 8. D. de annuis legat.* & pro queis interponi cautionem, quanto amplius ceperit, quam per *legem Falcidiam*, reddi, expreſſum eſt *in l. 1. §. ſi in annos 16. Dig. ad leg. Falcid.* Sic etenim, nec diſſimili fortaſſe occaſione, tractatus de annuis legatis, Paulus *in l. divi 7. D. ſi cui plus, quam per leg. Falc. libro 7. ad leges Juliam, & Papiam*, commemorat in legatis annuis, quæ quis præcipere, juſſus eſt, ad diſtribuendum, non debere ab eo exigi cautionem, *ſi cui plus, quam per Falcidiam*, ſive ceſſantium portiones reddi, idque ex Reſcripto Divi Pii, cui ſimile aliud *in l. 3. Digeſt. ſi cui plus, quam per leg. Falcid.* idque, ut conſtet, diſtingui minutiora hæc annua, & alimentaria legata, quæ præcipiuntur, ad diſtribuendum, ab aliis annuis, in queis cautio exigitur, *ut in dict. l. 1. § ſi in annos 16. l. pecuniæ 8. l. cum unus 10. D. de aliment. & cib. leg.* Utrumque autem, tam quod ex Caïo, quam quod ex Paulo deſcripſimus, quamvis proprie ad materiam *Juliæ, Papiæque legum* non pertineat, tamen occaſione tractatus de annuis legatis, de queis Caïus *ad leges noſtras, in dict. l. in ſingulos 8. D. de ann. leg.* & de cautione *Falcidiæ*, de his interponenda, potuit à Paulo, ut ſpeciem *dict. l. Divi 7.* ab aliis annuis diſtingueret, *in libris ad eaſdem leges* adnotari, & a Caïo, pro cautionis ejuſdem explanatione, *in dict. l. ſi ita* 150. Fuerint tamen hæc non opinionis, ſed ſuſpicionis, ut ſæpe ſuſpicari neceſſe eſt, in his fragmentis Juriſconſultorum *ad leges noſtras*, veluti fugitivis à capitibus earum legum, & quæ ad quæ referantur, non liquet.

30 Aſt à præmunitione *dict. l. 1. §. penult. D. ſi cui plus, quam per leg. Falcid.* ad Marcellum redimus *in dict. l. ex aſſe 52. D. ad leg. Falcid.* apud quem ſpecies eſt, de liberto plus quam centenario, utpote qui ducentos aureos in bonis haberet, qui filio exhæredato (ſic enim ſupponendum, cum noſtrate Coſta, noſtratibus videtur) & patrono ex aſſe inſtituto, legavit filio centum, & viginti, & extraneo reliqua, nempe octoginta; in qua ſpecie Marcellus, tametſi ſubobſcure, docet, ſi patronus non utatur computatione *legis Papiæ*, qua ſi uteretur, extraneo legatario nihil præſtaret, & filio viginti adimeret, atque ita ſemiſſem, ſeu portionem ſuam ſervaret, ſed tamen ſi *Papiæ* computatione non utatur, nolitque à legatario extraneo totum retinere, quod ei permiſſum *l. ita fidei 40. §. ultim. D. de jure Fiſci. l. penult. §. ſi patronus 4.* illic: *Cum poſſet retinere, conſtituerit. D. de bonis lib. l. ita tamen 27. §. ſi patronus 13. l. patronus 60. D. ad S. C. Trebell.* ſed malit uti computatione *Falcidiæ*, detracturum ab extraneo quartam integram, ſcilicet quinquaginta, atque ita illi triginta ſola præſtiturum; eamque computationem, factam ex legato extranei, proficere filio ad conſequenda ſolida centum, & viginti, quæ ei legata erant, & ut in viginti, quæ, ſi *Papiæ* computatio fieret ei non præſtarentur, augeatur ex computatione *Falcidiæ*, ut in *l. 5. §. ſi legata 5. D. de leg. præſt. l. etſi contra 35. D. de vulg. l. ultim. §. ultim. D. de legat. 3.* quomodo explananda illa verba: *Diminutio legati, quod* (id eſt, *quia*) *extraneo præſtat legatum, proficit filio ad conſequenda ſolida.* Secundum quæ, ex Marcelli ſenſu, maſculum argumentum, & biceps pro aſſertione noſtra, elicitur. Primum, ſi patronus *lege Papia* utens, extraneo non diminutum legatum præſtaret, ſed totum adimeret, ita & ademturum filio viginti, ut ſuum ſemiſſem, ſive portionem retineret. Secundum, ideo filium ſolida centum, & viginti conſequi, quia proficit ei, quod patronus, *lege Falcidia* utens, contentus ſit quadrante, quem retinet ex legato extranei, quod diminutum præſtat: & proinde probat Marcellus, patronum ex portione *legis Papiæ*, ſi ea uti velit, non debere legatum, etiam filio liberti, quo nullus potior, inter exceptas perſonas, eſſe potuit.

31 Ex diverſo, & pro altera parte differentiæ, ſtatuimus, quod & exploratum eſt, portione, ei delata à Prætore, onerari patronum in eo poſſe, & præſtare cogi relicta exceptis perſonis *l. 4. D. de cond. & dem. l. ſi ejus 64. §. alt. D. ad S. C. Treb.* ubi exprimitur, ſi patronus exceptis perſonis hæreditatem ex fideicommiſſo reſtituerit, tranſituras ex Trebelliano actiones, quæ tamen non tranſirent, ſi aliis reſtituerit. *l. patronus 60. D. eodem tit.* niſi compulſus reſtituiſſet. *l. ita tamen 27. §. ſi patronus 13. D. eodem tit. l penult. §. ſi patronus 4. D. de bonis lib.* ſed differentiæ, de qua nunc, aperta ratio eſt, quia cum patrono ea portio non ſit delata, aut debita, niſi à Prætore, utpote quem lex XII. tabularum, neque cum filiis liberti, neque cum extraneis inſtitutis, contra teſtamentum, admittebat. *princip. Inſtit. de ſucceſſ. lib.* Ulpianus *tit. 29. in princip.* potuit utique Prætor, deferre, cum onere præſtandi legata ſaltem exceptis perſonis, exemplo, aut argumento edicti, & *l. 1. D. de legat. præſt.* Illud non perinde exploratum, quæ ſint exceptæ iſtæ perſonæ, quoad patronum: an illæ ipſæ, quæ excipiuntur, quoad filium in contra tabulas, ex edicto *de legatis præſtandis*, ut Accurſius, & Accurſiani cenſuere, *ad. l. 4. D. de condit. & demonſtrat.* an liberi, & parentes uſque ad tertium gradum, quibus *lex Papia* jugum ſuum imponere erubuit. *l. unic. in princip. verſic. & cum lex, Cod. de caduc. tollend.* ut Caïus ſupponit, *ad l. cum patronus 28. de legat. 2. & ad tit. C. de bonis lib. & ad Novell.* 118. an potius ſolis liberis liberti, ſcilicet filiis, aut nepotibus? in quod magis propendeo, cum Eman. Coſta 2. *Selectar. cap. 7. numer.* 7. quia & hi ſoli, niſi exhæredati eſſent, patronum excluderent, etiam Prætorio jure. *§. qua de cauſa, Inſtitut. de ſucceſſ. lib.* & proinde merito illis legata patronus præſtat, non autem aliis. *l. 1. §. quod autem 2.* quem digne in propoſito expendas, juncto *§. ſed ſi libertus 10. D. ſi quid in fraud. patr.* Indicamentum rei ſit, quod ubi de exceptis his perſonis mentio, ſoli liberi nominantur. *dict l. ejus 64. §. ultim. D. ad S. C Trebell. dict. l. ex aſſe 52. D. ad leg. Falcid. §. ſed noſtra. verſ. ita ut ſine onere. Inſtit. de ſucceſſ. lib.*

32 Succedit, ſive accedit propoſitis, non tam quia ejuſdem generis ſit, quam quia proxima, differentia alia, collecta *ex l. ſervi 43. D. ad legem Falcid.* cum *l. ſi patroni 44. §. ultim. D. de bon. lib.* ſcriptum eſt *in dict. l. 43.* ſervos, qui apud hoſtes erant, reverſos poſt mortem teſtatoris, *quod ad Falcidiam pertinet, locupletiorem facere hæreditatem:* id, quod eum ſenſum, & intellectum habet, ut quia pretiis ſervorum, qui ab hoſtibus rediere, poſt mortem teſtatoris, fit hæreditas locupletior, quam mortis tempore fuerat, augeantur etiam legata, ultra dodrantem relicta, & vel ſolida, vel tanto minus reciſa ſolvantur,

tur, quanto hæreditas aucta fuit; eoque referenda verba illa, *quod ad Falcidiam pertinet*. Quibus etiam verbis inſinuari creditur, non idem eſſe, quoad aliam legem, & ut Cujacio placitum, quoad *Papiam*, de qua exponit *libro 5. Quæſtionum Pauli dict. l. ſi patroni* 44. *§. ult. D. de bonis lib.* ubi ſi patrono libertus, ex bonis, quæ tempore mortis habebat, debitam portionem reliquerit, legato, aut hæreditate, & ſervus, poſt mortem liberti ab hoſtibus reverſus, auxerit patrimonium, reſpondet Paulus, (& ut ex reſponſo intelligitur, quoad legatum pro debita parte) non poſſe patronum queri, quod minus habeat in eo ſervo reverſo, quam haberet, ſi ex debita parte inſtitutus eſſet; quo caſu ſupponit Paulus, aucta per ſervum hæreditate, augeri etiam debuiſſe portionem hæreditatis, relictam, ſeu debitam patrono. At legatum patroni non augeri, neque propter ſervum, poſt mortem reverſum, plus habiturum patronum, quam quod ei libertus reliquit, juxta bona, quæ habuit tempore mortis &, in eo diſtare legata, quæ augentur, quoad *Falcidiam*, in theſi *dict. l. ſervi* 43. à legatis patroni *in dict.* l. 44. *§. ult.* quoad *legem Papiam*, in qua fictio poſtliminii, quæ in ſervo reverſo locum habet, non admittitur, ut plus habeat patronus, contra voluntatem liberti, ut concludens Cujacius, ſcribit *in dict. l.* 44. *§. ult.* Sed verum amantibus, ſcrupuloſa hæc ſingula ſunt, quæ traduntur, nam in primis, quoad *dict. l.* 44. *§ ult.* reſpici illic videtur, potius ad partem debitam patrono per jus Prætorium, *l.* 3. *§. ult. de bonis lib.* & per bonorum poſſeſſionem contra tabulas, ut *in §. præcedente* 1. *dict. l.* 44. & cui proprie magis conveniunt verba illa, *non poſſe patronum queri, in dict. §. ult.* quam *legi Papiæ*, juxta quam patronus non queritur, ſed vindicat partem debitam. *l. liberto* 26. *D. de bonis lib.* deinde quia, quoad partem patroni, *ex lege Papia*, componi eam etiam contra voluntatem liberti, ex eo, quod poſt mortem liberti acceſſit, & moriente non erat, elicitur *ex dict. l. liberto* 26. & poſtliminium ſervi, ab hoſtibus reverſi, æſtimari, etiam quoad *legem Papiam*, conſtat *ex l. etiam* 141. *D. de verb. ſign.* juncta ex eodem Ulpiani *lib* 8. *ad leges noſtras. l. ſi vir* 61. *D. de cond. & dem.* Aſt hæc non niſi argutiæ, ſcrupuli, aculei, queis excutiendis, evellendis, vacabunt alii.

CONSENTANEA, VEL ADJACENTIA QUÆDAM LEGI PAPIÆ,

De ſucceſſione Libertorum.

RELIQUATIO XVIII.

Recitationes, aut notæ ad l. 37. 38. 39. *&* 40. *D. de bon. lib. l.* 10. *D. de aſſign. lib. l.* 36. *D. de oper. lib. l.* 4. *D. de bonor. poſſeſſ. l. ultim. D. ſi quid in fraud. patroni. l. unic. D. de ademt. lib. & remiſſive ad l.* 14. *D. de jure patron. l.* 15. *D. de jur. aur. annul.*

ARGUMENTUM.

IN *primis, quoad* Ulpianum in l. 14. D. de jure patr. *remiſſio fit* ad lib. 2. cap. 20. *Secundo, pro* l. 5. D. de jur. ann. *ultra notata* lib. 2. cap. 22. *ſupponitur, libertos centenarios, & ditiores, ambire ſolitos honorem annulorum, tanquam Equeſtrem, cujuſmodi* Menna *ille ſub* Auguſto, *& ſub* Nerone Paris, *de quo aliqua* pro l. 3. §. 5. D. de cond. cauſ. dat. *atque inde ortam quæſtionem, de jure annulorum, quoad ſucceſſionem liberti centenarii*, ex l. Papia, in d. l. 5. D. de jur. aur. ann. *Tertio, ac deinde pro* Terentio Clemente ad leges noſtras, in l. 38. D. de bon. lib. *præmittitur ex* Cujacii *conjectura, filii patroni, exhæredati, excluſionem à ſucceſſione liberti paterni, fluxiſſe ex* legibus Julia, & Papia, *ſimul cum* Prætorum edictis. l. 42. verſ. quoniam. *junctis* l. 38. & 40. D. de bon. lib. *Quo præmiſſo, ſubintrat aſſertio* d. l. 38. *ſcilicet, ut filio patroni exhæredato, excludatur etiam à ſucceſſione liberti aviti, ex filio illo nepos, quamdiu in illius poteſtate, de cujus ratione, & intellectu pauca, & parce. Rurſus* pro §. ult. d. l. 38. *animadvertitur, poſſe illius theſim referri, tam ad ſucceſſionem patroni* Prætoriam, *quam* ex lege Papia. *Quarto, pro eodem* Clemente in l. 40. D. de bon. lib. *de patre, qui filio exhæredato jus in libertum ei ſalvum voluit, expenduntur verba* ad hanc rem, *& ratio, ob quam in hoc exhæredato diverſum jus, in ſucceſſione patris, ac liberti; & exponuntur, juxta* d. l. 40. *inter alia notiora*, l. 11. D. de Carb. ed. l. 64. §. ſi filium 8. D. ſol. matr. *Adjungitur pro conciliandis* l. 12. in princ. & l. 47. §. ult. verſ. non idem, D. de bon. lib. *diſtinctio* Primarii Salmanticenſis, *cui pauci illic ſubſcripſere, ſicut nec fortaſſe alii ſubſcribent noſtræ opinationi, quæ tamen ingenue profertur. Quinto, ut* Ulpianus *elucidetur*, in l. 37. D. de bon. lib. *prælibatur regula, de excludendo filio patroni, qui revendidit liberto, libertatis cauſa, impoſita, veluti operas, aut mercedem pro his exigit; cui tamen regulæ in* d. l. 37. *propoſitæ, opponitur ratio, & exemplum, de filio patris exhæredati, non excluſo, ſi in ejus poteſtate non ſit, à ſucceſſione liberti aviti.* l. 38. l. 10. §. 1. & l. 11. D. de bon. lib. *& quod proprie magis urget, de patroni filio, libertum accuſante, aut in ſervitutem petente, cujus filius non ſubmovetur à bonis liberti aviti.* l. 17. D. de jur. patr. l. 16. §. 4. D. de bon. lib. *Obſervatur pro re, excluſionem propter mercedem, aut revenditionem operarum, eſſe ex lege* Ælia Sentia, *quæ coæva, & ſenſu conſors* legibus *noſtris, & quam ſubſecuti* Prætores, *in excluſione patroni à* contra tabulas *liberti, ſi revendiderit impoſita: ut* in d. l. 37. *Obſervatur itidem, aſperiorem fuiſſe patronis* legem Sentiam, *quam noſtram* Juliam; *quippe ex illa ob coactionem liberti ad mercedem pro operis, non tantum plectitur patronus ipſe, ſed etiam filius innoxius, ſicut & propter coactionem juramento liberti, aut libertæ ad nuptias: quæ ſingula diverſa ſunt* in lege Julia, *qua nec patronus ipſe, liberti accuſator punitur, ſed filius ſolus, qui accuſavit, nec ex eo filii, ſive nepotes innoxii, ſicut neque illi ipſi ex patre exhæredato, & ſi ad nuptias adegerit libertum patronus, jurejurando, remittitur id* lege Julia, *non tamen mulctatur patronatu, ut* in l. 6. per totam. l. 15. l. 17. D. de jur. patr. l. 16. §. 4. l. 37. D. de bon. lib. l. 33. §. 1. verſ. imo, D. de fideicom. lib. l. 34. cum l. ſeq. D. qui, & à quib. *cum ſimilibus, hinc illuſtrandis. Ratio hujus inter duas leges diſcriminis, fortaſſe illa, quia* Juliæ legi *ſucceſſit* Sentia, *quæ patronorum in libertos, creſcenti exorbitantiæ occurrere ſeveriori cautione, neceſſe habuit. Sequitur adhuc* in verſ. plane, d. l. 37. *ſectio de patroni filio, qui operas revendidit, nec tamen ideo, excludendo à* contra tabulas *illius fratre, aut patroni familiæ, utpote ſuccedentium in patronatu, jure ſanguinis non hæreditario. Sequitur etiam* in §. ult. d. l. 37. *ſpecies, de patrono, ſubmovendo à* contra tabulas, *qui liberti, à familia occiſi, ultor non extitit, de quo jam ſupra* Reliquatione 16. *Nunc adjicitur, ſubmovendum etiam à prælegato, & eripiendum ei, ſi quod illi libertus reliquerit, tanquam indigno non ſolum jure, ſed & liberti voluntate.* l. 15. §. 1. D. de S. C. Sillan. *ſicut & eripienda alia, quæ alioquin ei jure competerent, & quæ recenſentur: in queis diverſa cauſa eſt, ſola juris indignorum, quibus non auferuntur, delata ex voluntate defuncti, de quo male meriti non fuere, ut in ſuſceptore taciti fideicommiſſi jus prælegati, & ſubſtitutionis*, l. 18. §. ult. D. de his, quæ ut ind. l. 43. §. ult. D. de vulg. l. 83. D. de acq. hær. *cui, & aliis componendis, obſervata pridem nobis* Salmanticæ *hæc diſtinctio indignorum. Sexto, pro* Terentio in l. 10. D. de aſſign. lib. *propoſitum ſummatim jus regulæ, & effectus aſſignationis libertorum, quatenus*

tenus pro Terentio *ſatis. Septimo, ad* Ulpianum in l. 36. D. de oper. lib. *animadvertitur, pertinere eum locum, non tam ad operas, quam ad ſucceſſionem libertorum; & pro ſubmovendo obice*, ex l. 1. §. 1. D. de bon. lib. *diſtinguitur inter priora, & priſca edicta* Prætorum (*qualis fuit* Rutilius, *juris auctor, & exul nobilis*) *queis actio ſocietatis in libertum, qui promiſerat, dari ſolitæ; & poſteriora edicta, quibus improbata ea ſocietas, tanquam libertati oneroſa, & inducta, illius loco,* Prætoria *ſucceſſio patroni, liberto moriente, pro ſemiſſe.* d. l. 1. §. ult. D. de bon. lib. *niſi ſi forte improbatio ſocietatis fuit ex* lege Ælia, *cujus reſpectu* Labeo, *nullam eſſe* ipſo jure, & quidem palam, *ſcribebat* d. l. 36. D. de oper. lib. *Octavo, pro ſectione ex* Caïo in l. 4. D. de bon. poſſ. *oſtenditur primo, pertinere eam ad jus accreſcendi, & caduca, atque orbitatis pœnas.* l. 148. D. de V. S. *Eoque præmiſſo, ſtatuitur, in tribus illis caſibus* d. l. 4. *ſupponi à* Caïo, *fuiſſe locum juri accreſcendi, etiam ſtante* lege Papia: *cui ſuppoſito firmando adjici, contra vulgarem non vulgarium interpretum ſenſum, non fuiſſe excluſum indiſtincte jus accreſcendi*, lege Papia, *quin potius agnitum, ut* in l. 53. §. ult. l. 80. & 83. D. de acq. hær. l. 89. D. de leg. 3. l. 142. D. de V. S. *cum aliis, & excluſum tantum in caſibus caducorum; & in ſpecie agnitum in caſu repudiationis, ut apud* Caïum d. l. 4. *& alios, qui laudantur; ſimulque intelliguntur* l. 55. & 59. D. de legat. 2. *de parte non caduca, ſed manſura penes hæredem; &* Ulpianus tit. 1. §. 21. *de parte non adeuntis, aut tanquam non capientis*, ut tit. 24. §. 12. *Adnotantur tandem pro* Caïo, *poſt aditionem unius hæredis, ceſſaſſe, quoad alios, caduca*, ut in l. 53. cum aliis. D. de acquir. hær. *jam & pro* Paulo in l. 6. de bon. poſſ. *præmittitur, inter duos patronos, ſimili jure ſuccedentes, eſſe locum juri accreſcendi potius, quam caducis.* l. 23. §. ex duobus, D. de jur. patr. *Diverſum in patrono per* contra tabulas, *& hærede ſcripto, per ſecundum tabulas ſuccedentibus, quia veluti adverſo jure ſuccedunt.* l. 6. D. de bon. poſſeſſ. *Nono, pro* Paulo 10. ad leges noſtras, *utcumque eis vix aptabili*, in l. ult. D. ſi quid in fraud. patr. *recitatur illius tituli ſumma, &* d. l. ult. *capita, atque inter hæc extremum, cur magis adrogato* Faviana *accommodatur, quam* Pauliana. *Decimo, pro* l. 24. D. qui, & à quib. *repudiata* Jacob. Gothofredi *conjectura, inclinatur eo potius, ut occaſione ſumta ex traditis, de pluribus alienationibus*, in l. 16. §. 1. & 2. D. de jur. patr. *tranſierit* Terentius Clemens, à lege Papia *ad* Æliam Sentiam (*quæ, ut jam notatum, fere conſertes*) *& ad quæſtionem de pluribus manumiſſionibus, in queis quod docet, deciditque, noſtræ* Spartæ *non eſt. Undecimo, pro eodem* Clemente *in* l. un. D. de ademt. libert. *ultra exempla, ei interpretando, ab* Accurſio *adhibita, junguntur propria magis, ex* legibus Ælia Sentia, *&* Furia Caninia, *queis ademta libertas, eſt pro non data, quia ipſo jure nulla: & quoad libertatem à teſtatore ademtam ſervo, per legatum ipſius ſervi, non eidem, ſed ali relictum, affirmatur, poſt veterum contentiones, obtinuiſſe, ut legatum valeret, ſi ea voluntas defuncti fuiſſet, diſtinctis, & compoſitis juris locis, non facilem alioqui explicatum habituris. Aſt demum, ne fugitivaria à tractatu* Juliæ, Papiæque legum, *videatur* d. l. un. *tentatur reſpicere illam ad materiam caducorum, de queis multa* Terentius illis libris, *& aſſertionis, de libertate lege ademta, habenda pro non data, ſenſum eſſe, ut habeatur pro non ſcripta, & proinde nec caducis locus, ſicut in ademta à teſtatore, ſi ſervus ipſe ali legatus ſit.*

1 EXpoſuimus potiora fere, & Juriſconſultorum dictata *ad caput legis Papiæ, de ſucceſſione liberti centenarii*, attingemus nunc vellicatim quæ ſequuntur. Primum inter ea eſt, quod ex Ulpiano *libro* 5. *ad leges Juliam, & Papiam* extat *in l. ſi juravero* 14. *D. de jure patron.* de quo, & cum cura dicendum foret, niſi expoſitum jam eſſet *in Commentariis lib.* 2. *cap.* 20.

2 Secundum eſt, ex Paulo *lib.* 9. *in l. is, qui* 5. *D. de jure aur. annul.* de quo, conjuncta *l.* 3. *D. de bonis lib.* ſcripſimus etiam, quæ pro re ſatis, *in Commentar. lib.* 2. *cap.* 22. Nunc ſi aliquid addendum pro mantiſſa, illud ſit, libertos, jus aureorum annulorum impetrantes, fuiſſe pleroſque locupletes, & qui plus, quam equeſtrem illum cenſum quadringentorum H. S. in bonis haberent, cujuſmodi ille Menna, Auguſti libertus, qui in equeſtribus ſedebat *magnus eques*, ut de eo ironice Horatius *Epod.* 4. *Ode* 4. quia donatus annulis aureis, ut ſcribit Dio *lib.* 48. quanquam Suetonius, imo aſſertum in ingenuitatem, *in Auguſto cap.* 74. qualis etiam, ſub Nerone, Paris hiſtrio, quem jure aureorum annulorum ereptum, patronæ Neronis amitæ, ſupponunt Dorleanus, & alii *ad Tacitum lib.* 13. *Annal.* (ſed Tacito oppoſiti, & juris magis ſcioli, quam ſcientes, quia Tacitus non de annulis loquitur, ſed de judicio ingenuitatis, eoque inclinat etiam Neratius, ejuſdem Paridis memor, *in l.* 3. §. *ſi liber* 5. *verſ. Neratius D. de condict. cauſa data*, & quo ingenuitatis judicio, ſeu judicato, eripitur libertus patrono. *l. ingenuum* 25. *D. de ſtatu hom.* Non autem annulis *l. pen. & ult. D. de jure aur. annul. l.* 2. *Cod. eodem tit.*) qualis denique Aſiaticus, à Vitellio annulis donatus, apud Tacitum 2. *Hiſtor.* & quem *in Vitellio* Suetonius, equeſtris ordinis maculam vocat, *cap.* 12. Ergo cum ejuſmodi liberti, & alii ditiſſimi, aureis annulis honorati, tanto plus eſſent, quam centenarii, ea occaſione, & reſpectu, Paulus *ad noſtram legem*, non ideo patronos excludendos, notat, ab eorum hæreditate, *ex lege Papia*, quamvis in aliis, ut ingenui, habeantur. *dict. l.* 5. *D. de jure aur. annul.* ſicut neque à ſucceſſione Prætoria, per honorum poſſeſſionem *l.* 3. *D. de bon. lib.*

3 Tertium, ex Terentio Clemente *lib.* 9. *ad leges noſtras, in l. quæritur* 38. *D. de bonis lib.* quo loci, ſuppoſito juris dogmate, de exhæredatis à patrono filiis, non admittendis ad libertorum paternorum ſucceſſionem. *l. ſi ex patronis* 10. §. 1. *cum l. ſeq. l. vivo* 27. *l. ſi pater* 40. *l. Paulus* 47. *in princ. & §. ult.* & paſſim, ſparſimque *ſub tit. de bonis lib. l.* 1. §. *ſed etſi* 5. *D. ſi quid in fraud. patr. l. ſi operarum* 29. *in fin. l. cum patronus* 22. §. 1. *D. de oper. lib. l. cum fine* 11. *D. de Carb. ed. l. ſi vero* 63. §. *ſi filium* 8. *D. ſolut. matr.* & quidem, ſi Cujacio credimus, elemento deducto, aut inducto ex *legibus Julia, & Papia*, & Prætorio edicto, *l. filius* 42. illic: *Quoniam pœna, quæ legibus, aut edicto. l. quæritur* 38. *ſi patre* 40. quæ ſunt ex libris ad leges noſtras, *D. de bon. lib.* idque ob indignitatem filii, quam leges, & edicta ſupponunt in filio, quem pater, exhæredando, indignum cenſuit, ut inſinuatur *in l. ſi patronus* 12. §. *ſi patroni* 6. *verſ. neque enim, D. de bon. lib.* cui indignitati, & patris cenſuræ reſpondet excluſio à ſucceſſione liberti, & pœna hæc legum, aut edicti, ut vocatur *in dict. l. filius* 42. Eo itaque ſuppoſito, diſquirit Terentius *in dict. l.* 38. an filio patroni exhæredato, excludantur ex eo nepotes à ſucceſſione liberti aviti, & quæſtionem dirimens, decidit, excludi nepotes, quandiu in poteſtate filii exhæredati ſunt, ne ſcilicet filius, qui ſuo nomine excluſus eſt, conſequatur ſucceſſionem per nepotem, in poteſtate retentum: cæterum mortuo filio, vel emancipato, ab eo nepotes non excludi, quomodo & Julianus diſtinguit *lib.* 26. *Digeſtorum, in l. quod ſi pater* 11. *D. de bon. lib.* Secundum quæ exponendum, quod ex eodem Juliano Ulpianus proponit, *in l. ſi ex patronis* 10. §. 1. *verſ. quod ſi à patre, D. de bon. lib.* de quo tamen, & §. *ult. ejuſdem legis*, aliiſque componendis, adeat juventus Præceptoris noſtri, ac deinde in Anteceſſura Salmanticæ, & in Supremo Senatorio aſſeſſu Collegæ, tractatus illuſtres, 1. *tom. Tract. de ſuis hæredibus. l.* 4. *ex num.* 25. *&* 29. Nos in hiſce dumtaxat agimus paraphraſtrem eorum locorum, qui ad leges noſtras inſcripti ſunt.

Sed & proponitur *in d. l. quæritur* 38. §. *ultim.* ſi 4 filius liberti omiſerit hæreditatem, proficere hoc patrono; quod & referri poteſt ad ſucceſſionem pa-

Digitized by Google

troni, *ex lege Papia*, in qua, tametſi filius, liberti unus, aut duo, patronum non excluderent, eis tamen repudiantibus, patronus ampliorem virilem, aut totam hæreditatem habebit. *l. virilis* 145. *D. de verb. ſign.* & quoad ſucceſſionem per bonorum poſſeſſionem, à qua, ſi filius liberti non repudiaſſet, patronus excluderetur, & eo repudiante admittitur. *l. etſi* 6. §. *ſi filius* 2. & 3. *l. libertus* 20. § *ult. D. de bonis lib. l. ſive* 21. §. *ult. D. de jure patr. l.* 1. §. *ſi nemo* 9. *in fine. D. ad S. C. Tertyll.*

5 Quartum, ex eodem Terentio Clemente *lib.* 12. *ad leges noſtras, in l. ſi pater* 40. *de bon. lib.* ubi ſi pater, exhæredato filio, caverit, ut ei jus in libertum ſalvum eſſet, Terentius definit, nihil ei ad hanc rem, nocere debere exhæredationem: *ad hanc rem*, ſcilicet ſucceſſionem liberti centenarii, *ex lege Papia*, aut non centenarii, per contra tabulas, vel ab inteſtato, quamvis quoad hæreditatem patris noceat, ſicut ſi eidem exhæredato libertum aſſignaſſet. *l ſi patronus* 12. §. 1. *D. de bon. lib. l.* 1. §. *ſed etſi* 5. *D. de aſſign. lib.* idque aperta illa ratione, quia pater, dum ſic cavit, aut aſſignavit, præſumptionem illam, qua excluſio exhæredati a ſucceſſione liberti nititur, ſcilicet, quod eum habuerit pro indigno, manifeſta teſtatione, aut facto labefactavit. *dict. l. ſi patronus* 12. §. *ſi patroni* 6. *D. de bonis lib.* quod & ipſum eſt, ſi non mala mente, nec ut ei noceret, ſed alio conſilio exhæredatus ſit. *dict. l. ſi patronus* 12. §. *ſi quis* 2. *l. Paulus* 47. *D. de bon. lib.* juncta *l. multi* 18. *D. de liber. & poſtb.* juxta quos caſus explanandum, & ad eos referendum, quod, de exhæredato interdum admittendo ad bona liberti, ſupponitur *in l. cum fine* 21. *D. de Carbon. ed. l. ſi vero* 64. §. *ſi filium* 8. *D. ſol. matr.*

6 Sane in quæſtione illa, proxima bis, aut conſentanea: an præteritio patroni militis, eo uſque ſit pro exhæredatione, ut excludat filium à bonis libertorum paternorum; in qua ex diametro pugnant, *l. ſi patronus* 12. *in princip. & l. Paulus* 47. § *ultim. verſ. idem, D. de bon. lib.* & in qua poſt Cujacium, Coſtam, & alios, diſtinguebat vir magnus Salmanticæ, inter exhæredationem, ſilentio factam, & præteritionem; non tamen Academicâ orcheſtra plaudente, cui diſtinctio illa verbis magis, quam rebus, applicita videbatur. Nos (fortaſſe etiam ſine plauſu) ſic exponi poſſe, opinabamur, id, quod *in princip. dict. l.* 47. § *ultim.* propoſitum fuerat de ſilentio patris militis, non eo uſque habendo pro exhæredatione, ut noceat liberis, etiam quoad bona libertorum avitorum, confirmetur ab eodem Paulo, non in eadem illa ſpecie, ſed in alia ejuſdem generis, & rationis, & in qua idem reſponſum, nempe cum ſilentium, ſeu præterito non fuit patris, ſed avi militis, à quo nepos præteritus, nam & tunc non eo uſque nocere debet nepoti, ut repellatur à bonis libertorum paternorum, juxta reſponſum Juliani, *in l. ſi ex patronis* 10. §. *Julianus. in princ. D. de bon. lib.*

7 Quintum, ex Ulpiano *lib.* 11. *ad leges noſtras*, in quo, & antecedente *lib.* 10. tractaſſe illum de patronatus in libertis jure, liquet ex inſcriptionibus. *l. ſi autem* 11. *l. ſi libertus* 16. cum *l. ſeq. D. de jure patron. l. Labeo* 36. *D. de oper lib. l. virilis* 145. *D. de verbor. ſignif* extat in *l. Julianus* 37. *D. de bon. lib.* ubi in principio ſcriptum eſt, ſi patronus liberto, libertatis cauſa impoſita revendiderit, excludi filium ejus bonorum poſſeſſione, contra tabulas liberti, quemadmodum excluderetur, ſi idem pater, patronuſque, donum, munus, operas liberto revendidiſſet; ſive quemadmodum, ſi patronus libertum obligaſſet, ut pro operis, quas promiſerat, mercedem ei præſtaret, nam hæ obligationes improbantur, tanquam quæ libertatem onerent. *l. adigere* 6. §. 1. *D. de jure patron. l. ult.* §. 1. & 2. *D. qui, & à quib l.* 4. & 6. *Cod. de oper. lib. l. cum patronus* 25. *l. ſi ita* 39. *D. eodem tit.* de queis parce ſupra *Reliquatione* 11. *ad l. liberta* 35. *D. de oper. lib.*

8 Nunc pro elucidandn, quod ex Juliano deciditur, & prima fronte abſurdum videtur, nempe, ob culpam patroni, & patris, qui operas revendidit, ſubmoveri à liberti ſucceſſione patroni filium, uteumque innoxium, cum tamen, ex Juliano ipſo, ſcribatur in *l. quæritur* 38. & *in l. ſi ex patronis* 10. §. 1. *l. quod ſi pater* 11. *D de bon. lib.* ub eshæredationem patris filium illius, qui in poteſtate non ſit, non ſubmoveri à ſucceſſione liberrorum avitorum: & quod proprie, ſtricteque magis urget, ſi patroni filius capitis accuſaverit libertum paternum, (quæ ſane atrocior noxa eſt, & injuria patroni in libertum) quamvis eo ipſo ille excludatur à ſucceſſione, non tamen excludi ejus filium, ut laucato ejus ſententiæ auctore, & aſſertore Juliano, proponitur *in l. Divi* 17. §. *ult. & in fine principii illius legis D. de jure patron.* & de accuſatore pariter, atque exhæredato. *l. in ſervitutem* 16. §. *ſi patroni* 4. *D. de bon. lib.* pro re, ut diximus, elucidanda, animadvertimus primum, amiſſionem patronatus, ob extortam à liberto obligationem mercedis pro operis, fuiſſe ſtabilitam, *lege Ælia Sentia. l. ult.* §. 1. *D. qui, & à quib. l. adigere* 6. §. 1. *D. de jure patron.* quæ fuit, ſcilicet *Ælia Sentia*, fere coæva legibus noſtris, lata ſub Auguſto, jam ſeniore, Ælio Catulo, & Sentio Saturnino Conſulibus *anno* 756. *U. C.* ut ex Velleio *lib.* 2. conjectantur, Ant. Auguſtinus, Manutius, Hotmanns, & alii; & media veluti inter *leges Julias*, quæ præceſſerant, & ante *legem Papiam*, quæ ſecuta eſt, & in hoc capite, de mercede pro operis, & alio, de jurejurando libertorum, quoad nuptias, non diſſimilis ſenſu à noſtris legibus, quo effectum eſt, ut in libris *ad leges Juliam, & Papiam*, noſtri Conſulti non pauca de *Ælia Sentia* ſcripſerint, *dict. l. adigere* 6. §. 1. & *ſeq. l. qui contra* 15. *D. de jure patron. l. quæſitum* 31. *cum l. penult. qui, & à quib.* noſtra *l. Julianus* 37. *D. de bon. lib.* in qua quod proponitur, de revenditione impoſitorum libertatis cauſa, æque plectenda, ac ſi donum, munus, operæ revenditæ eſſent, quamvis non conſtet, expreſſum fuiſſe *lege Ælia Sentia*, tamen credi poteſt ex illius ſententia, de prohibita obligatione mercedis pro operis, deductum fuiſſe, & receptum Prætorio jure, quo ejuſmodi libertatis onera improbabantur. *l.* 2. *l. is, qui* 32. *l. ſi ita* 39. *D. de oper. lib. l.* 1. §. *quæ onerandæ* 5. *cum ſeq D. quar. rer. actio non detur:* & idcirco fortaſſe Ulpianus proprie, ad Prætoriam contra tabulas liberti poſſeſſionem ſe refert. *d. l. Julianus* 37. ſic enim res eo jure accepta eſt, ac ſi patronus electa revenditione, aut obligatione mercedis pro operis, reſpuiſſet bonorum poſſeſſionem. *l. ſicut* 20. *D. de jur. patron. l. ſi quam* 4. *Cod. de oper. lib. l.* 5. §. *ſi quis* 22. *D. de agnoſc lib.*

9 Secundo animadvertimus, duriorem, ſeverioremque ſe eshibuiſſe patronis *Æliam Sentiam*, quam noſtram *Juliam*; namque *lege Ælia Sentia* patroni coactio ad mercedem pro operis, aut earum revenditio, plectitur amiſſione patronatus, etiam in liberis patroni, ut in noſtra *l. Julianus* 37. At *legibus Juliis*, quibus adſeribitur caput, de plectendo amiſſione patronatus filio patroni, accuſatore liberti, ut & nos poſt Cujacium adſcripſimus in *Academicis aſſertionibus*, & proxime ad id caput dicemus, non porrigitur ea amiſſionis pœna ad filium filii accuſatoris, ſive ad nepotem patroni, cujus filius accuſator fuit. *dict. l. Divi* 17. *in fin. princ. & in* § *ultim. D. de jure patron. l. in ſervitutem* 16. §. *ſi patroni* 4. *D. de bonis lib.* ſicut & in exhæredato filio, pœna excluſionis illins à ſucceſſione liberti, quam ex legibus noſtris deſcendere, ſupra adnotavimus, argumento *ex l. filius* 42. *cum l.* 38. & 42. *de bon. lib.* non extenditur ad innoxium nepotem. *dict. l. in ſervitutem*, §. *ſi patroni* 4. cum jam laudatis. Deinde *lege Ælia Sentia* patronus jurejurando adigens libertam, ne nubat, libertum ne uxorem ducat, excidit patronatu tam ipſe, quam liberi ejus *l. qui contra* 15. *l. adigere* 6. *in princ. &* §. 2. & 3. *D. de jure patron. l.* 3. §. *ſi quis libertam* 5. in fine. *D. de ſuis, & legit. l. quæſitum. cum l. ſeq. D. qui, & à quibus.*

bus. l. communi 24. *D. de bon. lib.* juncta *l. adoptivum* 8. *§. ult. D. de in jus voc.* cujus de conciliatione cum *dict. l. qui contra* 15. ſuo loco dicendum. At *Julia lex de maritandis ordinibus*, contenta fuerat remiſſione jurisjurandi, libertis impoſiti, ne ad matrimonium tranſirent, neque ad pœnam amiſſionis patronatus proceſſerat. *dict. l. adigere* 6. *§. ult. D. de jur. patr.* Denique *ex Ælia Sentia*, in duobus capitibus memoratis, patronus ipſe patronatu mulctatur *d. l. adigere* 6. *in princ. & l. qui contra* 15. *dict. l. ult. D. qui, & à quib.* At *lege Julia* etiamſi patronus liberti accuſator fuerit, non amittit patronatum, eaque pœna impoſita eſt ſoli filio patroni. *l. ſi filius* 33. *§.* 1. *verſic. uno etiam*, *D. de fidricomm. lib. dict. l. in ſervitutem* 16. *§. ſi patroni* 4. *D. de bon. lib.* quin & extra eos caſus, ſi patronus libertum egentem non aluerit, non tantum ipſe patronatu excidit, ſed ex *lege Ælia Sentia*, etiam liberi ejus. *l. ſi patronus* 33. *D. de bon. lib. l. Divus* 5. *§.* 1. *D. de jure patron. l. alimenta* 6. *D. de agnoſc. lib.* Liquet ergo, ita jus conſtitutum fuiſſe, & omnino diſpar, duriuſque *lege Ælia Sentia*, quam *Julia*; cujus ſi rationem quæſieris, aut recurrendum ad ſubſidium *l. non omnium* 20. *D. de legib.* aut ſuſpicandum, cum poſt *Juliam legem*, infractio illius, & patronorum in libertis onerandis, & duriſſimis rebus exigendis, exorbitantia excreſceret, ut ad rem colligitur ex *l.* 2. *D. de oper. lib.* juncta *l.* 1. *In princ. D. de bonis lib.* locum factum fuiſſe ſeveriori ſanctioni *legis Æliæ Sentiæ*, ſicut eadem ex cauſa, poſt *Julias leges* ſecutam *Papiam*, monuimus *lib.* 1. *cap.* 8.

10 Subjungitur *in dict. l. Julianus* 37. *verſ. plane*, ſi non patronus, ſed patroni filius revendiderit, nihilominus familiam (familiæ appellatione, patroni liberos intellige, ut *in l. pronunciatio* 195. *§.* 1. *verſ. ad perſonas*, *D. de V. S. l. qui in adoptionem* 23. *in fin. D. de adopt.*) bonorum poſſeſſionem contra tabulas petere poſſe, ex ſucceſſorii edicti jure, *l.* 2. *D. de bon lib.* quia filius revendendo fratrem ſuum non ſubmovet, ſicut nec accuſando. *l.* 3. *§ ſi capitis* 5. *D. de bon libert.* juncta *l.* 3. *§. plane* 3. *& § penult. D. de legit. tut.* id, quod perfacile explicatu eſt; quippe patrono revendente, ut eo ipſo filius ſubmoveatur, ſubeſſe viſa eſt illa ratio, regulaque, de patronatu, à patre in filium tranſeunte, tanquam filium, non jure hæreditario, ſed ſanguinis, juxta vulgare pronunciatum *l.* 4. *l. ut jurisjurandi* 7. *§. ſi liberi* 7. *l. operarum* 29. *D. de oper. lib. l. ſi liberto* 23. *§.* 1. *& ult. D. de bon. lib. l. ſi patroni* 55. *D. ad S C. Trebell. l. cum fine* 11. *D. de Carbon. ed. l. pro hærede* 20. *§. ſi quid tamen* 8. *D. de acquir. hær. l. filii* 9. *D. de jure patr.* & translatitium ex civili jure in canonicum. Clementina *plures*, ubi Gloſſa, *de jure patron.* At in filio revendente, quoad fratrem, ſeu familiam, diſpar ratio, cum frater, & familia non à fratre, ſed à patrono, & primo manumiſſore jus ſucceſſionis liberti derivet. *l.* 3. *D. de interd. & releg.* & ideo nec ſubmoventur à contra tabulas, nec ab inteſtato ab illa, *unde legitimi*: aut olim ab illa, ſexto loco tanquam patronis competiit. *§. ſunt autem* 3. *in fine*, *Inſtit. de bonor. poſſeſſ.*

11 Præcedentibus inconſequens, & diſſimilis ſpecies ſequitur, nec tamen gravioris operæ, *in §. ult. dict. l.* 37. in qua Ulpianus docet, ſi libertus extraneum hæredem ſcripſerit, cum à familia occiſus crederetur, & hæres, ante queſtionem, de familia habitam, adierit hæreditatem, non poſſe patronum ad contra tabulas admitti; quoniam, ut ex Juliano Ulpianus, debuit etiam patronus liberti necem vindicare, antequam contra tabulas peteret, de quo laudatis, qui ad rem loci, *l ſi ſequens* 18. *§. ult. D. de S. C. Sillan. l. portiones* 21. *D. de his, quæ ut indign. l. ſi filius* 23. *D. de jure patron. l.* 3. *§. qui necem* 4. *D. de ſuis, & legit.* & relatis ad leges noſtras, ultimis verbis, quæ ad patronum pertinent, diximus jam *Reliquatione* 14.

12 Poteſt tamen nunc adjici, patronum in ſpecie *dict. l.* 37. *§. ultim.* excludendum etiam à prælegato, ſi quod ei libertus reliquerit, & eripiendum ei, ut male merito de perſona, & voluntate defuncti, ſimulque juris cenſura indigno; ſic enim in hoc genere indignitatis exprimitur, tam quoad prælegatum, quod ex voluntate habiturus, eique, ut indigno, & male merito de defuncto, eripitur, *in l. ſi ſequens* 15. *§.* 1. *D. de S. C. Syllan.* juncto, quoad patronum, electo *textu in l. inſervitutem* 16 *§. ſed et ſi quid* 4. *D. de bon. lib.* ſicut eripiuntur, quæ alioquin ex juris cenſura habiturus eſſet, & bonorum poſſeſſio contra tabulas. *dict. l.* 37. *§. ult.* cum ſupra laudatis, & ſucceſſio ab inteſtato. *dict. l. ſi ſequens* 15. *§. ult. dict. l.* 3. *§. qui ſi necem* 4. *in fine*, & jus accreſcendi. *dict. l. Portiones* 21. *D. de his. quæ ut indign.* & jus quartæ *Pegaſianæ. l.* 3. *§. ult. D. ad S. C. Trebell.* & retentio dotis adventitiæ, de qua *in l. ei, qui* 20. *D. de his, quæ ut indign. l. cum maritus* 27. *D. de jure fiſci*, quanquam ſit aliud, quoad prælegatum in eo, qui etiamſi juris cenſura indignus ſit, non eſt tamen indignus, aut male meritus de perſona, & voluntate defuncti, ut ille, qui contra leges tacitam fidem defuncto dedit, reſtituendi incapaci cui non aufertur prælegatum, utpote pendens ex voluntate defuncti, cujus reſpectu indignus non fuit. *l. eum, qui* 18. *§. ult. de his, quæ ut indign.* ſicut eadem ratione neque aufertur ſucceſſio, ex ſubſtitutione pupillari, ad quam ex voluntate defuncti venit. *l. ex facto* 43. *§. Julius D. de vulgari*; cum tamen è contrario auferantur, quæ deferuntur, pendentve ex auctoritate legum, quas offendit, & quarum cenſura indignus eſt, ut jus quartæ *Falcidiæ* in eo legato, aut relicto, in quo fraudem adhibuit. *l. beneficio* 59 *§.* 1. *D. ad leg. Falc. l. hæres* 11. *D. de his, quæ ut indign.* & jus accreſcendi. *l. ſi totum* 83. *D. de acq. hær.* ad quam in Academica relectione noſtra pridem, & primi hos indignorum ordines dictavimus, & alia obſervavimus *ex num.* 21. *& ſeq* deſcripturi ea plenius, ſi dederit, qui poteſt, polletque Deus, has reliquationes perducere *ad caput illud legum noſtrarum, de ereptitiis, & tacitis fideicommiſſis.*

Sexum, ex Terentio Clemente *lib.* 12. *ad leges* 13
noſtras, in l. ſub conditione 10. *D. de aſſign. lib.* cui jungunda *ex eodem libro* eſt, *l. ſi pater* 40 *D. de bon. lib* de qua jam ſupra quarto loco in his Recitationibus. Eſt autem *dict. l. ſub conditione* 10. ſententia hæc: ſi libertus ſub conditione, vel in diem aſſignatus ſit, omnia pendente conditione perinde obſervari debere, ac ſi aſſignatus non eſſet, & ideo, ſi interim libertus moriatur, pertinere ad omnes liberos patroni *hæreditatem* (ſcilicet *ex lege Papia*, ſi libertus centenarius fuerit, aut ab inteſtato, *ex lege duodecim tabularum, & bonorum poſſeſſionem contra tabulas*, aut *unde legitimi.*) Quibus conſequenter ſubjungitur *in §. d l.* 10. ſi uni pure, & ali ſub conditione libertus aſſignatus ſit, nam cui pure aſſignatus, pendente alterius conditione, ſolum patroni jus habere. Et porro utriusque ſententiæ perſpicua ratio, ſuppoſito illo noto Senatuſconſulo, quo parenti conceſſum, aſſignare libertum uni ex liberis, & ut is ſolus, cui aſſignatus fuerit, pro patrono habeatur. *princ. Inſtit. de aſſign. lib. l.* 1. *D. de aſſign. lib. l.* 1. *& tot. tit. D. de aſſign lib. l. aſſignare* 107. *D. de V. S. l.* 4. *l.* 3. *§. ſi capitis* 5. *l. ſi patronus* 12. *§.* 1. *D. de bonis lib. l.* 3. *§. ſi necem.* 4. *D. de ſuis, & legit. l.* 30. *§. ult. D. qui, & à quib. l.* 1. *§. ultim. in fine*, *D. de legit. tut. l. ultim. D. de jure patron. l. filio* 48. *§. ultim. D. de ritu nupt. l. impuberem* 22. *§. qui liberti*, *D. ad leg. Cornel. de falſis.* Suppoſito illo etiam perinde noto, quod aſſignatio fieri poteſt, vel pure, vel ſub conditione, vel in diem, ſive ex die, & qualicumque teſtatione voluntatis. *l. aſſignare* 7. *l. ultim. §. ultim. D. de aſſignat. lib. dict. l. aſſignare* 107. *D. de verb. ſign.* Quippe his poſitis conſequens eſt, cum ea quæ ſub conditione, aut in diem fiunt, ante diem, vel conditionem non ſubſiſtant. *l. cedere* 213. *D. de verb. ſign.* non arcendos interim eos, quibus pure aſſignatus libertus eſt, à ſucceſſione liberti, ſicut neque arcerentur, ſi & alia cauſa, is, cui aſſignatio facta, impeditus eſſet. *l.* 3. *§. ſi capitis* 5. *l. Communi* 24. *D. de bonis lib.* neque ut caducam fiſco deferri partem illius, cui ſub conditione libertus aſſignatus,

natus, quomodo noſtris legibus applicari, cenſuit Jacobus Gothoſredus, ſacile, ſi vacaret, reſellendus, *ad eaſdem. pag.* 300. Addimus uno verbo, id, quod *in dict. l. ſub conditione* 10. exprimitur, de aſſignatione in diem, exaudiendum eſſe, de aſſignatione facta, ita ut ex die certa incipiat, non autem ut ad diem certam uſque maneat, & cum illa finiatur: hoc enim non licet, quia Senatuſconſultum expreſſit modum, finemque aſſignationis, atque eo ipſo alios excluſit, quomodo expreſſum eſt *in l. ultim. §. ultim. D. de aſſign. lib.* & componendum cum *d. l. ſub conditione.* 10.

14 Septimum, ex Ulpiano *lib.* 11. *ad legem Juliam, & Papiam, in l. Labeo* 36. *D. de oper. lib* quæ quamvis ſub eo titulo extet, & ad eum pertinere videatur, pertinet tamen proprie etiam ad tractatum, *de ſucceſſione libertorum*, ſicut & *ex eodem libro* deductæ *l. Julianus* 37. *D. de bon. lib. l. Divi* 17. *D. de jure patron.* Docetur autem ex Labeone *in dict. l. Labeo* 36. libertatis cauſa inter patronum, & libertum ſocietatem coitam ipſo jure nihil valere: id, quod & ex Ulpiano aſſirmatur, *in l.* 1. *§. ſi libertatis* 7. *D. quar. rer. actio non det.* ubi & adjicitur, ſi ex ea ſocietate patronus pro ſocio agat, non eſſe neceſſariam liberto exceptionem illam, ſi non onerandæ libertatis cauſa, quia ipſo jure tutus eſt. Nec tamen deeſt dubitandi ratio de eo ipſo, quod cum Labeone, Ulpianus *palam* eſſe ſcribit, cum è contra ille idem ſcripſerit, patrono in libertum, ſi pepigiſſet, ut niſi ei obſequium libertus præſtaret, in ſocietatem admitteretur, datam fuiſſe à Prætore Rutilio operarum, & ſocietatis actionem. *l.* 1. *§.* 1. *D. de bonis lib.* At fit facile ſatis, diſtinctione temporum, & ut diſtinguntur *in dict. l.* 1. *§.* 1. ubi edictum illud, de actione ſocietatis *prius* nuncupatur, & adſcribitur Prætori Rutilio, quem ſuſpicamur fuiſſe non illum Rutilium Maximum, cujus cum epigraphe eſt *l. ſi hæres* 125. *D. de legat.* ſed veterem Rutilium Juriſconſultum, nominatum Pomponio *in l.* 2. *§. ab hoc profecti* 40. *D. de orig. jur.* eumdemque nominatiſſimum Romanis hiſtoricis, Marii, ac Syllæ ſæculo, Senatorem, Proconſulem, & exulem, longe ante Labeonem, & Prætores *poſteriores*, quomodo & diſtinguntur *in eadem l.* 1. *§ ult. D. de bon. lib.* Ergo poſteriores Prætores, cum ſocietas illa patroni cum liberto, experimentis docentibus, cenſeretur fere Leonina, ad inſtar illius, quæ ſic vocatur *in l. ſi non fuerint* 29. *§. ult. D. pro ſocio*, & coita onerandæ libertatis cauſa, contra Prætoria edicta, quæ non niſi operas, donum, munus imponi liberto, libertatis cauſa, patiebantur. *l.* 2. *l. is, qui onerandæ* 31. *l. qui libertinus* 37. *l. Campanus* 47. *D. de oper. lib. l. ſæpe* 53. *D. de verb. ſign. l.* 1. *§. quæ onerandæ* 5. *D. quar. rer act. non det. dict. l. Julianus* 37. *D. de bon lib.* introduxerunt in locum veluti ſocietatis liberti vivi, & quæ ex illa patrono dimidia futura erat, bonorum poſſeſſionem ejus dimidiæ, ſeu ſemiſſis, quam patrono in liberti mortui bonis pollicebantur. *dict. l.* 1. *§. ult. D. de bon lib.* atque eo ipſo ſocietatem excluſerunt, data contra eam exceptione, aut denegata actione. *dict. l.* 1. *§. ſi libertatis* 7. de quo ita ſat bene Faber *lib.* 20. *conject cap.* 18. Quanquam ſi conjecturis aliis locus, nec temere opinari licet, *lege Ælia Sentia*, quæ, ut ſupra ſcripſimus, in ſimilibus cauſis, excreſcentem patronorum in libertos duritiam coërcuit. *l. adigere* 6. *in princ. & §.* 1. *& ſeq. l. quia contra* 15. *D. de jure patr. l. ultim. §* 1. *D. qui, & à quibus*, improbatam etiam, & prohibitam ejuſmodi ſocietatem, & idcirco Labeonem illum incorrupta libertate, priſci juris, & moris retinentiſſimum, & vix, niſi ſtatis legibus obſecundantem, *princ. Inſt. de codicill.* ſcripſiſſe, eam *ipſo jure non valere*, *palam eſſe* (quod inſpecta ſola Prætorum improbatione, fortaſſe non affirmaret, cum tamen *legem Juliam* illum Labeonem attigiſſe, liceat colligere *ex l ſi vero* 64 *§. de viro* 9. *D. ſoluto matrim.* & Ulpianum legibus *Juliæ*, & *Papiæ* applicuiſſe, ut inde inferret, eum patronum, neque ad hæreditatem, *ex lege Papia*, neque ad contra tabulas admittendum, ut idem ille cenſuit *eodem libro in dict. l. Julianus* 37. ad quam jam *ſupra.*

Octavum, ad hanc partem à Gothoſredo relatum 15 ex Caïo *libro* 8. *ad leges noſtras*, extat *in l.* 4. *D. de bon. poſſ.* ubi à Triboniano ſegmentum ex Caïo ſumitur, & ſubjungitur *l.* 3. *§. ultim.* ac dein continuatur cum *l.* 5. *&* 6. *illo tit. D. de bonor. poſſ.* atque ex ea futura conficitur illa ſententia, nempe inter vocatos ad bonorum poſſeſſionem eſſe jus accreſcendi; ac proinde ſi plures ſint, & unus admiſit bonorum poſſeſſionem, alii autem non admiſerunt, *veluti* (atque hoc eſt ſegmentum, nec tam periodus, quam imperfecta oratio, ex Caïo ſumpta, & inſerta) *quod ſpreverunt jus ſuum, aut tempore bonorum poſſeſſionis excluſi ſunt, aut ante mortui ſunt, quam petierint bonorum poſſeſſionem*, accreſcere, *ut in l.* 5. Ulpiano ſubjungitur, ei qui admiſit, quæ cæteris competerent, portiones: & concluditur tandem ex Paulo *in l.* 6, aliud in patrono juris eſſe, de quo poſtea. *Nunc & in primis de fragmento ex Caïo *in dict. l.* 4. quod pertinere ad jus accreſcendi collocatio ipſa, qua à Triboniano jungitur, cum *l.* 3. *§. ult. & l.* 5. indicat, & ſuadet ex eodem Caïo, & *eodem libro* 8. excerpta, & ad caduca, quibus intermixtum accreſcendi jus, & liberos non habentium pœnas pertinens, *l. non eſt ſine liberis* 148. de qua & ita, poſt Cujacium, ſenſit Gothoſredus, *D. de verb. ſign.* & poſſe etiam referri ad patronatus jura, idem Caïus, *eodem libro* oſtendit, *in l. illud* 46. *D. de ritu nupt.*

Ergo priore ſenſu, & reſpectu ad jus accreſcen- 16 di, animadvertimus, proponi à Caïo, tres caſus, quibus ei juri locus fit. Primus, quo alii hæredes, ſeu vocati ad bonorum poſſeſſionem, ſpreverunt jus ſuum, ſcilicet repudiatione. Secundus, quando tempus bonorum poſſeſſionis petendæ finiri, & ideo ſe excludi, paſſi ſunt. Tertius, quando ante eam petitam deceſſere, qui tres caſus, tanquam ejuſdem, quoad excluſionem, effectus, jungi, & comparari ſolent. *l.* 2. *D. de bonor poſſeſſ. ſec. tab. l.* 1. *§. quibus* 10. *D. de ſucc. ed. l.* 2. *D. de bonis lib.* Jam itaque in eis caſibus, accreſcere eis, qui admiſerunt, deficientes portiones ſupponitur, nec ut caducas, *lege Papia*, ad Fiſcum pertinere, idque & nos ponimus, & affirmamus, quamvis non ignoremus, vulgo creditum eſſe, & inconſpecte non vulgares juriſperitos, poſt Bartolum *id l. ſi duobus* 16. *num.* 2. & illic Caſtrenſem *num.* 3. *D. de legat.* 1. & inter cæteros Cujacium *lib.* 12. *Obſerv. cap.* 11. Hotmanum *in Epitom. ad tit. de uſufr. accreſc. num.* 16. Fabrum *lib.* 18. *Conjectur. cap.* 15. & ex Salmanticenſibus noſtris, D. Valentiam *Illuſtr.* 1. *cap.* 2. *num.* 11. *&* 12. *& lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 16. *num.* 5. indiſtincte, & indefinite ſupponere, jus accreſcendi ſublatum fuiſſe legibus, & *Julia*, *& Papia*, & quamvis itidem ſciamus, quoad ſpecialem caſum repudiationis a Caïo expreſſum *in dict. l.* 4. locum fuiſſe caducis, *ex lege Papia*, & portionem repudiantis ad fiſcum pertinuiſſe, excluſo accreſcendi jure, docuiſſe Accurſium *in l. unica §. & cum triplici, verb. deficiebat. Cod. de caducis toll.* & cum eo doctum alioquin Accurſianum, Joannem Ant. Bellonum, *de jure accreſ. cap.* 7. *quæſt.* 41. *num.* 65. in quo caſu id ipſum eum Accurſio ſenſiſſe comperio, nuper Jac. Gothoſredum *ad leges noſtras*, ubi *de caducariis. pag.* 305. *&* 347.

Sed ut dicere cœpi, ſupponuntur hæc parum con- 17 ſpecte. Nam quoad indefinitum illud, de excluſo indiſtincte jure accreſcendi, *ex lege Papia*, docere ſatis, id ita non fuiſſe, poſſunt tot Juriſconſultorum *ad leges Juliam, & Papiam*, loci, quibus jus accreſcendi, pro regula veluti, ſupponitur; & in primis à Caïo noſtro, *in l. qui ex duabus* 53. *§. ult. D. de acquir. hær. l. ſi ſerv.* 31. *§.* 1. *D. de ſtatu lib. l. ſi in teſtamento* 5. *in fine D. de vulgari*; ſicut & à Paulo, & Ulpiano *ad leges noſtras*, *l. ſi ſolus* 80. *l. ſi totam.* 83. *D. de acquirenda hær. l. mortuo* 49. *§. ult. l. ſi Titio.* 61. *in princ. & §. ult. D. de legatis* 2. & quod præcipuum eſt, primaria elementa juris accreſcendi, & conjunctorum, *eiſdem libris ad leges noſtras*, explicat Paulus *in l. re conjuncti* 89. *D. de legat.* 3. *l.*

triplici

triplici 142. *D. de verb. ſign.* ut proinde pro explorato eſſe debeat, manſiſſe, etiam poſt *legem Papiam*, jus accreſcendi, exceptis ſolis illis quatuor caſibus caducorum, & duobus eorum, quæ in cauſa caduci, in queis fiſco locus fiebat, & quos ſignare, loci hujus non eſt, & fuerit dumtaxat, hæc præmonuiſſe per prolepſin veluti, & ante Reliquationes *de caducis*, ut collecta *Academicis noſtris manuſcriptis ad leges Juliam, & Papiam* 3. *part. cap.* 2. *numer.* 11. & 12. & *ad leg. re conjuncti* 89. *ex numer.* 11. *cum ſeq. D. de legat.* 3. ubi plene, & explicite pro hac aſſertione.

18 Jam vero, quoad caſum repudiationis, non fuiſſe in eo locum caduco, ſed jure accreſcendi, cenſuit, contra Accurſium, Cujacius, *in l. unica in princip. Cod. de caduc. toll.* Balduinus *de lege Pap. pag.* 150. & poſt dictata noſtra Academica, noſter Santolaria *lib.* 1. *Juriſconſ. delect. jud. cap.* 11. *n.* 3. §. 15. allata ad rem, *l. ſi Titio* 61. §. *ultim. D. de legat.* 2. qua, & aliis Cujacius utitur. Nobis ultra eas, in conſpicuo res viſa, ex Caſo noſtro *in hac l.* 4. & *ex l.* 2. §. *ſi duo* 8. *D. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab. l. ſi res aliena* 52. §. 1. *ad fin. D. ad S. C. Trebell. l. ſervus communis* 67. *D. de acquir. hær. l. ſi duobus* 40. *D. de legat.* 2. *l. ſi dominus* 17. §. 1. *l. Titio* 34. *D. ad leg. Aquil. l. ſi miles* 31. *D. de teſtam. mil. l.* 3. *D. de manum. vind.* Quibus neque pro Accurſio ſtare, aut obſtare Caium, & Terentium Clementem, *in l. ſi Titio* 55. *l. ſi mihi* 59. *D. de legat.* 2. & apud eos, deficientem portionem, exaudiendam non de caduca, ſed de deficiente, & penes hæredem manſura, ut ex Caio *libris ad leges noſtras, in l. qui ex duabus* 52. §. *ultim. D. de acquir. hæred.* juncta *l. quod ſi alterutro* 78. *D. ad leg. Falcid. l. in teſtamento* 31. *verſ. ſed & Pamphilam, D. de condit. & demonſtr.* Quemadmodum, & quæ ex Ulpiano verba cerebrum Gothofredo excuſſere, *tit.* 1. *de libertis*. §. *inter mediar.* illa, *ſed poſt legem Papiam Poppæam, quæ partem non adeuntis caducam facit*, ſic exaudienda ſunt, ac ſi dixiſſet, *non capientis*. ut idem in eadem re loquitur, *tit.* 24. *de legatis*, §. *optimum, cum* §. *ſeq.* ſive non adeuntis, quia capere non poterat, quomodo cogente juris ratione expoſuimus *in prælaudatis manuſcriptis, ad leges Juliam, & Papiam*: ex queis & adhuc pro elucidandis caſibus *dict. l.* 4. illud adnotamus, poſt aditam, vel ab uno ex hæredibus, hæreditatem, vel admiſſam bonorum poſſeſſionem, ut proponitur in §. *ult. dict. l.* 3. *de bonor. poſſ.* non fuiſſe locum caducis, *ex lege Papia*, ſed juri accreſcendi in portionibus deficientibus, ut exprimitur *in libris ad leges noſtras, in dict. l. qui ex duabus* 53. *in princ. D. de acquir. hær. l. mortuo* 49. §. *ultim. l. ſi Titio* 61. *D. de legat.* 2. *l. hæc ſcriptura* 26. §. *ult. in fine, D. de cond. & dem.* cum aliis nuper laudatis, & prænotavit Emundus Merilius *lib.* 5. *Obſerv. cap.* 4.

19 Nec plura in anteceſſum damus, ex magna illa legum noſtrarum, *de caducis*, meſſe. At *pro l. ſed cum patrono* 6. quæ ſequitur poſt *l.* 4. de qua hactenus, *D. de bonor. poſſeſſ.* ne Cujacii *ad eum titulum*, & *libro* 41. *Pauli ad edictum in dict. l.* 6. docta præmiſſa tranſcribamus, illud nos præmunimus, Caſum in *dict. l.* 4. ſi conferatur cum *l. illud.* 46. quæ ex eodem auctore, & *libro* eſt, *D. de rit. nupt.* & ad jus patronatus in duobus patronis pertinet, fortaſſe ea occaſione docuiſſe, eſſe inter duos patronos accreſcendi jus, ſi unus petierit bonorum poſſeſſionem contra tabulas, & alter ſpreverit, ſeu repudiaverit, vel tempore, aut morte excluſus ſit, & proinde nec *legi Papiæ* caducariæ locum fieri; ſic enim deducitur *ex l. ſive* 22. §. & *duobus D. de jure patron.* in qua non ſubſcribo Cujacio *libro* 41. *Pauli ad edictum, in noſtra l.* 6. torquenti verba illa, *accreſcere potuiſſet*, & exaudienti, pro *acquiri* per novam bonorum poſſeſſionem, de qua *in noſtra l.* 6. cum nulla ratio ſubſit, cur non accreſcat inter patronos, eodem jure ad contra tabulas vocatos, ut Cujacius idem agnoſcit *ad tit. de jure patron. in dict.* §. *ex duobus*, & ſupponitur *in l. ex tribus* 22. *l. communi* 24. *D. de bonis lib.* ſicut inter patronum inſtitutum, & cohæredem. *l. cum patronus* 28. *D. de legat.* 2. Quo præmiſſo ſequitur opportune ſententia *d. l.* 6. ubi Paulus definit, inter patronum, cui certæ partis, ſcilicet ſemiſſis, bonorum poſſeſſionem contra tabulas Prætor pollicetur, non eſſe jus accreſcendi, & ideo ſi ſcriptus repudiet, ſive non petat eſſe neceſſariam patrono, qui contra tabulas petiit (aliud ſi antequam peteret, repudiaſſet ſcriptus, quæ ſpecies eſt *l. ſi libertus* 23. *D. de bon. lib*) novam illius ſemiſſis bonorum poſſeſſionem, quam & Prætor ei petenti nominatim ſpondet, cum tamen ſi accreſcendi juri locus eſſet, acquireretur ei, tacito jure, & ſine nova bonorum poſſeſſione portio deficiens. *l. qui ex duobus* 53. §. *ult. D. de acquir. hær.* Idcirco autem, accreſcendi juri locus non eſt, quia diverſo, & fere adverſo jure vocantur, patronus per *contra tabulas*, & ſcriptus per *ſecundum tabulas*, pro qua ratione, & pronunciato, juventutem mittimus ad Cujacium, Fabrum, & eos maxime, qui de *accreſcendi jure*, ex profeſſo ſcripſere.

20 Novum, & ſane alienum à tractatu *de ſucceſſione libertorum*, ſed ſub eo collatum, & ex Pauli *libro* 10. *ad leges noſtras* (in quo, ſicut *præcedadsibus libris* 9. & 8. fortaſſe aliqua, de libertorum ſucceſſione tractabat. *l. penult. D. de jure aur. annul. l. qui contra* 15. *D. de jure patron.*) extat *in l. ultim. D. ſi quid in fraud patroni* in qua primum proponitur, ex conſtitutione Divi Pii, ſive Antonini Pii impuberi adrogato deberi quartam partem, ex bonis, quæ mortis tempore fuerunt illius, qui adrogavit; ſicut eodem ſenſu, tametſi non eiſdem verbis, prodimm eſt *in* §. *cum autem* 3. *Inſtitut. de adopt. l. ſi adrogatur* 22. *D. eodem titul. l. Papinianus* 8. §. *ſi quis impubes* 15. *D. de inoffic. l. ſed ſi plures* 10. §. *in adrogato* 6. *l. cauſa* 40. *D. de vulgari. l.* 1. § *ſi impuberi* 21. *D. de collat. bon. l.* 2. *Cod. de adopt.* Ulpianus *eo tit. in fragm.* §. *per Prætorem* 5. Secundo proponitur, eidem adrogato, bona, quæ patri adrogatori acquiſierit, reſtitui juberi ipſi, vel illis, ad quos ex ejus perſona pertinent, ſcilicet ex eadem Conſtitutione Pii, & diſſoluta adrogatione, eumque in effectum caveri à patre adrogatore. *l. non aliter* 18. *cum ll. ſeq. l. ſi adrogator.* 22. *D. de adopt. dict. l. cauſa* 40. *D. de vulg. l.* 2. §. *impuberi* 5. & §. *etſi forte* 46. *in fine*. *D. ad S. C. Tertyll.* Tertio, ſi idem adrogatus fuerit emancipatus, cauſa cognita, nempe, ita ut per eam conſtiterit, ſua culpa, aut demerito emancipari; tunc perdere illum quartam, quamvis ſua ei bona reſtituenda ſint. *dict.* §. *cum autem* 3. *Inſtit. de adopt.* Quarto, ſi quid in fraudem adrogati, & quartæ, ad eum pertinentis, alienatum ab adrogatore, eſſe id revocandum per quaſi *Calviſianam* vel *Favianam* actionem, ſive utilem, ut *in l. cauſa* 40. *de vulg. l. his verbis* 18. *in fine D. de adopt.* nempe quibus revocantur alienata in fraudem patroni. *l.* 1. & 2. *ac toto tit. D. ſi quid in fraud. patroni l. quod ſi in diem* 16. §. *idem ſcribit* 5. *D. de hær. pet. l. videamus* 38. §. *in Faviana* 4. *D. de uſur. l. qui res* 98. §. 1. *D. de ſolut. l.* 2. *D. ſi à par. quis fuerit manum. l ſi libertus* 16. *D. de jure patr. l.* 1. & 2. *Cod. ſi quid in fraud. patr. l. patronum* 6. *D. de probat.*

21 Plane ſi quæſieris, ut in hoc ſaltem nudæ recitationis, intra quam hactenus ſtetimus, fines egrediamur, cur quaſi *Faviana*, aut *Calviſiana* adrogato indulgeatur, ac non potius *Pauliana*, *ex tit. D. quæ in fraud. credit.* cum nihil commune habeat ipſe, aut quarta ei competens, cum patroni ſemiſſe, pro quo tuendo *Faviana* inducta, quin potius neque hæres, neque bonorum poſſeſſor ſit in ea quarta. *l.* 2. §. 1. *D. famil. erc.* ſed creditor, & quarta, æs alienum perſequendum, perſonali actione *l.* 1. §. *ſi impuberi* 21. *D. de collat. bon. l. Papinianus* 8. §. *ſi quis impubes* 15. *in fine*. *D. de inoffic.* reſpondere poterit, indulgeri potius, quaſi *Favianam*, quia quarta hæc adrogati futura eſt ex his bonis, quæ adrogator habuit tempore mortis, ut exprimitur *in princ. ejuſdem legas ult.* ſicut & ad bona illius temporis refertur pars debita patrono, tam *ex lege Papia. l. liberto* 26. *D. de bon. lib.* quam ex Præmrio edicto. *l.* 3. §. *ult. l. ſi patronum* 44. §. *ult. D. de bon. lib.* & proinde aptior viſa eſt quaſi *Faviana* adrogato ad quartam bonorum illius temporis perſequendam, & alienata revocanda,

da, quam *Pauliana*, quæ aliis creditoribus, & alia via, & impeditiore conceditur, ut apparet *ex l. 1. & ſeq. D. quæ in fraud. cred.*

22 Decimum, *ex l. ſi quis habens* 24. *D. qui, & à quibus*, quæ eſt Terentii Clementis *lib.* 8. *ad leges noſtras*, ex quo etiam auctore, & libro ſunt, & ad ſucceſſionem libertorum pertinentes *l. cum patronum* 10. *D. de jure patron. l. quæritur* 38. *D. de bon. lib.* & ex præcedentibus, & ſequentibus libris aliæ, ejuſdem *de libertis* tractatus. At quod ſcriptum *in dict. l. ſi quis habens* 24. impertinens, & ab eo alienum, videtur, utcumque Gothofredus *ad leges noſtras pag.* 300. eo referat, ut centenarius libertus, de ducto ære alieno, intelligatur, nullo, ei conjecturæ, vel verbo favente, *in dict. l.* 24. Mihi quando agendum eſt conjecturis, placet magis, Terentium occaſione ſumta illius diſputationis, quæ apud Ulpianum *lib.* 19. *ad leges noſtras*, *in l. ſi libertus* 16. §. 1. & 2. *D. de jure patron.* de pluribus alienationibus, ſeparatim factis à liberto centenario, quibus minor centenario factus, & utrum omnes, an ex his aliquæ, & quæ reſcindantur *lege Papia*, aut *Faviana*; in qua Ulpianus definiit, priores dumtaxat, quibus minor centenario factus, revocari ipſo jure, per *Papiam*, & in poſterioribus *Faviana* utendum, ut præcedente *Reliquatione* expoſuimus. Ergo ea fortaſſe occaſione Terentius Clemens, cum eiſdem fere libris, de *legibus Papia*, & *Ælia Sentia* mixtim tractaret. *l. penult. & ult. D. qui, & à quib.* cum *ſupra* laudatis, quæſtionem movit *in dict. l.* 24. de pluribus ſervis, manumiſſis à debitore, in fraudem creditorum, & utrum omnium libertas impediatur, per *Æliam Sentiam* & reſpondet, eos, qui primi ſunt nominati ordine ſcripturæ ad libertatem, liberos fore, donec creditoribus ſatisfiat ſcilicet ſi ſalva primorum libertate, ſuperſit ad huc, ex quo creditoribus ſolvatur, & in poſterioribus *Æliæ Sentiæ* locum fore (ſimili forma diſquirendi, & decidendi, ut *in dict. l. ſi libertus* 16 §. *ult.* quamvis in diverſa ſpecie, & ideo diſſimili juris ratione) idque Julianum docuiſſe ſcribit, in duobus manumiſſis, nempe ut primi libertas conſervetur, niſi ſit quando prior ſit majoris pretii, nec in poſterioris pretio ſatis ſit pro creditoribus, quo caſu hic ſolus liber futurus, priore in ſervitute retento: pro queis aſſertionibus, & *legis Æliæ Sentiæ* cautio, & Adriani reſcriptum expenditur. *l. qui ſolvendo* 60. *l. ſi non lex* 80. §. *ult.* junctis *l. ſi is, qui ſolvendo* 55. & 57. *D. de hered. inſtit.* ac de illis multa habet in *Juriſprudentia*, & *Conjecturis.* Nobis tam longe, & extra lineas abire, non vacat.

23 Undecimum tandem, ex eodem Terentio Clemente *libro* 18. *ad leges Juliam, & Papiam*, *in l. unica D. de adempt. lib.* cujus nuſquam, quod meminerim, in accuratis illis notis ad leges noſtras, meminiſſe Jac. Gothofredum demiror, imo nec alios ex eruditis, & quamvis inter fugitivarias recenſeri ea lex poſſit, ſicut *lex* 5. quæ ſola ex eo libro extat, *D. de oper. ſerv.* de qua jam ſupra, *Reliquatione* 11. *ad finem*, atque id ipſum forte agnoſcentes Baſilicorum Concinnatores, non ſub ſpeciali titulo *de ademtione libertatis*, ſed collocarint illam initio tituli, *de ſtatu liberis*, ſive ut ipſi eum inſcribunt, *de his, qui manumittuntur ex die, aut ſub conditione. lib.* 48. *tit.* 5. tamen iſto, & nullo opportuniore loco ad leges noſtras referri poſſe credo; Terentii verba ſunt: *cum libertas lege adimatur, aut pro non data haberi debeat, aut certe perinde obſervari, ac ſi à teſtatore ademta eſſet.* Pro prioribus verbis illuſtrandis, exempla promta ſunt libertatis, lege ademtæ in *Ælia Sentia*, qua libertas adimitur, ſive impeditur (cujus tam ſæpe *ad leges noſtras*, Terentium meminiſſe, diximus) ſervis manumiſſis in fraudem creditorum, *princip. Inſtitut. quib. ex cauſ. manum.* vel in fraudem patroni, ut apud Ulpianum *titul.* 1. *de libertis*, §. *eadem* 15. Caïum *lib.* 1. *Inſtit. tit.* 1. §. *aut ſi libertus* 7. *l. ſi pariter* 9. §. *unde* 2. *D. de liber. cauſ.* vel à minore viginti annis, niſi apud Conſilium cauſa probata §. *eadem* 4. *Inſtit. quib. ex cauſ. manumitt.* & in *lege Fuſia Caninia. de manumiſſis*, ultra numerum ea præſcriptum *princ. Inſtit. de lege Fuſia Canin.* Ulpianus *tit.* 1. §. *ult.* Caïus *tit.* 2. *lib.* 1. *Inſtitut. Paulus lib.* 4. *Sentent. tit.* 14. & *leg. Julia de adulteriis*, in ſervis, quæſtioni ob adulterium obnoxiis, nec manumittendis intra ſexageſimum diem divortii. *l. proſpexit* 12. *cum duobus ſeq. D. qui, & à quibus. l.* 3. *Cod. ad leg. Jul. de adult.* & *in lege Fabia*, de ſervo plagiario, non manumittendo intra decem annos. *l. Lege Favia* 12. *D. de manum. l. in bello* 12. §. *ſed ſi in captivo* 16. *D. de captivis*, quæ poſteriora exempla, ſimul cum illo. *l. ex his verbis* 48. §. *interdum*, *D. de hæred. inſtit.* applicuit explanandæ *dict. l. unicæ*, Accurſius, & poſt eum claſſici alii, & commodius aptantur elucidandæ. *l. etſi non lex* 89. *D. de hæred. inſtit.* At pro Terentii textu propria magis ſunt tria illa *Æliæ Sentiæ* & illud *Fuſiæ Caniniæ*, quia ſunt de libertate, abſolute ademta per legem, non de ſuſpenſa, ſive impedita ad tempus, ut illa *Juliæ de adulteriis*, & *Faviæ de plagiariis.*

24 Ergo in his, & ſi quæ alia exempla ſunt libertatis lege demtæ, Terentii definitio eſt, ut libertas, aut pro non data haberi debeat, aut perinde obſervari, ac ſi a teſtatore ademta eſſet; ea autem ſententia, quam vim habeat, aut quomodo ad *leges Juliam, & Papiam* referenda, non in promtu, aut parato eſt. Et tamen ſi ſententiæ ſolam vim, ſive effectum, & rationem quærimus, non eſt in difficili; quoniam nihil aliud eſt, haberi pro non data, libertatem, quam ipſo jure impediri, etiamſi facto data ſit, ut videre eſt in exemplis ademtæ, *lege Ælia Sentia*, libertatis, & lege *Fuſia Caninia*, in queis & ratio manifeſta, quia quod contra, aut in fraudem legum perfectarum fit, ipſo jure non valet. *l. ſi libertus* 16. de qua late *præcedente Reliquatione*, *D. de jure patr. l. ſive* 61. *D. de jure dot. l. unic.* §. 1. *D. unde vir, & uxor.* Sic enim, & non ſemel, quamvis minus proprie, adimi, & non dari, conferuntur, & confunduntur. *l. Titia* 59. §. *ult. D. de manum. teſtam. l. ſi quis ita* 13. §. *ult. D. de ſtatu lib. l. legata* 14. *D. de adim. leg.* Sed quod adjicitur *in noſtra l. un. perinde obſervari, ac ſi à teſtatore ademta eſſet*, libertas, quamvis referri poſſet ad eum caſum, quo à teſtatore vetitum eſt, ne ſervus aliquis manumittatur, ſive ne ad libertatem perveniat, ut *in l.* 4. §. *in illis*, *Dig. de manumiſſ. l.* 1. & 2. *Cod. qui non poſſ. ad libert. l.* 1. *Cod. ſi ſerv. export. l. ult. Cod. de reb. alien. non alien.* proprie tamen magis exaudiendum, de libertate, ſemel data à teſtatore, & poſtea ademta (nam & hæc ſola proprie ademta dicitur. *dict. l. Titia* 59. §. *ultim Dig. de manum. teſt. l. legatum* 21. *D. de adim. leg.*) in qua theſi, quanquam apud veteres dubitatum, aut definitum fuerit, libertatis ademtionem non valere, tandem tamen obtinuit, valere, & prævalere legatum illius ſervi, cui libertas ademta, ſi ea voluntas teſtatoris fuerit. *l. ſi idem* 14. *de legat.* 2. *l. ſi peculium* 10. §. 1. *D. de manum. teſtam. l. ſi ſervus* 50. *D. de fideicom. lib.* in qua quod in eam rem Scævola laudatur, *& ibidem in Baſilicis* Julianus *lib.* 48. *tit.* 4. *in Scholiis*, referendum eſt *ad l. ult.* §. 1. *verſ. ſecundum*, *D. de vulg. l. ſi ita* 13. §. *regula D. de lib. & poſth.* juncta *l.* 6. §. *ult. D. de hæred. inſtit.* idque ita ſi legatum non ſit relictum ſervo proprio teſtatoris, vel hæredis, in quo libertate ademta, nihil attinet, tractare de legato, ut ſcite ſcriptum *in l. ult.* §. *ult. D. de adim. leg.* quia ipſo jure ſine libertate inutile eſt §. *an ſervo* 32. *Inſtit. de legat. l.* 6. §. *ult. D. de hær. inſtit.* eaque ratione in ſervo, cujus libertas *per legem Juliam de adulteriis* ſuſpenditur, ſive impeditur, ſi aditæ hæreditatis tempore in eo ſtatu ſit, propter libertatem, lege ademtam, & legatum, vel hæreditas ei relicta, nullius momenti ſunt, utpote in ſervo hæredis tunc proprio ſine libertate: de quo proprii ad rem textus, *in l. cum filius* 76. §. *ſervus* 4. *D. de legat.* 2. *l. ex his verbis* 48. §. *interdum*, *D. de hæred. inſtit.* cæterum ſi idem ſervus, cui ademta libertas, alii legatus ſit, prævaliturum legatum, & ſervum legato cedere, expreſſum eſt in *dict. l. ſi idem* 14. *D. de legat.* 2. *dict. l. ſi peculium* 10. §. 1. *D. de manum. teſt. dict. l. ſi ſervus* 50. *de fideicom. lib.* & expreſſum hoc ipſum

In

in ſervo, cujus libertas, *per legem Æliam Sentiam*, impedita fuit, quia in fraudem creditorum erat, nempe ut ali legatus ſit, legatum valeat, *in l. ſervum* 44. *§. ſi idem* 7. *D. de legat.* 1. (ſcilicet, interim, & quandiu actione *Pauliana* creditores non revocant legatum ſervi. l. 1. *l. quod autem* 5. *§. ſi ſervum* 5. *D. quæ in fraudem cred.*) & in eo, cui libertas per *Fuſiam Caniniam* ademta, ut ſaltem legatum ſuſtineatur. *l. ſi quis eum* 37. *D. de cond. & demonſtr.* (de cujus conciliatione cum *l. ſi quis quos* 31. *D. de legat.* 2. ne nos extra rem moremur, ſatis ſit promtuarium Hilligeri, *ad Donell. lib.* 8. *cap.* 16. *litt. C.* & Hilligero non laudatus Cujacius, loco ad rem proprio, & electo *in l.* 3. *§. penult. & ult. lib.* 8. *reſp. Papin. D. de inſtructo, & inſtr. & in dict. l. ſervum* 44. *§ ſi idem* 7. *D. de legat.* 1.) At pro re ſufficit, in his exemplis libertatis, à lege, aut à teſtatore ademtæ, legatum ipſius ſervi, ali relictum, ſuſtineri, ſicut & *in l. cum ita* 9. *§. ult. D. de optione leg. & in l. ſi ſervus* 108. *§. ſervus* 9. *D. de legat.* 1. ubi & elegans rei ratio, *nam cum libertas nullius momenti ſit, abſurdum eſſe, per eam legatum infirmari, quod alioquin valeret, etſi ſolum datum fuiſſet.*

25 His poſitis, neque ex trivio, aut extra viam petitis, ut jam ad Terentium Clementem *in d. l. un.* cum ille, *præcedentibus, & libro* 18. ex quo fere non ſupereſt, niſi *ea lex in* proximis, ac totis ſuis commentariis *ad leges noſtras* frequens fuiſſet, in tractatu *caducorum*, & jam inde *à libro* 4. ex quo ſunt *l. ſi quis ſolidum* 72. *D. de hær. inſtit. l. ſi is, qui* 6. *D. de vulgari. l. non oportet* 52. *D. de leg.* 2. *l. ſed ſi hoc* 62. *§.* 1. *D. de condit. & dem. l. quoties* 67. *D. ad leg. Falc.* & ex *duodecimo, & ſeq l. ſi id, quod* 21. *§. ult. D. de liber. leg. l. ſi cui* 54. *l. ſi mihi* 59. *D. de leg.* 2. *l. ſi ſervus* 82. *D. de acquir. hær. l. delata* 151. *& l. intelligendus* 153 *D. de verb. ſign.* ſuſpicamur reſpicere, ad eum tractatum, quod ſcripſit *in dict. l. un.* libertate, per legem ademta, haberi debere pro non data, ſive, quod idem eſt, pro non ſcripta, & nullius momenti, ac proinde eo ipſo non eſſe caſum caduci, ex regula *l. un. §. & cum triplici. & §. in primo Cod. de caduc. toll. l.* 3. *§. ult. D. de his, quæ pro non ſcript.* quamvis ſi pro defecto libertatis relicto haberetur, pro caduco eſſet, ut in nobili Africani *textu l. in teſtamento* 31. *D. de condit. & dem.* & quod ſignate magis additur *in dict. l. un.* perinde obſervari, ac ſi à teſtatore libertas ademta eſſet, quo caſu non eſſe fiſco, aut caducis locum, conſtabat in legato cum libertate relicto, quia ſi ipſi ſervo proprio legatum erat, manebat pro non ſcripto, apud hæredem, *dict. l. ult. in fine D. de adim. leg.* etſi idem ſervus ali legatus fuerat, pertinebat ad legatarium. *dict. l. ſi idem* 13. *D. de legat.* 2. *dict. l. ſervum* 44. *§. ſi idem* 7. *D. de legat.* 1. *dict. l. ſi peculium* 10. *§.* 1. *D. de manum. teſt.* ac proinde utroque caſu ceſſabant *leges Julia, & Papia.* Atque hæc pro *dict. l. unica* cogitata noſtra, quibus ſi cui probabiliora occurrent, cedimus, & herbam porrigimus.

AD CAP. XIX. EX LEGIBUS JULIA, ET PAPIA.

RELIQUATIO XIX.

De Patroni filio, accuſante capitis libertum paternum.

Ad l. 9. *&* 10. *l.* 11. *l. Divi* 17. *D. de jure patron.*

ARGUMENTUM.

Tribuitur hoc caput legibus *noſtris, ex conjectura inſcriptionum* l. 10. 11. & 17. D. de jure patron. *ubi mentio* legum, *ad noſtras, à* Cujacio *relata; quanquam & ſuſpicari, liceat,* de lege Ælia Sentia, *eoque reſpici* in l. 9. § 1. D. de jur. patron. *At quod ſatis pro re, liquet de ſententia capitis variis ex locis, qui laudantur, & non pertinuiſſe ad patronum, ſed ad patroni filium* l. 33. §. 1. D. de fideicom. lib. *ac præterea additum capiti jus idem in filio, qui in ſervitutem petiit libertum paternum, idque vel* Prætoris edicto, *vel* lege Sentia. *Quia & ſuppletum caput in eo, ut & ab inteſtato hæreditate ſubmotus ſit filius accuſator* l. 11. D. de jure patr. *tam* ex l. XII. tabularum, *quam* ex noſtris, *tametſi iſtarum illic non expreſſa mentio. Jam & origo, & ratio hujus capitis, accerſita ex* lege Romuli, *de patronorum erga clientes tutela, & ut qui illis fraudem innexuiſſent,* Dis *inferis devoverentur. Fuit veluti acceſſio hujus capitis, ſectio* d. l. 9. §. 1. D. de jure patron. *de patrono capitis damnato, ſcilicet, cui pœna, mors, aut interdictio aquæ, & ignis, ſeu deportatio, juxta* d. l. 10. *quæ & huc referenda,* §. 1. *qui & eo ipſo excluditur à ſucceſſione liberti,* ex lege Papia, *ut* Cujacio *creditum. Inde & curſim quæſitum, de patroni interdicti, aut deportati filiis, an & his pereat jus libertorum; in quo pridem* Salmanticæ *diſtinximus priſcam interdictionem, de qua* Alphenus, in l. 3. D. de interd. & releg. *à deportatione, de qua* Paulus in l. 4. §. 2. D. de bon. lib. *tametſi quoad filios patroni perduellionis, aliter poſtea,* Cujacio *aſſentientes, & nobis alii, pro* l. 4. D. de jure patron. l. 1. Cod. de bon. lib. l. 9. D. ad leg. Jul. Majeſtatis.

1 Adſcribitur hoc caput, & quod eo cautum, legibus noſtris *Juliæ, & Papiæ*, à Cujacio, *ad tit. Cod. de bon. lib.* & fere à Fr. Balduino, *de lege Papia, pag.* 139. quos & nos ſecuti, *in Academicis aſſertionibus.* Conjecturæ ſumuntur ex inſcriptionibus *l.* 10. 11. *&* 17. *D. de jure patron.* quæ ſunt ex libris Juriſconſultorum *ad leges noſtras*, & quia *in dict. l.* 17. cum de re agitur, leguntur verba illa: *neque verbis, neque ſententia legis*, quæ *ad Juliam*, vel *Papiam leges*, ad quas Ulpianus illic ſcribebat, reſpicere creduntur; & tentari tamen poſſet, reſpici ad *legem Æliam Sentiam*, quæ in ejuſmodi patronorum pœnis frequens fuit, etiam ex levioribus cauſis, & quam *in libris ad leges noſtras*, cum illis jungere, & conferre Juriſconſulti ſolent, ut proxima 18. *Reliquatione* non ſemel diximus, *ad leg. Julianus* 37. *D. de bon. lib.* ut & proinde ad *Æliam Sentiam* referatur mentio legis, apud Modeſtinum *lib.* 9. *Regularum, in l. filii* 9. *§.* 1. *D. de jure patron.* aſt cum nihil interſit, utri legi tribuatur, nihil etiam cauſæ, cur noveınus.

2 Sententia legis fuit, ut patroni filius (loquimur autem vel in hoc aditu, de patroni filio, quia eum, non autem patrem patronum pœna legis hoc capite comprehendit, ut evincitur *ex l. ſi filius* 33. *§.* 1. *in fine, D. de fideicomm. lib.* juncta *l. ult. & l. ſi filius* 42. *in verſic. ſic dictum eſt, D. de bon. lib.* & agnovit pridem Accurſius *in l. eum patronum* 10. *D. de jure patron.* ubi *patroni* nomen exaudit, *de filio patroni*) quia cum major viginti quinque annis eſſet, libertum paternum capitis accuſaverit, à ſucceſſione ejus liberti excludatur; eique legi obſecundantia Prætoria edicta, eumdem patroni filium à bonorum poſſeſſione contra tabulas ſubmoverunt. Adjecere etiam, & expreſſere, ut perinde ſubmoveretur, ſi libertum paternum in ſervitutem petiiſſet; idque ſubintulere vel ex legibus noſtris, quaſi in ſervitutem petitio, non diſſimilis rationis ſit ab accuſatione capitis, utpote cum per eam caput, ſeu ſtatus Civitatis, & libertatis impetatur *d. l. eum* 10. *§.* 1. *D. de jure patr.* ſive ex *Ælia Sentia*, cui ſicut probabiliter tribuitur jus accuſationis ingrati liberti, & retracta-

tionis ejus in ſervitutem *l. ſciendum* 70. *D. de verb. ſign. l. ſi quis* 30. *D. qui, & à quib.* ita neque improbabiliter, ut patroni filius, qui calumnioſe in ſervitutem petiit, patronatu cadat. At utcumque hoc ſit, pertinent ad hoc *caput textus in d. l. filii* 9. §. 1. *l. cum patronum* 10. cum *l. ſeq. l. Divi* 17. *in princ. & §. ult. D. de jure patron. l.* 3. §. *ſi capitis* 9. *l. qui cum major* 14. §. *per totum. l. in ſervitutem* 16. §. *ſi patronus* 4. *l. Paulus* 47. §. 1. *l. quæro* 48. *l. ultim. D. de bon. lib. l. ſi filius* 33. §. 1. *in fine, D. de fideicom. lib. l. tutorem* 22. *in princ. D. de his, quæ ut indign. l. ſed ſi hæc* 10. §. *ſin autem* 11. *Digeſt. de in jus voc. l.* 5. §. *ſed & patroni* 23. *Digeſt. de agnoſc. lib.*

3 Propoſitæ capitis ſummæ conſequens fuit, ut neque ab inteſtato ad legitimam hæreditatem liberti admittatur ejuſmodi accuſator, ut *ad legem Juliam, & Papiam lib.* 10. Ulpianus adnotavit, *in l. is autem* 11. *D. de jure patr.* ubi & adnotaſſe, non admittendum eum ipſum ad hæreditatem liberti centenarii, vix dubitabile eſt, quamvis à Triboniano omiſſum, ut alia pleraque *legis Papiæ* in hoc tractatu veſtigia, poſt magnam illam Juſtiniani conſtitutionem, quæ ſuppletur *ad finem tit. Cod. de bon. lib.* & vero communis ratio hujus conſtituti, & pœnæ (cui in cognatis, cognatos accuſantibus locus non fuit *l.* 6. *D. unde cognati*) in patroni filios, & origo fuit vel ſpecialis, in ſucceſſione ex lege XII. tabularum; namque & ex eiſdem legibus veluti ortum jus patronale, cum obligatione, libertos tuendi, ad inſtar clientum ex plebe, qui in patrocinio nobilium erant (unde & in libris juris, clientes cum libertis junguntur *l.* 2. §. *ultim. cum l.* 3. *Digeſt. de uſu, & habit. l.* 5. §. 1. *Digeſt. de his, qui dejecer.* junge inferioris ævi ſcriptorem, nec tamen ineruditum Sareſberienſem in *præfat. Polycratici*:

Jure patronatus illum cole, qui velit eſſe,
Et ſciat, & poſſit tutor ubique tuus)

Et orta ſimul, derivataque è lege Romuli ad XII. tabulas in patronos, qui clientes fraudaſſent, vetus pœna, ut Diis Inferis ſacri haberentur, atque ita occidi impune poſſent, juxta illam priſcam legem, *patronus ſi clienti fraudem faxit, ſacer eſto*, apud Servium *ad Virgilianum illud* 6. *Æneid. Aut fraus innexa clienti.* Dionyſ. Halicarn. *lib.* 2. Agell. *Noct. Atticar. cap.* 13. *& lib.* 20. *cap.* 1. Plutarcho, *in Romulo.* Inde itaque & ratio mulctandi legibus noſtris, ſaltem jure patronatus, eum patroni filium, qui libertum paternum, quem tueri debuit, capitis calumnioſe accuſaſſet.

4 Atque hactenus ſententia, & ratio hujus capitis, legibus noſtris adſcripti; ultra non pergimus, pro enarrandis locis, huc pertinentibus, & *ſupra* laudatis, qui nec enarratore egent, certe non accurato, & qui ad alia properet, ut nos properamus. Id ſaltem teſtatum relinquimus, pro explicanda Ulpiani, *ad leges noſtras*, & ad hoc caput, diſputatione, *in l. Divi* 17. *D. de jure patron.* aſſentiri nos Jacobo Cujacio, qui erudito, ut ſolet, criterio, conturbatum contextum illum, & ejus ſeriem animadvertit, corrigit, & exponit *libr.* 4. *Obſervat. cap.* 13.

5 Non tamen abſtinemus, utcumque feſtinantes, à ſectione illa *l. cum patronum* 10. §. 1. *D. de jure patr.* qua expreſſum eſt, ad excludendum à contra tabulas patroni filium, qui libertum capitis accuſavit, ut ſcriptum *in princip. ejuſdem l.* 10. capitis accuſationem eam videri, cujus pœna mors, aut exilium eſſet, quomodo & definitur *in l.* 2. *Dig. de publ. judic. l.* 2. *D. de pœnis l.* 4. *D. ſi quis caution. l. licet* 103. *D. de verbor. ſignif. l. edicto* 13. *Dig. de bonor. poſſeſſ.* comprehenſis exilii nomine, interdictione aquæ, & ignis, & deportatione, ut in *d. l. edicto* 13. *d. l. in princ. & §.* 1. *D. de pœnis l.* 3. *D. ad leg. Jul. pecul. l. qui cum* 14. §. *is demum* 3. *D. de bon. lib.* Ea autem definitio, quamvis proprie referatur ad filium patroni, capitis accuſantem, *in dict. l.* 10. §. 1. pertinere tamen eodem ſenſu ad patronum ipſum, capitis damnatum; ut ſcilicet ille intelligatur, cujus damnatio mors, aut exilium fuit, qui & eo ipſo excluditur à ſucceſſione hæreditaria, vel per contra tabulas liberti, ut in præcedente *l. filii* 9. §. 1. *Dig. de jure patron. dict. l. edicto* 13. *D. de bonor. poſſeſſ.* niſi in integrum reſtitutus à Principe ſit *dict. l.* 9. §. 1. *dict. l.* 13. *l. ſive* 21. *D. de jure patron. l.* 1. §. *qui operas* 6. *Digeſt. ad Senat. Conſul. Tertyll.* Porro & hanc excluſionem patroni, capite damnati, inductam, ſive proditam fuiſſe *lege Papia*, quæ & ſignificetur, legis nomine, *in dict. l. filii* 9. §. 1. ut aliàs ſæpe, juxta notata ſupra *libr.* 1. *cap.* 3. ac deinde Prætorio edicto, ut in *dict. l. edicto* 13. non temere ſupponit illic Cujacius *in Recitat.* & *ad titul. D. de jure patron. & tract.* 5. *ad Afric.*

Ei poſito juri proxima diſquiſitio eſt, an damnato capitis patrono, veluti interdicto aqua, & igni, aut deportato, pereat filiis jus libertorum? In qua nos pridem cenſebamus, in *Academicis aſſertionibus, prælo datis Salmanticæ, ad annum* 1643. (quamvis apud noviores juris auctores ſæpe deportatio, & interdictio pro eiſdem fere uſurpentur; ut *in l.* 1. §. *hi, quibus. Dig. de legat.* 3. *l. ſunt quidam* 17. §. 1. *D. de pœn. l.* 1. *Cod. de repud. l. res uxoris* 24. §. *ultim. Cod. de donat. inter.* idque ex eo, quia deportatio interdictioni ſucceſſit *l.* 2. §. 1. *Dig. de pœnis*, trahatur etiam ad leges, deportatione antiquiores, ut obſervare licet, in *l.* 3. *D. de leg. Jul. pecul. l.* 1. §. *ultim. & l. ultim. D. de lege Cornel. de falſis.*) fuiſſe tamen inter alias priſcæ interdictionis aqua, & igni, & deportationis non ignobiles, nec vulgatas tunc differentias, derivatas ex utriuſque origine, juxta quam interdictio fuit veluti voluntarium exilium, permiſſum, & quodammodo electum magis, quam imperatum, & cujus vi non tam adempta directo bona, aut Civitas, quam relicta in aliam urbem migratione, & receptione; & e contra deportatio, involuntarium, & imperatum exilium, adempta Civitate, & bonis deportatos Inſula includens, (quæ ſingula eruditis liquida, & ſi vacaret, firmari liquido poſſent) & cenſebamus, ut dicere cœpimus, interdicto patrono, aqua, & igni periiſſe filiis jus libertorum, quia interdictus non tam pro mortuo (utpote quem morte plecti, ſeu cui vitam adimi, *leges Valeria, & Portia* prohibebant, de queis Livius, Cicero, Salluſtius *locis notiſſimis*) quam pro alio, ſive alterius Civitatis cive *l. ult. D. de legation. l.* 4. §. 1. *l.* 6. §. *ult. D. de captiv. l. ſi quis tutor.* 15. *D. de tutel.* à quo ad filios Romanos cives nihil jure potuit pervenire, id, quod ſic ex antiqua, & ſtricta juris diſciplina cenſuit Alphenus Varus, antiquus juris auctor, & fortaſſe ante inductum uſum deportationis, & perrogatas *leges Juliam, & Papiam*, ſcribens, *in l.* 3. *D. de interd. & releg.* quanquam eiſdem coætaneus *l.* 2. §. *ab hoc* 44. *D. de orig. jur.* è contra deportato patrono, non perire filiis jus patronatus, atque imo potius in eo ſuccedere, quia deportatus pro mortuo habetur, conſtat ex *l.* 4. §. *ſi deportatus* 2. *D. de bon. lib.* juncta *l.* 1. §. *filium* 8. *D. de bon. poſſeſſ. contr. tab. l. ſi pœna* 7. *D. de his, qui ſui, vel al. jur. l. Gallus* 29. §. *& quid ſi tantum* 5. *D. de lib. & poſth. l. ſed ſi hæc* 10. §. *ſed ſi* 6. *D. de in jus voc.* quomodo conciliandum diſſidium, alioquin evidens, *dict. l.* 3. *D. de interd. & relegat.* ex ſenſu, & ſæculo Alpheni, cum Paulo *in dict. l.* 4. §. *ſi deportatus* 2. *D. de bon. lib.* 6

Aſt hæc nos Scholiaſtice, & diſtincte magis in *Aſſertionibus*, quarum meminimus, tametſi extra Academiam, & pro explanandis in filiis patroni damnati perduellionis, aut Majeſtatis, de queis in *l.* 4. *D. de jure patron. l. eorum* 9. *D. ad leg. Jul. Majeſt. l.* 1. *Cod. de bon. lib.* Cujacio, & aliis ſubſcripſimus in libello, *de Epiſcopat. Portug. propoſit.* 4. *numer.* 180. eoque laudato, noſter Reteſius *lib.* 2. *de Interd. ad Alphenum in dict. l.* 3. 7

AD

AD CAP. XX. EX LEGE JULIA.

RELIQUATIO XX.

ET BREVES NOTÆ,

Ad leg. 6. & l. 15. D. de jure patron. l. penult. & ultim. D. qui, & à quibus.

ARGUMENTUM.

S*Umma hujus* capitis (*& cur de eo ſummatim tantum*) *fuit*, *ſi patronus juramento adigat libertum, libertamve ad matrimonium, permitti* ex lege Julia *juramentum*, *ſive*, *quod idem eſt*, *remitti*, *accepto ſic verbo*, permittitur, in l. 6. §. ult. D. de jur. patron. *ubi & proprie illuſtratus ſenſus*, *& ratio illius adjectionis*, *ſi matrimonium contrahere recte velint*; *ut* in l. 3. §. 5. D. de ſuis, & legit. *& apud* Licinium Ruffinum, *& alibi*. *Jam qua auctoritate* lex Julia *jusjurandum remittat*, *& an ab* Auguſto *ejus auctore*, *tanquam* Pontifice Maximo, *utcumque non deſit*, *qui ſic cenſuerit*, *affirmatur potius*, *id factum ſuprema auctoritate politica*, *cujus curæ*, *& poteſtatis fuit*, *providere*, *ne libertas matrimoniorum*, *& libertorum*, *juramento arctaretur*, *& quod magis eſt*, *fuit etiam* Prætoriæ, *ut in aliis*, *ex* libris juris, *exemplis*; *ſive quia & potuit* lege Julia *remitti jusjurandum*, *oppoſitum publicæ utilitati*, *nuptiarum frequentiæ*: *de quo & alia juris exempla*. *Addita in patronum*, *juramenta adigentem*, *& liberos ejus pœna*, *ut patronatu excidant*, *idque* lege Ælia Sentia, *quæ ſucceſſit*, *non præceſſit* Juliam, de maritandis (in *quo lapſus* Gotofredi, *& aliorum*) *& cur ſeverior* Sentia, *quam* Julia. *Elucidantur* l. 6. §. 1. D. de jure patron. & l. ult. D. qui, & à quib. *conciliantur* l. 15. D. de jure patr. cum l. 8. §. ult. Dig. de in jus voc. *Exponuntur itidem* l. 3. §. 5. D. de ſuis, & legit. cum l. penult. D. qui, & à quib. & l. 6. §. penult. D. de jure patr. l. 62. §. ult. D. de condit. & dem.

1 NOn egredietur Reliquatio noſtra, *ad hoc caput*, & laudatos textus (quamvis ſint ex Juriſconſultorum *libris ad leges Juliam*, *& Papiam*) notarum modulum, quia laborioſe, & plene de re tota ſcripſit, noſter olim in Salmanticenſibus Cathedris conſors, Ferdinandus Arias Meſa *lib.* 3. *Var. Reſ. cap.* 30. *ad* 34. tam ad ſcholæ uſum, quam fori, (cum tamen iſti, properata hæc reliquationum opera ſervire nequeat) ſimulque noſtri genii non ſit, alius dicta, aut dictata compilare, aut ſcribere.

2 Fuit itaque *legis Juliæ* ſumma in hoc capite, ne patronus jurejurando adigat libertam, ne nubat, libertum, ne uxorem ducat; ſi ſecus faciat, jusjurandum ea lege, *permittitur*, ut legitur in omnibus codicibus, *in l. 6. §. ult. D. de jure patr.* & legendum eſſe, accepto tamen verbo, *permittitur*, pro *remittitur*, monuit primus Cujacius *lib.* 21. *Obſerv. cap.* 29. atque ei ſubſcribentes eruditiores. Fuit itaque per legem facta gratia jurisjurandi, & matrimonii contrahendi, ſub ea tamen cautione, *ſi matrimonium contrahere recte velint*, ut ſcribitur *in dict. l. 6. §. ult.* ſive non illicite, ut legitur *in l. 3 § ſi quis libertam 5. in princ. D. de ſuis & legat.* adeſt juſte, & ſecundum *leges Juliam*, *& Papiam*, quomodo eiſdem legibus caveri, & exprimi ſolet, ut *in l. ultim. D. de ſtatu lib.* illic: *& ea ex lege nupſerit. l. qui libertinus* 37. §. *poſthumus* 7. *verſ. ex lege*, *D. de oper. lib. l. filio* 48. §. 1. *D. de ritu nupt.* Non enim *Julia lex*, jurisjurandi gratiam facit, ut contra eam libertus, major ſexagenario, aut liberta, major quinquagenaria matrimonium ineat *l. ſancimus* 27. *Cod. de nupt.* neque ad injuſtum matrimonium proficere indulgentia legis debet, ex ratione, & regula Ulpiani *tit.* 16. §. *aliquando*, *& ſeq. & tit.* 25. §. *ſi quis in fraudem* 17. *l. un. D. unde vir*, *& uxor*; ſed ut contrahatur *recte*, id eſt, *pro liberis quærendis ſecundum leges Juliam*, *& Papiam*, ut Paulus ſcribit apud Licinium Ruffinum *in collat. leg. Moſ.* & cum obteſtatione illa, ſeu ſacramento, de matrimonio procreandæ ſobolis gratia *l. 2. Cod. de indicta viduit.* de quo nos plura alias, nunc autem hæc ſtrictim, pro illuſtrandis verbis illis extremis, *dict. l. 6. §. ultim.* quæ vix adhuc luſtrata.

3 At qua auctoritate *lex Julia*, & illius auctor Auguſtus, de jurejurando, & illius nexu, dum remittit, ſtatuat, re, vel apud ethnicos, habita pro ſacra, & religioſa, & quæ non tam legum, aut Principum, quam Pontificum judicii eſſet, juxta vulgatum illud Plauti *in Rudente*: *Tu ne meo Pontifex perjurio es?* quanquam & dubitavere Accurſiani, & ex Academicis noſtris non defuit qui cenſeret, ſtatuiſſe ita Auguſtum, tanquam Pontificem Maximum (ea ſcilicet dignitate, & titulo, quo *Pontifices vocabantur illi*, *quibus ſceptra collata erant*, ut Ennodius, vulgo illaudatus, ſcripſit, *in Panægyrico ad Theodoricum*) tamen cum ſit pro liquido, Auguſtum, quo anno lata *lex Julia de maritandis ordinibus*, qui fuit ab U. C. 736. nondum potitum, functumve fuiſſe Pontificatu Maximo, ut oſtendimus ex Suetonio, Dione, & Seneca in his commentariis *lib.* 3 *cap.* 41. ne utamur in re antiquis teſtata, novis Chroniſticis; quibus noſter Meſa utitur, *dict. lib.* 3. *cap.* 32. *n.* 10. fatendum eſt, ſtatuiſſe ita Auguſtum, ſuprema auctoritate politica, ſive quia jusjurandum illud habuit, ut loquitur, pro *adacto*, *& impoſito*, & pro onerata eo ipſo libertate liberti, aut libertæ, in re, quæ vel maxime libera eſſe debuit, cujuſmodi ſunt matrimonia *l. invitam* 28. *D. de ritu nupt. l. neque ab initio* 14. *C. de nupt. l. 2. Cod. de inutil. ſtip. l. Titia* 134. §. 1. *D. de verb. obl. l. Titia* 71. §. 1. *D. de cond. & dem.* quam tamen libertatem onerari, vel in re leviore, ut jurejurando de dono, munere, atque operis, & in his, non niſi certo tempore, & modo, Prætores non permiſere *l. ut jurisjurandi* 7. §. *jurare* 2. *l. qui libertinus* 37. *D. de oper. lib. l. ult. D. de liberali cauſa*, & de jurisjurandi pro operis vi, & nexu, & quos quando obligaret, ſtatuere, Prætoria auctoritate, tanto minore, quam Auguſti, & legum *l. nullum* 10. *D. de obſeq. l. ſi quis pro eo* 56. *D. de fidejuſſ. l. ſervum* 36. *de manum. teſt. l. Stichus* 24. *D. de ſtatu lib. l. & per jusjurandum* 13. *Digeſt. de acceptil. l.* 3. §. *ſi quis abſentem. D. de confeſſ.* de queis ſingulis ſupra *Reliquatione* 9. ubi de juramento, de operis. Sive ſi cui fortaſſe hæc ratio, ut nova, minus placebit, quoniam certum, receptumque eſt, & ut agnoſcimus, potuiſſe politica auctoritate remitti jusjurandum, utpote oppoſitum, & impeditivum publicæ utilitatis, frequentiæ nuptiarum, & ſobolis, cui *lex Julia* ſtudebat *l. hoc modo* 64. §. *ult. l. cum tale* 72. §. *ſi arbitratus* 4. *D. de condit. & demonſtr.* junctis vulgatis ad rem locis, & regulis *l. ult. D. ad municip. l. ult. D. qui ſatis d. cog. l. ſi quis inquilinos* 112. §. *ult. D. de legat.* 1. *l. juris gentium* 7. §. *ſi paciſcar.* 14. *& §. & generaliter*, *D. de pactis l. quæ ſub conditione* 8. *& §. ult. D. de jurejur. l. non dubitamus* 20. *D. de cond*, *& dem. l. 2. Cod. de indicta viduit. l. non dubium* 5. *Cod. de legib. l. ult. Cod de non numer. pec.* de queis plura, & poſt plures Meſa, & quibus addi perplura poſſent, ut *Novella* 51. *ſcenicas. cap.* 1.

Non pergimus, affirmamuſque, ſecutam fuiſſe & ſuccedaneam *legi Juliæ*, *legem Æliam*, qua ſtatutum, ſi patronus jurejurando adegiſſet libertam, ne nuberet, libertum, ne uxorem duceret, ut patrono, liberiſque ejus in bonis liberti nihil juris eſſet. Sic Paulus *libro* 2. *ad legem Æliam Sentiam*, *in dict. l. a-* 4

digere 6. & libro 8. ad Juliam, & Papiam, in l. qui contra 15. D. de jure patron. & Terentius Clemens *lib. 5. & 8. ad leges noſtras, in l. penult. & ult. D. qui, & à quib.* Queis adſtipulatur Ulpianus, *in l. 3. §. ſi quis libertam 4. D. de ſuis, & legit. & in l. adoptivum 8. §. ult. D. de in jus voc. Julianus* in *l. communi 24. D. de bon. lib.* ſed, ut in primis poſuimus, (utcumque Paulus, cum ad *legem Æliam Sentiam* ſcriberet, *in dict. l. 6.* illius, antequam *Juliæ*, meminerit, eoque ipſo, anſam errandi aliis dederit) fuit tamen *Julia* prior, & ſecuta, ac ſuccedanea *Juliæ Ælia Sentia*, non autem hæc anterior, præcedenſve, ut ſupponit Jac. Gothofredus *ad leges noſtras, in notis pag.* 330. (quem, alioquin Chronologiæ juris ſcientem, oſcitaſſe in hac re, miror) ſicut & gratis, noſter Meſa *lib. 3. cap. 30. num. 1. & 2.* cum tamen exploratum ſit, latam fuiſſe poſteriorem *Juliam, de maritandis ordinibus anno U. C. 736.* & decem poſtea *annis U. C. 756. Æliam Sentiam*, Sexto Ælio Catulo, & C. Sentio Saturnino, Coſſ. ut monuimus ſupra *Reliquatione 18. pro l. Julianus 37. D. de bon. lib.* ubi & animadvertimus, duriorem, ſeverioremque ſe exhibuiſſe patronis *Æliam Sentiam*, utpote quos, ſimul cum liberis, patronatus amiſſione mulctaverit, cum tamen *Julia lex* præcedens, ſatis habuiſſet, jusjurandum remittere, atque ita etiam exacerbaſſe pœnas in aliis capitibus *Æliam Sentiam*, exigentibus ita fortaſſe patronorum exceſſibus.

5 Duo adhuc prætermiſſa, & facilia explicatu. Primum, quod ex Paulo *libro 8. ad leges Juliam, & Papiam*, proponitur *in l. qui contra 15. D. de jure patron.* eum, qui ad jurandum adegerit libertum, nihil juris habere, nec ipſum, nec liberos ejus, non pugnare, cum eo, quod ex Juliano, contra Celſum, Ulpianus docet, in *l. adoptivum 8. §. ult. D. de in jus voc.* ſi patronus contra *legem Æliam Sentiam*, jurejurando libertum adegerit, poſſe patronum vocari à liberto in jus, ſine venia, cum è contra filius ejus, quaſi innocens non vocetur; non, ut diximus, pugnant, quia diſtinguendum eſt inter jus obſequii, ſeu non vocandi in jus ſine venia, quod conſervatur filio patroni, tanquam innocenti; & quidem ex Sententia Juliani, qui contra Celſum, & Proculum, benigne pro innocentibus filiis cenſuit, *in dict. l. a. l. adoptivum 8. §. ult. ut & in l. Divi 17. in fin. & §. ult. D. de jure patron.* & jus ſucceſſionis liberti adacti, de quo accipiendus Paulus, *in dict. l. qui contra 15.* juxta *l. communi 24. D. de bon. lib. l. 3. §. ſi quis libertam 5.* in *ſine D. de ſuis, & legit.*

Secundum eſt, quod traditur *in dict. l. 3. §. ſi quis libertam 5. verſ. ſed ſi patronum*, qui libertum juramento adegerit, ne intra certum tempus uxorem ducat, ſive ut non aliam, quam de qua patronus conſenſerit, aut non niſi collibertam, aut cognatam patroni, incidere in *Æliam Sentiam*, & ab hæreditate liberti excludi; utcumque generaliter rectum ſit, tamen exaudiendum cum temperamento, niſi ſcilicet, juxta ex cauſa adegerit patronus libertam, ne intra certum tempus nubat, veluti, ne deſit filiorum impuberum educationi, quia non tam viduitas injungi, aut nuptiæ impediri, quam liberis proſpici, cenſendum eſt; quæ ſpecies ſunt *l. penult. D. qui, & à quib. l. ſed ſi hoc 62. §. ultim. D. de cond. & dem.* utraque ex Terentio Clemente *ad leges Juliam, & Papiam*, & pertinentes ad tractatum, de conditione ſi non nupſerit, ubi & enucleandæ, ſi Deus volet. Idque ipſum eſt, ſi juſta alia cauſa ſit pro juramento, veluti ſi ipſe libertam, ut ſi nubat, juramento adegerit, patronus vere eam ducturus *dict. l. adigere 6. §. penult. D. de jure patron.* Non enim incidit in *Æliam Sentiam*, quamvis invitam ducere non poſſit *l. invitam 28. de ritu nupt.* 6

AD CAP. XXI. EX LEGE PAPIA.

RELIQUATIO XXI.

De derogatione legis Voconiæ *per* Papiam, *in matre, ter enixa.*

ARGUMENTUM.

UT *mulieribus, quæ ter peperiſſent, capere ex bonis cenſi liceret, ultra quadrantem* legis Voconiæ, *cautum hoc capite* Papiæ legis, *in eoque illi derogatum. Sic ex* Dionis *collatis, & intellectis, cenſus idem, qui poſtcentenarius. De* Voconia lege *carptim, emendato* Pauli *loco* 4. Sentent. tit. 8. §. 2. *An ad* Voconiam *referenda* l. ult. §. 1. D. de cond. & dem. l. 137. l. 141. D. de V. S. *Tentatum id in aliis* Ant. Auguſtino, *ſed pertinent potius ad* Papiam, *ut* & l. 8. & 9. de bon. proſcr. in Cod. Theodoſ.

1 CEnſemus & hoc caput, inter illa *legum noſtrarum*, de præmiis liberos habentium. Ejus ſententia fuit, ut mulieres, quæ ter peperiſſent, liceret ex bonis cenſi, capere ultra quadrantem, *lege Voconia* ſtatutum. Sic colligere eſt, ex Dione *lib. 56.* (quamvis id Dionis aſſertum, ut incompertum, in medio relinquat Vertran. Maur. *de Jur. Lib. cap. 13. in fine.*) At Dionis aſſertum eſt, *dict. lib. 56.* poſt Orationem Auguſti pro *lege Papia*, ſolutas fuiſſe quaſdam mulieres *lege Voconia*, prohibente, ne qua mulier poſſet hæreditatem adire, *ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριάδας*, *ſupra viginti quinque millia ſeſtertiûm*, qui faciunt quadrantem bonorum illius, qui cenſus dicitur, ſive, quod idem eſt, qui centum millia ſeſtertiûm in bonis habet, ut Aſconius expoſuit, & quem *lex Papia*, ſive ad ea ſcribentes Juriſconſulti, centenarium dixere, ut prænotavimus *Reliquat. 17. num. 1.* Jam quoad mulieres, *lege Voconia* exſolutas, idem Dio *lib. 55. in princ.* ubi de Livia, jure trium liberorum donata, exprimit, jure illo comprehendi, ut etiam ſteriles, eo donatæ, capiant relicta ex teſtamento morientis, tanquam ſi tres liberos peperiſſent. Addimus diſcentium uſui, ſicut *Voconia lex* illo capite, & aliis frænos cupiditati mulierum injecit, & earum hæreditates coërcuit, ut vel ex noſtris Juriſconſultis liquet, Paulo *lib. 4. Sentent. tit. 8. §. fœminæ*, juncto, & illius textu, addita negatione, correcto *ex collatione L. Moſaic. & Rom. tit. 16. §. Paulus in fine*; & ex aliis, Franc. Balduinus *ad leges, in Comment. de Voconia.* Anton. Auguſtinus, & reliqui, Romanarum legum collectores, *in eadem Voconia.* Ita *leg. Papiam noſtram*, in gratiam ſobolis, & liberorum, indulſiſſe mulieribus, quæ ter peperiſſent, ut exſolutæ *lege Voconia* ſolidum caperent, ſive etiam ultra quadrantem, ex bonis cenſi, quocirca, quamvis non deſint bene creduli, qui *ad Voconiam* referant, & quidem tanquam obſervantes *l. Codicillis 18. §. 1. D. de ann. leg. & l. qui concubinam 29. §. cum ita, D. de legat. 3.* cum tamen non ſit, unde colligant, agi his locis, de bonis cenſi, & præterea referri *ad Voconiam* poſſit, quod exſtat *in l. ſi vir 61. §. 1. D. de cond. & dem.* (accepta maris appellatione, pro fœmina, ut non ſemel neceſſe eſt, & Ant. Auguſtinus de his, & aliis locis ſenſit, *in cap. de lege Voconia*) & in *l. ter enixa 137. l. etiam 141. D. de V. S.* quanquam cum ſint ex libris *ad leges Juliam, & Papiam*, & proprie eſt, ut magis ad illas referantur; quomodo & ad *Papiam legem* pertinet, & *in Academicis noſtris aſſertionibus, inter appendices*, relatum, quod de matre, jus liberorum habente, ſive trino partu fœcunditati publicæ gratioſa, ſcriptum eſt *in l. 8. & 9. C. Theod. de bon. ſcriptor.* de queis tamen opportune magis ad Ulpianum *tit. 16. regular. §. aliquando*, ubi & alia de jure liberorum.

AD

AD CAPUT XXII. ET XXIII. EX LEGE PAPIA.

RELIQUATIO XXII.

De Veſtalibus Virginibus.

ARGUMENTUM.

DE Veſtali *virgine capienda, & ut ei eſſet jus trium liberorum, fuere duo hæc* capita legis Papiæ, *teſte* Agellio *non ſemel; in quo pro* Papia, Pompiliam *obtrudit, levi conjectura* Ræv ardus, *cum pro* Papia *ſint* Dionis, *&* Suetonii *loci, qui expenduntur, neque obſiſtant* Plutarchi *verba, dextre intellecta.* Auguſti *de* Veſta, *&* Veſtalibus, *non pauca addita, & adaucta. Illud ex priſcis* Numæ *inſtitutis, ut* Veſtalis *teſtari, etiam vivo patre, & adminiſtrare ſua poſſet, ſine tutore, & ut è jure patrio exiret, ſine emancipatione, & capitis minutione, & ut* Veſtalis *non eſſet cuiquam inteſtato hæres. Sed hæc ex* priſco jure, *& ante* Papiam, *poſtquam, jure liberorum eis dato, compotes fuerunt hæreditatis, & legati,* Theodoſium *uſque, ut ex* Symmaco *liquet, quo vix viſo, aliud ſciolis viſum. Illuſtratus* Labeo, *& capita apud* Agellium, Ulpianus titul. 10. §. ultim. *& ex his*, l. 3. §. ultim. D. de S. C. Macedon. l. 2. §. 4. D. quando de pecul. actio. l. 2. §. 1. D. quod cum eo.

1 SUnt ejuſdem claſſis, & cenſus duo capita, quæ & proſcripſimus, junximuſque in *Salmantinis aſſertionibus*, & recenſentur à Balduino, Vetranio, Lipſio, & aliis. Prius caput fuit, de more legendæ, ducendæ, capiendæ virginis Veſtalis. Secundum, ut Veſtali virgini, ſacra rite facienti, eadem præmia, & commoda eſſent, quæ trium liberorum matribus. Utrumque adſcribit *Papiæ legi* Agellius *lib.* 1. *Noct. Attic. cap.* 12. juxta certam, receptamque lectionem, quam temere de mendo ſollicitat, & pro *Papia*, *Pompiliam* ſubſtituit Rævardus *lib.* 3. *Conjectan. cap. ult.* idque inter conjectanea ſua locat, cum tamen, ante illum, id conjectatus tentanter, non fidenter, Antoo. Auguſtinus *ad Romanas leges*, ubi *de Pompilia.* Aſt pro *Papia*, ſtat Agellii textus, ter *Papiam* nominans, *dict. cap.* 1. & quoad jus liberorum, datum Veſtalibus, Dionis locus *lib.* 56. ubi ſub ipſam Auguſti, pro ferenda *lege Papia*, orationem, adjicit: *Et iis, quæ perpetuam virginitatem ſervarent, eadem, quæ matribus, præmia largitus eſt*; conducit, & fere concinit Suetonii locus, fortaſſe nondum expenſus, *in Auguſto cap.* 31. illic: *Sacerdotum & numerum, & dignitatem, ſed & commoda auxit, præcipue Veſtalium virginum*, ubi quæ *commoda* dicuntur, ſunt ipſa præmia, propter liberos, ex *lege Papia*, quæ proprie dicta *commoda*, ut apud Juvenalem *in Satyris*, eumpſe Suetonium *in Claudio*, *cap.* 59. & alibi ſæpe. Neque aliorſum ducere Rævardum debuere Plutarchi verba, *in Numa*, non enim exprimunt, datum Veſtalibus à Numa jus liberorum, ut fere accepit Lipſius, *Syntagm. de Veſta*, *cap.* 11. ſed ut teſtari, & ſine tutore res ſuas gerere poſſent, *ſicut quibus tres ſunt liberi*, verbis Græco reſpondentibus, & innuentibus id jus, quod Plutarchi ævo, erat *ex lege Papia*, neque ad Numæ ætatem referendis. Nunc autem & de more capiendarum Veſtalium, quamvis pleraque Numæ tribuantur, tanquam auctori Veſtæ templi, & Veſtalium Sacerdotii, ut ante Plutarchum Dionyſius, Livius, & alii, non tamen incongruit, repetita, & adaucta ea jura, *lege Papia*, ab Auguſto, qui & ipſe novi templi Veſtæ auctor, ut ex Ovidio, & Dione Lipſius *cap.* 4. & Veſtalium commodorum curator, ut apud Suetonium *dict. cap.* 31. & 44. Tacitum 2. & 4. *Annal.* Prudentium *lib.* 2. *contra Symmachum*, ad quos, & alios novi Scholiaſtæ, & poſt Lipſium *ad Roſinum*, Dempſterus. Nos collectaneas non concinnamus. Id ſaltem pro libris juris, Veſtalem virginem jus teſtandi habuiſſe, etiam vivo parente, & ſua adminiſtrandi, ſine tutore, quod inſtitutis Numæ Plutarchus adſcribit, & veteri Romanæ legi Sozomenus *lib.* 1. *Hiſt. Eccl. cap.* 9. affirmans, potuiſſe teſtari Veſtales à ſexto anno ætatis, (quo ſcilicet, Veſtales legebantur) & quod eiſdem conſentaneum, aut conſequens, in poteſtate parentum eſſe, deſinere, ſimul atque captæ ſunt, & quidem ſine emancipatione, & capitis diminutione, ut ex Atteïo Capitone, Agellius *dict. cap.* 12. & cum his Ulpianus in *Fragm. tit.* 10. §. *ult.* ubi hoc ipſum de Flamine Diali: quomodo exaudienda verba illa, *vel alias ſui juris, ſine capitis diminutione effectus*, *in l.* 3. §. *ult. D. de S. C. Macedon. l.* 2. §. *alienatio* 4. *D. quando de pecul. actio annal. ſit. l.* 2. §. 1. *D. quod cum eo*, omnino quoad virginem Veſtalem, oportuit, eam, ejuſve patrem emancipatos non fuiſſe, neque attactos, vel remote aliqua capitis minutione, ut ex priſco jure Antiſtius Labeo, apud Agellium *dict. cap.* 12. ubi & *non potuiſſe Veſtalem eſſe hæredem cuiquam inteſtato, neque eidem Veſtali quemquam, ſed bona ejus in publicum redigi, & id, quo jure fiat, quæri.* Aſt id ex priſco jure, & Labeone, poſt quem, & *legem Papiam*, dato Veſtalibus liberorum jure, indubium eſt, potuiſſe eas capere hæreditates, & legata, donec Theodoſius id eis jus ademit; & falluntur, qui Agellio, & Symmaco, laudatis forte magis, quam lectis, & inventa, quam Labeo quærebat, ratione, contra ſtatuere. Symmachi verba ſunt, *lib.* 10. *Epiſt.* 54. *Agros etiam, Virginibus, & Miniſtris, deficientium voluntate legatos, Fiſcus retentat.* & paulo poſt: *Capiunt legata liberti; ſervis teſtamentorum juſta commoda non negantur: tantum nobiles Virgines, & fatalium Sacrorum Miniſtri excluduntur prædiis, hæreditate quæſitis.*

AD EDICTUM CLAUDII DE NAVICULARIIS, QUOAD LEGEM PAPIAM.

RELIQUATIO XXIII.

Pro Ulpiano tit. 3. §. ultim. l. 7. de naviculariis, in Cod. Theodoſ.

ARGUMENTUM.

EDicto Claudii Cæſaris, *ſabricantibus annonarias naves, data præmia, civibus vacatio* legis Papiæ, Latinis *jus* Quiritium, *fœminis quatuor liberorum; id, quod à* Conſtantino *repetitum in naviculariis Orientis, annonæ* Conſtantinopolitanæ *ſervientibus. Expenſi, & compoſiti* Suetonius, Ulpianus, *&* ex Cod. Theod. l. 7. de navicul. *Adjicitur diſcentium uſui, vacationem* Papiæ, *ex* edicto Claudii, *non tantum ad conjuges, ut inter ſe caperent, ſed etiam ad alios cælibes, & orbos pertinuiſſe; ut ex* Conſtantioi lege *non niſi ad conjuges, ſublatis ante ab illo cælibatus, & orbitatis pœnis. Deinde & illam ad qualeſcumque naves annonarias; at poſtea reſtrictam ad naves decem mille modiorum, ut apud* Ulpianum d. tit. 3. §. ult. *& inde elucidandam,* l. 3. D. de vacat. mun cum l. 5. §. 4. & ſeq. D. de jur. immun. *Demum, quod de fœminis ob naves annonæ ſervientes, donatis jure quatuor liberorum, referendum ad fœminas* Latinas. *Jam & de præmiorum ratione illa, quia ad ſummam* Rempublicam *navium exercitio pertinet.* l. 5. §. 19. D. de exercitor. act.

1 LArgimur hanc Reliquationem privilegiis naves fabricantium, & naviculariorum, quoad leges noſtras, idque, quia & ad hanc partem *in Academicis aſſertionibus noſtris* retulimus, & proſcripſimus, ut tunc deſultorie deſcribebamus, & in fœminis pars eſt juris liberorum, de quo in præcedentibus alia, quamvis alioquin ad tractatum, de pœnis cœlibatus, & orbitatis, & ab his vacationes pertineret. Sed de re potius, breviterque. Fundus illius, ſive auctor Suetonius *in Claudio*, *cap.* 19. *ad fin.* dum ſcribit (ordinante contextum Petro Fabro 1. *Semeſt. cap.* 25. & ante eum, Verti Mauro *de Jure Liber. cap.* 48. eiſque ſubſcribentibus Caſaubono, Torrentio, & aliis) Claudium Cæſarem, annonæ Urbis intentum, annonarias naves fabricantibus magna commoda conſtituiſſe, pro conditione cujuſque, *Civibus vacationem legis Papiæ Poppææ*; *Latinis jus Quiritium*; *fœminis jus quatuor liberorum*, *eaque conſtituta hodie ſervari.* Suetonio Ulpiani locus concinit, *titul.* 3. § *ultim.* ſaltem quoad *Latinum*, *quem Civitatem Romanam accipere teſtatur*, *ſi non minorem*, *quam decem mille modiorum navem fabricaverit*, *& Romam ſex annis frumentum portaverit*, *idque ex edicto Divi Claudii.* Concinit etiam, quoad Orientis naviculariós, annonæ Urbis Conſtantinopolitanæ ſervientes, Conſtantini *l. pro commoditate* 7. *verſ. vacatione*, *Cod. Theodoſiano*, *de naviculariis*, qua, inter alia privilegia, indulgetur naviculariis, *ut vacatione legis Juliæ*, *& Papiæ potiantur*, *& etiam nullis intervenientibus liberis* (ſic enim legendum, præmonet illic Gothofredus) *& viri ex teſtamento uxoris ſolidum capiant*, *& ad uxores integra voluntas perveniat maritorum.*

2 Atque hæc recitaſſe ſufficeret, niſi juventutem monitam velim, Primum, latius patuiſſe edictum Claudii, quam legem Conſtantini; quippe ex illo cives navicularii habuere vacationem *Papiæ legis*, non tantum, ut conjuges inter ſe ſolidum caperent, ſed etiam ut ex aliorum teſtamentis, utpote vacantes, ſive immunes omnes, & omnino à cœlibatus, & orbitatis pœnis, quæ ſub Claudio exercebantur. At ex lege Conſtantini, ſublatis ab eodem, ante illam, pœnis cœlibum, & orborum, quoad extraneos, non autem, quoad conjuges inter ſe, *l. unica*, *Cod. de infirm. pœn. cœlib. in Theodoſ. Cod. & l.* 1. *eodem titul. in Cod. Juſtin.* vacatio fuit, ut conjuges etiam ſine liberis, ſive orbi, ſolidum inter ſe caperent, ut & reſtricta ad naviculariós Orientis, exprimitur *in dict. l.* 7. Secundum eſt, patuiſſe etiam latius indulgentiam Claudii, ſi Suetonio ſoli credimus, utpote non reſtrictam ad naves certæ capacitatis, & generis, ſed ad qualeſcumque, annonæ ſervientes: at poſt inde ne qualiſcumque naviculæ prætextus vacationi, & immunitati proficeret, certam rei formam datam fuiſſe legibus Adriani Cæſaris, & aliis. *l. ſemper* 5. §. *immunitati* 4. *cum ſeq. D. de jure immun.* ad quas refero Scævolam, *in l.* 3. *D. de vacat. mun.* & eidem, quoad navem non minorem decem mille modiorum, jungo *tit.* 3. §. *ult.* Tertium ſit, quod ex edicto Claudii, Latinis libertis datum jus Quiritium, nempe ſi, ut diximus, non minorem, quam decem mille modiorum navem fabricaſſent, & Romam ſex annis frumentum portaſſent, Ulpianus *dict. tit.* 3. § *ult.* & fœminis navium dominis, annonæ ſervientium (cæteroquin dominium ſolum navis, non ſatis eſſe vacationi, Trajani conſtitutum fuit. *l. non tantum* 17. §. *domini* 6. *D. de excuſat. tut.*) jus quatuor liberorum conceditur, referri proprie ad fœminas Latinas, de queis proxime, ſeu libertinas, quibus jus quatuor liberorum proderat, ut tutela patronorum liberarentur, ut eſt apud Ulpianum *tit.* 29. §. *licet* 3. vel ut matres filiis ſuccederent, ſub Claudio, & poſtea ex Tertylliano, ut *in* §. 1. & 2. *Inſtit. de Senatuſconſult. Tertyll.* Ulpiano *titul* 26. §. *inteſtati.* Paulo *lib.* 4. *Sentent. tit.* 9. *in princ. & §. libertina.*

Jam & ratio vacationis ejuſce, & immnnitatis, in 3
conſpicuo erit juventuti, vel ex Calliſtrati teſtimonio, *in l.* 5. §. *negotiatores* 5. *D. de jure immun.* juncto dictato illo politico, *quod navium exercitio ad ſummam Rempublicam pertinet*, quomodo & legendum, præmonente Cujacio 12. *Obſerv. cap.* 32. Diodoro Siculo *lib.* 11. ubi de Themiſtocle, & diſcendum eſt *ex l.* 1. §. *licet.* 19. *D. de exercit. act.* Ariſtot. 7. *Politic. cap.* 6. juncta egregia lege noſtra *l.* 1. *tit.* 10. *lib.* 7. *Comp.* maxime in his naucleris, annonæ publicæ ſervientibus, utpote *cum ſalutem publicam*, *& ſpiritum populi ſui reportent*, ut Quintilianus ſcripſit *Declamat.* 12.

AD CAP. XXIV. EX LEGE JULIA.

De ætate ad nuptias, *&* 25. *ex* lege Papia, *de ætate ad liberos ſuſcipiendos.*

RELIQUATIO XXIV.

Pro Ulpiano tit. 16. *in princip. & aliis explanandis.*

ARGUMENTUM.

LEge Julia *expletis annis viginti quinque*, *nuptiæ iniri jubebantur*; *at* lege Papia, *ætas eadem in viris*, *& viginti in fœminis*, *præſcripta ad liberos ſuſcipiendos*, *ſic* Ulpiano, *&* Sozomæno *collatis intelligitur. Prælata hinc ſax tenebricoſis* Tertulliani *verbis*, in Apologet. cap. 4. *in queîs eruditiores caligarunt*, *& prælata pridem à nobis* Salmanticæ, *ante* Gothofredum: *Hujus de conſtituto* Severi *vix aſſentimur. Addita aliqua*, *ex* Suetonio, *&* Dione. *De præcepto ad nuptias ex noſtris legibus*, *ſignatæ teſtationes* in libris juris, *& aliis*; *ac de præcepto illo*, Creſcite, & multiplicamini, Geneſ. cap. 19. Theologi, *&* Pſeudo-Theologi; *& de* Hæreticis, *nuptias damnantibus repetita noſtra adnotatio*: *ſicut &* ad l. 21. & 22. Digeſt. de ritu nuptiar. l. 12. Cod. de nupt.

1 DUo ex duobus his capitibus, ſimul propoſitis, & tamen diſtinctis, intelliguntur. Primum eſt, ætatem ad contrahendas nuptias ex præſcripto *legis Juliæ*, fuiſſe annorum viginti quinque, quibus expletis nuptiæ præcipiebantur. Ita Sozomænus ex vetere, ut ſcribit, Romana lege, *lib* 1. *Hiſt. Ecclеſ. cap.* 9. *in princ.* exaudiendus omnino de *Julia*; quoniam Ulpianus, illi conferendus, *tit* 16. *in princ.* dum loquitur de ætate conjugum, *quæ liberos exigit*, & antequam ſolidum inter ſe capiant, ſignat illam, qua adhuc *vir minor viginti quinque annorum ſit*, *aut uxor annorum viginti minor.* Hoc autem non *ex lege Julia*; nec enim eodem tempore, expletionis viginti, aut viginti quinque annorum, & nuptias, & liberos exigere debuit, ſed quoad liberos ex *Papia*, de qua idem Ulpianus, *dict. tit.* 16. *verſ. item*, ut oſtendit collatus Sozomæno, & Ulpiano Tertullianus *in Apologet. cap.* 4. verbis illis conclamatiſſimis, quæ eruditiorum cerebra fere excuſſere, Pamelii Cerdæ Ambianenſis, & ex juriſperitis, Cujacii *ad tit. Cod. de infirm. pœnis cœlib.* Balduini, ſe non capere ingenue profeſſi, *d. l. Papia pag.* 64. verba ſunt: *Nonne vaniſſimas Papias leges*, *quæ ante cogunt liberos ſuſcipi*, *quam Julia matrimonium contrahi*, *poſt tantæ auctoritatis ſenectutem*, *heri Severus conſtantiſſimus Principum excluſit.* At mens ea, quam expreſſimus, nempe abſurditas exigendi *lege Papia* liberos, à viſigemo quinto anno, ante quem *lex Julia*

ad

ad nuptias non cogebat. Quomodo pridem nos *in Academicis aſſertionibus Salmanticæ prælo datis ad annum* 1632. duobus his capitibus, quæ nunc exhibemus, diſtinximus, & ſubinde Jacobus Gothofredus *in Notis ad leges noſtras pag.* 337. ubi & gloriabundus, illud, de excluſa *lege Papia* à Severo, in hac re, intelligit, de laxiore dato ſpatio à Severo ad liberos, reducto *legis Juliæ* jure. Nos ambigimus, quia Ulpianus, Severi coævus, aut Conſiliarius, illam ipſam ætatem deſignat viginti, & viginti quinque annorum, quæ liberos exigat, *dict. tit.* 16. *in princ.* Plane quod *cap.* 24. addidimus, de vacatione trienni, ad nuptias contrahendas data, inferenda *lege Julia*, & ut poſt illam legi parerent, ſumtum ex Suetoniano loco, *in Auguſto*, *cap.* 34. illic: *Et vacatione trienni data*; ſicut & quod de anno *in capite* 25. in *Papia lege* perroganda, ea Dione *libro* 56. poſt finem orationis Auguſti, inibi: *Annuo ſpatio præſtituto.*

2 Secundum eſt, ſtabiliri *his capitibus* 24. & 25. præceptum nuptias contrahendi, & liberos ſuſcipiendi, & quidem addito *cap.* 25. præcepto, comminatione, ut niſi legi paruerint, lege teneantur, de qua *Reliquat.* 31. *& ſeq.* Rei veluti teſtimonia ſunt, atque huc referenda, *in libris noſtris*, *l. nec filium* 12. *Cod. de nupt.* juncto *principio Inſtit. eodem titul.* & apud Paulum *lib.* 3. *Sent. tit* 4. *§. conditiones*, & apertiora in Tertulliano *de Exhortat. caſt. cap* 12. illic: *Importunitas liberorum, ad quos ſuſcipiendos legibus compelluntur homines.* & 1. *ad Uxorem*, *cap.* 3. Ambroſio *ad caput* 3. *D. Lucæ.* Hieronymo, & apud eum Seneca *adv. Jovinianum*, *cap. ultim.* & ex profanis Ovidio, Statio, Apuleio, Artemidoro, & aliis, quorum verba dedimus *libr.* 1. *cap.* 3. *num.* 3. ubi in eis locis, legum appellatione, *Juliam*, *Papiamque* intelligi, prænotavimus, & *cap.* 5. *num.* 1. fuiſſe matrimonii præceptum inductum verbis illis Geneſis, *cap.* 16. *Creſcite*, *& multiplicamini*, de quo ex noſtris Baſilius Legionenſis, *lib.* 1. *de Matrim. cap.* 5. Paulus Sherlogus *in Anteloq. ad Cantica*, *anteloq.* 7. *ſect.* 12. *ſubſect.* 1. Jodoccus Cottias *in Theſ. Cathol. tomo* 2. *lib.* 9. *artic.* 1. & ex hæreticorum Caſtris, quanquam aberrantium, Joannes Seldenus *de Jure Natur. libr.* 5. *cap.* 3. Puffendorfius *eodem tract. de Jure Natur. lib.* 6. *cap.* 1. §. 3. & è contra, *dict. libr.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. prænotavimus non pauca, de hæreticis nuptias damnantibus, quæ Salmanticæ ex privatis Schedis noſtris collecta, ante annos quadraginta legebantur, exceptis Hieronymi, & Epicteti locis, quæ in Schedis noſtris non erant, & novior obſervatio noſtra dedit.

Jam & pertinere ad hoc caput legum noſtrarum, 3 cogentium ad matrimonia, Terentii Clementis *ad eas locum*, *in l. filiusfamilias* 21. *D. de ritu nupt.* juncta *l. nec filium* 12. *Cod. de nupt.* ſcripſere Balduinus, & Gothofredus, queis non ſubſcripſimus, & deliberandum adhuc cenſemus, ſupra *lib.* 3. *cap.* 49. *num.* 8. ubi & *num.* 7. de laudata *l. filius* 21. & *l. ſi patre* 22. *D. de ritu nupt.*

AD CAPUT XXVI. EX LEGIBUS JULIA, ET PAPIA.

Cum S. C. Claudiano, & Calviſiano *de matrimoniis ſexagenarii, & quinquagenariæ.*

RELIQUATIO XXV.

Ad Ulpian. tit. 16. *§. qui intra. cum l.* 25. *Cod. de nupt. l.* 12. *Cod. de legit. hær.*

ARGUMENTUM.

CAput *hoc* in l. 25. Cod. de nupt. *adſcriptum* legi Juliæ, *vel* Papiæ. *At plerumque, & magis propriè* Papiæ, *ut apud* Lactantium, *cujus vulgare ſcomma de* Jove, *non vulgariter illuſtratur ex more, dandi jus liberorum etiam* Diis Gentilium. Papiæ legis *cautio diſtinctè poſita, & petita illius ratio ex ſterilitate præſumta in ſexagenario, & indubitata in quinquagenaria (de quo ex juris, & aliis libris pauca) & proinde cum nondum quinquagenaria non improbatas nuptias ſexagenarii, probabile eſt; ſaltem eſt* S. C. Claudianum, *cujus fuit fortaſſe hæc ſententia, de qua ſtatim. Expenditur* d. l. 25. Cod. de nupt. *& huc pertinentes* l. 1. §. ultim. D. de concub. l. 35. D. de oper. lib. *de queis alibi. Additum à* Tiberio *huic capiti, & quale id fuerit, explosa emendatione* Cujacii, *& aliorum. Quia & exploſa eorumdem tentamenta, de ſenſu, & ſæculo* S. C. Claudiani, *de quo nuper. Subjungitur cautiones* S. C. Calviſiani, & Perniciani, *pro* Ulpiano tit. 16. in princ. & §. item ſi utrique. *Tandem de abrogatione* legis Papiæ *in hoc capite, & abrogandi ratione juſta.*

1 ANnoſum caput hoc, & varie olim interpolatum, & antiquatum, paucis expediemus. Prohibitæ eo fuere nuptiæ inter maſculos, & fœminas, majores, vel minores ſexagenariis, vel quinquagenariis, ut indiſtinctè legitur, *in l. ſancimus* 27. *Cod. de nupt.* ubi indiſtinctè etiam, & ſubdubie *legi Juliæ*, vel *Papiæ* tribuitur, cum tamen fuiſſe veluti proprium *Papiæ*, oſtendat Seneca, apud Lactantium, *lib.* 1. *de Falſa Relig. cap.* 16. illic: *quid ergo cauſæ eſt, quare apud Poëtas, ſalaciſſimus Deorum Jupiter deſierit liberos tollere? Utrum ſexagenarius factus eſt, & illi lex Papia fibulam impoſuit? an impetravit jus trium liberorum?* (ubi velim, obſerves, & obſervabis fortaſſe primus, illud de Jove, qui impetraverit jus trium liberorum, pertinere etiam ad *legem Papiam*, qua perlata inolevit, impetrari, & concedi jus liberorum Deis quibuſdam Gentilium, ut ex teſtamento capere poſſent, tanquam non cœlibes, aut orbi, ut ex Dione *lib.* 55. *in princ.* liquet illis, juxta vulgatam lectionem, verbis: *& non modo homines, ſed Dii quoque hæc* (ſcilicet jura liberorum) *inveniunt, ut quod eis moriens legaverit, accipiant*: cujuſmodi fuiſſe Jovem Tarpeium, Ulpianus auctor eſt, *tit.* 22. *§. Deos.* juncto Paulo 4. *Sent. tit.* 3. cum *l.* 1. *§. ad municipum*, *D. ad leg. Fal. l. Titia* 38. *§. ult. D. de auro, & arg. leg.* de quo, & aliis ſupra *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 1. Suetonius *in Claudio*, *cap.* 23. *capiti Papiæ*, *Poppææ legis*, *à Tiberio Cæſare, quaſi ſexagenarii generare non poſſent, additō abrogavit.* Sed ad rem; nos Ulpiani ductum ſecuti, *dict. tit.* 16. *in princ. & §. qui intra* 2. ſic *Papiæ legis* prohibitionem accepimus, diſtinximus, & expreſſimus, ut prohibitio fuerit nuptiarum, viri ſexagenarii cum minore quinquagenaria, & fœminæ quinquagenariæ cum viro nondum ſexagenario, quam acceptionem ſuadent Senatuſconſulta, ſecuta, de quibus poſtea.

2 Cæterum prohibitionis matrimonii ſexagenarii, & quinquagenariæ, poſt finitos *lege Papia* in matrimonio annos, ut Ulpianus ſcribit, *dict. titul.* 16. *in princ. verſ. item ſi utrique*; ratio ducitur ex legum noſtrarum fine, nempe procuratione ſubolis, cui fini inutiles hæ nuptiæ, quia neque ſexagenarius ad procreandum idoneus. *l. ſi paterfamilias* 15. *§. in adrogationibus*, *D. de adopt.* neque quinquagenaria, ut concipiat. l. *ſi ſteriles* 21. *in princ. D. de act. emti.* (& hæc ex noſtri juris libris; extra eos ſi amœniora quæſieris, habes in myrothecio Tiraquelli 6. *Connub. Lege*, *num.* 20. Briſſonii *de Jure Connub. pag.* 32. Arniſæi *de Jure Connub. cap.* 2. *ſect.* 4. *ex num.* 9. & aliorum, quos non exhaurimus; & noviorum ex practico grege, poſt Curtium *in l. unic. num.* 11. *& in Authent. præterea*, *Cod. unde vir, & uxor.* Barboſæ *in l.* 1. *part.* 1. *D. de ſolut. matr.* Larræ *de Vita Hom.*

Hon. cap. 31. *num.* 26. *& ſeq.* Narbonæ *de Ætate Requiſ. ad ann. ſexageſ. qu.* 4. Donati Ant. Marinis 1. *tom. cap.* 87. *num.* 14. Thom. Sanctii *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 32. Mennæ *in Addit. ad Gammæ deciſ.* 90. & ſimilium, quos iidem laudant, & nos non numeramus; & tamen quia, ſi ſexagenarius minorem quinquagenaria duxiſſet, ſperari potuit, non futuras improles nuptias, cum vel majorem ſexagenario, & uſque ad ſeptuageſimum annum non eſſe impotentem gignendi, Ariſtoteles definierit, *in Politicis lib.* 7. *cap.* 16. *& Hiſt. Animal. lib.* 5. *cap.* 14. credimus, *lege Papia*, aut poſt illam *S. C. Claudiano*, de quo *inferius*, non fuiſſe inhibitum matrimonium ſexagenarii, cum fœmina nondum quinquagenaria, & proinde adhuc conceptioni idonea, & idcirco Tribonianum, qui ſane fuit maximus Juriſconſultus, ut ingenue Cujacius profitetur, *ad l. un. Cod. de jure dot.* non diſtincte, ſed indefinite de nuptiis, *lege Papia* prohibitis, inter maſculos, & fœminas *majores, vel minores ſexagenariis, vel quinquagenariis*, locutum fuiſſe *in dict. l. ſancimus* 27. *Cod. de nupt.*

3 Plane reſpexiſſe ad hoc caput, aut referri ad id poſſe videntur, ex libris Juriſconſultorum *ad leges noſtras:* Ulpianus *lib.* 2. *in l.* 1. *§. ult.* illic: *cujuſcumque ætatis, D. de concubinis.* Paulus *libro* 2. *in l. liberta*, illic: *Major quinquaginta annis, D. de oper. lib.* De priore diximus *Reliquatione* 1. *de concubinis.* De ſecundo, *Reliquatione* 11. *ad illum Pauli locum.* At ſucceſſere *legi Papiæ*, in hoc capite, conſtituta alia, & in primis à Tiberio Cæſare, à quo ei capiti, quaſi ſexagenarii generare non poſſent, additum fuiſſe, elicitur ex Suetonii loco, *in Claudio cap.* 23. *ſupra* deſcripto: & quidem *addito*, ut recepta Suetonii lectio habet, quam Cujacius, Caſaubonus, Arniſeus, Jacob. Gothofredus, & quidem gloriabunde, de mendo ſollicitant. Nos nihil mutamus, & voce, *addito*, ſignificari credimus, Tiberium, *legi Papiæ*, quæ ſexagenarii cum minore quinquagenaria nuptias non prohibebat, addidiſſe etiam iſtarum prohibitionem, quaſi, ſive eo ſuppoſito, quod ſexagenarii generare non poſſent.

4 Sed ſecutum ſub Claudio *Senatuſconſultum Claudianum* (quod læve, & laborioſe ad Tiberii ævum retroducere tentant, Petrus Faber. 1. *Semeſt. cap.* 25. & ex eo Jacob. Gothofred. *ad leges noſtras in Notis*, *pag.* 316. nec dexterius Cujacius *ad* 22. *quæſt. Pauli*, *in l.* 14. *§. ult. D. ad leg. Corn. de falſ.* fuiſſe id Senatuſconſultum ſequelam Claudii edicti illius, quod idem Cujacius obtrudit, in Suetonii *cap.* 23. *in Claudio*) utcumque fuerit eo S. C. cautum, ut ſi major ſexagenario minorem quinquagenaria duxerit, perinde habeatur, ac ſi minor ſexagenario eam duxiſſet, ut Ulpianus ſcribit, *dict. tit.* 16. *§. ſed Claudiano*, atque ita ut matrimonium non ſit impar, ſed juſtum, quo ipſo, abrogatum fuit illud additum à Tiberio, de quo Suetonius, & abrogatum ea ratione, quia quamvis non ſemper ſexagenarius liberos tollat, *dict. l. ſi pater* 15. *§. ultim. de adopt.* ſæpe tamen accidit, & per naturam poteſt, juxta Ariſtotelis effatum, de quo *ſupra*.

Secutum item *Calviſianum Senatuſconſultum*, quo 5
expreſſum, ut ſi major quinquagenaria, minori ſexagenario nupſerit, impar matrimonium cenſeatur, nec proficiat ad capiendas hæreditates, & legatas dotes: ita apud Ulpianum, *dict. tit.* 16. *§. ult. in fine.* Ratio autem hujus conſtituti aperta, quia in quinquagenaria non ſubeſt ſpes, imo pro monſtro fere eſt, ut pariat, ut Ariſtoteles idem docuit, & ſaltem mirabile, & raro contingens, ut Juſtinianus fatetur, *in l. ſi major* 12. *Cod. de legit. hær.* jam vero appellatio illa imparis matrimonii, & ne proficiat ad hæreditates, vel dotes, illuſtrata à nobis eſt plene, *in Commentariis lib.* 2. *cap.* 16. neque hic recoquenda.

Fuit & aliud *S. C. Pernicianum*, quo conſtitu- 6
tum, ut ſi vir intra ſexageſimum, & fœmina intra quinquageſimum annum, neutri legi paruerint, ſcilicet *Juliæ, & Papiæ*, in hac re, in qua utriuſque mentio fit, *in l. ſancimus* 27. *Cod. de nupt.* licet ipſis legibus poſt eam ætatem liberati eſſent, (nempe, ſi ante annos quinquaginta, & ſexaginta contracto matrimonio eos annos in illo exceſſiſſent, ut proditum eſt in eodem Ulpiani *tit.* 16. *in princ. verſ. item ſi utrique*) ſed quia, ut diximus, non paruerint, perpetuis deinceps pœnis legum, nimirum cœlibatus, orbitatis, & caducorum teneantur; de quo & proprie magis, ad ea capita caducaria dicendi locus.

Porro ſublatum tandem, & abrogatum hoc caput 7
legum noſtrarum à Juſtiniano *in dict. l. ſancimus* 27. *Cod. de nupt.* cui poſtea acceſſit *l. ſi major* 12. *Cod. de legit. hær.* & quidem digna Chriſtiano Cæſare ratione, quia matrimonii bonum non ex ſola prole æſtimandum, ſed etiam ex vitanda incontinentia, *cap. nuptiarum* 26. *quæſt.* 1. *cap. ſicut non §.* 1. 32. *qu.* 2. docuit, diſtinxitque, quem pro multis laudaſſe ſatis, D. Thomas *in* 4. *Sent. diſt.* 34. *quæſt.* 2. *art.* 2. *in Reſponſ. ad* 3.

AD CAP. XXVII. EX LEGE JULIA, ET XXVIII. EX LEGE PAPIA.

De vacatione à nuptiis, data fœminis à morte viri, aut divortio, ex lege Julia, *& de eiſdem indulta ex* lege Papia.

RELIQUATIO XXVI.

Pro Ulpiano titul. 14.

ARGUMENTUM.

ULpiani *textus ſententia, & ratio. Relata ad iſta* capita l. 17. D. de ſponſal. *Expoſita ultra vulgi ſenſum, deſignatio anni, & ſex menſium in vacatione à repudio*, ex lege Papia. *Abſtinentiæ à nuptiis in ea, quæ divertit, obſervantia, obſervata* ex l. 8. §. 2. Cod. de repud. *& aliis, & notatus in ea re* Auguſtus *ante, & poſt* legem Papiam. *Illuſtratus* Tacitus, Horatius. *Subſcriptum* Gothofredo, *contra* Cujacium.

1 ULpiani *textus dict. tit.* 14. ſic habet: *Fœminis lex Julia à morte viri anni tribuit vacationem; à divortio, ſex menſium: lex autem Papia à morte viri, biennii, à repudio, anni, & ſex menſium.* Hæc vacatio, proculdubio eo reſpexit, ut quæ intra vacationis tempora in cœlibatu manerent, non tenerentur interim pœnis *legum Juliæ, & Papiæ*, ut indicat epigraphe Ulpiani fragmenti, quæ eſt *de pœna legis Juliæ.* Ratio item evidens, ut intra annum luctus, quem vidua viro exhibere debuit, non arctaretur *lege Julia*, ad nuptiarum feſtivitatem, & pompam, ut vocantur *l. ſi donatio*, *num.* 22. *l. ſancimus* 24. *Cod. de nupt.* ad quam, & ad rem non pauca dedimus *lib.* 2. *cap.* 11. Nec inconcinnior ratio *legis Papiæ*, quæ pro anno indulſit viduæ vacationem biennii, ut tanto plus ſpatii haberet ad parandas nuptias ſecundas, quo reſpexiſſe, aut referri poſſe mentionem anni, vel biennii *in l. ſæpe* 17. *D. de ſponſal.* monuimus pridem *in Academicis ſcriptis*, & ſupra *Reliquatione* 4. *num.* 2. At illud, de vacatione anni, & ſex menſium à repudio, ſive divortio, *ex lege Papia*, non facile expeditu eſt, niſi obſerves, in fœmina non vidua, ſed quæ marito repudiato divertit, quamvis non ſit, qui lugeatur, obſervari

ſervari adhuc ſolitam abſtinentiam anni à nuptiis, ne de prole dubitetur, ut ſcriptum eſt *in l. conſenſu* 8. *§. hæc niſi, in fin. Cod. de nupt. l. ſi conſtante* 9. *Cod. eodem tit. l.* 53. *§. ult. verſ. non audente, Cod. de Epiſc. & Cler. l. liberorum* 11. *§.* 1. *D. de his, qui not. infam.* ſi forte prægnans diverterit, ut Livia illa Auguſti, de qua conſulti per ludibrium Pontifices, an concepto, necdum edito partu, rite nuberet, ut eſt apud Tacitum 1. *Annal.* & quidem cum reprehenſione, etiam ſub Auguſto, quo reſpexiſſe illam Horatii *lib. Ode 6. Fœcunda culpæ ſecula nuptias primum inquinavere, & genus, & domos.* Cenſuit Acron, vetus Horatii Scholiaſtes *d. Od.* 6. & poſtea Prudentius 1. *contra Symmach.* quem annum, *lege Julia* non expreſſum ab Auguſto, qui pridem, contra eam obſervantiam, Liviam duxerat, expreſſerunt poſtea Papius, & Poppœus, *in lege Papia*, & addidere anno ſex menſes ſignatos *lege Julia.* Tandem quoad *triennii* vocem, pro *biennii* ſubſtitutam, apud Ulpianum, à Cujacio, ex Suetonii, & Dionis locis, confutatum id merito à Jacob. Gothofredo *ad leg. noſtras in Notis, pag.* 320.

AD CAPUT XXIX. EX LEGE JULIA, SEU MISCELLA.

De indicta viduitate.

RELIQUATIO XXVII.

Et ad Caïum, Terentiumque, *libris ad leges noſtras, in l. 62. §. ultim. l. 63. & 64. D. de condit. & demonſtr.* Juſtinianum *in l. 2. & 3. Cod. de indict. viduit. & Novell. 22. cap. 43. & 44.*

ARGUMENTUM.

R*Ei ad aſſertiones redigendæ ratio. Fuiſſe hoc* caput, ex lege Julia de maritandis, *probabile eſt, & cur eadem dicta* Miſcella. Legis *ſumma fuit, ut mulieri, virove ſub conditione viduitatis relictum, liceret abſque ea conditione capere, dummodo mulier intra annum nuberet, & juraret, liberorum procreandorum gratia nubere. Quæſitum, cur intra annum luctus, nuptiæ, alioquin improbatæ, permittantur, & conditio remittatur; & non idem ſit poſt annum, nec relictum capiatur, niſi cum cautione* Mutiana. *An quia poſt annum non tam proli, quam vitandis cœlibatus pœnis, nubere mulier creditur? & quia nuptias intra annum, alioquin vitioſas ſupplet, & favorabiles facit jusjurandum, de prole, ut in comparabili ſpecie, apud* Ulpianum tit. 3. §. liberis & tit. 7. §. ult. *ex queis, & obiter nova lux* ad l. 24. D. de ſtat. hom. l. 2. D. ne de ſtatu defunctorum. *Sententia ergo* legis *illa, ne ullum impedimentum inferretur nuptiis; pro qua laudati textus. Sed & notatum, non pertinuiſſe illam ad virginem, aut virum cœlibem. Expenſa pro eo notato, momenta, & præ cæteris diſtinctio viduæ, & mulieris, de queis textus loquuntur, ab innupta, & virgine,* ut in eadem lege, apud Ulpianum, tit. 11. §. 20. *& alibi ſæpe. Inde jam fluit, ſi extraneo relinquatur ſub conditione, ſi* Titia *non nubat, non eſſe locum legi, quia neque nuptiis impedimento eſt; aliud ſi patri, in ſpecie* l. 77. §. 2. l. 79. §. ult. D. de cond. & dem. *id etiam juris eſt, in conditione, ſi* Titio *nupſerit, cui nubere digne non poteſt, quamvis aliter digne poſſit.* l. 63. D. de cond. & dem. *cui juncti adjacentes loci, & cum ſimili diſtinctione, conditio, ſi* Ariciæ *non nupſerit.* l. 64. l. 106. D. de cond. & dem. *De conditione nubendi, arbitratu* Titii, *ex* Papiniano in l. 72. §. 4 & l. 28. D. de cond. & dem. l. 54. §. 1. D. de leg. 1. *Quin & de conditione, viduitatem temporariam indicente, eſſe eam remittendam, affirmatur, ex* l. 3. §. 5. verſ. ſed ſi intra, D. de ſuis, & legit. *niſi per illam liberis impuberibus proſpectum ſit, ex* Terentio Clemente ad leges noſtras in l. 63. §. ult. D. de cond. & dem. l. 31. D. qui, & à quib. *Porro appellatione relicti, comprehenditur fideicommiſſum, de quo mulier, rogata, ut reſtituat, ſi nupſerit, tametſi aliud ſit, ſi pure rogata. Quomodo conciliandæ,* l. 22. & l. 77. §. Titio 2. D. de cond. & dem. & l. 14. D. de leg. 3. *Rurſus de conditione, quoad, ſeu quoties vidua erit, placuis & ante* Juſtinianum, *non offendi* legem Miſcellam, *tanquam magis ſolatium viduitatis, quam illius indictionem.* l. ult. Cod. de ind. viduit. *cum aliis. Placuit etiam, legis eſſe exceptionem in libertate ſervo relicta, ſi mulier nupſerit.* l. 96. §. 1. D. de cond. & dem. l. ult. D. de ſtatu lib. *ubi adjectio illa,* etiamſi ex lege nupſerit, *expenſa non vulgari ſenſu. Quin & expenſæ, comparatæque liberte, & nuptiis favendi rationes, & ad limam, & lineas veluti redacta. Tandem quoad* l. delata 151. D. de V. S. *quam huic capiti jungit* Gothofredus, & Terentii Clementis *eſt,* 5. ad leges noſtras, *oſtenditur, alio illam pertinere.*

1 VArii, vaſtique operis eſt Reliqustio hæc, de indicta viduitate, & cœlibatu, ſive, ut vulgo enunciatur, de conditione, ſi non nupſerit, de qua noſter Salmanticæ anteceſſor, & inter Primarios Juriſconſultos Primarius, Emanuel Coſta, exacte adeo, ad Scholæ, & fori uſum diſſeruit *ad l. cum tale* 72. *§. ſi arbitratu, D. de cond. & dem.* ut quod Demoſthene, & Tullio comparatis, Fabius cenſebat, nihil facile addi poſſit, nihil detrahi; idcirco, & quia properantes reſidua hæc colligimus, redigemus ad breves aſſertiones, quales in Academia olim proſcripſimus, & propugnavimus, rem, & ad illam pertinentia in juris libris fragmenta.

2 Caput hoc *ex lege Julia, de maritandis ordinibus*, fuiſſe, ſuſpicamur magis, quam ſcimus; & tamen propendemus in eam ſuſpicionem, argumento inſcriptionum *ad leges noſtras in l. ſed ſi hoc* 62. *§. ult. cum l. 63. verſ. legem & 64. de cond. & dem.* juncta *l. 6. §. ult. D. de jure patron.* eamque ipſam legem dictam *miſcellam, in l. 2. & 3. Cod. de indicta viduit.* & *in Novella* 22. *de nupt. cap.* 43. qua mixtim iſto capite de viro, & fœmina cavit, & miſcere connubio ordines, ſive maritare, pro inſtituto habuit, unde & *lex marita, & miſcella*, placitum eruditioribus, poſt Ant. Auguſtinum *de legibus in Julia de maritandis, de lege Pap. pag.* 8. Cujacio *ad tit. Cod. de indict. viduit.* & ſub Mercatoris nomine *lib.* 1. *Notatorum cap.* 1. 2. *&* 3. Balduino, licet ſubdubie *in Scævolis pag.* 20. *& in Juſtiniano pag.* 2. tandem tamen aſſerente Griffanio *ad eumdem tit.* Briſſonio *de Verb. Jur. in verbo Miſcella, &* 3. *Antiq. cap.* 3. & Dionyſio Gothofredo *ad dict. Novell.* 22. *cap.* 43. poſt longam hæſitationem Jac. Gothofredo *ad leg. noſtras in Notis pag.* 332. *ad finem*, & quem libens laudo, Præceptori noſtro Pichardo *in §. ſed ſi uxori* 16. *num.* 26. *Inſtit. de legat.* quamvis alibi, & varie ſentiant, renitantur, ringantur Aurelianenſis Robertus 1. *Animadv. &* 1. *Notarum cap.* 1. 2. *&* 3. Joannes Gædeus *ad l. Spadonum* 128. *D. de verb. ſign.*

Ergo, ut pergamus, *legis Juliæ in hoc capite*, 3
ſumma ea fuit, ut mulieri, virove, quibus ſub conditione viduitatis ſervandæ, relictum fuit, liceret, citra onus ejus conditionis, capere relictum, & nubere, vel uxorem ducere, dummodo mulier nubat intra annum luctus (mulier ſcilicet, ad quam adjectio hæc pertinet, non ad virum, qui uxorem lugere non cogitur. *l. uxores* 9. *D. de his, qui Not. infam.*) & juret, liberorum procreandorum cauſa nubere, ut exprimitur *in Novella* 22. *de nuptiis cap.* 43. *l. 2. in princ. & l. 3. Cod. de indicta viduit.* in queis poſtremum hoc, expenſum nondum, aut expoſitum,

poſitum, qua ratione *lex Julia* remittat viduæ conditionem viduitatis, & permittat, juramento illo prævio, nubere intra annum luctus, quo anno Romanis legibus, moribuſque nuptiæ improbatæ, & Prætorum edictis probroſæ fuere: & è contra poſt annum quo tempore moribus, legibuſque permiſſæ nuptiæ, & ad illas *eadem lege Julia*, viduæ adiguntur, ut *Reliquatione præcedente* diximus, ad Ulpianum *tit.* 14. neque juramento interpoſito permittat nuptias, aut remittat conditionem, neque relictum capere, niſi cum cautione *Mutiana* non nubendi. An quia poſt annum, & vacatione *legic Juliæ* conſumpta, quæ nubit, non tam ſobolis gratia nubere creditur, quam ut cælibatus pœnas vitet, quod de nubente intra annum, & jurante, dici non poteſt? ſed hæc, & ſi quæ alia, parum firma, & quæ facile aliorſum vertas. Nobis aculeum hunc diſcentibus reliquiſſe ſit ſatis, & alio pergere.

4 Queis tamen, vel pro fulchro, ſimulque pro illuſtranda hac *legis Juliæ Miſcellæ* cautione, addidiſſe liceat, jusjurandum hoc in nuptiis, & teſtationem, de liberorum procreandorum animo, & voto (de quo non pauca, ſupra vulgi captum, prænotavimus, *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 9. & ex Briſſonii, Lipſii, Dorleani loculis, ac poſt Cujacium Dionyſii Gothofredi *ad l.* 120. *D. de V. S.* ſumunt noviores) tanti habitum, & efficax adeo fuiſſe, ſupplendis aliis nuptiarum defectibus, & quidem eo ipſo *Juliæ*, & *Papiæ* legum ſæculo, ut quamvis inter civem Romanum, & Latinam, non eſſet connubium, ut ex Ulpiano diſcitur, *tit.* 5. §. *connubium* 3. & §. *ex cive* 9. Boëtio *ad Ciceronis Topica.* §. *à conſequentibus*; tamen *ex lege Junia Norbana*, noſtris coæva, ſi civis Romanus Latinam uxorem duxerit, prævia jurata teſtatione, ſe ducere, liberorum procreandorum cauſa, & filium, filiamve ſuſceperit, qui anniculi ſint, fiat tam uxor, quam filius, filiave Romani, ſuppleto nempe connubii defectu, jurata teſtatione, & cauſæ illius probatione, ut Ulpianus docet *tit.* 3. §. *liberis. verſ. nam lege.* idque ipſum *ex lege Ælia Sentia*, noſtris coæva in ſpecie, de qua Ulpianus *tit.* 7. §. *ult. verſ. nam ſeu.* atque ita eo caſu, partus, quamvis habitus ſine legitimo matrimonio, non ſequitur conditionem matris, contra regulam *l. lex naturæ* 24. *D. de ſtatu hom.* ſed patris civis, ex ſpeciali *lege Junia*, aut *Ælia Sentia*, ex queis, ne ad *Menſiam* cum Cujacio recurras, ad Ulpianum *tit.* 5. §. *connubio*, vel aliorſum cum Reteſio noſtro 8. *Opuſc. cap.* 5. ſumi, me pridem Salmanticæ obſervatore, & aptari exemplum poteſt, *ad dict. lex naturæ.* 24. *in fine*; & explanatio *ad l.* 2. illic, *propter patric*, *D. ne de ſtatu defunct.* ergo ne jam plura, quemadmodum jurata teſtatio, de nuptiis propter liberos profuit *ex lege Junia*, ut etiam ex connubio non legitimo uxor Latina, & filii fruerentur veluti præmio Romanæ Civitatis, ſic & *ex lege Julia Miſcella*, nt mulieri, intra annum luctus nubenti, utcumque immature, tamen ex vi juratæ illius teſtationis, permitterentur nuptiæ, & remitteretur conditio non nubendi.

5 Finit ergo, ut progediamur, ſententia legis hæc, ne quod omnino impedimentum nuptiis inſeratur, ex viduitatis conditione: & proinde quidquid in fraudem legis, ad impediendas nuptias ſcriptum erit, reſcindi ipſo jure oportere: id, quod obtinuit, ſic interpretantibus legis ſententiam Juriſconſultis, ut *in l. cum tale* 72. §. *ſi arbitratu* 4. & *in l. hæres* 79. §. *ultim. D. de condit. & demonſtr.* & Senatuſconſulto, ad eamdem facto, cujus mentio *in l. ultim. in princip. Cod. de indicta vidui.* Pertinent in commune ad eam ſententiam, *l. quoties* 22. *l. filiæ* 28. *l. cum tale* 72. §. *Mæviæ. l. mulieri* 74. *l. avia* 77. §. *Titie. D. de condit. & demonſtr. l. ſervo* 65. §. 1. *D. ad S. C. Trebell. l. turpia* 54. §. 1. *D. de legat.* 1. *l. non dubium* 14. *D. de legat.* 3. Paulus *lib.* 3. *Sentent tit.* 4. §. *Conditionec. l. Titiæ* 100. *D. de condit. & demonſtr.* de qua futilia multa, an ſubtilia, ut illi, & ſciolis aliis viſum, Benedictus Pinellus 1. *Selectar. cap.* 20.

6 Illud, nondum hactenus ſignate explicitum, & fortaſſe primi ſignamus, non comprehenſos fuiſſe *lege Julia*, neque obſervantia illa juramenti, & diſtinctione nuptiarum, intra annum, vel poſt annum, cœlibem virum, aut mulierem, quæ nunquam nupſit, & potuiſſe ſine illis obſervantiis inire primas nuptias, & ſine impedimento conditionis, non nubendi, relictum capere: id, quod firmamus, tum ex *Juliæ legis* veluti titulo, qui fuit, de viduitate indicta, ſive injuncta, quomodo fere inſcribitur *in rubrica Cod. de indicta viduit.* & *l. Julia.* juncta. *l. ſed ſi hoc* 62. §. *ultim. in fin. cum l. ſeq. D. de condit. & dem.* & de ſecundis nuptiis. *dict. l.* 2. *Cod. de ind. viduit. Novella de nupt.* 22. *cap.* 43. & crebro non nubendi conditio profertur, ſeu refertur ad viduam. *ſed ſi hoc* 62. §. *ult. cum l. ſeq. l. Titio* 96. §. 1. *l. Titiæ* 100. *D. de condit. & demonſtr.* & ſæpius ad uxorem, aut nuptam, vel mulierem, nunquam ad virginem. *l. non dubium* 14. *D. de legat.* 3. *l. quotiec* 22. *l. ſed ſi hoc* 61. §. *ultim. l. avia* 77. §. *Titio. l. mulieri* 74. *l. pater* 101. §. *ſocrus*, *D. de condit. & demonſtr. l.* 5. *Cod. de inſtit. & ſubſtit. l.* 5. *Cod. de condit. inſert.* conſtat autem, primas, & ſecundas nuptias jure diſtingui. *l. boves* 89. §. *hoc ſermone*, *D. de verb. ſign. l. hæc conditio* 10. *D. de condit. & demonſtr. l. dotis* 68. *in fin. D. de jure dot.* & viduam proprie, ac vulgo dici, quæ nupta ſuit, & morte viri eſſe deſiit, ut apud Hieronymum *in cap. vidua* 34. *diſt.* Iſidor. *lib.* 11. *Etymol. cap.* 8. utcumque aliter, & Stoïce argutetur Labeo, & ex illius ſecta Javolenus *in l. malum* 242. §. *viduam. D. de V. S.* & perinde proprie, ac plerumque, uxoris, & mulieris nomina uſurpari de jam nuptis; & diſtingui à virginibus, ſive innuptis. *l. alioquin* 13. §. 1. *D. de contrah. emt. l. exemto* 11. §. *ſi quis virginem* 5. *D. de act. empt. l. ſi collactaneus* 13. §. *ultim. Dig. de manum. vindic. l. quæritur* 14. §. *mulierem* 5. *D. de Ædil. edict.* quo loci Ulpianum, contra Laurentii Vallæ grammaticam ferulam, tuetur Albertus Leoninus *lib.* 7. *Variar. lect. cap.* 9. & vel in ipſis verbis *Juliæ legis*, illo capite, *de tutore* pro dote, conſtituenda ei *mulieri*, *virginive*, nt Ulpianus effatur *tit.* 11. §. *ex lege Julia* 20. id, quod diſcrimen mulieris, & virginis, cum partite loquimur, agnovit pridem Servius *ad illud Virg.* 11. *Æneid.* de Camilla, *muliebribus armis*, & *ad Eglogam.* 6. illic: *Ah virgo infelix.* & ante eum Tertullianus *de Velandis Virgin. cap.* 4. ad illud, quod ex Apoſtolo profert: *Diviſa eſt*, inquit, *mulier*, & *virgo: Quare? quoniam virga, id eſt, innupta*; & deinceps dedimus ad rem quædam, *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 8. Quanquam nec diffitendum, vulgo, & cum ad ſexum, vel communia alia reſpicitur, mulieris appellatione comprehendi virginem. *l. mulieris* 13. *D. de V. S. l. ſervis* 81. §. 1. *D. de legat.* 3. *l. argumento* 25. §. *muliebri*, *D. de auro, & arg. leg.* & virgines vocari mulieres, ut ex S. Scripturæ ſenſu Auguſtinus *lib. de Conſenſu Evangeliſt. cap.* 28. & *ad Matth. cap.* 19. Sed ut ad rem, & rationem animadverſionis noſtræ, conſtat denique, favorabiliores fuiſſe Romanis, etiam ethnicis, primas nuptias, quam ſecundas, & virginis innuptæ, atque univiræ ſtatum, quam viduæ binubæ futuræ; de qno laudaſſe ſufficiat Tertulliannm 1. *Ad Uxorem*, paſſim Hieronymum 1. *Adv. Jovin.* Nihil mirum ergo, ſi virgini nupturæ ſine ulla obſervantia juramenti, aut diſtinctione anni, aut biennii, remittete conditionem, nuptiarum impeditivam, firmemus ex ſententia *l. hærec* 79. §. *ult. D. de cond. & dem.* aliter atque in vidua, intra annum, vel poſt annum; conducit, & expendi ad rem poteſt, aſſertio Joannis, veteris gloſſographi, verbo, *contractis*, *in Authent. cui relictum*, *Cod. de indicta viduit.*

7 Jam & ſuppoſita ſententia *legis Juliæ* in hoc capite, & primaria ex eo in commune aſſertione, ſubjungimus conſequentem & illam, ſi non viduæ, aut mulieri, ſed extraneo relictum ſit, veluti Seio, ſub conditione, ſi Titia non nupſerit, non remitti conditionem, quia neque relinquitur mulieri, neque ex relicto ali extraneo, mora, aut impedimentum nuptiis mulieri intelligitur. *l. avia* 77. §. *Titio* 2. *in fine*, juncta *l. hæres* 79. §. *ult. D. de condit. & dem.* diverſum eſt, ſi patri relinquatur, ſub conditione,

ſi

ſi filia, quam in poteſtate habet, non nupſerit, aut filiuſfamilias, ſi pater ejus uxorem non duxerit, quoniam utroque caſu fraudem legi fieri ad impediendas nuptias, Papinianus definit, *in dict. l. hæres 79. §. ult*

8 Conſequens etiam aſſertio eſt, quamvis non ſit relictum, expreſſa illa conditione, ſi non nupſerit, ſed ſub illa, ſi Titio nupſerit, & ei nubere honeſte non poſſit, remitti hanc conditionem, ex ſententia legis, quia ſub conditione, Titio nubendi, ſubintelligitur alia, non nubendi exteris. *l. cum ita 63. D. de condit. & dem.* junctis in eumdem ſenſum. *l. adigere 6. §. ſi patronus. 3. D. de jure patron. l. 3. §. ſi quis libertam. 5. verſ. neve aliam, D. de ſuis, & legit.* Non idem eſt, ſi Titius non indignus ſit nuptiis mulieris, quia tunc non tam viduitas injungi, ſed ad honeſtas nuptias invitari mulier videtur, *d. l. cum ita 63.* in qua hæc diſtinctio proponitur, & reddita ratione, elucidatur ex Cajo *lib. 3. ad leges Juliam, & Papiam.* Atque eo referendæ ſunt, aut redigendæ ſimiles, aut finitimæ ſpecies, de conditione nubendi certæ perſonæ. *l. Titio 71. §. 1. l. cum fuerit. 15. l. in teſtamento 31. l. conditionum 91. l. pater 101. D. de condit. & dem. l. item 5. verſ. 1. §. ſed ſi ita D. quando dies leg. ced. l. inter 23. cum ſeq. D. de condit. inſtit. l. 2. §. ſi quis ita 6. D. de bonor. poſ. ſec. tab. l. quoties 9. §. ſi quis ita 10. D. de hæred. inſtit. l. 1. & 2. Cod. de inſtit. & ſubſtit. l. legatum 4. Cod. de condit. inſert. l. 1. Cod. de his, quæ ſub modo*, in quibus ſigillatim exponendis otiari non licet.

9 Ejuſdem generis, & cenſuræ ſunt conditiones, ſi Titio non nupſerit, aut ſi Ariciæ non nupſerit; namque ſi ali quam Titio, aut aliubi, quam Ariciæ mulier commode nubere non poſſit, injectam moram, ſive impedimentum nuptiis, & quodammodo viduitatem interpretamur, atque ideo conditionem remitti. Aliter atque, ſi quamvis Titio, vel Ariciæ non nubat, poſſit neque inhoneſte, neque incommode, nuptiarum conditionem quærere, & collocare; quæ itidem diſtinctio eſt Terentii Clementis *libro 5. ad leges noſtras*, *in l. hoc modo 64. in princ. & §. 1. D. de cond. & dem.* ubi, & nobili illa earum commendatione illuſtratur, *in verſ legem enim*; cui conferenda ratio, & ſententia *l. 1. §. tractari 24. D. ad S. C. Tertyll.* & quod *in ejuſdem legis principio* proponitur ex Juliano, id ipſum eſt, quod, ex Juliano extat *in l. hoc genus 106 D. de condit. & dem.* in qua explananda æſtuat, poſt Cujacium, noſter Reteſius *lib. 8. Opuſc. cap. 23.* ſuccinit, quoad hanc conditionem ex Terentio Cajus, *in dict. l. cum ita 63. in princ.*

10 Jam vero conditionem arbitratus alieni ad nuptias, veluti ſi arbitratu Titii nupſerit, quaſi moram, impedimentumve nuptiis inferentem, eſſe habendam pro nihilo, Papinianus docuit: quapropter ſive Titio vivo ſine ejus arbitratu, ſive eo mortuo mulier nubat, cui legatum erat ſub conditione nubendi, arbitratu Titii, legatum capiet. *l. cum tale 72. §. ſi arbitratu 4. l. filiæ 28. D. de cond. & dem. l. turpia 54. §. 1. D. de legat. 1.*

11 Connexa, aut conſentanea propoſitis viſa eſt conditio, temporariam viduitatem injungens, veluti ſi intra certum tempus non nupſerit; ideoque an remittenda, quaſi ſententiam legis offendat, anxie, & acriter dubitatum eſt. Nos nec dubitamus, viduitatis temporariæ indictione impedimentum aliquod nuptiis inferri, idcircoque & ſententiam legis offendi, & conditionem pro nihilo habendam, ex *l. 3. §. Si quis libertam 5. verſ. ſed ſi intra, D. de ſuis, & legit.* junctis, & pro re inductis, *l. cum ita 63. §. ultim. in princip. l. cum tale 72. §. Mæviæ 5. l. Titio 96. §. 1. D. de condit. & demonſtr.* Hæc ita, niſi conditio ſic concepta fuerit, ſi à liberis impuberibus non nupſerit, in vidua impuberes filios habente, quia tunc non tam viduitas indicta, quam curæ, & educationi filiorum proſpectum videtur, ut ex Terentio Clemente *ad leges noſtras*, definitur *in dict. l. cum ita 63. §. ult. ad finem, D. de condit. & dem. l. quæſitum 31. D. qui, & à quib.*

12 Succedit illa aſſertio, in relicto ſub conditione, ſi non nupſerit, appellatione relicti, comprehendi tam legatum, quam fideicommiſſum, quam etiam hæreditatem, ſub ea conditione relictam, & hoc amplius donationem cauſa mortis, ut colligere licet, *ex Novella 22. de nupt. cap. 44. §. præfatæ*, junctis *l. non dubium 14. D. de legat. 3. l. quoties 22. l. avia 77. §. Titio 2. D. de condit. & dem. l. ſervo 65. §. 1. D. ad S. C. Treb.* Proinde ſive hæres, legatariuſve, cui relictum eſt ſub conditione, ſi mulier non nubat, eidem ſi non nupſerit, rogetur per fideicommiſſum reſtituere, ſive mulier hæres, aut legataria, rogata ſit, ſub conditione ſi nupſerit, fideicommiſſum ali præſtare, viduitas injuncta creditur, & conditio remittitur, quæ ſpecies ſunt, atque ita extricandæ, *dict. l. quoties 22. l. avia 77. §. Titia 2.* Diverſum eſt, ſi mulier ipſa, cui legatum eſt ſub conditione, ſi non nupſerit, rogata ſit ſimpliciter, ſive ſine conditione, ſi nubat, id ali reſtituere; tunc enim capiet legatum, rejecta illa conditione, ſed & reſtituere cogetur, quod ſine illa ab ea fideicommiſſum relictum eſt, quæ ſpecies eſt, atque ita extricanda *dict. l. non dubium. 14. in princ. & §. 1.* & componenda cum *d. l. quoties 22.* ut ex communi noſter Coſta *ad §. ſi arbitratu, amphat. 6.* Cujac 35. *Digeſt. Juliani, in dict. l quoties 22.* & ſub Mercatoris nomine *in Robertum lib. 1. cap. 3.* & ex his noviores.

Plane non ſunt *Juliæ Miſcellæ* locus in relicto mulieri ſub conditione, ſi vidua erit, vel quoties vidua erit, vel cum vidua erit, aut marito ſub conditione, ſi uxorem amiſerit, vel quando ad cœlibatum pervenerit; quoniam eis verbis caſus in conditione poſitus deſignatur, neque tam viduitatis temporalis, aut perpetuæ obſervantia, aut in eo ſtatu perſeverantia injungi, quam in illum caſum, & illius ſolatium relinqui intelligitur: idemque in hac hypotheſi annui relicti, & relicti ſemel, jus eſt, ut Juſtinianus decidit *in l. 3. §. ult. Cod. de indict. viduit. l. filiæ 22. D. de ann. legat.* idque ex veterum mente fortaſſe, Labeonis, Trebatii, Alfeni, *in l. legatum 17. D. de annuis leg.* de queis, ne repugnare videantur, Paulo *in l. Titio. 96. §. ult. D. de condit. & dem.* ſubtiliter ut ſolet, noſter Coſta *in dict. §. ſi arbitratu, limit. 9. num. 5. & 11* 13

Tandem nec legi locus, quin potius illius fuit exceptio nobilis, cum ſervus mulieri legatus, & ſub conditione, ſi ea nupſiſſet, liber eſſe juſſus eſt, quippe nubente illa, fieri eum libertum, Paulus ſcribit *in dict. l. Titio 96 §. ult. D. de condit. & dem.* & jam olim apud eumdem, Labeo *in l. ult. D. de ſtatu lib.* expreſſis verbis illis, *& ea ex lege nupſerit*, in queis appellatione, *legis*, intelligi *Miſcellam* noſtram, adnotavit Græcus Scholiaſtes *lib. 4º. Baſilic. tit. 5. ad dict. l. ult. Miſcellam* inquam, ſine adjectione *Juliæ*, ut *in Græco textu*, typis dato legitur, nec fuit, cur in eo Herveti verſionem ſuggillaret Cujacius, & vel ipſum Labeonem ſenſiſſe de *Julia*, credi poteſt, cum de illa ipſa ſcribat, *in l. ſi vero 64. § de viro 9. verſ. & hoc D. ſoluto matr.* & hoc amplius in illa, quæ κατὰ πόδας nominatur, verſione, ſic expreſſit, & ex eo Fabrottus, ἐι κὰι ſive, *etiamſi ex lege nupſerit, ſervus tamen liber ſit*; quam expreſſionem, & ſignate illam *etiamſi* (ne multa, quæ ad eum textum *dict. l. ult.* ingenioſe poſt Cumanum, Coſta *in §. ſi arbitratu limit. 10. ex num. 2.* transcribamus) nos potius dubitationi augendæ, ſeu pro dubitandi ratione adjici credimus, & reſpicere proprie ad formam nubendi, *ex lege Miſcella*, nempe cum juramento, & cauſa procreandæ ſobolis, de qua jam in primordiis hujus *Reliquationis*; & proinde definiri, etiam eo caſu libertatem ſervo competere. At vero ita decidendi, contra dubitationem ſignatam, ratio reddita à Paulo *in l. 96 §. 1. D. de condit. & dem.* illic: *Quia potior eſt legato libertas*: ſive, ut omnes exaudiunt, quoniam favendum magis libertati, quam nuptiis, circa quæ tamen, non nemo Salmanticæ, exercendi ingenii gratia, opponebat conditionem, ſi ſervum non manumiſerit, non remitti, quamvis impedimento futura ſit libertati. *l. ſi quis ita 9. §. 1. D. de manum. teſt.* & è contra remitti conditionem 14

non nubendi, ne impediat nuptias, & conſequenter faveri magis nuptiis, quam libertati *l. hæres* 79. §. *ult. D. de condit. & dem.* At reſpondebatur, in conditione non manomittendi, verſari beneficium ſervi, quem habuiſſe pro indigno libertate dominus creditur, cui & credendum *l. ſervus* 20. *dict. l. Divo* 50. *de manum. teſt.* At in conditione non nubendi, & ut ea remittatur, non tam mulieris, qualiſcumque ſit, quam Reipublicæ beneficium inſpicitur, cui nuptiæ utiles *l. hoc modo* 64. *D. de cond. & dem.* Rurſus, quia & è converſo objiciebatur in theſi *dict. l.* 96. §. 1. id, quod illic deciditur, de prævalitura libertate, ceſſurum in odium nuptiarum, & libertatis, quia mulier, ne nubendo ſervum amittat, non nubet, & ea non nubente libertati locus non erit: reſpondebatur, & agnoſcebatur, muliere non nubente, ceſſaturum Reipublicæ beneficium nuptiarum, & libertatis, quia conditio ejus non exiſtit. Cæterum ſi nupſerit, & non remiſſa ei conditione, habituram Rempublicam, & beneficium nuptiarum, & libertatis competentis ſervo, per quam hic novus civis Reipublicæ agnoſcitur, quæ ſingula juncta, ſimul cum voluntate defuncti, qui libertatem in eum caſum reliquit, efficiunt, ut contemto incerto illo mulieris, non nubentis, prævaleat libertas legato, & nuptiis, eo addito, quod ex nuptiis non certa, aut præſens ſoboles, at per libertatem certus, & præſens civis, qui ſit manumiſſione; ſed Academica hæc Scholæ, & umbræ relinquimus, ſicut pulveri ſuo, & foro diſputationes, ex novo jure *dict. l.* 2. & 3. *Cod. de indict. viduis. dict. Novell.* 22. *de nupt. cap.* 43. & 44.

15 Pertrahit ad hoc caput Gothofredus ad *leges noſtras pag.* 291. Terentii Clementis locum, *in l. delatam*, 151. *D. de verb. ſign.* ſumtæ obtentu, ex legis verbis de hæreditate ab eo effictis, & quia Terentii locus eſt *ex libro* 5. *ad leges noſtras*, ex quo etiam eſt *lex penult. D. qui, & à quib.* ſicut & *l. hoc modo* 64. *D. de cond. & dem.* ſed non ſubſcribimus, eum referenda potius ſit lex illa ad tractatum, *de pœnis cœlibum*, & jungenda cum *l. non oportet* 52. *D. de legat.* 2. de quo in eo tractatu plenius.

AD CAPUT XXX. EX LEGE JULIA.

De divortio libertæ, Patrono nuptæ.

RELIQUATIO XXVIII.

Pro explanandis, l. 45. cum l. ſeq. l. 48. l. 50. cum l. 29. D. de ritu nupt. l. ult. D. de divort. l. 14. D. de oper. lib. l. 8. D. de captiv. quæ ſunt ex libris Juriſconſultorum ad leges noſtras.

ARGUMENTUM.

D*ivortiorum ſolennia, non* ex lege Julia de maritandis, *ut ex* Suetonio *collectum* Lipſio, *ſed* ex XII. Tabulis, & Julia de adulteriis. *At ſaltem liquet,* Julia de maritandis, *impoſitum modum divortio libertæ, patrono nuptæ, ne diverteret invito patrono, ſive ne quandiu patronus eam ſibi nuptam volet.* Ei legis *Sententiæ conſequens primo aſpectu, ut & divortium invito patrono, & matrimonium libertæ cum alio nulla ſint. Et tamen de utroque contrarium verius, ex* Juriſconſultorum *ſenſu, & ratione* juris. *Pugnantibus in hac re locis pacandis, obſervavimus pridem* Salmanticæ, legem Juliam, hoc capite, *fuiſſe imperfectam, ſicut in illo, de connubio Senatorio, quamvis in aliis, quæ recenſentur, perfectæ fuerint* Julia, & Papia leges. *Petita differentiæ ratio ex eo, quia matrimonia, & divortia inter res facti, & diverſa ab eis, quæ* juris *ſunt, in queis perfectæ noſtræ* leges. *His poſitis deducimus, quoad* juris *effectus, & utique illos, qui patroni favorem, & libertæ odium continent, divortium pro rato haberi, veluti quoad actionem rerum amotarum, & accuſationem adulterii, ut patrono in libertam, quæ divertit, concedantur* l. ult. §. ult. verſ. proinde, D. de divort. *& quoad bonorum poſſeſſionem,* unde vir, & uxor, *ne libertæ detur, tanquam uxori, quia divortio uxor eſſe deſiit* l. un. D. unde vir, & uxor. *E contra, quoad effectus, qui ex divortio rato in favorem libertæ ſequerentur, non habetur pro rato, & ideo nec de dote actio ei datur* d. l. ult. in princ. & verſ. denique. l. 35. D. ſol. matr. (*quibus collatus, & nova obſervatione elucidatus* Marcelli textus ex lib. 3. ad leges noſtras, *in* l. 33. D. de ritu nupt.) *& donationes in eam à patrono collatæ infirmantur* l. 62. §. 1. D. de donat. inter: *nec concubinatus ei cum alio permittitur* l. 1. & 2. D. de concub. *Jam illis traditis, de matrimonio inter res facti cenſendo, conſequenter* in l. 45. §. ult. in princ. D. de ritu nupt. *tentatur, matrimonium libertæ captivitate patroni dirimi, id quod ipſum generaliter de uxoribus captivorum ſtatuitur,* in l. 8. D. de captiv. *quia non ſicut filius, & ei adjacentia jura, à patre captivo reverſo recipiuntur poſtliminio, ita uxor à marito; quippe illa juris, hæc autem, ſcilicet matrimonium, facti; & tamen quoad libertam concluditur* in d. l. 45. §. ult. verſ. & qui: *non poſſe patrono captivo eam ali nubere, idque ex* Juliani *ſenſu, & propter patroni reverentiam. Exponitur, in quo ea reverentia, & illius ratio nixa, ſimulque differentia captivitatis, & mortis, vel alterius ſervitutis. Hæc ex* Academicis *noſtris ſcriptis, cui altelli noſtri ſubſcripſere. Nos & eis aſſentimur, quoad* Tribomani *emblema,* in l. 6. D. de divort. & l. 8. D. de capt. *Verba,* quod ſi voluerit, in dict. l. 8. *quadantenus expoſita. Quæ reſidua, ex proſcriptis* Juriſconſultorum *locis, ad hoc caput pertinentia, curſim diſpuncta, & notata.*

1 AD priora verba hujus capitis, quæ illius ſententiam, & veluti ſummam continent, ſcribemus neceſſaria, nec ſine cura, reliqua remiſſoria Scholia erunt, & brevia; in principio autem ſtatuimus, quanquam poſt Lipſium *in excurſu de noſtris legibus ad lib.* 3. *Annal.* Taciti, & ex eo Giffanium *ad tit. Cod. de repud.* creditum aliis ſit, *lege Julia de maritandis*, modum divortiis impoſitum, acceptis in hunc ſenſum Suetonii verbis, *in Auguſto cap.* 34. parum tamen de eo liquere, ac potius liquere ſolemnem divortiorum formulam, de qua *in l.* 2. *D. de divort.* eſſe *ex legibus* 12. *tabularum*, quod obſervaſſe primum Cujacium 1. *Obſerv. cap.* 30. agnoſcit Rævardus *ad leges* 12. *tab. cap.* 21. *in extremo*; & modum teſtationis divortii, coram ſeptem teſtibus, fuiſſe inductum *lege Julia de adulteriis l. unic.* §. 1. *verſ. item D. unde vir, & uxor.* junctis, *l. nullum* 9. *D. de divort. l. penult. D. ad legem Jul. de adult.*

2 Ergo id unum pro re præſente liquet, *lege Julia de maritandis ordinibus* impoſitum modum divortio libertæ, patrono nuptæ; verba legis collecta *ex l. ult. D. de divort.* & Ulpiano *lib.* 3. *ad leges Juliam, & Papiam*, ea fuere: *divortii faciendi poteſtas libertæ, quæ nupta eſt patrono, ne eſto, quandiu patronus eam uxorem eſſe volet.* Exprimuntur & ex eodem auctore, & libro *in l. in eo* 45. *D. de ritu nupt.* illa tanquam ex lege: *invito patrono libertam, quæ ei nupta eſt, ali nubere non poſſe.* Sententia aperta eſt, quam ſequentibus ad legis verba notis elucidabimus; & inprimis illa: *divortii faciendi, poteſtas ne eſto.* Quibus reſpondent illa *dict. l. in eo* 45. *invito patrono, ali nubere non poſſe.* Sane hiſce verbis conſentaneum videtur, & divortium invito patrono, nullum fore, utpote factum contra legem, *ut in l. nullum* 10. *D. de divort. l. un.* §. 1. *verſ. item Digeſt. unde vir, & uxor*, & matrimonium à liberta cum alio contractum, non eſſe matrimonium *l. ult. verſ. merito, & verſ. quare. Dig. de divort. l. penult. D. ad leg. Jul.*

Jul. de adult. dict. l. un. §. 1. verſ. lex Julia D. unde vir, & uxor. juncta regula *l. non dubium 5. verſ. nullum, Cod. de legibus.* At in utroque ſane aliud jus fuit. Nam quoad divortium, ut Ulpianus *lib. 3. ad leges Juliam, & Papiam in dict. l. ult.* ſcribit, *lex* ſcilicet *Julia, non videtur infectum effeciſſe divortium, quod jure civili diſſolvere ſolet matrimonium*; & ut poſtea ſubjungit, *quia intellexit legiſlator. facto libertæ, quaſi diremtum matrimonium, detraxit ei cum alio connubium l. ideo 62. §. 1. verſ. nec inter. D. de donat. & in l. unica, §. 1. verſ. lex Julia D. unde vir, & uxor.* & quoad matrimonium libertæ cum alio, quamvis connubium non ſit, ſive ea jure pro nupta non habeatur *dict. l. ult. verſ. quare cuicumque, D. de divort. l. 1. Cod. de inceſt. nup.* matrimonium tamen eſſe, & contrahi vere, quamvis non juſte, & juris ratio evincit, de qua poſtea, & proprie indicatur *in l. libertæ 8.* illic, *ali non poſſit juſte nubere, Cod. de oper. lib.* cui conſonat, dextre intellecta *dict. l. un. in princ. verſ. cæterum, & §. 1. D. unde vir, & uxor.*

3 Hæc primo aſpectu juris locorum, & rationum pugna, ut expediretur, expendebamus primi, & pridem Salmanticæ in recitationibus ad legem *lex Cornelia 28. D. de vulgari num. 27. legem Juliam* in hoc capite fuiſſe imperfectam legem, & ex earum claſſe, quas ita Ulpianus indigitat *tit. 1. in principio*, quia quamvis divortium libertæ, invito patrono, & illius cum alio connubium prohiberet, neutrum tamen contra legem factum reſcindebat, ſcilicet nec divortium, nec matrimonium, ſicut & imperfecta fuit in illo capite prohibitionis, connubii Senaturii cum libertinis, de quo ex profeſſo *lib. 2. cap. 8. num. 3.* quanquam perfectæ, eadem *Julia lex, & Papia* fuerint in aliis capitibus, ut in illo, de auctoritate tutoris ad dotem dicendam *l. ſive 62. in princ. verſ. quia lege, D. de ritu nupt.* & *in capite legis Juliæ Miſcellæ. l. hoc modo 64. §. 1. verſ. ipſo jure l. hæres 79. §. ult. D. de cond. & dem.* & *in lege Papia, de liberto centenario l. ſi libertus 16. D. de jure patron.* ad quam hæc, & ſimilia recenſuimus ſupra *hoc libro reliquat. 16. num. 7.* Ratio vero, ut pergamus, cur imperfecta lex in hoc capite, & in illo de connubio Senatorio, & perfecta in aliis recenſitis; ex eo fluxiſſe nobis viſa, quia matrimonia, & divortia, quatenus ex conſenſu, aut diſſenſu utriuſque conjugis pendent, & quidem libero, quia inter invitos nec contrahuntur, nec ſuſtinentur matrimonia *l. ſi patre 22. l. invitam 28. D. de ritu nupt. l. non ut à patre 8. D. de captiv. l. 2. Cod. de inutil. ſtip. l. non idcirco 14. Cod. de nupt. l. 5. Cod. de inſtit. & ſubſt. l. Titia 134. D. de verb. oblig.* connumerantur inter res facti, utpote pendentia ex voluntate, ſive affectu animi conſentientis, aut diſſentientis, & proinde ex facto *l. conſilio 7. §. ult. D. de curatore fur. l. bonæ 48. §. in contrarium D. de acquir. rer. dom. l. 1. §. Scævola 15. verſ. idcirco D. ſi is, qui teſt. lib.* facti autem res non fiunt infectæ legibus *l. in bello 12. §. facti 2. D. de captiv. l. denique 19. in fine D. ex quib. cauſ. majores*, & conſequenter nec *lege Julia dict. l. ult. in princ. & verſ. namque*, illic, *facto libertæ, D. de divort.* diverſum porro eſt in rebus juris, ut in auctoritate tutoris, quæ tota eſt juris, ſicut tutela *princip. Inſt. de tutel. l. quamvis 8. D. de tutelæ, & rat. diſtr. dict. l. ſive 62. verſ. quia lege D. de jure dot.* & in conditionibus, quæ legibus ſubditæ *l. conditiones 14. D. de condit. Inſtit. l. nemo 55. D. de legat. 1.* veluti viduitatis *d. l. hoc modo 64. l. hæres 79. §. ult. D. de condit. & dem.* & in alienatione, ſeu tranſlatione dominii, quod eſt meri juris *l. cum hæredes 23. D. de acquir. poſſ.* collata *cum l. 1. §. Scævola 15. D. ſi is, qui teſtam. liber.* & ideo, nihil vetat jure impediri, aut reſcindi, ut *lege Papia eo capite*, de quo *in l. ſi libertus 16. D. de jur. patron.* ad quam alia pro re, ſupra *Reliquatione 16. num. 7.*

4 Sit itaque pro explorato, ut concludamus, & divortium libertæ non fuiſſe infectum factum, ſeu reſciſſum *lege Julia*, quamvis *eadem lege* pro infecto habeatur, ut *in dict. l. ult.* ſive quod idem eſt, pro non rato, quoad juris effectus *l. nullum 9.* ſic exaudienda *D. de divort.* & primum matrimonium vere diremtum, ſeu ſeparatum, & ſecundum vere, & valide contractum, quamvis & primum matrimonium, & libertæ jure retineri, & ſecundum non juſte contrahi, & injuſtum dicatur, quia connubium lege ademtum libertæ *dict. l. ult. dict. l. un. §. 1. D. unde vir, & uxor. l. libertæ 8. Cod. de oper. lib.* ad inſtar matrimonii filiifamilias ſine patris conſenſu, quod pro injuſto erat, nec tamen diſſolvebatur, ut ex Paulo *2. Sent. 19. §. eorum, & princ. Inſtit. de nupt.* cum aliis, diximus curſim *lib. 2. cap. 9. num. 1.*

5 Secundum quæ, & in ſpecie jam obſervamus, quoad juris effectus, primum matrimonium, vel pro adhuc conſtante, & divortium, vel pro vero, & rato, vel pro irrito haberi, *lege Julia*, quoad juris effectus, qui vel favorem patroni repudiati, vel odium, pœnamque libertæ divertentis continent, quoniam iniquum eſſet, nocere patrono, aut prodeſſe libertæ divortium illud, quo ipſa in legem commiſit, ex ratione *l. auxilium 37. §. ultim. D. de minor. l. filio 48. §. 1. D. de ritu nuptiar.* Quocirca quoad actionem rerum amotarum, quæ non niſi divortio facto exerceri in uxorem ſolet *l. rerum 25. l. 1. l. ſi concubina 17. D. de act. rer. amot. l. 1. & 2. Cod. eodem tit. l. in duobus 28. §. quæ juraverit 7. de jurej.* & quoad accuſationem adulterii, ſimileſque actiones famoſas, quæ conſtante matrimonio in uxorem non conceduntur, *dict. l. 2. Cod. rerum amot.* habetur matrimonium pro diremto, & divortium pro rato, & patrono in libertam conceduntur *dict. l. ultim. §. ultim. verſ. proinde, D. de divort.* juncta *l. pen. in fin. D. ad leg. Jul. de adult.* & ſimiliter, quoad bonorum poſſeſſionem, quæ ex edicto, *unde vir, & uxor*, promittitur ei, quæ mortis tempore uxor fuit, non habetur liberta, quæ divertit, pro uxore, quin potius matrimonium pro diremto, per illius divortium, quamvis quoad alios juris effectus retineri in matrimonio videatur *l. un. in princ. & §. 1. D. unde vir, & uxor.* juncta Ulpiani regula *tit. 16. §. aliquando, & §. ult. in fine* de qua ex profeſſo ſupra *lib. 2. cap. 14. & ſeq.*

6 E contrario, & ex eadem in contrarium verſa ratione, quoad eos juris effectus, qui ex matrimonii diremtione, & divortio rato libertæ, ſequi in illius favorem poſſent, non habetur matrimonium pro diremto, nec divortium, pro rato: & ideo quoad repetitionem dotis, quæ non niſi ſoluto matrimonio uxori competit, *l. ſi conſtante 24. D. ſol. matr. l. ubi 29. Cod. de jur. dot.* habetur matrimonium pro conſtante, etiam poſt divortium libertæ, & perinde ac ſi divortium factum non eſſet, negatur libertæ de dote actio *d. l. ult. in princ & verſ. denique D. de divort.* quamvis de dote actio ei competeret, ſi voluntate patroni nupſiſſet *l. libertæ 35. D. ſoluto matrim.*

7 Quibus adjicimus, (ut fugitivarium alioquin à tractatu legum noſtrarum Marcelli locum huic capiti annectamus) ſi liberta, quæ à patrono divertit, & non multo poſt tempore, reconciliata patrono, ad eum revertatur, idem matrimonium eſſe cenſeri, his conditionibus concurrentibus, quod neque illa ali nupſerit, aut patronus aliam duxerit, & *maxime, ſi nec dotem vir reddiderit*, ut traditum à Marcello eſt, *libro 3. ad leges Juliam, & Papiam, in l. plerique 33. de ritu nupt.* cujus ſententia, quamvis non de liberta, ſed de muliere indefinite concepta ſit, nos tamen adaptamus libertæ, conjectura ducta ex ejuſdem Marcelli, & libri *textu in l. proxime 50. D. de ritu nupt.* & quia illud, de dote reddenda libertæ, ſi cum aſſenſu patroni divertit, aut ali nupſit, & non reddenda, ſi eo invito, tractatum quoad libertam videmus *in dict. l. ultim. verſ. denique, D. de divort. l. ſi libertæ 35. Dig. ſoluto matr.* Quanquam & in commune, & extra perſonam libertæ ea quæſtio diſcuſſa ſit à pleriſque, & poſt alios, à Javoleno *in l. poſt divortium 64. Digeſt. de jure dot. l. vir mulieri 64. D. de donat. inter*, quos deſignari, voce,

plerique, credimus, *in l.* 33. junctis ad rem *l. dotis* 68. *D. de jure dot. l. hæc conditio* 10. *D. de condit. & dem.* de qua non paucis ſupra *lib.* 2. *cap.* 18.

8 Ergo, ut pergamus illa eadem ratione, quoad donationes inter conjuges, quæ divortio, bona gratia facto, firmari ſolent, & ſi non jure, ſive non bona gratia fiat, infirmaret *l. Vitricus* 60. §. 1. *l. ſi non ſecundum* 35. *D. de donat. inter.* cenſetur divortium libertæ, invito patrono, non jure, ſive non bona gratia factum, & ideo donationes, in libertam collatæ, infirmantur *l. & ideo* 62. §. 1. *verſ. nec inter*, *D. de donat.* Denique nec diſſimile eſt, quod quamvis ſi divortium pro legitimo haberetur, permitteretur cum alio concubinatus libertæ *l.* 3. *D. de concub. l. probrum* 41. §. 1. juncta *l. etiam* 56. *D. de ritu nupt. dict. l. ultim.* §. *ult. in fin. D. de divort.* non tamen ei permittitur, ſi diverterit invito patrono, quia quoad hunc permiſſionis effectum, divortium pro irrito habetur *l.* 1. *& l.* 2. *D. de concub.*

9 Ex præmiſſis juris elementis jam pro explanando Pauli loco *in l. non ut à patre* 8. *D. de capt.* qui eſt *ex libro* illius 3. *ad leges noſtras*, & conferendus cum illo Ulpiani itidem *libro* 3. & ad hoc caput pertinente, *in l. in eo* 45. §. *ultim. D. de ritu nupt.* deduximus in eiſdem illis recitationibus, matrimonium captivitate mariti jure Civili diremtum, juxta *l.* 1. *D. de divort. l. ſi quis ſic* 57. *D. ſoluto matr.* non reſtitui jure poſtliminii, ſive quod idem eſt, non redintegrari, niſi novo conſenſu conjugis, neque uxorem à marito recipi poſtliminio, quamvis filius à patre reciperetur, *dict. l. non ut à patre* 8. *l. in bello* 12. §. *ſed captivi* 4. juncto §. *præcedente* 3. *l. cum duæ* 14. §. 1. *D. de captiv.* differentiæ ratio ducta ex præmiſſis eſt, quia ea quæ non facti, ſed juris ſunt, tametſi vere captivitate, ſeu ſervitute abrumpantur, *l. quod attinet* 32. *D. de regul. jur. l. nullo* 7. *D. de lege Corn. de Falſ.* ſuſtinentur in captivo, & reverſo reſtituuntur jure poſtliminii *l. illa* 32. §. 1. *D. de hæred. inſt. l. cum hæredes* 23. §. 1. *D. de acquir. poſſeſſ. l. in bello* 12. §. *cætera* 6. *D. de captiv.* cujuſmodi eſt jus filii, & patriæ in filium poteſtatis, quod poſtliminio ſuſtinetur, & reſtituitur, ſive filius, ſive pater ab hoſtibus redierit §. *ſi ab hoſtibus* 5. *inſtit. quib. mod. jus patr. pot. l. penult. D. de ſuis, & legit. l.* 1. §. 1. *Digeſt. de S. C. Maced. l. muto* 6. §. *ultim. D. de tutelis l. impuberem* 22. §. 1. *D. de lege Corn. de Falſ. l.* 1. §. *ſi pater* 12. juncto §. *Domini* 7. *D. de S. C. Syllan. d. l. honor à patre* 8. cum nuper laudatis, & connexum patriæ poteſtati in filio jus ſui hæredis *l. in bello* 12. §. *medio* 3. *l. ſi patre* 15. *D. de captiv. l. ſi quis* 6. §. *ſed ſi pater* 1. *cum* §§. *ſeq. D. de injuſto rupto. l. apud* 8. *Cod. de ſuis, & legit.* & jus conſanguinitatis, ſive legitimæ agnationis inter fratres *l.* 2. *D. de ſuis, & legit. l. penult.* §. 1. *& l. ult. D. unde legit.* & in univerſum ea jura non tam abſciſſa, quam pendentia, propter poſtliminium, dicuntur *l. ſi quis poſthumos* 9. §. *ſi filium. verſ. diverſum* juncta *l. penult. D. de lib. & poſth. l. bona* 22. §. *quod ſi filius*, *D. de captiv. l. ult.* §. *ultim. D. ad S. C. Tertyll. l.* 2. §. *quis deceſſerit* 3. *D unde legit.* & ideo filius, qui apud hoſtes eſt, obſtat interim nepotibus, & aliis gradu ſequentibus, ne in illius jus ſuccedant *l.* 1. §. *ſi filius* 4. *cum* §§. *ſeq. l.* 2. *D. de ſuis, & legit. l.* 2. §. *ſi vero* 7. *l. ultim.* §. *ultim. D. ad S. C. Tertyll. l. penult. D unde legit. l.* 4. §. *ſi deportatus*, *in fine*, *D. de bonis lib.* cum tamen ſi filius apud hoſtes moriatur, quoniam eo tempore, quo captus eſt, præmortuus fingitur, ſuccedant in ſui hæredis jus nepotes, & præteriti rumpant teſtamentum *l. ſi quis* 6. §. *ſi pater*, *cum ſeq. &* §. *quocumque* 4. *D. de injuſto rupt. dict. l. ſi quis* 9. §. *ſi filium*, *verſ. diverſum l. Gallus* 29. §. *quid ſi qui* 6. *&* §. *in omnibus* 10. *&* §. *videndum* 14. *D. de lib. & poſth. l.* 1. § *ſi filius* 8. *D. de ventre in poſſ. mitt.* Quæ, & alia pro illuſtranda prima illa parte, de jure filii recuperando per poſtliminium *in dict. l. non ut à patre* 8. expendi fuſius poſſent, ſi vacaret. At è converſo matrimonium, & illius conſervatio, quatenus ex conſenſu conjugum pendet, cenſentur res facti, ſive cauſa, in qua non operatur poſtliminium *l. denique* 19. *in fin. D. ex quib. cauſ. maj. l. in bello* 12. §. *facti*, *de captiv.* & quamvis conventiones aliæ, & contractus, quatenus à principio, ſive dum ineuntur, & contrahuntur, pendeant ex conſenſu, & hactenus facti ſint, tamen ſemel contractæ juris ſunt, & ſuſtinentur etiam contra invitum *l.* 5. *C. de oblig. & act. l. non idcirco* 14. *C. de contr. emt.* & ideo ſuſtinentur, & reſtituuntur poſtliminio, *l. ſpecies* 11. §. *ult. D. de acceptilat. l. hactenus* 11. *D. de conſtit. pec. l.* 4. *D. de divers. & temp. præſc. l. ſi pupilli* 7 §. 1. *D. de tutelæ, & ration. diſt. l.* 4. §. *ſi tutor.* 3. *Dig. rem pupilli ſalv. for.* de queis, & quidem plenius in Academicis illis noſtris dictatis, & ex eis contra Amaïam 2. *Obſ. cap.* 1. *num.* 11. *& ſeq.* Noſter Reteſius *lib.* 6. *Opuſc. cap.* 10. *num.* 2. atque ei ſuccenturiatus itidem noſter Eman. Gonzalius *ad cap. in præſentia* 19. *num.* 5. *de ſponſal.*

Continenter propoſitis, & conſequenter Paulus *in* 10
dict. l. non ut a patre 8. ſubjungit, non recuperari à captivo mulierem, niſi cum ipſa voluerit, & adhuc ali nupta non eſt; ac proinde ſupponit, poſſe eam ali nubere, & cum alio habere connubium, perinde ac ſi maritus mortuus eſſet: id, quod Ulpianus 3. *ad leges noſtras* in liberta uxore patroni captivi definit, tametſi dubitanter, *in l. in eo* 45. §. *ult. in princ. D. de ritu nupt.* & ſane conſequenter, quia ſi diremtum eſt matrimonium captivitate, ſicut dirimeretur morte (quæ & ideo ſpecies comparantur *in l.* 1. *D. de divort. l. ſi quis ſic.* 57. *D. ſol. matr.*) neque poſtliminio uxor recuperatur, nihil cauſæ eſſe videtur, cur illi nubere ali non liceat *dict. l. non ut* 8. At jam non dubitanter, ſed decretorie Ulpianus ſtatuit, *in dict. l. in eo* 45. §. *ult. verſ. & qui*, non poſſe libertam patroni captivi ali nubere, argumento ex Sententia Juliani, qui matrimonium libertæ, patrono invito divertentis, quamvis vere diremtum ſit, tamen durare cenſet, quoad juris effectus, libertæ odium reſpicientes, veluti permiſſionem connubii, vel concubinatus cum alio, ut ex eodem Juliano proponitur *in l. ult. verſ. denique*, *& verſ. Julianus*, *D. de divort.* Ratio autem ſententiæ Juliani *in dict. l.* 45. §. *ult.* ducitur ex reverentia patroni, quia in matrimonio vere diremto captivitate, & in liberta, quæ non divertit & proinde nec meruit, ut veluti in pœnam, adimatur ei connubium, ſicut *in dict. l. ult. verſ. merito*, non poteſt ademtio connubii ſubniti, niſi in patroni reverentia, quæ facit, ut liberta, quæ ei nupta fuit, non nubat ali ſine ejus aſſenſu *dict. l. ult.* §. *illud*, cum *l. pen. D. de divort. dict. l. in eo* 45. *D. de ritu nupt.* qui aſſenſus non recte infertur ex captivitate patroni *l. in bello* 12. §. *ſed captivi* 4. *D. de captiv.* ſicut nec ex eo, quod furioſus ſit *dict. l.* 45. §. *deinde*, & ſuſtinetur jus patroni captivi cum illius reverentia, propter ſpem poſtliminii *l.* 4. §. *ſi deportatus*, *in fin. D. de bon. lib. l. ult.* §. *pen. D. de aſſign. lib. l.* 1. §. *ſi apud* 2. *D. de legit. tut.* atque in eo non recte comparatur captivitas morti patroni, ut ſubdubie comparaverat Ulpianus *in princ. dict.* §. *ult. dict. l.* 45. (quamvis comparentur, quoad ſpeciem *l. ſi quis ſic.* 57. *D. ſol. matr.*) ſicut nec comparabilis eſt ali, præter captivitatem, ſervituti patroni, ut deciditur *in extremo dict. l.* 45. §. *ult.* quoniam ea ſervitutis civili morte, extinguitur jus patroni, nec ſuſtinetur probabili ulla ſpe *l. intercidit* 59. *D. de condit. & dem. l. ex facto* 17. §. *ex facto* 5. *D. ad S. C. Treb.* quamvis patrono reſtituto reſtituatur *l. ſive* 21. *D. de jure patron.* juncta *l. generaliter* 24. §. *ſi ſervus* 5. *D. de fideicom. lib.*

Sic nos in Academicis illis ſcriptis, ſubſcribente 11
Reteſio noſtro *dict. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 6. cui deinde pergenti ad Juliani textum, his, quæ deduximus, diſſentaneum, *in l. uxores* 6. *D. de divort. dict. l. non ut à patre* 8. juncta *l. ſi uxor* 13. §. *ſi quis plane* 7. *D. ad leg. Jul. de adult.* & agnoſcenti in illo Tribonianiſmum, ſicut agnovere Cujacius, Briſſonius, Goveanus, Faber, & alii, calculum noſtrum addimus,

thus, ingenue, & bona fide cenſentes, quamvis pro componendis *dict. l. 6. & dict. l. 8.* cum *dict. l. 45. §. ult.* ratiocinari olim in Academia licuit non improbabiliter: id ſaltem non ſilemus *in dict. l. non ut à patre 8.* verba illa, *quod ſi voluerit*, omiſſa correctione Balduini, *ad leges noſtras.* Ant. Fabri *in juriſpr. tit. 11. princ. 8. illat. 8.* & fere P. Fabri *ad l. nuptias 30. D. de reg. jur.* ſic exaudienda eſſe, ut ſi ſcriptum eſſet, *ſi voluerit*, ſcilicet ali nubere, ſi volens nupſerit, ſine cauſa probabili, quemadmodum *in l. ultim. D. de diviſ. rer. de verbis* illis, *tranſcendere voluerit*, admonuit, poſt alios, Hillig. *ad Donel. 4. cap. 2. litt. Z.*

12 Complanavimus huc uſque, quæ *in hoc capite*, ſalebræ, & ſcrupi fuere. Quæ reſtant plana, & pervia cuivis, & enarratores ſuos habent, ac præ aliis poſt Balduinum, & Gothofredum, luculenter Briſſonium, *libro de jure connubiorum*, & noviſſime noſtrum, & ex noſtra olim Salmanticæ diſciplina D. Laurentium Sanctos, quem præreptum publicæ rei, & litterariæ, recens doluimus, & nunc libenter memoramus, *in commentariis ad Licinium Ruffinum in l. matrimonii 51. ex num. 4. & 13. D. de ritu nupt.* ubi ad hoc *Juliæ legis* caput refert Caſum *in l. pen. D. ad leg. Jul. de adult* de quo tamen deliberamus. Sunt autem plana in primis illa, de eis, qui quoad hoc caput, pro patronis habendi, de queis *in dict. l. in en 45. in princ. & §. 1.* (de quo jam ſupra nos *lib. 2. cap. 21. num. 9. & 11.*) & *in §. 2. & 3. l. illud 46. l. filio 48. §. 1. & ult.* (de quo §. 1. non ſemel ſupra *lib. 3. cap. 1. num. 3. & 4.* & jungendum ei Terentii Clementis locum alium ejuſdem, & *ex eodem libro 8.* qui exſtat *in l. plane 14. D. de oper. lib.* prænotavimus *hoc libro*, ſupra *Reliquatione 10.*) & *l. proxime 50. D. de ritu nupt. l. pen. D. de divort.* Qualia item ſecundo ſunt, quæ ſequuntur, pro explanatione, quando patronus invitus dicatur, *in dict. l. 45. §. deinde 5. & in l. ult. §. illud, de divort. l. liberta 35. D. ſol. matr. l. 2. D. de contub.* Quale inſuper tertium eſt de liberta ſponſa, *in dict. l. 45. §. hoc caput 4.* cujus & explicatum dedimus *lib. 2. cap. 12. num. 2.* ac poſtremum, de liberta non invita ducenda, niſi matrimonii cauſa manumittatur, *ut in l. quod & Atteius 29. juncta l. 28. & 21. leg. matrimonii 51. D. de ritu nupt.*

AD CAPUT XXXI. EX LEGE JULIA.

RELIQUATIO XXIX.

Pro explanandis l. 61. 62. 63. 64. (quæ eſt ex Ulpiano *7. ad leges noſtras, ſicut l. 63. ex* Paulo *lib. 2.) & 65. D. ſolut. matrim. l. 14. §. ultim. D. de leg. Corn. de Falſis.*

ARGUMENTUM.

Capitis hujus in proſcriptis locis mentio liquida, non tamen ea ex eo in liquido, legem Juliam *ſtatuiſſe in commune de divortiis, tametſi* Gothofredo *ſic viſum. Pro ſumma capitis, quæ proponitur, tres caſus diſtinguuntur, ac de ſingulis diſtincte, & parce. Elucidatur* lex 61. D. ſol. matr. *& poſt* Cujacium l. 65. *Qua occaſione, cautio hæc de manumiſſione dotalis ſervi, inſerta noſtris* legibus, *perquiſitum, nec inventum, niſi dubia divinatione.*

1 FUiſſe hoc caput *ex lege Julie*, & exprimitur *in d. l. filius 14. §. ult. in princ. D. de lege Corn. de falſ.* & probabilis conjectatio eſt, *ex dict. l. & deſinit 63. & l. ſi vero 64.* quæ ſunt ex Pauli, & Ulpiani *libris ad leges noſtras*, junctis *§. dabit 6. & ſeq. ſol. matr.* At quod ea conjectatione, & ſimilibus aliis, ductis *ex l. non ut à patre 8. in fine de captiv. l. plerique 33. D. de ritu nupt.* cum aliis levioribus, & Suetonii loco *in Auguſto cap. 34.* ſcribit Jacobus Gothofredus *ad leges noſtras pag. 293.* ſtatuiſſe *legem Juliam, & Papiam* de divortiorum modo, & pœnis, nobis de illo parum liquere, niſi quoad divortium libertæ a patrono, monuimus *Reliquatione præcedente in princ.* de re nunc videamus; ſumma eſt (omiſſa matrimonii, citra uxoris culpam ſoluti, mentione, quam Gothofredus, ſuſpicioni ſuæ hærens, infarcit) qualem in Academicis aſſertionibus expreſſimus, *ſi vir dotalem ſervum manumiſerit, ſi quid ex bonis liberti ad eum, hæredemve ejus pervenit, aut dolo malo fecit, quominus perveniret, quanta pecunia erit, tantam pecuniam datu uxori*: ſumma, & verba collecta *ex l. ſi vero 64. §. dabit 6. cum §§. ſeq. D. ſol. matr. l. filius 14. §. ult. verſ. nn ideo, D. de lege Corn. de Falſ.* Eis explanandis, & pro univerſa re tres caſus diſtinguendi. Primus, quo maritus, volente, & donante uxore, dotalem ſervum manumiſit, qui caſus extra terminos hujus capitis *Juliæ legis* eſt, nam & donatio valet, & maritus nihil ex ea cauſa dare uxori tenetur *l. ſi conſtante 24. §. ſi vir 4. l. quod ſi vir 62. D. ſol. matr. l. quod autem 7. §. ult. de donat. inter l. maritus 22. Cod. eodem tit.* Secundus caſus eſt, quando maritus uxoris non invitæ illius negotium gerens, manumiſit dotalem ſervum; tunc enim, quamvis manumittendo patronus fiat, *l. 3. §. ſi dotalem 2. D. de ſuis, & legit. l. 3. Cod. de jure dot. l. ult. Cod. de ſervo pign. datu manum.* tamen quidquid ad eum tanquam patronum pervenit, tenetur uxori reſtituere, *ex lege Julia dict. l. ſi vero 64. §. Dabit 6. & §. item 5. & in princ.* & in quo, fecit dolo, quominus perveniret, ut *in §. adjicitur 7. dict. l. 64.* juncto, ad ea verba pertinente, Pauli *textu in l. filius 14. §. ult. verſ. an ideo, cum l. 6. §. ult. D. de lege Corn. de falſ.* non autem quæ alio jure, quam patroni pervenerint, *dict. l. 64.* cujus integra ſeries, & theſes ad hunc caſum pertinent. Tertius eſt, quoties invita uxore maritus, qui ſolvendo erat (cæteroquin libertas impeditur *l. ſervum 21. D. de manumiſſion. l. 1. Cod. de ſervo pign. dato manum.*) dotalem ſervum manumiſit, fit illius patronus, utpote illius dominus, cum manumiſit *l. 3. Cod. de jure dot. l. ult. Cod. de ſervo pign. dat. manum. l. 3. §. ſi dotalem 2. D. de ſuis, & legit.* debet tamen uxori reddere, quidquid ut patronus percepit, veluti portionem patronalem ei debitam in hæreditate liberti, ac præterea hæreditatem totam, ſi ex aſſe a liberto inſtitutus; ſed diverſo judicio, & tempore, nempe illam patronalem portionem, actione *ex lege Julia in hoc capite*, & conſtante adhuc matrimonio; at ultra illam, ſi hæreditatem perceperit, non niſi matrimonio ſoluto, & judicio dotis, ſeu rei uxoriæ, quæ tunc competit (in quo velim obſerves, diſtingui hunc caſum ab eo, quo negotium uxoris gerens, maritus manumiſit, *d. l. 64. §. item 5. verſ. plane, D. ſol. matr.*) Atque eſt & ita explananda Papiniani gnome *in l. dotalem 61. D. ſol. matr.* Quibus non eſt, quod adjiciatur, niſi actionem hanc *ex lege Julia*, ſive *de ſervis mulieris manumiſſis*, ut eam deſignant Baſilicorum Scholia *lib. 28. tit. 8. ad dict. l. 66.* eſſe conditionem *ex lege Julia*, ſive eſſe illam, de qua indefinite, competere etiam conſtante matrimonio, proditum eſt *in l. hæc actio 66. D. ſolutn matr.* obſervatore Cujacio *2. Obſer. cap. 34.* & hoc ipſum ad Papinianum, & alibi præmonente, & ſane gloriabunde, cum id ante eum, à Bartolo, Alberico, & aliis præventum, obſervet parum amice Hotmanus *lib. 12. Obſerv. ſive amicab. cap. 6.* poſt quos, & nobis laudatis noſtri, Suarius *ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 4. ſect. 1. ex num. 16.* Reteſius *tom. 1. Opuſc. in comment. ad* Scævolam

Scævolam in dict. l. 65. D. ſol. matr. qui & noſtro, ot aïunt, ductu, referunt ad hoc caput, *l. pretia* 63. *D. ad leg. Falc.* conferúntque cum *l. 65. D. ſol. matr.* de quo tamen ſubſiſtimus.

2 Jam ne fortaſſe, & fruſtra quæſieris, qua occaſione, aut quo fine *lex Julia* de manumiſſione dotalis ſervi, hoc capite caverit, cum neque ad maritandos ordines, neque ad præmia, aut pœnas ex noſtris legibus pertineat, divinare dumtaxat licet, occaſionem dediſſe huic capiti, id quod ſubjungimus de dote conſtituenda mulieri, virginive ex *lege Julia*, ut eo, quod percepiſſet maritus, ſi ſervus in dotem datus manumiſſus, caveretur *l. ſive* 61. *D. de jure dot.* aut ab eo capite de legitima portione patroni in liberto centenario, *ex noſtris legibus*, *l. ſi libertas* 16. *de jure patr. l. ſi patronus* 20. *D. de donat.* & aliis, ad eum tractatum pertinentibus, de queis late ſupra *Reliquatione* 8. *& ſeq. & Reliq.* 16. tranſitum factum ad patronatum in ſervo dotali, & liberto centenario facto; de quo & exaudiunt *dict. l.* 63. §. *item* 5. *in fin.* Græci Scholiaſtæ, innominatus & Theodorus illic *lib.* 28. *Baſilic. tit.* 8. Aſt hæ divinationes ſunt, non ex Phœbi cortina.

3 Retulit ad hoc caput Cujacius *l. id apud* 143. *D. de verb. ſign.* Ulpiani illic definitionem illam, ut apud ſe id habere quis intelligatur, id, de quo habet actionem; habetur enim qood peti poteſt, juxta regulam juris, *qui actionem* 15. *D. de reg. jur.* quo ſenſo, & perveniſſe id ipſum dicitur *l. 2. §. perveniſſe* 3. *D. de hæred. vel act. vend.* eaque conjectura Cujacius confert, jungitque Ulpianum *in dict. l. id apud* 143. cum ejuſdem Ulpiani textu, & aſſertione in noſtra *l. ſi vero* 64. §. *dabit* 6. *verſ. ſi vero*; & quidem recte, ſi uterque locus ex eodem Ulpiani *libro* eſſet; ſed ille *ex* 9. hic *ex 7. ad leges noſtras.* At quam ſæpe in his inſcriptionum numeris menda commiſſa?

AD CAPUT XXXII. ET XXXIII.

Ex lege Julia, *& illius appendices.*

RELIQUATIO XXX.

Et ad l. 61. quæ eſt Terentii Clementis *lib. 3. ad leges noſtras, D. de jure dot. l. 4. D. de tutor. dat. ab his, quæ eſt* Pauli *lib. 9.* Ulpianum *tit.* 11. §. *ex lege* 20. *& ſeq.*

ARGUMENTUM.

PRæoccupata commentatio ad hæc capita. Nos parte, & paucis Scholiis luſtramus, quæ lecta pro argumento ſunt.

1 PRæoccuparunt, quæ ad caput hoc pertinent, poſt Balduinum, Gothofredum, Cujacium ad Ulpianum *tit.* 11. & Rævardum 2. *Var. cap.* 10. Academici noſtri Suarius 1. *ad leg. Aquil. cap. 5. ſect.* 9. *num.* 44. Reteſius 1. *lib. Opuſc. cap* 5. atque hic ex aſſe adeo, & exacte, ut nec ſpicilegia reliquerit. Nos ſummam capitis, & verba, qualia in Academicis aſſertionibus, & nunc pro anteludio hujus operis deſcripſimus, ſignamus Scholiis, quæ ſequuntur.

2 *Ei mulieri, virginive.* Mulierem exaudio viduam, quæ ex virgine per nuptias nubendo mulier facta, ut *in l. alioquin* 13. §. 1. *de contr. emt.* cum ſimilibus, de queis affatim ſupra *Reliquat.* 27. *num.* 6. & nuptiis ſolutis vidua eſt *l. malum* 242. §. *viduam*, *D. de V. S. cap. viduam* 34. *diſtinct.* Virginem autem, illam, quæ nundum nupſit *l. mulieris* 13. *D. de V. S.*

3 *Quam ex hac ipſa lege nubere oportet*, nempe mulierem, ſive viduam, intra annum à morte viri, & ſex menſes a divortio, *ex lege Julia*, de qua Ulpianus *tit.* 14. & nos ſupra *Reliquat.* 15. Virginem autem ab annis viginti quinqoe, *ex lege Julia*, ut ex Ulpiano *tit. 16. in princ.* diximus *Reliquat.* 24. Namque & exinde eas nubere oportet, *ex lege*, ſive *ex lege* nubunt; ut ſcribitur *in l. ult. D. de ſtatulib.*

4 *Ad dotem dandam, dicendam, promittendam.* Verba, ut deſcribimus, ſunt ad dotem, non ad nuptias, quoniam hæ non tam tutoris, ſeu curatoris, quam pupillæ arbitrio permiſſæ *l. ſciendum* 20. *D. de jure dot.* junctis *l. viduæ* 18. *l.* in *conjunctione* 20. *Cod. de nupt.* Exprimontur autem tres notiſſimi modi dotis conſtituendæ, *datio*, *dictio*, *promiſſio*, ſive *ſtipulatio*, de queis Ulpianus *tit.* 6. At apud Terentium Clementem *ad legis Juliæ* hoc caput, *in l. ſive* 61. *D. de jure dot.* ſolius dationis, & promiſſionis mentio legitur, & omittitur dictio, utpote antiquata, poſt *l. eveſtio* 6. *Cod. de dot. promiſſ.* niſi ſi ea indicatur verbis illis, *doti promiſſum*, pro *doti dictum*, ut alibi ſæpe, & poſt Cujacium, alia obſervavimus *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 3. & poſt Academica noſtra dictata Aurelius Galvanus *de uſufr. cap.* 10. *num.* 4. *ſi legitimum tutorem non habeat:* expunximus, Cujacium ſecuti, *Pupillæ* nomen, quamvis & retineri poſſit, ſed in eo non moramur. *Tutor: pro Tutore, Curator* legitur apud Terentium, *in dict. l. ſive* 61. *D. de jure dot.* & *in l. ſi tutor* 7. *D. de tutor. dat. ab his*, ſed an Terentii id verbum, curatorem pro tutore accipientis, ut placitum Suario noſtro, an Triboniani, ut poſt Rævardum, noſtro Reteſio, 1. *Opuſc. cap.* 5. *n.* 3. Fabro, *in Juriſprud. tit.* 02. *princ.* 4. *illat.* 12. *A Prætore Urbis nominatur:* de Prætore hoc, nominaturo pro dote conſtituenda, accipiendus Ulpiani locus *libro 9. ad leges noſtras*, *in l. Prætor.* 4. *D. de tutor. datis ab his.* Ubi quod ſcriptum eſt, Prætorem non poſſe ſe ipſum dare tutorem, expeditam rationem habet, & congruentem aliis Ulpiani locis, *l. ult. D. de offic. Præt. l. 5. D. de offic. Præſ.*

5 Adjicimus pro appendicibus *legis Juliæ*, ſi nuptura in provincia ſit, tutorem pro dote conſtituenda dari oportere à Præſide provinciæ, idque, & alia ex Senatuſconſultis, Ulpiano auctore *dict. tit.* 11. §. *lege* 20. *cum ſeq.* cui jungendi *textus in l. 5. cum legib. ſeq. D. de tutor. dat. ab his l. ult. de offic. Prætor. l. 5. D. de offic. Præſ. l. ſi per errorem* 15. *D. de juriſd.* quæ ſunt Ulpiani, *ex libris de omnibus Tribunalibus*, & referendæ ad hæc Senatuſconſolta, *de tutelis l. pen.* juncta *l. muto* 6. §. *tutoris* 2. *D. de tutelis l. tutelas*, 7. *D. de capite minut.*

6 Nec ultra Scholiaſtæ ſumus; nam de quantitate dotis, quod ſcribitur *cap.* 33. attingemus levi manu *ad duo capita*, quæ ſequuntur.

A D C A P U T XXXIV.

Adſcriptum legi Papiæ, *& leg. 2. de inoffic. dotibus in Cod. Theodoſ.*

R E L I Q U A T I O XXXI.

A R G U M E N T U M.

F*Uiſſe* lege Papia *taxatam dotem*, *centum millia nummûm*, *creditum multis*, *conjectura* ex l. 2. Cod. Theodoſ. de inoffic. dot. *cui addita* Martiani Capellæ *alluſio*. *At in contrarium propendemus*; *&* Gothofredo *aſſenſum damus*, *in exponenda* dict. l. 2. *Quantitas dotis non tam ex legis taxatione*, *quam boni viri arbitrio æſtimanda*, *atque ea mens* l. 60. D. de jure dot.

1 STatutum *lege Papia*, dotibus modum, & quidem ita, ut decies centena millia, H. S. nummûm ſumma dos eſſet, cenſuere poſt Cujacium, aſſertionibus noſtris præeuntibus, noſtrates, Mendoza, *ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 5. ſect. 3. num. 46.* Reteſius *lib. 1. Opuſc. cap. 5. num. 4. & 6.* & aggeſtis multis Gonzalius *ad cap. 1. de adulteriis num. 8.* idque allatis vulgaribus *l. 6. §. 1. D. de in rem verſo l. avia 77. §. ult. D. de condit. & dem.* & Horatii, Juvenalis, ac Taciti locis, & argumento, tanquam diſerto, *ex l. 2. Cod. Theod. de inoffic. dot.* cui nos adminiculum dedimus Martiani Capellæ verba, ad rem hactenus illaudata, *lib. de Nuptiis Philolog. 2. in extremo*, illic: *Ac demum dos à virgine non deeſſet*, *tuncque Tabulas*, *ac legem Papiam Poppæam ſinerent recitari*, quæ cum Apuleianis, & Marculphi, *de lege Julia*, *de maritandis ordinibus*, nominata velut ex formula in tabulis nuptialibus, & maxime in imparibus nuptiis expendimus ſupra *lib. 2. cap. 40. num. 12.* cujus capitis in argumento indicata hæc, quæ *de Papia lege* in dotibus, inibi per incuriam Typographi omiſſa, nunc ſupplemus.

2 At enim levia hæc indicia eſſe, ut probetur, *legem Papiam* decies centena millia pro ſumma dote ſtatuiſſe, viſum Meriſio *lib. 3. Obſervat. cap. 6.* & poſt illum Jacob. Gothofredo *ad leges noſtras*, *pag. notarum 326. & in Cod. Theodoſ. tom. 1. ad eam l. 2. de inoffic. dot.* ubi illius conſtitutionis ſenſum, & ſummam eam eſſe ſcribit, ut liberis prioris matrimonii, ab uxore marito ali nubente, cum pacto integræ dotis apud maritum manſuræ. neque præjudicetur ultra dodrantem, diminuto illorum quadrante, ſive legitimæ (quod ſi accideret, eſſet inofficioſa dos) neque in fraudem *legis Papiæ*, relicta marito dote integra ab uxore, cum non ſit inter conjuges jus capiendi, ultra decimas, *ex lege Papia decimaria*, juxta *l. 2. Cod. de infirm. pœn. cælib.* Atque hæc fuſe Gothofredus, cui & magis acquieſcimus.

3 Accedit, & expendi pro eodem ſenſu poteſt, non taxatæ dotis per *legem Papiam* (quanquam non deſit, qui illi accommodet) quod deducitur *ex capite 32.* ſupra praſcripto, extatque *in l. quæro 60. Dig. de jure dot.* dotem nupturæ ſtatui oportere, pro facultatibus, & dignitatibus, & dignitate mulieris, & mariti, & ut alibi exprimitur, boni viri arbitratu. *l. cum poſt 69. §. gener 4. cum §. ſeq. Dig. de jure dot. l. ſi filiæ 43. Dig. de legat. 2. l. 3. Cod. de dotis promiſ. l. ſi curatorem 9. Cod. de admin. l. tam dementis 8. Cod. de Epiſcop. aud. l. mulier 28. Cod. de nupt. l. ſi ex cauſa 9. §. 1. Dig. de minor. l. unica, Cod. ſi adv. dotem.* quibus, & ſimilibus elucidandis, & componendis cum *l. 1. Cod. de dotis promiſſ.* non eſt operæ noſtra opus; & ſicubi opus, ut in obſcuro Pauli loco, *l. cum poſt 43. §. 1. Digeſt. de adminiſtrat. tutor.* adito illic Cujacium *7. quæſtion. Pauli.*

AD CAPUT XXXV. EX LEGE JULIA.

R E L I Q U A T I O XXXII.

Sive pro l. 19. D. de ritu nuptiar.

A R G U M E N T U M.

F*Uit hoc caput ex* lege Julia, de maritandis, *non de adulteriis*, *ut* Cujacio *excidiſſe viſum*. *Summa capitis ratio*, *& occaſio*, *ſumta ex* Romani juris *cenſura*, *quæ filiorumfamilias nuptias ſine patrum conſenſu habuit pro non juſtis*, *quamvis non pro irritis*, *ſeu diſſolvendis*, *quam cenſuram non improbavit* Evariſti Canon *& alii veteres*, *ante* Tridentinum, (*at de re curſim.*) *Ergo ea propter neceſſaria viſa* Juliæ legis *cautio*, *& conſequens illius fini*, *de non inhibendis à parentibus filiorum nuptiis per injuriam*. *Secuta legem* Conſtitutio Septimii Severi, *&* Antonini *filii*, *qua injuncta Provinciarum* Præſidibus, *coactio parentum ad collocandos liberos*, *& filias dotandas*; *id quod ex voto*, *& officio patrum*, *ut vocatur juris auctoribus*, *& obligatione legis*, *quo refertur* Modeſtinus in l. 52. §. lege, D. de obligat. & act. *Elucidatur gloſſis theoricis* Julia lex: *liberorum*, qui in poteſtate, *nomine*, *comprehenditur ex filio neptis*, *quæ in poteſtate avi paterni*, *non item neptis ex filia.* l. pen. D. de agnoſc. lib. *ex* Marcello lib. 8. ad leges Juliam, & Papiam (*quæ ad aliud tamen caput* Juliæ legis *reſpicit*) *Exponuntur*, *& componuntur* l. 5. §. ſi filius 10. D. de jure dot. l. 7. §. ult. cum leg. ſeq. D. de in rem verſo; *comprehenduntur item* Julia lege, *filii adoptivi*, *non autem emancipati* (*quamvis jure novo aliter*) *neque naturales*, *neque mater*, *ut dotet filiam*, *aut frater ſororem*, *niſi conſanguineam*. *Pro verbis*, injuria prohibuerint, *adnotatur*, *injuriam accipiendam de prohibitione*, *non jure*, *ſeu quæ ſine juſta cauſa fit*. *Obſervatur*, *quamvis non poſſint patres prohibere filiorum nuptias*, *ſine juſta cauſa*, *poſſe tamen patria auctoritate*, *& reverentia inhibere*, *ſi indignæ nuptiæ futuræ ſint*; *ſicut & cogere ad illas*, *eadem temperata vi*. *Explanantur*, *& expenduntur obiter* l. 21. & 22. l. 28. & 29. D. de ritu nupt. l. 63. §. ult. D. de condit. & dem. *cum aliis*. *Conjectura*, *de cogendis parentibus ad collocandos liberos*, *per* Prætorem Romæ, *ut ea propria fuerit* legis Juliæ, *& de cogendis in Provinciis per* Præſides, *& Conſtitutione* Severi. *Atque hactenus quæ theorica*, *in re.*

1 MAgis forenſi pulveri, quam umbraticis Scholæ diſſertationibus, ſervit ſententia hujus capitis, & tamen Scholis illuſtranda aptis theoriæ, cui Reliquationes hæ ſcribuntur.

2 Fuiſſe hoc caput 35. ex *lege Julia*, Marcianus docuit *in dict. l. 19. D. de ritu nupt.* eique ordini non, quæ præceſſerunt capita, ut reſponderent, in noſtris aſſertionibus concinnandis, voluimus, & cujus Florentinam lectionem ſecuti, non vulgatam, quæ incipit, *Qui liberos*; & ſane *Julia de maritandis ordinibus*, non *Juliæ de adulteriis*, ut Cujacius per oſcitantiam ſcripſit *ad librum 1. Papiniani d. adulteriis*, *in l. quæſitum 13. de teſtib.*

3 Summa, & ſententia legis fuit, ne parentes, qui liberos

liberos in poteſtate habent, eos injuria prohiberent, ducere uxores, vel nubere. Cauſa impulſiva, ut loquimur, ſic cavendi, illa, propria *legis Juliæ, de maritandis*, ut frequentiæ nuptiarum, & ſobolis proſpiceret, ſublatis matrimoniorum impedimentis, ut in aliis ejuſdem legis coutionibus *l. 6. §. ult. D. de jure patron. l. hoc modo* 64. *§. ult. D. de condit. & dem.* Ratio item illa, quia cum nuptiæ liberorum, qui in parentum poteſtate ſunt, ſi ſine patrum conſenſu incantur, nec poſtea conſenſus accedat, non conſiſtant, tanquam legitimæ, quomodo exaudienda *lex 2. D. de ritu nupt.* ſive non habeantur, Romano civili jure, pro juſtis nuptiis, ſolemnibus, & civili juri congruis, quoad effectus illius juris. *princ. Inſtit. & §. ſi adverſus de nupt. l. nuptiæ* 18. *l. filius* 11. *l. generali* 32. *l. filius* 35. *D. de ritu nupt. l. dotis* 68. *D. de jure dot. l. Paulus* 11. *D. de ſtatu hom. l. quid ergo* 13. *D. de his, qui not. infam. l. 3. §. ſi emancipatus* 5. *D. de bon. poſſ. contr. tab. l. 1. §. ult. cum l. 2. D. de liber. exhib. l. ſi uxor* 13. *§. ſi quis uxorem* 6. *in fine D. ad leg. Jul. de adult.* Ulpianus *tit.* 5. *§. Juſtum*, quamvis non diſſulvantur, ſed ratæ ſint & teneant, matrimonii jure, & jugo, ut eſt apud Paulum *lib.* 2. *Sent. tit.* 19. *§. eorum*, à quo Romano jure non diſcreparunt priſci Eccleſiæ canones, & præ aliis ille Evariſthi *in cap.* 1. *in princ. & fin.* 30. *quæſt.* 1. (cui explanando jungo vulgo illaudatam, Gratiani notam, poſt *cap. ultimum quæſt. 2. in extremo*, & quem libens laudo, & reddo hanc obſequii, & affectus Mnemoſynon, noſtri olim peramantem, & laudatiſſimum Card. Sfortiam Paravicinum *in Hiſt. Concilii Trident. lib.* 22. *cap.* 4.) tametſi noviores contra ſtent, ut decretorie S. Tridentina Synodus *de Reformat. Matr. cap. unic. ſeſſ.* 24. neceſſe fuit, (ne ulterius in re vulgata exorbitemus) & omnino conſequens fini noſtrarum legum, providere, ne patrum prohibitione filiorum nuptiæ impedirentur, per injuriam, juxta illud ſimile *l. hæres* 79. *§. ult. D. de condit. & dem.*

4 Sed & conſequens fuit, quod adjecimus ex conſtitutione Severi, & Antonini, (mandata vocavimus, cujuſmodi erant, quæ Præſidibus, in Provincias euntibus, dari ſolita, ut *in Novella* 17. *de mandatis Princip. l. mandatis* 35. *D. de pœnis l.* 1. *&* 4. *D. de colleg.* & in re connubiali, ſæpe *l. eos, qui* 65. *D de ritu nupt. l. 2. §. 1. D. de his quæ, ut indign. l. etſi 6. Cod. de nupt.* & Severi Septimii, atque Antonini Caracallæ, quos ſic nominari in juris libris, vulgo jam ſcitum, & quorum ſæclo, vel maxime floruit Marcianus *l. 1. in princip. Cod. de communi ſervo manum.* & quem proinde Septimium Severum ſuppetias fuiſſe in hac re, *legum Juliæ, & Papiæ*, obſervantiæ, liquet *ex dict. l. Capite* 19. *D. de ritu nupt.* neque uſque adeo, ſen non in totum leges noſtras, tanquam vaniſſimas, excluſiſſe, ut Tertullianus declamatorie ſcripſit *in Apologet. cap.* 4.) cogendos eſſe parentes per Proconſules, Præſideſque Provinciarum, in matrimonium collocare, & dotare. Ratio legis, & conſtitutionis ea in propatulo, quia paterni officii pietatis, & voti eſt, filiis nuptiarum conditionem quærere, ut ad leges noſtras reſpiciens, caſque *non incognitas*, vocans, ait Juſtinianus, *in l. ult. verſ. neque enim Cod. de dotis promiſſ.* & Juriſconſulti, *in l. dotem 6. D. de collat. bon. l. mulier* 22. *§. cum proponeretur D. ad S. C. Trebel. l. cum pater* 11. *D. de pact. dotal. l. 1. §. ſed ſi libertus* 10. *D. ſi quid in fraud. patr. l. pater* 71. *in fine D. de evict.* refert & ad hoc caput legum noſtrarum, Modeſtini, de eo, qui lege obligatur, dum obtemperans legi, filiam nuptui collocat, & poſtea ſi contra legem faciens dotare nolit, obligatur, *in l. obligamur* 52. *§. lege 5. D. de obligat. & act.* diſerte Accurſius ibi, verbo, *Lege verſ. vel dic.* cui allubeſcimus potius, quam Cujacio, & aliis.

5 Sequuntur gloſſulæ, & cum primis ad verba illa, qui *liberos, quos in poteſtate habent*, adnotamus, liberorum nomine, quoad præſens caput, non tantum filios, ſed etiam nepotes, & deinceps contineri, juxta receptum, generalemque ejus nominis uſum. *l. liberorum* 220. *D. de verb. ſign. l. liberos* 10. *D. de Senator.* dum tamen, ut lex exprimit, in poteſtate ſint. Proinde & continetur neptis, ex filio, quam paternus avus, illam in poteſtate habens, dotare debet, & cogitur, ex verbis *noſtræ legis, capite* 19. *l. dotem 6. de collat. bon.* (cujus Cujacius *in Recitationibus*, dexterior aliis, conciliator cum *l. avus* 79. *D. de jure dotium*) *l. avus* 33. *D. de pactis. l. cognovimus* 19. *§. 1. Cod. de hæret.* quamvis maternus avus non cogatur, in cujus poteſtate neptis non eſt *l. Cajus* 45. *D. ſol. matr.* juncta ex Marcello, *libro* 8. *ad leges Juliam, & Papiam, l. penult. D. de agnoſc. liber.* quam ad huc caput retulit Gothofredus, nec male, ſi liberorum ſeries ſuffragaretur, ut prænotavimus *Reliquation.* 3. *num.* 1. Nec contrarium ſuppoſitis eſt, quod exprimitur *in l. 5. §. ſi filiusfamilias* 10. *de jure dot.* filium, filiam ſuam dotantem, & ſolventem, non tam patris, quam ſuum æs alienum ſolvere; id enim, eo caſu, accipiendum, quo filius pro filia ſua, tanquam pater, & conſequenter non avi nomine, dotem promiſit, & ſolvit; vel pro ea filia ſolvit, cujus avus dotem daturus non fuerat, ut *in l. ſi vero* 9. *D. de in rem verſo.* joncta *l. 3. §. ſi emancipatus* 5. *D. de bon. poſſ. contr. tab.* non autem ſi negotium patris gerens, ut diſtinguitur *in l. & ideo* 7. *§. ult. cum l. ſeq. D. de in rem verſo. l. item* 7. *ſed etſi filius* 2. *l. filius* 17. *D. de S C. Maced. dict. l. 5. §. ſi filiusfamilias* 8. *D. de jure dot.*

Deinde ex verbis: *Quos in poteſtate habent*, elicitur, ut quamvis pater filiæ adoptivæ, in poteſtate retentæ, dotem debeat. *l. 5. §. ultim. D. de jure dot.* non tamen filiæ emancipatæ, ſicut nec maſculis emancipatis, nuptiarum conditionem quærere. *l. filius* 25. *D. de ritu nupt. l. 3. §. ſi emancipatus* 5. *D. de bon. poſſeſſ. contr. tab.* idque ita ex verbis *legis Juliæ*, quamvis in foro contra obtinuerit, & exprimatur *in l. ultim. in princip.* illic: *Vel forte emancipatus, Cod. de dotis promiſſ.* junctis, & rei foventibus, *l. 5. §. Papinianus. l. ſi pater* 44. *l. ſi rei* 51. *D. de jure dot. l. ſi furioſi* 25. *Cod. de nupt.* quin neque pater debeat dotem filiæ naturali. *l. uxorem* 41. *§ pater* 11. *D. de legat.* 3. ubi id pro explorato ſupponitur, in patre naturali, qui eo ipſo diſtinguitur à patre juſto. *l. 5. §. ſi pater pro filia* 11. *in fin. D. de jure dot.* ac tandem neque matrem cogi, filiam dotare. *l. neque* 14. *C. de jure dot.* neque fratrem niſi ſorori, ex eodem patre natæ, ſeu conſanguineæ. *l. cum plures* 12. *§. cum tutor. in fin. D. de adminiſt. tut.* 6

Sequuntur verba illa: *Injuria prohibuerint*, quæ ſic accipimus; ſi prohibuerint non jure, *ut in l. 5. §. 1. D. ad leg. Aquil. l. 1. D. de injur.* ſive non juſta ex cauſa; quia quamvis ſcitum ſit, libertatem matrimoniorum in filiis non poſſe à patribus impediri, neque coactione præciſa, ad illa contrahenda. *l. non cogitur* 21. *D. de ritu nupt. l. nec filium* 12. *l. neque* 14. *C. de nupt.* neque prohibendo ea contrahere, juxta regulas *l. 2. Cod. de inutil. ſtip. l. Titia* 134. *§. 1. D. de verb. obl. l. adigere* 6. *§. ſi patronus* 2. *de jure patr.* utrumque tamen ſic accipi oportet, ſi per injuriam, ſive ſine juſta cauſa cogant, aut prohibeant, alioquin juſta ex cauſa, & præceptione reverentiali, non excluſiva conſenſus, licitum patri, cogere filios ad matrimonium. *l. ſi patre* 22. juxta communem intellectum, *D. de ritu nupt. cap. 1. in fine*, cujus hæc etiam eſt recepta explanatio, *de deſponſat. impub. cap. tua Tua Sanctitas 2. in fine* 31. *qu.* 2. & quod magis eſt, patrono etiam, quamvis invitam libertam, ut ſibi nubat, cogere non poſſit; *l. invitam* 28. *D. de ritu nupt.* licitum tamen, cogere, civili jure, ſi ut ſibi nuberet, manumiſit. *l. quod & Atteius* 29. *l. matrimonii* 51. *D. de ritu nupt. dict. l. 6. §. ſi patronus 4. D. de jure patronat.* Et eadem ratione, etiamſi à patribus nuptiæ filiorum prohiberi per injuriam non debeant, ut *in noſtra lege Julia* exprimitur, poſſunt tamen, paterna, & moderata auctoritate, & juſta ex cauſa, veluti ſi indigna matrimonia inire velint, ut quoad ſimilia capita *legis Juliæ*, licet colligere *ex dict. l. 6. §. ult.* illic: *Si modo* 7

do nuptias contrahere recte velint, *D. de jure patr. l. 3. §. ſi quis libertam 5. D. de ſuis, & legis. l. cum ita 63. §. ultim. D. de cond. & dem.* juncta *l. 3. §. ſi emancipatus 5. D. de bon. poſſ. contr. tab.* Qua de re tota, ſive de intelligentia juſtæ libertatis in matrimonii, pluribus, & plene ſupra *lib. 2. cap. 49. & 50.*

8 Subjungitur *in noſtra l. capite 19. vel qui dotem dare non volunt.* Quæ verba, ſi *ex lege Julia* ſunt, pertinent proprie ad filiam, neptemve, queis dotes dantur, non autem ad liberos maſculos, quanquam ad illos quoque poſt *legem Juliam*, & Conſtitutionem Severi, introductis propter nuptias donationibus, protracta deciſio ſit. *l. ultim. Cod. de dot. promiſſ.*

9 Illud adhuc pro eiſdem, & ſequentibus verbis, ſuſpicionis noſtræ fuit, cui poſtea hæſiſſe Gothofredum videmus, cautionem, de non prohibendis filiorum nuptiis per injuriam, & cogendis parentibus ad filias dotandas, fuiſſe proprie *ex lege Julia*, & pertinuiſſe eam coactionem Romæ ad Prætorem, ut diſcere eſt *ex l. 5. §. ſed etſi proponas 4. D. de jure dot.* & quidem, ut ex officio, ut aiunt, Judicis cogant, & dotent. *dict. §. ſed etſi proponas 4. l. ſi furioſi 26. Cod. de nupt.* At Conſtitutione Severi, & Antonini, injunctam in Provinciis, earum Proconſulibus, & Præſidibus coactionem *dict. l. capite 19.* quemadmodum in alio capite *legis Juliæ*, cautio illa, de tutore dando pro dote conſtituenda mulieri virgini, porrecta fuit a Prætore ad Præſides Provinciarum. Ulpianus *tit. 11. §. ex lege 20. cum. ſeq. l. ſi Prætor 4. D. de tutor. dat. ab his.* de queis ſupra *Reliquat. 29.* Porro Marcianus, qui & *Reſcriptorum* Severi veluti collector fuit, *l. 1. Cod. de comm. ſervo man.* ita *Reſcripti*, & *legis Juliæ* cautionem miſcuit, niſi forte ab alia manu intercifus textus eſt *dict. l. 19.* ut quod poſuimus, ſuſpicionis tantum ſit, non aſſertionis.

Atque hæc pro Academicis ſatis, poſt Balduinum, Briſſonium, Gothofredum, Duarenum, Connanum, Hotmanum, Donellum, Giffanium, Fabrum, Merilium, alioſque ejuſdem notæ. Pro tritura fori, qui ſcripſere, quis numeret? aut cui non ſatis ſcripta P. Barboſæ *in l. 1. parte 4. per totam D. ſolut. matrim.?*

AD CAPUT XXXVI. EX LEGE JULIA, ET PAPIA.

De cœlibe, orbo, & ſolitario patre.

R E L I Q U A T I O XXXIII.

Pro Ulpiano *tit. 13. 17. & 22. §. 1. l. 1. Cod. de infirm. pœn. cœlib. & orbit.*

A R G U M E N T U M.

M*Ateria ejuſce Capitis, & quæ ſequatur, res eſt, ut* Tribonianus *locutus*, pene in corpore juris effuſis, *& inter juris ſcientiæ arcana. Pœnarum cœlibatus ratio, & origo. Illarum potiſſima, &* legum in *hoc capite cautum fuit, ne cœlibes ex teſtamento hæreditatem, aut legatum caperent, & orbi non niſi ſemiſſem.* Dionis, Euſebii, Sozomeni, Nicephori, Tertulliani *teſtimonia, &* Juvenalis, *ac* Plutarchi *alluſiones, &* Vertranii, *quoad orbos, lapſus, &* Rævardi, *fere idem. Relata ad hoc caput* lex 138. D. de V. S. *quæ ex* lib. 4. Pauli ad leges noſtras, *ſicut ad eaſdem* legis *nomen*, in l. 12. §. 1. D. de bon. poſſ. *Relata item, & expoſita* ex eod. lib. l. 87. D. de leg. 3. *Extenſio* legum *ad fideicommiſſa, & donationes, mortis cauſa, ne alioquin eluderentur. At eo poſitu, quæſitum, qui opus fuerit S. C. deſcripto* in l. 35. D. de mort. cauſ. don. *quæ eſt ex* Paulo, lib. 6. ad leges noſtras, Cujacii *aſſertis, de caducitate deficientium ante apertas tabulas, non extenſa ad donata cauſa mortis, refellitur.* Germana d. l. 35. *explanatio, productis in* Cujacium. l. un. §. 14. C. de caduc. toll. l. 1. C. Theod. de bon. proſcr. l. 25. D. de donat. inter. *ſubmotum* Cujacii *argumentum, ductum* ex l. un. §. cum igitur, C. de cad. toll. *& ſignanter illud, quo utitur magno niſu*, ex l. ult. §. ult. D. de mort. cauſ. don. *de cujus ſenſu proprie, & nove poſt* Baſilica. *Luſtrantur curſim reliqua* dict. l. 35. & 37. *ex* Ulpiano lib. 13. ad leges Juliam, & Papiam, D. de mort. cauſ. don. l. cum quis 8. *ex* Paulo lib. 6. D. de condict. cauſa data, *quæ ſunt ex libris conſultorum* ad leges noſtras. *Additur de mortis cauſa capione*, Marcelli *locus* ex lib. 1. ad leg. Jul. & Pap. in l. 38. D. de mort. cauſ. don. *& paraphraſtice illuſtratur. Tranſitus fit ad orbos, & de illis cautionem, ad quam referenda (potius quam ad* Voconiam legem *cum* Ant. Auguſtino) *mentio, de illis, qui non ſolidum capiunt, frequens in juris locis qui laudantur. Præmittitur, & ad rem expenditur* Ulpiani *regula* l. 57. D. de legat. 1. cum l. 7. D. de cond. inſt. *& ſententia* Pauli lib. 3. tit. 4. §. conditiones. *De centum diebus cretionis, quoad leges noſtras breve notatum, cum interpretamento* Ulpiani 4. ad leges noſtras, in l. 133. D. de V. S. *jam præmittitur & diſtinguntur, qui abſolute incapaces, ut peregrini, & qui capaces, ſed queis, ut indignis, quod cepere, eripitur, & qui capaces, ut cives, ut per* leges *noſtras non cum effectu, niſi illis intra dies centum pareant. Jam quoad* dict. l. 51. D. de legat. 2. ex lib. 3. ad leges Juliam, & Papiam, *quanquam à* Balduino, *&* Cujacio *ad cœlibes refertur, Nos tamen retulimus pridem ad* Latinum Junianum, *præeuntibus conjecturis. Jungitur eidem* l. 52. *tanquam illius ſectio ex eodem* Terentio, *& libro* cap. 3. lex delata 151. D. de V. S. *Exponitur deinde* Calliſtratus in l. 3. §. quando 2. D. de jure Fiſci, *& operoſe magis* Caïus 12. ad leges noſtras in l. 55. §. 1. D. de legat. 2. *& poſt alios* Terentius lib. 16. in l. 82. D. de acquir. hæred. *obſervatur præter plurium captum*, Modeſtinum in l. 62. D. de hær. inſt. *non eſſe intelligendum de cœlibe, aut orbo ſed de peregrino. Sequitur accurata expoſitio, &* legibus *noſtris aptanda*, l. 78. §. ult. cum l. 79. & 80. D. de hær. inſt. *Uſus nominum* Titii, *&* Mævii, *frequens, exempli gratia, Conſultis; ſubſtitutus cur vocetur in* d. l. 80. *qui in* §. ult. d. l. 78. *adjectus, aut cohæres, & utrobique exaudiendus de cœlibe, ac explicanda res* ex noſtris legibus. *Ex verbis Capitis*, de teſtamento extranei, *illata aliqua, & fœnerata lux* l. 23. §. ult. D. de Ædil. ed. *quæ intellecta de cœlibe, quanquam & poſſit de deportato. Solitarius pater apud* Ulpianum tit. 13. *quis; & aſſenſum interim* Gothofredis, *ut fuerit pater inimicus filii. Expenſum* Juvenalis *carmen:* Si numerum, ſi tres implevero: *& perfuſus novo nitore* Caius lib. 8. ad leges Juliam, & Papiam, in l. 147. & 148. D. de V. S. *Tandem pro corollario, ſubditur conjectatio noſtra de S. C. cujus mentio* in l. 70. & 71. *quæ ex* Paulo 5. ad leges noſtras, D. de hæredib. inſt. *fuiſſe illud acceſſorium* legibus Juliæ, & Papiæ, *& ſubſidiarium illarum finis, contra cœlibes, & orbos, queis captatores, & cœlibatui ipſi, & orbitati veluti favebant, & ideo improbatæ illorum technæ, in relictis captatoriis. Expenſus in propoſito, præter alios, & graphice illuſtratus* Petronii *locus* cap. 76. Satyrici.

1 SUccedit Tertia pars, ut Salmanticæ diſcernebamus, & inter juris ſcientæ arcana, celebrior ſemper habita, & primaria legum noſtrarum, pertinens ad pœnas cœlibatus, & orbitatis, caduca, ereptitia, vacantia, (rem, ut ex Triboniano apud Juſtinianum effertur, *in l. unica, Cod. de caduc. toll.*

Digitized by Google

in omni pene corpore juris effuſam). & quæ intercidunt, acceduntve reconditi juris diſſertationes, de queis ſingulis ſigillatim, & breviter, ſed cum cura, ſcribemus.

2 Meminiſſe autem, oportebit, effati illius, de quo plene ſupra *lib.* 1. *cap.* 4. *&* 5. pro fine illo, cui intentæ noſtræ leges, ſobolis, & ærarii augendi, non dumtaxat matrimoniorum frequentiæ, maritalibus conſtitutis, & præmiſſorum pollicitatione eis, qui mariti, patreſque forent, de queis huc uſque, proſpexiſſe, ſed etiam prohibitione cœlibatus, & pœnarum comminatione, ſive mulctarum, quæ ærarium augerent, compuliſſe ad nuptias, & liberos ſucipiendos, ut ex Tertulliano *libro de Exhortat. Caſt. cap.* 12. & *de Monogam. cap.* 16. Plinio *in Panegyr. ad Trajanum*, Ambroſio *in caput* 3. *Lucæ*. Hieronymo *contra Jovin. lib.* 1. *cap. ult.* & præ aliis, vetere Panegyriſta, *ad Maximianum*, qui reſpectu etiam ad hanc partem, leges noſtras appellat, *fundamenta Reipublicæ*. Et prænotavimus hæc, & alia *dict. cap.* 5. *&* 1. *lib.* 1.

3 Eo poſito, aut præmiſſo, ſententia legum in hoc capite, qualem in Academicis aſſertionibus effinximus, ſive efformavimus, illa fuit: *Innupti, innuptæque, ex teſtamento extranei, niſi intra centum dies legi paruerint, neque legatum, neque hæreditatem capiunto, orbi ſemiſſe relictorum mulctantor.* Collecta hæc legum ſumma ex Dione *lib.* 56. qui de viris, & fœminis locutam legem, exprimit, & ſignate Sozomeno *lib.* 1. *Hiſt. Eccl. cap.* 9. Nicephoro 7. *cap.* 46. Euſebio 4. *de vita Conſtantini cap.* 26. quorum verba dedimus *dict. cap.* 3. *num.* 3. Ulpiano *tit.* 17. *& tit.* 22. §. *cum quo* 3. *l.* 1. *Cod. Theod. & Juſtin. de infirm. pœn. cœlib. & orb.* & vulgares ſunt ad hoc caput alluſiones Tertulliani *de Monogam. dict. cap.* 16. illic. *Aliud eſt, ſi & apud Chriſtum legibus Juliis agi credunt, & exiſtimant, cœlibes, & orbos ex teſtamento Dei ſolidum non poſſe capere.* Juvenalis *Satyra* 9. apud quem mœchus ſic marito:

Jam pater es; dedimus, quod famæ opponere, poſſit:
Jura parentis habes, propter me ſcriberis hæres:
Legatum omne capis.

Et alia, de queis alibi. Plutarchi *libello περὶ Φιλοστοργίας ſive de amore prolis, in princ.* quo poſt memoratas Licurgi, & Solonis leges in cœlibes, ſubjungit de Romanis, *eorum multos uxores ducere, & liberis dare operam, non ut hæredes habeant, ſed ut ipſi aliorum hæredes eſſe poſſint.* In quæ ſingula, & alia, peccat abſurde, & audenter, orbis capacitatem ex noſtris legibus largiens, Vertranius Maurus *de Jure Liber. cap.* 2. & ſimili inſcitia contendens, non fuiſſe orbos incapaces *ex lege Julia*, contra Tertullianum *de Monogam. cap.* 16. ſed poſtea *ex lege Papia*. Revardus *ad l. non poteſt.* 208. *D. de reg. jur.*

4 Ergo prior pars hujus capitis, cum ea ſit, cœlibes, ſive quod idem eſt, marito, aut uxore carentes, non poſſe legatum, vel hæreditatem capere, (ex teſtamento extranei, & niſi legi intra centum dies paruerint, de queis poſtea) nunc in primis, & opportune notatur, pertinere proprie ad hoc caput, quod traditur ex Paulo *in l. hæreditatis* 138. *D. de verb. ſign.* ex *libro* 4. *ad leges noſtras*, (ex quo & eſt ad hoc caput pertinens *l. & fideicommiſſum* 87. *D. de leg.* 3.) hæreditatis appellatione, bonorum poſſeſſionem contineri, quia tametſi quoad alia differant multum hæreditas, & bonorum poſſeſſio. §. *quos autem* 1. *Inſtit. de bon. poſſ. l. qui in aliena* 6. *D. de acq. hær.* non differunt, quoad *legem Juliam, & Papiam*, per quas cœlibes hæreditatem capere prohibiti, intelliguntur etiam prohibiti, & ſubmoti à bonorum poſſeſſione, ne ſi ad eam admitterentur, inanis fieret prohibitio legis. *l. non eſt* 12. §. 1. in qua, *legis*, nomen ad *Juliam*, ſeu *Papiam* commode refertur, *D. de bon. poſ.*

5 Quemadmodum eadem ratione, & ad eaſdem leges refertur vulgo, quod ex eodem Pauli *libro* legitur in *l. & fideicommiſſum* 87. *D. de legat.* 3. & fideicommiſſum, & mortis cauſa donationem appellatione legati contineri, nempe quoad leges noſtras, ut ſicut cœlibi non licet, capere legatum, de quo ſolo leges noſtræ locutæ, ita nec liceat fideicommiſſum, quamvis alioquin inter legata, & fideicommiſſa multæ, ac nobiles differentiæ eſſent, de queis & multa nos *in Academicis recitationibus ad l.* 1. *D. de legat.* 1. *ex num.* 10. ſed ne, ut aliorſum ſcripſit Hieronymus *Epiſt. ad Oceanum, per fideicommiſſa legibus illuderetur*, ſive ut de noſtris legibus Quintilianus *lib.* 9. *Inſtit. Orat. cap.* 2. *Quia inſtitui uxor non poterat, id ageretur, ut ad eam bona per fideicommiſſum pervenirent.*

Id quod ipſum rationis, & juris fuit, in donationibus cauſa mortis, qua cœlibibus capere non licuit, ne ſcilicet donationum commento, legum prohibitio eluderetur. *dict. l. & fideicommiſſum* 87. *l. Senatus* 35. *l. illud.* 37. *D. de mort. cauſa donat.* & quamvis generaliter donationes mortis cauſa, comparentur, ſeu reductæ ſint adinſtar legatorum. *l. Marcellus* 13. *in fine. l. ſi debitor* 17. *D. de mort. cauſ. donat. l.* 1. §. *quod autem, D. ſi quid in fraud. patroni. l.* 2. *D. de Publiciana. l. ſub conditione* 18. §. 1. *D. de bon. poſſ. contr. tab. l. ſi vero* 8. §. *ſed etſi mortis* 3. *l. in ſervitutem* 16. §. *ſed. etſi quid* 6. *D. de bon. lib.* cum tamen, & non ſemel propriis rationibus diſtinguantur. *l.* 5. §. *qui mortis* 17. *D. de his, quæ ut indign. l.* 1. §. *ſi quis ex mortis* 5. *cum* §. *ſeq. D. quod legator. l. Senatus* 35. §. *ultim. D. de mort. cauſ. don. l. ſi filius* 20. §. *ult. D. de legat. præſt.* ac præterea cum leges noſtræ in hac prohibitione, pœniſque cœlibum pro odioſis habitæ. *l. unic.* §. 1. *Cod. de caduc. toll. l.* 2. *Cod. de infirm. pœn. cœlib. l.* 2. *Cod. de jure lib.* & conſequenter tanquam pœnales, coarctandæ magis, quam extendendæ. *l. cum quidam* 19. *D. de lib. & poſth. l. pen. D. de pœnis*; ac demum cum prohibitio capiendi ex legibus noſtris, referatur diſerte ad jus capiendi ex teſtamento, à quo ſæpe independent mortis cauſa donationes. *l.* 5. §. *qui mortis* 17. *D. de his, quæ ut indig. l. ſi filius* 20. §. *ultim. D. de legat. præſt.* neceſſaria, & præcipua viſa ratio, & regula, de legibus etiam pœnalibus, aut ſtrictis, ad eos caſus extendendis, per quos niſi extenſio fieret, leges fraudarentur. *l.* 3. §. *is autem* 3. *in fin. l. item* 7. §. *mutui* 3. *in fin. D. de S. C. Maced. l. contra* 28. *D. de legib.* & ad rem proprie, & prope magis, *l. quæ ſub conditione* 8. §. *in fideicommiſſis* 2. *&* §. *& in mortis* 3. *Digeſt. de condit. inſtit.* 6

Sed hæc notata jam vel plebi litteratorum. Illud fortaſſe nondum; ſtante nuper ſtabilita ratione, & regula, de porrigendis noſtris legibus ad donationes cauſa mortis, fideicommiſſa, & bonorum poſſeſſiones, ut quid fuerit opus Senatuſconſulto, quoad donationes? cujus mentio *in dict. l. Senatus* 35. Nec moramur Giſſanium, exaudientem pro S. C. *legem Papiam*, quam ſupponit, latam auctore Senatu, credulus Lipſio, cui nos in hoc non creduli, ſupra *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 2. *ad finem*. Quin nec creduli nos Cujacio, ſcribenti *ad l. unic.* §. *cum igitur, Cod. de caduc. tollend.* cautum quidem fuiſſe S. C. de quo *in dict. l.* 35. ut cœlibes incapaces eſſent donationum cauſa mortis, ſicut legatorum, non autem, ut donata fierent caduca, ſi ante apertas tabulas, deceſſiſſent hi, quibus donata. *l. ultim. D. de mort. cauſ. donat.* de qua ita idem Cujacius *tractat.* 2. *ad African. in l. ſi filio* 23. *D. de mort. cauſ don.* fere obſequenter Balduinus, & Giſſanius, Cujacium ſecuti. Queis tamen video non ſubſcripſiſſe Jacob. Gothofr. *ad leges noſtras in notis ad cap.* 30. *pag.* 347. *& ſeq.* quoniam caduca, ut odioſa, non fuerunt amplianda, nec ampliata fuere Senatuſconſultis. *l. unic. in princip. verſ. ſed & ipſis, Cod. de caduc. toll.* Aſt in primis, & noſtro quæſito, & Cujacio, & aliis fit ſatis, ſi obſervetur, utcumque ex juris regula, & ratione, de quo *ſupra*, cœlibes capere prohibiti legibus noſtris, ne illis fraus fieret, prohiberentur etiam à capiendis donationibus mortis cauſa. *l. omnibus* 9. *D. de mort. cauſ. donat. dict. l.* 87. *D. de legat.* 3. *l. ut hæredibus* 50. *Digeſt. de legat.* 2. cum tamen, neque omnia incapacibus relicta, in Fiſcum caderent, ſeu caduca eſſent, ſed quædam eſſent pro non ſcriptis. *l.* 1. *Cod. de hæred. inſtit. l.* 3. *& l.* 4. §. 1. *D. de his, quæ pro non ſcript.* & hoc amplius hæreditates, & le- 7

gata

gata in cœlibibus; non ſemper in fiſcum caderent, ſed ſuis, certiſque caſibus, ut apud Ulpianum *tit.* 16. & *tit.* 22. §. *cum quo* 3. & non ſemel manerent, vel apud ipſos, ſi capacitatis privilegio, ſeu jure liberorum niterentur, ut *in l.* 1. & *ſeq. Cod. Theod. de jure liber.* & aliis, de queis ſuo loco, vel apud rogatos, ut in ſimili *S. C.* de quo *in l. Julianus* 60. *D. de leg.* 2. vel denique apud eoſdem cœlibes, ſi eſſent ex his, qui jus antiquum haberent, de queis Ulpianus *tit.* 18. oportuit ſtatui, quo jure eſſent fſitura, quæ cœlibes mortis cauſa donata non caperent. Et vero hoc ipſum fuit, quod ſtatutum *S. C.* nempe, *Placere, mortis cauſa donationes, factas in eos, quos lex prohibet, capere*, (ſcilicet cœlibes, qui prohibentur *lege Papia*, dum legatorum nomine, donationes continentur. *dict. l.* 37. *D. de legat.* 3. *dict. l. illud.* 37. *Dig. de mort. cauſ. donat*) *in eadem cauſa haberi, in qua eſſent, quæ teſtamento his legata eſſent, quibus capere, per legem non liceret*; & proinde ut vel in fiſcum caderent, caducæ eſſent, ſuis caſibus, vel manerent apud eos, quos memoravimus; cui ſincero, ut credimus, ſenſui verborum *dict. l.* 35. accedit, pro ejuſdem comprobatione, quod Juſtinianus ſupponit *in dict. l. unica* §. *hæc autem* 14. *Cod. de caduc. toll.* dum ſtatuit, locum habere perinde *in mortis cauſa donationibus*, atque in aliis relictis, conſtitutionem illam, de caducis tollendis, & conſequenter ſupponit, ante illam conſtitutionem locum fuiſſe caducis, in mortis cauſa donationibus. Accedit etiam Conſtantini *lex* 1. *Cod. Theod. de bonis proſcr.* dum loquitur *de capacitatis privilegio*, videlicet, & *modo inſpecto, ut conſideretur, quid capere potuit*; idque in donationibus, à marito in uxorem collatis, & morte firmandis, & quoad caput decimarium *noſtræ legis Papiæ*; ad quod itidem pertinet, & ad mortis cauſa inter conjuges donationes, *ex libro* 5. Terentii Clementis *ad leges noſtras*, *lex ſed etſi conſtante* 25. *D. de donat. inter.* de queis & nos *ad caput*, quod ſequitur.

8 Neque obſiſtit nobis, hac via euntibus, uber Cujacii in *dict. l. un.* §. *cum igitur*; nam quod affirmat S. C. illis, ad *legem Papiam* factis, coarctata potius, ut odioſa, caduca, quam ampliata, proinde nec amplianda ad donata, vel fideicommiſſa, deficientia ante aperturam tabularum, inficiatorem habet Juſtinianum, qui *in ille* §. *cum igitur*, definit; eis S. C. inductum fuiſſe, ut non a morte teſtatoris, ſed ab apertura tabularum legata cederent, & exprimit ſignanter eorum veluti finem, *ut quod in medio deficiat, hoc caducum fiat.* Deinde quoad fideicommiſſa, obſervatum etiam in eis, ut non cederent, niſi ab apertura tabularum, intelligere licet, *ex l. cum qui* 104. *D. de condit. & demonſtr.* & ſelectiore textu, *in l. cum hæres* 24. *de liberat. leg.* de queis opportunius *ad illa S. C.* infra *Reliquat.* 36. & ut generaliter, ſicut legata, fierent ſuis caſibus caduca fideicommiſſa, ante Juſtinianum *dict. l. un.* §. *hac autem* 14. *Cod. de caduc. toll.*

9 Obſtat, & ſane gravius, quod deducitur *ex dict. l. ult. D. de mort. cauſ. donat.* Erit tamen res alioquin obſcura in conſpicuo, ſi obſerves, neque quæri illic, nec decidi, de donatione, tanquam caduca, fiſco obventura, ſed id ſolum, cum donatum eſt ſervo, an illius, vel domini mors inſpicienda ad conditionem, ut in eadem ſpecie *l. ſi filio* 23. *D. de mort. cauſ. don.* deinde non negari, *in dict. l. ult.* ac potius ſupponi, in donatis cauſa mortis diem cedere ab apertura tabularum, atque eo reſpicere verba illa? *Poſt mortem ante apertas tabulas.* Quibus ſuppoſitis, in prima illa theſi, *dict. l. ult.* de donatione facta, mortis cauſa, ſervo, & quidem per traditionem à vivo donatore, per quam dominium ſtatim, quamvis revocabiliter, domino ſervi quæſitum (ſic autem theſim fingi, ſuadet quæſtio, de condictione, ſive cujus mors ſpectanda, quoad condictionem, quoniam condicitur proprie quod donatum, & tranſlatum eſt, cæteroquin vindicaretur. *l.* 2. *in fin. l. ſi mortis* 29. *cum l. ſeq. l. ſi is cui* 39. *D. de mort. cauſ. don. l. cum quis* 8. *D. de condict. cauſa data*) Reſpondetur theſi, *in dict. l. ult.* ſpectandam mortem ejus, cui donatum fuit, ut *in l. ſi filio* 23. *D. de mort. cauſ. don.* Jam quod ſecunda theſis exprimis, & ſub eadem illa poſitione exponendum eſt, nempe *poſt mortem*, ſcilicet, donatoris, quomodo Odradus, Dynus, Albericus, & Baſilicus textus exaudit, *lib.* 47. *tit.* 6. *in dict. l. ult.* ſervum, cui res donata manumiſſum etiam ante apertas tabulas, ſeu teſtamentum donatoris, non accepturum, ſive illum non ſequi donationem, habet eam rationem, quæ & redditur ab innominato Scholiaſte Baſilicon *in dict. l. ult.* nempe quia illam donationem ſemel ſervus domino acquiſierit, ſcilicet vivo, cum per traditionem facta fuit, & à præſente præſenti data, ut loquitur *l. inter* 38. *D. de mort. cauſ. don.* & morte donatoris demum confirmata, & perfecta independenter à teſtamenti apertura, & aditione. *l. ſi filius* 20. §. *ult. D. de legat. præſt. l.* 5. § *qui mortis* 17. *D. de his, quæ ut indign.* in quo diverſa ratio eſt legati, ſervo relicti, quod vivo teſtatore non acquiritur, ac neque morte, niſi revocabiliter, & in caſum, quo teſtamentum aditione firmetur. *l. ſi ſtemma* 9. *D. de teſtam. tut.* & ideo ſi ante aditionem ſervus liber fiat, ſibi acquirit. *l.* 5. §. *ult. in fin. D. quando dies leg. ced. l. ſi Pamphilo* 10. *D. de optione leg.* Ergo ſpecies *dict. l. ult.* § *ult.* nihil ad caduca, aut cœlibes. Plane ſi cœlibi, mortis cauſa donatum ſit, & ille mortuo donatore intra dies centum, legi non paruerit, fiet locus caduco, juxta *dict. l. Senatus* 35. *D. de mort. cauſ. donat.* cum *ſupra* laudatis.

Percurremus, luſtrantes magis, quam exponentes, quia non tam ad materiam legum noſtrarum, quam ad communia, de donationibus cauſa mortis, pertinent, quæ ſubduntur ſectiones, ſeu §§. *in dict. l.* 35. & *in illud.* 37. §. 1. *eo tit.* de donationis etymo, ac differentiis illius, quæ inter vivos, aut mortis cauſa fit, & iſtius modos, & caſus, quibus repetendi, ſeu condicendi jus eſt, de quo in §. *ergo* 3. *dict. l.* 35. (cui jungendus *ex eodem libro* 6. Pauli *ad leges Juliam, & Papiam*, & ejoſdem ſententiæ *textus in l. cum quis* 12. *D. de condict. cauſ. dat.* & jungendum ſimiliter, quod de conditione pretii ſequitur, ex Ulpiano *libro* 15. *ad leges noſtras*, *in l.* 37. § 1. *de mort. cauſ. don*) tandemque in § *ult. dict. l.* 35. de donatione mortis cauſa in annos ſingulos, ut una ſit, & ſemel cedat, non ſicut legata in annos ſingulos, de queis *in l.* 4. *l. cum in annos* 11. *D. de ann. leg. l.* 1. § *ſi in annos* 16. *D. ad leg. Falc. l. cum in annos* 12. *D. quando dies leg. ced.* & ex Caio *lib.* 5. *ad leges Juliam, & Papiam*, *l. in ſingulos* 8. *D. de ann. legat.* & ex Pauli *libro* 7. *l. Divus D. ſi cui plus, quam per leg. Falc.* de quo nos alia ſupra *Reliquat.* 17. *num* 29. 10

Proxima mortis cauſa donationi, & unius veluti 11 tractatus, & tituli, mortis cauſa capio eſt, quam definit, ſeu deſcribit Marcellus *lib.* 1. *ad leges Juliam, & Papiam*, *in l. inter* 38. *D. de mort. cauſa don.* & diſcriminat à donatione mortis cauſa in eo, ut quamvis hæc, etiam per mortem donatoris, capiatur, & comprehendatur communi nomine mortis cauſa capionis, *l. mortis* 31. *l. qui pretio* 8. *l. mortis* 18. *D. de mort. cauſ. donat.* ſignantur tamen ſpeciali nomine donationis, quemadmodum hæreditates, legata, fideicommiſſa, quamvis propter mortem capiantur, ſignantur proprio, & ſpeciali nomine: at commune illud mortis cauſa capionis coarctatur ad ſpeciem capiendi, proprio nomine carentis, veluti cum implendæ conditionis gratia, à defuncto injunctæ hæredi, legatario, aut ſervo, quibus relictum eſt, ſub conditione, ſi alii dederint, capit ab eis iſte datum propter illam cauſam, & conſequenter propter mortem illius, qui ſub ea conditione reliquit *dict. l. mortis* 31. ac præterea, ut cum Marcello pergamus, in mortis cauſa donatione, mortis cauſa præſens præſenti dat, ſive ut Baſilica, & eorum gloſſæ explanant, dat *illico*, ut præſentis appellationes non tam perſonas, quam tempus reſpiciant, neque opus ſit emendatione Hotmani *lib.* 9. *Obſ. cap.* 18. At in mortis cauſa capione,

pione, non donat teſtator præſenti, neque ab eo capitur, ſed poſt mortem ejus, & illius veluti occaſione, capitur ab eo, qui dat, conditionis implendæ cauſa, *dict. l. inter* 38. cujus hæc paraphraſis eſt. At ſententia, juxta inſcriptionem, referenda eſt ad *leges Juliam*, *& Papiam*, & ſic accipienda, ut quamvis mortis cauſa capio differat à mortis cauſa donatione, & proinde non comprehendatur illo Senatuſconſulto. *l. Senatus* 35. *D. de mort. cauſa donat.* neque à defuncto donetur capienti, ſive non iſte capiat ex bonis defuncti. *dict. l. inter* 38. *verſic. etenim*, *l. quod conditionis* 36. *D. de mort. cauſ. don.* tamen non poſſit capere mortis cauſa cœlebs, qui per leges noſtras, prohibetur, capere ex teſtamento, nam & conditionis implendæ cauſa datum capitur propter teſtamentum, ſive ex voluntate defuncti, quamvis non proprie ex teſtamento. *l.* 5. *§. alia.* juncto *§. præcedente D. de his, quæ ut indign. l. pro hærede* 20. *§. Papinianus* 5. *D. de acquir. hær. l. Mævius* 55. *in fine D. de condit. & dem.* & aperta via eſſet fraudandis legibus, ſi cœlibes, ex teſtamento capere prohibiti, poſſent capere per viam conditionis, teſtamento injunctæ hæredi, aut legatario, dandi cœlibibus, ut conditionem impleant, ut *ſupra*, quoad fideicommiſſa, & donationes, ſcripſimus *num.* 5. ex regula *l. contra* 29. *D. de legib.* junctis in ſpecie. *l. ſi quis* 7. *D. de condit. inſtit. l. cum quis* 38. *§. penult. D. de legat.* 3. *l. qui teſtamentum* 87. *D. de probat.* conſentanea hiſce traditis, de mortis cauſa, quoad leges noſtras, eſt, ad eaſdem Ulpiani theſes, *in l. quod conditionis* 36. *D. de mort. cauſ. don.* quanquam quia proprie reſpicit caput decimarium noſtrarum legum, de quo *in Reliquatione ſequenti*, eam illic reſervamus.

12 A cœlibibus ad orbos tranſimus, quæ pars altera eſt noſtri capitis. Orbi autem in legibus noſtris dicuntur, qui quamvis cœlibes non ſint, ſed matrimonio juncti, tamen liberos non habeant, quos ſemiſſe relictorum mulctarunt leges noſtræ, ſive ut non niſi ſemiſſem caperent, ut ex Dione, Sozomeno, Tertulliano, & aliis prænotavimus *num.* 2. eaque orbitatis pœna dicitur, *in tit. Cod. Theod. & Juſtin. de infirmandis pœnis cœlibatus*, *& orbitatis.* Eſt autem ad ſecundam hanc partem capitis legum noſtrarum referenda, mentio eorum, qui non ſolidum, vel non totum, vel non niſi partem capere poſſunt, & exaudienda de orbis, *in l. cum ei* 42. *l. ſi Titio* 55. *§.* 1. *D. de legat* 2. *l. ſi is, qui* 6. *D. de vulgari. l. qui non militabat* 78. *§. ult D. de hæred. inſtit. l. ſi quis ſolidum* 72. *l. ſi ſervus* 82. in fin. *D. de acquir. hær. l. ſi id quod* 81. in fin. *l ſi is, qui duos* 29. *D. de liber. leg. l. edicto* 13. *§. ult. D. de jure fiſci* quæ ſunt ex Juriſconſultorum *ad leges Juliam*, *& Papiam*; & extra eos libros. *l. ſi fidei* 28. *D. de legat.* 3. *l. cogi* 16. *§ hi, qui* 18 *D ad S. C. Treb. l. Plautius* 43. *§. item D. de condit. & dem. l. ei, qui* 20. *D. de mort. cauſa don. l. ſi poſtulante* 67. *§. ult. D. ad S. C. Trebell.* quos, & ſimiles textus, de ſolidum non capientibus, pertrahit favente parum Minerva, ad mulieres *ex lege Voconia*, Ant Auguſtinus *de legibus*, *in Voconia*, non ſatis, ut videtur, certus cautionis legum noſtrarum, quoad orbos, ne ſolidum caperent, quomodo in hoc ipſo ceſpitant Rævardus *ad leg. non poteſt* 208. *D. de regul. jur.* Vertran. Maurus *de Jure Liber. cap.* 4. ſicut e converſo referenda eſt ad priorem partem noſtri capitis, indefinita mentio eorum, qui nihil capere poſſunt, & exaudienda de cœlibibus. *d. l. ſi Titio* 55. *§.* 1. *l. ſi Titio* 7. *D. de legat. l. in fraudem* 10. *D. de his, quæ ut indign. l. ſi ſervus* 82. *D. de acquir. hæred. l. ſenatus* 35. *D. de mort. cauſ. don. l.* 3. *§. quando, D. de jure Fiſci. l. in tacitis* 103. *D. de legat.* 1. & extra libros ad leges noſtras, *l. ſi quis* 7. *D. de condit. inſt. l. is, qui* 11. *D. de vulgari. l. qui non militabat* 78. *§. ultim. cum ll. ſeq. D. de hæred. inſtit. l. cum quis* 37. *§. Titia* 6. *D. de legat.* 3. *l. cum autem* 23. *§. ult. D. de Ædil. ed. l.* 2. *Cod. de hær. inſtit.*

13 Illud jam nunc, & in commune adnotamus, poſſe ex hac parte legum noſtrarum lucem, & exemplum mutuari regulam illam *l. nemo* 57. *D. de legat.* 1. quæ ſtatuit, neminem poſſe in teſtamento ſuo cavere, ne *leges in ſuo teſtamento locum habeant*; ſi legum nomine, intelligantur *leges Julia*, *& Papia*, ut Cujacius illic, & Merilius *lib.* 5. *Obſerv. cap.* 10. cogitavere, & ſæpe alibi in libris juris, nos *lib.* 1 *cap.* 3. *num.* 5. & aptetur exemplum, de conditione, teſtamento adſcripta, *ſi uxorem non duxeris*, *ſi filium non ſuſceperis*, quæ ſunt adverſus leges noſtras, cœlibatui, & orbitati contrarias, & proinde nullius momenti, ut ait Paulus 3. *Sentent. titul.* 4. *§. conditiones l. hæres* 79. *§. ultim. D. de cond. & dem.* vel in conditione, ſi hæredes invicem caviſſent, ſe legata, eo teſtamento relicta, præſtituros, quæ cenſetur adſcripta in fraudem *legum Juliæ*, *& Papiæ*, quæ vetant, quoſdam, id eſt cœlibes, & orbos, legata capere, ut ſcriptum, & exponendum eſt, in *l. ſi quis*, *D. de condit. inſtit.* juncta *l. in fraudem* 10. *D. de his, quæ ut indign.* & ſunt hæc, quæ fortaſſe ſincerius applicantur regulæ, *dict. l. nemo* 57. *in princ.* quanquam ſequentibus illius verbis, ſint & alia, quæ aptentur, de quibus alii.

Jam vero ex his, & aliis juris fragmentis, & ut 14 quæ hujus capitis propria, & interpretis egent, interpremur, occurrit primum illud, elucidandis verbis illis capitis noſtri, *niſi intra centum dies legi paruerint.* Monemus, & præmunimus, deſignari eis verbis dies cretionis, quos centum fuiſſe, & dari ſolitos hæredibus, ad deliberandum, ut decernerent de adeunda, vel repudianda hæreditate, diſcitur *ex l.* 1. *&* 2. *D. de jure delib. l.* 1. *§. ſi intra* 8. *D. de ſucceſſ. ed.* juncto electiore textu *l.* 2. *§. ultim. verſ. finge*, *D. de ſuis, & legit.* & dari eis a teſtatore, ſub illa formula cretionis continuæ, & perfectæ: *Titius hæres eſto, cernitoque in diebus centum proximis; niſi ita creveris, exhæres eſto.* Diſtincte, & plene Ulpianus *tit.* 22. *§. cretio* 27. *& ſeq* ex quo *in §. cernere* 28. ut ex formula illa hæredis, cum cretione adeuntis; *eam hæreditatem adeo*, *cernoque*, liquet ſatis, eamdem fuiſſe cretionem, & aditionem, ut Donello, Rævardo, & Petro Fabro viſum, nec diſtinctas niſi ſolemnitate, quæ in cretione fuit ſcrupuloſa, & ideo ſublata à Conſtantino, & Theodoſio, *l. ultim. Cod. qui admitti. l. Cretionum* 17. *Cod. de jure delib.* juncta rubrica, cum *l.* 1. *& ſeq. de bonis matern.* & cretione ſublata in *Cod Theodoſ.* Nobis hæc ſatis monuiſſe, ut intelligatur, reſpicere ad hos dies cretionis, ſive aditionis, verba illa legum noſtrarum, *niſi intra centum dies.* & ut ſimul intelligatur, quod Juſtinianus ſcribit *in l. un. §. cum igitur* 1. *C. de cad. toll. legem Papiam* ſumſiſſe materiam, & exordium caducorum *ab aditionibus*, quæ circa defunctorum hæreditates procedebant, ſcilicet à cretionibus (quorum nomen, quia jam ſublatum, ſiletur) ſive à centum diebus cernendæ, & adeundæ hæreditati præſtitutis, intra quos, niſi cœlebs, aut orbus legi paruiſſet, caducis locus fiebat, ut eſt apud Ulpianum *dict tit.* 17. *&* 28. *§. Latinus* 3. *in fine.* Inde & pro explorato ſupponimus, pertinere ad hæc verba, quod legimus ex Ulpiano *lib.* 4. *ad leges noſtras*, *in l. ſi quis ſic* 133. *D de V. S.* *Si quis ſic dixerit, ut intra diem mortis ejus aliquid fiat, ipſum quoque diem, quo quis mortuus eſt, numerari*; nimirum ut vel ex die illo, quo quis mortuus, dies cretionis cedere incipiant, & vel eo ipſo die poſt mortem adiri, vel etiam extremo, & centeſimo, ut Cujacius exponit *in d. l.* 133. expenſa ad rem *l.* 1. *§. ſi intra* 8. *cum ſeq. D. de ſucceſſ. ed.* cui addendus Agell. 10. *cap.* 13. *l. pater* 30. *D. ad leg. Jul. de adult.*

Deinde referandis veluti clauſtris totius tractatus, 15 de capacitate ex *legibus Julia*, *& Papia*, & in primis pro eo, quod ſcriptum eſt, ex Terentio Clemente *lib.* 3. *ad leges noſtras*, in *l. non oportet* 52. *D. de legat.* 2. *Non oportere, prius de conditione cujuſquam quæri, quam hæreditas, vel legatum ad eum pertineat*; & pro diſcentium, & docentium vulgo, (quippe doctis ſcita hæc ſatis) præmiſiſſe, liceat, diſtingui oportere tres ordines eorum, qui ex teſtamento non

capiunt

capiunt cum effectu, diverſo tamen jure, & ratione. Primus illorum, qui abſolute, & abſciſſe incapaces jure Romano, ſive cum quibus, eo jure, non eſt teſtamenti factio, quia non cives, ut peregrini, deportati, & in metallum damnati. *l. 6. §. ſolemus. l. ſi alienam* 49. *§.* 1. *cum l. ſeq. l. non minus* 31. *D. de hæred. inſt. l. nemo* 7. *D. pro hærede*, quibus palam relicta habentur pro non ſcriptis, nec ad Fiſcum pertinent. *l.* 1. *Cod. de hæred. inſtit. l.* 3. *D. de his, quæ pro non ſcript.* juncta *l.* 1. *D. ad leg. Falcid.* Secundus eorum, qui abſolute, & ſimpliciter capiunt, & acquirunt, ſed non cum effectu, quia illis quæſita, Fiſcus, tanquam indignis, eripit (quos indignos miſcent, confunduntque cum incapacibus, poſt Accurſium, ſcioli multi) cujuſmodi inter alios indignos eſt, qui tacitam fidem ſuſcepit reſtituendi, in fraudem *legum Juliæ, & Papiæ*, à quo ex eiſdem legibus Fiſcus eripit, unde *ereptitii* nomen. Ulpianus *tit.* 19. *§. lege* 17. *l. in fraudem* 10. *D. de his, quæ ut indign.* Tertius eorum, qui teſtamenti tempore vere capaces, & quidem jure civili, ut Ulpianus loquitur *tit.* 17. illic: *Ita ut jure civili capere poſſit* (ſic enim jus civile vocat illud, quod diverſum, & antiquius *lege Papia*, *ut in ejuſdem titul.* 24. *§. legatorum* 131. *& tit.* 1. *§. inter medias* 21.) & tamen aliqua ex cauſa non capiunt, ſed ab eis cadit in Fiſcum, unde & caducum dicitur, & ejuſmodi eſt cœlebs, vel orbus, qui quamvis teſtamenti tempore capaces jure civili, utpote cives, non tamen capiunt cum effectu, niſi intra centum dies legi paruerint, ut eſt *in dict. tit.* 17. *& tit.* 22. *§. in fine. l.* 1. *Cod. de infirm. pœn. cœlib.*

16 Exinde pro Terentio *in dict. l. non oportet* 52. *D. de legat.* 2. ſententiam illam, ne quæratur de conditione cujuſquam, prius quam hæreditas, vel legatum ad eum pertineat, exaudiunt de cœlibatus conditione, nempe, ut de illa non quæratur, ut incapax cenſeatur ante delationem hæreditatis, vel legati, cum poſſit, qui in cœlibatu tempore teſtamenti fuit, poſtea intra centum dies legibus parendo, capax fieri, ut *dict. tit.* 17. Cujacius *in l. ſi cognatis* 19. *D. de reb. dub.* & 1. *ad African. in l.* 10. *D. ſi quid in fraud. patr.* Balduinus *de lege Papia pag.* 99. Quanquam pridem nobis Salmanticæ placebat, exaudiri proprie magis, de Latino Juniano, qui etiamſi teſtamenti tempore incapax, quia non civis, & prohibitus *lege Junia*, fit tamen capax, ſi intra centum dies civis factus ſit, ut in *dict. tit.* 17. *& tit.* 22. *§.* 1. De quo Latino, & modis, quibus fit civis, egiſſe Terentium *eodem illo libro* 3. ex quo ſumta *dict. l.* 52. liquet *ex l. qui in continentibus* 157. *Digeſt. de verb. ſign.* juncto Ulpiano 3. *§. liberis.* Ac præterea, & proprie magis, ut diximus, quoniam & *conditionis* vox, propria magis Latinitatis, quæ conditio, ſeu ſtatus vocatur *in l.* 1. *Cod. de Latina lib. §. ult. Inſtit. de libert. §. ult Inſtit. de ſucceſſ. lib.* & hæreditatis vel legati mentio apprime eiſdem Latinis convenit, qui hæreditatis, vel legati incapaces, propter ſuam conditionem, non autem fideicommiſſi, cujus capaces, ut apud Ulpianum *dict. tit.* 22. *§. Latinus, & tit.* 25. *§. Latini*, non item cœlibibus, qui incapaces etiam fideicommiſſorum, & donationum, cauſa mortis. *l. & fideicommiſſum* 87. *D. de legat.* 3. *l. Senatus* 35. *D. de mort. cauſ. donat.* hæc ex Academicis noſtris ſcriptis, *ad leges noſtras parte* 3. *cap.* 1. *num.* 4. *& ad l.* 1. *D. de legat.* 1. *num.* 13. *& ſeq.* ubi & quædam de differentia inter cœlibem, Latinum Junianum, & deportatum, ac de *lege, ſi deportati* 7. *D. de legat.* 3. quibus non aſſenſiſſe, video, noſtrum Nicolaum Antonium *lib.* 2. *de Exilio cap.* 19. *num.* 14. me innominato, at non illaudato, nunc nec libet, nec licet, de re differere, aut cum amiciſſimo manum conſerere; id tamen, vel verbo, monemus, coagmentandum eſſe *dict. l. non oportet* 52. ejuſdem Terentii locum, *in l. delata* 151. *D. de V. S.* quo definitur, delatam hæreditatem eſſe eam, quam quis poteſt adeundo conſequi: ut vel inde inferatur, non eſſe quærendum de capacitate hæredis, antequam ei deferri, & ad eum pertinere poſſit, ut Cujacius *in dict. l.* 151. veluti ſectio, & appendix *dict. l. non oportet* 52. & fortaſſe ex eodem *libro* 3. ſicut & *lex* 147. quanquam a Labitto adſcribatur *libro* 5. frequenti mendo in his inſcriptionibus.

Proxima eſt, & fere gemella, explanatio Calli- 17
ſtrati *in l.* 3. *§. quando* 2. *D. de jure fiſci*, quem Triboniano imputat Faber *lib.* 12. *Conject. cap. ult.* ſed jungenda ex Caïo 15. *ad leges noſtras*, *l. in fraudem* 10. *D. de his, quæ ut indign.* & perſpicua, & nuper traditis concinens ſententia, eſt, ſi accipiatur de tacite relicto cœlibi, in fraudem legum noſtrarum, de quo egerat Calliſtratus, *à principio dict. l.* 3. *uſque ad §. quando*, ubi dum quærit, an ad pœnam ereptitii ob fraudem, de qua Ulpianus *titul.* 19. *§. lege* 10. ſpectandum ſit conſilium fraudis, an exitus, ſive effectus: & reſpondet, exitum ſpectandum; refert ſe, & reſpicit ad *leges noſtras*, juxta quas etiamſi ille, cui tacite relictum, cœlebs fuerit, & ſic incapax, cum ei relinqueretur, & proinde tunc conſilium fraudandi fuerit, ſi tamen poſtea intra centum dies legibus paruerit, fit capax, ut *in dict. l.* 52. *D. de leg.* 2. *l. ſi is, qui* 11. *ubi* Cujacius *D. de vulgari*: neque fraudantur leges attento eventu, ſive effectu; & è contra, ſi patri, vel marito relictum, tacita fide, dandi ei in caſum, quo tanquam cœlebs, orbuſve non caperet, idque acciderit, ſpectatur etiam exitus, ſive effectus, & ereptitio locus fit. *d. §. quando*, juncta *l. in fraudem* 10. *§.* 1. *verſ. niſi D. de his, quæ ut indign.* quæ eſt ex Caïo *libro* 15. *ad leges noſtras.* Prænotavit Cujacius in *dict. §. quando, & ad l. in tacitis* 103. *Dig. de legat.* 1. & ante illum jungit, & exponit ita Scholiaſtes Baſilicus *lib.* 60. *tit.* 42. *in dict. l.* 10.

Eumdem explicatum, & rationem habet, quod 18
proditur in *l. ſi Titio* 55. *§.* 1. *D. de legat.* 2. de legato, relicto ſervo hæreditario, & hærede inſtituto eo, qui nihil, vel non totum capere poteſt, nempe cœlibe, aut orbo, ut Balduinus expoſuit *de lege Papia pag.* 93. & poſt illum alii; & ſuadet epigraphe ejus *l.* 55. quæ eſt ex Caïo *libro* 12. *ad leges Juliam, & Papiam.* Quibus & conſequens, non contrarium eſt, quod poſtea in quæſtione, cujus capacitas inſpicienda ſit ad legatum, reſpondet, placuiſſe, hæreditati jacenti acquiri, à qua capacitatem mutuatur. *l. debitor* 82. *§. ult. in fine D. de legat.* 2. *l. non minus* 31. *§.* 1. *D. de hæred. inſtit. l. ſi poſt mortem* 68. *§.* 1. *D. de legat.* de quo tamen non ſiſtimus, & in quo implicitum ſcimus Schifordegerum *ad Fab. lib.* 2. *tract.* 6. *quæſt.* 1. concludit, eo poſito, Caïus *in dict. l.* 55. *§. ult.* legatum id, hæreditati ſemel quæſitum, poſtea ad eum pertinere, quicumque hæres extiterit, *ſecundum quod accipere poteſt, reliquum autem part ad eos, qui jure vocantur*, venire; atque ita ſupponit, hæredem, quem in principio capere non poſſe, ſcripſerat, exiſtere hæredem, & capere, (in eoque Accurſianis aqua hæret) ſcilicet cœlibem, aut orbum, ſi ante aditionem intra centum dies legi paruerint, & ſi orbus non paruerit, venire partem ejus ad fiſcum, tanquam caducam, ut in Ulpiani *tit.* 17. *&* 22. *§. cum quo* 3. vel ad alios, qui ad caduca, proprio jure vocantur, de queis ſuo loco. *l. ſi id, quod* 21. *§. ult. l. ſi is, qui* 29. *D. de libert. leg. l. Plautius* 43. *§. item D. de condit. & dem.*

Jungendum denique his, & notius eſt, quod le- 19
gitur *in l. ſi ſervus* 82. *D. de acquir. hær.* de inſtituto ſervo illius, qui capere non poteſt, aut non niſi partem capere, nimirum ut ille idem ſervus capiat, ſi ante aditam hæreditatem manumiſſus ſit, & nihil factum ſit in *fraudem legis*, ſcilicet *Juliæ, & Papiæ*, ad quam inſcripta eſt *dict. l.* 82. ex *libro* 16. Terentii Clementis, & intelligenda de cœlibe, aut orbo, qui, quamvis lege capere prohiberetur, non tamen abſolute, & abſciſſe, ſed ita niſi intra centum dies aditionis legi paruiſſent, & ideo interim capacitatem ſervo dabant, ſi tamen nihil factum in fraudem legis, ut in ſpecie l. *ult. D. de bonis lib* quomodo pridem expoſuere *dict. l.* 82. noſter Pareja *in otio quadrim.* 1. *part. num.* 13. & Caldeira 4. *Var. Lect.* cap.

cap. 3. *num.* 16. Gilb. Regius 2. *Enantioph. cap.* 17. tametſi aliter, & ſane abſone alii, & inter eos, quod mirere, Cujacius *ad l. ſi mihi* 12. §. *regula D. de legat.* 1.

20 Id ſaltem, ne offendiculo juventuti ſit, adjicimus, regulam illam Modeſtini *in l. in tempus* 62. *D. de hæred. inſt. in tempus capiendæ hæreditatis inſtitui hæredem poſſe, benevolentiæ eſſe*; non eſſe referendam ad cœlibem, vel orbum, in queis, ut ſuſtineretur inſtitutio in tempus capiendi, non eſſet benevolentiæ, ſed ex ipſis *legibus Julia, & Papia*, quæ etiam pure inſtitui patitur, dummodo intra dies cretionis legi paruerint, ut ſæpe *ſupra*; ſed referendam ad omnino incapacem, veluti peregrinum, aut deportatum, in quo benevolentiæ, ſive benignitatis eſt, ut poſſit inſtitui in tempus capiendi, argumento ex *l. intercidit* 59. §. 1. *D. de cond. & dem.* cum alioquin pura inſtitutio haberetur pro non ſcripta. *l.* 1. *Cod. de hær. inſt.* & eſſet contra regulam *l. ſi alienum* 49. §. 1. *D. de hær. inſt.* utcumque quoad *dict. l.* 62. parum hæc diſtinguat Donellus *lib.* 6. *Comm. cap.* 17. *& lib.* 8. *cap.* 6. Cujacius *ad l. ſi ita* 51. *D. de legat.* 2. Ant. Faber 12. *Conjectur. cap. ult.*

21 Ignotius ſane eſt, & interpretis egens, quod ex Papiniano 6. *Reſponſorum*, proponitur *in l. qui non militabat* 78. §. *ult. D. de hæred. inſt.* Mævio hærede inſtituto ex parte, quam capere poſſet per leges (ſcilicet orbo, & per *leges Juliam, & Papiam*, ut in ſimili *ad eaſdem leges* proponitur, in *l. ſi ita* 51. *D. de legat.* 2.) & ex reliqua parte inſtituto Mævio, ſi Mævius ſolidum capere poſſit, nempe quia intra centum dies legibus paruit, Titium ex nulla parte hæredem futurum, ut adjectum, aut ſubſtitutum, quia nulla reliqua pars eſt, ad quam vocetur. *l. item* 17. §. *ſed ſi aſſe* 3. *D. de hæred. inſtit.* & ad Mævium, partis appellatione, totum pertinet, quod in legibus noſtris non novum. *l. virilis* 145. *D. de verb. ſign. Quod ſi non ſit reliqui facta mentio, tantundem in alio aſſe habebit Mævius, quantum Titius*, ut ex Papiniano *lib.* 1. *Definitionum*, ſubjungitur *in l. quod ſi* 79. *D. de hær. inſtit.* Quibus in verbis commutari nomina, Titii, & Mævii, & illum pro incapace poni, non eſt, cur miretur juventus, cum ſint hæc nomina non perſonarum propria, ſed doctrinæ, & exempligratia, Juriſconſultis olim uſurpata, ut Plutarchus monuit in *Problemat. Rom.* 35. & commutationes hæ in Pandectarum opere, ex tam variis auctoribus, & libris compacto, non ſemel occurrant. *l.* 5. §. *ultim. D. de acquir. rer. dom. l.* 3. §. *ultim. cum l.* 4. *&* 5. *D. de ſervit. ruſt.* ac proinde explodendæ Alberici gloſſæ, & Cujacii correctiones 6. *Reſp. Papin. in dict. l.* 78. Ergo, ut pergamus, ſi Titius, ut jam ponitur *in dict. l.* 79. & orbus ſit, & tanquam orbus, incapax ſolidi, admittetur in alium aſſem Mævius, ſive habebit, quantum Titius, & admittetur, non ut cohæres, ſive adjectus, ex jure accreſcendi; id enim jus, & cohæredem, ſeu adjectum fiſcus excluderet, & in eum caderet, quod orbus non caperet, ex *noſtris legibus*, ut apud Ulpianum *tit.* 17. *& tit.* 24. §. *ſi duobus* 12. *l. unic.* §. *& cum triplici*, *&* §. *pro ſecundo*, *Cod. de caduc. tol.* ſed admittitur, tanquam vocatus aperta voluntate defuncti, & tacite ſubſtitutus orbo, *l. Titius* 24. *cum l. ſeq. D. de hær. inſt. l.* 2. *Cod. de hæred. inſtit. l. cum optio* 17. *D. de optione leg.* quod utique jus ſubſtitutionis, præfertur fiſco, & caducis. *l. un.* §. *in primo*, *Cod. de cad. tol. l. ei, cui* 10. *D. de mort. cauſ. don. l. ut hæredibus* 50. *D. de leg.* 2. quin, ut tandem ex Papiniano ſubditur *in l. quod ſi* 80. *D. de hær. inſt.* ſi orbus nullius capax ſit tempore cretionis, quia ante illam, uxore mortua, aut repudiata, cœlebs manſit, admittetur Mævius, non ut adjectus, aut cohæres, ut vocatur *in dict. l.* 78. §. *ultim.* quia eum fiſcus excluderet, ut in *dict. l. unic.* §. *& cum triplici*, ſed tanquam *ſubſtitutus*, ut ſignate vocatur *in dict. l.* 80. junctis *dict. l.* 24. *cum l. ſeq. D. de hæred. inſtit. dict. l. virilis* 145. *Dig. de verbor. ſignific. dict. l.* 2. *Cod. de hæred. inſtit.* quæ ſic ex noſtris legibus explananda, de cœlibe, & orbo, non de peregrino, ut non recte Cujacius *in Recitat. ad eum tit.*

22 Verum ad proprias magis, vel opportuniores ſedes ſepoſitis locis aliis, quos indicavimus ſupra *num.* 12. duo hoc capite breviter luſtranda ſuperſunt. Primum ad verba illa: *Et teſtamento extranei*, quæ ſumta ex Dione, Euſebio, & Sozomeno, laudatis ſupra *num.* 3. doceri, ac duci ex his, cœlibes, & orbos ex teſtamentis conjunctorum genere capere potuiſſe, de quo nos infra *Reliquatione* 33. & extra teſtamentum fuiſſe omnino acquirendi capaces, veluti donationum cauſa mortis, niſi prohiberentur, ne per eas fraus legibus fieret, ut jam ſcripſimus *num.* 3. & acquirendi inter vivos, ut in vulgato *textu l. cum autem* 23. §. *ultim. verſic. ſed etſi. D. de Ædilit. edict.* in quo ſpeciem illam, de eo, qui legatum, vel hæreditatem ex teſtamento per ſervum capere non poterat, & tamen poteſt, per eumdem ſervum venditum, & redhibitum (fraude ceſſante, *l. ſi poſtulante* 67. §. *ultim. D. ad S. C. Trebell.*) quia non ex teſtamento capit, ſed inter vivos, interpretor de cœlibe, juxta jam tradita. *l. ut hæredibus* 50. *D. de legat.* 2. *l. ei. qui* 10. *Dig. de mort. cauſa donat.* quanquam & exaudiri poteſt, de deportato, qui ex teſtamento, utpote juris civilis incapax, *l. ſi deportati* 7. *Dig. de legat.* 3. & tamen capax acquirendi, gentium jure, per venditionem, aut redhibitionem. *dict. l. ſunt quidam* 17. §. 1. *D. de pœnit. l. deportatus* 15. *D. de interd. l. ſi deportati* 7. *D. de legat.* 3.

23 Secundum eſt, & veluti mantiſſa hujus capitis, apud Ulpianum *titul.* 13. rubricam, ſive epigraphen, concipi, non ſolum de cœlibe, & orbo, ſed etiam, *de ſolitario patre.* Atquiſnam iſte, altum vel eruditis ſilentium, inter quos Rævardus *ad l.* 208. orbum cum ſolitario confundit, quanquam uterque Gothofredus, Dionyſius *ad d. tit.* 13. & Jacobus *ad leges noſtras*, *& caput* 14. *& ad l.* 2. *Cod. Theodoſ. de infirm. pœn. cœlib.* §. *ad hæc.* & ante eos Cujacius *ad tit. Cod. de infirm. pœn. cœlib.* ſolitarium patrem intelligunt eum, qui unicum filium, filiamve haberet, quem ſolidi capacem fuiſſe, aïunt, ex Juvenale *Satyr.* 9. illis verbis:

Nullum
Ergo tibi meritum eſt ingrate, ac perfide, nullum,
Quod tibi filiolus, vel filia naſcitur ex me;

Et poſtinde:

Jura parentis habes, propter me ſcriberis hæres,
Legatum omne capis;

Jungimus illa quæ ſequuntur:

Commoda præterea jungantur multa caducis,
Si numerum, ſi tres implevero;

Ubi, *numeri*, nomen ad duos filios reſpicit (qui primus numerus eſt, poſt unitatem) quorum patri majora commoda accedunt, ut *in l. libertinus, qui duos* 37. *Dig. de oper. lib.* juncta *l. in his* 74. *Cod. Theodoſ. de Decurion.* & majora, ſi tres filios, ut loquitur *impleverit*, ut ad Ulpianum *tit.* 15. *&* 16. cum tamen unici filii patri, ſive ſolitario, non niſi ſolidi capiendi jus conceſſum. Sed hæc alibi, & aliis expendenda.

24 Porro aut propria hujus loci, aut nullius magis, ſententia illa, ex Caïo *lib.* 8. *ad leges Juliam, & Papiam*, in *l. non eſt* 148. & quæ ex eodem Caïo *ad eaſdem leges*, ſequitur *lib.* 10. *in l. nam quem* 149. *D. verbor. ſignific. non eſſe ſine liberis, cui vel unus filius, vel una filia eſt*, quod idem eſt, ac ſi affirmaret, non eſſe orbum eum, qui ſaltem unicum filium habet, ſed ſolitarium patrem, cui jus ſolidi capiendi, ex *noſtris legibus*, quanquam & ad defectum conditionis ſine liberis, ob unicum filium, applicetur recte ea ſententia. *l. pater* 101. §. 1. *D. de cond. & demonſtr. l.* 6. §. *ultim. Cod. ad S. C. Trebell.*

25 Poſtremo adjungimus, pro corollario, noſtram ſuſpicionem *ad l. captatorias*, 70. cum *l. illæ* 71. *D.*

de

de hæred. inſtit. quibus docetur, captatorias inſtitutiones improbatas fuiſſe Senatuſconſulto; atque id *in dict. l.* 71. §. 1. proponitur ex Paulo *libro* 5. *ad leges Juliam*, & *Papiam*: cujus epigraphes conjectura, Lipſium credidiſſe, *legem Papiam* latam fuiſſe, auctore Senatu, ſcripſimus *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 2. *ad extremum.* Nunc quod jam illic curſim, ſtatuimus magis aſſertorie, factum fuiſſe id S. C. occaſione, & veluti acceſſorie ad *Juliam*, *Papiamque leges*, quia plerumque captatoriæ inſtitutiones, & legata conferebantur in cœlibes, & orbos, ut eo veluti illicio, in cœlibatu, & orbitate perſeverarent; qui fines, & improbæ artes adverſabantur fini, & ſententiæ noſtrarum legum, atque ideo improbandi. *l. hæres* 79. §. *ult. l. hoc modo* 64. *D. de condit. inſtit.* juncto Paulo 3. *Sent. tit.* 4. §. *conditiones.* Improbantur autem ſic, non ut caducæ, ſed ut pro non ſcriptis habeantur. *l.* 1. *in fine D. de his, quæ pro non ſcript. dict. l. captatorias* 70. cum *leg. ſeq. l. clemens* 81. §. *ult.* (quam jam ſupra *iſto capite* ad cœlibem retulimus) *l. hoc articulo* 29. *D. de hæred. inſtit. l. captatoriæ* 64. *D. de legat.* 1. *l. mulier* 20. §. *ult. D. de condit. inſtit. l. licet* 17. *Cod. de pactis. l. captatoriæ* 11. *Cod. de teſt. mil.* qui textus ſunt, nec alii, niſi emendicati, *de captatoriis inſtitutionibus.*

26 Jam quod poſuimus de captatorum artibus, erga cœlibes, & orbos, notum adeo eruditis, ut teſtibus non egeat, niſi pro diſcentibus. Ejuſmodi eſt *Horatiana Satyra* 5 *lib.* 2. in captatores. Juvenalis *Satyr.* 5. de Urſidio cœlibe, obſecundante *legi Juliæ*, & cogitante, dulcem hæredem tollere, quamvis eo ipſo

cariturus turture magno,
Mulorumque jubis, & captatore macello.

Martialis paſſim, ac maxime *lib.* 11. *Epigram.* 56. Suillii illius apud Tacitum 13. *Annal.* exprobrantis Senecæ *Romæ teſtamenta*. & *orbos indagine illius*, ſed omnino aptior, & expendendi dignus, Petronii locus *Satyrici cap.* 76. ubi de Crotonienſium malis moribus, quos veluti Romanis opponit, aut potius, ſub *Crotonæ* nomine, *Romam* ſuam corruptam Satyrico naſo perſtringit, cum præmittat, in ea Urbe homines in duas partes eſſe diviſos, *nam aut captantur, aut captant*, ſubdit, quæ ſequuntur: *In hac Urbe nemo liberos tollit, quia quiſquis ſuos hæredes habet, nec ad ſcenas, nec ad ſpectacula admittitur* (ſcilicet aliter, atque Romæ, incorruptæ moribus, & inſtitutis, queis primaria cura, de liberis tollendis, habendis, ut prædiximus *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. atque eo intuitu in theatris, ſeu ſcenis, & aliis ſpectaculis, honoratiores loci maritis, & patribus deſignati, ut ex Suetonio, & Martiale monuimus *hoc lib.* 4. *Reliquat.* 6. *in fine*) *ſed omnibus prohibetur commodis* (qualia illa, quæ *lex Papia*, liberos habentibus pro præmio deferebat, & commoda vocabantur *l. Plautius* 43. §. 1. *D. de condic. & demonſtr. l. ſi id, quod* 21. §. *ult. l. ſi is, qui* 29. *D. de liber. leg.*) & *inter ignominioſos latitat*; (cum è contrario Romæ veteris inſtitutis, & legibus, qui cœlibes, & ſine liberis eſſent, cenſoriæ notæ, & ignominiæ obnoxii forent, de quo plurima etiam ſupra *dict. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. & *lib.* 3. *cap.* 5. & 6. & 7. *num.* 10.) At, ut Petronius pergens ſubdit: *Qui vero nec uxores unquam duxerunt, nec proximas neceſſitudines habent, ad ſummos honores perveniunt, id eſt, ſoli militares, ſoli fortiſſimi, atque etiam innocentes habentur. Videbitis*, inquit, *oppidum, tanquam in peſtilentia campos. in quibus nihil aliud eſt, niſi cadavera, quæ lacerantur, aut corvi, qui lacerant.* Addimus non diſſimilem de ſui ſæculi Roma, Ammianum *lib.* 14. dum ſcribit, vile æſtimari, quicquid, extra eam, naſcitur, *præter orbos, & cœlibes, nec credi poſſe, qua obſequiorum diverſitate colantur homines ſine liberis Romæ.*

Clauſula hujus capitis fuerit, quæ fuit, pœnarum 27
cœlibatus, & orbitatis; abrogatio illarum, Conſtantini Magni edicto, cujus pars *in l. unic. de infirm. pæn. cœlib. in Cod. Theodoſ.* & *in l.* 1. *eodem tit. in Juſtiniani Cod.* eis illuſtrandis ex Euſebio, Sozomeno, Nicephoro, Balduini, Cujacii, Gothofredi adverſaria, non eſt, cur deſcribamus.

AD CAPUT XXXVII. DECIMARIUM EX LEGE PAPIA.

Pro Ulpiano *tit.* 15. & 16. *l.* 2. *Cod. de infirm. pæn. cœlib. l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Jure Lib.*

RELIQUATIO XXXIV.

De capacitate ex teſtamento inter conjuges.

ARGUMENTUM.

S*Umma hujus capitis, ne conjuges inter ſe ex teſtamento caperent, ultra decimam. Hinc* decimariæ leges. *Alluſio ad eas* Tertulliani, & *aliorum*, & *fortaſſe* Juvenalis, & *ex* Juriſconſultis ad leges noſtras, Ulpiani libro 8. *in* l. 36. D. de mort. cauſ. don. *cujus* Paragraphus 1. *exponitur. At vel maxime* Scævola in l. 18. D. de auro, & arg. leg. *junctis* l. 27. D. de probat. l. 38. §. Titia. D. de leg. 3. & *in tranſcurſu ex* Terentio lib. 4. ad leges noſtras, l. 61. §. 1. D. de condit. & dem. l. 72. D. de hær. inſt. *conjectura de decima, ut fuerit pars bonorum, non ut* Falcidia *hæreditatis; ea propter neceſſaria bonorum æſtimatis, pro decima, & quidem deducta prius* Falcidia, *atque inde lux* Terentio 4. ad leg. noſtras, in l. 67. D. ad leg. Falc. *Item* Ulpiani lib. 1. & Pauli 2. in l. 62. & 63. ad l. Falc. *Referuntur etiam vulgo ad hoc caput*, l. ult. D. de his, quæ ut ind. l. un. C. de his, qui ſe defer. l. 6. C. de hær. inſt. l. un. C. unde vir, & uxor. l. 2. C. Theod. de inoff. dot. l. 7. eod. C. de navic. l. 1. illo item, C. de bon. proſcr. & lib. 5. Terent. ad leg. noſtras, l. 25. D. de donat. int. *quæ illuſtratur, ac ſimul ratio illa hujus*, capitis decimarii, *quæ* in l. ult. C. Theod. de legit. hær. *Decima hæc capiebatur matrimonii nomine, ut ait* Ulpianus tit. 15. *cui jungendus ille ipſe* tit. 16. §. ult. & in l. unic. D. unde vir, & uxor. *At ultra decimam jus capiendi totidem decimas, pro numero liberorum ſuperſtitum ex alio matrimonio* (& *cur non pro amiſſis*, ut in l. 37. §. 1. D. de oper. lib.) *quin & ob filium communem amiſſum poſt nonum diem, cui rei ornandæ alii. Subjiciuntur ex* Ulpiano tit. 16. *theſes aliæ, in queis conjuges ſolidum capiunt*, & *indicatur in commune diſtinctis* d. tit. 16. & tit. 15. & *ex iſto adhuc adjectio illa de capione uſusfructus tertiæ partis*, & *pro liberorum numero, illius partis proprietatis; unde & lumen immiſſum* l. 4. C. quando dies leg. ced. l. 10. D. de præſcript. verb. l. ult. D. de uſufr. leg. l. 51. §. ult. D. de leg. 2. & *ex* Cujacio l. 78. §. maritus 14. D. ad S. C. Treb. *in qua tamen lubentius adorea data* Reteſio *noſtro. De capacitate legati dotis, ultra decimam ex* Ulpiano d. tit. 15. *lux* Terentio Clementi 4. ad leges noſtras, in l. 53 D. de legat. 2. *Jam, ex* Ulpiani tit. 16. *redacti*, & *relati ad eum locum*, & *unum veluti faſcem* Paulus *ubi de anniculo*, lib. 1. & 2. ad leges noſtras, in l. 134. & 132. D. de V. S. *quanquam & proprie aptentur* Juniæ Norbanæ de Latinis, *de qua &* Ulpianus 7. & Clemens 8. ad leges noſtras, in l. 139. & 147 D. de V. S. *Refertur & ſimiliter illud, de ter enixa, apud* Paulum lib. 2. ad leges noſtras, *in* l. 137. & l. 132. §. ult. D. de V. S. *Similiter deinde & de filio poſthumo, illud* Ulpiani 8. & Terentii 11. ad leges noſtras, in l. 141. & 153. D. de V.

S. Denique & quæ interprete magis eget, Pauli regula, ex lib. 3. in l. 208. D. de reg. jur. juncta ex eodem auctore, & libro, l. 129. D. de V. S. Ejuſdem explicatus, & relationis eſt Ulpianus, de filio, apud hoſtes ſuſcepto, lib. 4. ad leges noſtras, in l. 9. D. de captivis, quam tamen apte magis jungi, & conferri, agnoſcitur, cum l. ult. D. de adopt. quæ ex eodem auctore, & libro. Rurſus & hinc vulgata expoſitio, & compoſitio Ulpiani lib. 4. in l. 135. D. de V. S. ubi de partu monſtroſo, & Pauli in l. 14. D. de ſtatu hom. & vulgata itidem forma, legandi conjugi in tempus liberorum, ut apud Ulpianum 8. ad leges noſtras, in l. 51. §. ult. D. de legat. 2. Terentium 4. & Ulpianum 8. in l. 61. & 62. §. 1. D. de cond. & dem. Papinianum in l. 24. D. de adim. leg. Rurſus ex Ulpiano d. tit. 16. ubi de conjugibus ſolidi capacibus, ſi ejus ætatis ſit, quæ nondum liberos exigat, tentatur, nec firmatur intellectus l. 19. C. de legat. & novus de Suetonii loco ſenſus in Auguſto, cap. 34. Jam denique ex Ulpiani d. tit. 16. adjectione illa, de cognatis, intra ſextum gradum, fit gradus ad Ruffinum in collat. leg. tit. 16. §. ult. noſtramque illius olim, & poſtea certiorem expoſitionem. Sed infertur, & præfertur intente magis fax Terentio Clementi, in l. 6. D. de vulg. propoſita in primis magni Præceptoris noſtri interpretatione, cui contra adverſantes tuendæ, obſervatur, leges noſtras prohibuiſſe, cœlibes, & orbos capere ex teſtamento extranei, non autem ex teſtamentis genere conjunctorum. Expenduntur pro re, Nicephori, & Sozomeni loci, & Ulpiani d. tit. 16. quin & Papiniani in l. 16. §. ult. D. de caſtr. pec. de qua in Reliquatione, quæ ſequitur. Tandem de jure liberorum anacephaleoſis, & ſumma, & tentata cum Gothofredo relatio ad leges noſtras, excuſatio à tutelis propter liberos, expenſis l. ultim. Cod. qui numer. liber. libro 10. l. 18. D. de excuſ. tut. Inde & tentata, ſupra vulgi mentem, notaque cogitatio ad Caïum lib. 6. ad leges noſtras, in l. 6. D. de cenſib.

1 LEgum in hoc capite cautio hæc fuit, ut maritus, & uxor orbi inter ſe ex teſtamento non caperent, niſi decimam; ita Ulpianus tit. 15. atque inde leges noſtræ dictæ Decimariæ, ut in ſuperſcriptione Cod. de infirm. pœn. cœlib. & legibus decimariis, & à Thaleleo, Græco Scholiaſte, lib. 45. Baſil. tit. 5. ad l. 2. unde vir, & uxor. Reſpexere ad hoc caput Valerius Tracchalus, apud Quintilianum lib. 8. Inſt. Orat. cap. 5. illis verbis: Placetne leges diligentiſſimæ pudoris cuſtodes decimas uxoribus dari, quartas meretricibus? Tertullianus, lib. 1. ad Uxorem cap. 1. Tu modo ut ſolidum capere poſſis, hoc meæ admonitionis fideicommiſſum, Deus facit. Fortaſſe & Juvenalis illud Satyr. 1.

Cum leno accipiat mœchi bona, ſit capiendi
Jus nullum uxori:

Quanquam alii aliter illic. Referri & iſtuc vulgo ſolet, mentio certæ portionis, ſeu modi, ad capiendam legibus conceſſi, apud Juriſconſultos libris ad leges noſtras, in l. 62. §. 1. D. de condit. & demonſt. l. quoties 67. D. ad legem Falc. l. quod conditionis 36. in princ. D. de mort. cauſ. don. cujus tamen in §. 1. verba illa, modo legati conceſſo, intellexere, de lege Falcidia Accurſiani, & poſt eos, Faber lib. 8. Conject. cap. 11. Goveanus ad l. id autem 75. D. ad leg. Falc. queis acceſſimus Salmanticæ, in Commentariis ad leges noſtras, 3. part. cap. 1. num. 7. nunc placet potius, ut tam ille §. quam principium ſit de lege Papia, quomodo Balduinus de illa p. 100. Cujac. lib. 7. Obſerv. cap. 24. Giffanius in eadem l. 36. qui utcumque implexe explanat, & nos à deſcribendo excuſat.

2 Sed eſt inſignior aliis, digniorque, qui explicetur, Scævolæ locus in l. qui uxor 18. D. de auro, & arg. leg. de marito, uxori legante bonorum ſuorum decimam, & alia, ac præterea quædam, quaſi uxoris propria; quæ ſingula deberi, ſupponit Scævola, cum tamen in fraudem legis decimariæ cenſenda relicta, atque ideo non ſuſtinenda, Scævola idem reſpondeat in l. qui teſtamento 27. D. de probat. l. cum quis 38. §. Titia D. de legat. 3. in queis componendis, & maxime quoad dict. l. 18. ne moremur, allucinantes Pancirolam lib. 2. Theſ. Var. cap. 230. Guil. Forner. 3. Selection cap. 15. & præ aliis Cujacium, ad tit. de probat. in dict. l. 27. expediit docte rem idem Cujacius 10. Obſer. cap. 17. ſcribens, ideo ſupponi, valere relicta ultra decimam uxori, in dict. l. 18. quia rogata per fideicommiſſum, eadem reſtituere illa alumno, ut exprimitur in §. 1. dict. l. 18. & proinde potuit, & jam ultra, quam ipſa caperet l. ſi fidei 28. D. de legat. 3. l. cum ei 42. D. de leg. 2. l. cogi 16. § hi, qui ſolidum D. ad S. C. Treb. quia nihil cum effectu capit l. aliud 71. D. de V. S. neque contra legem retinet, ſicut quando, conditionis implendæ cauſa, tantumdem dedit, ut apud Terentium lib. 4. ad leges noſtras in l. ſed ſi hoc 61. §. 1. D. de cond. & dem. vel quando hæres ei eſt, cujus hæreditas ſolvendo non eſt, ex eodem Terentii libro in l. ſi quis ſolidum 72. Digeſt. de hæred. inſt. quæ ſunt ejuſdem rationis, & explanationis.

Jam & aliis omiſſis, quæ in Academicis commentariis pro dict. l. 18. obſervavimus, id ſaltem nunc pro re ex illa colligimus, aut intelligimus, decimam, cujus capiendæ jus conjugibus fuiſſe, non hæreditatis partem, ut quarta Falcidia l. 1. verſ. dum ita D. ad leg. Falc. ſed bonorum decimam, ut exprimitur in dict. l. 18. quomodo & ea deſignatur, referturque ad bona, in dict. l. quod conditionis 36. in princ. & §. 1. D. de mort. cauſ. don. l. ſed ſi hoc 62. §. 1. verſ. nec ideo D. de condit. & dem. l. ſi is, qui ex bonis 6. de qua tamen ſuo loco, D. de vulgari, & apud Ulpianum, tit. 15. verſ. præter, juncta l. ult. D. de uſufr. leg. quocirca & æſtimatio bonorum defuncti conjugis neceſſaria fuit, ut ſciretur quanti eſſet decima, & quidem deducta prius quarta Falcidia, quæ eſt portio hæreditatis, ut in l. quoties 67. ex Clemente lib. 4. ad leges noſtras, hinc illuſtranda, D. ad leg. Falc. & deducto item ære alieno, poſt quod, dicuntur bona, quæ ſuperſunt l. ſubſignatum 39. §. 1. D. de verb. ſign. l. ſi quis 8. §. ultim. cum l. ſeq. D. de legat. 2. l. ult. D. de uſufr. legat. Atque ad hanc æſtimationem prius hæreditatis pro Falcidia, & poſtea bonorum pro decima, applicantur proprie loci ex libris Juriſconſultorum ad leges noſtras, in l. in lege 62. §. 1. eum l. pretia 63. & ſeq. D. ad leg. Falc. quamvis quoad l. pretia, poſſe eam & aliter applicari, ſcripſerimus ſupra Reliquat. 3. numer. 5. 3

Deinde & ad hoc caput ſpectant notæ, & perſpicuæ interpretationis textus in l. ult. in princ. ubi Cujacius 14. reſponſ. Papin. D. de his, quæ ut indign. l. unic. Cod. de his, qui ſe deſer. l. ſi compenſandi 6. ubi Donellus, & Gothofredus, illic: non tantum juris ſeveritas, Cod. de hær. inſtit. l. unic. Cod. unde vir, & uxor, quam huc retulit Thaleleus ad lib. 45. Baſilic. tit. 5. tametſi aliter, & rectius Cujacius 3. Obſerv. cap. 12. Rurſus & ſimiliter, lex 2. Cod. Theod. de inoffic. dot. de qua nos ſupra Reliquat. 30. item lex pro commoditate 7. eodem Cod. de navicul. de qua & jam Reliquat. 22. l. 1. §. illo tamen, Cod. de bonis proſcript. quæ ſimul cum l. etſi conſtante 25. D. de donat. inter, ex libro 5. Terentii Clementis ad leges noſtras, pertinet ad donationes cauſa mortis, inter conjuges, non capiendas ultra decimam, ſive ad capacitatem inter eos, ut conjectari licet, ex l. delata 151. D. de V. S. quæ ex eodem libro eſt, & ex proxime præcedenti l. ſed ſi hoc 62. D. de condit. & dem. l. quoties 67. Dig. ad leg. Falc. & prænotavimus Reliquatione antecedente, num. 6. & explicite Gothofredus ad dict. l. 1. de bon. proſcr. Denique ratio illa perelegans legis ult. C. Theod. de legit. hæred. Ut antiqui nec quod extraneis, ac ſæpe ignotis in donationibus, ſucceſſionibuſque tribuatur, conjugibus conceſſerint, reprimendum inter hos potius, ut in loco ancipiti, quam incitandum fervorem mutuum arbitrati. Junge l. 1. D. de donat. 4

donat. inter. l. unica in fine, Cod. Theod. de infirm. pœn. cœlib.

5 Pergimus, & cum Ulpiano *dict. tit.* 15. adnotamus, decimam hanc inter conjuges capi, *matrimonii nomine*, ſive quod idem eſt, in honorem matrimonii, cui ſuppoſito conſequenter idem Ulpianus ſcribit *titul.* 16. §. *aliquando.* Si contra *legem Juliam, Papiamque Poppæam*, matrimonium contractum ſit, conjuges *nihil* inter ſe capere, id eſt, ne decimam quidem, & ille ipſe in ſpecie format, *dict. tit.* 16. §. *ultim. in fine.* quo & referendam eſſe ſententiam *l. unicæ, D. unde vir, & uxor*, illic: *Nihil enim capi propter injuſtum matrimonium poteſt;* docuimus *lib.* 2. *cap.* 15. & 17. ubi de re cum cura, & plene, & ſupra *Reliq.* 3. *n.* 2. & *ſeq.*

6 Sequitur apud Ulpianum *dict. tit.* 15. ſi conjuges habeant ex alio matrimonio liberos ſuperſtites, poſſe eos ultra decimam, matrimonio conceſſam, capere totidem decimas alias pro numero liberorum (ſed ut ſcripſimus, ſi *ſuperſtites habeant*; nam ſi amiſſi, & ex alio matrimonio, non proſunt conjugibus, quoad hoc caput, quanquam quoad alia aliter *l. qui libertinus* 37. §. *amiſſi* 1. ubi monuimus *Reliquatione* 8. *num.* 5. & *Reliquat.* 5. *num.* 3.) item ſi unum filium, filiamve communem, poſt nonum diem amiſerint, poſſe aliam decimam capere, & duas, ſi duos amiſerint; cui ornandæ ſectioni, non pauca de die nono, ſive luſtrico, & nominalium, Merilius 3. *Obſerv. cap.* 33. & ex aliis noſter Reteſius 1. *Opuſc. cap.* 3. *num.* 2.

7 Subjungitur ex eodem Ulpiano *tit.* 16. de ſolidi capacitate inter virum, & uxorem, in 1. *verſ.* Conjuges ſolidum inter ſe capere, *ſi jus liberorum à Principe impetraverint. Item ſi filium, filiamve communem habeant, aut quatuordecim annorum filium, vel filiam duodecim amiſerint: vel ſi duos trimos* (trimos exaudit Cujacius, de nuper mamma depulſis, *lib.* 19. *Obſerv. cap. ult.*) *aut ſi tres poſt nonum diem amiſerint, ut intra annum tamen, & tres menſes: & hoc amplius unum cujuſcumque ætatis filium amiſſum ſolidi capiendi jus præſtare;* ac denique, *ſi poſt mortem viri, intra decem menſes, uxor ex eo pepererit, ſolidum ex illius bonis capere;* quæ ſingula ſi ſingulatim luſtranda eſſent, longum eſſet. Satis in commune fuerit, monuiſſe, diverſa eſſe, non adverſa illis, quæ ex Ulpiani *tit.* 15. prænotavimus, de filiis ſuperſtitibus, aut poſt nonum diem amiſſis, illa enim ad capionem decimarum præter decimam matrimonii pertinent; hæc autem ad capacitatem ſolidi, in expreſſis caſibus, qui & propriis rationibus nituntur.

8 Exprimuntur adhuc *dict. tit.* 15. & 16. aliæ adjectiones, cujuſmodi illa, ut præter decimam matrimonii poſſint conjuges capere, uſumfructum tertiæ partis bonorum, & quotcumque (ubi legerim potius, & *quotieſcumque*) liberos habuerint, ejuſdem partis proprietatem. Referri huc ſolent, atque hinc illuſtrari *l.* 4. *Cod. quando dies leg. ced. l. partis* 10. *D. de præſcr. verb. l. ſi ita* 51. §. *alt. D. de leg.* 2. *l. ult. D. de uſufr. leg.* ad quam ita, omiſſa Fabri emendatione 1. *Conjectur. cap.* 14. Salmanticæ prænotavimus, Cujacium ſecuti *lib.* 18. *Obſ. cap.* 16. & *lib.* 10. *cap.* 17. & cum illo itidem *l. Lucius* 78. § *maritus* 14. *D. ad S. C. Treb.* ad quam tamen cum tacita nominis noſtri, ſimulque honorifica, vel dum diſſentit, memoria, noſter Reteſius *lib.* 1. *Opuſc. cap.* 3. *num.* 3. & 4. aliter cenſet, eam recte accipiens, de matre, quæ communem filium habuit, ſicut & *l. uxorem* 41. *l. qui quatuor* 30. §. *uxori, D. de legat.* 3. *l. uxori* 37. *D. de uſufr. l. Titia* 87. §. *ultim. l. Lucius* 88. §. *quæ marito* 2. *Dig. de legat.* 2.

9 Exprimitur poſt inde, *dict. titul.* 15. hoc amplius, potuiſſe mulierem præter decimam petere dotem, legatam ſibi. Porro pertinere ad hanc partem, aut ea occaſione motam diſputationem illam Terentii Clementis *lib.* 4. *ad leges noſtras*, in *l. cum ab uno* 51. *D. de legat.* 2. præeunte Balduino *de lege Papia, pag.* 97. docuimus pridem Salmanticæ, & ex noſtris ſcriptis alii. Addimus nunc, *toto eo libro* 4. egiſſe Terentium, de conjugibus, & aliis, non ſolidum capientibus *l. ſed ſi hoc* 62. §. 1. *Digeſt. de cond. & dem. l. quoties* 67. *D. ad leg. Falc. l. ſi quis ſolidum* 72. *D. de hær. inſt. l. ſi is, qui ex bonis* 6. *D. de vulgari.*

10 Quin & ante alia aptat jam traditis *dict. tit.* 16. Briſſonius *de verb. ſign.* in voce, *anniculus*, refertque ad *leges* noſtras, diſputationem illam de anniculo, quæ ex Paulo *ad eaſdem leges*, extat in *l. anniculus* 132. & *l.* 134. *D. de V. S.* quanquam proprie magis pertineat ad *legem Juliam Norbanam, de Latinis*, qui propter filium anniculum, ſit civis, ut apud Ulpianum *tit.* 3. §. *liberis*, de qua *Junia Norbana*, & *Latinis*, non ſemel ad *leges* noſtras Juriſconſulti ſcripſere, ut Ulpianus *lib.* 7. *in l. ædificia* 139. & Terentius *lib.* 8. *in l. qui in continentibus* 147. *D. de V. S.* qui jungendi, & intelligendi ex eodem Ulpiano *tit.* 3. *princ.* & *tit.* 17. & 22. §. *Latinus* 2. ſic & ſimiliter referre licet diſputationem, de muliere quæ ter peperit, ſeu ter enixa, ex eiſdem *ad leges Juliam, & Papiam libris*, in *l. ter enixa* 137. *l. anniculus* 132. §. *ult. D. de V. S* quæ quamvis poſſint etiam aptari *legi Juniæ Norbanæ*, ut *dict. tit.* 3. Ulpiani *in princ.* non minus proprie aptatur *Juliæ, & Papiæ*, de matre trium liberorum capace ſolidi, ut poſt Dionem *lib.* 55. & 56. ſupponitur *in l.* 8. & 9. *Cod. Theod. de bon. proſcr* & de ingenuæ ob tres liberos præmiis in ſucceſſione liberti, & aliis, de queis ex Ulpiano *tit.* 29. §. *contra*, & *ſeq.* diximus ſupra *Reliquat.* 12. & *ſeq.* deinde, & quod apte, & aperte magis, quod ſcriptum de filio poſthumo, ex Terentio Clemente *lib.* 2. *ad leges noſtras in l. intelligendus* 157. *D. de V. S.* nempe, ut proficiat ad vitandas pœnas orbitatis, de quo exacte jam ſupra *Reliquat.* 8. *num.* 4. ſive ad capacitatem ſolidi matri, quæ intra decem menſes poſthumum peperit, juxta extremam Ulpiani ſectionem *dict. tit.* 16. §. 1. juncta, & huc etiam referenda, ex Ulpiani *ad leges noſtras lib.* 8. *l. etiam* 141. *D. de V. S.* Poſtremo & applicanda fortaſſe huic parti, & Ulpiani textui de liberis, qui habiti, aut amiſſi, *dict. tit.* 16. *verſ. aut ſi filium*, regula illa ex Paulo *libro* 3. *ad leges noſtras, in l. non poteſt* 208. *D. de reg. jur. Non poſſe deſiiſſe habere, quæ nunquam habuit;* nempe ut explicetur exemplo adhibito fœminæ, ex qua filius mortuus editus eſt, quem neque amiſiſſe, neque habuiſſe deſiiſſe dicatur, quia nunquam habuit, neque illi quoad *leges* noſtras pro filio computatur, ut proditum ex eodem Paulo *eodem libro* 3. *in l. qui mortui* 129. *D. de V. S.* quæ tametſi à nobis relata ſit *ad l. qui libertinus* 37. *D. de oper. lib.* ſupra *Reliquat.* 4. *num.* 2. tamen quoad regulam *dict. l. non poteſt* 208. non tam proprie ad libertinum maſculum, ut *illic* voluit Petrus Faber, quam ad fœminam, ut explicuimus, accommodatur, ſicut neque concinne à Cujacio jungitur Caio *in l. nulla* 14. *D. de ſtatu, & legit.*

11 Ejuſdem intellectus eſt, & reſpectus ad *leges* noſtras, quod ex Ulpiani *libro ad illas* 4. extat *in l. apud hoſtes* 9. *D. de captivis*, filium, apud hoſtes ſuſceptum, & poſtliminio redeuntem habere *jus filii*, ſcilicet, ut parentibus proſit, ad ſolidi capacitatem *ex lege Papia*, ut exponit Jac. Gothofredus *ad leges noſtras pag.* 287. quomodo & exponit recte idem Ulpianus *lib.* 8. *in l.* 141. in *fine D. de V. S.* quanquam quoad *dict. l. apud* 8. excerptam *ex lib.* 4. Ulpiani verba, *filii jura habet*, proprie magis explanentur, ut ipſe filius pro filio habeatur in familia patris, juxta *l. ult. D. de adoption.* quæ *ex eodem libro* 4. Ulpiani eſt, & elucidata a nobis *libro* 2. *cap.* 23. *num.* 13. & 14.

12 Eſt itidem ejuſdem, & tritæ vulgo interpretationis, Ulpiani ſententia *libro* 4. *ad leges noſtras, in l. quæret* 135. *D. de V. S.* de partu monſtroſo aut portentoſo, nempe, ut parentibus proſit, ad vitandas exoſas pœnas orbitatis, & ſolidi capiendi jus, quia quantum eis fuit, *legibus Juliæ, & Papiæ* obtemperaverunt; quamvis diverſum ſit, quoad præmia ſucceſſionis ex Tertylliano, de queis Paulus *in l. non*

ſunt 14. *Dig. de ſtatu hom.* & *lib.* 4. *Sentent. tit.* 9: §. *mulier.* 3. Atqui hæc nota adeo, & notata, ut qui notiorem det, ignotus ſit, ut alibi Seneca.

13 Reſpicit tandem ad hoc caput, & ex eo illuſtranda, frequens illa formula, legandi conjugi, vel uxori in tempus liberorum, ut in Ulpiani *textu ex libro* 8. *ad leges noſtras, in l. ſi vir* 61. *D. de cond.* & *dem.* & in *l. ſi ita* 51. §. *ult. D. de legat.* 2. junctis *l.* 4. *Cod. quando dies leg. ced. l. ſolemus* 11. *l. cum vir* 25. *D. de condit.* & *dem. l. pen. D. de uſur.* & præ aliis Papiniano *in l. legatum* 24. *D. de adim. leg.* dum reſpondet, conditionem, *ſublatis liberis*, uxoris legato appoſitam, non cenſeri in alia perſona repetitam, cum fuerit in perſona mulieris neceſſaria, nimirum, ut ultra decimam caperet, ut docte illic Cujacius.

14 Aſt reliqua adhuc ſunt extricanda *dict. tit.* 16. Ulpiani *in princ.* Primum, habuiſſe ſolidi capacitatem conjuges, ſi unus, aut alter ejus ætatis ſint, quæ nondum liberos exigat: de qua ætate jam ſupra *Reliquat.* 23. Secundum hæc Cujacius *ad titul. Cod. de legat.* & *libro Obſerv.* 8. *cap.* 19. exaudit Cæſarum Conſtitutionem *in l. non tantum* 19. *Cod. de legat.* de marito nondum ejus ætatis, quæ liberos exigat, qui & ideo ſolidum ab uxore capiat, & ex verbis *duum menſium*, *d. l.* 19. conjicit, *lege Julia* cautum, ne conjuges illius minoris ætatis, ſolidum inter ſe caperent, niſi per duos ſaltem menſes in conjugio fuiſſent; idque coërcendo illi recentium conjugum viciſſim donandi calori. Quanquam ego potius crediderim, ne matrimonio paucorum dierum, & ſtatim per divortium ſoluto, pœnas cœlibatus, & *leges noſtras* eluderent; quo & fortaſſe referri poſſit Suetonii locus ille *in Auguſto cap.* 34. de *legis Juliæ* vi eluſa, mutatis crebro matrimoniis, & de modo divortiis impoſito, utcumque de eo loco aliter ſupra *Reliquat.* 28. Plane ſunt hæc, & quod Cujacius adjicit, de abrogato eo priſco jure, *in dict. l.* 19. meræ divinationis, & ſuſpicionis, ſine queis tamen obſcurus, aut abſonus illius ſenſus.

15 Secundum eſt, in *dict. tit.* 16. Ulpiani illud, de cognatis, qui inter ſe coïerint, uſque ad ſextum gradum, nimirum ut eo ipſo habeant ſolidi capiendi jus, idque quia ad eum uſque gradum cognatio durat §. *ult. de cognat. ſucceſ. l.* 1. §. *hæc autem* 3. *l. penult. D. unde cogn.* ubi Cujacius *ad Papinianum.* Porro affinis huic loco, eique conferendus ille Ulpiani, apud Ruffinum, ſive alium auctorem *collat. leg. Moſaïc.* & *Rom. tit.* 16. §. *ult. de perſonis*, *quibus decimæ immunitatem Imperator tribuit*, ſi explanetur eo ſenſu, juxta Ulpianum *dict. tit.* 16. de cognatis intra ſextum gradum conjugibus, qui ſolidum inter ſe capiunt, & proinde immunes ſunt à limitatione decimæ, ultra quam alioquin inter ſe non caperent, quomodo Salmanticæ exponebamus; tametſi aliter poſtea didicimus, & docuimus ſupra *lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 2.

16 Enim vero proxima poſitis, & his annectenda interpretatio illius nobilis fragmenti, quod ex Terentio Clemente exſtat *in l. ſi ir, qui* 6. *Dig. de vulgari*, in cujus ſpecie enucleanda fregere ſæpe cerebrum, poſt veteres, neotericoſque, Academici antecesſores, nos, ut quæ Salmanticæ juſto fere commentariolo *ad dict. l.* 6. *D. de vulgari*, quam breviſſime perſtringamus, miſſis Accurſianorum, & poſt eos Cujacii, & aliorum commentis, præmonemus dumtaxat, noſtrum olim Salmanticæ præceptorem, & cui in Mediolanenſi extraurdinario Præſidatu, & in Italici Senatus Regentia ſucceſſimus, & inter Scholæ anteceſſores, & Regios Conſiliarios Primarium, D. Alphonſum Guillenium Carreram, ſcripſiſſe pridem *ad l. un. num.* 35. *Cod. de cad. toll.* fingendam ſpeciem *dict. l.* 6. in Sempronio orbo, & fratre Seiæ, qui à Titio, Seiæ marito, pupillariter ſubſtitutus fuit filio impuberi, ea Seïa ſuſcepto: in qua ſpecie quamvis Sempronius, tanquam orbus, & Titio extraneus, ex bonis ejus ſolidum capere non poſſit, tamen poteſt ex bonis pupilli, quia illius eſt avunculus, & proinde cui *lex Papia* jugum ſuum non impoſuit *l. un.* §. & *cum lex* 1. *Cod. de cad. toll.*

Huic interpretamento cum Academici noviores 17 objicerent, non exprimi *in dict. l. unic.* cognatos, ſed taxatim liberos, & parentes, ut apud Ulpianum *tit.* 17. §. 1. & *tit.* 18. nos utcumque largiremur, id ita eſſe, quoad illud jus antiquum, quod diverſum fuiſſe ab eo, de quo nunc, dicemus *ad eoſdem Ulpiani textus* infra *Reliquat.* 36. adjiciebamus tamen, pro ſuſtinenda præceptoris noſtri expoſitione, & primi Salmanticæ obſervavimus, & attigimus properantes, ſupra *lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 6. & agnoviſſe hoc ipſum, nuper comperimus, Cujacium *ad l.* 3. §. *liberi* 7. *D. de bonor. poſſ. cont. Tab.* pœnas orborum, & cœlibum, ut vel nihil, vel non ſolidum ex teſtamento caperent, non pertinuiſſe niſi ad teſtamenta extraneorum, ut expreſſimus ad caput præcedens, *Reliquat.* 33. *num.* 20. cæteroquin genere propinquos teſtatori, potuiſſe capere, idque ex ipſis *legibus Juliis*, de quibus ſic Nicephorus Callixtus *lib.* 7. *Hiſt. Eccl. cap.* 46. *Abſurdas etiam illas apud Romanos leges, ne cœlibes in adeunda hæreditate conjugibus æquarentur: neve præterquam genere propinqui, quidquam ex teſtamento lucrarentur, abrogavit.* Sozomenus *lib.* 1. *Eccleſ. hiſt. cap.* 9. cujus verſio ita ex Nicephori Græco textu corrigenda, ubi de *lege Papia*, & cœlibibus, *juſſitque præter alia multa, etiam, ut nihil commode, niſi genere proximi eſſent, ex teſtamento caperent.* Firmavimus deinde aſſertionem, de genere propinquis, cœlibatus, & orbitatis incapacitati non obnoxiis, ex ratione & exemplo Ulpiani noſtri *tit.* 16. de viro, & uxore (inter quos ſtrictius capiendi jus fuit, ut *ſupra monuimus ex l. ult. Cod. Theodoſ. de legit. hær.*) ſolidi tamen inter ſe capacibus, ſi cognati ſint intra ſextum gradum; ac denique in idipſum expendimus Papinianum *in l. dotem* 16. §. 1. *D. de caſtr. pec.* de qua, ac de illis, qui ſolidum capiunt, quia Reipublicæ cauſa abſunt (quæ reſidua adjectio eſt *dict. tit.* 16. *in principio*) dicemus jam *Reliquatione, quæ ſequitur.*

Illud tandem monitum volumus, recenſuiſſe nos, 18 & pro captu illuſtraſſe, jam inde à *Reliquatione* 5. nunc uſque, præmia, & prærogativas patribus, ex noſtris legibus, comprehenſa communi illo nomine juris liberorum, quæ ſublatis cœlibatus, & orbitatis pœnis, & indulto omnibus jure liberorum ab Honorio, fere exolevere, *l.* 1. *Cod. de jure lib.* & *l.* 1. & *ſeq. eodem tit. in Cod. Theod.* quibus ornandis, ac univerſim juri liberorum naturali, & impetrativo elucidando, ſatis, ſuperque fuerint, poſt Duareni *collectaneam lib.* 1. *Diſput. cap.* 40. & Vertranii integrum libellum, Cujacius *ad tit. Cod. de jure lib.* Jac. Gothofr. *ad eumdem tit. in Theodoſiano*, & ex noſtris, Noſter Retelſius *Opuſc. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. ubi & *de Regia* Magni Philippi noſtri *Pragmatica*, *de privilegiis maritorum*, & *patrum*, de qua & ad fori uſum plura noſtrates.

Nec plura, ut diximus, præmia liberorum, de 19 quibus conſtet, fuiſſe ex legibus noſtris; quanquam, ne indictum ſit, inter alia Jac. Gothofredus *ad leges noſtras pag.* 382. & 322. & *ad l. un. Cod. Theod. de his, qui num. liber.* probabiliter conjectetur, fuiſſe etiam ex noſtris legibus excuſationem à tutelis, & muneribus perſonalibus, propter liberos tres Romæ, quatuor in Italia, & quinque in Provinciis, ut *in princ. Inſt. de excuſat. tut. l. unic. Cod. qui numero liberor.* idque argumento ex verbis illis, ad leges noſtras referendis, *promiſſa legibus immunitate ſervanda*, quæ extant *in l. ult. Cod. qui numero liberor. lib.* 10. juncta itidem ex noſtris legibus, & Ulpiano *lib.* 20. *l. bello* 18. *D. de excuſat. tut.* de qua nos ſupra *Reliquat.* 5. cui conjectaneo ſi aſſentimur, poterit ei ſuppoſito aptari fragmentum ex Caïo *lib.* 6. *ad leges Juliam*, & *Papiam*, (quod alioquin extraneum à noſtris legibus, & fugitivarium videatur) *in l. juris* 6. *D. de cenſib.* quod ſic habet, *Juris Italici ſunt* (ut ex Græco vertitur) *Troas*, *Berytus*, *Dyrrachium*; nempe ut eo illa theſis referatur, ut

quoniam

quoniam illæ Urbes, quamvis provinciales ſint, fuerint donatæ jure Italico, ſive illius privilegiis, quot, & qualia fuerint, poſt Sigonium electe Cujacius *lib.* 10. *Obſer. cap.* 35. Pancirola *lib.* 2. *Theſ. Var. cap.* 152. qui in eis Urbibus quatuor liberos habuerit, excuſetur à tutelis, & muneribus, propter quatuor liberos, ex noſtris *legibus Julia*, *& Papia*, ſicut excuſaretur propter quinque in Provinciis. *dict. l. un. Cod. qui numero lib. princip. Inſtit. de excuſ. tut.*

AD EDICTUM CLAUDII CÆSARIS,

De Militibus. & aliis, Reipublicæ cauſa, abſentibus, ſolidi capacibus.

RELIQUATIO XXXV.

Pro Ulpiano *tit.* 16. *l. qui mittuntur* 35. *uſque ad* 38. *D. ex quib. cauſ. maj. l.* 3. *D. de caſtr. pecul.*

ARGUMENTUM.

M*ilitibus datum à* Claudio *jus maritorum*, *ſeu potius patrum*, *ut in* Dione *ſupplemus: idque ad alios porrectum*, *Reipublicæ cauſa*, *abſentes*, *ut in* Ulpiano tit. 16. *nempe ut ſolidum capiant*, *etiamſi cælibes*, *& orbi ſint*, *Hinc lux* Paulo 3. & 6. ad leges noſtras, in l. 35 & l. 37. Ulpiano lib. 6. in l. 36 & 38. D. ex quibus cauſ. maj. *in cujus* §. 1. in fin. *mentio* legis, *relata*, *ultra vulgarem captum*, ad Juliam de vigeſima, *& fortaſſe* ad Juliam, Papiamque noſtras. *Refertur etiam ad hanc partem*, *& exponitur* Ulpianus 3. ad leges noſtras, in l. 3. *ſimul cum* l. 13. & 16. D. de caſtr. pec.

1 EXhibent conſequenter Academicæ noſtræ aſſertiones *cap.* 38. de ſexagenario, & quinquagenaria, ac S. C. Perniciano, de quo tamen, quantum ſatis, jam ſupra *Reliquatione* 24. ergo ut nunc de militibus, ſive his, qui Reipublicæ cauſa abſunt, ſupponimus, ex edicto Claudii Cæſaris apud Dionem *lib.* 60. ubi de triumpho Claudii Britannico γεγαμηκότων. eſt in textu Dionis, ſive *maritorum*, cum exprimere debuiſſet, *Patrum*; ſic enim fuiſſe illis jura maritorum conceſſa, (cui capioni ſolum fuiſſe maritos, non ſufficeret) ampliter, & aperte magis Ulpianus, ut ſolidum caperent, ſeu libera inter eos teſtamenti factio ſit, quandiu vir abſit, & intra annum, poſtquam abeſſe deſierit, ut exprimitur, *dict. tit* 16. *in princ. verſ. aut ſi vir.* Et referenda omnino ad hanc partem, & ex ea elucidanda fragmenta Pauli *lib.* 3. *ad leges noſtras*, *in l. qui mittuntur* 35. & Ulpiani *lib.* 6. *in l. Reipublica* 36. *& l. ſi cui* 38. & rurſus Pauli *lib* 3. *in l. hi*, *qui* 37. *D. ex quib. cauſ. maj.* in queis ſectiones illæ, de militibus, & aliis, quando, & quatenus, Reipublicæ cauſa, abſint, eo pertinent, ut inferatur, quando, & quatenus ſolidum capiant, etiamſi cœlibes, aut orbi ſint.

2 Quin & dignum magis notatu, verba illa *l. ſi cui* 38 § *in fine*, *Et erit moderatum*, *tempora ei dare*, *quæ lex revertentibus præſtitit:* quæ poſt Accurſium Faber, Gothofredus, & alii, referunt ad edictum Prætoris, de quo *in l.* 1. *D. ſi quis caution. l.* 3. *D. de V. S. l.* 2. *§. ſi Præſes* 3. *D. quis ordo in poſſ. l.* 13. *§.* 1. *in fin. D. de excuſat. tut.* nos potius, præſignante Cujacio *ad dict. l.* 3. *D. de V. S.* exaudimus, *de lege Julia*, *de vigeſima hæreditatis*, qua, ut quanto citius tabulæ teſtamenti aperirentur, ut *in l. ult. D. de appel. recip. l. ult. Cod. de edicto D. Adr.* præſtituta abſentibus tempora ad redeundum, & quidem millia paſſuum in ſingulos dies, cenſemus ex *l. mille paſſus* 154. *quæ* eſt ex Macro *libro* 1. *ad leg. Juliam de vigeſima D. de V. S.* de qua ex profeſſo ſupra *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 1. *&* 2. juncta Pauli ſententia *lib* 4. *tit* 6. *§. ult.* fortaſſe & exaudienda *de legibus Julia*, *& Papia*, ad quas inſcripta *dict. l. ſi cui* 38. & quæ vel ſingulari legis nomine ſignari ſolent, ut notavimus *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 5. ut abſentibus Reipublicæ cauſa, vicena illa millia paſſuum computentur, redeuntibus, ut ſolidi capiendi jus retineant, juxta Ulpianum *dict. tit.* 16.

3 Deinde & ex hoc conſtituto interpretamur Ulpiani textum *libro* 3. *ad leges noſtras*, *in l.* 3. *D. de caſtr. pecul.* ſimulque Papinianum *in l. dotem* 16. *in princ. & §.* 1. *D. eodem tit.* & in primis quod traditur in *dict. l.* 3. relinquente muliere, mariti ſui filio militi, ad caſtrenſes res comparandas, id annumerari peculio caſtrenſi, *ad leges Juliam*, *& Papiam*, ad quas inſcripta *d. l.* 3. referri oportere, juxta quas, & hanc earum partem militantes capaces ſunt ſolidi, eis relicti teſtamento, aut codicillis, ut ſignate verbo relinquendi utitur *dict. l.* 3. Eis conſequenter Papinianus *in dict. l. dotem* 16. juncta *l. Divus* 13. *D. de caſtr. pec* reſpondet, ſi uxor filiumfamilias militem hæredem ſcripſerit, hæreditatem in caſtrenſi peculio computari, quia quamvis alioquin donata, aut legata ab uxore, aut aliis, extra militiam notis, militi filiofamilias, non accenſeantur caſtrenſi peculio. *l. ſi militi* 6. *l. etſi forte* 8. *dict. l. dotem* 16. *§. ult. D de caſtr. pec.* tamen in hæreditate uxoris, Imperator Adrianus, ut computaretur, reſcripſit. *dict. l. Divus* 13 *& dict. l. Divus* 16. *verſ. nec ea res.* Quod reſcriptum cur extenſum non ſit, aut comprehenderit legatum, de quo *in dict. l. etſi forte* 8. de quo Cujacius *ad Papin. in dict. l.* 13. *&* 16. vel an *dict. l.* 2. exaudienda de legato ei, qui extra caſtra erat, ut A. Faber voluit *in Juriſpr. tit.* 11. *princ.* 6. *illat.* 15. non diſquirimus: illud rei noſtræ eſt, ſupponi *in dict. l.* 13. *&* 16. maritum militem capere ſolidum hæreditatem uxoris, idque *adventitio jure*, nempe ex edicto Claudii, & jure illo abſentium Reipublicæ cauſa, de quo Ulpianus *dict. tit.* 16. & illo Adriani *in dict. l.* 13. & quoad id, eſſe aliam cauſam dotis, quia non datur ut militi, ſed ut marito pro oneribus matrimonii, ut exprimitur *in dict. l.* 16.

AD CAPUT XXXIX. ET XL.

Legum Juliæ, & Papiæ, *cum Senatuſconſultis, & interpretationibus Prudentum ad eas leges.*

DE CADUCIS, ET IN CAUSA CADUCI.

RELIQUATIO XXXVI.

Pro explanandis l. unica in princip. & §. cum igitur, cum §§. ſeq. Cod. de caducis tollend. Ulpiano tit. 17. de caducis, & tit. 22. §. 1.

ARGUMENTUM.

LEgum noſtrarum *in hoc capite ſanctimis ſumma; collatis, & illuſtratis* Ulpiano tit. 17. & Tacito lib. 3. Annal. *Ærarii, & Fiſci ſub* Auguſto, & Trajanum *uſque diſtincta jura, poſtea mixta, & utraque ſub manu* Cæſarum. *Hinc lux* Ulpiano in l. 96. §. quoties. de legat. 1. & *eidem* tit. 17. §. 1. & tit. 28. §. 7. *caducorum nomen, & deſcriptio ex* D. Iſidoro. *Sic dicta olim qualiacumque in Fiſcum cadentia, & ea, quæ, quia hæres non eſt, vacantia vocantur, ut in* l. 4. C. de bon. vacant. *ſi conferatur cum* l. 30. Cod. Theod. de petit. & quæ ultro: *ſic caduca Legienis* in l. 4. §. 17. D. de fideicom. lib. *cui jungimus* l. ult. D. de jure immun. *& ereptitia ipſa* in l. 9. D. de S. C. Syllan. *& aliis locis, ac denique popularia in* Codice Theodoſii. *Aſt in hoc capite proprie caduca, quæ à cœlibe, aut orbo, quia legibus non paruerunt, in fiſcum cadunt; atque hæ primariæ ſpecies caducorum, quorum & ideo exordium* legi Papiæ *tribuitur,* in l. un §. cum igitur, Cod. de caduc. *& ab* Ulpiano tit. 19. §. 17. & tit. 11. §. 21. & tit. 24. §. 16. *Addita per* legem Juniam de Latinis, *ſpecies alia caduci in* Latino, *qui non abſolute incapax, ſed ſicut cœlebs, prohibitus cum effectu capere, niſi intra centum dies, civis fieret, & niſi fiat, cadit ab eo in Fiſcum, ut ex* Ulpiano tit. 22. §. Latinus 3. *notatum jam* Reliquat. 32. num. 14. *inde & illuminata, & relata* ad leges noſtras Terentii *ſectio,* ex lib. 8. & Ulpiani ex 8. in l. 142. & 139. D. de V. S. *Inductæ aliæ duæ caducorum ſpecies* S. CC. ad leges noſtras *factis, queis conſtitutum, ut legata, pure, vel in diem certum relicta, non ut olim à morte teſtatoris, ſed cederent ab apertura tabularum, antequam deficientia fierent caduca.* dict. l. un. §. cum igitur, *quæ ſic accipitur, reclamante* Cujacio, *& aliis, at non* Ulpiano tit. 24. §. 31. *adſcribente* legi Papiæ *id, quod fuit ex* S. CC. ad Papiam. *Referenda ad hanc partem theſes ex* Ulp. 13. ad ll. noſtras, & Caio 2. l. 10. & ult. & in l. 11. D. quemadm. teſt. aper. *ac præterea* l. 31. & 104. D. de condit. & dem. l. 24. D. de lib. legata. l. 44. §. 1. D. de bon. lib. l. ult. §. ult. D. de mort. cauſ. donat. *Animadverſum obiter pro juventute, quod* ſub tit. D. quando dies leg. ced. *& alibi ſæpe ſupponitur, de ceſſione legatorum à morte teſtatoris, exaudiendum de jure ante S. C. &* Papiam legem, *quod jus antiquum à Juſtiniano reſtitutum, ante editionem* Pandectarum, in d. l. un. §. in noviſſimo 5. Cod. de caduc. toll. *expreſſere* in Pandectis *illarum Concinnatores, ex præſcripto* l. 1. §. 7. l. 2. §. quintus, in fine, C. de cad. toll. *Eiſdem S. CC. cautum de hæredibus ex parte, ne adeant ante apertas tabulas, ac proinde, ut ex aſſe inſtituti poſſint. Quo pertinent noti vel* Accurſianis *loci* l. 3. Cod. de jure delib. l. 21. D. de cond. & demonſtr. l. 1. §. ultim. D. de jur. & fact. ign. *cum* l. 10. D. de bon. poſſ. *incaſſum illic refragante* Cujacio. *Pertinent etiam, quamvis non eam ex proximo,* Paulus ad leges noſtras, lib. 5. & 4. in l. 68. & 80. Caius 14. in l. 58. de acq. hær. *Cautum item, ſive agnitum S. CC. non comprehendi illis hæredes, qui aditione non egent, quales qui ſui dicuntur, de queis expoſitus* Caius 13. ad leges noſtras, in l. 14. D. de ſuis, & legit. *ſicut nec ſervi, à domino cum libertate inſtituti, qui neceſſarii exiſtunt, & ante apertas tabulas. Intellectæ, & redactæ ad hunc ſenſum,* l. 3. §. ult. l. 42. D. de hær. inſt. *Conſequentes S. C. fuere duo caducorum ſpecies; prima in hærede ex parte, aut legatario, ante apertas tabulas mortuo; ſecunda in eo ipſo, qui peregrinus factus, ante aperturam, ad quas proprie ſpecies reſpicitur in* dict. l. unic. §. Et cum triplici, & §. 5. *non ad cœlibem, orbum, & Latinum, qui jam exoleverant. Non agnoſcitur quinta ſpecies caduci, quæ poſt* Accurſium *agnita* Cujacio, Gothofredo, *& aliis, in defectu conditionis legati, aut hæreditatis, ante apertas tabulas. Aſt nobis repudiata pridem ex juris cenſura, neque obnitente* §. Et cum triplici. *Expenditur pro eo, & penſiculatim explanatur* Africanus in l. 31. D. de condit. & dem. *Diſtinguntur proprie, & ſignate pars defecta legatarii morte, quæ & caduca, & legatarius defectus conditione, ubi caducæ locus non ſit. Producitur explanatio ad* Ulpianum 13. ad leges noſtras, in l. 59. D. de condit. & demonſt. *in quo & evincitur coacta juris ratione, accipi oportere de contingentibus ante apertas tabulas; deinde & ſupponitur, quamvis defectu conditionis eo tempore non inducatur caducum, tamen induci morte legatarii, ut in expoſita jam* dict. l. 31. *Aſt definitur in* dict. l. 59. *non induci, per deportationem legatarii conditionalis, quamvis aliud in ſervitute pœnæ. Notata diſtinguendi ratio, & benignitatis, quæ probabilitas vocatur in* dict. l. 59. *quoad deportationem, & ſtrictioris juris, quoad ſervitutem. Prælata ſax* Ulpiano 4. ad leges noſtras, in l. 209. D. de regul. jur. *Jam de ſexta ſpecie caduci, excogitata* Accurſio, *in defectu rei legatæ, neque ea agnoſcitur, at potius contra expenditur ratio juris, & accommodantur, explicanturque ad rem* Paulus 5. ad leges noſtras, in dict. l. 49. D. de legat. 2. & in l. 88. D. de legat. 3. *& appoſite magis* Terentius 12. ad leges noſtras, in l. 21. D. de lib. leg. *Exploditur ſimiliter caducitas, ſuppoſita* Accurſio, *& aliis in repudiatione hæredis, aut legatarii, de qua, ſupra* Reliq. 18. ex num. 16. *Tranſitus ſit ad vulgarem textum* l. 20. §. ait 7. D. de hæred. pet. *qui & exponitur non vulgariter: deinde &* ad l. ult. D. de reg. Caton. *cujus receptæ interpretationes relatæ, & probatæ. Priſcis* Juriſconſultis *dictæ, leges novæ,* Julia, & Papia; *& è contrario novis* Cæſaribus *antiquæ. Aſt non probatur tentata alicui ex* dict. l. ult. *expoſitio* l. 28. D. de legibus, *quæ eſt ex* Paulo 5. ad leges noſtras, *quia nec apta regulæ cum legibus collatio, quæ valde differunt. Exempla* ad dict. l. 28. *cum* l. 26. & 27. *petita ex noſtris legibus* Julia, & Papia, *collatis* cum legibus 12. tabularum, *& ſignanter quoad leges contrarias, collata* lege Julia, *de ætate ad nuptias, cum* Papia, *quoad liberos, & collatis cum priore* Voconia lege, *quoad filias: denique ex* Ælia Sentia, *cum* Julia, *quoad jus patronatus. Progreſſio ad quaſi caduca, ſive in cauſa caduci, & ſtabilita in primis eorum origo, ex recepta interpretatione veterum* Juriſprudentum, *de qua non pauca, nec protrita; & quidem ante* leges Juliam, & Papiam, *ante quas, & ex* Voconia lege *in uſu caduca, expenſis* Cicerone 2. de finib. & Plinio in Panegyrico. *Jam prima ſpecies quaſi caduci fuit illius cui relictum, mors, vivo teſtatore. Objectio* ex l. 39. §. ult. D. de vulg. *cui ſubmovendæ, nota jam olim nobis aſſertio, non fuiſſe huic quaſi caduco locum in hæreditatibus. Firmatur* ex l. ult. D. ſi pars hæred. pet. l. 88. §. 3. D. de legat. 2. l. 30. D. de vulgari, *cum aliis. Aſſertio fere illata ex verbis* dict. §. Et cum triplici, & §. pro ſecundo, *& ratio ex diſciplina juris. Immiſſum ex ea novum lumen formulæ* Galli,

in

Digitized by Google

in l. 29. D. de lib. & poſt. & l. 30. D. vulg. *Plane in legatis, præmonetur, ut quaſi caduca ſint, requiri legatarii mortem naturalem, nec ſufficere civilem, aut fictam*, ut in l. 3. §. 1. l. 4. §. 1. D. de his, quæ pro non ſcr. *quæ elucidatur, & eſt ex* Ulpiano 4. ad leges noſtras. *Rurſus pro ſecunda ſpecie caducorum, nempe defectu conditionis vivo teſtatore, animadvertitur, ceſſare hoc caducum, ſi conditio, quamvis vere defecerit, habeatur jure pro impleta*, ut in l. 54. §. 1. & 2. D. de leg. 1. l. 28. D. de cond. & dem. l. 8. §. 7. D. de cond. inſt. l. 23. §. 2. ad leg. Aquil. *De queis notata aliis plura, & addita pauca. Jam & de caducorum exceptionibus, & præ aliis illa, quando eſt ſubſtitutionis jus, quod præfertur caduco.* l. unic. in princip. C. de cad. toll. *Nec tamen origo ſubſtitutionum ex lege* Papia, *juxta vulgi allucinationem, imo ante illam* ex 12. tabulis l. 39. de pœnis, *ſed frequentiores poſt* Papiam *caducis obturandis, & præſertim mutuæ, de queis notati textus. & qui propiùs magis*, l. 50. de leg. 2. l. 20. de mort. cauſ. don. *Appoſita huic loco explanatio*, l. 5. D. de vulg. *quæ ex* Caïo 3. ad ll. noſtras, *& in qua* Balduino, *& aliis accenſemur. Explanata itidem*, l. 24. cum l. ſeq. D. de hær. inſt. *Exceptio alia fuit in legatis* Auguſto, *ut ex Caïo* ad leges noſtras, l. 56. D. de leg. 2. *juncta pro ratione* Ulpiani *ad eaſdem*, lib. 13. in l. 31. D. de leg. *Aliud in legato* Auguſtæ *vivo teſtatore mortuæ, quod caducum, ex* Mauritiano 2. ad leges noſtras, in l. 37. D. de leg. 2. *de cujus differentiæ ratione cum* Bartolo, *& aliis ſentimus. Tandem pro effato illo* dict. l. un. de Juriſconſultis, *multa excogitantibus contra caduca, ſubjungimus exempla: Primum*, ex l. 2. §. 1. D. de lib. leg. *ex* Terentio 12. ad leges noſtras, *noſtraque olim conjectura. Secundum*, ex l. 6. §. ult. *juncta* l. 2. §. 1. D. de jure cod. *Tertium*, ex l. 2. §. ult. D. de auro, & arg. leg. *Quartum, & obſervatu dignum*, ex l. ult. §. ult. D. de his, quæ ut ind.

1 SEquebantur in aſſertionibus noſtris, tanquam *Juliæ, & Papiæ* legum appendices, earum extenſiones ad donationes cauſa mortis, & ad bonorum poſſeſſiones, de queis tamen actum affatim ſupra *Reliquat.* 32. *ex num.* 4. ac deinde Conſtantini, & Honorii Conſtitutiones, quibus ſublatæ cœlibatus, & orbitatis pœnæ, quarum ſupra meminimus *Reliq.* 33. *&* 34. *in fine.* Ergo, ut de re præſenti, fuit præcedentium capitum, de cœlibatus, & orbitatis pœnis, veluti complementum, caput hoc de caducis, quo leges noſtræ ſtatuere, ut quæ cœlibibus, orbiſve relicta, cum alioquin jure civili capere poſſent, tamen per leges noſtras (nempe quia illis non paruerunt,) non caperent, ea, quaſi ab illis cadentia, ærario, ſive fiſco vindicarentur. Hæc capitis ſumma, ducta ex Ulpiano *tit.* 17. *in princ.* Tacito *lib.* 3. *Annal.* quorum loci collati, & dextre accepti, eumdem ſenſum exhibent. Nam quod Tacitus ſic loquitur, *ut ſi à privilegiis parentum ceſſaretur*: id ipſum eſt, quod Ulpianus *dict. tit.* 17. *ſi cœlebs intra centum dies legi non paruerit*; & quod deinde Tacitus: *Velut parens omnium populus vacantia teneret*, & quod paulo ante idem Tacitus, *cœlibum pœnis, & augendo ærario*: & quod Ulpianus *dict. tit.* 17. §. 1. exprimit, *caduca Fiſco vindicari*, vix diſcrepant effectu; nam quod Auguſti, & *legum Juliæ, & Papiæ* ſæculo, ærarium publicum erat, & ad populum pertinens, & cui proinde, tanquam omnium parenti, *caduca*, quæ Tacitus *vacantia* nominat, applicabantur (diſtinctis ærarii, & diviſis inter Cæſarem, & populum, ſeu Rempublicam Provinciis, teſte Strabone *lib.* 2. ſimulque diſtinctis ærarii, quod populi, & Fiſci, qui proprie Cæſaris erat, juribus eo ſæculo, & ſenſu, ut adhuc diſtinguebantur ſub Trajano, in vulgatis illis locis *Pliniani Panegyrici*: *At fortaſſe, non eadem ſeveritate Fiſcum, qua ærarium cohibes.* Et ibidem: *Locupletabant fiſcum, & ærarium non tam Juliæ, & Voconiæ leges*: junctis, ut alia omittam, Calliſtrati *libris, de jure fiſci, & populi*; ſicut inſcribuntur in *l.* 1. *D. de bonis damnat.* & ſimili inſcriptione Pauli 3. *Sentent. tit.* 12.) tamen poſtea, & ſub noſtris Juriſconſultis, & Cæſaribus Antoninis, tam ærarium, quam fiſcus ſub manu Cæſarum erant, qui & de utroque leges ferebant, ut de Alexandro Severo, *in ejus vita*, ſcribit Lampridius, & jam inde à Tiberii tempore, cœpta transferri bona ab ærario ad fiſcum, ut de Sejani bonis, Tacitus 5. *Annal.* Quæ ſingula firmare plenius, in facili eſſet, ex Cujacii, Rævardi, Briſſonii, Lipſii, Dorleani, Salmaſii, Pancirolæ, Bulengeri, Gutherii, Roſcii Myrothecis, quos Salmanticæ in uſum diſcentium laudare nos ſoliti, in Academicis ſcriptis, & in hac re, *ad l. inter* 83. §. *ſacram*, *num.* 16. *&* 17. *D. de V. O.* At nunc doctis ſcribimus, & ſatis ex propoſitis ſcire, licet, caduca, quæ, ex legibus noſtris, ærario olim vindicata *hodie ex Conſtitutione Imperatoris Antonini, Fiſco vindicari*, ut Ulpianus ſcribit *dict. tit.* 17. §. 1. cujus verba ſic exaudio, & expono, correctione Cujacii illic exploſa; ſic quæ proprie, & ſpecialiter vacantia bona dicta, nempe in queis nullus hæres erat, qui ſuccederet, & *ex lege Julia caducaria*, ad populum, ſive illius ærarium pertinebant, ut idem Ulpianus ſcribit *tit.* 28. §. *inteſtati* 7. *verſ. ſi nemo*; pertinere ad fiſcum, dicuntur ab eodem Ulpiano, *in l.* 1. *D. de ſucceſſor. ed. l. quidam* 96. §. *quoties. D. de legat.* 1.

2 A *caducorum* nomine leges noſtræ *caducariæ* dictæ, Ulpiano *dict. tit.* 28. §. 7. *caducorum* autem nomen, ductum à *cadere*, & caduca dicta bona, quibus hæredes ceciderunt, ut Iſidorus noſter deſcribit, *lib.* 5. *Origin. cap.* 5. ſive quæ ab eis, aut legatariis in fiſcum cadunt, juxta Ulpianum *dict. titul.* 17. Unde & generali *caducorum* appellatione comprehendi ſolent, non tantum ea, quæ proprie, & ſpeciatim *dict. tit.* 17. ſed & alia, ex quacumque cauſa in fiſcum cadentia, ut *in l. ad beneficium* 10. *Cod. Theod. de bonis proſcr. Novellæ* Majoriani *de bonis caducis, ſeu proſcript.* & in Symmachi, Caſſiodori, & aliorum notis locis. Sic *caducorum* vox de vacantibus, quæ, nullo hærede exiſtente, in fiſcum cadunt, ut in Ulpiani *dict. tit.* 28. §. 7. *verſ. ſi nemo.* & *in l. caduca* 30. *Cod. Theod. de petit. & ultro*, quæ translata ad Juſtiniani *Codicem*, ſubſtituta, pro *caducorum*, voce *vacantia*, *in l.* 4. *de bonis vacant.* Et apud Caſſiodorum 5. *Var. ep.* 24. *& lib.* 6. *ep.* 8. quomodo & caduca legionis, vocantur bona militis, quæ legioni ipſi, agnatis, & cognatis deficientibus, deferuntur, *in l.* 4. §. *eadem* 17. *D. de fideicom. lib. in verſ. quare*, de cujus intellectu, & lectione, fruſtra ſatagunt Cujacius, Balduinus, Hotmanus, Roſinus, Giffanius, Emanuel Coſta, & noviores; Nos ei *verſ. quare* illuſtrando, jungimus, quod de librariis caducorum inter alios militares, & immunes opifices legitur, *in l. ult. ad finem, D. de jure immunit.* Quin & latiore hoc nomine *caducorum*, ſignificantur ereptitia, quæ ab his, qui ſemel ceperunt, ut indignis, eripiuntur, & fiſco vindicantur. *l. cum fiſco* 9. *D. de S. C. Syllan. l.* 3. *in princ. D. de his, quæ in teſt. del. l.* 2. *in fine D. ſi quis aliq. teſtari probib.* ſic denique caduca popularia, & caduci panes, pro annonis popularibus, quæ deficientibus illis, queis præbebantur, in fiſcum, ſeu populum recidebant. *l.* 2. *Cod. Theod. de ſtud. liberal. Urb. R. l.* 1. *de annon. civ. eodem Cod.* ubi Jac. Gothofredus.

At ſpeciali, & noſtrarum legum propria notione, 3
appellatur id, *quod quis ſibi teſtamento relictum ita, ut jure civili capere poſſet, aliqua ex cauſa non ceperit*; ut Ulpianus definit *dict. tit.* 16. *in princip.* Quæ verba proprie referri ad cœlibem, vel orbum, qui jure civili potuit capere, ex teſtamento, utpote civis, & tamen, quia legibus noſtris non paruit, non cepit cum effectu, & ab eo in fiſcum cadit, explicuimus ſupra *Reliquat.* 30. *num.* 13. ubi & diſtinximus eorum, qui non capiunt, ordines, & caduca proprie, ac ereptitia, & pro non ſcriptis. Atque ea prima, & propria eſt ſpecies caduci, ex *legibus Julia, & Papia*, ſive *ex Papia Poppæa*, cui caduci acquiſitionem tribuit ſignate Ulpianus *tit.* 19. §. *lege* 17. *& tit.* 1. §. *inter* 21. *& tit.* 24. §. *ſi duobus* 16. & caducorum exordium, & materiam Juſtinianus *in l.*

unic. §. *cum igitur*, *Cod. de caduc. toll.* Atque ille idem in *l.* 2. §. *de teſtamentis* 6. *in fine*, & in *l.* 1. §. *quintus Cod. de vetere jur. enucl.* teſtatur, in illa quinta Pandectarum parte, *nihil de quondam caducis dictum* reliquiſſe, & nos monitum volumus, ut vel ſtatim liqueat, quam neceſſe ſit, conjectari, & ſuſpicari in caducorum re, de qua nihil in Pandectis dictum, Juſtinianus profitetur.

4 Secuta eſt alia, ſeu ſecunda caducorum ſpecies, *ex lege Junia Norbana de Latinis*, lata decem circiter annis poſt *legem Papiam* ſub Tiberio, ab U. C. *anno* 772. ut notatum aliis ex Dione *lib.* 57. qua conſtitutum, ne Latinus, quandiu Latinus eſſet, legatum, vel hæreditatem capere, ſive ut Caïus ſcribit 1. *Inſtit. tit.* 6. §. *ſed inter*, ne ſibi ex teſtamento aliquid dimiſſum vindicare poſſet, niſi ante mortem teſtatoris, aut intra centum dies cretionis civis Romanus fiat, ut ait Ulpianus *tit.* 2. §. *Latinus* 3. eoque ſenſu cum Latino eſſe teſtamenti factionem, Ulpianus *tit.* 11. §. *teſtamento* 16. quia per *legem Juniam* non abſolute incapax, ſed prohibitus, cum effectu capere, ſicut cœlebs, niſi intra centum illos dies civis fiat, ſeu Quiritium jus conſequatur, juxta notata jam *de Latinis*, *Reliquat.* 32. *num.* 14. At ſi Latinus maneat, cadit relictum ab eo in fiſcum, tanquam comprehenſum definitione illa caduci, quæ apud Ulpianum *dict. tit.* 17. juncto *tit.* 2. §. *Latinus* 3. Illud & una veluti ſaliva addimus, quod & indicavimus ſupra *Reliquat.* 32. *num.* 10. pertinere ad hanc partem *legis Juniæ de Latinis*, Terentii *textum lib.* 8. *ad leges noſtras*, *in l. qui in continentibus* 147. & Ulpiani *lib.* 7 *in l. ædificia* 139. *D. de V. S.* de nato in continentibus Romæ, ut pro Romæ nato habeatur, & de ædificio facto in continentibus Romæ, ut habeatur pro facto Romæ, ne ſcilicet ut caduci pœnam non ſubeat Latinus qui liberis, aut ædificio facto Romæ, jus Quiritium conſequi ſolebat, ut ex Ulpiano addiſcitur, *tit.* 3. *in princip.* & §. *liberis* 3.

5 Proximæ & inde fuere aliæ duæ caducorum ſpecies, & introductæ Senatuſconſultis, *ad legem Papiam* factis, nam cum ea lex, ut Juſtinianus ſcribit, *materiam, & exordium caducorum ab aditionibus hæreditatum ſumpſiſſet*, hoc eſt, ut pridem interpretati ſumus, à ſpatio centum dierum, hæreditati adeundæ, cernendæque præfinito, de quo poſtea, intra quod niſi cœlebs legi paruiſſet, caducum fieret ei relictum, ut *dict. tit.* 17. Secuta deinde fuere Senatuſconſulta, ſupplendæ *legi Papiæ*, & caducorum materiæ facta, quæ cenſuerunt, ſeu conſtituerunt, legata pure, vel in diem certam relicta, quæ antiquo jure à morte teſtatoris cedebant, deinceps non niſi ab apertura tabularum cedere, idque ut, *quod in medio deficeret*, *caducum fieret*, ut verba ſunt *dict. l. unic.* §. *cum igitur* 1. quæ, niſi cavillamur, exprimunt omnino, inductas fuiſſe his Senatuſconſultis has caducorum ſpecies, ſubſequentibus ſenſum *Papiæ legis*, quæ ab aditionibus caduca exordiebatur, quomodo jam *ſupra* docuimus *Reliquation.* 32. *num.* 7. renitentibus Cujacio, & aliis illic laudatis; at non renitente, aut refragante Ulpiano, qui *tit.* 24. §. *legatorum*, 31. hoc jus, de ceſſione legatorum ab apertura tabularum, adſcribit *legi Papiæ Poppææ*, nempe quia inductum S. CC. *Papiæ legis* ſenſum ſequentibus, & illius veluti auctariis, & appendicibus, ut animadvertimus *ſupra lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 11.

6 Ergo, cum, ut poſuimus, Senatuſconſultis ad *legem Papiam*, ſive ipſa *lege Papia*, inductum ſit, ut legatorum dies cederet ab apertura tabularum, liquet ſatis, pertinuiſſe ad hanc partem Ulpiani locos, ex *libro* 13. *ad leges noſtras*, & in *l. ſi ex duobus* 10. & *l. ult.* & ex Caïo *lib.* 2. *l. ficus* 11. *D. quemadm. teſt. aper.* in queis de effectu, & forma aperiendarum tabularum, diſſeritur. Liquet etiam, & notatum pridem eruditioribus, poſt Cujacium, Balduinum, & alios, reſpici ad hoc jus de ceſſione legatorum, ab apertis tabulis, & id pro liquido ſupponi, *in l. eum, qui* 104. *D. de condit. & dem.* *l. cum hæres* 24. *D. de liber. leg.* *l. ſi patronus* 44. §. *patronus* 1. *D. de bonis lib.* *l. ult.* §. *ult. in fin. D. de mort. cauſ. don.* de qua nos proprie *ſupra Reliquat.* 2. *num.* 8. ac præterea loco magis perſpicuo, *in l. in teſtamento* 31. *D. de cond. & dem.* de quo inferius.

Superaddimus juventutis in gratiam, ac ne vulgarium gloſſatorum errore abrepta, hæreat, aut præcipitet, quod exprimitur *in l.* 5. §. *itaque* 1. & paſſim, *toto tit. D. quando dies leg. ced.* & ſæpe alibi in Pandectis, legata pura, aut in diem certum relicta, cedere a morte teſtatoris, exaudiendum eſſe de jure antiquo, ante *legem Papiam*, cujus antiqui juris reſtitutor Juſtinianus fuit, *dict. l. un.* §. *cum igitur* 1. & 5. *in noviſſimo*, *Cod. de cad. tol.* & id jus antiquum innovatum expreſſere, ſuppreſſa *legis Papiæ*, & caducorum mentione, juxta *l.* 1. §. *ſed & hoc* 7. *l.* 2. §. *quintus in fin. Cod. de vet. jure enucl.* Pandectarum Concinnatores, de quo ſcienter pro re, Ant. Galbanus *diſſer. de uſufr. cap.* 31. §. 9. 7

Eiſdem Senatuſconſultis cautum creditur, inductumque, ne hæredes extranei, ex parte inſtituti, adire hæreditatem poſſent, ante apertas tabulas, ut colligitur, aut intelligitur ex *dict. l. unic.* §. *cum igitur* 1. & §. *in noviſſimo* 5. & ex Ulpiano *dict. tit.* 17. Quibus locis verba illa, *ſive ex parte ſint*, ſive ex aſſe inſtituti, ut in *dict.* §. 5. & illa: *habere licentiam à morte teſtatoris*, *adire hæreditatem* *dict.* §. *cum igitur*, *in fine*, & illa apud Ulpianum *dict. tit.* 17. *aut ſi ex parte hæres ſcriptus*, duo proprie indicant, & inducunt. Primum, hæc S. Conſulta, & eorum jus non pertinuiſſe ad hæredes ex aſſe. Secundum, neque pertinuiſſe ad eos, qui aditione non egent, ut hæredes ſint. 8

Et ſane quoad primum, de hærede ex aſſe, non impedito adire, ante apertas tabulas, non obſcura veſtigia ſunt, *in l. multum* 21. *D. condit. & dem.* *l.* 1. §. *ultim. D. de jur. & fact. ign.* *l. ſi fratris* 3. illic: *ſive ex aſſe*, *Cod. de jur. delib.* a quibus non diſcrepant, quæ extant in *l. in bonorum* 10. *Dig. de bonor. poſſeſſ.* *l.* 1. §. *ſufficit*, *D. de bon. poſſeſſ. ſec. tab.* *l. ſi patronum* 44. §. 1. *Dig. de bon. lib.* Et ſunt ea veſtigia agnita vel ab Accurſianis, & poſt eos Alciato, Balduino, Donello, Fabro, Cujacio, multis locis, utcumque iſte *ad l. in bonorum* 10. *D. de bonor. poſſ.* inter aditionem, & bonorum poſſeſſionem annixus ſit, renitentibus illi *dict. l.* 21. *D. de condit. & demonſtr.* *dict. l.* 3. *Cod. de jure delib.* & regula *l. non eſt* 12. §. *ubicumque*, *D. de bon. poſſ.* ſed & referri ad hæc S. Conſulta poteſt diſputatio de hærede, aut hæredibus, ex parte inſtitutis, apud Paulum *lib.* 5. *in l. cum ſolus* 68. & *lib.* 5. *in l. ſi ſolus* 80. *D. de acquir. hær.* ad leges noſtras, ſi tamen in eis ſupponatur (quod fortaſſe, ut alibi ſæpe, tanquam jus antiquatum non exprimitur, ut nuper prædiximus ex *l.* 1. §. *ſed & hoc* 7. *Cod. de veter. jur. enucl.*) apertas tabulas fuiſſe, & ideo hæredes pro parte potuiſſe adire: ſicut & apud Caïum *lib.* 14. *ad leges noſtras*, *in l. qui ex duabus* 52. *in princ.* & §. *ultim. D. de acquir. hær.* in qua tamen, dum hæc non ſupponit, fluctuat Balduinus *de lege Papia*, *pag.* 165. 9

Et quoad ſecundum, de S. CC. non pertinentibus ad hæredes, qui aditione non egent, præterquam quod & ita ſuadet aſſertio illa *de lege Papia*, quæ exordium, & materiam caducorum ab aditionibus hæreditatum ſumpſit, ut *in l. dict. l. unic.* §. *cum igitur* 1. manifeſta, non vola, aut veſtigium, ſed teſtatio eſt, *in dict. l. ſi fratris* 3. illic, *ſive ex parte*, *Cod. de jure delib.* juncta *l. unic.* illic: *ſeu cum extraneis*, *ſeu ſoli ſint inſtituti*, *Cod. de his*, *qui ante apertas.* Ex explorata, ac expedita eruditorum vulgo relatio ad hanc Legatum noſtrarum partem, ſententiæ, quæ ex Caïo *libro* 13. *ad eaſdem* proſtat *in l. in ſuis* 14. *D. de ſuis & legit.* & ſemel legiſſe, ſit ſatis, ut intelligatur, definitionem illam de aditione, non neceſſaria in ſuis hæredibus, quia ipſo jure hæredes exiſtunt, eſſe veluti rationem, ob quam ſui hæredes non comprehenduntur *legibus Julia*, & *Papia*, & S. Conſultis, ad aditiones pertinentibus, ſicut nec *Julia de vigeſima*, ad quam eadem ratione retulimus *l. in ſuis* 11. *D. de lib. & poſth.* ſupra *libro* 1. *cap.* 23. 10

Ex eadem ratione docuere, & deduxere jam olim, poſt Bartolum, Claſſici *ad l. ejus*, *qui in Provincia* 41. *D. de reb. cred.* & itidem Cujacius 8. *ad* 11

Africanum

Digitized by Google

Africanum, ſubdubitans, & tamen Stephano, Græco Scholiaſti conſentiens, ſervum, a domino cum libertate hæredem etiam pro parte inſtitutum, protinus & ante apertas tabulas hæredem exiſtere, utpote qui aditione non eget, ex regula §. 1. *Inſtit. de hæred. qual.* §. *ſervus autem* 1. *Inſtit. de hæred. inſtit.* l. *ſi poſt* 68. §. 1. *D. de legat.* 1. & in ſpecie, de inſtituto ex parte, *l. ex parte* 58. *D. de acq. hær. l. qui ſolvendo* 42. *D. de hær. inſt.* ubi quæ mentio fit, unius ex ſervis duobus inſtituti, mortui ante apertas tabulas, non debet argumento eſſe, ut etiam in ſervo neceſſario hærede, expectanda ſit apertura tabularum, ut hæres exiſtat, ſed coërcenda eſt intra eum caſum, in quo, quia duo Apollonii ſervi inſtituti, ab eo, qui ſolvendo non erat, non poterant ambo hæredes eſſe, propter *legem Æliam Sentiam*, & opus erat, ſupponi, alterum ante apertas tabulas deceſſiſſe, ut proinde alius ſtatim hæres eſſet, ut exprimitur *in dict. l.* 42. *cum l. ſeq.* quin & expendi in eumdem ſenſum poteſt, ſi generaliter accipiatur, nec coarctetur ad exemplum, ei ſubjunctum. *l.* 3. §. *ult. D. de hær. inſt. aperturæ tabularum dilatio, neceſſarii hæredis jus non mutat*, id eſt, non facit, quin ſtatim, & ante apertas tabulas neceſſarius hæres exiſtat. Idque ita cenſemus, quanquam noſter Joſephus Santolaria, cujus ſcripta olim Salmanticæ cenſorio calculo probavimus, opinatus aliter ſit, abutens, aut non dextre utens *d. l.* 3. §. *ult. & dict. l.* 42. *libro Juriſconſ. del. jud. interpret.* 9. §. 3. *num.* 9. *& ſeq.*

12 Inhibitioni adeundi ante apertas tabulas, & Senatuſconſultorum fini conſequens fuit, ut quod in medio deficeret, caducum fieret, ut ſcriptum eſt in *dict. l. un.* §. *cum igitur Cod. de caduc. toll.* id vero duobus caſibus contingere, Ulpianus ait *dict. tit.* 17. §. 1. Primus, cum ex parte hæres, aut legatarius poſt mortem teſtatoris, & ante apertas tabulas deceſſit, quo caſu, *proprie, & aperta voce* caducum dictum, ut Juſtinianus loquitur *in dict. l un* §. *& cum triplici*, *&* §. *in noviſſimo* 5. nempe, quia cum teſtamenti tempore hæres, vel legatarius jure civili capax eſſet, poſtea tamen non cepit ex aliqua cauſa, ſcilicet quoniam mortuus ante apertas tabulas, ſive intra centum dies aditionis, & ideo in eo deficit & in fiſcum cadit, & congruit ei deſcriptio caduci, ſicut caduco *ex lege Papia*, in cœlibe, & orbo, *dict. tit.* 17. Ulpiani *l. in teſtamento* 31. *verſ. Stichus D. de cond. & dem.* ſecundus caſus, cum ex parte hæres, aut legatarius, teſtatore moriente capax, utpote tunc civis, poſtea ante apertas tabulas, pereger, ſive peregrinus factus eſt, & proinde non potuit capere, quo etiam caſu proprie caducum fit, & Fiſco acquiritur, *ut dict. tit.* 17. *dict. l. unic.* §. *cum igitur*, *&* §. *& cum triplici*: in quo ſit notandum, reſpici à Juſtiniano ad hos duos caſus caducorum, quamvis ſignate eos non exprimat, non ad alios, qui primus ille cœlibis, & orbi jam ante Juſtinianum ceſſaverat, ex Conſtitutionibus Conſtantini, & Honorii. *l.* 1. *&* 2. *Cod. de infirm. pœn. cœlib.* & ſecundus Latini Juniani ſublatus fuerat, ſimul cum conditione Latinitatis, ab eodem Juſtiniano, *in l. unic. Cod. de Latina lib. tol.* poſt Conſulatum Lampadii, & Oreſtis, & proinde ante promulgationem *l. unic. Cod. de cad. toll.*

13 Adjecit quatuor recenſitis caducorum ſpeciebus, quintam Accurſius *in l. un.* §. *& cum triplici*, *verb. deficiebat*, & Accurſium ſecuti, poſt Claſſicos, Cujacius *ad l. unicam in princ.* Guil. Fornerius *lib.* 2. *Selection. cap.* 20. Amaya *lib.* 2. *Obſerv. cap.* 11. *num.* 38. & exerte Jacob. Gothofredus *ad leges noſtras, pag.* 304. Joſephus Santolaria *lib.* 1. *Juriſconſult. del. jud. cap.* 11. §. 3. *num.* 14. *&* 16. affirmantes, caducum etiam fuiſſe legatum, vel hæreditatem, ſi conditio, ſub qua relicta fuerant, defeciſſet poſt mortem teſtatoris, ante apertas tabulas, idque argumento *ex dict.* §. *& cum triplici*, *&* §. *ſin autem* 7. quo magis nititur Gothofredus *dict. pag.* 304. Nobis caduci hæc ſpecies in Academicis dictatis, jam olim commentitia prorſus viſa, quia neque *noſtris legibus*, neque *Senatuſconſultis*, exprimitur defectus conditionis, poſt mortem teſtatoris, & ante apertas tabulas, inter caducorum caſus, *dict. l. unic.* §. *cum igitur* 1. *&* §. *in noviſſimo*, juncto Ulpiano *dict. tit.* 17. *& tit.* 22. §. *Latinus* 1. nec profertur juris aliquis locus, quo vel leviter inſinuetur. Et cenſemus Accurſium, & qui ei, re parum perpenſa, adhæſere, prolapſos in hunc ſenſum fuiſſe, ex verbis *dict.* §. *& cum triplici* 2. *verſ. vel vivo*, *& verſ. vel ipſum*, quæ tamen ſunt de defectu conditionis vivo teſtatore, quæ dicuntur, in cauſa caduci, & diſtinguuntur illic à proprie, ſive aperta voce, *caducis*. Quomodo & accipiendus, & jungendus *dict.* §. *& cum triplici*, defectus conditionis in *dict.* §. *ſin autem* 7. Cæteroquin ampliare odioſam obſervantiam caducorum, ſine ullo legum auctoramento, & comminiſci novam eorum ſpeciem, ex levi conjectura, omnino alienum viſum à diſciplina veterum Juriſconſultorum, & multo magis recentiorum interpretum, *d. l. un. in princ. v. qui & ipſis.* Accedit propria, & firma ratio illa, quod S. Conſulta, & caduca, illis inducta, per mortem, aut peregrinitatem legatarii, ante apertas tabulas, pertinuere ad legata pure, aut in diem certam relicta, *dict. l. unic.* §. *cum igitur*, *in fine*, *&* §. *ſin autem* 7. non autem ad conditionalia, niſi quo caſu non conditionis defectu, ſed morte legatarii interciderent. *l. in teſtamento* 31. *in princ. l. interdicit* 59. *D. de cond. & dem.* de quibus jam.

14 Firmat ergo aſſertionem noſtram, ne ſola ratione ſtet, Africani locus inſignis *in dict. l. in teſtamento* 31. *D. de condit. & dem.* ubi cum Sticho, & Pamphilæ libertas teſtamento data, & ſi matrimonium coiſſent, centum per damnationem legata eſſent, & Stichus ante apertas tabulas deceſſiſſet, Africanus reſpondet, *partem Stichi defectam eſſe, ſed & Pamphilam defectam conditione videri, ideoque partem ejus apud hæredem remanſuram.* Qua verborum, & reſpondendi, ſeu deciſionis inter Stichum, & Pamphilam differentia, demonſtratur in primis, legati partem in Sticho; quia mortuus ante apertas tabulas, defectam eſſe, ſive quod idem eſt, caducam fieri, & in fiſcum cadere, juxta *S. Conſulta*, de queis Ulpianus *dict. tit.* 17. *dict. l. unic.* §. *ſi autem* 7. *verſ. quod ſi in medio*, quomodo & exaudit Cujacius *tract.* 2. *ad African. in dict. l.* 31. deinde & demonſtratur, in Pamphila, partem legati, ei relicti, non fieri caducam, ſed apud hæredem remanſuram, & exprimitur, non eſſe partem defectam, ut in Sticho, ante apertas tabulas mortuo, *ſed* Pamphilam conditione defectam videri, quod omnino diverſum eſt, & proinde probatur proprie conditionis defectum poſt teſtatoris mortem, & ante apertas tabulas, non eſſe caſum caduci; quod & ipſum agnoſcit Cujacius *in dict. l.* 31. Proinde & quod obſerves, diſtinguuntur ſcite, pars quæ deficit, ſive defecta, & caduca *dict. l.* 31. *in princ.* ut *in l. ſi Titio* 55. *l. ſi Auguſta* 57. *l. ſi mihi* 59. *de legat.* 2. & perſona legatarii deficientis, aut defecti conditione, quo caſu pars illius manet apud hæredem. *dict. l.* 31. *verſ. ſed & Pamphilam*, & caduca non fit. *l. qui ex duabus* 53. §. *ult. D. de acquir. hær. l. ſi in teſtamento* 5. *D. de vulg. l. pecuniæ* 8. *D. de alim. & cib. leg.* Quomodo hæc, re accuratius perpenſa, diſtinguenda, quam aliter Salmanticæ olim, & ex illis manuſcriptis ſupra *Reliquat.* 18. *num.* 18. Quemadmodum, ut *in verſ. nam cum* eadem ratione, & ſenſu Africanus ſubjungit, ſi Titio centum legata proponerentur, ſub conditione, ſi Seiam uxorem duceret, ſi quidem Seia moriatur, ſcilicet poſt mortem teſtatoris ante apertas tabulas, Titius defectus conditione intelligitur, & ideo legatum petere poteſt. *l.* 4. *C. de cond. inſertis.* Si vero, eodem caſu retento, Titius ipſe moriatur, nihil ad hæredem ſuum tranſmittit, quia *morte ejus defeciſſe conditio intelligitur*, & conſequenter non tam defectu conditionis, ante apertas tabulas, contingente, quam morte legatarii, eo tempore, ſit legati pars caduca, & ad fiſcum potius, quam ad hæredem pertinet, quamvis alioquin ad hæredem tranſmitteret, ſi non morte, ſed nolente ei muliere nubere, conditio deficeret, quia eo caſu pro impleta habetur, ex regula *l. Jure civi-*

li

li 24. *D. de cond. & dem.* & in ſpecie, *dict. l.* 31. *verſ. ſed etſi*, *l.* 5. *§. item* 5. *verſ. ſed etſi*, *D. quando dies leg. ced. l.* 1. *C. de condit. inſert.* de queis, & aliis alia, quæ propoſiti noſtri non ſunt, Cujacius *in Obſerv. & in d. l.* 31. & noviores alii.

15 Firmat deinde, & ſimilem expenſionem, & explicatum habet Ulpianus *lib.* 13. *ad leges noſtras*, *in l. intercidit* 59. *D. de cond. & dem.* dum docet, ſi legatarius, cui ſub conditione legatum eſt, deceſſerit, aut pœnæ ſervos factus ſit, legatum intercidere, ſive quod idem eſt, & quomodo cum Balduino Cujacius, Hotmanus, Giffanius, Merilius, Gothofredus, & alii emunctioris naſi Interpretes exaudiunt, cadere in fiſcum, quamvis diverſum ſit, ſi idem legatarius deportatus fuerit. Aſt hæc ſingula, & maxime illa de contingente caſu ſervitutis pœnæ, aut deportationis, ſupponimus, accipienda eſſe de contingentibus poſt mortem teſtatoris, ante apertas tabulas, & ſupponimus cogente juris ratione; nam ſi poſt teſtamentum, & vivo adhuc teſtatore, pœnæ ſervitus contigiſſet, legatum pro non ſcripto apud hæredem maneret, neque in fiſcum caderet, tanquam in cauſa caduci, (quippe iſta non ultra duos caſus extenduntur, mortis naturalis legatarii, aut defectus conditionis, vivo teſtatore, *dict. l. un. §. & cum triplici verſ. vel vivo*, de queis ſuo loco) atque ita ex *l.* 3. *§.* 1. *D. de his, quæ pro non ſcript. l. in metallum* 12. *D. de jure fiſc.* ad hoc tempus relatis, cenſuere Cujacius *in dict. l.* 12. *& lib.* 8. *Obſer. cap.* 13. Merilius *lib.* 5. *cap.* 13. Noſter Valentia *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 6. è converſo ſi deportatio, aut pœnæ ſervitus ſuperveniſſet poſt apertas tabulas, non eſſet locus caducis, quia id tempus, & caſus, neque apprehenditur legibus noſtris, quæ de cœlibe, & orbo ſolis locutæ; neque *lege Junia Norbana*, quæ de *latino*; neque S. *Conſultis*, quæ de tempore ante apertas tabulas, *l. cum qui* 104. digna, ut in re expendatur *D. de cond. & dem.* neque ultra ſuos caſus, & tempora ampliantur, ex ratione *l. unicæ*, *in princ. Cod. de cad. toll.*

16 Atqui eo ſuppoſito & accepta *dict. l. intercidit* 59. de contingentibus morte, ſervitute, aut deportatione ante apertas tabulas, recte in primis ſtatuitur, caducum fieri legatum morte legatarii, quia quamvis S. Conſulta non locuta de legatis conditionalibus, quale illud erat, de quo *in dict. l.* 59. & ideo defectus conditionis, ante apertas tabulas, non faciat ea caduca, ut *ſupra* poſuimus, & exprimitur *in dict. l. in teſtamento* 31. *verſ. ſed & Pamphilam*; expreſſere tamen caſum mortis, & peregrinitatis, & generaliter, ut quæ in medio deficerent, caduca fierent, ut eſt in Ulpiani *tit.* 17. *& in dict. l. unica. §. cum igitur* 1. juncta *dict. l.* 31. *verſ. reſpondit*, quæ eſt itidem de legato conditionali, & relicto cum libertate ſervo, quod non cedit, niſi ab adita hæreditate. *dict. l. un.* 6. *l. unic. §. libertatibus* 6. *l. hæredis* 7. *§. ult. cum l. ſeq. l. cum legato* 17. *D. quando dies leg. ced. l. ſervo* 69. *D. de legat.* 1. Porro aliud ſtatuitur *in d. l.* 59. ſi legatarius conditionalis ante apertas tabulas deportetur, pendente adhuc conditione, quia quamvis caſus iſte peregrinitatis ſit etiam expreſſus S. Conſultis, cum tamen reſtitui in Civitatem poſſit, ante conditionis eventum, & apertas tabulas, probabilius viſum eſt, propter ſpem reſtitutionis, & conditionis, legatum interim, non tam extingui, aut intercedere, quam veluti in ſuſpenſo eſſe, ut *in l. cum, qui* 104. *D. de cond. & demonſtr.* id, quod *in dict. l.* 39. probabilius dicitur, quia benignius, utpote excludens caduca, juxta illud de Juriſconſultis, apud Juſtinianum *in dict. l. unic. in princ. verſ. qui & ipſis prudentiſſimis.* junctis non diſſimilibus exemplis, *l. hæc conditio* 10. *in fin. D. de cond. & dem. l. non eſt* 53. *§. ult. D. ad S. C. Trebell.* de queis nos *ſupra lib.* 2. *cap.* 18. & 10. Concluditur tandem *in dict. l.* 59. *in fine*, non idem eſſe in ſervitute pœnæ, quæ legatario contigerit; tunc enim legatum intercidit, perinde, ac morte naturali, nec ſpes reſtitutionis ſupponitur, ut in deportato. *l. ex facto* 17. *§. ſi quis relegatus* 6. *D. ad S. C. Trebell.* in eoque ſervitutem morti adſimilamus, ut ſcriptum eſt *in dict. l.* 59. *in fine*, ſive, ut idem Ulpianus *lib.* 4. *ad leges noſtras*, *in l. ſervitutem* 209. *D. de reg. jur. mortalitati fere comparamus*, nempe ut quemadmodum legatario naturaliter mortuo, quia nulla ſpes reſurgendi, legatum pro extincto, ſeu caduco ſit, ita & eo facto ſervo pœnæ. *dict. l.* 59. *l. cum hic ſtatus* 32. *§. ſi donator* 6. *D. de donat. inter. l. res uxoris* 24. *Cod. eodem tit.* juncta *ex eo ipſo* Ulpiani *libro* 4. & conferenda cum *dict. l. ſervitutem* 209. atque ad capacitatem ex noſtris legibus referenda, *l. cum in annos* 23. *Dig. quando dies legat. ced.* quin &, ne vel id omittamus, vox illa, *fere*, *in dict. l.* 209. vel exponenda *ex l. cum hic* 32. *§. ſi donator.* 6. vel *ex l. generaliter* 24. *§. ſi ſervus in metallum* 5. *D. de fideicom. lib. l. ſive* 21. *D. de jure patr.* vel quod omnino certius, referenda ad ea, quæ in cauſa caduci, ob mortem legatarii vivo teſtatore, in queis ſervitus pœnæ non comparatur morti naturali, *l.* 3. *§.* 1. *D. de his, quæ pro non ſcript. dict. l. un. §. & cum triplici verſ. vel ipſum Cod. de caduc. toll.* prænotante Merilio 5. *Obſ. cap.* 13.

Atque hæc pro elucidandis *dict. l. in teſtamento* 31. 17
& l. intercidit 59. (in queis, vidiſſe nos non pauca, necdum viſa, ſit præfiſcine dictum) ſepoſita interim, quæ notatis proxima, ex Caïo ſententia 13. *ad leges noſtras*, *in l. ſi ſervo* 131. *§.* 1. *D. de ſtatulib.* pergimus, & monemus, adjici etiam ab Accurſio ſextam ſpeciem caduci, *in dict. §. & cum triplici, Verbo deficiebat*, illam, cum res legata, poſt mortem teſtatoris, in humanis eſſe deſiit. Sed præterquam quod Accurſius in hac ſpecie nec ipſe laudet, nec laudari facile poteſt, qui ei adſtipuletur, verius omnino eſt, caducitati locum non fuiſſe, quia ſi res legata ſine culpa, aut mora hæredis perierit, ille liberatur, & nihil eſt, quod ad legatarium pertinere, aut in Fiſcum cadere poſſit. *l. Titiæ* 36. *§. ultim. l. cum res* 47. *§. ult. D. de verb. oblig. §. ſi res*, *Inſtit. de legat.* neque id, quod ex re ſuperfuerit, ſive Lipſana, ut vocantur *in l. quid ergo* 53. *§. ſed ſi animal.* 5. *D. de legat.* 1. Et poteſt ad hunc caſum aptari, nec tam commode aliis, Pauli locus *lib.* 5. *ad leges noſtras*, *in l. mortuo* 49. *D. de leg.* 2. juncta ex eodem auctore, & libro, *l. Lana* 88. *D. de legat.* 2. Sin autem culpa, aut mora hæredis præcedente, perierit, æſtimatio debetur legatario, non fiſco. *l. quid ergo* 53. *§. ſi hæres*, *cum ſeq. D. de legat.* 1. *l. ſi emancipato* 17. *D. de legat. præſt.* Atque eſt apposite huc referendus, & explanandus Terentius Clemens *lib.* 12. *ad leges noſtras*, in *l. ſi id, quod* 21. *D. de liber. leg.* cujus in duobus primis caſibus, peremto debito, cujus liberatio legata fuerat, ſupponitur, legatum extingui, non tamen ex eo quidquam in fiſcum cadere. At in extremo caſu, quamvis peræque mero jure legatum extinguatur, tamen quia dolo hæredis id factum, non habetur pro extincto, ſed debetur legatario, ſi die legati cedente capere poſſit, aut ſi non poſſit defertur illis, quibus deferri commoda caducorum ſolent, ut in Ulpiani *tit.* 18. ad quem dicemus *Reliquat. ſeq.* Cæterum id, ob incapacitatem legatarii, non autem ob interitum rei legatæ.

Poſtremo & adjicit Accurſius *in dict. §. & cum tri-* 18
plici, *verb. deficiebat*; ſeptimam caducitatis ſpeciem in repudiatione hæredis, aut legatarii, quo caſu, fieri locum caducis, & fiſco deferri, excluſo accreſcendi jure, cenſuere, Accurſio ſubſcribentes, Joannes Ant. Bellonus, & Jacobus Gothofredus, quorum meminimus *ſupra Reliquat.* 18. *num.* 16. ubi & *num.* 17. *& ſeq.* quæ Accurſiano huic aſſerto refellendo ſatis expendimus, & quamvis loci hujus propria magis, tamen petenda ex illo, nec recoquenda.

At vero, antequam à caducis, & S. Conſultis ad 19
alia, reſtat, ut vel levi manu attingamus tritum jam vulgo textum *l. item* 20. *§. præter*, *verſ. cum autem. & §. ait* 7. ubi ex facto proponitur, partes hæreditatis caducas fiſco obveniſſe, & adjicitur *in dict. §. ait*, idem futurum, etiamſi ex aſſe hæreditas caduca

duca

duca fiat. Quæ adjectio, cum contraria videatur diſtinctioni inter hæredes, ex aſſe, aut pro parte, ex S. Conſultis, de qua ſupra *num.* 8. anſam præbuit correctioni Cujacii 18. *Obſervat. cap.* 14. *& ad l. unic.* §. *pro ſecundo*, *Cod. de caduc. tollend.* ſed ea non admiſſa, & ſimul omiſſa non improbabili expoſitione Fabri 3. *Conject. cap.* 16. cui ſubſcripſit noſter Valentia 1. *Illuſtr. tract.* 1. *cap.* 3. *n.* 8. Nos in Academicis dictatis *ad leges noſtras anni* 1635. *part.* 3. *num.* 6. (& ex eis fortaſſe noſter Santolaria, edito, poſt decennium, *libro Juriſc. delecti jud.* 1. *cap.* 3. §. 3. *num.* 9.) cenſebamus, non eſſe neceſſario mentionem hæreditatis ex aſſe, aut partium caducarum *in dict.* §. *ait* 7. referendam ad caſus caducorum, ex S. Conſultis, ſed poſſe peræque referri ad caduca, *ex lege Papia*, aut *Junia Norbana*, in queis ſi hæres, ſive ex aſſe, ſive ex parte cœlebs, aut Latinus, intra centum dies legi non paruiſſet, hæreditas etiam ex aſſe, aut partes, ut caducæ, fiſco petebantur.

20 Eſt non minus trita explanatio, & opportune hic attingenda. Ulpiani *in l. ult. D. de reg. Caton*, dum docet, *Catonianam regulam non pertinere ad leges novas.* Quibus verbis, novarum legum nomine, deſignari *Juliam*, *& Papiam*, *Juniam Norbanam*, quæ novæ leges dictæ priſcis Juriſconſultis, reſpectu *legum* 12. *tabularum*, & illius juris, quod ante noſtras vigebat, & antiquum dicebatur *l. pater* 29. §. *ult. D. de leg.* 2. *l. un.* §. *ſed & ipſis in fine Cod. de cad. toll.* Ulpianus *tit.* 17. §. 1. *& tit.* 18. quanquam apud noviores Cæſares, antiqui, aut priſci juris nomine, leges noſtras intelligi, obſervarim jam ſupra *Reliquat.* 1. *num.* 4. Docet itaque Ulpianus *in dict. l. ult.* *regulam Catonianam* non pertinere, ſeu non obtinere, quoad *leges Juliam*, *& Papiam*, ac *Juniam Norbanam*, idque, ſive quia regula pertinuit ad ea legata, quæ, ſi teſtamenti tempore deceſſiſſet teſtator, inutilia forent, (& conſequenter ad ea, quæ a tempore mortis cedebant) atque ea, quæ tunc inutilia, definit regula, poſtea non convaleſcere *l. quæ ab initio* 210. *l. quod initio* 29. *D. de reg. jur.* At legata, poſt leges novas, & nominatim *Papiam*, cui quod S. Conſultis inductum fuit, adſcribitur ab Ulpiano *tit.* 24. §. *legatorum* 31. non cedunt à die mortis teſtatoris, ſed ab apertura tabularum; ſive quoniam legata, aut inſtitutiones cœlibis, aut orbi, aut Latini Juniani, quamvis teſtamenti, aut morientis teſtatoris die, capere ea non poſſit, & proinde tunc effectu inutilia videantur, tamen utilia fiunt, & capiuntur, ſi intra centum dies cretionis legibus paruerint: quomodo Ulpianum *in dict. l. ult.* interpretantur magno aſſenſu Cujacius, Balduinus, Hotmanus, Donellus, Fornerius 3. *Rer. Quotid. cap.* 24. & ex his, & aliis, Primarius quondam noſter D. Pareja 1. *parte Otii Quadrim. num.* 6.

21 Jam nec nunc prætermittimus, quanquam non defuerit, qui exiſtimarit, aptari poſſe Ulpiano, *in dict. l. ult.* quod ex Paulo proditur, *in l. ſed & poſteriores* 28. *D. de legib.* & quidem *ex libro* 5. *ad leges Juliam*, *& Papiam*, *poſteriores leges ad priores pertinere, niſi contrariæ ſint*, nempe ut exaudiatur *de legibus Julia*, *& Papia*, *& Norbana*, quæ poſteriores fuerunt, ſive noviores, quam *Catonis regula*, & tamen, quia contrariæ illi regulæ, non pertinent ad eam, ſive illa ad eas non trahitur, ut expoſuimus, tamen exiſtimatio hæc, ſeu cogitatio, adeo non apta, ut vix ſit digna refelli, quippe Pauli effatum *in d. l. ſed &* 28. ſicut & *in l. non eſt* 26. & Tertylliani *in l.* 27. *D. de legib.* eſt, de trahendis, ſive inter ſe jungendis legibus prioribus, & poſterioribus, niſi contrariæ ſint. Aſt *Catonis regula*, ſicut & aliæ, quæ regulæ juris dicuntur, non lex, ſed ex legibus priſcis deducta à Catone aſſertio, & inter Juriſconſultos recepta, ut *in l.* 2. §. *his legibus.* juncto §. *poſt hos* 38. *verſ. deinde Marcus*, *D. de orig. jur. l.* 4. §. *Cato. D. de verb. oblig.* quæ & ipſa vocatur *Sententia* Catoniana, in *l. Julianus* 86. *verſ. cum vero*, *D. de cond. & dem.* & cui proprie convenit illud, non ut ex regula jus ſumatur, ſed ex jure, quod eſt, regula fiat *l.* 1. *D. de reg. jur.* Porro ut vel hoc loci interpretemur, *d. l.* 28. *cum l.* 26. *&* 27. *D. legib.* non eget interpretatio exemplis, aliunde petitis, qualis collegit Cujacius 4. *quæſt.* Pauli, *ad dict. l.* 26. ſed ex ipſis *legibus Julia*, *& Papia*, quæ poſteriores leges dicuntur, *in dict. l.* 28. ſicut novæ *in dict. l. ult. D. de reg. Caton.* proferre licet. Sic enim caduca, & quæ proprie ex poſteriore *lege Papia*, ut apud Ulpianum *tit.* 19. §. *lege* 17. *l.* 2. *Cod. de infirm. pœn. cœlib.* trahuntur, ſive tribuuntur prioribus *legibus Juliis* à Tertull. *de Monogam. cap.* 16. & abſolute legibus *in l.* 1. *Cod. de infirm.* & quod de ceſſione legatorum ab apertura tabularum conſtitutum S. Conſultis, poſt *legem Papiam*, *l. unic.* §. *cum igitur* 1. *Cod. de caduc. toll.* tribuitur *legi Papiæ* priori, quaſi ad illam pertinens, ab Ulpiano *tit.* 24. §. *legatorum* 31. & è converſo, quæ de connubio Senatorio cum libertinis, proprie priore *lege Julia* cautum *l. lege Julia* 44. *D. de ritu nupt.* tribuit poſteriori *Papiæ*, tanquam ad illam pertinens, Juſtinianus *in l. ſi libertam*, *Cod. de nupt.* & quod poſt *leges Juliam*, *& Papiam*, fuit oratione Marci inductum, ut Senatoriæ nuptiæ, contra eas leges initæ, nullius momenti eſſent *l. oratione* 16. *D. de ritu nupt. l. oratio* 16. *D. de ſponſal.* adſcribitur *legi Papiæ* anteriori, *in dict. l. ſi libertam* 28. *Cod. de nupt.* ac ne hujus generis alia agglomeremus, quæ dedimus *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 6. *& lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 9. *&* 10. Et ut aptioribus exemplis utamur, ſic *lex Papia*, *& Julia*, quæ ſucceſſionem liberti patrono defert, aut quæ illi eam aufert, ſi libertum capitis accuſaverit, trahitur, & applicatur antiquæ *legi* 12. *tabularum*, de hæreditate ejuſdem liberti, ut ex Ulpiano diſcitur *tit.* 29. §. *contra*, *cum ſeq.* juncto ejuſdem electo *textu lib.* 10. *ad leges Juliam*, *& Papiam*, in *l. it autem* 11. *D. de Jure patron.* ſic eadem *lex Papia*, dum jus antiquum liberis, & parentibus ſervavit, retulit ſe, & pertinuit ad jus *legum* 12. *tabularum*, quo attento, pro non ſcriptis, quæ legatarii non capiebant, penes hæredes manebant *l. un. in princip. verſ. & cum lex &* §. *& cum triplici*, *Cod. de caduc. tollend.* Ulpianus *tit.* 17. §. 1. *& tit.* 18. Sic denique, & quod proprium eſt *dict. l. ſed & poſterioris* 28. de poſteriore lege, contraria prioribus, quod cautum *lege Papia* fuit, de ætate ad nuptias, & liberos ſuſcipiendos, neque trahi, neque pertinere potuit ad *legem Juliam* priorem, cui contraria in hoc *Conſtituta Papia* fuit, ut expendimus ſupra *Reliquatione* 24. quemadmodum eadem *lex Papia*, dum ſervavit jus antiquum liberis, & parentibus, & proinde patri ſuo filia, etiam ex aſſe hæres eſſet, & contraria fuit anteriori *legi Voconiæ*, juxta quam pater cenſus, nec unicam filiam facere hæredem poterat, ultra quadrantem, ut ex Cicerone *lib.* 2. *de Finibus.* Dione Caſſio *lib.* 56. *Hiſt.* D. Auguſtino *lib.* 3. *de Civit. Dei cap.* 21. juncto Paulo *lib.* 4. *Sent. tit.* 8. §. *fœminas*, cum dictis ſupra *Reliquat.* 21. non potuit trahi, aut aptari ad *legem Voconiam*, quin potius ut contraria, & novior *Papia*, *& Julia*, *Voconiam* vicit, ex regula *l. ult. D. de legib.* cum *Novella* Martiani *de Matrim. Senat.* Denique & ſic *legis Æliæ Sentiæ* conſtituta acerbiora, & pœnæ in patronos, à queis liberti onerabantur, non producta fuere ad *legem Juliam* anteriorem in eiſdem caſibus, quia contraria illi *Ælia Sentia*, & poſterior, ut obſervavimus *Reliquat.* 18. *num.* 9. *&* 10. & *Reliquat.* 20. *num.* 4.

Succedunt caducis, juxta Reliquationis hujus fe- 22
riem, quæ quaſi caduca, vel in cauſa caduci, dicuntur *in dict. l. un.* §. *& cum triplici*, *verſ. vel vivo*, *& verſ. vel ipſum &* §. *pro ſecundo*, ubi & intelligitur, ea ſic dici, quæ poſt teſtamentum, & vivo adhuc teſtatore cadunt, ſeu deficiunt, aut morte naturali ejus, cui relicta ſunt, aut deficiente conditione, ſub qua fuerunt relicta. In primis autem ſi quæras, quo jure inducta hæc quaſi caduca, & an poſt *legem Papiam*, ut fere voluit Giffanius *ad d.* §. *& cum triplici*; nos jam olim Salmanticæ ſcripſimus,

præeunte Hotmano *lib. 4. Obſ. cap. 9.* ſimilius veri eſſe, inducta fuiſſe ex interpretatione certa, & recepta veterum Juriſprudentum, qui *poſt leges 12. tabularum*, eis ſupplendis, aut interpretandis per diſputationem fori, pleraque ſine ſcripto induxere, quæ dicta jus civile, *ut in l. 2. §. ex his 5. D. de orig. jur.* ſive quod idem eſt, mediæ Juriſprudentiæ auctorum, quorum veluti Principes, Q. Mutius, Manilius, & Brutus, quos fundaſſe jus civile, affirmat Pomponius *in l. 2. §. poſt hos 39. D. de orig. jur.* & eorum auctoritate quæ inducta, nuncupantur jus civile, ut de Gallo Aquilio *in l. ſi ita quis 74. Dig. de hæred. inſtit.* & in commune Cicero *in Topicis*, & qui deſignantur veterum nomine, ut ſæpe alibi in juris libris, *in dict. §. & cum triplici, verſ. vel ipſum*; per eos itaque ſupplendis veluti 12. *tabularum legibus*, quæ deficientibus teſtati, aut inteſtati hæredibus, neminem ultra vocabant, inductum fuiſſe, ut eo caſu bona populo deferrentur, tanquam caduca; ſeu vacantia, & caduca dicerentur bona, quibus hæredes exciderent, veluti pro regula Iſidorus *5. Orig. cap. 5.* nec diſſimili ſenſu Ulpianus *tit. 17.* idque obtinuiſſe, etiam ante *leges Juliam, & Papiam*, ne ſciolis inſcitum ſit, ſciant, jam ante illas fuiſſe in Romani juris uſu, caducas hæreditates aliquas, quas in via detinuiſſe Marcum Antonium Cicero ſcripſit *Philippica 10.* & ejuſmodi fuiſſe eas, quas qui ſibi delatas exciperet, non extabant, quæ & vacantes, & caducæ dictæ, & proinde ærario deferebantur, ut monuimus ſupra *num. 2. & 9.* Sciant inſuper, relicta fœminis contra, aut in fraudem *Voconiæ legis*, pertinuiſſe tanquam caduca ad ærarium populi, ut ex Cicerone 2. *de Finibus*, ubi de hæreditate illius Sextilii, colligitur; eoque referendum vulgare illud Plinii *in Panegyrico: Locupletabant Fiſcum, & ærarium non tam Voconiæ, & Juliæ leges.*

23 Fuit itaque, ut jam ultra, prima quaſi caducorum, ſive in cauſa caduci ſpecies, mors illius, cui relicta fuere. In qua tamen ſpecie obſtat veluti in via, quominus progrediamur, Javolenus, multis lectus, nec multis, credo, intellectus, *in l. cum ex filio 39. §. quidam, D. de vulg.* ubi quatuor hæredibus inſtitutis, & omnibus præter unum datis ſubſtitutis, ſi iſte, cui nemo ſubſtitutus, mortuus ſit vivo teſtatore, reſpondetur, partem quoque ejus ad ſubſtitutum pertinere, & proinde non ad fiſcum, tanquam in cauſa caduci. At ne moremur, in refellenda opinatione Cujacii *in dict. §. ult. & in l. quidam 30. D. de vulg.* (quæ & auctore, & refelli indigna) accipientis Javolenum de jure, quod vigebat ante caducorum obſervationem, & *legem Papiam*, nobis pridem Salmanticæ magis placitum, *in recitat. ad leges noſtras 3. part. num. 15. & ad l. Gallus 29. num. 13. D. de liber. & poſth.* id, quod primus Balduinus tentavit *de lege Pap. pag. 171.* Giffanius *ad l. unic. in princ. verſ. & cum lex, Cod. de cad. toll.* Ant. Faber 4. *Conjectur. cap. 13. ad finem*; nempe hæreditates, aut earum portiones, etiamſi hæres vivo teſtatore decederet, non fuiſſe conſtitutas in cauſa caduci, neque Fiſco delatas: id quod ipſum, ne locis à Fabro expenſis, & aliorſum pertinentibus, abutamur, evincunt fortiter, & quos non aliter quiſquam explicet, *textus in l. ult.* in qua ut difficultatem eludat, multa poſt Græcos movet, & molitur Cujacius 6. *quæſt. Pap. D. ſi pars hæred. pet. l. Lucius 88. §. quiſquis 3. D. de legat. 2. l. quidam 30. D. de vulgari.* Quibus locis probatur, partem hæredis, vivo teſtatore mortui, cohæredi accreſcere, & conſequenter non ad Fiſcum, tanquam in cauſa caduci; atque eiſdem quaſi conſpirant *l. in ſervitutem 16. §. ult. D. de bon. lib. l. non putavit 8. §. à primo 5. D. de bon. poſſ. contr. tab. l. epiſtolam 75. D. ad S. C. Trebell.*

24 Sed neque aſſertio hæc, utcumque paradoxa Salmantinis noſtris viſa, diſcrepat à contextu *dict. §. & cum triplici, verſ. vel ipſum, cum ſeq.* illic, *is, qui aliquid ex teſtamento habuit: & §. pro ſecundo*, illic, *eos, à quibus relicta ſunt*; quæ verba aptantur recte legatis, & ſimilibus, quæ ab hæredibus præſtanda relinquuntur, *princ. Inſtit. de legat.* & vivo quoque teſtatore haberi poſſunt, & ſolent *l. Lucio 12. D. de leg. 2. l. filia 11. C. de legat.* non autem hæreditatibus directo datis, quæ vivo teſtatore nullæ ſunt *l. 1. D. de hær. vel act. vend.* neque ab hærede præſtari, haberi, aut relinqui, dici poſſunt, ſed à teſtatore ipſo *l. hæres 54. D. de acqu. hær. §. in primis 2. Inſtit. de fideicomm. hær.* ſed nec diſcrepat à juris ratione, quanquam ea, inter hæreditates, & alia relicta, vix dum, quod ſciam, necdum inventa; tamen duci ex eo poteſt, quia cum hæreditates directo à teſtatore capiantur, ſi eo vivo in caduci cauſa eſſent, teſtatori, quodammodo vivo, & viventi, ſimul cum facultate teſtandi, eripi viderentur: in quo diverſa ratio eſt legatorum, quæ ab hæredibus præſtanda erant, & diverſa ſimiliter in caducis propriè, quæ poſt mortem teſtatoris cadunt, ex legibus, aut S. Conſultis, ſive legata ſint, ſive hæreditates.

25 Ex qua aſſertione explanari ultra vulgarem captum, quin & pro illa expendi poteſt, formula Galli Aquilii, in qua nepos inſtituitur in caſum, quo filius vivo patre morietur, & conſequenter in eum, quo hæreditas futura in caduci cauſa, & tamen inſtitutio ſuſtinetur, idque tum ex ſingulari eo jure, quo parentes, & liberi intra tertium gradum a jugo *legis Papiæ*, & caducorum immunes, *ut ex d. l. un. §. & cum lex Cod. de cad. toll.* Academici noſtri annotarunt, Pichard. *ad tit. de liber. & poſth. cap. 4. in l. Gallus num. 156. & ſeq.* Pareja in *Orto Quadr. 2. part. num. 47.* & ex eis Carrança *de Partu cap. 2. §. 1. illat. 13. ſect. 4. num. 279.* Schifordegerus *ad Fabr. lib. 3. tract. 17. quæſt. 1.* quippe ſuſtinetur etiam Galli inſtitutio in abnepote, & ultra quartum gradum *dict. l. Gallus 29 §. in omnibus 10.* juncto *§. quarto gradu, Inſtit. de gradib.* ſed potius ſuſtinetur, quia hæreditas vivo teſtatore non conſtituitur in cauſa caduci.

26 Explanatur ſimiliter Juliani locus, *in l. quidam 30. D. de vulgari*, in quo pluribus hæredibus inſtitutis, cum ex iis Proculus vivo teſtatore deceſſiſſet, reſpondetur, partem Proculi, non ad tertio gradu ſubſtitutos, ſed ad quietum cohæredem pertinere, & proinde non fuiſſe in cauſa caduci, juxta aſſertionem noſtram, utcumque alia, & idonea ad eum textum ſcribat poſt Accurſianos, Goveanus, Cujacius *in dict. l. 30. & lib. 28. Digeſtorum Juliani*, & expendi poſſit Ulpiani locus *in l. Titius 24. cum l. ſeq. D. de hæred. inſt.* de quo tamen opportunius *infra*.

27 Jam ut ab hæreditatibus progrediamur ad legata, & ſimilia relicta, quæ, ſi vivo teſtatore legatarius decedat, in caduci cauſa eſſe, ſtatuimus, ne hoc transferre opus ſit, quæ pro elucidandis ad hanc partem pertinentibus, *l. non eſt 58. §. ult. D. ad S. C. Trebell. l. hac conditio 10. in fin. D. de cond. & dem.* dedimus ſupra *lib. 2. cap. 18. ex num. 8. & 10.* monuiſſe ante alia oportebit, legatarii mortem, ut per eam caduci cauſa inducatur, debere intelligi naturalem, ut innuunt verba illa *dict. §. & cum triplici, verſ. vel vivo, ab hac luce ſubtrahebatur*, & evincitur ex *l. 3. §. 1. D. de his, quæ pro non ſcrip.* ubi legatarii poſt teſtamentum ſervitus, non facit, ut tanquam caducum ad fiſcum pertineat, ſed ut ſit pro non ſcripto, ut docuimus ſupra *num. 14.* ſicut neque quaſi caducum fiſco defertur, per mortem fictam, ſeu ſuppoſitam ex *lege Cornelia*, ex die captivitatis, in captivo legatario, qui poſt teſtamentum apud hoſtes deceſſit; quomodo elucidanda eſt ſpecies Ulpiani *libro 13. ad leges noſtras, in l. 4. §. 1. D. de his, quæ pro non ſcript.* juncta *l. ſi ſervo 101. §. ult. D. de legat. 1.*

28 Deinde quoad ſecundam ſpeciem quaſi caducorum, quæ fuit defectus conditionis relicti, poſt teſtamentum vivo teſtatore, de qua non pauca ſupra *num. 13. & 14.* pro exponendis *l. in teſtamento 31. l. interdicit 59. D. de cond. & dem.* id nunc breviter adjicimus, ceſſare hanc quaſi caduci ſpeciem, ſi conditio,

Digitized by Google

ditio, quamvis vere defecerit, habeatur tamen juris cenſura pro impleta, ut in conditionibus poteſtativis, in queis per legatarium non ſtetit, quominus impleret, vivo teſtatore, *l. turpia* 54. §. 1. & 2. *D. de legat.* 1. *l. filiæ* 28. *D. de cond. & dem. l. quæ ſub conditione* 8. §. *mortuo* 7. juncta *l. qui ex fratribus* 24. *D. de condit. inſt. l. inde* 23. §. *idem* 2. *D. ad leg. Aquil.* de queis alia Cujacius 17. *Obſ. cap.* 22. Coſta in §. *ſi arbitratu*, *limitat.* 6. *num.* 21. & *ampl. ult. num.* 1. & *ſeq.* Donell. 8. *Comm. cap.* 34. & *ad l.* 1. *Cod. de inſt. & ſubſt.* Amaya 2. *Obſerv. cap.* 12. *num.* 27. & nos aliqua ſupra *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 8. Sed ut poſuimus, vivo teſtatore, namque eo mortuo, ſi conditio deficiat, etiamſi per legatarium non ſtet (niſi impeditus ſit) legatum petere non poteſt *l.* 4. *C. de cond. inſert. l. Titia* 71. §. *Titio genere*, *verſ. ante nuptias l. in teſtamento* 31. *verſ. ſed & Pamphilam*, & *verſ. nam cum uni*, *D. de condit. & demonſtr.* quamvis conditionis defectus, poſt mortem teſtatoris, non faciat caducum, ut prænotavimus *dict. num.* 13. & 14. Rurſus, quod *in dict. l.* 8. §. *mortuo* 7. *D. de cond. inſt. & in l. inde* 23. §. *idem* 2. *D. ad leg. Aquil.* reſpondetur id ipſum de hæreditatibus datis ſub conditione, quæ defecit vivo teſtatore, eo pertinet, ut intelligatur, non admittendum fore hæredem, niſi conditio pro impleta habeatur, *dict. l.* 4. *C. de cond. inſert.* quanquam alioquin hæreditas in caduci cauſa non fiat, ut aſſeruimus jam *num.* 21. & *ſeq.*

29 Progredimur a caducorum, & quaſi caducorum regulis, ad illarum exceptiones, ſeu caſus, in queis caduca ceſſant. Eſt autem inter eas exceptiones, veluti primaria, & notiſſima illa, quando deficienti legatario, aut hæredi ſubſtitutus in eum caſum aliquis eſt à teſtatore, tunc enim non in fiſcum cadere, ſed pertinere, placuit, ad ſubſtitutum, utpote ſubnixum aperta voluntate teſtantis, confirmata *legibus* 12. *tabularum l. verbis* 120. *l. lege* 130. *D. de V. S.* quibus ſimul per leges caducarias derogatum non fuiſſe, creditum merito eſt, ex ratione *l.* 2. §. *ſi duo* 8. *D. de bon. poſſ. contr. tab. d. l. un.* §. *in primo*, & §. *pro ſecundo*, *C. de cad. toll.* ubi & *in princ. verſ. ſed & ipſis*, Juſtinianus ſcribit, gravem adeo viſam caducorum obſervationem conditionibus teſtamentorum, ut & *ſubſtitutiones introducerent*, *ne fierent caduca* (quod tamen non ſic accipiendum, ut origo, & cauſa ſubſtitutionum inducendarum fuerit excluſio caducorum, ut interpretum vulgus accepit, poſt Bolognettum, & ex eo, & aliis Hilligerus *lib.* 6. *cap.* 23. *litt. A.* Caſtillo *lib.* 2. *Contr. cap.* 10. *num.* 11. & ex Academicis noſtris alii, quorum nomini parcimus; cum certo certius ſit, ſubſtitutiones longe ante *legem Papiam*, ex *legibus* 12. *tabularum* in uſu fuiſſe, ut vel teſtatur Appianus Alex. *lib.* 2. *Bellorum Civil.* ubi de ſubſtitutis à Julio Cæſare *ex more*, ut ait, *Romanorum*, Cicero, ubi de cauſa Curiana 2. *de Oratore*, & *in Bruto*, & *in Topicis*, juncta *l. Cicero* 39. illic, *ob hæredibus ſecundis*, *D. de pœnis*) ſed ita, ut poſt *legem Papiam*, & pro caducis excludendis, magis introduci, & frequentari ſubſtitutiones cœperint, ſecundum quæ, & ad hanc cauſam proprie referuntur ſubſtitutiones, factæ in caſum, quo legatarius, aut mortis cauſa donatarius capere non poſſit, *l. ut hæredibus* 50. *D. de legat.* 2. *l. ei, qui* 20. juncta *l. Senatus* 35. *D. de mort. cauſ. donat.* ſed introductæ, & frequentiores factæ, præ aliis mutuæ, ſeu reciprocæ ſubſtitutiones, quibus recluderentur viæ caducorum, & ad certas perſonas relicta recurrerent, ut Juſtinianus loquitur *in d. l. unic. verſ. ſed & ipſis*, reſpiciens ad has ſubſtitutiones, ad quas pertinent *ex libris ad leges noſtras l. ſi in teſtamento* 5. de qua poſtea, & ex aliis *l. qui plures* 23. *cum l. ſeq. l. quidam* 30. *l. cum ex filio* 39. §. *ultim. l. cohæredi* 41. §. *qui diſcretas* 4. *l. poteſt* 36. *D. de vulgari*, à nobis proprio commentario, neque nunc deſcribendo, Salmanticæ illuſtratæ, *in recit. ad tit. D. de vulg. cap.* 4.

30 Cæterum exponenda hoc loci, neque alibi tam opportune vexata multis, ſpecies ex Caïo *libro* 3. *ad leges noſtras*, *in dict. l. ſi in teſtamento* 5. *D. de vulg.* ubi cum quæſitu ſit, de ſubſtitutione, ita concepta, ut quiſquis teſtatori hæres eſſet, ille quoque in deficientis cohæredis parte hæres eſſet, reſpondet Caius, pro qua parte quiſque hæres extiterit; pro ea in deficientis partem vocari, idque ex vi ſubſtitutionis, quæ fiſco præfertur, & caduca excludit; etiamſi ſupponamus, deficientis partem in caduci cauſam fuiſſe deductam, ut ſupponunt eruditi omnes *in dict. l.* 5. ſubjungit autem Caius, nihil intereſſe, an jure inſtitutionis quiſque ex majore parte hæres factus fuerit, *an quod per legem, alteram alicujus partem vindicaſſet.* Quæ verba ad *legem noſtram Papiam* reſpiciunt, & illud jus, quæ liberi, parentes, hæredes, aut liberorum jus habentes portionem deficientem, & alioquin caducam futuram vindicant, capiuntve ex jure antiquo, de quo dicemus *proxima Reliquatione ad titul.* Ulpiani 18. in quem ſenſum interpretantur *dict. l.* 5. poſt Balduinum, Duarenum, Cujacium, & alios, Bellonus *de Jure accreſc. cap.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 23. & *cap.* 7. *quæſt.* 25. *num.* 27. qui, & alii alia, à queis properantes abſtinemus.

31 Proxima eſt, & ejuſdem rationis, & explicatus, ſpecies *l. Titius* 24. *cum l. ſeq. D. de hæred. inſt.* in qua, Titio, & Seïo hæredibus inſtitutis, cum illa formula, *uterve eorum vivet*, docet Celſus, uno ex eis mortuo (neque exprimit, an mortuus vivo teſtatore, vel poſt illius mortem) alterum ex aſſe hæredem fore, & ſubjicitur ex Ulpiano ratio *in l. ſeq.* 25. *quia tacita ſubſtitutio ineſſe videtur inſtitutioni:* nempe ſubintellecta verbis illis, *uterve eorum vivet*, quæ & proinde ſufficit excludendo fiſco, & caducis *dict. l. un.* §. *in primo*, & §. *pro ſecundo*: cum generalis ſit, & peræque ſufficiens excludendis omnibus caducis, vel quaſi caducis in legatis, & hæreditatibus (de queis generaliter *in dict. l.* 24. & 25. *ac* 26. in qua idem Celſus ſcribit, id ipſum in legatis, ſub eadem formula relictis Senatum, cenſuiſſe, & fortaſſe S. Conſulto, pertinente ad *leges Juliam*, & *Papiam*, quale illud, de quo *Reliquation. ſeq.* ſtatim *l. Julianus* 60. *Digeſt. de legat.* 2.) Porro ea ratio, *quia tacita*, & deinceps, non eſt inducenda, argumento à contrario ſenſu, ut ſupponat, hæreditates per mortem hæredis vivo teſtatore, fuiſſe in cauſa caduci, quod abſurdum foret, & contra aſſerta ſupra *num.* 21.

32 Fuit altera caducorum exceptio, ducta ex perſona ejus, cui relictum, veluti Imperatoris, ſeu Principis, cui ſi legatum à privato ſit, & antequam dies legati cederet, ab hominibus ereptus (ſive inter Divos relatus, more Romano, ut ad rem notat Goveanus 2. *Var. Lect. cap.* 3.) ſucceſſori ejus deberi, & conſequenter non deficere tanquam caducum, vel in cauſa caduci, definit Caïus *lib.* 14. *ad leges noſtras*, in *l. quod principi* 56. *D. de legat.* 2. cujus & explorata ratio illa, quia Princeps legibus ſolutus eſt, & inter alias, legibus noſtris, ad quas ita ſcripſit Ulpianus *libro* 13. *in l. princeps* 31. *D. de legib.* quibus interpretandis ſic magno aſſenſu cenſuere, poſt Cujacium 15. *Obſ. cap.* 30. & *libro* 26. *cap.* 35. Academici anteceſſores Mendoça 1. *Diſput. de pactis cap.* 5. *num.* 29. & *ſeq.* Morla *in Emporio*, *tit.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 3. Pareja *in Otio Quadrim.* 2. *part. num.* 3. quamvis levibus certe argumentis, & eludendis, ſi vacaret, non magno niſu diſſentiat Amaya 1. *Obſerv. cap.* 1. *num.* 102. Aliud jus fuit, ſi Auguſtæ legatum fuiſſet, eaque ante teſtatorem moreretur, tunc enim legatum deficere, ſive in caduci cauſa fore, docuit Mauritianus *libro* 2. *ad leges Juliam*, & *Papiam*, in *l. ſi Auguſtæ* 57. *D. de legat.* 2. Nec differentiæ ratio obſcura, quia quamvis Auguſtæ viventes eiſdem, quibus Principes, privilegiis frui ſolitæ *l. filius* 6. §. *ultim. D. de jure fiſci*, juncta *l. bene* 6. *Cod. de quadr. præſcr.* & quidem etiam quoad *leges Juliam*, & *Papiam*, veluti ne orbitatis pœnæ in relictis Auguſtæ locus ſit *d. l. princeps* 31. quam ſic accipio, *D. de legib.* Auguſta tamen vivo teſtatore, & ante diem legati cedentem mortua, cum di-

gnitas illius, utpote perſonalis, & pendens ex dignitate Principis, cui nupta *dict. l. 31.* conſequens eſt, & legatum, non tranſmitti, ſed deficere, & ad hæredem in caduci cauſa eſſe, ut *in dict. l. 57.* tametſi diverſum in Principe, cujus non tam perſonæ legatum creditur, quam dignitati, quæ perpetua, & in ſucceſſorem tranſitura *l. annua 20. §. 1. D de ann. leg. dict. l. 56. & 57.* ad quas ita ſenſere jam olim Bartolus, & poſt alios D. Covarr. *in cap. requiſiſti, num. 4. de teſt.* Donell. 8. *cap.* 28. ubi Hillig. *litt. H.* Beſoldus *in Delibatis Jur. ad lib. 1. tit. 3. num. 7. pag.* 141. Pancir. 2. *Theſ. Var. cap. 70. & 7.*

33 Seponimus exceptiones alias, & reſervamus ad reliquationem, quæ ſequitur, de his, qui antiquum jus habuere in caducis; & ſignamus excurſum hunc effato illo Juſtiniani *in dict. l. unic. in princip. verſ. qui & ipſis*, dum ait, diſplicuiſſe caducorum, *& Papiæ legis* obſervantiam, ut loquitur, invidioſam, *ipſis juriſprudentibus multas invenientibus vias, per quas caduca non fierent*; cui pronunciato, & ex eo aliis juris locis illuſtrandis, ſubjungimus ultra *l. intercidit. l. hæc conditio 10. in fine 59. D. de condit. & demonſtr. l. 3. §. 1. & l. 4. Dig. de his, quæ pro non ſcript. l. non eſt 53. §. ultim. D. ad S. C. Trebell.* de queis toties ſupra, brevia notata. Primum *ex l. ſi id, quod 21. §. 1. D. de liber. leg.* in qua Terentius Clemens 12. *ad leges noſtras*, de legatario liberationis, qui vivo teſtatore deceſſit, & conſeqoenter de legato in cauſam caduci deducto, antequam creditor debitori ſuo hæres exiſteret, & confuſione debitum extingueretur: reſpondet tamen ex Juliano Clemens, confuſione legatum extingui, idque ut eo potius modo, quam caducitate deficere intelligatur tanqoam ſi uno, eodemque tempore utrumque concurreret, ut in ſpecie *l. ſi poſt mortem 68. §. 1. D. de legat.* 1. atque ita, ut nihil ſit, quod ex legato extincto in fiſcum cadat, & caduca excludantur, quomodo Salmanticæ pridem conjectabamur.

34 Secundum *ex l. Divi 6. §. ult. D. de jure codicill.* ubi ſi ei, qui poſt teſtamentum vivo teſtatore mortuus fuerat, ſit poſtea legatum, codicillis teſtamento confirmatis, quamvis eo ipſo quod codicilli ad teſtamentum referuntur, & ex eo pendent, ex regula *l. 3. §. ult. D. de jur. codic.* videri poſſit legatum teſtamento relictum ei, qui poſtea vivo teſtatore mortuus, & proinde in caduci cauſam cecidiſſe, docet Ulpianus *in dict. l. 6. §. ult.* pro non ſcripto habendum eſſe, utpote vere codicillis relicto jam tunc mortuo, neglecta ea regula relationis ad teſtamentum, ut excludatur caducum, quomodo & Julianus *in l. 2. §. 1. D. de jure codic.* apud quem Cujacius 37. *Digeſt. Juliani, & 2. ad Africanum, in l. 15. D. de jure Cod.*

Tertium *ex l. 2. §. ult. D. de auro, & arg. leg.* 35 quo loci in legatis uxori ornamentis, quæ illius cauſa parata erunt, quæque illi emi, & parari ante mandaverat, ſi mulier vivo teſtatore moreretur, utcumque ea morte legatum in caduci cauſam deductum ſit, ut & Accurſius cenſuit *in dict. l. 2. verbo, inefficax*; Africanus tamen ſcribit non ineleganter, dici poſſe, inefficax legatum eſſe, in his ornamentis, quæ mortua jam uxore emta ſunt, eo veluti colore ſumto, quod non poſſint videri parata ei, quæ prius deceſſerat, & iden tanquam legato non comprehenſa, apud hæredem manſura, fiſco, & caducis excluſis, eo ut diximus colore, aut velamento, ſimul cum aſſertione *l. non puto 10. D. de jure fiſci.* Sic & Cujacius 2. *ad Afric. in dict. l. 2. & lib. 10. Obſ. cap. 17.* ignotum forte adhuc, aut nondum expoſitum.

Quartum ex *l. ult. §. ult. D. de his, quæ ut indign.* 36 ubi ex Claudii ad Scævolam nota refertur, ſi illicite legatum ſit alicui, veluti ei, qui captator erat contra S. Conſultum, de quo ſupra, *Reliquat.* 32. *in extremo*, vel ei, qui ſibi adſcripſerat in teſtamento, contra Libonianum, ſic tamen ut à Corneliæ pœna excuſaretur, quæ legata illicite relinqui dicuntur, & pro non ſcriptis ſunt. *l. 1. D. de his, quæ pro non ſcr. juncta l. ſilius 14. §. 1. D. de lege Corn. de falſ.* ſi in eis ſpeciebus legatarius vivo teſtatore moriatur, legatum non vindicatur fiſco, tanquam caducum, ſed apud hæredem manet pro non ſcripto, atque ita concurrentibus in eodem legatario, & jure habendi pro non ſcripto, & jure caduci, præfertur illud caduco, ut odioſo.

AD CAPUT XLI. EX LEGE PAPIA.

Qui habeant jus antiquum in caducis.

RELIQUATIO XXXVII.

Ad l. unic. in princ. §. & cum lex, Cod. de caduc. toll. Ulpianum *tit. 18. & tit. 17. §. 1. & tit. 25. §. ſi quis 16. in fine.*

ARGUMENTUM.

J*Us antiquum ſervatum liberis, & parentibus* lege Papia, *fuit, ut ſi hæredes hi inſtituti, quod ali relictum, ab eo in Fiſcum caderet, retinerent, tanquam pro non ſcripta, ſive eo jure, quo ante* legem Papiam *retinerent. Expoſiti ex eo jure vulgares loci* in §. ult. l. 29. & in princip. ejuſdem l. 29. D. de legat. 2. *Correcta & reſtituta*, Ulpiani dict. tit. 17. §. 1. *lectio, quæ interpunctionum mendo, in morbo erat, & elucidata pridem ex noſtra* Salmanticæ *obſervatione. Fiſcus ſuccedit cum ſuo onere in caducis, atque eo pertinent* Ulpianus lib. 18. ad leges noſtras in l. 61. §. 1. in fin. D. de leg. 2. Paulus lib. 7. in l. 60. §. ult. D. de cond. & dem. *& generaliter in quibuſlibet Fiſco vindicatis.* Caius lib. 7. in l. 14. D. de jur. Fiſc. *& extra eos libros, quoad vacantia, & ereptitia alii auctores juris, qui laudantur. Exponuntur deinde* Paulus lib. 6. in l. 30. D. de liber. leg. *&* Terentius 12. in l. 21. §. ult. D. eodem tit. *& omiſſa vulgari explanatione de Fiſco, referuntur non tam ad eam ſpeciem, in qua liberi, aut parentes inſtituti, de qua hactenus, quam ad illam, in qua ipſi hæredes habeant liberos, ſeu jus liberorum, juxta* Ulpiani *textum* dict. tit. 25. §. 16. in fine. *Expenſa ad rem vox* commodi, in d. l. 21. & 30. *& apud* Juvenalem Satyr. 9. *Additur, in priore ſpecie capi jure antiquo, at in ſecunda per* legem, ut in dict. l. 30. l. 5. D. de vulg. *juncta* l. 43. §. 2. D. de cond. & dem. *Tranſitus ſit ad aliam exceptionem caducorum, quæ* in l. 60. D. de legat. 2. ex libro 16. Ulpiani ad leges noſtras, *cujus, & ex* Caio lib. 15. in l. 10. §. 1. D. de his, quæ ut indign. *ſimul cum* l. 23. & ſeq. D. de hær. inſt. *Sententia, & ratio de jugo caduci, impoſito hæredi, non item fideicommiſſario, & prælato iſto illi in retentione caduci. Ex ea aſſertione interpretatio* Cujacii, *plaudentis ſibi ipſi, & placentis, & aliorum illi* ad l. 11. §. ult. D. de legat. 1. *nobis non placita, aut recepta. Nullus* in d. §. ult. *locus quæſtioni* de caducis. *Obſervata ſimpliciter* d. §. ult. *interpretatio, deducta ex verbo*, omnimodo, *applicitis* l. 17. & l. 29. in princ. D. de leg. 2. *Jam de exceptione alia à caducis in legato uſusfructus, ex* l. 9. D. de uſufr. leg. l. 33. D. de uſufr. l. 96. D. de cond. & dem. *& in relicto de teſtamento militis*, d. l. 9. l. ult. D. de his, quæ pro non ſcript. *inde fortaſſe occaſio, & explanatio ad* Mauritianum 2. ad leges Juliam, & Papiam, in l. 23. D. de uſufr. leg. *Atque eadem fortaſſe occaſio differendi de legata annua apud* Caium

5. ad

Digitized by Google

5. ad leges noſtras, in l. 8. D. de ann. leg. *tanquam ſimilis uſuifructui in eo, quod utrumque legatum morte extinguitur*, *de quo itidem* Ulpianus *curſim elucidatus* 15. ad leges, in l. 22. D. de uſufr. leg. *quanquam diſſimilia in eo, quod in annuo eſt locus caduci*, *ut elicitur ex* Ulpiano lib. 4. in l. 23. Dig. quando dies leg. ced. *non tamen in legatis alimentorum*, *ut in ſingulari textu* l. 4. verſ. ſed etſi, D. de alim. leg. *at non in uſufructu*. d. l. 9. D. de uſufr. leg. *Jungitur* Paulus 7. ad leges noſtras, in l. 7. D. ſi cui plus, quam per leg. Falc. *de quo alibi*. *Tandem & aptatur his traditis*, *& explanatur textus*, *alioquin in ſubterfugi*, *& extra orbitam noſtram*, de ſervitute cloacæ, *ex* Ulpiano ad leges noſtras 13. in l. 7. D. de ſervit.

1 SEpoſita ad hoc caput, quæ ſequitur nobiliſſima caducorum exceptio, in parentibus, & liberis, uſque ad tertium gradum, quibus *lex Papia*, ut Juſtinianus loquitur, jugum ſuum imponere erubuit, & antiquum jus eis intactum conſervavit, *ſi ſcripti fuerant hæredes*, ut exprimitur *in dict.* §. *& cum lex*, ſive ut Ulpianus perſpicue magis *in dict. tit.* 29. ita, *ut hæredibus illis inſtitutis, quod quis ex eo teſtamento non capit, ad hos pertineat, aut totum, aut ex parte, prout pertinere poſſit.* Id autem jus retinendi, ut apud hæredem, ſi ex liberis, aut parentibus ſit, maneat relictum, quod alioquin ex *lege Papia* caducum, ſive caſurum in fiſcum fuerat, dicitur ſignate jus antiquum, quoniam eſt illud jus, quod ante *legem Papiam*, & caduca obtinebat, ſecundum quod deficientia legata manebant apud hæredes pro non ſcriptis. *dict.* §. *& cum lex.* juncto §. *in primis* 3. Ulpiano *dict. tit.* 18. *&* 17. §. 1. *&* tit. 1. §. *inter* 21.

2 Pertinet ad hanc exceptionem, & eſt illius veluti in Pandectis fundus, Celſi *textus in l. pater* 29. §. *ultim. D. de legat.* 2. ubi ſi filio ex parte inſtituto, pars cohæredis, à quo nominatim legatum relictum fuerat, accreſcat, Celſus reſpondet, filium non præſtiturum legatum, *quod jure antiquo capit*. Quibus poſtremis verbis, tametſi antiqui juris nomine, intellexerint jus accreſcendi, Cujacius *in l. ſi duobus* 16. *D. de legat* 1. & Caldeira 4. *Var. Lect. cap.* 3. *num.* 3. *num.* 19. Faber varie mutans, & nutans 4. *Conject. cap.* 13. *& lib.* 18. *cap.* 13. & cum priſcis Salmanticenſibus Sarmiento *in dict. l.* 29. §. *ult.* obtinuit tamen penes noviores, jus antiquum intelligi illud, quo liberi, aut parentes hæredes legata, quæ, ut caduca, in fiſcum caſura erant, retinebant, ſive capiebant, tanquam pro non ſcriptis, ex jure antiquo eis per *Papiam* reſervato, de quo docte, & electe poſt alios, Joan. Ant. Bellonus *de Jure accreſc. cap.* 12. *q.* 1. Atque aptiſſima explanatio d. §. *ult.* qui eſt de filio hærede, ſicut ejuſdem *l.* 29. *principium*, de filia hærede, & legato in caduci cauſam deducto, per mortem liberti legatarii vivo teſtatore, & apud filiam hæredem remanente, ſed cum onere fideicommiſſi, relicti concubinæ (in quo diſcrepant *dict. princip. & dict.* § *ultim.*) quia in legato liberti præſumitur teſtator, nudum illius miniſterium elegiſſe, juxta regulam *l. cum dotem* 57. *D. ad l. Falcid.* junctis *l. cum ei* 41. *D. de leg.* 2. *l. ſi fidei* 28. *D. de leg.* 3. *l. cogi* 16. §. *hi*, *qui D. ad S. C. Trebell.* ut per libertum ad concubinam perveniret, neque minus honeſto fideicommiſſo verecundia filiæ oneraretur, ut Salmanticæ præſenſit olim Primarius Peralta *ad dict. l.* 29. §. *quod alicujus*, *num.* 2. & quodammodo Faber 4. *Conjectur. cap.* 13. & ex Salmanticenſibus, noſter ibi Præceptor, & poſtea in Caſtellæ Senatu deceſſor, D. Valentia 1. *tom. Illuſtr. Tract.* 1. *cap.* 4 *ex num.* 6. ubi & exacte de quæſtione repetitionis legati apud Celſum *in dict. l.* 29. & ante Reſcriptum Severi *l. licet* 74. *D. de legat.* 1. Qua de re & plura nos *ad l. non juſtam* 4. *Cod. ad S. C. Treb.* quæ non deſcribimus.

3 Id, quia rei proprium, non præterimus, quod & primi fortaſſe in Salmanticenſi recitatione *dict. l. non juſtam* 4. *anni* 1629. animadvertimus, in Ulpiani fragmento *dict. tit.* 17. §. 1. varie interpolato à Cujacio, verbo, *Hodie*, & aliis loco ſuo motis, nihil movere neceſſe eſſe, ſed dumtaxat verba illa, *Hodie ex Conſtitutione Imperatoris Antonini omnia caduca Fiſco vindicantur*, *ſed ſervato jure antiquo liberis*, *& parentibus*; jungenda, & redigenda ad unam ſectionem, ſeu paragraphum, cum illis, quæ ſequuntur, *caduca cum ſuo onere fiunt*, *ideoque*. Qua animadverſione interpunctionum admiſſa (in queis frequentiſſime erratum fuiſſe ſciunt, vel ſciolı, & agnoſcit poſt Ant. Auguſtinum, & alios, Hilig. *ad Don.* 14. *cap.* 2. *lit. D.* Cujac. 1. *Obſerv. cap.* 14. *& lib.* 6. *cap.* 1. Lipſius *Cent.* 3. *miſcell. Epiſt.* 39.) & reducto ad unum contextum Ulpiani textu, ſententia eſt, hodie poſt Conſtitutionem Antonini, ſive Severi Reſcriptum queis inductum, ut relicta ab inſtituto cenſeantur repetita à ſubſtituto, aut cohærede. *d. l. licet* 74. *D. de legat.* 1. *dict. l. non juſtam* 4. *in fine*, relicta etiam caduca fiſco vindicari ſuis caſibus (non enim Antoninus caduca excluſit, ſed extra eorum caſus induxit repetitionem à ſubſtituto, & cohærede) cum tamen olim, & ante Severum, caduca ærario populi vindicarentur, ſicut vacantia, quæ olim ærario, poſtea fiſco deferri obtinuit, & præmonuimus *Reliquat.* 35. *num.* 1. in eoque nec Ulpianus *dict. tit.* 17. §. 1. de mendo ſollicitandus, neque cum Gothofr. *ad leges noſtras*, *pag.* 34. accuſandum Triboniani facinus *ad l. quidam* 96. § 1. *D. de leg.* 1. ſed vindicari poſt Reſcriptum, tanquam à fiſco repetita, & caduca fieri cum ſuo onere, ut expreſſit optimus ſui interpres, atque ita interpretandus Ulpianus idem *lib.* 18. *ad leges noſtras*, *in l. ſi Titio* 61. §. 1. *verſ. ſed poſt reſcriptum*, *D. de legat.* 2. & in eumdem ſenſum explanandus Paulus *lib.* 7. *ad leges noſtras*, *in l. in facto* 60. § *ultim. D. de condit. & demonſtr.* & ante Severum, in quibuslibet fiſco vindicatis, Caïus *lib.* 7. *ad leges noſtras*, *in l. dicitur* 14. juncta *l.* 3. § *cum ex cauſa* 4. *D. de jure fiſci*, & quoad ereptitia, & vacantia ſub generali caducorum nomine, & extra libros *ad Juliam*, *& Papiam* Caïus *in l. cum fiſca* 9 *D. de S. C. Syllan. l. quidam* 96. §. *quoties D. de legat* 1. *l. Imperator* 12. §. *ult. & in princip. D. de fideicom. lib. l. cum quidam* 12. *l. cum tabulis* 16. § *ult. D. de his*, *quæ ut indign. l.* 6. *ſi fiſci* 3. *D. ad S. C. Trebel. l.* 2. §. *ult. D. ſi quis aliq. teſt. prohib. l.* 3. *in fine*, *D. de his*, *quæ in teſt. del. l. ſi ſervus* 50. § *ſi quis ante*, *D. de legat.* 1. *l. unic.* §. *ne autem* 9. *verſ. & hoc locum*, *Cod. de caduc. toll.* Quibus elucidandis immoraremur, ſi tam nobis tempus, quam voluntas ſuppeteret.

Referri & ad hoc caput, & exceptionem ſolent, 4
vulgares loci *ex l. ſi in teſtamento* 5. *in fine D. de vulgari*, de qua jam ſupra *Reliq.* 35. *num.* 28. *& l. ſi is, qui duos* 30. *D. de liber. leg.* ubi ex Paulo *libro* 6. *ad leges noſtras*, verba illa, *delegari debebit is*, *qui nihil capit*, *et*, *cui hoc commodum lege competit*; ſicut & illa Terentii Clementis *lib.* 12. *in l. ſi id*, *quod* 21. §. *ult. D. de liber. leg.* *Neque ei*, *ad quem hoc commodum pervenit*, *ſi legatarius capere non poſſit*: exaudiunt de fiſco, cui legatum ex legibus noſtris non capacis, pars ut caduca defertur, Academici noſtri poſt Balduinum, Duarenum, & alios, Pichardus *in* §. *ſi eidem num.* 72. *inſtit. de legat.* Pareja *in otio*, *ubi de lege Papia*, *num.* 28. Quanquam proximus vero eſt, ea verba accipi de collegatario, *in d. l. ſi is*, *qui* 31. aut de hærede, aut legatario, *in dict. l.* 21. § *ult. & in l.* 5. *D. de vulg.* de qua *ſuperiore Reliquatione num.* 28. *qui liberos habeant*, ut ſcriptum, & hinc Cujacii correctione legitur apud Ulpianum *tit.* 25. §. *ſi quis in fraudem* 16. *in fin.* qua adjectione indicatur exceptio altera (& quidem diſtinguenda ab illa, de qua hactenus in liberis, & parentibus uſque ad tertium gradum) nimirum, ut quamvis ex illis hæres, vel legatarius reſpectu teſtatoris non ſit, ſi tamen liberos habeat, jus liberorum retineat, capiatve pro præmio ejus juris partem caducam cohæredis, aut collegatarii, atque huc proprie magis collimat Juvenalis illud *Satyr.* 9. *de dulci caduco*, ut poſt Duarenum,

renom, Goveanum, & alios Bellonus *de Jure accreſc. cap.* 2. *q.* 1. *num.* 24. *nu* & *cap.* 10. *q.* 8. *num.* 24. Jacob. Gothofr. *in Notis ad leg. Jul. caduc. p.* 343. idque quoad *dict. l.* 21. *§. ult.* & *l.* 30. *D. de liber. leg.* ſuadet facile mihi repetita appellatio *commodi lege competentes*: quæ appellatio non tam ad fiſcum, quam ad eos, quibus lege pro præmus liberorum competunt hæc proprie dicta commoda, ut in illo Juvenalis:

Commoda præterea junguntur multa caducis,

Et non ſemel alibi.

5 Illud, ne adhuc diſcentes hæſitent, aut miſceant, adjicimus, duas diverſaſque eſſe exceptiones caducorum, quas poſuimus. Primam in liberis, & parentibus intra tertium gradum teſtatori, qui non ut ipſi capiant ſibi relictum, etiamſi cœlibes ſint (poterant enim capere, utpote ex teſtamento conjuncti, ſeu non extranei, ut docuimus *Reliquatione* 32. *num.* 21.) ſed ut aliis relictum, & caducans ipſi retinerent, tanquam pro non ſcripto, & jure antiquo eis reſervato, quæ hactenus, & in hunc ſenſum, eis jugum ſuum non impoſuit, *ut in dict. l.* 29. *§. ult. D. de leg.* 2. Ulpiano *dict. tit.* 17. & 18. Secundam, ut ipſi hæredes, legatariive (etiamſi teſtatori juncti non eſſent intra, aut ultra tertium gradum) ſi tamen liberorum jure uterentur, retinerent pro præmio liberorum, caperentve caducantis portionis commodum, id quod per legem fieri dicitur, non jure antiquo. *dict. l.* 5. *D. de vulg. dict. l.* 21. *§. ultim.* & *dict. l.* 30. *D. de lib. leg.* Quibus jungenda, & ſimiliter exaudienda eſt Pauli aſſertio *l. Plautius* 43. *§. item, D. de cond.* & *dem.*

6 Fuit alia exceptio poſitis proxima, & illarum veluti limitatio, ſtabilita *S. Conſulto*, cujus Ulpianus meminit *lib.* 16. *ad leges noſtras*, *in l. Julianus* 60. *D. de leg.* 2. ubi ſcribit, ſi à filio hærede legatum ſit, & a legatario relictum, ſive illius fideicommiſſum, ut Titio daret ſub conditione, & ea pendente Titius deceſſerit, fideicommiſſum deficiens (& vel caducum ex morte fideicommiſſarii, vel ex defectu conditionis vivo teſtatore) non pertinere ad filium hæredem, ex jure, ut diximus, antiquo, ſed manſurum apud fideicommiſſarium, *quia in fideicommiſſis potiorem cauſam habere eum, cujus fides electa ſit, Senatus voluit*, ac proinde præferri non tantum fiſco, & caduco, ſed etiam filio hæredi, & antiquo illi juri, quo niti poterat: idque quoniam ea creditur voluntas defuncti fuiſſe, ut velut tacita ſubſtitutione, præteriret fiſco, & filio legatarium, cujus fidem elegerat, *ut in l. fraudem* 10. *§.* 1. *D. de his, quæ ut ind.* quæ eſt ex Caio *lib.* 15. *ad leges noſtras*, & *in l. Titio* 23. *cum leg. ſeq. D. de hæred. inſt.* de queis *Reliquatione* præcedente, junctis *l. ſi quis* 17. *D. de leg.* 2. *l. pater* 38. *§. fidei* 6. *D. de leg.* 3. Quibus locis, & *dict. l. Julianus* 61. componendis cum *l. penul. §. matri, D. de adim.* alia huc non pertinentia, nec tranſcribenda Cujacius 12. *Obſerv. cap.* 2. Faber 3. *Conject. cap.* 18. & *de err. dec.* 66. *err.* 8. Hillig. *ad Donell.* 8. *cap.* 17. *litt. B.*

7 Jam ex eo S. C. & nuper traditis Cujacius, & ſane jactanter, facem præferre nititur *lib.* 10. *Obſerv. cap.* 38. & *ad Papin.* 9. *quæſt. in l. cum filio* 11. *D. de legat.* 1, ſubſcribente præceptore noſtro Richardo *ibidem*, *cap.* 14. *ex n.* 4. Fachinen *lib.* 5. *Contr. cap.* 56. Hilligeru *ad Donell. lib.* 8. *cap.* 10. *litt. F.* & eumdem ſenſum, eodem, quo Cujacius ſcribebat, anno, magis captante, quam capiente Ant. Contio *lib.* 2. *Diſput. cap.* 1. Govean. 2. *Var. Lect. cap.* 32. obſcuræ alioquin ſententiæ Papiniani *in l. cum filio* 11. *§. ultim. D. de legat.* 1. ubi cum docuiſſet, filiofamilias hærede inſtituto, aut ſi eidem legatum ſit, poſſe fideicommiſſum à patre relinqui eidem filio, aut extraneo, & adjeciſſet ſi filio relinquatur, fideicommiſſum ex perſona patris, non tanquam hæredis conſiſtere; ſin autem extraneo, conſiſtere, ſeu deberi à patre, tanquam hærede, ſubjungit inde *in verſ. denique*, illationem, quæ propoſiti noſtri non eſt, & expoſitores alios habet *in dict. l.* 11. At quæ in extremo illatio ſequitur *in v.* & *ideo*, tota rei noſtræ propria eſt, nempe ſi filio per fideicommiſſum pater rogetur, quidquid ad ſe ex hæreditate, vel legato filio relictis pervenerit, reſtituere poſt mortem ſuam, & filius vivo patre decedat, omnimodo patrem id retenturum, quia fideicommiſſum ex perſona patris vires acceperit. Porro illationem hanc elucidat Cujacius ex elementis legum noſtrarum, ſupponens, fideicommiſſum à patre relictum filio, fuiſſe illius morte caducum, aut in cauſa caduci, & tamen retineri omnimodo a patre, quia ex perſona illius vires accepit, tanquam fideicommiſſario, ſeu cujus fides electa eſt, juxta *d. l. Julianus* 60. *D. de leg.* 2.

8 Nos quanquam Salmanticæ olim Anteceſſorum, & Cujacii auctoritas ei interpretationi manus veluti dare coegiſſet, nunc liberiore, & fortaſſe veriore aſſertione, cenſemus, nihil cauſæ fuiſſe *in dict. l.* 11. *verſ.* & *ideo*, cur Cujacius, adſcititio, & obtruſo caducorum jure, enodare Papinianum voluerit. Ejus aſſertionis, non modo argumentum, ut Juriſconſulti loquuntur, ſed & demonſtratio ſit, quod in *verſ.* & *ideo*, non proponitur ſpecies in filio, cui fideicommiſſum relictum, mortuo poſt teſtamentum vivo teſtatore (quæ fuiſſet ſpecies in cauſa caduci. *l. unic. §.* & *cum triplici*, *verſ. vel vivo*, *Cod. de caduc. toll.*) ſed de eo, qui deceſſit, vivente patre, à quo ei relictum, ut illic: *iſque vivo patre decedat*; in quibus verbis legendis Cujacius oſcitavit, atque ita nulla occaſio in cauſa caduci, præterquam quod hæreditates, de queis peræque ſpecies, *d. §.* & *ideo*, non deducebantur in caduci cauſam, ut adſtruximus *Reliquat.* 35. *numer.* 23. Quinimo nec locus proprie caducis fingi poteſt, quoniam ſi filius, idemque hæres ante apertas tabulas, & nondum adita hæreditate deceſſit, morte illius (non enim alios ei cohæredes datos divinamus) teſtamento, & conſequenter omnibus teſtamento relictis deſtitutis, neque hæreditate, utpote nondum adita, tranſmiſſa juxta regulas *l. ſi nemo* 9. *D. de teſtament. tut. l. unic. §. in noviſſimo* 5. *Cod. de caduc. toll.* redit res ad ſucceſſionem ab inteſtato, in qua ſucceſſione non fuiſſe locum caducorum juri, pro explorato affirmamus. *l. ſi ex pluribus* 9. juncta *l.* 2. *§. ult. D. de ſuis*, & *legit.* de quibus opportunius *Reliquatione ſequenti.*

9 Ergo, quandiu alii meliora, nos ſinceriore ſaltem ſenſu ſupponimus *in dict. verſ.* & *ideo*, filium vivo patre, at poſt aditam hæreditatem deceſſiſſe (neque enim ſi ante aditam deceſſiſſet tractari poſſet de legato, aut fideicommiſſo, quæ deſtituto teſtamento evaneſcerent *dict. l. ſi nemo* 9. *D. de teſt. tut.*) quo ſuppoſito ſcitiſſime Papinianus ſcribit, patrem fideicommiſſum, filio relictum, retenturum omnimodo, ideſt omni caſu, quomodo ea vox uſurpatur *in l. ſi mater* 33. *§.* 1. *D. de vulgar. l. rem legatam* 18. *D. de adim. leg.* idque quia fideicommiſſum ex perſona patris vires accepit, nec potuit ex perſona filii, cui relinquebatur, ut *in princ. dict. l. cum filio* 11. nec ab illius hærede retineri, cum fideicommiſſum per illa verba *poſt mortem ſuam*, fuerit conditionale, & filius vivo patre mortuus, ac proinde conditione pendente ad hæredem ſuum non tranſmiſerit, *l. hæres meus* 79. *§.* 1. *D. de cond.* & *dem. l. ſi pecuniæ* 12. *§.* 1. *D. de leg.* 1. diverſum autem fore, Papinianus ſignificat, ſi fideicommiſſum extraneo relictum, qui vivo patre mortuus. Tunc enim non omnino pater fideicommiſſum retinebat, ſed eo caſu, quo fides ejus electa ſit, ut *in dict. l. Julianus* 60. *D. de legat.* 2. alioquin, ſi dumtaxat ut miniſter, ſeu diſpenſator electus ſit, manebit fideicommiſſum, deficiens morte extranei, apud filium hæredem, ex cujus perſona conſtitit, ut *in l. ſi quis Titio* 17. *D. de legat.* 2. elegans, & electus ad rem textus in *l. pater* 29. *in princ. de leg.* 2. juncta *l.* 3. *§.* 1. *l. pecuniæ* 8. *verſ. diverſum*, *D. de alim.* & *cib. leg.*

10 Accenſetur his exceptionibus, ſive exemptionibus à caducorum jugo legatum uſusfructus, in quo

ſi

ſi legatarius vivo teſtatore moriatur, non fuiſſe locum caduco, ſed apud hæredem manere, intelligitur ex *l. cum ab eo* 9. *D. de uſufr. leg. l. ſi Titio* 33. *D. de uſufr. l. Titio* 96. *D. de condit. & dem.* & hoc ipſum de legato in militis teſtamento allirmatur, *in d. l. ab eo* 9. Ratio quoad uſumfructum, ducta ex eo, quia perſonæ uſusfructus cohæret, & ne inutilis proprietas in perpetuum fieret, uſufructu, tanquam caduco, tranſlato in fiſcum, qui non moritur, ut Cujacius laudatis locis ſcribit, & maxime 17. *quæſt. Papin. in dict. l. ſi Titis* 33. ubi & Faber, utcumque idem fluctuet 4. *Conject. cap.* 13. *& in fine*, ſicut & inextricanda *l. ſi poſtulaverit* 27. *§. jubet*, *D. ad leg. Jul. de adult.* Bened. Finel. 1. *Select. cap.* 6. *num.* 61. alia nos ſupra *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 3. & quoad teſtamentum militis, quia in eo, & ejus favore caduca excluduntur. *l. ultim. de his, quæ pro non ſcriptis*, *l. ex teſtamento* 5. *Cod. de teſt. mil.*

11 Conjungi huic exceptioni, de legato uſusfructus poteſt, Junii Mauritiani locus *in l. licet* 23. *D. de uſufruct. leg. ex lib. illius* 2. *ad leges Juliam*, *& Papiam*, quo libro egiſſe eum de caducis, conſtat *ex l. ſi Auguſtæ* 37. *quæ ex eodem libro eſt*, *D. de leg.* 2. juncta *ex libro* 3. *l. Senatus* 15. *Dig. de jure fiſci.* Ergo ea occaſione, & ſuppoſita exceptione, ſive exemptione legati uſusfructus à caducitate in fiſcum, docet Mauritianus *in dict. l.* 23. licere teſtatori, repetere legatum uſusfructus in favorem legatarii, ita ut ei debeatur etiam in caſum, quo minutus capite erit, puta ſi deportatus ſit, quo caſu, niſi exceptione ſua defenderetur, in fiſcum recaſurus erat: ſed quia repetitus, ſeu relegatus debetur legatario, ut *in l.* 1. *§. ultim. cum l.* 2. 3. *&* 5. *Digeſt. quib. mod. uſusfruct. amitt.* & ſubjungitur Reſcriptum Antonini, *in dict. l.* 23. *in fine*, de cujus lectu, aut intellectu, certant Cujacius, Robertuſque apud Hilliger. *ad Don. lib.* 10. *cap.* 10. *litt. A.*

12 Jungitur etiam apte propoſitis quæſtio, de annuo legato, quod ſimile eſſe legato uſusfructus ſcribit Caius *in l. in ſingulos* 8. *Digeſt. de ann. legat. libro* 5. *ad leges noſtras*, quia utrumque morte finitur. *l.* 4. *&* 5. *Dig. de ann. leg. l. patrimonii* 22. *Dig. de uſufruct. legat.* quæ eſt ex Ulpiano 13. *ad leges noſtras*, & in qua promte ſupponitur, habuiſſe uxorem jus capiendi, ultra decimam, vel etiam ſolidum, juxta caſus Ulpiani *tit.* 15. *&* 16. At non omnino ſimile legatum annuum, & uſusfructus, quia annuum non finitur capitis minutione, ſicut uſusfructus, qui & relegari in eum caſum poteſt. *dict. l. licet* 23. & quia in uſufructu unum legatum ſemel cedens, at in annuo plura, & primi anni purum, ſequentium conditionale. *l.* 4. *dict. l. in ſingulos* 8. *D. de ann. legat. l. cum in annos* 10. *cum l.* 11. *&* 12. *Dig. quando dies legat. ced. l. unica*, *Dig. quando dies uſusfruct. legat. ced.* cui differentiæ proxima, & rei noſtræ propria illa eſt, in annuo legato per annos ſingulos *inſpiciendam conditionem legatarii*, *ut capere poſſit*, ut ſere ſcribitur, aut intelligitur ex Ulpiano *libro* 4. *ad leges noſtras*, *in l. cum in annos* 23. *D. quando dies leg. ced.* quod ſic expono, ut quo, aut quibus annis legatarius, tanquam cælebs, aut peregrinus annuum (excepto ſcilicet annuo alimentorum. *l. is, cui* 11. *l.* 3. *§.* 1. *D. de alim. legat. l. cum Ulpianus* 16. *D. de interd. & releg.* in quo legato, ſicut in uſufructu, etiamſi alimentarius deceſſerit, non ſoit locus caducis, ſed vel retentioni pro non ſcripto, vel juri accreſcendi, quod vel nondum fortaſſe notatum apud Modeſtinum *in l.* 4. *verſic. ſed etſi deceſſerit*, *D. de aliment. legat.* juncta *l. pecuniæ* 8. *§.* 1. *eodem titul.*) capere non poſſit, vindicetur id fiſco, tanquam caducum *ex legibus Julia*, *& Papia*, ad quas ita Ulpianus *in dict. l.* 23. & in eo rurſus diſſimile eſt annuum, & uſusfructus, in quo caducitati in fiſcum locus non eſt, *dict. l. cum ab eo* 9. *Dig. de uſufruct. legat.* Ejuſdem argumenti eſt, & his adjungenda Pauli theſis *lib.* 7. *ad leges noſtras*, *in l. Divus* 17. *Digeſt. ſi cui plus*, *quam per leg. Falcid.* de quo jam ſupra *Reliquat.* 27. *num.* 29.

Poſtremo ſi applicabilis alicui legum noſtrarum 13
parti futura, quæ primo aſpectu devia ab illis, & fugitiva videri poſſit, conjungenda ſupra traditis eſt Ulpiani aſſertio *in l. Jus cloacæ* 7. *D. de ſerv.* ubi *ex* 13. *ad leges Juliam*, *& Papiam* (quo integro tractaſſe eum de caducis, liquet *ex l. toties* 81. *D. de acquir. hæred. l. intercidis* 59. *D. de condit. & demonſtrat. l. ſi in teſtaments* 64. *Dig. ad leg. Falcid. l. princeps* 31. *D. de legib.*) ſic habetur: *Jus cloacæ immittendæ ſervitus eſt.* Porro his verbis ſignificatur, eſſe jus cloacæ immittendæ, ſervitutem, vel prædii ruſtici, ut Accurſius exaudit, *l.* 2. *Dig de ſervit. ruſt. l.* 1. *D. de cloacis*, vel ſimpliciter ſervitutem prædii, non perſonæ, ut Cujacius *in dict. l.* 7. cum tamen poſſet eſſe, & perſonæ, ſi ejus intuitu conſtituta eſſent non prædii, juxta regulam *l.* 1. *§. & datur* 43. *D. de aqua quotid.* junctis exemplis, *l. ſi quis unas* 32. *D. de uſufruct. l. pater* 6. *D. de ſervit. legat.* qua differendi, & dubitandi veluti ratione poſita, Ulpiani *textum in dict. l.* 7. eo referri poſſe, ut quamvis in uſufructu, utpote perſonali, & cum perſona interituro, non fuerit locus caducis, *dict. l. ſi ab eo* 9. *Dig. de uſufruct. legat.* non tamen idem ſit in ſervitute, quæ prædii regulariter eſt, ut jus cloacæ, & ſimiles, quæ in caduci cauſam deduci poſſunt, & in fiſcum tranſire. *l. via* 23. *§. ſi fundus* 2. *D. de ſervit. ruſt.*

R E L I Q U A T I O   X X X V I I I.

An, & quatenus jus accreſcendi ſublatum lege Papia.

Item exerrantium in Juriſconſultis ad *leges Juliam*, *& Papiam* locorum aliquot aperti, aut reperti fontes.

Ad Ulpianum *tit.* 24. *§.* 12. *&* 13. *& tit.* 1. *§.* 21.

A R G U M E N T U M.

S*Tabilitur*, *& repetitur aſſertio noſtra*, *de jure accreſcendi*, *non ſublato* lege Papia, *niſi in caſibus caducorum*, *vel quaſi. Deinde nec ſublato ex* S. Conſultis, *poſt apertas tabulas*, *& multo minus poſt aditionem. Producuntur ad rem*, *& explicantur* Caius 14. ad leges noſtras, in l. 53. *&* Paulus 4. in l. 80. & lib. 5. in l. 68. D. de acquir. hær. & in l. 49. §. ult. D. de leg. 2. & in l. 90. D. de leg. 2. ex lib. 6. Pauli, *cui conferenda* l. 60. §. ult. de cond. & dem. & l. 29. §. 1. D. de leg. 2. (*quanquam alio referat* Jac. Gothofred. ad leges noſtras pag. 307.) Ulpianus 18. in l. 61. D. de leg. 2. & in l. 83. D. de acq. hær. Caius 8. in l. 4. D. de bon. poſſ. *& extra eos libros alii textus. Adjiciuntur caſus hæreditatum*, *quæ non in cauſa caduci*, *ſed accreſcentes*, *ut* in l. ult. verſ. negotiorum, D. ſi pars hæred. *& illorum*, *qui exemti à jugo caducorum*, *ut* in l. 5. D. de vulg. l. 29. §. ult. D. de leg. 2. *& legatum uſusfructus*, *aut ex teſtamento militis*, *ex* l. 42. D. de fideic. lib. *ſtatuitur deinde*, *in ſucceſſionibus ab inteſtato*, *excluſis caducis*, *manſiſſe etiam ſub* lege Papia *jus accreſcendi ex* Ulpiano lib. 12. in d. l. 61. §. ult. D. de leg. 2. Caio 8. in l. 4. de bon. poſſ. *& extra eos libros aliis*, *& maxime* Ulpiano tit. 26. §. 5. Paulo 4. Sent. tit. 8. §. ult. *& præ aliis* Martiano in l. 9. D. de ſuis, & legit. *juxta* Cujacii, Belloni, *& aliorum ex noſtratibus ſenſum*, *queis tamen indefinite ſupponimus inter inſtitutos ſublatum indiſtincte* lege Papia *jus ac-*

Pppppp 2 *creſcendi*,

creſcendi, non aſſentimur, ac potius objicimus l. 35. & l. 59. D. de acquir. hæred. *At pro explananda dict.* l. 9. *propoſita noſtra olim cogitatio, nec repudiata* Bartoli, *& aliorum. Secundum hæc explanatas* Ulpianus tit. 24. §. 12. & 13. & tit. 1. §. 21. *Additum non vulgatum illud, de jure accreſcendi ſub* lege Papia, *in legatis vindicationis, inter re tantum conjunctos, ſeu disjunctos, ex* Ulpiano, *ſimulque* Paulo 3. Sent. tit. 6. §. 3. Caio 2. Inſtit. tit. 5. §. 6. *& addita ad rem juris ratio, cum* l. 30. D. de cond. & dem. l. 41. D. de leg. 2. *Diverſum in legatis damnationis, ex* Ulpiano d. tit. 24. §. 13. *Jam pro redigendis ad lineas, exorbitantibus in libris ad leges noſtras locis, notamus in primis, pertinere ad jus accreſcendi* Caium lib. 12. in l. 55. & 14. in l. 58. D. de leg. 2. Terentium 5. in l. 59. *&* Ulpianum 18. in l. 61. D. de leg. 2. *Deinde ad aperturam tabularum, ex* S. Conſultis *adnotamus, pertinere* Paulum lib. 12. in l. ult. D. de jure codicill. *& quod frequentius, cum caducis ex* S. Conſultis *locus non eſſet in relictis ſub conditione, occurrere multa de conditionibus* in libris ad leges noſtras, *ut apud* Paulum 7. in l. 60. D. de cond. & dem. & lib. 6. in l. 29. de leg. 1. *quæ conferenda cum* Terentii *loco* lib. 13. in l. 54. D. de leg. 2. *& referendus ſimiliter* Paulus 5. in l. 6. D. de adim. leg. *ubi de translatione legati, & conferendus* cum l. 8. & 10. eod. tit. *quibus tamen immiſſum. Sic & de legato optionis, ſive conditionale fuerit, ut creditur, ſive purum, & ab non adita hæreditate cedens, & proinde neutro ex capite, caducis ex* S. Conſultis *obnoxio, coaptatur legibus noſtris* Terentius 15. in l. 16. & lib. 17. in l. 17. D. de opt. leg. *coaptatur ſimiliter* Paulus de legato penus, lib. 6. in l. 24. D. quando dies leg. ced. *& explicatur, ſimul cum* l. 8. §. unius, D. de opt. leg. *Denique & referri itidem poteſt* Caïus in l. 73. D. de hær. inſt. ex lib. 13. *& ex tractatu repetitionis conditionum, ad quem laudati pertinentes loci. Sed inter eos cum cura expenſus* Caïus in l. 31. D. de ſtatulib. *cujus contextus elucidatus, & compoſitus cum* l. ult. §. 2. D. de leg. 2. *at non peræque prompta compoſitio, imo fere deplorata* cum l. 80. D. de cond. & dem. *& tamen tentata novo interpretamento. Adjunctæ illi novæ notæ, & diſcriminationes inter* d. l. 80. & l. 31. D. de cond. & dem. & d. l. 31. D. de ſtatulib. *Poſtremo ex claſſe deviantium animadverſus* Pauli *locus* lib. 5. in l. ult. D. pro hærede, *& relatus ad cœlibem & orbum, ſicut & perinde* Caïus 12. in l. 20. D. de manumiſſ. *ad quæſtiones de patronis, ex* legibus Julia, & Papia.

1 CLaudet Reliquatio hæc, & planiores reddet, quæ præceſſerunt, de caducis, & quæ jungitur deviantium locorum aliquot, elucidatio, faciet, ut nihil, quod inſcriptione, aut prima fronte ad commentarios hos pertinere videatur, in eis deſideretur. At in primis, quoad jus accreſcendi, ne repetamus vulgarem illam perſuaſionem, de ſublato indiſtincte jure accreſcendi per *legem Papiam*, neque e contra paucorum, & certiorem, de non ſublato, niſi in caſibus caducorum, de queis jam ſupra *Reliquat.* 18. *num.* 16. *& Reliq.* 35. *num.* 18. *& ſeq.* nunc generaliter ſtatuimus, extra quatuor caducorum caſus, & duos quaſi caducorum, (utcumque in his quaſi caducis jus accreſcendi admittat, miſcens parum perite vetera, & nova jura Bellonus *de Jur. accr. cap.* 7. *quæſt.* 33.) quos recenſuimus *Reliquat.* 35. *ex num.* 3. *&* 22. *cum ſeq.* manſiſſe magis per *legem Papiam* jus accreſcendi, de quo, & illius elementis ideo ad *Papiam*, *& Juliam leges noſtras*, tam ex profeſſo Paulus *in l. re conjuncti* 89. *D. de leg.* 3. *l. triplici* 142. *D. de V. S.* de queis, & illis, ad jus accreſcendi in caſu repudiationis pertinentibus, jam ſupra *d. Reliq.* 18. *num.* 18.

2 Deinde & generaliter ſtatuimus, poſt apertas teſtamenti tabulas, etiamſi hæres, aut legatarius moriatur, aut non fuiſſe locum caducis ex S. Conſultis, peregrinus fieret quoniam ea locuta dumtaxat de deficientibus *in medio*, ideſt ante aperturam. *l. un. § cum igitur* 5. *Cod. de cad. toll.* & multo minus poſt aditam hæreditatem ab uno ex hæredibus (quamvis, quod notatu dignum, poſſit etiam poſt apertas tabulas, & aditionem unius, locus fieri caducis, ſi adhuc ſuperſint dies cretionis, & intra eos, cœlebs, orbus, aut Latinus legi non paruerit, ut apud Ulpianum *tit.* 17. §. 1.) atque ideo his caſibus juri accreſcendi locum faciunt aperti textus, non aliter explicandi, & quidem ex Caïo 14. *ad leges noſtras*, *in l. qui ex duobus* 53. *in princ. &* §. 1. *&* ex Paulo *lib.* 4. *in l. ſi ſolus* 80. §. 1. *& ſeq.* juncta *ex lib.* 5. ejuſdem Pauli *l. cum ſolus D. de acquir. hær. l. mortuus* 49. §. *ult. D. de legat.* 2. *&* ex Ulpiano 18. *l. ſi Titio* 61. *D. de legat.* 2. *l. ſi totam* 83. *de acq. hær.* ac demum ex Caïo *lib.* 8. *l.* 4. juncta *l.* 5. *& l.* 3. §. *ultim. D. de bonor. poſſeſſ.* & extra *libros ad leges Juliam, & Papiam*, æque perſpicui loci in *l. ſi duobus* 40. *D. de legat.* 2. *l. dominus* 17. §. 1. *l. Titio* 34. *cum l. ſeq. D. ad leg. Aquil. l. ſervus communis* 67. *D. de hæred. inſt. l. hæc ſcriptura* 26. §. 1. *D. de condit. & demonſtr.* cum ſimilibus, quibus expendendis, aut ſigillatim exponendis inſiſtere, operoſum magis ſit, quam neceſſarium. Adjicimus vel uno verbo, in hæreditatibus, in quibus non fuiſſe locum quaſi caducis, ſive in cauſa caduci, etiamſi hæres vivo teſtatore deceſſerit, docuimus *dict. Reliquat.* 35. *num.* 23. fuiſſe eo caſu jus accreſcendi. *l. ultim. verſ. negotiorum, D. ſi pars hær. pet* ſicut inter exemtos a jugo *legis Papiæ*. *l. pater* 29. §. *ultim. D. de legat.* 2. *l. ſi in teſtamento* 5. *D. de vulgari*; & inter legatarios uſusfructus. *l.* 1 *& tot. titul. D. de uſufruct. accreſc.* juncta *l. ſi Titio* 33. *D. de uſufruct. l. ſi ab eo* 9. *D. de uſufruct. legat. cum l. Titio* 96. *D. de condit. & demonſtr.* & in teſtamento militis, argumento ex *l. Antoninus* 42. *D. de fideicommiſſ. lib.* quæ ſingularis ad rem eſt, *cum d. l. ab eo* 9.

Præterea, & in commune ſtatuimus, in ſucceſſionibus ab inteſtato, regulariter non fuiſſe locum proprie caducis, neque ob cœlibatum, & orbitatem, quoniam hi dumtaxat prohibiti, capere ex teſtamento, & quidem extranei; non autem inter vivos, aut in ſuccedendo ab inteſtato cognatis, ut docuimus *Reliq.* 32. *n.* 22. *& Rel.* 33. *n.* 17. neque morte, aut peregrinitate ante apertas tabulas, quia ab inteſtato non ſuccceditur, niſi non extantibus tabulis. *l.* 1. *D. ſi tabulæ teſtam. null. extab.* Quocirca, & pro regula ſtatuimus poſt Cujacium 18. *Obſerv. cap.* 11. Meril. 5. *Obſerv. cap.* 4. Bellonum *de Jur. accreſc. cap.* 10. *quæſt.* 8. *num.* 43. utcumque vacillante Balduino *de lege Pap. pag.* 15. caducis ab inteſtato excluſis, fuiſſe indiſtincte receptum jus accreſcendi, & retentum *legibus Julia, & Papia*, quomodo *lib.* 18. *ad eaſdem* ſtatuit Ulpianus *in l. ſi Titio* 61. §. *ult. D. de legat.* 2. *&* Caïus *lib.* 8 *in l.* 4. *cum l.* 5. *&* 3. §. *ult. D. de bon. poſſ.* & extra eos libros *l.* 1. §. *ſi nemo* 9. *D. ad S. C. Tertyll. l. ſi quis* 5. §. *ult. D. ſi tab. teſt. l. unic. Cod. quando non pet. partes* §. *ult. inſtit. de S. C. Orphit.* §. *& ſi intra* 5. *inſtit. de bon. poſſ.* Ulpianus *tit.* 26. §. *ſi plures* 5. Paulus 4. *Sentent. tit.* 8. §. *ult.* 3

Enimvero fulcit hæc ipſa, & ex eiſdem lucem accipit, Martiani locus nobilis, *in l. ſi ex pluribus* 9. *D. de ſuis & legit.* in quo, & ex quo Cujacius *lib.* 12. *Obſer. cap* 11. atque ei ſubſcribens noſter Valentia 1. *Illuſtr. tract.* 1. *cap.* 2. *num.* 11. *&* 12. *& lib.* 3. *tr.* 1. *cap.* 6. *num.* 5. J. Ant. Bellonus *de Jure accreſc. cap.* 9. *quæſt.* 35. *num.* 14. *& quæſt.* 39. *num.* 18. contendunt, inter hæredes inſtitutos ſublatum omnino fuiſſe jus accreſcendi *lege Papia*, atque ideo illic, ſi hæres inſtitutus, & cohæredi ſubſtitutus ante conditionem ſubſtitutionis deceſſerit, non pertinere ad illius hæredem, portionem, in qua ſubſtitutus, neque ex ſubſtitutione, cujus conditio eo vivo non extitit, neque ex jure accreſcendi, quod ſublatum *lege Papia* ſupponitur; atque in eo aliud eſſe jus hæredum ab inteſtato, ex quibus ſi unus deceſſerit, aut accreſcit aliis, qui adierunt, ſi antequam accreſcat, deceſſerint, ad hæredes 4

Digitized by Google

des eorum pertinet. *dict. l. ſi ex pluribus* 9. nos in primis, & pridem Salmanticæ exploſo ſuppoſito illo, de ſublato *lege Papia* indiſtinctè jure accreſcendi inter inſtitutos, quod convicimus *ſupra num.* 1. & in eadem fere quæſtione *d. l.* 9. convincitur ex *l. ſi quis hæres* 25. *l. qui patri* 59. *D. de acquir. hæredit.* cenſuimus pro explicanda *dict. l.* 9. differentiam, ibi propoſitam, ſic poſſe exaudiri, ut quamvis inter hæredes ab inteſtato ſit indiſtinctè locus juri accreſcendi, & tranſmiſſioni ad hæredem ejus, qui adiit, quia & indiſtinctè, & regulariter non eſt ab inteſtato locus caducis; non tamen perinde indiſtinctè idem ſit inter inſtitutos, quoniam fieri poteſt, ut deficiat portio cohæredis, cui quis ſubſtitutus, quia ille cœlebs, orbus, aut Latinus, nec intra diem cretionis legi paruit. Quo caſu, etiam poſt apertas tabulas, & aditionem unius, portionem illius, qui legi non paruit, fieri caducam, & proinde accreſcendi jus ceſſare, prænotavimus *ſupra num.* 2. & tunc cohæredi, eidemque ſubſtituto, ſi vivat, defertur portio cœlibis, & ſimilium ex ſubſtitutione, quæ omnino caducis præfertur. *l. unic. in princip. verſ. ſed & ipſis, Cod. de caduc. tollend.* non tamen ſi deceſſerit ante conditionem ſubſtitutionis, portio illius hæredem ſequitur, neque ex jure accreſcendi, excluſo, ut ponimus, per caducitatem, neque ex ſubſtitutione, ante cujus conditionem, ſubſtituto mortuo, portio, ei non delata, non tranſmittitur, ut definit Ulpianus *libro* 13. *ad leges noſtras*, & proprie his coaptandus *in l. toties* 81. *D. de acquir. hæred.* jam ſi, quibus fortaſſe noſtra hæc cogitatio non arriſerit, ſequantur per nos, licet, Bartoli, & aliorum ſenſum, & poſt eos Duareni *lib.* 2. *de Jur. accreſc. cap.* 6. Fabri 15. *Conject. cap.* 20. Merilii 5. *Obſerv. cap.* 4. Santolariæ *Juriſc. del. judic. cap.* 9. § 3. *num.* 17. & conſtantia parum ſibi in hac re Cujacii *ad l. un.* §. *ubi autem*, *Cod. de cad. toll.*

5 Secundum hæc facile elucidanda Ulpiani fragmenta, *tit.* 24. §. *ſi duobus* 12. *cum* § *ſeq.* & *tit.* 1. § *inter* 21. quibus docemur, inter legatarios, & hæredes, partem deficientem, quæ jure civili, ſive antiquo alteri accreſcebat, fieri caducam per *legem Papiam*, & conſequenter non accreſcere, excluſo, ut hactenus poſuimus *lege Papia*, in *caducorum* caſibus jure accreſcendi, atque hæc ita de parte non *capientis*, ut ſignate *in dict.* §. *ſi duobus* 24. in *fine* & *in* §. *ſeq.* 22. ſive *non adeuntis*, quia non potuit *lege Papia* impeditus, ut *in l. ſi ex pluribus* 9. *D. de ſuis*, & *leg.* quomodo illud, *non adeuntis*, exaudiendum, Ulpiano ſe ipſum interpretante, prænotavimus *Reliq.* 18 *num.* 18.

6 Illud paucis notatum (quod tamen differendi magis, quam aſſerendi animo ſubjungimus, & jam olim in Academicis noſtris ſcriptis. *ad l. re conjuncti* 89. *D. de legat.* 3. *cap.* 4. *num.* 14. & *ſeq.* plenius firmavimus) fuiſſe etiam ſtante *lege Papia* jus accreſcendi inter re tantum conjunctos in legatis vindicationis, id quod tentavit primus Cujacius *lib.* 24. *Obſerv. cap.* 34. & ex eo, & poſt noſtra ſcripta Bellonus *de Jure accr. cap.* 10. *quæſt.* 8. *num.* 40. quamvis aliter idem Cujacius *ad l. unic.* §. *his ita*, *Cod. de cad. toll.* aliter etiam Jacob. Gothofr. *ad leges noſtras in notis*, *pag.* 349. & in primis ducto argumento, ex contextu *dict.* §. *ſi duobus* 12. in quo excluſio juris accreſcendi per *legem Papiam* applicatur diſcrete, & veluti taxatim legatariis re, & verbis conjunctis, qui concurſu facturi partis erant, non autem disjunctis, ſive quod idem eſt, re tantum conjunctis, qui ab initio ad ſolidum vocati, de queis *in princip. dict.* §. *ſi duobus* 12. & apud Paulum 3. *Sentent. tit. de legatis* 6. §. *interdum* 3. Caium 2. *Inſtit. tit.* 5. §. *inter* 6. deinde ex juris ratione, quia cum re tantum conjunctus, ſive disjunctus, ſit vocatus ad ſolidum, ex aperta voluntate defuncti, debuit utique in parte deficiente, ſeu caduca præferri fiſco, ſicut præferebatur ſubſtitutus, *dict. l. unic. in princ. verſ. ſed & ipſis Cod. de cad. toll.* Adjecimus huic ſuſpicioni, ut vel in aſſertionem tranſiret, *l. ſeparatim* 30. *D. de condit.* & *dem. l. Mævio* 41. *D. de legat.* 2. quæ expenſionis & explanationis eſſet longioris, quam feſtinatio noſtra patitur. Aſt hæc in legatis ut theſim poſuimus, vindicationis: quippe è contrario in damnationis, non fuit locus juri accreſcendi, ſed caducis ex *lege Papia*, ut Ulpianus affirmat, *dict. tit.* 24. §. *ſi per damnationem* 13. de quo tamen, & primaris aliis quæſtionibus, ex vaſto illo, & tenebricoſo de jure accreſcendi tractatu, in promtu, & facili nobis eſſet, multa deſcribere ex Commentatione noſtr Salmanticenſi *ad l. re conjuncti* 89. *D. de legat.* 3. ſed annexa magis, quam propria *Juliæ, Papiæque legum*, quarum ad metam jam properamus.

Ergo ut ad alteram Reliquationis noſtræ partem, 7
de exerrantibus apud Juriſconſultos ad leges noſtras locis, tranſgrediamur, præmittimus, nihil novi eſſe, atque imo frequens, & fere neceſſe, ut in bis commentariis Juriſconſultorum ad leges noſtras, interciderint non pauca, & occurrant fragmenta, ab argumento earum legum extranea, ſolisque conjecturis indaganda, quo poſſint referri. Sunt autem ejuſmodi in primis pleraque de jure accreſcendi inter hæredes, & legatarios (quod tam varie interfuſum, mixtumque noſtris legibus vidimus) Eoque pertinent ex Caio *lib.* 12. *l. ſi Titio* 55. & ex eodem Caïo 14. *l. ſi cui* 58. & ex Terentio 5. *l. ſi mihi* 59. & Ulpiano 18. *l. ſi Titio* 61. *in princ. D. de legat.* 2. quæ ſunt de portione accreſcente portioni, & conferendæ cum ejuſdem argumenti locis ex Caïo *lib.* 14. *in l. qui ex duabus* 53. & Paulo *lib.* 4. & 5. *in l. cum ſolus* 68. *l. ſi ſolus* 80. *Digeſt. de acquirend. hæreditat.* eiſque exacte intelligendis, ſervient juventuti Academica dictata *ad l.* 1. & 2. *D. de acquir. hær.*

Secundo animadvertimus, occaſione accepta, aut 8
abrepta ex S. Conſultis, quibus introducta caduca in deficientibus, ante apertas tabulas relictis pure, aut in diem certam, quæ ante *legem Papiam* à die mortis cedebant, ut ex Ulpiano *tit.* 17. §. 1. & *tit.* 24. §. *legatorum* 31. *l. unic.* §. *cum igitur* 1. *Cod. de caduc. tollend.* & conſequenter non in relictis conditionalibus, quæ à die exiſtentis conditionis cedunt, ut exprimitur *in dict.* §. *legatorum* 31. neque in aliis relictis, cedentibus ab adita hæreditate, *dict. l. unic.* § *libertatibus* 6. *Cod de caduc. tollend.* multa intercurrere apud Juriſconſultos ad leges noſtras, propoſitis affinia, quale illud de apertura tabularum ex Paulo *lib.* 5. *in l ult. D. de jure codicill.* jungendum aliis, quæ ex eiſdem ad leges noſtras libris, & ejuſdem argumenti extant *in l ſi duobus*, *cum ſeq. D. quemadm. teſt. aper.*

Jam, ut de relictis conditionalibus, in queis non 9
fuiſſe locum caducis ex S. Conſultis, & apertura tabularum, niſi in caſu mortis naturalis legatarii, tradidimus *Reliquat.* 34. *num* 14. & 15. *ex l. intercidit* 59. *l. in teſtamento* 31. *in princip. D. de condit.* & *demonſtr.* & è converſo defectum conditionis vivo teſtatore in legatis, fuiſſe caſum quaſi caduci, ſive in cauſa caduci. *l. unic.* § & *cum triplici*, vel ipſum relictum. & §. *pro ſecundo*, *Cod. de cad. tollend.* Nunc obſervamus referri ad hanc partem, oportere, diſſertationes de conditionibus, quæ in libris Conſultorum ad leges noſtras occurrunt, & præ cæteris, primariam illam de conditionum differentiis, ſeu diviſione, quæ vel perſonis, vel rei apponuntur apud Paulum *lib.* 7. *ad leges noſtras*, *in l. in facto* 60. *D. de condit.* & *demonſtr.* ſicut eadem occaſione, & ratione de eiſdem conditionibus diſſeritur *in l. unic.* §. *ſin autem* 7. *cum ſeq. Cod de cad. toll.* Sic & de conditione, & modo, ac tempore, in legato à debitore creditori relicto, diſſeruit Paulus 6. *ad leges noſtras*, *in l. ſin autem* 29. *D. de legat.* 1. ubi inutile id eſſe, ſcribit, ſi nihil plus afferat creditori, cum è contrario utile, & uberrimum in ſpecie, illi conſerenda, de legato itidem conditionali apud Terentium Clementem *lib.* 13. *ad leges noſtras*, *in l. ſi cui fundus* 54. *D. de legat.* 2. Ejuſdem generis eſt, & ſimiliter coaptanda, diſputatio de tranſlatione legati ſub conditione *ex lib.* 5. Pauli *ad leges noſtras*, *in l. tranſla-*

rio 6. *D. de adimend. leg.* in qua theſim illam de legato pure uni, & tranſlato in alium ſub conditione, ſi ei jungatur, quod ſequitur *in l. & ideo* 8. *eodem tit.* ſcilicet, ſi legatarius, in quem tranſlatum, deceſſerit, vivo teſtatore, non pertinere legatum ad eum, cui pure relictum erat, quod refert ad caduca, & ideo non pertinere, quia tanquam in cauſa caduci fiſco vindicatur, ſcripſit Cujacius *lib.* 32. *Digeſtorum* Juliani *in dict. l.* 8. At ſcite, & certe magis idem Cujacius *libr.* 38. Juliani *ad l. ſi legatum* 10. *de adimend. legat.* in perſimili ſpecie ademti, vel tranſlati ſub conditione legati, & morientis legatarii primi ante diem, legati cedentem, agnoſcit cum *Juliano* illic, pertinere legatum ad eum, in quem tranſlatum, & quidem nulla agnita caducitate ex defectu conditionis, quia in caſum mortis legatarii vocatus eſt alter, quaſi ſub contraria conditione, juxta *l. quod pure*, 6. *D. quando dies leg. ced. l. quibus* 40. *§. quidam Titio. l. aliquando* 107. *D. de condit & dem. l. ſi poſt mortem* 68. *§. ſi pure*, *D. de legat.* 1. Quæ aperta vocatio excludit caduca. *l. un. in princ. verſ. ſed & ipſis Cod. de cad. toll. l. quia* 6. *D. hæred. inſt.*

10 Eidem generi legatorum conditionalium accenſeri ſolet, legatum optionis ex communi ſenſu, & intellectu, *§. optionis* 23. *inſtit. de legat.* quem ſecutus Cujacius *ad l. ult. C. comm. de legat.* & pro quo anxie Bened Pinel. 2. *Select. cap.* 16. *ex num* 5. Quanquam, conditionem in legato optionis fuiſſe tacitam, ut Theophilus monuit, ſive quæ jure inſit, & per eam non fuiſſe proprie conditionale legatum optionis, cenſuerit Merilius 2. *Obſerv. cap.* 8. & nos pridem Salmanticæ problematice, ſive in utramque partem propugnavimus, & affirmari potius poſſit, legatum optionis non cedere, niſi ab adita hæreditate, *l. optione* 16. *D. de optione leg.* quomodo poſt Giffanium *ad l. un. §. & cum triplici*, *prope fin. C. de cad. toll.* noſter olim in Cathedrarum petitionibus nobilis agoniſta, & in Regio Caſtellano Senatu Collega, & glorioſæ illius æmulationis, ac poſtea amicitiæ, & conſeſſus memoria ſuſpiciendus, *D.* Martinus Larreatigni *lib.* 5. *Selectar. cap.* 7. *n.* 5. At utrocumque ex propoſitis ſenſu apparet ſatis, quo referantur Terentii fragmenta *ex lib.* 15. *ad leges noſtras in d. l. optione* 16. *& ex lib.* 17. *in l. cum optio* 17. *D. de opt. leg.* nempe ad ſuppoſitum illud de caducis ab apertura tabularum, non obtinentibus in legatis conditionalibus, quale optionis fuiſſe, creditur, & in cedentibus ab adita hæreditate, quale eſſe id ipſum optionis cenſetur. Pertinent autem ad idem ſuppoſitum *l. optio* 13. *l. ſi Ero* 11. & vel maxime *l. ſi tibi* 8. *§. unius*, *D. de opt. leg.*

11 Coaptari eiſdem traditis poteſt, de legatis conditionalibus, aut ſub conditione tranſlatis, diſputatio *de legato penoris, aut fundi*, tranſlato ſub conditione in decem, apud Paulum *in l. ſi penum* 24. *D. quando dies leg. ced.* quæ eſt *ex lib.* 6. *ad leges noſtras*, & in qua, quod ſupponitur *in verſ. etſi interea*, mortuo legatario, deberi ejus hæredi fundum, & proinde locum caducitati non fuiſſe, explanatur levi opera, id ita eſſe, quia præfertur fiſco aperta voluntas defuncti, vocantis eo caſu, ad fundum, ut nuper diximus, pro explanandis *l.* 8. *&* 10. *D. de adim. leg.* & quia poſt aditionem hæredis, quæ ſupponitur *in d. l. ſi penum* 24. ceſſant caduca, ut prænotavimus *ſupr.* n. 2. juncta, & ſimiliter explicanda *l. ſi tibi* 8. *§. unius*, *D. de opt. leg.*

12 Redigi ad eaſdem lineas poteſt, ex Caïo, *& lib.* 13. *ad leges noſtras*, quod extat *in l. ſub conditione* 73. *D. de hær. inſt.* de repetitione conditionis ab inſtituto in ſubſtitutum; cui diſquiſitioni anſam forſitan dedit regula illa, de fiſco ſuccedente in caducis cum conditionibus, appoſitis illi, cui ſuccedit, ut ex Paulo 7. *ad leges noſtras in l. in facto* 60. *§. ult. D. de condit. & dem.* ſcripſimus ſupra *num.* 2. Porro illa definitio *dict. l. ſub conditione* 73. alta, & aliena eſt, & ſpatioſos habet receſſus, quos intrare volenti, ſuppetunt textus *in l. quæ conditio* 39. *l. avia* 77. *l. legatum* 95. *l. libertis* 108. *D. de cond. & dem. l. cum ſervus* 18. *D. de cond. inſt. l. legatum* 24. *D. de adim. leg. l. Latinus* 83. *D. de leg.* 2. *l. ult. D. de fideicom. lib. l. ult. §. ult. D. de doli except. l. ab omnibus* 104. *§. pen. D. de legat.* 1. *l. ſi ſervo* 31. *D. de ſtatulib. l. Julius* 80. *D. de cond. & dem.* cum aliis, facile colligendis.

Sane præ aliis & re proprius, & interpretis egens 13
eſt locus ex Caïo *libro* 13. *ad leges noſtras*, *in dict. l. ſi ſervo* 31. *D. de ſtatulib.* cujus ſpecies eſt de libertate relicta ita: *Stichus ſi rationes reddiderit, cum contubernali ſua, liber eſto.* In qua ſpecie, mortuo ante conditionem Sticho, docet *ex Juliano* Caius, quæſtionem eſſe ſimilem illi, quæ occurrit in legatis, relictis illi, & illi, vel illi cum illo, in queis deficiente uno alter admittitur, ut poſt Paulum *ad leges noſtras*, *in l. triplici* 142. *in princ. D. de verb. ſign.* exprimitur *in l. ſi quis* 121. *D. de leg.* 1. *l. ſi quis actio* 7. *D. de uſufr. accr. l. Titiæ* 36. *§. nihil de legat.* 2. *l. Lucius* 88. *§. quiſquis* 5. *in fine D. de legat.* 2. *l. ſi ita* 13. *§. ult. D. de manum. teſt.* At ſubjungitur *in dict. l.* 31. ſi quæratur, an contubernali quoque conditio rationum injuncta ſit, ſive, quod idem eſt, an repetita conditio in illa videatur, placuiſſe magis Juliano, cui Caïus, ut ſolet, ſubſcribit, repetitam videri, & tandem concludit, niſi conditioni pareat, libertatem non competituram; quæ concluſio diſcrepat à comparatione illa, initio indicata de legatis illi & illi, vel cum illo, & opponitur Scævolæ, reſponſo *in l. ult. §. Seïo* 2. *D. de legat.* 2. ſed reſpondiſſe ſatis ſit, *in dict. §. Seïo*, conditionem ſoli Seïo adſcriptam, & aliter atque *in l. mulieri* 74. *D. de cond. & dem.* aliud *in dict. l.* 31. ubi verba illa; *cum contubernali*, jungunt etiam iſtam veluti acceſſorie quoad conditionem, quomodo poſt Bartolum, & alios operoſe Bellonus *de Jure accr. cap.* 7. *quæſt.* 61. *num.* 46. *& ſeq.*

Sed implicatior nodus eſt, & quem ſcindas ma- 14
gis, quam ſolvas, *in l. Julius* 80. *de cond. & dem.* ubi Paulus in eadem quæſtione, *dict. l.* 31. & propoſita primo eadem *ex Juliano* ſententia eiſdem fere verbis, concludit tamen *in verſ ſed non ineleganter*, conditionem manumiſſioni Stichi adjectam, non pertinere ad contubernalem, & hanc pure manumiſſam cenſeri: neque inter hæc, tam ex diametro pugnantia, effugium aliud conciliationis, niſi Caïum *in dict. l.* 31. ad ſtrictum jus, & Paulum *in dict. l.* 80. *in fine*, ad æquitatem reſpexiſſe, ut poſt Accurſium, Albericus *in dict. l.* 31. & ex aliis Bellonus *dict quæſt.* 61. *num.* 53. ſive ut Cujacius 2. *quæſt. Pauli*, *in dict. l.* 80. hunc animi, & ingenii gratia tentaſſe, quod ſcribit *in d. §. ſed non ineleganter.* Nobis, ſi aliquid tentandum, placeret magis, differre in eo Paulum à Caïo, quod *in d. l.* 80. poſt conditionem libertatis Stichi cum contubernali (& quidem directo relictæ, quæ comparatur legato per vindicationem. *l. Stichus* 39. *verſ. aut quid*, *D. de manum. teſt.*) ſequitur formula legati, eis relicti, ſine copulativa, *cum*, & per damnationem, in qua theſi ſubtiliter Paulus ſentit, conditionem, Sticho appoſitam, non videri injunctam contubernali, & copulam illam, *cum*, (cum in legato repetita non ſit) magis ad neceſſitudinem inter contubernales demonſtrandam pertinuiſſe, quam ad conditionem, utrique jungendam, ut *in l. ultim. §. Seïo* 3. *D. de legat.* 2. E contra *in dict. l.* 31. nulla proponitur legati formula, poſt libertatem, & quæ mox in differendo exprimitur, eſt legati vindicationis, nempe *illi cum illo do*; & proinde ceſſantibus conjecturis, quæ *in dict. l.* 80. conditionem etiam contubernali injunctam eſſe, *ut in l. in teſtamento* 31. *Dig. de condit. & demonſtrat.* cui tamen, ultra tradita *Reliq.* 35. *n.* 14. ſimulque adhuc elucidandis *dict. l.* 80. *& dict. l.* 31.

Addimus nunc, & animadvertimus, legatum, 15
Sticho, & Pamphilæ relictum, ſub conditione, utrique injuncta, fuiſſe damnationis, ſicut *in dict. l.* 80. in quo accreſcendi locus non fuit, ſed caducis *ex lege Papia*, ut ex Ulpiano *titul.* 24. *§. ſi per damnationem* 13. monuimus ſupra *num.* 6. & ideo *in dict. l.* 31. partem Stichi defectam, ſeu caducam ſupponi,

Digitized by Google

ni, & Pamphilam defectam conditione, *ut Reliquat.* 35. *num.* 14. & è contra Paulum *in dict. l.* 80. de legato, quod ſine conditione datum ponit, nihil reſpondere, quia vel caducum morte Stichi, ſi ante apertas tabulas mortuus, vel tanquam in legato damnationis ſolam partem ad contubernalem pertinere, ſupponit; quod diverſum *in dict. l.* 31. ubi quod exemplum profertur *in verſ. Julianus*, eſt legati vindicationis, & in quo agnoſcit Julianus, juri accreſcendi locum futurum, niſi ut tandem decidit, conditio pro appoſita utrique, & pro defecta eſſet.

16 Denique & eſt ex deviantibus à *Julia*, *& Papia* locis, Pauli *libro* 5. ille *in l. ultim. D. pro hærede*, dum ſcribit, *eum, qui teſtamenti factionem habet, pro hærede uſucapere poſſe.* Quam aſſertionem, inſcriptione ducente, & ratione juris non invita, referimus ad cœlibem, vel orbum, qui quamvis ex teſtamento extranei, niſi legibus paruerint, non capiant, habent tamen teſtamenti factionem paſſivam, utpote cives Romani, neque abſolute incapaces ſunt, ut prædocuimus *Reliquat.* 32. *num.* 14. & ideo ſi in facto errantes ſe hæredes eſſe, credant, juxta terminos *l. non ſolum* 33. §. 1. *verſ. hoc amplius, D. de uſucap. l. ult.* §. 1. *D. pro ſuo*, veluti ſi eum, à quo hæres inſtitutus, cognatum ſuum probabiliter exiſtimet, aut ſibi à Principe jus liberorum, alio impetrante, conceſſum credat, & ideo utcumque cœlibem, aut orbum poſſe hæredem eſſe, ut apud Ulpianum *tit.* 16. poterit pro hærede poſſidere, & uſucapere, *l. cum autem* 23. §. *ultim. Dig. de Ædil. ed.* de quo in *Reliquat.* 32. *n.* 21. quamvis aliud, ſi teſtamenti factionem omnino non haberet, *l. nemo* 7. *D. pro legato.* aut in jure erraret *l. nunquam* 31. *D. de uſucap. l.* 2. §. *ſi à pupillo* 15. *D. pro emtore.*

Deviat etiam, aut peregrinatur in *libris ad leges noſtras*, ex Caio 12. fragmentum *in l. eum, qui* 20. *Dig. de manumiſ.* quo proditum eſt, eum ſervum, quem vendiderit, poſſe venditorem, ſicut promiſſorem, eum, quem promiſerit, manumittere, ſcilicet, *ante traditionem*, ut exprimunt Baſilica *lib.* 48. *tit.* 1. *in dict. l. eum, qui*; & deducitur ex *l.* 3. *&* 5. *Cod. de his, qui à non domin.* Jam ſi quæras, quo referri in legibus noſtris poſſit id fragmentum, opinor, referendum ad tractatum de jure patronatus, quoad libertorum operas ex *lege Julia*, de quo *in l.* 6. §. *ult. D. de jure patron. l. qui libertinus* 37. *D. de oper. lib.* vel quoad ſucceſſionem ex *lege Papia*, ut *in* §. *poſtea, Inſtit. de ſucceſſ. lib.* ubi quæritur ſæpe, qui, & quatenus patroni, ubi ſimiles quæſtiones occurrunt *l.* 3. §. *ſed ſi* 3. *D. de bon. lib. l. ſi quis* 13. *l. Cordonem* 42. *l. Campanas* 47. *D. de oper. lib. l. ſed ſi hac* 10. *D. de in jus vocand. l. Titius* 43. *D. de act. emti.* 17

AD CAPUT XLIII. EX LEGE JULIA.

Caducaria, ſive de bonis vacantibus.

RELIQUATIO XXXIX.

Ad Julianum *in l. quidam* 96. §. *quoties* 1. *D. de legatis* 1. Ulpianum *tit.* 28. §. *inteſtati* 7. *in fine.*

ARGUMENTUM.

D*E vacantium bonorum jure, & delatione eorum Ærario, aut Fiſco, repetita antea notata, additis nunc, ex* Juliano l. 22. §. 1. D. de captiv. *& ſingulari ex* Labeone, quoad Fiſcum, loco, *in l.* 2. §. 2. *D. de jure Fiſci. Aliorum de vacantibus bonis locorum collectanea. Relatum ad ea bona, aut ereptitia fragmentum, ex* Caio in l. 29. D. de reb. auctorit. jud. poſſid. *& de ſtatuis in honorem privatorum, quædam non protrita.*

1 CAput hoc fuiſſe in primis ex *lege Julia*, quæ & *caducaria* dicitur, conſtat *ex l. quidam* 96. §. 1. *D. de legat.* 1. Ulpiano *dict. tit.* 28. §. *inteſtato* 7. & tamen, quia fortaſſe ex *Julia in Papia* repetitum, ut ſæpe factum diximus *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 6. adſeribitur plurali numero *legibus in l. ult. Cod. de bonis vac.* eſſe autem & ſpecialiter vocari vacantia bona, quæ poſt domini mortem domino vacua jacent, quia vel nullus ſucceſſor extat, vel ſi qui eſſe poſſent, repudiant, ut *in l.* 1. *D. de ſucceſ. ed. l.* 2. §. *ult. D. ad S. C. Tertyll.* atque ea primum ærario populi, & poſtea fiſco delata fuiſſe, prænotavimus *Reliquat.* 34. *n.* 1. *&* 2. Addimus ignotiorem vulgo locum, ex Juliano (qui auctor *dict. l. quidam* 96. §. 1.) & illi jungendum *in l. bona* 22. §. 1. *verſ. quod ſi nemo D. de captivis.*

2 Atqui vacantia bona fiſco deferri, & vindicari, expreſſum eſt vel ex Labeone, (quem tamen de ærario populi potius, quam de Cæſaris fiſco locutum, credimus) *in l.* 1. §. *an bona* 1. *D. de jure fiſci*, & expreſſum ſimiliter, & ſuppoſitum, *in dict. l.* 1. §. *Divus l. eum, qui* 41. *D. de jure fiſci. l. filiusfamilias* 114. §. *qui inteſtato* 2. *D. de legat.* 1. *l. recuſare* 6. §. *ſi fiſco* 3. *D. ad S. C. Trebell. l.* 4. §. *eadem* 17. *&* §. *ſi bona* 20. *D. de fideic. lib. l. quod Divo* 50. *D. de manum. teſt. l. quamvis* 18. *D. de uſuc. l.* 6 §. *certe* 7. *D. ſi quis omiſ. cauſ. teſt. l. habere* 57. *D. de evict. l. eum, qui* 41. *D. de jure fiſci. l.* non *eſt* 12. *D. de bon. poſ. l.* 1. *&* 2. *D. de ſucceſ. ed. l.* 2. §. *ult. D. ad S. C. Tertyll. l. ſi hæredum* 10. *Cod. de inoff. teſt. l.* 1. *Cod. de donat. inter. l.* 1. *& toto tit. Cod. de bonis vac. l. pen. Cod. de præpoſ. ſacr. cubic. l.* 2. *Cod. de petit. bon. ſubl. l. un.* §. *cum autem* 13. *Cod. de cad. toll.* Quibus enucleandis (uno, aut altero, qui difficiliores, exceptis) morari, non difficile, ſed longum eſſet.

Id unum non prætereundum, quod niſi huc referatur, vix eſt, ut alio referri poſſit, quod ex Paulo *lib.* 5. *ad leges Juliam, & Papiam*, extat *in l. Fulcinius* 29. *D. de reb. auctorit. judic. poſſid.* nempe ſtatuas, in publico poſitas, in honorem ejus debitoris, cujus bona vendantur, ex illius tituli edicto, non pertinere ad emtorem bonorum, ſed aut publicas eſſe, ſi ornandi municipii gratia poſitæ, aut illius, in cujus honorem poſitæ, nec detrahi, aut diſtrahi poſſe. Quæ ſententia, ſi coagmenta legibus noſtris eſt, divinare etiam neceſſe eſt, ſcriptam, ſumtamve ex tractatu de bonis vacantibus, aut ereptitiis, in queis cum juris certi eſſet, ut incorporarentur patrimonio privato Principis, in primis ea deſcribi, & quidem ſigillatim, & exacte, ut *in l.* 4. *Cod. de bon. vacant.* comprehenſo etiam *ædificiorum ornata*, ut exprimitur *in l. ſi qui* 7. *C. de bon. poſſ.* Dubitatum fortaſſe fuit, aut diſquiſitum, an comprehenderentur ſtatuæ defuncto poſitæ, & proinde an detrahendæ eſſent, aut cum bonis vacantibus, aut ereptitiis fiſco addicendæ, tanquam ornamenta, quæ villis, hortis, & ædificiis ſerviebant *l. quæſitum* 12. §. *imagines* 30. *D. de inſtructo, & inſtr. leg. l. ſtatuæ* 41. *D. de uſufruct.* inſano illo ſtatuarum amore, & ſtudio, quo Romani mores flagrabant, ſive, ut Plinius ſcribebat *libro* 34. *Hiſtor. cap.* 4. *Humaniſſima ambitione, toto terrarum orbe, cum jam omnium municipiorum foris, ſtatuæ ornamentum eſſe cœpiſſent*; & deciſum eſt, non comprehendi, nec detrahi oportere, quia vel ſunt publicæ, ornandi municipii gratia, poſitæ, de queis in *l. ultim. Dig. de loco publ.* 3

public. l. quintus 7. §. ad auctoritatem, de ann. leg. vel in honorem illius, cujus bona vacant, in queis nihil cauſæ eſt, cur detrahantur, *l. ſi ſtatua 34. l. injuriarum 13. §. ſi quis 4. D. de injur. l. Titio 14. D. de condit. & demonſtr. l. 2. D. de ſepulc. viol. l. is, qui 11. §. ſi quis 2. Dig. quod vi, aut clam. l. ultim. Cod. de ſtatuis, & imagin.* ac neque ſi, ut indigno, bona eripiantur *l. relegatus 14. Digeſt. de interd. & releg.* niſi damnatus ſit Majeſtatis *l. eorum 24. Digeſtor. de pœnis l. omnes 17. verſ. omnes ſtatuæ, Cod. Theod. de pœnis.*

AD CAPUT XLIII. EX LEGE PAPIA POPPOEA, SIVE EX LEGIBUS JULIA, ET PAPIA.

De exceptis, ſeu de tacitis fideicommiſſis.

RELIQUATIO XL.

Ad Ulpianum *tit. 19. §. lege 17. & tit. 25. §. ſi quis in fraudem 17. l. in fraudem 10. D. de his, quæ ut indign. l. ſi totum 83. D. de acquir. hæred.*

ARGUMENTUM.

DE legibus *ereptitiorum* Julia, & Papia, *& earum ſententia ſummatim. Collecti ex libris ad* leges noſtras, *& extra eos in juris libris, loci, ad tacita fideicommiſſa pertinentes. Repetita obſervatio noſtra de differentia inter indignos ob tacitam fidem, & alios indignos. Tranſitus ad indignos, quia defunctum occiderant, pro exponendo* ex lib. 14. ad leges noſtras, 9. D. de his, quib. ut indign. *Adjuncta interpretatio ejuſdem* Ulpiani lib. 8. in l. 15. D. de lege Cornel. de Sicar. *& annexa eidem, & aptata caducis, aut ereptitiis, ne alioquin exulare videatur, definitio ex* Caio lib. 10. in l. 152. Dig. de verbor. ſignific.

1 CAput hoc locuplete dote adornare, non magni eſſet nobis negotii, ex Commentatione noſtra Academica *ad leg. ſi totam 83. D. de acquirend. hæredit.* At urgent prœla, & publicæ curæ. Id *legi Papiæ* adſcribit Ulpianus *tit. 19. §. lege 17.* quamvis fuiſſe etiam ex *lege Julia*, & ab illa in *Papiam* tranſlatum, & ideo *legibus* tribui, credi poſſit *l. in fraudem 10.* cum aliis, *D. de his, quæ ut indign. l. lata 26. de appellat in Cod. Theodoſ.* Sententia fuit, ei, qui in fraudem *legum Juliæ, & Papiæ* tacitam fidem accommodaſſet, de reſtituendo his, quibus per eaſdem leges capere relictum, non licet, id velut indigno eripi, ærario, aut fiſco vindicari. Ita ex Ulpiano *dict. tit. 19 §. 17. & tit. 25. §. 1.* diſcitur, & ex Caïo 15. *ad leges noſtras l. in fraudem 10. D. de his, quæ ut indign.* Ulpiano 18. *in l. ſi totam 83. D. de acquirend. hæredit. & in l. ait 16. D. de jure fiſci.* Paulo *libr. 7. in l. edicto 13. D. eodem titulo, & extra libros ad leges Juliam, & Papiam, l. eum, qui 18. in princip. & §. 1. l. hæres 11. l. ſi quilibet 23. l. ult. D. de his, quæ ut indign. l. 1. & l. 3. in princ. cum §§. ſeq. l. ita 40. l. Arrianus 42. cum l. ſeq. l. Statius 48. cum l. ſeq. D. de jure fiſc. l. in tacitis 103. l. Lucius 123. §. 1. D. de leg. 1. l. ex facto 43. §. Julius, D. de vulg. l. ſi tacitum 13. l. beneficio 59. D. ad leg. Falc. l. cum quidam 17. §. in tacitis, D. de uſur. l. ſi poſtulante 67. §. ult. D. ad S. C. Trebell. l. prædonis 46. D. de hær. pet. l. eum, qui 21. D. de inoff. l. imper. 13. §. ult. D. de fideic. lib. l. 3. l. qui teſtamentum 17. D. de probat. l. cum quis 37. §. Titia, D. de leg. 3. l. 1. C. de delator. l. 3. C. ad leg. Falc. l. un. C. de his, qui ſe defer. l. nulla 27. verſ. nec tacito, C. Theod. de Epiſc. & Cler. cum l. pleriſque 20. de petit. bon. in eodem C. princ. Inſt. de fideic. hær.* Addeſis elegantem *Declamationem* Quintiliani 325.

2 Tot inter, quibus immorari, non vacat, id ſaltem memoramus, quod Salmanticæ *in relectione ad d. l. ſi totum 83. D. de acquir. hær.* primi aſſeruimus, diſtingui oportere hunc ordinem indignorum, qui fidem tacitam ſuſceperunt, reſtituendi incapaci, in fraudem legum, qui ſunt ſola juris cenſura indigni, non autem ex voluntate teſtatoris, cui potius fidem, obſequiumque, vel contra legum præcepta exhibuere, *l. 3. D de probat. l. ſi tacitum 13. D. ad leg. Falc. in princ. Inſt de fideic. hær.* Ideoque eis negantur emolumenta, quæ ex juris cenſura competerent, ut jus accreſcendi, *l. ſi totam 83. D. de acq. hær.* & retentio *Quartæ Falcidiæ* ex tacito fideicommiſſo *l. beneficio 59. §. 1. D ad leg. Falc. l. pen. D. de jure fiſc. l. ſi quilibet 23. D. de his, quæ ut indign.* non autem ex aliis legatis, *l. 4. C. ad leg. Falc.* neque in alia hæreditatis parte, præter eam, in qua fraudatores fuere *l. hæres 11. D. de his, quæ ut ind.* Et è contrario non negantur eis, quæ pendent ex voluntate defuncti, cujus reſpectu indigni non ſunt, ut jus ſubſtitutionis *l. ex facto 43. §. ult. D. de vulg.* & jus prælegati *l. eum, qui 18. §. ult. D. de his, quæ ut ind.* In queis tamen ſingulis diſtinguntur, & diverſo jure cenſentur alii ordines indignorum, qui tales ſunt tam juris cenſura, quam defuncti reſpectu, de quo etiam male meriti, ideoque eis negantur, tam quæ jure alioquin competerent, quam quæ ea defuncti voluntate, ut prædocuimus *Rel. 18. n. 12.* ubi & ſpei noſtræ, ac voti fuit, ea omnia hoc loci plene complecti. Nunc cum non liceat, petat, qui volet, è Relectione illa Academica *l. ſi totam 83. ex num. 21. ad 40.* quæ non paucorum manibus teritur.

Proximum eſt, tametſi non proprium, tractatus de tacitis fideicommiſſis, ſed ad indignorum ordines pertinens, quod ex Ulpiano *lib. 14. ad ll. noſtras,* extat *in l. ſi inimicitiæ 9. D. de his, quæ ut ind.* de legatario poſt teſtamentum inimico defuncti, aut accuſatore ſtatus illius, ideoque indigno, ut capiat, ſed magis, ut fiſco vindicetur, tanquam caducum in ſpecie *§. ult. d. l. 9.* quomodo de re ſcripſimus *lib. 2. Comment. cap. 16. n. 16.* Nunc ut affine annectimus, Ulpiani ejuſdem fragmentum *ex lib. 8. in l. nihil 15. D. ad leg. Corn. de Sicar.* quo traditur, nihil intereſſe, *occidat quis, an mortis cauſam præbuerit*; nimirum, ut perinde, utroque caſu, tanquam caducum fiſco vindicetur, ut *in d. l ſi inimicitia 9. §. ult. l. 3. D. de his, quæ ut ind. l. cum ratio 7. §. præterea, in fin. D. de bon. damnat. l. his conſequenter 18. §. 1. famil. erc.* vel tanquam indigno eripiatur, argumento *ex l. 1. l. cum tabulis 16. D. de his, quæ ut indign.* 3

Extremum eſt, & concinnandum his, aut coaptandum, ſegmentum illud ex Caïo *lib. 10. in l. hominis 152. D. de V. S. hominis appellatione tam fœminam, quam maſculum contineri, non dubitatur*: quod fugitivarium omnino ab argumento *legum Juliæ, & Papiæ*, niſi ut curioſos annotaſſe Cujacius illic, ſcribit, referatur ad verba illa *legis Corneliæ de Sicariis, qui hominem occiderit*, & jungatur (quod nondum fortaſſe notatum) *d. l. nihil 15. de leg. Corn. de Sicar.* de queis nuper; ut proinde aſſertio ſit, hominis appellatione etiam fœminam contineri, ut peræque occiſori fœminæ teſtatricis, eripiatur tanquam indigno, aut ab eo in fiſcum cadat, quod ei relictum, 4

d.

Digitized by Google

d. l. cum ratio 7. §. *præterea*, *D. de bon. damnat.* quanquam & in commune notari poſſit, in caducis, & ereptitiis, maſculinam appellationem fœminas complecti *l. ait* 16. *l. edicto* 13. §. 1. *D. de jur. fiſc.* *l. ſi Auguſtæ* 57. *D. de leg.* 2. Quocirca otioſa opera Jac. Gothoft. in effingendo capite *legum de caducis*, *p.* 301. addentis vocem *homini*, ut ei aptet Caſum *in d. l.* 152.

AD CAPUT XLIV. EX LEGE PAPIA,

De Delatoribus.

RELIQUATIO XLI.

Ad l. edicto 13. *cum l.* 13. & 16. *D. de jure fiſci*, *quæ ſunt ex libris Juriſconſultorum ad leges* Juliam, & Papiam, *cum l. un. C. de his*, *qui ſe defer.*

1 DElatores, qui bona caduca, aut ereptitia, aut vacantia ærario, vel fiſco nunciarent, deferrent, inductos præmiis fuiſſe *lege Papia*, nota adeo res, ut teſtibus non egeat (ſicut nec Reliquatio hæc Argumento) Tacitus 13. *Annal.* Suetonius *in Nerone c.* 10. Pertinent ad hos delatores, ex *libro Pauli* 7. *ad ll. noſtras*. *l. edicto* 13. (cujus in §. 1. verba illa: *Jam id ad fiſcum pertinere*, exponit dextre, de caducis cœlibum Cujacius illic) & ex Mauritiano *lib.* 3. *l. Senatus* 15. & ex Ulpiano 18. *l. ait* 16. *D. de jure fiſci*; & extra eos libros, *l.* 1. & *l.* 2. *in princ.* & §. *Senatus*, *cum ſeq. l.* 4. *l. deferre* 18. *l. res*, *quæ* 22. *cum l.* 23. 24. & 25. *l. fiſcus* 38. *l. eum*, *qui* 41. cum *l.* 42. *D. de jure fiſci*. *l.* 5. §. *advocatum*, *D. de his*, *quæ ut ind. l.* 1. *C. de delator. l. un. C. de his*, *qui ſe defer.* quæ eſt de præmio, ſe ipſum, tanquam taciti fidcicommiſſi incapacem, deferentis, ex *Edicto* Trajani, de quo in *d. l.* 13. *D. de jure fiſci.* Delatores ex aliis cauſis, ad *leges noſtras* non pertinentibus, argumenti noſtri non ſunt. At noſtrum eſt, exantlati laboris gratias agere Deo Optimo Maximo, & apprecari, ut quando huc uſque litteris, libriſque viximus, dein quod reliquum vitæ dederit, illi ſoli vivamus.

F I N I S.

INDEX RERUM, ET VERBORUM.

Littera, *l. librum*, *c. caput*, *r. reliquationem*, *numerus numerum marginalem demonſtrat.*

A.

ABdicatio filiorum, quando permiſſa. lib. 3. cap. 47. num. 4.
Actio de peculio annalis eſt. l. 1. c. 18. n. 5. De in rem verſo quando in patrem detur, ibi. Interrogatoria illi tantum competit, qui in jure interrogavit. l. 1. c. 24. n. 8. In factum comparata eſt ad exemplum directæ. l. 2. c. 9. n. 6.
Actuarii Curulium Equorum, qui? l. 2. c. 29. n. 3.
Adoptio dignitatem aufert, non minuit. l. 2. c. 2. n. 7.
Adoptivi liberi quando quoad leges Jul. & Pap. habeantur pro naturalibus. l. 2. c. 2. n. 4. & l. 4. r. 8. n. 1.
Adrogatio filiorum naturalium, & libertinorum quando permiſſa? l. 2. c. 23. n. 13.
Adulterium fœdius eſt in fœmina, quam in viro, ideo maritus de eo accuſari non poterat, nec mulier ideo a viro invito diſcedere. l. 3. c. 14. n. 7.
Ælia Sentia lex quando, & ſub quibus Conſ. lata. l. 3. c. 2. n. 7.
Ærarium Cæſaris, & Fiſci olim diverſum, poſtea idem. l. 4. r. 35. n. 1.
Alienatio prohibita teſtamento, impedit dominii tranſlationem. l. 1. c. 10. n. 3.
Alimentorum cognitio ſummaria eſt. l. 2. c. 27. n. 6. Ideo ſententia in eorum cauſa lata non obeſt cauſæ principali, ibi, n. 7. Inducit tamen præſumtionem filiationis, ibi, n. 11.
Alumna non eſt filia, etſi loco filiæ habeatur, ideo juſte ducitur ab educatore. l. 3. c. 3. n. 13.
D. D. Anton. Pichard. laudatur. l. 3. c. 16. n. 3.
Annuli, ut ornamentum fœminarum in mundo muliebri continentur: l. 2. c. 23. n. 5.
Annulorum jus proprium Equitum, & ingenuorum à libertis impetrari cœpit. l. 3. c. 1. n. 11.
Annus ſexageſimus, quietus. l. 1. c. 10. n. 4. Ideo poſt eum Senatoribus vacatio à Curia dabatur, ibi, n. 4.
Appellatio à Principe non admittitur. l. 3. c. 8. n. 6. Nec a pœna legali, aut cum proceditur per viam correctionis, aut viſitationis, ibi, n. 6.

Aquarioli apud veteres, qui? l. 3. c. 14. n. 24.
Arenariorum nomine veniunt gladiatores, & beſtiarii. l. 2. c. 41. n. 2.
Arrhæ ultra decimam partem bonorum mariti promitti nequeunt. l. 1. c. 12. n. 6. Quomodo fructuum fiat compenſatio in poſſeſſore majoratus, eas promittente, ibi, n. 6. Datæ inter illicitos conjuges ſcientes, prudenteſque ad fiſcum pertinent. l. 2. c. 20. n. 6.
Articuli, *eſt*, *erit*, quod tempus demonſtrent. l. 2. c. 7. n. fin.
Auguſti in ſexto Conſulatu cura legum. Adoptatus à Julio Cæſare, & inde Julius dictus. l. 1. c. 1. num. 4.
Auctor fuit legum Juliæ, & Papiæ, ibi, n. 3.
Autem non ſemper adverſative ponitur. l. 2. c. 6. n. 11.

B.

BAllationes, ſeu *Ballimachiæ* quando in Hiſpania in uſu fuiſſent. l. 2. c. 44. n. 12.
Baſterna vehiculi genus clauſum. l. 3. c. 32. n. 12.
Batavicæ pacis, caput 18. circa ſepulturam, explicatum. l. 1. c. 21. n. 4.
Beſtiariorum lacrymoſa ſpectacula manebant ſub Juſtiniano. l. 2. c. 41. n. 4.
Bigamia interpretativa, quæ? l. 3. c. 30. n. 2.
Bona vacantia ſunt, quæ poſt mortem domini vacua jacent, quia nullus ſucceſſor extat. l. 4. r. 35. n. 1. In ea ſuccedit fiſcus ex lege Jul. caducar. ibi, n. 2.

C.

CAducum eſt quod cecidit ab aliquo, qui cum capere poſſet, non cepit. l. 2. c. 17. n. 11. Olim bona caduca dicta, quæcumque in fiſcum cadentia. l. 4. r. 35. Dicuntur vacantia, ereptitia, popularia. ibi, n. 2. Quoad leg. Pap. caducum dicitur, quod ſibi teſtamento relictum, ita, ut cum jure civili capere poſſet, aliqua ex cauſa non cepetit, ibi, n. 3. Præcipue fiebat legatum caducum morte legatarii, aut ejus deportatione obveniente ante apertas tabul. & aliis modis relatis

relatis. ibi. n. 4. Si autem hæc contigiſſent vivo teſtatore, dicebantur bona in cauſam caduci ibi. n. 22. Non habet locum caducum in uſufructu legato, nec in teſtamento militis. l. 4. r. 36. n. 7. Nec in ſucceſſionibus ab inteſtato. l. 4. r. 37. n. 3. Quod circa caduca inter parentes intra tertium gradum obſervaretur, refertur. l. 4. r. 36. n. 5. Senat. Conſulta, ad leg. Pap. facta, in hac caducorum materia referuntur. l. 4. r. 35. per tot.

Captatoriæ inſtitutiones pro non ſcriptis habentur, l. 4. r. 32. n. 24.

Carruca dormitoria, quæ? l. 3. c. 33. n. 10.

Caſus ſuperveniens an vitiet negotium rite celebratum? l. 2. c. 32. n. 11.

Cauſa finalis falſa quando vitiet actum. l. 2. c. 14. n. 15.

Cenſorum nomen, dignitas, munia, qualia? l. 3. c. 5. n. 6. Eorum magna cura circa nuptias, & in cœlibes ſeveritas. l. 1. c. 5. n. 5. Illi ſolemne juſjurandum exigebant de uxoribus. ibi. n. 5.

Cenſoriæ increpationis formula illuſtratur. ibi. n. 6. De moribus conjugum, & de tota re uxoria cognoſcebant. l. 3. c. 5. n. 6.

Cenſoria animadverſio eſt ignominiæ, & mulctæ. ibi. n. 8. Non tamen mulcta famæ damnum irrogat. l. 3. c. 7. num. 9.

Cenſura poſt Domitianum fere exolevit. l. 3. c. 7. n. 8.

Chriſtus Dominus noſter non venit evertere Regna, nec poteſtatem Regum. l. 3. c. 48. n. 1. Nec induxit duas Reſpublicas inter ſe diverſas, poſt Chriſtum tamen cœperunt diſtingui duo Principatus Supremi independentes. ibi. n. 4. Licitum autem eſt ſpirituali poteſtati, in ordine ad excellentiorem ſuum finem, uti in temporali. ibi. n. 6. & 13. Nunquam autem eſt Principatus politici, de cauſis mere ſpiritualibus, & eccleſiaſticis ſtatuere. l. 3. c. 43. n. 5. Nec prætextu pietatis aliquid in religione inducere. ibi. n. 6.

Chryſargyrum quod tributum? l. 3. c. 37. n. 13.

Cinerarii in matronali miniſterio ſuere lecticarii peregrinæ proceritatis. l. 3. c. 38. n. 10.

Clerici tenentur legibus politicis, latis de re temporali, illis, & laicis communi. l. 3. c. 45. n. 1. Non ſunt exemti quoad temporalia, quæ immunitatem non lædunt, ibi. n. 2. Quatenus, & à quo Judice cogi debeant obſervare ſimiles leges. ibi. num. 15. An ligentur legibus, quibus illis prohibetur acquiſitio temporalium. ibi. num. 12. ubi de Conſtitutionibus Valentin. & Theodoſ. judicium fertur. Specialibus juſſionibus Supremi Principis in re temporali, eccleſiaſticæ immunitati non contrariæ, parere debent. lib. 3. c. 46. n. 1. Et a Principe evocati venire tenentur. ibi. n. 2. & illi jurare fidelitatem illam, quam, ut Reipublicæ membra, ſuo capiti debent. ibi. n. 5. Et apud nos etiam Epiſcopi fidelitatem noſtris Regibus juramento promittunt. ibi. n. 2. Ratione feudi, coram domino feudi conveniuntur. ibi. n. 9. Et in bello aſſiſtere debent Principi. ibi n. 11. Unde apud nos origo militaris ſubſidii, *de las lanças.*

Clientes cum libertis junguntur. l. 4. r. 10. n. 3.

Cloacæ immittendæ jus ſervitus eſt. l. 4. r. 36. n. 10.

Cœlibes niſi intra centum dies legi paruerint, neque legatum, neque hæreditatem capiebant ex leg. Jul. l. 4. r. 32. n. 1. Nec bonorum poſſeſſionem, aut fideicommiſſum petere poterant, nec mortis cauſa donationes. ibi. num. 5. Nec mortis cauſa aliquid capere. ibi. num. 11.

Colobium, quod genus veſtis ſit. l. 1. c. 18. n. 7. Cum eo olim ſepulti martyres. ibi. n. 7.

Colluſione detecta, ingenuus pronunciatus, qualis conditionis eſſe incipiat. l. 2. c. 22. n. 9.

Coma muliebris turrita, ſeu corona illuſtratur. l. 3. c. 30. n. 9. Sacerdotum, & Laicorum exornatur. l. 3. c. 31. n. 2.

Comœdiæ Hiſpanæ uſus, an licitus, examinatur. l. 2. c. 34. cum ſeq. Non poteſt ei aptari deteſtatio Canonica veteris ſcenæ. ibi. n. 2. Affirmativa ſententia, licitas eſſe, ſpeculative non eſt improbabilis. l. 2. c. 43. n. 6. Contraria, illicitas eſſe, probatur. Tolerari autem poſſe ſine noxa tolerantis defenditur. l. 2. c. 45. num. 1. Num expediat tolerari, examinatur. c. 46. per tot. Tolerantia hæc pertinet proprie ad auctoritatem politicam temporalis regiminis. l. 2. c. 4. n. 1. Diebus ſacro-feſtis, an Judex Eccleſiaſticus prohibere poſſit contra permiſſionem Judicis ſæcularis, examinatur, l. 2. c. 47. n. 7.

Computatio Falcidiæ in legatis, alia eſt à computatione vigeſimæ. l. 1. c. 11. n. 3.

Concubinatus jure Civili extra legis pœnam erat. l. 2. c. 39. n. 7. In eo plerumque ancillæ verſabantur tam jure Moſaico, quam civili. l. 3. c. 3. n. 4. Cum uxore ſemper damnatur. l. 4. r. 1. n. 1. Quatenus leg. Jul. & Pap. permiſſus. ibi. n. 2. Licitus fuit Senatoris cum libertinis. ibi. n. 6. Et ingenuis cum probroſis fœminis ibi. n. 8.

Conjuges injuſti ex leg. Jul. & Pap. nihil ex relictis à conjuge injuſto capere poſſunt. l. 2. c. 19. n. 2.

Conditio expreſſa diſtinguitur à tacita. l. 2. c. 18. n. 7. Nuptiarum non impletur per nuptias immaturas. l. 2. c. 18. n. 1. Ad primas nuptias juſtas refertur. ibi. numer. 2.

Connubii jus apud Romanos ex gente, ſtatu, & dignitate æſtimabatur. l. 2. c. 1. n. 2.

Conſilium Supremum Regale commendatur. l. 3. c. 54. n. 25. Inſtitutum fuit, ut in eo Reipublicæ provideatur. ibi. n. 25. Cameræ quando inſtitutum, ac de ejus juriſdictione. l. 3. c. 5. n. 6.

Conſilium cum conatu in atrocioribus delictis punitur, non in levioribus. l. 2. c. 30. n. 1.

Conſtantinus Magnus ubi, & quando e vivis exceſſit. l. 2. c. 36. n. 3. Paganorum templa clauſit. l. 2. c. 38. n. 2. Fuit acerrimus pudicitiæ vindex. lib. 2. cap. 3. num. 94.

Curator fœminæ prodigæ dari valet. l. 3. c. 26. n. 12.

Curia minor Senatus. l. 2. c. 3. num. 6. De Decurionibus, & Curialibus muniis plura recenſentur. ibi. num. 7.

D.

DAlmatica, quod genus veſtis ſit, l. 1. c. 18. n. 56. Ejus uſus Diaconis Cardinalibus permiſſus, exteris nonniſi ex privilegio licitus, ibi. n. 6.

Decani lecticarii, qui? l. 1. c. 17. n. 6.

Decuriones, ut ſe ſubducerent à muneribus Curiarum, conjugia ſervilia appetebant, l. 2. c. 32. n. 3.

Delatores bonorum vacantium, quæ præmia aſſequerentur ex leg. Pap. l. 4. r. 40. n. 1.

Deportatio quatenus differat ab interdictione aquæ, & ignis, l. 4. r. 19. n. 6.

Dictio, *tam*, in pluribus juris locis ſuppletur, l. 1. c. 25. n. 1.

Divortii formula fuit ex lege 12. tabul. l. 4. r. 28. n. 1. Modus tamen, divortio libertæ patrono nuptæ impoſitus leg. Jul. de marit. ordin. ibi. n. 2. ita, ut invito patrono liberta non poſſit divertere, ſi tamen de facto divortium feciſſet, pro infecto non habebatur, niſi quoad eos effectus, qui vel favorem patroni repudiati, vel odium libertæ reſpiciunt, ibi. n. 4.

Donatio inter conjuges injuſtos an valeat, l. 2. c. 14. n. 1. vel in uxorem immaturam, ibi. n. 12. aut in pupillam à tutore ductam, l. 2. c. 15. n. 1.

Donato inter illicitos conjuges fiſcus capit, l. 2. c. 19. num. 1.

Dos teſſera eſt matrimonii, l. 2. c. 42. n. 3. Nulla eſt ubi matrimonium non ſubſiſtit, l. 2. c. 9. n. 6. In nuptiis illicitis ſemper eſt nulla, ſed eripitur à fiſco, l. 2. c. 16. n. 1. & 19. n. 4. Caduca in quibus nuptiis detur, ibi, n. 9. Accipitur pro donatione propter nuptias, l. 2. c. 19. n. 14. Tribus modis conſtituitur, datione, dictione, & promiſſione, l. 4. r. 30. n. 1. An legib. Jul. & Pap. taxata fuiſſet. l. 4. r. 30. Debetur à patre filiæ adoptivæ, non naturali, l. 4. r. 31. n. 5.

Duumviri Magiſtratus ſummi gradus, & honoris erant, l. 2. c. 37. n. 1. Ex Decurionum ordine eligebantur, ibi, n. 2. Lictores cum faſcibus deferebant, ibi n. 2. fuerunt Magiſtratus in municipiis, l. 3. c. 1. n. 1. Mulctam dicere poterant, ibi. n. 2. Eorum ſummus honor in municipiis, & Coloniis, ibi. n. 3.

E.

ECcleſiæ varia decreta circa matrimonia, & eorum impedimenta, referuntur, l. 3. c. 41. n. 9.

Edictum Magni Caroli V. dictum, *de interim*, defenditur, l. 3. c. 43. n. 11.

Emancipatio ſtatum minuit, & dignitatem mutat. l. 2. c. 2. n. 7. Perimit privata jura, non publica, l. 2. c. 30. n. 1. Et ita nec jus connubii, ibi. n. 2.

Emtio liberi hominis ab ſciente facta non valet, l. 2. c. 11. n. 1. Quid ſi unus ignoret, ibi. n. 2.

Equeſtres habitus Militares vendi nequeunt, l. 1. c. 17. num. 4.

F.

FAlcidiæ imponendæ modus facilis, l. 1. c. 11. n. 1. Ejus falx favorabilior, quam vigeſima, l. 1. c. 15. n. 1. Falcidia non detrahitur ex ſervo legato, ut manumittatur, l. 1. c. 13. n. 4. & 14. n. 3. Quid in ſervo legatarii, aut alieno, ibi. n. 2. A teſtatore

prohiberi

prohiberi poteſt, vigeſima non. l. 1. c. 14. n. 4. Ea portione privatur hæres, ſubtrahens rem legatam, l. 1. c. 12. n. 2.

Familia hæredis funeſta erat à morte teſtatoris, l. 1. c. 22. n. 5. Nec ad ſacrificia admittebatur, donec expiaretur, ibi. n. 5. Expiationis ſolemnitas, & forma referuntur, ibi. n. 6.

Familia interdum pro uno, aut duobus ſervis accipitur, tametſi per ſe, & proprie plures continere debeat, l. 2. c. 10. n. 9.

D. D. Ferdinandus Arias à Meſa laudatur, l. 2. c. 15. num. 9.

Feriæ denicales, ſeu novendiales, quæ? l. 1. c. 22. n. 6.

Filia à patre exhæredari valet, ſi impudicam vitam agat, l. 3. c. 28. n. 11. Ejus matrimonium ex lege Papia per injuriam impedire nequibant, lib. 4. reliq. 31. num. 3. Niſi ex juſta cauſa, ibi. num. 6.

Filius, extra matrimonium natus, matris conditionem ſequitur, lib. 2. cap. 31. num. 4. Juſtus non naſcitur, niſi ex juſto matrimonio, lib. 3. cap. 2. num. 10. In eo, quoad ſtatum, & dignitatem, quod tempus, conceptionis, vel nativitatis expectetur, lib. 1. cap. 5. num. 8. Natus antequam pater Senator eſſet pro Senatoris filio habetur, non vero natus poſtquam pater Senator eſſe deſiit, lib. 2. cap. 3. num. 1. Natus ante nobilitatem patri conceſſam, nobilis creditur, lib. 2. cap. 4. num. 1. Ante Regnum delatum natus, an præferatur fratri poſt Regnum nato, ibi. num. 12. An teneatur ex delicto, a patre ante nativitatem commiſſo, lib. 1. c. 4. n. 9. Ejus appellatione nepos venit, l. 2. c. 6. n. 1. Sine conſenſu patris injuſtum, ſed validum matrimonium contrahit, l. 2. c. 9. n. 2. Nec parentes niſi ex juſta cauſa impedire valebant, l. 4. r. 31. n. 6. Si mortuus naſcatur, inter liberos non numeratur. lib. 4. rel. 9. num. 2. Interrogatus, an hæres ſit patri, fatendo ſe hæredem, an creditoribus teneatur? lib. 1. c. 24. n. 4.

Fiſcus quando eripiat à conjuge quod occaſione injuſti matrimonii illi relictum eſt, l. 2. c. 15. & 16. Eripit hæreditatem ab eo, qui falſo, ut filius inſtitutus eſt, l. 2. c. 16. n. 12. Item ab eo, cujus nomen conſulto à teſtatore deletum eſt, ibi. num. 13. Etiam ab eo, qui necem teſtatori intulit, aut negligens fuit in cauſa necis proſequenda, l. 2. c. 16. n. 14. Succedit in caducis cum ſuo onere, l. 4. r. 36. n. 3.

Flamini Diali, aut *Pontifici Maximo*, fas non erat, niſi interjecto velo, l. 1. c. 22. n. 5.

Fœminæ jure Romano poſt duodecim annos in tutela muliebri perpetua erant, l. 4. rel. 13. n. 1. Nec teſtari poterant, niſi tutore auctore, ibi. n. 1. Niſi per in manum conventionem a tutela liberarentur, aut in Sacerdotium Veſtæ allegerentur, aut quatuor liberos ſuſciperent, ibi. n. 3.

D. Franciſcus de Amaya laudatur, l. 1. c. 9. n. 9.

Fraus non tantum pro flagitio, aut delicto, ſed pro pœna accipitur, l. 3. c. 6. n. 4.

Fredum in legibus Ripuariis, & Francogallis, quid? l. 3. c. 6. n. 9.

Fructus rei legatæ per vindicationem, à morte teſtatoris legatario debentur, l. 1. c. 12. n. 4.

Functia glebalis, quæ? l. 2. c. 3. n. 4.

Furtum Naturali, & Divino jure prohibetur, l. 3. c. 21. n. 10. In extrema neceſſitate non manet ratio furti, ibi. n. 11. Ubi proſequitur ratio differentiæ inter furtum, & mœchiam, in extrema neceſſitate commiſſam.

G.

GAbella, vide *Venalitium*.

D. D. Garſias de Porres laudatur, l. 3. c. 41. n. 2.

Gregorius Præfectus Prætorio, ubi, & quando floruerit, lib. 2. cap. 36. num. 2.

H.

HAbere, tenere, & poſſidere, diverſa ſunt, l. 2. c. 8. num. 12.

Helleniſmus notatur in leg. 5. de jur. & fact. ignor. l. 2. c. 10. n. 1.

Hæres, fatendo ſe hæredem, gerit pro hærede, lib. 1. c. 24. n. 4.

Hæretici privantur ſepultura eccleſiaſtica, l. 1. c. 21. n. 5. ubi refertur cap. 18. pacis Batavicæ.

Hippodrom accipitur pro loco, ubi jus redditur Conſtantinopoli. l. 2. c. 1. n. 10.

Homicidium, urgente defenſionis neceſſitate, licitum eſt, l. 3. c. 22. n. 2.

I.

IGnorantia juris, quando ali proſit l. 2. c. 10. num. 5. & 6. Circa emtionem liberi hominis lib. 2. cap. 11. num. 1. Circa Macedonianum ibi. num. 6.

D. D. Ildefonſus de la Carrera laudatur, lib. 4. r. 31. num. 16.

D. D. Ildefonſus de Olea laudatur, l. 2. c. 9. n. 7.

Imperator jure civili diſpenſabat in nuptiis prohibitis, lib. 2. cap. 35. num. 2. olim & Pontif. Max. dicebatur, lib. 3. cap. 41. num. 2. Quod nomen & plures Imperatores Chriſtiani retinuerunt, ibi. n. 3.

Indebitum ſolvens poſt ſententiam, non repetit, ſecus poſt juramentum, l. 2. cap. 21. n. 15.

Indignus, alii ob tacitam fidem accommodatam reſtituendi incapaci, alii ob necem defuncti, referuntur, l. 4. r. 39. n. 1.

Ineptæ teſtatorum voluntates non ſunt obſervandæ, lib. 1. c. 19. n. 2.

Ingenuus pronunciatus, etſi per injuriam, quoad patronum pro ingenuo habetur, lib. 2. cap. 21. num. 15. Ducere non poteſt libertinam, lib. 3. cap. 2. & 3. aut ignominioſam fœminam, lib. 3. c. 5. n. 1.

Interlocutio voluntas potius judicis eſt, quam ſententia, l. 3. c. 8. n. 4.

D. D. Joannes Chumacero, Caſtellæ Præſes laudatur, l. 1. c. 9. n. 2.

D. D. Joſephus de Retes laudatur, lib. 2. cap. 41. numer. 12.

D. Joſephus Vela laudatur, l. 2. c. 12. n. 4.

Irregularis eſt ducens in uxorem meretricem, Lib. 3. c. 39. n. 1. Vel adulterio damnatam, ibi. n. 7. Aut fœminam ſcenicam, ibi. n. 1.

Julia lex de adulteriis, indiſtincte omnes damnatas adulterii ducere prohibuit, lib. 3. cap. 15. num. 2. Item de ſtupro niſi vim paſſæ ſint, ibi. num. 6. Nondum tamen inter reas receptas quivis ducere poterat, ibi. num. 12.

Julia lex de maritand. ordin. dicta ab Auguſto, qui & Julius, duplex, & quo tempore lata prior, lib. 1. cap. 1. num. 4. Poſterior Julia quando lata, & quæ illius mentio in libris juris, & aliis, lib. 1. cap. 2. Cur de marit. ordin. dicta? lib. 1. cap. 1. num. 4. Sæpius rogata, & perrogata, lib. 1. cap. 2. num. 1. Julia, & Papia diſtinctæ leges tempore, & capitibus, lib. 1. cap. 3. num. 1. Utriuſque primarii fines ſobolis, & ærarii incrementum, lib. 1. cap. 4. ex num. 1. Prior ſobolis procreatio illuſtratur, lib. 1. cap. 4. & 9. Poſterior ærarii exhauſti repletio probatur, cap. 6. per tot. Ob primum favorabiles, ob ſecundum odioſæ dicuntur, lib. 1. cap. 6. num. 3. Duræ, & crudeles dictæ, ibi. num. 5. Populus Roman. ſæpe earum abrogationem poſtulavit, ibi. num. 5. Earum idem auctor, idem finis, lib. 1. cap. 24. num. 6. Leges iſtæ non tam prohibuere, quam deſpexere nuptias cum ancillis, lib. 2. cap. 36. num. 1. Qua poteſtate Auguſtus, circa connubia, ſæpius in eis ſtatuiſſet, lib. 3. cap. 41. num. 1. Prohibuit conjugia inter affines, qui patrum, liberorumque loco ſunt, lib. 4. t. 1. num. 3. cap. 1. De connubio Senatorum illuſtratur fuſe, lib. 2. cap. 1. num. 1. cap. 7. fuit de præmiis maritorum, lib. 4. r. 5. num. 2. Inter quæ primum, ut Conſuli, plures liberos habenti, daretur antelatio in faſcibus, ibi. num. 5. cap. 8. fuit de prælatione Patrum, & maritorum in honoribus, lib. 4. rel. 6. num. 1. cap. 9. De remittendis ad honores patribus per ſingulos liberos ſingulis annis, lib. 4. rel. 7. per tot. cap. 10. de libertini liberatione ab operis propter liberos, lib. 4. rel. 9. ubi, & rr. ſeq. illuſtrantur alia capita de operis, & bonis libertorum.

Julia lex de vigeſima ab Auguſto lata coæva Juliæ, & Papiæ, lib. 1. cap. 7. num. 1. Quare a pluribus cum eis confunditur, ibi. Lata pro ſupplendo ærario, ibi. num. 2. Ejus capita referuntur, num. 3. An hoc vectigal hodie irritabile ſit, ibi. n. 3.

Jus accreſcendi in bonor. poſſeſſionibus locum habet, lib. 4. rel. 18. n. 15. Quatenus duravit poſt legem Papiam lib. 4. rel. 18. num. 17. Non ceſſavit per eam, niſi in caſibus caducorum, vel quaſi, lib. 4. reliq. 37. num. 5.

Juſjurandum quando, & quomodo vim habeat, ac res judicata, lib. 2. cap. 21. num. 9.

Jus patronatus in liberto habito, non aufertur nepoti ex facto patris, lib. 2. cap. 6. num. 7.

L.

LAtina liberta quibus modis olim fiebat, lib. 2. cap. 39. num. 9. Cum ea jus connubii non erat, ibi. num. 8.

D. D. Laurentius Ramirez de Prado laudatur, lib. 1. c. 21. num. 14.

D. D. Laurentius Matheu laudatur, lib. 2. cap. 26. numer. 15.

Legatum annuum ſimile eſt legato uſusfructus, lib. 4. rel. 26. num. 12. An in eo locus ſit caduco, ibi. num. 9.

Legatum optionis, an ſit conditionale, lib. 4. rel. 37. num. 10.

Legata ſolvebantur, deducta vigeſima, l. 1. cap. 12. Repetita conſcebantur a cohærede ante reſcriptum Severi, l. 4. rel. 17. num. 25. A teſtatore conſulto deleta, an fiſcus auferat, lib. 2. cap. 16. num. 12.

Legatum per vindicationem tantum in propriis rebus conſiſtebat, ante S. C. Neronian. quod illuſtratur, lib. 1. cap. 12. num. 3. Utilius eſt legatario legatum per vindicationem, quam per damnationem, ibi. num. 4.

Legatarius ſi minus in legato accipiat, quam ſit in pretio proprii ſervi manumitti juſſi, quando manumittere cogatur, l. 1. cap. 13. num. 4.

Legitimatio per adrogationem a Juſtiniano excluſa fuit, lib. 2. cap. 41. num. 2.

Lena eſt, quæ mulieres quæſtuarias proſtituit, lib. 3. cap. 12. num. 1. Etſi alterius nomine hoc vitæ genus exerceat, ibi. n. 2. Ejus connubium ingenuis prohibitum ob contagium, odiumque turpitudinis, lib. 3. cap. 12. num. 4.

Lenones variis pœnis affecti omni jure, ibi. num. 6.

Lex imperfecta, quæ? lib. 2. cap. 8. num. 3. & lib. 3. cap. 68. Papia perfecta fuit, quoad alienationem, in fraudem patroni factam, lib. 4. rel. 17. num. 7. Et ſimilia capita imperfecta in prohibitione connubii Senatoris cum libertinis, & divortio facto a liberta, nupta patrono, lib. 4. rel. 28. num. 3. In ſucceſſione libertæ centenarii, lib. 2. cap. 8. num. 4.

Lex Julia miſcella, cur ita dicta, lib. 4. rel. 27. numer. 2. Eſt caput legis Juliæ de maritand. ibi. Ejus ſententia fuit, ut mulieri, virove ſub conditione viduitatis relictum liceret rejecta conditione capere, dummodo mulier intra annum nuberet, & juraret liberorum procreandorum cauſa nubere, ibi. num. 3. Cur tamen intra annum luctus nuptiæ, alioquin prohibitæ permitterentur, exponitur. num. 4. & 5.

Lex hæc non pertinebat ad virginem, ſeu virum cœlibem. lib. 4. rel. 27. num. 6. Nec locus illi eſt, ſi legatum relinquatur, ne Titiæ nubat. lib. 4. rel. 27. Quid ſi viduitas ſit temporaria, lib. 4. rel. 27. num. 21. Comprehenduntur hac lege hæreditas, fideicommiſſum, & donatio cauſa mortis, ibi. num. 12. Non vero ſi ſervus legatus ſit ſub conditione non nubendi, alias liber eſſe jubeatur. lib. 4. rel. 27. num. 14.

Liberorum appellatione, qui comprehendantur, l. 2. c. 6. num. 2. & lib. 4. rel. 31. num. 5.

Libertas ſervo communi ante Juſtinianum dari nequibat, l. 1. cap. 13. num. 4. A liberto data in fraudem legitimi patroni nulla eſt. lib. 4. rel. 17. num. 16. Ejus ademtio quomodo contingat. lib. 4. rel. 19. num. 24. Ejus cauſa pendente ſtatuliber puniri debet pœnis non ſervilibus, lib. 2. cap. 34. num. 20.

Libertini ſunt, quorum parentes ſervitutem ſervierunt, lib. 3. cap. 1. num. 5. Qui dicti ante leges Julias, lib. 2. cap. 31. num. 2. Ducere poterant Senatoris filiam, publico judicio damnatam. lib. 2. cap. 27. num. 1. Arcebantur ab honoribus ingenuorum, lib. 2. cap. 40. num. 7. Sine Tribu degebant, niſi impetraſſent, lib. 3. cap. 1. num. 6. Ad militiam Palatinam nunquam admiſſi, lib. 2. cap. 40. num. 7. Plerumque ad nauticam, lib. 3. cap. 1. num. 8. Quando ob inopiam Civium admiſſi, lib. 2. cap. 40. num. 3. Centenarii, qui? lib. 4. rel. 17. num. 2. Si pauciores, quam tres liberos reliquiſſent, ſive teſtati, ſive inteſtati deceſſiſſent, virilis portio patrono debebatur, ibi. num. 3. Quid in hac juris parte ex lege 12. tabul. edicto Prætoris, & lege Pap. obſervatum ſit, refertur, & illuſtratur numeris ſeq.

Præſtant patronis operas officiales, quæ in officio liberti, artificiales, quæ in certo artificii genere conſiſtunt, lib. 4. rel. 9. num. 9. Qui duos, pluresve a ſe genitos liberos in poteſtate habent, excuſantur ab earum præſtatione, lib. 4. rel. 9. num. 1. non tamen proſunt filii, qui mortui naſcuntur, nec poſthumi, ibi. num. 2. Amiſſi autem proſunt, nec eas præſtat liberta ducta à patrono, lib. 4. rel. 10. num. 1. Alia de operis, & bonis libertorum noviter exponuntur, quatuor rr. ſeq.

Liberti, impetrato jure aureorum annulorum, ingenuitatis jura aſſequuntur quoad omnes, excepto patrono, lib. 2. cap. 23. num. 2. Ideo illis ſuccedit patronus in portione legitima, lib. 4. rel. 18. num. 2. Quid ſi natalibus reſtituantur, lib. 2. cap. 23. num. 3.

Liberti ab ingenuo, niſi cauſa cognita, adrogari nequeunt, lib. 2. cap. 23. num. 11. Excuſari nequeunt a tutela patronorum, lib. 2. cap. 31. num. 2.

Libertinæ ab omnibus duci poſſunt in uxores, exceptis Senatoribus, lib. 3. cap. 2. num. 9. A patronis divertere nequeunt, lib. 3. cap. 5. n. 4.

Locans operas artis ludicræ faciendæ cauſa, non tamen faciens, infamia non notatur, nec lege Julia comprehenditur, lib. 2. cap. 30. num. 1. Secus tamen ſi, ut cum beſtiis pugnaret, etſi non pugnaverit, ibi. n. 2.

Lugubrium impenſa legitima, lib. 1. cap. 20. num. 1. An ex bonorum quanto deducenda? ibi. num. 2.

Lupanaria, legibus Romanis tolerata, tam publica, quam in privatis domibus, lib. 3. cap. 13. num. 2. An ad ea lic te domus conduci valeat. ibi. num. 5. Fructus ex tali locatione percepti, quatenus honeſti dicantur in jure, lib. 3. cap. 13. per tot. Extra mœnia plerumque erant, lib. 3. cap. 27. num. 2. Apud nos prohibita omnino reperiuntur, l. 3. cap. 35. num. 25. An tamen expediat Reipublicæ ea tolerare, politice diſſertatur, lib. 3. cap. 36. per tot. Si aliquando tolerentur, extra oppidorum muros ædificari debent, lib. 3. cap. 37. num. 6.

Luxuria eſt ſupra modum profuſio, lib. 3. cap. 26. num. 6.

M.

Majoratus Hiſpani omnes perpetui creduntur, lib. 2. cap. 7. num. 12. nullo actu poſſeſſoris jus ſucceſſionis in eis mutari poteſt. lib. 2. cap. 7. num. 22. Eorum bona, quando ex delicto inſtitutoris, vel ſucceſſoris publicentur, lib. 1. cap. 9. num. 2. fructus eorum pro vita poſſeſſoris, quomodo computentur ad ſolutionem arrhatum, lib. 2. cap. 11. num. 6.

Mandata dicebantur Conſtitutiones, quæ Præſidibus in Provinciam euntibus dabantur, lib. 4. rel. 31. num. 4.

Maritus injuſtus, an gaudeat privilegio, ne conveniatur ultra quam facere poſſit? lib. 2. cap. 20. num. 12. An uti poſſit retentione dotis ob impenſas? ibi num. 15. Poteſt manumittere ſervum dotalem, ſibi donatum, ut manumittatur, lib. 4. rel. 29. num. 1. Et conſentiente uxore illius negotium gerens, quo caſu tenetur reſtituere uxori omnia, quæ ut patronus percepit ex lege Julia, ibi. num. 2. cum ſeq.

Marcianus Imperator ſeveris legibus hæreticos exagitavit, l. 1. c. 21. num. 7.

D. D. Martinus de Larreategui laudatur, lib. 2. cap. 22. num. 5. & lib. 4. cap. 27. n. 10.

Matrimonium Ducis Aurelianenſis cum Margarita Lothatingia, & aliorum Principum agnatorum Regii ſanguinis referuntur, & examinantur, lib. 3. cap. 51. per tot.

Matrimonium in propagationem generis humani inſtitutum, l. 1. cap. 4. num. 4. Eſſeni illud non agnoverunt, ibi. num. 3. Varii hæretici impugnarunt, olim jure naturali, & divino in præcepto fuit, lib. 1. cap. 5. num. 1. Conſenſu, non tabulis contrahitur, l. 2. cap. 40. num. 9. A concubinatu diſcernebatur ob dotem, l. 2. cap. 42. num. 2. Quatenus compulſio in eo admittatur, l. 2. cap. 40. num. 4. Pœna an in eo poni poſſit, ibi. num. 7. Captivitate mariti diſſolvebatur, lib. 4. rel. 28. num. 3. Nec poſtliminio redintegrabatur, niſi novo conſenſu conjugis, lib. 4. rel. 29. n. 3. De eo qua poteſtate Imperatores, & Senatus ſtatuere poſſint, lib. 2. cap. 41. num. 5. Hodie de cauſis matrimonialibus judicium eſt Eccleſiæ, lib. 3. cap. 41. num. 11. Ejus appellatione, an ſponſalia veniant, l. 2. cap. 12. num. 2. Ingenui contrahere illud nequeunt cum ea, quæ artem ludicram fecit, lib. 2. cap. 29. num. 2. An tamen per profeſſionem ipſius artis diſſolveretur? diſſeritur, lib. 2. cap. 32. num. 1. An per ſubſecutam indignitatem patris uxoris, ibi. num. 8. Cum ancillis, etiam à nobilibus, olim uſitatum, lib. 2. cap. 26. n. 2. Non permittebatur militibus, niſi cum ingenuis, lib. 2. cap. 40. num. 2. Nec ingenuis cum libertinis, lib. 3. cap. 1. num. 3. Lege Julia, Papiaque permittebatur connubium ingenui maſculi cum libertina, non vero ingenuæ cum libertino, lib. 3. cap. 2. num. 1. Non permittebatur cum damnata adulterii, l. 3. cap. 15. num. 1. Nec cum publico judicio damnata, lib. 3. cap. 16. n. 1. Niſi per calumniam, aut prævaricationem, ibi. num. 5. Nec cum ea, quæ palam corpore quæſtum faciebat, lib. 3. cap. 12. num. 1. Prohibitum lege Papia inter maſculos, & fœminas majores ſexagenariis, vel quinquagenariis, lib. 4. rel. 25. num. 1.

Matrimonium putativum pro vero habetur, lib. 2. cap. 9. num. 7. An eo conſtante bona quæſita communicentur? ibi. Competit in eo marito retentio dotis ob adulterium, ibi. num. 8. Quibus aliis privilegiis conjux innocens juvetur, ibi. num. 7.

Matronæ Romanæ ad ſacra, carpenta uti poterant, lib. 3. cap. 22. n. 5. Poſtea lectica, & ſellis, ibi. num. 6. Meretricia veſte indutæ injuriarum agere nequeunt adverſus

verſus earum pudicitiam attentantem, l. 3. c. 34. n. 2.

Doct. D. Melchior de Valentia laudatur, lib. 4. rel. 36. num. 3.

Meretrix à merendo dicta, lib. 3. cap. 19. num. 2. Summœniana, quæ? lib. 3. cap. 37. num. 1. Jure priſco Romanorum, nec erat incapax teſtandi, nec capiendi ab inteſtato, lib. 2. cap. 35. num. 7. Erat infamis, l. 3. cap. 29. num. 1. Ornamentis matronalibus, nec ex jure noſtro uti poteſt, ibi. num. 1. Ut ſericis, ibi. num. 5. Auro, gemmis, lapillis, & margaritis, ibi. num. 7. Nec calceis matronarum, ibi. num 10. Nec deferre ſcapularia, ſeu religioſa ſtemmata, lib. 3. cap. 30. num. 1. Nec in comitatu habere virgines, aut puellas, quadraginta annis minores, lib. 3. cap. 30. num. 2. Nec in miniſterio habere poteſt Laterones, vulgo, *Eſcuderos*, ibi. num. 4. Nec puellas ornatrices, ibi. num. 5. Incomitata procedebat, lib. 3. cap. 32. num. 3. Nec vehi poteſt carruca, lib. 3. cap. 32. num. 5. Nec pulvinis, ſtratis, tapetibus in Eccleſiis uti, lib. 3. cap. 32. num. 18. Non punitur in ea ſtuprum, lib. 3. cap. 33. per totum. Nec furtum, aut plagium, ſi meretrix ancilla fuerit, ibi. num. 1. Vis tamen illi illata punitur, ibi. num. 7. Non admittitur in Eccleſia oblatio ex meretricio quæſtu, lib. 3. cap. 37. numer. 8. Tributum meretricium ſub Caligula pendebatur, ibi. num. 12. Poſtea improbatum fuit, ibi. num. 19. Filii meretricis irregulares ſunt, lib. 3. cap. 37. n. 23.

Milliarium quod itineris ſpatium? lib. 1. cap. 25. num. 2. Non à continentibus ædificiis computatur, ibi. numer. 3. Aliquando pro vaſe accipitur, ibi. n. 2.

Millionum origo refertur, lib. 3. cap. 55. num. 1.

Miniſteria in Sacris Canonibus, quid importent? lib. 1. cap. 19. num. 5.

Minor manumittere nequit, niſi probata cauſa, lib. 2. cap. 8. num. 10. Aut matrimonii celebrandi gratia, l. 2. cap. 33. n. 4. & l. 3. c. 2. n. 7.

Mithra inter muliebria ornamenta computatur, lib. 3. cap. 12. numer. 7. Quare imponeretur lenis, ibi. num. 7.

Mœchia etiam ſimplex divino jure prohibita eſt, lib. 3. cap. 21. num. 1. Et naturali jure improbatur, lib. 3. cap. 21. num. 5. Ideo nullo unquam, etiam ſummo vitæ periculo excuſatur, ibi. num. 8.

Monaſterium novum fundari nequit ſine Principis licentia, lib. 3. cap. 44. num. 10.

Monopolium quibus in rebus licitum? lib. 1. cap. 17. numer. 7. Veſtium funebrium lugubre, ibi. num. 6.

Monumentum quomodo in jure accipiatur, lib. 1. c. 22. n. 2. Aliud eſt à munimento, ibi. n. 3.

Mortuaria, quæ? & an taxari poſſint legibus ſecularibus, l. 1. cap. 21. n. 2.

Mulctam dicere, qui Magiſtratus poſſint? l. 3. c. 10. n. 1. A principio tantum Conſules, poſtea ex legibus Valeria, Tarpeïa, ſive Ateria, omnibus Magiſtratibus jus hoc datum fuit, ibi. n. 4. Etiam curatoribus aquarum, ibi. n. 6. Non autem Judicibus datis, aut delegatis, ibi. n. 5. & 7. Nec arbitris, ibi. n. 9. Nec defenſoribus Civitatum, lib. 3. cap. 11. num. 3.

Mulieris appellatione virgo comprehenditur, l. 4. r. 27. num. 6.

Mutus, & ſurdus ſimul, quomodo teſtamentum facere poſſit. lib. 1. cap. 10. num. 5.

N.

NAvicularii vacatione legum Juliæ, & Papiæ potiuntur, l. 4. r. 23. num. 4.

Naulus, quid apud bonæ notæ ſcriptores? lib. 1. c. 17. n. 4.

Neceſſitas quando reddat licitum alias illicitum, l. 3. c. 19. n. 5. Extrema facit ceſſare præcepta non furandi, non occidendi, non tamen non mœchandi, lib. 3. c. 20. per tot. Ratio differentiæ traditur, cap. 21. & 22.

Nobilitas conceſſa patri, etiam filiis jam natis communicatur, l. 2. c. 4. n. 3. Ad obtinendum majoratum deſiderata, quomodo probetur, l. 2. cap. 25. n. 4. Quoad privilegia, ne nobiles in carcerem detrudantur, aut tormentis ſubjiciantur, minor probatio deſideratur, & admittitur apud quemlibet Judicem, lib. 2. cap. 4. num. 8.

Nobilitas filii patri prodeſt, l. 2. cap. 6. n. 11. Privilegiaria, an pereat nepoti ex inuſu avi per triennium? Et alia de acquiſitione, & amiſſione ſimilis nobilitatis, l. 2. cap. 7. n. 6. Judicarum in ea cum legitimo contradictore jus facit, quoad alios omnes, l. 2. c. 24. n. 1. Quid in nobilitate apud nos privilegiaria? ibi. n. 2. Quid in poſſeſſoria? ibi. n. 4. Quid in nobilitate proprietatis ſoli, vel ſanguinis? ib. n. 5. Quid in ſententia dicta contra fratrem? ibi. n. 9.

Nobiles apud nos, *de Eſpuela dorada*, *armados*, *ó Cavalleros Pardos*, qui? l. 2. c. 4. num. 11.

Nuptiarum commendatio, & laudes referuntur, l. 1. c. 4. n. 2. & c. 5. Earum nomine, an ſponſalia veniant? l. 2. cap. 12. n. 2. Eas impuberes non contrahunt, nec tutor cum pupilla, aut Rector Provinciæ cum Provinciali, l. 2. cap. 13. n. 1. Impares inter inæquales, ſemper inauſpicatæ, l. 3. c. 1. n. 4. Inter ſervos, & ancillas Eccleſia approbavit, l. 3. cap. 3. num. 6.

O.

OEconomica Principum poteſtas, & ejus effectus, illuſtrantur. l. 3. cap. 47.

Operæ, quæ a libertis patronis præſtantur ſunt officiales, quæ in officio liberti conſiſtunt. Artificiales, quæ in certo artificii genere, l. 4. rel. 9. n. 9. Officiales debentur, etſi promiſſæ non ſint, aut juratæ; non vero fabriles, niſi juratæ ſint, ibi. n. 10. Et tunc ex tali juramento naſcitur efficax verborum obligatio, ibi. n. 12. ubi nn. ſeq. aliæ differentiæ inter eas operas illuſtrantur. Differunt operæ libertorum ab operis ſervorum, l. 4. rel. 12. num. 12.

Oratio Auguſti ad maritos, & cœlibes ex Dione refertur, l. 1. cap. 5. num. 8.

Orbi ex leg. Jul. & Pap. tantum ſemiſſem ſibi relictorum capere poterant, l. 4. rel. 32. num. 11. Conjuges inter ſe, decimam, l. 4. rel. 33. num. 1. Matrimonii nomine, ibi. num. 6. Et alia de portionibus, quas conjuges inter ſe capere poterant exponuntur, ibi. per tot. rel. Militibus, & Reipub. cauſa abſentibus etiam conceſſum fuit hoc jus maritorum, lib. 4. reliquat. 34. per tot.

Ornamenta propriæ dignitatis cum defunctis ſepeliuntur, lib. 1. cap. 19. num. 6.

P.

PAlam quæſtuariæ mulieres, quæ? l. 3. cap. 18. num. 1. Non illæ, quæ uni, aut alteri ſuccubuerunt, ſecus vero, quæ in lupanario conſiſtunt, aut in caupona pudori ſuo non parcunt, ibi. num. 2. Cum eis connubium inhibitum leg. Jul. Senatoribus, & ingenuis, lib. 3. cap. 17. num. 1. Quid ſi palam, ſed non quæſtu? cap. 19. num. 1. Sufficit quod fecerint, etſi pœnitentia ductæ non faciant, lib. 3. cap. 25. per tot. Propter notam, & infamiam ad teſtimonii fidem non admittuntur, l. 3. cap. 26. num. 1. Filia juſte à patre perinde exhæredatur, lib. 3. cap. 26. n. 3. Teſtamenti factionem activam habent, paſſivam illis ademit Domitianus, n. 4.

Palla altaris corpora defunctorum involvi nequeunt, l. 1. cap. 19. num. 5.

Pallium Archiepiſcopi cum eo ſepeliendum, lib. 1. c. 19. num. 5.

Papia Poppæa lex unde dicta? l. 1. cap. 2. n. 2. Lata ad firmandam legem Juliam, lib. 1. cap. 2. num. 2. Diverſa a Papiis de peregrinis, & ſociis, lib. 1. cap. 2. num. 5.

Pater eſt, quem nuptiæ demonſtrant, l. 2. cap. 31. n. 5. Ejus appellatione quando avus veniat? l. 3. cap. 30. n. 9. Solitarius dicitur, qui unicum tantum filium habet, l. 4. r. 32. n. 23.

Patris poteſtas circa nuptias filiorum, & ejus obligatio dotandi filias illuſtratur, l. 4. rel. 31. per tot.

Patritii parentes Principis, & Reipublicæ dicuntur, l. 2. c. 1. n. 5. Aliquando accipiuntur pro allectis in familiam Patritiorum, ibi. n. 9.

Patronus in portione ſibi debita onerari nequit, l. 1. cap. 13. num. 4. Quæ legata præſtet exceptis perſonis? l. 4. rel. 17. num. 31. Si libertum egentem non aluerit, patronatu excedit, l. 4. r. 18. num. 9. Eo damnato capitis, vel deportato, an pereat filiis jus libertorum, l. 4. r. 19. n. 6. Adigere jurejurando nequit libertam ne nubat, l. 4. r. 20. n. 1. Niſi ex juſta cauſa, ibi. n. 6. Ejus filii ſi calumnioſe accuſent libertum, à patronatu cadit, l. 4. r. 19. n. 1.

Pecunia nervus Reipublicæ, l. 1. cap. 6. num. 2. Ejus exactio pro ſepultura improbatur, lib. 1. cap. 17. numer. 2. E ſepulchris erui non poteſt, lib. 1. cap. 18. numer. 3.

Pœna à mulcta quatenus differat? lib. 3. cap. 7. num. 1. Generale nomen eſt coërcitionis, mulcta ſpecialis peccati; mulcta animadverſio pecuniaria eſt, pœna capitis, aut exiſtimationis, ibi. n. 4. Pœna ſingulorum peccatorum, certa eſt, mulcta incerta, & arbitraria, l. 3. cap. 7. n. 12. Pœna non eſt in poteſtate judicis, mulcta ſemel impoſita remitti poteſt, cap. 8. num. 2. Pœna maxime fiſco applicatur, non privato, lib. 3. c. 9. num. 2. A pœna provocatur, à mulcta appellatio non admittitur, ibi. num. 5.

Pœnas à jure ſtatutas quando judex mutare poſſit? l. 3. cap. 9. per tot.

Pœnitentia excuſat à criminibus, præſertim levioribus, l. 3. cap. 24. num. 2. non tamen ſuffragatur ad eas pœnas, quæ irrogantur ipſo jure, ibi. num. 3. ut ſervum à nota fugæ, ibi. num. 5. aut ab infamia, ibi. numer. 4.

Perfectiſſimatus honor, quibus Magiſtratibus olim debe-retur, lib. 2. cap. 36. num. 8. Ea dignitas ſecunda poſt Clariſſimatum, ibi.

Piaculum, quid? l. 1. c. 22. num. 5. Et piacularia auſpicia, quæ? ibi. num. 6.

Politicæ auctoritati ſtandum eſt, ſi materia ſuo genere ſit temporalis, l. 2. c. 47. num. 13. vel ſi quod Eccleſia prohibet, ut minus malum, lex civilis permittit, ibi. num. 15.

Polygamiam, in antiquis Patriarchis quomodo accipiant Sancti P. P. refertur l. 3. cap. 24. num. 3.

Pollinctores libitinariorum adjuvæ, l. 1. cap. 16. n. 3. Eorum volumina, quæ? ibi. n. 3.

Pontificum cognitio Romæ erat de rebus religioſis, ſepulchris, & funeribus, l. 1. c. 22. num. 5.

Porticationes in ſepulchris plerumque fiebant, l. 1. cap. 22. num. 3.

Poſtliminio, quæ reſtituantur? lib. 4. rel. 28. num. 8.

Poſthumus quoad quos juris effectus pro nato habeatur? lib. 2. cap. 5. num. 2. & lib. 4. reliq. 9. num. 4. An quoad immunitatem patri proſit, cap. 5. num. 2.

Præfectus Urbi, quare mancipatus ſpectaculorum editioni dicatur, lib. 2. cap. 47. num. 3.

Præfecti Prætorio, & *Urbi* illuſtres dicti, l. 2. cap. 1. num. 6.

Præpoſiti laborum, ſeu Labarorum, qui? lib. 2. cap. 40. num. 5.

Præſcriptio vicennii obſtat in omnibus fiſci quæſtionibus, ſive cauſis, lib. 2. cap. 16. num. 8.

Præſidum appellatione, qui Magiſtratus comprehendantur, lib. 3. cap. 11. num. 8.

Prætores apud nos jus habent mulctæ dicendæ, l. 3. c. 11. num. 9.

Pretium juſtum annui reditus vitalitii quod? lib. 1. cap. 11. num. 5. Recipi poteſt pro honoratiori loco ſepulturæ in Eccleſia, lib. 1. cap. 17. numer. 2. Loci ſepulchri non obnoxii vigeſimæ, lib. 1. cap. 7. numer. 2.

Princeps ſolutus eſt legibus caducariis, non ita Auguſta, l. 4. rel. 36. num. 33.

Princeps ſecularis, ex vi politicæ poteſtatis, de Chriſtianorum matrimoniis valide contrahendis, vel diſſolvendis, an leges ferre poſſit? lib. 3. cap. 3. per tot. Statuta Galliæ circa matrimonia Principum Regii ſanguinis. Feudatariorum apud Neapolitanos, Militarium Equitum apud nos, referuntur, & examinantur, lib. 3. cap. 51. per tot. Circa ſubſtantiam matrimonii nihil ſtatuere valet, lib. 3. cap. 4. num. 9. Abuſus illud contrahentium publice noxios cohibere, & politica auctoritate corrigere poteſt, lib. 3. cap. 50. ex num. 1. Eadem poteſtate politica cognoſcit de recurſibus per viam violentiæ dictis, & datur decretum laicum, cum apparet, cauſam eſſe profanam, & reum ſecularem eſſe, lib. 3. cap. 52. per totum. Quare tunc cognitio ſit Judicis ſecularis, exponitur, ibi, ex num. 7. Item præſtat licentiam ad erigendum novum Monaſterium, lib. 3. cap. 44. num. 5. Et ſi in Regularium electionibus ſcandalum timeatur, deſignat Prælatum, aut Regium Adminiſtrum, qui adſit Capitulo politica poteſtate, pro pace tuenda, ibi. num. 16. Temporalitatibus, & Regnorum naturalitate Eccleſiaſticos privare valet, lib. 3. cap. 47. num. 1. Et a Regnis expellere, ibi. num. 3. An illis jubere poſſit, ne e certa Urbe Regni excedant? late examinatur, lib. 3. cap. 48. per totum.

Privilegium, filio competens, & nepoti datur, an autem illud amittat ex facto avi, lib. 2. cap. 6. num. 6. & 7. Negativum amittitur 30. annis, affirmativum iouſu decennii, lib. 2. cap. 7. num. 4. Etiam conceſſum Communitati, contrario actu amittitur, ibi. num. 16.

Probationes, in ſummario, non præjudicant quoad plenarium judicium, l. 2. cap. 27. num. 12.

Probrum dicitur dedecus flagitio conjunctum, l. 3. c. 18. num. 8.

Proconſules dicuntur clariſſimi, & ſpectabiles, lib. 2. c. 1. num. 6. Ex Senatorio ordine in Provincias mittebantur, lib. 2. cap. 1. num. 6. Jus mulctæ dicendæ habebant, lib. 3. cap. 10. num. 8. Tutores dare poterant, auctoritatem manumittenti accommodare, criminalem cognitionem exercere, ibi. num. 58.

Procuratori Cæſaris incumbebat cura vigeſimæ, lib. 1. cap. 8. num. 5. & 24. num. 4. De ea non licebat illi tranſigere, d. cap. 8.

Procurator Cæſaris jus mulctæ dicendæ non habet, l. 3. cap. 11. num. 10.

Pronepos ex filio, non ex filia, lege Julia comprehenditur, l. 2. cap. 7. n. 1. & c. 33. n. 3.

Protectorum militiæ magna dignitas, lib. 2. cap. 40. numer. 8.

Proximi ſcriniorum, qui? lib. 2. cap. num. 8.

Pulvinarium uſus, quibus conceſſus? lib. 3. cap. 32. numer. 19.

Publicum judicium dicitur illud, in quo cuilibet ex populo experiri licet, lib. 3. cap. 16. num. 2.

Q.

QUaſi vox expreſſiva veritatis eſt, lib. 2. cap. 5. num. 2.

Quoniam, pro *quamvis* aliquando ponitur, lib. 1. cap. 18. num. 3. & pro *poſtquam* ibi. num. 3.

R.

REcurſus per viam violentiæ probatur, & exponitur, lib. 3. cap. 52. per tot. Ubi de decreto laicorum, à non deferendo appellationi omni jure permiſſus eſt, lib. 3. cap. 53. num. 1. Et hæc defenſio, & tuitio vaſſallorum, non ſolum licita, verum debita eſt à Principe, ibi. num. 12. Etiam admittitur in cauſis immunitatis templorum, lib. 3. cap. 54. per totum. Si agatur de crimine non excepto, pronunciatur, Judicem Eccleſiaſticum vim non facere, lib. 3. cap. 54. num. 4. Si dubitetur, an ſit exceptum, decerni ſolet, vim facere in non deferendo appellationi, ibi. num. 5. Si notorium ſit, reum non confugiſſe ad Eccleſiam, nec ex ea extractum fuiſſe, pronunciatur, vim facere in cognoſcendo, & procedendo, ibi. num. 6. Quid tamen in notorio juris obſervetur, quando conſtat, reum crimen exceptum perpetraſſe, examinatur, num. 7. Etiam admittitur in Supremo Conſilio, in quæſtionibus contributionis Eccleſiaſticæ, quoad vectigalia, quæ vocamus, *Milliones*, lib. 3. cap. 55. per tot. Et cum Clericus vendit ſpecies ſuas minutatim, & Judex Eccleſiaſticus eum defendit, pronunciatur, illum vim facere in cognoſcendo, & procedendo, ibi. num. 40. Item ſi impediat Judex Eccleſiaſticus, ut cum ejus interventu adminiſtrator Regiorum redituum profeſſiones ſpecierum faciat, vulgo, *Aforos*, ibi. num. 17. Etiam ſimilis recurſus datur ad Regiæ Cameræ Conſilium, inhibitis aliis Conſiliis, aut Tribunalibus, in cauſis Regii patronatus, lib. 3. cap. 56. num. 1.

Referendarii, qui? lib. 3. cap. 56. num. 15.

Res judicata pro veritate habetur, l. 2. c. 21. n. 5. Præcipue in cauſa ſtatus, l. 2. c. 22. n. 1. Quando tertio noceat? ibi. n. 6. Contra matrem de ſtatu prolata, an noceat filiis jam natis, l. 2. c. 22. n. 4. differt à juramento, ibi. num. 12. Si perluſorie obtenta ſit, ei tantum nocet, qui perluſorie ſe geſſit, ibi. num. 13. Per colluſionem lata retractatur tam in cauſa civili, quam in criminali, lib. 2. cap. 22. num. 7. In cauſa individua prolata, quibus noceat, lib. 2. cap. 24. num. 9. Quid in cauſis nobilitatis, & puritatis, ibi. & cap. 25. per tot. Non datur in Decretis puritatis, prolatis in Suprema Inquiſit. Conſilio Militarium Ordinum, Collegiis, aut Eccleſiis Cathedralibus, cap. 25. num. 2. In cauſa alimentorum non facit jus, quoad cauſam principalem, lib. 2. cap. 27. num. 2. Lata in judicio ſummario, non præjudicat in ordinario, ibi. num. 9.

Ricinium, quid? lib. 1. cap. 19. num. 22.

Rodericus Caro laudatur, lib. 3. cap. 12. num. 4.

Rogi unctio, aromatum, & florum ſparſio circa illum, illuſtrantur, lib. 1. cap. 16. num. 1.

S.

SAcerdotes Gentilium dicti, Flamines, Phœniciarchæ, & Syriarchæ, lib. 2. cap. 35. num. 4. Eorum ornamenta veſtis purpurea, pileum acuminatum, corona aurea, ibi. n. 8. Eis prohibitum conjugium cum probroſis fœminis, ibi. num. 4. Quandiu, & quatenus ſteterint ſub Conſtantino, & aliis Principibus Chriſtianis, lib. 2. cap. 38. per tot. Ex decreto D. Petri, ubi erant primi Flamines, Primates, ſeu Patriarchæ conſtituti fuerunt, lib. 2. cap. 42. num. 6. Ubi minores Flamines, Sacerdotes, ibi. n. 6.

Sarcophagus pro arca, urnave accipitur, lib. 1. cap. 22. num. 1. Impenſa in eo facienda exponitur. ibi.

Scantinia lex, quæ? l. 1. c. 22. n. 4.

Scenici, ſive *ſcenicæ*, quæve ludicræ artis cauſa in ſcenam prodeunt, infamia notantur, l. 2. cap. 28. n. 5. Ideo negantur illis decoramenta honeſtarum perſonarum, imo illis adimitur jus poſtulandi, accuſandi, teſtimonii dicendi, conquerendi de inofficioſa exhæredatione, ibi. n. 6. Ejurantes ſcenam admittebantur ad

Baptiſmum

Digitized by Google

Baptiſmum, & ad nuptias, lib. 2. cap. 35. num. 14. Prohibitum connubium cum ſcenicis, leg. Pap. & novioribus Conſtitutionibus ingenuis, & Senatoribus uſque ad Juſtinianum, qui primo improbavit, poſtea permiſit, l. 3. c. 38. n. 2.

Sedilium Neapolitanorum inſtitutio refertur, l. 2. c. 26. num. 1. Admiſſio ad ea per redintegrationem tranſit in vim judicati, ibi. num. 2. prodeſtque aliis ex familia, etiam collateralibus, ibi. num. 3. Aliud in admiſſione per allectionem, ibi. num. 4. Ab eis, & jure ſuffragii arceri Clericos, an ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam, ibi. num. 10.

Senatores, qui dicantur? l. 2. cap. 1. num. 5. Appellantur clariſſimi, ibi. n. 6. Qui Magiſtratus eorum appellatione veniant, ibi. num. 5. Inſerre in publicum cogebantur, functionem glebalem, ſeu munus, l. 2. cap. 3. num. 4. Eorum immunitates recenſentur, ibi. num. 8.

Senatoribus, eorum filiis, & nepotibus, lege Pap. nuptiæ prohibitæ fuerunt cum libertinis, l. 2. cap. 1. n. 1. & 21. & l. 3. cap. 2. num. 3. Et cum Latinis, l. 2. cap. 30. num. 10. Et cum tabernariis, & earum filiis, l. 2. c. 41. n. 1. Et cum filia arenarii, ibi. num. 2. Et cum his, quorum pater, materve artem ludicram fecit, ibi. n. 2. & cap. 28. Ubi ratio prohibitionis illuſtratur. De facto contractæ non ideo irritæ, l. 2. cap. 8. n. 4. Illis etiam non licuit, cum lena, ibi. num. 3. Cur aliquando hæc prohibitio tribuatur Orationi Marci, exponitur, l. 2. cap. 8. num. 2. Semel celebrato matrimonio, an ſuperveniente ignominia diſſolvatur? l. 2. c. 31. per tot. Si uxor artem ludicram fecit dimittitur, l. 2. c. 32. num. 6. Quando, & quatenus prohibitio hæc Senatorū connubii permanſerit? l. 2. c. 36. num. 1. Prohibitum & illis connubium ex eiſdem legibus cum deprehenſa in adulterio, l. 3. c. 14. Et cum damnata publico judicio, l. 3. cap. 15. & 16. Et cum ea, quæ corpore quæſtum faciebat, l. 3. cap. 17. per tot.

Senatorum filii dicuntur non ſolum naturales, verum & adoptivi, lib. 2. cap. 2. num. 1. & cap. 31. num. 4. Si non emancipati reperiantur, ibi. num. 3. Etſi nati ante Senatoriam dignitatem, l. 2. cap. 4. num. 4. Etiam poſthumi, lib. 2. cap. 5. n. 1.

Sepultura cadaveri competit jure naturali, l. 1. cap. 21. num. 10. Apud Hebræos peregrinis non denegata, apud veteres Hiſpanos ſignata duabus litteris Græcis ✶✶, & quare, ibi. num. fin.

Servus ſibi habere aliquid non poteſt, poſſidere valet, lib. 2. cap. 8. num. 12. Capax eſt obligationum juris gentium, l. 4. rel. 9. num. 19. Manumiſſus, ex his, quæ in ſervitutem flagitioſe admiſit, tenetur, l. 3. c. 15. n. 19. Et poſt manumiſſionem incipit infamia notari. ibi. n. 8.

Sexagenarii immunitates recenſentur, l. 1. c. 10. n. 5. Ejus vacatio, quoad Senatoria, & militaria munia, refertur, l. 1. c. 10. n. 5.

Signum Crucis aliqui exponunt, l. 1. c. 13. n. 1.

Signum Dei, id eſt, Imagines ejus, Gentiles ſæpius publice collocari, juſſerunt, ibi. n. 1.

Siliquaticum tributum, quid, & qui ſolvere teneantur? lib. 1. cap. 24. num. 5. Ab eo immunes ſunt Eccleſiæ, & loca pia ex rebus, quæ illis obvenerunt.

Sobolis procreatio in magna cura apud omnes nationes fuit, l. 1. c. 5. n. 2.

Soldaderas olim apud noſtros, quæ fœminæ dictæ? l. 2. c. 44. n. 14.

Spadones, & *Eunuchi*, qui, & unde dicti? l. 3. cap. 4. num. 3. Generale eorum nomen, tam de ſterilibus natura, quam de exſectis, ibi. n. 4. Qui uxores ducere poſſint, & matrimonii cauſa ancillas manumittere? l. 3. c. 4. num. 5. Adrogare valent. ibi. num. 6. Non arcentur à militia, ibi. n. 7.

Sponſalia, & *nuptiæ* differunt toto genere, l. 2. c. 12. n. 1. Nuptiis prohibitis, an & ſponſalia, ibi. n. 6. Quid in Rectore Provinciæ, aut tutore, l. 2. c. 1. n. 3. Abſque Parocho, & teſtibus valide, & licite celebrantur, ibi. n. 11. quæ ſolemnitas in eis adhibita, ibi. num. 12. Illa qui contrahere poſſint, lib. 4. reliq. 4. num. 2.

Sponſalitia largitas non poteſt promitti ultra octavam partem dotis acceptæ, l. 1. c. 11. n. 6. Non pendet à nuptiis, ut dos, lib. 2. cap. 17. numer. 8. Inter conjuges injuſtos quatenus lucretur? lib. 2. c. 20. num. 10.

Statuas in honorem privatorum poſitas in publicum, an fiſcus occupet, aliis bonis ereptis? lib. 4. reliq. 38. numer. 2.

Stoici, ſicut virtutes omnes pares, ita paraloge peccata omnia per ſe æqualia ſtatuebant, lib. 2. cap. 34. num. 6.

Stola ornamentum matronarum eſt, lib. 3. cap. 28. numer. 2.

Stuprum cum virginibus, viduiſque honeſtis committitur, l. 3. c. 33. n. 1. In meretricibus, nec datur, nec punitur, ibi.

Subſtitutiones an inductæ, ut caduca ceſſarent? l. 4. rel. 35. n. 30.

Suffitio, quid? l. 1. c. 22. n. 6.

Sui hæredes immiſcent ſe paternis bonis, etſi aliquando ſe abſtineant, l. 1. c. 28. num. 2. Ipſo jure hæredes patri exiſtunt, ideo in eis non datur hæreditas jacens, ibi. num. 1. Immunes ſunt a vigeſima, l. 1. cap. 24. num. 2.

Supplicatio in rebus fidei, è Cathedra decretis, nunquam in Hiſpania admiſſa, l. 3. c. 44. num. 1. Si autem non e Cathedra, ſed extra ordinem aliqua aſſertio damnetur, licet aſſertionis auctori ſupplicare, ibi. n. 3. nec etiam admittitur à decretis de moribus, ibi. n. 4. Admittitur tamen a ſimilibus decretis, ſi non pro majori diſciplina edantur, ibi. num. 5. Ut contingit apud nos in ſupplicatione Bullæ Pii V. de cenſibus, Bullæ Gregorii XIV. de immunit. ibi. num. 5.

T.

Tabulæ matrimoniales in quibus nuptiis deſideratæ, ex priſco jure? l. 2. cap. 40. num. 3. Et ex novo Juſtiniani, ibi. num. 20. Attento jure Canonico, cui ſtandum eſt, non ſunt neceſſariæ, lib. 2. cap. 41. numer. 14.

Tabernariæ fœminæ plerumque lenæ, & meretrices, l. 3. c. 41. n. 1. Ideo cum eis prohibitum connubium ingenuis, ibi. n. 1.

Tacita fideicommiſſa quatenus fiſcus occupet, l. 4. rel. 39. num. 1.

Teſtamentum poſt mortem teſtatoris ſtatim aperiendum, lib. 1. cap. 25. num. 1. Si hæres abſens eſſet, quod tempus ex cap. 2. leg. Jul. de vigeſima, daretur? ibi. num. 2.

Thibiæ, qui? l. 3. c. 4. n. 4.

Titia lex, quæ? l. 1. c. 2. n. 2. & 4.

Toga Romanorum cadaverum indumentum, Græcorum pallium, lib. 1. c. 19. n. 4.

Tranſactio in prædiis minorum, Eccleſiarum, & majoratus quando licita, l. 1. c. 7. n. 1. Non aliter conſtat, niſi dato aliquo, vel promiſſo, ibi. n. 2. Tutoribus, curatoribus, & adminiſtratoribus, quando permittatur? ibi. num. 3. Exactoribus tributorum, aut curatoribus fiſcalis pecuniæ, non permittitur, ibi. num. 4. Non fit niſi de lite præſenti, aut futura, l. 1. cap. 9. num. 1.

Tranſlatio cadaveris, quando permiſſa, lib. 1. cap. 22. num. 2.

Tribades, ſive *frictrices*, quæ? l. 3. c. 15. n. 3.

Turbam quot homines faciant? l. 2. c. 10. n. 9.

Tutor pupilli, non Senatoris, creatus, Senator eximitur à tutela, l. 2. c. 32. n. 5.

Thymelici unde dicti? l. 2. c. 29. n. 1. Faciebant artem ludicram, ibi. n. 2. Inter Hiſtriones, & Mimos recenſentur, ibi. n. 6.

V.

VEctigal funeris pro portorio aliqui accipiunt, l. 1. c. 17. num. 4. Non debetur ex tranſlatione cadaveris, l. 1. c. 17. n. 4.

Velleiani exceptio obligationem naturalem non perimit, l. 2. c. 21. n. 21.

Venalitium vectigal, quod? l. 1. c. 10. n. 3. vulgo, *Alcabala*, vocatur, ibi. Debetur ex rebus majoratus, cum facultate venditis, l. 1. c. 10. n. 5. Ex uſufructu vendito, & tunc quomodo computandum? l. 1. c. 11. n. 6. Ex hæreditate ſolvit venditor, non emtor, l. 1. c. 12. num. 6. Non debetur ex rebus venditis ad funeris impenſas, vel ad pietatis uſus, l. 1. cap. 14. numer. 5. Nec ex jure ſepulturæ vendito, libr. 1. cap. 17. numer. 2. Ex hæreditatibus debitum non præſtatur à ſuis hæredibus, lib. 1. cap. 23. num. 3.

Veſpillones plerumque ſpoliatores cadaverum, l. 1. cap. 18. num. 3.

Veſtalis virgo, quomodo legenda? libr. 4. rel. 22. numero 1. Eadem præmia habebat, quæ trium liberorum mater, ibi. Jus teſtandi habebat etiam vivente patre, ibi. numer. 1. Et bona adminiſtrandi ſine tutore, ibi.

Veſtiarii funebris duplex uſus, l. 1. cap. 18. num. 1. Ejus appellatione veniunt non ſolum veſtes, quibus cadaver induitur, ſed quæ lecto, aut ſarcophago inſternuntur, ibi. num. 1. Ad utrumque non veſtes pretio-

Digitized by Google

ſæ, ſed intra probabilem modum impenduntur, l. 1. cap. 19. num. 1.

Veſtes lugubres, an ex quinto bonorum deducendæ, lib. 1. cap. 20. num. 1. Earum uſus modicus licitus eſt, an taxari legibus ſecularibus poſſint, lib. 1. cap. 21. numer. 1.

Vigeſimæ vectigalia varia referuntur, l. 1. cap. 7. num. 2. Vigeſima hæreditatum à quibus exigebatur? l. 1. cap. 9. per tot. Publicani non nunquam eam conducebant, l. 1. cap. 9. num. 3. Ex alimentis annuis quomodo exigebatur, l. 1. cap. 10. num. 2. Non præſtatur ex alimentis, pauperibus relictis, l. 1. cap. 11. num. 3. Nec de relictis rebus, pietatis intuitu, l. 1. cap. 13. per tot. Nec ex impenſis funeris, c. 14. n. 15. & 21. & 22. Ab ea immunes ſui hæredes, l. 1. c. 23. n. 1. & 24. Item matres, & filii invicem ſibi ſuccedentes, ibi. n. 1. Et filii emancipati, ibi. n. 2. Fratres, & ſoror, avus, & nepos, ibi. num. 2. Non fuit ſublata ab Imperatore Gratiano; tempore tamen Juſtiniani, jam e Republica Romana receſſit, l. 1. c. 26. n. 2.

Vidua dicitur, quæ nupta fuit, l. 4. rel. 27. n. 6. Novas nuptias contrahere nequit intra tempus luctus, ne fiat turbatio ſanguinis, & propter reverentiam, maritis debitam, l. 2. c. 12. n. 11. Alias infamia civili notatur, l. 3. c. 50. n. 3. An tamen hæc pœna poſt Sacros Canones duraverit, & imponi poſſit à Principe politica auctoritate, examinatur, ibi. n. 4. Sponſalia impune contrahebat, l. 4. rel. 4. num. 2. Intra annum non tenebatur pœnis legis Papiæ, l. 4. rel. 2. n. 6. Quid circa viduas Regum, ſtatutum legatur apud nos, & varias nationes? refertur, lib. 3. cap. 51. num. 7.

Vidua honeſte vivens, immunis eſt à capitatione plebeïa, l. 3. c. 28. n. 1. Tutela filiorum conſervatur illi, quandiu vidua, & pudice vivit, ibi. n. 2. Radiis nobilitatis mariti coruſcat, ibi. n. 3. Habet jus revocandi cauſas ad Auditorium Principis, ibi. num. 5. Luxurioſe vivens amittit relicta a marito, & quæſita conſtante matrimonio, l. 3. c. 27. n. 1. Priora bona ob unicum tantum ſtuprum intra annum luctus, Poſteriora ſi luxurioſe vivat pluribus ſtupris, ibi. num. 5. Quoad præmia ſufficit unum ſtuprum, quoad pœnas deſideratur vita flagitioſa, l. 3. c. 28. n. 8. Inhoneſte vivens nequit revocare donationes ob ingratitudinem filiorum, l. 3. c. 28. n. 8.

Viſitatorum Regiorum auctoritas, & munia illuſtrantur, l. 3. c. 6. n. 10.

Viſellia lex quando, & ſub quibus Conſulibus lata? l. 3. c. 1. n. 12.

Unguenta in funere adhibita, l. 1. c. 15. n. 3. Cum coronis admixta, l. 1. c. 16. n. 6. Inter funeris impenſas recenſentur, n. 3. Apud Hebræos, & Chriſtianos unctio hæc recepta, c. 16. n. 5.

Vox, *videndum*, non dubitantis, ſed modeſte affirmantis eſt, l. 1. c. 14. n. 1.

Uſurpantes inſignia dignitatis indebitæ quatenus puniantur, l. 3. c. 1. n. 14. & c. 15. n. 26.

Uſusfructus non cadit in fiſcum ex aliqua cauſa, lib. 2. c. 16. n. 3.

Uxor per coëmtionem ducta, jura ſoitatis aſſequebatur, l. 1. c. 23. n. 3. Injuſta capit ex judicio mariti, ſed fiſcus aufert, l. 2. c. 15. n. 2. & c. 16. Provincialis Rectori nupta, an capiat ex ejus teſtamento, l. 2. c. 15. n. 2. In adulterio deprehenſa quando dicatur. l. 3. c. 14. Quibus pœnis puniatur, ibi. n. 3. Ad infamiam ſufficit deprehenſio, ibi. n. 4. Differentia adducitur inter deprehenſam, quoad legem Jul. de adulter. & leg. Jul. & Pap. ibi. n. 7. Et quoad damnatam de adulterio, c. 15. n. 1. Publico judicio damnata duci non poterat ab ingenuis, l. 3. c. 16. n. 1.

AD

AD TITUM CAIUM,

DE USUFRUCTU MUNICIPIBUS LEGATO, DISSERTATIUNCULA EXTEMPORANEA, PUBLICE APUD SALMANTICENSES EX SUGGESTU HABITA, AUSPICALI PROFESSIONIS DIE.

A U C T O R E

D. FRANCISCO RAMOS DEL MANZANO, J. C.

A N N O C H R I S T I A N O 1623.

PRofiteor, & agnoſco ingenue in hoc aditu, eſſe anteloquium hoc, quod aliis ſolemne, aut jucundum, mihi neceſſarium. Scilicet conciliandi cæteris faciles auditorum animi; mihi difficiles parandi, temeritatis deterſa nota. Prodeo hem, octo decennis candidatus in proſcenium, petendæ Primariæ Cathedræ, præter annarias leges. Video Muſarum ipſam ſedem, doctrinæ officinam, Minervæ fanum. Adſunt ſupremi ſubſellii Senatores,

Ductores Danaum delecti, prima virorum.

Accedunt competitores veterani, mille omnes coronis, mille donis inſignes. Illuſtrandus per ſeſquihoram Pandectarum locus, in quo perpetuæ adhuc tenebræ, & caligo. Et ſane hæc tot, tantaque aliquid me turbant (fateor) non tamen deturbant. Hæ noſtræ in Romano jure vigiliæ, hi progreſſus (generoſe potius dicam, quam ſuperbe) ut animum adverſus talia firment, non ſatis firmum. Præterea decretum jam diu mihi, decurrere profeſſionis hunc curſum; quem quando melius ordiar, quam celebri, & Olympico iſto agone. Optant fidentes, & animoſi Imperatores cum omnibus inimicorum copiis confligere uno Marte: ita ego & in hoc extemporalis lectionis ſtadio ſæpe ſudaturus, in lubrico primum gradum pono. Vos labantem pedem firmate, jacentem attollite, vacillantem ſuſtinete, clariſſimi auditores. Aſylum, perſugiumque mihi in lenitate veſtra, quod niſi panditis, fluctuabor: pandite, quæſo, tranabo per has ſalebras, & æſtuantia vada inconcuſſus, ſi portum hunc reſpicio, clamabo vera, magnaque voce,

. . . . . *Mediis tranquillus in undis.*

Titus Caius in his libris, quibus edictum Urbicum ab honorarii juris auctoribus, Prætoribus nimirum, propoſitum diligenter expoſuit, cum caput edicti, de legatis conceptum, interpretaretur, *lib. 3. de Legatis*, his verbis uſus eſt, ſi Pandectarum concinnatoribus fidem habemus, qui *lib.* 33. *Digeſtorum tit.* 2. *cap.* 8. ex eo fragmentum collocant, ſic conceptum: *Si uſusfructus municipibus legatus erit, quæritur, quouſque in eo uſufructu tuendi ſint. Nam ſi quis eos perpetuo tuetur, nulla erit utilitas nudæ proprietatis, ſemper abſcedente uſufructu. Unde centum annos obſervandos eſſe conſtat, qui finis vitæ longiſſimus eſſet.*

Hæc Caii noſtri verba, quorum explicatio ſortito nobis obtigit. In quibus ſi, caligaſſe tam pedarios, quam criticos Romani juris expoſitores, dixero, nil profecto novum dixero, aut inauditum his, qui vel primoribus labris limpidiſſimos juriſprudentiæ latices deguſtarunt. Quis enim pedem in his ſalebris fixit? quis tam lubricum locum ſine lapſu percurrit, aut relapſu? non Bartolus olim, aut Accurſius; non Cujacius hodie, aut Duarenus. Vos oram ſolventibus bene precamini, juvate, ſuggerite, dirigite, æqui rerum harum æſtimatores. Vos ſi qui tamen ſunt non æqui, quibus, ſuggillare noſtra, ſtudium, corrigite: ego utroque affectu utar, ad unum finem, emendandi, & diſcendi.

Verum ut hi, qui ignotum iter ſuſcipiunt, limitem, aut aggerem aliquem comprehendunt, quem inſiſtant; ita ego Caii noſtri verba tutus ab errore, aut lapſu. Hem dilucidam forſan eorum paraphraſim. Uſusfructus, jus nimirum utendi, & fruendi, ſalva rerum ſubſtantia, legatus eſt municipibus. Quinam autem fuerint municipes, & unde dicti, luculenter explicat *Agellius lib.* 16. *Noctium Atticarum cap.* 13. his verbis: *Municipes ergo ſunt cives Romani ex municipiis, legibus ſuis, & ſuo jure utentes; muneris tantum cum populo Romano honorarii participes: à quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla lege populi Romani, adſtricti.* Marcus Varro *libro* 4. *de Lingua Latina*, illic: *A munere municipes, qui una munus fungi debent, dicti*: Flaccus Siculus *libro de Conditionibus Agrorum*: ibi: *Municipia quidam putant à munitionibus dicta; alii à munificentia, eo, quod munificæ eſſent Civitates.* Paulus *in lege munus* 18. *D. de verb. ſign. circa finem* ibi: *Igitur municipes dici, quod munera civilia capiant.* Quibus locis, præter eum, quem ex Flacco Siculo citavimus, allatis, obſervat Briſſonius, omnibus eruditionis numeris abſolutus Juriſconſultus, *de Verb. Sign. lib.* 11. *verbo municipes*, ex quibus apparet, quibus uſusfructus apud Caium legatus ſit.

Municipibus igitur datum legatum: idque municipio ipſi datum, videri, non obſcure Caius ſignificat *in extrema*, ubi ſcribit, id legatum centeſimo anno finiri, qui finis vitæ longiſſimus eſt. Quippe, ſi municipum, id eſt ſingulorum civium perſonas intueremur in hoc legato, ipſorum potius interitum, qui etiam ante centum annos accidere poſſet, ut Alphenus ſignificat, *in l. proponebatur 76. D. de judiciis*, expectaremus, quam centum annorum ſpatium. Nec novum autem, nec inſolens eſt in civili jure noſtro, ut civibus ſingulis datum legatum, civitati datum videatur; ita enim Papinianus ſcribit *in l. 2. Pandectis de rebus dubiis*, ibi: *Civibus Civitatis legatum, vel fideicommiſſum datum, Civitati relictum videtur*: & Hierophylacio, Sacerdotique legatum relictum annuum, templo datum videtur, ex Scævolæ ſententia *in l. annua* 20. *§. Attia, D. de annuis leg.* Id vero & Civitatis appellatio manifeſtario pervincit. Quod enim his, qui humanioribus diſciplinis, politiori juriſprudentia, vel leviter tincti ſunt, non modo imbuti, ſatis liquet, *Civitatis*, verbo, apud claſſicos Latinitatis ſcriptores, non lapides, aut muri, ſed cives ipſi ſignificari. Idque ex Nonio Marcello eviden-

Digitized by Google

ter probari poteſt, qui hanc inter Urbem, & Civitatem differentiam conſtituit, his verbis: *Urbs eſt ædificia, civitas incolæ.* Cui concinit Marcus Cicero *in ſomnio Scipionis*, ibi: *Nihil eſt illi principi Deo, qui omnem mundum regit, gratius, quam concilia, cœtuſque hominum jure ſociati, quæ civitates appellantur.* Divus Iſidorus *lib. 5. Etymologiarum*, ibi: *Civitas eſt hominum multitudo, ſocietatis vinculo adunata ad jure vivendum, dicta à civibus, id eſt, ab ipſis incolis Urbis pro eo, quod plurimorum conſiſtuat, & contineat vitas; nam Urbs ipſa mœnia ſunt, civitas autem non ſaxa, ſed habitatores vocantur.* Et ex his locis hanc inter Urbem, & Civitatem differentiam obſervarunt Menochius *lib. 4. de Præſumptionib. præſumpt.* 111. *n.* 14. *cum ſeq.* Ræwardus *lib. 2. Var. cap.* 16. Briſſonius, aliis adductis, *lib. 3. de V. S. verb. Civitas.* Quibus addo ex noſtra penu Marcum Ciceronem *in oratione pro Sexto*, his verbis: *Tum conventicula hominum, quæ poſtea Civitates nominatæ ſunt, tum domicilia conjuncta, quas Urbes dicimus, invento, & divino, & humano jure mœnibus ſipſerunt.* Ariſtotelem *in libris de Republica*, ubi Civitatem definit, gentium, virorumque in vita, perfectam, ſeque ipſa contentam communionem. Juſtinum *lib. 2. ex Trogo*, ibi: *Themiſtocles perſuadet omnibus, patriam municipes eſſe, non mœnia: civitatemque non in ædificiis, ſed in civibus poſitam.*

3 Hac hypotheſi propoſita, quærit Caïus, quo tempore legatus uſusfructus extinguatur. Ambigendi ratio oria ex ipſiſſimis civilis prudentiæ elementis, rem varie diſtrahentibus. Quippe uſusfructus legatus ea eſt in cauſa, ut quia perſonæ cohæret, ejus interitu perimatur, ut Juſtinianus docet *in §. finitur, Inſtit. de uſufructu.* Ulpianus *in l. 3. §. ultim. D. quibus mod. uſusfruct. amit.* his verbis: *Morte quoque amitti uſumfructum, non recipit dubitationem; cum jus fruendi morte extinguatur: ſicuti ſi quid aliud, quod perſonæ cohæret.* Hanc vero deſultoriam veterum traditionem, ſi in noſtra ſpecie ſequimur, eveniet, ut uſusfructus (niſi aliis legitimis modis amittatur) non aliter intereat, quam morte ipſius municipii, non vero ullo tempore. Sed ex adverſo opponitur alia recepti juris definitio, qua docemur, uſumfructum perpetuum eſſe, non debere, ne inutilis ſit in univerſum proprietas, ſemper abſcedente uſufructu; ut Caius noſter expreſſit *in l. 3. §. 1. D. de uſufructu:* à quo exſcripſit, ut ſolet, Juſtinianus *in §. uſusfructus, circa finem, Inſtit. de uſufructu.* Atqui Civitates non facile capite minuuntur, non facile intereunt, ut Caius admonuit *in l. an uſusfructus 56. D. de uſufruct.* quo loci ſic inſit: *An uſusfructus nomine, actio municipibus dari debeat, quæſitum eſt. Periculum enim eſſe, videbatur, ne perpetuus fieret; quia neque morte, nec facile capitis diminutione periturus eſt.* Capite autem minui municipes vix poſſe, probat Antonius Goveanus *lib. 2. Variarum lect. cap.* 8. ex Cicerone *oratione pro Cæcinna:* cui conſentit Connanus *lib. 4. Comment. cap. 6. num.* 5. Cujacius *lib. 17. quæſtionum Papiniani, in l. Mævius 66. §. ult. D. de legat.* 2. de quo poſtea. Civitates autem non facile interire, rerum demonſtrant experimenta. Unde & immortales vocantur à Juſtiniano noſtro, hactenus illaudato, *in l. 57. verſ. homini, in verſione Contiana, Cod. de Epiſcop. & Clericis*, Iſocrate, & Juliano Imperatore *in Epiſtola pro Argivis*, apud Petrum Fabrum *lib. 2. Semeſtrium, cap.* 8. Cum ergo Civitates, neque facile intereant, neque facile capite minuantur, ſi uſufructu his legato earum interitum expectamus, eveniet, ut uſusfructus ſit fere perpetuus, hærede, à quo legatus eſt, nudum, & inane proprietarii nomen retinente. Expreſſit autem hanc rationem dilucide Caius *in dict. l. an uſusfructus 56. & in hac noſtra lege, in verſ. nam ſi quis eos.*

4 His rationibus confligentibus, mediam viam ſecuti ſunt veteres prudentes, interque eos Caius noſter; is enim ex recepta juris auctorum ſententia (quam indicat verbum, *placuit*, in *dict. l. an uſusfructus 56.* & verbum *conſtat*, quo hic utitur; ſi conjungas Briſſonium *lib. 3. de Verb. Sign. verbo, conſtat*, & *lib. 14. verbo placuit*) ſcribit, centum annos expectandos eſſe, aut obſervandos, ut is loquitur eadem notione, & ſenſu. Quo tempore præſtituto, & municipibus conſulitur, & proprietario hæredi. Ideo autem id tempus centum annorum electum; quia Reſpublica pro longævo homine accipienda, ut Græco proverbio expreſſit Gothofredus hic *litt. A.* Cujacius *lib. 15. Obſervat. cap. 22. & lib. ſingulari de Præſcript. cap.* 34. Albericus *in dict. l. an uſusfructus 56. num.* 1. Alphenus *in l. proponebatur 76. D. de judiciis:* ibi: *Et populum eumdem hoc tempore putari, qui ab hinc centum annis fuiſſet; cum ex illis nemo nunc viveret.* Atqui centum anni ſpatium longiſſimum eſt feneſcendorum hominum, quam cauſam reddidit Caius *in hoc loco, & in dict. l. an uſusfructus 56.* cui adſtipulatur Juſtinianus, qui *in l. ult. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* centum annos appellat terminum humanæ vitæ, & *in Authentica, ut Eccleſia Romana centum annorum gaudeat præſcriptione.* Alphonſus noſter *in l. 26. titul. 31. part.* 3.

5 Hæc ſententia inter ſtata, & ſolemnia juris noſtri dogmata recenſeri poteſt. Illuſtratur autem ex Marco Varrone *in lib. 5. de Lingua Latina*, qui his verbis uſus eſt: *Sæculum, ſpatium centum annorum vocarunt; dictum à ſene, quod longiſſimum ſpatium ſeneſcendorum hominum id putarunt.* (Et apud Lucianum *in Hermotimo*, Licinius *ad Hermotimum* ſic loquitur: *Atqui, ò bone, multo juſtius de parente tuo Menecrate, & matre, quodcumque tandem fuerit illius nomen, imo, neſcio, & an magis de natura ipſa conquæraris, quod te longævum, ut Tithonem, non fecerint, ſed tibi, utpote homini, vitam centum annorum ſpatio definierint.*) Trebellio Pollione *in Claudio*, his verbis: *Mathematici quidam centum, & viginti annos homini ad vivendum datos, judicant; quamvis non omnes eam ætatem attingant; qui enim abrumpunt ſtulti ſibi ſilum ætatis ſuæ? Nec amplius cuiquam jactitant eſſe conceſſum, quam centum & viginti annos: illud inſuper addentes, Moſem, ſolum Dei (ut Judæorum libri loquuntur) familiarem centum & viginti annos* (ita legendum ex Cujacii correctione proba) *vixiſſe. Qui cum quæreretur, quod juvenis interiret; reſponſum ei ab incerto, ferunt, numine neminem plus eſſe victurum* (quo loco, quod de Moſis ætate ſubobſcurius, ut ab Ethnico ſcriptore, traditur, confirmatur ſacris in libris *Deuteronomii cap. 31. cap. ult.* & *Geneſis cap.* 6.) Dioſcoride, qui anno quoque centeſimo vitam hominis circumſcribit, rationem commentitiam affert ex cordis natura; id enim in annieulo menſuram habet duarum drachmarum ponderis: ſicque deinceps creſcit duabus drachmis in ſingulos annos uſque ad quinquaginta; à quinquageſimo autem uſque ad centeſimum decreſcit duabus drachmis in ſingulos annos. Hinc efficitur, ut poſt centum annos cordis delapſu nullum ſuperſit vitæ veſtigium. Dioſcoridis autem ſententiam hanc Ægyptiis quibuſdam adſcribit Plinius, *lib. 11. Naturalis Hiſt. cap. 37. pag. mihi* 298. Quibus ex locis, & aliis pleriſque, hanc ſententiam de centum annorum ſpatio, illuſtrant, Corraſius *lib. 5. Miſcellan. cap.* 18. Petrus Faber *lib. 5. Semeſtr. cap.* 8. ductor, Doctorque meus Anton. Pichardo in *§. finitur, num. 7. Inſtit. de uſufructu.* Menochius *libr. 6. de Præſumpt. præſumpt.* 49. Antonius Gabriël *in ſuis Concluſionibus Communibus, lib. 1. tit. de præſumptione, concl. 16. num.* 3. Petrus Buſſius *in l. ſi uſusfructus 21. num. 2. D. quemadmod. uſusfructus.* Cælius Rhodiginus *lib. 19. Antiq. Lect. cap.* 21. Riminaldus Junior *in l. ſi emancipati, num. 124. Cod. de collationibus.* Donellus *lib. 10. Com. cap.* 17. Oſwald. *ibi, litt. B.* Gothofredus *in l. ult. litt. Q. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Cujacius *lib. 15. Obſerv. cap. 22. & lib. ſingulari, de Præſcript. cap.* 34. cum aliis, quos pleniore manu infra advocabimus.

6 Ex qua ſententia ſolent Accurſiani vulgo dicere, præſumi quemvis vivere centum annos. Ita Accurſius, & Bartolus *in l. 2. §. ſed ſi dubitetur, D. quemadmod. teſtament. aper.* Angelus, Romanus, Imola, & Alexander *in l. ſed etſi de ſua, D. de acquirend. hæred.*

Digitized by Google

hæred. Corneus *in l. ſi emancipati*, *num.* 5. *Cod. de collationibus.* Caſſaneus *in Conſuetudinibus Burgundiæ*, *Rubrica* 6. §. 4. cum aliis, quos citat Menochius *dict. lib.* 6. *de Præſumt. præſumt.* 49. *num.* 9. Arias Pinellus *in l.* 2. *part.* 3. *cap.* 4. *num.* 33. *Cod. de reſcind. vendit.* Joannes Guterrius *lib.* 2. *Pract. quæſt.* 7. *num.* 2. & 3. Alciatus *de Præſumt. regula* 1. *præſumt.* 44. *n.* 1. Dionyſius Gothofredus *in l. ult. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Covarr. *lib.* 2. *Var. cap.* 7. *num.* 6. Gregorius Lupus *in l.* 26. *tit.* 31. *part.* 3 *gloſ.* 2. & *in l.* 4. *tit.* 15. *part.* 2. *col.* 3. *poſt princip. gloſſ.* 1. Longe tamen probabilius eſt, non præſumi quemquam vivere centum annos. Idque liquidiſſimis argumentis, ne in re protrita immoremur, pervicere, poſt Bartolum *in l.* 2. *col.* 3. *Dig. judicatum ſolvi* (in cujus ſententiam catervatim iere Decius *in l. ultim. num.* 28. *Cod. de Edicto Divi Adriani tollendo*, aliique plerique ex implumibus illis juriſprudentiæ pullis) Menochius *lib.* 9. *de Præſumt. d. præſumt.* 42. ex profeſſo, Pinellus in *dict. l.* 2. 3. *part. cap.* 4. *num.* 33. *Cod. de reſcind. vend.* Corraſius *libr.* 5. *Miſcellaneorum*, *cap.* 18. Joannes Gutierrez *lib.* 2. *Pract. dict. q.* 7. *num.* 5. Covarruv. *dict. lib.* 2. *Variar. cap.* 7. *num.* 6. *verſ.* 3. Ex quibus affatim rei hujus explicatio hauriri poteſt.

7 Hæc de centum annorum extremo vitæ ſpatio, communita à nobis definitio, non adeo inconcuſſa, quin obloquantur refractarii quidam. Scripſit enim Cornelius Tacitus *in Dialogo de Oratoribus*, centum, & viginti annos unius hominis ætatem eſſe. Scripſit & Seneca *Epiſt.* 92. centum annorum ætatem ne homini quidem extremam eſſe. Stabiliturque hæc ſententia Geneſ. *cap.* 6. ubi Dominus, ut alia omittam, ait de homine, fore illius ætatem centum, & viginti annorum. Quæ verba Gratianus propoſuit *in cap. prædixerat de pœnitentia*, *diſt* 1. Accedunt Philoſophorum, aliorumque placita varia, quorum meminere, permultis laudatis, Albericus *in dict. l. an uſusfructus* 56. *num.* 2. & 3. Menoch. *de Præſumt* 49. *n.* 7. 14. 26. Gothofredus *in dict. l. ult. litt. R* & *Novell. d. Monachis*, 5. *cap. litt. A.* Suffragantur præterea longiſſimæ ætatis exempla, quæ de Æthiopibus, Indis, & Argantonio quodam Gaditano, ex Aſinio Pollione, & Herodoto, producit Valerius *lib.* 8. *cap.* 7. Plinius *lib.* 7. *Naturalis Hiſtoriæ*, *cap.* 48. atque ex his Corraſius, & Riminaldus Junior *citatis in locis.* Cælius Rhodiginius *lib.* 2. *Antiquar. Lection. cap.* 37. Quin & Juſtinianus noſter *in Authent. de Monachis*, §. & *dum triennio*, ſcribit, egiſſe ſe eum Abbate Zoſimo, prope vigeſimum, & centeſimum ætatis annum agente. Quibus addo Cumanæ Sibillæ, Neſtoris, & Tithonis ætates, vatibus celebratiſſimas. Quos, & alios longævos perſtrinxit Lucianus *libello integro*, quem inſcripſit, *de mirabilibus*, *ſeu longævis*, citatus à Petro Fabro *lib.* 1. *Semeſtr. cap.* 8 Ut interim omittam locum Taciti *in Dialogo de Oratoribus*, à nemine, quod ſciam, laudatum, de ſene quodam Britanno, qui ſi rectam computationem inimus, centum vixit, & quadraginta annos; reſtitit enim is ſenex armatus Caio Cæſari, inferenti arma Britanniæ: trajecit Cæſar in Britanniam, Cn. Pompeio Magno ſecundum, & Marco Licinio Craſſo ſecundum Coſſ. ut idem Cæſar teſtatur, *initio lib.* 5. *de Bello Gallico*, anno ab U. C. 698. à quo ad Veſpaſiani Auguſti primordia, quibus Marcus Aper, hujus ſenis oculatus inſpector, floruit, anni ſunt centum quatuor, & viginti. Rurſus, ſi animadvertimus, qua ætate debuerit eſſe is, qui armatus Cæſari reſtitit, ætatem ſupra ſcriptam explebimus, ut minimum computemus.

8 His, quæ hactenus pro longiſſima ætate coacervavimus, à Caianæ ſententiæ propugnaculis non deturbamur. Cum enim jus ad ea potius aptari debeat, quæ frequenter, quam quæ perraro eveniunt, auctore Pomponio, *in l.* 3. *cum ſeq D. de legibus*; utplurimum contingit, vitam hominis longævi centum annorum metam non egredi, etſi nonnunquam alii plus vixerint. Quo referenda longiſſimæ ætatis exempla, quorum meminimus; neque omnia cenſenda fabuloſa, ut Corraſius non recte opinatur, *dict. cap.* 18. à quo abludit, nobis aſſentiens, Petrus Faber *dict. cap.* 8. Donellus *lib.* 10. *Comment. cap.* 17. *pag.* 528.

Ex ſuperioribus, luce jam eſt, & vitalibus auris, quas carpimus, liquidius, Cœlo, Soleque clarius, uſumfructum, municipibus legatum, centum annis extingui. Nebulas tamen offundit Æmilius Macer, *in l. computationi* 68. alias *l. hæreditatum* 68. *verſ. ſic denique*, *D. ad leg. Falc. ſic denique* (ait Macer) *etſi Reipublicæ uſusfructus legetur*, *ſive ſimpliciter*, *ſive ad ludos*, *triginta annorum computatio ſit.* Quibus verbis ſignificatur, uſumfructum, Civitati relictum, non centeſimo, ſed trigeſimo anno finiri; cum enim in ratione *legis Falcidiæ* ineunda, quantitas legati, communi pretio æſtimetur, ex vulgata *l. pretia rerum* 63. *Pandectis ad leg. Falcid.* id eſt tanti legatum æſtimetur, quanti eſt; uſusfructus autem Civitati datus tanti æſtimetur, quanti triginta annis ſit: non obſcure admonemur, eum triginta dumtaxat annis manere. 9

Nexuit hunc nodum Antonius Auguſtinus, terſus, & elegans Juriſconſultus, ex Cujacii elogio; nec tamen ſolvit *lib.* 2. *Emendationum cap.* 20. Sed & Petrus Gregorius *lib.* 4. *Syntagm. cap* 5. *num.* 17. & Petrus Faber *dict. cap.* 8. differentiam agnoſcunt inter computationem ex *leg. Falcid.* ineundam, & inter uſusfructus amiſſionem, de qua noſter Caius. Nec tamen afferunt differentiæ rationem, quæ exquirenda diligenter. 10

Bartolus *in dict. l. hæreditatum num.* 2. opinatur, ideo uſumfructum Reipublicæ relictum, triginta dumtaxat annis æſtimari, in computatione *legis Falcidiæ*, quemadmodum uſumfructum homini relictum, quia poteſt Civitas ante trigeſimum annum, hominis exitum pati, & capite minui, ut Caius noſter docet, aut exfundari, (ut Varronis verbo utar) evertique aratro inducto; quibus caſibus amittetur uſusfructus ante triginta annos. Bartolum, omiſſa Accurſii ſententia, ſecuti ſunt Caſtrenſis *in dict. l. hæreditatum num.* 5. licet renitente Alexandro *ibi. num.* 7. Donellus *lib.* 8. *Comment. cap.* 24. *in fin.* Covarru. *lib.* 3. *Variarum cap.* 9. *num.* 8. *verſ. rurſus.* 11

Hæc Bartoli ſententia, etſi plauſibilior, mihi non probatur. Neque enim ſimile vero eſt, uſufructu Civitati relicto, triginta annorum computationem fieri, ideo, quia Civitas ante everti poteſt. Quia, ut paucis agam, cum Civitas vix capite minui poſſit, vix intereat, ut ex Caio admonuimus, fuſiuſque poſtea probabimus, non tam vecors Æmilius, ut eum caſum expectaverit, qui raro contingere poteſt, & quem expectare, neque civile, neque naturale eſt. Ut interim uſurpem, meo velut jure, quod alias ſcripſit Paulus *in l. inter ſtipulantem* 83. §. *ſacram*, *verſ. ſed hæc diſſimilia*, *D. de verb. oblig.* 12

Viam aliam iniit Antonius Goveanus *in dict. l. computationi* 68. *verſ. ſic denique*, citatus ab Hilligero *ad Donellum lib.* 8. *Comment. cap.* 24. *litt. R.* Is uſufructu Reipublicæ legato, annorum triginta computationem fieri, non diffitetur; agnoſcitque non tanti æſtimari legatum, quanti vendi poteſt; ejuſque rei rationem reddit hanc, ne nimio æſtimetur. Quæ ſane indigna Goveani genio. Quid enim vetat, tanti legatum æſtimari, quanti ſolvitur; aut centum annorum computationem fieri, ſi uſumfructum centum annis Reſpublica retinet. 13

Ego expanſis ulnis amplector Cujacii ſententiam. Is *lib. ſingulari*, *de Præſcript. cap.* 34. cui adlubeſcit Gothofredus *hic*, & *in dict. l. computationi* 68. exiſtimat, uſumfructum Reipublicæ relictum perinde haberi, ac ſi infanti, quem longævum fore ſperamus, relictus eſſet: nec enim is longius producitur; Ideoque quoties de amittendo uſufructu tractatur, ut apud Caium noſtrum, longævi hominis ætatem intuemur, & centum annorum cancellis circumſcribimus. At quoties de lege *Falcidia* quæritur, tanti fit computatio uſusfructus, Reipublicæ relicti, quanti eſt in reditu triginta annorum: nimirum, quia & uſusfructus infanti relictus, amplius non æſtimatur. 14

tur. *dict. l. computationi* 68. Nec novum autem eſt, Rempublicam hominibus comparari. Illuſtrat enim id aliis exemplis Cujacius *in Novellam ſeptimam Juſtiniani, pag. mihi* 1684. Acceptam autem fert ingenue, ut ſolet, idem hanc interpretationem Patritio, qui *lib.* 2. *tit.* 12. apud Harmenopulum ita exponit.

15 Sed meminerimus, hoc centum annorum ſpatium præſtitutum eſſe, ad uſumfructum Reipublicæ datum amittendum. Inde quæſtio magnis a gloſſematariis noſtris agitata concertationibus, utrum legatum in annos ſingulos Reipublicæ relictum, centum annis perimatur: perinde ac uſusfructus. Et ſane, ſi ad legati annui conditionem oculos reflectimus, germana juris ratione ſuaderi videmur, legatum hoc centum annis extingui. Quippe legatum annuum, & uſusfructus, etiam cum de amiſſione tractatur, eodem jure cenſetur: ut indicat decantata Caii noſtri ſententia, *in l. in ſingulos* 8. *D. de annuis legatis. In ſingulos annos*, ait Caius, *relictum legatum ſimile eſt uſuifructui; cum morte finiatur.* Quibus, & aliis argumentis non ficulneis, poſt Hugolinum, & Accurſium, hujus opinionis auctor movetur Bartolus hîc, quem manuductorem ſecuti ſunt Alexander *in l.* 2. *num.* 2. *D. de ſoluto matrim.* Lancellottus Decius *illic.* Vincentius de Herculanis, & Joannes à Ravenna *in l. annuam* 20. §. 1. *de annuis leg.* Alexander *in l.* 3. §. *ult. num. D. ad leg. Falc.* & *Conſil.* 60. omiſſo multiloquio *lib.* 1. cum aliis, quorum meminit Covarr. *lib.* 3. *Variar. cap.* 9. *num* 10. Quibus addo Albericum *in l. an uſusfructus* 56. *num.* 3. *ad finem*, & *in l. annuam* 6. *D. de annuis leg.* Gregorium *in l.* 26. *tit.* 31. *part.* 3 *gloſſ.* 1. Caſtrenſem *in l.* 3. *ult. num.* 2. *D. ad leg. Falc.* Petrum Coſtalium 2. *part. Adverſariorum, ex Pandectis in d. l. an uſusfructus.*

16 Celebrior tamen eſt Rogerii ſententia, ſuperiori ex adverſo oppoſita, cujus Accurſius hîc meminit; & quam communiter ſervari, his ipſis verbis teſtatur Alberic. *in d. l. an uſusfructus.* Hi differentiam adhibent, inter legatum uſusfructus, & legatum annuum; legatum uſusfructus centeſimo anno finiri, legatum annuum perpetuo deberi, contendunt. Extantque luculentiſſima prudentum veterum teſtimonia hac de re, *in l. annuam* 6. *l. annua* 20. §. 1. & *ult. l. cum quidam* 23. *l. cum erat* 24. *D. de annuis legatis.* Quibus a Cujacio adjiciuntur clariora fundamenta *ex l.* 46. in Contiana verſione, *Sancimus*, §. 9. *verſ. manere*, & *ex l.* 57. *præſens*, *verſ. homini*, *C. de Epiſc.* & *Cler.* quo loci verba extant extra cavillum poſita hæc: *Homini etenim cuique curſus unus eſt vitæ, ab opifice datus, cujus finis eſt omnino mors. Venerabilibus vero domibus, & earum cœtibus indeſinenter à Deo cuſtoditis, non eſt, neque ſecundum earum poſſeſſiones, inducere aliquam metam, ſed quouſque utique permanſerint venerabiles domus (manent autem in perpetuum, & uſque ad hujus ſæculi conſummationem, quouſque Chriſtianorum nomen apud homines erit, & coletur) æquum itidem eſt, manere & in perpetuum relictas erogationes, aut reditus immortales; ſemper piis actionibus nunquam ceſſaturis ſervituros.* Quin & legatum annuum, privato relictum, & ejus hæredibus ultra centum annos debetur, ut Juſtinianus docet *in l. in annalibus* 22. *C. de legatis*; cum in uſufructu alio jure utamur, qui ad hæredes non producitur hæredum, auctore eodem Juſtiniano *in l. antiquitas* 14. *Cod. de uſufructu.* Poſtremo, ne diutius velitemur, differentiæ ratio inter legatum annuum, & uſumfructum non è longinquo arceſſenda; imo ad manum, & in numerato poſita. Quippe uſusfructus Reipublicæ relictus, ideo centum annis finitur, ne inutilis ſit hæredi proprietas, ſemper abſcedente uſufructu, ut *ſupra* admonuimus. Quæ ratio in annuo legato eamdem vim non habet, cum legato annuo Reipublicæ relicto, Collegio, aut corpori, proprietas legetur, nec ea re lædatur quiſpiam. Qua differentiæ ratione reddita, Rogerio aſſentiuntur Accurſius, & Cumanus *in dict. l. annuam* 6. Dinus *in l. in ſingulos* 8. *D. annuis legat.* Angelus, Cumanus, & Socinus *in dict. l.* 3. §. *item ſi Reipublicæ.* Panormitanus *in cap. ult. ad fin. extra de teſtamentis.* Jaſo, & Ripa *in dict. l.* 2. *D. ſoluto matrimonio*, idem Jaſo fuſius *in l. videamus*, §. *deſerre*, *num.* 9. *Pandectis de in litem jurando.* Hippolytus Riminaldus *Conſil.* 219. *num.* 11. *lib.* 2. Peregrinus *de fideicomm. art.* 29. *num.* 11. *pag. mihi* 175. Simon de Prætis *lib.* 4. *de Interpret. ultim. volunt. ſolutione ult. num.* 12. *pag.* 436. Covarruv. *dict. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 10. Cujacius *in l. in ſingulos* 8. *D. de annuis legatis, circa finem*, & *hîc.* Conſpirant, præter alios, quorum Covarruv. & Simon de Prætis meminere dictis locis, hi hactenus illaudati, Thomas Parpalias *in dict. l.* 2. *num.* 7. *cum duobus ſeq.* & *num.* 15. Joannes Crottus *ibidem*, *num.* 2. *D. ſoluto matrimon.* Cujacius *in Rubrica*, & *in l. penult. D. de annuis legatis*, & *in l. ſi Stichum* 16. §. *ultim. D. de verb. oblig.* Antonius Gomez *lib.* 2. *Variar. cap.* 15. *num* 18. *verſic. tertio infertur.* Caſtillo *de Uſufructu*, *lib.* 1. *cap.* 61. *num.* 20. Donellus *lib.* 8. *Comment. cap.* 24. Duarenus *in Paraphraſi ad titulum D. ad leg. Falc. cap.* 8 *pag. mihi* 569. Goveanus *in l.* 3. §. *ultim num.* 3. *D. ad leg. Falc.* Gothofredus *in dict. l.* 46. §. 9. *litt. E. Cod. de Epiſcop.* & *Cleric.* & *in l. annuam* 6. *dict. l. annua* 20. §. 1. *litt. Q.* & *V.* Albericus parum ſibi conſtans, *hîc.* Beloius *lib.* 3. *Variar. cap.* 6. Lara *de Anniverſariis*, *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 1. Valaſcus 1. *tom. Conſult.* 82. *n.* 2.

Quæ huc uſque de uſufructu, centum annis amittendo, diſſeruimus, non ſimpliciter accipienda, ſed cum hac exceptione: niſi uſusfructus ante centeſimum annum, certis, legitimiſque rationibus interciderit. Quemadmodum enim uſusfructus, privato relictus, finitur, aut perſona fructuarii ſubducta morte, vel capitis diminutione; aut re, qua fruitur, mutata, ejuſdem interitu; aut uſufructu cum proprietate conjuncto, ut Juſtinianus teſtatur *in §. finitur*, *inſtit. de uſufructu*: ita uſusfructus municipibus relictus. Ejus amittendi modis, qui cæca adhuc ſub nocte latent, faculam meam prætendam, dicamque de interitu Civitatum, plenius forſan, planiuſque, quam ante hac quiſquam. Ut igitur ab his modis, quibus ex perſona municipum uſusfructus amittuntur, ordiamur, admonendi ſumus, amitti uſumfructum hunc, aut morte municipum, aut eorumdem capitis diminutione; id eſt, eorum morte naturali, aut civili. De naturali morte diſpiciamus. Et ſane cum civitas perſona quædam ſit, etſi imaginaria, ut Florentinus docet *in l. mortuo* 22. *D. de fidejuſſoribus*: quin & mori videri poſſit, dubium non eſt. Ideoque apud Lucianum *in Dialogo*, qui *Charon*, ſive *Epiſcopontes* inſcribitur, Mercurius urbes, ut homines, mori, teſtatur: idque ex Licurgo, Plinio, Joanne Epigrammatario, Plutarcho, Luciano *in citato Dialogo*, aliis quoque tranſlatitiis locutionibus adductis, eruditiſſime Petrus Faber obſervat, *dict. cap.* 8. & *cap.* 9. Eoque apud eumdem reſpexit Antoninus Imperator, his verbis: *Quantæ vero urbes integræ, ut ſic dicam, obierunt.* Ita enim vertit Petrus Faber, poſtulantibus verbis illis, *In autos ipo*; quæ ſignificans non proprie, ſed abuſive & *Catachreſticoteron* civitates interire, ut & Modeſtinus noſter articulo *quaſi*, expreſſit, *in l. ſi uſusfructus* 21. *D. quibus modis uſusfructus amittatur.* A morte autem hac civitatum locutiones enatæ; ut *cadaver civitatis* dicamus, ut apud Ciceronem *lib.* 4. *Epiſtolarum familiarium*, *Epiſt.* 5. Servius Sulpitius loquitur: *Urbis ſepultæ ruinas*; ut apud Tacitum *lib.* 3. *Hiſtoriarum* de Cremona: *Famoſæ Urbis ſupremum diem*; apud eumdem *lib.* 5. *Hiſtoriarum* de Hieroſolymis, quos citat Petrus Faber *dict. loco.* Lego etiam *buſta urbium*, in Plinio *lib.* 1. *Natur. Hiſtor. cap.* 93. *Totarum Urbium interitus* in Seneca *Epiſt.* 92. *Fata Urbis*, apud Juſtin. ex Trogo *lib.* 18. *Mori Urbes* apud Sannazarium, qui *lib.* 2. *de Partu Virginis*, pulchram ſententiam ex Cicerone *dict. Epiſt.* 5. ita pulchre expreſſit:

Et querimur, genus infelix, humana labare
Membra ævo, cum Regna palam moriantur, & Urbes.

Naturalem

Digitized by Google

18 Naturalem municipiorum mortem bipertito rurſus ſeco. Moriuntur enim urbes, aut fatali, ſimplici, & velut ſua morte, aut violenta. Priorem Græci ſcriptores *automaton* vocant, poſteriorem *biaion*. Naturaliter porro, proprieque urbes intereunt *his plerumque caſibus*, terræ motu, incendio fortuito, diluvio, animalium vi domeſtica, aut peſte, lueque ferali, quorum tres expreſſit Lucanus *lib.* 7. ibi:

Aëra peſtiferum tractu, morboſque fluentes,
Inſanamque famem, permiſſaſque ignibus urbes,
Mœniaque in præceps laturos plena tremores,
Hi poſſent explere viri.

His omnibus calamitatibus, ſi ita cives deleantur, ut non ſuperſint, qui cœtum illum jure ſociatum retineant, uſusfructus civitati datus expirabit. Idque, ut à motu terræ ordiamur, Pompeiis, celebri Campaniæ urbe, & Herculanenſi oppido, hiatu terræ abſorptis, ut teſtatur Seneca *Epiſtola* 92. Dio in *Tito*, & Zonaras apud Petrum Fabrum *dict. cap.* 9. contigiſſet, ſi his municipiis uſusfructus legatus eſſet, aliiſque in oppidis, quæ motu terræ deſediſſe, probat ex innumeris ſcriptoribus, Faber *loco proxime citato*; cui addo Plinium *lib.* 2. *Naturalis Hiſtoriæ ex cap.* 80. *ad* 91. Ubi & varios terræ hiatus commemorat, uti & Ammianus Marcellinus *lib.* 17. *Rerum Geſtarum.* Plutarchus *lib. de Homero*, & *lib.* 3. *de placitis Philoſophorum cap.* 15. Juſtinus *lib.* 17. *in principio*, & *lib.* 30. & *lib.* 90. Agell. *lib.* 2. *Noct. Atticar cap.* 28. Seneca *lib.* 6. *Natural. quæſt. cap.* 1. *Maximus autem terræ, memoria mortalium, extitit motus Tiberii Cæſaris principatu, duodecim urbibus Aſiæ una nocte proſtratis*, ut his ipſis verbis monet Plinius *dict. l.* 2. *cap.* 84. cui Tacitus adſtipulatur *lib* 2. *Annalium.* Strabo *lib.* 12. De quibus accipiendus Seneca, qui duodecim urbium Aſiæ, tremore abſumtarum meminit *dict. epiſt.* 92. ibi: *Quoties Aſiæ, quoties Achaia urbes uno tremore ceciderunt?* & *lib.* 6. *Naturalium Quæſtionum in principio*, ibi: *Aſia vero duodecim urbes ſimul perdidit.* Quidquid largiter peccans Faber *dict. cap.* 9. Senecam exaudiat, de Provincia quadam, in Ecbatanis ſita, cujus meminit Diodorus Siculus *lib.* 19. *Bibliothecæ.* Incendio etiam naturaliter orbes pereunt, quoties id fortuito graſſatur, non ab hoſtibus, aut incolis immiſſum, ut rerum docent experimenta, & de Lugdunenſi Colonia, litteris prodidit elegantiſſime Seneca *dict. epiſt.* 91. citatus à Fabro. Diluvio etiam quandoque civitates interire, exemplo eſt celebris illa in Atlantico mari Inſula, Europæo orbe potior (cujus meminere Tertullianus in *Apologetico cap.* 40. & ibi doctiſſimus Pamelius *adnotatione* 528. Lipſius *lib.* 2. *Phyſiologiæ Stoicorum diſſertat.* 19. Marcellinus *dict. lib.* 17.) & Helice, ac Buriſio ſinu Corinthio, quas mari merſas, teſtatur Seneca *dict. epiſt.* 92. Diodorus Siculus *lib.* 15. *Bibliothecæ.* Antonius Imperator, & à Fabro non citatus Plinius *lib.* 2. *Naturalis Hiſtoriæ cap* 92. Ab animalculis quoque civitates vexatas interiiſſe; à cuniculis ſuffoſſum in Hiſpania noſtra oppidum, in Italia Amyclas à ſerpentibus deletas, aliaque hujuſmodi prodigia ſcriptis ſuis conſignavit Plinius *lib.* 8 *Naturalis Hiſtoriæ cap.* 29. Poſtremo & peſte necari incolas, adeo ut oppida deſerantur, etſi perraro, accidit tamen nonnunquam, teſte Petro Gregorio *lib.* 4. *Syntagm. cap.* 5. *num.* 16. Videſis de urbe, peſtilentia deleta, Juſtinum *lib.* 13. ex Trogo, Plutarchum *de Oraculorum defectu*; de exercitu univerſo, peſte abſumto, Juſtinum *lib.* 19. Curtium *lib.* 9. *in fine.*

19 Violentam civitatum mortem in duas rurſus ſpecies diſtribuimus, violentam, quam ita ſpecialiter appello, & voluntariam. Violentam nuncupo, quam ab hoſtibus invitæ civitates patiuntur: voluntariam, quam à civibus eorumdem voluntate. Violenta morte afficiuntur civitates, quoties funditus evertuntur, mori quippe tunc urbem, & quidem antonomaſticos, docet Lycurgus *in Oratione Leocratea* apud Fabrum *dict. cap.* 9. & Modeſtinus teſtatur *in l. ſi uſusfructus* 21. *D. quibus mod. uſusfruct. amittatur*, his verbis: *Si uſusfructus civitati legetur, & aratrum in ea inducatur, civitas eſſe deſinit, ut paſſa eſt Carthago, ideoque quaſi morte deſinit habere uſumfructum.* Neque diſſentit Caius *in d. l. an uſusfructus* quaſi non mori, ſed capite minui civitatem dicat, aratro inducto: uti allucinatur Anton. Faber utroque loco. His autem ex verbis, civitate everſa, uſumfructum amitti, deduxerunt Accurſiani. Albericus *in d. l. ſi uſusfructus.* Paulus Caſtrenſis *in l. hæreditatum* 68. *n.* 5. *D. ad leg. Falc.* Baldus *in titulo de pace Conſtantiæ, verb. nos Romanorum.* Innocentius *in cap. cum ex injuncto, extra de operis novi nunc.* & *in cap. grave de ſent. excom.* Baldus *in Authentica. habita, C. ne filius pro patre.* Anton. Gomez *lib.* 3. *Var. cap.* 1. *n.* 53. poſt Accurſium *hic*, & Bartolum *in d. l. hæreditatum n.* 2. Quid autem ſibi voluerit Modeſtinus, cum aratri inductionem nominat, ignorarunt prorſus hi veteres. Id ex defæcatis antiquitatis fontibus petendum.

Admonendi igitur ſumus, aratrum olim tam in 20 condendis urbibus, quam in evertendis adhibitum, ut Acron, Horatii antiquus Scholiaſtes, teſtatur *ad Horatium lib.* 1. *Ode* 16. Urbium quippe conditores, cum mœnia ſignabant, taurum ad dextram, vaccam intrinſecus æneo aratro jungebant, incinctique ritu Gabino, id eſt, toga rejectâ circa humeros, ſtivam tenebant incurvam, ſulcum ducebant, glebis omnibus intrinſecus cadentibus, muris loca deſignabant; ubi vero portæ figendæ, aratrum ſuſpendebant, ſulco non ducto. Ita hunc ritum ex Catone *in Originibus* eruit Belgicæ Papinianus: Revardus *lib.* 2. *Conjectaneorum cap.* 7. Servius *ad Virgilium lib.* 5. *Æneid.* & ex eo Alexander ab Alexandro *lib.* 6. *Genialium cap.* 14. *circa fin.* Et inſinuavit perſpicue Ovidius, non animadverſus *lib.* 4. *Faſtorum*, his carminibus:

Apta dies legitur, qua mœnia ſignet aratro
Sacra Palis, ſuberant, inde movetur opus.
Foſſa fit ad ſolidum, fruges jaciuntur in ima:
Et de vicino terra petita ſolo.
Inde premens ſtivam deſignat mœnia ſulco,
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

Inde ab aratri curvatura, quæ, *urbum*, priſca lingua dicebatur, *urbes* dictæ, auctore Pomponio *in l. pupillus* 239. §. *urbs*, *D. de V. S. urbs*, ait Pomponius, *ab urbo appellata eſt: urbare eſt aratro definire; & Varus ait, urbum appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi ſolet.* Pomponio addicit Varro *lib.* 4. *de Lingua Latina*, his verbis: *Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe, & urbo urbes dictæ.* Iſidorus *lib.* 15. *Etymologiarum.* Servius *ad Virgilium lib.* 1. *Æneidos.* Hunc autem aratri adhibendi in urbibus condendis morem illuſtrat Cicero *Philippica* 2. Plutarchus *in Romulo*, & *Problematum Romanorum cap.* 26. Cui addas, ſi lubet, Virgilium *lib.* 3. *Æneid.* ibi:

Interea Æneas urbem deſignat aratro.

Lucanum *lib.* 7. ibi:

Sarmaticumque premat ſuccinctus Conſul aratrum.

Angelum Politianum *in Nutricia*, ibi:

- - - - - *Multaque tuenda virum vi*
Mœnia ſuccinctus populis deſcripſit arator.

Adhibebatur etiam aratrum in urbibus evertendis, eoque, Acrone adnotante, reſpexit Horatius *lib.* 1. *Ode* 16. ibi:

Ira Thyeſten exitio gravi
Stravere; & altis urbibus ultimæ
Stetere cauſa cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

Seneca *lib.* 1. *de Clementia cap. ult.* ibi. *Injicere tectis ignem, aratrumque vetuſtis urbibus inducere, potentiam putat.* Cicero *Oratione* 2. *in Antonium* ibi. *Tu autem inſolentia elatus, omni auſpiciorum jure turbato, Caſſilinum coloniam deduxiſti, quo erat paucis annis ante deducta: ut vexillum tolleres, ut aratrum circumduceres, cujus quidem vomere portam Capuæ pene perſtrinxiſti, ut florentis coloniæ territorium minueretur.* Neque is mos ſacris illis noſtris, divino ſpiritu afflatis, vatibus videtur incognitus. Micheas quippe *cap.* 3. cujus verba proponuntur *in Canone Judices* 23. *cauſa* 2. *quæſtione* 1. de malis judicibus verba faciens, ſic profatur: *Idcirco propter vos Sion, quaſi ager, arabitur: & Jeruſalem, ut cuſtodia pomerii, erit.* Quibus, & aliis ex locis, quid per aratri inductionem apud Modeſtinum ſignificetur, ſatis apparet. Laudantur autem moris hujus expoſitores, Cælius Rhodiginius *lib.* 14. *Antiquarum Lectionum cap.* 5. Nicolaus Perottus *in Cornucopia ad Martialis epigrammata pag. mihi* 134. Budæus *in annotationibus ad Pandectas, in dict. l. ſi uſusfructus.* Alexander ab Alexandro *lib.* 6. *Genialium, cap.* 14. & illic Tiraquellus *in notis.* Balduinus *in* §. *finitur, Inſtitut. de uſufructu, num.* 13. Petrus Gregorius *lib.* 4. *Syntagm. cap.* 5. *num.* 15. Joannes Bodinus *lib.* 1. *de Republ. cap.* 6. *pag. mihi* 80. Rævardus *lib.* 2. *Conjectanearum cap.* 7. Parladorius *lib.* 1. *Rerum Quotidianarum, cap.* 21. *num.* 4. Petrus Faber *dict. cap.* 8. cum aliis, quorum meminit Oſvaldus *ad Donellum lib.* 10. *Comment. cap.* 17. *litt. D.* quibus adde Propertium *lib.* 3. *Eleg.* 8. ibi:

Mœnia cum Graio Neptunia preſſit aratro,
Victor Palladiæ ligneus artiſequus.

Gothofredum *in dict. l. pupillus*, §. *urbs, litt. Q. & R. & in dict. l. ſi uſusfructus* 21. *litt. X. cum ſeq.* Covarr. *lib.* 3 *Variarum cap.* 9 *num.* 8. *verſic. rurſus.* Caſtillo *de Uſufructu lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 22. & 23. Plutarchum *in Quæſtionibus Romanis*, q. 27.

21 Carthaginem à Romanis aratrum paſſam, ait Modeſtinus *in dict. l. ſi uſusfructus*; cujus ſententiam non illepidis verſiculis illuſtrat Albericus, etſi id alibi ſe legere, non meminiſſe, teſtetur Faber *dict. cap.* 8. Quippe eam dumtaxat ab Æmiliano Scipione Africano deletam ſcribunt hiſtorici, ut ex Velleio Paterculo, Livio, Eutropio, Plutarcho, & Themiſtio probat Petrus Faber, & ex Oroſio *lib.* 4. *cap. ult.* Appiano *lib.* 1. *Bellorum Civilium*, ego didici. Cicerone *lib.* 6. *de Republ.* ubi Publius Cornelius Scipio ſic Africanum minorem alloquitur: *Videſne illam urbem, quæ parere populo Romano coacta per me renovat priſtina bella, nec poteſt quieſcere (oſtendebat autem Carthaginem de excelſo, & pleno ſtellarum illuſtri, & claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc venis pene miles; hanc hoc biennio Conſul evertes: eritque cognomen id tibi, per te partum, quod habes ex nobis adhuc hereditarium.* Quin & ex Zonara 2. *tom. Annalium*, ſolum Carthaginis decreto Senatus ſacratum, ne cuipiam id inhabitare jus, faſque eſſet, velut rem ſingularem producit Faber jam citatus: quam tamen diſertiſſime ante Zonaram expreſſerat Cicero *Orat. in Senatu contra Rullum*, his verbis: *Tum ipſam veterem Carthaginem vendunt, quam Publius Africanus nudatam tectis, ac mœnibus ad oblatam aliquam religionem, & æternam hominum memoriam conſecravit;* & perſpicuius *in Concione* contra eumdem Rullum, his verbis: *Et in Africa ipſam veterem Carthaginem vendis, quam, videlicet, Publius Africanus, non propter religionem ſedium illarum, ac vetuſtatis de Conſilii ſententia conſecravit; ſed ut ipſe locus eorum, qui cum hac urbe de Imperio certarunt, veſtigia calamitatis oſtenderet.* Corinthi etiam funditus dirutæ a Lucio Mummio ex Cicerone, Paterculo, Floro, & Zonara, meminit Faber *dict. loco.* Diruta autem ob Legatos Romanorum à Corinthiis publico Principum conventu ſuperbius appellatos, & pene violatos, auctore Juſtino *lib.* 24. ubi, & ejus exciſæ meminit, uti & Cicero *Oratione in Senatu contra Rullum.* Plutarchus *lib.* 9. *Quæſt. Convivalium, quæſt.* 1. Mos autem is, evertendarum civitatum pervicacium, & rebellium a Græcis uſurpatus; apud quos Thebani, Platæenſibus devictis, Platæam totam à fundamentis diruere, ut ex Thucydide *lib.* 3. *Belli Peloponneſiaci. pag. mihi* 81. probat Faber. Legi etiam, Thebanos ipſos rebellantes ab Alexandro Magno victos, urbe capta, & everſa in gratiam eorumdem Platæenſium decumanis calamitatibus affectos, apud Plutarchum in *Alexandro.* Juſtinum ex Trogo *lib.* 2. Memini & Tyriorum excidii cum Curtio *lib.* 4. Plutarcho in *Alexandro.* Juſtino ex Trogo, *lib.* 2. & *lib.* 18. ut alias ignobiles omittam.

22 Igne quoque admoto ab hoſtibus quandoque urbes everſæ; id, quod ſignanter indicavit Seneca *dict. lib.* 1. *cap. ultim.* ibi: *Ignem tectis injicere.* Lucanus *lib.* 7. ibi:

Inſanamque famem, permiſſaſque ignibus urbes.

Cujus rei nobiliſſimum exemplum ſuggerit Regia illa Perſepolis, quam veſanus Alexander, igne immiſſo, cum temulentis meretricibus cremavit, uti litteris prodidere, non ſine Alexandri morſu, Curtius *lib.* 5. Plutarchus *in Alexandro.* Athenæ quoque a Perſis exuſtæ, teſte Juſtino *lib.* 6. & *lib.* 2. Parada, oppidum in Africa à Scipionis militibus bello civili, ut Hirtius tradit *de Bello Africo.*

23 Solebant, everſis urbibus, complura in cives fieri, quæ inter pœnas civitatum recenſeri poſſunt: quorumque, etſi incompoſite, meminit Faber. Ex his pauca ad tractatum, de capitis minutione civitatum, cujus propria, ſepoſui: pauca, & à Fabro non notata producam. Plerumque igitur arma victis adimebantur, & apud Græcos etiam naves: idque in Brutiorum oppidis à Senatu Romano factum, teſtatur Appianus *in Annibalicis*, & in Thaſios, Æginetas, Samios, Mytilenæos, & ab *Athenienſibus*, & à Lacedæmoniis conſtitutum, diligenter monet Thucydides *lib.* 1. & 3. Publicabantur etiam nonnunquam agri, civiumque bona graviori tributo impoſito; quod paſſi ſunt hi fere omnes populi, quorum ex Thucydide meminimus: Corinthii quoque, & ex parte Brutii, Byzantini apud Fabrum, ſæpiſſime citatum; quin & Carthaginenſes cum Annibale victi, ſi credimus Plinio *lib.* 33. *Naturalis Hiſt. cap.* 3.

24 Voluntariam à civibus ipſis mortem patiuntur civitates, aut ab his everſæ, aut deſertæ. Everſæ plerumque urbes ab incolis ſumma rerum deſperatione, igne admoto, idque factum à Saguntinis noſtris, ſcitiſſimum eſt, ex Livio *lib.* 1. *ab U. C. Decade* 3. Silio Italico *lib.* 2. *ad finem*, aliiſque permultis, & à Xanthi civibus Carthaginenſibus, & Sidoniis apud Fabrum. Sed & de Cappadocum urbe, cum omnibus copiis ab incolis incenſa, teſtatur Juſtinus *lib.* 13. ex Trogo. Quin & ab Helvetiis Pagos exuſtos, non tamen rerum deſperatione, Cæſar auctor eſt *lib.* 1. *de Bello Gallico*: ut & Ovidius, qui *lib.* 4. *Faſtorum*, ita ſcripſit de Romæ primis civibus:

Mutanteſque domum, tectis agreſtibus ignem,
Et ceſſaturæ ſuppoſuiſſe caſæ.

Et plerumque id à Gallis factum, in bellum proficiſcentibus. Deſerebantur urbes, aut ab animalculis nonnunquam minutis infeſtatæ, ut ex Plinio docet Petrus Gregorius *dict. cap.* 5. *num.* 18. (& Pygmæos à Gruibus fugatos, idem Plinius memorat *lib.* 4. *cap.* 2. Abderitas ob ranarum, muriumque multitudinem ſedes alias quærere compulſos, inſtillat mihi Juſtinus *lib.* 15.) aut aſſiduis hiatibus terræ vexati, ut Tyriis accidit, Juſtino teſte *lib.* 8. Quibus caſibus, aut aliis, quos referre, nullius eſt operæ, quin civitates deſertæ uſumfructum amittant, quaſi mortuæ, dubium non eſt; ita tamen, ſi non revertendi animo ab incolis deſtituantur, ut Accurſius exiſtimat, &, ejus gloſſemate emaculato, Albericus *in dict. l. ſi uſusfructus, num.* 2. Antonius Faber *ibidem*; non vero ſi redeundi animo proficiſcantur: quod ab Athenienſibus, adventante Xerxe, ex Themiſtoclis conſilio factum, litteris prodidit Juſtinus *lib.* 2. Accur-

ſii

Digitized by Google

ſu vero ſententia arridet mihi adeo, ut etſi reædificata civitas ſit, mutato conſilio ab incolis, uſusfructus ſemel extinctus non reviviſcat, ut contra eumdem Accurſium opinatur Albericus *in dict. l. ſi uſusfructus.* Cui Paulum adjungo *in l. ſervitutes* 19. §. *ſi ſublatum, Pandectis quibus modis uſusfructus amittatur.* Donell. *lib.* 10. *c.* 17. Ant. Fab. *in d. l. ſi uſusfructus* 21.

25 Poſtulat ſtaminis, quod indivulſum duximus, ſeries, ut de civili municipiorum morte, id eſt, capitis diminutione civitatum, dicamus. Qua de re paulo uberius diſſeram, & clivoſum iter, nec hactenus explanatum, percurram. Faxit Deus, ut ſine lapſu! E veſtigio autem monet nos Caius *in dict. l. an uſusfructus*, civitates non facile capite minui. Cujus ſententiam paulo obſcuriorem ita accepit Antonius Goveanus *lib.* 2. *Variarum Lect. cap.* 8. ut ideo municipium capite non minuatur, quia toties minuitur, quoties ei Romana civitas adimitur. Hæc autem vix adimi poteſt, ut Cicero docet *in Oratione pro Cæcinna.* Goveano ſubſcribit Franciſcus Connanus, qui *lib. Comment. cap.* 6. *num.* 5. Civitatem etiam capite minui, putat, cum civitatem Romanam amittit. Cujacius *lib.* 17. *Quæſtionum Papiniani, in l. Mævius* 66. §. *ult. D. de leg.* 2. & *hic.*

26 Hæc ſententia improbata à Rævardo *lib.* 1. *Conjectan. cap.* 7. hoc argumento. Quia frequentiſſime municipiorum Romana civitas adimebatur, leviſſimiſque de cauſis, ac proinde verb. *capitis diminutionis*, apud Caium non intelligenda civitatis ademtio, cum hæc faciliime contingat, illa non facile.

27 Ego Goveani ſententiam utraque manu retineo, cum hoc tamen temperamento; opinor quippe, civitatem Romanam, ſemel cuiquam datam, invito adimi non potuiſſe, ut diſertiſſime Cicero ſcribit *dict. Oratione pro Cæcinna:* adimi autem potuiſſe tantum, ſi in aliam civitatem migraſſet Civis Romanus, ejuſque opinationis locupletiſſimum auctorem habeo Ciceronem *in Oratione pro Cornelio Balbo*, ubi ita ſcribit: *Jure enim noſtro neque mutare civitatem quiſquam invitus poteſt, neque, ſi velit, mutare non poteſt: modo aſciſcatur ab ea civitate, cujus eſſe ſe civitatis velit.* Eo autem referenda amiſſæ civitatis exempla omnia, quæ & *in Oratione pro Cornelio Balbo*, & *in dict. Oratione pro Cæcinna* producit Cicero: de quo alibi plenius, ſi Deus volet. Interim videſis Pomponium *in l. poſtliminio* 5. §. *ult. D. de captivis, & poſtlim.* Dixerit tamen argutus quiſpiam, ſcripſiſſe Caium generaliter de capitis omnibus diminutionibus, non facile civitates capite minui, nos autem confirmare ejus ſententiam exemplo unius capitis diminutionis, qua civitas Romana amittitur. Sed reſpondebo toties, quoties municipium capiti minuitur (quod tribus modis accidit, ut poſtea dicemus) civitatem Romanam prius adimi; idque cum in his tribus capitis diminutionibus contingat, recte exemplum civitatis Romanæ adductum accommodari generali Caii ſententiæ.

28 Leve Rævardi argumentum, cujus meminimus, & à nobis profligandum non magno niſu. Fatemur quippe, ademtam olim municipiis Romanam civitatem, leviſſimis plerumque de cauſis; ita tamen, ut id per vim fieret, & de facto (ſi ita loqui licet rei exprimendæ) non jure, cum pro civibus haberentur plerumque, niſi ob graviſſima in Rempublicam facinora, & legitimis amittendæ civitatis modis adimeretur, de quo poſtea. Interim, quæ dixi, belle confirmat Cicero *in Oratione pro Cæcinna*, bis verbis: *Cum Aretinæ mulieris libertatem defenderem, & Cotta Decemviris religionem injeciſſet, non poſſe ſacramentum noſtrum juſtum judicari, quod Aretinis ademta civitas eſſet; & ego vehementius contendiſſem, civitatem adimi non potuiſſe: Decemviri prima actione non judicaverunt, poſtea re quæſita, & deliberata, ſacramentum noſtrum juſtum judicaverunt. Atque hoc & contradicente Cotta, & Sylla vivo judicatum eſt.*

29 Hoc obice remoto, capitis diminutionis, quam civitates patiuntur, ſpecies tres conſtituo: maximam, mediam, minimam; exemplo ejus, quam in privatis ita partitur Paulus *in l. ultim. D. de capite minutis.* Juſtinianus *in principio Inſtitutionum eodem titulo.* Quemadmodum enim tria habent privati, libertatem, civitatem, familiam, unde & tria capitis diminutionis genera nata; ita in municipiis tria, quæ ſuperioribus ſimilia, conſidero, libertatem, civitatem Romanam, & jus civitatis, id eſt, Reipublicæ, & cœtus illius jure ſociati, quem civitatem dicimus. Ex his tres etiam ſpecies capitis diminutionis in municipiis naſcuntur; aut enim municipium libertatem amittit, aut civitatem Romanam, aut jus civitatis, de quibus ſingulis videamus.

30 Maxima capitis minutio intercedit, quoties municipia libertate privantur; quæ, ſingulis civibus in ſervitutem redactis, & ſub corona venditis, civitatibus plerumque irrogabatur. Quippe cum libertate amiſſa, nec civitatem Romanam, nec propriæ Reipublicæ jus retinere poſſent, quin maximam capitis minutionem patiantur, ambigi non debet. Corinthios autem eam paſſos, ſoloſque ex omnibus Achæis ſervos pronunciatos, docet Faber *dict. loco*: quos etiam ſub corona venditos apud Juſtinum *lib.* 34. comperio his verbis: *Urbs ipſa Corinthus diruitur; populus omnis ſub corona venditur, ut hoc exemplo ceteris civitatibus metus novarum rerum imponeretur.* Plutarchus quoque *lib.* 1. *Quæſtionum Convivalium quæſt.* 2. puerum quemdam Corinthium laudat, qui urbe exciſa à Lucio Mummio, cum ab eo juberetur ſcribere, ut cum aliis pueris, qui noſſent literas, carius diſtraheretur, verſum hunc ſcripſit:

Ter Danai, atque quater, qui tum periere, beati.

Quo facto commotus Mummius puero, omnibuſque ejus conſanguineis libertatem indulſit. Thebanos quoque hac calamitate ab Alexandro affectos, Plutarchus idem *in Alexandro* refert, & Juſtinus *lib.* 2. quod ex Diodoro probat Faber. Sed & Abderitæ ſub corona ab Hortenſio venditi, ſi eorum legati vere queruntur apud Livium *lib.* 43.

31 Media capitis minutione afficiuntur municipia, quoties civitatem Romanam amittunt. De quo commodiſſime, & ſupra vulgi captum capiendus Paulus *in l. amiſſione* 5. §. 1. *D. de capit. min.* Hæc autem pœna, ſuperiori finitima; quippe irrogat amiſſionem earum rerum, quibus libertas conſtat, ex jure Quiritium, ut dilucide Cicero ſignificat *dict. Oratione pro Cæcinna.* Id autem fiebat, ut opinor, municipio ad vetus propriæ civitatis jus, quod ante civitatem Romanam ademtam habuit, redacto, & ſic mutatione civitatis, & illibata illa civilis juris ſubtilitate, quæ cuiquam civitatem Romanam adimi, niſi mutatione civitatis, vetabat, auctore Cicerone *dict. Oratione pro Cornelio Balbo.* Huc autem referenda exempla, quæ apud Fabrum de ademta Byzantinis libertate a Septimio Severo, & Antiochenis à Theodoſio, extant ex Zonara, Dione, & aliis. Cum enim Conſtitutione Divi Pii, omnibus, quæ in orbe Romano ſunt civitatibus, Romana civitas tributa eſſet (de quo poſtea uberius) apparet, exempla ademtæ libertatis civitatibus, quæ poſt Pium in hiſtoricis occurrunt, de civitate Romana, quæ omnibus eo tempore indulta, eſſe accipienda. Quod in duobus his exemplis licet animadvertere, & in Neapolitanis, & Palæſtrinenſibus, quibus idem Severus jus civitatis ſuſtulit, quod in armis contra eum fuerant, ſi credimus Spartiano, à Fabro non citato. Illud in tranſcurſu monendum in his populis, qui civitatem Romanam non habebant, quales liberi ſunt, & fœderati, mediam capitis diminutionem aliam eſſe, etſi huic ſimillimam, & effectu pene comparem. In his enim libertas, quam ob merita in Romanum populum ſæpe retinebant, pro civitate Romana cedit pleriſque in rebus. Ideoque toties minorem capitis diminutionem patiuntur, quoties libertate amiſſa fiunt ſtipendiarii, vel tributarii: quod olim in quibuſdam eveniebat, deditione intercedente, cum enim antea liberæ eſſent hæ civitates, & ſui juris, mutationem ſtatus patiuntur.

tiuntur, quoties in populi Romani ditionem deduntur: ut demonſtrat vetus, & ritualis deditionis formula, quam propoſuit Livius *lib.* 1. ibi: ESTIS NE VOS, LEGATI, ORATORESQUE, MISSI A POPULO COLLATINO; UT VOS, POPULUMQUE COLLATINUM, DEDERETIS? SUMUS. EST NE POPULUS COLLATINUS IN SUA POTESTATE? EST. DEDITIS NE VOS, POPULUMQUE COLLATINUM, URBEM, AGROS, AQUAM, TERMINOS, DELUBRA, UTENSILIA, DIVINA, HUMANAQUE OMNIA IN MEAM, POPULIQUE ROMANI DITIONEM? DEDIMUS. AT EGO RECIPIO. Hac autem formula populus, antea liber, fiebat ſtipendiarius, & capite minuebatur; quemadmodum, etſi ſpecie capitis minutionis non expreſſa, ſcribit Rævardus *libr.* 2. *Conjectaneorum*, *cap.* 7. Interdum ſine deditione libertas civitatibus ademta, ob leviora quædam flagitia, non rebellionem, ut Cyzicenis, quibus ob incuriam cæremoniarum Divi Auguſti, libertatem, quam bello Mithridatico meruerant, Tiberius ademit, ut notant Rævardus, Faber, & Connanus, ubi ſæpius citati. Princeps Reipublicæ litterariæ Lipſius noſter, *in Commentario ad Tacitum lib.* 4. *annalium annot.* 83. idemque pœnæ genus exercuiſſe Auguſtum in eoſdem Cyzicenos (quibus poſtea tamen ereptam libertatem reſtituit, auctore Dione *lib.* 54. *in actis anni* 740.) Tyrios, & Sidonios; Claudium in Rhodios, probant jam citati, quin & Meſſenios à Lacedemoniis, Ætolos à Romanis ſic punitos, legn apud Juſtinum *lib.* 3. & *lib.* 32.

32 Minima capitis minutio verſatur in commutatione ſtatus civitatum. Ejus unum, quantum ego quidem norim, exemplum proponi poteſt in municipio, quod civitatis jus, ac velut prærogativam amittit, & in vici formam redigitur. Id duobus fere modis accidit: aut rebus civitatum propriis, quæque eas à vico ſolent diſtinguere, ſublatis, aut Principis imperio, quo ea vicinæ urbi, velut matri, colonia ſubjicitur & adjudicatur, ut Albericus indicat *in dict. l. ſi uſusfructus* 21. *num.* 3. Inter res civitatum proprias jure optimo computare mihi poſſe, videor, & Reipublicæ Rectores (Magiſtratus nimirum, ac Senatum) & muros. Hinc evenit, ut Magiſtratibus ſublatis, Senatuque amoto, inſignia Reipublicæ ademta, & civitatem capite minutam non immerito dicere poſſimus. Hoc pœnæ genere in Campanos uſi Romani; cum enim Capua, eorum urbs, bello Punico ſecundo, alterum Conſulem à Romanis expetiiſſet, eoque non indulto ab his defeciſſet; victo Annibale, ita Campanam ſuperbiam retuderunt Romani, ut nervos omnes urbis exſecarent, inſignia, veſtigia, imaginemque Reipublicæ nullam relinquerent, conſilium denique publicum tollerent (bis locutionibus Magiſtratus ſignificat Cicero in *Rullum*) quod teſtatum, & conſignatum à Livio *Decade* 3. *lib.* 6. Cicerone *Orationibus in Rullum*, & præcipue *Oratione in Senatu*, his verbis: *Majores noſtri Capuæ Magiſtratus, Senatum, Conſilium commune, omnia denique inſignia Reipublicæ ſuſtulerunt, neque aliud quidquam, niſi inane nomen Capuæ reliquerunt; non crudelitate, ſed conſilio; quod videbant, ſi quod Reipublicæ veſtigium illis mœnibus contineretur, urbem ipſam Imperio domicilium præbere poſſe.* Ætoli quoque ob legationem Romanorum ſuperbe auditam, ut Juſtinus, ſcribit *lib.* 28. & quia cum Antiocho Romanis bellum intulerant, ut idem memorat *lib.* 30. hac pœna à Romanis affecti, eodem auctore *lib.* 33. inibi: *Ætolorum univerſarum urbium Senatus cum conjugibus, & liberis, qui dubia fide fuerant, Romam miſſus: ibique, ne in patria aliquid novarat, diu detentus.* Sed & muris disjectis capitis minimam diminutionem pati civitates, vel illud indicat, quod de Athenarum ſtatu, mutato ob muri brachia Pyræum verſus à Spartanis diruta, ſcribit Juſtinus *lib.* 5. extantque hujus pœnæ innumera exempla apud Fabrum *dict. cap.* 8. In Epirotarum quoque ſeptuaginta oppida, muris disjectis, tectiſque ſævitum à Paulo Æmilio, ſuggerit mihi Livius *lib.* 45. Interdum civitatis tollebatur jus, redacta ea in vici ſpeciem ſolo Principis imperio, quo finitimæ urbi, ut Metropoli, capite minuta civitas ſubjiciebatur. Id Byzantini ſub Severo paſſi, qui Perinthiis ſuppoſiti, auctore Dione apud Fabrum, & Antiocheni ſub Theodoſio, ut ex Zonara idem Faber docet.

33 His tribus capitis diminutionis ſpeciebus, quas recenſuimus, digeſſimus, elucidavimus, uſumfructum civitati datum interire, opinor, ex prioribus illis civilis prudentiæ principiis, quibus docemur, uſumfructum capitis diminutione extingui jure veteri: etſi Juſtinianus deletilem hic ſpongiam induxerit, & immutata antiqua uſusfructus conditione, conſtituerit, eum minima capitis diminutione non amitti, *in l. corruptionem* 16. *C. de uſufructu.* Hoc autem loco belle ambigi poteſt, an poſt citatam Juſtiniani Conſtitutionem amittatur uſusfructus, civitati relictus, ea capitis diminutione, quam minimam fecimus. Qua de re ego imi ſubſellii Senator (cum mihi ſolius ſententiæ dicendæ ſit de re hactenus intacta) ita cenſeo, uſumfructum, civitati legatum etiam minima capitis diminutione perire. Ejus ſententiæ argumenta habeo hæc. Ac primum Caïus *in dict. l. an uſusfructus*, cum de capitis minutione municipiorum verba faceret, & ea uſumfructum perire ſcriberet, non hanc, aut illam nominat; ſed generaliter capitis minutione periturum uſumfructum, ſignificat: ac proinde de omni capitis minutione accipiendus, argumento ducto ex vulgata *l. metum.* 9. §. *animadvertendum*, *Dig. quod metus cauſa.* Deinde Juſtiniani conſtitutionem *in dict. l corruptionem*, ad uſumfructum, Civitati relictum, non eſſe producendam, vel illud indicat, quod paſſim nobis ingerunt Imperatores, nimirum, id duntaxat abrogatum cenſeri, quod nominatim tollitur. Manifeſtarius locus *in l. præcipimus* 32. *in fine*, *Cod. de appellationibus.* Atqui Juſtinianus *in dict. l. corruptionem*, *de uſufructu*, quem privatus habet, cavit, nos de Republica loquimur. Differentiæ autem ratio inter privatum, & municipium non obſcura. Quippe *in dict. l. corruptionem*, Juſtinianus ſpeciali ratione conſtituit, uſumfructum minima capitis minutione fructuarii privati non evaneſcere; quia cum ex quibuſdam cauſis filiusfamilias uſumfructum habere poſſet, puta ex caſtrenſi peculio; minima autem capitis minutio in his plerumque contingat, qui patria poteſtate liberantur, aut emancipatione, aut adoptione: æquum non erat, ut filiusfamilias, qui etiam ſub patris poteſtate ſuo jure uſumfructum habebat, ob levem cauſam imaginariæ venditionis, quæ in adoptione, vel emancipatione intercedebat, auctore Juſtiniano *in §. præterea*, *Inſtitut. quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolvitur.* & *in l. ultim. C. de adoptionibus.* Paulo *in l.* 3 §. 1. *D. de capite minutis*, uſumfructum amitteret. Quam rationem idem Juſtinianus inſinuat *in d. l. ſi uſusfructus.* At vero minima capitis diminutio in municipio gravior eſt; quoniam id, ex quo civitas ipſa conſtat, & velut antonomaſticos à vico dignoſcitur, hac capitis minutione tollitur. Eoque accedit, Romanos olim hoc pœnæ genere uſos, ut graviſſimo, in civitates deſciſcentes; ut apparet ex exemplis, quæ illic propoſuimus; utpote cum id accidat, aut Reipublicæ gubernatoribus amotis, aut muris disjectis, quibus ſublatis inane nomen civitatis relictum, ſcribit Cicero *d. Oratione in Rullum.* Ut omittam filiumfamilias, cum capite minuitur, & civitatem, & libertatem retinere: quin & non nunquam acquirendi compotem fieri, veluti cum emancipatur (quod commodum cum damno familiæ amiſſæ ita penſare poteſt, ut conditio ejus vix in deterius mutata videatur) civitatem vero, jure civitatis amiſſo, fieri plerumque tributariam, aut ſi jam ſit, gravioribus tributis onerari, arma, obſides, naves, dedere juberi: quin & vicinæ urbis civium injuriis aliquando ſubjici, ut demonſtrant exempla, quæ *ſupra* propoſuimus, ac proinde in deteriorem ſtatum transferri. Interdum & civitatem Romanam amittebant, quod Antiochenis, & Byzantinis accidit, qua in ſpecie indubitanter

Digitized by Google

dubitanter dicendum, uſumfructum amitti. Hæc differentiæ ratio liquido ſatis, ut arbitror, quæſtionem hanc expedit: in qua, ſi quid peccavimus, ut & in toto hoc, de capitis minutione, & interitu civitatum, ſermone, venia videmur non indigni. Erutum enim induſtria noſtra aliquid, in quo non nemo inveniendo ſudaſſet, pedemque tulimus qua nulla priorum

Obvia ſunt oculis vatum veſtigia noſtris.

34 Ex perſona quoque municipum præter mortem, & capitis diminutionem, de quibus huc uſque, uſusfructus amittitur, non utendo. Quemadmodum enim fructuario per legitimum tempus non utente, uſusfructus extinguitur, ita etſi municipes non utantur, ut Papinianus docet *in l. Mævius* 66. *§. ult. D. de legat.* 2. ubi ſic ait: *A municipibus hæredibus ſcriptis, detracto uſufructu, legari proprietas poteſt, quia non utendo poſſunt uſumfructum amittere.* Quamvis enim municipium perſona quædam ſit imaginaria, ut hæreditas, teſte Florentino *in l. mortuo* 22. *D. de fidejuſſoribus*; uti autem, & frui, in facto potius, quam in jure conſiſtat, poteſt tamen non utendo amittere uſumfructum; quia univerſitas eſt & corpus, quod ex perſonis conſtat, aliter atque hæreditas: uti recte interpretatur Cujacius *libr.* 17. *Quæſtionum Papiniani in dict. l. Mævius* 66. *§. ultim.* Franciſcus Duarenus *in Paraphraſi ad titulum, D. de acquirend. poſſeſſ. in l.* 20. *eo titulo*, quem adi; mitto enim alios amittendi uſusfructus modos, quia in his nihil proprium municipii.

35 Sed, ut ad legati uſusfructus, municipibus relicti, ſpeciem regrediamur, non argutiæ cauſa, ſed quo res, ad diſſertationis incudem revocata, fiat dilucidior; quædam objiciam, quibus Caii noſtri ſententia convelli videtur. Et ſane legatum uſusfructus municipibus poſſe relinqui, liquido demonſtrat Caius noſter, cum de eo amittendo ſermonem inſtituit; non enim amittitur, niſi quod conſtitit. Negotium tamen faceſſit, pura puta civilis noſtri juris ratio, quæ vel invitis nobis obtinere videtur, non poſſe civitatibus legari. Quoniam non incerti, aut ambigui juris eſt elementum incertis perſonis legari olim non potuiſſe, ſi Triboniano credimus, qui *in §. incertis, Inſtit. de legatis*, teſtandum id reliquit. At civitas incertum corpus eſt, ut Ulpianus ſignificat *in Fragmentis, tit.* 22. *verſic. nec municipia.* Ergo legatum capere non potuit.

36 Deinde capiendi ex teſtamento non eſſe compotem civitatem, ſatis demonſtrat exemplum hæredis inſtitutionis. Nec enim civitas hæres inſtitui, aut hæreditatem acquirere poteſt: nimirum, quia ex duobus hæreditatis acquirendæ modis (cretione, & pro hærede geritione) quos vetus agnovit Juriſprudentia, teſte Ulpiano *tit.* 22. *verſ. extraneus*; neutrum interponere poteſt civitas: *Eſt enim cretio certorum dierum ſpatium, quod datur hæredi inſtituto ad deliberandum, utrum expediat ei, adire hæreditatem, necne*: ut his ipſis verbis Ulpianus docet *dict. tit.* 22. *verſ. cretio.* Marc. Varro *lib.* 5. *& 6. de lingua Latina.* Divus Iſidorus *lib.* 5. *Etymologiarum, cap.* 24. Cernere autem dicebatur hæres, qui hæreditatem adibat, verbis cretionis his prolatis: *cum me Mævius hæredem inſtituerit, eam hæreditatem adeo, cernoque.* Porro Civitas cernere hæreditatem non poteſt. Non enim imaginarium corpus proferet cretionis verba; ſed nec pro hærede gerere poteſt. Pro hærede enim geritio animi eſt, ut Juſtinianus profatur *in §. ultim. Inſtit. de hæredum qualit. & differ.* Ulpianus *in l. pro hærede* 20. *D. de acquirenda hæred.* Atqui, quæ animi ſunt, ab incerto corpore non recte expediuntur, cum in facto potius, quam in jure conſiſtant, auctore Paulo, millies laudato *in l. bonæ fidei* 48. *§. in contrarium, D. de acquir. rerum domin.* Sed ne auctoramento idoneo defici videamur, prodeat, quæſo, Domitius Ulpianus, qui *dict. tit.* 22. *verſic. nec municipia*, hanc ſententiam concluſit, his verbis: *Nec municipia, nec municipes hæredes inſtitui poſſunt: quoniam incertum corpus eſt, ut neque cernere univerſi, neque pro hærede gerere poſſunt, ut hæredes fiant.* Prodeat & Plinius *lib.* 5. *Epiſtol. epiſt. ad Calviſium*: *Nec hæredem inſtitui, nec præcipere poſſe Rempublicam, conſtat.* Confirmatur hæc ſententia ampliſſimi Ordinis decreto; olim enim, cum populus Romanus à Rege Alexandrino hæres inſtitutus eſſet, Senatusconſultum factum eſt, quo cautum, ut liceret populo Romano Regnum Ægypti, hæreditario jure delatum, agnoſcere, & velut hæreditatem adire: unde & Cicero *Oratione ad populum, contra Rullum*, auctoritatem Senatus extare hæreditatis ejus aditæ, ſcribit. Atqui quorſum Senatusconſultum, ſi populus Romanus ſuo jure hæreditatem adire potuit? Ita eum locum Ciceronis accepit Cujacius *in Recitationibus poſthumis ad titulum, C. de hæred. inſt.* non male, etſi aliunde ratio Senatusconſulti peti poſſit.

37 Vellem enavigare hoc fretum. Video enim naufragium, periti alioquin in his fluctibus ſedandis Palæmonis, Franciſci Balduini, qui *in d. §. incertis, Inſtit. de legatis num.* 5. maluit miſellum Plinium irridere, quaſi extra hippodromum ſuum decurrens offenderit, quam veram hujuſce rei rationem exquirere. Ego tamen Ulpianum, domeſticum teſtem, produco, qui velut deſtinato Balduinum coarguit, & Plinii exiſtimationem ſartam tectam tuetur, *in d. verſ. nec municipia.* Cujus admirationem refellit etiam Duarenus *in Paraphraſi ad titulum, D. de hæred. inſtit.*

38 Non multo tamen felicius idem Duarenus plicam hanc replicavit. Exiſtimat, Budei illud delicium, & Plinii, & Ulpiani temporibus, municipibus legari non potuiſſe, ut Plinius, & Ulpianus citatis locis ſcribunt. Quin nec municipes eo tempore inſtitui hæredes poterant. Poſtea tamen Aproniano Senatusconſulto conſtitutum eſt, ut fideicommiſſa, ſaltem civitatibus, relinqui poſſent, ut Ulpianus *d. tit.* 22. *verſ. nec municipia*; & fideicommiſſa hæreditas, ut ex Paulo didici *in l. omnibus* 26. *D. ad Senatusconſultum Trebellianum.* Eodem Senatusconſulto effectum, ut à libertis ſuis hæredes inſtitui poſſent municipes; ita enim Ulpianus docet *in dict. verſ. nec municipia & in l.* 1. *D. de libertis univerſitatum.* Atqui, ut directo municipibus legari poſſet, & ut hæredes etiam ab extraneo utiliter nuncuparentur, non licuit ante Leonis Conſtitutionem *in l. hæreditatis* 12. *Cod. de hæredibus inſtit.* In fideicommiſſis vero ex Duareni ſententia facilius admitti potuit, ut ea civitatibus relinquerentur: quia fideicommiſſa, ad præſcriptum legis duodecim tabularum, quæ de legatis duntaxat cavit, teſte Pomponio *in l. verbis legis* 120. *D. de verb. ſign.* non revocantur, ſed nudo ex pudore hæredum, fideque pendent, nullo juris vinculo continentur. Cujus rei appoſitiſſimum teſtimonium ſuggerit Juſtinianus *in principio Inſtitutionum, de fideicommiſſar. hæredit.* ac proinde ſolebant his relinqui, qui capere ex teſtamento non poſſent: ut idem Juſtinianus teſtatur *dict. principio Inſt. de fideicommiſſariis hæredit.*

39 Neque ab hac opinione Duarenus depellitur, ſi hi loci objiciantur, qui de legato civitati relicto, non de fideicommiſſo, loquuntur. Eludit enim eos hoc effugio, ut aut de fideicommiſſo accipiantur, quod civitatibus relinqui poteſt, & legandi verbo generali ſignificatur, cum legandi verbum ſit homonymum, atque ad omnes ſpecies capiendi ex teſtamento pertineat, & in duodecim tabulis, ſi Pomponio interpreti credimus, *in dict. l. verbis legis* 120. & in uſu veterum prudentum (non enim hæc legati appellatio cum licio, & lance Decemvirorum evanuit) ut apparet *ex l. & fideicommiſſum* 87. *D. de legat.* 3. aut de legato à liberto municipum iiſdem relicto, quod jure conſtitit, Ulpiano auctore *in dict. l.* 1. *D. de libertis univerſ.*

40 Hæc Franciſci Duareni ſententia *in l. ſi quis filio* 33. *§. ult. D. de legat.* 1. *& in paraphraſi ad titulum D. de hæredibus inſt.* ſummatim à nobis propoſita; quæ tamen mihi quidem (ſpero item aliis, qui paulo attentius rem ipſam perpenderint) non probatur. Ac

Xxxxxx primum,

primum, ut admota manu ejus errata revelemus, invita plane juriſprudentia, & reluctantibus legitimæ hujus ſcientiæ Corypheis, videtur Duarenus, eorum fragmenta, de legato municipibus dato nominatim concepta ad fideicommiſſum, aut legatum a liberto datum detorquere. Ut appareat autem, quot in locos injurius ſit Duarenus, producam ex innumeris paucos, & eos extra cavillum poſitos. Legati, municipibus relicti meminere Caïus noſter *hîc*, & *in l. ſi hæredes* 73. §. *vicis*, *Dig. de legatis* 1. Modeſtinus *in dict. l. ſi uſusfructus* 21. *D. quibus mod. uſusfruct. amitt.* Paulus in *l. civitatibus* 122. *de legatis* 1. Marcianus in *l. cum quidam* 23. Scævola *in l. liberto* 21. §. *Lucius*, *D. de annuis legatis.* Modeſtinus *in l. legatum* 16. Scævola in *l. quoniam* 17. *D. hoc titul.* Ulpian. *in l. ſi fuerit* 5. *D. de legatis* 3. Papinianus in *l. municipibus* 9. *D. de condit. & demonſtr.* Ulpianus in *l. Julianus* 13. §. *idem Julianus*, *D. de actionibus empti.* Aburnius Valens *in l. legatam* 4. *D. de adminiſtr. rerum ad civit. pertin.* Papirius Juſtus *in l. Imperatores* 13. §. *ultim. D. de pollicitationibus.* Celſus in *l. quidam* 30. *D. de legatis* 2. Papinianus in *l.* 2. *Dig. de rebus dubiis.* Paulus *in l.* 1. §. *ad municipum*, & *in l.* 3. §. *ultim.* Macer *in l. computationi* 68. §. *ſic denique*, *D. ad leg. Falcid.* Ulpianus diſerte *titul.* 24. *verſ. civitatibus.* Poſtremo ut à luſoriis telis ad decretoria arma progrediamur, plus quam falſum eſt, quod Duarenus pro comperto habet, potuiſſe fideicommiſſa incapacibus relinqui. Etſi enim hæ fiduciariæ donationes (quas fideicommiſſa dicimus) inſtitutæ primum, ut his, qui legata capere non poterant, oblique, & velut tacite conſuleretur, poſtea tamen quam Divus Auguſtus fideicommiſſa ad juris vinculum revocavit, ut Juſtinianus teſtatur *in dict. principio inſtit. de fideicomm. hæredit.* Pomponius *in l.* 2. §. *poſt deinde Divus Claudius*, *D. de origine juris*; fideicommiſſa, his ſolis dari poterant, quibuſcum teſtamenti factio erat; & incapacibus relicta Fiſcus auferebat: ut ex Valente Tribonianus ſcribit *in l. ſi poſtulante* 67. §. *ultim. Dig. ad Senatuſconſul. Trebell.*

41 Miſſa hac Duareni ſententia, ne in aliorum minorum gentium interpretum confutandis opinionibus immoremur; ego de plebe litteratorum, non novandi, aut digladiandi libidine (à qua ſcabie meditato ſemper abſtinui, ut ungues tenerem) ſententiam meam promam. Penes doctos præjudicium eſto. Primum igitur confidenter ſtatuo, non potuiſſe civitates ſine ſpeciali conſtitutione, Plinii temporibus, quidquam ex teſtamento capere, non hæreditatem, non legatum, non fideicommiſſum. Ejus rei rationes duæ: altera ob incertitudinem corporum, & univerſitatum, quo in numero civitas eſt. Hæc autem tradita ab Ulpiano *dict. verſ. nec municipia*; & accepta per manus ab interpretibus emunctioris naris. Altera nondum, quod ſciam, à quoquam animadverſa. Arceſſenda autem ex populi Romani inſtitutis. Admonendi igitur ſumus, his dumtaxat legari poſſe, cum quibus teſtamenti factio eſt, Triboniano auctore *in §. legari*, *inſtitut. de legatis.* Cum his autem jure Quiritum teſtamenti factionem eſſe, qui Cives Romani ſunt, non cum peregrinis, uti Falcidius rogatione ſua non obſcure ſignificat, apud Paulum *in l.* 1. *D. ad leg. Falcid.* Antonius *in l.* 1. *C. de hæred. inſtit.* Atqui civitates, Plinii temporibus, non omnes jus civitatis Romanæ habuerunt: idque apparet? Etſi enim Romulus victos populos, exteroſque, in aſylum confluentes, in civitatem promiſcue admiſit, ut ex Livio probat Alciatus *lib.* 2. *Diſpunctionum cap.* 1. & ex Tacito Lipſius noſter *lib.* 1. *de Magnitudine Romana cap.* 7. & inſecuti Principes, quin & Senatus civitatem Romanam pleriſque indulſiſſent: denique poſt Julium Cæſarem ab aliis Principibus non ſolum Italiæ populi, ſed & nonnullæ exteræ nationes, pluresque Provinciæ, civitate donarentur, non tamen omnes ante Pium Antoninum. Ac proinde Plinii temporibus, civitatibus relinqui non poterat, vel ideo, quia civitatem Romanam non habebant. Poſtea tamen Conſtitutione Imperatoris Antonini, omnibus, qui in Orbe Romano ſunt (aut qui ſub Imperio populi Romani ſunt, quod eamdem vim habet) civitatis Romanæ jus tributum eſt, ut Ulpianus ſcribit inſignito loco *in l. in orbe Romano* 17. *D. de ſtatu hom.* Hoc autem Civium Romanorum incrementum, quod Orbe toto, in civitatem admiſſo, contigit, graphice deſcripſit Claudianus in Romæ laudibus his carminibus:

Hæc eſt, in gremium victos quæ ſola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit,
Matris, non dominæ ritu: Civeſque vocavit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.

Rutilius ad Romam his auro contra comparandis verſibus:

Feciſti patriam diverſis gentibus unam,
Profuit injuſtis, te dominante capi.
Dumque offers victis proprii conſortia juris,
Urbem feciſti, quod prius Orbis erat.

Sidonius *lib.* 1. *Epiſtolarum*; qui Romam indigitat, *verticem mundi, patriam libertatis, in qua unica totius mundi civitate ſoli barbari, & ſervi peregrinantur.* Quos locos imputo Lipſio noſtro *d. cap.* 7. Imputet autem mihi lector Claudianum *in Romæ laudibus*, ibi:

Quod bibimus paſſim Rhodanum, potamus Orontem;
Quod cuncti gens una ſumus.

Plinium *lib.* 2. *Naturalis Hiſtoriæ cap.* 5. ubi Italiam dilaudat, his verbis: *Terra, omnium terrarum alumna eadem, & parens: quæ tot populorum diſcordes, feraſque linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquia, breviterque una cunctarum gentium in toto Orbe patria fieret.* Alti, & animoſi ſpiritus vatem, Lucanum, quia jam olim hoc expreſſit *lib.* 1.

- - - - - Urbem populis, victiſque frequentem
Gentibus: & generis, coëat ſi turba capacem
Humani.

Et *lib.* 7. ibi:

- - - - - Generis quo turba redacta eſt
Humani? Toto, populi, qui naſcimur Orbe,
Nec muros implere viris, nec poſſumus agros.
Urbs nos una capit. Stat tectis putris avitis,
In nullos ruitura domus; nulloſque frequentem
Cive ſuo Romam, ſed mundi fæce repletam.

Modeſtinum *in l. Roma* 33. *D. ad municipalem.* Athenæum *lib.* 1.

42 Cum igitur omnibus Civitatibus, quæ in Orbe Romano erant, jus civitatis Romanæ tributum eſſet, potuit poſt Pium, Marco Imperante, facilius caveri; cum jam ſolum impedimentum incertitudinis ſupereſſet, ut civitates capiendi, ex teſtamento jus haberent, quibuſdam in cauſis, quas ex profeſſo inferius explicabimus. Nunc autem hujus rationis redditæ auctorem laudare poſſum ipſum Paulum, qui *in l. omnibus* 26. *D. ad Senatuſconſ. Trebell.* huc digitum intendit, licet ejus verba oſcitanter, & dormitante animo legant etiam litteratiſſimi civilis juris Expoſitores. Is igitur *ibi*, illis verbis, *quæ ſub Imperio populi Romani ſunt*, ſignanter indicat, Aproniano Senatuſconſulto his dumtaxat civitatibus, capiendi fideicommiſſam hæreditatem, jus tributum quæ civitatem Romanam habebant: nimirum, quia Antonini Conſtitutio ad eas tantum pertinuit, quæ ſub Orbe Romano ſunt, id eſt, quæ ſub Imperio populi Romani; ſic enim *Orbis Romani* verbum uſurpari apud Cæſareos ſcriptores, ex his notat Alciatus *lib.* 2. *Diſpunctionum cap.* 12.

43 Ex hac autem animadverſione emendandus videtur, male affectus locus *in* Ulpiani *fragmentis tit.* 24. *verſ. Civitatibus*, ibi: *Civitatibus omnibus, quæ ſub imperio Prætoriani ſunt, legari poteſt.* Non enim Prætoriani

Digitized by Google

toriani imperium eo ſenſu, quo uſurpare videtur Ulpianus, ſcriptum uſquam, aut pictum. Cujacius *in notis ad Ulpiani titulos dict. verſ. Civitatibus*, cui Gothofred. ſuffragatur, humanius agi cum Juriſconſulto, exiſtimat, ſi eum corrigat, quam corripiat. Itaque ea Paulo *in dict. l. omnibus*, pro verb. *Prætoriani*, reponit *Populi Romani*, apta notione, & ſenſu. Suſpicor autem, errorem natum ex notis illis, quibus prudentum libri perſcribebantur, ante Conſtitutionem Juſtiniani *in l. 1. §. ultim. l. 2. §. eamdem, C. de veteri jure enucleando.* Vocula enim hac, *Prætorianus*, ſignificabatur P. & R. litteris conjunctis. Populus autem Romanus P. & R. litteris puncto interjecto. Inde errandi occaſio librario data. Id ea notis Magnonis apparet *ad Carolum*, & ex Valerio Probo.

44 Verum, ne tergiverſari videamur, de tota hac re ſic paucis habendum. Ac primum fatemur, vere Plinium ſub Trajano ſcripſiſſe, non poſſe Rempublicam præcipere. Conſtat tamen, quovis legandi genere municipibus capere licuiſſe, Ulpiani, & aliorum juris antiſtitum temporibus: ut demonſtrant conſpicua eorum fragmenta, quibus Duareni ſententiam convicimus. Id qua conſtitutione effectum ſit, cum legitimæ hujus ſcientiæ elementa reclamarent, in ambiguo eſt. Cujacius *in l. ſi quis filio 33. §. ult. D. de legat. 1.* opinatur, à Nerva conſtitutum, quaſi is permiſerit municipiis, legare ad honorem, vel ornatum, non tantum ad compendium: quem juvat Ulpianus *dict. verſ. Civitatibus*, ibi: *Idque à Divo Nerva introductum, poſtea à Senatu, auctore Adriano, diligentius conſtitutum eſt.* Ego Cujacii ſententiam probare non poſſum; tum quia Plinius, poſt Nervam, Trajani temporibus luculenter ſcribit, Rempublicam præceptionis legatum capere non poſſe: & de legato ad compendium loquitur, de quo in primis caviſſet Nerva, ſi de ullo caveret; tum quia, ſi Nerva generaliter legata civitatibus capere, permiſit, vix a falſimoniæ culpa Ulpianum exſolvat ullum acumen, qui *dict. verſ. Civitatibus* ab Adriano, poſt Nervam, de legatis civitatum diligentius conſtitutum, teſtatur. Quid enim Adriano reliquum, de quo conſtitueret, ſi de legatis plene caverat Nerva.

45 In re igitur incerta conjecturam meam promam. Puto autem, à Nerva cautum, ut fideicommiſſa ſingularia relinqui poſſent his civitatibus, quæ jus Latii haberent; & quibus nil aliud, niſi impedimentum incertitudinis obeſſet. Moveor, quia, etſi de fideicommiſſariis hæreditatibus, Aproniano Senatuſconſulto in municipes collatis ſcripſerint Ulpianus, & Paulus, ubi inferius citandi; nuſquam tamen in *Pandectis* (quod ſciam) lectum, quis conſtitutione municipiis tributum, ut fideicommiſſa ſingularia capere poſſent. Non autem ſimile vero eſt, poſt capiendi legata jus datum, de fideicommiſſis relinquendis cautum, quippe cum hæc his ipſo jure dari potuerint, qui & legata capere poſſent, argumento ducto *ex princip. Inſtitutionum de fideicommiſſ. hæreditat.* Cum igitur, ut legaretur municipibus, effectum ſit Adriani Conſtitutione, ut poſtea lucidius dicemus, reliquum eſt, ut ſi quemquam, fideicommiſſa ſingularia capiendi, civitatibus jus dediſſe, volumus, is Nerva ſit. Cum enim Nerva hac de re caverit, ſi Ulpiano credimus, is autem de legatis nihil conſtituerit, ut *ſupra* probavimus; neceſſe eſt, eum de fideicommiſſis locutum. Neque huic conjecturæ Ulpianus obloquitur, qui *dict. verſic. Civitatibus*, de legatis Nervam caviſſe, ſignificat non obſcure. Etenim legandi verbum, & fideicommiſſa complectitur, Pomponio teſte *in l. verbus 180. Dig. de verborum ſignific.* Paulo *in l. & fideicommiſſum 87. de leg. 3.* Ideoque apud Ulpianum legandi verbum ſi accipiendum, utrumque contineat; & Nervæ Conſtitutio ad fideicommiſſa referatur; Adriani autem ad legata.

46 Poſt Nervam, Adrianus jus capiendi legata civitatibus indulſit, *ex dict. verſ. Civitatibus.* Quæ ſententia confirmari belle poteſt, ex Caio noſtro, qui *hic, & in l. ſi heres 73. §. ultim. D. de legat. 1.* legata civitatibus dari poſſe, docet. Vixit autem Caius, ſub Adriano: ut indicat Julianus *in l. filiæ 59. ſolut. matrim.* Idemque Caius *in l. utrum 8. D. de reb dub.* (de quo adito, lector, Anton. Auguſt. *lib. 1. Emendat. cap. 5.* Zaſium *in l. 2. §. Servius, D. de orig. jur.* Donell. *libr. 16. Comment. cap. 24. & in l. 1. §. ſi ſtipulanti, num. 12. D. de verb. obligat.* Cujac. *in præfat. Codicis Theodoſiani, & in Not. poſt ad §. ſi quis in aliena, Inſtit. de rerum diviſ. & lib. 7. Obſervat. cap. 16.* Oſwald. *ad Donell. lib. 4. cap. 36. lit. B.*) Ac proinde neceſſe eſt, legari potuiſſe civitatibus, Adriani temporibus, etiam ante Senatuſconſultum Apronianum, ſub Marco factum, quod Caius agnoſcere non potuit. Etſi enim vixiſſe eum poſt Divum Pium, liquido conſtet *ex l. quod principi 56. D. de legat. 2. l. 2. D. de his, qui ſui, vel alien. l. ſi Titius 96. D. de legat 2. l. per fideicommiſſum 90. D. de condit. & demonſtrat. l. facta 63. §. reſcriptos, Dig. ad Trebell.* (ubi Pium Divum vocat, qui honos non niſi Principi mortuo habitus) interiiſſe tamen, Marco Imperium auſpicante, argumento ſunt ejuſdem Caii fragmenta, quibus nunquam citatur Reſcriptum Marci: præcipue cum Apronianus, quo Conſule Apronianum Senatuſconſultum factum aiunt, octavo Imperii Marci anno Conſulatum geſſerit, ut liquet inter faſtorum concinnatores.

47 Ex ſuperioribus licet colligere, non audiendos Cujac. & Gothofred. qui *in notis ad Ulpian. dict. verſic. Civitatibus*, cum cerebrum excuteret Paulus *in l. cum Senatus 21. D. de rebus dubiis* (quem illico placabimus) deploratum, & clumbem locum clamant; Adriani nomen expungunt, & Cujac. pro eo, Marcum ſubſtituit, Gothofred. pro illis verbis: *A Senatu auctore Adriano*, hæc ex conjectura reponit, *Senatuſconſulto Aproniano.* Uterque autem putat, *Aproniano Senatuſconſulto* ſub Marco permiſſum civitatibus legari. Sed ò ferula digna manus? (ignoſcant mihi Cujacii manes, pro veritate pugnanti.) Oſtendi, licuiſſe ante Marcum, civitatibus legari. Atqui, dixerit quiſpiam, acriter pugnat Paulus, qui *in dict. l. cum Senatus 21.* ſub Marco permiſſum, ſcribit, Collegiis legari. Pugnet. Ego eum tranquilliorem reddam, quam Alcedo olim mare. Locutus enim Paulus de Collegiis, non de civitatibus. In Collegiis autem ideo ſerius admiſſum, ut his legari poſſet, quia Collegia jam inde ab incunabulis Romanæ Urbis varie agitata, & interdum ſublata: indeque his dumtaxat Collegiis Apronianum indultum ſit, quibus coire liceret; ut Paulus ait *in dict. l. cum Senatus*, & Cæſares *in l. Collegium 8. Cod. de hered. inſtit.* Conſulatur, quæſo, Cujacius *lib. 7. Obſervat. cap. 30.* Gothofred. *in Rubric. Digeſt. de Colleg.* Duaren. & alii *ibid.*

48 Moneo pro coronide, Adrianum auctorem hujus rei fuiſſe Senatui (ita Ulpianus docet) Senatuſconſultum autem hoc factum forſan, Caio Ventidio Aproniano Conſule anno ab U. C. 875. & ſexto Imperii Adriani; & ab eo Apronianum nuncupatum. In quo tamen (etſi acuminis res eſt, & plerumque vani, aut fallentis) audientiæ inſimulari non poſſumus. Si enim, quia Paulus *in dict. l. cum Senatus 21.* ſcripſerat, Senatum temporibus Divi Marci permiſiſſe Collegiis, legare, licuit Briſſonio *de Verbor. Signific. verb. Apronianum*, id Senatuſconſultum ad Apronianum Conſulem referre, qui ſub Marco Conſulatum geſſit; & *Apronianum* vocare, & de eodem Paulum accipere *in l. omnibus 26. D. ad Trebell.* cur nobis non liceat ſimiliter conjectari, præſertim certiore argumento ſuffultis, ex Ulpiano, qui *dict. verſic. Civitatibus*, non de legato Collegiorum, ut Paulus, ſed de legato civitatum loquitur, & Senatuſconſulti ſub Adriano meminit?

49 Conſtat jam, duo eſſe hac de re Senatuſconſulta, quæ Aproniana dici poſſunt. Alterum ſub Adriano factum, & à nobis ex ſitu erutum. Alterum ſub Marco anno ab U. C. 920. Aproniano, & L. Vettio Paulo Coſſ. Hoc poſteriore duo conſtituta putant omnes neoterici; ut municipibus fideicommiſſam hæreditatem capere liceret, & directo datam à

libertis ſuis. Citant Paulum *in dict. l. omnibus* 26. Ulpian. *dict. verſ. nec municipia*, & *in l. 2. D. de libert. univerſ.* qui vix quidquam liquido probant. Ego, etſi invitus, diſſentio. Puto autem, priore S. C. ſub Adriano cautum, ut à libertis ſuis hæredes inſtitui poſſent municipes; poſteriore, ut fideicommiſſam hæreditatem caperent ab omnibus. Hujus opinationis ſolidum argumentum ſuggerit Ulpian. *in dict. l. 1. verſic. ſed quæ ratione*, ubi clariſſime ait, alio Senatuſconſulto, ab eo, quo de fideicommiſſa hæreditate conſtitutum, permiſſum eſſe municipibus, ut à libertis inſtituerentur. Duo ergo Senatuſconſulta; alterum de fideicommiſſa hæreditate; alterum de hæreditate à liberto data. Atqui Aproniano noviori cautum de fideicommiſſa hæreditate, Paulus ſignificat *in dict. l. omnibus*. De hoc enim Aproniano, quod ſub Marco factum, loqui eum, vel illud indicat, quod ſcribit, jubere Apronianum, hæreditatem reſtitui omnibus civitatibus, quæ ſub Imperio populi Romani ſunt: non enim potuit prius Senatuſconſult. ita jubere, cum eo tempore nondum omnes civitates, quæ ſub Imperio populi Romani erant, haberent civitatem Romanam; quæ poſt Adrianum à Pio, ut diximus, tributa fuit omnibus, qui in Orbe Romano eſſent, & ita ante hoc Apronianum poſterius. Cum igitur hoc ſub Marco de fideicommiſſa hæreditate caverit; aliud autem ſit id, quod hæreditatem a liberto dari permiſit: & duo ſint tantum Senatuſconſulta, hac de re (quæ quidem nos norimus) neceſſario efficitur, priori illo ſub Adriano de hæreditate à liberto data conſtitutum; poſteriore ſub Marco, de fideicommiſſa hæreditate.

50 Poſtremo (ut vaſa jam colligamus) municipes hæredes, præterquam à libertis, aut per fideicommiſſum inſtitui, non potuiſſe, Ulpiano ſuperſtite, & poſt eum ante *l. hæreditatis* 12. *Cod. de hæred. inſtit.* quidquid Bartolus, & congeneres lippiant oſtas mero meridie; indubitantes aſſerunt Duar. *ad tit. D. de hæred. inſt. cap.* 2. Donell. Cujac. Gothofr. *in dict. l. hæreditatis*, & magno aſſenſu cæteri ejuſdem factionis interpretes, qui Ulpianum producunt *in dict. verſ. nec municipia*. Mihi ſtomachum movent, alias imbecillum, obſcuri (ita medius Fidius) duo loci *in l. Mævius* 66. *§. ult. D. de legat.* 2. & *in l.* 6. *§. item ſi municipes D. ad Trebell.* Ex quibus hic poſtremus Donellum pupugit *in dict. l. hæreditates*, qui tamen nos non juvat. Ego poſt multum æſtum hæſi in hoc vado, neſcio, an tuto. Aio, his locis non quæri principaliter, an municipes hæredes inſtitui poſſint; ſed cum alia ſit quæſtio, hypotheſim poni, in qua hi inſtituti. Quando autem poſſint, ex principiis, quæ propoſuimus, petendum: & ita Ulpianum, & Papinianum capiendos, ut de municipibus à liberto inſtitutis loquantur: à quibus inſtitui poterant eo tempore, ut probavimus. Et ita ſentio; an recte, alii viderint. Ego Oedipus non ſum, & in his tenebris priſci ævi video; non video.

Ex propoſitis liquet, municipes ex teſtamento capere poſſe, & potuiſſe jam legatum acquirere Caii noſtri temporibus. Legata autem ideo forſan citius municipibus, quam hæreditates tributæ, quia illa ignoranti quæruntur *l. cum pater* 77. *§. ſurdo D. de legat.* 2. hæ non niſi ſcienti, & volenti *§. ult. Inſtit. de hæred. qual. & diff.* Civitas autem velle, & ſcire non poteſt. Ulpian. *dict. verſ. nec municipia*, *dict. l. 1. D. de lib. univ.* Faciunt autem municipes capiendi ex teſtamento compotes, præter citata veterum fragmenta *in l. ſi quis à filio* 33. *§. ult. l. ſi quid relictum* 117. *D. de legat.* 1. *l. cum pater* 77. *§. viras D. de leg.* 2. *l. fideicommiſſa* 11. *§. ult. D. de leg.* 3. *l. municipio* 12. *D. ut in poſſeſſ. leg. l.* 3. *§. municipes, D. de ſuis, & leg. hær. l. cum alicui* 26. *D. negot. geſt. l. annuam* 6. *l. pen. D. de ann. leg. l.* 9. *Cod. de paganis.* Illuſtrant poſt jam laudatos, citati ab Hillig. *lib.* 6. *Com. cap.* 17. *lit. Z. & lib.* 8. *cap.* 6. *lit. B.* 51

Adjiciebam his non injocundum Parergon, de legato viſcerationis, aut epuli, civitati relicto, ad elucidandam diviſionem Pauli *in l. civitatibus* 122. *D. de legat.* 1. cujus verba proponentibus horarium interceſſit. Videat ejus epuli avidus Anton. Auguſt. *lib.* 4. *Emend. cap.* 1. Alexandr. ab *Alexand. lib.* 3. *Gen. cap.* 7. *& lib.* 5. *cap.* 7. Tiraquell. *in Comm. ad eundem.* Guillel. Forner. *lib.* 2. *Select. cap.* 21. Ego longius progreſſus, quam putaveram, rerum ingenio, non meo. Scholicum enim hunc pulverem, qui ſemel ingreſſus, cum poterit, exibit, non cum volet: ut hoc mihi Lipſius largiatur, in quo deſino, bono nomine, & omine: 52

ODI PROPHANUM VULGUS, ET ARCEO.

AD

AD CÆSARUM CONSTITUTIONEM,

IN LEG. 2. COD. DE EXCUSAT. MUNER. LIB. 10.

DE IMMUNITATE PROTECTORUM, ET PRÆPOSITORUM. EXTEMPORANEA COMMENTATIO,

ILLUSTRIBUS IN SUPREMA CASTELLÆ CURIA SENATORIBUS, EX VETERE VOTORUM FORMULA, DICATA, CONSECRATA.

QUIBUS EX SUGGESTU, ET EX TEMPORE DICTA, DIFFUSA VERBIS, IN SALMANTICENSI ATHENÆO 15. KAL. JUN. MDCXXIX.

EISDEM INTRA TRIDUUM TYPIS DATA, DICTATA VERBIS, 12. KAL. JUN.

D. FRANCISCUS RAMOS DEL MANZANO, J. C.

Prior, & Publicus Juſtinianei Codicis Salmanticæ Doctor, ſcripſit, inſcripſit, publicavit.

V. ILL. ET CL.

CONSCRIPTIS IN SUPREMO CASTELLÆ SENATU PATRIBUS, SALUTIS, PUBLICÆQUE MENTIS PRINCIPIBUS,

PRUDENTIÆ, JUSTITIÆ, RELIGIONIS LUMINIBUS, ARTIUM, ET PROFESSORUM PATRONIS, PATRIÆ PARENTIBUS, B. P. N.

QUÆ ſubito, & ex tempore de immunitate Protectorum diximus, diſſeruimus, auſpicatu veſtro prodeunt, MAXIMI NOSTRI REGIS, MAXIMI SENATORES. Scripta quippe de Præpoſitis, & Protectoribus commentatio, quibus, quæſo, inſcribenda potius, quam vobis, qui dignitate, & merito omnibus apud nos Præpoſiti, & Principis, ac populi Protectores veri, & cuſtodes? Sed & privatæ mihi cauſæ, amplitudini veſtræ dicandi, conſecrandi. Extemporanea diſſertatio hæc eſt intra viginti, & quatuor horarum metam, diſpoſita, & publice ex ſuggeſtu habita, ex ſtato, & ſcito Salmanticenſis Academiæ more. Petitor ego his diebus, Cathedræ, quam Voluminis vocant, unus ex ſeptem aliis diſertis profeſſoribus,

Doctis, Jupiter! & laborioſis.

Specimen hoc meorum, in poſteriores tres Juſtinianei Codicis libros, lucubrationum, publice datum, quidni ad vos mittam, qui Muſarum omnium cultores, fautores; & litterata hæc opera, & præmia, cenſetis, diſtribuitis, certiſſimo docentium, & diſcentium bono. Nec in mittendo, opinor, recti Candidatorum moris modum egredimur; dictamus enim, qualia dictavimus in Athenæo, calente lingua, & mente; qualia poſtea intra triduum recenſuimus, properante typographi manu, quia nec polire magis, otium nunc, aut voluntas. Proinde bona fide, quidquid hoc eſt libelli, commendo, & ut facete olim de Galba Cicero, Prenſo, non ambio, ſine fuco, ac fallaciis, more Majorum. *Qui fiduciam ſtudiorum habet, faciat hoc idem, nec induſtriam noſtram accuſet. Licuit, ſemperque licebit, honeſtis artibus bene mereri. Sed hem adjunxi his paginis Epiſtolarum ipſa verba, quæ magnæ Curiæ veſtræ decreto, ſecundo profeſſorii mei muneris anno, ad me, aut de me ſcriptæ, vel inſcriptæ. Tantum tanti Senatus teſtimonium, tam honeſtum de me judicium, quamvis voto ipſo exiguitatis noſtræ majus, & nulla unquam genii, aut ingenii mei commendatione meritum, publicari tamen debuit, ut exemplum veſtri favoris iret in poſteros, & juventutem ad meliora ſtudia excitaret. Itaque, ut olim ad Theodoſium Symmachus:* Non ſum voti immodicus, cum honorem meum commendo Auctoribus ſuis; tantum vos oro, atque obſecro, ut favore perpetuo factum veſtrum juvetis: non deſeruerint, qui dederunt; ego innitar, ut potero, ne elementiam veſtram fefelliſſe de me prior fama, videatur. *Valete, Magni Conſiliarii,* Recti, Bonique Præceptores, *ex Petroniano epitheto, & Academiæ noſtræ tegendæ, fovendæ, Reipublicæ tuendæ, firmandæ vivite felices. Ita voveo. Salmanticæ 14. Kal. Jun. Anno M. DC. XXIX.*

D. Franciſcus Ramos del Manzano, J. C.

FRANCISCI RAMOS DEL MANZANO AD CÆSARUM CONSTITUTIONEM,

IN LEG. 2. COD. DE EXCUSAT. NUM. LIB. 10.

DE IMMUNITATE PROTECTORUM, ET PRÆPOSITORUM. EXTEMPORANEA COMMENTATIO.

1 O*Pus inſigne, recens, & adhuc indictum ore alio*, ut Romanæ fidicen lyræ cecinit, auſpice Deo, molimur, ioterpretationem, ſcilicet, elegantiſſimæ Cæſarum Conſtitutionis, quam ex tot claſſicis, & neotericis pauci hactenus laudarunt, aut luſtrarunt, certe non pro dignitate illuſtrarunt. Nec mirabitur, ſcio, quiſquis inſpexerit: tanta præſentis agri macies, horridum adèo, & aridum diſputatioois ſolum, ut uberiorem dare ſegetem, non niſi egregii Muſarum cultoris ſit. Faciant verba fidem, quæ proponantur *in lib. 2. Cod. de excuſationibus munerum lib.* 10. ubi ſic ſcriptum eſt: *certis dignitatibus data à nobis indulgentia eſt munerum civilium, & perſonalium, id eſt his, qui aut ex Protectoribus ſunt, aut ex Præpoſitis; hi ergo ad munera perſonalia, aut civilia non vocabuntur.* Hæc legis noſtræ verba, quibus explicandis omnes jam nunc, quotquot incolunt Helicona, Muſas advoco, omnes, quotquot Parnaſſum irrigant, latices, non primoribus deduco labris, ſed ore pleno. Vos ſinum pandite, ſive mavultis, ulnulam, juſtitiæ cultores; & ſi quæ ex penitioris jurisprudentiæ, aut politioris doctrinæ fontibus derivata, ab errante noſtra manu, aut mente, nitoris aliquid perdiderint, aut ſaporis, ignoſcite magna conanti, & affectum inſpicite, oon effectum. Profiteor autem, in hoc diſputationis aditu (audite qui docetis, qui diſcitis) me nullam hodie ex Pandectis, aut Juſtinianeo Codice legem, nullum ex ullo juris libro locum vel laudaturum, vel expoſiturum, qui noo in tribus his Juſtinianei Codicis libris extet, ut appareat, quam propria, quam diſtincta, & ſua veluti dote contenta, hæc pars juriſprudentiæ ſit, quæ in volumine, ut loquuntur, extat, quantæ in illo illoſtrando lucubrationes noſtræ, & labores.

2 Plane antequam immittamus rudentes, & alte penetremus in hoc mare, monenda paucis eſt juventus, extare in lege noſtra non edictum, decretum, aut reſcriptum Cæſarum, qualia fere in his libris proponi ſolent, ſed fragmentum actorum Diocletiani, Maximianique Cæſarum, coram Antiochenſibus. Ita exprimit inſcriptio legis noſtræ, quæ ſic habet: PARS ACTORUM DIOCLETIANI, ET MAXIMIANI, AA. *Inductis Firmino, & Apollinario, & cæteris principalibus Antiochenſium adſtantibus, Sabinus dixit, & cætera, Diocletianus dixit, & deinceps.* Inſolens ſane, & infrequens in Cæſarum Conſtitutionibus epigraphe, quæ ne politiorum artium imperitos terreat, aut turbet, præmuniendum breviter eſt, cum Tacito *lib.* 13. *Res illuſtres Annalibus, ædificia theatri diurnis Urbis actis mandare, moris fuiſſe.* Inde & acta Senatus, acta municipalia, & militaria, quæ *populi tabularia* Virgilius, *regeſta & chartulas vivaces*, vocat Prudentius; hinc actuariorum crebra in legibus, & libris noſtris mentio, *l.* 1. & 2. *Cod ne quis liber invitus actum Reipublicæ gerere cogatur, libr.* 10. *l.* 3. *Cod. de diverſis officiis, lib.* 12. *l. actuarii* 5. *C. de erogatione militaris annonæ, lib.* 12. Conficiebantur acta in provinciis, in municipiis à numerariis Præſidum, à tabulariis civitatum, coram Primoribus curiarum, ſeu Principalibus, quos ita proprie, & partite dictos, probat, ut alios mittam, Salvianus *libr.* 5. his verbis: *Quæ enim ſunt non modo urbes, ſed etiam municipia, atque vici, ubi non quot Curiales fuerint, tot Tyranni ſint: item quis locus eſt, ubi non à Principalibus civitatum, viduarum, & pupillorum viſcera devorentur.* Adſtipulantur huic Principalium appellationi perſpicui, conſpicui textus, *in l. omnes* 33. *l. quilibet Principalium* 40. *C. de Decurionibus, lib.* 10. *Novella Leonis, & Majoriani de Curialibus.* His ita poſitis, capiet jam nunc, quiſquis capiendi cupidus, non carpendi, quod legis noſtræ inſcriptio proponit, partem ſcilicet eſſe Conſtitutionem hanc actorum, quæ à Diocletiano, & Maximiano habita ſunt in Conſiſtorio, inductis nempe in Conſiſtorium, Principalibus Antiochenſibus, id eſt, Curiæ Summatibus, ut vocantur *in l. quinque* 57. *Cod. de Decurionibus, lib.* 10. ſeu Proceribus Curiæ, ut Auſonius indigitat in *Moſella*:

- - - - - - - Quos Curia ſummos
Municipum vidit Proceres, propriumque Senatum.

Prævit, & præſenſit Cujacius impræſentiarum quamvis conciſe, ut ſolet, & concluſe.

Abſtruſioris ſane, & non niſi prælata multorum principiorum luce explicandæ inſpectionis eſt, quod 3
ſequitur in lege noſtra, *certis dignitatibus indulgentiam datam eſſe munerum civilium, & perſonalium.* Conſtat ſatis, militaribus civilibus, & Palatinis dignitatibus immunitatem Conſtitutionibus tribui, ut exprimitur *in l. negotiantes* 7. *l. eos, qui* 11. *cum ſequentibus, infra hoc titul. l. oratione* 4. *C. de profeſſoribus, & medicis, libr.* 10. *l. unica, C. de athletis, lib.* 10. *l.* 2. *C. de his, qui non impletis ſtipendiis, libr.* 10. *l.* 3. *C. de legationibus, libr.* 10. ubi Conſtitutioois noſtræ auctores à muneribus civilibus vacationem varie largiuntur, eo tamen Conſtitutio noſtra non reſpicit, quæ immunitatem hanc, certis dignitatibus datam, ad Protectores ſolos refert, & Præpoſitos. Itaque quæ in commune de aliarum dignitatum immuoitate dici, diſſeri poſſent, relinquimus lubenter: nihil illa ad noſtram Aodromachem; pergamus jam,

Inque ſuo noſter pulvere currat equus.

Illud in legis noſtræ verbis magno fortaſſis niſu, 4
& jactatione induſtriæ ab aliis explicandum ſupereſt, quod Cæſares ſubjiciuot, indulgentiam hanc datam eſſe civilium munerum, & perſonalium. Nos, de diſtinctione munerum, & origine prolixius præſibata, Rubricarum, quas vocant, expoſitionem captare videamur, plebeio, & proletario more; ponimus, non expooimus Cujaciana brevitate, & verbis. perſonalia muoera eſſe, quæ corporis, & animi laborem principaliter requirunt, civilia vero ſæpe vocari, quæ tam perſonæ induſtriam, quam patrimonii ſumtum deſiderant; hæc mixta, nuncupant Accurſiani, à quibus patrimonialia munera diſtingui, quis eſt, qui neſciat? Noſtrum non eſt, mero meridie accendere lucernam.

Quare ut in reliquis Conſtitutionis noſtræ verbis 5
jam progrediamur, de Protectoribus, & Præpoſitis, quibus hæc lex immunitatem tribuit, quos ex adverſo opponit, & prora, ac puppis ſunt, ut ita dicam, diſputationis noſtræ, paulo fuſius dicemus. In primis autem moneo, ut à Protectoribus ordiar, à quibus Conſtitutio noſtra orditur, peccaſſe largiter in hac dignitate explicanda, eruditiſſimum illum antiquitatis omnis promum, & condum, Petrum Fabrum *lib.* 1. *Semeſtrium cap.* 1. ex quo tranſcribit, & ſubſcribit, Cæſar Bulengerus *libr.* 3. *de Imperio Romano cap.* 38. *verſ. Protectores.* Uterque Protectores confundit, & miſcet cum militibus Prætoriaois, quos jam ab Auguſtæo ævo, ſub Præfecti Prætorio diſciplina Romæ militaſſe, ignorat nemo, vel leviter meliori doctrina tinctus. Uterque tamen errat toto cœlo. Eſt enim Protectorum origo novior longe, & ignotior, & quamvis in militiæ Prætorianæ corpore cenſeantur, proprii ſunt tamen magis, & propinquiores Cæſarei, ſive *ſacri lateris Cuſtodes*, ut Martialis noſter alibi vocat; eleganter Mamertinus in

Panegyrico

Digitized by Google

Panegyrico Juliani Cæſaris: *Arma igitur, inquit, & juvenes cum gladiis, atque pilis non cuſtodiæ corporis ſunt, ſed quidam Imperatoriæ Majeſtatis ſolemnis ornatus.* Nec felicior in Protectorum origine proferenda, Joannes Cedrenus, Græcanicæ inferioris Hiſtoriæ ſcriptor non ignobilis, qui à Gordiano Juniore Protectores inventos, refert: refellitur tamen aperte ex Capitolini *in Maximino*, ex Spartiani *in Caracalla* locis, apud quos ſub Gordiano Seniore, ſub Baſiano Antonino Protectorum habita mentio.

6 Porro omiſſa, aut dimiſſa in curas, ut loquuntur, ſecundas, Protectorum origine, quæ in rebus tam incertis nunquam certa; illud plus, quam apertum, ex Prætorianis illis militibus, qui Romæ in Prætorianis caſtris militabant, certum cohortium numerum, quæ ſingulis diebus in aula, ſeu Palatio excubabant, Cæſaribus tuendis, protegendis, Protectorum nomen, & munus à cæteris diſtinctum meruiſſe. Sic Protectorum exaudienda mentio, *in l. 1. & paſſim, C. de Domeſticis, & Protectoribus lib. 12. l. 3. C. de diverſis officiis lib. 12. l. 2. C. de Fabricenſibus lib. 10. l. 2. C. de Veteranis lib. 12.* deſcribit erudite Corippus, comptus ille, & concinnus Juſtini Minoris rerum Encomiaſtes *lib. 4.*

Hinc armata manus dextram, lævamque tuetur
Cæſarei lateris; clypeis pia turba tegebat
Ingens excubitus; Protectorumque phalanges
Fulgebant rutilo pilis ſplendentibus auro.

Plane quemadmodum Protectores à protegendi Principis cura, ita & excubitores vocabantur, quia ſemper in Palatio excubabant: ſtipatores, quia latus Principis ſatellitio ſtipabant, ſive ut vetus eſt verſus apud Feſtum:

Stipati ferro circumdant corpora Regum.

Speculatores, quia velut in ſpecula pro ſalute Principis collocabantur; domeſtici etiam, & buccellarii, quia ſemper, ut Horatius alibi loquitur, *aliena vivebant quadra*, ab aulica buccella pendentes: obſervant poſt alios, ſed expeditius cæteris, Pancirola *in Notitia Imperii Orientalis, cap. 89. & lib. 2. Theſauri Variarum, cap. 206.* Marcellus Donatus, *Dilucidat. in Spartianum in Caracalla*, ad illum locum, *inde cum in Aſiam trajiceret.* Claudius Salmaſius *in Lampridium in Heliogabalo, pagina notarum mihi* 197. & *in Lampridium in Alexandro, pagina notarum* 238. Petrus Faber *libr. 1. Semeſtrium, cap. 1. verſic. duplex.* Briſſonius *de Verborum Significatione verb. domeſtici.* Cujacius *in Rubrica, C. de domeſticis, & Protectoribus, libr. 12.* Roſweydus *in notis ad Epiſt. 39. pagina mihi* 827. Cæſar Bulengerus *lib. 3. de Imperio Romano, cap. 37. & 31.* ubi, & in præcedentibus de Protectorum nomine, & munere, de Scribonibus, Barangiis, & Bardariotis, quæ barbara inferioris ſæculi verba, multa, ut ſolet, recondita profert incondite; nos, ut Romanum jus Hiſpano conjungamus, & alterum annitentibus nobis lucem ab altero mutuetur, & nitorem, claudimus, & veluti ſignamus hunc excurſum, affirmantes, Protectores, cuſtodes, & ſatellites Cæſarum fuiſſe, non abſimiles his, quos tuendo, & tegendo Regum lateri omni ævo delectos, docet poſt Ariſtotelem, noſter Alphonſus, *Amenſuaderes*, vocans vetere Hiſpano verbo, *in l. 9. tit. 9. part. 2.* quibus hodie apud nos, quamvis jam aliis novæ, & tranſmarinæ politiæ nominibus diſtinguantur, privilegia multa indulgentur Regiis Conſtitutionibus, *in l. 14. & ſequentibus titul. 15. libr. 3. Compilationis*; de quibus poſtea, ſi licebit, planius dicam, & plenius.

7 Reliquum eſt in legis noſtræ verbis, non operæ levioris, ſed impenſiori induſtria, & magis, ut Salluſtius aiebat, cum cura dicendum de his, quos ex Præpoſitis eſſe, lex noſtra ait, & a Protectoribus ſejungit. Video ſane in hac parte, Lucam de Penna, ingentem, ut Cujacius alibi appellat, omnium ineptiarum Hamaxarium, Præpoſitorum mentionem, quæ impræſentiarum extat, referentem ad Præpoſitos ſacri cubiculi, qui Cæſarinis cubiculariis omnibus intra palatium præerant, & Xiphilino *in Domitiano procoite* nuncupantur *l. 1. & ſeq. C. de Præpoſitis ſacri cubiculi, lib. 12.* Hæc tamen, ut leniſſime dicam, interpretatio, & ſi quæ ſunt aliæ ſimiles, ſunt, ut vel de Philoſophis Cato dicebat, *mortualia gloſſaria, gerræ germanæ. atque ædepol lyræ lyræ.* Opponit enim Conſtitutio noſtra Protectores Præpoſitis, quaſi vel dignitate pares, vel certe non diſſimiles nimis. At Præpoſiti ſacri cubiculi ſunt inter ſummos dignitatum apices; Protectores vix inter inferiores: illi titulo illuſtrium præfulgentes; hi nondum inter egregios, aut perfectiſſimos: illi inter aulæ culmina, & palatii columina: hi paulo plus, quam milites gregarii, certe non Palatini, ſed militares viri. Harum differentiarum probationem, qui petit, plus a me ſane petit, quam otium, aut negotium noſtrum patiatur. Doctis hæc explorata ſcio, nec teſtibus egere: *Tu à me non eſt, quod illum, aut illum exigas: qui noterem dat, ignotus eſt*; ait Seneca *Epiſt.* 29.

8 Placet itaque potius, quod ab Accurſio in præſenti verbo, *Præpoſitis*, ſemel acceptum, ſequuntur magno aſſenſu Bartolus, Joannes de Platea, Jacobus de Barulo, Jacobus Rebuffus, & Jacobus Cujacius in præſenti, *Præpoſitorum* verbo intelligentes illos, quos laborum Præpoſitos appellat titulus *de Præpoſitis laborum lib. 12.* de quibus quoniam alta, & anxia concertatio eſt inter melioris muſæ cultores, pauca paucis dicemus, vel juventutis fructu, vel cum eruditorum plauſu. Sunt qui de Præpoſitis labarorum, inter quos magnus ille Cujacius eo uſque, ut Plinii verbis utar, *de Apelle, lib. 35. Naturalis Hiſtoriæ, cap. 10. in arte provectus, ut plura propè ſolus, quam cæteri omnes contulerint.* Ego utramque lectionem rectam eſſe, contendo: aſſentior tamen magis Cujacio, qui de Præpoſitis laborum titulum accipit, juxta receptam magis lectionem; fuit autem Labarum, inter Romana ſigna, vexillum, quod, *Camaton, Luterion*, Græco verbo, id eſt, laborum ſolutionem Gregorius Nazianzenus appellat, *primo in Stiliteutica.* Inde præpoſiti labarorum: quia labaro ferendo, & in laborum ſolutionem, huic vexillo ferendo præponebantur, ſentit, aut præſentit Cujacius *ad tit. C. de Præpoſitis laborum, lib. 12.* tranſcribit bona, ut credimus, fide, Bulengerus, *lib. 5. de Imperio Romano cap. 5.*

9 Illud nunquam tacendum, poſt Conſtantinum, labarum in Romana militia ſignum victricis Crucis noſtræ fuiſſe, cujus in decantata illa pugna contra Maxentium, effigiem Conſtantinus aſpexit in aëre, cum Latinis illis litteris, *in hoc Signo vinces.* Alluſit, quaſi vaticinans, longe ante Conſtantinum, acer ille Septimius Tertullianus in *Apologetico*: *Suppara illa, inquit, vexillorum, & candyes labarorum ſtolæ crucium ſunt.* Et cui inauditum Prudentianum illud?

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, ſummis Crux addita criſtis.

Sed nota hæc, & notata aliis, quorum ſcrinia non compilamus. Videſis Juſtum Lipſium, *lib. 3. de Cruce cap. 15. & in notis ejuſdem libri ibidem.* Lilium Gyraldum *Dialogo* 25. Baronium *4. tomo Annalium, pag.* 901. & *3. tomo pag. 98. & 99.* Bulengerum *lib. 5 de Imperio Romano cap. 5.* Godiſchalchum Steweclium *Commentario ad Vegetium lib. 2. cap. 18.* Vaſquez *in tertiam partem Divi Thomæ, tom. 1. diſputat. 111. cap 4.* Joannem Weitzium *in notis ad Prudentium lib. 1. contra Symmachum verſu 464. & ſequentibus.*

10 His ita poſitis, & expoſitis non levi manu tot Cæſarum Conſtitutionibus, nos, ut jam ab hac regula legis noſtræ, quæ Protectoribus, & Præpoſitis civilium munerum, & perſonalium vacationem indulget, quæ ſuperſunt in poſterioribus his Juſtinianei Codicis libris, propriis diſputationis noſtræ reſcriptis interpretemur: ſemel ſerio teſtamur, intra limites immunitatis, Protectoribus, & Præpoſitis datæ, nos verſaturos. Hæc propria, & peculiaris Conſtitutionis noſtræ quæſtio eſt, in qua, ſi nullius interpretis veteris, aut novioris, vix tres integras lineas extare, dixero, conſentiet mecum veritas manifeſta, quam vos, ô præceptores optimi, ſpectatores optimi, exploretis, oro, atque obteſtor: liquebit forſitan, me in his abſtruſi juris reliquiis colligendis, intelligendis ſeriam jampridem operam collocaſſe. In primis itaque ex hoc principio interpretor Conſtitutionem Cæſarum *in l. 2. C. de privileg. eor. qui in ſac. palat. milit. lib. 12.* ubi diſerte cautum eſt, Palatinis obſequiis mancipatos, à muneribus perſonalibus, corporalibus, & cenſualibus liberandos eſſe, ita ut neque Exactorum, vel Turmariorum, quos capitularios vocant, vel Temonariorum obſequium, vel Prototypiæ (ita legendum eſt, non Pentaprotiæ) aut etiam Tyronis præſentationem agnoſcant. Significantur autem his omnibus nominibus, Tyronis præſentandi

di, præſtandi, & exigendi munus, quod Temonarium onus, & Capitularium, & Prototypiæ functio vocatur, *leg. 3. Cod. Theod. de deſertoribus. l. Tyronum 7. Cod. Theodoſiano, de Tyronibus. l. 4. Cod. de Dignitatibus, libr. 12.* ubi erudite, ut ſolet, Cujacius, Franciſcus Modius in *Epiſtola, notis ejuſdem ad Vegetium ſubjuncta, pagina mihi* 345. Cæſar Bulengerus *libr. 9. de Imperio Romano, qui eſt de vectigalibus, capit.* 63. Marcellus Donatus *in Dilucidationibus ad Ammianum Marcellinum, libr.* 15. idcirco autem *in dict. leg.* 2. à præſentatione Tyronum, & aliis perſonalibus muneribus, Palatini excuſantur, quoniam caſtrenſe peculium habere videntur, ſive adhuc in palatio ſacro militent, ſive emeriti ſint. Proinde exprimunt non obſcure Cæſares *in dict. leg.* 2. vere non perfunctorie in palatio militantes, quales ſunt Protectores, qui noctu, diuque Imperatoris lateri tuendo in aula excubabant, & inter aulæ officia recenſentur à Julio Firmico, *libr. 3. Aſtronom. cap.* 13. & Palatini ab Ammiano vocantur *libr.* 22. multo magis eadem immunitate fruituros, ut ſignificant extrema verba *in dict. leg. 2. Licet militaribus videantur eſſe ſubnixi.* Igitur cum lex noſtra immunitatem à civilibus, & perſonalibus oneribus, Protectoribus indulſiſſet, conſequens fuit, omnino vacationem eiſdem tribui à præſentatione Tyronum; quoniam hæc etiam inter civilia munera computatur, *leg. 4. Cod. de Dignitatibus, libr. 12. leg. Jubemus 4. Cod. de proximis ſacrorum ſcriniorum, libr.* 12.

11 Secundo ex ejuſdem obſervationis filo intelligo, niſi hoc forſitan eſt, leges non intelligere, ſed ſucare, ô tempora, ô mores! reſcriptum, quod proponitur *in leg. unica, qui à præbitione Tyronum excuſentur in Cod. Theodoſiano*, quo loci ſcriptum eſt, à præbitione Tyronum excuſari Scholares, Tribunos, & Præpoſitos, ut Dignitates alias omittam. His autem verbis Protectores, & laborum Præpoſitos intelligi, primus forſan obſervo; Scholares enim proprie nuncupabantur Protectores, teſte Suida, verbo *Scholarius*, quoniam in Scholas duas, alteram equitum, alteram peditum diſtributi, Comiti domeſticorum parebant, qui magnifici, & illuſtris titulo inſigniuntur *in leg. 1. Cod. de Silentiariis, libr. 12. l. neminem. 64. leg. Divæ 65. Cod. de Decurionibus, lib.* 10. reſpexit, & expreſſit veluti ſignanter, Tribonianus *in leg. 2. Cod. de Domeſticis, & Protectoribus, libr.* 12. ubi verba illa: *Utriuſque Scholæ* Triboniana ſunt, non Theodoſiana; quia neque extant *in Autographo legis ultimæ, Cod. Theod. de Domeſticis, & Protectoribus*, & referenda ad diſtinctionem equeſtris, & pedeſtris Scholæ, cujus meminimus. Illuſtrant ex aliis antiquitatis, & juris locis Cujacius *in Rubrica, Cod. de Domeſticis, & Protectoribus, lib.* 12. Marcellus Donatus *in Spartianum in Caracalla, ad illum locum: inde cum in Aſiam trajiceret.* Petrus Faber *libr. 1. Semeſtrium, cap. 1. verſic. duplex.* Pancirola *libr. 2. Theſauri variarum, cap.* 206. Bulengerus *libr. 3. de Imperio Romano, cap.* 38. Rurſus Præpoſitorum, & Tribunorum appellatione *in dict. l. unica*, Protectores, & laborum Præpoſiti ſignificantur, quoniam utrique Tribunatus titulo honeſtari ſolebant, ut oſtenditur *in dict. leg. 2. Cod. de Domeſticis, & Protectoribus, libr.* 12. Unde Protectores, Præpoſiti, & Tribuni ſæpe in Conſtitutionibus conjunguntur *l. 1.* ibi: *Si qui ex Protectoribus, vel ex Præpoſitis, vel ex Tribunis, Cod. Theodoſian. de teſtimoniali ex Tribunis, & Protectoribus.* Ammianus Marcellinus *libr.* 18. ibi: *Valentinus ex Primicerio, Protectorum Tribunus.* Proinde mirabitur jam nunc ex eruditis nemo, immunitatem à præbitione tyronum tribui Præpoſitis, Tribunis, & Scholaribus *in dicta lege unica*, cum jam animadverſio noſtra pateſecerit ſignificari his verbis Protectores, & laborum Præpoſitos, quibus quemadmodum à cæteris muneribus civilibus vacationem lex noſtra largitur, ita, & à munere præſentandi Tyronis concedi, conſequens fuit, *dict. leg. 2. Cod. de privilegiis eorum, qui in ſacr. palatio militarunt, lib.* 12. nam & aliter ipſos poſt annum militiæ ab hac functione liberari, didicimus ex *l. Tyronum 7. Cod. Theodoſian. de Tyronibus.*

12 Tertio, ut in anguſta hac ſemita immunitatis, Protectoribus datæ, quam preſſo pede inſiſtimus, jam progredimur, ex eiſdem principiis novo forſan nitore perſuadere poſſe, videmur, obſcuram oppido Conſtitutionem, quæ extat *in leg. 2. Cod. de Domeſticis, & Protectoribus lib.* 12. ubi Theodoſius, & Valentianus ita ſcribunt: *Primicerius quidem Domeſticorum, & Protectorum utriuſque ſcholæ, poſt adeptum Tribunatum, inter eos ſpectabili dignitate perfruatur, qui ducatum gerere meruerint: alii vero, qui decurſis ſtipendiis, ab eodem decem uſque numero ſubſequuntur, Conſulari, id eſt clariſſimatus dignitate perfruantur, cum ipſa loci decem primarum acceſſione.* Prolixa ſane verba & perplexa, quibus vel expendendis, vel exponendis, multa ex antiquitatis ſinu, aut ſitu proferri poterant, ſi per tempus liberet, aut liceret; nunc nec libet, nec licet: adeat, cui vacat, Janum Langleum *lib. 13. Semeſtrium cap.* 2. Nos, ut quod dumtaxat proprium immunitatis, Protectoribus datæ, ſuſpenſa tractemus manu, monemus breviter, Domeſticos à Protectoribus diſtingui, non obſcure in principio *dict. leg.* 2. apertius tamen, & luculentius *in l. Divale 6. leg. devotiſſimus 9. Cod. Theodoſian. de Domeſticis. leg. nullus 27. de erogatione militaris annonæ, in eodem Codice*, ut appareat, crecutire, poſt Accurſianos, Calvinum, & Garciam *in Rubrica n. 2. C. de Domeſt. & Protectoribus libr.* 12. qui Protectores cum Domeſticis imperite confundunt. Quænam tamen, & quantæ inter utroſque differentiæ, non ſatis liquet, ſcio induſtrium illum Bulengerum *dict. lib. 3. cap.* 38. poſt Suidam *verbo Domeſtici*, & *in Diocletiano* Zonaram, varie diſtinguere. Hæc tamen vel referre, vel refellere non mei moris eſt, aut mei juris: itaque aſſentior potius Cujacio *in l. 1. Cod. de Domeſticis, lib.* 12. Marcello Donato *in Spartianum in Caracalla, ubi proxime.* Utriuſque, & meo ſenſu Domeſtici proprie ſunt, *qui ut indicio nominis apparet, familiarius Principi militant*, & ejus latus frequentiſſime tegunt, ut definiuntur *in l. devotiſſimis 8. C. Theod. de Domeſticis*, Protectores vero armatæ militiæ, qui in acie ſunt, cum defendendi corporis ſui, & protegendi ſimul lateris Imperatorii ſollicitudine. *l. devotiſſimos 9. C. Theod. de Domeſticis.* Illi nempe Domeſtici præſentales vocantur, *in leg. ult. C. de Domeſticis lib.* 12. & præſentes divino obſequio mancipati, *in l. nemo 13. C. de re militari lib.* 12. hi, Protectores ſcilicet, quoties, Domeſticorum epitheto non adjuncto, *in legibus* noſtris nominantur, milites omnes ſunt, qui cum in Urbe, & comitatu Principis degerent, Principis Protectores dicebantur, antiquis Prætorianis ſimiles, & diverſi à Domeſticis Protectoribus, qui Palatini proprie dicti: quia in palatio excubabant, ſicut iſti comitatenſes, quia in comitatu, alii Pſeudocomitatenſes, quia veros comitatenſes imitabantur præmiis, & privilegiis, quamvis extra urbem, & comitatum Principis, *leg. nemo 12. leg. contra 13. Cod. de re militari, libr. 12. leg. Actuariis. 10. Cod. Theodoſiano, de numerariis.* Obſervat, qui multa, Cujacius *libr. 1. Obſervationum, cap.* 25. Pancirola *in notitia Imperii Orientalis, cap. 33. & 34.* Bulengerus *lib. 2. de Imperatore Romano, cap.* 17. apud quos hæc uberius, quæ nos breviter propoſuiſſe contenti.

His ita extra vulgarem captum animadverſis, ut 13
jam inde quam promiſimus lucem, immittamus Cæſaribus *in d. leg.* 2. reliquum eſt, dumtaxat meminiſſe, Protectores, quos à Domeſticis diſtinximus, eiſdem tamen ſtipendiis, & privilegiis meruiſſe, *l. Actuariis 10. Cod. Theod. de numerariis. l. 1. C. Theod. de Domeſticis.* Unde cum ab Honorio, & Theodoſio reſcriptum eſſet Epiphanio Præfecto Urbi (qui Senatus Romani Præſes labente Imperio, ſi Caſſiodoro credimus *lib. 6. Variarum formula* 4.) Domeſticos Protectores haberi Senatores, inter allectos. *leg. Domeſtici 7. Cod. Theodoſian. de Domeſticis.* Idque poſtea ab eiſdem confirmatum *in leg. devotiſſimis* 8. juncta *lege Devotiſſimos* 9. quæ pars prioris eſt, *C. Theod. de Dom.* cavetur tandem *in leg. ult. ejuſdem tituli*, cujus fragmentum extat *in dict. l. 2. C. de Domeſticis, l.* 12. Primicerium ſimiliter Domeſticorum Protectorum, Tribunatus titulo accepto, exæquari Ducibus militaribus, & inter eos dignitate perfrui. Id eo pertinet, ut cum ad Senatorium ordinem pervenerint, muneribus, & oneribus, quibus obnoxii Senatores ſunt, liberentur. Fuit enim inter Senatores, flaceſcente Romani Imperii ſplendore, & poſteriorum Cæſarum ætate, multorum onerum functio, veluti Prætura, *magna olim poteſtas, at poſtea inane nomen, & Senatoris cenſus gravis ſarcina*: ut graviter deplorat Boëtius *lib. 3. de Conſolatione*: fuit & gleba, & follis, & ſeptem ſolidorum functio, quæ proponuntur *in leg.* 1.

& t.

Digitized by Google

& 2. Cod. de Prætoribus, & honore Præturæ, & gleba, & folli, & ſeptem ſolidorum functione ſublata, libr. 12. exornant lato, & læto Tullianæ orationis ambitu, poſt Cujacium *in dict. l. 1. & 2.* Joſephus Caſtalio *Decade* 2. *Obſervationum in criticos, cap.* 5. Marcellus Donatus *Dilucidationum in Suetonium in Auguſto, cap.* 37. Pancirola *in notitia Imperii Orientalis, cap.* 29. cum autem ex militaribus officiis ad Senatoriam dignitatem provectos, Senatoriis oneribus non aſtringi, ſolemne eſſet, ex eleganti illa juris ratione, *ne major dignitas quæſitis circa prioris dignitatis privilegia præjudicium faceret*, ut oſtendit *lex* 3. ſic exaudienda, aut explicanda, *Cod. de dignitatibus, lib.* 12. idemque in Silentiariis, & ſacrorum ſcriniorum proximis, in Senatum allectis, cautum eſſet, *in leg.* 3. *Cod. de Silentiariis, libr.* 12. *leg.* 3. *Cod. de proximis ſacrorum ſcriniorum, libr.* 12. conſequens fuit omnino, tot reconditi juris principiis, quæ pauci interpretandis legibus adhibent, Protectores ad Senatum evectos exæquari militaribus ducibus, ut quemadmodum illi, Senatoriis muneribus liberentur, ne quod antea deferebatur, privilegium, adjectu alterius dignitatis perire videatur, ut ſcriptum eſt in *l.* 4. *Cod. de proximis ſacrorum ſcriniorum, libr.* 12. & ut in gyrum hæc omnia redigam, ne privilegium immunitatis à perſonalibus, & civilibus oneribus, lege noſtra indulgente quæſitum, Protectoribus, dignitatis Senatoriæ adeptione minui quodammodo videretur, ſi functiones Senatorias agnoſcere cogerentur. Hæc certa, rectaque *dictæ legis* 2. interpretatio eſt, Cujacio, & ex grege antiquiorum aliis, viſa potius, quam trita, induſtriæ noſtræ debita, *ſi licet*, ut aiebat Symmachus, *inter olores canoros anſerem ſtrepere.*

. . . . . Procul, ò procul atra recedat
Invidia, atque aliò liventia lumina flectat.

Sit tamen breve hoc noſtræ interpretationis auctarium, verba nimirum, illa, *inter eos dignitate potiatur*, quæ ad Senatorium ordinem referebantur, *in l. ultima, Cod. Theod. de Domeſticis*, interpolata à Tribon. adjecta voce, *ſpectabili, in dict. l.* 2. neque inepte, aut inconſpecte Tribon. (cujus nos non errores inſectamur, ſed adjecta gloſſemata, antiquis legibus vel explicandis, vel efformandis, bona fide detegimus) quia militares duces, quibus ibi Protectores exæquantur, ſpectabiles omnes erant, *l. viros* 8. *Cod. de diverſis officiis lib.* 12.

14 Quarto, ex ejuſdem immunitatis fonte profluunt, paucis, opinor, prælibati latices, quos Cæſares nobis propinant, *in l. qui in ſudore* 7. *C. Theod. de luſtrali collatione*, ubi, niſi mendoſa verba ſunt, aut vitioſa, quæ nos currente hac diſputationis rota non corrigimus, ſcriptum eſt, Protectores, etiamſi mercimoniis aliis ſtudeant, unius vigintæ pretii immunitatem habere à luſtrali collatione. Tribuit eiſdem Protectoribus ſimiliter poſterior alia Conſtitutio ampliorem, clariorem certe nobis, immunitatem, nempe quindecim ſolidorum, intra quos in mercimoniis omnibus ad collationem luſtralem non compelluntur. Fuit autem luſtralis collatio, ut fugitiva hæc oblitterati juris veſtigia obiter explicemus, propria negotiatorum functio, ſeu tributum, quod luſtris ſingulis, juxta mercimoniorum quantitatem, in auro dependebatur; unde & auraria penſitatio in libris noſtris, & negotiatorum aurum Lampridio vocatur in *Heliogabalo*, uti obſervat *in notis* Calaubonus. Cujacius in *l.* 1. *Cod. de commerc. & mercat.* Bulengerus de *Imper. Roman. libr.* 9. *cap.* 70. Pancirola *lib.* 3. *Variar. cap.* 31. Marcel. Donat. *Dilucidat. in Sueton. in Neron. cap.* 44. hujus autem, à luſtrali collatione immunitatis, Protectoribus indulgendæ ratio (ut parce, pureque dicam quæ uberius poſſem) alia nulla, niſi quæ apud Cæſares noſtros obtinuit, ut generalem indulgentiam à muneribus civilibus impertirent.

15 Sed adhuc in hac parte, in qua, vel ex eruditorum orcheſtra pauci, vel ex plebeia cavea nemo: *Nemo Hercule, nemo*, ut vetus Poëta loquitur, vel leviorem ſcrupulum pateretur, acriter nos, aut premit, aut pungit, Conſtantini Conſtitutio in *l.* 1. *Cod. de veteranis, libr.* 12. ubi docemur, veteranos ab omnibus muneribus civilibus, & collationibus excuſari, *ſed liceat eis emere, & vendere, optimis negotiis pecuniam tractare, & mercimonia agitare*: probant poſtrema hæc verba, veteranos immunitate libera, nec ad certam ſolidorum quantitatem reſtricta, in negotiatione potiri. At veterani præmiis, privilegiis, & dignatione longe inferiores ſunt Protectoribus, quorum dignitas magna vocatur, *in l.* 2. & 3. *Cod. Theodoſ. de teſtimoniali ex Tribunis, & Protectoribus.* Quid quod & veterani, ut rem vulgo neſcitam teſtimoniis foveam, aut firmem, Protectorum nomen, & munus pro præmio emeritæ militiæ expetebant, ut vel colligitur, vel intelligitur, *ex l.* 2. *Cod. de veteranis, lib.* 12. *leg. qui in ſudore* 7. *leg. eos, quos* 14. *Cod. Theodoſ. de luſtrali collatione.* Exprimit hoc commune veteranorum votum, Symmachus *libr.* 3. *Epiſtol.* 67. *Hujuſmodi veteranis prærogativa debetur, ut illis Protectorum dignitas, tanquam præmium longi laboris accedat.* Paulinus Nolanus: *in hac militia ſolctis habere in votis hanc officii promotionem, ut Protectores efficiamini.* Igitur ut concludam, ſi Protectorum dignitas privilegiis, præmiis, ſplendore adeo anteſtabat veteranorum muneri, ut ab his Protectorum honores, quaſi præmiorum culmen, & cumulus optarentur, expeterentur; quænam, obſecro, ratio eſt, cur libera illa immunitas, quæ veteranis, mercimonia agitantibus tribuitur *in dict. leg.* 1. *Cod. de veteranis, libr.* 12. denegetur Protectoribus, aut ſaltem non tam ampla indulgeatur, *in dict. l. qui in ſudore* 7. *l. eos, quos* 14. quænam hæc eſt circumlatoria, & jocularis inconſtantia?

Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo?

Mihi in hac re explicanda, nec quem fugiam, 16
occurris, nec quem ſequar, ut Ciceronis olim de Pompeio, & Cæſare jocum immutem:

. . . . . Stat ferre pedem, qua nulla priorum
Obvia ſint oculis vatum veſtigia noſtris.

Affirmo, in concedendis immunitatibus, & tollendis, varium, & mutabile ſemper, Conſtitutionum principalium jus fuiſſe, quatenus vel adverſæ, vel proſperæ Imperii res poſtulabant. Adeo verum Livianum illud: *Quas tempora aliqua tulerunt leges, temporibus ipſis mutabiles eſſe video: quæ in pace latæ ſunt, bellum abrogat; quas in bello, pax.* Sic generalis illa immunitas, quam veteranis negotiationibus Conſtantinus conceſſerat, *in dict. l.* 1. *Cod. de veter. lib.* 12. reſtringitur ab eodem poſtea *in l.* 3. *Cod. Theodoſian. de veter.* Rurſus hæc eadem immunitas libera, & integra reſtituitur Veter. *in l. remotis* 9. *Cod. Theodoſian. de veteran.* & abrogari rurſus videtur, *in l. eos, qu*[illegible] 14. *Cod. Theod. de luſtrali collatione.* Itaque anxia hæc, & nullo unquam diſtinctionis acumine componenda, exponenda controverſia eſt, ſi ex *Theodoſian. Codicis* legibus æſtimetur. Plane quod ad Juſtinianeum jus attinet, in comperto eſt, immunitatem illam, veteranis negotiatoribus datam, *in dict. l.* 1. *Cod. de veter. libr.* 12. pertinere ſimiliter ad Protectores, & Præpoſitos; nam & hi ampliori dignitate præfulgebant, ut jam monuimus, & generalis hæc indulgentia à muneribus civilibus, leg. noſtra impertita, ad collationem luſtralem extendi debuit, *l. quicumque* 3. *Cod. Theodoſian. de teſtimon. ex Tribun.* de qua poſtea ex profeſſo. Interim an hoc ſit, Conſtitutiones ipſas interpretari, & leges ſubſtantialiſſime (loquamur, ut loquuntur) intelligere, æſtiment viri docti. Ego, quod ſit interpretis veri munus, niſi hoc omnino eſt, quo nunc utor, ſane non intelligo.

Quinto, ex ejuſdem immunitatis obſervatione, an- 17
nitentibus, quamvis parum valida manu, Bartolo, Luca de Penna, Joanne de Platea, Jacobo Rebuffo, Jacobo de Barulo, & Jacobo Cujacio, qui ſolus inter cæteros quæ commodare nobis potuit, & Conſtitutioni huic explicandæ propria vidit, brevitatis memor neglexit; facem præferimus Conſtitutioni Cæſarum in *l. unica C. de Præpoſitis laborum lib.* 12. ubi ſic legimus: *Qui Præpoſitis laborum noſtro judicio promoventur, clariſſimi ſint inter allectos ita, ut ex Conſularibus habeantur.* Præmonemus, & præmunimus poſt Cujacium (qui digitum ad hæc intendit, quamvis aperte parum, & exerte *in dict. l. unica*) Clariſſimos antonomaſtice vocari, Senatores, Prudentius *lib.* 2 *contra Symmachum*:

Ipſe Senatorum meminit clariſſimus Ordo.

Notat, ut alios taceam, Iſaacus Caſaubonus in *Lampridium in Heliogabalo, pag. mihi* 320. Præmuniendum

 ſimiliter

ſimilirer eſt, allectos in Senatum ex militaribus officiis, oneribus Senatoris non obligari, quamvis inter exconſulares habeantur, ut exprimitur *in l. 1. C. Theod. de Decurionib. & Silentiariis. l. ult. C. Theod. de Palatin. ſacrar. largition. l. Domeſtici 7. de Domeſticis in eodem C. l. omnes 7. de privileg. eor. qui in ſac. Palat. milit.* cui jungendus Jacobus Gutherius *lib. 1. de Jure Manium cap.* 14. hæc accepta Cujacio ferimus teſtimonia; imputet autem mihi juventus, præter illam juris rationem, quam deduximus *ex l. 3. C. de dignitatibus lib.* 12. dilucide concepta verba *in l. 3. C. de proxim. ſacror. ſcrinior. lib. 12. l. 3. Cod. de ſilentiariis lib.* 12. Ex his intelligetur levi opera, quod extat in extremo *dict. l. 2. C. de Domeſticis lib.* 12. Ex eadem ſimiliter ratione pender, quod in *dict. l. unic.* proditum eſt, Præpoſitos laborum clariſſimos, haberi inter exconſulares, & allectos, hoc eſt, ut explicamus, Senatores ſine onere, & functione.

18 Subſtamus tamen parumper, ne imitari ſciolos, videamur, qui vix leges attingunt, cum omittunt, & toties, ſi Diis placet, exponunt, quoties vel leviter ſpecies ponunt. Ratio quippe ſubjuncta *in dict. l. unica* concinna, & recta eſt in Protectoribus inepta, & inconcinna in Præpoſitis, de quibus ſermo, ait lex: *Nam & immunitate digni ſunt, quos noſtri lateris comitatus illuſtrat.* Hæc proprie, & vere dicuntur de Protectoribus, qui eomitantur Cæſarem ſemper, & ejus latus tegunt, ut monuimus. At de Præpoſitis non item, qui Labaro ferendo, non Principis tegendo lateri, præficiebantur. Explicabitur tamen facile, adhibita vetuſtæ obſervationis luce. Præpoſiti nimirum, ut paucis dicam, ex Protectorum ordine eligebantur, & poſt decem primos illos, quorum mentio *in dict. l. 2. C. de Domeſt. lib.* 12. ſequentes quinquaginta vexillum ſalvatoris geſtabant, & tuebantur, *leg. unic. C. Theod. de Præpoſ. labor.* proinde vere, & belle Cæſares aiunt, immunitate dignos eſſe Præpoſitos, quos ſacri lateris comitatus illuſtrat, quia cum ex Protectoribus eſſent, lateris etiam Imperialis comites proprie vocari poterant. Inſinuat uno verbo Cujacius *in d. l. unic.*

19 Sexto, quominus progrediamur, obſtat valide ſatis Cæſarum Conſtitutio in *leg. 3. C. Theod. de teſtimoniali ex Tribunis*, ubi omnino immunitatum exempla, quorum ſigillatim meminimus, excludi videntur. Nos in [illegible] explicandis, ut brevitati pariter, & veritati conſulamus, animadvertimus, plerumque Principum Conſtitutionibus privilegia, dignitatibus data, adimi eis, qui ſuffragio, & aulica interceſſione eaſdem dignitates meruerint. Exemplari rei firmandæ multa, magna, quæ volante hac diſputationis penna non colligimus, nec moramur. Domeſticum illud ſufficiat, quod extat *in leg. 3. C. Theod. de Domeſtic.* Unde cum *in dict. leg. 3. C. Theod. de teſtimon.* de Protectoribus his Cæſares loquerentur, qui ante emeritum militiæ tempus miſſionem conſecuti ſunt, reſcribunt conſultiſſime, immunitates, aliis Protectoribus datas, ad hos non pertinere. Firmant autem, & fulciunt hanc interpretationem, Conſtitutionum omnium, quæ extant *in dicto titulo de teſtimon.* aperta verba, ad eos ſemper relata, qui gratia, & ambitu ad honorem pervenerint, ne ſcilicet aliis data privilegia conſequantur. Conſtat etiam in *dict. leg.* 3. de eiſdem tractari, ex verbis poſtremis, quæ quia conſpicua ſatis, & properantes nos morarentur, non tranſcribimus. Illud non prætermittimus, extare Conſtitutionis ejus, quæ proponitur *in d. l.* 3. mentionem manifeſtam, & interpretationi noſtræ firmandæ ſatis appoſitam, *in l. nonnulli* 153. *C. Theod. de Dec.*

20 Septimo, ad hanc immunitatis, & indulgentiæ, Protectoribus, & Præpoſitis datæ in præſenti cauſam pertinent privilegia inſignita, vulgo forſitan adhuc ignota, quæ nos, ne ſi ſpatiemur, horarium intercipiat, in numerum dumtaxat redigemus; illuſtrent quibus vel otii plus, vel negotii minus erit. Privilegium primum eſt, ut Protectores, jus adorandi Cæſaris, & contingendæ purpuræ ſacræ, & oſculandi Præfectos Prætorio conſequantur, quæ magni olim habita, & æſtimata. *leg. 1. C. de Domeſtic. lib. 12. leg. 3. & 4. C. Theod. eodem tit. leg. 2. Cod. de Fabricenſibus, lib.* 10. ubi Protectoris Fabricæ mentio, nuſquam, quod ſciam, alibi picta, aut ſcripta, ſicuti Protectores fori rerum venalium, nondum, opinor, lecti, aut intellecti *in leg. Protectores* 10. *C. Theod. de erogatione militar. annon.* Secundum eſt, ut Protectores decem poſt Primicerium, qui Tribunatus titulo honeſtantur, & decem primi dicuntur *in dict. leg. 2. Cod. de Domeſticis, libr.* 12. metatorum vacationem habeant in domibus, quas in Regia urbe poſſident. Ita in tranſcurſu interpretor Zenonis Conſtitutionem *in leg. ultim. C. de metatis, libr.* 12. nec Cujacium ibidem audio, aut auſculto, ad Tribunos Notarios referentem; propria magis, niſi decipimur, expoſitio noſtra eſt. Tertium, ut Protectores ſuum caput patris, matris, & uxoris, cenſualibus oneribus eximerent. *leg. Comitatenſes 4. C. Theod. de veteran.* juncta *leg. Tyronum 7. de tyronibus, in eodem C.* Quartum, ut Protectoribus honeſte, vel cauſarie dimiſſis, duo boum paria, centum modios utriuſque frugis Fiſcus donaret. *l. omnibus 8. Cod. Theodoſian. de veter.*

Octavo, in hunc de immunitate Protectorum tractatum, incurrit intricata quæſtio, nondum ſatis diſcuſſa, vel deciſa. An Protectores à muneribus curialibus eximantur. In qua, triduani temporis anguſtiis (quibus hæc diſputatio, poſtquam publice ex tempore dictata, prælo datur) & impendentis typographi flagitatione circumſcriptus, quæ uberius ex Tripode dixi, breviſſime proponam, & ut in vetere Juriſconſultorum formula eſt, ſignabo reſponſum. Affirmo igitur, diſtinguendum jus vetus à noviſſimo in hac parte. Veteres enim Conſtitutiones, florentibus tunc magis municipiorum Curiis, facilius à muneribus Curialibus vacationem præſtabant. Ita Protectoribus tribuit *lex noſtra*, qua nulla antiquior in hac quæſtione, & conducere videtur inſcriptio, quæ coram Principalibus Antiochenæ Curiæ latam legem oſtendit. At poſteriores Principum Conſtitutiones, cum jam cadente Imperio, Curiæ viris, & viribus deſtitutæ, utriuſque rei ſubſidiis egerent, immunitatem hanc, vel reſtringunt, vel tollunt. Reſtringitur *in leg. quoniam* 38. *C. Theod. de Decurionibus*, ubi non niſi poſt quinquennium ſuſceptæ militiæ Protectores à Curia liberantur: quæ Conſtantii Conſtitutio eſt, & appellatur, niſi fallimur, *lex vetuſta, in leg. omnes* 100. *Cod. Theod. de Decurionibus.* Tollitur omnino hæc immunitas, ſi Cujacio in præſenti fides, in *leg. nonnulli* 153. *in eodem titulo, & Cod.* juncta *leg. 1. & ſeq. C. Theod. de teſtim. ex Tribun.* apertius tamen *in l. neminem 64. cum ſeq. Cod. de Decurionibus, lib.* 10. 21

Hæc liberius, & laxius explicanti horarium interceſſit. Reſtabant multa de exæquatione Veteranorum, & Protectorum in immunitate à Curia: plura de Protectorum, ſive Cuſtodum Principum origine, progreſſu, neceſſitate, ex vetuſta, & nova politia: quæ à nobis quaſi quæſtionis propriæ minus propria, poſtremæ reſervata menſæ. Nunc harum epularum ſaturo jam lectori bellaria non do, daturus, ſi per tempus, aut paginas liceret. Interim, quæ vel dixi, vel ſcripſi: *Pendente titulo ſcripſiſſe me, fateor, ut contra judiciorum varietatem ſupereſſet mihi regreſſus ad veniam, velut emendaturo, quidquid deſideratur, ſi non eſſem interceptus*, ut Plinii in *præfatiuncula* verbis concludam. 22

F I N I S.

FRANCISCI

Digitized by Google

FRANCISCI RAMOS DEL MANZANO

ANTECESSORIS SALMANTICENSIS,

SCHEDIASMA DE CONCUBINIS,

EARUMQUE CUM SIMILITUDINE, TUM DIFFERENTIA A LEGITIMIS UXORIBUS,

QUOD SERVAVIT

FERDINANDUS ARIAS DE MESA.

LIB. III. VARIAR. RESOLUT. JUR. CAP. 38. 39. *&* 40.

Digitized by Google

FRANCISCI RAMOS DEL MANZANO

ANTECESSORIS SALMANTICENSIS,

SCHEDIASMA DE CONCUBINIS.

LIB. III. VARIAR. RESOLUT. JUR. CAP. 38. 39. & 40.

ARGUMENTUM.

De Concubinis, & earum ſimilitudine cum legitimis uxoribus.

SUMMARIA.

I. *In Concubinarum tractatu duplex inſpectio diſputanda.*

II. *Concubina uxorem imitabatur, & ſola dignitate ab uxore diſtinguebatur*, num. III.

IV. *Vivente uxore concubinam habere non licet, nec licuit*, & n. V. & VI.

VII. *Filii ex Concubina vivente uxore ſuſcepti, ſpurii intelliguntur.*

VIII. Lex, ſtuprum 34. D. ad leg. Jul. de adulter. *illuſtratur*, & num. ſeq.

IX. Lex, 1. §. 1. D. de Concubin. *explicatur*, & *conciliatur cum* l. ult. verſic. Julianus, D. de divor. num. XVIII.

X. Lex, in liberæ 23. D. de ritu nupt. *declaratur.*

XI. Lex 3. D. de Concubinis *exponitur.*

XII. *Concubinæ jure Romano quodammodo uxores erant.*

XIII. *Uxores injuſtæ in* l. ſi uxor 13. §. 1. D. de adulter. *an fuerint Concubinæ*, & *de quibus uxoribus intelligatur.*

XIV. *Teſtatio in nuptiis, ita in Concubinatu olim fiebat*, & *quæ hæc fuerit*, & *ad eam referenda allegatio mulieris in* c. illud 11. de Præſumt. num. XV.

XVI. *Concubina adultera ex* lege Julia *accuſari poterat, explicata* l. ſi uxor 13. D. ad l. Jul. de adulter.

XVII. *Ratio* legis 1. D. de Concubin. *vera aperitur*, *aliis exploſis.*

XIX. Lex 2. D. de Concubin. *explicatur*, & l. ult. in fine, D. de adulter. l. liberta 46. D. de oper. libert. & n. XX. & XXI.

XXII. *Filius patris Concubinam non poterat in Concubinatu habere.*

XXIII. *Concubina non eſt idonea teſtis.*

XXIV. *Qui uxorem*, & *mox Concubinam habet*, *an fiat irregularis ad ordines.*

XXV. *Magiſtratus jure Romano ſicut uxorem*, *ita & Concubinam in provinciam ducere potuit.*

XXVI. Lex, item 49. §. parvi, D. de legat. 3. *explicatur.*

XXVII. *Concubinæ uxoris loco habebantur ex Hebræorum uſu, exornatur pluribus.*

XXVIII. Cap. is, qui 4. cap. Chriſtiano 5. diſt. 34. *in quo Concubinæ vocantur.*

XXIX. Caput 1. 32. q. 5. *explicatur.*

CAPUT I.

1 IN concubinarum tractatu duplex inſpectio occurrit illuſtranda. Prior, in quibus concubina cum uxore legitima ſimilitudinem habeat. Poſterior, in quibus differat. De priori *in hoc capite*, de poſteriori *infra cap.* 3. differemus.

2 Ut ergo auſpicemur, paucis præmonendum, concubinam uxorem imitari, ut ait Julianus Anteceſſor *Novell.* 18. *c.* 5. Unde concubinatus inæquale conjugium dicitur *l.* 3. *verſ. quod ſi alterutram*, ubi Accurſius, *C. de Naturalibus liber. l.* 1. *C. Theodoſ. de Collegiat.* ubi notat Anianus, impar matrimonium à Boërio in *Topica Ciceronis*, Connano *lib.* 2. *Commem. c.* 16. *a.* 1. Quo pertinet Apuleii locus *lib.* 5. *de Aſino aureo*, ibi: *Impares nuptiæ, ac præterea in villa ſine teſtibus, aut patre non conſentiente factæ, legitimæ non poſſint videri, ac per hoc ſpurius iſte naſcetur*, cujus loci meminit Briſſon. *de Jure Connubiorum.*

3 Unde etiam concubina ab uxore dignitate tantum diſtinguitur de jure Romano, *l. item legato* 49. §. *parvi*, *D. de leg.* 3. quaſi ſcilicet uxor dignitatis nomen ſit majoris, quam concubina, cujus legitimam, & honeſtam etiam conjunctionem, eſſe Romano more notat Cujac. *in Paratlitis*, *D. de Concubinis*, *ex l. ſi qua illuſtris* 4. *C. ad Senatuſc. Orphitianum*, de quo tamen *in ſequenti capite* veritas apparebit, & in antiquis inſcriptionibus concubina eſt viceconjux, ut obſervat idem Cujac. *Novell.* 18. de quo, & aliis nominibus Emundus Merillius *lib.* 3. *Obſervat. cap.* 16. & quamvis pellicis nomen honeſtius eſſe, quam concubinæ apud Hebræos contendat Caſaubonus *ad Spartian. in Vero*, *pag.* 101. jure tamen Romano aliud eſt, & honeſtius nomen ejus eſt, quam pellicis, & amicæ, *l. Maſſurius* 144 *D. de verb. ſignif.* & per leges nomen aſſumſit, *l.* 3. *in fine D. de Concubinis*, Connan. *lib.* 8. *cap.* 13. *numero* 9. Quarum legum nomine *leges Juliam*, & *Papiam* accipit Emundus Merillius *d. lib.* 3. *Obſervat. cap.* 15. & præſenſit Cujac. *in d. l. Maſſurius.*

Ex hac autem concubinatus, & matrimonii ſimilitudine primo colligitur, quod ſicut eodem tempore duas uxores habere non licet, *l. eum, qui* 18. *C. de adulter. l.* 2. *C. de inceſt. nupt.* ita nec concubinam vivente uxore, quod & inhoneſtum veteri jure cenſebatur, *l. ex ea parte* 121. §. *mulier. D. de verb. obligat.* & demum Conſtantinus prohibuit in *l. unica*, *C. de concubinis*, meminit Sozomenus *lib.* 1. *Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.* 8. eoque reſpexit Juſtinianus antiquum jus Conſtantinianum vocans in *l.* 3. *in fine*, *C. communia de manumiſſ.* & *Novell.* 18. *de triente.* & *ſemiſſe*, §. *ſin autem*, & *Novel.* 89. *quib. modis naturales*, *c.* 12. §. *ſi vero effuſa.* 4

Unde eleganter divus Ignatius in *Epiſt. ad Antiochenos*: *Una, uni, non plures ſimul datæ ſunt, uni in conditione omni*, Cujac. *in Recitat. C. de Concubinis.* Arnobius *de Jovis adulteriis*, *lib.* 4. *adverſus gentes*, ibi: *Uxore contentus haud una, concubinis, pellicibus, at-* 5

que amiculis delectatus impatientiam ſuam ſpargebat paſſim, ut bacchari adoleſcentes ſolent, Salax Deus. Adde & alium elegantem locum Caſſiod. *libro 9. Variar. capite 18 verſ. ſi quis autem*, exornat Emundus Merillius *d. libro 3. cap 16.*

6 Idque etiam oſtenditur in Concilio Romano I. ſub Nicolao I. *Can.* 12. & ex Nicolao II. *in c. de Conſanguinitate* 35. *q.* 2. & ex D. Ambroſio *Serm. 65. de S. Joanne Baptiſta*, & *lib.* 1. *de Abraham*, *c.* 4. extat io *c. nemo* 32. *q.* 4. juncto *c. audite* 6. *diſt.* 34. & in Coocilio Toletano I. *Can* 17. exornant Petr. Greg. *lib.* 9. *Syntagm. c.* 5. *n.* 38. late eruditiſſimus D. Ferdinandus de Mendoza *lib.* 2. *de confirmando Concilio Illiberitano*, *cap.* 8. P. Baſilius Pontius Legionenſis *lib.* 7. *de Matr. c.* 51.

7 Plane illud conſtat, pluralitatem concubinarum, aut concubinæ cum uxore uſum facere, ut ex concubina nati non naturales, ſed ſpurii intelligantur, Caccialupus *in l. ſi qua illuſtris. num.* 5. & 35. *C. ad Orphitian.* ubi late de pœna mariti concubinam habentis, circa *legem* 1. *C. de adult.* & *c.* 1. *ut lite non conteſtat.* ubi Bald.

8 Secundo ex ſuperiori ſimilitudine fit, quod ſcriptum eſt in *l. ſtuprum* 34. *D. ad leg. Jul. de adulter.* ſtuprum ſcilicet cum libera muliere concubina non committi, quia concubinatus jure Romano legitima, & honeſta conjunctio erat, non probroſa, aut infamis, *d. l. ſi qua illuſtris*, *Cod. ad Orphitian.*

9 Quod tamen ſic accipiendum, ſi talis mulier eſſet, quæ in concubinatu eſſe poterat veluti ſi corpore quæſtum fecerit, aut alias inhoneſtæ vitæ eſſet, *l.* 3. *D. de Concubin.* & hoc eſt, quod dicitur, eas ſolas in concubinatu eſſe poſſe, io quas ſtuprum non committitur, *l.* 1. §. 1. *D. eod. tit.* nimirum aut libertinas, aut palam proſtitutas, aut quæ jam in alterius, quam patroni coocubinatu fueraot, *l. probrum* 41. *D. de ritu nupt.* exornant late Briſſon. *lib. ſingulari de Adult. pag.* 96. Connan. *lib.* 8. *Comment. c.* 13. Anton. Fab. *lib.* 3. *Conject. c.* 14. & *in Juriſprud. tit.* 9. *princ.* 6. *illat.* 17. Hotom. *de verbis juris*, *verbo*, *Concubina*, in quo labitur eruditus Petr. Greg. *lib.* 10. *Syntagmat. c* 1. *n.* 5.

10 Et ideo ſi liberam, & honeſtam mulierem in conſuetudine quis haberet, eam matrimonii, non concubinatus cauſa retinere videbatur, *l. in liberæ* 23. *D. de ritu nupt.* etſi conſuetudinis, non matrimonii animo retineret expreſſe, ſtuprum cum ea admittebat, *d. l. ſtuprum* 24. cui jungenda *d. l. in liberæ* 23. notaut Revard. *lib* 4. *Var. cap.* 26. Briſſon. *de Ritu Nupt. pag.* 168.

11 Unde in *l.* 1. *D. de Concubin.* ut libera, & honeſta mulier in concubinatu eſſet, conteſtatio requirebatur, non quidem quaſi publica hæc impudicitiæ profeſſio honeſtiorem concubinam faceret, ut perperam putat Hotom. *diſp. de Nothis*, & *Spuriis*, *cap.* 2. ſed potius ut viro pro concubina, non pro uxore eam ducere ſe teſtante, appareat mulierem nihilominus conſentientem non ſpe matrimonii decipi, ſed ſtuprum ſuapte libidine ductam ſubire, adeoque inhoneſtam eſſe, ex *d. l. probrum*, ut *lex Julia de adult.* ceſſaret.

12 Tertio deinde fit, concubinas jure Romano quodammodo uxores fuiſſe, quia ſola conſuetudine, & affectione animi ducebantur, notant Petr. Greg. *lib.* 10. *Syntagm. cap.* 1. *num.* 8. Merillius *d. lib.* 3. *Obſervat. c.* 16. P. Baſilius *lib.* 7. *de Matrim. cap.* 54. *num.* 4. eas tamen injuſtas vocari in *l. ſi uxor* 13. §. 1. *D. de adult.* cenſent Menoch. *lib.* 2. *de Arbitr. caſu* 418. *n.* 17. Revard. *lib.* 4. *Var. c.* 1. ego vero non admitto, quia inculcaretur ſententia propoſita ejus legis, & repugnaret etiam §. *ſi quis uxorem*, *ibid.*

13 Nec placet alia ejuſdem Revardi expoſitio, cui conſentit Hotoman. *de Verbis Juris*, *verbo uxor*, & quodammodo Cujac. *lib.* 3. *Obſervat. cap.* 5. qui de uxoribus contra legem ductis accipiunt, ut & Accurſius, & Bart. *in d.* §. 1. quia eam confutat Briſſonius *ad legem Juliam de adulter. pag.* 177. ubi uxorem injuſtam recte interpretatur eam, quæ non ſolemniter in manum viri convenerat, ſed uſu uxor habebatur, ſcilicet antequam uſucapione anni juſta eſſe cœpiſſet, ut evadas argutias Revardi, & Hotomani *ubi ſupra*, inde hanc interpretationem improbantium conſentit Duar. *ad tit. D. de adult. c.* 2. Cujac. *lib.* 6. *Obſervat. cap.* 16. Panzirola *lib.* 2. *Var. cap.* 126. & generaliter injuſtam uxorem pro non rite ducta accipiunt in *d. l. ſi uxor* 13. §. 1. Budeus *ibi in Annotat. poſterioribus ad Pandectas.* Tiraquell. *poſt leges Connubiales*, *gloſſ.* 8. *n.* 244. Donell. *lib.* 6. *Commens. cap.* 4.

14 Quarto hinc etiam deducitur, quod quemadmodum teſtatio in nuptiis fiebat, *l.* 4. *D. de fide inſtrum.* ſcilicet duci uxorem liberorum procreandorum cauſa, *l. ſi is, qui te* 13. *C. de poſtliminio reverſis*, *cap.* 1. *in fin.* 30. *q.* 5. Anton. Hotom. *de Veteri Ritu nupt. cap.* 3. ita & in concubinatu, *l.* 3. *D. de Concubin.* non tamen in omni, ut perperam Emundus Merillius *lib.* 3. *Obſerv. c.* 16. Cujac. *ad tit. C. de ſponſal. in fine*, ſed in coucubinatu liberæ, & honeſtæ mulieris, ot monuimus *ſupra*, ut notat Anton. Hotom. *ubi proxime*, *c.* 22. Ant. Faber *lib.* 3. *Conjectur. c.* 14. Petr. Greg. *lib.* 9. *Syntagmat. c.* 5. *n* 35. qui teſtationem male explicat.

15 Et ad hanc teſtationem, ut nos expoſuimus, referenda eſt allegatio mulieris, de qua in *cap. illud* 11. *de Præſumpt.* notant Connan. *lib.* 8. *Comment. cap.* 13. *numero* 1. Bald. *apud* Caccialupum *in* l. *ſi qua illuſtris*, *à numero* 29. *C. ad Orphitian.* Petr. Fab. *lib.* 2. *Semeſtr. c.* 23. *verſ. nuptæ ad finem*, Cujac. *lib.* 6. *Obſerv. cap.* 20. *in fine.*

16 Rurſus quinto hinc promanat, concubinam adulteram accuſari poſſe ex *lege Julia*, *l. ſi uxor* 13. *D. ad l. Jul. de adult.* ubi tamen id non ſimpliciter admittitur, ſed ut accuſetur jure extranei, non mariti, & eo ſolo caſu, quo mulier in concubinatum ſe dando, matronæ nomen non amiſit, ut in liberta patroni coocubina *l.* 3. §. 1. *D. de donat. inter vir. d. l. probrum* 41. *D. de ritu nupt.* cum inhoneſta, nec adulterium, nec ſtuprum patiatur, *d. l. ſtuprum* 34. *D. de adult. l. cum tabulis* 16. §. *quoniam. D. de his*, *quibus ut indignis*, eleganter Seneca *lib.* 4. *Controverſ. in princ.* notat Hotom. *Diſp. de ſpuriis cap.* 2. idque conceditur propter reverentiam patronalem, quæ in hac parte multa ſingularia ioduxit, *l. ult. D. de divort.* conducit locus Lipſiæ Oratoris, de quo Cujac. *in Recit. ad tit. C. de Concub.*

17 Sexto etiam dependet, ut quemadmodum quæ patrono nupſit, ſi invito eo diverit, connubii jus cum alio non habet, *l. unica D. unde vir*, *l. in eo* 45. *D. de ritu nupt. l. ult. D. de divort.* ita & quæ in concubinatu patroni fuit, *l.* 1. *D. de Concubin.* in cujus textus ratione explicanda nimis aberrat Gothofredus *ibi*, & pudeode Connao. *lib.* 8. *Comment. c.* 13. qui priora verba imperito Interpreti adſcribit, ut notat Briſſonius *de Ritu Nupt. pag.* 39. & quæ in matrimonio patroni erat, in concubinatu alterius patroni eſſe non poterat, *l. ult. verſ. Julianus D. de divort.* juncta *l. illud* 46. *D. de ritu nupt.* quod alioquin non impeditur in aliena liberta, *l.* 3. *D. de Concubin.* vel alterius extranei, quam patroni, quomodo Juliani verba exaudit poſt Haloandrum Anton. Contius *in d. l. ult. verſic. Julianus*, Briſſonius *de Jure Connubior. pag.* 41.

18 Verior tamen, & ſincerior eſt illa interpretatio, quia in liberta duorum patronorum communi, & uni nupta, cum dubitaretur, an *lex Julia* locum haberet, & Jabolenus negaret, plerique contra exiſtimarunt, *d. l. illud* 46. & Julianus hoc amplius cenſuit, oec in concubinatu eam alterius patroni eſſe potuiſſe, quamvis ſi concubina fuiſſet patroni, connubium cum eo non haberet, ut *ſupra* tradidimus, concubinatum haberet, ex ſubaudita ſenteotia *d. legis* 1. §. 1. *D. de Concubinis*, quæ ſic exponenda, & componenda cum *d. l. ult. verſic. Julianus* exculcatis Gothofredi deliriis, & Hotomani *de Verbis Juris*, *verbo*, *Concubinarum*, etſi refragetur etiam Coonan. *lib.* 8. *Commentar. cap.* 13. *num.* 4.

19 Huc pertinet quod dicitur in *l.* 2. *D. de Concubin.*

patrono

Digitized by Google

patrono in furorem lapſo libertam ejus in concubinatu manere, & hoc humanius eſſe, quia ſicut ſavore matrimonium non ſolvitur, *l. 4. D. de divort. l. ſi cum dotem 22. §. ſi maritus, D. ſolut. matrimon.* ita nec concubinatus, aut nuptiæ patroni cum liberta, *l. in eo 45. § deinde, D. de ritu nupt.*

20 Inde etiam, quemadmodum patronus alia uxore ducta, libertæ connubium permittebat, ita etſi aliam concubinam adſciviſſet, *l. ult. in fine D de adulter.* Connan. *d. cap. 13. num. 4.* Hotom. *ubi ſupra, verbo, Concubina.*

21 Hinc etiam quemadmodum à liberta ſibi nupta operas exigere patronus non poterat, *l. libertæ 8. C. de oper. libert.* niſi poſtquam nupta eſſe deſierat, *l. plane 14. D. eod. tit.* ita neque à liberta concubina, *l. liberta 46. D. eod. tit.*

22 Septimo hinc conſequitur, ut quemadmodum privignus novercam ducere non poteſt, *§. affinitatis, Inſtit. de nupt.* ita nec filius patris ſui, ejuſdemque patroni concubinam in concubinatu habere, *l. 1. §. ult. D. de Concub.* aut libertus concubinam patris uxorem ducere, *l. liberti 4. C. de nupt.* notat poſt Accurſium Cujac. *in Recit. C. de Concub.* & recenſetur inter juſtæ exheredationis cauſas, *auth. ut cum de appellatione cognoſcitur, c. 3. §. ſi quis parentibus,* quoniam in conjunctionibus naturalis pudor intuendus, *l. adoptivus 14. §. ſerviles D. de ritu nupt.* & ideo nec ſororis filia in concubinatu eſſe poteſt, *l. etiamſi 56. D. eod. tit.* Ant. Faber *in Juriſprud tit. 9. princ. 6. illat. 29.* Connan. *d. lib. 8. c. 13 n. 1.*

23 Sic etiam quemadmodum uxor pro marito, aut è contra, idonea teſtis non eſt, *l. etiam, C. de teſtib. l. 1. §. ſi vir, D. ad Syllanian. cap. ſi teſtes, §. idonei 4. q. 3.* exornant Maſcard. *de Probat. concluſ. 1420. à num. 1.* Farin. *in Praxi, q. 54. à num. 210.* ita nec concubina, ita Bald. *in c. 1. num. 3. de teſtibus,* ubi etiam Felin. Petr. Gregor. *lib. 48. Syntagmat. cap. 13. num. 16.* Bernard. Diaz *Reg. 746.* Ant. Gabr. *Communium tit. de teſtib. concl. 11. numero 3.* Maſcard. *de Probat. concluſ. 533. num. 8.* Farinac. *d. quæſt. 54. num. 216.*

24 Similiter quemadmodum qui duas uxores habuit, ad ſacros ordines non promovetur, ita qui uxorem, & mox concubinam, *cap. 1. & 2. diſt. 33.* exornat Baſilius Pontius *lib. 7. de Matr. c. 54.* de quorum tamen jurium vera interpretatione *infra cap. 40.* diſſeremus. Et Epiſcopis, & Monachis pariter uxorem, & concubinam habere prohibetur, & habuiſſe obſtat, quominus promoveantur, *Novel. 5. cap. 8. de Monach. & Novel. 123. c. 1. §. ſancimus,* exornat Robert. *lib. 2. Rer. Jud. cap. 7. pag. 332.* Presbyteris æque uxorem, aut concubinam habere, *Novel. 123. cap. 29. & cap. 14. & Novel. 23. de nupt. Can. 22. c. nullus cum ſeq. diſt. 32.* Concil. Oxonienſe *Can. 31. & 32.*

25 Præterea quemadmodum Magiſtratui in provinciam uxorem ducere licuit ex Senatuſconſulto, de quo in *l. obſervare 4. §. proficiſci, D. de officio Proconſulis,* ita & concubinam ex inſtituto Alexandri Severi, qui cum Judices promoveret, exemplo veterum, inſtituebat Præſides provinciarum, ſic ut acciperent inter alia, teſte Lampridio *in Alexandro,* ſi uxores non haberent, ſingulas concubinas, quod ſine his eſſe non poſſent, redditури depoſita adminiſtratione, ut notat Petr. Greg. *lib. 47. Syntagm. cap. 32. num. 28.*

Rurſus, ſicut legato eorum, quæ uxoris cauſa 26
emta parata ſunt, prioris uxoris cauſa parata, & poſteriori tradita continentur, *l. ſi quid earum 47. D. de legat. 3.* ita idem obtinet in concubina, quia quamvis jus uxorium non habeat, ab uxore tamen ſola dignitate diſtinguitur, *l. qui concubinam 29. l. item 49. § parvi, D. de legat. 3.* exornat Gaſp. Schifordeg. *lib. 3. Forenſ. tract. 25. quæſt. 3.*

Denique ex ſuperioribus apparet his, quæ initio 27
diximus, concubinas uxoris loco haberi, *l. Maſſurius 144. D. de verb. ſignif. l. jubemus 6. C. de Natur. liber.* & ex Suetonio *in Domitiano cap. 5.* probat Emundus Merillius *lib. 3. Obſerv. cap. 16.* adſtipulatur Hebræorum uſus, qui pellices, ſeu pallacas juſtæ, ſeu legitimæ uxoris dimidium vocant, ut ex Balſamone Conciliorum Interprete probat Caſaubonus *in Spartiano in Vero, pag. 101.* conſentit uſus ſacræ Paginæ, ubi veræ, legitimæque uxores, non tamen ſolemniter ductæ, neque ſocietatis honorum, aut gubernationis familiæ dignatione, neque hæreditatis, ſacerdotii, aut primogenituræ in filiis jure ſubnixæ, concubinæ interdum vocantur, ut poſt alios erudite notant Covar. *de Sponſal. 1. part. c. 4. num. 9.* Menoch. *de Arbitr. lib. 2. caſu 418. num. 14.* Thom. Bozius *de Signis Eccleſiæ, lib. 15. cap. 8.* ita Agar Abrahæ uxor, *Geneſ. cap. 16.* & Cethura ejuſdem uxor, *Geneſ. cap. 25.* concubinæ vocantur *ibidem.* Sicut & Bala uxor Jacobi *Geneſ. 35.* & vera uxor cujuſdam Levitæ concubina dicitur, *Judic. cap. 16.* de qua re late Baſilius *d. libro 7. de Matr. cap. 54. num. 4.* Petr. Greg. *lib. 10. Syntagmat. cap 1. num. 8.* Secundarias uxores cum D. Auguſtino, & Chryſoſtomo vocat Pamelius ad illud Tertulliani, *lib. 1. ad Uxorem, cap. 2.* ibi: *Sane apud veteres noſtros, ipſoſque Patriarchas non modo nubere, ſed etiam plurifariam matrimoniis uti fas fuit, erant & concubinæ.*

Ex his explicandus eſt Canon Concilii Toletani I. 28
Can. 17. extat in *c. is, qui 4. c. Chriſtiano 5. diſt. 34.* ubi concubinæ uſus permitti videtur Chriſtianis, ut admittit Duaren. *ad tit. D. de inofficioſo teſtam. cap. 6.* & conſentire videtur Hotom. *Diſp. de ſpuriis, cap. ult.* eruditiſſimus Joannes Savaro *in Notis ad Sidonium, lib. 9. epiſt. 7.* Perperam tamen: eſt enim certius, concubinas vocari in *d. cap. is, qui 4.* mulieres non ſolemniter ductas, & ſine dotalibus inſtrumentis, affectione tamen uxoris conjunctas, notat poſt Gratianum *ibi in §. concubina,* & Gloſſographos, Menoch. *d. caſu 418. num. 20.* Petr. Gregor. *lib. 10. Syntagmat. cap. 1. in fine,* Bellarm. *lib. 2. de Conciliis, cap. 8. verſic. undecimo,* licet diſſentiat D. Ferdinandus de Mendoza *lib. 2. de Concilio Illiberitano, cap. 8.*

Quibus ego jungo Evariſti locum in *c. 1. 30. quæſt.* 29
5. ubi recenſitis nuptiarum ſolemnibus legitimis, ait aliter præſumta, non conjugia eſſe, ſed contubernia. Additque, niſi propria voluntas ſuffragaverit, & vota ſuccurrerint legitima, reſpiciens nempe ad uxores non ſolemniter ductas, quæ concubinæ dicebantur, & affectione uxores erant, & voto liberorum procreandorum, ex quo olim æſtimabantur nuptiæ, *l. ſi vicinis 9. C. de nupt. l. ſi is, qui te 13. C. de poſtlim. reverſ.*

ARGUMENTUM.

Examinatur alia matrimonii, & concubinatus ſimilitudo circa filios natos in domo mariti, & concubinarii, ad ornatum *textus, in filium deſinimus, D. de his, qui ſunt ſui, & in cap. per tuas 10. de probationibus.*

SUMMARIA.

I. *Filius natus ex legitima uxore in domo mariti præſumitur ipſius filius.*
II. *Filius in domo concubinarii natus ejus filius præſumitur, & n. VII. & VIII.*
III. *Quod tamen dubium ſit.*
Regula legis quia ſemper, D. de in jus vocand. *perpenditur,* ibid.
IV. Textus in cap. per tuas 10. de probat. *illuſtratur, & n. V. vera ratio,* num. IX.
VI. *Decennii abſentia facit ceſſare præſumtionem* leg. filium.

ſilium 6. D. de his, qui ſunt ſui, *cum qua non pugnat.* L. 1. §. idem Julianus, D. de liber. agooſcend.

VII. *Præſumtio* d. legis, filium, *an ſit juris, & de jure, an juris tantum.*

X. *Filius in domo concubinarii natus an etiam præſumatur, ſi concubina cum aliis coïerit.*

XI. *Quid ſi mulier domi retenta non ſit in forma concubinatus. Quid ſi ancilla, ſeu pediſſequa,* num. XII.

XIII. Doctores à Maſcardo *citati in hac re excutiuntur.*

XIV. *Quid ſi mulier extra domum ſumtibus alicujus alatur, &* oum. XV.

XVI. *Filius ex uxore legitima, etiam probato adulterio tempore conceptionis, præſumitur mariti.*

XVII. *Quæ traditio an firmetur ex* l. miles, §. defuncto, D. de adult.

XVIII. *Quoties uxor potuit concipi ex marito, nunquam filius præſumitur adulterinus.*

XIX. *Quid ſi mulier diu ſterilis divertat, & poſtea reverſa pariat.*

XX. *Quid ſi filius aſſimiletur in facie adultero.*

XXI. Opinio Jacobi Butrigarii *refertur, & rejicitur,* num. XXII.

XXIII. *Quid ſi mulier profiteatur filium ex adulterio ſuſceptum, & quid in moribunda,* numero XXIV.

XXV. *Et quid in foro interiori.*

XXVI. *Præſumtio* legis, quintus 51. D. de donat. inter, *an in concubina procedat.*

CAPUT II.

1 SUperioribus inter nxores & concubinas ſimilitudinibus, quas late *capite præcedenti* illuſtravimus, adjungenda eſt & alia in foro ſatis frequens circa probationem filiationis, quod ſicut filius natus ex legitima uxore in domo mariti, eum qua ipſe eohabitabar, præſumitur filius ipſius, *leg. filium definimus, D. de his, qui ſunt ſui, l. ſi vicinis, C. de nupt. & omnes in cap. per tuas* 10. per textum *ibi de probat.* Palat. *in rubr.* §. 10. *à num.* 12. *de donat. inter vir.* Hippolyt. *Sing.* 530. *à num.* 2. Roïas *de Succeſſ. cap.* 2. *à num.* 25. Ant. Gomez *in l.* 9. *Tauri, à num.* 2. Card. Paleot. *de Nothis & Spuriis, c.* 22. Covar. *de Sponſ.* 2. *part. cap.* 8. §. 3. *num.* 8. Anton. Gabr. *Communium tit. de præſumt. Concluſ.* 14. Duco. *Regul.* 344. Maſcard. *de Probat. concl.* 788, late Menoch. *libro* 2. *de Arbitr. caſu* 89. *à num.* 19. *& lib.* 9. *præſumpt.* 53. *à num.* 2. Valaſc. *Conſult.* 114. *à num.* 3. Pacianus *lib.* 2. *de Probationibus, cap* 3. *à num.* 24. Gamma *Deciſ.* 152. ubi plures alios diligenter cumulat Flores de Mena *in Addis.*

2 Ita ad uxoris ſimilitudinem idem in concubina eſt admittendum, ut ſcilicet ſi quis mulierem conſuetudinis cauſa in domo propria retincat, ex eaque filius naſcatur, concubinarii filius præſumitur, ut docent Gloſſ. *in c. Michael, verb. conſliterit, de filiis Presb.* Abb. *in cap. tranſmiſſæ* 3. *qui filii ſunt legit.* idem Abb. Felin. & Dec. *in d. cap. per tuas, de prob.* Alciat. *de Præſumt. reg.* 3. *præſumt.* 38. *n.* 3. Paleotus *de Nothis cap.* 26. *num.* 3. Gamma, *d. Deciſ.* 152. & ibi additio, Covar. Anton. Gabr. Duen. *ſupr.* Maſcard. *d. Concl.* 788. *num.* 25. Menoch. *d. caſu* 89. *num.* 26. *& d. præſumt.* 53. *num.* 5. Petra *de fideicommiſſ. quæſt.* 11. *numero* 373. D. de Ricciul. *lib.* 3. *de perſon. quæ in ſtatu verſantur, capit.* 34.

3 Hinc tamen uxoris, & concubinæ ſimilitudo everti videtur ex eo, quod favor matrimonii, quo oititur ſuperior traditio de filiis natis ex legitima uxore, argumento *cap. ultim. de re judic.* aperte deficit in natis ex concubina. Deinde, quia præſumi debet potius honeſtum, quam inhoneſtum, quæ ratio viget in uxore, non vero in concubina, quæ cum gravi peccati labe retinetur ex Trideot. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 8. Præterea facit regula *legis, quia ſemper* 5. *D. de in jus vocando*, dum generaliter conſtituit matrem ſemper certam eſſe, patrem vero, quem nuptiæ demonſtrant, præſertim ſi addas particulam, *tantum*, quæ in *Florentinis Codicibus* habetur, quæ inſinuat, non aliunde probari poſſe filiationem concludenter, niſi per matrimonium.

4 Rurſus facit, qoia textus *in d. c. per tuas* 10. *de probat.* quo præcipue communis traditio movetur magis contra ipſam retorqueri poteſt, ſi animadvertamus, quod licet Pontifex in principio referat, coocubinam in domo concubinarii filium peperiſſe, in decifione tamen id non eooſiderat, ſed magis, quod mater illius aſſeruit de concubinario filium ſuſcepiſſe, & ipſum concubinarium publice filium ſuum recognoviſſe, & ejus filium oominatum communiter fuiſſe, & habitum ab ambobus, & conſequenter non obſcure oſtendit, non ſufficere ad probationem filiationis, quod filius natus ſit iu domo concubinarii, niſi concurrant illæ fortiſſimæ conjecturæ tractatus, nominationis parentum, & communis exiſtimationis.

Neque ſatisfacit conſideratio Abbatis *ubi ſupra*, 5 dum contendit, ideo in ſpecie *d. cap. per tuas, de probationib.* ultra nativitatem in domo concubinarii, Pontificem expendere conjecturas illas nominationis, & tractatus, quia mulier à marito divertit per aliquod tempus, quæ abſentia effecit, ut nativitas in domo concubinarii non ſufficeret, ſicut ſatis eſſet, ſi nunquam receſſiſſet. Nam ea Abbatis conſideratio poſt Decium *ibi* diluitur, tum quia abſentia illa modici temporis fuit, ut inſinuat *d cap per tuas* 10. ibi, ad ipſum non poſt multum tempus rediiſſet. Quæ brevis abſentia æſtimari debet, perinde ac ſi nulla eſſet, ex regula *legis, quidquid calore* 48. *D. de regul. Jur. l.* 3. *D. de divort. l. plerique, D. de ritu nupt.*

Tum etiam, quia in marito, ad cujus exemplum 6 in concubinario Doctores hanc præſumtionem inducuot, decennii abſentia expenditur à Juriſconſulto, ut præſumtio ceſſet in *d. l. filium definimus, D. de his, qui ſunt ſui*, & longi temporis à Juliano *in l.* 1. *§. idem Julianus, D. de liber. agnoſcend.* quæ jura inter ſe non pugnant, ut Accurſius ibi putavit, ſi interpunctiones, ſeu puncta reponamus, Ant. Aug. *lib.* 1. *Emendat. cap.* 9. qui ſubjungit incipere § ex dictione, *Cæterum*, & continuative legendum eſſe, Cæterum, eſſe ſatis injurioſum ait, ſi quis longo tempore abſuerit, & reverſus, &c. ſequitur Menoch. *lib.* 2. *de Arbitr. caſu* 89. *n.* 33. Jul. Pacius *Centur.* 1. *legum conciliatur. q.* 31.

Ex quibus, ut libens ſatear cum Decio *ubi ſupra*, 7 eommunem traditionem non ſolum non firmari in *d. c. per tuas* 10. *de probat.* ſed & veram non eſſe, quatenus æquiparat natum ex concubina in domo concubinarii, & natum ex uxore in domo mariti. Quod ut ſalſum appareat, memoria repetendum eſt, quod in natis ex uxore præſumtio eſt juris, & de jure, aut ſaltem præſumtio juris, quod ſint mariti, *d. l. filium, D. de his, qui ſunt*, Marſil. *in l.* 1. *n.* 34. *D. de quæſtionib.* Boër. *Dec.* 299. *n.* 9. Petra *de fideicommiſ. q.* 11. *n.* 354. Ant. Gabr. *lib.* 1. *Commun. tit. de præſumt. Concl.* 14. *num.* 11. Reg. de Ponte *Conſ.* 3. *num.* 98. & 99. *& lib.* 2. quæ præſumtio ceſſat in natis ex concubinatu, eum præſumtio juris à lege approbata ceſſet in ea probroſa conjunctione, licet poſſit præſumtio hominis adeſſe, cum hæc à lege probari non oporteat, ex traditis à Menoch. *lib.* 1. *Præſumt. q.* 5.

Unde crediderim, hominis præſumtionem eſſe, 8 quod natus in domo concubinarii ejus filius præſumatur: ſi enim alia contraria conjectura Judicem non promoveat, juſte poterit id æſtimare tanquam vero ſimilius, & rei, de qua agitur, magis adæquatum, quod ſufficit, ut Judex credere, & judicare ita debeat, ex traditis à Doctoribus *in c. afferte, de præſumt.*

præſumt. late Menoch. *d. q* 5. & ita recte ſentire videtur Card. Paleot. *de Nothis*, *c.* 27. *n.* 3. dum negat, præſumtionem illam neceſſariam, quam in uxore admittit Juriſconſultus *in d. l. filium*, locum habere in concubina, ſed tamen ad ejus ſimilitudinem in concubina eſſe receptam conjecturam, in qua fere ſemper judicandum eſt pro filio.

9 Ex his jam detegitur vera ratio ad textum *in d. c. per tuas* 10. *de probationib.* quare Pontifex *ibi* ultra nativitatem in domo concubinarii, alias expenderit conjecturas nominationis, tractatus, parentum, & communis exiſtimationis. Nam in ejus ſpecie occurrebant contra illam generalem conjecturam aliæ contrariæ, quæ aliud ſuadebant, & vim illius præſumtionis elidebant, aut dubiam reddebant. Nam contra illam cohabitationem & aſſiduum carnale commercium concubinæ domi retentæ, ex qua Judex animi ſui motum formare poterat, & debebat, urgebat, quod per ſeptennium mulier illa domi retenta prolem non ſuſcepit, ſed cum divertit, & poſtea reverſa filium peperit, quod non levem præſtabat ſuſpicionem, quod ex concubinario, cum quo tandiu morata ſterilis fuit, filium non ſuſcepit, ſed ab alio, poſtquam divertit ab illo, ut in uxore vera infra trademus.

10 Secundo apparet defendi non poſſe ampliationem Maſcardi *d. Concl.* 788. *num.* 27. dum docet, natum in domo concubinarii adeo filium ipſius præſumendum, ut idem obtineat, etſi concubina palam aliis proſtituatur. Nam quamvis id indubie procedat in uxore propter matrimonii favorem, ex *l. miles* 11. §. *defuncto*, *D. de adult.* docent Ant. Gabr. Covar. Menoch. Maſcard. Paleot. & Gamma *ubi ſupra*, Coſta *in* §. *& quid ſi tantum*, 5. *patr. numero* 45. Roïas *de Succeſſ. cap.* 2. *à numer.* Mantica *lib.* 2. *de Conject. tit.* 14. *num.* 8. Malvaſia *Conſ.* 30. *numero* 22. tamen in concubina ceſſat illa legis præſumtio, & illa hominis quam admittimus, ſatis debilitata redditur ex proſtitutione, ut proinde à ceſtante matrimonii favore, non mirum ſi ea, filiationis præſumtio ceſſet, & parum circumſpecte locutus videtur Maſcard. dum ait, honorabilius eſſe filio, quod dicatur filius concubinarii, quam vulgo quæſitus, cum utroque caſu filius naturalis naſcatur, ſi modo ex his naſcatur inter quos matrimonium conſiſtere potuit.

11 Tertio colligitur, veram item non eſſe aliam ampliationem, quam ex Ancharan. *Conſ.* 425. Decio, & Alciato tradit idem Maſcard. *d. Concl.* 788. *numero* 28. quod ſuperior communis traditio obtineat in alia quavis muliere domi retenta, etſi in forma concubinatus non ſit. Nam convincitur ea doctrina ex eo, quod ſi ſuperior juris præſumtio in concubina locum non habet, multo magis in ea, quæ concubina non eſt, ceſſabit, à ceſſante ratione qua lex, vel homo moveri poteſt in concubina domi retenta, in qua affectus, ſi non uxorius, ſaltem minus principalis adeſt.

12 Præterea convincitur Maſcard. ex eo, quod juxta ejus doctrinam, ſi ancilla, ſeu pediſſequa in alicujus domo pariat, filius ita natus præſumi debet filius ejus, in cujus domo naſcitur quam tamen præſumtionem indignam eſſe merito docet Bald. *in d. l. ſi filius*, *num.* 11. Dec. *in d. cap. per tuas*, *num.* 1. *verſ. & quid*, Abbas, alias *num.* 4. Alciat. *de Præſumt. regul.* 3. *præſumt.* 37. *num.* 5. Paleotus *de Nothis*, *cap.* 26. *num.* 6. nec diffitetur ipſe Maſcard. *ubi ſupra*, *num.* 33. qui omnes ſubjiciunt tunc demum hanc præſumtionem admitti poſſe, ſi conſtaret eum, qui mulierem domi retinebat, cum ea ſolitum commiſceri, non vero alium.

13 Qua poſita ſpecie præſumtio tunc ex eo non provenit, quod filius domi natus ſit, ſed ex aliis, quæ evincunt in alia domi non retenta. Nec juſte Maſcard. pro ſua firmanda ampliatione allegat Decium & Alciatum, cum potius contrarium doceant, Ancharanus vero corrupte citatur, *d. Conſil.* 425. ibi enim nihil ad rem tradit, *in Conſil.* autem 225. *num.* 5. *verſic. ſuper dubio*, contrarium probat; concubinatum enim requirit his verbis: *Idem dicendum, ſi teneretur in domo pro focaria, & ut concubina, nam tunc in domo natus præſumitur ex his natus.*

Quarto deducitur, falſam eſſe, & aliam traditionem, quæ docet, ſuperiorem præſumtionem procedere etiam in muliere, quam quis extra domum ſuis ſumptibus alit, & cum qua conſuetudinem habet, ut illi tantum liber aditus pateat, tametſi furtim illis commiſceatur, quo caſu potius præſumi debet filius ejus, cujus ſtipendiis alitur, ita Dec. *in d. c. per tuas*, *num.* 1. *verſ. in muliere* Alciat. & Paleotus *ubi ſupra n.* 4. 14

Nam ea traditio ex eo rejicitur, quod ſi in concubina domi retenta juris præſumtio non admittitur, minus erit admittenda in muliere, quæ domi non retinetur, præſumtio vero hominis enervatur, vel ex eo, quod cum aliis ſolita eſt commiſceri, vel quia deficiunt rationes, quibus Judex prudens moveri poteſt ex aſſidua cohabitatione intra domum, & ex affectu illo unius ad unam, in quo alia matrimonii umbra detegitur. Unde merito ſuperiorem ampliationem improbat Albert. *in dict. l. filium*, *ad fin.* qui ſubjicit, aliud dicendum, ſi probetur, mulierem cum hoc ſolo, & cum nullo alio coïre conſueviſſe, ſequitur Alciat. *num.* 4. Maſcard. *num.* 29. Paleot. *num.* 9. *ubi ſupra*, qui tamen recte monet, manifeſtiſſimis probationibus id docendum, tum quia eſt negativa vaga, cujus nulla eſt directa probatio, *c. quoniam contra de probat.* tum etiam, quia maxima ſuſpicio oritur in mulieribus perditæ pudicitiæ, quod unius conſuetudine contenta ſit, juxta illud: 15

Igneus ille furor neſcit habere modum.

Exornant multis Nevizan. *in Sylva Nuptiali*, *lib.* 1. *à n.* 50. Tiraq. *in l.* 9. *Connubiali*, *à n.* 97.

Quinto ex ſuperioribus colligitur, præſumtionem juris, & de jure, quæ in matrimonio adeſt, evincere, ut etſi legitime probetur, uxorem adulteram, & eo tempore, quo concepit, habuiſſe conſuetudinem cum adultero, adhuc mariti cum ea cohabitantis, non adulteri filium præſumi oportere. *l. miles*, §. *defunct. D. de adult.* docent Doctores citati *ſupr. n.* 10. quibus addo Cenedum *ad Decretales*, *coll.* 75. *n.* 4. Lara *in l. ſi quis à liberis*, § *ſi vel parens*, *n.* 38. *D. de lib. agnoſ.* Puteum *Dec.* 518: *part.* 2. Menoc. *uſufreq. c.* 32. *n.* 6. Garcia *de nobil. gl.* 20. *num.* 5. Peregr. *Dec.* 9. 16

Et quamvis Dec. *in d. c. per tuas* contendat, hanc traditionem non ſatis firmari *in d.* §. *defuncto*, merito tamen diſſentit Menoch. *d. lib.* 2. *de Arbitr. Caſu* 89. *num.* 21. & antea Alciat. *de Præſumt. Reg.* 3. *præſumt.* 37. *n.* 1. conſiderantes ex *d.* §. *defuncto* non obſcure colligi illam præſumtionem, dum ait, poſſibile eſſe matrem eſſe adulteram, & filium eſſe mariti, quæ poſſibilitas inducit præſumtionem honeſti, potius quam inhoneſti, ut notat Bald. *in d. l. filium n.* 1. 17

Quæ ratio ſuadet, ut quoties uxor potuit ex marito concipere, nunquam filius ex adulterio ſuſceptus præſumetur, ſive in domo, ſive extra domum mariti naſcatur, ut contra Albericum docent Dec. *Conſil.* 157. Paleot. *de Nothis*, *c.* 24. *n.* 1. Gabr. *d. Conc.* 14. *n.* 2. Menoch. *d. Caſ.* 89. *n.* 25. *& lib.* 6. *præſumt* 53. *n.* 4. quamvis enim uxor extra domum moraretur, ſi tamen maritus ad eam libere accedebat, ex quo potuit filius naſci, benigna interpretatio ex favore matrimonii inducta, *c. ex tenore* 14. *qui filii ſint legitimi*, *c. ult. de re jud.* ſuadet, ut mariti potius, quam adulteri filius præſumatur. 18

Quemadmodum ex eadem ratione fit, quod etſi mulier diu ſterilis aliquo tempore diverterit à marito, & reverſa in domo ipſius pariat, adhuc ſuperior matrimonii favor evincit, filium præſumi mariti, Paleot. *d. c.* 24. *n.* 5. Menoch. *d. c.* 89. *n.* 31. Maſc. *d. Concl.* 788. *n.* 21. Rota Bonon. *in Conſ. unico poſt Deciſiones* Cæſaris Barzii, *n.* 47. Peregr. *Dec.* 9. *per tot.* Fontanella *de Pact. Nupt. clauſ.* 6. *gl.* 2. *part.* 4. *n.* 16. *&* 17. quamvis concurrentibus his duobus, ſcilicet diuturna ſterilitate uxoris, & longa abſentia

abſentiæ mariti à domo, non levis ſuſpicio ſuboriatur, quod filius ſit adulteri, ita Anton. Gabr. *ſupr. n.* 16. Menoch. *d. præſumt.* 53. *n.* 19. qui tamen *n.* 14. aliud docere videtur.

20 Hæc autem præſumtio juris viget quoque in filio, qui aſſimilatur in facie adultero, non marito, quia oris, ſeu vultus ſimilitudo non arguit neceſſario parentem ex quo procreatus eſt, cum ſæpe filii matrem, ſæpius patrem referant, & nonnunquam alios cum quibus nulla eſt cognatio, ex Plinio *lib.* 7. *Natur. Hiſtor. c.* 12. Valer. Maxim. *lib.* 9. *cap.* 15. tum etiam, quia formæ ſimilitudo provenit ex cogitatione mulieris, ſeu etiam patris, & ut ait Plinius *d. c.* 12. ſimilitudinum in mente reputatio eſt, in qua multa creduntur fortuita pollere, viſus, auditus, memoria, hauſtæque imagines ſub ipſo conceptæ, notat Gloſſa *verbo, fataliter, in l. quæret* 135. *D. de verb. ſignif.* & ideo refert D. Hieronymus, Hippocratem liberaſſe mulierem de adulterio poſtulatam, quia peperit filium pucherrimum utrique parenti diſſimilem, dum juſſit inſpici cubiculum, in quo erat tabula depicta ejuſdem imaginis, quod & aliis teſtimoniis illuſtrant Cælius Rhodiginus *lib.* 20. *Antiqu. Lection. cap.* 15. *ad fin.* Mendoza *in Quodlibetis q.* 9. *expoſitiva per totam.* Inſignis medicæ artis profeſſor Franciſcus Valeſius *de Sacra Philoſophia cap.* 11. *per totum*, & ex noſtris poſt Bart. & Jaſ. *in l. Gallus, D. de liber & poſth.* Alciat. *d. Præſumt.* 37. *n.* 7. Menoch. *d. caſ.* 89. *à numero* 97. & *lib.* 6. *præſumpt.* 53. *à numero* 45. Roias *d. c.* 2. *num.* 27. Maſcard. *Concluſ.* 792. *à numero* 7. late Grat. *Diſcept.* 567. *n.* 29. & *ſeq. uſque ad numerum* 55. Carranza *de Partu c.* 20. *à num.* 43.

21 Unde aliquibus videtur non omnino explodenda, Jacobi Butrigarii opinio, dum *in l. ult. C. de Carboniano Edicto* ſcribit, filios adulteræ, ſi marito aſſimilentur, non cenſeri legitimos, ſed potius ex adulterio, quia cum mulier ſe adulterio polluit, propter mariti timorem ſemper in eum habet defixam cogitationem, ex qua imaginatione fit, ut filium generet ex adulterio ſimilem marito.

22 Hæc tamen Butrigarii opinio merito cæteris diſplicuit, tum quia fallax eſt hujuſmodi ſimilitudinis argumentum, Ferretus *in d. l. Gallus n.* 24. cur enim non judicabimus, potius mulierem inflammata libidine, ſi ex adultero ſuſcepit filium cum futurum ipſi adultero ſimilem, tum etiam quia generalis præſumtio favore matrimonii fortior videtur ex conjectura ſimilitudinis, ut propter eam filius præſumatur mariti, ex multis, quæ ubertim cumulat Tiraq. *in l. Connubiali, numero* 52.

23 Rurſus ſuperior juris præſumtio procedit, etiam ſi mulier profiteatur, filium ex adultero ſuſcepiſſe, ita ex *l. ult. fin. de probat. l. ſi inſtituta* 27. §. 1. *D. de inoffic. teſtament.* & *in l.* 1. §. *ſi quis ab aliquo D. eod. tit.* notat Gloſſa *in l. etiam, D. de prob. gloſſ. ult. in c. tranſmiſſæ, qui filii ſint leg.* Bart. & omnes *in d. l. filium*, Alciat. *ſupr. n.* 6. Gabr. *n.* 12. Menoch. *d. caſu* 89. *num.* 27. & *d. præſumt.* 53. *à n.* 6. Maſcard. *d. Concl.* 788. *à n.* 2. pro qua traditione illa ratio facit, quod negatio parentis juris præſumtionem immutare non poteſt, tum ex regula *legis, nemo poteſt.* 55. *D. de leg.* 1. tum ex regula *legis, neque profeſſio, C. de teſtam.*

Quæ confeſſio etiam in matre moribunda vim ſuam habet, nam etſi nemo præſumatur immemor ſalutis æternæ: *l. ult. C. ad l. Juliam repetundar.* non tamen ut in præjudicium juris tertio quæſiti credendum ſit, *leg. ſi quis in gravi*, §. *ſi quis moriens, D. ad Syllanian.* explicant Alciat. *Reg. præſumt.* 4. *n.* 7. Covar. *lib.* 2. *Var. c.* 13. *num.* 8. Menoch. *lib.* 5. *Præſumt.* 5. *num.* 17. Quare merito Bart. *in d. l. filium in fin. D. de his, qui ſunt ſui*, ait, ſtolidum fuiſſe Regis filium, qui Regno renunciavit, quod mater moriens ei aperuit, non Regis eſſe filium, ſequuntur omnes *in c. officil, de pœnit.* & ultra citatos nuper Gutierrez *lib.* 1. *Can. c.* 38. *num.* 30. ſimile aliud factum de Lucio Vicecomite recenſet Menoch. *d. caſu* 89. *num.* 26. & *d. præſumt.* 53. *num.* 8. 24

Quæ traditio etiam in foro interiori viget, ut filius matris dicto non teneatur credere, ut ex Corneo, Soto, Molina docet Gutierrez ubi proxime, Menoch. *d. caſu* 89. *num.* 28. Mantica *lib.* 2. *de Conjectur tit.* 14. *num.* 8. Diana 4. *part. Moral. tr.* 2. *Reſolut* 59. *verſ. notandum eſt.* 25

Denique ſuperior ſimilitudo concubinæ cum uxore facit, quod ſicut acquiſita per uxorem conſtante matrimono præſumuntur quæſita ex bonis mariti, evitandi turpis quæſtus gratia, *l. quintus* 51. *D. de donat. inter vir. l. etiam D. eod. tit.* ita idem procedit in concubina, ubi docent Bald. *in l.* 1. *n.* 1. *C. de Natur. liber.* Cremenſis *Sing.* 6. Palat. Rubios *in Rubr.* §. 60. *de don. inter vir.* Ant. Gabr. *lib.* 1. *Comm. tit. de præſumt. concl.* 15. *n.* 2. Maſcard. *de Prob. conc.* 140. *num.* 1. Menoch. *lib.* 3. *Præſumt.* 51. *à n.* 7. D. Ricc. *lib.* 3. *de Perſ. quæ in ſtatu reprobo verſantur, c.* 25. quæ traditio non obſcure firmatur ex *l.* 1. §. *ipſas, C. de natur. liber.* tamen etſi diſſentiant Alciat. *de Præſumt. reg.* 3. *præſumt.* 26. *num...* Pariſius *Conſ.* 80. *num.* 23. *lib.* 1. quorum argumentis non male occurrit Menoch. *dict. Præſumt.* 51. *num.* 9. quem aditu. 26

ARGUMENTUM.

Pleræque differentiæ inter concubinas, & legitimas uxores proponuntur, & illuſtrantur.

SUMMARIA.

I. *Uxores uſu ductæ, an cum concubinis æquo jure olim fuerint.*
Et quid fuerit matrimonium non legitimum, & uxor injuſta, ibid.
II. *Concubina ab uxore olim ſeparabatur ſolo delectu*, l. penult. D. de Concubin. ibid.
III. Lex, donationes 31. D. de don. *illuſtratur.*
IV. Lex, Titiæ 35. D. de aur. & arg.
V. *Concubinæ olim ab uxoribus differebant dignitate tantum; & quid id ſignificet*, num. VI.
VII. *Apud Romanos concubinæ, nomine, & ſubſtantia uxores nunquam fuere.*
VIII. *Jure Canonico aliquando accipitur concubina pro uxore minus ſolemniter ducta*, cap. 1. diſt. 33. Can. 3. in Trullo *nove expenſus*, numero IX.
X. *Plerumque tamen pro muliere inhoneſta, non affectione uxoris habita*, & num. XI. *varii* Canones *explicati.*
XII. *Differentiæ multæ inter uxores, & concubinas referuntur ex Doctoribus remiſſive.*
XIII. *Conjunctio cum concubina fuit ſemper illicita.*
XIV. *Mulieri concubinatus matronæ nomen adimebat, & à* Conſtantino *prohibitus.*
XV. *Concubina etiam ancilla eſſe poterat, & quid de jure novo.*
XVI *In Concubinatu non erat dos, nec votum prolis*, & num. XVII.
XVIII. *Milites concubinas in caſtra ducere poterant, uxores non ita.*
XIX. *Epiſcopo ordinando concubinatus obſtabat, & Presbytero*, n. XX.
XXI. *Donatio uxori collata inutilis, concubinæ vero non ita.*
XXII. *Donatio à milite concubinæ collata, nulla & à clerico.*

CAPUT

CAPUT III.

1 CÆterum etſi concubinæ in multis, quæ duobus *capitibus præcedentibus* recenſuimus uxorem imitentur, re tamen ipſa, & nomine differunt, & ut ait Leo Papa *Epiſt.* 92. *ad Ruſticum Narbonenſem*, *cap.* 4. aliud eſt uxor, aliud concubina, ſicut aliud ancilla, aliud libera, *cap. non omnis* 12. 32. *quæſt.* 2. aliud eſt nupta, aliud concubina. Unde falli eos, qui uxores uſu ductas cum concubinis, æquo jure cenſent, ut Menoch *lib.* 2. *de Arbitr. caſu* 418. *num.* 17. Petr. Gregor. *libro* 9. *Syntagmat. cap.* 5. *num.* 35. Rævard. *lib.* 4. *Varior. c.* 16. aperte Baſil. Pontius *lib.* 7. *de Matr. c.* 54. *n.* 4. qui matrimonium non legitimum *in l. penul.* §. *D. ad municip.* & uxorem injuſtam *in d. l. ſi uxor* 13. §. *D. de adult.* accipiunt de concubina, contra quos recte obſervant Anton. Hotom. *de Ritu Nupt. c.* 22. Briſſonius *eod. Tract.* 168.

2 Separatur autem concubina ab uxore ſolo delectu, ut legendum eſt apud Paul. *in libro* 2. *Sentent. tit.* 20. cum Cujac. *in Notis ibi*, & *lib. reſponſor. Papiniani in l. donationes* 31. *D. de donat.* Anton. Hotom. *dict. cap.* 22. huc eſt animi deſtinatione, ut ſcriptum eſt in *l. penult. D. de concubin.* hæc enim facit ut concubinam exiſtimemus, quæ ſolius concubitus cauſa domi ſine ſtupri crimine habetur, Hotom. *de verbis juris*, *verbo*, *concubina*, non affectione uxoris, ſeu maritali, *l.* 3. §. 1. *verſ. Divus*, *l. cum hic ſtatus* 32. §. *ſi mulier. D. de don. inter vir.* Connan. *lib.* 8. *Comm. c.* 13. *num.* 1. ſcilicet quoniam uxor pleniore honore, & affectione diligitur, *l. cum tabulis* 16. §. *quoniam D. de his quib. ut indign.* notat Merillius *lib.* 3. *Obſervat. c.* 16. *l. unum ex familia* 67. §. *ult. D. de legat.* 2.

3 Unde eleganter Sidonius *lib.* 9. *Epiſt.* 6. *namque, & conjuges ipſi quanquam nupti, nuper his moribus, ac verecundia aguat vere, ut agnoſcas, ſi ſemel videris, plurimum eſſe, quid differat ille honeſtiſſimus uxorius amor figmentis, illecebriſque concubinalibus.* Unde Papinianus *in l. donationes* 31. *D. de don.* ex maritali honore, & affectione matrimonium à concubinatu diſtinguit, & an id præceſſerit, æſtimandum eſſe ait ex vitæ conjunctione, & comparatione perſonarum, ſcilicet ut ſi perſona mulieris libera, & honeſta ſit, nuptiæ potius, quam concubinatus intelligantur, *l. in liberæ* 23. *D. de ritu nupt.* niſi teſtatio præceſſiſſet, ut concubinæ loco eſſet, *l.* 3. *D. de concubin.*

4 Eoque forſan reſpicit verbum, *ſine mendacio in l. Titiæ* 35. *D. de aur. & arg. leg.* Ant. Hotom. *dict. c.* 22. ſio autem vir clariſſimus eſſet, & mulier inhoneſta, & proſtituta, quamvis eam pleno honore dilexerit, pro uxore tamen habuiſſe non videtur, *d. l. cum. tabulis* 16. §. *quoniam D. de his quib. ut indig.* quia nec poterat, *l. palam* 43. *D. de ritu nupt.* docent Briſſon. & Anton. Hotoman. *ubi ſupra*, Cujac. *lib.* 12. *reſponſor. Papinian. in dict. l. donationes* 31. & *lib.* 19. *reſponſ. l. Pauli in l.* 4. *D. de concub.* Hotoman. *Illuſtr. cap.* 25. & *lib.* 5. *Obſerv. cap.* 6. Anton. Fab. *in Juriſprud. titul.* 9. *princ.* 5. *illat.* 3. præſenſit Connan. *lib.* 8. *Comment. cap.* 13. *num.* 1.

5 Ex quibus colligitur, quod dicimus concubinam ab uxore dignitate tantum differre, *l. item* 49. §. *parvi*, *D. de legat.* 3. quæ dignitas totum jus uxorium continet, quod concubina non habet, *l. qui concubinæ* 29. *D. de legat.* Briſſon. *lib.* 2. *de Regno Perſico*, *pagin.* 214. & ideo Parthi coocubinas conviviis publicis adhibebant, oxores non item, ut ex Macrobio *lib.* 7. *Saturnalium*, *cap.* 1. Alexand. ab Alexandro *lib.* 5. *Dier. Genial. cap.* 21. notat Cæſar Bulengerus omnino videndus *lib.* 2. *de Imperatore cap. ult.* Sic & apud Romanos amicæ in conviviis nominabantur, uxores non item, Juſtus Lipſius *lib.* 3. *Antiquar. Lect. c.* 7. *verſ. ſequitur.* Unde Ælii Veri ad uxorem nequiſſima argutia apud Spartianum in Vero: *Patere me per alias exercere cupiditates meas, uxor enim dignitatis eſt nomen, non voluptatis.*

6 Potiſſimum autem hæc dignitas poſita erat in appellationibus matronæ, matrisfamilias, dominæ, quibus uxores olim honeſtabantur, *l. Titia* 19. §. 1. *D. de annuis legat.* Salvian. in *Epiſt. ad Hipatum, & Quietam. Quæ vobis*, inquit, *per varia nomina nunc fuit mater, nunc avicula, nunc domina, cum eſſet unum vocabulum, ſcilicet generis, aliud infantiæ, aliud dignitatis.* Cum tamen concubina pellex, amica, non matrona, non domina, nec materfamilias appellaretur, *l. probrum* 41. *D. de ritu nupt. l. ſi uxor* 13. *D. de adult.* Cujac. *lib.* 2. *Obſ. c.* 18. ſcilicet quia cum uxore collata, longe minoris eſt dignitatis, ut probat idem Cujac. *in Recit. C. de Concubinis*, & *lib.* 12. *reſp. Pap. in d. l. donat.* 31. & honeſtius ſane matrimonii nomen eſt, ut ex divo Auguſt. *lib.* 6. *Confeſſionum*, *c.* 2. Emundus Merillius *lib.* 3. *Obſ. c.* 16. eoque alludit *c. dicat.* 32. *q.* 4. ibi: *Mereatur, & nomen uxoris præſta concubinæ tuæ libertatem, & nomen uxoris, ne adulter ſit potius, quam maritus.* Conducit locus Capitolini, *Marco enixa eſt Fabia, ut Fauſtina mortua in ejus matrimonium coiret, ſed ille concubinam ſibi adſcivit, procuratoris uxoris ſuæ filiam, ne tot liberis ſuperduceret novercam.*

Illud certum, concubinas, quamvis apud Hebræos ab uxoribus ſola dignitate diſtarent, apud Romanos tamen nomine, & ſubſtantia uxoris nunquam fuiſſe, in quo labitur poſt alios Baſilius Pontius *lib.* 7. *de Matr. c.* 54. *n.* 4. Rectius D. Ferdinandus Mendoza *lib.* 2. *de Concilio Illiberitano c.* 8. idque mihi certiſſimum, quia cum triplex dumtaxat matrimonii genus eſſet uſu, farre, aut coëmtione, nullum ex his concubinatui convenire apparet, ne quidem uſu, ut *ſupra* tradidimus. Et cum nuptiæ ex conſenſu æſtimentur, non poſſunt concubinatus, & matrimonium idem eſſe, cum eo ipſo conſenſu, & animi deſtinatione diſtinguatur, *l. donationes* 31. *D. de don. l.* 4. *D. de Concubinis.* 7

Sane in ſacris Canonibus ex uſu Hebræorum interdum concubina accipitur pro uxore, minus ſolemniter ducta, ex ſolo affectu, ut ſcriptum eſt in *auth. ut liceat matri, & aviæ*, *c.* 4. & in hoc ſenſu accipitur in *c. is qui* 4. *cum ſeq. diſtinct.* 34. idque ego admitto cum Baſilio *d. lib.* 7. *c.* 54. *num.* 7. & *in Canone Apoſtolorum* propoſito *in capite* 1. *diſt.* 33. 8

Et ego nove confirmo ex *Canone* 3. *Synodi Conſtantinopolitanæ* 9. in Trullo, extat *tom.* 3. *Conciliorum generalium*, ubi cum in *verſ. qui vero*, Clericus, qui ad ſecundas nuptias tranſivit, ſuſpendatur, & in *verſic. cæterum*, eadem ad brevius tempus ſuſpenſionis pœna imponatur ei, qui vel viduam uxorem duxit, vel illegitimis nuptiis adhæſit; ſubjicitur definiti: ſic, & reſtitui ſuperiorem Canonem Apoſtolorum, de quo in *d. cap.* 1. *diſt.* 33. intellexit ergo Synodus *in verſic. qui vero*, *nuptiarum* verbo, ſolemne matrimonium, & in *verſic. cæterum*, illegitimas nuptias concubinatum vocavit, quas poſtea contubernium illegitimum nuncupat. Et hæc certa apud me. 9

Illud non item, quod aliis locis, ſi *concubinæ* verbum accipiendum putat Baſilius *d. lib.* 7. *c.* 54. in quibus probabilius eſt, *concubinas* accipi pro ſolutis, & inhoneſtis contubernalibus, quas qui habuerint, ordinari propter incontinentiæ periculum prohibebantur, ut *infra* notabimus. 10

Plane in aliis fere omnibus Canonom, & Doctorum Eccleſiæ locis concubinam pro muliere, non affectione uxoris habita accipio; nec enim toties concubinarum uſum Patres damnarent, ſi earum nomine uxores, quamvis minus ſolemniter ductas intelligerent: & ideo concubinatus plerumque conjugio opponitur in *c. dicat.* 32. *q.* 4. *c. ancillam*, *c. non omnis* 32. *q.* 2. Divus Aug. *lib.* 4. *Confeſſ. c.* 2. Emundus Merillius *lib.* 3. *Obſ. c.* 16. *c. non omnis* 32. *q.* 2. de quo recte Baſilius *d. l.* 7. *c.* 54. *n.* 22. Atque etiam ſæpe concubina dimiſſa uxorem ducere ſuadent Antiſtites Eccleſiæ: quoniam, ut inquit Divus Hieronymus *de ſuſpecto contubernio vitando ſecunda poſt naufragium tabula eſt, quod male cœperis, ſaltem* 11

hoc remedio temperare, & *in c. ancillam* 32. *qu.* 2. *ancillam à thoro abjicere*, & *uxorem certæ ingenuitatis accipere non duplicatio conjugii, ſed perfectio eſt honeſtatis.* Et ut inquit Sidonius *lib.* 9. *Epiſt.* 6. *Eſſet quidem gloria ſi voluptates ſic reliquiſſet, ut nec uxori conjugaretur: ſed etſi forte contingat ad bonos mores ab errore migrare. Paucorum eſt incipere de maximis:* & interdum cum concubina matrimonium contrahere monebantur, ut in *c. dic. aliquis* 32. *q.* 4. ibi: *Mulier igitur tua, ſi talibus moribus prædita eſt, ut mereatur conſortium, mereatur & nomen uxoris*, *c. nullum* 22. *q.* 4. eoque pertinent leges, quæ poſt matrimonium filios legitimant, notat Connan. *lib.* 8. *Comment. c.* 4. *n.* 6. *in fine*, *l. divi. l. nuper*, *C. de Naturalib. l.* Salvian. *lib.* 7. *de Gubernat. Dei.* Wandalos laudat, quod meretrices nubere cogerent: *Scorta*, inquit, *connubia fecerunt.*

12 Accedunt ſuperioribus differentiæ multæ, quas inter concubinas, & uxores recenſet ex Mendoza *d. lib.* 2. *c.* 28. Baſilius *d. lib.* 2. *c.* 54. *num.* 1. Hotoman. *de Verbis Juris*, *verbo*, *Concubina*, & *lib.* 5. *Obſ. c.* 6. Emund. Merillius *d. l.* 3. *c.* 16. quas non tranſcribo: addo Cujac. *in Recitat. C. de Concubinis*, & *in Novell.* 18. Ant. Fabrum *in Juriſprudent. tit.* 9. *princ.* 2. *illat.* 1. Connan. *lib.* 8. *Comm. c.* 13. *à n.* 1.

13 Prima tamen, & primaria illa eſt, quod uxoris cum marito conjunctio ſemper legitima fuit, concubinatus non item: quia licet per leges nomen ſumſiſſet, *l.* 3. *D. de Concubinis*, erat tamen potius permiſſus, & toleratus, quam legitimus, ut late docent Alex. *Conſ.* 59. *n.* 3. *lib.* 4. Rip. *in l. ſi unquam*, *q.* 28. *n.* 77. *C. de revoc. don.* Ant. Fab. *d. prin.* 2. *illat.* 1. *pag.* 364. & *ſeq.* Cov. *de Sponſal.* 1. *p. c.* 4. *in princ. n.* 1. Mantua *Sing.* 52. Roïas *de Succeſſionib. c.* 10. *n.* 21. Paleotus *de Nothis c.* 11. *à princ.* Gutierr. *lib.* 2. *Canon. c.* 7. *n.* 17. Avendanus *in capitul. prætorum c.* 26. *à n.* 1. Cevallos *Communium q.* 295. *n.* 3. Caccialupus *in l. ſi qua illuſtris*, *n.* 27. *C. ad Orphitianum*, ubi *n.* 50. diſputat, an etiam à Juſtiniano concubinatus improbetur, & quid jure Canonico. Robertus *lib.* 2. *Rer. Judic. c.* 7. quamvis Bart. *in d. l.* 3. *n.* 2. & Beroïs *in c. in præſentia* 8. *n.* 222. *de probationib.* contendant, jure Romanorum concubinatum fuiſſe licitum.

14 Mulieri tamen concubinatus nomen matronæ adimebat, etiam jure veteri *l. ſi uxor* 13. *D. de adulter. l. probrum* 41. *D. de ritu nupt.* & prohibitus fuit à Conſtantino *in l.* 1. C. *de Concubinis*, & omnibus à Leone *Nov.* 9. & tandem à Conſtantino Porphirogeneta, teſte Harmenopulo *lib.* 4. *Epitome*, *c.* 7. *apud Baſilium lib.* 7. *de Matr. c.* 54 *n.* 21. & illicitus ſemper fuit Chriſtianis, Sidonius *lib.* 9. *Epiſt.* 6. ibi: *Et poſt conſequens eſt, ut filio uno, alterove ſuſceptis, & nimis dixi, abſtineat de cætero licitis, qui illicita præſumſit.* Auguſt. apud Baſilium *d. c.* 54. *n.* 3. *c. audite diſt.* 34. notat Hotom. *Diſput. de Spuriis*, *c. ult.* Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *caſ.* 418. Cov. *de Sponſalib.* 1. *p. c.* 4. *n.* 8. Joannes Savaro *in Notis ad Sidonium lib.* 9. *Epiſt.* 6. *in fin.* Cevall. *d. q.* 295.

15 Secunda differentia. Uxor libera eſſe debet, *princ. Inſt. de nuptiis*, concubina etiam ancilla *l. denique* 8. *D. de pign. l. penult. D. reb. auct. jud. l. ult. C. communia de manumiſſ. c. ancillam*, *cum ſeq.* 32. *q.* 2. *c. dicat.* 32. *q.* 4. notat Connan. *lib.* 8. *Comment. cap.* 13. *n.* 1. Salvian. *de Gubernat. Dei*, ibi: *Ad tantam res impudentiam venit, ut ancillas ſuas multi uxores putent.* Id tamen jure novo ſublatum eſt, §. *aliquando*, *Inſt. de nupt.* Hotom. *de Verbis Juris*, *verbo*, *Concubinarum*, & *Diſput. de Spuriis*, *c.* 2. niſi dominus eam habeat ſub nomine concubinæ, *l. ult. C. communia de manumiſſ.* notat Caccialupus *in l. ſi qua illuſtris*, *numero* 6. & 34. C. *ad Orphitianum.*

16 Tertia, in matrimonio dos, & publica ſolemnitas, & votum procreandorum liberorum ex veteri formula interveniunt, *l. ſi vicinis*, C. *de Nupt. c.* 1. *c. nullum* 30. *qu.* 5. in concubinatu nec dos, ut ex Plauto probat Briſſonius *de Ritu Nupt. pag.* 169. Robertus *lib.* 2. *Rer. Judic. c.* 7.

17 Et huc reſpexit Leo Papa *in c. non omnis* 32. *q* 2. Conc. Triburienſe *Can.* 83. *apud Baſilium d. lib.* 7. *c.* 54. *num.* 27. nec votum prolis, ut ſignificat divus Auguſt. *lib.* 4. *Confeſſion. c.* . . . *Experirer exemplo meo*, inquit, *quid diſtarent inter conjugalis placiti modum, quod fœderatum eſſet generandi gratia, & pactum libidinoſi amoris, ubi proles etiam contra votum naſcitur, quam jam nata cogat ſe diligi.* Et paulo poſt: *In illis annis unam habebam, non eo, quod legitimum vocatur, conjugio cognitam, ſed quam indagaverat vagus ardor inops prudentiæ; ſed unam tamen, ei quoque ſervans thori fidem.* Demoſthenes apud Con. *lib.* 8. *Comm. c.* 13. *num.* 2. *in fin.* *Amicas voluptatis cauſa habemus, pallacas autem ad quotidianum corporis obſequium, uxores vero ad juſtæ ſobolis procreationem.* Robertus *d. lib.* 2. *c.* 7. ibi: *Concubina contra votum parit, legitima uxor ex voto generat, hæc ſuas nuptias profitetur, illa ſordes ſuæ conjunctionis diſſimulat.*

18 Quarta, milites uxores in caſtra docere non poterant, concubinas vero, ſeu ſocarias poterant, ut liquet ex *l.* 2. *C. de donat. inter vir.* exornant Juſtus Lipſius *lib.* 5. *de Militia Romana*, *dialog.* 18. Tiraq. *l.* 15. *Connubiali*, *num.* 24.

19 Quinta, Epiſcopo ordinando concubinam habere, aut habuiſſe nocet, uxorem non item, ſi jam non habeat, & fuerit ejus qualitatis, quæ proponitur in *Nov.* 123. *c.* 1. §. *ſancimus*, & *in Nov.* 6. *c.* 1. *verſ.* & *neque.*

20 Sic ſimiliter Presbytero ordinando unam uxorem habuiſſe aut habere jure veteri non oberat, non item concubinam, *d. Novell.* 6. *c.* 5 §. *neque autem*, *Novell.* 123. *c.* 12. §. *Clericos*, *Novell.* 22. *c.* 22.

21 Sexta donatio à marito uxori conſtante matrimonio inutilis eſt, *l.* 1. & *per tot. D. de Donat. inter Vir. cap. ult. eod. tit.* exornant poſt ordinarios Petr. Gregor. *lib.* 28. *Syntagmat. cap.* 10. *à num.* 1. Maotica *lib.* 21. *de Tacit. titul.* 1. & *ſeq.* Trentacinq. *lib.* 3. *Variar. tit. de Donat. Reſol.* 6. *à num.* 1. Sanchez *lib.* 6. *de Matrim. diſp.* 1. & *ſeq.* Covar. *lib.* 2. *Variar. cap.* 7. *à num.* 4. cum pluribus Cenedo *ad Decretales collect.* 82. *num.* 1. Riccius *Collect.* 799. & 2220. & tamen donatio concubinæ facta regulariter valet, *l. affectionis* 5. *l. donationes* 31. *D. de don. l.* 3. §. *Divus*, *l. ſi prædia* 59. *D. de don. inter vir.* docent Angel. *Conſ.* 171. Butrius *Conſ.* 14. Ripa *in l. miles*, *n.* 10. *D. de Re Jud.* Pala. *in Rubr.* §. 37. *à n.* 1. *de don. int. vir.* Menoch. *lib.* 3. *Præſumt.* 51. *n.* 12. Gutierrez *de Jurament.* 1. *p. c.* 6. *à n.* 1. D. Ricciul. *lib.* 3. *de Perſonis, quæ in ſtatu reprobo verſantur*, *c.* 20. *n.* 10. Baſil. *lib.* 7. *de Matr. c.* 54. *n.* 2.

22 Niſi donatio à milite ſit collata in concubinam, hæc enim non valet, *l.* 2. *C. de donat. inter vir l. ult. tit.* 21. *p.* 2. Ordinatio Luſitana *lib.* 4. *tit.* 66. *in princ.* illuſtrant Tiraq. *in l.* 15. *Connubiali*, *num.* 17. Gutierrez *d.* 1. *p. c.* 6. *à n.* 3. cum pluribus D. Ricciull. *d. lib.* 3. *c.* 20. *n.* 20. & alii plures citati ab Emman. Barboſa *in Collectaneis ad Ordinat. Luſitan. d. lib.* 4. *tit.* 66. *n.* 1. quibus addo Juſt. Lipſium *lib. de Militia Romana dialog.* 18. cujus exemplo idem in donatione concubinæ Clerici obſervatur, Palar. *in Rubr.* §. 39. *à num.* 1. *de don. inter vir.* cum pluribus Grat. *Diſc.* 31. *numero* 12. Gutierrez *d.* 1. *part. cap.* 9. *à num.* 5. Ricciullus *dict. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 22. à quibus uberior hujus rei tractatio petenda.

F I N I S.

EMANUELIS SOAREZ A RIBEIRA,

JURIS UTRIUSQUE

CONSULTI LUSITANI

OBSERVATIONUM JURIS LIBER

AD

BARTHOLOMÆUM A RIBEIRA,

AUGUSTISSIMI LUSITANIÆ

REGIS VECTIGALIUM JULIÆ PACI JUDICEM, ET FRATREM SUUM CHARISSIMUM.

ARCHILOCHUS.

Τοῖος ἀνθρώποισι νόος, Γλαῦκε, Λεπτίνεω παῖ, Γίνεται θνητοῖς, ὁκοίην Ζεὺς ἐφ' ἡμέρην ἄγει.

TEOGNIS.

Ἄνθρωποι μάταια νομίζομεν εἰδότες οὐδέν, Θεοὶ δὲ κατὰ σφέτερον πάντα τελοῦσι νόον.

PLAUTUS.

Stulti haud ſcimus, fruſtra ut ſimus, cum quod cupienter dari Petimus nobis, quaſi, quid in rem ſit, poſſimus noſcere.

Digitized by Google

BARTHOLOMÆO A RIBEIRA

AUGUSTISSIMI LUSITANIÆ

REGIS VECTIGALIUM JULIÆ PACI JUDICI FRATRI SUO CHARISSIMO,

EMANUEL SOAREZ A RIBEIRA

J. U. C. PLURIMAM.

S.

CERTUM eſt, Frater jucundiſſime, unumquemque ſemper in iis rebus induſtriæ, & ingenii ſui aliquod ſpecimen extare velle, in quibus ſe diligenter ac graviter verſatum opinatur: maxime ſi ea rerum ſit conditio ut vitæ inſtituto laus prudentiæ conciliari, progreſſu, atque eruditione nomen, & dignitas ſoleat comparari. Ac ſane ſi qua res eſt, quæ hominum ſententiis id prolixe oſtendat, polliceatur, ac præſtet, cum primis Juriſprudentia eſt. Tametſi ſi omnia ad vivum reſecemus, non minus in ea varium fortunæ potentatum utramque paginam conficere, quam in aliis quibuſvis rebus, ſinus reperturi. Nam quotus quiſque ob ingenii acumen, memoriæ felicitatem, judicii maturitatem, liberalium artium non vulgarem eruditionem, præſtanti hujus artis prudentia conjunctam, aut ampliori loco ætate noſtra cohoneſtatus eſt, aut ſeſe è tenebris vindicare potuit? Niſi ſi ad honores comparandos, præterea vel pecuniam, optimos ſi quando, nunc potiſſimum agendarum rerum nervos adderit, vel majorum collatæ in principes officiis eſt adjutus, & ipſe ſe turpiter & illiberaliter inhoneſtis gratioſorum hominum libidinibus mancipans, ab eorum artium præceptis, quibus ſe inſtructum credi vult, longe lateque deceſſit. Verum nec aptus huic rei tractandæ locus iſte eſt, nec nunc tempus ad omnium ſtudiorum fortunam pro dignitate deplorandam. Sed eo nomine hæc altius repetii ut mea ratio, & tibi frater chariſſime, & aliis conſtaret. Si cum huc uſque fortaſſe ultra quam & ætas, & vires, & fortunæ meæ paterentur, in id ſtudii incubuerim, & meis doctoribus jam pridem non mediocri cum mea laude, & cum ingenti illorum lætitia atque applauſu dignum me ſcholæ honoribus probaverim, nunc in vulgus quale quale diligentiæ, atque ingenii argumentum dare voluerim. Nec ſim paſſus amplius deſidiæ, aut animi degeneris ab illis accuſari, qui parentem noſtrum ex ephebis commodum excedentem, uſque ad extremum vitæ momentum, incredibili omnium admiratione publicanos factioſiſſimos homines jure dicendo coercentem, & ſæpe ſæpius totius civitatis gubernaculum mandante, ac ferme precante principe moderantem: nec idcirco minus conſultoribus, undequaque frequenter confluentibus, opem ferentem, ac non mediocrem familiam diligenter, & accurate gubernantem ſuſpexerunt. Ut ſane non deeſſent, qui in juris dicendi æquitate, & ratione, illum Mutio commemorabili Aſiæ proconſuli conferrent, in conſiliis præſtandis omnes Metianæ genti non multum poſtponerent, in familiæ adminiſtratione, & vitæ integritate, ac ſanctimonia, neminem antiquorum non præferrens, nec dubitarent, quin ſi ſaltem, quæ creberrima, & promtiſſime præſtitit de jure conſilia, litteris exarata ad poſteros voluiſſet tranſmittere, ea una re tam celebre futurum foret Goncalli à Ribeira nomen, quam multorum antiquorum Juriſconſultorum, ob multa, & diverſa ſcripta. Acceſſit eodem non levis cupiditas, qua jam ætatem, frater jucundiſſime, conflagro me quacumque via gratum adverſum te oſtendendi, & quâ potiſſimum re poſſum, tuis ſummis, & frequenter cumulatis beneficiis, vel ex parte, hujus libri nuncupatione ſatisfaciendi. Nam etſi ſcio eo te animo, ita meis ſtudiis, me benigne identidem juviſſe, & propemodum te te alterum Proculeium præſtitiſſe, ut nunquam tecum animo referendæ à me gratiæ rationem inieris, tamen illud liquido poſſum affirmare, nunquam me tam tenuem tibi gratiam relaturum, antehac cogitaſſe. Etenim vel ætate inductus, vel doctrinarum ſplendore, & meritis falſo perſuaſus, vel potius tranſverſum actus nemini viventium, nemini vita functorum fidem in rei litterariæ miſeriis, habebam. Sed certo mihi perſuadebam aliquem in orbe fore locum, in quo induſtria, diligentia, doctrina, & morum candore, ac ſanctitate, ſummi quique honores, & dignitates emerentur. Sed proh dolor! jam procul ab ea opinione ſum abductus, & re ipſa comperi, ubique gentium neceſſe eſſe veneat pudor, fides religio, & quidquid boni vel à natura accepimus, vel à ſcientiis in noſtras domos derivari jactamus, ut ad aliquem vulgi opinione exiſtimatum honorem poſſimus aſpirare. Quamobrem jamjam lubens ambitionem, qua mirum in modum antea exardebam, depono, & iis, quos ad ſummum honorem evectos, non ſine quadam invidia, olim admirabar, nunc nec invideo, nec quidquam minus illis me habere duco. Quin, ſi verum fatendum eſt, perinde me illis locupletiorem, & cenſeo, & ſentio, ac ſi quem tribus auri talentis ſtrigoſum equum ementem conſpicarer, & ipſe tria alia talenta haberem, nec ea in tam infelix mercimonium profunderem, ſine dubio longe me ditiorem illo arbitrarer. Reſtat ut tu, lepidiſſime frater, hanc, tametſi, nec in proba, nec in aſpera moneta ſolutionem boni conſulas, & meum hoc propoſitum probes, atque confirmes. Vale, ac me jam pridem, & oppido meum nomen inter eos profeſſum ſcito, qui & in ore, & in pectore, illa Sophoclea perpetuo geſtitant.

. . . . . . Α'νδρί τοι χρεὼν
Μνήμην προσεῖναι, τερπνὸν εἴ τι που πάθοι·
Χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ' ἀεί.
Ὅτου δ' ἀποῤῥεῖ μνῆστις εὖ πεπονθότος,
Οὐκ ἂν γένοιτο ποθ' οὗτος εὐγενὴς ἀνήρ.

Vale iterum, & me, ut facis, mutuo ama.

Digitized by Google

OBSERVATIONUM JURIS LIBER EMANUELE SOAREZ A RIBEIRA,

J. U. C. AUCTORE,

AD

BARTHOLOMÆUM A RIBEIRA,

AUGUSTISS. PORTUGALLIÆ

REGIS, VECTIGALIUM, JUDICEM JULIÆ PACI, FRATREM SUUM CHARISSIMUM.

CAPUT I.

In quo, quid dicatur jus naturale, & non ad illud referri, ſed ad jus gentium, vis vi repulſionem, contra ricos juris interpretes, oſtenditur.

OPERÆ pretium non leve me factu- rum exiſtimo, ſi in harum obſervationum initio, Florentinum, vim vi propulſare nobis impune licere enarrantem, à diſertiſſimorum virorum vi tuter, ac defendam: & quod jus naturale ſit, unde huic cauſæ lumen promendum eſt, prius, ac brevi explicem. Jus igitur naturale longe aliter expoſitum eſt à juris auctoribus, atque ab aliis, tum eloquentiæ, tum philoſophiæ umbratilis magiſtris. Quippe cum his omoi in re, conſenſionem omnium gentium, legem naturæ eſſe velint, & jus naturale cum jure gentium commiſceant, atque confundant: illi vero juris fundatores, vel clarioris explicationis ergo, vel majori temporis habita ratione, utrique poſitiones ſeparatas tribuant, qua in re diſtinguenda, mirum, quam nuper quidam non minorum gentium eruditi ſunt allucinati, nec ignoro alicubi, & ipſos J. C. promiſcue utriuſque juris appellatione uſos eſſe; verum ubi rem diligentius, exactiuſque excuſſerunt, ſemper alterum ab altero ſeparatunt. Et vero jus naturale id eſſe finierunt, quod ita à natura hominibus inſitum, ingeneratumque eſt, ut illud cætera quoque animalia videantur eſſe edocta: in qua ſane finitione, primum *juris* nomine intelligimus, non omnia, quæ cum hominibus, tum brutis ipſis communia ſunt, juris naturalis numero haberi, niſi ſi rationi quoque ſint conſentanea, & brutorum animantum mentione docemur, non omnium nationum, gentiumque placita, & rationis, atque adeo ipſius naturæ dogmata, ad hoc jus referri, niſi & beſtiis illorum teſtibus uti poſſimus; qua re perridiculæ Vallæ, & aliorum eruditiorum calumniæ fit ſatis. Porro cum hujus juris exempla luculenter Ulpianus propoſuiſſet, & juris gentium finitionem ſubjunxiſſet, eleganter addidit, utriuſque differentiam cognoſci poſſe, quod illud omnibus animalibus, hoc ſolis hominibus commune ſit: conſecuta ſunt & juris gentium exempla, nempe, religio adverſus Deum, patriæ, & parentum obſervantia, & alia quæ diſertus Hotoman. J. C. & philoſophorum præſcriptam diſſenſionem non videns, in *Inſtit.* ad jus naturale referre conatur, & juris, ac profeſſionis ſuæ antiſtites, injuria damnare non veretur. Subſequitur Florentini, de qua agimus, ſententia, qui & huic juri vis vi repulſionem adſcribit, atque hic, Bone Deus! quas erudita turba turbas ciet, quas in juris auctores excitat tragœdias! quibus conviciis miſerum cædit Tribonianum? nominabo homines, licet illi proletarios quoſvis ſcriptores laudare ſoleant, juris interpretes omnino non ſoleant. Sed ego nec illos circumforaneis poëtis, aut hiſtrionicis poſtpono, nec eam in rem cogito ſalem habere, ut alieno labore partam gloriam verbis in me transmoveam: & cum quid offenderint, eos nuncupatim ad viam reducam, & cum quid egregie de ſuo protulerint, meritis commendabo laudibus. Sed ad inſtitutum. Præclarus I. C. Connanus, Antonius Goveanus noſtræ ætatis, & poëta elegantiſſimus, & Philoſophus graviſſimus, & juris intelligentia inſtructiſſimus, Balduin. & Hotoman. viri quavis laude digni, vel Florentinum parum vidiſſe, vel Tribonianum male hoc loco, & de illo, & de jurisprudentia meritum, pro certo, nec voce *ſubmiſſa* contendunt. Eorum argumentum de jure promtum diluam, ac deinde de bonis auctoribus mutuatos arietes propulſabo: poſtremo quid ipſe hac in re cenſeam, ingenue, & libere proponam. Age, Caium afferunt in *l. 4. D. ad leg. Aquil.* ubi naturali ratione permiſſum dicitur, adverſus periculum unumquemque ſeſe defendere. Verum, quid inde? nonne quo illud ſpectaret, vel à lautitiis ſermonis inſans Accurſ. à juris doctrina longe clariſſimus interpres, vere docuit? Sed mitto Accurſ. nonne ex eodem Caïo diſertis verbis prædicente, ne in eum impingerent ſcopulum, didiciſſe poterant? *quod vero*, inquit, *naturalis ratio inter homines, conſtituit, apud omnes gentes peræque cuſtoditur, vocaturque jus gentium*, *l. 9. hoc tit.*, quamobrem & à Juſtin. furtum naturali lege prohibitum dicitur, *tit. de obligat. ex delict.* quod & Caïus natura turpe ſcripſit in *l. probrum. D. de Verb. Sign.* & ad jus naturale omnia communia eſſe ſanciens, nullo pacto poteſt referri. Denique ut breve faciam, palam eſt ex magna locorum juris ſtrue, naturalem rationem, & naturalem legem, neceſſario nonnunquam accipiendam eſſe pro jure gentium. Illam autem ſtruem, & congerunt, & accurate componunt Lance. Galeau. in *Rub. D. de verb. oblig. nu.* 74. & Fortun. in *l. 1. §. jus naturale. nu.* 53. *iſto tit.* quos ego nec ſuis operis, & laude evertam, nec officio nomenclatorum non lubenter donabo: appellatur deinde, fidei faciendæ cauſa, Cicero, cui quantum in jure ſit tribuendum, qui jus ſerio, ac diu verſarunt, recte intelligunt. Quid ille? *hoc*, inquit, *Orat. pro Milone*, *& ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent.* Item eſt, *eſt hæc non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus: ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expetendæ ſalutis.* Satis quidem

oſtrate

Digitized by Google

ornate, & aperte ille: ſed ita falſo, ſi jus ſpectes, gentiumque conſenſionem naturali ratione expreſſam, hoc eſt jus gentium cum naturali jure non commiſceas, ut merito optare poſſis, hæc potius a Cicer. in agenda cauſa fuiſſe dicta, quam domi ad lucernam conſcripta: ut ſi forte judices effaſcinaſſet, civem optimum Milonem in patria retinuiſſet. Quanquam nec ille non injuria hujus criminis arceſſi poſſit: cum non ſemel ſatis ingenue fateatur, ſe ſæpe ea dicere, quæ ignoret, & ejuſmet artem fuco, ac mendacio nixam, errores hominum aucupari, *Oratoris enim*, inquit lib. 2. de Orat. *omnis actio opinionibus, non ſcientia continetur. Nam & apud eos dicimus qui neſciunt, & ea dicimus quæ neſcimus ipſi: itaque illi alias aliud eiſdem de rebus, & ſentiunt, & judicant: & nos contrarias ſæpe cauſas dicimus, non modo ut Craſſus contra me dicat aliquando, aut ego contra Craſſum, cum alterutri neceſſe ſit falſum dicere: ſed etiam ut uterque noſtrum ea de re alias aliud defendat, cum plus uno verum eſſe non poſſit. Ut igitur in hujuſmodi re, quæ mendacio nixa ſit, quæ ad ſcientiam non ſæpe perveniat, quæ opiniones hominum & ſæpe errores aucupetur, ita dicam, &c.* Reliquum eſt, ut de brutis animalibus argumento reſpondeamus. Cui ſatisfiet, ſi pari brutorum exemplo nos tangi ea in re negemus, nec enim teſte Senec. ac Plin. quiſquam dixerit, leones leonibus inſidiari: ſerpentum morſus ſerpentes petere, ut illis vim ſibi ab ejuſdem generis animalibus repellentibus, jus naturale in hominibus ſit conſtituendum: nec hîc elegantia Juven. carmina pigebit referre, canit:

Sed jam ſerpentum major concordia parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: ſævis inter ſe convenit urſis.

Quamobrem cum ea ſit, & brutis, & hominibus, naturalis inter ſe cognatio, & ſocietas, ut non ſolum inter ſe dimicare, inſidiaſque ſtruere jure naturali ſit nefas, ſed etiamſi naturam, ingeniumque brutorum homines ſequantur, non ſolum hac in re jam illis deteriores, nunquam ſeſe tutari neceſſe habeant, nullo modo defenſionis facultas, naturali jure accepta referri poterit. Quod autem de formica verbum adducunt, non arbitror ad rem pertinere, cum illi vis ea à natura ad defendendam, & arcendam cæterorum animalium vim, ſit ingenita: & eodem argumento, poſſet quoque appetitus nocendi, ad jus naturale trahi, quod nemo ſabitur. Sed ut tandem finem faciam, quem ipſorum argumenta jam dudum fecerunt, opinor J. C. homines, inter quos unus dumtaxat, atque alter eloquens, & alter dialectices peritus cenſeatur, jus naturale id ſolum appellaſſe, quod aureo ſeculo a poëtis decantato fuiſſe diceretur: cæterum ad jus gentium, aut civile retuliſſe; & quoniam prima illa ætate, homines, natura modo duce, adhuc minime mali, atque adeo ſimplices, & ab omni doctrina, nedum calliditate abhorrentes, & cum brutis, & prope moribus, rituque brutorum degerunt, prædicta finitione jus naturale concluſiſſe. Porro à primis illis generis humani cunabulis omnia juris gentium accepto-lata longe aliena fuiſſe, & nemo eſt qui neſciat, & nemo, exiſtimo, poſthac dubitabit, ideo illa ad gentium referri conſenſionem. Nec me hîc in plurimis qua poëtarum, qua hiſtoricorum congerendis auctoritatibus vendıtabo, uno unius Ovid. loco contentus ero. Canit 2. *de Faſtis* de primis hominibus verba faciens.

Vita feris ſimilis nullos agitata per uſus,
Artis adhuc expers, & rude vulgus erat.
Pro domibus frondes norant pro frugibus herbas:
Nectar erat palmis hauſta duabus aqua.
Nullus anhelabat ſub adunco vomere taurus,
Nulla ſub imperio terra colentis erat.
Nullus adhuc erat uſus equi, ſe quiſque ferebat,
Ibat ovis lana corpus amicta ſua.
Sub Jove durabant, & corpora nuda gerebant
Docta graves imbres, & tolerare notos.

Ac tantum addam, ut utri philoſophorum, an J. C. verius jus naturale finitione ſint complexi, in medio relinquam, ita non male è re Pop. Rom. cujus regendi, moderandique, munus penes illos erat, ejuſdem populi notioni maxime conſentaneas, & affines ſententias, J. C. ſcriptas reliquiſſe.

CAPUT II.

Exponitur Ulp. *in* l. item ſi verberatum §. 1. D. de rei vendicat.

Citavit ream, & in exilium amandavit ad Scythas uſque Arius Pinelus præclarus juris anteceſſor, & meus alter parens, in luculentis *de reſc. vendi.* *commentariis*, gnathonicam quandam juris interpretum næniam, qua non contenti, regiæ illius legis antiquæ ineptiis liberum principibus in omnium fortunas caput, ac vitam arbitratum cauponabantur. Quo in loco multas & varias ad Ulpia. in *l. item ſi verberatum §. 1. D. de rei vendic.* commemorat interpretationes. Quoniam eo cum primis nefaſta illa, atque ad Reip. perniciem profligata ſcurrilitas niteretur, illas modo non retexam, nec, quod dicitur, actum agam: ſed quid olim de illa Ulpiani ſententia ſenſerim, in pauca conferam. Arbitrabar igitur non illic agi, utrum vindicus pulſatus, non modo quod ei honoris cauſa relictum fuit, ſit præſtaturus, ſed & quod ablatum proponitur, pretio redimere teneatur; ut opinatus eſt Accurſius, & ejus populares. Sed potius illud quæri rebar, utrum, quemadmodum ille pecunia liquido luiturus non ſit, quod militibus aſſignatum eſt, ita nec debeat reſtituere quod alias amiſſurus, honoris gratia conceſſum retinet. Species controverſiæ, hæc eſt: Lucius Titius agrum ad Seĭum ſpectantem poſſidebat: oppidum, in quo ager ille erat, captum eſt, & inter milites agri diſtributi, inter quos & ille, qui cum in Seii mancipio eſſet, à Lucio Titio poſſidebatur, ex parte inter milites diviſus, ex altera parte Lucio Titio honoris nomine eſt relictus. Quæſtio in eo vertitur, num hæc pars relicta ad Seĭum pertineat, quemadmodum totus ager pertineret. Cauſæ conſtitutio in eo eſt: inquit Seĭus: *aio te meum agrum poſſidere*, repellit Lucius, illius agrum ſe negans poſſidere, & agri dominium ad Imperatorem, ſine ejus dolo malo, veniſſe, & ejuſdem Imperatoris liberalitate modicum agri ſibi conceſſum aſſeverans: atque ideo antiquam Seĭani dominii cauſam everſam, & veterem ſuimet poſſidendi viam mutatam aiens. Deciſionis ratio ea videtur, non tam portionem illam agri donatam ab Imperatore videri, quam in priſtino dominio relictam, quocirca ad antiquum dominum redire debeat. Itaque nullum hîc Regiæ poteſtatis veſtigium elucere cenſebam, ſed magis, quemadmodum vulgo notum eſt, victis hoſtibus, jure belli victores linguam, habitum, nomen ſolitos fuiſſe imponere: ejuſque rei locuples auctor eſt præter cæteros Serv. Honoratus *in* Virgilii *Æneida*. Ita quoque, quod & lippis, & tonſoribus pluſquam manifeſtum eſt, eodem belli jure victis hoſtibus poſſeſſiones auferebantur, & in veteres milites partita conferebantur. Cujus rei teſtimoniis pleni ſunt ubique veteres rei Romanæ Annales. Quibus quoque non ſemel proditum eſt honoris vel, gratiæ cauſa, viros aliquot inſignes non fuiſſe ſuis fortunis everſos: aliquando eaſdem ob cauſas non omnino, ſed parte tantum aliqua bonorum quoſdam fuiſſe excluſos: ut & Virgilii, ac alios teſtes aliunde citamus, hiſtoria luculenter, affatimque docet, & reſtituendæ notæ, V. P. R. in *l. in agris D. de acquir. rerum domi.* quæ in limitibus inſcriptæ, quid veteri poſſeſſori relictum foret, indicabant. Nec quemquam conturbare debet, quod Ulpianus hoc reſponſo jus hoſtibus dicat, cum & illud ex *lib. 16. ad Edictum* decerptum videat, ubi illum de officio Proconſulis egiſſe certum eſt, & ſpeciem celebrem, atque admodum controverſam, & eventu non raram, agnoſcat, neceſſe ſit, nec illud hîc prætermibo ſilentio, P. Cornelii Scipionis conſulare *decretum de agris militum* referri à Roberto

Valturio *de Re militar.* Ut *quot quiſque militum annos in Hiſpania, aut Africa ſtipendia feciſſet, in ſingulos bina jugera reciperet.*

CAPUT. III.

Explicatur *l. Centurio. D. de vulg.* & *l. precibus. C. de Impub. & aliis*, melius quam vulgus doctorum ſoleat.

Nulla ſane codice magis exagitata conſtitutio eſt, quam *l. precibus. C. de impub. & aliis*, nec ullum magis celebre, & magis impendio doctorum commentariis obſcuratum, atque offuſum Juriſconſultorum reſponſum, quam excelſi Papini. in *l. Centurio. D. de vulg.* quamobrem videndum nunc eſt, ecquid lucis tantis tenebris poſſimus afferre. Quod ut commodius præſtemus, non pigebit, vel grammatici more, ſingulis verbis legis *Centurio* ſigillatim ſingulas explicationes connectere; ait lex: *Centurio filio, ſi intra vigeſimum quintum annum ætatis ſuæ ſine liberis vita deceſſerit, directo ſubſtituit, intra decimum quartum annum etiam propria bona filii ſubſtitutus jure communi capiet. Poſt eam autem ætatem, ex privilegio militum, patris dumtaxat cum fructibus intentis in hæreditate. Centurio*, unde militaribus prærogativis teſtamentum ejus poſiturum cognoſcimus. *intra vigeſimum quintum annum ætatis*: & quidem expreſſa vocatur ſubſtitutio. Ubi autem nulla temporis fit mentio, militaris compendioſa: licet & illam hoc nomine interpretes declarent. *Sine liberis*, quæ conditio ſi directo non ſubſtituiſſet, vel directa ſubſtitutio in fideicommiſſariam tranſiret, neceſſaria non eſſet, ejuſd. Papin. auctoritate in *l. cum avus* 101. *D. de cond. & demonſtr. Directo ſubſtituit*: quod & *verbis civilibus* ſubſtituere eodem Papi. teſte dicitur, & Theod. ac Val. Imper. in *l.* 14. *C. de teſt. manum. verbis legitimis* idque brevi expones, hoc eſt verbis a lege, vel jure ortis, & legis, ac juris modo edicentibus, ut alicubi Ulpian. de legatis, aut imperativis cum Conſtant. in *l. quoniam.* 15. *C. de teſtam.* non vero precariis verbis, quæ nec ex jure proficiſcebantur, nec jure ipſo valebant, ſed Conſulum, Prætorumque juriſdictione, *inſtitut. de fideicommiſſ. hæred.* directa autem verba ſunt, *hæres eſto*, *inſtituo*, & refragantibus fere omnibus interpretibus, quos nec moror, nec reſponſione dignor, *ſubſtituo.* quæ & in codicillis directa habentur *l. Scævola. D. ad Trebellianum.* & in teſtamento militis, dict. *l. precibus*, & in ejus teſtamento, qui prius teſtamentum probat, §. *ſecundo Inſtitut. quibus modis teſtamenta.* quæ etiam Africani exemplo in *l. ſi quando. D. de leg. lib.* 1. non male vulgaria appellabis: quia eodem nomine ac ratione ſubſtitutionem vulgarem appellatam credo, cum pupillarem non jure ipſo, ſed moribus inductam meminerim. De his autem verbis agit Ulpian. in *Fragm. tit.* 21. Porro hujus ſubſtitutionis ſic finges exemplum: *ſi intra* 25. *ætatis annum ſine liberis filius meus deceſſerit, Titius hæres eſto.* Non vero *filio hæres eſto*, ut hic, & in *dicta l. verbis*, Accurſius, & ejus complices excepto uno Cuman. voluerunt. Quæ ſententia idcirco reſpuenda eſt, quoniam inepta alias foret ſubſtitutio; cum a nemine, nec milite, nemini, aut extraneo, aut filio puberi, vel in bonis à ſe relictis poſſet hæres inſtitui §. *extranea. inſtit. de pupill.* & denique in eo totus ſit militaris ſubſtitutionis favor, quod ea ſibi ſolus miles directo in hæreditate ſua jam ſemel ali parta, non vero cuiquam ali hæredem ſcribat. Unde neceſſaria quadam conſecutione ipſi teſtatori militi ſuccedit ſubſtitutus inſtar vulgaris, ac fideicommiſſarii hæredis, non vero inſtituto hæredi, exemplo pupillaris ſubſtitutionis. Qua in re & multos allucinatos variis in locis, & aliquot collineantes poſſem referre. Sed laudem diligentiæ non capto, tantumque doleo, nec eruditos inſtitutionum interpretes, nec Franciſc. Balduin. virum in ſumma juris notione ſumme eruditum, in *Juſtiniano*, ad hæc oculum adjeciſſe. Adde non leve a Cuman. & à noſtra ſententia eſſe argumentum ex verbis ſequentibus, *etiam propria bona filii*: quippe ſi teſtator Titium hæredem nuncupatim filio dediſſet, omnis procul dubio de filii bonis dubitatio faceſſeret: quod illa ad ſubſtitutum evidenti ratione redibant. At ſi ſpecies ita, ut debet, & à nobis eſt efficta, proponatur, non de nihilo hæc verba à Juriſconſulto addita videbuntur. Quod ante per omne tempus eodem prorſus modo exaudienda ſubſtitutio videretur. Quamobrem cum puberi decedente filio, miles ſenſiſſet ſibimet, & in bonis ſuis dumtaxat ſubſtitutum fore hæredem, num & impuberi filio vita functo idem ſenſus non loco moveretur, dubitatio ſuboriebatur. Atque ita & verba illa explicamus, & nec levem, nec levium interpretum laborem ſublevamus. Sequitur: *intra decimum quartum annum*: quo tempore extra omne privilegium jure communi pupillaris ſubſtitutio conſiſtit etiam à paganis in latius diffuſa tempus. *l. ſupra proxima. Poſt eam autem ætatem*, & intra vigeſimum quintum annum: ex privilegio militum non jam jure communi. Et quidem directo, ut Accur. Bar. Bal. Pau. Caſtel. Cuman. Alex. & reliquis placuit, quorum ut minorum gentium patriciorum auctoritates in controverſo jure, & ponderare, & non parvi facere ſoleo. Cum Romoli legem, de ſubitis, nec elaboratis Senatorum ſententiis recenſendis, hodieque apud omnes gentes non immerito florere intelligam, & philoſophorum more comprobatam ubique perſpexerim; Nec ſane ullum alias quæſtionibus finem eſſe poſſe in animum inducam. Hac autem in re pro illis ſine dubio ſto, ſatiſque fidei eo argumento fieri exiſtimo, quod miles civilibus verbis majori poſſet ſubſtituere. *l. milites etiam his* & *l. miles ita hæredem. D. de militari teſtamento.* Atque ideo neceſſe non ſit contra verborum naturam, &, ut ita dicam, genium, interpretari fideicommiſſum. Non vero quia alioquin nihil præcipui milites habituri eſſent. Quo ſolum nomine hanc in partem propendet præclarus Connanus: quoniam non parvum militibus privilegium reſtabat, ſi ad Pylii, & neſcio qua, & cura, & curatura eum ſequentis Goveani ſententiam adhæreſcamus. Etenim eorum directa verba, extra pubertatem locum precum ſubirent, paganorum omnino pubertate appetente evaneſcerent: ut poſtea alicubi commodius differemus. At Dioclet. & Maxim. Imperat. *Conſtitutionem*, quo accipiam ſenſu, ſtatim eliminabo, ut Horatium obiter emolliam, ſi prius, quo illam, & quam vario interpretes ingenio intellexerint, paucis dederim. Accurſius igitur cum nonnullis diverſitatem juris matrem induxiſſe opinatur. At id merito cæteri auctores ineptum ejurarunt. Alii, à quibus Alexandr. in *hac l. Centurio, numero* 53. *&* 56. & Lanfranc. *de Orian. in repetit. num.* 2. & Baptiſt. de Caccialup. in *Relectione, l. precibus. num.* 23. ſtant vel ineptius, ut locum ſpinis oblitum fugiant, non factam directo ſubſtitutionem in *l. precibus*, comminiſcuntur, quos aperta illius *legis* verba, *ſecundum hæredem*, & infra, *eos habeat hæredes* reos agunt ac peragunt. Sed Bened. de Plumbin. & ejus ſententiæ accedentes uterque Deci. & Joan. Coraſ. in *l. precibus.* Galeau. in *relectione l. Centurio: num.* 58. *&* 59. & Alciat. putant eo totam dirimi controverſiam, quod in *l. Centurio*, ad certam ſtatamque ætatem, in *l. precibus* ſine temporis conſtitutione ſubſtitutio facta fuerit. Nec vident boni illi homines, in aliorum errores lyncei, nulla juris ratione hanc concordiam fundari, & voluntate militis, in utraque ſpecie directo ſubſtituentis, convinci, ac refutari. Poſtremo, nam aliorum meris nugis recitandis ſuperſedebo, Emanuel à Coſta vir magno ingenio, atque olim meus doctor, totius controverſiæ ſtatum ponebat in illis verbis *d. l. precibus*, *quos ei pater conſtituit hæredes*, quaſi illic innuatur, conceptam fuiſſe ſubſtitutionem in eam ſpeciem, quam Accurſ. Bald. & Salyc. inibi, atque Aret. *conſilio* 165. *col.* 1. effinxerunt, nempe, Titius ſit ei hæres, in pupillaris formam; Nam, inquit, cum miles puberi filio hæredem dare nequeat, parum aberat, quin ſubſtitutio, poſt pubertatis tempora, omnino foret inutilis: quoniam, quod miles voluit, nec ex militum privilegio potuit, quocirca, jure quodam

Digitized by Google

dam ſingulari in fideicommiſſum fuiſſe ſubſtitutionem eam inflexam, cenſet: & recte quidem, ſi quam juris imperitiam, atque adeo abſurditatem ad ſpeciem *l. Centurio*, reſpuimus, hîc conniventes remittamus. Val non idem eſſe dicendum ſit *filio ſubſtituere*, quod in *l. Centurio*, & *hæredes filio conſtituere*, quod in *l. precibus*, dicitur: cum eoſdem Imperatores in illius *legis principio* verba, *filio ſubſtituere*, in eum ſenſum uſurpaſſe fateamur neceſſe ſit, in quem verba, *hæredes ei conſtituere*, detorſerimus, ac potius aſſerendum ſit idcirco Juriſconſ. & Imper. verba illa ſcripſiſſe, quia licet in ſupra ficta ſpecie, nulla mentio fiat de filio, tamen ejus potior, majorque pars, & ad filium referatur, & ut filio cautum eſſet, interpoſita videatur. Quare lubentius in Chriſtophori Caſtelleonci ſententiam diſceſſionem facio: in quam quoque Fulg. & Cuman. perſpicaces juris interpretes, & Jaſ. in *l. precibus* & Rip. in *l. Centurio. num.* 66. ac præclarus Connanus abierunt. Atque equidem cenſeo, utroque loco ſubſtitutionem recto jure pondus habituram, & verba illa *l. precibus: velut ex juſta cauſa fideicommiſſi bona, quæ cum moreretur, patris ejus fuerunt, à te poſſunt peti*, ſic interpretor, ut quaſi ac ferme fideicommiſſum referri, & repræſentari à ſubſtitutione illa dicam, quæ & poſt aditam hæreditatem, & in omne tempus, & in ejus tantum bonis, qui teſtamenti auctor fuit, ac ſine ulla imminutione, ut altera illa fideicommiſſaria, valeat. Sequitur in lege, *cum fructibus inventis in hæreditate.* His rurſus tota juris ſchola æſtuat, rurſus in varias partes ſcinditur. Referam igitur quid illi, & deinde quid ego, nec mihi laudem alicujus percerpam: uti in ſuperiori quæſtione diſertus Conna. non memoria repetens, ſe juſtitiæ antiſtitem nixus eſt facere: & neſcio quo ore Duaren. *lib.* 2. *Diſput. cap.* 7. Sed age, Dyn. Bart. & alii à Lanc. Galeau. in præſent. *num.* 30. Rip. *num.* 31. Ryminald. in *l. teſtamento* 6. *num.* 11. *C. de teſtamento mil.* Poly. in *tract. compendioſæ. num.* 18. Zaz. in *eod. tractat. num.* 9. & relati, & probati ſenſerunt, fructus omnes à morte patris, etiam quos filius ipſe collegit, extantes, ſubſtituto militari reſtitutum iri. Atque inde differentiam, inter fideicommiſſariam, & militarem ſubſtitutionem colligebant. Quæ & ſententia, & differentia omnino ut iniqua amandanda eſt, quemadmodum prolixe oſtendunt Alexand. in præſenti *num.* 40. Jaſ. 16. Lanfran. *de Orian. num.* 3. *in fine.* Succeſſit Ang. Peruſ. & Pau. Caſt. interpretatio probata Romano in *d. l. in teſtamento. num.* 11. Fulgo. in *l. precibus. num.* 11. Ang. Aret. in *tracta. de teſtamentis. gl.* 80. *num.* 12. & Lanfranc. *d. num.* 3. quæ verbum, *inventis*, refert ad fructus inventos à filio patris hæreditatem adeunte. Sed & ea opinio, vel eo ſolum nomine diſplicere debet, quoniam in præſenti filius ſuus, & neceſſarius hæres extiterat, atque ideo nec ullam aditionem, nec ullos ante aditionem fructus excogitare, ac mente comprehendere poſſimus. Quod Cumano hîc acceptum referendum eſt. Adde, nullam differentiam tunc conſtitui, inter directam militarem, & fideicommiſſariam, ut doctores vocant, ſubſtitutionem. Quamobrem hoc ita intelligendum eſſe ſtatuo: & hac in re acri doctoris mei Emanuelis a Coſta judicio aſſentior, ut primum conſideremus filii, è vita migrantis, bona in duas ſtatim diſceſſiſſe hæreditates, ac primam illarum bona, à filio aliunde quæſita, quæque illi quavis ratione accreverunt, & fructus ab eo vivo ex paterna hæreditate collecti, & in dominium illius redacti conſtituant; ſecundam forment, atque efficiant bona, quæ à Centurione ad filium venerunt. Quæ è veſtigio hæreditas, mortuo filio, & jacere cœpit, & militari ſubſtituto deferri: ac proinde fructus, ex ea militis hæreditate, poſt filii obitum percepti, & in ea inventi, ad militarem ſubſtitutum pertinebunt, cum nec dominium, nec ullus titulus adverſus illos, filii hæredibus eſſe poſſit. Qua circa, & hæreditatem, & fructus hos, à filii hærede ſubſtitutus militaris, petitos ſervabit juxta *l. item veniunt.* §. *item non ſolum. D. de pet. hæred.* & Bar. in *l. feud. tit.* itaque referimus *inventis* ad inventos, & poſt mortem filii collectos fructus. Ex qua enarratione non parva inter militarem, & fideicommiſſariam ſubſtitutionem differentia eſfloreſcit, nam in illa hæres jure dominii, quod in res hæreditarias habet, hos fructus ſuos facit, quia licet defuncti judicio non ſint percepti, ſatis ſuperque eſt ex non petentis negligentia collectos eſſe. *l. mulier.* §. *ſi heres. D. ad Treb.* in hac vero nullam illos lucrifaciendi ſpem habet. Atque ita ni fallor, & non fallor, omnia pacata, ac tranquilla ſunt, & iſtius Centurionis inſtructiſſimæ acies, ac prærupto loci ingenio, & interpretum diſſidentibus inter ſe opinionibus, munitiſſimæ tandem expugnatæ, profligatæque jacent: & Imperatorum *Conſtitutio* moleſtiis omnibus eſt expurgata.

CAPUT IV.

Ulpiani ſententia Africano contraria oſtenditur, contra veterum, & aliquot eruditorum neotericorum opinionem.

Ulpianus in *l.* 15. *D. de reb. cred. Singularia*, inquit, *quædam præcepta ſunt circa pecuniam creditam: nam & ſi tibi debitorem meum juſſero dare pecuniam; obligaris mihi, quamvis nummos meos non acceperis, quod igitur in duabus perſonis recipitur, hoc in eadem perſona recipiendum eſt, ut cum ex cauſa mandati pecuniam mihi debeas, & convenerit ut crediti nomine eam retineas, videatur mihi data pecunia, & à me ad te profecta.* Quo in loco vereor ne ita clare diſſerat, ut nullius purpuræ objectu ab Africano defendi poſſit. Sed Africani verba referamus: *qui negotia l.* 34. *mandat. Lucii Titii procurabat, is cum à debitoribus ejus pecuniam exegiſſet, epiſtolam ad eum miſit, qua ſignificaret certam ſummam ex adminiſtratione apud ſe eſſe, eamque creditam ſibi, ſe debiturum cum uſuris ſemiſſibus, quæſitum eſt an ex ea cauſa credita pecunia peti poſſit, & an uſuræ peti poſſint? reſpon. non eſſe creditam. Alioquin dicendum eſt ex omni contractu nuda pactione pecuniam creditam fieri poſſe.* &c. nam quod alios nugas agere judicans præclarus Connanus de ſuo ſe afferre ait *lib.* 7. niſi me ipſe fallo, ſic ipſiſſimum eſt, quod in alios damnat, ut ſolum verba dediſſe, & ſuo ſe forex ſtrepitu prodidiſſe videatur: quippe cum ea fuerit veterum ſententia, hîc in *l. qui negotia*, pecuniam nec in numerato, nec ſolutioni paratam eſſe, illic ſecus eſſe: illius autem multis verbis ea ſit, hîc pecuniam à procuratore conſumtam, & non aliam illi, qua Lucium Titium liberaret, ad manum fuiſſe; etenim alias pro certo habet mutuum contractum iri: itaque eodem ipſe, quo vulgus interpretum ariete oppugnatur, nempe Oedipi eſſe divinare hîc, pecuniam impenſam, & nec illam, nec ejus loco aliam procuratoris fidem exoneraturam, in promtu adeſſe, illic & locupletiorem, & diligentiorem debitorem, præ manu illam habuiſſe. Deinde quia magis fit, ut in hujus *l. qui negotia* ſpecie pecuniam promtam, paratamque ariolemur, cum procurator apud ſe eam eſſe dicat. Poſtremo quod I. C. ea ratione duntaxat nitatur, quod alioquin dicendum eſſet, ex omni contractu, nuda pactione, pecuniam in creditum ire, & rationem, qua Ulpianus fundatur, benignitate, non juris via expreſſam, nolit extra ſuum locum promovere: nullamque de præparata pecunia mentionem faciat. Quamobrem merito illud Ulpian. in *l.* 15. *item apud Labeonem.* §. *ait prætor*, *D. de injur.* huc arceſſemus, *ea quæ notabiliter fiunt, niſi ſpecialiter notentur, videntur quaſi neglecta.* Itaque lubens hanc concordiam, & ſpem omnem leges has inter ſe conveniendi, à diſerto Goveano ad *l. eam quam* ſcriptam repudio, cum nullo modo verbum, *alioquin*, hîc *cæterum* valere poſſe intelligam, & nec ea re nodum ſolvi ſit fatendum, ſecus atque ille arbitratur: & prorſus acuto Fulgoſio aſſentior, contrarios è regione, hac in re Juriſconſultos cordate aſſeverantis, ac veriorem exiſtimo Ulpiani opinionem, ob Reipub. utilitatem, jure optimo *juſti atque æqui ma-*

trem ab Horatio dictam, & ſæpius Juriſconſultos de juris rigore deducentem, & quoniam benignitatum non parcus diſpenſator contra ſubtiles juris argutias eſſe ſoleo.

CAPUT V.

Oſtenditur etiam liquidò prodigo bonis non interdici, antequam prætor id pronunciet, & declaratur l. & mulieri, decima quinta, D. de curato. furios.

VETUS & magna inter juris interpretes eſt velitatio, oum palam, &, ut ipſi garriunt, notorie prodigo, neceſſe ſit à prætore bonis interdici, & num, ante id interdictum, ab eo geſta ſint rata futura. Nam accurſ. 10 *l. is cui. D. de teſtam.* hac in ſpecie nullam interdictionem deſiderari auctor eſt, ac pro eo ſteterunt Imol. & Cuman. inibi, Feder. de Sen. *conſ.* 31. *minor.* 25. *annis.* Jac. de Raven. in *l. ſi quis cum ſciret. D. pro emp.* Bal. qui ſellis duabus ſæpe ſedet, *conſ.* 287. *lib.* 5. & *conſil.* 391. *proponitur, ejuſdem lib.* & ante *lib.* 2. *conſ.* 259. *quæritur utrum juramentum.* Fab. 10 §. *furioſ. inſtit. de curat.* Alex. in *l. is cui bonis. D. de verb. obl.* & tandem id communi doctorum calculo ſancitum teſtatur Ant. Nicell. 10 *gloſſarum* 7. *concordia.* verum enimvero in contrariam ſeotentiam adhæſeruot idem Accur. caotata palinodia, & Bar. conſtanter, Bal. incooſtanter, Pau. Caſtr. cordate, & ingenii ſequioris, Ang. & Rom. quos cum aliis late cient, hanc ſententiam receptam aientes Arret. Alex. & Jaſ. *num.* 9. *num.* 4. *in l. is cui bonis D. de verborum obligatio.* Aufrer. in *addit. ad deciſ. Capel.* q. 362. & Boer. in *Conſuet. Bitur.* §. 8. *in fine*, quapropter non erit abs re, ſi tantam interpretum turbam componentes, dandam ſententiam ſecundum poſteriorem partem oſtenderimus, quæ & nullo juſto argumento impetitur, & vel eo ſolo affatim confirmatur, quod ex *l.* 1. *D. de curat. fur.* & Paul. *lib.* 3. *Recept. capit.* 4. §. *moribus*, elicitur, ait Ulpianus: in *l.* 1. *lege duodecim tabularum prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio, quod moribus quidem ab initio introductum eſt. Sed ſolent hodie prætores, vel præſides, ſi talem hominem invenerint*, &c. *curatorem ei dare.* Nec enim ullo modo probari debet Hottomani interpolatio in *Obſervat.* ait Paul. *moribus per prætorem interdicitur hoc modo: quando tua bona paterna, avitaque, nequitia tua diſperdis, liberosque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re, commercioque interdico.* Ex qua interdicendi forma, perquam facile verior poſterior ſeotentia, cuivis poſthac videbitur. Adde inique ſummæ fraudis rete alias hominibus tendi, & perpetuo pullulaturam de conditione hominum litium ſementem fieri. Sed & illa Pauli auctoritas, & interdicendi forma male intelligentium *l. & mulieri.* 15. *D. de cur. fur.* errorem confutat, atque aperte oſtendit, *luxurioſe vivere* non eſſe in illa lege *turpiter vivere*, ut oon pauci blaterarunt, diligenter à doctore meo ætatis hujus oroamento Ario. Pinel. *de Bon. Mate.* in ordinem redacti, & ſumma incuria probati Stephano Bodæo in §. *furioſ. Inſtit. de cur.* & cæteroquin eruditis Bal. ad. l. 12. & Jacob. Cujacio *d. tit.* 4. §. *mulieri*: ſed verbia his ſignificari, frugi non eſſe, & oepotari. Cui rei tametſi etiam inde fides fiat, quod fœminæ Veneri addictæ, ooo rerum, ſed blandarum illecebrarum prodigæ ſint. Quin imo à Terentio in *Eunucho* dicatur Thaïs *fundi calamitas* quod quæ dominos capere oportet, illa intercipiat, & *ignis*, quod aliorum opes appetat, ac voret, à Plauto id genus mulierum conferatur hirudinibus, ac portis portitorum: & à Salomone cenſeatur illicium verborum fons, vitæ, honorum, facultatumque juvenilium vorago, *Proverb.* 2. *ad fin. c.* 5. & 6. *à med. cap.* 7. & 9. *ad fin.* & 23. *poſt med.* & 31. & *Eccleſ.* 7. *ad fin.* & Cloëm. ea arte opibus partis, numerum Deorum cæcis Romanis auxiſſe, memoriæ proditum ſit, & mulierum genus omne avaritiæ accuſari, nec ignoremus, nec merito non fieri poſſimus ire inficias: tamen illud firmius eſt argumentum, nunquam ferme à claſſicis, aſſiduisque auctoribus luxuriam aliter, quam pro bonorum profuſione uſurpari, ut a Cicer. latini auri magnete, *pro Sex. Rob.* inquieote: *in Urbe luxuries creatur, ex luxuria avaritia, ex avaritia erumpit audacia.* Ex pro Muren. *Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam munificentiam amat.* & Prima Antoniana; *multa & lauta ſupellex, non illa quidem luxurioſi hominis, ſed tamen abundantis.* Sic etiam Tibullus elegantiſſimus poëta *libro ſecundo.*

Eheu divitibus video gaudere puellas:
Jam veniant prædæ, ſi Venus optat opes.
Ut mea luxuria Nemeſis fluat, utque per urbem
Incedat donis conſpicienda meis.

Propert. nec minus elegans, nec minus in dictiooe caſtus ac purus, *libro primo*, deteſtans fucos, & præſtigias ornamentorum amicæ.

Hic tu ſemper eris noſtræ gratiſſima vitæ,
Tædia dum miſeræ ſint tibi luxuriæ,

& *libro* 3.

Quæritis unde avidis nox ſit pretioſa puellis,
Et Venere exhauſtæ damna querantur opes.
Certe equidem tantis cauſa eſt manifeſta ruinis.
Luxuriæ nimium libera facta via eſt.

Ovid. quam garrulus, tam in loquendo proprius, cum in aliis pleriſque locis, tum *ult. de Faſt.*

Pinguia cur illis guſtentur larda calendis,
Miſtaque cum calido ſit faba farre, rogas?
Priſca Dea eſt, aliturque cibis, quibus ante ſolebat,
Nec petit adſcitas luxurioſa dapes.

Juven. nec dicendo, oec moribus inutilis auctor *Sat.* 1.

Nam de tot pulchris, & latis orbibus, & tam
Antiquis, una comedunt patrimonia menſa.
Nullus jam paraſitus erit, ſed quis feret iſtas
Luxuriæ ſordes. &c.

& *Saty.* 6.

Præſtabat caſtas humilis fortuna latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva ſinebat
Tecta labor, ſomnique breves, & vellere Thuſco
Vexatæ, duræque manus, ac proximus Urbi
Annibal, & ſtantes Collina in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala: ſævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciſcitur orbem.

& *Sat.* 11.

Refert ergo, quis hæc eadem paret: in Rutilo nam
Luxuria eſt, in Ventidio laudabile nomen
Sumit, & à cenſu famam trahit. &c.

Verum enim vero, his rebus miſſis, ſolum hac in re Paulo J. C. certiſſimo, & religioſiſſimo teſte contentus ſum. Cum oec perfrictæ frontis homines dicere auſuros credam, *nequitiam* pro libidine venerea capi, quaodo gravis, & ſpectatus auctor Gellius doceat, *libro ſeptimo cap.* 11. ſemper nequam, & nequitiam id vitium exprobrare, quo aſoti, nepotes, & decoctores ſunt infecti, & clare illud idem probet Cicero, his paucis locis, nec enim omnes, quos poſſum, adducam. *Tuſc.* 3. *frugalitas à fruge, qua nihil melius è terra oritur, nequitia ab eo, quod nequicquam eſt in tali homine, ex quo idem nequam dicitur.* Pro Cluent. *perdita nequitia, & egeſtate vir.* Prima Catalinar. *Sed jam me ipſum inertiæ, nequitiæque condemno.* & rurſus: *non eſt vehementius ſeveritatis, ac fortitudinis invidia, quam inertiæ, ac nequitiæ pertimeſcenda.* & lib. 2. de Orat. *iiſdem verbis, & laudare frugi ſervum poſſumus, & ſi eſt nequam jocari*, & demum ad *Attic. Cum accuſator homines nequiſſimos rejiceret, reus frugaliſſimum quemque ſecerneret.* Itaque non amplius hac in re hærendum

ſendum exiſtimo: & ſolum illud addo, his nequam hominibus, olim quamdam, apud bonos viros, infamiæ maculam inuſtam videri, tum ex Spart. in *Adrian.* tum ex Cic. multis in locis, ac potiſſimum. 2. *de Orat.* ubi Craſſum Bruti filio id vitii exprobraſſe narrat, tum ex Senec. *lib.* 5. *Epiſt.* 36. & ex Cenſoriarum notarum cognitione.

CAPUT VI.

Confirmantur duo παράδοξα circa locationem, & uſumfructum, Harmenopuli auctoritate.

REjecit duos vulgi interpretum juris errores Arius Pinelus, homo me hercle mirifice, & ad tractandum, & ad docendum jus, natus. Ejus παράδοξα lubet hic confirmare, unius Harmenopuli auctoritate, quæ quanti ſit facienda, præſertim ſi à βασιλικῶν libris emanarit, nemo doctus ignorat. Primum eſt de locatione in *commentariis ad l. ſecundam. C. de reſc. vend.* ſcriptum, nempe locationis mercedem in quavis re, præter pecuniam, recte, ac rite poſſe conſtitui. Ea de re ſic Conſtantinus, *lib.* 2. *tit.* 8. μίσθωσις δέ ἐστι καὶ τὸ τὸν ἴδιον οἶκον ἢ ἀγρὸν ἐπὶ πάλιν πρὸς τὸν δοῦναι ... καὶ τοῦτο τρόπον τινὰ τοῖς πρατ... ἐπὶ μισθῷ. τὸ δὲ πάντως δῆλον συμφωνίας καὶ τὸ ἀπὸ συμφωνίας παρά τινος ... πρὸς ἄλλο τινὰ καταβάλλεσθαι. Alterum eſt de uſufructu, quem non poſſe diſtrahi malo doctorum commento increbruerat, & ſecus eſſe ille *ad tertiam partem l.* 1. *C. de bonis mat.* eleganter, ac diligenter docuit. De qua re ita Conſtant. *lib.* 2. *tit.* 10. ὁ ἔχων χρῆσιν καρπῶν δύναται πωλεῖν αὐτὴν καὶ ἄνευ τοῦ δεσπότου καὶ τῶν κληρονόμων αὐτοῦ. Quæ ſententia quamvis in excuſis libris non legatur, attamen in omnibus manuſcriptis exemplaribus habetur.

CAPUT VII.

Declaratur titulus *de jurejurando.*

FAmigeratus eſt tractatus de jurejurando, & cum utilitate ſatis commemorabilis, tum uſu ipſo impenſe dignus, qui è latebris, ac tenebris doctorum aliquando in lucem prodeat, quod facile fiet ut exiſtimo, ſi quid Prætor in illo propoſuerit, quo mentem, propoſitumque ſuum rexerit, expoſuerimus. Prætor igitur juriſjurandi utilitatem perpendens, & litium finem eſſe aliquem poſſe ob illud recte conjiciens, de jurejurando edictum propoſuit, in quo de triplici jurejurando agebatur, voluntario, neceſſario, ac judiciali. Quæ de illis inter interpretes ſit rixa, ac diſſenſio, non referam. Sed quid ipſe putem, in medium paucis dabo. Voluntarium ergo jusjurandum Prætor intellexit, quod ex conventione daretur, non quod in inſtrumentis apponeretur, ſed extra judicium à parte parti oblatum, uti & hodie vulgo fit, præſtaretur, atque ideo tranſactionis, ſolutionis, ſeu ſatisfactionis loco ponitur, & eorum numero habetur, quæ novationem inducunt, nec in eo aut jurandi, aut referendi ulla omnino neceſſitas verſatur, ex quo actionem, & exceptionem daturum ſe Prætor pollicetur, magnum inde ſopiendarum litium compendium conſiderans: cum illud exactum probationibus omnibus aditum præcludat, tantumque an ſit juratum, quæratur. Quamobrem actio in eam formam & petebatur, & dabatur, *ſi apparet Lucium Titium ex voluntate Sempronii juraſſe ſibi centum deberi, judex condemna.* De hoc agitur uſque ad *l.* 34. §. *ait prætor.* Nec omittam inepte illos cornicari, qui jusjurandum hoc ad id referunt, quod in judicio poſt propoſitam actionem defertur. Quorum ſomnia cum Prætoris, ac Juriſconſultorum verbis, ubique aperto marte incurſant, tum Prætorem ſtultitiæ arguunt, ex jurejurando actionem promittentem, cum longe melior ex re judicata ſtatim ſubſecutura alia competeret, & rurſum actionem negantem, cum jam amplius actione opus non foret, quippe quæ jam intentata, & jam finita eſſet. Sed & vanitatis, ac mendacii illos accuſant, quod ex conventione hoc jusjurandum oriri, & tranſactionis, novationis, ac ſatisfactionis loco ponant, cum potius ex neceſſitate, aut jurandi, aut ſolvendi, aut referendi naſcatur. Denique ſecunda edicti pars non quadraret, prius enim proponi, & ſola debebat. Itaque venit in mentem illorum Ariſt. ἀπείροντα τῶν κατὰ τὸν βίον ... ἀκρατεῖς τῆς παιδείας εἶναι: quales pleroſque omnes juris interpretes eſſe novimus. Secunda pars edicti erat de jurejurando neceſſario, de quo à §. *ait præt.* & hoc deferebatur, ac referebatur in judicio: & in ejus delationem, & relationem, forma actionis ab initio concipiebatur, *aut juret, referatve, ſolvatve,* nec alii rei erat uſui, quam ut probationum loco fungeretur, nec enim actionem gignebat, aut exceptionem: quippe cum ſuperfluum id, res judicata ſtatim ſecutura oſtendat, nec hoc juramentum conventionis, vel judicii inſtar interveniat. Tertia pars eſt de judiciali ſacramento, de quo in *l. admonendi:* & hoc ab ipſo judice, cum sea ei non liquet, alterutri parti defertur, nec illud ab alterutro reorum, aut peti, aut deferri poteſt, quoniam jam præſcripta actionis formula erat. Nec item inde ulla actio, ulla exceptio emergit, ob eaſdem rationes, quibus in neceſſario jurejurando uſi ſumus. Itaque in iis duabus poſtremis partibus, Prætoris inventum, & auctoritas tota in eo eſt, ut & actionem ita concipiat, ut quis jurare, aut ſolvere cogatur, & judici facultatem tribuat, cum res non liquet, extra formulam jusjurandum exigere, at in prima edicti parte ob jusjurandum voluntarium, actionem nullo civili jure ſpectandam, & exceptionem præter jus ipſum pollicetur, ac præſtat. Ex quibus, niſi fallor, tota de jurejurando tractatus perſpicuum lumen accipiet, in quo, *liquido jurare*, eſt revera, & vero jurare, opponiturque verbo *pejerare. Controverſiam oriri de conceptione juris jurandi, & eſſe in judicantis arbitrio*, eſt nihil aliud, quam, cum exceptio petita actionis formulæ, ex voluntario ſacramento profectæ addita eſt, *niſi ſi aliter, quam petitum, jusjurandum ſit*, aut, *niſi ſi illicitum jusjurandum ſit juratum*; tunc etenim de ſola juriſjurandi forma judex & cognoſcit, & judicat. Porro quod *in iſto tit.* dicitur ſervum in dominum creare actionem, atque exceptionem, id *legi de peculio* non adverſatur. Nam illic ideo actio *de peculio* contra dominum negatur, quoniam Prætoris verba ita fuerunt concepta, ut tunc demum de peculio naſceretur actio, cum res in peculium eſſet verſa: at ex jurejurando nihil rei dominicæ acceſſit, verum oritur actio de jurejurando, quod id expreſſim cautum ſit. Oritur autem fini peculii: quod vero legimus in *l. quanto magis: cum etiam cum filiofamil. judicium conſiſtat*, ſic debet exaudiri, hoc eſt, cum tametſi nullum ſit peculium, Prætor judicium in filium ipſum ſit daturus, quod nec in dominum, nec in patrem, nec in ſervum ipſium dabit, nec ſententiæ *l. quidam* repugnat *l. quoties D. ſi quis caut.* quoniam agit generaliter: nec *l. non diſtinguemus.* §. *ſi ſervus D. de recept. & qui arbitr. recep.* nam ſecte negat de peculio actionem non competituram: quippe quæ, ut antea diximus, ſolum cum auctæ ſunt domini fortunæ, procedat. Nec ſunt audiendi, qui veteres hiſtorias, à Juſtiniano *fabulas* vocitatas, & juris monumentis inſerſeri vetitas, tantum recenſeri in lege *quidam*, non & probari argutantur, quoniam idem de filiofamil. quod de ſervo aſſerendum eſſet: voluntarii autem juriſjurandi exemplis pleni ſunt ubique bonarum litterarum auctores, & uſus quotidianus, cum dicimus, *jura per Deum, ita ſe rem habere,* aut *mihi ea non deberi, quæ poſco*: & ſimilia.

tinne ab eo, quod commune placitum affirmat, deficiens *de dotibus cap. 3. num. 19.* & Coverruv. *de ſponſ. ſecunda parte. c. 3. §. 8. numer. 5. & 6.* & nuper eruditus vir Jacobus Cujac. Theodori Balſamonis patriarchæ ſententia hoc idem confirmaſſet. Tametſi enim magis rationis nervis, & aculeis, & Juriſconſultorum auctoritatibus inniti lætor, ac propemodum geſtio, & non levem, qua nauſeam, qua laborem, in interpretum percurrendis, excutiendis, & commemorandis ſcriptis moleſte fero: tamen quoniam hodieque jus eſt adeo controverſum, ut nihil ferme non probabiliter, pro utraque parte diſceptari queat, & judicia ubique gentium ita ſunt conſtituta, ut qui contra receptas interpretum ſententias, quas aliquando meras nænias verius dixeris, agat, non ſolum cauſam perdat, ſed & graviter de fama, ac fortunis periclitetur: ac ſi variam ab illis docendi, ſcribendive methodum inſtituat, verendum ſit ne, & tardas diſcipulorum querelas incurrat, & magis blattis, tineiſque ſcripſiſſe videatur, quam in eum finem, in quem jus compoſitum eſt, & illum ſuum nomen profeſſioque vocat. Denique quoniam in omnibus cauſis, ut inquit, Cic. auctoritatibus uti, & debet, & ſolet valere plurimum, ac ſi verum viatoribus iter monſtres, idemque tritum ſit, major illis ſecuritas ingeneratur, & facilius fit fides, non rara commentatorum juris, quorum ſcripta volens nolens, certe tempori parens, diligenter perluſtravi, teſtimonia ſubinde opportune advocabo. Sed, ut ad inſtitutum redeam, illud oppido fuit hinc inde diſputatum: utrum nempe filio, uxorem ignominioſam ducenti, jus diverſum diceretur. Nam tunc illum poſſe exhæredari, aſſeveravit Bal. in *l. ſi pater. C. de ſponſ. & in l. ne filium C. de nupt.* & Franciſc. Rip. in *l. 1. col. 13. D. ſoluto matrimonio*, & quos citat Conſtan. ubi ſupra, & bene meritus de Jure Franciſc. Duaren. *in tract. ſoluto Matrimonio, cap. 2.* & ſummo jure ejus loco ſuffectus diligens, atque eruditus hoſpes meus Jacob. Cujac. *lib. 3. Obſervat. cap. 5.* quibus unicum eſt argumentum *§. ſi Emancipatus, l. tertiæ D. de bono. poſſeſſ. con. tabulas*, quo vel ſolo, in alia omnia eundum eſſe ſtatim liquido oſtendam, ubi diverſæ ſententiæ auctores retulero. Prioris igitur contrarium aſſeruit Accurſius, in *dicto §. ſi emancipatus*, à quo ſteterunt Barto. & cæteri in eodem loco, Philip. Deci. *in l. nuptias, nu. 12. D. de Regu. Juris.* Joan. Lup. in *repet. cap. per veſtras § 20. nut. 3. nu. 14. de Donation. inter virum & uxorem*, & plures ciens accurate Didac. à Covarruv. ubi ſupra. Argumentum in ea opinione graviſſimum & certiſſimum illud eſt, ait Juſtinia. in *Novell. ut cum de appell. cognoſc. §. aliud quoque capitulum*: (*aliud quoque capitulum*, &c. Subjungit, *ſed quia cauſas, ex quibus ingrati liberi debeant judicari, in diverſis legibus diſperſas, & non aperte declaratas invenimus: quarum aliquæ nec dignæ nobis, ad ingratitudinem viſæ ſunt, aliæ vero cum eſſent dignæ, prætermiſſæ ſunt: ideo neceſſarium eſſe perſpeximus eas nominatim, præſenti lege comprehendere, ut præter ipſas, nulli liceat ex alia lege ingratitudinis cauſas opponere, niſi quæ in hujus conſtitutionis ſerie continentur.*) Ex hoc loco, ſic opinor, hamentata fabreſiet haſta, & torquebitur: omnes exhæredandi cauſæ legibus, antiquis traditæ diſerte præter infra ſcriptas abrogatæ ſunt, matrimonii inhoneſti abſque parentum conſenſu contractio, illa antiqua lege, juſta exhæredandi cauſa habebatur, & infra ſcripta non eſt, ergo abrogata eſt.

CAPUT X.

Explicatur Martianus in l. milites 13. §. irreverens D. de re milita.

NOn erit abs re elegantem Martiani ſententiam ab offuſis ab Accurſ. tenebris vindicare: ait ille in *l. milites, 13. §. irreverens. D. de re militari. Irreverens miles non tantum à Tribuno, vel Centurione, ſed etiam à principe coërcendus eſt. Nam eum qui Centurioni caſtigare ſe volenti reſtiterit, veteres notaverunt. Si vitem tenuit, militiam mutat, ſi ex induſtria fregit, vel manum Centurioni intulit, capite punitur. Vitem* interpretatur Accurſius, cum ſuis popularibus, *fuſtem*, ſeu *flagellum*: cum Martianus ad antiquum Romanæ militiæ ritum reſpexerit, quo inſigne Centurionum *vitis* erat, & veteres illi tam gravem pœnam non ob flagellum, ſed ob honorario inſigne comminutum indicendam cenſuerint. Quod autem inſigne Centurionum *vitis* fuerit, ut hodie, apud Hiſpanos, ex qualibet ferme materia, expolita virga aliquibus magiſtratibus inſigne eſt, ex ſequentibus eluceſcet auctoribus. Luc. *lib. 6.*

Scæva viro nomen: caſtrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes ibi ſanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.

Silius Italicus non tam ineptus poëta, quam qui eum damnant, *lib. 6.*

Lætinus ab alto
Priverno, vitis Latiæ præſignis honore.

Ex *lib. 12.* de Ennio loquens:

Latiæque ſuperbum
Vitis adornabat dextram decus.

Et *eod. lib.* de Centenio ait.

Sed parvum decus Annibali, nam vitis honore,
Perfunctus Latiæ, ſubito ſtimularat agreſtes.

Juvenalis *Saty. 14.*

Scribe puer, vigila, cauſas age, perlege rubras
Majorum leges, aut vitem poſce libello.

CAPUT XI.

Declaratur quæ ſit poſſeſſio ad uſucapiendum neceſſaria, quæque dicatur civilis poſſeſſio.

PLeraque omnia ſunt in jure Romano, quæ rationis naturalis præceptis, & æquo, ac bono affinia, uſu ipſo comprobantur, multa, quæ à natura diſcrepent, & æquo, bonoque non facile conſentanea affirmes, in quibus mera, & juris, & Juriſconſultorum ſubtilitas elucet, & auctoritas ſæpe uſu non veteri reſpuitur, quorum exempla facile in magnam ſtruem cumularem, ſi hoc agerem: verum id docet Ulpian. *in l. proſpexit 12. D. qui & à quib.* multa rurſus in quibus jus juſtitiæ, & rationi ſuccumbat, quorum unicum eſto exemplum ex *l. bona D. depoſiti, & l. placuit. C. de judic.* multa rurſum quæ rei favor, & gratia de qua agebatur, & hominum utilitas, contra ſcripti juris regulas, extorſit. Horum, quocunque te vertes, numeroſa teſtimonia convenies, pauca, quæ à juris ratione profecta, & æquo, & bono non adverſa, vix obtinere poſſint, ut illud Caii *in l. adeo 7. D. de acquiren. rerum dominio*, pauciora quæ jure, & juſtitiæ conſentanea fori jure improbentur. Extat tamen illud Jovuleni in *l. 39. §. ſi Stichum, D. de ſtatulib.* nulla quæ pedibus, & capite carere arguas. At hæc in interpretibus jus, cui lumen volebant afferre, ſæpe non tenentibus, atque ideo ſæpe delirantibus, multa offendes. Illud nunc exemplo eſto. Sanctum juris eſt decretum, ſine poſſeſſione, non procedere uſucapionem. Hoc ita illi declarare niſi ſunt, ut niſi eorum vanitas, aut, ne dolo dicam, male affectorum ſomnia uſu, juris acerrimo cenſore, atque exploratore, ut habet Livius, exploſa forent, proculdubio rerum dominia incerta futura eſſent, & de uſucapionibus, ac præſcriptionibus magna diligentia, & non minori utilitate, elucubratum, tractatum perdidiſſemus. Aiunt illi, id de civili poſſeſſione intelligendum,

quæ, quà animo retineri poſſit, quouſque amiſſam eſſe non conſtiterit, non progreditur uſucapio. Hæc Accurſii fuit ſententia in *l. 1. C. de ſerv. fugit.* quam notatu dignam cenſet ibi Bar. *nu.* 9. Bal. *nu.* 22. Sali. *nu.* 21. Fulg. *nu.* 17. & Jaſon *col. ult.* Panor. in *cap. vigilanti nu.* 4. *de præſcrip.* Alex. *in l. tertia* §. *ex contrario, nu.* 40 *D. de acquirend. poſſeſſio.* Jaſ. in *l.* 1. *nume.* 49. Rip. *ad finem. D. illo titul. de acquirend. poſſeſſio.* Anton. Gomez in *l.* 45. *Tauri, nume.* 105. Covarruv. in *cap. poſſeſſor. ſecunda parte.* §. *primo, numer.* 3. Grego. Lupus in *quinta partida folio* 70. *colum.* 3. qua re, uti dixi, facile excluditur uſucapionis exceptio. Agens enim dominii antiqui jure, facile propulſabit uſucapionem. & rei certum, atque unicum præſidium, parvo negotio profligabit, nam opponet ſe memoriam retinuiſſe, & animum poſſidendi: ac proinde uſucapioni nullum locum reliquiſſe; quod è veſtigio probabit, adjutus alia, nec minus celebri, nec minus catholica interpretum ſententia, quæ fidem haberi iis jubet, qui ſe animum poſſidendi non depoſuiſſe affirmant, ut conſtat de Balbo in *l. Celſus nu.* 79. *& nu.* 83. *D. de uſuca.* & ad praxim id commendante nihil minus, quam *pragmatico* Æmil. Ferr. in *l.* 1. §. *per ſervum qui in fuga nu.* 9. *D. de acquiren. poſſ.* Renat. in 3. *Tomo ad ll. Gallicas, pag.* 227. *nu.* 20. *&* 59. ſed tam grave, & pernicioſum delirium, quatuor tantum argumentis peſſumdabo, quorum primum, & potiſſimum in doctoris mei Arii Pinelli, id ineptum, falſum, abſurdum, merito fori uſu damnatum, conſcutis auctoritate poſitum eſt. Secundum in eo vertitur, quod nos non docere, ſed ludos facere Juriſconſulti, Imperatores, & Pontifices videri deberent: qui in tam latis, atque adeo prolixis uſucapionum commentariis, de re adeo neceſſaria, nullum verbum feciſſent. Tertium erit ex *l. clavibus cum ſimilib. D. de contrah. emt. collectione:* ex iis cauſis, quibus dominium à domino comparamus, à non domino uſucapiendi jus acquirimus, ex emtione, ſimilive cauſa dominium à domino naneiſcimur, ergo ex eadem cauſa, a non domino uſucapiendi jus adipiſcemur. Quartum, & poſtremum, mitto tempus præfinitum, & jure ſtatum, ſic incertum, & infinitum reddi, quartum, inquam, & poſtremum ex poſſeſſionis, & civilis poſſeſſionis explicatione ſumitur, quæ ſane, & majores illos ſemi-juriſconſultos, & pleroſque ætatis noſtræ Rhethoricoteros, eadem licentia jus tractantes, vel dicam polluentes, quà bonos quoſque auctores fugiſſe videtur. Poſſeſſio igitur, proprie appellata poſſeſſio, & poſſeſſio civilis de qua in *l.* 3. §. *ultimo. D. ad exhibend.* & in *l. ſi cum qui* 19. *D. de donat. inter vir. & uxorem*, & in *l.* 1. §. *dejicitur*, & per totum titu. *D. de vi & vi ar.* & in aliis innumeris locis, quos ob faſtidium non appello, nihil aliud eſt, quam uſus veri domini, aut ejus, qui ſe verum dominum credit: quæ poſſeſſio, vel civilis poſſeſſio, ad differentiam impropriæ, & naturalis poſſeſſionis, eo juſta, vel injuſta cenſetur, quod juſtam, vel injuſtam cauſam exiſtimandi ſe dominum, & animo dominantis rem detinendi poſſeſſor habeat. Hoc Caius aperte docet in *l. acquiritur* §. *ulti. D. de acquir. rerum dominio. Bonæ fidei poſſeſſor*, inquit, *cum uſu ceperit ſervum, quia dominus eo modo fit, ex omnibus cauſis per eum ſibi acquirere poteſt. Uſufructuarius vero uſucapere ſervum non poteſt, primum quidem quia non poſſidet, ſed habet jus utendi fruendi, deinde quoniam ſcit ſervum alienum eſſe. Sic animum poſſidendi ſibi non habet, ſed utendi tantum, & quidem re aliena.* idem docent aperte Valent. & Valer. in *l.* 2. *C. de Præſcript.* 30. vel 40. Eos, aiunt, *poſſeſſores non convenit appellari, qui ita tenent, ut ob hoc ipſum, ſolitam debeant præſtare mercedem.* Hoc docent tituli omnes, & tractatus de bonorum poſſeſſionibus, ex eo verbum poſſeſſionis præferentes: quia Prætores, nec hæredem, nec dominum, qui hæres antiquitus appellabatur, faciendi jus habentes, uſum bonorum illorum, & naturale dominium, quo res in bonis noſtris eſſe dicuntur, præſtarent. Qui quidem uſus, & naturale dominium, *poſſeſſio* appellatur, & à domino quæſito, ex jure Quiritum differt; ut docuit Theoph. in §. *& dedititios Inſtit. de libertinis*, qui ita quoque quæ poſſeſſio eſſet, & quæ civilis poſſeſſio vocaretur, aperte, & diſerte explicavit *Inſtit. lib.* 2. *tit.* 9. §. *idem placet*, & *lib.* 3. *titulo ult.* §. *item per acceptilationem*, ut magis dolendum ſit, noſtri juris ſatrapas, à græculo homine, juris intelligentia ſuperari, quam in re perſpicua immorandum. Ejus hæc ſunt verba in §. *idem placet: Sed nec is, qui uſumfructum habet, uſucapere unquam poteſt: primum, quia non poſſidet. Porro uſucapio, ſine poſſeſſione, non procedit. Eſt autem poſſeſſio animo dominantis poſſidere*, aut in §. *item per acceptilationem. Eſt autem differentia inter tenere, & poſſidere, caput talis: tenere enim, eſt naturaliter detinere, poſſidere vero, animo domini tenere.* Porro quem animo domini rem tuam poſſe detinere, cujus tu nec dominium, nec domini voluntatem miſſam feceris, nemini, aut dubium, aut incertum futurum credo.

CAPUT XII.

Traditur vera ratio, cur prodigus teſtari nequeat.

Juſtinianus in §. *item prodigus*, *Inſtit. quibus non eſt permiſſ.* prodigo teſtandi jus eſſe negat. Rationem interpretes eam eſſe aiunt, quod quaſi à mente abalienatus ſit. Quorum ſententiam non parum juvat multa, aliorum juris locorum, prodigi, cum furioſo comparatio: & Martianus in *l.* 2. *D. de inoff teſta.* atque adeo tota illius centumviralis judicii ratio. Nam ſi illic ideo teſtamentum rumpebatur, quod velut a demente fuiſſet conditum, & ejus quaſi furoris hoc unum caput erat, hominem, neglectu pietatis officio, extraneos, alteriuſque gentis homines, ſuis liberis prætuliſſe, multo majus furoris argumentum eſſe poterit, non liberos, ſed ſe ipſum non morientem, ſed vivum, ac valentem, inepte aliis quibuſvis poſtpoſuiſſe, atque adeo, ut ait Ariſt. de iis hominibus agens, ſe, vitamque ſuam diſperdidiſſe, cum ſuarum opum calamitas, ſui non levis ſit interitus, unde illud: *viſcera noſtra tuæ dilacerantur opes.* Sed nihilo ſecius merito hæc ratio diſplicuit præclaro Connano. Etenim ex ea neceſſario ſequitur, & teſtamentum, ante Prætoris interdictionem factum, contra quam doceat Juſtinianus, irritum iri; quocirca putat ille veriorem rationem eſſe, nempe id eo nomine prohibitum eſſe, ut filiis conſulatur. Cujus quidem opinionem non mediocriter probare videtur, interdicendi formula, à nobis alibi *ſupra* ex Paulo repetita. Verum enimvero nec ea ratio mihi arridet; quoniam in idem cum præcedenti abſurdum omnino labatur, & alia juris via ſat in ſalva, liberorum legitima portio, futura ſit, ac de aliis ab inteſtato hæredibus parum jus ſatagat. Quare vero propior, potior, atque antiquior mihi ratio videtur? quia lex illa, quæ prodigis commercio omni interdixerat, *emtionis*, & *venditionis* verbo, omnem alienationem, etiam teſtamento accepto ferendam, amplecteretur *l. ſtatuliberi.* 29. §. *Quintus Mutius D. de ſtatulib.*

CAPUT XIII.

Exponitur §. ſi nummos, l. certi condictio, D. ſi certum petatur.

Ulpianus in *l. certi condictio.* §. *ſi nummos. D. ſi certum petatur*, magnum juris interpretibus huc uſque negotium faceſſivit, in quo ille: *Si nummos meos tuo nomine dedero, velut tuos, abſente, & ignorante te, Ariſto ſcribit acquiri tibi condictionem. Julianus quoque de hoc interrogatus lib.* 10. *ſcribit veram eſſe Ariſtonis ſententiam: nec dubitari, quia ſi meam pecuniam tuo nomine voluntate tua dedero, tibi acquiratur obligatio, cum quotidie credituri mutuam pecuniam ab alio poſcamus, ut noſtro nomine creditor numeret futuro debitori noſtro.* Totum autem negotium eſt, quod Ulpianus in principio auctor eſſe videatur, alteri per alterum ex mutuo actionem, etiamſi nullum præcedar

Digitized by Google

dat mandatum, poſſe acquiri, quod omnes juris interpretes, variis ſui ipſorum ingeniorum acuminibus puncti, & ab Ulpiano dici pro certo habent, & varias ac certiſſimas juris regulas offendere, & violare confitentur. Eſt tamen & altera non minor difficultas, quod nempe temere Juliani reſponſum Ulpianus advocaſſe, & inepte accommodaſſe videatur, cum Julianus de ea ſpecie verba fecerit, in qua mandatum præceſſiſſe intelligatur. Denique parum abeſt, quin Ulpianum juris inſcitiæ, & ineptiarum arceſſant: qua propter quam vere, & acute textum hunc, præceptor meus Hector Rodericus, vir magni ingenio, & doctrina non vulgari, ſit olim interpretatus, non gravabor brevi referre, exiſtimavit Ulpianum tractaſſe eamdem ſpeciem, quam Ariſto, & Julianus tractaverunt: ut aperte ex illorum allegatione evincitur; nec verba in principio poſita *te abſente & ignorante*, quæ has Cimmerias tenebras offuderunt, quidquam refragantur: cum totum principium ita connectendum, & intelligendum ſit: *Si nummos meos tuo nomine dedero te abſente, & ignorante*: ut formam contractus neutiquam ſpectent, ſed tantum ad numerationis tempus referantur. Nec enim repugnat, imo uſu frequenter evenit, ut quis habeat mandatum, de mutua pecunia danda, & abſente, & ignorante eo, qui mandavit, ac rogavit, pecuniam illi, cui mandatum eſt, repræſentet, *l. ſi procuratori.* 13. cum ſimilibus, *D. de acquir. rer. domin.* ſecundum quem veriſſimum hercle, & clariſſimum ſenſum faceſſunt difficultates omnes: nec quæſtio inutilis, aut momenti parvi deciſa eſt, quoniam ſi, & te mandante, & te præſente, numeraretur pecunia, nulla quæſtio, nulla fictio foret, utrum mutuum nec ne contraheretur, cum neceſſe non ſit reapſe nummorum poſſeſſionem apprehendere, ſed oculis, & affectu, ut inquit Pau. J. C. in *l.* 1. *§. ſi juſſerim. D. de acquir. poſſeſſ.* & Javolenus in *l. ſi pecuniam* 79. *D. de ſolutio.* at ſi te abſente, quamvis mandatum anteceſſerit, numerem, utilitatis ſingularia præcepta in mutui cauſa, inducentis ratio ducenda eſt, quam in rem confert Ulpiani auctoritas, in *l. falſus* 44. *§. ſed etſi is D. de furt.*

CAPUT XIV.

Inſtitutionum loci aliquot non accurate ſcripti indicantur.

JUbet hîc aliquot Inſtitutionum Juſtiniani locos, miniatulam ceram deſiderantes, aut certe non accurate ſcriptos, adnotare: & cæteros cum locutionis, aut non propriæ, aut non latinæ, cum ſuperfluitatis, aut defectus, & cum anilis garrulitatis notis, in aliud tempus reſervare, primum locum obtineat, *§. fratris. lib.* 1. *tit.* 10. in ratione, *cujus enim*, &c quæ falſa prorſus videtur. Ejuſdem ſunt farinæ, *eod. lib. tit.* 19. *§. at qui patrono*, & *tit.* 11. *§. in plurimis autem cauſis. ver. & ideo.* & in *§. feminæ quoque* in ratione juncto *§. ſed hodie.* eodem quoque laborant morbo *eod. lib. tit.* 25. *§. idem reſcripſerunt.* ſecundum communem interpretationem, & *lib.* 2. *tit.* 5. *ſed etſi pecorum* ubi uſuarium nec lacte, nec lana, nec agnis uſurum dicit, cum illum illis rebus modice uti poſſe probet *l. plenum. §. ſed ſi pecoris D. de uſu, & habit.* & *tit.* 10. *in princ.* ubi præpoſteram vocabuli alluſionem tradit, & *tit.* 11. *§. ſed & ſi quis*, ver. *denique*, conſulto ibidem Viglio, & *tit.* 12. *§. itaque*, ubi ſcribit, ſi filiifamil. milites de caſtrenſi peculio teſtamentum non fecerint, nullis liberis, vel fratribus ſuperſtitibus, ad parentes peculium caſtrenſe redire, cum verius ſit, jure priſtino, veluti *poſtliminio*, exemta patria poteſtate, patrem bona illa occupare, & ipſis militis filii liberis, ac fratribus præferri, *l.* 2. *l. filiusfam. l. pen. de hereditate. §. pater peculii. D. de caſtren. pecul.* quinimo nec omnino filio, adhuc vivo, ac vidente, alienus ab illorum bonorum dominio cenſeatur, ſed ei, cui bonis eſt interdictum, quod ad illa bona attinet, acute à Martiano comparetur, in *l. ex caſtrenſi* 18. *D. de Caſtren. pecu.* quæ difficultas neutrubi interpretibus ſuboluit, ſic etiam notandus eſt *lib.* 2. *tit.* 18. *§. poſthumi.* ubi poſthumos jam ab exhæredatione tutos, de inofficioſo poſſe agere, ſi exhæredentur, ait, & *tit.* 23. *§. præterea in fin.* ubi legata in codicillis dari poſſe negat, cum antea fideicommiſſis exæquata dixerit, & eadem ratione notabitur *lib. eod. tit.* 24 *in prin.* ibi quamvis à legatario legari non poſſit, & *lib.* 3. *tit.* 5. *§. liberi quoque adjuncti*, *§. ſed hodie. lib.* 1. *tit.* 11. & in *cod. lib.* 3. *tit.* 8. *§. ſed hoc de his.* ubi falſo, & imperite *Largiano S. C.* Pii Imperatoris anno nono Lupo, & Meſſalino conſulibus facto, Trajani edictum ſupervenaſſe ait, & *eod. lib.* 3. *tit.* 21 *§. fidejuſſores*, verſ. *nam eorum*, cum rationem affert, cur fidejuſſores nec in duriorem, nec in latiorem cauſam, quam debitores obligare poſſint, quia, inquit, *eorum obligatio acceſſio eſt principalis obligationis, nec plus in acceſſione eſſe poteſt, quam in principali.* repugnat enim à ſe ipſo dictis, ne teſtes alios in id producam, *lib.* 2. *tit.* 1. *§. ſi tamen alienam purpuram.* Sed & negligentiæ dari poteſt, quod ſcribit *lib.* 4. *tit.* 1 *§. conceptum.* verſi. *ſed hæ.* ibi, *merito ex conſequentia*, cum conſequentia non uſquequaque, ut vel Accurſ. recte docet, certa ſit, & *eod. lib. tit.* 6. *§. ſic itaque.* ubi jam formulis actionum ſublatis, fruſtra negat dominum rei poſſe uti verbo *dare*. & *eod lib. tit. ult. §. item lex Julia. de adulteris*, ubi, inquit, *lege Julia* capitalem pœnam fuiſſe in adulteros ſtatutam, quod falſum eſſe conſtat, ex veteribus rei Romanæ ſcriptoribus, & ex *l.* 7. *§. miles. D. de iis qui notan infam. l. quicumque*, *D. de Re Milita. l. miles D. de adulter.* & *eod. tit. §. item lex Cornelia.* ubi auctor eſt ex *lege Cornelia*, mortis pœnam irrogari homicidis, contra quam res habeat, & Paulus Juriſconſult. docear in *l.* 3. *D. ad illam legem*, quod autem eruditi quidam taxant *lib.* 2. *tit.* 20. *§. poſthumo quoque* vertit, *ideoque* vitio prorſus caret, quoniam non illic Juſtinianus exemplum appoſuit, ſed quod à majori ex præſcripta definitione conſequeretur, oſtendit, & quod item vitio vertunt *lib.* 3. *tit.* 29. *§. communem*, recte ſcriptum eſt: nam Juſtinianus, ibi ad poſtremam Conſtitutionis ſuæ ſpeciem ſeſe refert, in qua deciditur, illa veterum quæſtio, cum ſervus ſimpliciter ab uno domino juſſus ſtipulari, alteri expreſſim ſtipulatus eſt, ut bene Theophilus propoſuit, non autem referendus eſt ad partem primam, in qua tractabatur, quid juris eſſet, quando ſervus juſſus ab uno dominorum ſtipulari ſuimet domini nomine, in alterius domini domum, præter herne edictum, illo nominando, & ſtipulationem, & ſtipulationis emolumentum derivare conatur.

CAPUT XV.

Theophili *Inſtitutionum Paraphraſtis errores aliquot deteguntur.*

NOn erit abs re, ut exiſtimo, ſi Juſtiniani noncarantium, Theophili ejus paraphraſtis allucinationes ſubſequantur, in quibus proponendis, Curtii verſionem ſequar, nec me, cum Linguæ Græcæ imperitorum faſtidio, Græce ſcientem oſtentabo. Primus error illius notandus eſt *libr.* 1. *tit.* 2. *§. jus autem civile*, ubi inquit, jure gentium furem pecunia puniri, quia læſerit in pecunia: quoniam vel è ſeipſo refellitur, *libr.* 4. *titulo* 12. *verſic. ſed & furti*; ubi prætoribus eam pœnam accepto fert, & *lege* 12 *tab.* capitis pœnam furibus infligi inquit. Quo in loco non injuria poteſt carpi mentio capitis facta, cum non ſemper, ab illa lege, fures malo capitali mactarentur. Sed & pleraſque omnes gentes, & nationes, in pœnis adverſum fures conſtituendis, diverſa ſanxiſſe, late prodiderunt Gellius, Petrus Crinitus, & Cœlius Rhodiginus, ex quibus non poſſe eam pœnam ad jus gentium referri, liquido patebit. Sunt quoque *cod. lib. tit* 6 *§. eadem lex verſic. & quid eſt contentus*, de conventibus

hyberno,

hyberno, & hyemali tempore ſolum habere ſolitis, prorſus delirantis ſcripta. Sed & *lib. eod. tit.* 10. §. *affinitatis quoque verſic. porro*, duas ducenti uxores capitale ſupplicium indictum inquiens, longe fallitur, quia qui binas contrahunt nuptias, tantum ſtupri pœnas luunt *l. eum qui duas*, *C. de adulter.* & illa, contra perſonas honeſtas, erat dimidiæ partis bonorum amiſſio, contra viles, & vulgares homines, verberatio, cum relegatione in quinquennium, §. 2. *Inſtitut. de public. judic.* labitur etiam *libro eod. titul.* 25. §. *ſed & propter.* ubi Juſtiniano, ex Reſcripto divorum fratrum inquiente, imparem oneri tutelæ, propter paupertatem, excuſari, ille imprudenter verbum, *imparem*, ad adverſam valetudinem retulit. Notandus quoque eſt *libro ſecundo tit.* 1. *in princip.* quod publica Romanorum civitati aſcribat contra *l. riparum D. de rerum diviſio*, ubi jure gentium illa publica dicuntur, & ad omnium nationum mortales accommodantur. Notandus in §. *ſanctæ quoque*, ejuſdem tituli, ubi muros, quia nos inſtar Deorum tuentur, & quia res magni pretii ſanctæ vocentur, ſanctos dici inepte. Notandus in §. *ſi tamen, eod. lib. & tit.* quod Juſtinianum non percipiens, adverſus ſucceſſores, in rem, dari condictionem furtivam, temere effuderit. Notandus *eodem libro tit.* 20. §. *ultimo.* duabus rationibus legatum illud, *hæres meus, ni tuam filiam Titio deſponderis*, *Titio centum dato*, non valuiſſe ſcribens, ac primam eſſe aiens, quia tale legatum in hæredis arbitrium conferatur, & conſequenter non valeat: cum ſine dubio jus permittat in hæredis voluntatem velatam legatum poni, *l. fideicommiſſa.* 11. §. *ſic fideicommiſſum D. de legatis libro* 3. *l. centeſimis* 46. §. *ult. D. de verb. obl.* cum copioſiſſimis utrobique interpretum gloſſematis. Sed & vanitatis notandus eſt, ſupra illo *eodem lib.* 2. *tit.* 34. jus civile, pro *lege* 12. *tabu.* interpretatus, nam ſi id verum eſſet, bonorum poſſeſſio poſthumis (*a*) alienis non daretur, ut conſtat ex Ulpiano in *l. non eſt ambigendum.* §. *ult. D. de bon. poſſ.* quare prohibitio eorum inſtituendorum, ex Juriſconſult. interpretatione, emanavit, quam proprie jus civile dici, multis, & difertis verbis docuit Pompon. in *l.* 2. *D. de origin. jur.* & ita ferme ſemper uſurpatur. Quamvis aliter uſus ſit Juſtinianus *Inſtit. lib.* 3. *tit.* 1. §. *emancipati autem*, & § *itaque*, & *tit.* 10. §. *aliquando tamen verſic.* & *remota* Porro notandus quoque eſt *lib.* 3. *tit.* 13. obligationes ab rebus abſtrahens contra Paulum. Juriſconſul. in *l.* 1. *de rerum diviſ.* & *libr.* 3. *tit.* 19. *de verb. obligat. in princ.* quod exiſtimet deducta in ſtipulationem ſumma, quæ in illa arca ſit, aut deductis frugibus, quæ in tuo horreo condantur, incertum ſtipulatione contineri. Contrarium enim didicimus de Ulpiano in *l. ubi autem* 76. §. *illud D. de Verb. Oblig.* Notandus *eod. lib. tit.* 19. *de inuti. ſtipulat.* quod verba Juſtiniani, *in iis rebus*, *quæ tibi acquiri poſſunt*, ad acquiſitiones, ea re parentum, falſo retulerit, cum referenda eſſent ad Pauli ſententiam, in *l. quod dicitur.* 130. *D. de verb. obl.* Notandus, *lib. eod. tit.* 20. *de obligat. ex conſenſu. ver. nec vero in iis tantum*, quatenus generaliter in pignore, depoſito, & commodato alterum alteri negat obligari, contra *l. in commodato D. commod.* notandus *eod. lib. tit.* 24. *de locato*: dum locationem, mercede numeratæ pecuniæ dumtaxat conſtare, auctor eſt, quid enim, ſi id delirium non eſt? ut eleganter, & evidenter docuit doctor meus Arius Pinelus, in *commentariis* ad *l.* 2. *C. de reſc. vend.* & nos *ſupra* probavimus. Sed & fruſtra ingenium oſtentat *lib. eod. tit.* 26. *de mandato* §. *mandantis*, in inveſtiganda utilitate creditoris debitorem ex fidejuſſoris mandato appellantis: quoniam liquido, ſine illius commentis, qua creditoris, qua fidejuſſoris utilitas in eo poſita eſt, quod creditor ſuum exigat, fidejuſſor interim reſpiret, & judicii moleſtias non ſubeat. Præterea clare cæcutit *eod. lib. titul.* 27. *de oblig. ex quaſi contract.* §. *ult.* ubi temere ſcribit, legatum hac formula relictum, *hæres meus damnas eſto dare*, *quæ in illa arca ſunt*, incertum eſſe, pugnat etenim cum Juriſconſult. perſpicue contrarium reſpondentibus in *l. talis ſcriptura.* 30. *in fin. prin. in l. plane.* 34. §. 1. *in l. ſi ſervus* 111. §. *quicunque D. de leg. lib.* 1, *in l. hæc venditio* §. 1. *in l. ſi quis fundus* 37. *D. de contr. emt.* Contrarium etiam docet vulgaris definitio, *l. certum D. ſi cer. pet. l.* 5. §. 1. *D. de Re Judic.* Porro nec vitio carent, quæ de præjudicialibus actionibus ſcribit *lib.* 4. *tit.* 6. §. *præjudiciales*, nec quæ *eod. lib.* 4. *tit.* 20. ubi verba, *pro tutela*, quæ Juſtinianus in initio *illius tit.* docet accipienda de agente, aut curatorio, aut tutorio nomine, ipſe inepte ad tutelam declinantem, & in alium transferre nitentem trajicit. Qua in re etiam ideo peccat, quod tunc potius ſuo nomine, & ſuam cauſam uterque agere ſit cenſendus. Antiquitatum vero rei Romanæ cognitionem in græculo homine non requiro; quocirca facile illi condono, tum alia, tum fictam *legis Aquiliæ* cauſam, *lib.* 4. *tit.* 3. §. *capite tertio. ad fin.* at Macedonis futilem, & vanam deſcriptionem non immerito carpendam duco, quippe cum ab Ulpiano in *l.* 1. *D. ad Macedon.* & hominis conditionem, & mores facile cognoſſe potuerit.

CAPUT XVI.

Recenſentur loci, in quibus Conſtantinus Harmenopulus *non ſatis accurate locutus videtur, aut certe à jure ſcripto deficit.*

RAtio exigit ut Juſtiniani, & Theophili notas, quæ in Conſtantinum ſervavi, conſequantur, & quid in illius *promtuario*, ut nonnulli appellant, aut *penu*, ut melius alii, corruptum, & vitiatum videatur, promi, condi, officio diligenter fungens, oſtendam. Eſto igitur primæ labis animadverſio *lib.* 1. *tit.* 1. *verſic.* ἐθνικὸς δὲ νόμος ἐςὶ, ubi, contra omnium Juriſconſul. doctrinam, ex unius ſolum gentis conſenſu, jus gentium architectatur. Secunda *eod. tit. ver.* καὶ κατὰ βασιλέως οἱ γενικοὶ ἤγουν, οἱ καθολικοὶ κρατείτωσαν νόμοι. Quamvis enim quod illic ait rectum ſit, tamen aperte contra ſcriptum jus eſt *l. princeps. D. de legibus*, nec ad delicta modo, ejus legis ſententia referri poteſt, ut ipſemet autumat *eod. tit. verſ.* ὁ βασιλεὺς, quoniam refragatur inſcriptio *l. digna vox. C. de legibus.* Itaque rectius Theophilus jus interpretatur in §. *ultim. quibus mod. teſta. infirm.* Tertia in *verſ.* ἡ παλαιὰ συνήθεια. ubi conſuetudinem, in ſcriptos mores, aut non ſcriptos diſcerpit, cum mos in acta relatus, mos amplius dici non debeat §. *ex non ſcripto.* §. & *non ineleganter. Inſtit. de jure natur. gent.* Quarta in *ſcholio* incipienti, φησὶν ὅτι ἐκεῖνο τὸ ἔθος, dum ibi dicitur non eo conſuetudinem valere, ac legis vim obtinere, quod diu in judiciis increbruerit, ſed quoniam allegatur, exploratur, rationi conſentanea invenitur: quæ ſi vera forent, nihil tempori adſcriberetur, ſed ſoli rationi eaſdem vires ſine tempore obtenturæ. Itaque fruſtra legibus, & temporis, & diuturni temporis mentio infereretur; & denique veriſſimum illud eſt, atque extra omnem diſputationem, conſuetudinem diuturnam, cum qua ratio nec faciat, nec propalam diſſentiat, eodem modo, quo legem, cujus cauſam exputare nequimus, ſervandam eſſe, *l. de quibus*, *l. diuturna.* cum duabus *ll. ſequent. Digeſt. de legibus*, Quinta *eodem libro titulo ſecundo, verſiculo.* ἐξωμοσία δὲ λέγεται ἡ μετὰ ὅρκου παραίτησις, ubi *l. quoties de dignat. libr.* 12. *Cod.* exſcribens fidejuſſores, nec in civilibus, nec in criminalibus cauſis,

(*a*) Et ſic ſemper ſcribo *poſthumis*, nec illorum ſententiæ accedo, qui pluris vel oblitteratos imperitorum lapicidarum characteres faciunt, quam antiquiſſimos quoſque codices: & contra Gellii fidem, quem laudant, aſpirationem huic nomini demunt.

ſis, à viris illuſtribus, aut, ut ille loquitur, ſenatoribus exigi inquiens, ſed ſolum jusjurandum, ſubjungit jusjurandum illud eſſe juratam litis deprecationem, & cum quis non legitimam actionem contra ſe moveri juratus affirmat. In qua re mirifice lapſus eſt, nec enim uſquam lectum, uſquam auditum eſt, tantam ac tam immanem eſſe illuſtrium virorum dignitatem, ut accuſationes, juſtis probationibus munitas, ſubterfugiant jurejurando, & lites omnes ſimili clypeo propellant, atque eludant: illa autem conſtitutio tantum agit de jurejurando judicio ſiſti. Sextus error eſt *eodem titulo*, in *ſcholio* ordienti, ὥσπερ ὡς ἐπὶ δόματος ἰκανοῖ τις κατὰ τοὺς συγκλητικὴν ἀγωγήν, ubi exemplo illuſtrans edictum, quo quiſque ei juri eſt obnoxius, quod in alterum dixit, talem prolatam ſententiam proponit. *Quoniam*, inquit, *actoris actio triginta annorum exceptione non læditur, te condemno.* Quapropter poſtea addit ſimili exceptione judicem non uſurum. At verendum eſt ne inſigniter fallatur, nam ſententia ab illo propoſita nullius fuit momenti. Nec jos, aut fecit, aut facere potuit, quoniam expreſſus juris error, expreſſim in illa inerat *l. ſi expreſſim.* 19. cum ſimilibus. *Dig. de appel.* Septimus eſt *eod. tit. verſic.* τὸ παλαιὸν ἐν τῷ παλαιῷ ῥήσει, ubi proprie fiſcalia ſeu publica ait, quæ populo ad publicos uſus aſſignata erant, & à principe quodam ἀνδρειοτάτῳ, & orbis terrarum ſubactore in populum, populique uſus collata aſſeverat, quo in loco ter oſtendit. Primum quod antequam Reſpub. à Cæſaribus, de quibus agit, tyrannide preſſa eſſet, jam ærarium, jam bona publica eſſent, quamvis nondum fiſcus cum Reip. malo irrepſiſſet; deinde quod quæ proprie publica ſunt, dici fiſcalia κατὰ ἀκρίβειαν ſcribit. Poſtremo quod eadem, & fiſcalia, & publica fuiſſe comminiſcitur. Octavus *eodem libro titul.* 3. περὶ δανείων: ὅτι, inquit, ἐπὶ τῶν προσωπικῶν ἀγωγῶν, &c. dum ait in perſonalibus actionibus, ſi poſtremus creditor mutuum receperit, & triennium tacitum, ſciente, ac ſilente primo creditore, præterierit, amplius eum non poſſe commoveri; quod enim tum hic, tum *lib. tertio, tit.* 5. §. ὅτι ἐπὶ τῶν, obi eadem verba repetuntur, de triennii præterlapſu effutit, falſum eſt. Nam in perſonalibus actionibus, nulla eſt temporis ratio, nulla eſt ex tempore prærogativa *l. privilegia. D. de privil. credit. l. inter eos, D. de re judic.* qua in re ſimili errore ſe obligavit, illo *lib.* 3. *tit.* 5. §. ὅτι οἱ προγενέστεροι δανεισταί, ubi ait priores creditores dotis cauſæ præferri, quam quis filiæ ſuæ dixit, quod omnino vanum eſt; quoniam, uti probavimus, nullum ex ustegreſſu temporis privilegium reperitur, nec minus creditor maritus, quam cæteri, cenſetur *l. ſi à ſocero.* §. *ultim. Digeſt. quæ in fraud. cred.* Simile vitium eſt *eodem libr.* 3. & *eodem titulo.* 5. §. ἐὰν προτιμηθῇ ἔγγραφος κατάθεσις δηλοῦσα, ὅτι πρὸ χρόνου, ubi inquit, priores tempore creditores, poſterioribus eſſe potiores. Simile quoque peccatum eſt illo, *lib.* 3. *titulo* 7. in *ſcholio* incipienti, ὅταν, φησί, τοὺς δύο ἀγωνίζονται λαβεῖν κέρδος, dum explicans *l. quoties utriuſque cauſa. D. de reg. jur.* tale exemplum vane proponit. Dedi Petro decem aureos mutuos, ob interpoſitam ſtipulationem, ooo quoque meoſe uoum aureum mihi parituros: poſt multum tempus eidem eamdem ſummam, ſob eadem uſura, tu fœneratus es, tandem cum recepiſſemus caput, & uſuram exigeremus, atque adeo tenues debitoris fortunæ eſſent, ut uni dumtaxat ſolvendo uſuras forent, quæſitum eſt, quia præferatur? Ille *lu fine* ait præferendum antiquiorem creditorem, verum labitur, oti dicimos, quia generalis, & ſemper vera definitio eſt, temporis anteceſſu, nullam in perſonalibus actionibus prærogativam exoriri. Illud tamen addam, non mihi adhuc ſatis liquere, ecquod exemplum illi legi, *quoties*, accommodari debeat, nam ſi illam accipias, quo ſolum pacto videtur poſſe intelligi; nempe ut etiam lucri traditio proponatur, jam idem, non modo in lucri controverſiis, ſed in aliis quibuſvis cauſis, jus dicetur, *l. quoties, C. de rei vindicat.* Nonus error eſt, *libro primo titu.* 3. §. ἡ ὑποθηκαρία ἀγωγὴ τῷ χρόνῳ περιορίζεται, ubi in *fin.* ait poſteriorem creditorem, qui contra priorem agit actione hypothecaria, ſi jam utriuſque debitor, Deum, ac naturam, communis hominum debiti ſolutione, liberavit, repelli decennio, ac vicennio, cum *l. cum notiſſimi*, §. *ſed cum illud* uſque ad §. *illud autem*, *C. de præſcript.* 30. aliter ſtatuat: ac triginta annos deſiderari doceat, niſi ſi Conſtantinum excuſes, non disjunctim, verba, τῷ ἑκατέρᾳ καὶ ἑκατοστίᾳ accipiens, ſed conjuncta interpretans pro 30. annis. Decimus eſt *eodem libro titu.* 6. §. ἐπὶ τριάκοντα χρόνων λέγεται καὶ δὶς ἀρκεῖν πρὸς μαρτυρίαν, &c. Nam unde illam ſommarom differentiam hauſerit, & qua ratione contra, *l. ubi numerus*, de teſtibus, verba fundat noo video. Undecimus *eodem titulo*, §. οἱ πένητες οἱ μαρτυρεῖν· πένης δὲ &c. dum ait, pauperes, hoc eſt quinquaginta aureos non cenſentes, teſtimonii dicendi jus non habere, quod liquido falſum, atque iniquum eſt. Nec enim uſpiam ſic generaliter, pauperibus, dicendo teſtimooio, aut interdicitor, aut interdici poteſt, nec *l. nonnulli* 10. *D. de accuſatin.* quidquam huc pertinet. Duodecimus, *eodem tit.* §. αἱ γυναῖκες, & *titulo decimo tertio*, §. τὰς γυναῖκας, & §. γυνὴ ἐν διαθήκῃ, in quibus locis mulieres à teſtimoniis arcet, niſi ſi id genus cauſarum ſit, io quo viri teſtificari nequeant: cum ex jure ſcripto contrarium verius, atque æquius ſit, & ſolum, in teſtamento, teſtes eſſe prohibeantur, *l. qui teſtamento*, §. *mulier. D. de teſtam.* in teſtamento autem intelligo, contra Accurſ. & vulgus interpretum, hoc eſt, ἐν ταῖς συναλλακτικαῖς μαρτυρίαις. nempe teſtamento, codicillis, mortis cauſa donationibus. Quoniam eo uſque teſtamenti verbum fundatur, ac dilatatur, quemadmodum melius, hac in re, colligeans interpretatur idem Conſtan. *lib.* 1. *tit.* 6. *in illo* §. αἱ γυναῖκες, verſ. εἰ δὲ παλαιὸς νόμος, nec hic ſilentio iovolvam, nonnullas eſſe ſpecies, in quibus & teſtamentariæ teſtes mulieres eſſe poſſint, ut illa ab eodem Conſtantino efficta, *lib.* 5. *tit.* 1. §. ἐὰν συμβῇ γυναῖκα. Decimus Tertius, *eodem lib.* 3. *titulo ſeptimo*, §. ἐάν τις τῶν δικαζομένων ὀμόσει μὴ δικάσασθαι, ubi neſcio quam novam, atque inſolentem perjurii pœnam narrat, & adverſum *l.* 1. cum ſimilibus; *C. de reb. cred. & jurejur.* ut contra perjurantem importunam, & improbandam crudelitatem à *l.* 2. *C. eod. tit. de reb. cred.* recedens *in fi.* illius *tit.* ponit. Sed decimus quartus error eſt, *eo. lib.* 1. *tit.* 9. §. 10. τὸ ψιλὸν σύμφωνον, ubi dicit pacto nudo actionem non quæri, & id eſſe nudum pactum definit, quod ad aliquid dandum ſit conceptum. Etcoim, & fallit, & fallitur: nam Juſtiniani conſtitutione, ſi me dicam tibi aliquid donare, tametſi non tradam, ad tradendum obligor: & vera ac frequenti doctorum ſententia, ſi nec tradam, nec donem, ſed me donaturum paciſcar, efficaci obligatione, & actionem impetratura, me irretio, ut late in *libro Receptarum Sententiarum* oſtendimus. Decimus quintus *eod. lib. tit.* 10. §. ὅτι ὁ βίᾳ καὶ ἁρπαγῇ τὴν ἀρχὴν λαχών τι, dum ſcribit, ſi quid vi, aut raptu à te expreſſero, quamvis poſtea illud idem à teipſo emero, aut donatione, aliave juſta cauſa conſecutus fuero, nihil in rei illius dominio comparando, me procedere, nihil vitium contractus, ea de re à nobis initos, habituros, cum juris ratio contrarium ſuadeat, & aliud doceat, *l. ſi per vim* 4. *C. de his quæ vi.* Decimus ſextus *eod. lib. titulo* 12. §. οὐκ ἀποκαθίσταται οἱ ἀφήλικες, dum inquit, minores non iri reſtitutum, ſi diligentes patresfamilias fuerint; nam etſi tales ſint, ſi ſine falſi, reſtituentur,

tur, ſi non ſint, nec alii ſegnes ac ſocordes reſtituerentur. Nec nos intricabit, quæ cum Conſtantino oppido facit *l. 1. C. qui & adverſus quos l. minor ſe 50. §. ult. D. de minor.* quippe cum ob juris rationem & prætoris verba, & Conſtantini ſententia damnari debeat, & Accurſ. in *d. l. 1. qui & adverſ.* interpretatio neceſſario probari. Decimus ſeptimus *eodem titulo*, §. *εἰ διὰ τὴν ἡλικίαν*, *εἴτε διὰ φύσιν verſiculo*, *εἴτε διὰ τὴν ἐναλλαγὴν τῆς καταστάσεως*, ait enim etiam tunc reſtitutioni locum fore, cum quis ob ſtatus mutationem in fraudem impegit: & ſubjungit, *ſive civitate*, *ſive libertate lapſus*; quod de libertate fatur contra *l. ex cauſa 10. §. Papinianus*, *D. de minorib. eſt*, quare melius Accur. rem hanc explicuit in *l. 2. D. de reſti. in integ.* unde Conſtantinus ſua prompſit. Decimus octavus *tit. 13. ejuſdem lib.* §. *τὸν νόμον τὸν περὶ μοιχείας* & *libro quinto titulo 2.* §. *etiam τὸν νόμον τὸν περὶ μοιχείας*, ubi, repetitis verbis, inculcat mulierem *lege Julia de adulteriis* agere non poſſe, tametſi ſe ipſam vi ſtupratam conqueri velit, quod veritatis inane, & cum bono, & æquo pugnans eſt. Cur enim lege illa mulier, inuſtam ſuo honori maculam, non vindicabit? an quia publicum judicium eſt, & à publicis judiciis exercendis mulieres exiguntur? *l. 10. D. de accuſationib.* atqui tum demum illis oti prohibentur, cum ſuam, ſuorumve injuriam non ulciſcuntur, *l. de crimine*, *C. qui accuſar. non poſſ.* an quia cum *lex Julia* ſui exercitium marito injuria affecto indulſerit, mulieri ob id negaverit? *l. 1. C. ad illam legem*, atqui non *lex Julia* marito de ſibimet vitio illato, ſed ſuæ uxori, aut de crimine ab eadem uxore patrato conquerenti eam veniam dedit, quocirca negaverit illa quidem expoſtulandi facultatem mulieri, de viri adulteriis: ſed nullo modo negaſſe copiam intelligatur, de ſibi ipſi allato vitio conquerendi. Decimus nonus *eod. lib. titu. 18.* §. *ἡ διάταξις κελεύει περὶ πάσης ἐλευθερίας*, verſ. *εἰ δὲ παραιτήσονται οἱ κοινωνοὶ*, ubi inquit, uno ex ſociis, è manu ſua ſervum mittere volente, & aliis ſociis partem ſuam vendere tergiverſantibus, ſervum, nullo pretio dato, liberum fieri, cum contrarium dictet æquitas, & aperte ſtatuere videatur Juſtinianus in *l. 1. C. de Commun. ſerv. manum.* dum jubet pretium conſignari, & ſocios inconſulto pretii acceptionem differre ait. Sic enim non illi moras accipiendi pretii traherent, ſed pretio prorſus excidetent. Vigeſimus, *eod. titu.* §. *ἐάν τις τὸν ἴδιον οἰκέτην*, ubi ſcribit, ſi dominus ſervum ſuum adoptet, adoptionem non valituram, ſed inde ſervum liberum évaſurum, nam tametſi ejuſdem rei auctor eſt Theoph. in §. *ult. Inſtit. de adop.* tamen Juſtinianus illic contrarium aperte innuit, & docet Servius laudatus à Gellio, *lib. 5. titu. 19.* nec id dubium eſſe poteſt, cum libertus recte, & extra aleam, rite in familiam à domino aſciſcatur *l. ult. D. de ſtat. homin. l. ſi paterfamilias 15. in fi. D. de adopt. l. ſciendum 32. D. de ritu nupt.* atque hic jam ejus libertus cenſeatur. Vigeſimus primus *eod. tit.* §. *ὁ ἀγορασθεὶς αἰχμάλωτος*, quo in loco tradit hominem ab alio de hoſtibus redemptum, ſi bonis affluat, quanti ſtetit, redemptori ſoluturum: ſin pauper ſit, triennium redimenti inſervientem, ad priſtinum ſtatum aſpiraturum, cum ſupra illo *tit.* §. *ὁ αἰχμάλωτος*, recte docuiſſet juxta *l. ultimam*, *C. de captivi. & poſtlimi. rever.* redemptum in præſtandis operis, & obſequiis redemptori quinquennium poſiturum. Vigeſimus ſecundus, *lib. 2. tit. 2.* §. *περὶ πρώτης ἀπαιτήσεως*, ubi diſſidet cum Juſtini. *Novella* 100. Vigeſimus tertius *tit 7. ejuſdem lib.* §. *ulti.* *τὸν ἐν πολέμῳ*, dum ſervum bello recuperatum, jure poſtliminii, non redire ad priſtinum dominium, ſed eſſe in præda, contra quam ſcriptum reliquerit Juriſconſul. in *l. ſi quid bello 28. verſi. Paulus D. de capt.* ait; nam diſtinctio inter ſervum eodem bello partum, & inter ſervum alio modo, atque antea, quæſitum, nulla juris ratione nititur. Vigeſimus quartus *eodem libro tit. undecimo*, §. *ναῦται χωρὶς κυβερνήτου πλέειν τολμήσαντες*, ubi habet nautas ſine gubernatore navigantes, & vectores ſimiliter, abſque rectore, ſe mari committentes, ſi fiat naufragium, de damno conveniri vectores, quod ſuam ſalutem parvi pependerint, nautas, quod tum ſuam, tum vectorum vitam ſuſquedeque habuerint, atque addit nonnullos etiam liberare nautas, & totum damni ſarciendi onus in vectores transferre. Sed egregie fallitur, nam contrarium rectius, atque æquius cavet *l. item quæritur 14. §. ſi magiſter. D. loca.* Vigeſimus quintus *eod. tit.* §. *ναύτης πλήξας τινὰ καὶ κύλλω αὐτοῦ ποιήσας*, ait nautam verberibus corpus alicujus tuber facientem, aut cluſcantem, curationis ſumptus refundere, & pro oculo duodecim aureis mulctari, pro tumore decem: quod de oculo effatur, durum, atque adeo falſum videtur. Nam ſi caſu id nauta admiſerit, non tenebitur, ſi injurii animo, locus erit §. *atrox. verſic. nonnunquam* & locus *Inſtitu. de injur. l. vulneris 8. D. illo titu.* Vigeſimus ſextus *tit. 3. ejuſd. lib. in princip.* cum ait, ut emptio abſolvatur, & diſſolui nequeat, non ſolum de pretio, deque re, placitum exigi: ſed & ut vel alter pretium, vel alter rem venditam acceperit; etenim loquitur contra *princ. Inſtit. illo titu. de empti. & vendi.* ut *eod. tit.* in §. *ἡ ἄγραφος πρᾶσις*, contra §. *venditæ inſtit. de rerum diviſ.* nam ille ait emptionem non ſcriptam contrahi, ſi pretium ſit ſolutum, aut res tradita, aut ſatiſdatum, aut ſine ſatiſdatione fides habita de pretio, at §. *venditæ*, non illa exigit, ut venditio dicatur contracta, ſed ut dominium quæri poſſit, adde quod dicit, *ἢ τὸ πρᾶγμα παραδοθῇ*, vanum videri, quoniam & cum res tradita eſt, aut ſolutionem, aut animo venditoris ſatisfactum, exigimus ut res in emptoris mancipium tranſeat, itaque non debuit rei traditio cum ſolutione, ſatiſdatione, aut fide habita, ullo modo conferri. Vigeſimus ſeptimus *eodem titulo*, §. *ἐλίπαν τις πιπρασκόμενον ὑφ' ἑτέρου ἴδοι αὐτοῦ πρᾶγμα*, ubi habet, ſi quis rem ſuam ab alio vendi videat, & non reluctetur, ipſummet illam videri vendere; quamvis enim id æquum multis videri poſſit, tamen æquius, & verius Accurſius, frequenti interpretum calculo probatus, habet in *l. Caius 39. D. de pignor. actio.* nec quidquam obeſt *l. quidam 12. D. de condition.* quinimo cum Accurſio facit: cum pretium acceptum proponit, & aſpectum tacitum non moratur. Minus obeſt *l. apud Celſum 4. §. ſed quæſitum eſt cum fundi*, *D. de dol. mal. exceptio.* & leges ſimiles: quippe cum ubique expreſſæ voluntatis ratio ſubducatur, erit tamen hæc Conſtantini ſententia æquior, & probanda, ſi qua fraus, aut dolus intercedſerit. Vigeſimus octavus *eodem tit.* §. *ἐὰν εὑρεθῇ τὸ πραθὲν ὑγιές*, ubi inſit ſi res vendita, vitio, redhibitione digno, ſit infecta, & venditor eam inculpatam affirmaſſet, redhibitionis tempus ſex menſes fore, ſi vero ſimpliciter, & per averſionem vendidiſſet, duorum menſium ſtatum, definitumque ei rei tempus eſſe; in qua re proculdubio toto errat cœlo: etenim utrobique canonico ſex menſium tempori locus erit *l. prima in principio*, *l. quarta §. animi autem vitium*, *D. de ædilitio edict.* impoſuit homini *l. ſi venditor de iis*, 28. *illo titulo.* in qua poſitum verbum, *cavere*, male eſt interpretatus pro *præclarum aliquod de ſervo elogium edere*, & legem illam, *cum res nullo vitio contaminata eſt*, loquentem, perperam accepit. Vigeſimus nonus in §. *ſtatim. ſeq.* dum jubet ut animalium, qua perſpicuas, qua obſcuras conditiones venditor palam faciat, cum manifeſtorum vitiorum admonitione venditorem liberaverint *l. 1. §. ſi intelligatur l. quæritur 14. §. ult. l. ſi tamen 48. §. ei qui ſervum D. de Ædil. edict.* & ipſemet illo *eod. tit.* §. *ὁ διδάμενος πιπράσκων.* Trigeſimus *lib. 3. tit. 5.* §. *προτιμᾶται παρὰ τῶν ἐχόντων ἐπιβολὴν καὶ αὐ-*

τὸς

τῆς ὁ τὸ ἐνέχυρον λαβὼν, καὶ ὁ κληρονόμος; ait, *præfertur hypothecam habentibus, & qui pignus accepit, & ejus heres.* Nam ſi qui pro arrhabone rem poſſidet, prior cæteris creditoribus eſt, nihil emolumenti ei poſſeſſio affert; poſterior, nihil etiam utilitatis afferet, & cæteris erit inferior *l. creditor* 12. *D. qui pot. in pign. habeas.* Trigeſimus primus error eſt *eod. lib. tit.* 7. §. ὅτι ὀρφανικὰς ἀπὸ τρίτης, &c. ubi uſuras pupillares tertia centeſima, hoc eſt quatuor aureis concludit, quod vanitati affine eſt, nam cum pupillares uſuræ dicantur maximæ *l. non exiſtimo* 55. *D. de administratio. tut. l. qui ſine* 40. *D. de negot. geſt. legitimæ in l. tutor.* 8. §. *pecuniæ illo titul. de administrat. tut. l.* 3. *C. arbitr. tut. l. prima C. de uſur. pupill.* verior eſt Accurſii ſententia, conſtanter eas centeſimas eſſe, aſſeverantis. Trigeſimus ſecundus illo *eodem tit.* in *ſcholio de centeſimis uſuris*, incipit τὸ μὲν ἄχρι τρίτης ἑκατοστῆς. mirifice enim ſcholiaſtes, cum Conſtantino, & Conſtantinus cum Scholiaſte velitantur, dixerat Conſtantinus centeſimas uſuras eſſe, cum à centum aureis, unoquoque anno, duodecim pariuntur, atque ideo dici centeſimas, quod centum aurei, in ſingulos menſes, unum gignant: ait ſcholiaſtes centeſimas eſſe, quæ pro una libra, ſeptuaginta duos aureos complectente, duodecim aureos in integrum annum reddant, & ſubjungit pro ratione neſcio quam ridiculam facetiam. *quia*, inſit, *qui olim cenſi erant, hoc eſt centena habebant, in commune duodecim ferebant*, quod nec confutatione egere reor. Trigeſimus tertius *eod. lib. tit.* 8. §. ὅταν ἐπαγγελία ἢ χειρουργία, ubi ſævam, atque importunam in artifices, redemtum opus præ avaritia, aut calliditate deſerentes, pœnam ſancit, cum ſemper in id, quod intereſt, illius generis obligationes, jus tranſlatitium convertat. Trigeſimus quartus *lib.* 4. *tit.* 6. περὶ τῶν ἐκ τριγωνίας συναπτομένων. & in §. ἰστέον δὲ ὡς ἄλλως ἐπὶ τούτων. quibus in locis à jure Cæſareo deſciſcens, neſcio quos affinitatis, bapiiſmatis, & adoptionis gradus futiliter cornicatur. Trigeſimus quintus *eod. lib.* 4. *tit.* 8. in *ſcholio* ὑπάρχοντα πράγματα εἰδύναντο αὐτοῖς τοῖς περιοῦσι. ubi triennio hauriendæ aquæ jus uſucapi dicitur, cum tempus longum in id requiratur. *l. ſecunda. C. de ſervi. & aqu.* Trigeſimus ſextus *libro quinto. titulo primo.* §. ἐάν τις διαθήκην γράψας *verſic.* εἰ δὲ διαθήκην γράψαι τις ἐπίτροπον ἐνστήσηται. Inquit enim: *ſi quis teſtamento facto tutorem inſtituerit hæredem, & juſſerit illum res nuncupatim expreſſas habere, ac de nonnullis aliis bonis nihil meminerit, res ſilentio præteritas ad hæredem inſtitutum non ſpectaturas, ſed omnino ad juſtos teſtatoris ac legitimos hæredes redituras*, qua in re aperto marte confligit cum *l. jus noſtrum. D. de reg. jur.* cum *l.* 1. §. *ſi ex fundo. D. de hæred. inſtit.* Trigeſimus ſeptimus *eod. lib.* 5. *tit.* 2. *in princ.* ubi novam, & inſulentem, & Juriſconſultorum doctrinæ adverſam peculiorum diſtributionem commentatur. Trigeſimus octavus *eod. lib. tit.* 5. §. περὶ τῆς ἐκ μέρους ῥηγνυμένης διαθήκης. ubi antiqui juris fabulas repetens, ait filiumfamil. ſilentio involutam ex parte teſtamentum rumpere, hoc eſt, inſtitutis hæredibus accreſcere, juxta. §. *ſed non ita de filiabus. Inſtit. de exhæredatio. liber.* Debuit enim meminiſſe jam id eſſe abolitum. *l. maximum vitium. C. de liberis præter.* Trigeſimus nonus, *eodem libro & titulo* §. περὶ ἀχρήστου τῆς διαθήκης. dum inquit tunc quoque teſtamentum irritum fieri, cum filiusfam. fit paterfam. nam ſi de caſtrenſi, aut quaſi caſtrenſi peculio, teſtamentum exaratum proponitur, non fit irritum. *l. ſi quis filio.* 6. §. *ultimo D. de caſtrenſ. pecul.* alias jure tranſlatio nullius erit momenti, nec aliquid emancipatio faciet. Quadrageſimus *eod. titulo.* §. περὶ ἀτελοῦς διαθήκης. quia teſtamentum dicat imperfectum teſtibus, aut non ſubſcribentibus, aut non ſignum imprimentibus, oblitus *Novellæ* Leonis, à ſeipſo antea exſcriptæ illo *lib. tit.* 1. incipit, ὡς ὑπὲρ μέσον οἱ μαρτυροῦντες. Quadrageſimus primus, *eod. tit.* §. οἱ μὲν ἀνιόντες καὶ κατιόντες. dum inquit, vel deſcendentes, vel aſcendentes querelam inofficioſi, contra quemcunque, exercere poſſe, ſi vel exhæredentur, vel partem legitimam non conſequantur, nam quod ait de legitimæ portionis conſecutione, jam vanum eſt. *l. omnimodo. C. de inof. teſt.* quod vero ibidem inter perſonas turpes, locum intentandæ querelæ Germanis facientes, aurigam numerat, aqua hæret. Nam licet idem ſcripſerit Theophil. *in prin. inſt. de inoffic. teſt.* & Ulpianus in *l.* 4. *D. de infamibus*, aurigas, ſeu agitatores infames eſſe negans, videatur turpes conſiteri: tamen ex uſu, & rerum antiquarum hiſtoriis, contrarium diſcimus. Quadrageſimus ſecundus, *eod. tit.* §. ὁ παρὰ γυναικὸς υἱοτεθεὶς καὶ παραμεληθεὶς &c. ait filium à fœmina adoptatum, ſi ab eadem prætereatur, non agere querela inofficioſi, quia fœmina, ſine copia principali, non poſſit adoptare. In quo bis peccat. Primum quod meminiſſe debuerat, fœminas, ea in re, jam legibus eſſe ſolutas Leonis *novella* 27. ab eodem adducta ſupra *lib.* 2. *tit.* 8. §. γυνὴ οὐδὲ κατὰ βασιλικὴν *verſ.* ἡ δὲ ἐκ παρά. deinde quod juxta Juriſconſul. in *l. ſi ſuſpecta* 29. §. *ult. D. de inoffic. teſt.* ideo huic adoptato, & præterito jus agendi negatur, quia non potuerit à fœmina adoptari, at nunc, etſi maxime potuiſſet, jam non egiſſet *l. cum in adoptivis* §. *ſed ne articulum. C. de adopt.* Quadrageſimus tertius *eodem lib. tit.* 8. §. ὁ κληρονόμος ὁ κληρονόμος οὕτω καταπυκάζεται. *in fin.* ubi inquit eum, cui juſſa eſt hæreditas reſtitui, beſſem hæreditatis conſequi, hæredem, qui reſtituat, trientem ſibi retinere; quem in errorem pari incuria impegit infra *eodem libro titul.* 9. §. ἐξέτι λεγατεύειν. & *eodem tit.* §. τὸ τρίτον τοῦ Φαλκιδίου, cum ex jure tranſlatitio hæres dodrantem reſtituat, quadrantem ſibi vindicet, ac reponat; fucum fecit homini, ut videtur, *Falcidiæ quartæ* confuſio. Quadrageſimus quartus *eodem lib.* 5. *tit.* 8. §. ἴσα μὲν συναπῆραν quoniam contra *l. non tantum* 9. *C. de fideicommiſ.* duorum menſium ſpatium, ad mutuam conjugum ſucceſſionem requirat. Quadrageſimus quintus *eod. tit.* §. περὶ γαμικῶν, cujus loci vitium ſtatim inibi additum ſcholium obſervat. Quadrageſimus ſextus *tit.* 9. *ejuſdem libr. in princip.* dum inſulſum Accur. commentum, circa *legis Falcid.* veriloquium infarcit, quando in comperto ſit eam à Caïo Falcidio, Tribuno plebis, & *legis Falcid.* latore, cum rerum Auguſtus potiretur, dictam eſſe. Quadrageſimus ſeptimus *eodem tit.* 9. §. ἐὰν πατὴρ ἢ μήτηρ εἰς γάμον ἐκδῶσι. Quippe aſſerit in fine illius §. filium de bonis maternis teſtamentum poſſe condere, aut patre mortuo, de paternis, cum in ea ſpecie ſolum functo vita patre filii teſtari poſſint, eo autem vivo de bonis maternis neutiquam. Etenim vera eſt Accur. Sententia in *Novellam* 117. *verb. diſponere*, contrarium dicentis, nec διοικεῖν. cujus loco ſufficitur verbum *diſponere*, ad teſtamentum referri poteſt. Quadrageſimus octavus *eod. lib.* 5. *tit.* 10. λεγάτον ἐστὶ δωρεὰ ἐν διαθήκῃ καταλειφθεῖσα. Quod enim ait, legatum eſſe donationem in teſtamento relictam: licet a *l. legatum eſt* 37. *D. de leg. libr.* 2. hauriatur, tamen cavere debuit, ne quæ eleganter, & diligenter à Juriſconſulto dicta erant, inepte, & oſcitanter repeteret. Juriſconſultus tum ea ſcripſit, cum legatum, non niſi teſtamento dari poterat §. *præterea inſtit. de fideicommiſ. hæred.* ille, cum & in codicillis, & in quacunque ſchedula rite, ac recte detur. *l. in epiſtola* 21. *C. de fideicommiſſ.* & ipſe *eodem tit.* 10. §. καὶ ἐν ἐπιστολῇ καὶ ἐν οἵῳ δήποτε λιβέλλῳ. Quadrageſimus nonus *eodem tit.* §. ἀνθρώπου μὲν εἰς λεγάτον καταλειφθέντος. Ubi ait ſi ſervus legetur, in manu hæredis eſſe legati ſervi æſtimationem luere, & ſervum ſibi ſervare, quæ opinio, & iniqua, & pernicioſa eſt, & contra *l. ſi domus* 74. §. *qui confiteſtur. D. de leg. libr.* 1. quæ modo id ex juſtis cauſis dilargitur. Quinquageſimus *eodem tit.* §. περὶ ἀτελοῦς διαθήκης; nam, inquit, hæredes,

ſi teſtamento imperfecto inſtitui, iidem & juſti hæredes ſint, & aliqua ex parte defuncti voluntatem agnoverint, omnia teſtatoris mandata, imperfectis illis tabulis conſignata, exhaurire coactum iri, quod ſane à juris æquitate abhorret, & à *l. voluntariæ* 12. *C. de excuſat. tuto.* & à recepta Accur. ſententia in *l. non dubium* 16. *C. de teſtam.* & in *l.* 2. *C. de fideicom.* Quinquageſimus primus *eodem titul.* §. *περὶ οἴνου.* ubi habet, vino cum electione legato, legatarium poſſe eligere acetum: at ſi ſine electione vinum legetur, nec in domo teſtatoris vinum ſit, ſed acetum, quod ille vini loco habuerit, cogi hæredem vinum aliunde emere, nec ſeſe aceto poſſe expedire. Qua in re aut me animi fallit, aut bis ipſe fallitur, primum quia ſi proponas vinum alicui ab eo legatum, qui vini loco acetum non haberet, & ſi optio legato adjuncta ſit, tamen acetum nullo jure eligetur; at ſi fingas legatum vini factum ſine electione, & ab eo factum, qui loco vini acetum duceret, proculdubio hæres aceto ſe jure liberabit. *l.* 1. *l. ſi quis vinum* 9. *D. de trit. vin. & oleo legat.* Quinquageſimus ſecundus *eod. lib. tit.* 11. *περὶ ἐπιτρόπων.* ubi bis labaſcit, primum quod duas tantum tutorum poſitiones facit, & tutores aut à judice dari, aut à parentibus ait: cum J. C. & Imperatores tertium membrum addidiſſent, & tutores lege definitos ab aliis ſecreviſſent. Deinde quod legitimos tutores eos dici aſſeverat, qui à judice dantur, quique vere, & juxta Juriſconſultorum diſciplinam, Attiliani dicuntur. Sed & quid velit in illo *eodem tit.* §. *καὶ ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς καλῶς καταλιμπάνει ἡ μήτηρ ἐπίτροπον τῷ κοινῷ τέκνῳ* non ſatis poſſum animo comprehendere. Qui fieri enim poteſt, ut qui filium in poteſtate non habet, tutorem ei dare poſſit? aut qui verum eſſe poteſt, ut ei, qui in alterius mancipio ac nexu vivit, tutor recte detur? nam *l. prima. C. de patria poteſtate* nec damm à matre tutorem recte dari, nec recte datum dicit: ſed dumtaxat male datum longo tempore confirmari poſſe docet. Quinquageſimus tertius *lib.* 6. *tit.* 5. §. *τὸν νυκτερινὸν κλέπτην τὸν ἔξω τῆς πόλεως.* ubi de fure nocturno inſolentem doctrinam, & diſſidentem cum jure noſtro ſcribit: ut monſtrabunt additæ. *ll. ſi pignore* 56. §. 1. *de fur. D. l. furem.* 9. *D. ad legem Corn. de ſic. l.* 4. §. *lex. D. ad legem Aquil.* Sed & illo titulo, in *τυμβωρύχων* pœna deficit à *l.* 3. §. *adverſus. D. de ſep. viol.* pari transfugæ flagitio ſe obligat. *tit.* 6. §. *ὁ μετὰ ξίφους* dum cum ferro vulnera ali infligentem, ſi percuſſus non e vita abeat, manus truncatione mulctari refert, ſecus atque illum in homicidis ponens ſanxit *l.* 1. §. *divus D. ad legem Cornel. de ſic.* Similis peccati reus eſt *eod. tit.* §. *ἀπελὼν ἀνιόντα ἢ κατιόντα*; decedit enim à ſententia *l. pœna. D. ad legem Corn. de ſic. & l. unic. C. de iis qui paren. vel lib.* Simile vitium ſuſcepit illo *lib. tit.* 8. §. *ult. δοῦλοι ἢ ἐλεύθεροι.* Etenim deſcivit à *l.* 1. *D. ad legem Flav. de plag.* à *l. quoniam.* à *l. ultima. C. illo titulo.* Quamvis ſibi ipſe male ea in re conſtiterit. *l.* 1. *tit.* 13. *in fin.* ſed & in crimine falſæ monetæ *tit.* 14. receſſit à *l.* 1. *cum aliis C. de falſ. mon.* quemadmodum illo *eod. tit.* §. *περὶ ἰδιωτικῶν φυλακῶν.* à *l. una C. de priv. carc.* ut etiam *tit. περὶ σημασίας ὀνομάτων* §. *ἔστιν ἡμέρα ἀπὸ τῆς ἑβδόμης* diſſidet à *l. more,* 8. *D. de feriis* & §. *ἐὰν αἵρεσις ἐπιτεθῇ καὶ μὴ ὁρισθῇ* diſcrepat à *l. hæc conditio* 29. *D. de cond. & demonſtr.* verum enimvero ultima non curantiæ nota eſto illo *tit.* in *ſcholio ποινὴ ὅση ἡ ἀπὸ τοῦ νόμου ὡρισμένη.* quatenus, inquit, pœnam lege ſtatutam nec augeri, nec minui poſſe à judice, nam contra aiunt *l. etſi ſeverior* 3. *C. ex quibus cauſ. inf. irrog. l. hodie* 13. *D. de pœnis.*

CAPUT. XVII.

Traditur vera ratio, cur filiifam. nec patribus conſentientibus teſtentur.

MAgna, & varia inter juris doctores diſceptatio eſt, cur filiisfamil. integrum, ac liberum non ſit, teſtamentum facere, patrum auctoritate adjutis. Quid mihi, & jamdiu viſum ſit, & nunc videatur, brevi referam. Exiſtimavi veriſſimam eorum eſſe ſententiam, qui diſpenſatione *legis duodecim. tab.* effectum cenſent, ut de noſtris fortunis in id tempus, quo jam amplius noſtræ non erunt, pro animi ſententia jubeamus, vetemus, ac diſponamus; in quam ſententiam me adegerunt juris rigor aliud efflagitans, & *l. lege obvenire* 128. *D. de verb. ſign.* ait illa: *lege obvenire hereditatem non improprie quis dixerit etiam eam, quæ ex teſtamento defertur, quia lege 12. tabularum teſtamentariæ hereditates confirmantur.* Porro *legem duodecim*, quæ nos legum rigore ſolvit, quæque nobis eam copiam fecit, ſic fuiſſe conceptam liquido conſtat: *paterfam. uti ſuper familia pecuniave ſua legaſſet, ita jus eſto.* Nam eam fuiſſe ejus formulam, teſtificantur aſſidui, ac locupletes teſtes Cicer. *lib.* 2. *de Invent.* & auctor ad Herenn. *lib.* 1. etſi illius legis verba aliter, atque aliter à Juriſconſultis, & Juſtiniano in rem modo præſentem attentis repetantur. Quamobrem cum ea in patresfam. teſtandi veniam contulerit. filiisfamil. eam perſpicue negavit. Sic enim in pari cauſa ratiocinationem collegit Imperator, ut alia, & juris, & bonorum auctorum loca ſilentio tranſmittam, in *l.* 1. *C. ad leg. Jul. de adul.* ubi habet: *publico judicio non habere mulieres adulterii accuſationem, quamvis de matrimonio ſuo violato queri velint, lex Julia declarat, quæ cum maſculis, jure, mariti accuſandi facultatem detuliſſet, non idem fœminis privilegium detulit.* At pacto, & privatorum conſenſu, ac voluntate, jus publicum non loco moveri, juris tranſlatitii eſt.

CAPUT. XVIII.

Reducitur in concordiam Juſtin. *in* §. pater. verſ. ultim. de teſtamentis, *cum* Ulpian. *in* l. qui teſtamento 20. D. de eodem.

JUſtinianus in §. *pater ver. ult.* de teſtamentis ita contrarium Marcelli reſponſo, apud Ulp. in *l. qui teſtamento* 20. *D. eod.* conſtituere exiſtimatur à luculento ejus interprete Hotom. ut qui eos conciliare ſtudeat, operam, & diligentiam ludat: at ego, quod bona pace illius viri dixerim, ſic ab Accurſio, & Accurſianis eos in gratiam adductos cenſeo, ut nulla hîc opera ponenda eſſet, ni ejus elevanda foret auctoritas. Sed age: domeſticum teſtimonium id eſſe intelligo, quod rectius, quam plerique omnes, non ex conſanguinitate, ſed ex poteſtatis ratione Theophilus metitur; eaque interpretatione & *l.* 2. *C. de teſt.* & pleraſque alias leges, in *Pandectis*, domeſtici teſtimonii mentionem facientes, accipio, quæ ſententia Juſtiniani auctoritate confirmatur illic, *in principio*, ex una domo eos teſtes appellans, quos antea in ſacris paternis conſtitutos dixerat: & aperto Ulpiani teſtimonio, *in Fragm. tit.* 20. & denique quod verbum *domus*, pro familia, ac gente ab aſſiduis quibuſque auctoribus uſurpetur, & à Venuleïo in *l. produci* 23. *D. de teſtib.* & vero hos omnes domeſticos teſtes, Julianus in *l. idonei* 6. illo *tit.* non ineoncinne expreſſit, *quibus imperari poteſt, ut teſtes fiant*: & Cicero pro Roſcio *mutos accuſatores appellavit.* Hoc autem domeſticum teſtimonium, cum in nullis negotiis probaretur, quæſitum eſt, an qui militiæ favor impenditur, illud militari teſtamento accommodatum poſſet confirmare, atque adeo ſuſtinere, atque hîc qui in jus intuebantur, militem ſacris paternis ſolutum non videbant, nec ab ejus familia abalienatum, atque idcirco ſanctionibus de domeſtico teſtimonio fore locum credebant, nam quod Ulpiani reſponſum in *l.* 2. *ad S. C. Macedon.* eruditum illum interpretem movit, facile propulſabatur, quoniam ex tantum cauſa filiusfamil. in illis bonis patrisfam. perſonam gerere intelligitur, quod in vivis bona illa ſuo modo moderetur, & de illis teſtamenti faciendi jus habeat: non vero quod omnino in re caſtrenſi patrisfamilias locum ſubeat,

cum

cum in eadem bona non mediocre jus patri eſſe, etiam illo vivo, poſſit intelligi ex iis quæ eleganter diſſerit Tertullianus in *l. proponebatur* 9. *D. de caſtren. pec.* & acute Martianus in iis bonis ei, cui bonorum ſuorum adminiſtratione interdictum ſit, illum conferens in *l. ex caſtrenſ.* 18. *D. de caſtr. pec.* quo Ulp. etiam reſpexit in *l.* 1. §. *ſi pater necatus ſit. D. ad Syll.* Denique vulgatam definitionem urgebant, & militia non ſolvi patriæ poteſtatis jus inclamabant. Placuit tandem militare teſtamentum, id eſt teſtamentum ab eo, qui in numeris eſt, factum, patre teſte adhibito, nullam fraudem incurrere, quia & in aliis id genus teſtationibus, tales teſtes duntaxat non prodeſſent, non vero etiam obeſſent: & hic nulla mortalis ope opus ſit, nulla teſtium electione, aut convocatione: ſed tantum nuda, ac mera, de qua conſtet, militis voluntas deſideretur. Quocirca merito Pauli Juriſconſulti verba *lib.* 3. *Recept. Senten. cap.* 4. §. 10. advocabimus: *Superflua facta prodeſſe, juri tamen obeſſe non poſſunt.* Cujus quoque rei auctores habemus Arcad. & Honor. in *l. teſtamentum* 17. *C. de teſtam.* & ea eſt Ulpiani in *d. l. qui teſtamento* ſententia. Sin autem teſtamentum ab eo factum proponatur, qui ſit militiæ ſacramento exauctoratus, aut, ut Juſtinianus loquitur, dimiſſus, non jam idem juris eſſe juris auctores cenſuerunt, & merito: quoniam ſæpius præceperant, teſtamenti faciendi facultatem, in hac ſpecie, non etiam vel minimæ juris communis obſervationis præteritionem impunitam fore; nec debuit aſſeri, peculium caſtrenſe ferme ſolum, in dimiſſis, ac veteranis appellari, quando ex rei origine, & ex toto *titul. de milit. teſta. inſtit.* & *D.* & *de caſtrenſ. pecul.* & *ad leg. Falcid.* & *ad Senatuſconſul. Trebellia.* Sæpius, certe proprius ad occupatos in expeditionibus referri cognoſcamus. Denique multo magis è re ſtudiorum noſtrorum fuiſſet, ſi adeo res aperta, ac perſpicua non eſſet, illas à Juſtiniano in *l.* 2. §. *contrarium*, *C. de vete. jur. enucle.* commemoratas diverſitatis rationes, ſubtili animo excutere, & latebras diſſonantiæ querelas diſſolventes perluſtrare, vel uti Celſi conſilio in *l. in ambigua* 12. *D. de leg.* quam augere tot ἀντινομιῶν vix ullum Apollineæ artis remedium ferentium numerum. Quod autem ex hoc §. de filiorum teſtimoniis collegit diſertus Goveanus in *l.* 10. *D. de juriſd. om. jud.* refutatur aperte a Juliano in *d. l.* 6. *idonei. D. de teſt.* ut quod vulgus interpretum ex *l.* 10. *cum in privatis*, *D. de judi.* a tenuiſſimæ poteſtatis judicum cognitione, & à judicum antiquorum, ac teſtium differentia.

CAPUT XIX.

Exponitur §. prius l. 2. D. de vul. *& priſtina ejus littera vindicatur.*

TYmon Pyrrhonius rogatus ab Arato Achæorum duce, quo pacto quis Homeri opera ſine mendo habere poſſet, reſpondiſſe fertur, *ſi quis vetera exemplaria, non quæ nuper emendata ſunt, poſſideat.* Id ſane maxime ætate noſtra, in jure Cæſareo, ſatis, ſuperque negotii habente, & cimmeriis, Triboniani non curantia, obſepto tenebris, abſque novis emendationum, ut leviſſime dicam, commentis uſu evenit, quorum aliquot refutabo, plurima refutaturus in meo Triboniano prope diem, favente Deo, in lucem &, ut ſpero, in ſæcula ituro. Ubi ille, & ſuas offenſiones ingenue agnoſcit, & ſuorum miſcellaneorum diligenter admonet, & à calumniis, vaniſque, tum emendationibus, tum interpretationibus, & ſe, & ſuum jus tuetur. Sed ad inſtitutum. Ulpianus in *l.* 2. §. *prius D. de vulga.* non ſine ſumma aſſeveratione videtur emendandus erudito Goveano, ait ille: *prius autem ſibi quis debet hæredem ſcribere, deinde filio ſubſtituere, & non convertere ordinem ſcripturæ; & hoc Julianus putat prius ſibi debere, deinde filio hæredem ſcribere. Cæterum ſi ante filio, deinde ſibi teſtamentum faciat, non valere. Quæ ſententia Reſcripto Imperatoris noſtri ad Virium Lupum Britanniæ præſidem comprobata eſt, & merito, conſtat enim unum eſſe teſtamentum, licet duæ ſint hæreditates, uſque adeo &c.* Putat igitur noſter Goveanus non comprobata, *ſed improbata*, in *verſiculo quæ ſententia* legendum eſſe, atque huic mendo facilem cauſam dediſſe ait neſcio quam notarum ſimilitudinem. At ego, non ſolum, ut legitur, legendum eſſe, ſed ſi *improbata* legeretur, quavis ſimilium notarum excogitatione, quovis librorum veterum elicitu teſtimonio, *comprobata*, legendum eſſe cenſerem. Atque cur ita cenſeam, & verum illius §. intellectum brevi aperiam. Fuit apud veteres impenſe celebris definitio, omnia quæ hæredis inſtitutionem præceſſiſſent, vitioſa eſſe: non autem id circo, vel teſtamentum ipſum, vel quæ hæredis conſtitutionem ſequerentur, vitium factura. Ut obiter eruditi Hotoma. parum novi ad explicationem hujus loci afferentis, ſed Goveanum non parvæ difficultati opem ferre tutum mordentis locum depravatum, vel ipſummet vitioſum eſſe admoneam, cum ob id fore teſtamentum vitioſum in *inſtitut.* ſcribit. At præſcriptam regulam viguiſſe apud veteres teſtatur aperte Paulus *libro tertio*, *Recept. Sententiarum*, *c.* 7. Juſtinianus in §. *ante hæredis*, *inſtitut. de legatis*, & quædam ejus reliquiis extant a Triboniano, nec ſemper memori, nec ſemper obliviosō, non circumductæ in *l. ambiguitates.* 24. *C. de teſtamen.* & ut ego contra pleroſque omnes juris doctores interpretor, & res ipſa clamat, *in lege conſultiſſima*, 8. *C. qui teſtamen. facere poſſunt*, ubi nec Juſtinus labefactum iri exerci teſtamentum intellexit, niſi antea omnia ſibi hæredem ſcripſiſſet: ſed tantum hæredis poſitionem præcurrentia non valitura, ex præfata juris regula ſenſit, nec id ipſe de ſuo, præter generalem definitionem, de qua agimus, attulit, ut nova Juſtiniani lege non eſſe jam correctum quiſquam dubitare poſſit. Porro hæc regula movit Juriſconſultos, ut inter ſe diſceptarent, ecquid pupillaris ſubſtitutio hujus inverſi ordinis periculo ſubjaceret, nec tam levis inter eos fuit controverſia, ut & Imperatoris reſcriptum non deſideraverit, & adhuc Ulpianus Imperatoris reſcriptum juris rationibus affine oſtendere non obnixe contendat. Potuerunt fortaſſe diverſæ factionis homines idcirco ea de re ambigere, quia & duos duorum hæredes eſſe, & duas hæreditates dici viderent, atque inde intelligebant, quem ſibi, ſuiſque bonis hæredem conſtituere pater nequiret, eum poſſe pupilli fortunes dominum aſſignare, *l.* 6. *D. iſto titul.* denique prætexebant ſubſtitutum, & eſſe, & vocari pupilli hæredem, non patris, & teſtamentum, tribus tantum verbis hæredem declarantibus, poſſe conſtare, ac proinde, pro ipſa hæredis inſtitutione, nonnunquam uſurpari, quod noſtermet Ulpianus hic oſtendit, ne alios aliunde producam teſtes, cum teſtamentum filio, ordine præpoſtero, non fieri debere inquit, quod & ſupra, & infra, vocat hæredem ſcribere; atque ex iis, & horum ſimilibus concludebant, magis duo teſtamenta cenſenda eſſe in unis tabulis, quam unum teſtamentum ex duabus hæreditatibus, & hæredum diverſis conſtitutionibus conſtatum, ex quo neceſſario, quod quærebant, conſequebantur; nam quæ Anton. Govean. adducit, vehementius illos, quam adverſarios, conturbabant: & filiorum exhæredationi, ob eam cauſam, non negari primum locum perſpiciebant, ob quam locus ille ſemper inſtituendo hæredi conſecratus erat: nempe quoniam non minus momenti, quod ad teſtamentum, & eo concluſa attinet, nec minus vel mali, vel utilitatis in illa, ſeu ſcripta, ſeu omiſſa, quam in ipſa hæredis inſtitutione, ſitum, poſitumque ſit. Quod autem Juſtinianus *de teſtl. libro primo*, *inſtitut.* narrat ex novi juris fontibus hauſtum fuit, quod ibi Hotom. eruditum interpretem, & cæterum doctorum vulgus fugit. At alii in alia omnia diverſa ibant, iis rationibus moti, quas Ulpianus pro Imperatoris

Digitized by Google

peratoris reſcripto breviter perſtringit, quæ acrius urgent, & verbum *improbata* omnino improbant, ac reſpuunt, & totæ in eo ſunt, ut unicum teſtamentum eſſe probent, nam ea in re, ut in cardine, omnis quæſtio vertebatur. Earum vero illa prima eſt, ac genere quodam cæterarum familiam ducit: quæ uſque adeo utraſque tabulas unum eſſe teſtamentum, vel eſſe unum, & unius hominis, de duabus hæreditatibus, teſtationem ait, ut patris poteſtas, vel domini filios, vel ſervos, illis de ſuis bonis teſtantibus, neceſſarios hæredes efficiens, perſtet, atque eluceat in pupillaribus tabulis: quod aliter fieri non poſſet, quam ſi hæ tabulæ patris, vel domini ipſius teſtamenti jure cenſeantur, & ad illum ita referantur, atque ejuſmet, de ſuis rebus, poſtrema diſpoſitio. Secunda ratio idem ſpectat, atque urget; nam cum liquido inter omnes juris antiqui peritos conſtaret, poſthumum alienum inſtitui hæredem non poſſe, & is in teſtamento fratris impuberis, cui ſine dubio alienus eſt, hæres eſſe juberi poſſet, neceſſaria videbatur conſecutio, non id pupilli, ſed revera patris teſtamentum eſſe, qui pater ut ex *lege XII. tabul.* pro animi ſententia de ſuis facultatibus ſtatuebat, ſic, ex moribus, de impuberum, ſuorum hæredum re, pro arbitratu, poterat diſponere. Atque ideo ſic æque de ſuis, & de pupillorum bonis teſtato jubens, eodem jure potiturus erat, ac ſi pupillorum bona in illius mancipio forent, & nulla pupillorum ratio, quoad ex ephebis non exceſſiſſent, haberetur. Quas ob cauſas, paucis, vel dicam, nemini notus Papinianus in *l. in tabulis* 36. *D. de ſta. liber.* ſecundas pupilli tabulas teſtamentum patris appellat, atque iſta nec diligentiores hujus §. enarratores latuerant, nec Goveani acutum medius fidius, & perſpicax ingenium fugiſſent, niſi ſubſequentis loci difficultas, illi tenebras denſiſſimas offudiſſet, locus in hæc verba habet: *ſed ſi quis ita fuerit teſtatus, ſi filius meus intra decimum quartum annum deceſſerit, Seius hæres eſto: & deinde, filius hæres eſto, valet ſubſtitutio, licet converſa ſcriptura filii teſtamentum fecerit.* Sane ſi quo unquam in loco aientia, & negantia ſunt, hic & in §. *ſuperiori* eſſe videri poſſunt, etenim, medicina nulla eſt, quam eruditus Hotom. facit, perinde eſſe affirmans, *niſi Titius hæres erit, Sempronius hæres eſto, Titius hæres eſto*, ac ſi dicam, *ſi Titius quem hæredem inſtituo, hæres non erit, Sempronius hæres eſto*, quamvis enim id inquit, vel linguæ Latinæ mediocriter peritis, probatum iri, tamen nec mihi, ut exiſtimo, parum in hujus linguæ ſcriptoribus verſato, nec hujus verſiculi, *ſed ſi quis*, auctori probatur. Quamobrem anilis formularum antiquarum ſuperſtitionis, & illius Syllabæ caſus memor, hoc ita potius explicandum reor. *Si Titius hæres non erit*, perinde ac dicas: *Si Titius capitolium non aſcenderit, Sempronius hæres eſto*, & magis, & verbis, & mente comprehenditur, *Sempronius hæres eſto, ſi Titius hæres non erit, quem inſtituam, aut hæredem lex ipſa facit. l. ſi quis ita hæres* 82. *D. de hæred. inſtit.* denique neſcio qua fronte idem quis aſſirmabit, *ſi Titius morietur intra decimum quartum annum, Sempronius hæres eſto, Titius hæres eſto, atque, Titius hæres eſto, & ſi Titius fato cedat intra id tempus, Sempronius hæres eſto*, & non potius ſub conditione inſtitutionem Sempronii præcedere intelliget. Tandem hoc ita eſſe, illud Hotomani non aſſe liquido, & perſpicue hujuſmet verſiculi verba indicant, *licet converſa ſcriptura*, quare & emendatione Govea. magnum vulnus huic text. inferri, & Hotomanum, nec antiquo, nec recenti malo mederi arbitror, & totam difficultatem jam paucis removebo. Puto igitur hujus *verſiculi* ſpeciem longe diverſam eſſe, à *ſuperioris* §. ſpecie, nam hic in illis verbis, *Seius hæres eſto*, & teſtatori, & filio hæres conſtituitur, atque ideo antiqua definitio hic ſilet. In *ſuperiori* §. ſic ſpecies neceſſario effingi debet, *Seius filio hæres eſto*, qua in ſpecie pupillaris ſubſtitutio una, ac mera erat, & inſtitutionem filii præcedens, ob regulam antiquam infirma, & inutilis erat. Nec quemquam conturbat adhuc, in iſta ſpecie, veram filii inſtitutionem præverti a communi ſubſtitutione. Nam illud pro certo haberi debet, antiquam regulam non exegiſſe, ut primus inſtitutionis gradus, prior in ſcriptura eſſet, aut pura inſtitutio, inſtitutionem ſub conditione conceptam anteiret, ſed ut hæredis proviſio legatis, & cæteris teſtatorum edictis prior foret, atque in re adeo clara, nihil aliud addam, quam eruditos homines induſtriam, & eloquentiam Juriſprudentiæ commodantes admonebo, & ſerio rogabo, ne aliis hominibus, miſera conſpiratione Barbariei emancipatis, tragulas ſuppeditent, quibus poſtea transverberentur, nec præſtent occaſionem, ut dum ipſi Accurſianos, ne quid non intelligentes viderentur, jus obſcuraſſe, ac fœdaſſe eleganter orant, Accurſiani vere Ciceronianos ope hominis, nihil minus quam Juriſconſulti, Juriſconſultos declarare contendentes, ac ſibi quidquam ignotum, quidquam obſcurum fateri pertimeſcentes, & jus ipſum corrumpere, ſeſe *legis Aquiliæ* incaute alligare vociferentur.

CAPUT XX.

Vindicatur priſtina lectio l. 5. D. de remiſſ. & ejus legis ſententia palam fit.

EJuſdem Ulpiani locum depravatum, in *l.* 5. *D. de remiſſ.* tanta animi contentione affirmat vir de juriſprudentia affatim meritus Cujac. ut aut nullam ſcientiam eſſe, nullam juris diſciplinam opinetur, aut faciendum ſit, ut ubi verba legis aiunt, negent, & ubi negant, affirment, legis hæc ſunt verba: *ait Prætor: quod jus ſit illi ne ſe invito fiat, in eo nunciatio tenet, cæterum nunciatione remiſſa faciet, ſub hoc titulo remiſſiones proponuntur: & verba Prætoris oſtendunt remiſſionem ibi demum factam valere, ubi nunciatio tenet, & nunciationem ibi demum voluiſſe Prætorem tenere, ubi jus eſt nuncianti prohibere, ne ſe invito fiat, cæterum ſive ſatiſdatio interveniat, ſive non, remiſſio facta hoc tantum remittit, in quo tenuit nunciatio. Plane ſi ſatiſdatum eſt, & exinde remiſſio facta eſt, non eſt remiſſio neceſſaria, &c.* putat autem ille, ubi lex ait, in prin. *quod jus ſit illi*, emendandum, ac reponendum, *quod jus non ſit illi, ubi, nunciatio tenet*, legendum, *ubi nunciatio non tenet*, ubi infra, *in quo tenuit nunciatio*, commutandum, *non tenuit*: & ubi *infra*, in §. *item Juliano, remiſſio utilis erit*, verborum ultimorum loco ſufficiendum, *inutilis erit*. Qua plane ſententia, non tam a communi, veterum omnium codicum fide deficit, quam legibus, quibus vult opitulari, fidem omnem, atque auctoritatem abrogat. Et vero ſi ſuam opinionem mihi probaret, quamvis me annos multos, nec ſalutis, nec rei familiaris ratione habita, in hac juris mole maceraverim, relictis rebus omnibus ad aliam, aut plus veri, firmique habentem, aut minus ridiculam artem convolarem. Sed videamus, quid hominem diligentem moverit, & legem illam totam, pro virili, enucleemus. Ait idem Ulpianus in *l.* 5. *D. de novi oper. nunc.* edicto Prætoris cautum fuiſſe, ut quo jure, quaque injuria, novum opus faciens, ſtatim atque ei nunciatur, manum de opere tollat, quouſque vel ſatiſdederit, vel remiſſionem impetraverit; addit, quod hujus totius erroris caput, & cauſa fuit, *deinde remittetur prohibitis eatenus, quatenus prohibendi jus is qui nunciavit, non habuerit*, quibus ex verbis recte quis elicere potuit, tunc utilem eſſe remiſſionem, cum nunciatio jus prohibendi non habuit, non vero tunc ſolum, cum inutilis nunciatio fuit. Quanta inter utramque rem ſit differentia, ex vera, & germana horum edictorum expoſitione patebit, ad quam jam libenter aggredior, quoniam ita ex illa perſpicue adverſa omnia refelluntur, ut labore duplici meas partes non debeam onerare. Illud tamen præfabor, non idem quod in fine illius legis primæ dicitur, dici item in

l. de

l. de pupillo 5. §. *ſi is cui nunciatum*, & §. *qui procuratorio*, *eodem titulo*, ut opinio eruditi Cujacii tulit, ſed longe diverſum, ut infra quoque exponitur, tenendum igitur in primis eſt, propoſitum fuiſſe Prætoris edictum, cujus hæc verba ab eodem Ulpiano in *l.* 20. referuntur: *Prætor ait*, *in quem locum nunciatum eſt*, *ne quid novi operis fieret*, *quod in eo loco antequam nunciatio remiſſa fuerit*, *aut in ea cauſa eſſet*, *ut remitti deberet*, *factum eſt*, *id reſtituas*, ex quo, & Juriſconſultorum illud interpretantium relictis ceu tomibus, honorariamque, & jam perpetuam auctoritatem adeptis, illud cautum fuiſſe intelligimus: ut cuicumque, quocumque jure opus novum molienti nunciari poſſet, Ulp. in *d. l.* 1. non tamen ab omnibus, ſolum ab iis, qui juris ſui privati, aut publici tuendi gratia ſe nunciare, & affirmare, & de calumnia jurare poſſent, §. *nunciatio*, §. *qui opus novum in illa l. de pupillo*, quod Sextus Pedius eleganter explicuit, triplici cauſa novi operis nunciandi rationem contineri definiens, eadem *l. de pupillo* §. *Sextus Pedius*. Denique explorati juris erat, cuivis nunciari poſſe, non à quovis: verum ab eo dumtaxat qui, aut reapſe jus prohibendi haberet, aut habere ſe, non per calumniam poſſet contendere, *d. lib.* 1. *d.* §. *nunciatio fit.* §. *nunciamus autem*, *quia jus aliquid prohibendi habemus*, & *d.* §. *Sextus l. non ſolum* 8. §. *ultimo infra eodem*, & ſic verba illa in iſta *l. unica.* & *in fine d. l.* 1. intelliguntur, nempe *jus habere*, *vel non habere.* Neceſſario enim referuntur, ut probavimus, aut ad vero habentem, aut quia non per calumniam jurabit, ſe habere opinari, & intendere, juris permiſſione habentem. Nam edictum interdicendi facultatem ei concedebat, qui quamlibet juris ſpeciem, aut imaginem obtenderet, quæ ſi ceſſaret, *inutilis*, hoc eſt non rata, & impune negligenda nunciatio erat, ut patet ex *l. prima* §. *nunciatio fit. verſ. quod ſi quis in mari.* & §. *uſufructuarius*, & *l.* 2. ubi *inutilis* dicitur *nunciatio*, id eſt, impune prætereunda, atque inſuper habenda, & in legibus ſeq. Denique idcirco, J. C. in eo multis legibus occupati fuerunt, ut cui prohibendi jus foret, oſtenderent, nec item in omni loco facta nunciatio procedebat, ſed omnino in re præſenti fieri debebat *d. l. de pupillo*, §. *nunciationem autem*, uſque adeo, ut idcirco, in pluribus locis, opus ſtruenti neceſſe foret pluribus nunciationibus interdici, ex *l.* §. *ſi in pluribus*, quibus ſolemnibus rite obſervatis, *rata* dicebatur *nunciatio*, quamvis injuria facta, *utilis*, & *tenere*, & a Conſtantino *lib.* 2. *tit.* 4. νόμιμος παραγγελία: atque eo uſque opus omnino promoveri arcebat, quouſque, aut ſatiſdaretur, aut nunciationis remiſſio impetraretur. Ea autem remiſſio tantum in id petebatur, & dabatur, ut interim, dum litigatores de jure ædificandi diſceptabant, operis urgendi, ac perſequendi copia fieret: nec jam operis ſtructor hoc edictum, ſed ſententiam de jure proferendam timeret, nec inde ullum præjudicium ad ædificandi controverſiam oriebatur, uti probat *l.* 1. §. *is cui nunciatum*, & §. *unde quæritur*, & *l. de pupillo*, §. *proinde ſi quis*, *in fi.* & aperte, §. *qui remiſſionem*, & *l. non ſolum*, §. *ſciendum eſt autem*, ubi poſt ſatiſdationem, vel remiſſionem is *recte*, hoc eſt conſulto, & ſine ullo tum edicti, tum futuræ ſententiæ periculo, ædificare dicitur, qui ædificandi jus habuerit, & ut edicti pœna ſolveretur, aut ſatiſdederit, aut remiſſionem impetraverit. Sed & id probat Ulpianus in *lege*, *ſi opus novum* 16. & *in l.* 20. *Prætor ait*, §. 1. & §. *ait Prætor.* & in *l. ſtipulatio* 21. §. 1. & in mille aliis locis ubi ſatiſdatio, & remiſſio inter ſe comparantur. At ſatiſdatione jus agendi adimi, & pluſquam lite pendente, ædificandi facultatem parari, fatuum erit dicere. Cur autem utroque caſu inhibitio ceſſaret, declaratur in *d. l. Prætor ait*, §. *hoc interdictum.* Porro & hanc nunciationis remiſſionem ipſe adverſarius facere poterat, *l.* 1. §. *inde*

quæritur, & *l. cum procurator* 13. §. *in remiſſione*, & §. *Prætor*: & eam expromiſſio, ſeu ſatiſdatio excuſabat, cum idem, quod illa, præſtaret, ut ſupra fidem fecimus, & liquido, ac velut manu oſtenditur in ſæpius repetita, *l. de pupillo*, §. *ſi is cui nunciatum in fine*, ex quibus omnibus ſatis, ni me animus fallit, tenemus, nec ſemper opus inhiberi, nec ſemper *utilem infra* efficacem, & conſtantem remiſſionem fore, cum de jure reſtet diſceptatio, nec item ſemper *utilem infra* efficacem, & non de gradu diſceſſuram nunciationem eſſe: & ſemper eo nomine, aut *utilem*, aut *inutilem* dici, & dicendam eſſe nunciationem, *quod tenuerit*, *quod non ſit contemnenda*, ut dicitur in *l. de pupillo*, §. *præterea generaliter*: ubi quoque *non omittenda* pro eodem, & *ſupra* §. *ſi is cui nunciatum non omiſſa*, & *non nihil agat*, *l.* 14. *qui viam*, *non omniſa remittatur*, *l. de pupillo*, §. *qui procuratoris*: *non ſit nullius momenti*, *d. l. de pupillo*, §. *ſi quis forte*, non vero quod à jus habente revera, aut non habente ſit interpoſita. Rurſus, & illud tenemus hanc ſolam nunciationem, quæ ſecundum jus tenuit, remiſſione egere, non autem aliam inutilem, & quoniam non rite factam, non ratam; & ſic dicitur in iſta *l. unica*, de qua ſermonem inſtituimus, *D. de remiſſ.* nulla juris litigantium ratione habita, ſed ſolemnitatibus juris ſpectatis, *nunciatio tenere*, vel *non tenere*, *utilis*, vel *inutilis*, *remiſſione egens*, vel *non egens*, & ſic quoque luce clarius in dicta *l. de pupillo*, §. *ſi in pluribus*, *in fine*; traditur tunc demum remiſſioni locum eſſe, cum nunciatio tenuit. Quod autem Ulpianus in *fi. l.* 1. *D. de novi operis* ait, *eatenus nunciationem remitti*, *quatenus qui nunciavit jus non habuit*, & Acc. admonuit in aliis codicibus legi, uti & juris ratio monet, *habuerit* expuncta negatione: & qui nihil immutare volet, nulla ſe religione obſtringens interpretabitur, *remittitur*, cum effectu, nam & ad effectum, rectam ædificandi rationem Paulus retulit in *l. non ſolum*, §. *ſciendum eſt autem*, ex quibus quid ſit remiſſio, cur ubi ſatiſdatio intervenerit, non ſit neceſſaria, & cur tantum ea fini, qua tenuit nunciatio, locum habeat, & quis prohibendi habere dicatur, & denique totius legis ſententia palam facta eſt: & non parva ad integrum illum, de novi operis nunciatione, titulum ſemita, verum ampla, & militaris via aperta eſt. Qua in re quam quoque cæcus fuerit Franciſcus Duar. *in Anni. Diſput.* alios præ ſe cæcos exiſtimans, aliorum ſit judicium.

CAPUT XXI.

Aſſeritur Ulpiani littera in l. Fulcinius § ſciendum D. ex quibus cauſis in poſſeſſ. eatur, & *declaratur*, *quid ſit ſtatio.*

EJuſdem Ulpiani elegans ſententia, in §. *ſciendum l. Fulcinius* 7. *D. ex quibus cauſis in poſſ.* emendatione digna viſa eſt eidem erudito, atque induſtrio Jacobo Cujac. qui Ulpianum latitantis loco eum exiſtimantem, qui poſt columnas, aut ſtationes latitat, non *ſtationes*, ſed *ſtatuas* ſcripſiſſe autumnt. Poterit videri iſta emendatio, ut nihil ad jus ſpectans, illo indigna, & ejus refutatio meæ profeſſioni minime conveniens, ſed ut ille laudis, ob diligentiam, ſibi conciliandæ ſtudio excuſari poteſt, ſic ego, & ſub conſervandæ Juriſconſultorum elegantiæ ſpecie, & definitione rei, non extra omnem dubitationis aleam poſitæ, retinendæ adverſus hoc crimen laticabo. Affert ille modo quemdam Sidonii locum, ubi dicitur, *poſt columnas*, *poſt ſtatuas latitare*, at id nihil ad rem, quia nec Ulpianus Sidonii ore, nec Sidonius Ulpiani locutus eſt: ut quicquid illic invenerimus in hunc, quidquid iſtic in illum enſcribi oportent. Adde noſtrum Ulpianum hic parius, ſane preſſius *columnarum* nomine, quæ Sidonius aſiatica ubertate illic dixit, complexum eſſe, atque illud, quod ætate noſtra quoque uſu venit, ad-

didiſſe de debitoribus, poſt hominum ſtationes, latitantibus, quod ni addidiſſet, magis deſiderari in illo poſſet, quam tunc, & nunc dubitari de columnis dicta ad ſtatuas eſſe perducenda. Porro *ſtationes* hic dici, ut ſæpe apud Plinium juniorem, Aulum Gellium, & alios cenſos Latinæ linguæ ſcriptores, quos iidem circulos, & circulos hominum appellant, & vulgus *Hiſpanicum Roda d'homens*, Gallicum *compagnie*, certo conſtat, quare notiſſimis, & tranſlatitiis teſtimoniis chartas non opplebo. Poſt hos autem hominum circulos, in ſoro, & celebribus Urbis regionibus, & etiam in via, poſt ſemicirculos, atque adeo unum, duoſve homines ſeſe ære alieno preſſos, ſedulo occulere ſæpe videmus, ubi creditores ſuos, quos hoſtium plerumque numero habent, adventare ſuboluerunt.

CAPUT XXII.

Aſſeritur lectio l. ſi in emtione 34. D. de contrah. emtion.

IN dubium quoque vocatur Pauli reſponſum, in *l. ſi in emtione.* 34. *D. de contrah. emt.* & ubi ille venditori electionem dandam cenſet, eruditi Cujac. & Balduin. librariorum errore, plus æquo venditoribus faventium, nomen *venditoris* pro *emtoris*, ſubrepſiſſe judicant, quod non probo: nec ita figendas, ac reſigendas leges duco, præſertim cum nullo certo, ac firmo argumento percellimur: & quoniam totam illam legem veriſſime vir juris intelligentia, ingenii acumine, & judicii maturitate ipſis juriſconſultis priſcis non inferior, & ſi illum ſoro, ac tempori parere memineris, & juri reſpondendo, cauſiſque agendis non mediocrem operam navare, ut inde honoraria honeſtiſſime acquiſita, fratribus nec vulgari loco natis, nec multo cenſu auctis laudabilius, & commemorabilius, quam olim paternas opes Proculeſus, communicet, dictionis puritate, & caſtimonia par, ac certe laude omni dignior Arius Pinellus expoſuit in luculentis *de Reſcinden. Vendit. commentariis*: tantum admonebo legem hanc, hac in re, id dicere, quod omnino neceſſarium ſit, ſeu in jus oculos ponas, ſeu in hominum utilitatem, ad quam tuendam, conſervandamque jus ipſum conſtitutum fuit. Nam cum pactum dubium, & obſcurum valere placuiſſet, & in cujus fraudem ambiguitas illa converteretur, quæſtionis eſſet, & eſſe debuit, & fuit ſemper ejus dubitationis aſperitas, in auctorem, & ipſius cauſam relata, quippe quia ſi ambiguæ orationis interpretatio, ab ejus, qui eſt ea uſus, commodo ſumeretur, alter, qui longe ſecus verba illa accepiſſet, procul dubio injuria magno malo mulctaretur; itaque, & idem Paul. in *l. Labeo* 21. *iſto titu.* cum pacti obſcuritatem venditori nocere dixit, ſtatim addidit, *qui id dixerit*, & Conſtantinus Harm. eamdem regulam ſcribens *lib.* 1. *tit.* 9. recte ait, *ἐπὶ μὲν ὧν τῷ πράτῃ τὸ ἀσαφὲς σύμφωνον, κατ᾽ ἐκείνῃ ἑρμηνεύεται.* Atqui in hac *l. ſi in emtione* fundum emebat, cum Stichum fundo, ut quemdam cumulum præſtari voluerit, & genere quodam per Satyram pactus ſit, ſi à ratione non abhorret, & jus quod ipſi adverſus venditorem ambigua verba facientem dicitur, venditori adverſus ſe obſcure loquentem dici æquo animo laturus eſt: & quia potuit re integra apertius loqui, rem totam venditoris optioni, vel lege nulla coactus committet. De Sticho autem verba ab ipſo emtore orta eſſe, cum emtionum conſuetudo docet, tum *leg. in ambigua Digeſt. de legibus*, ſuadet.

CAPUT XXIII.

Defenditur Juſtiniani *littera in* §. ſed noſtra. Inſtit. de ſucceſſ. lib. *& antiqua ratio nummaria ad monetam vulgarem, qua Gallicam, qua Luſitanicam reducitur.*

FAvit Juſtinianus, nec immerito, ſatis prolixe patronis, qui ſervos homines natura ipſa liberos, & unum omnium parentem Adamum, ad quem, ſive per ſplendidos, ſive per ſordidos gradus, prima cujuſque origo perducatur, recenſentes non ſolum ut homines, ut contubernales, ut humiles amicos, ut conſervos clementer tractarunt, ſed natalibus ſuis reſtituerunt, & illis manumittendis, civium numero, ac firmiſſimo ornamento, patriam ſuam auxerunt, inter reliquas ea de re prærogativas, & illud conſtituit, ut quam olim *lex Papia* non cenſis, ſeu centenariis, id eſt non ſeſtertium centum millia poſſidentibus libertis, veluti ingratorum ſuſcipiendi criminis facultatem facto teſtamento largiebatur, nemo illorum præter pauperiores, nec centum aureos cenſentes conſequatur, cum eo demum loco non exiſtimavit, juſte patronos poſſe queri, nihil ſibi à libertis de re adeo tenui relictum: cum ſæpe domini nondum circumactis ſervis, ut quaſi teſtamentum facerent, mandarent, rogarentque quod viſum eſſet, ſuis dividerent, ac relinquerent, permittere ſolerent, certe Plinii junioris viri optimi exemplo permittere deberent. Nec item Juſtinianus duxit jam tunc libertos ipſos, de tam curta vilium frivolorum ſuppellectili, quidquam patronis donare verecundatos, in ullam criminis ſuſpicionem eſſe incurſuros. Ejus conſtitutio ex §. *ſed noſtra. Inſtit. de ſucceſſ. lib.* habet in hæc verba: *Sed noſtra Conſtitutio, quam pro omni natione Græca Lingua compendioſo tractatu habito, compoſuimus, ita hujuſmodi cauſam definivit: ut ſiquidem libertus, vel liberta minus centum aureis habeat ſubſtantiam, ſic enim* legis Papiæ *ſummam interpretati ſumus, ut mille ſeſtertiis unus aureus computetur, nullum locum habeat patronus in eorum ſucceſſione, ſi tamen teſtamentum fecerint.* Et hæc quidem eſt omnium, uſque ad hoc tempus, ſeu excuſſorum, ſeu manu ſcriptorum codicum littera. Verum nuper haud parum eruditus Hotomanus, ubi *centum aureis* legitur, legendum, *mille*, ubi *mille ſeſtertiis*, legendum, *centum*, contente aſſeveravit, cujus opinionem non lubenter hic attingerem, ſi tantum incommodum ex ea emanaret in Gallias, ſervorum nomen pene, & feliciter ignorantes, ſervitutem cum aliis nationibus inauſpicato prementes, (ſervitutem dico, de qua vitale mancipium Davus *apud Horat.*) quantum ſine dubio in Hiſpanias ſervis circumfluentes, nec minus ſervitute undequaque ſeptas redundaturum eſt. Hæc vero argumenta pro ſe ille affert: olim centum ſeſtertios unum effeciſſe aureum, verum: Imperatorem non ſe corrigere *legem Papiam*, ſed interpretari dicere, verum: nihil ad Africani ſcriptum in *l. liberto.* 26. *D. de bon. lib.* reſponderi poſſe, ubi centum quoque aureorum mentio, librariorum incuria, pro *mille* irrepſit, falſum: & vereor ne hominem ſui ipſius argumenta differant: ac dum plumbeo gladio nos petit, ſeſe acuto pugione tranſverberet. Nam ſi illud certum compertumque erat, uti & nunc eſt, centum ſeſtertios ejuſdem indicationis fuiſſe, cujus fuit unus aureus: quid Juſtinianus hac interpretatione ſua egit, ut nobis illam laudet, atque inculcet? Modeſte autem *interpretari*, pro *emendare*, dici poſſe ea præſertim in re, ubi tria verba non commutes, quemadmodum apud Juriſconſultos *videre*, *vereri ne ita ſit*, pro *improbare*, & *ire in contrariam ſententiam*, nemo urbanior inficias ibit. Quod ex *l. liberto* eicitur noſtram hanc interpretationem magis confirmat, & Tribonianum, quem ſæpius oblivionis damnamus, memoriæ nomine vehementer commendat, quod ubi Africanus octoginta ſeſtertiis ſcripſeras,

rat, ille, ut ſuo fungeretur officio, vel aureos addidit, quemadmodum in ejuſdem *African. leg. prim. D. de iis quæ pæn. nom.* illicite vel probroſe inſeruit, vel nomen, *centum*, ut ego lego, reliquit: ut ſic nos aureos ex hac Juſtiniani Conſtitutione ſubjungeremus, quemadmodum vulgare, & tranſlatitium eſt in aliis Juriſconſultorum reſponſis, ac potiſſimum in uſucapionum titulis actitaſſe. Denique, ut vera eſt interpretatio, nihil minus hic Juſtinianum cogitaſſe, quam veterem ſeſtertiorum æſtimationem reddere, ita aperte vana eſt quorumdam opinio, mille ſeſtertios ſemper, aut uſquam alibi, quam in hac ſpecie, pro uno aureo accipientium, in quibus valde vereor, ne nomen ſuum profiteatur diſertus Ant. Govean. in *l. 7. D. de juriſd. om. jud.* & Hotomani emendatione nihil aliud ſit, quam Juſtiniani convicia in interpretum omnium commentarios, quos legum meras corruptelas dicit, re ipſa comprobari. Sed & noſtram ſententiam confirmat Conſtantinus Harmen. *lib. 5. tit. 3. ει μετ ελαττινα.* Porro, ut quod multis voluminibus multi multa eruditione imbuti præſtiterunt, juris candidati parvo labore, & ingenti utilitate percipiant, de antiquorum nummorum cum noſtris comparatione modice, atque intra modum jam dicam, nam tametſi ad multarum legum lumen hæc cognitio ſpectet, tamen non magis Juriſconſultorum profeſſionis eſt, quam quia veſtem ſine panno nemo poteſt concinnare, ejuſdem artificis fila ducere, telam texere, pannum inficere, tegumenta corpori accommodata ex panno ſcindere, ac ſuere; ac ſane illud cum primis utile eſt, artes non commiſcere, ſed ſeparatim, quod uniuſcujuſque proprium eſt, opportuno loco tradi: nec aliter juris ſtudioſus, caſtum ſermonem, & verborum notionem, a Grammatico, argumenta, ſi vult, à Dialectico, rerum antiquarum cognitionem, ab Hiſtoricis, mutuo debet accipere; atque ubi acceperit, ad verum Juriſconſulti munus, in juſtitiæ, & legum poteſtate oſtendenda, & ad uſus rerum exercenda, ac certis argumentis, ad hominum utilitatem, vel amplianda, vel coërcenda, poſitum accedere: quam architectus calcem, qua opus habet ad ædificandas ædes, ab iis petit, qui lapides in fornacibus coquunt, arenam ab arenariis mutuatur, præterea, à fictoribus, cæmenta hinc inde comparat, ligna dolata affabre à materiariis deſumit, atque illa omnia a multifariam artificibus, ad domus uſum ſeorſum confecta, in unum conjungit. Sed ad propoſitum. As ſemper eodem fuit valore, & ille, libra, libella, & pondo quatuor denariolis Gallicis cum pita, Luſitanis decem, & ferme ſeptem ceitis conſtitit., & hic As in eas partes dividebatur, quas Juſtinianus poſt Juriſconſultos ſuis nominibus recenſet, & Alex. ab Alex. ſuſe explicat. Ex cujus aſſis notione, facile reliquorum nummorum æſtimatio in digitos mittitur. At ſeſtertius, & denarius varias ſobierunt volvente tempore mutationes. Nam ſeſtertius veterum, quos Cicero *caſcates* vocat, patrum memoria duos aſſes, & dimidiatum continuit, atque inde nomen traxit: denarius decem aſſes pependit, unde illi nomen inditum. Quorum ſumma ad noſtræ ætatis nummos redacta erit, ſi ſeſtertium, & quod idem eſt, nummum valuiſſe intellexerimus decem denarios Gallicos, & obolum, Luſitanos, plus minus, quadraginta unum ceitis: denarium autem tres ſolidos Gallicos, & ſex denariolos Turonenſes, Luſitanos centum ſupra ſexaginta quatuor, aut paulo plus, ceitis ferme viginti octo regalia. Poſtea vero at ex Metiano, Plinio, Juſtiniano in *l. ultima. C. de donationibus*, & aliis aſſiduis ſcriptoribus, probanti clariſſimo viro Anton. Auguſtino facile aſſentior, ſeſtertius valore quatuor aſſes explevit, & æquiparavit pene decem, & ſeptem Gallicos denariolos Turonenſes, Luſitanos novem ſexaginta ceitis, regalia undecim, & tres ceitis. Et ſane ſemper nova hac indicatione ſeſtertius accipiendus eſt, ut & aureus apud noſtros Juriſconſultos, & eorum æquales, ac paulo etiam antiquiores ſcriptores. At denarius non tam proprie dici poteſt immutatus, quam æquaſſe quaternos, ut antea ſeſtertios, ſed recentioris æſtimationis, quod idem in aureum, & nummos cæteros ſeſtertiis reddi ſolitos quadrat. Valuit igitur, ſeu, ſi ſic mavis, increvit in æſtimationem octo & ſexaginta denariolorum Galliæ, & regalium Luſitanorum ſex, & quadraginta, & duorum ceitis. Cujus pretii habemus hodie monetam, vulgo appellatam *dous vinteis*, ſi illa ſex regalia cum duobus obolis negligas. Aureus, vel ſolidus, ſexta aureæ libræ pars fuit, atque ideo alicubi ſextula appellatur, & ſemper centum valuit ſeſtertios, ut ex Ulpiano, & Tacito luculenter probat Antonius Auguſtinus, & ex Tacito, & Suetonio Hotomanus atque alii ex aliis. Sed hic neceſſario poſtremus ſeſtertiorum valor obſervari debet, & qui aureus apud priſcos longe minoris ſummæ fuerat, apud Juriſconſultos, & ævum noſtro propius, reddebat centum quadraginta, & unum ſolidos, cum octo denariolis Turonenſibus, & Luſitanorum centum octoginta regalia, ſupra mille paulo plus, minuſve, cujus ſummæ numiſmata aurea fuiſſe, incunctabile illis erit, qui poſt tam longum temporis intervallum, illa attrita, & ſemi-ruſa, ſciunt ponderare duo ſcuta cum altero dimidiato: ac ferme quem hodie Luſitani vocitant ſanctum Thomam, & ſanctum Vincentium.

CAPUT XXIV.

Inſtitutionum Juſtiniani *loci, omnino alii, de jure ſcriptis, adverſi in compendium rediguntur.*

CUm Juſtiniani Inſtitutiones perluſtrarem, quæ illic contraria eſſent Imperatorum aliorum Conſtitutionibus, aut Juriſconſultorum reſponſis, quæ tanta auctoritate ipſe voluit ornata, & aucta, quanta pollerent, ſi ſibi ipſi accepta ferrentur, accurate collegi, atque ea nunc paucis perſtringam: at vel levi ſuperſtitione quoſdam nullas *ἀντινομίας*, in jure admittentes exuam, vel moleſtis uram ſcrupulis. Prudenter igitur, & verecunde nodos ſolvere volentibus, non Alexandri more diſſecantibus adverſa viſum iri credo dicta *lib. 1. Inſtitut. titulo 14. §. ſed ſciendum.* de libertate directa cum *l. & ſi non ſcripta. 9. C. de fideicommiſſ. liber.* ut quæ in eodem *titul. §. ſervus autem alienus*, dicuntur cum illa eadem *l.* & *l. ſi hæreditas §. ultimo. D. de teſta. tut.* & quæ *lib. 2. tit. 1. §. cum ex aliena. verſ. vel ſpicas*, cum *l. adeo. §. cum quis ad fin. D. de acquir. rerum domin.* & quæ *eod. titulo 1. §. ex diverſo. in fin.* cum *l. 2. C. de rei vind.* & *eodem tit. §. certe illud. in fin.* penſiculata ratione, cum *l. Julianus 38. D. de rei vind. & eod. tit. §. ſi Titius: verſi. & ideo*, cum *l. ſi plures 6. §. ultimo D. arbo. furt. cæſ.* & *eodem titul. §. ſi quis in aliena tabula*, cum *l. in rem. 24. §. ſed id quod D. de rei vindic.* & *eodem tit. §. Theſaurot: verſ. idemque ſtatuit.* cum *l. tertia. §. ſi in locis D. de jure fiſci.* & *eodem libro 2. titulo 3. §. prædiorum urbanorum*, cum *l. eo jure §. ultimo D. quibus modis pignus vel hypot.* & *l. 2. C. de ſervit. ruſt.* & *eodem libro titulo 5. de uſu & habitatione. verſic. namque ir*, cum *l. plenum 12. §. primo.* & *l. fundi. 15. D. eodem*, & *eodem lib. tit. 20. §. ſi quis debitori ſuo. verſ. quod ſi in diem.* ibi, utilem eſſe, cum *l. debitor. 84. D. de legat. lib. 2.* & *eodem titul. §. ſed ſi ſervus, verſic. idem eſt ſi fundus*, cum *l. 28. D. de fundo inſtr.* & *eodem tit. §. ſi generaliter*, cum *l. ſi domus 74. D. de leg. libro primo*, & *eodem titul. §. ſed ſi rem.* cum *l. 1. D. de reg. Caton.* & *lib. 3. tit. 4. §. finitur*, ibi, duabus, cum *l. 8. D. de annu. leg.* & *eodem libro tit. 7. §. ſed noſtra*, cum *l. is qui D. unde cogn. l. qui ex libera C. de ſuis, & legitimis, l. liberto. D. de bonis liber. l. inteſtato. 3. D. de ſuis, & legitimis hæredibus*, & *eodem libro titul. 9. §. datur autem verſic. unde quærebatur*, cum *l. utrum ei D. de aſſignat.*

Digitized by Google

aſſignat. liber. & *tit.* 20. *ejuſdem libri* §. *præterea*, cum *l. prima.* §. *ſi ſtipulanti mihi D. de verborum obligation.* & *titul.* 25. §. *penultimo*, verbo, *diligentiſſimus*, cum *l. ſi ut certo.* 5. §. *nunc videndum D. commod.* & *titul.* 29. §. *per eum quoque*, cum *l. per ſervum* 14. *D. de uſu*, & *habit.* & *lib.* 4. *titul. ultim.* §. item *lex Cornelia de Sicariis*, *in princ.* & in *verſic. eadem lege*, cum *l. ejuſmodi* 3. §. *legis Corneliæ*, & *l. pen. D. ad l. Corn. de Sicar.* quæ ſane omnia non minus jus illud antiquum controverſum, & male de jure reſpondentium tutum munitumque aſylum ſapiunt, quam *l. Paulus reſpondit.* §. *ult. D. de bon. libert.* cum *l. ſi patronus* 12. illo *tit. l. cætera D. de leg. lib.* 1. cum *l.* 1. *D. de reg. Cat. l. ſi venditor.* 6. §. *ultim.* cum *l. ſeq. D. de ſer. expor. l. ſi non ſortem* 26. §. *pen. in fin. D. de condict. indeb.* cum *l. pen. C.* illo *tit. l.* 10. *D. de uſu*, & *habit.* cum *l.* 13. *C. de uſufruct. l. rei judicatæ* §. 1. *D. ſol. matri.* & *l.* 1. *C. rerum amot.* & *l.* 6. *C. de compenſat.* cum *l. unic.* §. *taceat.* & §. *ſed nec retentio C. de rei uxor. act. l. commodiſſime* 10. *D. de liber.* & *poſth.* cum *l. ultima C.* illo *titul. l. præſcriptio* 45. *in princ. D. de uſucap.* cum *l. ſi quiſquam D. de diverſ. præſcri.* Sed pax, nec enim præter Inſtitutionum locos cum jure alio pugnantes referre propoſui. Aliæ alibi *ἀντινομίαι* commodius recenſebuntur.

CAPUT XXV.

Oſtenditur ἐκ διαμέτρου l. qui ſcit. 25. §. bonæ fidei. D. de uſur. *cum* l. qui bona fide. 23. D. de acquiren. rerum domi. *diſſentire.*

NOn erit abs re ſi aliam hoc loco addam juris *ἀντινομίαν*, & quæ interpretum, ſeu anilis religio, ſeu impudens verecundia eſſe ſoleat, in tutanda Triboniani majeſtate oſtendam. Julianus in *l. qui ſcit* §. *ult. D. de uſur.* ſic habet: *bonæ fidei emtor ſevit, & antequam fructus perciperet, cognovit fundum alienum eſſe, an perceptione fructus ſuos faciat quæritur.* Rſ. *bonæ fidei emtor, quoad percipiendos fructus intelligi debet, quandiu evictus fundus non fuerit. Nam, & ſervus alienus, quem bona fide emero, tandiu mihi ex re mea, vel operis ſuis acquirit, quandiu à me evictus non fuerit.* At Ulpian. in *l. qui bona fide* 23. *D. de acquir. rerum domi.* ſic ait, *qui bona fide alicui ſervit, ſive ſervus alienus eſt, ſive homo liber eſt, quid quid ex re ejus, cui ſervit, acquirit, ei acquirit, cui bona fide ſervit.* &c. addit. *tandiu autem acquirit ei, quandiu bona fide ſervit. Cæterum ſi cœperit poſſeſſor ſcire eum alienum eſſe, vel liberum, videamus an ei acquirat; quæſtio in eo eſt, utrum initium in eo ſpectemus, an ſingula momenta, & magis eſt ut ſingula momenta ſpectemus.* Hæc ita aperto marte alternis dimicant, ut vel Phineo ſit cæcior qui id non videat, vel ſummus poſt natos homines præſtigiator, qui ſecus alicui cor habenti perſuaſerit, vel numerus plane, ac ſponſus Penelopes, qui in ſomniis ad res adeo perſpicuas confictis, ac vero mortuariis gloſſariis, ut inquit ille, vel probandis, vel accurate improbandis otio abutatur, & non potius eorum architectos eadem pœna condemnet, qua *nymphalar*, cui ſyllaba dicta bis nomen erat, ab Ovidio *de faſtis* mulctata ſcribitur. Sed ea jam referamus, ut promiſimus. Quidam antiquiores relati à *Gl. in d.* §. *ultim.* autumarunt, illo §. *decidi quæſtionem*, in *d. l. qui bona fide* ſolum proponi; alii quod deciſio illius §. *ultim.* ex æquitate alterius ex jure ſummo promeretur. Accurſ. cum non paucis complicibus in *l. ſed & ſi lege* §. *de eo verb. parui. D. de petit. hær. retulit. d.* §. *ultim.* ad bonæ fidei poſſeſſorem habentem titulum, ut loquuntur, ſeu cauſam, tex. contrarium ad poſſeſſorem ſine titulo: nec meminit Paulum cum Ulpiano facientem in *l. bonæ fidei.* 48. *D. de acquir. rerum domin*, de bonæ fidei emtore agere. Alii opinati ſunt in §. *ultim.* non agi de acquiſitione fructuum, ſed de rei retentione uſque ad ſententiam, & rem judicatam, quos bene carpſit Siceus ea in re, ut in aliis pleriſque Copus, *lib.* 2. *de Fruct. tit.* 4. *cap.* 5. *num.* 6. Paul. Caſtren. in *d. ſed*, & *ſi lege* §. *quod autem num.* 6. & Charon. *lib.* 1. *Veroſimilium cap.* 7. Ita nihil veroſimile attulerunt, ut lubenter eorum dicta lethæis aquis maceranda ad Charontem relegem. Alii huic malo ſalutem quæſierunt, cenſentes Julianum in eo §. *ultimo*, tantum voluiſſe, ut bonæ fidei poſſeſſor unuſquiſque crederetur, donec contrarium probaretur. Alii, quorum anteſignanus fuit Alberic. in ipſo §. *penultimo*, partem ultimam illius, §. *non morantes*, & in *legem incivile D. de legib.* committentes, Julianum intellexerunt in ſola fructuum quæſtione: in qua ſementis factæ tempore dumtaxat animus ſibi bene conſcius deſideraretur. Accurſius à quo eſt cæterorum doctorum turba, ne ſui nominis profeſſioni parum reſpondiſſet, auctor fuit in §. *ultim.* tantum percipiendorum fructuum copiam fieri, non vero & ſecuritatem non illos extantes reſtituendi, poſſeſſori dari: & de hac reſtitutione verba fieri a tex. contrariis. Quæ opinio quoniam, uti dicimus, frequentius interpretibus probata eſt, & conſtat ex Saly., & Florian. in *eod.* §. *ultim.* Barto. in *d. l. ſed*, & *ſi lege.* §. *de eod.* & in *l.* 1. *C. de rei vind.* Fab. in *princ.* Angel. Aret. *col.* 2. *in* §. *ſi quis à non domino. Inſtit. de rerum diviſ.* Copo ubi *ſupra numer.* 8. eam profligabimus, & caput concludemus. Primum igitur quod inquiunt, verum eſſe nequit, quia de verbis, pene ſcripſeram gerris, non de rebus Juriſconſult. agerent; deinde quia utrobique eiſdem verbis quæſtio proponitur, & eiſdem verbis propoſitæ quæſtioni, accommodatur reſponſio. Poſtremo quoniam illa interpretum adjectio, *ſi fructus extent*, nullo modo poteſt congruere mala fide infecto, cum ſolum conveniat bonæ fidei poſſeſſori, *l. certum C. de rei vind.* in cujus Scyllam profecto inciditur, dum ſuperior Charybdis vitatur. Non tamen omittam Juliani ſententiam probari *βασιλικῶν* librorum auctoritate, ut liquet ex Harmenop. *lib.* 2. *tit.* 1. *verſ.* ὁ καλῇ πίστει νεμηθείς. Nam quæ ille illic ait, ex libro *βασιλικῶν* βτγ. καιφ. γλδ. ſumpta eſſe, libri manuſcripti docent.

CAPUT XXVI.

Exponitur princ. Inſtitution. de verborum obligation. & l. ſecunda, §. circa. D. de doli except.

JUſtinianus in *prin. Inſtit. de verb. obl.* Juriſconſultos ſecutus, dixit obligationem verbis contrahi, ex interrogatione, & reſponſione, cum quid dari, fierive nobis ſtipulamur, qua in re notatur à nonnullis eruditis, quorum, & dux Ant. Govean. & argumentum Caius, *lib.* 2. *Inſtitut. de obl.* aiens ſtipulationem fieri, ex interrogatione dantis, & reſponſione accipientis. Eſt, & eorum aliud argumentum, quædam iniquitas, ex me tibi verbis ſolum obligato, ſi rei preterea nihil intercedat enaſcens. Alii Juſtinianum defendunt, & quo jure, quaque injuria nihil certius afferentes, in alios irrumpunt, ad Caii auctoritatem connivent, iniquitatis arietem neſcio qua (vulgari interpretum errore) doli exceptione propellunt. Sed videamus num Caïus nihil adverſari debeat, & Juſtiniani defenſio ad manum ſit, & doli exceptionis commentum vanum, atque abſurdum fuerit, ac primum Caii locum omnino depravatum, & ejus verba inverſa, omni aſſeveratione affirmo, quia vel ſi Caïus tantum egit de ſtipulationibus, ſolitis addi contractibus, cum in illis, & uterque permutans, & emtor, ac venditor æque dare, & accipere dicatur, elegantius potuit, ac debuit inverſo ordine hæc ſcribere: quemadmodum ſcripta reliquiſſe cenſendus eſt, ne donationum

tionum ſtipulationibus prætermiſſis, finitionem ſuam perditum eat, denique vel hoc, vel alio modo defendendua eſt Caius, ne Pomponium in *l. 5. §. ſtipulatio. D. de verborum obligation.* Paulum *lib. 2. Recept. c. 3. & libr. 5. c. ſeptimo*, & Juſtinianum hîc apertos adverſarioa habeat. Iniquitatis argumentum, quod ſit omnino, non video. Nam ſi tu me interrogas, an tibi centum velim dare, & ita interrogas, ut exaudiaris, ut verba tua recte teneam, & ipſe me daturum oſtendo, ac recipio: quod malum eſt aut quæ iniquitas me obligari? aut quæ potius, & iniquitas, & abſurditas non eſt, vel impune fidem ſallere, vel hominum ludificationes jure non cohiberi, donationes vero ſtipulationibus celebrari, & nos alligari? clarior res eſt, quam teſtibus indigeat; quocirca unius Plauti auctoritate fulcietur, qua etiam ad exceptionem doli ſubmovendam ſum uſurus, ait ille in *Pſeu. P. Satir eſt, ſi hanc hodie mulierem efficia tibi. tua ut ſit, aut ſi tibi do viginti minar? C. ſatis, ſi futurum eſt, P. Roga me viginti minar, ut me effecturum tibi. quod promiſi, ſciat. Roga. C. obſecra hercle. P. Geſtia promittere C. dabisne argenti mihi viginti minas? P. dabo: moleſtur nunc tu ne ſis mihi.* Qui plane locus, ita quoque locum uullum exceptioni doli relictum eſſe, oſtendit, ut aliunde nulla advocari alia probatio deberat. Sed quoniam non ſolum ille eruditus interpres, velut manu, in hoc lutum ductus eſt ab Ulpiano non intellecto io *l. 2. §. circa. D. de doli excepti.* ſed longe ante eum Accurſiux in *eodem §* & in aliia multis, ac variis locia, & cum eo nomeroſa interpretum phalanx commemorata ab Alex. in *l. à Titio. D. de verb. obl. & conſi. 13. lib. 1. & conſi. 19. lib. 4.* à Jaſ. in *l. lecta num. 25. ad fin. D. ſi cer. pe.* in *l. juriſgentium §. ſed cum nulla num. 3.* & *numer. 25. D. de pact.* à *Feli. in c. ſi cautio. colum. 1. de fid. inſtr.* Hypo. in *Rub. num. 318. D. de fidejuſ.* Ant. Gomez *cap. de qualit. contract. numero 3.* & Loriotus inauſpicato aliorum errorem ſibi aſſerena, de *pact. cap. 59.* ad futilem hanc, & injuſtam opinionem adhæſerunt, nec præclarum Connani ingenium hanc ſoveam cavit *libra quinta, capit. 9.* neceſſe eſt, oſtendam jus aliud quidpiam dicta re, ac *§. illum circa.* exponam. Et vero, pro mea ſententia, magnum erit argumentum, aut leges noſtras legea non eſſe, ſed jocularia ſcurrarum ludibria, aut cum diſerte ſanciuot nos ſtipulatione obligatum iri, & ſtipulationis formam edunt, illoa obligatoa eſſe, qui dictatæ formæ verba conceperint. Nec ridiculæ ſubtilitatis machinatio admitti debet, quæ modo ait ſtipulationem valere, modo admota doli exceptione perſringi, quoniam ea una re, majeſtas juris proculdubio imminuitur. Deinde qui fieri poteſt, ut ulla unquam ſtipulatio, ſine cauſa dicatur? cum omnium obligationum amotio, & rogantis, ac promittentis deliberatio, ſi nec illi fatui fuerunt, nec nos eſſe volumus, donandi cauſam adeſſe præ ſe ferant. Denique ſic ſe rem habere, adductum Plauti exemplum luculenter commonſtrat, & Juſtinianus *Inſtit. per quas perſonas cuique acqui. §. item nobis*, manifeſto indicat, etenim inter juſtæ traditionis cauſas ponit ſtipulationem. Sed, & credo omnem illam interpretum turbam lubenter in eamdem ſententiam fuiſſe conceſſuram, ni Ulpiani reſponſo effaſcinaretur. Ulpiani hæc ſunt verba: *circa primam ſpeciem, quibus ex cauſir exceptio hæc locum habeat, hæc ſunt quæ tractari poſſunt. Si quis ſine cauſa ab aliquo fuerit ſtipulatus, deinde ex ea ſtipulatione experiatur; exceptio utique doli mali ei nocebit; licet enim eo tempore, quo ſtipulabatur, nihil dolo malo admiſerit, tamen dicendum eſt eum, cum litem conteſtaretur, dolo facere, eo quod perſeveret ex ea ſtipulatione petere.* Si ſane hîc totiua Pauli orationis clauſula fuiſſet, non omnino ineptam cauſam adverſarii habere viderentur: verum addit: *& ſive cum interponeretur, juſtam cauſam habuit, tamen nunc nullam idoneam habere videtur. Proinde, & ſi crediturus pecuniam ſtipulatus eſt, nec crediderit, & ſi certa fuerit cauſa ſtipulationis, quæ tamen aut non eſt ſecuta, aut finita eſt, dicendum erit nocere exceptionem.* Quibus ex verbis neſcio quia non perfrictæ frontis homo ibit inficias, Ulpianum dixiſſe ſtipulationem, ſine cauſa in ſuperiori parte, cum credena mihi à te centum mutua data, vel alia ratione à me tibi debita, centum tibi promiſerim, quæ tu poſtea, erroris conſcius, à me jam reſipiſcente exigere perſeveres; nec ſane alter poteſt intelligi exactor, non dicam ex ſtipulatione, ſed etiam mero pacto, ſine hujus erroris interventu actionem ſibi ſuppeditandam exiſtimans, dolo agere, cum promiſſionem, bona fide ſibi factam, comprobari re ipſa poſtulet, & alter potius illiberaliter fidem datam non agnoſcens, hoc vitii nomine ſit notandus. Itaque hæc poſthac vera ſine dubio omnibus viſum iri ſpero, quemadmodum, & olim viſa ſunt Albe. in illo *§. circa* Fulgoſ. in *l. generaliter numer. 5. & 6. C. de non num. pecu.* Paul. in *l. quotiet num. 9. D. de ſolu. matrimo.* & non ita pridem Riquerio in *Rubrica. num. 21. D. de verb. obligat.* Quod autem idem Ant. Govea. collegit ex *l. jurit gentium, §. quod fere. D. de pact.* vanum eſſe oſtendit verus Accur. & aliorum ad illum text. intellectus.

CAPUT XXVII.

Qui debeat accipi, jus ipſum, & jure ipſo in jure.

Video apud doctos non ſatis conſtare, quem ſignificatum habeat jus ipſum, & jure ipſu, quapropter, quid de hac re mea ferat opinio, & quid ex noſtri juris auctoribus collegerim, in pauca conferam. Jus ipſum teſte Pomp. in *l. 2. his legibus*, & *§. deinde cum eſſet*, & *§. ita in civitate noſtra D. de orig. jur.* pro *lege 12. tab.* uſorpabatur, & ita ſemper ab iis, qui proprie locuti ſuot, ponitur, ſic enim accepit excelſo ingenio Papinian, in *l. ſi teſtamenta 50. §. quod ſi duo D. de fidejuſſ.* ſic Ulpian. in *l. 1. D. de cur. fur.* ſic Pompon. in *l. qui bis idem. 18. D. de verb. obl.* quod jua vetua à Juſtiniano dicitur *Inſtit. lib. 3. tit. 10. in princ.* & *lib. 4. titul. 8. §. ultim.* frequentius tamen jua ipſum ad juris honorarii differentiam poſitum legimua, pro jure civili, ex *ll. 12. tabul.* reſponſis prudentum, S. C. plebiſcitia, & principum Conſtitotionibus conſlato. Sic accipitur ab Ulp. in *l. 1. §. ult. D. de ſuperſic.* in *l. 1. D. quibus mod. uſusfr. amit.* in *l. ſi uſusfructus, D. uſufruct. quemad. cave.* in *l. 1. D. quod falſ. tut.* in *l. in cauſæ 17. §. idem etiam filius, D. de minor.* ſic quoque oſurpatur à Paulo in *l. ſi tibi decem. 18. D. de pac.* in *l. ſi unur §. pactus*, illo *tit.* à Pompo. in *l. ſi rem quam 29. D. de evict.* ſic à Juſtin. *Inſtit. lib. 3. tit. 10. §. quer autem*, & *tit. 11. §. ultim.* & *tit. 20. §. plane*, & *lib. 4. tit. 6. §. actiones autem*, & *tit. 12. §. non autem omnes*, & *tit. 13. §. item ſi in judicia*, quin etiam aliquando ſimpliciter jua appellatur, ut à Scævula in *l. ubicumque 61. D. de fidejuſ.* ab Ulpian. in *l. ſi quis cum alter. 39. D. de verb. obl.* à Pomp. in *l. jur noſtrum. 7. D. de regul. jur.* & paſſim ab eiſdem, atque aliis alibi appellatur quoque jus ſolemne, à Pomp. in *l. 27. D. de reg. jur.* jus commentitium, à Paul. in *l. ſi pœna. 20. D. de pœn.* præcepta civilia, & legum ordo, à Triphonino in *l. bona fides 31. D. depoſi.* ſtrictum jus, à Papinian. in *l. hæreditas 53. D. de peti. har.* à Paulo in *l. ſi quir dubbur 30. D. de conſt. pecu.* à Jaboleno in *l. ſi hæreditas 28. D. de ſtatulib.* merum jus à Paulo in *l. in cauſæ 17. D. de mino.* mera ſubtilitas, ab Ulp. in *l. 3. §. ſi quis Titio. D. de adumen. le.* aliquando jua ipſum otriuſque juris, qua civilis, qua prætorii ſubtilitas dicitur, ut à Juſtiniano *Inſtit. lib. 4. tit. 13. §. item.* Sed, & ſæpe aliquid jure ipſo fieri dicitur, hoc eſt à lege ipſa, abſque ullius hominis opera, & interventu; quo ſane modo ferme ſemper vulgus, interpretum illud accipit. Sic au-

Digitized by Google

tem illud poſuit Papinian. in *l. dote. 61. D. de ritu nupt.* bis Ulpian. in *l. quod dicitur 5. de impen. in reb. dot.* & in *l. ſi ego 10. §. ſi res alicui. in fin. D. de jur. dot.* Paul. in *l. ſi is 57. §. quod dicitur D. de jure dot.* & *lib. 3. Recep. tit. 6. §. uſusfructus.* Cajus in *l. inter fidejuſſores 11. D. de fidejuſ.* & ſic paſſim, accipiendum eſt in *tit. de infam.* & apud Juſtinian. *Inſtit. lib. 3. tit. 1. §. ſui autem*, & *lib. 4. tit. 6. §. in bonæ fidei. ver. ſed noſtra*, & *§. item ſi de dote ver. nam ob impenſas.*

CAPUT XXVIII.

Defenditur, & enarratur Juſtiniani ſententia, in prin. Inſtit. de cap. deminut.

INjuſtis Juſtiniani vitiligatoribus ſæpe mihi ſtomachus movetur. Ejus cauſam aliquando accurate, ac ſubtiliter agam; nunc ubi ſe occaſio dabit, non deſinam illum ab iniquis calumniis vindicare. Ait ille in *princ. Inſtit. de cap. deminut.* emancipationem, emancipatis minimam capitis deminutionem inferre. Id diſerto Anton. Goveano, ac nonnullis aliis, poſt imaginariæ venditionis ceremonias ſublatas, falſum videtur, a quorum ſententia uſque adeo abhorreo, ac jus ipſum abhorrere, exiſtimo, ut poſt gerras illas commentitiæ venditionis antiquatas, hoc verum eſſe contendam, & antea omnino falſum fuiſſe arbitrer. Ex Dionyſ. Halicar. & aliis compluribus ſpectatæ fidei auctoribus didicimus, tantam poteſtatem in filios jure Romano parentes habuiſſe, ut illos vendere, & ſemel venditos, ac manumiſſos iterum, atque iterum in ſuum mancipium revocare poſſent. Quocirca tantæ poteſtati imminuendæ, ſolemnitas fuit accommodata, cujus Cajus, & Ulp. *in Frag.* & Pau. *Recep. ſententiarum.* Gellius, ac late Theoph. in *§. præterea. Inſtit. qui mod. jus patr. poteſtatis*, meminerunt, qua nempe pater, filium, uti ſervum, alteri contracta fiducia alienabat, & denuo in ſuam manum aſſertum eidem, vel alteri nexu addicebat, ac tertio eumdem orbem errabat, ac tum demum filius emancipatus, hoc eſt omnino à patre alienatus, in alterius poteſtatem redigebatur, a quo, ut verus ſervus circumactus, tandem liber evadebat. Quæ alienatio, ac manumiſſio, imaginaria, ſine dubio inducebat minutionem, ſed, & ſine dubio nec minimam, nec mediam: cum emtor ea alienatione ſic ditior fieret, ut ſi fiducia contracta non cogi poſſet, aut fidei multo juris viribus valentioris, ratio non haberetur, in perpetua ſervitute filius victurus foret. Denique ut extra omnem diſputationis aleam poſitum eſt, illum illo modo in ſervilem cauſam deduci, ita in confeſſo ſit oportet, eumdem, & civitatis, & libertatis jure cecidiſſe, & conſequenter maximam capitis minutionem incurriſſe. Quamobrem caute a Triboniano in *l. 3. §. ult. D. eod.* ſolum capite minutus, ex Pauli ſententia ſcribitur, & quam capitis jacturam faciat, non exponitur: ne ſi illic de maxima memoraretur, Juſtiniano Paulus adverſaretur: ſi de minima, ipſius Pauli ratio, & ratione expreſſa ſententia diſſiderent. Qua etiam ratione exiſtimo Ulpiani verba inverſa à Triboniano, in *l. 1. §. capitis minutio D. ad Tertyl.* ut quo loco Ulpianus ſcripſerat: *capitis minutio contingens liberis, nihil nocet ad legitimam hereditatem ſalvo ſtatu*: ſentiens hanc capitis minutionem, poſtquam filiorum ſtatus incolumis manumiſſione fieret, nihil eos prohibituram, ad legitimam hæreditatem aſpirare, Tribonianus, non male hic ſui officii memor, verba illa, de ſuo loco deturbata, in illum conjecit, in quo cum Juſtiniano convenirent. Unde melius poſthac, ni me animi fallit, intelligetur, cur emancipatio mortalitati comparetur in *l. Gallus §. & quid ſi tantum Digeſt. de lib. & poſthum.* & in aliis juris locis: quando, & quæcumque alia ſervitus morti conferatur *l. ſervitutem D. de reg. jur.* Hinc quoque intelligetur, cur Ulp. in *Fragm. tit. 11. §. minima capitis*, minimam capitis deminutionem tantum fieri adoptione, & in manum conventione dicat, cum nulla alia ſupereſſe illius minimæ de ſtatu motionis imago excogitari poſſet. Hinc etiam intelligetur vanam prorſus Juſtiniani ſententiam futuram fuiſſe, ni ad ſuam juris interpolationem reſpexiſſet. Reſtat ut id jure novo verum eſſe oſtendamus, quod jam facile ita fiet: capitis deminutio nihil aliud eſt, quam prioris ſtatus commutatio; ſtatus, & caput nihil eſt aliud, quam exiſtimatio, locus, ac numerus, quo quis ab agnatione, à civitate, à libertate cenſetur. Is integro capite dicitur, qui ſacris, & civitate, & libertate, quibus antea potiebatur, adhuc fruitur; Filiusfam. emancipatione, quamvis jam nec civitatis, nec libertatis jus amittat, amittit tamen ſacrorum familiarium jura, ut qui ſeſe in arrogationem dedit. Ergo & hic, & ille, pari capitis deminutione, & ea minima affectus judicari debet. Porro illud obſervavi, apud pleroſque Latinæ linguæ graves ſcriptores, *capite deminui*, & *capite minutum*, vel ad mediam, vel ad maximam capitis minutionem referri. Quo & illud Pauli in *l. 3. §. ult. D.* eo referemus, ſi Triboniano memoriam negemus, & Horatii illa carmina de Regulo, *lib. 3.*

Fertur pudicæ conjugis oſculum,
Parvoſque natos, ut capitis minor,
A ſe removiſſe, & virilem
Torvus humi poſuiſſe vultum.

Cum Cicero de eo, *lib. 3. Officiorum* ita loquatur: *in ſenatum venit, mandata expoſuit, ſententiam ne diceret recuſavit: quandiu jurejurando hoſtium teneretur, non eſſe ſe Senatorem.* Nec id nagabunt, qui de illo noſtri Silii Italici carmina *lib. 6.* memoria tenent, ut obiter Acronem capite minorem, pro inſano accipientem, contra verba illa, virilem vultum, & conſtantiæ laudem ab Horatio ſcribi propoſitam: eodem modo, quo ipſe interpretatur, minorem capite illic fuiſſe intelligamus.

CAPUT XXIX.

Defenditur, & explicatur Juſtinianus, in §. ex non ſcripto, Inſtitu. de jure natu. gentium.

JUſtinianus in *§. ex non ſcripto Inſti. de jur. nat.* ait non ineleganter, in duas ſpecies jus civile diſtributum videri: *nam*, inquit, *origo ejus ab inſtitutis duarum civitatum, Athenarum ſcilicet, & Lacedæmoniorum, fluxiſſe videtur; in iis enim civitatibus ita agi ſolitum erat, ut Lacedæmonii quidem magis ea, quæ pro legibus obſervarent, memoriæ mandarent, Athenienſes vero ea, quæ in legibus ſcripta comprehendiſſent, cuſtodirent.* Hotomanus magis hoc loco Ariſtarchus, quam verus interpres, ineleganter hæc dicta à Juſtiniano autumat. Primum, quia juris origo, ſolis Athenienſibus, & Lacedæmoniis accepta ferri non debeat, deinde quia Lacedæmonii mores, à Romanis, non ſint ſine ſcriptis conſervati, ut populi Romani conſuetudo ea ſit dicenda, quæ ab illis ſumpta fuerit. Poſtremo quoniam Athenienſes, & non ſcriptum jus habebant. Sed vereor, imo nec vereor, ut hæc ſit iniqua notatio, nam nec Juſtinianus dicit ſolum à Lacedæmoniis, & Athenienſibus jus effluxiſſe, ſed ſolum, quod illi loco quadrat, ait ejus juris, nempe ſcripti, & non ſcripti, originem ab illarum duarum civitatum exemplo tractam, & quoniam illa diviſio duarum civitatum Reſp. eleganter conſtitutas referebat, non inelegantem eſſe exiſtimat, nec item negat Lacedæmoniorum mores in ſcripta à Romanis redactos, ſed jus è moribus Quiritum deſcendens umbram, & imaginem Lacedæmoniorum opinatur, & ex illis originem ſumptam arbitratur. Nec item negat Athenienſes ἄγραφον jus habuiſſe, ſed quemadmodum magis Lacedæmonios,

nios, legibus non ſcriptis uſos, inquit, ſic magis Athenienſes ex legibus ſcriptis jus dixiſſe narrat. Denique totus in eo eſt, ut elegantem juris diviſionem cenſeat, quia inſtituta illarum prudentiſſimarum civitatum ſapiat, & juris Romani dividendi ratio, atque origo, ex illarum imitatione profecta ſit. Quo in exemplo non inelegans caput illius diviſionis confirmandæ ponitur: ſed origine referenda ad illorum populorum imitationem græculi Triboniani ambitio oſtenditur, qui Græcis etiam illud potius deberi voluit, quam ad ipſius rei Romanæ cunabula referre, cum ab illis ante ullam Lacedæmonis, & Athenarum cognitionem, plurimis legibus partim ſcriptis, partim non ſcriptis, civitatem ſuam tranquillam, ac felicem, Romanos cuſtodiiſſe auctor ſit Dionyſ. Halicar. *lib.* 2. & Ulpia. non leve ejuſdem rei argumentum ſuggerat, in *l.* 1. *D. de cur. fur.*

CAPUT XXX.

Explicatur Papiniani reſponſum, in l. cum pater 70. §. cum inter D. de leg. lib. 2.

SUblimis ingenio Papiniani *in l. cum pater* 79. §. *cum inter. D. de leg. libr.* 2. hæc ſunt verba: *cum inter libertos ad prædii legatum liberta quoque eſſet admiſſa, quod patronus petit, ut de nomine familiæ non exiret, hæredem libertæ filiam partem prædii quam mater acceperat, retinere viſum eſt.* Quibus paucis verbis ille commentatorum oppido fatigata ingenia, in non paucas, nec parum varias ſcidit partes. Totius autem difficultatis crux in eo poſita eſt, quod filius, qui in matris familia cenſeri nequeat, *l. pronunciatio, in fi.* cum *l. ſeq. D. de verb. ſig. l. illud, §. ad teſtamenta, D. de bon. poſ. contra tabu. l. nulla, D. de ſuis & leg. hær. §. feminæ. Inſt. de ado. §. cæteri Inſti. de hær. quali. & diffe.* ad fideicommiſſum tali formula, relictum admittatur. Quid ego aliquando ea in re obſervaverim, & in florentiſſima id temporis Columbricenſi Academia, coram magna omnifariam eruditorum frequentia, non ſine laude, propoſuerim, brevi aperiam. Prius tamen commemorabiliores, in eamdem rem, doctorum juris opiniones, & referam, & refutabo. Primum igitur Accurſ. ex Azo. opinatus eſt Papinianum, ex æquitate, non ex jure, quæſtionem definiiſſe: ut quoniam libertinæ filius, ſi viva matre ingrati crimen ſuſcepiſſet, propter matris conditionem, in ſervitutem revocari poterat, & eum ea in ſpecie matris fortuna opprimebat, hic ex regula generali *l. ſecundum naturam, D. de reg. jur.* ut de domo matris fideicommiſſum conſequeretur. Sed diſplicet hic intellectus, cum quia non liquet Theo. & Valent. in *l. ult. C. de lib. & eorum lib.* idem in libertinæ filios voluiſſe, quod in liberos libertinorum conſtituerunt, tum quia illa æquitas ſufficere non debebat, ut filius matris familia cenſus, teſtatoris voluntatem, certe diſpoſitionem everteret. Succeſſit Alb. interpretatio, & cum eo facientium Imo. & Cuma. hic, & in *l. peto §. fratre, D. eo. qui textum* hunc juxta impropriam, & latam verbi *familiæ* ſignificationem intelleait, argumento, §. *ultimæ. C. de verb. & lect.* 2. *num.* 155. *ſign.* ſed & hic intelligendi modus diſplicere debet. Quoniam tametſi impune quidvis prætexere, & comminiſci ad tutandum Papinianum poſſimus, tamen veroſimile non ſit, illum à verborum proprietate deflexiſſe: cum generalis in contrarium determinatio foret, *l. non aliter* 68. *D. de leg. lib.* 3. *l.* 1. §. *ſi is qui navem, D. de exercit.* ibi, verbis ſervire, *l.* 2. *C. de ſolut.* ibi tantum, quantum lectio probat in ſcriptura, tradit latiſſime Tiraq. in *l. ſi unquam, verb. libertos nu.* 5. *C. de revoc. don.* Mantua. *de ſolut. argu. pag.* 575. Adde nullo jure probari, etiam ex lata *familiæ* ſignificatione, filium ad matris familiam referri poſſe: cum nec mater ullam familiam habeat, nec jus permittat, aliquem in duabus familiis cenſeri. Et denique grammaticorum ſcholæ à Juſtiniano in *l.* 2. *C. de conſtitu. pecun.* non contemptæ pertinaciter reclament. Conſecuta eſt Salic. enarratio in *l. ea lege nu.* 4. *C. de condict. ob cau.* nempe ut hic textus ſpecialiter in filio intelligatur, ob maximam conjunctionem, quæ illi cum matre intercedit; à quo ſtant Fulg. *Conſi.* 116. *n.* 3. Dec. *conſi.* 26. *nu.* 6. & *conſi.* 422. *nu.* etiam 6. Covarruv. *in cap. Raynaldus nu.* 10. *de teſta.* Sed & hanc expoſitionem ſpecialitatum ſuſpectio, ac miſeria profligat, & quod matris conjunctio, nec debet, nec poteſt defuncti teſtationem de gradu ſuo dimovere, arg. *l. ex facto, §. ſi quis rogatus in princi. D. ad Trebel. l. generali. §. ſin autem, C. de inſtit. & ſubſtit.* Quarta, & poſtrema, nec enim plures referam, interpretatio accepta ferenda eſt Bart. in præſenti, in cujus ſententiam turmatim diſceſſere omnes. Exiſtimavit ille juris non levis interpres, ideo libertinæ filium in hac ſpecie admitti, quia prohibitio certi generis perſonarum, ad legitimos hæredes non extendatur, ex gloſſæ dogmate in *l. pater filium §. Julius Agrippa, D. de leg. lib.* 3. quod probatum eſt eidem Bar. in *l. peto, §. fratre, col.* 2. *D. iſto tit. & in l. ſi ita quis §. ea lege nu.* 7. *D. de verb. ob.* & pleriſque omnibus teſte Jaſ. in *l. voluntas nu.* 9. *C. de fideicom.* & in *l. filiusfa. §. divi lect.* 1. *nu.* 102. *& lect.* 2. *nu.* 155. *D. de leg. lib.* 1. *& in d. §. ſi ea lege, n.* 9. & *nu.* 44. Rip. *nu.* 96. & Loaz. *nu.* 155. *in d. §. divi* Pariſ. *Conſ.* 22. *nu.* 25. *lib.* 3. *& conſi.* 58. *nu.* 9. *lib.* 2. Bernar. Diaz. *Reg.* 28. inſigni Pinelo in *l.* 2. *nu.* 8. *C. de bon. mat.* latiſſime Tiraq. *lib.* 1. *de Retract. §.* 6. *gl.* 1. *n.* 5. Sed & ea interpretatio, licet fere omnium punctum tulerit, nec literæ convenit, nec exaggeratum Papiniani ingenium, in commenta ab Accurſio reſpexiſſe credendum eſt; & denique ſententia, imitatur, à jure abhorret, quia quemadmodum, ſi nuncupatim teſtator caviſſet, ne hic fundus ad legitimos hæredes veniret, tunc ii, ad quos lege redit hæreditas, vel eorumdemmet interpretum luculento teſtimonio, ab ejus ſucceſſione arcentur, *l. codicillis*, ubi omnes ita docent, *§. mater. D. iſto tit.* docet eadem gl. frequenter recepta in *l. pater filium* §. Julius Agrippa. *D. de leg. lib.* 3. & *in l. ſi ita quis §. ea lege verb. intereſt D. de verb. oblig.* Soz. Junior *conſ.* 119. *num.* 18. *lib.* 2. Jaſ. *in d. §. divi.* 2. *lect. num.* 138. Loaz. *num.* 157. Sic æque prohibitione, de qua textus hic, excluſi cenſendi ſunt: cum qui certis tantum hominibus, hujus fundi conſequendi copiam facit, proculdubio cæteris omnibus illam negat, ut in ſimili ſcripſit Caius in *l. cum ita* 62. *D. de condit. & demonſtr.* Imperator in *l.* 1. *C. ad l. Juliā de adulte.* & eodem numero haberi debet, qui generatim omnes excludit, & qui loquaciter ſigillatim per hominum ſpecies decurrit *l. ſi chorus* 78. *D. de leg. lib.* 3. *l. ſi duo. D. de admin. tut. cum ſimi.* Nec enim rei ipſius claritas me diutius hic immorari ſinit. Denique, vel ſola teſtatoris voluntas, inſtar legis, ſemper, & ubique cuſtodienda, id omnimo abjudicat, ac rejicit. Mitto quæ Sal. in *d. l. ea lege num.* 14. Rip. in *d. §. divi. num.* 97. & inibi latius Crotus *num.* 11. Hiſpanus Ant. Gomez. in *l.* 40. *taur. num.* 46. Covarruv. in *d. c. Raynaldus num.* 9. inculpate a ſuis ducibus deſciſcentes, ad fidem faciendam non ſimiliter adducunt. Reſtat ut quid de meo tunc attulerim, & nunc cenſeam, promam; ac lubet prius ſigillatim more grammaticorum verba legis exponere. *Ait lex cum inter libertos;* mallet Valla *libertinos*, ſed Papin. ad teſtantem reſpexit. Porro libertinorum differentias, & recenſuit, & ſuſtulit Juſt. in *l.* 1. *C. de latin. lib. toll. & in §. ult. Inſtit. de ſuc. liber.* ut hic jam ea de re nullum verbum fieri ſit neceſſe; *liberta quoque*, expreſſim à teſtatore, licet & tacite, ſub libertinorum nomine comprehenderetur *l.* 1. *l. liberti l. patroni D. de ver. ſig. quod patronus petit*, verba ſolemnia fideicommiſſorum commemorant Ulp. in *Fragm. tit.* 25. §. 1. Pau. *lib.* 4. *Recept. ſent. tit.* 1. §. *fideicommittere* his verbis; Juſtinia. in §. *ult. Inſtit.*

de ſing. reb. per. fideicom. Illorum religionem demit idem Juſtin. in *l.* 2. *C. communia de leg. nomine familiæ.* Hoc nomen gentilitium Suetonius in *Claudio* appellat, idque homines peregrinæ conditionis non potuiſſe uſurpare ait: non ego hoc in nominum, cognominum, & prænominum explicatione vagabor. Actum id jam eſt ab Alex. ab Alex. ab Alc. & Connano fuſe, atque eleganter. Tantum dico Romanos tribus nominibus uſos, nam agnomen ad cognomen, ſeu cognomentum refero. Utebantur enim prænomine, cujus loco eſt noſtrum nomen; utebantur nomine familiæ, originem declaranti, vocamus *alcunha*; cognomine nomini extrinſecus adjuncto, appellamus *ſobrenome*, ut Arius Pinelus Juriſconſultus, Arius prænomen eſt, Pinelus nomen gentilitium, Juriſconſultus cognomentum ex ſumma, & germana jurisprudentia emeritum. Sed hodie fere, aut prænomine, & nomine contenti ſumus, aut cognominis vicem, nomen ex alterutra parentum gente adjunctum, ſubit, ut mihi prænomen Emanuel, nomen Soarez ex matris familia ſumptum, loco cognomenti de Ribeira ex paterna gente. Porro ſcitum illud eſt, libertinos, & libertinas prænomini ſuo, nomen, ex patronorum gente, ſuiſſe ſolitos adnectere, atque adoptare, ut & hodie fit. Unde noſter comicus P. Terentius dictus eſt ex familia Terentiorum, Tullius Cæcilius, ex Pomponii Cæcilii Attici gente, apud Ciceronem. Ex quibus quoque apertum eſt libertinorum familiam, aut partem familiæ, aut certe quamdam memoriam patronorum familiæ eſſe: nec tamen ideo minus libertinorum familia, genere quodam dici potuit, cum à primo libertino, poſt manumiſſionem, & è tribus gradatim illius poſteris, hoc eſt, ex illo ab avo, & filio avo, & ejus nepote, in abnepote jam gens conſtitueretur, ut ex Livio *lib.* 10. & Cicer. *in Topicis* colligitur. Ait Livius: *an unquam fando audiſtis patritios primum eſſe factos, non de cœlo demiſſos, hoc eſt nihil ultra, quam ingenuos.* Ait Cicer. *gentiles ſunt, qui eodem nomine ſunt inter ſe, qui ab ingenuis oriundi ſunt*, &c. Sed & inde quoque patet, quod Juriſconſultus inquit, *vetuiſſe teſtatorem, ne fundus è familia exiret*, idem eſſe, atque illud quod vulgo frequenter uſurpamus, ne à familiæ nomine egrediatur. Porro cum Accurſio, & omnibus interpretibus, hic, & alibi exiſtimo, teſtatorem prohibuiſſe, ne fundus exiret de familia ipſorum libertinorum, quæ & nomen patronorum ſervabat, & ea ratione, quam *ſupra* poſuimus, ipſorum libertinorum dicenda, atque intelligenda eſt, nempe quia ut patronorum familiæ ſunt veluti traduces, ſic caput, & nominis origo, à poſteris agnoſci debent; itaque dixit teſtator, *prædium meum Sempronianum libertis meis libertabuſque do, lego, à quibus peto, ne unquam de eorum familia exeat.* Sequitur in lege, *hæredem libertæ filium*: atque ideo infra non petere, ſed retinere dicitur, quod hæres in hæreditate invenit. Reliquum eſt ut qua cauſa motum Papinianum, & crediderim, & credam, brevi edam. Exiſtimo igitur Papinianum in voluntatem teſtatoris hic eſſe intuitum, & ex voluntate hoc reſponſum eſſe electum; nam cum teſtator libertis, libertabuſque ſuis fundo relicto, rogaſſet, ne extra eorum familiam ille alienaretur, ac perinde hoc eſſet habendum, ac ſi unicuique liberto ſeparatim, & libertæ quoque ſejunctim, fundus relictus eſſet, & fundi alienandi prohibitio accommodata. *l. ſi chorus. D. de leg. lib.* 3. *l. ſi duo D. de admin. tut.* ſenſit recte Papinianus ex teſtatoris voluntate, neceſſario conſequi verba illa *extra familiam*, ad libertinam accommodata, debere intelligi de familia, quæ ipſi fœminæ quocumque modo poſſet attribui, juxta *tex. ſing. in l. hæredibus* §. *ult. D. ad Trebel.* adjuncta *l.* 21 *facto* §. *ſi quis rogatus* in 1. *eod. tit.* quibus juribus habetur verba, *ſine liberis*, ab honorato teſtatore facta, tametſi ſolum ad liberos juſtos referantur, tamen ſi ad mulierem furioſam accommodata, proponantur, de liberis tantum naturalibus eſſe accipienda, quod illa alios habere nequeat. Quo exemplo quam appoſite res, de qua agimus, enucleetur nemo, credo, non videt. Juvat & hanc ſententiam trita regula ex *l. equitii. D. de uſu & habit. l. quibus diebus.* §. *dominus. D. de cond. & demonſt.* nec verbi *familiæ*, proprietas incommodat, quia ſcitum eſt, quod eleganter, & utiliter Juriſconſultus inquit, in *l. non aliter* §. 1. *D. de leg. lib* 3. *Non enim, ait, in cauſa teſtatorum ad definitionem uſque deſcendendum eſt, cum plerumque abuſive loquantur, nec propriis nominibus, ac vocabulis ſemper utantur.* Quapropter non immerito idem Papinianus in *l. in conventionibus.* 215. *D. de ver. ſig.* & alii I. C. plena manu congeſti à Rip. nec pauca, nec parum convenientia, meo arbitratu, afferenti: *in l. ubi pure* §. 1. *num.* 4. & in *l. hæredes mr.* §. *cum ita, num.* 35. *cum ſeq. D. ad Treb.* Tiraq. in *l. ſi unquam, verb. libertis num.* 47. Mantua *de ſol. ar. verſ. ſexto pag* 278. & *Apophteg.* 166. graviter ſemper inculcarunt, ut voluntatem potius, quam verba contemplaremur. Denique juvant impenſe hanc noſtram opinionem, quæ Craſſus contra Scævolam, de voluntate adverſus verba, diſſeruit, quæque Marcus Tullius, illa referens cordate, addit, *quid? verbis ſatis hoc cautum erat? minime. quæ res igitur valuit? voluntas, quæ ſi tacitis nobis intelligi poſſet, verbis omnino non uteremur; quia non poteſt, verba reperta ſunt, non quæ impedirent, ſed quæ indicarent voluntatem.* Huc quoque conferunt quæ Domitius, cognomento inſanus, apud Gellium in adhæreſcentes ad verba, verborumque auctoritates inſane diſputat. & tandem eidem rei uſui erit Modeſtini ratio, Labeonem improbantis in *l. quiſquis* 114. *D. de ver. ſig. Quiſquis mihi*, inquit, *alius filius, filiive, hæres ſit. Labeo ait, non videri filiam contineri. Proculus contra; mihi Labeo videtur verborum figuram ſequi, Proculus mentem teſtantis; non dubito quin Labeonis ſententia vera non ſit*, & hæc ſane aut vera, aut vero propior, hujus textus intelligendi via mihi videtur, eoque tendere exiſtimo verba illa, *liberta quoque eſſet admiſſa.*

CAPUT XXXI.

Declaratur l. in illa ſtipulatione 8. D. de verbo. oblig. *& vindicatur Tribonianus, à notarum errore.*

NOn ſine animi admiratione, in emendandis juris noſtri codicibus, licentiam hujus ætatis contemplor; ac ſane nonnunquam doleo, quod, qui jus explicare, & illuſtrare contendunt, illius majeſtatem non leviter attondeant, & ſeſe aliis irridendos propinent; verum quod inſtituimus agamus. Paulus in *l. in illa ſtipulatione* 8. *D. de verb. oblig.* ſic inſit, *in illa ſtipulatione ſi Calendis Stichum non dederis, decem dare ſpondes? mortuo homine quæritur, an ſtatim ante Calendas agi poſſit: Sabinus, & Proculus expectandam diem actori putant, quod verius eſt. Tota enim obligatio, ſub conditione, & in diem collata eſt: & licet à conditione* (ſic enim legendum eſſe, cum multis codicibus, infra docebimus) *committi videatur, dies tamen ſupereſt.* Cujacius vir, & eruditione, & diligentia commemorabilis, non legendum *ad conditionem*, nec *à conditione*, ſed *ante diem conditio*, nititur eo argumento probare, quod putet apud Paulum ea verba his notis fuiſſe exarata, A. D. quæ ſint explanandæ *ante diem.* Sed proh Deûm, atque hominum fidem! quis homini huic aperuit Paulum id notis ſcripſiſſe? quis Tribonianum nobis pro jure id obtruſiſſe, quod ipſe vel legere neſciret? denique quæ iſta hominum eſt confidentia, ut cum Juſtinianus non Papiniani, non Ulpiani, non Pauli, non cæterorum reſponſa alia, atque aliter valere voluerit, quam quæ, & ut à Triboniano excerpta, explicata, atque interpolata ſunt, hi nobis, & illorum ſcripta confingant, & conficta iſtius ſcriptis præferre, atque anteponere audeant? præſertim cum impendio elegantius, terſius, ſignificantius, in omnibus quibuſque codicibus legatur, *& licet à conditione*: & ea ſit Pauli ſententia, licet obligatio committatur, quod ad conditionem

Digitized by Google

cionem attinet, diem tamen ſupereſſe, atque eodem modo dicat obligationem committi, quo ſæpius ſtipulatio, ſæpius pœna committi dicitur, & obligatione commiſſa à Juliano in *l.* 1. *§. ult. D. de ſtipulat. ſerv.* Atque alius alibi, *à conditione* uſurpaverit eodem pacto quo claſſici omnes, & infra claſſem Latini ſcriptores. Cui rei hæc pauca teſtimonia ex Cicerone fidem faciunto, in *Epiſt. famil. Antonius ab equitatu firmus eſſe dicitur.* ad Atticum, *Sumus flagitioſe imparati, cum à militibus, tum à pecunia.* de Clar. Orat. *à philoſophia, ab hiſtoria inſtructus.* de Officiis, *qui invictum ſe à labore præſtiterit*, quem loquendi modum grammatici per quod attinet, expoſuerunt.

CAPUT XXXII.

Oſtenditur Javolenus Scævolæ *contrarius in* l. Stichum 9. D. de ſtatulib.

Libertas ſtatuta ea dicitur, quæ vel in tempus, vel in certam conditionem deſtinata eſt, quæque cauſa eſt, ut ſervus ſtatuliber dicatur, Paul. in *l.* 1. Ulpian in *l.* 2. & in *l. ſi ſtatulibera* 6. *in princ.* & in *l. ſtatuliberum* 9. *§.* 1. *D. de ſtatulib.* hæc ſi ita relinquatur ſervo, *Stichum Titio do, lego, & ſi ei nummos centum dederit, liber eſto*, cur Servio, & Ofilio relatis in *l. Stichum* 9. *D. illo tit.* ſtatuta libertas non videatur, nec ſtatuliberum conſtituat, ſatis mecum nequeo exputare, nec id tamen temere tantos viros cenſuiſſe arbitror. Illud pro certo habeo Jabolenum in dicta *l. Stichum* Mutio alibi in *l.* 9. *D. de optio leg.* adverſari, quamvis hic illius in re aliam ſententiam ſequatur. Ait Julianus in *l.* 9. *D. de opt. leg.* Mutium referens: *puto Mutianæ ſententiæ aſſentiendum, quia placet ipſa libertate legatum perimi, non datione ſtatutæ libertatis.* Ait Jabolenus in *l. Stichum. Stichum Attio do, lego, & ſi is ei nummos centum dederit, liber eſto*, &c. addit, *ſuperiorem ſententiam probo, ita tamen, ut is ſervus hæredis, non legatarii ſit, ut puta cum legatum ſtatuta libertate tollatur.* Itaque Stichum cum Mutio Gallo, & Labeone, Jabolenus ſtatuliberum putat, & contra eumdem Mutium, non legatarii, ſed hæredis ſervum futurum, & hîc, & alibi ſtatuta libertate legatum perimi.

CAPUT XXXIII.

Exponitur l. filiæ cujus 18. C. famil. ercif.

Magna eſt concertatio inter juris interpretes, num donatio ſimplex, à parentibus in liberos collata, conferri debeat; quam ego, nunc non expediam, ſed in alium commodiorem locum differam, verum exponam, quo ſenſu exiſtimem accipiendam *l. filiæ cujus* 18. *C. famil. ercif.* ejus legis verba ſunt, *filiæ, cujus pater nomine res comparavit, ſi non poſt contrarium ejus judicium, probetur, per arbitrium dividendæ hæreditatis præcipuas, adjudicari ſæpe reſcriptum eſt* &c. ex quibus verbis pleríque omnes collegerunt, res, filiæ nomine comparatas, extra jus collationis eidem filiæ adjudicatum iri, unde Accurſius, & qui cum ipſo ſtantes illum referunt, & frequentius probari doctores ſunt Alexand. *num.* 6. Jaſ. 8. *in auth. ex teſtamento. C. de Collat.* idem Jaſ. *num.* 10. Dec. *num.* 5. Curt. *num.* 54. Cagnol. *num.* 176. & 190. in *l. ſi emancipati. C. illo tit. de collat.* Vitalis *in tract. de coll.* 1. *parte tert. quæſt.* & Ant. Gomez. in *l.* 29. *Tauri. num.* 26. hinc non leve argumentum eliciunt, & eo non conferri ſimplicem donationem probare contendunt, & qui à contraria ſunt ſententiæ, & hujus textus, & argumenti nervos multifariam nituntur declinare, ac ſane ea antiquorum interpretatio probabilior videri poſſet, quæ nuper, & Jac. Cujac. in *Obſervat.* & Franciſc. Bald. *in Juſtiniano* arguit, nempe idcirco in hoc textu res filiæ nomine emtas, filiæ mancipio præcipuas addici, quoniam in hac controverſia non inteſtati, ſed teſtati ſpecies

proponeretur, ac manifeſti juris eſſet hæredes teſtamento facto non expreſſim juſſos conferre, non conferre *l.* 1. *l.* 4. *l.* 7. *C. de collat. l.* 9. *D. de dot. colla.* niſi verendum foret, niſi hæc interpretatio, tum ob divinationem diſplicere debeat, tum quoniam ſæpe adnotatum eſt cauſam inteſtati agi intelligendum eſſe, quoties in jure, nec teſtati, nec inteſtati cauſa exprimitur, quod naturali rationi proculdubio congruentius eſt. Exiſtimo igitur melius, & facilius legem illam poſſe intelligi, ſi juxta Rubricæ lemma ſub qua ſita eſt, eam excipiamus, nec tot leges transfugis Tribonianum ſugiſſe fateamur, & tam multis veluti gnavis, ac certis militibus, jus noſtrum, à nobiſmet orbatum, multis erronibus, atque in ordinem ſuum non diſpoſitis oppleatur, ac magis intelligamus hîc tractari de diviſione hæreditariarum rerum, quam de collatione, & in eo ſte profutura patris voluntas filiæ, quod fundus, de quo quærebat, integer in ſuam portionem illi adjudicabitur, nec fratribus illius petendi locus ullus relinqueretur. Quam mihi interpretandi viam, nec enim alienas laudes ingratus induam, fecit Bald. & Saly. in præſenti, ſtraverunt Joan. de Imol. in l. *continuus, § ult. col.* 4. *D. de verb. oblig.* Philip. Corn. in *authen. ex teſtamento. col.* 3. *C. de coll.* & omnibus ſentibus, ſcrupulis, ac ſordibus perpurgavit acuto ingenio, & acri judicio, Hector Rhodericus Colimbricæ juris anteceſſor, & mihi non pœnitendus præceptor.

CAPUT XXXIV.

Defenditur Halandri littera in l. domum 57. D. de contrahen. emp.

Haloander vir de ſingulari quadam diligentia, in veteribus codicibus perquirendis, & juris ſtudioſis juvandis, ſumma profecto laude dignus *l. domum* 57. *D. de contrahend. emp.* quæ mendo inanis alioquin videri poterat, nobis eleganter reſtituit; antiqua erat lectio, *non compellatur emtor perficere emtionem, ſed etiam quod forte ſolutum abeſt repetat.* Addit ille, verbum, *tantum*, & legit, *non tantum compellatur*, cui lectioni, ob veterum codicum fidem, & phraſis elegantiam, facile aſſentior. Eruditus Hotomanus nuper magis Accurſianum ſe ea in re oſtendens, quam Ciceronianæ eloquentiæ, in qua, & diu, & non parva laude, ut audio, verſatus eſt, ſectatorem præſtans, verbum, *tantum*, recte additum opinatur, ſed everſam ſententiam aſſirmat, niſi ſi alterum, *non*, addatur, ac legatur, *non tantum non*. Cujus opinioni tantum abeſt, ut accedam, ut ab Haloandro, & ſententiam Juriſconſulti, & phraſim elegantem reſtitutam, ab Hotomano ſententiæ nihil opis allatum, & preſſam phraſim everſam arbitrer. Loquendi modus eſt à Bud. accurate in *Annotat.* & in *Comment. linguæ Græcæ* monſtratus, & à locupletiſſimis quibusque auctoribus uſurpatus *non modo hoc reſtituam, ſed nec illud*, pro eo quod clarius quidem, non tamen elegantius dicitur, *non modo non hoc reſtituam.* Sic Cic. 3. *de Legibus*: *Quæ res cum ſapientiſſime conſtituta eſſet à majoribus noſtris, nihil habui ſane, non modo multum*, pro, *non modo non multum*, idem de perfect. Orat. *Nam ſicut in epularum apparatu à magnificentia recedens, non ſe parcum ſolum, ſed etiam elegantem videri volet, eliget quibus utatur.* Ubi *non ſolum*, per *non ſolum non*, idem. 3. Tuſcul. ait: *Iis malis inſidentibus non modo beati, ſed nec ſani quidem eſſe poſſumus.* Plin. Jun. *multa in Urbe noſtra juxtaque Urbem non oculis modo, ſed ne auribus quidem novimus.* Mitto ſexcenta alia Budæi exempla, ac tantum Ulpianum, cui ferme jam quoque à ſciolis manus allata eſt, advoco; ait ille in *l.* 1. *§. ſi quis ita. D. de verb. obligat. Si quis ita interroget, dabis? & reſponderit, quid ni? utique in ea cauſa eſt, ut obligetur, contra ſi ſine verbis annuiſſet, non tantum civiliter, ſed nec naturaliter obligatur, qui annuit.* Sic enim in Pand. Flor. & non deturpatis barbarie codicibus legitur, pro *non*

tantum

Digitized by Google

tantum non civiliter. Sic hic Juriſconſultus *non tantum compellitur*, pro *non tantum non compellatur* eleganter ſcripſit.

CAPUT XXXV.

Emendatur littera l. 2. §. ult. D. de ſtatuliber.

NUnquam §. *ult. l.* 2. *D. de ſtatulib.* lego, quin in eo quædam verba de ſuo loco mota mihi videantur. Quæ ſint, curque id arbitrer, exponam. Si ſervo ſtatuta, ſeu in tempus, aut conditionem deſtinata libertas relinquatur, ſtatuliber dicitur. *l.* 1. ſupra *iſto tit.* & nihil plane refert, utrum in pupillaribus tabulis, illi libertas ſic ſit relicta, an in paternis, iſta *l.* 2. §. *ſed & ſi in tabulis*, retulit tamen utrum ipſi patri, ſecundo, vel tertio gradu hæres conſtitueretur, vel ipſi filio pupillariter ſubſtitueretur; rationes hujuſce diſceptationis facile unuſquiſque poterit excogitare. Tandem utilitatis cauſa, quæ ſæpe juri ſtricto prævaluit, receptum Papinianus narrat, ut & in ea ſpecie ſtatuliber diceretur, & conſequenter ſi alienaretur, ſcilicet ut cum ſua cauſa alienatus cenſeretur. *l. in tabulis* 33. *iſto tit.* utilitas in eo vertebatur, ne puer filius, ſervo alienando, teſtamentum ſibi a patre concinnatum rumperet. Sed præſtat Papiniani verba ponere, *in tabulis*, inquit, *ſecundis ſilio data libertate ſubſtitutum jure ſtatuliberi prudentes numierunt, quod utilitas recipit, ſcilicet & cum ſua cauſa alienaretur, ne patris teſtamentum filius puer rumperet.* Hic aut ſervus, ſeu ſtatuliber diceretur, ſeu ſervus omnino maneret, nec cum illius nominis jure prudentes muniiſſent, ſemper conſtituit, ſi alienatus non eſſet, ſtricta juris ratione non ob utilitatem pupillo neceſſarium hæredem eſſe, cui pupillariter fuit ſubſtitutus, quemadmodum, quod longe majus eſt, impuberis ipſius frater ei neceſſarius hæres eſſet; utrumque diſertis verbis probat *l.* 2. §. *prius D. de vulg.* & Papinian. in *dict. l. in tabulis* dum tabulas pupillares, patris teſtamentum appellat. Quibus adducor male legi in dicto §. *ultimo l.* 2. hoc modo, *quocumque gradu pupillo ſervus cum libertate ſubſtitutus ſit, neceſſarii cauſam obtinet. Quæ ſententia utilitatis cauſa recepta eſt, & à nobis probatur. Celſus quoque putat lib.* 15. *cum libertate ſubſtitutum ſtatuliberi cauſam obtinere*, & potius neceſſario ita legendum reor: *quocumque gradu pupilis ſervus cum libertate ſubſtitutus ſit, neceſſarii cauſam obtinet. Celſus quoque putat* lib. 15. *cum libertate ſubſtitutum ſtatuliberi cauſam obtinere, quæ ſententia utilitatis cauſa recepta eſt, & à nobis probatur.* Nam & ſi velis Ulpianum intelligere, ſervum ſemper neceſſarium hæredem fore, ſeu alienetur, ſeu ſemper in eadem cauſa maneat; neceſſe fatearis Ulpianum prius diſputare debuiſſe, utrum ille alienatus ſtatuliberi jure muniretur, cum inde penderet, ac tota proficiſceretur, & quæſtio, & quæſtionis deciſio.

CAPUT XXXVI.

Oſtenditur mendum in l. ſi dubitet. 70. §. ult. D. de fidejuſ.

QUam raro à recepta codicum fide ſit deficiendum, ſi quiſquam eſt, qui norit optime, & emendantium temeritatem deteſtetur, ei ſane ego non cedam. Verum ubi res poſtulat, librariorum errores, & offenſiones agnoſcere, & refutare quod demum, aut malum, aut nefas eſt? ſed ad rem. Filiusfam. ex contractibus omnibus generaliter in ſolidum, & ut non male quidam loquuntur, applene obligatur. Cujus *libro tertio, ad edict. provinc. Filiusfam. ex omnibus cauſis tanquam paterfam. obligatur, & ob id agi cum eo, tanquam cum patrefam. poteſt*, *l.* 38. *D. de obl. & act.* Ulpianus *lib.* 63. *ad edictum*: *Si quis cum filiofam. contraxerit, duos habet debitores, filium in ſolidum, & patrum dumtaxat in peculium*, & eſt definitio ſic certa, ut putidum ſit in teſtibus producendis immorari. Verum ſi hic filius, aut exhæredaretur, aut emanciparetur, aut levi hæreditatis parte eſſet honeſtatus, dabatur obligationi præſcriptio qua ſe ſe ille in id modo quod poſſet facere, tueretur. *l.* 2. *D. quod cum eo.* Qui alias bonis omnibus ſe exuere, & foro cedere cogeretur, *l. pen. C. qui bo. ced. poſ.* ex quibus illud neceſſario colligitur, ſi filiusf. pro patre fidejubeat non ſolum ei, qui fidejuſſionis utilitatem commendet, ſed qui tantum juris regulas ſpectet, ex aſſe obligatum viſum iri, nec eſſe intuendum in raras, triſtes, ac vix in filium piè obligationem parentum in ſe ſuſcipientem caſuras ſpecies. Quamobrem non dubito *l. ſi dubitet.* 70. §. *ult. D. de fidejuſſ.* vitio non carere; ait in illa Ulpianus, *filiusfamil. pro patre poterit fidejubere, nec erit ſine effectu hæc fidejuſſio, quod ſui juris effectus poterit teneri in id quod facere poteſt. Deinde quod & dum in poteſtate manet, condemnari poteſt.* Et legendum reor, *poterit teneri in id quod fecit.* Nec ignoro ita hæc verba accipi poſſe, ut intelligamus, ſaltem in id illum teneri poſſe. Sed id nec effectum commendanti, nec ſemper in ſolidum factas ſolutiones infra proponenti quadrat, nec juris definitiones docenti mediocriter repugnat. Denique meam ſententiam luculenter confirmat Conſtantinus Harmenop. *lib.* 3. *tit.* 6. hanc *l.* ita reddens, ὁ ὑπεξούσιος καλῶς ὑπὲρ πατρὸς ἐγγυᾶται, καὶ γνώμενος ἀνεξούσιος, ὡς ἐκ ὑπεξούσιος, ἐνέχεται καὶ ὑπεξούσιος ὢν καταδικάζεται.

CAPUT XXXVII.

Explicatur, & emendatur l. tutelas. D. de cap. deminut.

FAtigavit multorum ingenia *l. tutelas* 7. *D. de cap. diminut.* atque eo adegit, ut extra rationem, ſummam audaciam ſibi ingenitam nonnullos prodere coëgerit. Eam ſic facile, & emendandam, & intelligendam omni aſſeveratione affirmo, *tutelas etiam non amittit capitis diminutio, quæ in jure alieno perſonis poſitis deferuntur, ergo teſtamento dati, vel ex lege, vel ex Senatuſconſulto erunt nihilominus tutores. Sed legitimæ tutelæ ex lege* 12. *tabularum intervertuntur, eadem ratione, qua hereditates exinde legitimæ, quia adgnatis deferuntur, qui deſinunt eſſe, familia mutata, aut*, ut in Pand. Flor. *mutati.* Illud, *exceptis his* ab aliquo ſciolo interſertum, & Paulum corrupit, & audaculorum temeritatem incitavit; verum legem interpretemur; ait; *tutelas etiam non amittit capitis diminutio, quæ in jure alieno perſonis poſitis deferuntur.* Hæc eſt definitio quædam generalis generaliter vera, & ex quibuſdam communibus principiis, nemini ignotis, collecta, nempe in aliena poteſtate conſtitutos tutores creari poſſe, & illos minima capitis minutione affectos non tutelæ munere idcirco ſuperſedere; ait lex, *igitur teſtamento dati vel ex lege*, &c. hæ ſunt illationes, quæ ex illa regula ſequuntur. Si enim verum eſt, delatas tutelas minima capitis minutione non finiri, neceſſario ſequitur, id in tutoribus, vel teſtamento, vel lege, vel Senatuſconſulto datis verum fore. Sequitur in lege, *ſed legitimæ tutelæ*; hic oſtenditur quod quamvis illud legitimis tutoribus ſupra collectum, & vero, & neceſſario, ex generali definitione, aſſerebatur, tamen propter *legem* 12. *tab.* & ejuſdem legis rationem incipit vanum eſſe, & *ſupra* ſcriptam regulam exceptione quadam conſtringere; itaque nihil aliud hic agit Paulus, quam antiquam, & generalem regulam præfari, quæ ex illa ſequerentur deducere, & quæ vero, ac neceſſario deducta propter *legem* 12. *tab.* ceſſant, declarare.

CAPUT XXXVIII.

Explicatur Ulpianus *in* l. 1. D. de conſt. Prin.

ULpiani ſententiam in *l.* 1. *D. de conſtit. prin.* ſigillatim hic lubet explicare. Ait ille, *quod*

Principi

Principi placuit, legis habet vigorem, utpote cum lege Regia quæ de imperio ejus lata eſt, populus ei, & in eum, omne ſuum imperium, & poteſtatem conceſſit, quodcumque igitur Imperator per Epiſtolam, vel ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt, vel edicto præcepit, legem eſſe conſtat. Hæ ſunt quas Conſtitutiones vulgo appellamus. Ait, *quod Principi placuit*: modo nec contra naturæ, nec contra gentium jus ſit. Alioquin non tam Principis placitum, quam importuna tyranni libido dicenda eſt, nec enim quod Accurſius in *l. relegati. Digeſt. de pœn.* & multi alii Principum gnathones effutiunt, penſi habenda ſunt. Ait, *utpote cum lege Regia &c.* hæc eſt cauſa, cur legis vigorem habeat: antea enim condendarum legum poteſtas, penes ſolum populum erat, at ille primum in Romulum, deinde multos poſt annos in Auguſtum, & Tiberium *lege*, quæ hic & in *§. ſed quod principi. Inſtit. de jure natur.* Regia, in *l. 3. Cod. de teſtam.* lex imperii, à Strabone *lib. ult.* *προστασία τῆς ἡγεμονίας* dicitur, id tranſtulit quod Lucanus puerum ſtultum Ptolomæum, ait, in Pothinum contuliſſe.

> *Quem puer imbellis*, inquit, *cunctis præſecerat armis,*
> *Et dederat ferrum, nullo ſibi jure retento,*
> *In cunctos, in ſeque ſimul.*

Quodcumque igitur, hic placitorum genera recenſentur, & quod ſupra requiſiimus, aperte probatur. *Per Epiſtolam*, hæ fere reſcripta appellantur: quod ut ait Conſtantinus, *διὰ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐκ προσαγγελμένων ἀναφορῶν γίνεσθαι τὰς βασιλικὰς προστάξεις.* illud non omittam, quod hic dicitur, per epiſtolam, & ſubſcriptionem, ab illo dici per ſubſcriptam Epiſtolam, hoc eſt, *ὅτε δι᾽ ἐπιστολῆς συντυγχάνει*, multaque, vel nolentibus in jure noſtro, & relationum, & epiſtolarum, ſeu reſcriptorum monumenta occurrere, quæ lubens prætereo. Sequitur in lege, *vel cognoſcens decrevit.* Nempe utriuſque partis *διαλελογημένοι* patienter cognitis. Cujus rei unicum, ac locupletiſſimum teſtimonium eſto *l. 3. D. de iis quæ in teſt. delen. vel de plano interlocutus*, de plano cognoſcere, vel interloqui Princeps dicitur, cum de loco æquo, & non pro tribunali id præſtat. Sunt enim oppoſita de plano, & pro tribunali *l. 1. §. abolitio. D. ad turpi. Abolitio privatim à præſidibus poſtulari, & impetrari ſolet. Item pro Tribunali, non de plano l. 18. D. de quæſt. Cuſtodiæ non ſolum pro tribunali, ſed, & de plano audiri poſſunt.* Seneca *lib. 1. de Clement. Hæc tamen magnanimitas in bona fortuna laxiorem locum habet, meliuſque in tribunali, quam in plano conſpicitur.* Denique hæ cognitiones dicuntur fieri de plano, quæ in via, in tranſitu fiunt, magiſtratu vel lavandi, vel geſtandi cauſa, ibi, adjecta ſententia à præſide, prodeunte *l. 7. D. de manu. vindict.* Græci, *ὕπαι ἄρχοντι ψηφίζειν* nominant. Porro interlocutus hic, non interlocutiones uti noſtri ſemper uſurpant, & Juſtinianus in *l. 3. quæ huic contraria creditur, C. de leg.* & Gellius *lib. 14. cap. 2.* acceperunt: ſed pronunciationem, ac ſententiam ferentem ſignificat; magis enim ridiculum eſſet, has interjuſſiones eſſe leges, quam quæ, ut hos locos concidant, interpretes argutantur. Denique nec verba hæc, *vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt*, quidque amplius differunt, quam quod illic rite, hic quocumque modo, uti Græci recte expreſſerunt, decrevit: nec *interlocutionis*, & *interloquendi* verbum aliter apud Juriſconſ. accipitur, quod quoniam mirum aliquibus viſum iri opinor, hi juris loci confirmabunt. Ulp. idem in *l. metum 9. §. ex facto D. de eo quod met. cauſa: & Prætorem me aſſidente interlocutum eſſe*, idem clarius in *l. ſi quis filio 6. §. ejus qui D. de injuſt. rup. Sed & ſi de Decurione puniendo, vel filio nepoteve præſes ſcribendum Principi interlocutus eſt*, juncta *l. divi fratres 27. §. de decurionibus D. de pœn.* ibi *text. adjecta ſententia à præſide*, & *l. 2. prin. D. quan. app. ſit.* ibi, *comprobata enim ſententia præſidis.* Idem Ulp. apertius in *l. ſi præſes 32. D. de pœn. Si præſes*, inquit, *vel judex ita interlocutus ſit, vim feciſti: ſiquidem ex interdicto non erit notatus &c.* idem Ulpian. quem enim alium luculentiorem teſtem producam? in *l. à divo Pio. 15. §. in venditione D. de re jud. Sic denique judices interloqui ſolent*, hoc eſt, uti ex præcedentibus, & ſequentibus luce lucidius eſt, ſententiam ferre ſolent. Marcellus in *l. 1. §. quæri poteſt. D. ad Turp. Quæri poteſt, ſi ita fuerit interlocutus, Lucius Titius temere accuſaſſe videtur.* Scævola, ne in re jam nunc aperta, diligentiæ laudem captare videar, colophonem huic interpretationi imponens in *l. 1. D. de appell. recip. Ante ſententiam appellari poteſt, ſi quæſtionem judex in civili negotio habendam interlocutus ſit, vel in criminali, ſi contra leges judex hoc faciat.* Cujus legis ſententiam obiter enarrabo, ſi prius illud fundamenti jecero, cum dicendum diſputant, num ab interlocutione, uti illos, & Juſtin. uſurpare diximus, hoc eſt, judicis juſſione illum ſuo officio ea in re, non liberante appellari poſſit, nugas agere. Nec enim lex aliqua id probat, ut alibi latius oſtendimus; deinde illud adjicimus, quæſtionem in hac lege non eſſe accipiendam, quemadmodum in *tit. de quæſtionibus* pro tormento, Græcis *βασάνῳ* dicto, quoniam iſtam judex recte in cauſa civili haberi, poſſet præcipere, & ante finem totius negotii non deberet appellari *l. maritus 20. D. de quæſt.* aut contra leges judicaſſe non foret neceſſarium, contra quam in fine legis dicitur. Sit jam igitur hæc ſententiæ Scævolæ ſpecies. Judex in civili cauſa datus, non cauſam ipſe definivit, ſed ad quæſitores, hoc eſt publicis quæſtionibus præpoſitos eam retulit. Ab iſtius judicis ſententia, non quatenus ad cauſam, negotiumque attinet, definitiva, nec controverſiæ, ſed officio judicis finem imponente, recte appellabitur. Poteſt autem, & hoc loco judex, pro Prætore, accipi, qui habendam quæſtionem enunciaret, ut in pleriſque aliis juris locis. Itaque, & hic *interlocutus* nihil eſt aliud, quam ſententiam effatus.

CAPUT XXXIX.

Reſtituitur vera lectio l. uxores 9. D. de iis qui notan. infam.

Eſt profecto deforme, & miniatula cera mendum cum primis dignum in *l. uxores 9. D. de iis qui notan. infam.* ait ibi Paulus: *uxores viri lugere non compelluntur, ſponſi enim nullus luctus eſt.* Sic vulgares codices, qui Juriſconſultos ea ſermonis proprietate, qua maxime excellunt, exuunt: at Florentinus habet, *ſponſi nullus luctus eſt*, ſed quis hic non ineſſe deteriorem mendam, vel credet, vel ſuſpicabitur? cum id orationis imminutio aperte prodat, nec dubito illum, qui primus verbum, *enim*, addidit, eo nomine motum fuiſſe, quod autumaret minus eſſe malum, *ſponſi* nomen pro *viro*, poſitum interpretari, quam tam ridiculam inſertionem pati. Itaque non dubito quin, & *enim*, abeſſe debeat, ut abeſt in Pand. Florent. & *ſponſa* ſponſi loco legendum ſit, ut legit Harmenop. ſic reddens hunc textum *lib. 4. tit. 7. ὁ ἀνὴρ οὐ πενθεῖ τὴν γαμετήν, οὔτε ὁ μνηστὴρ τὴν μνηστήν.*

CAPUT XL.

Tollitur menda à l. legatis 65. §. ſi ex officio. D. de leg. lib. 3.

Inhæſit jamdiu aliud non minus deforme, & adhuc omnium oculos elapſum mendum, ad Marcellum in *l. legatis 65. §. ſi ex officio. D. de lega. lib. 3.* ait illic Marcellus: *ſi ex officio quis ad artificium tranſierit*,

tranſierit, quidam recte putant legatum extingui: quia officium artificio mutatur, non idem è contrario, cum lecticarius coquus poſtea factus eſt, nam qui hæc ita Marcellum ſcripſiſſe putant, mirum quam nænis excogitandis delirant, ut artem coquinariam ex officiorum numero eximant. Cum procul dubio, & ratio aliud ſuadeat, & inter artifices cenſeant coquos Caius in *l. ſi quid* 18. §. *ultim. D. de ædil. edict.* Cicero *pro Roſcio.* & idem Marcellus in §. *proxi. ſequenti*: atque alii complures boni auctores, quos in re perſpicua ambitioſe referre, non minus peccatum erit, quam interpretum figmentis in hac re συμπεριφέρεσθαι. ait Marcellus in §. *ſequenti. ſi unus ſervus plura artificia ſciat, & alii coqui legati fuerint, alii textores, alii lecticarii: ei cedere ſervum dicendum eſt, cui legati ſunt, in quo artificio plerumque verſabatur*: quare pro certo habeo, ubi legitur *non idem è contrario*, ſcriptum fuiſſe οὐδὲ τὸ αὐτὸ πάλιν, *cum lecticarius*, &c. id primum rei neceſſitas mihi perſuaſit, deinde auctoritas Accurſii, quam apud omnes plurimum valituram confido; ille etenim in verb. *è contrario*, hæc ſcripta græce difertis verbis affirmat. Itaque vertendum fuit *non idem rurſus*, aut, ſi ut facilius errorem admittendi veniam concedas, malis loco πάλιν lege ἀντίπαλιν, vertes *non idem è diverſo.* Itaque ſi ſervus officii nomine legatus, ad artificium aliquod ſit tranſlatus, extinguetur legatum, non item, ſeu non rurſus, ſeu non è diverſo, ſi lecticarius legatus ſit factus coquos. Nec enim quemadmodum officium artificio evaneſcit, ſic artificium alio artificio labefit. Unde recte in §. *ſequent.* conſequitur quæſtio, an, ſi coqui omnes legentur, cui ceſſurus ſit hic ſervus, & coquus, & lecticarius, & reſpondetur ad eum ſpectaturum eſſe, hunc ſervum, cui ſervi legarentur, eo artificii nomine, in quo hic frequentius operam poneret. Nec huic ſententiæ obeſt quod ſi Stichi hiſtrionis uſumfructum tibi legem, & deinde eum concinna arte inſtruxero, legatum uſusfructus evertitur. Nec amplius in ea quæſtione, in qua alii Hyſtrionum ſervorum uſusfructos, alii coquorum relictus proponatur, ambigendum ſit, aut ex exercitio frequentiori ſcrupus eximendus *l. ſi cui balnei.* 12. *Digeſt. quibus modis uſusfruct. amit.* quoniam in uſufructu legato, quælibet rei mutatio conſideratur: in re ipſa relicta ejuſdem rei pernicies, atque interitus inſpicitur *l. repeti.* 5. §. *rei mutatio*, cum plurimis aliis illius *tit. quib. mod. uſufr. amit.*

CAPUT XLI.

Exponitur l. ſi is qui ex bonis 6. D. de vulga.

Finem imponat huic *lib.* 1. Herennii *lex 6. D. de vulg.* quæ non inglorie ſcholarum ſacramento, atque ſtipendiis finem impoſuit, & me meum vindicta, velut à prætore, remiſit. Ejus hæc ſunt verba, *ſi is qui ex bonis teſtatoris ſolidum capere non poſſit, ſubſtitutus ſit ab eo impuberi filio ejus: ſolidum ex ea cauſa capiet, quaſi à pupillo capiat. Sed hoc, ita interpretari Julianus noſter videtur: ut ex bonis, quæ teſtatoris fuerunt, amplius capere non poſſit: quod ſi pupillo aliquid præterea acquiſitum eſſet, aut ſi exhæredato eſſet ſubſtitutus: non impediri eum capere, quaſi à pupillo capiat.* Ea ego ſigillatim ſuo ordine interpretatione percurram; & pompam, ac phaleras, quibus tunc exigente tempore affatim uſus ſum, nunc omnes omnino ablegabo, atque illud præfatus ad rem aggrediar: legem hanc jure ſingularem, & unicam, ac non alibi cenſeri à Bar. Bal. Pau. Ang. & reliquis in præſenti, Bal. in *c. ſollicitudinem col. pen. de app.* Ange. in *l.* 2. *ad fin. C. de hered. inſtit.* Cæpol. *caut.* 38. & aliis quos cedens faſtidio non appello; nam vere ad ſpeciem, ab illa propoſitam, ſola eſt in toto juris civilis vaſto corpore. Ait: *ſi is qui ex bonis*, bonorum duplex erat differentia antiquo jure: nam alia in dominio eſſe dicebantur, alia tantum in poſſeſſione. Domini bonorum dicebantur, qui Quiritum jure, hoc eſt, vel mancipatione, vel in jure ceſſione, vel uſucapione, vel lege aliqua civili ea comparaſſent: cæteri *bonitarii*, ut loquitur Theophilus, *poſſeſſores*, ut Juriſconſulti, & elegantius ſæculum, appellantur. Id Ulpianus declarat iis verbis in *Fragm. tit.* 1. *Qui tantum in bonis, non etiam ex jure Quiritum ſervum, habet, manumittendo latinum facit; in bonis tantum alicujus ſervus eſt, velut hoc modo, ſi civis Romanus, à cive Romano ſervum emeris, iſque traditus ei ſit, neque tamen mancipatus ei, nec in jure ceſſus, neque ab ipſo anno poſſeſſus ſit. Nam quandiu horum quid fiat, is ſervus quidem emtoris eſt, ex jure Quiritum autem venditoris eſt.* Unde liquebit cur Prætores hæredem facere nequierint, cum hæres antiquitus dominus appellaretur, auctore Feſto, & Juſtin. in §. *item extraneus Inſtitu. de hæred. quali. & differen.* & fidem faciente Plauto in Menech. inquiente: *prandi, potavi, atque abſtuli hanc, cujus hæres nunquam erit poſt hunc diem*; & dominium iis tantum modis, quos ſupra numeravimus, acquireretur. Hinc etiam liquebit, cur fideicommiſſi via, ipſo jure non prodita, ſed à prætore tutanda, non dominium quæratur, ſed poſſeſſio dumtaxat; atque ita appellatur à Juliano, non ſatis populariter intellecto, in *l. ſi uſumfructum* 3. *D. ſi uſufr. pet.* quæ autem bonorum appellatio complecteretur, accurate, & large ſcripſit vir numeris omnibus abſolutus, & præceptor meus Arius Pinelus *ad Rubricam C. de bon. mater.* Sequitur in lege, *ſolidum capere non poteſt*: ſolidum temere pro integro, aſſe toto ponitur, nec id teſtes requirit: capere cum re accipere *l. aliud eſt D. de verborum ſignificatione.* Porro qui fuerint iſti ſolidi non capaces, magna altercatio eſt. Nuper erubitra Balduinus, & neſcio qui alius veterum omnium codicum profligatiſſimus corruptor, legem hanc Terentiano aſcripſerunt, & ad cœlibes, atque orbos retulerunt, ſed id vanum omnino eſt: nam magno ineptiarum vitio ſe obſtringeret Terentianus hujus legis auctor, ut illi opinantur, ſi ſolidum ex ſecundis tabulis, vel orbum, vel cœlibem poſſe capere ſcripſiſſet, qui ex primis nequiret, cum utrobique *legi Papiæ* locus foret, & eadem ratione, qua vel nihil, vel non ſolidum ex patris teſtamento caperet, nihil, aliquidve ex pupilli tabulis capturus eſſet, & tunc quidem ea ſolum diſceptatio Juriſconſul. digna foret, an qui propter orbitatem non omnino à patris hæreditate deturbaretur, ſed ad partem aliquam aſpiraret, tantumdem ex pupilli hæreditate, tanquam diverſa, ac ſeparata, poſſet conſequi. Quæ ita clara, ita certa, ac perſpicua ſunt, ita verba iſta, *quaſi à pupillo capiat*, & illa generalia, *quod ſi pupillo aliquid præterea*, & illa item generalia, *aut ſi exhæredato ſubſtitutus ſit non impediri eum capere.* Hunc textum ad *legem Papiam* referri renuunt, reclamant, atque oppido, & ſerio recuſant: ut hic amplius mihi immorandum non ſit. Quare cenſeo, hanc legem Herennio acceptam ferendam, cui in antiquioribus codicibus accepto fertur, & accepto tulit vir bene eruditus Connan. *lib.* 10. *ſuorum comment.* cenſeo item inutiliter, & parum è re ſtudioſorum diſputationem intermiſceri, num de naturalibus liberis hic Juriſconſ. egerit, & de illis lex hæc accipi debeat, ſatis etenim eſt hunc locum de illo eſſe intelligendum, qui toto capiendo idoneus non eſſet, & quæſtioni capacitatis ſubjaceret; de qua alibi Caïus in *l. ſi mihi & Titio l. 7. D. de leg. lib.* 11. Ait lex, *ſolidum ex ea cauſa capiet, quaſi à pupillo capiat*: hic totius quæſtionis deciſio eſt, & quæ ſequuntur, qui verbum ſolidum ſit accipiendum, interpretantur. Deciſio clara eſt, ejus quoque ratio perſpicue in verbis illis, *quaſi à pupillo capiat*, adjungitur. Quæ ex eo quoque munitior, ac firmior reddetur, quod Ulpianus Prætoris ſententiam proponens, inquit in *l. ſi ita.* 8. §. *ultim. D. de bon. poſſeſ. ſecundum tabu. Reſpond. ſententiam Prætoris*

in

in danda bonorum poſſeſſione eam eſſe, ut ſeparatim patris, ſeparatim filii hæredes exiſtimari debeant. Ex eo quoque vendibilior videbitur, quod Juſtinianus in §. *igitur. Inſtit. de pupill.* ait: *Igitur in pupillari ſubſtitutione, ſecundum præfatum modum ordinata, duo quodammodo ſunt teſtamenta: alterum patris, alterum filii, tanquam ſi ipſe filius ſibi hæredem inſtituiſſet.* Denique ex eo propior vero cenſebitur; quod licet unum dicatur teſtamentum, idque à patre factum *l.* 2. §. *prius, ſupra iſto tit.* & vulgo ignorata Papiniani *l. in tabulis ſecundis* 38. *D. de ſtatulib.* tamen vero duæ ſint cauſæ, duæ hæreditates Ulpian. *d.* §. *prius.* Juſtin. *d.* §. *igitur*, & idcirco vocetur teſtamentum filii ab Ulp. *l. patris* 20. *D. iſto tit.* & eadem cauſa ubique liberis teſtamentum fieri, factumve dicatur. Nec obeſt ex teſtatoris voluntate, ac diſpoſitione hoc lucrum in domum incapacis derivari, quoniam ſatis eſt non ex ejus bonis fluere. Accedit quod ficto jure, non à teſtatore, ſed à pupillo teſtante capi intelligitur. Nec item obeſt Ulpiani auctoritas in *l. quod conditionis* 36. *in princip. D. de mor. cauſa don.* in hæc verba habens. *Quod conditionis implendæ gratia datur, licet non ex mortui bonis proficiſcatur, capere tamen ſupra modum non poterit is, cui certum modum ad capiendum lex conceſſit.* Quia vera Accur. & ejus popularium eſt ſententia, qui idcirco exiſtimarunt non poſſe eum illic, ſupra modum ſibi indictum, capere: quoniam quod eſſet capturus ab alio, locum bonorum illi alii à teſtatore relictorum ſubeat, atque ideo genere quodam à teſtatore, cujus relictis ſufficitur, ac ſubrogatur, proceſſiſſe judicandum ſit; adde, & juris fictionem, de quâ *ſupra.* Nec item obeſt quod teſtator, & ſcriptos pupillo hæredes, & eos ad quos pupilli hæreditas lege ſit ventura, damnare, & quovis relictorum modo onerare poſſit *l.* 2. §. *interdum ſupra eod. l. ſi Titio pecunia.* §. 1. *D. de lega. lib.* 2. *l. in ratione.* §. *quod vulgo. D. ad leg. fal* ſcribunt late Arc. in *l. qui duos, colum.* 1. infra hoc *titu.* Jaſ. in *l. ſi arrogator. numer.* 25. *D. de adop.* gentilis meus Rhodericus Soarez in *l. quoniam in prioribus colum.* 4. *fol.* 25. *C. de inofficio. teſtamen.* nemini autem queat onus injungi, cui honor non ſit habitus *l. ab eo.* cum tranſlatitus *C. de fideicom.* quoniam ut pupilli hæres ſic habetur, ac ſi ipſe eum hæredem ſcripſiſſet *d.* §. *igitur*, ſic & legata, & fidei pupillarium hæredum mandata perinde cenſeri debent, ac ſi ab ipſo pupillo juſſa eſſent, cum ſit incunctabile, eadem ratione, etiam in legitima portione onus hiſce hæredibus impoſitum eſſe proceſſurum. Sequitur in *l. ſed hoc ita interpretari*: modeſtiæ verba, cum locus eſt, ſæpius à Juriſconſul. uſurpantur, quæ autem ea ſint jampridem ab aliis adnotatum eſt. Sed, & ubi locus exigit, ineptiſſimos alios appellare, & aliis opprobriis dehoneſtare non verentur, quod licere alicubi teſtatur Cice. certe aliquando à ſummis viris factitatum eſſe, & ad elevandam, vel teſtium, vel auctorum perniciosam fidem licere omnibus compertum eſt, ait: *Ut ex bonis, quæ teſtatoris fuerant, amplius capere non poſſit*: hic locus majorem habet difficultatem: ſed facile expedietur, ſi in eo veritatis, non fictionis rationem habitam contemplemur, & quoniam reapſe pater teſtamenti eſt auctor, & rerum ex animi ſententia diſtributor: non immerito cenſetur inhibitus, ſaltem de rebus ſuis, ultra modum lege præſcriptum, dilargiri, præſertim cum eo tempore, quo ſit pupillare teſtamentum, nondum paternarum rerum dominium ad pupillum ſit trajectum, ut jam in res alienas, non autem amplius ſuas, viam incapaci facere pater poſſit videri; quocirca pupillo è vita migrante, ejus bona ipſo jure diſcedent in duas partes, & legi fraus nulla fiet. Sequitur, *quod ſi pupillo aliquid præterea*: nam id extra cauſam bonorum paternorum eſt, atque ideo nihil in legem committitur, ſi ſolidi rerum paternarum incapaci aditus ad illud pateat: vel omnino incapax paternarum fortunarum, ut ſpurius, ad illud non à patre, à cujus cenſu ſolo arcetur, profectum aſpiret. Etenim, & in ſpuriis, & in cæteris prorſus incapacibus, locus erit noſtræ legi, ut ejus ratio docet, & Accurtii non levis, nec in hac re aſpernanda auctoritas confirmat, in *authen. quib. mod. natu. effic. ſui.* §. *ultimo collat.* 6. cum quo faciunt complures alios advocantes Alexand. & Jaſ. hic, & ejus ſententiam communi omnium placito circumvallari atteſtantes, Rip. in *l. Lucius, numer.* 3. *infra eod.* Guil. in *c. Raynutius verb.* & *uxorem, numer.* 690. *de teſtam.* inſignis juris doctor Arius Pinelus in *l.* 3. *numer.* 21. *C. de bon. mater.* ſed illud notabilius teneari poteſt in hac re: jam nempe hodie non tantum hanc legem, in bonis pupilli aliunde partis proceſſuram, ſed, & jam in legitima portione, quæ à patre pupillo obvenerit: quoniam cum legis providentia, non patris judicio eam conſequatur *l. ſi arrogator. verſic. pen. D. de adopt. l. Papinianus* §. *quarta. D. de inoffic. inſ. teſtamen. auth. noviſſima. C. eodem.* videbitur aliunde illam quæſiiſſe, & conſequenter in ſuis non in patris bonis cenſebitur. Juverit hanc opinionem Dini, non capite cenſi auctoritas, aliis probata, in *l. cohæredi* §. *cum filiæ verſicul. nec fideicommiſſum*, infra iſto *titul.* ubi ait lege debitam filiis portionem, in propriis eorum facultatibus numerandam, quaſi eam filii aliunde ſint adepti. Juverit non ſolum, ſed & probabit hanc opinionem elegantiſſimus Pauli *text. in l. ita fidei* 40. §. *patronus D. de jure fiſci.* ubi Paulus, inquit, patronum in portione juſta inſtitutum, & rogatum, aliquid ex illa præſtare non capaci, non in legem committere, ſi teſtatori auſcultet, nec incapacem impediri eam rem capere, quam patronus, non de teſtatoris opibus, ſed de ſuo largiatur. Quam ſententiam ad portiones lege redeuntes, ad liberos produxerunt Bartol. & cæteri juris interpretes. Nec refragabitur verſiculus ſuperior, nullam inter hæc bona, differentiam conſtituens, quoniam eſt animadvertendum, filiorum legitimam portionem, apud Juris noſtri auctores, non cenſum eorum auxiſſe, nec ipſorum copiis adſcribi ſolitam, ſed ad parentum bona referri conſueviſſe, quia non erat ea tempeſtate ejuſdem prærogativæ, cujus erat, & patrono, & filio arrogato debita portio. Quippe cum horum partes legitimæ nullum onus, nullum gravamen paterentur, *dicta lege, ſi arrogator. l. cum patronus D. de legat. libro ſecundo*, at juſta liberorum portio, quibuſvis oneribus eſſet obnoxia, ut *ex l. quoniam in prioribus C. de inofficio. teſtam.* filiorum legitimam partem liberam, & immunem eſſe præcipuanti conſtat. Proinde jam hodie hæc ampliatio merito admittetur, cum etiam jam hodie non minus hæ portiones, in propriis filiorum bonis, ponantur, quam olim in arrogatorum, & patronorum, facultatibus cenſebantur, quod, & ita olim vir acuti judicii Emanuël à Coſta, & clarus juris doctor cenſuit. Sequitur in lege, *aut ſi exhæredato*: etenim dubium non eſt exhæredato poſſe ſubſtitui, *lege ſecunda*, ſupra eodem, *lege filius qui ſe paterna. D. de acquirenda hæreditate. lege cum quidam C. de legat.* §. *non ſolum. Inſtitutio. eod.* Nec repugnat exhæredatione locum ſui hæredis amitti, quod ex *lege prima* §. *ſciendum D. de ſuis, & legitimis hæredib. lege ſi quis filio exhæredato. D. de injuſto rupt. lege qui in aliena* §. *interdum. D. de acquirenda hæreditate. lege, ſed ſi plures* §. *ex aſſe. D. iſto titulo*, & pleriſque aliis juribus electum, & receptum, teſtificantur Aretinus in *lege tertia numero* 6. *C. de jure deliberandi.* Alexan. in *lege ſi filius qui patri. numero* 10. *D. iſto titulo.* Jaſ. & alii in *lege qui ſe patris. C. unde liberi.* quoniam licet id verum ſit, tamen verius, & certius eſt, patriam poteſtatem exhæredatione non labefactari, ut aperte probat elegans textus in *lege prima D. de confirmando tutor.* adjuncta *lege pater D. de teſtamen. tutel.* & probat *lex, impuberem D. de adminiſtratione tutorum. lex, quemadmodum D de inofficioſo teſtamen.* quæ ſola poteſtas patria requiritur ad jus pupillaris ſubſtitutionis faciendæ, uti manifeſtum eſt

eſt ex *lege ſecunda*, ſupra eodem, & §. *primo Inſtitutio. eod.* nec ſane hæc propoſiti argumenti declinatio latuit Bartol. & alios quos citat Jaſ. in *lege*, *ſi quis poſthumos* §. *ſi filium*; *columna quarta D. de liberis*, & *poſthumis*, & in *lege qui in aliena*. §. *interdum*, *columna ſecunda. Digeſtorum de acquirenda hæreditate*, & in *lege qui ſe patri. columna tertia. Cod. unde liberi.*

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

IN *quo, quid dicatur jus naturale, & non ad illud referri, ſed ad jus gentium, vis vi repulſionem, contra neotericos juris interpretes, oſtenditur.* pag. 564.

CAPUT II.

Exponitur Ulp. *in* l. item ſi verberatum §. 1. D. de rei vendicat. p. 565.

CAPUT III.

Explicatur *l. Centurio. D. de vulg.* & *l. precibus. C. de Impub. & aliis*, melius quam vulgus doctorum ſoleat. p. 566.

CAPUT IV.

Ulpiani *ſententia Africano contraria oſtenditur, contra veterum, & aliquos eruditorum neotericorum opinionem.* p. 567.

CAPUT V.

Oſtenditur etiam liquidò prodigo bonis non interdici, antequam Prætor id pronunciet, & declaratur l. & mulieri, decima quinta, Digeſtor. de curato. furioſ. p. 568.

CAPUT VI.

Confirmantur duo παράδοξα circa locationem, & uſumfructum, Harmenopuli auctoritate. p. 569.

CAPUT VII.

Declaratur titulus *de jurejurando.* p. 569.

CAPUT VIII.

Explicatur Papiniani ſententia in l. cum pater §. filius matrem. D. de leg. lib. 2. & l. 2. C. communia de leg. p. 570

CAPUT IX.

Oſtenditur non juſtam eſſe exhæredandi cauſam matrimonium, à liberis, ſine parentum conſenſu, cum inhoneſtæ, & vitæ, & familiæ fœminis contractum. p. 570.

CAPUT X.

Explicatur Martianus in l. milites 13. §. irreverens D. de re milita. p. 571.

CAPUT XI.

Declaratur quæ ſit poſſeſſio ad uſucapiendum neceſſaria, quæque dicatur civilis poſſeſſio. p. 571.

CAPUT XII.

Traditur vera ratio, cur prodigus teſtari nequeat. p. 572.

CAPUT XIII.

Exponitur §. ſi nummos, l. certi condictio, D. ſi certum petatur. p. 572.

CAPUT XIV.

Inſtitutionum loci aliquot non accurate ſcripti indicantur. p. 573.

CAPUT XV.

Theophili *Inſtitutionum Paraphraſtis errores aliquot deteguntur.* p. 573.

CAPUT XVI.

Recenſentur loci, in quibus Conſtantinus Harmenopulus *non ſatis accurate locutus videtur, aut certe à jure ſcripto deficit.* p. 574.

CAPUT XVII.

Traditur vera ratio, cur filiifam. nec patribus conſentientibus teſtentur. p. 578.

CAPUT XVIII.

Reducitur in concordiam Juſtin. in §. pater. verſ. ultim. de teſtamentis, *cum* Ulpian. in l. qui teſtamento 20. D. eodem. p. 578.

CAPUT XIX.

Exponitur §. prius l. 2. D. de vul. *& priſtina ejus littera vindicatur.* p. 579.

CAPUT XX.

Vindicatur priſtina lectio l. 1. D. de remiſſ. & ejus legis ſententia palam fit. p. 580.

CAPUT XXI.

Aſſeritur Ulpiani *littera* in l. Fulcinius §. ſciendum D. ex quibus cauſis in poſſeſſ. eatur, *& declaratur quid ſit ſtatio.* p. 581.

CAPUT XXII.

Aſſeritur lectio l. ſi in emt. 34. D. de contr. emt. p. 582.

CAPUT XXIII.

Defenditur Juſtiniani *littera* in §. ſed noſtr. Inſt. de ſucceſſ. lib. *& antiqua ratio nummaria ad monetam vulgarem, qua Gallicam, qua Luſitanicam reducitur.* p. 582.

CAPUT XXIV.

Inſtitutionum Juſtiniani *loci, omnino aliis, de jure ſcriptis, adverſi in compendium rediguntur.* p. 583.

CAPUT XXV.

Oſtenditur ex [illegible] l. qui ſcit. 25. §. bonæ fidei D. de uſur. *cum* l. qui bona fide. 23. D. de acquiren. rerum domi. *diſſentire.* p. 584.

CAPUT XXVI.

Exponitur princ. Inſtit. de verb. oblig. & l. ſecunda, §. circa. D. de doli except. p. 584.

CAPUT XXVII.

Quid debeat accipi, jus ipſum, & jure, ipſo in jure. p. 585.

CAPUT XXVIII.

Defenditur, & enarratur Juſtiniani *ſententia*, *in prin.* Inſtit. de cap. diminut. p. 586.

CAPUT XXIX.

Defenditur, & explicatur Juſtinianus, in §. ex non ſcripto, Inſtit. de jure natur. gentium. p. 586.

CAPUT XXX.

Explicatur Papiniani *reſponſum*, in l. cum pater 70. §. cum inter D. de leg. lib. 2. p. 587.

CAPUT XXXI.

Declaratur l. in illa ſtipulatione 8. D. de verb. oblig. *& vindicatur Tribonianus, à notarum errore.* p. 588.

CAPUT XXXII.

Oſtenditur Javolenus Scævolæ *contrarius* in l. Stichum 9. D. de ſtatuliber. p. 589.

CAPUT XXXIII.

Exponitur l. filiæ cujus 18. C. famil. erciſ. p. 589.

CAPUT XXXIV.

Defenditur Haloandri *littera* in l. donum 57. D. de contrah. emt. p. 589.

CAPUT XXXV.

Emendatur littera l. 1. §. ult. D. de ſtatuliber. p. 590.

CAPUT XXXVI.

Oſtenditur mendum in l. ſi dubitet. 10. §. ult. D. de fidejuſ. p. 590.

CAPUT XXXVII.

Explicatur, & emendatur l. tut. D. de cap. dimin. p. 590

CAPUT XXXVIII.

Explicatur Ulpianus in l. 1. D. de conſt. prin. p. 590.

CAPUT XXXIX.

Reſtituitur vera lectio l. uxores 9. D. de iis qui notan. infam. p. 591.

CAPUT XL.

Tollitur menda è l. legatis 65. §. ſi ex officio. D. de leg. lib. 3. p. 591.

CAPUT XLI.

Exponitur l. ſi is qui ex bonis 6. D. de vulga. p. 592.

FINIS TOMI QUINTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

V. LOFFREDO